R. V.
JOANNIS FORBESII
A CORSE
OPERA
OMNIA.
AMSTELAEDAMI
Ex Officina WETSTENIANA.
clↄ Iↄ cc m.
I VI
II VII
III VIII
IV IX
V X

REVERENDI VIRI

JOHANNIS FORBESII à CORSE,

Presbyteri & SS. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Professoris in Academia ABERDONENSI

OPERA OMNIA,

Inter quæ plurima

POSTHUMA,

Reliqua ab ipso Auctore interpolata, emendata atque aucta.

Seriem omnium exhibet prima post præfationem pagina.

AMSTELAEDAMI,
Apud HENRICUM WETSTENIUM, ut & ROD. & GERH. WETSTENIOS H. FF.
clɔ Iɔ cciii.

SERENISSIMAE PRINCIPI

ANNAE

DEI GRATIA

SCOTIAE, ANGLIAE, FRANCIAE & HIBERNIAE

REGINAE,

FIDEI DEFENSORI.

ERENISSIMA PRINCEPS.

Sub Sacræ Vestræ Majestatis auspiciis in lucem prodire gestiunt Opera Viri Reverendi, vitæ sanctitate ac late diffusa eruditione conspicui, Joh. Forbesii à Corse, Presbyteri & SS. Theol. D. ejusdemque quondam Professoris in Academiâ Aberdonensi dignissimi; qui regnante CAROLO MARTYRE, Majestatis Vestræ Avo, Magnæ Britanniæ Regum optimo, pro fidelitate erga Principem, ac debito erga antiquum & Apostolicum Ecclesiæ regimen studio plurimas calamitates perpessus est. Et quo seculo fidelitas erga Regem, pacis quoque atque ordinis in Ecclesia studium, impietatis judicabantur characteres; tum quo & illi qui adversus utrumque solenne fœdus inire detrectabant, pro impiis ac profanis habebantur: eo ipso maluit Vir Reverendus hisce conviciis subjici, ac popula-

rium suorum contumeliis vapulare, quam officiis Deo ac Regi debitis deesse; aliis interim in Sanctorum album relatis, qui populum in *prælia Jehovæ adversus Potentes* descendere (qui fuit sermo fictitius illorum temporum) cohortationibus impellebant. Adeo verum est Apostoli dictum: *Non enim qui in manifesto, Judæus est, nec quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Judæus est; & circumcisio cordis, in spiritu, non littera; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Sincera ac fervida pietas, quæ ex Auctoris *Vitæ Interioris* narratione, spiritualia plurium annorum Exercitia complectente, liquido apparet; aliquid divinum magis ac solidum habet, quam aliorum illius seculi simulate religiosi strepitus; quibus, ut mortalium captarent laudes, cœlum terræ miscebant. Ac sicut inter primos, aquam e puro charitatis fonte haustam portans accurrebat ad restinguendum impiæ seditionis ignem, cui plurimi oleum, ut ardentius æstuaret, plenis manibus affundebant; ita in hoc vere pii ac pacifici Theologi officio ad extremum usque perstitit. Monitum ejus pacificum, Irenicum, quæstiones, replicationes ac duplicationes Theologorum Aberdonensium (cui negotio præfuit) de fœdere tunc temporis in Scotia inito, patris, cujus causam agebat, pietatem ac justitiam, adversariorum vero injustitiam plus satis ostendunt. Quamque benigno Rex Carolus acceperit animo, officia ab Auctore ejusque Collegis in hac re præstita, videre est ex litteris vitæ Auctoris insertis, quibus eos cohonestare dignatus est.

Reverendus Auctor eximiam suorum Operum partem, *Instructiones* intelligo *Historico-Theologicas*, ipso adhuc vivente editam, optimo Regi inscripsit. A quo enim magis sperandum fuit Operis, ad fidem Christianam, ab hominum corruptelis vindicandam, suscepti patrocinium, quam ab eo, qui verum se exhibuit *Fidei Defensorem*, tam puritate vitæ, quam invicta in Evangelica Fidei Catholicæ veritate retinenda, constantia; non obstantibus occultis insidiis a quibusdam Regiæ conscientiæ subdole positis; aliorumque, zelum pro veritate præ se ferentium, apertis in eum seditionibus; mortem denique pro Ecclesia Dei, ac populi sui privilegiis ac juribus oppetendo?

Patrono autem Regio Carolo, ac Auctore reverendo in Ecclesiæ triumphantis cœtum ac æternæ pacis civitatem jam pridem translatis; ad cujus potius Patrocinium convertenda sunt hæc Opera, quam S. V. Majestatis, optimi Avi Thronum Regium, ejusque Regias virtutes, ac imprimis piam de Ecclesiæ bono sollicitudinem, cum omnium applausu & benevolentia possidentis?

Una generatio transit, altera vero succedit; ast iidem utplurimum

mum sunt hominum mores; eædem aguntur fabulæ, diversis licet nominibus insignitæ. In Scotia vidimus Ecclesiam denuo eversam; Ministros ab officiis & beneficiis vi pulsos; novitios in ipsorum locum substitutos, populoque obtrusos; Orationem dominicam e Sacra Synaxi excommunicatam; Hymnum glorificationis ab antiquis temporibus in Ecclesia receptum, invito ac renitente Populo suppressum; Sacræ etiam Scripturæ lectionem publicam, nisi in quantum tunc temporis Concionatoris glossis oblinenda est abdicatam; primitiva Fidei Christianæ symbola explosa, ac novitiam Fidei Confessionem ex mille septuaginta & uno articulis conflatam, Laicis & Clericis implicite credendam, in eorum locum obtrusam; horrendum CAROLI MARTYRIS Parricidium, ac barbaram & nefariam Reverendissimi Scotiæ Primatis per sicarios trucidationem, tanquam facinora plane Heroica, scriptis editis impune deprædicata; omnia denique impietatum, & vitiorum genera, exinde passim grassantia.

Ea est imprimis universi mali, corruptionis & dissidii in Ecclesia Christiana origo, quod præcipuum doctrinæ Christianæ momentum vel ignoratur, vel negligitur. Finis legis est *Charitas*; Jesu vero Christi vita & mandata media sunt ad finem hunc assequendum præcipue & maxime necessaria. His autem spretis, docetur Populus ob ritus quosdam Ecclesiasticos, hisce nullatenus adversantes, alios odio prosequi; ac in systemate quodam opinionum & praxium, a Christianismi essentialibus longe distantium, Religionis summam ponere: dum interim nulla adhibetur cura viam populo monstrandi ad Christianismi essentialia, veram Dei & proximi dilectionem, ac Jesu Christi humilitatem, & sui abnegationem, assequenda. Quam longe a perverso & Pharisaico hoc mentis statu abfuerit Rev. Auctor, ejus vita, conciones & opera palam testantur.

Promisit Deus Reges Nutritios, ac Reginas Nutritias Ecclesiæ suæ impertire. Cum secus est, ei non parum noxii sunt: Cometis similes, qui in perpetuo turbine moventes, influxus effundunt infestissimos. Ast cum tales sunt quales decet, humano generi immensæ sunt benedictioni, Solis ad instar, qui benigno suo lumine & calore omnia undique fovet & vivificat. Talem huic Insulæ in REGIA VESTRA MAJESTATE benedictionem concessit Deus. Magnificum S. V. M. in publicis Europæ commodis promovendis studium; felices exitus, quibus divina providentia id prosequitur; pia pro vero Ecclesiæ Anglicanæ bono & pace sollicitudo; vere Regia, erga afflictum Scotiæ Clerum, adeo non ita pridem neglectum, benignitas; generosi, & indefessi conatus ut

Scoti

Scoti & Angli, quos, sedibus conjunctis, a reliquo terrarum orbe natura separavit, unum in Regnum ac populum, junctis & unitis viribus fortiorem, coalescant: benevoli in populum affectus splendida sunt documenta, & de futuri S. V. M. imperii felicitate, ac eximiis inde beneficiis, tam Ecclesiæ quam Republicæ spetandis, bene ominandi, non leve præbent argumentum.

Hinc ingens lætitia omnium bonorum mentes perfundens, hinc fervidæ omnium Patriæ ac pietatis amantium pro S. V. M. preces, ut Illi Deus cor det sapiens & intelligens, animum omnigenis Spiritus sui donis ac virtutibus Regiis ornatum, Consiliarios ac Ministros prudentes ac fideles, non sua sed Dei gloriam, Principis honorem, ac Reipublicæ bonum revera quærentes; quo S. V. M. Sexus & Throni decus evadat, ac Serenissimæ nostræ Dominæ ANNÆ tempora, ELIZABETHÆ temporibus omnigena felicitate antecellant, & honos, nomen, decusque S. V. M. in æternum maneant, Illique post felix multorum annorum curriculum immarcessibilem cœlestis gloriæ Coronam benigne largiatur Deus Optimus Maximus. Piis hisce votis animitus suffragatur

SERENISSIMÆ VESTRÆ MAJESTATIS

Humillimus & Fidelissimus Servus ac Subditus

Aberdoniæ 6. Id. Febr. 1703.

GEO. GARDEN.

REVERENDISSIMIS ARCHIEPISCOPIS,

REVERENDIS ADMODUM EPISCOPIS,

REVERENDIS PRESBYTERIS

ECCLESIÆ ANGLICANÆ

S. P. D.

Ost plures annos Aberdoniæ (quæ Urbs est Scotiæ Septentrionalis non incelebris) cum generali civium benevolentia, & aliquali uti spero fructu, in Curâ Pastorali exactos, antiquo & Apostolico Ecclesiæ Regimine in hoc Regno abrogato, & Presbyterianâ paritate in ejus locum surrogatâ, istius factionis (quæ ejus Civitatis, imo totius Scotiæ, neque majorem neque potiorem partem adhuc facit) invidiâ, apud secretioris Concilii Dominos ipsorum partibus addictos, tanquam nuperis innovationibus in statu civili factis minus favens, ab officio pulsus sum. Mihi, ab eo tempore & deinceps in otio degenti, commodum in manus incidit Autographum *Theologiæ Moralis* a Viro celeberrimo *D. Joh. Forbesio à Corse*, ex Institutionibus Historico-Theologicis Orbi erudito satis noto, olim elucubratum; quod, ut publici juris fieret, Ecclesiæ Christianæ interesse judicans, de eo typis mandando cum Viro docto & honesto *D. Henrico Wetstenio* Bibliopola Amstelodamensi certis conditionibus transegi. Ille vero de omnibus reverendi Authoris operibus tam impressis quam Manuscriptis simul edendis consilium capiens, ejusdem me per literas participem fecit, obnixe rogans ut vitæ Authoris historiam integro operi præfigendam concinnarem. Qua in re ubi illi morem gessissem, & non solum brevem vitæ Authoris externæ historiam conscripsissem, sed exercitia quoque spiritualia viginti & amplius annorum, in quibus interna animi dispositio ad vivum exprimitur, Latine reddidissem; tandem petiit ut operi de idoneo prospicerem Patrono, cujus auctoritate pondus aliquod accederet existimationi, quam scripta Forbesiana jam sibi acquisiverunt.

Bene monenti obtemperandum ratus, ut reverendus Auctor, modo inter vivos ageret, facturus videbatur, dispiciebam. Cumque ille Instructiones Historico-Theologicas, ipso adhuc vivente ac procurante editas, gloriosæ beatæque memoriæ *Martyri ac Regi* CAROLO PRIMO inscripserit; huic consilio nil magis consentaneum esse duxi, quam integram omnium ejus Operum editionem, *Serenissimæ Reginæ* ANNÆ, virtutis avitæ simul ac Regnorum hæredi, nuncupari. Quod ipsi non ingratum fore sperabam, ob merita, tum Auctoris pro fidelitate erga Principem multa gravia perpessi, tum ipsorum scriptorum, Ecclesiæ Anglicanæ, cujus Filiam se profiteri non erubescit, doctrinam ac disciplinam solide adstruentium.

Porro cum Serenissima Regina hujusmodi librorum in lingua Latina conscriptorum, non nisi ex aliorum testimonio & sententiâ, rationem habitura videatur, nec ullorum mortalium judicio ac testimonio in ejusmodi rebus magis fidat aut plus tribuat, quam doctissimorum Ecclesiæ, quam ut matrem colit ac veneratur, Antistitum ac Pastorum; Vobis (Reverendi in Christo Patres ac Fra-

tres) vestroque favori ac benevolentiæ, hæc scripta impense commendata habemus.

Scripta, inquam, in quibus Auctor, propter singularem sanctitatem ac doctrinam honorandus, novationes in doctrina fidei ac cultu religioso, necnon regimine ac disciplinâ Ecclesiastica, sacrarum literarum ac probatissimorum Patrum auctoritatibus, valide ac erudite impugnat, imo expugnat. *Instructionum Theologicarum* & *Irenici* (quod prout olim ab ipso Auctore recognitum, auctum & emendatum est, nunc prodit) existimatio suo firmo stat talo, longâ temporis præscriptione jam satis confirmata. *Theologia Moralis* ac *Tractatus de Curâ & Residentiâ Pastorali*, omnibus recentiorum seculorum scriptis in eo genere editis, palmam præripiunt. *Spiritualia* ipsius *Exercitia*, quotidiani cum Deo commercii ac consuetudinis quam Vir pius per multos annos religiose coluit, & suavissimorum fructuum consolationis in adversis, omniumque virtutum Christianarum incrementi exemplar, cunctorum bonorum, præsertim Ecclesiæ Pastorum, imitationi ac votis & studiis dignum nobis proponunt. Auctoris vitæ historia luculenta quædam exhibet specimina ingenii, morum, principiorum partium Presbyterianarum, rerumque ab ipsis gestarum, sub imperio *Caroli Primi*: quæ omnia non ignorari, hominum nostri seculi, præsertim in hac nostrâ Britanniâ degentium, maxime interest; ne falsâ & fucatâ Religionis specie se decipi patiantur; & ad odia, inimicitias, convicia adversus proximos, ab ipsis in aliquibus ad Religionem spectantibus dissentientes, tanquam Dei hostes; aut turbas, seditiones & arma adversus Magistratum incitari: quibus artibus Ecclesiam & Rempublicam utriusque Regni semel hactenus eversam, & florentissimam quondam Insulam in fœdum rapinarum, cædium, ac nefandi Regicidii Theatrum conversum viderunt nostri Patres, multique etiamnum superstites. De scriptis vestro patrocinio commendatis hactenus.

Nunc vestra cum bona venia paucis vos liceat compellare de Ecclesia in cujus gremio olim concepta fuere, cujus status calamitosus vestram appellat fidem, commiserationem ac opem implorat.

Sub ipsum statim initium motuum, quos publicæ rei mutatio tam civilis quam Ecclesiasticæ, in hoc Regno insequuta est, seditiosa manus latronum & sicariorum communionis Presbyterianæ in Occidentalibus Scotiæ Regionibus huc illuc impune discurrens, Ecclesiæ Pastorum plures centenarios, legitime & canonice vocatos, ordinatos & institutos secundum Regni & Ecclesiæ leges & statuta; prius ut plurimum contumeliose habitos, inhumaniter tractatos, neque accusatos, neque judicatos, non modo stationes, sed una cum uxoribus & liberis, focos & lares deserere, novasque sedes inclementiori anni tempestate quærere coegit: qui scelerum cumulus ab ipsorum Ministris nunquam damnatus aut reprehensus, nullâ pœnâ aut censurâ in hunc usque diem notatus.

Anno 1689. & aliquot sequentibus, instigatione Ministrorum Presbyterianorum, maxima pars Cleri per reliquas Regni provincias, aliis inusitatis modis, a stationibus amoti sunt, adeo ut maxima pars Ecclesiarum totius Regni uno & eodem fere tempore Pastoribus orbata sit.

Quamvis Presbyterianorum inter nos fundamentale principium sit, omnem inter Ecclesiæ Pastores imparitatem illicitam esse; novam tamen & hactenus inauditam machinati sunt imparitatem, ut nempe omnis potestas Ecclesiastica totius Regni committatur quinquaginta plus minus Ministris Presbyterianis (qui soli superstites erant eorum qui incendiarii & faces fuere horrendæ perduellionis adversus *Carolum* Martyrem) & aliis Ministris ac Senioribus laicis, qui in ejusdem potestatis consortium ab ipsis cooptati vel cooptandi erant; quo reliqui omnes Pastores, Ecclesiarum curam habentes, per totum Regnum diffusi, omni potestate Ecclesiasticâ spoliati & illorum dominationi subjecti sunt; quam

quam in ipsos tam iniquis exercuerunt modis, ut ipsi bene morati Ethnici a tali injustitia abhorrerent.

Nemo vero in partem & societatem potestatis hujus Ecclesiasticæ admittitur, nisi Westmonasteriensi fidei confessioni tanquam propriæ ipsius fidei confessioni subscribat, eidem omnibus diebus vitæ suæ adhæsurum se promittens; ac regimini huic Ecclesiastico supradicto semet subjiciat, idque pro unico & solo Ecclesiæ Christi regimine agnoscens, nihil unquam in ejus damnum aut præjudicium facturum, eique semper adhæsurum spondeat.

Ex hac tanta Ecclesiæ tot Pastorum gregibus suis charorum expulsione factâ; diuturnis Ecclesiarum vacanciis; Novitiorum & rudium, partim scholas nuper egressorum; partim artes mechanicas aliasque vivendi rationes deserentium, populo plerumque invito, reclamante & renitente, in Pastorum expulsorum locum surrogatione; Atheismus, impietas, omnisque Religionis contemptus, cum summo omnium vere Christianorum dolore, in immensum aucta sunt.

Ad hæc mala non parum conferunt, doctrinæ, cultus & sacramentorum Religionis Christianæ abusus, eorumque a præcipuo ejus scopo perversio; dum summa & maxime necessaria Christianismi officia populo haud inculcantur; dogmata sectæ huic propria, inque alios convicia, concionum argumenta habentur; in precibus publicis tanta (ut nil gravius dicam) proditur imprudentia, ut plurimi probi Viri profiteantur se non posse dicere *Amen*; a certis precandi formulis adeo abhorrent, ut ipsius etiam orationis Dominicæ usum penitus rejiciant; tantus S. Eucharistiæ neglectus, ut in plurimis, eisque non infimæ notæ Ecclesiis, ne vel semel post stabilitum hoc regimen administrata sit; Baptismus ita celebratur, ut baptizatis non tam in Ecclesiæ Catholicæ quam in ipsorum sectæ communionem admittendis inserviat; dum parentes suo & infantum nomine, Confessioni Fidei & Catechismis Westmonasteriensibus tanquam propriæ ipsorum Fidei Symbolis promissione solenni obstringuntur; Talem denique Christianismi ideam populo exhibent, ac si ea sita esset in zelo pro ipsorum sectæ doctrinâ, cultu, & disciplina, quatenus in his a reliquo Christiano orbe discrepat ac dissentit.

Quamvis schismatum ac divisionum funestatum, quibus Catholicæ Christi Ecclesiæ unitas misere distracta & divulsa est, præcipua causa fuerit Symbolorum & Confessionum dilatatio & amplificatio; novorum, quique pro talibus ab antiqua Ecclesia nunquam recepti fuere, articulorum additione facta; ac eo nomine Ecclesia Romana a Protestantibus merito reprehendatur; in eundem tamen scopulum longe gravius impegerunt Presbyteriani, qui Confessionem Westmonasteriensem, centum septuaginta unâ paragraphis constantem, quarum unaquæque plures propositiones complectitur, communionis inter ipsos non modo clericalis, sed etiam laicæ necessariam fecere conditionem, subscriptionem ei tanquam propriæ ipsorum Fidei Confessioni factam, ab omnibus Ecclesiarum pastoribus, Presbyteris laicis, in Pastorum electione suffragium habentibus, Academiarum denique Professoribus & ludi literarii magistris, exigentes.

Jam vero quamvis nihil certius sit, quam omnem fidem, scientiam, mysteriorum intelligentiam nihil proficere posse absque charitate; attamen proh dolor! vera charitas, quæ in Dei & proximi amore consistit, inter nos exulat, mediaque ad eam recuperandam necessaria, legum puta Jesu Christi observatio, ejusque vitæ imitatio, posthabentur, mutuisque nos odiis, conviciis, calumniis prosequimur & proscindimus; studio partium, sub specioso prætextu *Christi causam tuendi*. Hæc dum ab aliis facta cum dolore commemoramus (pro fratribus etiam loquor), nosmet justificare non præsumimus, *in multis enim offendimus omnes*; misereatur nostri divina clementia & ignoscat, inque veræ Christianæ pietatis praxi, sua nos gratia dirigat & corroboret. Qui

a nobis dissentiunt, querelam hanc æqui bonique consulant, utpote a deplorandi Ecclesiæ hujus status commiseratione, & sincero spiritualis ipsius boni promovendi studio profectam.

Quemadmodum autem in corpore humano, uno membro patiente, reliqua compatiuntur, ita in Ecclesiâ Christianâ (vinculo unitatis nondum adhuc rupto) quando una aliqua pars, schismate, discordia, hæresi, aut persecutione laborabat, ea aliarum, pace, concordia & sanitate gaudentium, fidem appellabat, opem implorabat; hæ vero, intercedere ac subvenire solebant, lites componendo, hæreses in Conciliis provincialibus aut generalibus damnando, cum Catholicis per literas communicatorias datas & acceptas communicando, cum hæreticis & schismaticis nihil commune habendo, & in casu persecutionis Reges & Imperatores precibus interpellando. Sed eheu! postquam Ecclesia, olim una ac indivisa, in plures, imo multas, separatim & seorsim res suas habentes, scissa est; fraterna inter eos charitas refrixit, & non raro lites ac inimicitiæ vigent.

Verum etiamsi omnes aliæ Ecclesiæ, nostrarum calamitatum otiosas spectatrices hucusque se præbuerunt, meliora tamen a vobis sperare jubent, quæ vestram inter & nostram intercedit necessitudo, magis arcta & intima quam cum alia ulla Ecclesia particulari, ratione viciniæ in eadem Insula, eodemque sub Principe degentium; & conformitatis in doctrina & disciplina. Quin & penes vos est efficaciora nostris malis adhibere remedia, cum inter vos residear aulamque habeat communis Regina, apud quam, ad oppressos antiqui & Apostolici Ecclesiæ regiminis in hoc regno assertores refocillandos & fovendos suopte ingenio satis propensam, consilio, monitis, & præsertim vera rerum inter nos gestarum narratione instare poteritis, ut (jam diu) in angustiis versanti Ecclesiæ Episcopalis clero, ab adversariorium tyrannide vindicato, sub felicis ipsius imperii umbra, in liberiori aura spirare liceat.

Utinam quæ deploramus mala, nostri hujus regni terminos non excederent. Sed proh dolor! hoc virus per totum terrarum orbem se diffindit, quacunque patet Christianum nomen; cujus Professores in multas & varias sectas divisi, mutuis inter se dissidiis, odiis & rixis digladiantur: quo factum est ut charitas fraterna, germanorum Christi discipulorum tessera, adeoque ipse Spiritus sanctus, qui pacis, dilectionis, & unitatis spiritus est, inter Christianos prorsus exulat. O quam luctuosa Ecclesiæ Christianæ facies, cujus fœdum ac miserandum spectaculum piis, doloris ac luctus; infidelibus scandali & ludibrii materiam præbet!

Si omnes Christianos, prout decet, anxios & sollicitos haberet, non desunt remedia quæ hunc in finem in usum revocari possent, quorum unum tantum hic commemorabo, scilicet omnes societates diversæ, præcisis dogmatibus uniuscujusque propriis, & ut ita dicam characteristicis, suas fidei confessiones ad necessaria & essentialia Religionis Christianæ in quibus omnes consentiunt, restringant; & ejusmodi regiminis ac disciplinæ Ecclesiasticæ formam ac constitutionem sibi eligant, qua aptæ evadant, tanquam lapides præparati ac politi, cum aliis concurrere ad ædificium spirituale domus Dei constituendum, quod si spiritu Dei animetur, evadet mysticum corpus Jesu Christi.

Cumque omnis bonus Ecclesiæ civis, commune totius Ecclesiæ bonum quærere, aut saltem optare debeat, ac vera charitas non sibi tantum bene esse velit & optet, sed omnibus; liceat suspiria ac vota pro universa Christi Ecclesia proferre, quæ *Joh. Am. Comenii*, pii ac eruditi Viri verbis (quæ habentur in parænesi ad Ecclesias, nominatim Anglicanam, subjuncta aureo libello cui titulus, Ratio Disciplinæ ordinisque Ecclesiastici, in unitate fratrum Bohemorum, Amst. edit. anno 1660.) quam meis explicare malo. „Salutis Ecclesiæ, inquit, quatuor sunt cardines; nempe 1. ut se totus Christianus populus uniat; 2. ut in „ordinem redigat; 3. ut vincula disciplinæ colliget; 4. tandemque spiritu vitæ impleat.

pleat. Uniat, dico, ut non ſimus amplius tanquam oves diſperſæ, aut Grex "
Leonum, Urſorum, Luporum, Serpentum & Baſiliſcorum, diſperdentium ſe "
invicem; ſed (quemadmodum promiſſum eſt) placide accubantium, ſimulque "
paſcentium, manſuetorum cum feris, robuſtorum cum imbellibus &c. tanquam "
ſub uno Paſtore Grex unus. Nec tamen ita unus ut pecorum Grex, ubi pro- "
miſcua ſunt omnia; ſed ita ut Exercitus acie ordinata, (*Cantic.* 6. 3.) ut Re- "
gnum Meſſiæ melius ordinatum quam Solomonis, (1 *Reg.* 9. & 10.) ut civitas Re- "
gis magni, (*Pſ.* 48. 3.) ut domus Dei, (1 *Tim.* 3. 15.) ut denique corpus vivum, "
diverſiſſimis membris diverſarum functionum plene inſtructum, perque omnes "
commiſſuras coagmentatum, ſpirituque vitæ plenum. (1 *Cor.* 12.-12. *Epheſ.* "
4. 12. &c.) Abſque quo ſi fuerit, cætera fruſtra erunt; quia pleniſſimis etiam "
membris, decoreque locatis, & bene connexis, corpus, una abſente anima, ca- "
daver eſt. "

O diſperſi per Europam, Aſiam, Africam, Americam, perque Inſulas ma- "
ris, & per tot Religionum, ſectarum, opinionum, cæremoniarumque multi- "
via, Chriſtiani populi! quid aliud jam facti eſtis, obſecro, quam *Ezechielis* "
illa per mundi campos disjecta Iſraëlis oſſa? (*Ezech.* 37. 1, 2.) Utinam Deo "
tempus adducere placeat quo in vobis omnipotentem ſuam exerat virtutem! "
Jubendo ut ſonitus fiat & commotio, appropinquantibus ſibi oſſibus invicem "
(hæc foret unio), unoquoque ad ſuum alterum (ordine membris debito), colli- "
gantibus omnia nervis, aſſurgenteque carne, & ſuperinducta cute (hæc forent "
vincula), ſuperveniat denique a quatuor ventis ſpiritus, qui omnes ſpiritualiter "
mortuos perflet ut vivant, (nempe vita Chriſti.) Quis vivet cum id faciet "
Deus? (*Num.* 24. 23.) "

Cum denique Eccleſia veſtra ſit ut civitas ſupra montem poſita, elata ſuper colles, utinam cæteris in exemplum præeat! Utinam Deo placeat vobis cor unum & animam unam reddere; ordinem inter vos conſervare & perficere; diſciplinam, morum corruptionis medelam, vigilantem, totam ſpiritualem & ſalutarem reſtaurare; ſpiritu inſuper Chriſti totum Eccleſiæ veſtræ corpus implere, ſpiritu vitæ Dei, homines in Adamo mortuos vivificante; novos, a Satana, mundo, carne alienatos, ſeque ſoli Deo ad faciendum & patiendum omnem ejus voluntatem offerentes, faciente. Sic ſplendeat imprimis, Viri admodum Reverendi, lux veſtra coram aliis, ut bona veſtra opera videntes Patrem noſtrum qui eſt in cœlis glorificent. Eandem nobis gratiam concedat Deus Opt. Max. cujus ſummæ miſericordiæ, veſtriſque piis precibus Eccleſiam hanc commendatam habemus, proque hac interpellatione veniam petit,

Patres ac Fratres admodum Reverendi

Aberdoniæ Cal. Maii 1703.

Humillimus veſter in D. N. J. C.
Servus,

GEO. GARDEN.

 HEN-

HENRICUS WETSTENIUS

BENEVOLO

LECTORI S.

PRodeunt tandem, *quæ vides benevole Lector, Opera Viri pl. Reverendi* Jani Forbesii à Corse, *Theologiæ Doctoris, dum viveret, in Academia Aberdonensi dignissimi, ac Apostolicis virtutibus si quis unquam alius instructissimi. Ea debes utplurimum curæ Rev. Viri* Georgii Garden *S. Theol. Doct. ac nuper in eadem Aberdonia Verbi divini præconis solertissimi*, τῶ μακαρίτου Forbesii *quondam discipuli vere γνησίου. Ab eo primum conscripta est* historia vitæ Forbesianæ, *quæ totius operis initium facit. Hanc excipit* brevis Idea vitæ Forbesianæ interioris *ab eodem exarata. Qui & Latina fecit* vitæ Forbesianæ interioris, sive Exercitiorum Spiritualium Commentaria, *ab ipso* Forbesio *vernacule chartis mandata. Autographum sibi comparaverat Vir generosus, tum & pietate, prudentia ac probitate singulari illustris, Joannes Gordoun de Haddo, jam pluribus abhinc annis fato functus, qui illud maximi faciebat. Ita ut, cum Comitissa Marischallana id secum communicandum petiisset, primæ libri paginæ, antequam illum traderet, inscripserit sequentia:* Kelly VI. Jan. CIƆ IƆC LXVI. Hic liber pertinet ad me, quem Comitissæ Marischallanæ, Aberdoniæ degenti, eumque a me flagitanti, commodaturus sum. Neque alius impetrasset. Dabit autem syngrapham de restituendo. *Post mortem vero hujus Comitissæ, filius ejus, Nobiliss. Comes de Kintore libro illo potitus est, qui eundem cum præfato Rev.* G. Garden, *ut ederetur, quam humanissime communicavit.*

Theologiam moralem *habuit Autoris filius & hæres, qui cum quondam caussam ageret in Curia Forensi, a viro generoso Alexandro Seatoun de Pitmedden, ejusdem tunc Curiæ Senatore gravissimo, serio impulsus est ut eandem traderet deponendam in bibliothecam Edinburgensem; quam tamen inde paulo post repetitam curæ ejusdem Rev.* G. Garden *ut publici juris fieret commisit.*

Historiam Irenici Forbesiani *contexuit idem R.* G. Garden. *Eam reperies vitæ Forbesianæ* §. XXXVIII *pagina* 16. *hic nullatenus repetendam. Neque & alteram* Tractatus de cura atque residentia Pastorali; *quam in eadem vita* §. XXVII. *pag.* 11. *recenset. Cui tamen illud addendum habeo, iniquissimo tandem pretio illum tractatum nobis fuisse redimendum, nisi hæc opera eo mutila edere voluissemus, id quod vitandum omnino judicavimus.*

Instructiones historico-theologicas *expressimus ad exemplum editionis Elsevirianæ, quo ipse Rev. Auctor usus fuerat dum viveret. Illic inter legendum errata notavit, tum & adjecit plurima ex SS. Patribus & aliunde quæ operi perstruendo idonea judicabat.*

Hic vero locus foret differendi de operibus Forbesianis, eaque condigno ornandi encomio. Verum quum his omnino imparem me sentiam, hoc operis in se suscepit Vir itidem Reverendus Nicolaus Gurtlerus *S. Th. D. atque in Schola*

la

la Daventriensi Professor, amicus meus singularis: Qui hoc precibus meis dedit. Dignus profecto qui Forbesium laudet, dignus qui ejus opera excutiat. Quid vero hic præstiterit videbis ex sequenti ejus præfatione, plura præstituri nisi temporis angustia interclusus fuisset.

Unum illud addo antequam finiam. Fuisse profecto Rev. Forbesium, *virum virtutibus Christianis, mansuetudine præsertim, charitate atque modestia singulari ornatissimum, (ne quid de profunda ejus eruditione dicam) testantur ejus scripta; testatur vita. Ne pereant ejusdem lucubrationes, curat Rev.* G. Garden, *quo viro mansuetiorem, modestiorem, proximique amantiorem, neminem mortalium novi: qui & illud cum beato Doctore quondam suo commune habet, quod Reginæ suæ fidelis sit subditus, tum & Pastor nuper abdicatus in ipsa eadem urbe, in qua Rev. Auctor quondam fuit Theologiæ Professor, ab eadem factione itidem statione sua pulsus. Scripta præfatione sua ornat Clariss.* Gurtlerus, *Vir si quis alius pacis atque concordiæ Christianæ amantissimus, tum & SS. Patrum lectione & Theologica eruditione celeberrimo Forbesio merito comparandus. Ita vero bonos a bonis laudari atque ornari decet. Tu, Lector, ut hoc labore nostro tuo bono fruaris, animitus opto. Vale. Dab. Amstelædami* x. *Kal. Jul.* cIↄ Iↄ CCIII.

NICO-

NICOLAUS GÜRTLERUS Basiliensis

In Academica Schola Daventriensi SS. Theol. Doct. & Profess.

LECTORI BENIGNO

S. P. D. IN CHRISTO JESU.

Ui in tabulis Ecclesiasticis aliquantulum versatus est, ignorare non poterit, in Scotia omni tempore, ex quo Christo Servatori nomen dedit, floruisse viros pietate, doctrina & meritis in Ecclesiam conspicuos. Sic Acleranum & Adamannum septimi seculi ornamenta laudant bibliothecarum scriptores. *Deinde etiam* (sunt verba Buchanani Rer. Scotic. l. 5.) *a Carolo M. qui Galliam non minus literis quam armis illustrare cupiebat, accersiti e Scotia, qui Philosophiam Lutetiæ Græce & Latine docerent. Apud Scotos enim adhuc multi erant Monachi, vetere disciplina nondum extincta, literis & pietate insignes, quo in numero erat Johannes cognomento Scotus, sive Albinus quod idem valet (Scoti enim se Albinos sua lingua vocant) Caroli præceptor, qui plurima ingenii sui monumenta reliquit: e quibus nos Rhetorica præcepta vidimus, cum inscriptione Johannis Albini. Clementis quoque Scoti, qui eodem tempore Lutetiæ literarum insignis Professor erat, quædam scripta adhuc supersunt. Commigrarunt etiam in Gallias complures Monachi Scoti, studio pietatis ducti, qui populis circa Rhenum Christianam doctrinam prædicabant.* Taceo Marianum Scotum ab Historica & Theologica eruditione instructissimum, qui seculo XI. maxime caliginoso splenduit.

Revocato ante CL. circiter annos in lucem Evangelio, præter ceteros Ecclesiæ doctores, quos jam memoria non suppeditat, & omnes laudare necessarium haud est, Scotia protulit Johannem Knoxum, Robertum Rollocum, Hectorem Boethium, Georgium Buchananum, Guilielmum Amesium, Johannem Cameronem, Samuelem Rhetorfortem, Robertum Baronium, Johannem Duræum, & *Johannem Forbesium à Corse*, SS. Theol. Doct. & in Academia Aberdoniensi Professorem, doctrina & vitæ sanctitate perillustrem, cujus opera, pleraque posthuma, duobus voluminibus comprehensa, cum maximo rei Christianæ incremento, elegantissimis typis excusa nunc vulgantur.

Nemo heic expectet, me præfatione paulum ampliore illa redacturum in summam. Quod si enim librorum compendia non essent aliquando dispendia, certo tamen Forbesiani fontes meis rivulis & salubriores sunt, & puriores & pellucidiores. Atque fere doctis viris assentio, qui jacturam Pomponii Trogi Justino, Sexti Pompeji Festi Paulo diacono, Cassiodori historiæ Gothicæ Jornandi Episcopo Ravennati, & Æliani variarum historiarum ejusdem compilatori imputant. Sed alia suppetunt, benigne Lector, de quibus te breviter moneri, nec inutile, nec ingratum, spero, arbitraberis.

In limine *tomi prioris* repræsentatur *Vita exterior* nostri Forbesii, in qua & historia Forbesii Patris, Episcopi Aberdonensis, Guilielmi Forbesii propinqui, primi Edinburgensis Episcopi a Carolo I. electi, Roberti Baronii, Guilielmi Leslæi aliorumque celebrium Scotiæ pastorum exhibetur, utpote cum quibus Reverendus Autor multa læta & tristia habuit communia.

Ortus

Ortus erat e stirpe nobilissima, quæ natalium felicitas ipsum a cultura sanctæ Theologiæ, & muneris Academici administratione minime avertit. Et profecto debetur hæc laus, hoc encomium illustrissimis Scotiæ & Angliæ familiis, quod generosos filios, sæpe & perdivites, studiis non solum humanis, sed quoque divinis, ex animo & consuetudine vetusta consecrant.

Neque fas justumque est, idem invidere aut negare elogium præclaris Reformatæ Galliæ gentibus, quæ ante revocatum Nannetense edictum similiter multos sanguine, doctrina & vitæ integritate pernobiles doctores Ecclesiæ & Academiis subministrarunt: ut merito pudor iis incutiatur, quibus si non ignominiosum, vile tamen & spe præconcepta indignum videtur, ex sacrosanctis Dei literis sapere, & alios sapientes reddere.

Constitutus sacræ Theologiæ Professor, id sibi negotii datum credidit, ut auditores doctrinam Ecclesiæ Catholicæ e libris divinis & Ecclesiasticis, praxin religionis ex decalogo, & officium Pastoris Evangelici sedulo doceret: sed dum in cœpto studio feliciter procedit, inevitabili fato infaustis immiscetur controversiis, quæ fere religionem & Remp. in M. Britannia pessum dedissent, & florentissimam insulam certe per plures annos vastarunt, ac cædibus impleverunt, Ecclesiam turpiter contaminarunt, Regique Carolo I. mortem, Forbesio autem ærumnas, pericula & exilium procurarunt. Repetamus rem altius ex ipsis Forbesii scriptis.

Dum Federatum Belgium *quinque articulis* miserabiliter scinditur, Jacobus I. M. Britanniæ Rex, restituto jam in Scotia anno 1610. *Episcopali*, ut loquebantur, *regimine*, pariter quinque placita per Synodum Perthensem anno 1618. sanciri jubet: I. S. Cœnam submissis genibus accipiendam. II. Baptismum & III. S. Epulum privatim quoque, necessitate id postulante, administrandum. IV. Pueris post Christianam institutionem bene ab Episcopo dicendum cum impositione manuum. V. Singularia Dei opera, ut ortum Jesu Christi e beata Virgine, passionem &c. statis diebus quotannis celebranda, *Tom.* I. p. 11.

Quinque hæc capita Forbesius noster probavit confirmavitque, & *federi nationali* illorum & liturgiæ occasione inito nomen dare constanter renuit. Quare a Synodo Aberdoniensi anno 1640. censura notatur, atque a classe Edinburgensi, cui Patres Aberdonienses sententiæ executionem non imprudenter commiserant, anno proxime secuto Theologica professione exuitur. In quo licet immiti judicio, pro mansuetudine, modestia & charitate sua, non solum acquievit, sed & cum Presbyterianis, sicuti appellantur, Ministris amice & concorditer vixit, conciones ipsorum audiens, & sacra gratiæ Jesu Christi pignora ex eorum manibus accipiens. Adeo scissionem omnem cum Ecclesiæ tum Reip. aversabatur.

Verum ubi anno 1642. novi federis inter Scotos & Anglos pacti subscriptio vehementer urgeretur, cum aliis Scotis e patria exire statuit, & in Belgium secedit, unde post aliquot annorum moram reversus, reliquam vitam in prædio suo *à Corse* tacite & quiete exegit, sanctamque animam Deo mense Aprili A. 1648. reddidit.

Vitam exteriorem sequitur *interioris idea brevis* a Viro Reverendo & Doctissimo GEORGIO GARDEN efformata fideliter ex plenioribus *Commentariis de Joh. Forbesii exercitiis spiritualibus*, quos manu pii Autoris lingua patria scriptos laudatus Doctor Garden habuit, atque in Latinum sermonem transtulit. Complectuntur illi Forbesii precationes, laudationes divinas, peccatorum confessiones, animi compunctiones, luctationes, & cum Deo frequentissimas collocutiones: unde optimi Viri sanctitas, modestia, candor, tolerantia, fortitudo & constantia, pluresque aliæ virtutes Christianæ perspicue apparent, ut affirmare oporteat, cor ejus fuisse templum Deo consecratum, in quo sacrificia fidei, charitatis & spei indesinenter offerebantur, & fons amœnissimæ

consolationis, ac tranquillæ in Servatore Christo Jesu lætitiæ largiter scaturiebat.

Non jam disseram de argumenti sublimitate & sanctitate; non laudabo styli quo exponitur congruam simplicitatem, ab arte fastuosa alienam; nec repræsentabo multiplices fructus ad emendationem vitæ conversionemque ad Deum abundanter inde procrescentes. Tantum grata mente recordor, meo me exemplo didicisse magnam ejusmodi contemplationum utilitatem, quum olim eodem tempore Augustini confessiones, & Hieronymi contra Rufinum & Vigilantium, tribunitiasne dicam conciones, an scholasticas altercationes, legerem ac considerarem.

Equidem religiosum scribendi genus, quo arcanæ Dei cum homine, & hominis cum Deo rationes solicite putantur, seculo nostro inusitatum, novum, & insipidum creditur: tamen id post Profetas & Apostolos, multis Doctoribus Ecclesiasticis, cum vetustioribus tum recentioribus, blande arrisisse, atque ædificando Dei populo feliciter inserviisse, nemo infitiabitur, qui librorum Christianorum catalogos non omnino ignorat, atque sancto & læto Numinis sensu expleri, incitari recrearique amat.

Subjiciuntur porro Forbesiorum tres sacræ orationes, filii de consolatione ob mortem paternam ex Psalmo CX. petita, atque de beatifica Dei visione; patris autem de pace ex *Joh.* 14. 27. coram Rege Carolo I. bellicos inter tumultus habita: refertæ omnes saluberrimis admonitionibus, quæ publicis privatisque personis ad constantiam, sanctitatem & prudentiam conducant.

Eas excipiunt *Theologiæ Moralis libri decem*, quibus decalogi totidem præcepta declarantur & illustrantur, controversiæ variæ de lege divina, & comprehensis illa singularibus mandatis & interdictis, solide juxta & dilucide definiuntur, casusque difficiles conscientiæ penitissime excutiuntur. Opus licet posthumum sit, nec ante hac editum, ultima tamen Autoris manu elaboratum perfectumque, & sicuti haud abs re conjicio, prælectionibus Academicis exstructum, dum munere Professoris Theologiæ fungeretur: Ecclesiæ Dei, atque universo orbi Christiano tanto futurum gratius & acceptius, quanto pauciores hujus indolis commentationes in lucem prodeunt.

Ab initio exhibentur eruditæ dissertationes de lege Dei & hominum; de consuetudine, exemplo & consiliis Evangelicis in Romana Ecclesia tam vehementer commendatis. Subduntur post concinnam decalogi partitionem regulæ, ad quas illius explicatio est accommodanda; finiturque primus liber declaratione præcepti primi, & scholastica investigatione *naturæ, habitus & actuum conscientiæ*. Officia erga Deum a nobis illic exacta Augustini imitatione revocantur ad fidem, spem & charitatem, redargutis severe omnibus, qui aut cultum Dei omittunt omnino, aut alia Numina præter Jehovam venerantur, cap. XV. Flagitia pluribus sectis communia.

Lib. II. agitur de vario imaginum usu, sacro ac civili, licito & illicito, in templis & extra templa: excusanturque *fratres Lutherani retinentes quidem in templis imagines, sed sine necessitatis opinione, sive parum soliciti de iis tollendis*, cap. III. §. 12. quod æquum judicium de sapientioribus ac moderatioribus omnino probare decet: plerique enim imagines in templis retinuerunt commoti sola autoritate Lutheri, qui indigne tulerat, eas se absente & inscio Wittebergæ ab Andrea Carolostadio ejectas abolitasque. Ceterum *Eckhard.* in fascic. controv. c. 11. & *Dieteric.* in Institut. Catechet. non modo acriter defendunt Lutherum, in Catechismo minore præceptum secundum ceu primi appendicem cum Pontificiis omittentem: sed & contra Reformatos valide contendunt, imaginum fabricationem decalogo non esse prohibitam, acerbeque inveheuntur in *Carolostadianos qui imagines e templis deturbant;* etsi notissimum sit, Judæos ac Turcos ad illas velut ad offendiculum impingere, quod *Paulus Ricius* Hebræorum doctissimus, & Papiæ ad Jesum Nazarenum conversus, vere ac graviter monuit.

Liber III. occupatur consideratione convicii Spiritui sancto dicti, *τῆς βλασφημίας, læsionis famæ τοῦ πνεύματος;* juramenti, perjurii, votorum & execrationis per diabolum, olim Gentilibus, post & profano Christianorum vulgo usitatissimæ: ex Augustino præsertim & Philone ostenditur, quando fas aut nefas sit, juramentum exigere & præstare. Est profecto Deum adorare semper honestum ac decorum, invocare testem sæpe necessarium; at credere jam, vel sperare vel caussari hominum probitatem, candorem, veracitatem, quibus injuratis tuto fides habeatur, ridiculum stolidumque.

Libro IV. Forbesius docte pariter ac modeste indagat naturam præcepti quarti, perpetuum & immutabile jussum à temporario & mutabili, Christianum à Judaico caute discernens, ac tandem concludens, *unum ex septem diebus, sive ex hebdomadico circulo diem unum, vi hujus quarti præcepti, quatenus morale est, a nobis Christianis necessario dandum esse sacris exercitamentis*, licet *summi quidam viri negent*, rati *id esse quidem congruum, at non de jure divino necessarium*, contra quos proinde disputat *salvo honore qui tantis viris debetur, & summota contentione*; cap. I. §. 10. Et sane tota ejus de tempore officiisque divini cultus, ac de quiete Judæorum & Christianorum disceptatio tam quieta, tam placida & pacifica est, ut ex dissensione scissiones & inimicitiæ nullæ oriri potuerint. Nec enim ignoravit gravissimam Calvini de hoc argumento sententiam haud paucis probari Theologis. *Non sine delectu Dominicum quem vocamus, diem veteres in locum Sabbathi subrogarunt. Nam quum veræ illius quietis, quam vetus Sabbathum adumbrabat, in resurrectione Domini finis sit ac complementum: ipso die qui umbris finem attulit, admonentur Christiani, ne umbratili cærimoniæ inhæreant. Neque sic tamen septenarium numerum moror, ut ejus servituti Ecclesiam astringam: neque enim Ecclesias damnavero quæ alios conventibus suis solennes dies habeant, modo a superstitione absint. Quod erit si ad solam observationem disciplinæ & ordinis bene compositi referantur.* Instit. l. 2. c. 8. §. 34. Sed & festis diebus a cœtibus Christianis recte memorari Christi e Virgine matre ortum, passiones, mortem, reditum in vitam, sanctique Spiritus effusionem, aliaque Dei beneficia; & jejunia indici cum utilitate ad resipiscentiam firmitet; Forbesius demonstrat cap. IV. V.

Liber V. versatur in collatione potestatis Politicæ & Ecclesiasticæ, in consideratione juris Principum & Magistratuum circa sacra, limitumque potestatis civilis, intra quos se continere sit pulcrum, at difficile homini infirmo, subvectoque in summum honoris & autoritatis fastigium. Commendat urgetque obedientiam quam fideles & pii cives impio quoque & infideli Regi aut Principi debeant. Pauca haber de Senatu Ecclesiastico, scil. Laicos Seniores, potestatem annunciandi Evangelii administrandorumque Sacramentorum non habentes, quibus *nuper* jus gubernationis Ecclesiasticæ velut a Deo iis concessum, tribuere aliqui cœperint, in S. literis non inveniri: posse tamen ab Ecclesiæ pastoribus adhiberi ad consilium de rebus Ecclesiasticis, & ad auxilium tuendæ disciplinæ, si polleant prudentia & autoritate, licet a Deo potestatem clavium haud acceperint. Πρεσβυτέριον memorari semel, 1 *Tim.* 4. 14. Sed eo solos verbi ministros intelligi, secundum ipsum Calvinum ac Bezam, magnos alioquin Seniorum fautores. Non convenit cum scopo præfationis, ut de hisce quæstionibus differam, aut non interrogatus meam de iis sententiam exponam, sed adscribere lubet aurea Forbesii verba, quibus suum a Presbyterianis dissensum excusat: *Ignoscant mihi viri docti & Reverendi fratres, qui aliter sentiunt, nec mihi succenseant potiores desideranti rationes quam quæ circumferuntur. Neque vero hinc adversus Reformatam nostram religionem calumniam struant adversarii: nam de istiusmodi quæstionibus modestam esse posse inter Catholicos sententiarum diversitatem; salva fidei & veritatis compage, nemo non indoctus negabit*, Cap. V. §. 6. Sane, si omnes controversiæ, quæ fundamentum religionis non convellunt, hoc animi

candore, hac modestia agitarentur, Christiani, ejusdemque Confessionis socii, arctiore pacis & charitatis vinculo colligarentur continerenturque.

Libri VI. capita agunt de suppliciis capitalibus; de reis quos Magistratus juste iis afficiat; de coercendis hæreticis; de bello & militum officio; de moderamine inculpatæ tutelæ, deque legum humanarum sanctione & executione. Est equidem vita privare hominem facilius quam redonare; tamen effusus innocentum sanguis clamat in cœlum, & vindictam de homicidis flagitio dignam postulat, quam si sumere negligunt illi quibus jus vitæ ac necis competit, pollutam cædibus regionem supremi Numinis iræ exponunt. De ultimo hæreticorum supplicio Sulpicius Sever. in fine l. 2. *Priscilliano occiso non solum non repressa est hæresis, quæ illo auctore proruperat, sed confirmata, latius propagata est. Namque sectatores ejus, qui eum prius ut sanctum honoraverant, postea ut Martyrem colere cœperunt.* Michaël Servetus & Valentinus Gentilis non hæresin, sed dicta Deo convicia, & seditiosam legum conculcationem capite luerunt.

Libro VII. declarantur conjugii institutio, violatio, impedimenta, dissolutio, vinculum; officia conjugum; tribunal caussarum matrimonialium; jus novarum nuptiarum parti nocenti & innocenti concedendum. Opus post *Bezæ de repudiis & divortiis* tractatum procul dubio diligentissimum pariter & utilissimum.

Liber VIII. valde est copiosus & quatuor partibus absolutus, quarum α. de furto & virtutibus illi oppositis; β. de Simonia & jure Patronatus; γ. de Sacrilegio; & δ. de usuris agunt. Nihil excerpam ex eruditissimis commentationibus, ne iis detraham; adeo omnes ac totæ merentur studiosissimam lectionem & pensitationem: neque succurrit ullus e Protestantum ordine Doctor, qui argumentum fere quotidianum doctius, sapientius & fidelius expedivit.

Idem censeo de libro IX. ubi Forbesius prudentissimum tradit linguæ regimen, præscribens materiam & modum loquendi, tempus ac rationes tacendi, laudationem sui, & alterius temperans; assentationem ac vanitatem objurgans; verum falsumque eruens; mendacia definiens, enumerans, corrigens, detestans; prudentem simplicitatem, dissimulationem, simulationem, insidias discernens retegensque; parabolas, typos, tropos illustrans; propositum, promissum votumque declarans firmansque; affabilitatem commendans, & denique testium numerum ac officium adferens: quorum omnium summam elegantibus conclusit versibus, nam & poëticam Noster artem excoluerat.

Libro X. & ultimo disputat de natura, pravitate & motibus inordinatis concupiscentiæ cum adversus Bellarminum tenuiter valde de *habitu vitioso* & *peccato habituali* ratiocinantem; tum contra Jacobum Arminium & Arnoldum Corvinum, qui orationem Pauli Apostoli ad *Rom.* 7. 14. *& seqq.* interpretando perverterunt.

Hæc est brevis *Theologiæ Moralis* nobilissimi operis idea, ad cujus commendationem nihil adjiciam, nisi quod præstantissimus Autor illud minime exscripsit ex recentiorum doctorum monumentis, sed magno labore ex tabulis sacræ Scripturæ, e dictaminibus rectæ rationis, & libris veterum optimorumque Ecclesiæ Patrum ipse construxit perfecitque.

Subnectitur *Irenicum* Usserio summo vehementer probatum, atque in lucem editum occasione litium quibus Ecclesia Scotica discindebatur, Rege Jacobo I. quinque Synodi Perthensis placita observari jubente. Constat autem ex duabus partibus, quarum *prior* certorum rituum innocentiam & tolerantiam adstruit, usum ab abusu discriminando, & obligationem juramenti a Scotis anno 1581. præstiti definiendo; & *posterior* testimonia exhibet Ecclesiarum Reformatarum, & Scriptorum Ecclesiasticorum de præmissis aliisque capitibus & quæstionibus, una cum pleniore dissertatione de politia Episcopali, quam divinæ originis vel institutionis esse, primi in Ecclesia antiqua negarint Aerius hæreticus, & Hieronymus Presbyter, cap. XI.

Verum scripto hocce pacificatorio, prudente licet ac perdocto, optatum finem

For-

Forbesius minime est assecutus; atque accidit illi quod communiter exulceratis temporibus evenire solet, ut inique excipiantur calideque repudientur pacis oratores, animis ad bella & prælia ardentibus. Noster dum totus erat in pensitando caussæ pondere, influxerant in scribentis calamum, sine studio, & per innocuam incuriam, voculæ aliquot paululum immitiores, justoque acerbiores reputatæ: unde quibus Viri optimi judicium propositumque pacificum displicuit, oggesserunt: Εἰρήνην *voluit cudere, cudit* ἔριν. Forbesius rem quantulamcunque non inficiari, non excusare, non defendere. Quin secunda editione Irenicum corrigit, omittitque omnes voces ac dictiones, quæ fratres dissentientes rigore offenderant. Adeo mansuetum, modestum, sapientem & charitate plenum sese semper & ubique præbuit. Exemplum imitatione tanto dignius, quanto rarius, & cum summi Magistri præceptis convenientius.

Claudit tomum priorem cedro dignissimus liber *de Cura & Residentia Pastorali*, quem Beatus Forbesius scripsit commotus auctoritate & jussu Patris, Episcopi tunc Aberdonensis, nimis crebram, aut justo diuturniorem, quorundam pastorum ab assignatis stationibus absentiam amare deplorantis.

Eo primum disserit, ordinato pastori certum esse dandum *titulum*, sive committendum aliquem gregem, ad quem pascendum salubriter suas conferat curas; ministro uni plures Ecclesias haud temere concredendas: transferri a cœtu necessitate & utilitate publica sic jubente, honestius quam transire. Deinde hortatur graviter, ut præcones Evangelii auditoribus suis & animo & corpore semper adsint præsentes, impedimenta plurima cum recensens diligenter, tum improbans severe, quibus pastoritia cura imminuatur, interrumpaturve, aut negligatur. Admittit tamen aliquando justas ab ovibus absentiæ caussas, modo Apostolorum exemplo, dum abesse cogimur corpore, omni mentis studio, affectu, desiderioque ad commissam nobis Ecclesiam feramur. Uberrima tandem & peropportuna institutione licitam illicitamque *pastorum fugam* pertractat, lupis in ovile invadentibus: quo de lugubri casu solicitas valde & anxias secum fovisse cogitationes recordor pios Reformatorum in Gallia Doctores, qui ejecti e patria fuerant, dum exitus omnes ceteris Jesu Christi testibus sine doctrina & consolatione solenni relictis, a diris osoribus intercludebantur.

Integer tomus posterior impenditur novæ editioni *Institutionum Historico-Theologicarum*, emendatæ ad ipsius Autoris castigationes, plurimisque ejusdem additionibus insigniter auctæ. Quod opus jam olim non solum a Belgarum Theologis & Historicis, quorum encomia in limine leguntur, sed quoque ab universo Orbe erudito est tanto cum adplausu exceptum, ut qui nunc demum in illius ire laudes vellet, post Homerum Iliada scribere institueret. Hinc & iteratæ prostant editiones harum Institutionum, unde cum juvenes discendarum Antiquitatum Ecclesiasticarum cupidi, tum Viri in hoc studiorum genere consummati vel adulti, suos abundanter profectus adaugeant. Id monere sufficit, Forbesium licet ex Patribus & Conciliis innumerabilia ac magno quidem cum selectu & judicio, proferat testimonia, nulla tamen aliena fide explorata allegare: quare nec in hodiernum usque diem ab ullo falsæ citationis unquam accusatus fuit: quod tamen viris etiam doctissimis nimio sæpius contingere solet.

Cunctis utriusque voluminis libris necessarii indices præmittuntur, aut subjiciuntur ad Lectoris opportuniorem usum; qui & chartæ nitorem, puritatem soliditatemque, & typorum elegantiam propriis usurpabit oculis: sed diligentissimam & felicissimam curam, qua vitia typographica ex præstantissimis operibus hisce Forbesianis relegata procul & ejecta sunt, prælaudare convenit. Vale, & mecum ditissimo isto thesauro fruere, ac Bibliopolis rem literariam splendide sumtuoseque amplificantibus & exornantibus gratulare, ac bene precare. Dab. Daventriæ ad Isalam IV. Id. Jun. cIɔ Iɔ ccIII.

SERIES OPERUM
FORBESIANORUM.

TOMO PRIORI

TOMO POSTERIORI

VIRI

VIRI REVERENDI

JOANNIS FORBESII à CORSE,

VITA EXTERIOR,

& VITÆ INTERIORIS BREVIS IDEA.

Conscriptæ ab R. V. GEORGIO GARDEN, *SS. Th. D.*

VITÆ FORBESIANÆ INTERIORIS, sive EXERCITIORUM SPIRITUALIUM COMMENTARIA.

Ab ipso Rev. FORBESIO *vernacula lingua exarata, & ab eodem* R. G. GARDEN *Latine reddita.*

SERMO in PSALM. CX. vers. 1. ab AUCTORE habitus post obitum Reverendi Patris.

DISSERTATIO de VISIONE BEATIFICA.

CONCIO in JOH. XIV. 27. coram Rege CAROLO I. habita.

SUMMA EORUM QUÆ NARRANTUR

In Jo. Forbesii à Corse Vita Exteriori

Secundum ordinem Paragraphorum.

56.

Quæ Brevi Idea Vitæ Forbesianæ Interioris continentur.

7. *Et*

Similem INDICEM *Paragraphorum quos habent Commentaria* VITÆ FORBESIANÆ INTERIORIS hic subnectere, tædiosum ac supervacaneum duxi, cum eædem materiæ identidem recurrant. Consultius judicavi binos INDICES contexere, alterum *locorum S. Scripturæ*, alterum *Alfabeticum rerum præcipuarum*, quos reperies ad finem horum Commentariorum *pag.* 295. &c.

BENE-

Benevole Lector. *Quum tardius ad me missa sint sequentia, quam ut suo loco inseri potuissent, illa haud commodiori exprimi posse censui, quam hoc ipso: nimirum e regione illius ipsius paginæ, in qua extare debuissent, Paragrapho primo vitæ Forbesianæ, vers. 15. post illa verba:* dicti Comitatus Aberdonensis.

In juventute fuit aulicus, ex famulitio Principis Jacobi tertii Scotorum Regis, ejusque Armiger. Qui Jacobus per diploma Regium dedit ac ad Feudifirmam dimisit (ut se habent verba diplomatis:) dilecto familiari Armigero suo, Patricio Forbes, Fratri germano Consanguinei sui Gulielmi Domini Forbes, pro suo fideli servitio illi impenso, omnes & singulas terras Baroniæ de Oneil, videlicet terras de Coule, Kincraigy & Corse, cum tenentibus &c. dicto Patricio & heredibus suis de Rege & successoribus ejus in Feodifirmam & hereditatem perpetuam tenendas &c. Datumque est Diploma apud Edinburgum XVII. die mensis Decembris, Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, ejusque Regni decimo septimo.

Errata quædam corrigenda in vita Forbesii.

Pag. 3.	*col.* 2.	*lin.* 19.	*erratum* polita	*corrige*	potita
4.	2.	34.	ex		ex ea
25.	1.	59.	antiquas		antiquas hæreses exponentes
27.	2.	25.	declinari à malis & fieri		declinare à malo & facere
39.	1.	4. *à fine*	mille		centum [*idem hoc erratum nescio quo fato irrepsit quoque in Epist. Dedicat. pag. 3. l. 9. quod itidem mutandum*]
40.	2.	6. *à fine*	abolere		redolere

RE-

REVERENDI VIRI
JOH. FORBESII à CORSE
VITA.

§. I. *Joh. Forbesii Prosapia.*

Natus est *Johannes Forbesius* sexto Nonas Maji A. D. 1593. generoso stemmate ortus. Abavi quippe paterni Avus *Patricius*, Eques Auratus, filius fuit tertio-genitus Baronis de *Forbes*, antiquæ Originis Dynastæ, & numerosæ Gentis in septentrionali Scotiæ parte, præsertim in Comitatu *Aberdonensi*, principis. Patricius hic primus qui propriæ suæ Familiæ fundamina posuit, Toparcha fuit *de Corse & Oneil*, magnas tenens ditiones, inter fluvios *Deam* & *Donam* in Regione Marriæ, in Occidentali parte dicti Comitatus *Aberdonensis*. Huic successit *David* filius, cujus hæres & filius natu maximus *Guilielmus* inter primos fuit qui Religionem in Scotiâ Reformatam amplexi sunt. Guilielmi hujus primo-genitus & hæres, Authoris nostri Avus, fuit etiam *Gulielmus*, vir sagax & magnanimus.

§. II. *Patrui.*

Hic septem genuit Filios, quorum natu maximus fuit *Patricius*, Authoris nostri Pater Reverendus, de quo mox erit sermo. Secundus *Gulielmus*, ingenio & industria clarus, magnas acquisivit ditiones, inter alias Craigivar & Fentray in dicto Comitatu, quas & multo plures, posteri illius, in hunc usque diem possident. Tertius fuit *Johannes*, Verbi divini Minister, vir pius & doctus, & domi & foris celebris, scriptis quibusdam etiam clarus, tractatu scil. de Justificatione edito, Presbyteriano Regimini in Ecclesia semper addictus, ac ob Synodum quandam Ecclesiasticam contra Jacobi Scotiæ sexti, Britanniæ primi Regis mandatum, habitam, primum incarceratus ac postea in exilium missus, apud *Delphos* in Hollandia Pastor obiit. Hujus filius *Patricius*, regnante Carolo secundo, ad sedem Episcopalem *Cathanesiam* in Scotia promotus est, in quo Officio grandævus obiit. *Arthurus* quartogenitus rei militari addictus, prudentia & armis clarus, in exteris regionibus Tribunus militum factus, plurimas in Hibernia acquisivit ditiones, ubi a Jacobo sexto Eques Baronettus creatus, in magno honore vixit. Hic pater fuit nobilissimi viri D. *Arthuri Forbes Comitis de Grenard*, qui gratiâ Principis *Caroli* secundi, ac in Hibernia præcipuis Regni Officiis cum civilibus tum militaribus per plurimos annos summa cum existimatione & magno Regni emolumento potitus est. Ubi etiam illius filii in hunc usque diem, ditionum ac virtutum paternarum hæredes, in magno honore vivunt.

§. III. *Patricii, Authoris Parentis, vita Breviarium.*

Sed ut redeamus ad Authoris nostri parentem *Patricium* Guilielmi primo-genitum & hæredem, de quo aliquid nosse Lectorem, uti spero, haud pigebit; Pater, præclarâ Filii indole perspectâ, in eo instituendo multam curam adhibuit; illumque *Thomæ Buchanano* celeberrimi *Georgii Buchanani* nepoti, ac Scholæ Grammaticæ Sterlinensis tunc Rectori dignissimo, Literaturâ humaniori imbuendum tradidit.

Patricii Institutio.

Post hæc Philosophiæ, Glascuæ, sub curâ *Andreæ Melvil* ipsius cognati, viri docti ac Poëtæ celebris, (cujus nomen etiam apud nostros Historiographos celebre est) operam dedit. Sub idem tempus novum in Universitate Andreapolitanâ Collegium, quod antea Philosophiæ præcipue destinatum fuit, in Seminarium Theologicum translatum est (duobus reliquis, Leonardino scil. & S. Salvatoris Collegiis ad Philosophiam ,ac Mathesin promovendam reservatis;) estque in hoc genere omnium in Britannia illustrissimum, imo unicum, cum soli institutioni Candidatorum sacri Ministerii in Theologiâ dicatum sit, ubi duo Theologiæ, & unus Linguarum Orientalium, Professores, liberali stipendio aluntur, ac omnibus studiosis quoad victum & hospitium intra mænia Collegii prospicitur, suntque ita sub continuâ Præceptorum inspectione, ipsorum authoritati, ac certis legibus & exercitiis non minus obstricti, quam solent esse Philosophiæ studiosi in Scotiæ Academiis, vel Jesuitarum discipuli in ipsorum Scholis publicis.

§. IV. *Et Studia.*

Andream Melvil ad munus Primarii Professoris in dicto Collegio vocatum comitatus est cognatus *Patricius Forbes*, ubi Theologiæ & Linguæ Hebraicæ diligenter studuit, in quibus tantos fecit progressus, tantaque in juvenili ætate canitiei prudentia & gravitas, & tam inculpatâ vitæ ac morum integritas enituere, ut eum Academiæ Curatores sollicitarint ad Professoris munus in dicto Collegio capessendum. Verùm Pater senescens Filium hæredem domum revocavit, ut de matrimonio ineundo cogitaret, cui obsequens

Filius domum rediit, ac Lucretiâ Spence Generosi viri *Davidis Spence* a Wormilton Filiâ in uxorem ductâ, Patre vivente, in prædio quodam rustico prope urbem Montis Rosarum habitavit, ubi ob insignem eruditionem, prudentiam, & pietatem, brevi tam celebris evasit, ut ipsius domum vicini Generosi ac Ecclesiastici, ad tanti Viri consortio fruendum, undique frequentarint. Mortuo Patre, ad proprium prædium de Corse se transfert, ubi & terram & Librum coluit, ac singulis diebus Dominicis, quasi familiæ suæ Pastor, sacram Scripturam ac Religionis Christianæ principia illi exposuit.

Domesticorum curâ Religiosa.

§. V. *In Institutionem Parochia vicina versa.*

Anno post Christum natum 1605. quibusdam Ecclesiæ Ministris (inter quos fuit *Johannes* Patricii Frater) ob Synodum quandam Ecclesiasticam, Aberdoniæ, Rege prohibente habitam, primum incarceratis, ac postea in exilium missis, atque ita Parochiis quibusdam vicinis curâ Pastorali destitutis, Ministri proximarum Classium Patricium Dominum a Corse obnixe rogarunt, ut privatam domus suæ, in magis publicam unius ex his Parochiis institutionem convertere vellit; quibus obsequens in Ecclesiâ ædibus suis proximâ, singulis diebus Dominicis, magna cum populi ædificatione, postea concionatus est.

§. VI. *Patricius Parochiæ curam pastoralem suscipere declinat.*

His auditis *Patricius Blackburn*, Episcopus tunc Aberdonensis, unà cum Synodo ejusdem Diœceseos, iterum atque iterum rogarunt, ut Sacerdotium inire ac Parochiæ cujusdam curam Pastoralem suscipere vellet. Verum illorum sollicitationibus restitit, officii molem ac temporum difficultates causatus, persistens interea, ipsis comprobantibus, in sacris Scripturis in dictâ Ecclesiâ exponendis, usque dum Pastor aliquis ei præficeretur. Verum (ut Invidia consilia & facta maxime candida denigrare solet) hæc adeo malevole *D. Geo. Gladstones* Archiepiscopo Andreapolitano narrantur, ut se moveri passus sit, hæc officia Patricio inhibere, donec sacrum Ordinem susciperet. Huic extemplo morem gerens, ad privatam domesticorum suorum Institutionem rediit, cultum Divinum publicum singulis diebus Dominicis in Ecclesia Parochiali religiose observans ac post meridiem Domesticis portionem sacræ Scripturæ aperiens; atque ita per septem annos perseverabat, quo tam longe abfuit a Schismate faciendo, ut sicut ipse cultus divini publici religiosus fuit observator, sic & Pastores vicini, & alii honesti viri, domesticas illius Institutiones maxima cum ædificatione frequentarent. Atque tunc temporis S. Pauli Epistolas ad Romanos & Hebr. & S. Joh. Apocalypsin exposuit, cujus ultimæ Expositionis Breviarium postea editum fuit in Commentario illius supra Apocalypsin, a Filio etiam Latine verso ac de novo edito. In his omnibus conspicua fuere, optimi Viri indoles, ad pietatem & Religionem promovendam studium singulare, quanti momenti sit munus Pastorale altus sensus, ac in talento suo exercendo cura summa ne Schismati in Ecclesia ansam daret. Quæ utinam præsenti sæculo magis abundarent, tum ex una parte beneficia Ecclesiastica non tanto studio ambirentur, nec Ministri officio Pastorali tanta incuria fungerentur, nec ex altera Evangelium invidiæ vel contentionis causa prædicaretur.

Archiepiscopo S. Scripturam aliis publice exponere inhibenti morem gerit.

§. VII. *Singulari casu motus ad curam Pastoralem suscipiendam, manus dat.*

Sub idem tempus in illis Regionibus deplorandus accidit casus; Minister quidam pius & probus, Pastor Ecclesiæ de *Keth*, qui pagus est in Diœcesi Moraviensi, atra bili oppressus, atque ita Diaboli insidiis opportunus, cultro in jugulum adacto, sibi mortem conscivit. Lethale vulnus sibi vix inflixerat (quod mors non statim consequuta est) cum summo conscientiæ remorsu & pœnitentia compunctus est; ac in tanto angore positus quamprimum accersivit Dominum de Corse, cujus salutari sermone Dei gratia in corde illius adeo efficaciter operata est, ut insignia veræ resipiscentiæ ac in Jesum Salvatorem fidei præbuerit indicia, anima illius magnum acceperit solamen, salutis spes refulserit, atque pia ipsius mors non minori omnibus ædificationi fuerit, quam occasio fuerat scandalo. Quidam in hoc sæculo quemadmodum inter antiquos Romanos Suicidium tanquam quid magnanimum & Heroicum defendere conati sunt: verum sanæ rationi non minus abjectum & pusillanime videbitur, quam est in Dei legem criminale & flagitiosum. Sicut enim nostræ ipsius vitæ non simus domini magis quam alterius, ac proinde in tali facto jus & potestatem Dei usurpemus, qui omnium est Dominus, & dixit, *Non occides*; ita talia facta veram magnanimitatem ac fortitudinem ab iis longe abesse indicant. Quædam sunt quorum aspectum ferre nequeunt, ac proinde velum interponere ac in æternas tenebras seipsos detrudere malunt. Verum ex altera parte cor hominis altum intra se habet infinitarum passionum & affectionum fundum, ubi æternæ beatitudinis vel miseriæ quasi centra sunt, quæ licet in hoc bruto & mortali statu plerumque occlusa sint, nonnunquam tamen & in quibusdam adeo reserantur ut stupendos vel pacis & gaudii, vel horroris & desperationis effectus producant. Non mirum itaque si salutis nostræ inveteratus & juratus hostis ita laqueos ponat, ut optimos non vigilantes inopinato invadat & opprimat; multo minus exinde Religioni maledicere licet, sicut Pastor ille iis dixit qui ipsum visum veniebant: non Religionem,

nem, sed Diaboli malitiam & ipsius negligentiam culpandam esse. Nil tamen eum vehementius tangebat quam quod Satanas opportunitatem nactus esset Religionem per ipsius latera sauciandi: obnixe itaque per misericordiam & viscera Jesu Christi obtestatus est Dominum a Corse ut, susceptâ illius Ecclesiæ curâ Pastorali, in sanando hoc vulnere opem ferre vellet; ipsius pietate ac prudentia scandalum a se datum amoveri & malis inde metuendis obviam iri posse sperans. Idem populus ac vicini Pastores vehementer rogabant.

§. VII. Singulari casu motus ad curam Pastoralem suscipiendam, manus dat.

Huc usque sacros inire Ordines detrectaverat, licet cor ejus semper ad sacrum Ministerium inclinarit: Verum tunc ardentes viri hujus in tali statu morientis obtestationes animum ejus ita feriebant, tamque planam a Deo percepit vocationem ad stationem hanc in Ecclesia ipsius suscipiendam, ut diutius resistere non ausus sit. Brevi itaque dictæ Ecclesiæ ordinatus est Pastor, ubi Deus laboribus ipsius benedixit, atque Lux ardens & splendens tam populo quam vicinis Ministris fuit.

Ecclesiæ Kethensis Pastor est ordinatus.

§. VIII. Ac inde ad Ecclesiæ Aberdonensis regimen Episcopale electus.

A. D. 1618. Vacante sede Episcopali Aberdonensi, *Patricius Forbesius*, postulante populo, ad illius Ecclesiæ regimen Episcopale sine ullo ambitu electus est. Non ille honores, sed honores illum prosequebantur. Gratulabantur Clerus, Proceres, Vulgus, quod tam dignum Antistitem Diœcesi singularis Dei Providentia præfecisset, ipsorumque spem summam de eo conceptam vir optimus non fefellit. Ad Episcopatus hujus non affectatu sed obtrusi regimen evectus, languentem Ecclesiæ statum magnâ prudentiâ, vigilantiâ ac pietate restituit.

§. IX. Diœcesis cura.

Ut Diœceseos statum penitius cognosceret, Pastores ad munia impigre exequenda excitaret, dissidia inter vicinos componeret; Diœcesin æstivo tempore frequenter obibat, Ecclesias Parochiales visitans, idque sine comitatu, prudenter cavens ne dum ita officio fungeretur, Pastoribus vel aliis oneri esset; hasque visitationes peragebat, non perfunctorie, sed bona fide, studiose allaborans ut animarum curæ vigilanter prospicerent Pastores. In Ecclesiæ alicujus vicinia Sabbato pernoctare ac die Dominico cultui divino publico interesse solebat, Pastorem postea secreto & amanter monens, si quid vel in docendo populum, vel in aliis muneris sui officiis exequendis, vel in vita propriâ observasset, de quo monendum esse censebat. Ubi Ministri vel crassâ ignorantiâ vel supinâ negligentiâ, vel pravitate vitæ, populo scandalo erant, ibi publicas cum Clero instituens visitationes, a sacro munere eos amoveri, ac alios probos viros ad idem obeundum induci curabat. In plurimis Diœceseos locis, ob illorum tenacitatem, qui decimas, unde assignabantur Ministris stipendia, possidebant, deque pecudibus magis quam animabus solliciti erant, duæ vel plures Parochiæ sub unius Pastoris cura unitæ erant: huic malo sese opposuit, ac plerarumque disjunctionem ante obitum vicit. In aliis locis Parochiæ adeo spatiosæ & peramplæ fuere, ut nec uni Pastori universo populo prospicere, nec populo ad Ecclesiam semper venire facile esset; tales itaque in duas vel plures partiri, harumque singulas proprio Pastori committi curabat. Et quoniam *Aberdonia* Diœceseos erat Metropolis, a populo undique frequentata, ut Pastoribus tum eruditione tum vitæ integritate insignibus ipsa frueretur, sollicite curabat, quod adeo feliciter cessit, ut eo sedem Episcopalem tenente, Pastoribus eruditione ac pietate per totam Europam notis, ea Civitas polita sit, de quibus quædam postea dicenda sunt.

§. X. S. S. Theologiæ Professio stabilita.

Quod ad sacri Ministerii Candidatos attinet, ipsorum eruditionis ac morum ratio negligenter nimis antea habebatur. Hinc origo maximi mali in Ecclesia. Supinam Atheniensium incuriam in liberis instituendis olim deplorabat Socrates in Apologia; de ipsis minus sollicitos quam de canibus & equis conquestus, ut qui hos nulli nisi qui in suo genere excellentes efficeret, illos vero cuilibet Thrasoni ob certum stipendium se multum posse jactitanti, committerent. Quanto magis dolendum minorem adhuc adhiberi sollicitudinem in iis eligendis quibus cura animarum committatur, quique aliis in Vitâ Christiana doctrinâ & exemplo erudiendis præficiantur. Ut huic malo obviam iret Religiosus Episcopus, zelo Dei & salutis animarum fervens, in veteri Aberdonia Seminarium constituit, consentiente & concurrente Clero, ubi sacri Ministerii Candidati tum in doctrina tum in moribus Christianis instituerentur; atque Episcopus & Clerus ad Theologiæ Professorem alendum propriis sumptibus fundum faciunt, ac brevi postea stipendium pro alimento alterius in altera etiam urbe obtinet; Studiosis pariter de necessario prospiciens alimento; atque Fundationis hujus fructus non contemnendos ipse suo tempore vidit. Consensu etiam Cleri optimos constituit Canones Synodales juxta quos Candidatorum tam quoad vitam & mores quam quoad doctrinam institueretur examen, ante quam ad sacrum Ministerium promoverentur, diligenter cavens, ne ulli præcipitanter manus imponeret, neve alienorum peccatorum particeps fieret.

§. XI. Academiam ad pristinam dignitatem restituit.

Duæ sunt *Aberdoniæ*, una vetus, altera nova dicta, mille passuum spatio dissitæ; hæc ad ostium Deæ sita emporium est salmonum piscatu & mercaturâ celebre, illa prope flumen Donam pagus est, sede Episcopali,

copali, Ecclesia Cathedrali, & Academia literaria insignis. *Gulielmus Elphinstonus* illius Diœceseos Episcopus quondam meritissimus, in veteri Aberdonia, Universitatem, amplis privilegiis dotatam A. D. 1494. fundari curavit; ac Collegium Regium dictum, ædificiis splendidis, privilegiis & reditibus amplis, Statutis optimis, ac omnium scientiarum Professionibus ornatum, erexit. Post reformatam vero in Scotia Religionem, Cœnobium quoque Franciscanorum Neo-Aberdoniæ, curâ præcipue Comitis Martialis sive Marescalli Scoticani, in Collegium ideo Marischallanum dictum, erectum est. Primus Collegii Regii Principalis (ut vocant) fuit *Hector Boethius*, vir celebris, inter alia propter Historiam Scotiæ ab eo scriptam & editam. Dictus etiam Gulielmus Elphinstonus suæ Patriæ Historiam scripsit, nunquam impressam, cujus unicum tantum restat exemplar in Bibliothecâ Bodleiana Oxoniensi. Inter alia hujus Universitatis statuta, Episcopus Aberdonensis Cancellarius illius constitutus est, cui præcipua cura quoad Professorum admissionem, redituum dispositionem, studiorum directionem, &c. commissa est. *Patricius* noster ad Episcopatum evectus, in Universitate omnia in pessimo statu reperit, ædificia ruinosa, reditus dilapidatos, Statuta neglecta, Professiones quasdam obsoletas, Professores officii negligentes, ac omnes artes liberales penitus fere emortuas. Ille summâ prudentiâ & vigilantiâ pristinam Universitati gloriam, ac liberalibus artibus succum & sanguinem restituit, Academiæ Censum & reditus recuperavit & auxit, ædificia labefactata reparavit, Professiones publicas desuetas restituit, Statuta optima observari fecit, Professores ad sua quemque officia impigre exequenda animavit, omniumque mores, vivum ipse virtutis Exemplar reformavit. Cum a primo Universitatis Fundatore Academia Regia in hunc finem instituta fuisset, ut nempe Seminarium Ecclesiæ foret, omni studio curavit Patricius ut tam laudabili fini adhuc inserviret, ac proinde antiquum restituit Statutum, quo Regentes ut dicuntur in Philosophia, curâ & prælectionibus primarii Professoris in Theologia instituti, ac post sex annos ex Academia secedere tenentur (ad placitum Episcopi sedentis, prout illi e re Ecclesiæ & Academiæ visum fuerit vel non) ut Ecclesiæ Dei in curâ Pastorali inserviant, & institutioni aliorum ad sacrum Ministerium obeundum locum dent. Statutum hoc utile, quod postea in desuetudinem abiit, quamdiu vixit observandum curavit Episcopus optimus: Vacante Ecclesiâ aliquâ Parochiali, unum e Regentibus pium & doctum ad illius curam Pastoralem eligendum, nec non bonæ spei Juvenem in hujus locum in Academia surrogandum curabat, bonum Ecclesiæ ita promovens, Regentum desidiam præcavens, ac pietatis & doctrinæ studiosis animum addens: adeo ut nova facies & novus vigor in Diœcesi & Academia apparuerint, omnibus fere Ecclesiis ruralibus Pastores pii & docti ex Academia desumpti præfecti fuerint, inque eâ omnes artes liberales floruerint. Nemo prudentius bona ingenia discernebat, nemo studiosius promovebat, ita ut eo vivente dici potuerit:

Eamque verum Ecclesiæ Seminarium reddidit.

> *Sub Teste benigno*
> *Vivitur, egregios invitant præmia mores.*
> *Hinc prisca redeunt artes, felicibus inde*
> *Ingeniis aperitur iter, despectaque Musa*
> *Colla levant.* Claudian.

§. XII. *Patricii virtutes. Moderatio.*

Clerum totum tanquam Fratres habuit. Sine ipsorum consilio & consensu nihil in Ecclesia ordinavit. Authoritatem Episcopalem non fastuose nec invidiose ostentabat. Tantæ fuit integritatis & constantiæ, ut nullis urgeri periculis, nullis inescari illecebris, nullis Magnatum vel etiam ipsius Principis sollicitationibus induci potuerit, ut officio suo deesset, vel ullo pacto iniquitati consentiret; adeo ut illi applicabile fuerit dictum Ciceronis de Catone (a Plinio in præfat. memoratum) *O te felicem a quo nemo rem improbam petere audet.* Solebant nonnunquam in Parochiis ruralibus inter vicinos oriri lites de locis & spatiis in Ecclesia pro sedilibus assignari solitis; quorum designatio ex Statutis Regni penes Episcopum est, cumque ex occasione in quadam Parochia dissensio inter duos vicinos orta fuisset, quorum alter altero potentior & ditior, causæ æquitati minime fisus, & quâ in Aulâ pollebat gratiâ utens, literas ad Episcopum commendatitias, ut ipsi suffragaretur, a *Jacobo* Rege obtinuisset, his non obstantibus, Episcopus locum de quo lis erat, alteri adjudicavit; ad Dominum a Secretis scribens; Togam suam Regis esse, Conscientiam vero Dei; quod Jacobo Regi adeo gratum fuit, ut Deo gratias dederit ob talem Episcopum qui, non obstantibus sollicitationibus, officium suum obire noverat. O ter felicem Ecclesiam & Rempublicam, quæ tantæ prudentiæ Rege, & tam invictæ integritatis Episcopis gaudent.

Invicta Integritas.

§. XIII. *Summa prudentia & æquitas.*

Summa illius prudentia & æquitas tantam apud omnes ipsi conciliavit authoritatem ac reverentiam, ut lites inter Laicos ortas tanquam honorarius Arbiter facile dirimeret (illis Episcopum suum tanquam Oraculum consulentibus) atque ita in Diœcesi plurimas infestas lites præcavebat, quibus aliæ Regni Provinciæ vexabantur. Eximiâ quâ præstabat r rum divinarum ac humanarum scientiâ, admirabili qua pollebat facundia, &

& expedita in rebus agendis libertiâ, tam libere ac prudenter usus est, ut apud duos sapientissimos Principes *Jacobum* & *Carolum* (a quibus in secretioris Concilii Scoticani delectum asfcitus erat) in magnâ semper gratiâ fuerit, omnium Ordinum benevolentiam meruerit, & ab ipsis quoque hostibus ac invidis admirationem ac reverentiam extorserit. Tanta erat tamque augusta illius in Politiâ cum Civili tum Ecclesiastica authoritas (qui semper bonum Ecclesiæ & Reipublicæ consulebat) ut fere semper in sententiam nutumque suum Collegas una omnes identidem traxerit.

§. XII. Patricii virtutes. Moderatio.

§. XIV. Ab omni Schismate abhorrens. Ab omni Schismate abhorrebat. *Ecclesiæ Scoticanæ* intestina dissidia flebiliter deplorabat, funestos illorum effectus longe præsagiens. Innovationes in Ecclesia fieri, quoad ritus & formas externas, licet ad promovendam pietatem utiles viderentur, minime voluit, satis certos quantas rixas contentiosi Viri inde cierent, Deique Regnum nec escam esse nec potum, sed justitiam, & pacem, & gaudium per Spiritum Sanctum. Ac proinde dum illi per commodam valetudinem consiliis publicis interesse licuit, proposito introducendi Formulas Cultus divini publici, juxta ritus Ecclesiæ Anglicanæ, obstitit, non quod eas tanquam illicitas vel inutiles aversaretur, sed quoniam plerique tantis contra eas præjudiciis occupati fuerant, ut exinde in Republica turbæ & tumultus, in Ecclesia vero schismata & dissidia metuenda essent. Ex altera vero parte Constitutiones ab Ecclesiâ & Republica latas observandas censuit, minime e re Ecclesiæ vel Reipublicæ esse existimans, quorundam protervìæ ex pusillanimitate cedere, qui nec sacræ Scripturæ, nec Catholicæ Antiquitatis, nec omnium Ecclesiarum authoritate stare voluerunt, sed suum Velle atque suum Nolle hisce anteponebant, prætendentes interim, ad conciliandum adversus Ecclesiæ & Reipublicæ Rectores populi odium, res decretas esse impias, superstitiosas, idololatricas & Antichristianas. Unum hujus rei argumentum adducam a Reverendissimo Ecclesiæ Scoticanæ Primate *Spotswodo* memoratum in Epistolâ consolatoriâ de Patricii obitu ad Filium Authorem missâ & in Libro funebri edita, ubi hæc habet: „Nunquam, inquit, „oblivíscar responsi ab illo dati Fratribus „quibusdam, qui a nobis ad Regiam Ma„jestatem petebant literas, pro obtinenda „dispensatione in ipsorum praxi circa modum „a lege præscriptum administrandi sanctum „Sacramentum. Cum reliqui annuissent: „Vobisne placet, dixit ille, horum do„ctrinam comprobare, qui Religiosum, quo „utimur, gestum, idololatriam proclama„runt, ac tale Schisma in nostram Ecclesiam „induxerunt? Quod ad me attinet, nun„quam consentiam, donec errorem vel po„tius hæresin publice confiteantur. Antea „indifferens erat, nunc necessarium esse pu„to, ritum receptum retinere, cum tam „falsas opiniones de eo disseminarint. Tan„to cum zelo, tamque fortiter (dicit Pri„mas) loquutus est, ut sollicitatores muti „facti sint. Ego certe, qui eum nunquam „sine veneratione aspexeram, illo die cum „stupore audiebam. Hucusque Spotswodus.

§. XIII. Invicta integritas.

§. XIII. Summa prudentia & æquitas.

§. XV. Concionator assiduus & optimus. Verum non solum in regenda Ecclesiâ, sed etiam in docendo populo, officio suo vigilanter & prudenter functus est. Singulis diebus Dominicis Dei Verbum Populo proponebat, id existimans insigne ac necessarium esse Episcopi officium. Mirâ ac divinâ pollebat facundiâ. Conciones illius non inani verborum pompâ inflatæ, non contextutâ rationum Philosophicarum & a communi Vulgi captu abstractarum fastuosæ; non affectabat histrionicis gesticulationibus & verbis populum captare; sed rerum divinarum sensu interiori tactus, eundem aliis imprimere cupiebat, a corde ad corda loquebatur, non verbis quæ humana prudentia, sed quæ Sanctus Spiritus docebat, simpliciter, copiose, graviter & potenter exponens Mysteria Dei.

§. XVI Crucis summe patiens. Magnis quibusdam ærumnis & afflictionibus exercebatur, quibus, Dei gratiâ, mens ipsius a cupiditatibus terrenis soluta ad cœlestia tendebat; unde in Epistolâ ad Episcopos priusquam Episcopatum amplexus fuisset data: "Hoc, inquit, ætatis ad quam "nunc perveni, cum tam mire bonâ Dei ma"nu exercitatus fuerim, adeo ut Mundo "spectaculum & quasi festuca ventis agita"ta factus sim, mea non interest terrenis "nunc studere, quæ Deus mei adeo fasti"diosa reddidit, & me etiam illorum, ut "si proprium sequi consilium mihi liceret, "in Eremo aliqua casam potius, ubi bre"ves vitæ reliquias transigerem, quam denuo in scenam protrahi, ac omni Populo in ore esse, optarem. Proinde tam longe abfuit a studio rei familiaris amplificandæ (prout Scriptitator quidam Historiæ Ecclesiasticæ Scoticanæ eum invidiose criminatur) ut ne vel jugerum hæreditati paternæ addere, vel eam redintegrare per totam vitam studuerit.

§. XVII In præsidendo & prædicando in senectute etiam vigilantia. Ingravescente senio *Patricius* ad præscriptos mortalitatis terminos pertingens, septuagenarius licet, animose tamen & solita cum dexteritate in munere suo Episcopali strenue defungendo, assiduus perstitit, invigilando, prædicando, opportune præsidendo, & eximia morum vitæque inculpatæ integritate, universæ Clericorum Fraternitati, omnium maxime prælucendo, fidelis-

 simi

ſimi Paſtoris adinſtar ipſiſſimam pro ovibus animam depoſiturus; uſque adeo ut graviſſimo tandem paralyſeos morbo correptus, adhuc in bono Eccleſiæ procurando, pio quodam fervore, ad extremum uſque vitæ anhelitum, totum ſeſe exhibuerit. Cumque ſingulari Dei Providentia loquelæ facultas ſarta tecta illi remaneret, quod in iſto morbo raro contingit, eâ ad extremum uſus eſt in ſalute & tranquillitate Eccleſiæ procurandâ, ac conveniente Clero, in lecticâ ad Eccleſiam geſtatus, illorum Conſeſſui præſidebat, Eccleſiæ bono proſpiciebat, ac Dei verbum concionatus eſt, tanto majori potentia ac fervore, quanto nunc diſſolutioni ac veli carnis amotioni propior eſſet, obteſtans eos ut ſibi ipſis & gregi, cujus curam iis commiſerat Spiritus Sanctus, advigilarent, indicans quanta pace & gaudio potiretur ex fide in ſummam Dei miſericordiam per Dominum Jeſum Chriſtum, & bonæ conſcientiæ teſtimonio, quod in ſimplicitate & ſinceritate inter eos verſatus ſit. Ultimis etiam vitæ diebus Miniſtris & aliis qui eum viſitabant, multæ ædificationi fuit piis ſermonibus & doctis, quibus ſinceram fidem, ſpem & charitatem teſtatus eſt. Quiritantibus ſubinde amicis & diuturniorem ei apud eos moram exoptantibus, reſpondebat Ambroſii utens verbis: *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori, quia Dominum bonum habemus.* Laudantibus dicebat, Det mihi Deus conſequi miſericordiam in die illo. Tandem plenus annis & honoribus, ſummâ cum devotione ac conſolatione ſumpto ſalutari ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ Sacramento, mortalitate finita in cœleſtem patriam receptus eſt, pie moriens A. D. 1635. Martis 28 die, pridie Paſchatis Anno ætatis 71. omnium Ordinum Viris in illius morte Eccleſiæ & Reipublicæ damnum deplorantibus. Concionatoribus, Oratoribus, Poëtis ipſius laudem voce facunda ſtiloque erudito celebrantibus; ac quemadmodum Metellus Macedonicus de Scipione Æmiliano dixit, *Ite Filii, celebrate exequias; nunquam majoris Civis funus videbitis*; ita illi de illo, *nunquam dignioris Epiſcopi funus videbitis.* Horum Conciones, Orationes, & Poëmata Funebria in juſtum volumen compacta & edita tum venerabilis Præſulis virtutum Iconem, tum iſtius loci & ſæculi genium exhibent, e quibus hic ſeligam Epicedium *Arthuri Johnſtoni* Medici Regii ac Poëtæ celeberrimi.

Ipſius mors

§. XVII *Epicedium ab Arth. Johnſtono.*

1.

Corſius *occubuit Præſul; mens incola cœli eſt,*
Corporis exuvias, quam premis, abdit humus;
Eſt ſacer hic Myſtæ tumulus, venerabilis urna,
Quam tegit, auguſtus, quem capit urna, Cinis.
Mens vivo ſincera fuit, vox enthea, pectus
Felle vacans, auris caſta, benigna manus.
Ingenii vis acris erat, facundia mellis
Æmula, judicii vicit utramque nitor.
Ordo ſacer, Populique Duces, gravitatis in illo
Exemplar, reliqui ſobrietatis habent.
Omnibus acceptum fecit contemptus honorum,
Et ſibi commiſſi cura paterna gregis.
Nullius in partes ſecedens, juris & æqui
Arbiter, & pacis ſæpe ſequeſter erat.
Nata ſimul pietas & pax fuit, utraque virtus
Floruit hoc vivo, nunc pereunte perit.

2.

Inſpice Natalem Forbeſi, *tempora vitæ*
Collige, ſupremam mente revolve diem.
Editus Auguſto eſt; patrus quod geſſit in oris,
Præſul, id auguſti muneris omen erat.
Vixit Olympiadas *bis ſeptem: condere tantum*
Ante diem Lacheſis non fuit auſa jubar.
Occidit hoc ipſo quo Chriſtus tempore, mitis
Chriſte tuus voluit te moriente mori.

3.

Occidit Abredonæ *Præſul Forbeſius ora,*
Par cui Pontificum de grege nemo fuit.
Marmoreis illi ſtraverunt pontibus undas,
Hic Populo facilem fecit ad aſtra viam.
Quas illi Superis, Muſis, & egentibus ædes
Struxerunt, hujus ſuſtinuere manus.
Quam formoſa fuit tanti Lux ſideris Autor;
Qua jubar hoc merſit tam fuit atra dies.

4.

Adſpicis hic gelidam Forbeſi *Præſulis urnam*
Quâ ſub ſole nihil ſanctius orbis habet.
Non tamen hic terris exceſſit ſoſpite Nato,
Pectore qui totum ſpiras & ore Patrem.
Corſius hoc ſacro reviveſcit Germine Phœnix,
Et poſt exequias qui fuit ante manet.

In Epigrammat. etiam de eo ſic cecinit:

Enthea Forbeſio mens eſt, vox conſona menti,
Vita comes vocis, quod jubet, ipſe facit.

Fuit certe Vir ingenio perſpicaci, judicio ſolido, prudentiâ ſingulari, pietate ſincerâ & infucatâ, probitate inculpatâ, authoritate gravi, invictâ animi conſtantiâ & fortitudine, Eccleſiæ & Patriæ maximo ornamento. Quocirca quod de tanto Patre quædam fuſius narraverim, quam in contexendâ Authoris alicujus vitâ fieri ſolet, benignum Lectorem æqui bonique conſulturum ſpero.

Character.

Nunc accedo ad Authoris noſtri vitam narrandam, qui ut dictum, natus fuit 2. Maji A. D. 1593 Patricii filius ſecundogenitus. Defuncto vero fratre majori A. D. 1625. *Johannes* Patri ſuo & patrimonii ampli & pietatis eximiæ hæres factus eſt digniſſimus. Tenerum illius cor pietate & timore Dei, cura religioſi Patris, mature imbutum erat. Poſtquam humaniores literas didicerat, miſſus eſt ad Univerſitatem Aberdonenſem Anno 1607. ubi Philoſophiæ operam dedit; ac poſtea in exteras regiones pro-

§. XIX *Tranſitus ad Authoris vitam. Joh. Inſtitutio in regionibus exteris.*

profectus, in Universitate Heydelbergensi sub cura *D. Parei* Theologi celeberrimi, Sedani etiam, ac in aliis inclytis superioris & inferioris *Germaniæ* Academiis, Theologiæ studuit, scripta Patrum diligenter evolvit, ac sanctæ Linguæ Hebraicæ operam dedit, ubi pro ingenii felicitate & assidua diligentia magnos fecit progressus. Quanta vero pietate Deum tunc temporis coluerit, quam placide abnegationem sui exercuerit, Deumque pro solo & unico bono amplexus sit, patet ex Carmine quodam ab eo scripto, cui ansam dederant anxietates animi ex destitutione solatiorum mundi ortæ. In ipsius Diario Autographo ita habentur:

§. xx Elegia ex destitutione solatiorum mundi.

Heydelbergæ *Anno Christi* 1614 *die* 19 *Febr. qui erat* XI. *Cal. Martii.*

Elegia.

Infelix, heu Infelix, oblivio Cœlum
Neglecti cepit terricolasque mei.
Exspes, tristis, inops, imbellis, laudis egenus;
Inque peregrino squalidus orbe moror.
Rege procul, Genitore procul, per devia solus
Erro: velut matre, fratre, sorore carens.
Consilii, auxiliique expers, desertus amicis,
Nescia lætitia tempora ut exul ago.

Palinodia.

Palinodia.

Felix, o nimium felix, si cuncta-regentem
Usque colam grato pectore, voce, manu.
Tu Deus es mea sors, spes, oblectatio solus,
Tu melior Regnis Imperiisque mihi.
Tu mihi Divitiæ, pleno tu Copia Cornu,
Tu Dux, tu clypeus, tu mihi certa salus.
Tu robur nervis es, Tu sapientia menti,
Tu mihi dulce jubar, tu mihi grande decus.
Tu Rex, tu Genitor, tu Doctor, tu mihi Pastor,
Tu Mater, Frater, tu mihi chara soror.
Tu Conjunx, tu ευλαυτης, tu unicus amicus.
Tu mihi deliciæ, tu Patria atque Domus.
Tu tranquilla quies, mihi tu das omnia, namque es
Cuncta mihi votis tu potiora meis.
Psal. 60. 13. Tu Pater auxilium rebus bonus adfer in arctis.
Humana fallax credulos spes decipit.

§. XXI In Patriam reversus ad publicam S S. Theologiæ professionem est vocatus.

In exteris regionibus, studiis Theologicis sedulam navando operam, ad annum usque Christi 1619 commoratus est; quo anno in Patriam reversus, sequenti a Synodo Diœceseos Aberdonensis ad publicam S. S. Theologiæ Professionem vocatus est, ac reverendi Parentis qua rogatu, qua authoritate, ac Presbyterorum amica & vehementi sollicitatione, ad arduam hanc Provinciam capessendam ægre se persuaderi passus est: ac de variis in Theologia Articulis a *D. Gul. Forbesio* S. S. Theologiæ Doctore & Facultatis Decano propositis, publice disserens; ac Theses Theologicas in solenni doctorum hominum consessu solertissime propugnans, summâ omnium approbatione S. S. Theologiæ in Regia Academia Aberdonensi 27 Aprilis dicti anni, publicus Professor renuntiatus est.

§. XXII Officii sui observantissimus.

In hac Electione quam prudenter bono Ecclesiæ consuluerit Clerus, brevi apparuit; quamque æquum fuerit, ut Lucerna tam ardens & lucens non sub modio sed super candelabro poneretur, ut omnibus qui in domo sunt lucem præberet. Vir humilis, tenuitatis suæ conscius, & quantum ipsi lumine & gratiâ divinâ continuo opus esset non ignorans, ardentibus votis & precibus a Deo Patre luminum hæc dona instanter petebat, ut in spiritualibus ipsius Exercitiis autographis videre est. Juventutem exemplo docere curabat, ipse vivum & infucatum humilitatis, Abnegationis sui, charitatis & mortificationis exemplum coram iis delineans. Ipsos privatim formare, erudire, dirigere in agone Christiano, pro uniuscujusque indole & statu, diligenter studebat. Inter alia unicam afferam Instantiam ab ipso in dicto suo Autographo notatam.

Studiosos dirigit pro uniuscujusque statu.

Instantia

Aberdon, 3. Febr. anno 1624. Quidam Theologiæ Studiosus, qui ob duritiem cordis, & ex eo quod solitâ erga Deum reverentiâ, fide in eum, ac illius favoris sensu privaretur, vehementer animi discruciabatur, verbum consolatorium a me obnixe petebat. Cor tacite ad Deum levabam, ipsius implorans opem, ac Studioso dixi:

I. Quos Deus animabus afflictis consolationis Ministros constituit, iis in antecessum conscientiæ cruciatum familiarem reddit, ut alios afflictos non despiciant, sed ex sympathiâ & experientiâ propriâ edocti, iis idonei consolationis Ministri fiant. 2. Cor. 1. 3, 4. Heb. 5. 2.

II. Hâc impotentiæ & proterviæ nostræ experientiâ percipere possumus quantum naturâ ex corruptione inimici simus Deo, ex nobis ipsis ad aliquid boni cogitandum inidonei, ut in nobis ipsis, in nostris viribus minime fidamus, sed in solo Deo qui mortuos resuscitat, qui in nobis & velle & perficere operatur pro gratuitâ suâ benevolentiâ. Rom. 8. 7. 2. Cor. 3. 5. Gen. 6. 5. 8. 21. 2. Cor. 1. 9. Phil. 2. 13. Jac. 1. 18.

III. Ex hoc etiam discere possumus summum Dei Amorem, qui nos sibi inimicos amavit, & pro nobis mortem oppetiit, ut consolationis nostræ fundamentum non super proprio nostro merito, sed gratuitâ & invictâ illius erga nos indignos peccatores charitate ponamus. Rom. 5. 5, 6, 7, 8, 9, 10. Tit. 3. 4. Is. 53. Luc. 19. 10.

IV. Licet quam desideramus, & aliquando habuimus Gratiæ & Præsentiæ divinæ mensuram non semper experiamur; si tamen justitiam esuriverimus & sitiverimus, beati erimus, saturabimur; si luxerimus, consolabimur. Matth. 5. 4, 6. Si sub gravi

nostro

nostro onere ad Christum suspiraverimus, licet magna cum imbecillitate, ipse requiem nobis dabit, Matth. 11. 28. Animam lassam recreat Deus, & omnem animam esurientem saturat. Jer. 31. 15. Vide etiam Ps. 34. 18. & Is. 57. 15. 2. Cor. 12. 8, 9. 1. Thess. 5. 24.

V. Deum assidue oremus, certi nos Spiritum Sanctum & omne bonum ab eo impetraturos, sicut promisit; diligenter in illius Verbo meditemur, nam inde nos sanat. Ps. 107. 17, 18, 19, 20. Matth. 7. 7. &c. Luc. 11. 13. Col. 3. 16.

§. XXIII. In Prælectionibus tria præcipue respicit. 1. Ut Ecclesiæ Catholicæ fidem & doctrinam historice per diversa sæcula exponat.

In Juventute erudiendâ ac in Prælectionibus ad hæc tria præcipue respexit: Primo ut *Ecclesiæ Catholicæ doctrinam & Fidem per omnia retro secula a Christo nato Theologiæ Studiosis familiarem redderet.* Plerique systema aliquod Theologicum tanquam doctrinæ Christianæ Normam arripiunt, ac omne quod cum isto systemate non convenit tanquam hæreticum vel heterodoxum rejiciunt; ac cum systemata non minus varia ac diversa sint, quam sunt sectæ in quas hodiernus Christianismus miserabiliter discerpitur; cumque unaquæque secta intra sui systematis limites doctrinam & fidem Christianam coërceat, hinc tantæ lites & contentiones, tantus zelus alios intra suæ sectæ pomæria trahendi vel retrahendi. Inter alios vero nulli acrius in aliorum messem falces immittebant quam Romanæ Ecclesiæ Emissarii, alios non tam ad verum Christianismum, quam ad Romanam Communionem traducere satagentes, atque extra eam salutem non dari, eamque Ecclesiam infallibilem esse contendentes; quæ interim novam condiderat Confessionem, præter antiquam & Catholicam, plurimis novis articulis auctam, omnibus, tanquam ad salutem creditu necessariam, impositam: dicti vero Emissarii clanculum Populo persuadere studebant, totam Antiquitatem ex illorum partibus stare, ac Reformatorum doctrinæ adversari; inque hunc finem plurimas sententias adduxerunt quas ipsorum scriptores e Patribus collegerant, quasi Romanæ doctrinæ faventes. Hinc plurimi ex simplicioribus adducti sunt Reformatorum communionem relinquere, Catholicam Antiquitatem ex altera parte stare putantes; alii vero totam Antiquitatem rejicere, tanquam sacris Literis contrariam. Hinc Romanistæ gloriabantur ac si Reformata Religio novitatis, ac proinde falsitatis convicta fuisset. Hac de causa Episcopus & Clerus Diœceseos Aberdonensis id imprimis *D. Joh. Forbesio* commendarunt, ut Studiosos in Historiâ Theologicâ & doctrinâ Ecclesiæ per singula sæcula instituendos curaret. Huic rei summâ diligentiâ incubans, Patres & Concilia evolvit, aliorum citationibus non fidens, Auctores ipsos consuluit, ac Theologiæ Studiosis Historicam enarrationem status Religionis per singula sæcula quoad doctrinam fideliter exhibuit. Atque ita eruditum illud Opus composuit, quod eum tam meritissime celebrem per totam Europam reddidit, *Instructiones* nempe *Historico-Theologicas*, ubi tam distincte Ecclesiæ doctrinam per singula sæcula historice deducit, tamque fideliter testimonia profert, ut in hunc usque diem non reus actus sit falsitatis vel quoad unum testimonium ex innumeris ab eo adductis.

§. XXIV. 2. ut Studiosos quoad Religionis praxin instituat. In hunc finem Decalogum exponit.

Alterum quod sibi proposuit, fuit institutio Studiosorum quoad *Religionis Praxin*, ac in hunc finem *Decalogum* tanquam Legis Moralis summam iis exponere statuit, atque ita eruditum illum Tractatum, nunc primum editum, *Theologiam Moralem* dictum, composuit, cui ultimam manum imposuerat & prælo paratum reliquerat. Præcipuus hujus Operis scopus, est præceptorum expositio, variarum circa ea controversiarum enodatio, ac casuum conscientiæ explicatio, ubi, non minus quam in altero Opere, Authoris summa eruditio, diligentia, ac sinceritas conspicua sunt, ut æquis Lectoribus facile patebit. Hic tantum unum vel aliud ab Authore expositum memorare licebit. Unum, quod tam sincere explicet divinam illam Decalogi summam, præceptorum omnium finem, officiorum omnium centrum, ex quo profluere & ad quod reverti debent; charitatem nempe, de *diligendo Deo ex tote Corde*, quod est primum & maximum mandatum, & *Proximo sicut ipsi nos diligimus.* Quam summam verbis Augustini dilucide explicat, quæ hic etiam repetere non piget.

§ XXV. Decalogi summa divin: ab Augustino & Forbesio explicata.

De hac summâ (inquit, Lib. 1. cap. 13. § 2.) *& cur non sit preceptum ut diligamus nos ipsos, docte & eleganter disserit Augustinus Epist. 58. quæ est ad Macedonium. Quamquam, inquit, & in hac vita, virtus non est nisi diligere quod diligendum est; id eligere, prudentia est; nullis inde averti molestiis Fortitudo est; nullis illecebris, Temperantia est; nullâ superbiâ, Justitia est. Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est; imus autem non ambulando, sed amando; quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eundem amorem quo in eum tendimus potuerimus habere puriorem. Nec enim locis corporalibus vel extenditur, vel includitur. Ad eum ergo qui ubique præsens est, & ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus. Mores autem nostri non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod quisque diligit, dijudicari solent.*

Non

Nec faciunt bonos vel malos mores nisi boni vel mali amores. Pravitate ergo nostrâ a rectitudine Dei longe sumus. Unde rectum amando corrigimur, ut recto recti adhærere possimus. Ad illum ergo quantâ operâ possumus, etiam illi ut perveniant agamus, quos tanquam nosmetipsos diligimus, si nosmetipsos diligere illum diligendo jam novimus. Christus namque, id est, Veritas, dicit, in his duobus præceptis totam legem Prophetasque pendere, ut diligamus Deum ex toto corde, ex totâ anima, ex totâ mente, & diligamus proximos tanquam nosmetipsos. Proximus sane hoc loco non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in quo socii sunt omnes homines. Nam si pecunia ratio socios facit, quanto magis ratio natura, non negotiandi sed nascendi lege communis? Hinc & ille Comicus (sic ut luculentis ingeniis non defuit resplendentia veritatis) cum ab uno sene alteri seni dictum componeret: Tantumne ab re tua est otii tibi, aliena ut cures, eaque quæ nihil ad te attinent? Responsum ab altero reddidit: Homo sum; humani nihil a me alienum puto. Cui sententiæ ferunt etiam theatra tota plena stultis indoctisque applausisse. Ita quippe omnium affectum naturaliter attigit societas humanorum animorum, ut nullus ibi hominum nisi cujuslibet hominis proximum se esse sentiret. Cum ergo illa dilectione quam divina lex imperat, debeat homo diligere Deum & seipsum, & proximum; non tamen ex hoc tria præcepta data sunt, nec dictum est, in his tribus, sed in his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ; id est in dilectione Dei ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totâ mente, & proximi tanquam sui ipsius: Videlicet, ut intelligeretur nullam esse aliam dilectionem quâ quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum. Qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicendus est. Fit quippe iniquus, privaturque luce justitiæ, cum a potiore ac præstantiore bono aversus, atque inde vel ad seipsum conversus ad inferiora & egena utique convertitur; fitque in ipso quod veracissime scriptum est; Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. Quia igitur nemo nisi Deum diligendo, diligit seipsum, non opus erat ut dato de Dei dilectione præcepto, etiam seipsum homo diligere juberetur, cum in eo diligat seipsum, quod diligit Deum. Debet ergo & proximum diligere tanquam seipsum, ut quem potuerit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coërcitione, adducat ad colendum Deum; sciens in his duobus præceptis totam Legem Prophetasque pendere. Hoc qui sobria discretione eligit, prudens est; qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est; qui nulla alia dilectione, temperans est; qui nullâ elatione, justus est. Hactenus Augustinus.

§. XXIV. 2. *ut Studiosi quoad Religionis praxin instituat. In hunc finem Decalogum exponit.*

§. XXV *Decalogi summa divina ab Augustino & Forbesio explicata.*

Quæres (inquit Forbesius) *quum proximus etiam non nisi in Deo diligendus sit, cur peculiari præcepto imperatur nobis dilectio proximi? Respondeo* (inquit,) *fit cum propter specialia officia proximis in Deo ad proximorum utilitatem spectantia; tum etiam ad detegendam hypocrisin: quis enim non jactat dilectionem Dei? at vero qui dicit se diligere Deum quem non vides, & non diligit proximum quem videt, mendax est, ut docet Johannes Apostolus, 1. Joh. 4. 20, 21. Ad cæcum quendam sui ipsius amorem unusquisque plus satis fertur, & ad odium proximi per natura depravationem; propterea dilectio proximi simpliciter ac seorsim imperanda erat, dilectio vero sui ipsius non opus habebat speciali præceptione, sed modus ejus tantummodo imperandus, ut scilicet non nisi in Deo se quisque diligat.* Hucusque Forbesius.

Aurea sunt hæc verba & *Augustini* & *Forbesii* quæ vel centies repetita placere debent. Utinam & moderni Casuistæ, & Doctores, & Professores & Concionatores & Fidei Confessionum ac Catechismorum concinnatores, in conscientiis dirigendis, Juventute erudiendâ, populo docendo, Catechismis & Confessionibus formandis, hunc finem præcipue respicerent, huc semper collimarent, ad amorem Dei & proximi, sine qua vera charitate omnia reliqua nihili sunt. Verum eheu qualis est hodiernus inter omnes Sectas Christianismus, ubi aliquis haberi potest pro bono Christiano, licet nec Deum diligat nec proximum; ubi unum hoc necessarium raro vel nunquam tangitur, sed indifferentia vel minime necessaria semper inculcantur; ubi non tantum e corde & praxi hominum, sed etiam ex ipsorum doctrina, divina hæc virtus proscribi videtur! Nemo certe actiones suas rite dirigere potest, nisi scopum respiciat ad quem collimat. Ex actionibus rursus facile apparet quem scopum intendant. Non potest arbor bona fructus malos ferre, neque arbor mala fructus bonos. A fructibus eorum cognoscetis eos.

Alterum quod hic observare licet, est Auctoris sententia de modo sanctificationis diei Dominicæ. Dicit ille in quarto præcepto quædam esse moralia, quædam cærimonialia. Moralia esse recordationem beneficiorum Dei, gratiarum actionem, meditationemque beneficiorum speratorum. Certum aliquem diem sacris exercitamentis dandum & sanctificandum, eumque unum e septem. Cærimonialia, taxationem (ut loquuntur) recurrentis illius diei qui ab initio creationis est septimus: præcisam illam feriationem ab opere omni servili, in tantum ut capite plectendus esset qui opus aliquod servile illo die faceret; quorum significatio partim respiciebat præterita, puta creationem mundi & li-

§. XXVI. *Forbesii sententia de modo sanctificationis diei Dominicæ.*

liberationem Israelitici populi; partim futura, requiem nempe Sanctis a Deo dandam: quod mysterium indicat Apostolus, Heb. 4. 10. quam requiem etiam indicavit Propheta Esaias cap. 58. 13. ut scil. nostris placitis & viis abdicatis, in solius Dei voluntate hilares tranquillisque animis acquiescamus. Hanc, inquit, requiem seu libertatem a peccati molesto jugo, acquisivit nobis Christus, umbratilem illam septimi diei observationem adimplens sua quiete in sepulchro, per totum diem Sabbati, ubi consepultus jacuit vetus noster homo, sive nos cum illo quoad veterem hominem consepulti sumus, Rom. 6. Col. 2. ut deinceps ambularemus in novitate vitæ, nunc cum Christo resuscitati, & Deo serviremus in novitate spiritus, non in vetustate literæ, deleto jam illo dogmatum chirographo, adeoque Sabbaticæ observationis sublatâ cærimonia. Itaque quantum ad quietem illam Sabbaticam in se nunc spectatam, verum, inquit, est illud Hesychii; A malis abstinere, Sabbati est complêtio. Hesych. Lib. 7. in Levit. in cap. 26. Et hunc quidem Sabbatismum debemus habere perpetuum. Dicit Forbesius rationem prohibitionis operum sæcularium die Sabbati, partim moralem fuisse, tum propter humanitatem ac clementiam erga subditos, & erga ipsas etiam bestias nobis subjectas, debitam ac necessariam, ut scil. illis idoneum aliquod interspirandi tempus concederetur; tum etiam propter Religionis officium, ut scil. liberiori animo divina oracula & suum erga Deum officium meditarentur, &c. quæ duplex moralis ratio etiam ad Dominici diei celebrationem pertinet; nobis enim non minus necessaria est erga subditos humanitas, & divinorum eloquiorum atque operum solennis commemoratio & sedula meditatio, nostri erga Deum officii feria cogitatio, & sacri conventus ad publicum Dei cultum; quæ omnia licet nullo die aliena esse possint, diem tamen Dominicum sibi proprium vendicant. dicit vero rationem feriationis Judaicæ partim etiam fuisse mysticam; partim nempe præteritæ quietis commemorationem, partim futuræ præfigurationem: quæ mystica ratio ad antiqui Sabbati religionem nos haudquaquam obligat, teste Apostolo, Col. 2. 16, 17. Sabbatica cærimonia legalis quietem significabat, & in cessatione posita erat ab operibus legalibus. Celebratio autem diei Dominici animos attollit ad cogitandam resurrectionem & vitam æternam, ut non tam in feriatione quam in operatione consistat diei Dominici sanctificatio.

Esai. 66. 13.

Cessandum tamen ab operibus sæcularibus propter rationes illius morales supra memoratas, etsi rigor ille præcisæ feriationis, qui Israelitis propter mysterium memoratum incumbebat, jam per Evangelium sublatus sit, evacuatis seu potius adimpletis illius umbris legalibus. Tertull. lib. adversus Judæos cap. 4. docet præceptum de Sabbato quantum ad corporalem feriationem fuisse temporale, & jam cessasse; nos autem Christianos Sabbatizare ab omni opere servili semper debere secundum mandatum spirituale, & non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus, &c. Feriandum igitur die Dominico ab operibus sæcularibus, non ritu Judaico, ac si quicquam vel sanctitatis vel mysterii in ipsa nudâ feriatione collocaremus, aut Deo nos gratiores existimaremus per ipsam feriationem, ac si ipsa per se vel propter aliquod mysterium nunc Deo accepta esset; sed feriationis nostræ ratio tantummodo moralis est, tum propter humanitatis, tum propter pietatis officia. Opera charitatis & beneficentiæ erga proximum, & opera præsentis necessitatis etiam largius sumptæ, fiunt convenienter die Dominico; quod liquet etiam ex eo quod jussu Domini homo ab ipso sanatus, grabatum suum sustulit & asportavit. Joh. 5. 8, 9.

Eo usque autem (concludit ille) ab operibus servilibus & negotiis sæcularibus abstinendum est die Dominico, quousque id necessarium est ad exercitia pietatis & officia humanitatis superius memorata; & ad evitationem scandali; quibus secretis, inanis erit & inutilis feriatio, nisi quantum ad convenientem a laboribus respirationem & spiritus refocillationem ea conducit. Quædam etiam honestæ recreationis opera, inquit, admittit hæc dies, quæ divinum cultum non impediant, nec pias cogitationes expectorent, nec spirituali ædificationi adversentur, nec infirmis scandalum præbeant, sed animos ad lætandum in Domino reddant alacriores. Vide Exod. 23. 12. Levit. 23. 40. Deut. 16. 11. Nehem. 8. 11, 12, 13. ubi de recreatione & lætitia in Domino, & Luc. 14. 1, 7. ubi videmus Dominum nostrum Jesum Christum interesse convivio die Sabbathi.

Tertio, id agebat ut Studiosi rite intelligerent quam magni esset ponderis & momenti *Officium Pastorale*. Sentiebat neminem hoc munus suscipere debere, nisi qui a Deo vocatus sit, Deumque neminem mittere nisi a se instructum; intentionem aggredientium puram esse debere, ut hominum nempe reconciliatio cum Deo & ad eum conversio promoveatur; inque hunc finem ita missos puro Dei & proximi amore repleri, atque a Spiritu Sancto gratiâ, lumine ac donis instrui oportere; hinc accidisse quod primi Evangelii præcones nullâ humanâ prærogativâ spectabiles, nec suas sed res Jesu Christi quærentes, tam mirum in verâ animarum con-

§. XXVII. 3. *Gravitatem & momentum curæ Pastoralis expo-nit.*

conversione progressum fecerint. Primitivam Ecclesiam in sacri Ministerii Candidatis instituendis & eligendis, scientiæ ac Doctrinæ, non tam librorum assidua lectione ac Rationis exercitio Scholastico, quam purificatione cordis, ac vitæ & morum Jesu Christi imitatione, acquisitæ, rationem habuisse: denique primitivi Christianismi viros tam longe a munere sacro ambiendo aut invadendo abhorruisse, ut sua ineptitudine & maximis officii periculis & momento affecti, aufugerint potius, nec nisi quasi vim passi & coacti id suscipere ausi sint. His serio pensitatis, ac quam longe præsens Ecclesiæ status a primitivo distet, vir optimus; Studentes de curâ Pastorali penitius erudire sollicite conatus est. Atque hinc Tractatum de hac re scribere aggressus est, quem absolutum reliquisse verisimile est, cum in inscriptione Theologiæ moralis hæc verba autographa reperiantur: *una cum Tractatu singulari de curâ & residentiâ Pastorali.* Tractatus hujus exemplum quoddam autographum, (num absolutum dicere non possum) a doctissimo viro D. Spanhemio in Academia Lugduno-Batava Theologiæ Professore nuper mortuo, acceptum commisit reverendus admodum *D. Joh. Paterson* Archiepiscopus Glascuensis curæ viri doctissimi *D. Alex. Menro* Collegii Edinb. moderatoris quondam primarii, quo paulo post moriente, id Bibliopolæ quidam Londinenses nacti sint, ac licet D. Henr. Westtenius horum operum editor dignissimus, ac de Republicâ literariâ ob hanc & multas alias causas plurimum meritus, manuscriptum istud magno pretio comparare voluerit (ex veneratione qua Authoris memoriam prosequitur) tantisque laboribus ac sumptibus impressioni huic invigilet, id tamen a possessoribus obtinere nondum potuit.

§. XXVIII. *Avocatur ad considerationem Disciplinæ & rituum externorum Ecclesiæ.*

Dum *Johannes Forbesius* in Juventute erudienda, præcipui momenti studiis ita se totum daret, ad res minoris momenti considerandas & illustrandas avocatur, quod ob contentiones acres de iis ortas facto opus esse videbatur, ut accurreret, aquam portans, e flumine veritatis & charitatis haustam, ad publicum incendium si fieri posset, restinguendum. Verum hæc res paulo altius est repetenda.

§. XXIX. *Occasio, lis orta ex 5. Articulis Perthensibus.*

Jacobus Rex, Scotiæ illius nominis sextus, & Angliæ primus, ritus quosdam quos ad veritatem ac pietatem promovendam utiles esse judicabat, in Ecclesiâ Scoticanâ Synodali decreto introduci cupiens, in hunc finem Synodum Nationalem apud *Perthum* antiquam Scotiæ urbem ad fluvii Tavæ ripam decem milliaria ultra *Taodunum* in meditullio Scotiæ sitam, indixit; cui Synodo anno Dom. 1618. mense Augusto convocatæ, postulatum regium propositum est de quinque Articulis suscipiendis. Articuli fuere I. ut in sacræ Cœnæ Dominicæ participatione, geniculationis gestus ab omnibus unanimiter observetur. II. ut in casu necessitatis Sacramentum Baptismi administretur domi iis qui ad Ecclesiam publicam deportari nequeunt. III. Ut sacra Cœna administretur clinicis obnixe petentibus, quibusdam cum ipsis in Dei nomine congregatis. IV. ut pueri in principiis religionis Christianæ Catechetice instituantur, ac postea coram Episcopo sistantur, ut fidei confessionem edentes ab eo solenni precum ritu cum impositione manuum benedicantur. V. Ut singularia Dei beneficia, nobis per Christi nativitatem, passionem, resurrectionem & ascensionem, ac Spiritus sancti missionem, collata, solenni commemoratione, statis diebus, anniversarie celebrentur. Propositionem suam urgebat Rex gravissimis rationibus in epistola Regia ad Synodum complexis. Ac post seriam de hac re deliberationem, auditis hinc inde argumentis, tandem potioribus suffragiis definitum est, Articulos a Rege propositos admittendos esse, ac sequentes de iis facti sunt Canones.

§. XXX. *5. Canones nationalis Synodi Perthensis.*

I. *Cum nobis a Deo ipso injunctum sit colere Dominum nostrum Creatorem positis genibus; cumque nulla divini cultus pars sit magis cælestis & spiritualis quam sacri corporis & sanguinis Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi sancta participatio; ac proinde maxime humilis ac religiosus corporis gestus in mentis nostræ elevatione tam sacram divini cultus actionem maxime deceat; idcirco quanquam in Ecclesia hac ex quo fuit reformata, populus sedens sacra mysteria percipere consueverit propter abusum geniculationis in idololatrico Sacramenti cultu, cum tamen omnis præterita superstitionis memoria aboleta sit, Papistis usurpata; Synodus, in Dei honorem, ac tam divini Mysterii debitam reverentiam, inque memoriam mystica adeo unionis cujus facti sumus participes, Sanctum Sacramentum reverenter ac humiliter populo positis genibus censet administrandum.*

II. *Si quis probus Christianus morbo diutino afflictus, ac Pastori notus, ad sacram Communionem recipiendam propter præsentem infirmitatem templum adire nequeat, aut si æger serio profiteatur se existimare morbum sibi lethalem futurum, sique domi communicare ardenter desideret, tantam consolationem illi non negabit Pastor, præcedenti nocte rite præmonitus, assistentibus etiam, tribus vel quatuor probis hominibus, ab omni legitimo impedimento liberis, cum ægro communicaturis, loco etiam congruo in domo parato, omnibusque ad decentem illius administrationem necessariis, secundum ordinem ab Ecclesia præscriptum.*

III. *Pastor populum sæpe moneat ne infan-*

tium

tum Baptisma ultra diem Dominicam ipsorum nativitati proximum differat, nisi ob graves causas Pastori indicatas & ab eo approbatas. Moneat pariter ne temere vel sine gravi causa infantes domi baptizari procuret. Verum cum magna urget necessitas ut domi baptizentur (in quo casu Pastor necessitate cognita, & mature præmonitus, ne recuset) tunc administretur Baptisma eadem formâ qua in cœtu publico fieri oporteret; ac die Dominico insequenti, indicet Pastor Ecclesiæ infantem ita baptizatum fuisse, & idcirco ex Christi grege habendum.

IV. *Cum unum sit e præcipuis mediis ad Papismi incrementum cohibendum ac Religionem veram in hominum mentibus stabiliendam, ut summa liberos instituendi eosque catechizandi cura habeatur, de qua re primitiva Ecclesia maxime fuit sollicita, quippe apprime utili, qua pueri in teneris annis vera Dei ipsiusque Religionis cognitione imbuantur; nunc vero penitus omissa, propter summum abusum & errores in Ecclesiâ Romanâ surreptos, quod ex ea Sacramentum Confirmationis fecerint. Quo circa ut omnis superstitio huic superstructa exscindatur, ac res ipsa, utpote ad Juventutem instituendam necessaria, ad primitivam integritatem reducatur, expedire visum est, ut in singulis Parochiis Pastores omnes ollennes catechizent, curentque ut orationem Dominicam, Symbolum, & Decalogum, una cum parvo Catechismo in Ecclesia nostrâ usurpato intelligant & memoriter teneant: singuli etiam Episcopi in visitationibus suis Ministros in hac re negligentes notent: curent etiam dicti Episcopi ut dicti pueri coram iis sistantur, ac benedicant iis, Deum orantes pro singulis, ut cognitio ac gratia cælestis in iis crescat ac permaneat.*

V. *Quemadmodum a superstitiosa dierum festorum a Papistis observatione abhorremus, ac profanum eorundem abusum a vulgo commissum detestamur; ita beneficiorum Dei inæstimabilium quæ per Domini nostri Jesu Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, ac Spiritus sancti missionem nobis parta sunt, statis quibusdam diebus ac temporibus ab universâ totius Orbis Ecclesiâ commemorationem pie ac laudabiliter celebratam fuisse, atque adhuc a nobis celebrari posse censemus. Idcirco statuit Synodus, ut statis illis diebus singuli Pastores dictorum inenarrabilium beneficiorum commemorationem celebrent, & Scripturæ textus ac doctrinam & exhortationes appositas habeant: omnemque eorundem superstitiosam observationem ac profanum abusum reprehendant.*

§. XXXI. *Numerus eorum qui Synodo interfuerunt.* Numerus eorum qui huic Synodo interfuerunt ex Archivis a Forbesio descriptus hic est:

Laicorum.

Delegatorum Regis 3 scripto Diplomate instruct.
Horum Assessorum 3 in eodem Diplomate.
Comitum & Baronum 4
Toparch. 11
Civitatis Delegat. 13 cum Delegationibus scriptis ab oppidis septem præcipuis, scil. Edinburgo, Pertho, Taoduno, Aberdonia, Sterlino, Andreapoli, Glascua.
Summa Laicorum 34.

Ecclesiasticorum.

Episcoporum 12
Presbyterorum 106 quorum 15 nullam habuere Delegationem.
Summa Ecclesiasticorum 118.

Summa omnium 152.

Suffragiorum.

Assentientium	86
Dissentient.	41
Non liquet.	4.
Sum. Suffrag.	131.

§. XXXII. *Lex de Articulis lata.* A. Dom. 1621. mense Augusto in solenni Ordinum Conventu Edinburgi habito, ex omnium Regni Ordinum consensu suscepta sunt decreta Synodi de quinque Articulis tanquam pia & salubria, & legitime a legitima Nationali Synodo condita; & lex lata est imperans omnibus subditis ut his Synodi decretis promptum exhibeant obsequium. *Lites inde ortæ.* Hinc magna orta sunt in Ecclesiâ Scoticanâ dissidia; ac Quinquarticularis hæc controversia de ritibus quibusdam Ecclesiæ externis, non minus charitatem extinxit, odia, malevolentiam, maledicentiam & convicia hinc inde excitavit, quam sub idem tempus altera Quinquarticularis controversia de quibusdam Doctrinæ Articulis in Fœderatis Belgii Provinciis fecerat. Tam callide Diabolus ipsius Religionis prætextu in rebus etiam levissimi momenti ad veram Religionem destruendam uti novit. Quidam ex unâ parte plurimos scrupulos populo suggerebant, quasi res a Synodo decretæ essent in se impiæ, superstitiosæ, idololatricæ & Antichristianæ; atque ita multos in odium & detractionem Fratrum, & separationem a propriis Pastoribus trahebant; alii non minori zelo omnes ad obedientiam debitam Ecclesiæ & Regni decretis in hac re præstandam vi & imperio cogi volebant. Alii vero temperamentum in omnibus hisce externis desiderabant. Sciebant Regnum Dei nec circumcisionem esse nec præputium, sed novam creaturam, Deique mandatorum observationem, atque omnia hæc bona & licita esse,

sed

ſed non ſemper expedire; optabant ut populo non volenti decreta hæc non fuiſſent injuncta, utque obedientia iis præſtanda leniter & prudenter exigeretur. Dolebant Paſtores quoſdam a populo rite informando de rerum iſtarum naturâ deque privatorum officio tam longe abeſſe, ut potius erroneas perſuaſiones imperitorum mentibus infererent vel foverent, adeo ut nullus de populo niſi ipſorum vitio offenderetur; cupiebant itaque populum de verâ Religione Chriſtianâ rite inſtrui, ita ut hominum conſcientiis cultus divini falſa opinio non inferatur, quaſi in talibus rebus mutabilibus & circumſtantialibus conſiſteret. Inter alios Joh. Forbeſius pacis & pietatis cultor ſincerus ita populum inſtituere cupiebat. Anſam illi de his rebus tractandi dedit vir quidam doctiſſimus ac probus, Dominus *Alexander Lunanus*, qui olim in Academia Regia Aberdonenſi Philoſophiæ Profeſſor fuerat, ac poſtea Eccleſiarum de *Monimusk* & *Kintore* in eadem Diœceſi ſucceſſive Paſtor. Vir fuit in omni doctrinæ genere optime verſatus. Exſtat expoſitio illius manuſcripta in librum Prophetæ Jonæ, nulli omnium quas videre contigit ſecunda. Diſſidia propter hos Articulos orta multum illum commovebant, quædam dubia etiam quoad geniculationis geſtum in ſacra Communione illi aliquantulum hærebant; placuit itaque illi ea Domino *Forbeſio* amice proponere, de quibus ille breviter dicto *Lunano* reſcripſit; quod reſponſum illi ſcrupulos exemit, idque per literas ſequentes Miniſtris quibuſdam vicinis, quorum colloquia hæc dubia illi ſuggeſſerunt, notum fecit.

§ XXXIII. *Alex Lunanus Compresbyter pius dubia quadam Forbeſio propoſuit.*

Literæ hæ ſunt.

Reverendis, dilectis, ſpectatiſſimis Verbi Miniſtris.

Lunani Epiſtola qua oſtendit dubitationes a Forbeſio ſublatas.

Reverendi, Dilecti,

Quas de geſtu Sacramentali dubitationes intempeſtivas animo ciebat, inter alia, præſidentia vicinorum; eas a viro ſummo, cujus eruditio maxima cathedram utramque, major exornat ſanctimonia, ſublatas, vobis exhibemus, proni quidem antea, nunc obteſtamur, rati, perſuaſique. Mentem vobis eandem ſperamus fore, quibus animi libertatem nec affectus cæcus, nec rationis umbra expugnaverit. Ceteris optamus, iis dico, qui genibus licet Ordinem intrepide capeſſentes, eodem venerationis ritu æterni Dei corpus ſacratiſſimum ſumere, infandum nefas, & Gehenna vindicandum, prophetice nimis pronuntiant. Cultum externum omnem prope, internæ devotionis incentivum pariter atque indicium, obſolevisse nobiſque in deſuetudinem abiiſſe magnopere dolendum. Gratiam, miſericordiam & pacem det Dominus Eccleſiæ ſuæ per D. N. Jeſum Chriſtum.

Dat. 8. Jun. 1627.

Verum cum vir optimus D. *Forbeſius* non ſine dolore videret diſcordiarum flammam in Eccleſiâ undique erumpentem, ac eos quibus eandem extinguere ex officio incumbebat, ventilantes potius ac oleum addentes; amor pacis & veritatis quo intime imbutus erat vehementer urgebat ut aquam ex hoc fonte hauſtam portans confeſtim accurreret, ad incendium reſtinguendum. Hortante itaque Reverendo Patre, ac efflagitantibus Studioſis ac aliis piis viris, enucleatiorem aggreditur explicationem, non ſolum quinque prædictorum Articulorum, ſed reliquorum etiam, unde litium ac cavillationum anſam captabant pacis Eccleſiæ turbatores: ac Sacram Scripturam, Catholicam Antiquitatem, Reformatas Eccleſias, ac rectam rationem conſulens, veritatem ſincere quæſitam, aliis conſiderandam placide ac amice proponit. Atque hinc prodiit liber quem appellat *Irenicum*, ubi objectionum ac dubitationum a pluribus ſuggeſtarum claras & diſtinctas ſolutiones e fontibus ſupra dictis petitas adducit.

§. XXXIV. *Forbeſius enucleatius hæc explicat.*

Hinc prodiit liber dictus Irenicum.

Cauſabantur *Geniculationem* in Euchariſtiâ eſſe idololatriam, cum ſit religioſa adoratio coram creatura. Oſtendit hoc vere dici non poſſe, niſi univerſaliter verum eſſet, religioſe adorare coram merâ creaturâ, eſſe religioſe adorare ipſam creaturam; quod verum non eſt, idque patere de altari Domini, 1 Reg. 8. 54. de Arcâ Fœderis, 1 Sam. 6. 14. de templo Hieroſolymitano, Ezra 10. 1. de adoratione Dei ſublatis in cælum oculis manibuſque; de publice Pœnitentibus procidentibus in genua & religioſe adorantibus coram Miniſtris; de ordinationibus Miniſtrorum, quando ordinatus Clerus genibus poſitis accipit manuum impoſitionem & Codicem ſacrum: Panem non proponi ut adoretur, vel coram eo fiat adoratio ita ut panis ſit adorationis objectum; ſed humilem iſtum geſtum eſſe indicium devotionis & reverentiæ erga Deum propius quodammodo accedentem cum pretioſiſſimo dono quod nobis confert; neminemque noſtrum unquam iſta defenſione uſum eſſe, nos coram pane adorare, (etiamſi id ſano aliquo ſenſu dici poſſit,) ſed nos Deum adorare quando jam accepturi ſumus, & quando accipimus, & poſtquam accepimus ſacra iſta & tremenda myſteria: Adorationem nullo modo dirigi ad Symbola Sacramentalia, neque quenquam ea vel voce vel geſtu compellare, quomodo Idololatræ ſtipitem. Prætendebatur exemplum Chriſti & Apoſtolorum patrium morem retinentium. Oſtendit nullam diſertam mentionem fieri quo geſtu acceperint Diſcipuli e manu Domini; nullum peculiarem geſtum ſacræ Cœnæ eſſentialem eſſe, neque in illius inſtitutione neque uſquam alibi in Scripturâ expreſſe poni; plurimas fuiſſe in prima celebra-

§. XXXV. *Oſtendit Geniculationem in Euchariſtia eſſe licitam.*

tione circumstantias, neque de Sacramenti, neque de institutionis essentiâ; neque Ecclesiæ ad necessariam imitationem propositas: Ea tantum necessaria esse necessitate Sacramentali, quæ sunt de Sacramento ex institutione divina; necessitate naturali necessarias esse circumstantias loci, temporis, alicujus gestus &c. sed non alligare ad certam speciem gestus; necessitate morali sectanda esse quæ pacis sunt & ad ædificationem faciunt, item decenter omnia & secundum ordinem facienda, eâque omnem gestum excludi qui sit contra pacem & ædificationem, omnemque gestum indecorum, aut ordinis neglectum. Adeoque ritus illos esse indifferentes, & vel omitti vel usurpari posse prout ordo, decorum, pax, charitas atque ædificatio postularint. Hæc omnia postulare ut Ecclesiæ & superiorum decretis obsequium præstetur, quando id quod præcipitur tale est io se ut a subditis sine peccato præstari possit: Ecclesiam justas habuisse causas illos Canones condendi: Synodum fuisse legitime congregatam, & legitime processisse, recteque judicasse: Sacram Communionem esse publici cultus partem, & publice adorativam, Eucharisticam & precatoriam, quam nemo rite participat, nisi dum participat, adoret Dominum nostrum Jesum Christum, adeoque sanctissimam Trinitatem; adeoque gestum quanto humiliorem, tanto convenientiorem; Geniculationis gestum adorativum in sacris literis commendatum, tanquam adorationi admodum convenientem, licet non semper necessarium. Hunc populi teporem & torporem postulare. Gestus mutationem convenire, ut docerentur populi non abhorrere a Communione aliarum Reformatarum Ecclesiarum, propter gestus diversitatem, quippe rem indifferentem. Gestum esse adorativum quod aperto capite in Cœna Dominica sedeant convivæ.

§. XXXVI. *Ac anniversariam commemorationem mysteriorum Redemptionis.*

Quod ad *anniversariam commemorationem, statis diebus, nunquam obliviscendorum Dei beneficiorum, nobis per Christi nativitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem, & spiritus sancti missionem collatorum*; id jam ab ultima Patrum memoria per totam Ecclesiam observatum fuisse: esseque velut quandam anniversariam Catecheseos Christianæ inculcationem. Divina hæc beneficia non propter dies celebrari, sed propter beneficia addicimus nos anniversariæ eorum meditationi, & gratæ solennique commemorationi certis quibusdam diebus. Verum esse, quovis tempore ea commemorari posse, quod certi temporis constitutio non impedit (quemadmodum assiduæ precationis officium non impediunt, sed adjuvant stata precandi tempora laudabiliter & fructuose in Ecclesiis constituta;) sed necessitatem imponit negligentioribus, uniformitatem in Ecclesiis custodit, & populum facit ad discendum paratiorem: nullam hic esse superstitionem, nec mysticam aliquam sanctitatem diebus affingi; sed mysteriorum recordatione & gratiarum actione Deum coli, ac certi diei designationem de cultu Dei non esse, sed ad Ecclesiasticam εὐταξίαν, & ad Disciplinæ commoditatem pertinere.

§. XXXVII. *Et impositionem manuum, Catechumenis.*

Puerorum Catecheticam educationem & benedictionem cum impositione manuum ab ipsis Apostolis institutam fuisse. Ejusque summa capita ab Apostolo recenseri, Heb. 6. Rem non esse tollendam propter Papistarum abusum, magis quam matrimonium, aut Pœnitentiam, aut sacram Communionem, &c.

Et administrationem Baptismi in privatis locis.

Quod ad *administrationem Baptismi in privatis locis* in casu necessitatis, Dominum dixisse, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos; Ergo ubicunque docere licet, ibidem & baptizare, nempe in casu necessitatis; in hoc casu incumbere Pastori necessitatem exequendi illud præceptum etiam erga clinicos & vinctos, cum præcepto suo nullam exceptionem addiderit Christus. Ministeria hæc non aliquibus certis locis & temporibus esse affixa, sed ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine Domini, ibi ipsum esse in medio eorum. Cavendum esse ne minimam ex Christi oviculis offendamus aut contemnamus. Dei gratiam non alligari Sacramentis, sed Ministros officio suo alligatos esse.

Et Communionis

Eadem facere pro administranda *infirmis aut vinctis sacra Cœna.*

Denique fidem, decus & libertatem Ecclesiæ Scoticanæ postulasse introductionem horum articulorum. Cum Pastores Regi promisissent se plebes suas de harum rerum natura diligenter informaturos. Quod dedecorosum esset res palam licitas & maximam partem necessarias rejicere tanquam illicitas & Dei Verbo repugnantes, unde palam ludibrio habiti fuissent; quod hic error etiam non esset tolerandus, verbo Dei repugnans, ac primitivæ Ecclesiæ omniumque Reformatarum Ecclesiarum judicio contrarius, ac proinde Christianorum conscientias liberandas esse ab hujus erroris jugo.

Prætendebant quidam religionem *juramenti, Regem nempe Jacobum* cum familia sua & aliis jurasse anno D. 1581. se perseveraturos in doctrinâ & Disciplina hujus Reformatæ Ecclesiæ Scoticanæ, & pro vocatione & facultate sua eam defensuros omnibus diebus vitæ suæ. Respondit Forbesius illos jurasse non pro aliis, sed ut aliis exemplum præberent, nec ipsos jurantes obligare juramentum ullum de re illicita, quæ sine peccato nec promitti nec præstari posset: Hujusmodi perjurii reos se constituere, quicunque

que de rebus alioqui in se non illicitis, sed liberis & mediis, perpetuam sibi figunt regulam, a qua se nullo unquam casu discessuros juramento promittunt; si ea regula pugnet cum rerum ipsarum naturâ, cum statu & libertate Ecclesiæ militantis, cum charitate fraternâ, & per consequens cum Verbo Dei. Juramentum nostratum, si rectè, ut debet, accipiatur, non esse illicitum. Nunquam enim Ecclesiæ Scoticanæ mentem fuisse, ut existimaret omnes ritus & cærimonias externas, quæ in cultu Dei licite adhibeantur, esse prorsus immutabiles, sed contrarium in publica Fidei Confessione quæ exstat inserta Actis primi Parl. sub Jac. 6. Anno 1567. profiteri. Ad hominem: si vigore illius juramenti obstricti sint ut perseverent in doctrina hujus Ecclesiæ, quo jure licuit illis novam Fidei Confessionem amplecti, rejecta illâ de qua juramentum præstiterant? Ecclesiæ etiam gubernationem per Superintendentes hoc est Episcopos mutare, de quorum electione & ordinatione exstant regulæ in publicis nostris rituum libris liturgicis publica autoritate editæ?

§. XXXVII. *Et impositionem manuum, Catechumenis.*

Et administrationem Baptismi in privatis locis.

Et Communionem

§. XXXVIII. *Regimen Episcopale esse licitum & Dei verbo consentaneum.*

Sed cùm Ministri quidam summo zelo & odio adversus *Præsidentiam & Regimen Episcopale* arderent, imparitatem inter Ecclesiæ Ministros illicitam esse & contra Dei verbum affirmantes, idem odium in animis populi ingerentes ac foventes, pergit vir optimus argumentum hoc dilucide tractare, nullo habito partium respectu. Illis affirmantibus regimen Episcopale esse juris tantum humani sive Ecclesiastici & non divini, ac proinde ex Ecclesia eliminandum; ostendit multa esse Ecclesiastica authoritate constituta quæ subditis contemnere nec expediat, nec per ipsam Dei legem liceat; ac proinde minime sequi, hoc regimen esse contemnendum, etiamsi jure Ecclesiastico introductum fuisse iis largiretur: Episcopos jure divino Presbyteris præesse; neminem primis Ecclesiæ Christianæ & quidem multis seculis dubitasse aut de eo disceptasse, præter *Aerium* & *Hieronymum*, utrosque id ad jus Ecclesiasticum referentes; primum ob id hæreticum judicatum, quod constitutionem damnaret, ex eo dicit *Augustinus*, quod doluerit se Episcopum non potuisse ordinari; alterum minime hæreseos insimulatum, quod illam constitutionem reverenter susceperit, eique se obedienter subjecerit, tanquam utili, laudabili & necessariæ, sine quâ dicit *Hieronymus*, tot futura in Ecclesia schismata, quot sacerdotes: primos etiam inter Reformatores, nempe *Calvinum*, *Zanchium*, &c. agnovisse politiam hanc, licet Ecclesiastici juris, esse piam & Christianam, a verbo Dei non alienam, sed ei convenientem, & Ecclesiæ utilem ac necessariam: judicium Ecclesiæ nostræ Scoticanæ patere ex constitutione Ecclesiasticâ de electione Superintendentium, eorumque functione & potestate: Eam esse ministerii Evangelici rationem de jure divino, ut ei non repugnet Ministrorum disparitas, sed possit ei congruenter convenire: jure divino necessarium esse collegio Pastorum Præsidem aliquem; eique consentaneum esse ut hic non nisi propter culpam aut infirmitatem se abdicet officio illo vel ab eo amoveatur; ac quod hic Præses peculiariter Episcopus appellatus sit, cæteris Presbyterorum vocabulo contentis, non esse contra legem divinam factum, sed congruenter legi divinæ introductum esse jure Ecclesiastico, œcumenico & Apostolico, & perpetuo seculorum omnium usu irreprehensibiliter servatum; idcirco cum de re constet, turbas jam de nomenclaturâ cieri ac tumultuari, insolentissimæ esse insaniæ. Verum longe abest vir optimus ab asserendo regimine Episcopali tyrannico vel fastuoso, mundano vel desidioso. Dicit talem fratrum Præsidem debere ipsum etiam censuræ esse subjectum: cum omni mansuetudine absque fastu & dominatione præesse debere: juris divini esse ut nil ponderosum gerat absque consensu Compresbyterorum: eum semper jure divino manere Presbyterum, & ad Presbyteralis officii executionem teneri (1 Pet. 5. 1. 2. Joh. 1. 3. 1 Cor. 4. 1.) Neque abdicat Ecclesiam orthodoxam hoc regimine destitutam ac si non esset pars Ecclesiæ Catholicæ, vel vera Ecclesia, vel potestate Ecclesiastica excidisset; licet eam defectu œconomico laborare arbitretur, atque optandum & annitendum esse ut habeat Episcopum. Ex alterâ parte iniquitatem usurpationis & tyrannidis Romani Pontificis clare exponit & detestatur.

Declamabant etiam fratres quidam contra *certam precum Formam publicam* habendam & præscribendam. Hisce tantum ad hominem opponit Forbesius authoritatem & testimonium Joh. Calvini cujus hæc sunt verba: Quod ad formulam precum & rituum Ecclesiasticorum, valde probo ut certa illa exstet, a qua Pastoribus discedere in functione suâ non liceat, tam ut consulatur quorundam simplicitati & imperitiæ, quam ut certius ita constet omnium inter se Ecclesiarum consensus. Postremo etiam ut obviam eatur desultoriæ quorundam levitati qui novationes quasdam affectant. *Licitam esse certam precum formam publicam.*

Aversabantur etiam usum *Orationis Dominicæ*. Ostendit Forbesius Dominum Precationem hanc nobis non solum imitandam, sed etiam in precibus usurpandam commendasse, dicentem: *sic orate*; *quando oratis, dicite*: Apostolos ac Catholicam antiquitatem precantes eâ usos fuisse. In omnium Reformatarum Ecclesiarum Liturgiis illius recitationem *Usum etiam Orationis Dominicæ.*

tionem fieri juberi: Neminem reprehendere quod Psalmos Davidicos decantamus, quod solenni benedictione ab Apostolo Paulo scripta relicta Pastores populo benedicant: Quid, inquit, admisit in nos Dominus, ut orationem ab illo compositam, & nobis ad dicendum traditam, dicere refugiamus.

Fratres dissentientes Irenico magis irritantur. Omnia denique capita & Articulos de quibus fratres dissentientes tot rixas & clamores excitarant, tanta perspicuitate ac eruditione exposuit, eosque contra sacram Scripturam, Christi & Apostolorum præcepta, primitivæ & Catholicæ Ecclesiæ praxin, omniumque Ecclesiarum Reformatarum sententiam aperte insurgere, tam invictis & innumeris testimoniis ostendebat; ut veritatis & pacis amantes ei de eis libenter assentirentur; ac contradicentes nil præter convicia haberent quod responderent. Verum cum hic liber Latine tantum editus fuerit, ac Ministri dissentientes quotidianis concionibus in hos articulos acriter inveherentur, iisque artibus, quibus captari solet vulgus, uterentur; hinc odia & dissensiones nihilominus flagrabant. Exprobrabant etiam Ministri *Forbesio* dura quædam verba in Irenico adversus eos scripta, ipsum pro pace majorem litem excitasse dicentes, eique dicaciter hunc versum applicantes:

Εἰρήνην voluit cudere, cudit ἔριν.

Quidam etiam ex iis Disputationem quandam vernaculam publicavit contra Anglo-Papisticas ut vocabat cærimonias. Et quemadmodum iis accidere solet qui litem inter partes componere student, ut neutra id gratum & acceptum habeat, ita Forbesio evenit; nam ex altera etiam parte iis qui Episcopatus jura ad extremum verticillum tendi volebant, quique ejus honorem & splendorem magis quam Pastorale officium spectabant, Forbesii propositiones quædam non multum arridebant. Quanti vero pretii esset hic liber apud *Usserium Archiepiscopum Armachanum & Hiberniæ totius Primatem*, virum eruditione & sanctimonia toto orbe celeberrimum, patet ex epistola ipsius ad Forbesium missa, inque eandem cum Forbesio sententiam de regimine Ecclesiastico Usserium ivisse ostendit judicium illius de hac re postea editum. *Usserii de Irenico judicium.* Ipsius ad Authorem literæ hæ sunt:

Vir Eximie,

Euseb. lib. 5. hist. Eccl. Κεφ. κδ'. *Summa cum voluptate* Εἰρηνικὸν *tuum perlegi; eamque Patriæ tuæ felicitatem sum gratulatus, quod novum tandem produxerit* Εἰρηναῖον, *qui eam ipsi præstitit & diligentiam & virtutem, quam olim exteris Ecclesiis (cum non admodum dissimiles de Adiaphoris obortæ lites earum pacem perturbarent) exhibuit ille vetus; qui* φερώνυμός τις ὢν τῇ προσηγορίᾳ, αὐτῷ τε τῷ τρόπῳ εἰρηνοποιὸς, ὑπὲρ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης τοιαῦτα παρεκάλει τε καὶ ἐπρέσβευεν.

Nulla salus bello: ipsique bello salus si qua sit, non alio quam pacis nomine ea continetur. Nam & de pace belli Uriam, opinor, a Davide aliquando interrogatum meministi. לשלום המלחמה *2 Sam. XI. 7. Judic. VII. 22.*

Jam vero pro Εἰρηνικῷ *scriptum remitto tibi ego* πολεμικὸν, *sed quod jucundum præbeat spectaculum Madianiticorum satellitum inter se manum conserentium, & mutuo isto bello, Ecclesiolæ nostræ pacem promoventium.*

Tu, quicquid hoc est munusculi, ut ab homine optime erga te affecto transmissum suscipe, & me (ut facis) ama. Pontanæ in Hibernia, ultimo Idus Decembris Anno reparatæ salutis 1632.

Tuus in Christi Ministerio conservus

Jacobus Armachanus.

Irenicum Forbesius recognovit. Irenicum suum eximius Author recognovit, in multis commutavit, plurimum auxit, atque ita recognitum ac prælo paratum secunda vice edendum reliquit, quod ex titulo Theologiæ moralis suæ liquet, cui manu sua subjunxerat hæc verba: *Accesserunt ejusdem liber singularis de cura & residentia Pastorali; & Irenicum ab Autore recognitum.* Desiderabantur utraque hæc scripta. De prioris fato hactenus dictum est. Quod ad Irenicum attinet, Clarissimus *Wetstenius* novam Operum Forbesii editionem meditans, Theologiæ morali acquisita, una cum exemplo quodam Instr. Hist. Theol. notis quibusdam Authoris manu aucto, hæc duo desiderabat Opuscula, in quæ cum frustra inquisivisset per plures annos, tandem auctioni cuidam librorum Leidæ interveniens, nil tale cogitanti se conspiciendum præbet Irenicum ipsius Authoris manu ita correctum, immutatum, ac prælo paratum, quod sibi statim, licet ære haud parvo, pro mole libri, comparavit, ac nunc prælo subjiciendum curat, dignum sane quod lucem videat, quo optimi viri humilitatis & mansuetudinis lux coram omnibus in Patris nostri cælestis gloriam splendeat. Exemplar hoc ab Auctore revisum, immutatum & auctum impræsentiarum apud me, habeo, ac quoniam plurimi ad Authoris alicujus vitam quam opera legendum propensiores sunt, de hac recognitione quædam hic memorare non pigebit.

Omnia aspeiora dicta evulsit. 1. Omnes aculeos, omnia in dissentientes asperius dicta, vel quæ videri possunt ab iis in hanc partem interpretatum iri, demi & evelli sedulo curavit (adeo ut non solum plurima verba & dicta, sed integræ paginæ & folia ab auctore deleta sint) illustre præbens humilitatis & mansuetudinis exemplum, documentum etiam quâ viâ in erroribus

ribus aliorum refutandis, ac veritate exponenda & propugnandâ cum fructu incedendum sit. Plurimi enim homines aspere tractari ipsius etiam Charitatis manu ægre patiuntur, ac non tam Veritatem propositam, quam acrius dicta respiciunt; unde odii, malevolentiæ ac iræ spiritu acti, eam magis aversantur, ac dicteria dicteriis repellere, in Authorem ferociter insurgere, plurimis eum conviciis insectari, ac præjudiciis suis majori pertinacia adhærere, omnibus intendunt nervis.

Ad calumnias adversariorum respondit.

2. Respondit ad argumenta & calumnias eorum qui in illius Irenicum acrius insurrexerant; & inter alios Authoris contra Anglo-Papisticas Cærimonias. Hic unicam liceat afferre instantiam (part. 2. cap. 1. §. XIII, XIV.) *Tametsi autem* (inquit) *huic fratri* (qui nempe Aporias miserat) *ad primas quatuor Aporias laborem impenderim; poteram illæsis legitime disputationis legibus, Aporias istas contemnere, quippe à proposito alienas, & commentitio instructas fundamento, ac si gestus sive sessionis, sive stationis, sive geniculationis à Communitatibus usurpari nequeat, nisi eum gestum exhibeant Sacramento, vel coram Sacramento, cum longe aliter se res habeat. Quando enim accedimus, & accipimus, manducamus & bibimus de pane & poculo Domini in ipsius Domini recordationem; tum vel stamus, vel genua flectimus, vel sedemus coram Domino. Nam etiam sedisse coram Domino orans legitur David. 2. Sam. 7. 18. & gestum sedendi Fratres nostri qui geniculationem damnant, ajunt in Cæna Domini sumptione esse ex divina institutione necessarium, unde fateantur necesse est, eum esse sacrum & religiosum. Vide igitur quid illis respondi, si Aporia ista in istam sessionem convertantur. Quamvis enim gestum sedendi usurpes sine opinione istiusmodi necessitatis, manebit tamen quæstio, coram quo sedeatur? neque respondebis opinor te coram pane sedere, etiamsi ibi & sumatur ille panis ex Domini instituto.*

** Autor Disputationis contra Anglo-Papisticas Cærimonias, part. 2. cap. 9. sect. 12. & part. 3. cap. 4. sect. 20. & 21. vernacul. edit.*

*Illiberali, inquit, nos gravat calumniâ * quidam Disputator, affingens nobis nescio quam mediatam adorationem Christi in pane, interposito in ea adoratione pane inter nos & Deum; cum nos ab omni ejusmodi cogitatione & praxi doctrinaque, semper fuerimus & constanter simus prorsus alieni; neque istiusmodi adoratio quasi ullo modo probanda nobis unquam in mentem venerit; neque illam falsissimam atque iniquissimam glossam ulla mea verba usquam admittant. Dolendum sane est, tam fœdis calumniis Fratres in Fratres vel in quemquam grassari. Ego certe palam & ex animo profiteor, semperque professus sum, omnem religiosam adorationem soli Deo immediate exhibendam esse; istam vero quam nobis iniquissime affingit iste doctrinam, detestor atque abominor. Quocirca ab æquis Lectoribus facile impetraturum me confido, ut cum publici juris factos Libros meos inspicere promptum sit, nemini de doctrinâ meis tradita scriptis sinistri aliquid dicenti credendum existiment, indictâ causâ & parte inauditâ, neque accusasse sufficiat.* Hactenus Forbesius.

Episcopalis Regiminis jus divinum fidenter asserit: & authenticis testimoniis ac rationibus de novo confirmat.

Alterum quod imprimis observandum in *Irenico recognito* est, quod Vir optimus, non obstante eversione regiminis Episcopalis in Patriâ quam viderat, ac tanto contra idem animorum motu, visa etiam alterius regiminis praxi, perpensis utrinque rationibus ac Catholica Antiquitate penitius lustrata, in eadem semper maneat sententia, de Ecclesiæ Rectorum ordine inter se & inæqualitate: hujusque inæqualitatis jus divinum fidenter asserit, ac authenticis testimoniis ac rationibus de novo confirmat. Sic in parte 2da cap. XI. §. XX. ita loquitur: Certe *Cyprianus* Episcopatum hunc de quo agimus ad jus divinum refert: Epist. 27. & 52. & 55. & 60. editionis Pamelianæ, sive in alia editione Lib. 5. Epist. 6. & Lib. 4. epist. 2. & Lib. 1. epist. 3. & Lib. 4. epist. 10. & alii Patres, in quibus & ipse *Hieronymus* in epistola ad *Marcellam*, quæ incipit *Testimonia*, ait, *Episcopos tenere locum Apostolorum*, qui certe locus divini juris est. Idem *Hieronymus* præfat. in *Matth.* dicit *Marcum* fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ primum Episcopum; & supra num. XIII. Episcoporum Alexandriæ originem repetivit a *Marco* Evangelista, & num. XIV. decretum de Episcopis toto orbe factum esse ait in remedium illius mali quod ab Apostolo Paulo commemoratur, 1. Cor. 1. 12. Et in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum scribit mortuum esse *Marcum* Evangelistam octavo Neronis anno, & sepultum Alexandriæ, succedente ei Æniano. Viventibus nimirum adhuc & Ecclesias ordinantibus Apostolis *Petro* & *Paulo* & *Johanne* &c. Et eodem libro diserte asserit ab ipsis Apostolis ordinatos esse Episcopos, *Jacobum* Hierosolymorum, & *Polycarpum* Smyrnæ, &c. Et in fine Epistolæ ad Evagrium, quæ incipit, *Legimus in Esaia*; *Et ut sciamus*, inquit, *traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento, quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.* Hæc Hieronymus.

Abrahamus Scultetus, (inquit Forbesius) in suis Observationibus in Epist. ad Titum, cap. ultimo multis argumentis docet, Episcopatum (supra simplices Presbyteros) esse divinæ originis. Et hoc faciunt etiam Theod. Beza in 1. Tim. 5. vers. 17. & seq. nec aliter Daniel Chamier Panstrat. tom. 2. lib. 13. cap. 19. §. 16. & 18. Licet antea diversum scripserit eodem tomo, lib. 10. cap. 5. & 6.

Et rursus in eodem lib. 2. Irenici cap. XI. prop. IV. Prima, inquit, Christianæ Ecclesiæ Politia divinitus instituta est cum aliquo Rectorum inter se istiusmodi ordine ac inæqualitate. Semperque in Ecclesia jam inde a primis ejus initiis, fuit aliqua Auctoritas personalis (quam Episcopalem vocamus) potestatem habens præsidendi cœtui simplicium Presbyterorum. Christus præerat Apostolis, non solum Dominica potestate qua servis, & Magisteriali qua discipulis, sed etiam Episcopali qua Presbyteris seu verbi Administris. Nam omnis ista dignitas & perfectio eminenter in magno illo animarum nostrarum Episcopo emicabat. Unde beatus *Ignatius* Martyr in sua ad Trallianos Epistolâ monet ut subjicerentur Episcopo ut Christo, & Presbyterio ut Apostolis Christi. Deinde post Domini ascensionem Apostoli superiores erant reliquis Verbi ministris, & multiplicatis cœtibus constituerunt Apostoli Ecclesiis proprios Episcopos, cum ipsi omnibus adesse aut subvenire non possent. Neque ullo unquam tempore simplices Presbyteri fuerunt supremi in Ecclesia Rectores (nisi forte alicubi, post tempora Apostolica, per defectum Oeconomicum, particulari interdum Ecclesiæ contingentem), aliter enim Ecclesiæ suæ regimen Dominus instituit. Neque melior est ulla Ecclesiæ politia quam quæ fuit temporibus Christi & Apostolorum. Theodor. Beza in notis in 1. Tim. 5. 17, & seq. *jam*, inquit, *quomodo cum Presbyteris*, *id est Pastoribus*, *denique disciplinæ præfectis*, *se gerere debeat qui eorum Collegio præest his præscriptis Canonibus disserit* (Apostolus). Videantur ibi plura. Neque dantur illa de regendo *clero* & populo præcepta Timotheo tanquam extraordinario Evangelistæ, nam perpetua sunt & servari jubentur usque ad Domini adventum. 1. Tim. 6. 13, 14. Vocabulum autem Evangelistæ 2. Tim. 4, 5. si ex operâ illi injunctâ exponendum sit, latiorem in illo loco significationem habere invenietur, quam ut extraordinarium duntaxat & temporarium denotet ministerium. Auctor Commentarii qui Ambrosio tribuitur in illa Apostoli verba, *Sicut rogavi te &c.* 1. Tim. 1. 3. *Obsecrat*, inquit, *Episcopus Coëpiscopum*. Et in cap. 3. cum dicit esse Episcopum qui inter Presbyteros primus est, ut omnis Episcopus Presbyter sit, non omnis Presbyter Episcopus.

§. XXXIX. Ad finem prop. XI. ejusdem cap. hæc addit: *Irenæus* Episcopus Lugdunensis ait: *Habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant: quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum Magisterii relinquentes. Sed quoniam valde longum est, omnium Ecclesiarum enumerare successiones* ——— *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli* [Petrus & Paulus] *Ecclesiam* [Romanam] *Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt: hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timotheum Epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus. Post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos Apostolos & contulit cum eis. Huic autem Clementi succedit Euaristus, & Euaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissimum Martyrium fecit, ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius.* ——— *Et Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderant, sed etiam ab Apostolis in Asia in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate, multum enim perseveraverat, & valde senex gloriosissime & nobilissime Martyrium faciens exivit de hac vita.* Hæc Irenæus, lib. 3. adversus Hæreses, cap. 3. Hinc, inquit Forbesius, cernis eos late errare qui dicunt Episcopos non distingui apud Irenæum a simplicioribus Presbyteris, quamvis alibi ipsos Episcopos vocet Presbyteros. *Simonis Cleopæ* (qui *Jacobo* in Episcopatu Hierosolymitano successit) & *Ignatii* (qui fuit Evodii in Antiocheno Episcopatu successor) martyria *Eusebius* in Chronico refert ad annum decimum *Trajani* Imperatoris. Ecclesiam autem usque ad istorum duorum Martyrum obitum Virginem integram & incorruptam permansisse scripsit *Hegesippus*, referente *Eusebio* lib. 3. histor. Eccles. cap. 26. λβ. Vide etiam cap. 30. λ. Et tamen multo ante florebat Ordo Episcopalis suffragiis ipsorum Apostolorum. Tertullianus etiam scribit ab Apostolis in *Episcopatum constitutos*. Lib. de præscript. cap. 32. Hactenus Forbesius.

Miratus est Vir summe probus & eruditus quosdam tantas confusiones & turbas in Ecclesia & Republicâ concitare, ut inæqualitatem omnem inter Ecclesiæ Rectores amoverent, ac paritatem tanquam institutionis & juris divini stabilirent, ac opinionis hujus fermento populi zelum infecisse; cum nil evidentius pateat, si Dei Verbum pro regula Divini juris accipiatur, quam inæqualitatem inter Rectores Ecclesiasticos reperiri iis temporibus quorum Historia Sacris Literis traditur. Sub Veteri Testamento hoc ita stabilitum fuisse, est extra omne dubium, ita etiam sub Novo, cum Dominus noster elegerit non solum duodecim §. XL.

cim Apostolos, verum etiam septuaginta discipulos inferioris ordinis, & in sæculis immediate sequentibus similem inæqualitatem per omnes Ecclesias stabilitam fuisse evidenter apparet, quibus temporibus nec Episcopi nec Presbyteri dominatione tyrannica & imperiosa, sed humilitate & mansuetudine Jesu Christi, populum regebant, cujus omnes leges non sunt imperii aut coactionis, sed amoris. Ita exponit potestatem Rectorum Ecclesiæ Gregorius Magnus (apud Forbesium part 2. Iren. cap. XI. prop. VI. in additamento) *Hoc autem quod Discipulo Paulus ait*, Præcipe hæc & doce cum omni imperio, *non dominationem potentiæ, sed autoritatem suadet vitæ; cum imperio quippe docetur, quod prius agitur quam dicatur. Nam Doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo & potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis.* Hæc Greg. primus hujus nominis Episcopus Romanus, Lib. 23. Moral. cap. 13.

§. XII. *Character Gul. Forbesii Episcopi Edinburgens.* Dixi me quædam de Contemporaneis, Symmistis & Collegis Forbesii, quorum historia cum ipsius intertexta est, enarraturum; nunc ordo narrationis postulat ut ad promissum præstandum aliquantum digrediar, quo quæ postea de Forbesio narranda sunt distinctius intelligantur. Aberdoniæ nulla unquam fuit ætas Eruditorum omnis generis feracior quam Forbesiana, florentibus nempe Forbesiis Patre & Filio, examina quasi Eruditorum exundabant. Theologi, Philosophi, Medici, Jurisperiti, Senatores Urbis, Cives, omnes suo quisque officio & loco magno fuere ornamento.

Inter alios eminebat *Gulielmus Forbesius*, ex opere quodam posthumo, *Considerationes modestæ & pacificæ Controversiarum &c.* inscripto, erudito Orbi cognitus, inter primos sui ævi eruditos, Aberdoniæ natus Patre *Thoma Forbesio* eive admodum probo, *Forbesii à Corsinda* Nepote (cujus familiæ primus fundator, secundo-genitus fuit ejusdem Baronis de Forbes, cujus primus Toparcha de Corse fuerat natu minimus) matre vero sorore germana *Jacobi Carngill* Aberdonensis, Medicinæ Doctoris celeberrimi, a *Bauhino*, *Lobelio*, & aliis Botanicis cum laude memorati.

In natali Urbe Eruditionis fælix tyrocinium posuit, ac viginti annos natus, in exteras Regiones profectus, ac celeberrimas *Germaniæ*, *Belgii*, ac *Angliæ* Academias invisens, earumque instructissimas Bibliothecas perlustrans, scripta Patrum evolvens, Eruditorumque consortio & colloquio fruens, post quinquennalem peregrinationem in Patriam reversus est, (apum more, quæ melle & cera ex variis floribus per plurimos campos lectis, onustæ, alacres ad alveare redeunt, ut in omnium bonum se exonerent) in promovenda Dei gloriâ & animarum salute Patriæ prodesse cupiens.

Functus est Presbyteratus munere in Ecclesiâ Scoticanâ viginti quinque præter propter annos, primum ruri in Parochiis de *Alfore* & *Monymusk* in Diœcesi *Aberdonensi*, successive; aliquamdiu etiam *Edinburgi* Scotiæ urbe primaria, sed diutius multo *Aberdoniæ* urbe natali, ubi etiam *Collegii Marischallani* Gymnasiarchæ officio functus est aliquot annos; tandem A°. 1633. a Rege *Carolo* primo in Scotiam eo tempore ut avitâ Regni Coronâ insigniretur profecto, Gul. Forbesius selectus est qui primus fungeretur *Episcopatu Edinburgensi*, quem Carolus, ut perenne apud Scotos pietatis suæ monumentum extaret, exetit, de *Forbesio* dicens se Virum invenisse dignum cujus gratiâ sedes Episcopalis fundaretur. Verum a facie malitiæ collectus est Justus, & cum Episcopatum tres tantum tenuisset menses, graviori morbo correptus, tandem Calend. Aprilis A°. 1634. placide obdormivit in Domino.

Vir, vitæ sanctimonia, humilitate cordis, gravitate, modestia, temperantia, orationis & jejunii frequentiâ, bonorum operum praxi, industriâ pauperum curâ, clinicorum crebrâ visitatione & consolatione, & omnifaria virtute Christianâ, inter optimos primitivæ Ecclesiæ Patres annumerandus. In concionando ad populum fervens, adeo ut Auditorum mentes & affectus raperet, doctrinâ & eruditione ingens, sublimato pollens judicio, memoria etiam tenacissima (de quo vulgo dictum, quod ignoraret quid sit oblivisci) Veritatis & Pacis amantissimus, ac proinde rerum controversarum momentis acutissime expensis & pensitatis, nulli parti addictus, partium lites componere, saltem mitigare satagebat.

Deplorandum *Christiani Orbis* statum, horrenda schismata, infensas lites, plorans respiciebat, mutua omnium partium odia & convitia lugebat, non solum Reformatorum inter se, sed & ea etiam quæ inter ipsos & Ecclesiam Romanam adeo inhumane exercebantur, ut dum Christianismum propugnare contenderent, ipsam humanam naturam exuere viderentur. Utriusque Partis Antesignanos & Controversistas causabatur, quod lites nimium exagitarent, oppositæ partis doctrinam perperam sæpe exponerent, errores ultra modum aggravarent. *Romani Episcopi* Tyrannidem se universalem totius Orbis Episcopum, Christi

Vicarium Generalem, & infallibilem S Scripturarum interpretem, ac supra universam Ecclesiam Caput & Monarcham venditantis, illiusque ac Cleri Ecclesiæ Romanæ iniquitatem in condendis novis Fidei Symbolis, iisque aliis etiam vi & armis obtrudendis tanquam ad salutem creditu necessariis, præcipuam esse schismatis causam, ac Catholicæ unitatis & pacis impedimentum palam profitebatur.

In publicis prælectionibus Theologicis in *Gymnasio Marischallano Aberdonensi* habitis id agebat, ut veritas in hodiernis Controversiis sine studio partium clare pateficeret, utque homines ad veritatem, charitatem & mutuam pacem sectandam adducerentur, sine quâ nemo Deum videbit.

Quædam ex hisce Prælectionibus post viginti ab Authoris morte annos in publicum editæ sunt, quibus titulus [*Considerationes modestæ & pacificæ Controversiarum de Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, & Christo Mediatore, & Eucharistia*] plurimis mendis typographicis refertæ; ob quas Prælectiones ab omnibus fere Reformatæ Communionis multum vapulat Author, quasi in Pontificiorum castra transiens, licet in communione Ecclesiarum Reformatarum & vixerit & mortuus sit, & publicis ac sacrosanctis muneribus in eâ sit functus, Vir ab omni hypocrisi alienus; atque in Prælectionibus editis errores non pauci Romanæ Ecclesiæ ab eo notati & perstricti sint, idque aliquando cum satis magnâ vehementiâ. Sed veritatis & pacis amor Authorem movit ad veritatem amplectendam aperteque profitendam, ex quacunque parte staret, ad errores etiam in amicis detegendum, præsertim si animarum saluti nocivi essent, ac nimis duram à suæ Communionis Scriptoribus quorundam Adversariorum Dogmatum interpretationem ac consequentias inde illatas, qua charitas prorsus extinguitur, ac odia & convitia mutua foventur, perstringendum. Verum quam insigniter Reverendo Viro injurii sint, qui eum Catholico-Romanum prædicant, inter alia perspicuum fiet concione publica ab eo habitâ Edinburgi coram Rege Carolo primo A°. 1633. cujus summa ad calcem hujus vitæ subjungetur.

Scripsit etiam Gul. Forbesius elaboratas & nervosas Animadversiones in quatuor Bellarmini tomos, in tribus voluminibus editionis Parisiensis emissos, & eruditis notis sua manu exaratis, margines omnes infra, supra & a latere, in utraque pagina, tria volumina percurrens, replevit: Quas Rob. Baronius S. T. D. & Professor ei succedaneus; Vir in omni Scholastica Theologiâ & omni literatura versatissimus, tanti fecit, ut omnibus contra Bellarminum scriptis prætulerit, & nisi immaturâ morte præventus fuisset, prælo subjicere & publici juris facere proposuerat. Verum Baronio a Conterraneis persecutione oppresso, extra Patriam refugium quærente ac Bervici moriente, intercciderunt hæ Animadversiones, ac in quorum potestatem venerint penitus latet.

Alius inter Forbesii Collegas, cujus memoriæ proximus locus hic debetur, fuit *Robertus Baronius* in urbe Aberdonia SS. Theol. Doctor ac Professor quondam celeberrimus. Filius erat secundo-genitus, Generosi cujusdam Baronii in Fifâ, e Meridionalibus Scotiæ Provinciis unâ. In Universitate Andreapolitanâ Philosophiæ operam dedit, ac postea ad ejusdem Professionem in eadem Universitate adscitus, summâ cum laude & Auditorum profectu hanc Spartam exornavit. *Joannes Baronius*, Frater ipsius natu major, literaturam in adolescentiâ spretam adultus appetiit, ac Fratris curæ se committens, ab ipsis humaniorum literarum Elementis initio facto, optimo ingenii acumine præditus, Latinam linguam privatim, ac Philosophiam postea in scholis publicis edoctus, tandem in Theologiæ quoque studio tantos fecit progressus, ut Doctoratus Gradum in eâ Professione adeptus, Collegio S. Salvatoris in dicta Universitate præficeretur, quo munere cum omni laude plurimos annos functus est. *§. XLII. Rob. Baronii Character.*

Robertus noster ad Ecclesiæ Kethensis curam pastoralem vocatus est, Patricii Forbesii a Corse in eo munere successor; cujus Patricii (Episcopi tunc Aberdonensis) consilio, postulatis Aberdonensium invitatus, ad Verbi divini præconium Neo-Aberdoniæ suscipiendum A°. 1624. inducitur: ubi omnia sacri ministerii & Religionis officia, indefessâ diligentiâ ac verâ integritate coluit. Brevi post tempore, piâ quorundam munificentiâ, instituta est in eadem urbe Professio Theologica, ac *Baronius* ad munus hoc obeundum primus omnium electus est. Atque ita & animarum curæ, & eruditioni Juventutis quæ sacræ functioni consecranda erat, plurimos annos vigilanter incubuit.

In priori munere Symmistam habuit dictum *Gulielmum Forbesium*, de quo dicere solebat *Robertus Burnetus*, Vir optimus infra memorandus, se vix unquam concionibus illius interfuisse sine effusione lachrymarum; vivus adeo, efficax ac penetrans fuit Dei sermo ex ore illius profluens, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, ac cogitationes & intentiones cordis

dis

dis discernens. De mirâ ac diversâ utriusque concionandi facultate, sic cecinit ipsorum Concivis supra memoratus *Arthurus Johnstonus*:

De Gulielmo Forbesio & Roberto Baronio Theologis Abredonensibus.

Nil quod Forbesio, Christi dum pascit Ovile,
Nil quod Baronio comparet, Orbis habet.
Eloquio sunt ambo pares; discrimen in uno est,
Quo lubet, hic mentes pellicit, ille rapit.

§. XLII. *Rob. Baronius Collega.*

In Juventute erudienda Collegam habuit alterum *Forbesium*, Authorem nostrum Reverendum. Inter hos nulla fuit Concordia discors, non simulata, sed vera amicitia. Jucundum fuit hos fratres videre habitantes in unum, placide & æquabiliter idem trahentes jugum. Iidem quippe Studiosi sub utriusque curâ instituebantur, altero alteri non invidente, sed in munere alacriter obeundo animum addente ac mutuam opem ferente. Per tres anni tempestates Theologiam quotannis docuere (munus id non trimestre sibi facientes (ut nunc moris est) ut reliquo feriarentur anno;) neque perfunctorie hoc agebant, Studiosis Systema aliquod Belgicum vel Genevense, pro Theologiæ textu, exhibendo, vel in talia, ut olim Philosophi in Aristotelem, Commentaria faciendo; sed Diatribis suis eruditis, reconditâ literaturâ refertis, eos in penitiori Sacræ Scripturæ ac Doctrinæ Christianæ intelligentiâ instituebant, ac ad altiora munia ecclesiastica formabant: Prælectionibus etiam Theologicis, non Auditorum & sui sæculi tantum, sed & posterorum eruditioni consulentes. Nulla certe illius ævi Schola Theologis, eruditione ac pietate insignioribus gaudebat.

Fuit *Robertus Baronius* vir perspicacissimi ingenii, qui singulari præditus facultate, obscuriora elucidandi, difficiliaque enodandi, difficultatis alicujus nodum ac facilem ipsius evolutionem expedite & acute perspiciebat. Ipse distinctos ac claros de rebus habens conceptus, eos methodica ac distincta expositione aliis intellectu faciles reddebat. In Theologia Scholastica versatissimus.

§. XLIII. *Catalogus scriptorum Baronii tum editorum, tum ineditorum.*

Præclarum illius ingenium ac eruditio elucent in paucis ipsius quæ edita sunt scriptis. Philosophica ad usum Theologiæ passim ab ipso accommodata, sunt, ipsius *Metaphysica generalis*, & *Philosophia Theologiæ ancillans*. Theologica impressa sunt, *Apologia pro Disputatione de formali Objecto fidei* & aliud *de Peccato mortali & veniali*. Priori ansam dedit Disputatio in lucem emissa Turnbulli cujusdam Jesuitæ contra disputationem quam ediderat de formali objecto fidei, *Baronius*, cum S.S. Theologiæ Doctor renunciatus est. De hac Diatriba siccecinit dictus Concivis *Johnstonus*:

En sacra Baronius movet & Turnbullius arma;
Pene sub Icariis natus uterque rotis.
Ambo Sacerdotes, divina Palladis ambo
Artibus, & calami dexteritate pares.
Hoc discrimen habes; magno molimine causam
Hic agit Ausonii Præsulis, ille Dei.

Variæ exstant Prælectiones Theologicæ Baronii manuscriptæ, quarum nullæ fere sunt absolutæ, quales sunt; *Disputationes Theologicæ de triplici hominis statu*: *Isagoge ad saniorem doctrinam de Prædestinatione & de Articulis annexis*, in qua variæ Quæstiones de scientia, voluntate, & providentia Dei agitantur & explicantur: *Tractatus de Antecedaneis seu Dispositionibus præviis ad Justificationem, deque vero discrimine Vocationis & Sanctificationis*: *Disputationes quædam Theologicæ*, Ia. *De Regula Fidei principali*. IIa. *De visibili & ordinario Controversiarum Judice*. IIIa. *De Monarchia, Supremaiu, & Judiciaria Infallibilitate Pontificis Romani*. IVa. *De Ecclesia Christi in terris militante*, in varios tractatus divisa, 1us *de distinctione Ecclesiæ in visibilem & invisibilem, & natura Ecclesiæ visibilis, & an subjectio ad Romanum Pontificem sit de essentia Ecclesiæ*. 2us *de distinctione Ecclesiæ in puram & impuram*. 3us *de Notis Ecclesiæ*. 4us *de perpetua Ecclesiæ duratione*. Tractatum hunc ultimum non absolvit.

Exstat etiam Tractatus cui titulus, *Septenarius Sacer de Principiis & Causis Fidei Catholicæ*, comprehendens, Septenarii numeri ambitu, ea quæ ut mysteria fidei credamus sicut oportet, prærequiri ac sufficere illi videbantur. Ea sunt, 1o. ut mysteria fidei, quæ rationis naturalis captum superant, a Deo extraordinariis suis servis revelentur, & per eos tanquam Internuncios & divinæ mentis Interpretes Ecclesiæ patefiant ac tradantur. IIo. ut Ecclesia instar Custodis & Depositarii veritates sibi creditas conservet & ad posteros transmittat. IIIo. ut Pastores legitime ad id vocati, veritates illas, singulis Ecclesiæ membris, credendas proponant. IV. Quia Pastores Ecclesiæ ex se infallibiles non sunt, & proinde Auditores suos decipere possunt obtrudendo eis errores suos pro veritatibus fidei, idcirco requiritur ut in Ecclesia exstet recta & infallibilis fidei regula, cui fides tum Pastorum, tum Laicorum, tanquam Exemplari conformanda sit. Vto. Quia in rebus supernaturalibus & ad

æternam salutem spectantibus, nulla regula acceptari potest ut recta & infallibilis, nisi constet Deum, qui prima veritas est & supernaturalium veritatum revelator, ejus authorem esse, atque adeo a Deo constitutam esse, ut ejus beneficio quot & quæ credenda sunt infallibiliter sciamus, ideo necesse est ut divinæ hujus regulæ authoritas eis, qui ad fidem vocantur, proponatur tanquam formale objectum, h. e. tanquam causa objectiva principalis, propter quam & ipsa regula & ea omnia quæ in ea continentur credenda sunt, & tanquam ultimus terminus, in quem fides nostra, tum de infallibilitate regulæ tum de veritate eorum quæ in ea credenda proponuntur formaliter & ultimo resolvatur. VIto. Quamvis certitudo supernaturalis fidei divinæ quam de veritate credendorum habere tenemur, non nitatur ratione naturali aut motivis humanis (qualia sunt miracula, consensus tot populorum, antiquitas doctrinæ, ejusque consonantia cum recta ratione), quamvis item hujusmodi motiva demonstrare nequeant dogmata fidei esse in se vera, aut regulam in qua continentur esse a Deo institutam & pro ipsius verbo habendam, quia tamen hujusmodi argumenta & motiva præparant & disponunt nos ad acceptandam fidei doctrinam, ostenduntque evidenter eam esse in se credibilem, & multo credibiliorem seu probabiliorem omnibus sectis oppositis, idcirco Pastores Ecclesiæ ea adducere debent ad suadendam credibilitatem eorum, quæ ipsi docent, tum de veritate credendorum, tum de divina authoritate ipsius Regulæ Fidei. Nam hujus Regulæ authoritas non minus inevidens & obscura est rationi, quam eorum dogmatum veritas quæ in ea credenda proponuntur. VII. His omnibus positis & intellectui humano sufficienter propositis, is adhuc manet prorsus ineptus ad præbendum assensum mysteriis fidei, nisi divinitus illuminetur & supernaturalem vim acquirat qua assentiri possit. Cum enim & objectum assensus fidei sit supernaturale, & motivum etiam sit supernaturale, videlicet, Dei revelantis authoritas, non minus impossibile est homini ex se seu sua natura credere, quam lapidi ex se & sine projicientis impulsu moveri sursum, quamobrem ad fidei actum in nobis producendum; necesse est ut Spiritus sanctus & habitus fidei cælitus infusus, aut (si is absit) gratia intellectualis intellectum illuminet & voluntatem efficaciter moveat, & ad assensum præbendum efficaciter inclinet. In hoc ergo opusculo, inquit, 1o. nobis agendum est de principali principio manifestativo credendorum, hoc est, de Deo revelante. 2o. de principio conservativo fidei, i. e. de Ecclesia. 3o. de principio proximo proponente fidem, videlicet de Ministris Ecclesiæ & legitima eorum ad id munus vocatione. 4o. de principio fidei directivo seu exemplari, h. e. de regula credendorum, quæ ex nostra sententia, est Symbolum Apostolicum, & Scriptura Sacra, ex qua Articuli Symboli oriuntur. 5o. de formali & specifico fidei principio, h. e. de Dei revelantis authoritate applicata ipsi Canoni fidei, & iis omnibus quæ in ipso continentur. 6o. de principiis dispositivis fidei, quæ in Scholis appellantur fidei motiva, & argumenta credibilitatis. 7o. denique de principiis fidei effectivis, i. e. de Deo & auxiliis Gratiæ tum habitualis tum actualis, quibus subordinatur liberum nostrum arbitrium. Verum horum pars prima tantum exstat, cætera desiderantur.

§. XLIV. *Ipsius sententia de universalitate mortis Christi.*

In hac parte tractat quæstionem, Num Deus velit omnes salvos fieri, numque Christus pro omnibus mortuus sit; refellitque audaciam eorum qui contrarium asserunt, ac docent Deum nullo modo velle eos salvos fieri, atque Christum ex intentione sua & Dei Patris, pro solis Electis, & nullo modo pro Reptobis, esse mortuum, mediaque ad salutem utilia iis communicari, ut reddantur ἀναπολόγητοι seu inexcusabiles; quæ eo sensu beneficii rationem non habere probat, ac proinde reprobos ob eam causam non posse accusari ingratitudinis, quam tamen Scriptura impiis diserte exprobrat; ac se rigidam hanc sententiam non posse amplecti ostendit, propter ea Scripturæ testimonia quibus Spiritus S. testatur Christum mortuum esse pro mundo, pro omnibus: propter ea testimonia quæ beneficium redemptionis omnibus & singulis ob oculos ponunt tanquam efficacissimum motivum seu incitamentum quo omnes & singuli adduci debeant ad pietatem & gratitudinem. 1. Cor. 6. 20. 1. Pet. 1. 17, 18. propter ea quæ fœdam ingratitudinem reprobris exprobrant ob spretum & neglectum illud redemptionis a Christo factæ beneficium. Heb. 6. 6. 10. 29. 2. Pet. 2. 1. Propter ea quæ ab omnibus, etiam a reprobis, exigunt fidem in Christum. Marc. 1. 15. 16. 16. Joh. 6. 29. quæque docent reprobos damnandos esse quia non crediderunt in Christum. Joh. 3. 18, 36. Quibus adjicit testimonia Patrum, qui frequenter docent Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, citans Greg. Nazianz. orat. 38. Ambrof. Lib. de Paradis. c. 8. ubi *dicit Christum mortuum esse pro omnibus, imo speciatim pro Juda proditore.* Item *Christum moriendo*

riendo pro proditore dedisse illustre documentum propositi sui de omnibus salvandis & redimendis. & sæpe alibi. Item Chrysostomum in 1. ad Tim. cap. 2. hom. Synesium Epist. 57. Augustinum etiam, Enarr. in Psal. 95. ubi dicit: *Tenebantur omnes homines captivi sub Diabolo, sed redempti sunt a captivitate; vendere enim se potuerunt, redimere non potuerunt. Venit Redemptor & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit terrarum orbem; quæritis quid emerit, videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est, tanti quid valet? quid nisi totus Orbis.* Licet fateatur *Baronius* Augustinum multis in locis in contrariam sententiam propendere videri. S. Prosperum etiam adducit aperte tuentem Universalitatem mortis Christi, & Theophylactum. Eandem etiam ipse tuetur, asserens Christum ex suo & Dei Patris sui consilio pro omnibus & singulis

§. XLIV. *Ipsius sententia de universalitate mortis Christi.*

hominibus mortuum esse, hoc fine, ut omnes omnino homines essent Deo reconciliabiles, & ut peccata omnium essent condonabilia in ipso seu propter ipsum, modo credant Evangelio & pœnitentiam agant. Idque probat tum ex Scripturæ testimoniis supra allatis, tum ex concessione omnium Theologorum, etiam contra sentientium, quod quorumlibet hominum peccata sint condonabilia, seu a Deo, salvâ suâ Justitiâ Vindicativa, condonari possint, quodque nulli mortalium sit justa causa desperandi ob peccatorum suorum magnitudinem, & si quis hoc negaret, apertissimis Scripturæ testimoniis refelli posset. Is. 1. 18. Matth. 12. 31. Quærit igitur, cui hoc beneficium acceptum ferendum sit, quod peccata hominum, non vero Dæmonum, remissibilia sunt sub conditione fidei & pœnitentiæ, seu quod nobis & non illis pateat aditus ad misericordiam Dei per fidem? Eandem veritatem agnitam fuisse ostendit a multis Orthodoxis. Adducit Theologos magnæ Britanniæ in judicio suo de 2do Remonstrantium articulo, Matth. Martinum Theologum Bremensem & quosdam alios Synodi Dordracenæ patres, quorum judicia publice in Synodo lecta sunt & approbata, tanquam immunia ab omni labe Pelagianismi & & Arminianismi, nihilque publice a Synodo contra hanc doctrinam definitum est, licet plerique in contrariam abiere sententiam.

Hujus rei mentionem feci, tum quod hinc orta sit disputatio de Universalitate mortis Christi inter *Baronium & Samuelem Rhetorfortem* Theologum Scotum inter Presbyterianos satis celebrem, quæ adhuc manuscripta exstat; tum ut videant quam plane contra omnium Ecclesiarum praxim agant ii qui Presbyteros pios, probos, eruditos, Orthodoxos, ex hoc solo capite Officio abdicandos censent, quod in hoc de morte Christi articulo cum laudatis Patribus & Theologis consentiant; sicut nuper hanc ob causam exauctoratus est reverendus, pius & eruditus *Jacobus Gramius* Ecclesiæ Fermelodunensis Pastor a Synodo Provinciali Presbyteriana Fifæ, adeo ut ne vel *Joh. Camero* vel *Dallæus* clarissima quondam Ecclesiæ Reformatæ lumina in Ecclesia Scoticanâ hodierna Pastores suscipe-rentur.

§. XLV. *de Scientia media.*

Baronius in explicanda natura liberi arbitrii ostendit voluntatem humanam esse liberam non solum a coactione, sed & ab omni necessitate motiva vel impulsiva respectu Dei, ita ut Deus neque per æternum suum decretum, neque per temporalem motionem impofuerit nobis necessitatem hoc vel illo modo agendi, atque contrarium non posse affirmari absque manifesta impietate. Hinc in Isagoge ad saniorem doctrinam de Prædestinatione ostendit Decreta Dei permissiva de futuris hominum peccatis, non posse a nobis recte intelligi aut concipi, nisi scientiam quam vocant mediam seu conditionatam in Deo præsupponamus, qua Deus prius quam quidquam apud se statuerit de permissione hujus aut illius peccati, ab hoc aut illo homine in particulari committendi, prævidit istum hominem in tali rerum peristasi tentatum, si ab illo non impediretur, illud esse commissurum. Nam si in Deo esset absoluta & efficax voluntas de futuritione alicujus peccati, antequam ipse præsciret per scientiam mediam, quid voluntas nostra factura esset, si in tali rerum statu tentaretur; prima ratio aut causa cur illud peccatum futurum sit, esset Dei voluntas, & sic Deus (quod blasphemum est) peccati author esset. Dicit hoc incommodum illos nunquam vitare posse, qui negant Decreta Dei permissiva fundari in scientia ejus media. Præterea, juxta illum, ipsa natura permissionis importat præscientiam aliquam de futuritione rei quæ permittitur, nam permittere aliquid dicimur quando præscimus id fore, nisi aut a nobis ipsis, aut ab aliquo alio ejus futuritio impediatur, & tamen apud nos statuimus ejus futuritionem non impedire, quod nihil aliud est quam eam permittere. Putat ille prædefinitiones Dei circa actus quidem malos, fundari in præscientia hac conditionata; negabat vero prædefinitiones Dei circa actus bonos & ad æternam salutem utiles, ut v. g. circa actum conversionis nostræ, fundari in scientia hac conditionata. Nam ex nostra sententia (in-quit)

quit) Deus voluit me converti & ad salutem pervenire, non quia præscivit me vocationi suæ consensurum, si tali modo & in talibus circumstantiis ad salutem vocarer, sed quia & pro ineffabili sua bonitate, & speciali erga me misericordia & amore placuit dare mihi gratiam efficacem, h. e. ea motiva & auxilia quæ non quidem necessitant voluntatem humanam, sed iis positis infallibiliter sequitur voluntatis humanæ consensus. Quod ad corruptum hominis statum, asserit voluntatem hominis lapsi teneri necessitate motiva vel impulsiva, respectu naturalis & hæreditariæ illius corruptionis quæ a parentibus ad liberos propagatur; illa enim corruptio nos efficaciter impellit ad peccandum, quamprimum habemus usum rectæ rationis.

Forbesius noster *Irenici* recogniti parti primæ subjungit Epistolam a *Baronio* ad se scriptam quæ controversiæ statum distincte & breviter exponit, de actionum necessitate & indifferentia, quæ lectu digna est, & cum sit brevis, eam hic subjungam.

Epistola Reverendi ac Doctissimi Symmystæ ac Collegæ mei D. ROBERTI BARONII *SS. Theol. Doctoris & Professoris.*

De Actionum necessitate & indifferentiâ.

§. XLVI. *Baronii Epistola de actionum necessitate & indifferentia.* „ Actio aliqua potest dici duobus modis „ necessaria, videlicet vel necessitate absolutâ, obligante ad ipsum actum exercendum (quam Irenici lib. 1. cap. 13. § 7. „ vocas necessitatem ipsius actus signati, „ seu exercitii ipsius actus) vel necessitate „ hypothetica, quæ videlicet obligat non „ quidem ad ipsum actum exercendum; sed „ si exercendus sit, ad eum tali modo exercendum, videlicet ex fide, & in gloriam „ Dei. Hanc necessitatem fuse & docte explicas eodem §. docesque eam non repugnare illi indifferentiæ actionis de qua „ fratres quidam nobiscum litigant. Duobus enim modis potest actio aliqua individualis dici media seu adiaphora; „ 1°. quia neque bona est moraliter neque „ mala. 2°. quia neque necessario est exercenda, neque necessario omittenda. Priorem quidem ἀδιαφορίαν negas, cum Thoma, & ipsis illis fratribus. Alteram autem „ contra aliter sentientes, everso eorum „ argumento, tueris. Id quod jure optimo facis, sicut manifestum est ex ea indifferentia quæ datur in actibus etiam „ quoad speciem actus consideratis. Nam, „ nubere in Domino, & cœlibem vitam agere in Domino, si in sua generalitate „ accipiantur, non individuales, sed specifici actus, ut pote communes omnibus „ qui in Domino vel nubunt vel cœlibatum colunt: & tamen de his actibus specificis duo affirmo, 1. quod non sint medii, seu adiaphori, priori illo modo indifferentiæ, sunt enim boni moraliter & „ a Deo præcepti, non quoad exercitium „ ipsorum actuum nubendi & cœlibem vitam ducendi, sed quoad modum istos „ actus exercendi. 2. quod sint medii posteriori illo modo, quia huic & illi liberum est, vel nubere in Domino, vel cœlibem vivere in Domino, ut tu in fine „ istius §. doces, exemplo Semproniæ viduæ. Hinc in ea quæstione de Adiaphoria actuum, ad perficiendam communem illam distinctionem inter actus quoad speciem, & quoad individuum, addenda omnino videtur altera „ illa distinctio, inter actus consideratos „ quoad nudum exercitium actus, & quoad „ modum eos exercendi. Nam τὸ nubere, „ sive in specie, sive in individuo acceptum, si per se & quoad nudum exercitium actus consideretur, est adiaphoron „ & priori & posteriori modo: nam me ducere hanc mulierem in uxorem (quod individualem actum importat) si per se & „ nude consideretur, sicut neque est mandatum a Deo neque prohibitum, ita neque bonum est moraliter neque malum: „ at si consideretur quoad modum illius faciendi, videlicet in Domino, tunc non est „ adiaphoron priori illo modo, sed posteriori tantum; nam nubere in Domino, „ sive in specie sive in individuo consideretur, est bonum moraliter, & sic non „ est priori modo adiaphoron: attamen „ neque a Deo absolute præcipitur, neque „ absolute prohibetur; sed tantum hypothetice præcipitur, ut videlicet si nubamus, in Domino nubamus, & sic est posteriori modo adiaphoron. Quia proximo „ nostro Colloquio Ὁμόνοια nostra pergrata „ tibi accidit, propterea hæc ad te scripsi, „ ut me eadem tecum de hac quæstione „ unanimiter sentire pro comperto haberes. Hactenus *Baronius*. Quod de eodicendum restat in quantum ipse & *Forbesius* in eadem quasi navi peregrinantes, iisdem turbinibus ac tempestatibus jactati „ fuerint, suo loco commodius dicetur.

§. XLVII. *Character Jac. Sibbaldi.* Tertius e *Forbesii* Symmystis fuit *Jacobus Sibbaldus*, Viri honesti ejusdem nominis, prædii cujusdam in Comitatu Merniæ Kear dicti, Domini, Filius, in Collegio Abredonensi Marischallano probe institutus, ibique aliquot annos Philosophiæ Professor, tandem A°. 1625. ad Pastoris officium in eadem urbe vocatus est, quo pie ac probe functus est in annum usque 1640. quo anno ab eo una cum Forbesio (ut postea dice-

cetur) submotus, & in Hiberniam profectus, ad idem Officium in civitate Dublinia vocatus est, in quo summo cum honore & integritate per decennium versatus est, usque dum pestilentia ibi grassante, in ægris visitandis & consolandis assidue pergens, ipse tandem eadem lue correptus, ex hac vitâ sublatus est. Vir apprime humilis, pius ac eruditus, in Officio assiduus, concionator gravis ac solidus, cujus quædam conciones post ipsius mortem in lucem editæ sunt. Exstat etiam Funebris concio inter Patricii Forbesii Episcopi Aberdnnensis Funebria impressa, ac ob quædam ibi dicta heterodoxias & hæreseos a Fœderatis Presbyterianis accusatus est, ut postea dicetur.

§. XLVIII. *D. Alexandri Rosse.* Baronio ac Sibbaldo Neo-Aberdoniæ conjunctus fuit D. *Alexander Rosse* Theol. Doctor, Vir nec ingenio nec eruditione contemnendus, cujus pater Jacobus Rosse ibidem eodem munere functus fuerat, quique adversus Fœderatorum, in Ecclesia & Regno, innovationes & turbas cum Symmystis scripta disputatione testatus est. Verum particularem ipsius characterem mihi scire non contigit.

§. XLIX. *D. Al. Scrogie.* Ea tempestate quidam *D. Al. Scrogie* S.T.D. Paleo-Aberdonensis Ecclesiæ fuit Pastor, ad id munus obeundum a Forbesio Episcopo e rurali Cura adductus. Vir prudentia insignis, eruditione haud contemnendus, cum Forbesio etiam a Fœderatis Presbyterianis ab Officio pulsus. Filius ipsius natu minor post restitutum regimen Episcopale ad sedem Episcopalem Argatheliensem fuit evectus.

§. L. *D. Gul. Leslai.* Verum inter Forbesii Collegas non omittendus est *D. Gul. Leslaus* S. T. D. ac Collegii Regii Aberdonensis Primarius, e Familia quadam Leslæorum Kininvie dicta, in Parochia Murthlacensi Episcopatus Aberdonensis olim sede oriundus. Omnem ingenii culturam e dicto Collegio hauserat, ubi primo Discipulus, postea Grammaticus, deinceps in Philosophia Regens, tum Subprincipalis, ac tandem Principalis, in omnibus spartam quam nactus fuerat ornavit. Vir egregie literatus, in linguis Orientalibus versatissimus, in Latina & Græca Poëta eximius, cujus varia in utraque scripta adhuc exstant poëmata. Eruditione politiori insignis, cui omnes Authores Classici probe noti ac familiares erant, in quos eruditas conscripsit notas ac emendationes, quæ, cum Vir eximius iniquitate temporum varie jactatus fuerit, interciderunt. Prælectiones habuit Theologicas antiquas quarum quædam exstant. Ut vero eruditionis ipsius politioris parvum exhibeam specimen, libet hic Fragmentum quoddam subjungere Nomenclaturæ Scriptorum Cassiodori quam pertexere cœperat; quod Fragmentum, post recensinnem eorum quæ Bellarminus de Cassiodori scriptis narrat in libr. de Scriptor. Ecclesiast. sic se habet:

Scriptorum Cassiodori accuratior Nomenclatura.

„ M. Aurelius Cassiodorus V. C. inter §. LI. *Leslai Fragmentum de M. A. Cassiodoro.*
„ Doctos sui temporis facile primus, & in
„ utrisque tum divinis rum sæcularibus li-
„ teris versatissimus, vitæ civilis & mun-
„ danæ pertæsus, quum vanis honoribus
„ & dignitatibus renuntiasset, quietam &
„ religiosam amplexus est vitam, Deoque
„ se totum ex animo consecravit. In utro-
„ que vitæ instituto, multa sane pro sæ-
„ culo illo Gothica barbarie obruto & se-
„ pulto, erudita ingenii excellentis mo-
„ numenta scriptis mandavit, quorum non
„ exigua pars vetustatis & temporis inju-
„ ria intercidit. Quæ tamen adhuc super-
„ sunt integra, omni profecto diligenti
„ lectione digna sunt, utcunque stylus
„ non satis probetur, barbari sæculi vitio
„ impolitior. Porro quum operum Cassio-
„ dori in utroque genere literarum titulos
„ & nomina tum alii minus accurate re-
„ censeant, tum etiam Joh. Trithemius
„ Abbas in Opere de Scriptoribus Eccle-
„ siasticis, non abs re facturi videmur, si
„ omnium illius Viri scriptorum, tam ex-
„ stantium, quam non exstantium, accu-
„ ratiorem paulo Catalogum pertexamus.
„ Itaque pro duplici vitæ genere, Opera
„ ejus duûm sunt generum, alia humana
„ seu politica, alia sacra seu Ecclesiastica.
„ Sic enim discriminis gratia licet appel-
„ lare. Primum ergo dum in Romana Re-
„ publica versaretur, ad varias dignitates
„ & honores provectus est, sub Theodo-
„ rico, Athalarico, Vitige, Gothorum
„ & Italiæ Regibus, a quibus, propter
„ insignem eruditionem, raram & con-
„ stantem fidem, aliasque plurimas virtu-
„ tes eximias, factus est Senator, Consul,
„ Exquæstor sacri Palatii, Exconsul or-
„ dinarius, Exmagister Officiorum, Co-
„ mes, Præfectus Prætorio, Patricius, &c:
„ quibus Officiis dum fungeretur, non
„ pauca egregia scripta edidit. Sed hæc
„ præcipua: *I. De Gothorum Historia, lib.*
„ 12. quorum meminit ipse in Præfat.
„ Var. lib. 1. ubi sic eum amici alloquun-
„ tur: *Duodecim libris Gothorum Historiam*
„ *defloratis prosperitatibus condidisti. Cum tibi,*
„ *in illis fuerit secundus eventus, quid ambi-*
„ *gis & hæc publico dare, qui jam cognosceris*
„ *dicendi tyrocinia posuisse &c.* Ex quibus ap-
„ paret scriptum illud, primâ licet fætura

„ editum, maximo tamen omnium, præcipue Gothorum, applausu & favore exceptum esse. Videtur autem Cassiodorus nil prius in lucem edidisse, quamvis frequenter *ad commendationem Universitatis Reginis ac Regibus* (Gothorum intellige), *Laudes dixerit*, ut ibidem ait; & clare testatur Athalaricus Gothorum Rex Var. l. 9. Epist. 25. *Aures dominantium luculenta sæpe prædicatione complevit.* & mox, *purpuratas auditori suo fecerat laudes.* &, *Oratione placabili permulcet Regiam summitatem, Patrem quoque Clementiæ nostræ in ipsa Curia libertatis qua disertitudine devotus asseruit? Recolitis quemadmodum facta ejus Orator nobis excolebat, &c.* postea, *ut Dominos inferetur laudare superstites &c.* Sed an Panegyricas seu Proœmiales illas Orationes publicarit incertum est. Prima ergo prodiit *Gothorum Historia*, quam luculenter deprædicat idem Athalaricus, eadem Epist. 25. lib. 9. in hæc verba: *Tetendit se etiam in antiquam prosapiam nostram, lectione discens quod vix majorum cana notitia retinebat. Iste Reges Gothorum longa oblivione celatos latibulo vetustatis eduxit. Iste Amatos cum generis sui claritate restituit, evidenter ostendens in decimam septimam progeniem, stirpem nos habere regalem. Originem Gothicam nostram fecis esse Romanam, colligens quasi in unam coronam germen floridum, quod per librorum campos passim fuerat ante dispersum. Perpendite quantum vos in nostrâ laude dilexerit, qui vestri principis nationem docuit ob antiquitatem mirabilem, &c.* Hujus tam pulchri & eximii operis, in quo de regni Gothicæ gentis antiquitate, prosapia & gestis, luculenter disseruit Cassiodorus, jacturam & interitum acceptum referimus Jordano seu Jornandi Episcopo Ravennati, qui duodecim illos libros Cassiodori Senatoris de Historia Gothica in brevem Epitomen contraxit, adjectis nonnullis ex Græcorum & Latinorum historia vetere, ac Compendium illud Castalio inscripsit, ut satis liquet ex epigraphe & præfatione. Inscriptio seu epigraphe sic habet: *Chronica Jordani Episcopi Ravennatis civitatis, de origine ac vocabulis gentis Gothorum, data ad Castalium, sumptaque ex Authoribus Senatore, Ablabio, Prisco, Josyppo, Lucano, Pomponio, Dione, Pompejo Trogo, Virgilio, Dicineo, Comosaco, Sanculxe, Zeuta, Dexippo, Libio Titio, Orosio Paulo, Symmacho, Strabone, Cornelio, Claudio Tholomeo*; ubi nescio quam recte inscribatur hic libellus, *Chronica.* Videntur sane indocti & Universitatum librarii, hunc titulum præfixisse, eo quod in ipsa præfatione mentionem facit Jordanus, *Chronicorum.* Sed præfationem legentibus perspicuum est diversa esse Chronica ab hac Epitome. Verba ejus sunt: *In altum frater Castali laxare vela compellis, relictoque opusculo quod intra manus habeo, id est, * Abbreviatione Chronicorum, suades ut nostris verbis duodecim Senatoris volumina de origine actibusque Getarum hoc parvo libello coartem &c.*

* De Breviatione.

Ait diserte Jordanus habuisse se præ manibus opusculum, videlicet Abbreviationem Chronicorum, suadente tamen Castalio, opus illud reliquisse aut ad tempus seposuisse, ut 12. Cassiodori libros de Historia Gothica in compendium cogeret. Puto autem Jordani Chronica brevem ac summariam annorum temporumque seriem ac supputationem complexa esse. Nisi forte etiam Epitomen illam Historiæ Gothicæ Chronicorum titulo indigitavit, quod mihi sane non fit verisimile. Nam Chronicorum scriptio omne omnium gentium ævum complectitur, unde ab Annalibus distinguuntur, qui proprie unius tantum nationis gesta continent, ut videre est in Taciti & aliorum Annalibus. Quare si Chronica omne ævum ab ultima antiquitate complectantur, non potest Jordanus, nisi dure admodum, solius Gothicæ Historiæ brevem Epitomen Chronicorum titulo insignire. Sed non videtur ille verborum proprietatem magnopere attendere, quippe qui barbaro & Gothico illo sæculo, ipse Gothus, vixerit; ut nec ejus æqualis & σύγχρονος Cassiodorus, qui Fastos seu Catalogum Consulum Romanorum *Chronica* etiam inscribere voluit. Quanquam sane fatendum est titulum illum operi Cassiodorano magis competere, cum non modo Regum, Consulum, & Imperatorum Romanorum, sed aliarum quoque gentium gesta & tempora, ab initio usque mundi, breviter & strictim in eo annotaverit. Præterea in eadem Jornandi Epigraphe non placet quod vulgo legitur *de origine ac vocabulis gentis Gothorum.* Neque enim tantum de origine & vocabulis, sed etiam de gestis, & maxime quidem tractat. Quare restituendam puto inscriptionem ex præfatione, in qua legimus, *de origine actibusque Getarum* (sic enim rectius quam de origine actuque) aut saltem ita plenius legendum, *de origine, vocabulis & actibus Getarum seu Gothorum.* Porro Getas & Gothos eosdem esse jam pridem monuerunt docti, ut supervacaneum sit de vocibus istis aliquid hic annotare. *Senatoris* autem nomine *Cassiodorum* intelligit, qui κατ' ἐξοχὴν *Senator* dictus est, ut liquet ex lib. Var. quomodo

„ &

„ & Beda Sacerdos appellatus. In eadem Epigraphe pro *Josyppo*, reponendum *Josepho*, aut *Josippo* saltem. Græce quidem est Ἰώσηπος, & Ἰώσηππος. Item pro *Libio Titio*, aut ego fallor, aut rescribendum, *Tito Livio*; vel *Livio*, *Titio*. Nam *Titii* cujusdam Poëtæ æqualis sui meminit Horat. in Epistol. l. 2. Denique pro *Tholomeo*, legendum, *Cl. Ptolomeo*, ut cuivis manifestum est. Cæterum in Jordani præfatione, pro *piscorum* rescripserim *priscorum*. Errori ansam præbuit vox similis quæ sequitur, *pisciculos*. Sic ergo pro tam magno & eximio opere Cassiodori de Hist. Gothorum habemus exiguam eamque satis corruptam Epitomen a Jornando Episcopo Ravennate collectam. Hactenus Leslei Fragmentum de scriptis Cassiodori.

§. LIII. Summa inter Forbesium & Collegas concordia.

Verum ut ad nostrum *Forbesium* redeamus, uti erat vir maxime humilis & charitate plenus, sic fratres nominatim ac Collegas in Domino dilexit, cumque omnes essent pacis amantes, summa fuit inter eos concordia & unanimitas, & licet omnes etiam in rebus Theologicis non idem sentirent, memores tamen consilii Apostolici: *Attamen in eo ad quod usque pervenimus, eadem incedamus regula, & idem sapiamus. Quod si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit*: sufferebant se invicem, nec opinionum diversitas fraternum inter eos extinxit amorem, aut rupit concordiam.

Forbesius Augustinianus, abhorrens a doctrina Prædestinationis ad malum.

Idem sentiebat Forbesius cum Augustino in Doctrina de Prædestinatione. Longe tamen abhorrebat ab eorum sententia qui dicunt Deum prædestinasse hominem ad malum, tanquam ab horrenda blasphemia, deque hac re suam sententiam exponit in verbis Ecclesiæ Lugdunensis (libr. de tribus Epistolis in causa Gotteschalci, in bibliothec. Patrum tom. 4. part. 2. col. 760. edit. 4.) ut videre est in Instr. Hist. Theol. l. 8. c. XIV. §. 4. &. 5. quæ ita se habent: " Quia bona opera ita sunt ipsius creaturæ, ut sint omnino principaliter & veraciter opera Creatoris, qui operatur in ea & velle & perficere pro bona voluntate; rectissime tanquam vere divina, id est divinitus inspirata & gesta & præscita & prædestinata debent intelligi. Mala vero opera ejusdem creaturæ, quia ipsius tantummodo sunt, ex ejus vitio, non ex Dei voluntate vel operatione procedunt, præscita a Deo dici possunt, prædestinata non possunt. Quia ita est ille certissime præscius omnium futurorum, & bonorum scilicet & malorum, ut nunquam esse possit prædestinator, sicut nec auctor malorum. Præscivit itaque Deus & prædestinavit rationalis creaturæ suæ omnia bona; sicut Apostolus dicit; nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, mala vero opera & mala merita ejusdem creaturæ præscivit tantummodo, non prædestinavit. Omnipotens Deus eadem præscientia & prædestinatione sua ita quosdam malos in sua iniquitate & impietate & præscivit perseveraturos, & ob hoc juste prædestinavit perituros, ut ex ipsa certa præscientia & justa prædestinatione sua nulli necessitatem imposuerit ut malus esset & aliud esse non posset. Hoc enim si fecisset, quod absit de ejus bonitate sentire! ipse esset utique auctor malorum, quæ suæ potestatis violentia fieri compulisset. Quod quam horrendæ blasphemiæ sit dicere vel cogitare, omnis pius & fidelis intelligit. Suo ergo vitio impii & iniqui in malis suis perseverant, non aliquo Dei præjudicio qui quotidie omnes ad pœnitentiam vocat & ad salutem invitat, & conversis ad se misericordiæ suæ sinum pandit, & incessanter declinari a malis & fieri bona hortatur & admonet. -:- Non ergo ille tantæ bonitatis & pietatis Pater quemquam impellit aut compellit ad malum opus agendum, vel in malo opere permanendum, tamen vere constringit & compellit judicio in malis perseverantes ad justum supplicium luendum. Et ibi ergo bonus, quia neminem vult malum esse; & hic justus, quia nullum iniquum & impium permittit impunitum esse: husquam autem malus, quia malorum tantummodo ultor, nunquam auctor existit. ——— Igitur Omnipotens Deus præscientia sua erga Reprobos prævidit quod verum est, eos scilicet non suo impulsu, sed proprio vitio in impietatibus perseveraturos: prædestinatione sua statuit & decrevit quod justum est; eosdem videlicet æterno supplicio perituros.

Baronius haud aliter sentiebat, dicens mala opera creaturæ præscita fuisse, non prædestinata, ac proinde asserens in Deo dari scientiam ut vocant mediam seu conditionatam. *Cameroni* etiam & aliis assentiebat quoad universalitatem mortis Christi. Gul. Forbesius in multis aliis a Collegis diverse sentiebat. Verum hæc sententiarum varietas concordiam & amorem fraternum non minuit, cum probe nossent, non minus impossibile esse in hoc rerum statu ut omnes in omnibus idem sentiant, quam ut eadem oris lineamenta habeant.

§. LIV. Horum operâ utitur Episco-

Reverendus Episcopus *Forbesius*, de tot Eruditorum consortio, qui Officio ornamento fuere, lætus, eorum operâ & consilio

plis in Ecclesia & Academia. filio in regimine tum Ecclesiæ tum Universitatis libenter usus est; iisque ad ipsorum munia alacriter obeunda animos addidit; dignitates etiam Scholasticas (quæ in hac Academia obsoletæ, & præscriptione temporis fere emortuæ erant) ad pristinam vitam & vigorem revocari voluit; ac *Gul. Forbesio* Theologicæ Facultatis Decano designato, qui Theologiæ Doctor in Universitate Andreapolitana Ao. 1617. renuntiatus fuerat, hi omnes diversis temporibus pro suo quisque merito juxta Universitatis statuta ad Baccalaureatus & Doctoratus Gradus in Theologia promoti sunt, cumque iis ea de causa indignarentur Presbyteriani, *Joh. Forbesius in Irenico* suo, lib. 2. cap. xi. modeste ac strenue eorum convitia refellit, ac dignitates has in Academia licitas esse ostendit. In Universitate etiam aliquando Johanne Forbesio, nonnunquam alio ex eis, Rectore, cæterisque assessoribus, liberalium artium culturæ, virorum bene meritorum in loca vacua suffectioni, eorumque in muniis obeundis diligentiæ, vigilanter prospiciebant; adeo ut eo tempore eruditionis gloriâ multum floruerit Academia, unde viri digni in Ecclesiam transferebantur.

§. LV. *Suffragium dant pro pace inter omnes Ecclesias Reformatas colenda.* Sicut *Forbesius* cum Collegis mutuam colebat concordiam & charitatem, ita ipsorum singuli, utpote pacifici, pacem & concordiam inter omnes promovere studebant, simultates ac odia inter diversas Christianismi, ac etiam Reformatorum partes, imprimis inter *Lutheranos ac Calvinistas*, flagrantia, summopere dolebant; ac oblatam, fraternum suum erga Lutheranos, necnon pacis ac concordiæ vehementia desideria significandi; occasionem libenter arripiunt. *Johannes Duræus* Scotus, ut palam notum est, unionem hanc promovere magnopere laborans, eamque ob causam Angliam, Galliam, Germaniam, Sueciam, Daniam, tanquam Pacis Conciliator peragrans, ac undique ex utraque parte eruditorum vota ac judicia, de pace ac unione colenda, non obstante in rebus quibusdam sententiarum diversitate, diligenter conquirens, inter alios, Theologos Aberdonenses de hac re interpellat, id approbante Reverendissimo Archiepiscopo Spotswodo, Ecclesiæ Scoticanæ Primate, qui de eodem subjecto ad eos scripsit. Data hac occasione, reverendi Theologi Aberdonenses in erudita ac Christianâ ad Primatem Spotswodum Epistola, ab Auctore in Instruct. histor. Theol. lib. xiv. c. 7. inserta, quid de hac re sentiant candide & amanter dicunt. Differentiam supponunt inter consensionem & concordiam; cum hæc charitate, pace & sacrorum communione constet, illa opinionum consonantia; quæ in omnibus optanda potius quam speranda in hac vita, in qua ex parte tantum cognoscimus, & ex parte prophetamus. Attamen etiam cum imperfectâ judiciorum consensione, vera potest esse concordia. Quænam autem sit illa dissensio quæ Christianam societatem non excludit, ex ipsis Lutheranorum scriptis ostendunt, nempe quod dissensio alia sit fundamentalis in ipsa fide, alia minus principalis circa fidem, quæ posterior fraternitatem spiritualem non rumpit. Error in religione fundamentalis, juxta eos, est, qui Catholicæ & salvificæ fidei articulo alicui fundamentali & primario, in aliquo doctrinæ capite, universis & singulis adultis, jam inde a promulgato per Apostolos Evangelio, ad salutem æternam consequendam cognitu creditque necessario, directe & immediate repugnat. Necessariam hanc doctrinæ fundamentalis cognitionem intelligunt non perfectam, neque in omnibus æqualem, sed talem ac tantam quæ quoad doctrinæ substantiam fundamentum teneat. Neque angustior nobis est salutis via quam fuit olim primitivis Ecclesiæ Christianæ sæculis. Nulla enim post Apostolos Ecclesiarum decreta efficere possunt, ut aliquid posteris evadat fundamentale, quod prius non fuit. Jugum a Christo ipso facile est impositum, nec fas est hominibus illud sua morositate asperare. Distinguendum monent inter primaria Christianæ doctrinæ capita, & secundarias circa ea quæstiones, quæ absque salutis dispendio non solum nesciuntur, sed etiam negantur, dummodo fundamentum teneatur & funestum schismatis malum vitetur. Cumque error practicus fundamentalis, errore theoretico vel practico non fundamentali deterior sit, ostendunt longe deteriorem esse conditionem illius Ecclesiæ, quæ aureæ suæ superædificationis splendore ita inflatur, ut charitate neglecta, æquanimitate deposita, calcatâ Christi lege, vicinas Christi Ecclesias in fundamento orthodoxas, & pacem cum ea colere volentes, propter quasdam falsarum opinionum fundamento superædificatas stipulas, fastuose contemnat, hæreseos insimulet, fastidiose rejiciat, &c. quam illarum Ecclesiarum, quæ fundamentum retinentes, licet scientiâ inferiores & in fide infirmæ sint, charitate tamen invictâ pollent. Consensum in fidei Catholicæ & salvificæ fundamento definiunt (ut & ipsi Lutherani) consensum revera in iis Doctrinæ Christianæ capitibus quæ universis & singulis fidelibus ad salutem æternam in Christo consequendam scitu creditque sunt necessaria, & absque quorum fide

fide nemo servabitur. Inter quos hujusmodi est consensus, quamvis in secundariis dissentiant, agnoscunt Lutherani eos debere colere inter se pacem Ecclesiasticam. Ostendunt Theologi Abredonenses talem esse consensum inter Lutheranos aliasque Evangelicas Ecclesias: Idque tametsi illi ἄγαν Φορτικῶς inficiantur, ipsis tamen a feralis illius certaminis tumultu longe dissitis, utriusque partis doctrinam & argumenta, sedulo & sincere, in conspectu Dei perpendentibus persuasissimum esse: Nec aliter legitimam sive Ecclesiæ universalis, sive omnium Reformatarum Ecclesiarum Synodum pronuntiaturam. Deinde ad retinendum in Doctrina de Cœna Dominica fundamentum abunde sufficere ea de quibus inter Lutheranos aliasque Evangelicas Ecclesias convenit, de hac re confessiones 31. recensentes. Inque iis recensendis non eam ipsis mentem esse dicunt, ut omnia illa in quibus consentiunt pro fundamentalibus Doctrinæ Christianæ capitibus habeantur: sed id solum ipsis propositum fuisse, ut omnibus æquis judicibus manifestum fieret, posse hominem Christianum ea sola tenentem de hoc sacramento, de quibus inter omnes Evangelicas Ecclesias convenit, digne & fructuose ad mensam Domini accedere: quamvis quæcunque aliæ circa hoc mysterium quæstiones agitantur, aut assertiones proponuntur, de corporali præsentia & manducatione vel nesciat vel non credat. Dicunt omnes Ecclesias Evangelicas docere, non fictitiam aut umbratilem, fallacem aut imaginariam, sed veram substantialemque corporis ac sanguinis Domini communicationem, sub sacris symbolis fidelibus exhiberi: neque imaginatione duntaxat aut intelligentia corpus & sanguinem Christi percipere fideles convivas, sed reipsa eo frui in alimentum vitæ æternæ. (Calvin. lib. 4. Instit. cap. 17. §. 19.) Spiritualem vitam incomprehensibili spiritus virtute ex carnis Christi substantia in nos diffundi. Substantialiter pasci Christi carne & sanguine (Calvin. lib. de vera participatione carnis & sanguinis Christi in sacra cœna §. Venio nunc ad Gallum) Et hanc esse communem harum Ecclesiarum doctrinam, e publicis ipsarum Confessionibus ostendunt. Adeo ut de reali & vera ac substantiali manducatione & præsentia non sit inter eos realis, sed tantum nominalis controversia. Cum concordiam licitam ac necessariam esse, non obstante dissensione in quibusdam de Eucharistia, prolixe satis ostendissent, pauca tantum de reliquis controversiis subjiciunt. Ac de Prædestinatione & gratia & libero arbitrio, aliisque ad eam controversiam spectantibus quæstionibus, si post S. Scripturas, judicio Conciliorum Africanorum & Gallicanorum, in quibus hæresis Pelagiana ejusque reliquiæ olim abdicatæ sunt; & Augustini, Prosperi, ac Fulgentii, eisque consentientium Rom. illorum Pontificum, qui Augustini ejusque discipulorum sæculo floruerunt, & Augustinum sequuti beati Lutheri; si horum omnium judicio & consensui stetur, exsors, inquiunt, erit Ecclesia erroris fundamentalis. Dicunt se scire Lutheranis quibusdam Doctoribus improbari quædam de hoc argumento capita Doctrinæ Augustinianæ, & ipsum quoque Lutherum videri duriuscule quædam loquutum: fruantur, inquiunt, illi per nos suo judicio, dummodo Augustinum & Lutherum, aliosque illis consentientes Christianos ab errore fundamentali immunes esse fateantur; & tranquille ac pacifice moderentur quod sentiunt.

§. LVI. *Duræus ad eos Responsa de Confessione fundamentali Fidei a non fundamentalibus distinctorum; quæ maximi momenti esset ad pacem promovendam.*

Duræus post redditum illi Holmiæ Suecorum, hoc scriptum, ad Forbesium rescribens, quam gratum illi fuerit ostendit, quamque opportune oblatum, dum haberetur in eo loco Cleri Conventus, ac illius concordiæ procurandæ institutum, jussu supremi Magistratus, publico colloquio ventilatum fuerit; ubi post amicam collationem nil deesse videretur, præter confessionem fundamentalem Fidei, ex qua salutaris partium in capitibus hactenus controversis consensio elucesceret, seque illud scriptum Rev. Archiep. S. Andreani & Facultatis Theologicæ nomine eis perpendendum obtulisse. Dicit discordiarum in rebus fidei, sive Theologicæ scientiæ, incommoda vix unquam tolli posse, nisi fundamentalia a non fundamentalibus, si non exacte, saltem aliquo modo, evidenter distinguantur. Protestantes in disputationibus suis adversus Rom. Ecclesiam, solent semper loqui de distinctione inter fundamentalia & non fundamentalia, licet horum legitimæ distinctioni ab eis non satis prospectum sit. Ecclesia Romana fidem Catholicam suæ infallibilitati superædificans, id omne pro fundamentali ac creditu necessario vult haberi, quod ipsa inter fidei articulos collocavit. Protestantes etiam Fidei suæ Confessiones in plurimos articulos ultra primitiva Symbola extendentes, atque explicitam de iis fidem postulantes, adversus unitatem & concordiam Christianam pessulum januæ obdunt. Ventura sæcula insaniam hujus perspicient.

§. LVII. *Transitio ad ærumnosiorem*

Nunc accedo ad ærumnosiorem vitæ Forbesianæ scenam, cumque hæc mala ex horrendis & intestinis Regni & Ecclesiæ mo-

Forbesii vitæ partem. motibus orta sint, de ipsorum origine quædam obiter dicenda sunt. In Scotia, Religionis Reformatione factâ A°. 1560. Ministri una cum Dominis Congregationis (sic Reformatores in Scotia appellati sunt) Ecclesiastici regiminis fundamenta in mediocri Pastorum inæqualitate posuere, quibusdam curâ Parochiarum demandatâ; aliis vero universæ etiam alicui regni Provinciæ præfectis. Hi *Superintendentes* vocabantur, Officium ad vitam tenuere, eorumque potestas Episcopalis fuit; sacros nempe Ordines conferre, Synodis præsidere, Provinciæ Ecclesias visitare, Ministros indignos a munere submovere, censuras Ecclesiæ dirigere. In hunc modum gubernata est Ecclesia Reformata Scoticana in ipsius infantiâ, cum harmoniâ inter Ecclesiasticos bene libratâ, populique approbatione, non obstante turbido regni statu qui eo tempore inciderat. Posthæc A°. 1571. propositum fuit in Synodo Nationali, ut, Superintendentibus jam senio confectis, suis sumptibus Ecclesiæ ministrantibus, quod oous alii, iis defunctis, non susciperent, Comitia regni interpellarentur ad determinatum regimen Ecclesiasticum stabiliendum. Dictum, factum; ac in Delegatorum utriusque status, civilis scilicet & Ecclesiastici consessu conventum est, ut Ecclesiæ regimen fit per Archiepiscopos & Episcopos, atque ita instituti sunt Episcopi cum eadem potestate quam habebant Superintendentes, uno alterius Provinciam non invadente. Quidam Genevæ instituti (quorum præcipuus fuit D. Andr. Melvil) domum reversi A°. 1575. ac disciplinæ Genevensi addictissimi, eandem in Scotiam introducere viis & modis conantes, id tandem perfecerunt, ac in Synodo Nationali Taoduni A°. 1580. regimen Episcopale, tanquam nullo verbi divini innixum fundamento, damnatum est.

Status Ecclesiæ in Scotia post Reformationem. Primum Superintendentia & Episcopatus.

Postea Presbyteriana paritas.

§. LVIII. *Quæ Regi Jacobo molesta evasit.*

Presbyteriana paritas in Scotia jam stabilita Regi *Jacobo sexto* in regni civili administratione magnopere evasit molesta. Nil in aulâ vel Senatu factum quod pulpita non resonarent. Si quis Romanæ religioni favens in aliquâ apud Regem gratiâ foret, statim suspiciones animis populi ingerebantur Religionem in præsenti periculo versari. Si quis apud Regem gratiâ aliqua valeret qui ipsis non foret addictus, in illum ut Pontificiæ religionis fautorem acerbe invehebantur, doctrinas Ecclesiæ ipsis maxime exosæ adoptarunt, seque foro judiciario regio, licet Majestatis læsæ postulatos, ob verba e suggestu prolata, obnoxios non esse asserentes, nisi lite coram foro Ecclesiastico prius intentata, ubi sententiam haud gravem fore certo sciebant, ac proinde coram Rege ejusque sanctiore consilio in jus vocati, Judicem recusare, idque, interposita contestatione, significare solebant; cumque populares essent, vulgus omnia æstuanti religionis zelo ascribebat. Jacobus huic malo mederi satagens, ac prudentiorum præsidentiam pro remedio maxime congruo habens, Episcopale regimen restituendum curavit, quod tandem factum est in Synodo Nationali Glascuensi A°. 1610. ac in regni Comitiis lege stabilitum A°. 1612. omnibus Ecclesiæ Ministris obtemperantibus. Cumque jam omnis Britannia sub unius regis imperio esset, duorum Angliæ & Scotiæ regnorum in unum coalescentiam desiderans Jacobus, ipsorum in eodem uniformi cultu conjunctionem tanquam huic inservientem cupiebat; verum ministrorum ac populi genium probe sciens, caute pergit, suo tempore nil ulterius in Ecclesiasticis ritibus innovans, exceptis articulis quinque supradictis Perthensibus, & decreto Synodali pro Liturgia in usum Ecclesiæ Scoticanæ componendâ.

Qui Episcopatum restituit.

§. LIX. *Carolus cultus publici & Pastorum curam suscipit.*

Huic successit *Carolus* Filius, princeps vere pius, qui regiminis Episcopalis, Cleri, ac cultus publici, curam religiose suscepit. Reformationis tempore, eversis Abbatiis &c. Proceres ac alii, omnes fere reditus Ecclesiasticos sibi appropriarunt, ac minorenni Jacobo Rege, lege semel lata ut omnes Fundi Ecclesiastici patrimonio regio adjungerentur, hi appropriatores fundorum Ecclesiasticorum quos arripuerant ratificationem, atque reliquorum donationem sibi obtinuerunt, atque ita non solum populus & Clerus ex illorum pendebant arbitrio, verum & in decimis colligendis populum opprimebant, & ex iis, vilissima salaria Curionibus assignabant. Querimoniis ad Carolum delatis, omnia in damnum regni, Patre minorenni, facta revocavit, Curiâque resignationis decimarum aliorumque redituum Ecclesiasticorum erectâ, hæc ab Impropriatoribus justo pretio redemit, quo & populus a servitute liberatus, & liberaliori Cleri alimoniæ prospectum est. Id ægre ferebant Proceres, ac vindictæ opportunitatem præstolantes, sequentem arripiunt.

§. LX. *Liturgiam injungit.*

Rex religiosus cultum divinum publicum debita cum reverentia a subditis celebrandum cupiebat. Initio Reformationis, Liturgia Anglicanâ in Scotia usi sunt Reformatores, nam, memorante Buchanano, „ Scoti Anglorum auxiliis e servitute Gal„ lica liberati, religionis cultui & ritibus „ cum Anglis communibus subscripserunt. Postea Johannes Knoxius, cui ritus Genevenses, ubi institutus fuerat, magis arridebant,

ridebant, juxta horum formulas Liturgiam composuit, quæ plurimos annos in Scotia obtinuit. Tandem plurimi extemporaneam in omnibus precandi facultatem magis probantes, omnes statas precandi formulas abjecerunt. Jussu Caroli in usum Ecclesiæ Scoticanæ digesta fuit Liturgia ab Anglicana non multum discrepans, qua mandato regio omnes Ecclesiæ Ministri in cultu publico jubentur uti. Rex in divinis suis Meditationibus in lucem editis, de hac re inter alia hæc dicit: „ Quamvis, inquit, ut Ministri dona sua modeste & humiliter, etiam publice exerceant, ad excitandos & præsenti occasioni accommodandos suos & populi affectus, non aversarer; formam tamen omnia & singula Religionis officia administrandi, uniuscujusque Ministri arbitrio relinquendam esse, ea sic ipsorum infirmitatum sorti committendo, reclamante totius Christianismi praxi, haud existimo. Quin & demiror quosdam, ut audio, in omni Cultu, propriæ inventioni & donis adeo indulgere, ut Orationem Dominicam non solum intermiserint, sed penitus rejecerint & spreverint, cujus id maximum crimen, quod omnium quæ sunt in Ecclesia Christiana Liturgiarum authoritas sit & archetypum exemplar.

§. LXI. *Unde tumultus & Fœdus Nationale.* Liturgia hæc Edimburgi in Templo S. Ægidii (ubi eam primum legere auspicati sunt) fæcis populi strepitu & boatu sedilia & quæcunque obvia in Episcopum & Decanum vibrantis primum excepta est; deinde reboatu quorundam e Dynastis, Municipibus & Ministris undique Edinburgum confluentium, in novas Societates & Curias, virides mensas dictas, coëuntium, adversus edicta Regis clamitantium & contestantium, ac Episcopos ut innovationum authores invidiose criminantium. Fœdus tandem Nationale inire, ac eam ob causam Confessionem Fidei regnante Jacobo sexto contra Papismum factam postliminio revocare statuunt: quod Fœdus juxta formam ab iis conceptam continebat 1o. dictam Confessionem. 2o. Longam omnium Decretorum narrationem quibus a Regni Comitiis Religio Reformata rata habita est. 3o. Nuperarum novationum abjurationem, donec Synodus legitima sententiam suam de iis proferret: profitentes interim eas in dicta Confessione non minus formaliter damnari, quam si singulæ diserte in easdem expressæ fuissent. Et totum absolvitur cum juramento perseverandi in purioris hujusce Religionis professione, omnemque corruptelam, omnesque errores illi adversantes totis viribus oppugnandi, pro muneris ac status uniuscujusque conditione, ——— & omnibus viribus, quovis etiam bonorum & vitæ discrimine augustissimi Regis sui incolumitatem, & auctoritatem, in Religionis puritate, & Patriæ suæ libertate ac legibus asserendis & conservandis, propugnandi — inque hac causa mutuum auxilium adversus quoscumque adversarios invicem afferendi.

Artificium hoc quasi oraculum amplectuntur, ac 2. Mart. 1638. Conventione facta in Cœmeterio Franciscanorum, Fœdus istud Nationale omnium ordinum homines magno boatu & exultantia ineunt & chirographis suis consignant, hujusque exempla ad singulas Classes, Parochias, & Oppida, ut consignarentur transmissa sunt, quod ab omnium ordinum hominibus non sine magna pietatis specie factum est, impulsoribus solam Religionis puritatem ac conservationem prætexeotibus.

§. LXII. *Prima occasio Negativa Confessionis.* Confessionis hujus Negativæ prima occasio hæc fuit. *Jacobus* sextus, paucis vel nullis ipsius agnatis superstitibus, quendam *Esurium* Domioum de Aubigny patruelem suum e Gallia advocavit, qui cum esset formâ venustus & indole comis, brevi gradatim, primus Cubicularius, Cubiculariorum decurio, Leviniæ Comes, & Dux, factus, tum & Regi à Consiliis arcanis, & summâ apud illum gratiâ fuit. Quod illi magnam peperit invidiam: Cumque Religionem Romanam profiteretur, inimici ad Regem in Religione corrumpendum missum esse diffamabant, inque eum Ministri vehementer vociferabantur. Rex eum a Romana communione flectere quam maxime conatur, ac tandem Regis jussu Ministrum prudentem ac linguæ Gallicæ probe gnarum Dux in domum suam admittens, illiusque documentis aurem facilem præbens, ad Religionem Reformatam amplectendam adductus est. Remanentibus tamen populi & Ministrorum suspicionibus, id ex Papali dispensatione factum dicentium, Rex Capellano suo D. Craigio Confessionem hanc omnes Papismi corruptiones nominatim damnantem formare permittit, eamque primum suo, deinde Leviniæ Ducis, ac suæ Familiæ chirographis consignat. Id nihilominus nec factiosis Dynastis nec Ministris placuit, sed Regem in arce Ruthenia captivum detinentes, Ducem in exilium mittere cogunt, qui brevi post in ejusdem fidei Reformatæ professione Parisiis mortuus est, licet eandem abnegare a Romanis sacerdotibus multum sollicitatus fuerit.

Sed

§. LXIII. *Summa Moniti Pacifici Forbesiani de hoc Fœdere.*

Sed ut ad propositum revertar, Forbesius noster cum dolore præsagiens tam perturbatum rerum statum huic regno non minus funestum fore, quam nuper tale Religiosum Fœdus Galliæ fuisset (cujus Galliæ summus Minister callidus Cardinalis Richelius non sine ratione dicitur, clam Fœderis hujus Scoticani subdolus author ac promotor fuisse, in vindictam contra Carolum Regem ob auxilium Hugonotis ab eo infeliciter oblatum) popularibus suis Scotis Monitum dare pacificum inductus est, cujus cum unicum exemplum manuscriptum prodiisset, quædam verba duriora ægre ferebant Fœderati, ac si ipsos rebellionis, seditionis, contumaciæ, pervicaciæ, temeritatis, &c. accusasset (nam qui res propriis indigitabat nominibus, ab aliis odio habitus est). Idem Monitum, deletis cunctis vocabulis duris, in lucem edidit Forbesius mense Aprili 1638. ubi 1°. breviter enarrat historiam Confessionis Ecclesiæ Scoticanæ, & hujus etiam alterius Confessionis, quam Negativam vocat. Dicit Confessionem Fidei Ecclesiæ Scoticanæ in 25. Articulos distributæ, prout est in Syntagmate Confessionum, in Comitiis Regni ratam habitam fuisse A°. 1560. & rursus A°. 1567. pro doctrina super infallibili Dei verbo fundata. Et cum lege mandatum esset ut omnes Papismi suspecti juxta hanc formulam fidei suæ confessionem redderent, cumque compertum esset multos larvatos Papistas id fecisse, ut Religionem clam subverterent; idcirco D. Craigium Sacellanum Regium zelo seductores hosce detegendi servidum, *dictæ Confessioni* assentiendi formulam condidisse, per modum generalis confessionis veritatis ejusdem in omnibus, ac generalis detestationis omnium Religionum ac doctrinarum illi repugnantium, cum speciali detestatione plurimarum Papismi superstitionum ac errorum, diserte expressorum, ac solenni juramento perpetuæ perseverantiæ in doctrina & disciplina Ecclesiæ Reformatæ, ac in debita erga Regem fidelitate &c. Utque hæc formula apud alios facilius obtineret, adductum esse Regem, eandem suo chirographo approbare, itidemque edicere, ut omnes Ministri, sub pœna pecuniariâ expressâ, eandem confessionem a suis Parochis exigerent. Quod factum est decimo quarto regiæ ætatis & regni ipsius anno, duabus Synodis eodem anno eam approbantibus, quæ communiter appellata fuit *Regis Confessio*, utpote illius nomine edita, & *Negativa* cum circa errores damnandos præcipue versetur. Tunc pergit Forbesius ad perpendendam istius Confessionis Negativæ authoritatem tam civilem quam Ecclesiasticam quam tunc vel olim habuerit. Dicit talis scripti authoritatem vel divinam esse vel humanam; cum quatenus scriptum aliquod continet infallibilem Dei veritatem in S. Scripturis revelatam, id, vel veritas ibi proposita, dici possit authoritatem habere divinam: cum veritas nos obstringat, licet nulla authoritas humana superaddita sit. Hanc authoritatem ad solas Canonicas Scripturas absolute pertinere: ad quodvis aliud scriptum conditionaliter & restricte; nempe si & in quantum teneat veram S. Scripturæ doctrinam. Proinde talia scripta per S. Scripturam examinanda esse, eaque in tantum recipienda in quantum eandem proponant doctrinam; & rejicienda ac corrigenda, si illi repugnent; nullumque humanum mandatum, juramentum vel subscriptionem posse id Dei verbum, vel verum illius sensum efficere, quod ante tale mandatum, juramentum, &c. nec Dei verbum fuerat, nec verus illius sensus. Dicit humanam authoritatem esse vel privatam vel publicam, priorem pendere a fama, nomine & existimatione authoris, vel approbantium, propter ipsius eruditionem, pietatem, judicium, experientiam, eâque huic Confessioni nos non magis astringi, quam scriptis Ambrosii, Augustini, Lutheri, Calvini, &c. Singularem subscribentium obligationem se ipsos tantum obstringere; eorumque exemplum ab aliis eo usque solum imitandum, in quantum Dei verbum, ac præcepta de fide, Christiana libertate ac praxi, ibi tradita, maneant. Authoritatem humanam publicam, esse vel civilem, vel Ecclesiasticam. Utramque in rebus licitis, divinæ authoritati non repugnantibus, ab eâdem ita confirmari, ut ipsarum contemptus in divinam impingat. Easque igitur sic esse humanas, ut quodam sensu dici possint divinæ.

Quod ad authoritatem istius Confessionis attinet, dicit authoritatem supremam civilem in Scotia esse vel regiam vel legalem: eo quod leges publicæ sint leges regiæ, cum tamen Rex dare possit mandata, dispensationes vel commissiones, quæ a solo regio pendent arbitrio, neque rationem habent legum fixarum, in quibus tamen ei præstanda est obedientia; hinc istam distinctionem oriri & usui esse. Confessionem hanc vim legis nunquam habuisse, nullis Ordinum Regni Comitiis ratam habitam fuisse, quemadmodum fuit Confessio Nationalis positiva, ejusque authoritatem civilem fuisse tantum regalem, Regis scilicet mandatum, de quo postea. Autoritatem Ecclesiasticam illi a duabus Syno-

Synodis datam fuisse, eamque immediatam vel mediatam. Immediatam, fuisse ejusdem approbationem, qua profitebantur eam esse veram, Christianam ac piam Confessionem, cui omnes veri religionis Christianæ Professores assentiri debent. Hancque approbationem, utpote de rebus fidei & erroribus illi contrariis, quæ ex humana autoritate non pendent, divinam authoritatem quod ad doctrinam Confessionis ostendere conantem, hujus respectu omnes æqualiter obstringere Christianos, absolute vero nullos, cum scripta talia humana authoritatem divinam absolute non habeant. Synodalem vero approbationem, habere autoritatem existimationis, cum judicium Nationalis Synodi Ecclesiæ Scoticanæ in rebus substantialibus revereri teneamur. Hanc vero reverentiam Synodo potestatem non facere, id verum efficiendi, quod in se S. Scripturæ authoritate non est verum; vel id Scripturæ contrarium reddendi, quod & antea contrarium non fuit. Nosque hac authoritate non magis teneri in rebus hujus generis duabus illis assentiri Synodis, quam ulli Synodo alterius Ecclesiæ Reformatæ, vel antiquis orthodoxorum Patrum Conciliis. Authoritatem Ecclesiasticam mediatam ab hisce Synodis datam, fuisse decretum omnibus Ministris intra suos limites præcipiens, ut regio mandato, de hac Confessione, tempore statuto, sub pœnâ privationis Officii obedientiam præstarent. Nil dictum esse in eo decreto nisi cum respectu ad Regis mandatum, & pro illo tempore: nullam fieri mentionem perpetuitatis vel futuri temporis, vel immediatæ præceptionis ad exigendum a populo hanc Confessionem, eâ solâ exceptâ quæ a Rege ortum habuit: nullum itaque fuisse statutum Ecclesiasticum immediatum ad exigendum huic Confessioni subscriptiones, sed mediatum tantum interveniente Regis mandato: quo stante, permanere etiam vigorem statuti Synodici: cessante vero mandato, statutum Synodicum etiam tolli.

Mandatum vero hoc diu abhinc penitus sublatum fuisse, cum non esset perpetua lex, sed temporarium mandatum, a Rege minorenni datum, quod ipse maturâ ætate improbavit: idque patere ex Regis dicto in colloquio Hantoni Curia A°. 1603. cum Ecclesiæ Anglicanæ Episcopis aliisque Doctoribus, ubi Doctor quidam suggerens ut hæc propositio (Intentio Ministri non est de essentia Sacramenti) 39. articulis Ecclesiæ Anglicanæ adjungeretur, eo magis quod quidam in Anglia intentionem necessariam esse prædicassent: Regem propositum penitus improbasse, incommodum judicantem quamlibet positionem negativam inter articulos ponere, unde liber in magnum volumen cresceret ac Lectorem confunderet. Eumque hac occasione instantiam adduxisse D. Joh. Craigii in pari casu in Scotia, qui, inquit Rex, cum suis detestationibus, damnationibus, rudem populum ita conturbavit, ut hæc omnia intelligere non valentes, vel in Papismum relapsi sint, vel in inveterata ignorantia manserint. Imo, addit Rex, si ipse hujusmodi formulæ astringerer, oporteret ut fidei meæ Confessio non in mente sed in pugillaribus esset. Hinc patere Regem mandatum ab eo extortum de Confessione hac subscribenda improbasse. Utrumque mortuo mandatore expirare mandatum. Hanc itaque Confessionem nullâ tunc temporis authoritate publica munitam esse.

Pergit perpendere, num, tunc temporis Confessioni isti Negativæ authoritatem denuo tribuere, eique subscriptionem exigere, expediret; dicitque sibi videri id minime expedire, tum ob causas dictas in colloquio Curiæ Hantoni, tum ob quasdam haud parvi momenti ambiguitates ac difficultates. Ait, optime dictum esse, in Nationali nostra Confessione Art. 18. (qui in Actis Comitiorum impressis 19. est) obortâ controversiâ aliqua de vero sensu alicujus loci Scripturæ, vel de reformanda corruptione in Ecclesiam Dei introducta, nos, non quid alii antehac dixerint vel fecerint, sed quid S. Spiritus in Scripturis uniformiter loquatur, quidque ipse Christus dixerit, fierique præceperit, maxime respicere debere. Dicit id minime expedire videri, ut dum, in populo de veritatis principiis positivis instruendo occupari debemus, Hæreseos articulos incognitos doceamus: Insuper in dictæ Confessionis Negativæ expositionibus a fratribus quibusdam in libris impressis datis, Episcopale regimen, ac quinque articulos Perthenses damnari ut execrabiles & antichristianos, ac solum sessionis in sacra Communione gestum licitum esse affirmari: Quas doctrinas recipi non posse asserit, quin sanioris antiquitatis, ac plurimarum etiam Reformatarum Ecclesiarum doctrinam & praxin damnemus. Istud etiam de his rebus Fœdus ac juramentum minime convenire cum 20. Confessionis Nationalis articulo, negante posse Concilia generalia perpetuam aliquam statuere legem, quam ipse Deus antea non fecerat. Concludit quodcunque juramentum prout est licitum vel illicitum, Deo gratum vel offensivum, observandum esse vel non observandum. Herodem in S. Johannis Baptistæ decollatione, ut juramento staret, peccatum super peccatum addidisse; Da-

videm vero bene fecisse, parcendo Nabali, quem occidere juraverat, Deum benedicentem quod juramentum præstare prohibitus esset. Obnixe rogat Forbesius ne, ob diversas de ritibus & rebus œconomicis opiniones, se invicem acerbe & sine charitate judicent, pacis ac fraternitatis Christianæ vinculum rumpant, sed ut, ad quod pervenimus idem sapiamus, in eadem permaneamus regula, cum omni humilitate ac mansuetudine, cum patientia tolerantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Omnipotentem veritatis ac pacis Deum orans, ut oculos illuminet, ipsosque omnes, in ipsius veritatis cognitione, fidei unitate, charitatis & pacis vinculo, uniat in D. N. J. C. Atque sequens Augustini dictum subjungit Ep. 5. ad. Marcellinum. Non itaque verum est quod dicitur, semel recte factum, nullatenus esse mutandum. Mutata quæque temporis causa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat; ut cum ipsi dicant, recte non fieri si mutetur, contra veritas clamet, recte non fieri nisi mutetur. Quia utrumque tunc erit, si erit pro temporum varietate diversum.

Verum contra tam violentum torrentem brachium frustra dirigit Forbesius. Cum his qui oderant pacem erat pacificus: cum loquitur de pace, ipsi commoventur ad bellum. Quidam pacifico ipsius Monito turbulente respondent, inter alios unus, Victor Non-nemo a se agnominatus, cui Forbesius in Epistola ad amicum sic respondit.

EPISTOLA de NON-NEMINE.

Charissimo Fratri N. N.

Vidi, legi, oravi.

Ps. 109. 4. *Pro dilectione mea adversati sunt mihi: ego autem orabam.*

Charissime Frater,

§. LXIV. *Forbesii Responsio ad libellum famosum in eum scriptum.* Istud Victoris Non-neminis (ita enim se vocat) scriptum, viri pii, prudentes, intelligentes, debile, ineptum, ac responso haud dignum pronuntiant: cum moniti mei narrationem historicam, qua prætensa Confessionis Negativæ autoritas obligans infringitur, sicco pede transierit, ut & quasdam etiam ex rationibus, quibus ratificationem ejus hoc tempore minime expedire probatur, una cum nonnullis, novarum dictæ Confessionis interpretationum, quæ ibi adducuntur instantiis, & argumentis meis inde petitis, quibus foveam detexi, quam non per modum libelli, sed amici consilii, charis meis popularibus exposui, ut in eandem incaute a perniciosis ductoribus illectos eriperem, aliosque a tali laqueo servarem: responsiones etiam quas aliquibus moniti locis dare nititur, tam languidæ sunt, ut exinde Lectores sagaces in agnoscenda veritate eorum quæ scripseram magis confirmentur. Quod ad insana ipsius attinet convitia, indecoras jactationes, fabulas ineptas, vanas & iniquas recriminationes, sacrilegam aliorum cogitationes & conscientias judicandi arrogantiam, ista Theologum ac gravem disputatorem tam minime decent, iniquitate, falsitate ac ineptia adeo plena sunt, ut commodum illi sit nomen celasse proprium, fictum solum assumendo, quod ad indolem ipsius jactantem & vagam, lectori indicandam, non ineptum esse agnosco. Comparatio quam instituit inter Confessionis Negativæ & Symboli nostri Apostolici articulos, est & rudis & inepta. Nemini sunt æque faciles, neque omnino æqualis sunt momenti & necessitatis, imo isti quibusdam sunt incommodi, hi vero omnibus cognitu necessarii. Nimis etiam arrogans est & iniquus certe, dum Regi ac Regni Ordinibus in Parlamento conventis restitutum Episcopale regimen ac quinque articulos Perthenses exprobrat. Juramentum in promotionibus Academicis datum solam religionem Reformatam spectat, legibus publicis confirmatam, & verbi divini autoritate fulcitam, cum generali omnium dogmatum ac hæreseon illi repugnantium, sive veterum, sive recentium, abrenuntiatione, nullo ad Confessionem Negativam respectu habito. Lectori credulo imponit, statum quæstionis mutando, dum asserit, nulla solida eruditione, aut sana antiquitate probari posse, quod discrepantia & dissensio in ritibus Ecclesiam aliquam reddat schismaticam; nam quæstio non est, de mera discrepantia in praxi in rebus adiaphoris, sed quum particularis aliqua Ecclesia hanc tenet doctrinam, nempe, quod eadem, quam ipsa habet in his rebus, praxis sit universaliter necessaria, diversam ab aliis Ecclesiis orthodoxis observatam praxin præcise damnans, nulli dubium esto quin talis Ecclesia sit schismatica, atque ejusmodi innovationes nostram talem facerent. Vid. Irenic. lib. 2. c. 5, 6, & 7. & cap. 21. prop. 3. Ad anniversariam commemorationem nativitatis &c. nil respondit. Quod ad administrationem Sacramenti clinicis in locis privatis, catecheticam institutionem & benedictionem puerorum; hæc non sunt pure adiaphora; eorumque pertinax damnatio, ac si execranda & antichristiana essent, erronea est ac hæretica. Illorum praxis sedendi in Eucha-

chariſtia celebranda, jam ſuperſtitioſum de neceſſitate illius geſtus errorem fovet. Theologos quoſdam tum antiquos tum modernos nominat quaſi Epiſcopalis regiminis adverſarios, qui revera id approbarunt. Quod vel inſcitiæ vel fraudi aſcribendum. Vid. Auguſt. hæreſ. 53. Theodoret. in Phil. 1. 1. Irenic. l. 2. c. xi. §. 2. & ſeq.

Quod neget geſtum ſedendi in communione mutabilem eſſe ac circumſtantialem, idque pertinacia inemendabili, hæretica eſt novitas. Et dum temere aſſerit regimen Epiſcopale prout in Eccleſia Scoticana fuerat, non fuiſſe in Eccleſia Chriſtiana quingentis vel ſexcentis poſt Chriſtum annis, hic aliquiſpiam, in antiquitate Eccleſiaſtica neminem eſſe ſe prodit. Vid. Irenic. l. 2. cap. XI. prop. XIV. Exigere obedientiam ac juramentum obſequium præſtandi ſuperiorum quos ſuper nos conſtituit Deus legitimis ſtatutis, nil aliud eſt quam obedientiam Dei mandato exigere, Honora Patrem ac Matrem. Vid. Irenic. l. 2. cap. 3. & 23. Sed quænam, quæſo, eſt affinitas inter hoc & poſitionem novorum in religione articulorum, quos antea Dei verbum non poſuerat? aut quomodo fieri poteſt id ſine doctrina Papiſtica? aut quænam affinitas inter hoc & alios impellere ad jurandum in utramque partem contradictionis? aut ſubditos urgere ad juramentum dandum mutui auxilii invicem viribus afferendi, contra Comitiorum ſtatuta publica? aut quomodo illud ſine perjurio, vel iſtud ſine rebellione & doctrina Papiſtica fieri poteſt? Si hic aliquiſpiam id mihi validis argumentis oſtendet, me ſibi devinctum habebit. Rogo interim ut ab inique inurendo fideli meo Monito probroſas libelli famoſi notas abſtineat, ac in pace ratiocinando reſpondeat. Noſtrum enim eſt, non alicujus famam lædere, ſed unumquemque monere. Scio Deo magis quam hominibus obediendum eſſe; ſed juramenta talia ubi vel quando præcepit Deus? Reverendus Collega D. Rob. Baronius appoſite dixit, quod, ſi primitivi Chriſtiani idem ſenſiſſent, non martyres haberemus, ſed milites. An malum pro bono reddendum? Neceſſarium & amicum monitum quo populares meos ab iniqua contentione ſervarem, iiſque veritatis ac pacis viam monſtrarem, litigioſe & inhumaniter in malam partem accipitur. Verum ſive auſcultaverint, ſive recuſaverint, ecce eos monui. Miſereatur eorum & noſtri omnium Deus, noſque per veritatis ac pacis viam in æternam ducat pacem. Gratia tecum.

Frater tui amans in Chriſto

Abred. vet. Jun. 29. 1638.

JOH. FORBESIUS à CORSE.

Poſtſcriptum.

Ephrem Syrus Parænesi 39. Non exiguum ſequetur eos periculum, quibus gregis ovium fuerit cura commiſſa: ſi præter voluntatem Principis Paſtorum ovibus abuſi fuerint.

Hieronym. Apolog. adverſus Ruffinum quæ incipit *Lectis Literis.* Iſtæ machinæ hæreticorum ſunt, ut convicti de perfidia ad maledicta ſe conferant. Idem ibidem: Canes latrant pro Dominis ſuis, & tu non vis me latrare pro Chriſto?

JOH. FORBES.

Rex Carolus omnem ſuſpicionis anſam ſubditorum animis eximere cupiens, miſſo in Scotiam ad tumultus ſedandos Marchione Hamiltonio Prorege, programma emittit, quo profitetur ſe innovationem in religione nullo modo meditatum fuiſſe, ſed veram religionem Reformatam omnibus vitæ ſuæ diebus aſſerturum, pollicet urque ſe in poſterum ſubditos ad recipiendum liturgiam, canones &c. nullo niſi tali æquo ac bono modo qui iis omnibus acceptus erit, urſurum; ſeque innovationem vel in religione vel legibus non meditari. Verum id non placuit, ſed alio programmate ac interceſſione a Fœderatis excipitur, qui interim in ſubſcriptionibus Fœderi ſuo conquirendis ſtrenue pergunt; cumque ſeptentrionales Scotiæ regiones in fidelitate erga Regem firmiores ſtarent; ad eas in ipſorum partes trahendas, quidam e Dynaſtis & Miniſtris illuc miſſi ſunt, qui Abredoniam venerunt Jul. 20. 1638. Theologi Aberdonenſes prius quam conſentire vellent ut Miniſtri prædicando, gregi ſibi concredito ignotum iſtud Fœderis pabulum commendarent, iis per modum Quæſtionum, præcipuas rationes ſcripto obtulerunt, ob quas huic conſentire conſcientia renitebatur. Hiſce reſpondent Miniſtri, quibus replicant Theologi, cumque illis denuo reſpondiſſent Miniſtri, eruditas ſcripſere Theologi duplicationes, quæ omnia brevi vernacule in lucem edita fuere, quibus Theologorum Aberdonenſium eruditio & merita per totam innoteſcebant Britanniam, ac Fœderatorum cauſæ omnibus æqui & limati judicii viris os obſtrui videbatur. Cumque Diſceptatio hæc Latine vulgata non ſit, libet hic Quæſtiones ipſas inſerere, quibus Lectores controverſiæ ſtatum facile perſpicient. §. LXV *Forbeſii & Collegarum Diſceptatio cum Miniſtris anteſignanis Fœderis.*

Quæstiones quædam generales de nupero Fœdere, a Theologis Aberdonensibus proposita reverendis quibusdam Fratribus, qui dictum Fœdus ipsis ac gregi illis concredito commendatum venerant.

Qu. I^a. QUÆSTIO PRIMA.

Qua authoritate postulent reverendi isti Fratres a nobis vel grege nobis concredito, nuperi Fœderis consignationem, cum nec a Rege, nec a publici Status concilio, nec ab ulla Synodo nationali, nec ab ulla regni Curia legitima missi sint? quaque potestate nobis ac gregi nostro ipsis minime subditis, suas Confessionis Negativæ articulorum interpretationes obtrudere velint? ob quas interpretationes, & mutuæ defensionis adversus quoscunque adversarios pactum, nuperum hoc Fœdus, a Fœdere a Rege ipsiusque subditis A^o. 1580. & 1581. subscripto, substantialiter differt.

II^a. QUÆST. II^a.

Num dictum Fœdus consignare nobis licitum sit, cum omnia, mutuæ vi armorum defensionis, fœdera, inter subditos cujuscunque ordinis, quovis prætextu, sine Regiæ Majestatis vel ipsius successorum notitia & consensu, inita, a Jacobo Rege beatæ memoriæ, & Regni ordinibus expresse prohibita sint, in Comitiis Limnuchi habitis, A^o. 1585.

III^a. QUÆST. III^a.

Si prætendatur talia Comitiorum acta in casu summi discriminis infringi posse, quæritur, num talis sit noster status? cum Rex in prioribus edictis palam affirmaverit, professus, protestatus sit, inque nupero Deum testatus sit, sibi nunquam in animo fuisse religionem aliquo modo innovare, cum etiam omne id unde novationum suspicionis ansam arripuerant, jam removerit, nempe librum liturgicum, librum Canonum, & allegatam exorbitationem supremæ curiæ Ecclesiasticæ.

IV^a. QUÆST. IV^a.

Quod attinet ad Confessionis Negativæ interpretationem nobis obtrusam, qua regimen Episcopale & articulos Perthenses, non minus quam Romanæ Religionis articulos in ea expresse & distincte nominatos, abjurari, affirmatur; quæritur, qui sint istius Confessionis interpretes? hoc est, num omnes subsignatores, an vero soli Ministri Edinburgi in fine Februarii coacti, qui interpretationem hanc fecere? Si subsignatores omnes; quare accipiemus Confessionis istius interpretationem a Laicis, ignaris & pueris? Si soli Ministri Edinburgi coacti, cum nemo sibi honorem sumere debeat, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron, Heb. 5. 4. unde acceperint illi potestatem ac authoritatem in Fratres horum articulorum Fidei interpretationem judicialem emittendi, suamque interpretationem iis obtrudendi.

QUÆST. V^a. V^a.

An Confessioni Negativæ, prout ab Authoribus nuperi Fœderis est explicata & interpretata, sincere & bona fide subscribere possimus; cum de externis Ecclesiæ ritibus perpetuam statuat legem, quam non statuit Deus, ac si hi ritus immutabiles essent? quaque ratione evitabunt subscriptores Confessionis Positivæ, ac etiam Negativæ eo modo expositæ, manifestam contradictionem; cum Confessio Negativa cap. 21. ritus hosce, pro ratione temporum, mutabiles esse, diserte affirmet, ac consequenter nullam perpetuam legem de iis statui posse vel debere? Scire etiam pervelimus, qua ratione veritati congruat abjuratio omnium rituum, tanquam Papisticorum, qui absque divina institutione in Dei verbo expressa, in Ecclesia usurpantur; cum etiam ii qui Fœdus urgent, quosdam observent ritus in Dei verbo minime expressos, quales sunt, matrimonii coram Ecclesia celebratio, in initio vel fine cultus divini, cum omnibus ejus circumstantiis, stipulationes etiam Patrum & Susceptorum pro infantibus in Baptismo, quæ meræ circumstantiæ non sunt, ut distinguere solent, sed etiam cærimoniæ proprie sic dictæ?

QUÆST. VI^a. VI^a.

Num ei interpretationi subscribere expediat, quæ in rebus religionis, tot Theologorum Ecclesiæ Reformatæ celeberrimorum tum veterum tum recentium, sententiæ contradicit (qui affirmarunt & adhuc affirmant ritus ac constitutiones in hac Ecclesia a Synodo Perthensi statutas, sua natura licitas esse, harumque causa in Ecclesia Dei motus fieri non debere); quæ etiam venerabilem Ecclesiæ, ejusque Luminum maxime fulgidorum, praxin, ad quam in disputationibus adversus Romanenses provocamus, damnat.

QUÆST. VII^a. VII^a.

Num pietati aut veritati congruat, horum

rum rituum tanquam Papisticorum, abjurationem a nobis postulare; quos in sinceritate cordis, lumen conscientiæ sequuti (de qua re Deum testamur) hucusque ut licitos observavimus, idemque sequentes lumen adhuc laudabiliter observamus? Sed posito id a nobis posse requiri; quæritur, num eos deceat nos ad hoc adeo præcise & præpropere impellere, qui per viginti retro annos libertate conscientiæ frui in ipsorum ministerio obnixe rogabant, in negando circa hos ritus obsequio, non obstantibus statis in contrarium legibus; cumque urgerentur ut obsequium præstarent, tam sæpe protestati sunt & obnixe rogarunt, ut tempus informationis quærendæ ac mature deliberandi iis concederetur, quod plerisque benigne concessum fuit? Observent itaque naturale illud axioma: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, ac Salvatoris nostri præceptum, in eodem sensu, ac fere in eisdem verbis, Matth. 7. 12.

VIIIa. QUÆST. VIIIa.

Num congruum sit, nos juramentum dare Regiam Majestatem propugnandi, cum hac limitatione, in religionis puritate, Patriæ libertate, ac legibus asserendis? quasi Regia Majestas contra omnes inimicos non esset desendenda, licet veritatem nondum amplexa fuisset; aut ab eadem semel recepta defecisset; aut quasi regia authoritas non esset agnoscenda, quamvis illicita mandaret; & quasi nos ipsi non simus subjecti ad patiendum, cum obedientiam activam ei dare non liceat.

IXa. QUÆST. IXa.

Num bonâ fide possimus jurare nos authoritatem Regis vere Monarchicam propugnaturos; simulque Articulos qui ipsius legibus sancitisunt, ejurare, nosque infimos e subditis in ipsorum contra has leges nondum abrogatas contumacia, adversus ipsum Regem propugnaturos, eodem Sacramento obstringere.

Xa. QUÆST. Xa.

Num in tale fœdus jurare debeamus, quod omnem nobis spem eripit liberæ Synodi vel Parlamenti, ubi res in controversia determinari possint? quo pacto possint illi suffragium dare in re aliqua decisioni ac deliberationi Ecclesiæ ac reipublicæ oblatâ, qui uni Quæstionis parti se adhæsuros jurarunt? quaque ratione possunt ii qui ab ipsis dissentiunt, illorum judicio se submittere, præsertim cum adhuc possessores sint, ac leges civiles & Ecclesiasticas ex sua parte habeant?

QUÆST. XIa. XIa.

Num nostra ac populi nostri subscriptio Confessioni Nationali quæ rata habita & relata est in Archivum Parlamenti Ao. 1567. non plene satisfaciet omnibus qui professionis nostræ sinceritatem in dubium vocant? si nil aliud quæratur, nisi ut cognoscant promptitudinem nostram ac constans propositum perseverandi in religione nunc professa, ac omnes errores ei contrarios opponendi, ad extremum usque vitæ halitum? Cum itaque id animo lubenti facere parati simus (nosque ita esse Deum testamur) cur odio habemur, & quasi veritatis adversarii traducimur, ex eo solum quod conscientia nostra interpretationi isti Confessionis Negativæ in Fœdere positæ nos subscribere non sinat (de cujus veritate nullam habemus evidentiam, neque ullam authoritatem quæ nos illi astringat); nec politicæ vel potius militari Fœderis parti, quæ extra vocationis nostræ terminos est, nec ad illam decertationem pro fide quæ semel tradita est sanctis, spectat, de qua in Epistola sua S. Juda loquitur.

QUÆST. XIIa. XIIa.

Cum nobis nuntiatum sit plurima mala ac atroces injurias ab iis qui Fœdus consignarunt per vim illata esse nostris sacri ministerii Fratribus, qui in obsequio legibus Ecclesiæ & Regni præstando persistunt; quæ injuriæ sine ulla justitiæ vel legis forma factæ, sunt vindictæ a privatis exercitium, & consequenter in sexto præcepto prohibitæ; quæ una est ex rationibus quibus movemur, vestræ societati nosmet non adjungere: perlibenter itaque velimus scire a reverendis nostris Fratribus, qui nuperum Fœdus nobis commendatum huc venerunt; primo num perturbationes has approbent. 2o. Si approbent, quam ob causam id faciant: si non approbent, unde fit quod hæ injustitiæ ac iniquitates palam non damnentur, nec e suggestis ab iis & aliis ejusdem Fœderis Pastoribus acriter increpentur? unde fit quod authores neque accusentur nec judicentur? cur denique vel impressam vel scriptam quandam emittere de hac re declarationem cunctantur? cum hoc ut facerent jampridem rogati sunt.

QUÆST. XIIIa. XIIIa.

Qua ratione Fœderi subscribemus, ita

ut plurima gravia scandala non subeamus; qualia sunt, primo, scandalum dissensionis ab aliis Ecclesiis Reformatis, ac Theologis eximiis, Reformationis Ecclesiæ in Europa præcipuis instrumentis, qui ritus tanquam pure illicitos, Papisticos ac idololatricos, in nupero Fœdere ejuratos, sua naturâ licitos esse tenuerunt. Secundo, scandalum ab Antiquitate dissentiendi, eamque in rebus externam Ecclesiæ politiam spectantibus, penitus contemnendi; unde, ut experientia comperimus, plurimi Romanenses professionem nostram magis aversantur, quam alioquin facerent. Tertio, perjurii scandalum, quod quidam nostrum vitare nequeunt, qui in institutione ad Ministerium, Ordinario obsequium præstituros, ac articulos Perthenses observaturos cum juramento promiserunt.

XIV^a. XIV^a.

Ultimo denique, cum de ipsorum Fœdere omnes hi scrupuli animis nostris hæreant, cumque etiamnum certi persuasique simus de regiminis Episcopalis jure ac veneranda antiquitate, quod etiam articuli Perthenses liciti sint; reverendos hos Fratres rogamus ut æque ac in charitate perpendant, qua ratione possimus salva conscientia consentire, ut in Cathedris nostris illi prædicarent, qui se huc venisse profitentur, ut populum nostrum ab iis tanquam illicitis subducant, quæ in intimis animi sensibus pro licitis amplectimur, & ab illo obsequio quod benignæ ac piæ Majestati Regiæ in hisce debetur: cujus postremum edictum nobis abunde satisfecit, cordaque nostra magna affecit lætitia, cum ibi Rex graviter sane ac cum juramento professus sit, se non solum bona fide veritatem profiteri, verum etiam in eadem constanter perseveraturum, ipsamque ad extremum spiritum defensurum; benigne etiam ac sapienter ea submovens, quæ nuperis in Ecclesia nostra turbis ansam dederant. Velimus etiam perpendant, qua ratione id a nobis postulent, cum ipsi (conscientiam ipsorum appellamus) ab aliis ita tractari minime vellent; nimirum ut alii ipsorum suggesta conscenderent, doctrinam ac disciplinam damnarent, ac populum subducerent ab iis quæ ipsi pro veritate commendarant.

Denique, vehementer hortamur, amice rogamus, ac modeste obtestamur hos ac cæteros reverendos nostros fratres, coram Deo ac Domino Jesu Christo, qui in illustri illo suo adventu & Regno, judicaturus est vivos & mortuos, si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua communio spiritus, si quæ viscera miserationis, ut in hisce rebus magni momenti, conscientias suas introspiciant, memores istius, Prophetæ Jeremiæ: *Pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud?* ut ipsorum de nobis judicium in charitate sit, memorum istius, Salvatoris nostri; *nolite Judicare, ut non judicemini:* ut amice & mansuete nobiscum agant (si a veritate nos aberrasse putent: cujus, Deus novit, nos non esse conscios) memores dicti S. Pauli: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos spirituales reconcinnate hujusmodi hominem cum spiritu lenitatis.* ac etiam Jacobi: *Quæ superne est sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica, æqua, obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorum &c.* Postremo ut pacem quærant, atque ita eam prosequantur, ut dulcis nostra patria funesto bello, illiusque calamitosis effectibus, quorum vel ipsa cogitatio horrorem excitat, non exponatur.

In harum Quæstionum discussione omnes æqui Lectores & judicio pollentes palmam Theologis detulere, cum ab illorum parte starent recta ratio ac vera Christianismi principia. Sed adversâ aquâ, Ministri vero secundo flumine ferebantur, ac evidenter demonstrarunt, malitiam, injustitiam, mendacium, falsitatem, &c. speciosis pietatis ac religionis prætextibus larvatas, multo magis apud corruptum populum pollere, quam religio vera, justitia, æquitas, veritas & charitas. Cum Theologi urgerent Ministros de iniquitate Fœderationis absque venia supremi Magistratus factæ, prætendebant isti, ipsorum Fœdus Marchioni Hamiltonio Proregi placuisse, post oblatam illi in libello supplice ejusdem explicationem. Horum calumniam Hamiltonius declaratione evulgata ac cum Theologorum Disceptatione ipsius jussu impressa, refellit. Ad Theologorum scrupulum de Articulis Pertheosibus amovendum, quod persuasi de horum veritate, eaque in veteri Confessione Negativa minime ejurata fuisse, nuperum Fœdus ubi damnati sunt consignare non possint; respondent Ministri, duo innovationum genera in Fœdere memorari, unum earum quarum omissionem tantum requirit Fœdus usque dum a libera Synodo examinentur & approbentur, talesque esse Episcopatum & articulos Pertheoses; altera earum contra quas postulationes ac questus facti sunt, quales sunt Liturgia, Canones &c. quæ damnatæ erant tanquam articuli Papismi. Verum eodem anno Synodus Glascuensis invenit omnes has innovationes & in nupero fœdere & in priori Confessione Negativa damnatas fuisse.

Id

§. LXVI. *Fœderati posthabita Confessione Fidei positiva in quam jurarunt, brevi aliam amplectuntur.*

Id maxime de Fœdere hoc Nationali Scoticano observandum est, quod cum idem sit, quod ad fidei Confessionem cum eo a Jacobo Sexto minorenni, ut dictum est, consignato, cumque id non sit proprie Confessio fidei Scoticana, sed respiciat ad Positivam fidei Confessionem, ab Ordinibus Regni ratam habitam, & in libro, corpus Confessionum Fidei, dicto, evulgatam (ubi habetur etiam hæc Negativa Confessio); cumque in hoc fœdere solenniter asserant religionem in dicta positiva fidei Confessione explicatam, unicam esse fidem & religionem Christianam, sancte promittentes se in ea hujus Ecclesiæ doctrina & disciplina constanter perseveraturos; hinc clare patet positivam hanc Confessionem a Comitiis Regni in initio Reformationis sanctionibus confirmatam, continere doctrinam Ecclesiæ Scoticanæ, in qua se constanter perseveraturos in fœdere suo sancte promittunt, ac per tremendum Dei nomen jurant. Jam innovationes in doctrina certe non minus periculosæ censendæ sunt, quam in disciplina ac externis Cultus ritibus. Retineri potest essentia disciplinæ ac regiminis Ecclesiastici, factis tamen innovationibus in quibusdam ipsius formis, ut cum Positiva fidei Confessio Scoticana primum recepta fuerat, stabilita fuit Pastorum imparitas, quæ per plurimos annos duravit, Superintendentibus Episcopali authoritate vestitis, hæc tandem in paritatem mutata est, quæ rursus ad imparitatem rediit. Sic pariter divini cultus & Sacramentorum substantia eadem semper manebat, sed innovationes fiebant quod ad externos quosdam ritus & formas. Primum enim post Reformationem constituta fuit liturgia quædam, ac certæ precum formulæ, quæ tandem in desuetudinem abiere, & rursus de novo composita est liturgia. Nunc postremas hasce, quod ad disciplinam & cultus formas, innovationes, profitentur Fœderati damnatas esse in Confessione Negativa, aliosque ob has innovationes in externis disciplinæ & formis, ut perjuros & fœdifragos conviciantur, inque hisce adeo religiosi sunt, ut ne vel paxillum, ut ipsi dicunt, mutari velint. Verum quod ad ipsam fidei Confessionem Positivam in quam ex fœdere tam sancte jurarunt, quæque tanto judicio a primis nostris Reformatoribus composita fuerat, hanc Fœderati paucos intra annos penitus abdicarunt, inque illius locum, novam Fidei Confessionem, Westmonasteriensem dictam, receperunt, ex mille septuaginta & uno articulis constantem (quorum singuli plures continent propositiones) ac a veteri Confessione in quam per Fœdus jurarunt in plurimis diversam, cui tamen omnes Ministri, Pædagogi, Ministrorum Electores, membra Curiæ Nationalis Ecclesiasticæ, eorumque Electores, tanquam suæ fidei Confessioni subscribere tenentur. Hæc certe est innovatio palpabilis & sub tactum cadens, ac iis omnibus multo immanior, ob quas alios probro impietatis ac perjurii afficiebant, ac florentem & antea beatam Insulam turbis & sanguine fœdarunt, fidei veteri Confessione, cui ex Fœdere obstricti sunt, penitus abdicatâ & in oblivionem traditâ, ac amplissima Confessione Westmonasteriensi, vel potius Theologiæ unius Sectæ Systemate, in illius vicem substituto.

§. LXVII. *Ministri subscriptiones emendicantes discedunt, in Theologos infensi.*

Verum ut narrationis filum prosequamur, Ministri, suggestis denegatis, in Scotiæ Mareschalli Comitis ædium area, Fœdus suum duobus diebus Dominicis prædicarunt; primo die paucis, in eam partem antea propensis, ei subscribentibus, altero vix ullis. Discessere, in oppidum ac incolas, Theologos præsertim, furore ac minis turgentes, nullique horum magis indignabantur quam Forbesio, Irenicum, Monitumque pacificum ei exprobrantes, de hoc ultimo sarcastice dicentes; „ Si nil aliud excusationis habeat, quam acrium quorundam verborum ex pia indignatione provenientium confessionem, eadem, inquiunt, erit ejus sors, quæ Irenici, de quo apte repetitum, quod in simili casu olim dictum,

„ *Aut Fabrum forceps, aut ars ignara fefellit,*
„ Εἰρήνην *voluit cudere, cudit* Ἔριν.

Theologi in publicationibus suis sic modeste respondent: „ Quod ad vehementes vestras criminationes ac minas attinet, adversus nuperi Moniti Authorem, facile est, ex illius Moniti editione impressa, offensionem hanc amotam esse perspicere. Quare itaque, Reverendi Fratres, a re præ manibus digredi ita vobis placet, ad lites condictitias adversus Fratrem suscitandas & fovendas, consepulta verba effodiendo, eaque in alia a veritate sensa torquendo, idque postquam omnibus satisfecerat, atque hæc verba palam improbaverat ac deleverat. Invidiosum hoc factum vestræ causæ nulli usui erit, sed ab aliis magis detestandam potius reddet, eo quod nimis sollicite odium ac molestias in Fratrem suscitatis, quem irâ inexorabili, quæ Dei justitiam non operatur, ita persequi, aut sibi charos populares in ipsum irritare minime debetis; sed potius, quod vocationem ac professionem

„ vestram

„ vestram decet, eos, ut hæc in mitiorem „ partem interpretentur, ut sicut decet „ Christianos placabiles sint, & consuetam „ dilectionem fraternam retineant, horta- „ ri —— Supervacaneum fuit Irenicum „ in medium proferre. Ad censuram ve- „ stram haud pacificam mitigandam, di- „ gnamini Pastoris dignissimi, Theologi „ gravissimi ac eruditissimi judicium respi- „ cere, nempe D. Jac. Usserii, Archiepiscopi „ Armachani, totius Hiberniæ Primatis, „ in Epistola hac ad Authorem scripta, &c. „ quæ Epistola supra habetur.

Theologi qui in hujus Disceptationis societatem venerunt, fuere supra nominati viri, duo nempe SS. Theologiæ Professores, Johannes Forbesius a Corse & Robertus Baronius, & alii ejusdem Facultatis in Academia Aberdonensi Doctores, videlicet Alexander Scrogie, Gulielmus Leslæus, Jacobus Sibbaldus, Alexander Rosse. Ministri adversam partem tuentes, Alexander Henderson, David Dickson & Andreas Cant. Primus horum Alexander Henderson, ut ob multa alia celeber fuit, ita imprimis ob disceptationem Novi-Castri cum Rege Carolo habitam, eo tempore quo Carolo nec libri nec viri eruditi aderant; cumque id munus ei a Scotis demandatum esset, ut ex animo Principis vere religiosi scrupulos eximeret, quibus non sublatis, se salvo fœdere Regiam Majestatem tueri non posse prætendebant, nec posse illum ipsorum solenni fœdere se obstringere ad extirpandum ex Ecclesia Anglicana Episcopale regimen, quod & juris divini esse, & juramento cum Rex inaugurаretur præstito ad idem protegendum se obstrictum existimaret. Verum eo munere functus est Hendersonus non minus infausto quam irrito successu, ac vulgatis disceptationibus, Regi palma omnium fere suffragiis adjudicatur.

§. LXVIII. *Ut omnes suo fœdere obstringant permittunt ad cum cautelis subsignari.*

Ministri cupientes omnes suo fœdere quovis modo obstrictos habere, quibusdam, quos aliter sibi devincire non poterant, concedunt, ut id cum certis cautelis subsignaretur, atque hac arte plurimi illaqueabantur. Sic inter alios D. Gul. Guild SS. Th. Doctor ac Minister Aberdonensis id cum cautelis sequentibus chirographo consignavit.

Nos Gulielmus Guild Minister Aberdonensis & Robertus Reid Minister Banchoriensis Fœdus a Proceribus, Equitibus Municipibus ac Ministris initum, cum his expressis cautelis consignavimus, scilicet quod articulos Perthenses illicitos vel Papismi articulos esse non profitemur, sed tantum ob Ecclesiæ pacem aliasque rationes aliquantisper ab illorum usu abstinere pollicemur. Secundo, quod Episcopale regimen, seclusa corruptione hominum, non improbamus. Tertio, quod Serenissimi Domini nostri Regiæ Majestati omnem fidelem ac debitam subjectionem ac obedientiam, semper retinemus ac retinebimus. Quodque in hoc sensu & non aliter supradictum fœdus chirographis nostris consignavimus, hi Proceres, Equites, Ministri, Commissionarii Subscriptores, per has testantur. Aberdoniæ 30. die Julii millesimo sexcentesimo tricesimo octavo. Quemadmodum & subscriptores profitentur se nil aliud quam fidelitatem erga Regiam Majestatem, ut ipsum Fœdus præ se fert, in animo unquam habuisse. Sic subscribitur.

Montrose.
J. Clougar.
Ghrame of Morphie.
T. Burnet of Leyes.
Alex. Henderson.
Mr. David Dickson.

§. LXIX. *Rex ad amovendas suspiciones jubet eandem Confessionem & Fœdus subsignari.*

Fœderatorum ducibus multas suspiciones populo de Rege injicientibus quasi clam religioni Romanæ savente, ac a Reformata abhorrente, Rex ad eas amovendas Confessionem fidei Scoticanam Positivam chirographo consignavit, publico edicto id declarans, eidem subscriptionem omnibus Scotis injungens una cum pacto annexo, quo religionem, Regiæ Majestatis amplitudinem & authoritatem, Regni leges & libertates se propugnaturos pollicerentur. Verum Marchio Hamiltonius (ut refert reverendus D. G. Burnetus Episcopus nunc Sarisburiensis in suis de eo Commentariis) & alii, id populi suspicionibus impar futurum existimantes, Regi consulunt ut dictam Confessionem Negativam consignandam authoritate sua approbet. Id Regi minime placebat, in memoriam revocanti quo modo Pater hanc consignationem ab ipso olim factam ut temerariam ac indeliberatam improbasset; mirabatur etiam cur in tam multa negativa cum tot invidiosorum Epithetorum aggravationibus jurarent, quasi nemo doctrinæ Reformatæ firmiter adhærere posset, nisi Papismum minutatim in tam multis ejuraret articulis, quorum quidam & dubii & adiaphori esse possunt; atque tyrannidem in conscientias abolere censebat, jurejurando tali, omnes, fœminas præsertim & rusticos, qui de rebus tam subtilibus judicare nequeant, obstringere. Remedium itaque existimabat Rex æque perniciosum esse, si non ipso morbo pejus. Illis vero urgentibus

tibus res in Scotia non posse alioquin ad temperamentum reduci, consentit tandem *Rex*, ac programmata omittit, quibus in Scotia, Liturgiam, Canones, Curiam supremam Ecclesiasticam, ac quinque articulos Perthenses abrogat; Fœdus vel Confessionem fidei negativam cum fœdere annexo a patre consignatam, ab omnibus subditis subsignari jubet; Episcopatui limites Ecclesiæ & Regni legibus congruos poni concedit; remissionem omnibus qui pro futuro prout fideles decet subditos se gererent, offert; Synodum Nationalem in 21. Novembris ejusdem anni 1638. Glascuam convocat, indicto pariter Parlamento in 15. Maji anni sequentis. Programmata hæc recepta fuere ut priora cum protestationibus & programmatis a Fœderatis factis, quibus semper suspiciones contra Regem in animis populi fovebant. Confessione hac a Dominis secretioris Consilii subsignata, constituti sunt ad subscriptiones in singulis Comitatibus accipiendas Delegati, quorum præcipui fuere Fœderatorum duces (qui adversus hanc subscriptionem protestati sunt), id quod plurimi reprehendebant, neque ipsi Regi gratum fuit. Multi, initio, jubente Rege, Confessionem hanc subsignare volebant. Fœderati vero propensionem ad suum erga *Regem* officium revertendi in plerisque observantes, nil quod excogitari possit omiserunt, ad populi animos novis suspicionibus replendos, ac si Rex eos tantum dolis caperet, ac promissa præstare in animo non haberet; ac contra novam Confessioni huic subscriptionem vehementer declamarunt Ministri (licet eadem fuerit cum ipsorum fœdere); id ad Dei causam & opus Domini evertendum inventum fuisse, omnesque ei subscribentes qui ipsorum fœdus consignarant perjurii reos fore, asserentes. Neque ad hæc omnia confirmanda deerant inspirationum de cœlo prætextus. Quædam Domina Mitchelson, quæ pia habebatur, fuitque Fœderata Religiosa, paroxysmis quibusdam spiritualibus affici videbatur, in quibus loquebatur quasi sensibus abalienata, ac plerique illius raptus fuere de Nationali fœdere; vehementer etiam in edictum Regis de eadem Confessione subsignanda invehebatur. Id plurimum efferebant Fœderati, ac a Spiritu Sancto inspirata habebatur. Omnium generum homines eam in paroxysmis visum venere, ac in domum celebris Fœderati Edinburgum ducta, in amplo cubiculo densè semper hominibus pleno recubuit. Sed eam brevi spiritus reliquit. Jam populo cæco impetu duces sequente, horum machinæ votis suis respondebant, atque his merito ascribenda sunt omnia mala sub quibus hoc Regnum hucusque ingemuit.

Et id vehementer declamant Fœderati.

Hæc Confessio, quæ Regis fœdus appellata est, Episcopo ac Theologis Aberdonensibus oblata, ab iis subsignata fuit cum quibusdam cautelis, quas, inter chartas Jacobi Ducis Hamiltonii repertas, supra dictus Episcopus Sarisburiensis, in dictis suis de eodem Duce commentariis primus in lucem edidit, unde eas hic transcribere libet.

§. LXX. Confessioni huic cum cautelis subscribunt Episcopus & Theologi Aberdonenses.

1°. Omnes errores vere Papisticos, vel Sacræ Scripturæ, & consequenter uniformi Ecclesiarum Reformatarum doctrinæ, ac Nationali nostræ Confessioni in Parlamento A. 1567. conscriptæ, oppositos, sincere detestamur & improbamus.

2°. Regimen Episcopale prout fuit in diebus Apostolorum, ac post illorum tempora in Ecclesia Christiana per multas annorum centurias, ac nunc in Ecclesia Scoticana restitutum est, ex hoc nullatenus abjuramus vel improbamus.

3°. Articulos quinque Perthenses, & quodcunque hujus generis licitum, quod ab Ecclesia rectæ administrationi & bono ordini utile esse comperiatur, vel quod apud alias Reformatas Ecclesias Orthodoxas in usu est, ex hoc minime improbamus vel ejuramus.

4°. Articulo illo Confessionis nostræ Nationalis (cap. 20. art. 21.) constanter adhæremus, nempe Concilia generalia, & consequenter Ecclesiam Scoticanam nullam habere authoritatem, legem aliquam perpetuam statuendi, quam Deus antea non statuit.

5°. Per adhæsionem disciplinæ Ecclesiæ Reformatæ Scoticanæ, non intelligimus immutabilitatem aliquam istius regiminis Presbyteriani quod fuit Anno 1581. vel cujuscunque alterius institutionis humanæ. Sed per hoc intelligimus potestatem Ecclesiasticam & disciplinam Ecclesiæ Scoticanæ a Papa Romano vel quavis aliâ potestate externâ minime pendere; atque ex hoc constantem obedientiam in omnibus illius legitimis constitutionibus profitemur.

6°. Per præsens hoc nostrum juramentum non præsumimus vel libertati Ecclesiæ Scoticanæ obesse, in dictâ brevi Confessione quod ad quasdam ambiguas & obscuras sententias mutanda & reformanda, vel nos ipsos ab obedientia in tali casu Ecclesiæ præstanda eximere.

7°. Per præsens hoc nostrum juramentum posteros obstringere nolumus, ultra quam verbum Dei facit, nostrum exemplum iis solum commendantes in quantum id Dei verbo congruum esse reperient.

In hoc sensu, ut dictum est, & non

ali-

aliter, dictam Confessionem ac generale fœdus illi adjunctum subsignamus. Aberdoniæ, Octob. 5. 1638.

Sic subscribitur,

AD. ABERDONENS.

JOH. FORBES SS. Theol. D. & Prof.
ROB. BARON SS. Theol. D. & Prof.
AL. ROSSE SS. Theol. D.
JAC. SIBBALD SS. Theol. D.
AL. SCROGIE SS. Theol. D.
GUL. LESLEY SS. Theol. D.

Hinc apparet quanta cum prudentiâ Christianâ Reverendi hi Viri se gesserint; ac quam solliciti fuerint turbam non sequi ad faciendum malum; nec in judicio, plurimorum acquiescere sententiæ, ut a vero devient; in supremæ authoritatis civilis capillos non involare, nec adversus Regem suum legitimum conspirare; nec exemplo suo, populo in tam atroci crimine animum addere; quamvis ex prudentiâ hac Christiana odiis, contumeliis ac persecutionibus obnoxii fuerint: quamque studiosi mandatis Regiis in rebus licitis obsequium præstare, atque hinc ansam arripere suam errorum vere Papisticorum detestationem ac improbationem profitendi, ita tamen ut falsis Commentariis, quæ Fœderati in eandem Confessionem fecerant, obviarent, quasi per eam regimen Episcopale improbaretur, aut ulla Ecclesia potestatem haberet legem perpetuam statuendi, quam Deus antea non statuerat, aut quasi per proprium suum juramentum patriam ac posteros in omne sæculum obstrinxissent.

Primus hic subsignator fuit Adamus Bannatyn, tunc temporis Aberdonensis Episcopus, qui antea Dumblanensis, atque post Forbesii obitum in hanc sedem translatus fuerat; Vir reverendus ac pius, eisdem calamitatibus cum Theologis his obnoxius, ut postea dicetur.

§. LXXI. *Litera ad Forbesium & Collegas a Carolo Rege & Prorege Hamiltonio data.* Rex a Prorege Hamiltonio de disceptatione inter Theologos Aberdonenses & Ministros Fœderatos habita, certior factus, scripta ad se mitti curat, iisque perlectis, quod Theologi præstiterant sibi gratum esse ostendit, ipsosque de hac re per literas a Prorege & a se datas certiores facit, & indictæ Synodo Theologos hos adesse voluit, ut si amicæ collationi de rebus quæ in ista Synodo agitarentur, locus daretur, Religioni, Patriæ, ac Regi fervirent. Cumque quædam ex his literis in manus meas venerint, eas ordine quo datæ sunt, hic subjungam. Proregis hæ sunt:

Amicis perdilectis, utriusque Aberdoniæ Professoribus & Concionatoribus.

Viri Reverendi,

Quamprimum Marchio Huntilæus de rebus nuper Aberdoniæ gestis, per literas me certiorem fecisset, ad Regiam Majestatem eas misi (in itinere enim versus Scotiam Marchionis literarum fasciculum accepi) una cum quæstionibus impressis, quas quam acceptas habeat. Serenissima ipsius Majestas, ex ipsius literis, quas hic ad vos mitto, facile perspicietis. Meum esse existimo vobis testari quam mihi ipsi grata fuerit tota vestra agendi ratio, ac quanta cum voluptate perlegerim & vestras quæstiones, quas ad Regiam Majestatem misi, & secundam vestram replicationem, quam, postquam huc adveneram, recepi, ac jam ad benignissimum meum Dominum missurus sum. In ipsorum ad primam vestram quæstionem responsione, a tribus istis Ministris summâ affectus sum injuriâ, qui absque ulla veritatis specie affirmarunt, mihi placuisse istam Fœderis explicationem, quæ pro libello supplici Procerum aliorumque Fœderatorum mihi oblata fuit, qui a sacra Regia Majestate in mandatis habui, subditorum postulationes accipere, iisque respondere. Verum huic nil aliud respondere potui, nisi me de ea Regiam Majestatem certiorem facturum, quæ hucusque nihil respondit. Verum pro certo habetote, istorum supplicationem vel explicationem, Regiæ Majestati, multum, idque merito, displicuisse, ac quænam fuerat mea de ea opinio, ac responsio Delegatis data, quamque istorum falsis allegationibus contraria, plurimi Dominorum secretioris Consilii testari possunt (quorum plerisque etiam injuriosi sunt, falsitates in responsionibus ad quæstiones vestras inserendo); & modo justitia ex hoc regno non sit penitus relegata, spero eam mihi non fore denegandam adversus adeo falsas calumnias quales mihi inurebant. Novissimum vestrum, quæstionum ac replicationum, Tractatum una cum istorum responsionibus, mox hic prælo subjicere statui, & tam impudentem calumniam me evidenter diluisse audietis. Has interim absolvo, sinceras pro operâ vestra ac pio & pacifico stylo agens gratias, utque, quum res postulabit, in eadem persistatis rogans, me omnia vestra studia Serenissimo nostro Regi fideliter ac amice commendaturum promittens, cujus officii est id agere qui se semper præstabit

Vestri observantem amicum

In Palatio Sanctæ Crucis 10. Aug. 1638. HAMILTON.

Li-

Literas Regias ad Theologos Aberdonenses cum hisce missas mihi videre non contigit. Proregis literæ proximæ sequuntur.

Reverendis ac Eximiis Amicis utriusque Aberdoniæ Professoribus.

Viri Reverendi,

Literas vestras accepi, ob quas infucatas vobis retribuo gratias. Non opus est ut Epistolam meam prælo detis; spero enim calumniam istam declaratione mea satis deletum iri, quam cum hisce ad vos mitto, ut in hac re vobis fiat satis, cui in Responsione vestra lectorem remittere, vel eandem inserere, pro arbitrio vestro licitum erit.

Quod ad indemnitatem vestram de quibuscunque in hoc munere præstitis attinet, vobis confirmo me non minus sollicitum fore quam pro meipso, & si crucem pati oporteat, socii crucis erimus. Cras, Deo propitio, iter versus Regiam Majestatem ingredior, cui, pro virili, fidele vestrum obsequium commendabo. Omnibus interim vestris studiis divinam exoptans benedictionem, persevero

Vestri observans amicus

In Palatio Sanctæ Crucis 24. Aug. 1638. HAMILTON.

Amicis Reverendis & eximiis utriusque Aberdoniæ Professoribus & Ministris.

Viri Reverendi,

Pro humanis vestris literis gratias habeo magnas, ac multo majores pro erudito vestro libro, quem licet nondum perlegere vacet (nam ad manus venerat, quum ad aulam mitterem) rogavi interim Decanum ut perlegeret; totum perlegere per otium non licebat, nam tanta fuit necessitas fasciculum literarum ablegandi, ut ne per horam differre liceret: verum cum Confessionem negativam (cujus subscriptionem Regia Majestas graves ob causas nunc urget) corradere videatur, cumque una sectio penitus occupata sit in demonstranda necessitate obedientiæ supremo Magistratui res etiam illicitas præcipienti, a subditis, licet non faciendo, tamen patiendo, præstandæ; Sicut, mea opinione, scribendo pios vosmet ac prudentes monstrastis Theologos, ita viros non minus prudentes ac consultos, id non evulgando, donec quid Rex fieri velit audiatis. In isto enim articulo luctando superatis. Verum certior factus sum tres istos Ministros expectare, a vobis sibi ansam dari, quæstionem hanc, non in se, sed hoc tempore, periculosam agitandi, quum Factio tres istos homines in cordibus delusi hujus populi adeo extulit, ut omni ab illis dicto fides daretur, licet Angelus de cœlo contrarium evangelizaret. Rogo itaque ut ne vel unum exemplum evulgetur, priusquam Regis placitum sciatis, quod diu vobis ignotum non erit. Mox enim librum vestrum transmittam, Regis responsum brevi habebitur, quod eadem celeritate per nuntium ad vos mittam.

D. Balcanquel.

Quam benigne Regia Majestas priores vestros acceperit labores, brevi omnibus notum erit. Ultimæ enim meæ literæ ex aula dicunt, Regiam Majestatem & vestri libri & mei programmatis novam impressionem Londini denuo curandam expresse mandasse: quo circa bene & prudenter fecistis librum vestrum non evulgando, donec tam benigni Principis beneplacitum cognoscatur. Eam ob causam ex proposito hunc nuntium ad vos misi. Mihi necessarium videtur ut omnes vel quidam vestrum in Synodo Glascuensi adsitis, sive electi fueritis sive non, ut eruditione vestra, in quæstionibus quæ occurrent tractandis, subsidium feratis. De hac re quid Rex velit peropportune scietis. Bene interim feceritis, si de quibusdam articulis meditemini, de quibus Decanus per literas certiores vos faciet, cujus magna observantia vobis non deest, nec honorifica vestri apud Regiam Majestatem mentio. Cum gratiis pro omni vestro labore & beneficiis, & professione sinceræ erga universos & singulos vestrum observantiæ, vale dico, qui perpetuo sum

Vestri observans amicus

Hamiltonia Octobr. 6. 1638. HAMILTON.

Amicis plurimum honorandis utriusque Aberdoniæ Professoribus ac Ministris.

Viri Reverendi,

Cum lætitia vestras accepi literas, quod in Regiæ Majestatis jure & negotiis solitam vestram perceperim alacritatem. Protestatio quam subscriptioni vestræ adjunxistis mihi perplacet, nec ab ea differt quam mihi in animo erat facere, quamque tempore opportuno in programmate impresso palam evulgare statui, licet hoc tempore protestationem cum Fœdere publicare haud tempestivum esse duco, quod in nullo alio sensu sumi potest, cum omne jusjurandum in sensu administrantis accipi debeat. Regiæ Majestatis jussum, de libri vestri quem in novissimo fasciculo ad eum misi, editione,

ne, per veredarium proximum præstolor. Responsum, quamprimum accepero, ad vos mittam.

Valetudo vestra minus commoda & itineris faciendi reluctatio, me vehementer movent. Novi Regiam Majestatem id velle, ut Synodo intersitis. Quod ad transportationem vestram illuc attinet, commodum ibi hospitium, & cætera omnia necessaria, ac integros sumptus, cumprimis vestram, a primo exitu ad reditum usque, incolumitatem; hæc omnia in me recipio, ac Dei gratia susceptum præstabo. Nam revera, si illic non adsitis, neminem novi qui Ecclesiæ hujus partes tueri valeat. Rogo ut deliberetis, ac responsum a Regia Majestate præstolans, sum,

Fidelis vester amicus

E Basilica Sanctæ Crucis 20. Octob. 1638.

HAMILTON.

Sequuntur Regis literæ ad Theologos Aberdonenses missæ.

Dilectis & fidelibus nostris utriusque Aberdoniæ Professoribus ac Ministris.

CAROLUS R.

Fidelibus ac dilectis salutem. Visis & perlectis (ut vobis antea significatum est & a nobis ipsis & a fidelissimo ac dilectissimo nostro consanguineo & consiliario Marchione de Hamilton) variis illis dissertationibus quas hoc tempore scripsistis, ex iis & pium vestrum pro Religione zelum, & obsequium erga nos amore plenum, intelligimus, quod nobis gratissimum est, persuasis vos in eodem instituto perseveraturos, pro certo habentes vos mihi curæ fore. Vobis pariter hoc tempore mandare visum est, ut si nostra indictione ullus habeatur Ecclesiæ conventus, studia vestra conferre parati sitis, prout Delegatus noster in hunc finem vos monuerit. Vos valere jubemus. Ex aulâ nostrâ Bagshotæ, 7. Septembris 1638.

Sequitur altera Epistola a Prorege Hamiltonio.

Reverendis ac plurimum observandis amicis utriusque Aberdoniæ Professoribus.

Viri Reverendi,

Dum ad vos scriberem, gratas vestras accepi literas, quæ de consilio vestro Glascuam proficiscendi lætum mihi afferunt nuntium. Rogo ut valetudinem diligenter curetis. Sumptibus ne parcite, ut instructi sitis pro itinere. Utinam Aberdoniæ rheda vel currus haberi possit, ad vos huc ferendos, quo pacto enim ullus hac anni tempestate hinc mitti possit, nescio. Glascuæ commodum vobis parabo hospitium. De eo tantum sollicitus sum ut sospites illuc veniatis. Rogo itaque ut valetudinem curetis diligenter. Nunc de editione libri vestri monitus sum. Præcepit Regia Majestas magnas ipsius nomine vobis agere gratias, pro piis ac eruditis, & hoc tempore necessariis vestris laboribus. Quædam vellet non facta fuisse, sed quum varia exempla hactenus vulgata sint, unum enim Archiepiscopus Cantuariensis, aliud Episcopus Roffensis habuere, prius quam id quod miseram ad Regis manus venerat. Quædam etiam hic, ut audio, vulgata sunt, adeo ut D. *Alexander Henderson* non serius suum habuerit exemplum, quam ipse meum. Cumque *Regiæ Majestati* totum in genere pergratum sit (quod ex nova editione a suo Typographo curanda, brevi apparebit) exempla vestra quamprimum distribui præcepit, ut & hodie, ad me missa distribuentur: ac *Regiæ Majestati* placet, ut si quid ulterius de hoc vel quocunque alio subjecto quod Regis rebus usui esse possit, edituri sitis, ad me mittatis, priusquam prælo committatur, ut id perlegam. Si post Regias gratias, meas addere intempestivum non esset, persuasi sitis eas non defuturas. Zelus enim & labores vestri erga Regem, me devinxerunt vos & vestra *Regiæ Majestati* sedulo commendare, ac perseverare

Amicum vestri plurimum observantem.

Apud Basilicam S. Crucis 1. Nov. 1638.

HAMILTON.

§. LXXI. *Nil a Rege concessum, placuit fœderatis.*

Verum utcumque Theologi *Regiæ Majestati* hac in re morem gerere propensi fuerint, perspecto tamen quanto cum furore, partium studio ac præcipitantia, omnia illic agenda forent, itineris propositum omiserunt. *Fœderati* impetrato Regio edicto ad Synodum 21 Nov. A°. 1638. *Glascuam* convocandam, adeo omnem movere lapidem ad conventum ex sua penitus factione habendum, ut nulla unquam fortassis fuerit in Christiano Orbe Synodus, *Tridentina* non exceptâ, magis studiose delecta, ut esset uni parti religiosæ addicta. Post publicata *Regis programmata*, Liturgiam, Canones & Articulos Perthenses abrogantia, negativæ Confessionis subsignationem præcipientia, Synodum & Parlamentum convocantia; scrupuli & suspiciones populi, imo & plerorumque Ministrorum (qui illius ductores erant) quibus ad fœdus nuperum

rum ineundum moti fuere, evanescebant, ac perlibenter pacem volebant, quin & ea pars novi Concilii Ordinum Regni (si ita appellare liceat illegitimos Conventus Baronum Burgensium & Ministrorum quos ad res suas dirigendas Edinburgi instituerant Fœderati) quæ mensa Ministrorum vocabatur, a duabus reliquis, Baronum nempe & Burgensium mensis rogata, ut Delegatos mitteret ad Delegatorum omnium mensarum generalem consessum, (ita in ipsorum tunc dialecto loqui liceat) ut societatem cum iis inirent in protestatione contra dicta *Regis* programmata post meridiem illius diei facienda; Ministri (duobus vel tribus ad summum dissentientibus) protestationi adversabantur. Decretum itaque est a Fœderatorum ductoribus, hominibus tam tepidis minime fidendum, ac privatis monitis cautum est, ne, licet fœderati essent, ad Synodum delegarentur, eumque timerent ne in classibus Ministri servidi sociis Ministris suffragio inferiores essent, provisum est ut a singulis Parochiis ad Classes proprias Laicus mitteretur, quem *Presbyterum Laicum* appellabant, qui in omnibus suffragium haberet non minus quam Parochiæ Minister (ex quorum numero etiam Presbyteri Laici deligendi erant ad Synodum); licet per quadraginta retro annos nullus *Presbyter Laicus* in Classibus locum habuisset, neque unquam suffragium in delegandis Ministris ad Nationalem Synodum. Verum hic *Presbyteri Laici* præpollebant, neque in ulla Classe electi fuere quos Mensæ Edinburgenses rejecerant, vel si aliquis eligebatur, facile erat irregularitatem quandam objicere quo jus suffragii ei denegaretur, nisi se ex ipsorum partibus fore, fidem daret.

§. LXXII. *Synodus Glascuæ habetur, Episcopatum ac Liturgiam damnans, ac fœdus subsignandum sub pœna excommunicationis imperans.*

In publico programmate Regis edicto opposito, protestati sunt *Fœderati*, ne Archiepiscopi vel Episcopi, Synodo, quasi suffragium habentes, interessent, sed tanquam rei, ex delationibus factis & faciendis, examini & censuræ Synodi subjiciantur, ac ingratiis Dei & hominum legibus, generalem, invidiosum ac *famosum* texunt *libellum*, eos hæreseos, Simoniæ, perjurii, scortationis, adulterii, omniumque criminum, relative reos peragentes, ac jussu Classis Ecclesiasticæ Edinburgensis, ipsius promulgationem, per modum citationis e suggestis omnium templorum hujus Classis & postea totius regni, ejusque relationem in singularum Classium Archivos procurant. Coacta Synodo, postquam Prorex eam ad moderationem hortatus esset; Archiepiscopi & Episcopi per procuratorem suum ipsius jus & potestatem recusassent, ac interpellationem fecissent; Prorex, irritis omnibus ad temperantiam studiis, ipsam authoritate tandem Regia dissolvit. Illi nihilominus in consessu perstitere, omnes Synodos per quadraginta retro annos, ut limitatas, non liberas, abrogarunt; *Episcopatum* illicitum ac Ecclesiæ Scoticanæ legibus contrarium pronuntiarunt; Liturgiam, Canones, *Articulos Perthenses* damnarunt; *Fœdus Nationale* ab omnibus sub pœna excommunicationis subsignandum imposuerunt; *Episcopatum ac Articulos Perthenses* per id Fœdus ejurari, ac per Confessionem negativam Anno 1581. factam ejuratas fuisse dixerunt; exauctorationis sententiam in omnes *Episcopos*, ac etiam excommunicationis in octo illorum fulminarunt; inter quos ultimos fuit *Reverendissimus Joh. Spotwodus, Archiepiscopus Andreapolitanus*, & Scotiæ totius Primas. Vir pietate, gravitate, prudentia ac eruditione conspicuus. Author *Historiæ Ecclesiasticæ* Scoticanæ a prima gentis ad Christianismum conversione ad obitum usque *Jacobi Sexti Scotorum Regis*, vernacule tantum extantis, quæ eruditorum opinione Latinitate donari ac sola titulum Historiæ Ecclesiasticæ Scoticanæ præ se ferre meretur. Hujus pater in prima Reformatione Ecclesiæ, primus fuit inter Superintendentes, ac vir prudentia & pietate singularis. Synodum absolvunt Fœderati cum literis ad *Regem* datis ipsorum gesta vindicantibus ac *Regiam Majestatem* rogantibus, ut ipsos pro fidelibus ac officiosis haberet subditis; atque ipsorum gesta benigne interpretari vellet.

§. LXXIII. *Rex indigne ferens, Fœderatos armis coërcendos statuit. Ministri bello classicum canunt.*

Rex hæc indigne ferebat, ac Fœderatos monitis & mitioribus remediis recalcitrantes, vi & armis coërcendos esse statuit. Ex altera parte *Fœderati* ad bella parant, arces Regias occupant, munitiones belli conquirunt, milites conscribunt, bellicos consessus in unoquoque Comitatu erigunt, & repentinum fit per totum regnum incendium. Omnium vero *Ministri* occupatissimi. *Pulpita* bello classicum canunt, de Religione Reformata & Libertate publica actum esse clamitant, Papismum & servitutem introducendam, nisi pro aris & focis arma capiant. Obligationem Sacri Fœderis urgent, ac ut viriliter in prælia Domini descendant hortantur. Execrationes fulminant adversus eos qui non exirent Angelo Domini auxiliaturi adversus Potentes; & ut omnibus hisce pium fucum obducerent, dies Nationalibus jejuniis ac precibus sunt præstituti; atque ita plebs ad fervidum zelum animatur, omnia in discrimen mittere parata in fœdere prosequendo. Subdolam hanc artem, qua plebs captari solet, ingeniose satis describit celeberrimus

Hujus Spiritus Character a Philosopho descriptus. rimus hujus ævi Philosophus. Ea, inquit, est hominum natura, ut non modo ad hilaritatem, sed maxime etiam ad quoslibet tristes animi affectus commoveri delectentur. --- Hinc Concionatores, qui auditores suos ad iram & odium in alios homines excitant, præsertim in potentiores, quibus satis sua sponte infimæ sortis homines solent invidere; vel in eos a quibus de religione dissentiunt, quos ut bellorum causas jam oderunt, quamvis nihil egregii dicant, nihil boni, ac sæpe etiam statum controversiæ de qua disputant, nulli intelligant, modo tantum audacter, vehementer, copiose loquantur, & varias conviciorum phrases, humiles, ridiculas, inauditas, orationi suæ adspergant, majori cum studio a devota plebe audiuntur, magis amantur, magis laudantur, quam alii multo eloquentiores, sed qui eam non tam ad aliena vitia odio habenda, quam ad propria emendanda adhortantur. Hi enim quod ipsi displicet, proponunt; illi vero tantum quod placet. Ac sane magnum est solatium turbæ non malæ sed imperitæ, quod possit aliquando pie commoveri, pie irasci, pie potentiores aspernari. Quicquid enim facit talium virorum suasu vel exemplo, id pium putat, ut etiam illorum vehementiam in concionando, & libertatem in Optimatibus reprehendendis ab eximia sanctitate ac prophetico quodam zelo putet proficisci. --- Et quicquid illi suadere voluerint, summo cum ardore semper exsequi est parata. An vero utile sit Reipublicæ tales concionatores in ea versari, non meum est, inquit, inquirere --- Non etiam examino an pium sit & humanum odisse aliquos homines, propterea quod a nobis in Religione dissentiunt. Sed tantum affirmo omnem animi commotionem ad iram, odium & rixas, quantumvis justa sit ejus causa, semper maxime noxiam esse illi ipsi, qui sic commovetur. Ita enim sumus a natura comparati, ut parvo usu magnam proclivitatem ad pravos affectus acquiramus; & qui vel semel se ad iram commoveri passus est ob justam causam, hoc ipso multo paratior est ad alia vice irascendum. Audiunt mulierculæ in templo virum quem sapientissimum ac sanctissimum existimant, in alios homines declamantem, disputantem, convicjantem; rem, de qua agit, ut plurimum, non intelligunt, nihilque melius habent, quam ut omnes ejus commotiones pio affectu imitentur, iisque similes in se excitent, unde fit ut postea domum reversæ ob minimas quasque causas rixentur. Nec viri meliorem inde fructum reportant, ii præsertim, qui controversias istas utcunque intelligentes, non possunt non aliquando de ipsis contendere cum familiaribus suis alii religioni addictis, & inde ad jurgia, inimicitias, interdumque etiam qui vilioris sunt sortis, ad vulnera deveniunt. Adderem publica dissidia & bella ex talibus etiam causis posse oriri, eosque solere in bellis istis quam maxime periclitari, qui talium Doctorum sapientiæ confisi, eorum consilia sequuntur. Hactenus Philosophus.

Sed ut redeamus ad ea quæ *Forbesium* & Collegas immediate concernunt, *Rex* ipsorum pietatem, eruditionem, ac in obsequio *Regi* præstando sincerum zelum perspiciens, inter has turbas ad ipsos rursus sequentibus verbis scribere dignatus est. *§. XXXIV. Caroli Regis litera ad Forbesium & Collegas.*

Dilectis ac Fidelibus, JOHANNI FORBES, ROBERTO BARONIO, ALEXANDRO SCROGIE, JACOBO SIBBALDO, *omnibusque aliis Facultatis Theologicæ Aberdonensis.*

CAROLUS R.

„ Dilectis & Fidelibus salutem. Sicut „ antea perspeximus, ita nunc continuo „ comperientes, amoris vestri in obsequio „ erga nos promptitudinem & constantiam, sinceras vobis damus gratias, vos „ pergere jubentes prout cœpistis, ac præsertim hoc tempore, ut neque a vobis „ ipsis, nec ab ullis aliis apud quos monitum aut mandatum vestrum locum aliquem habet, quicquam fiat in approbationem nuperæ Synodi Glascuensis. „ Cumque speciatim observavimus non solum firmam vestram erga nos in nupera „ hac motuum & turbarum tempestate, „ fidelitatem; verum etiam summam vestram, in gravi & erudito isto scribendi „ genere, curam & laborem, ad nostra „ acta hoc tempore vindicanda, & temerarios, famosos ac seditiosos oppositæ „ partis libellos & positiones impugnandos, vos pro ratione temporum cœpta „ prosequi ac aliis doctis & benevolis animum addere, serio jubemus; & quicquid de hac re absolveritis, ad Delegatum nostrum quanta poteritis celeritate „ ac clam mittere, ut prout nobis visum „ fuerit, imprimi jubeamus. Vobis interim confirmantes, (prout jamdudum statuimus) operæ vestræ ac fidelis erga nos „ officii patrocinium ac remunerationem, „ quum hoc tempore id jure commeriti „ sitis, summæ nobis curæ fore. Valedicimus vobis. *E Basilica nostrâ albâ* 31. Jan. „ 1639. Stil. Scot.

Has literas comitabantur aliæ à Marchione Hamiltonio his verbis:

Exi-

§. LXXIV. *Caroli Regis literæ ad Forbesium & Collegas.*

Eximiis amicis, D. JOH. FORBESIO, D. ROB. BARONIO, D. AL. SCROGIE *cæterisque Facultatis Theologicæ Aberdonensis.*

Viri Reverendi,

„ Ex Serenissimæ Regiæ Majestatis li„teris propriis ad vos missis quam illi gra„ti sint vestri mores perspicietis. Meum „fuit fidelitatem ac zelum vestrum in ob„sequio Regi præstando vere narrare. Ac „vobis confirmo, me pro re natâ unicui„que vestrum gratiam impertire ac servi„re paratum fore.

„ Quæcunque ad me miseritis scripta „quamprimum remittam, cum Regiæ „Majestatis circa ea jussis. Sic omnia tau„sta vobis optat

Apud Basilicam Albam 3. Feb. 1639. St. Angl.

Amicus vester certus

HAMILTON.

§. LXXV. *Forbesius & Collegæ refugi a furore Fœderatorum.* Mense Martio A°. 1639. *Fœderati* ad Septentrionales Scotiæ partes subjugandas militum copias misere, ac primum omnium *Aberdoniam*, quæ a Regis partibus stabat, aggrediuntur & occupant. In nullos illic magis fremebant, quam in *Episcopum* & *Theologos*, qui idcirco refugium alibi quærere coacti sunt. *Episcopus*, *Baronius* & *Sibbaldus* per mare Angliam petunt, eâ horâ conscenso navigio qua oppidum occuparant *Fœderati*, qui eos rabiosis vociferationibus & sclopetorum displosionibus petunt & ad mare persequuntur. Palatium quoque Episcopale diruunt. *Forbesius* ad prædium suum de Corse recessit, ibique, donec illi abiere, mansit.

§. LXXVI. *Pacificatio facta inter Regem & Scotos Fœderatos.* Sub idem tempus *Rex* flore juventutis & nobilitatis Anglicanæ stipatus, ad confinia Scotiæ, ad *Fœderatos* vi & armis coërcendos movet, ac 28. Maji prope *Bervicum* in conspectu exercitus Fœderati castrametatus est. Verum *Scotis* pro pace supplicantibus, benignissimus *Rex* mitigatos clementia & concessionibus potius habuit ad obsequium pertrahere, quam armis subjugare, & pactis articulis exercitum exauctoravit. Inter Fœderati exercitus Delegatos dictus etiam Minister *Hendersonus* articulos pacis subsignavit. Mirati sunt nonnulli Ministrum qui in Episcopos ob rerum civilium curam tam vehementer vociferatus esset, eosque damnasset, in hoc Colloquio delegatum fuisse, ac scripto tam pure civili subscripsisse. Verum si hoc unicum fuisset civile negotium cui & ille & reliqui *Principes Ministri Fœderati* se immiscuissent, tam diris sceleribus non adeo polluta fuisset *Britannia*.

§. LXXVII. *Aberdonia singulari Dei providentia præservata.* Pacificatio primum lætitiæ indiciis communiter accepta fuit, qua nulla regni pars magis afficiebatur quam *Aberdonia*, quæ sic ab imminenti ruina erepta fuit. Quibusdam in Septentrionali Scotia a Regis parte stare persistentibus, adversus eos missæ fuot copiæ militares, quæ 19. Junii, fusis apud pontem Deæ iis qui pro *Rege* arma sumpserant, oppidum occupant, quod die proximo spoliis & flammis devorandum decreverant, prout copiarum præfectis in mandatis datum fuerat, eo quod incolæ fidem & jusjurandum violasse dicerentur. Verum eodem die 20. Junii, multo mane afferuntur a *Rege & Fœderatis* literæ pacem nuntiantes. Allator harum fuit quidam *Johannes Strachan* Nauclerus Aberdonensis, *Regi*, patriæ, ac natali urbi fidelis, in cujus navi Martio præcedenti *Episcopus* & *Theologi Aberdonenses* in Angliam devecti sunt, atque ibi hucusque commoratus, audita copiarum Australium adversus natalem urbem profectione, articulis pacis die 18. ejusdem Junii signatis, ac literis a Rege & Fœderatis de hac re impetratis, mox vela dans secundo vento fertur, ac multo mane dicto in concivium salutem & summam lætitiam fauste advenit.

§. LXXVIII. *Forbesius communis lætitiæ particeps.* *Forbesius* noster communis lætitiæ particeps fuit. Huc illuc refugere coactus fuerat, variis miois impetitus, ad curias Fœderatorum Ecclesiasticas citatus, in solo Deo spem ponens. Asylum quærens, ab eo unice pendebat, ut videre est io Exercitiis ipsius spiritualibus. Audita pace, Aberdoniam revertitur. Ac 30. Junii solennibus gratiis *Aberdonia* propter mirandam liberationem Deo habitis, rogatu populi io absentia Pastorum publicus apud Deum orator fit, ac divinâ Concione in Psal. 94. 17, 18, 19. inter reliqoas legenda, ad spirituales laudes eos hortatus est. Mense Augusto reversus est ex Anglia *Sibbaldus*, quem etiam *Bervicum* usque comitatus fuerat *Baronius*, ubi morbo correptus pie animam Deo reddidit.

§. LXXIX. *Fœderati fidem pactam male servant.* *Fœderati* fidem *Regi* pactam male servant, munitiones ab ipsis factas non diruunt, cunctas militum copias non exauctorant, præfectos militum retinent, conventus illicitos ut antea agunt, ac ut Regem populo perosum facerent, Ministri e suggestis vociferantur, Regem infidum esse, Bervicensis pacis articulos, jubente Rege, Londini, manu carnificis, combustos fuisse. Calumniæ huic ansam dedit senteotia Concilii Anglicani in scriptum lata ab articulis pacis diversum, quod Fœderatorum Delegati pro pactis articulis venditarant, quodque decreto Dominorum Concilii igni addictum fuit. Verum hisce populum captabant

bant Fœderati. Id hic memoro ob scriptum aliud postea inserendum, cum hujus mentionem faciat.

§. LXXX. *Nova Synodo acta prioris confirmantur.* Mense Augusto habita est *Edinburgi* Synodus Nationalis, quæ prioris acta de Episcopatu, fœdere Nationali &c. rata habet, ac nunc per totum regionem cunctos *Fœdus* inire ac jurare coactum pergunt. *Forbesius* a quibusdam Fœderatis fratribus vehementer sollicitatus, ac pœnis tam civilibus quam Ecclesiasticis, ei, si renueret, interminatis, ingenium, astutiam, solertiam ac indefatigabile studium quorundam Fratrum (ut ipse dicit) observans, qui se & collegas angoribus & opprobriis opprimere studebant, assidua oratione ad Deum refugit, pro lumine, consilio, in Deum fide, patientia, virtute, solatio ac omnibus donis necessariis, ut videre est in vitæ hujus parte secunda, præsertim in Exercitiis, non solum 18. Julii (cum primum a *Fœderatis* sollicitatus fuerat), sed & 11. Septembris 1639. 15, 16, 17, 20, 23, 24. diebus ejusdem mensis, Octobris 3, 12, 16, 17, 19. Februarii Anni 1640. diebus 21, 24. & Maji 6, 21, 23, 28, 29. item Julii 18, 20, 21, &c. ubi videri potest sinceræ devotionis spiritus ac exemplum ab omnibus qui affliguntur, præsertim qui ab aliis persecutionem patiuntur, imitandum.

§. LXXXI. *Forbesius coram Synodo citatus comparuit.* Die 17. Octob. comparuit *Forbesius* citatus, coram Delegatis Synodi Nationalis *Aberdoniam* missis, & actione adversus eum in aliud tempus protracta, apud acta citant ad se coram iis die 14 proximi Novembris sistendum, sed quum eo tempore non convenissent, rursus citatur ad 9. Julii 1640, quo die comparuit, postulatusque de contumacia in Synodum Nationalem, eo quod *Fœderi* non subscripsisset: Respondet quæstionem esse solum de diversitate opinionum in articulis quibusdam, ubi toleranda est dissensio in iis qui sibi soli sentiunt, ac nullas inde molestias creant, rogat ut id comiter perpendant. Dicit non posse jurare, se de tali opinione ex animo persuasum esse, dum ipse sibi testis esset, de veritate illius se non esse persuasum. Se Fratres eorumque sententiam veneraturum, in eam vero jurare non posse, nisi ex animo de veritate illius persuasus esset. Citatus est apud acta ut coram Synodo proxima Nationali ad diem 6. Augusti istius anni se sistat. Convenit Synodus *Aberdoniæ*, comparuit *Forbesius*, inter spectatores sedens, jubent de die in diem expectaret, atque extra Senatum maneret; morem gerit. Die primo Augusti coram delegato ab iis Inquisitorum consessu comparuit, ubi examen subiit, ac variæ quæstiones illi moventur. Ita pariter 4to & 5to Augusti. Die 5to coram Synodo vocatur. Dixit illi Præses, Synodum comperisse eum neque Papistam esse nec Arminianum, sed sincerum ac orthodoxum; & quod ad illius diversam ab illorum de fœdere sententiam attinet, die crastino se Synodi placitum de hac re illi indicaturum. Gratias Deo agit *Forbesius* & venerabili Synodo pro hoc testimonio, pollicetur que conari iis in quantum conscientia permitteret placere. 6to Augusti *Forbesio* rursus arcessito, Præses idem ei ingenuitatis & orthodoxias, nomine Synodi, præbet testimonium, dixitque Synodi placitum esse, ut intra paucos post Synodum dies Edinburgum proficiscatur, ibique Collationem cum istius Classis Fratribus de Fœdere habeat. Gratiam agnoscit *Forbesius*, obsequium promittit, rogans interim ut, si forte Collatione habita, idem cum iis non senserit, fraternam tamen in eum dilectionem servare dignentur, modo se bene gesserit; omnia argumenta quæ illi proponerentur se sincere perpensurum promittens, nullamque pertinaciam, nec cordis duritiem, nec laudem, nec vituperium, nec quicquid terrenum illi impedimento fore quo minus id amplectatur & asserat quod verum esse compererit. Se Deum precaturum, illiusque gratiæ inniti. Cumque petiisset ut fraternam dilectionem ipsi servarent, jubent ipsum id ad Delegatos Edinburgum conventuros referre, & tractationem benignam ab iis expectare, in quantum ea cum Ecclesiæ Scoticanæ communi bono stare posset, quod ab iis cuicumque homini præferendum erit. Id æquum esse respondit. Hæc e *Forbesii Diario* exscripsi.

§. LXXXII. *Ratio litis directa contra Forbesium.* Inter chartas illius habetur etiam libellus articulorum, de quibus postulatus erat, authenticus, scribæ Synodalis Vicarii autographum; una cum sententiâ a Synodo latâ, quæ hic exscribam.

Aberdoniæ 6. Augusti 1640. act. Sess. 12.

Quo die Magister *Georgius Young*, judicandæ litis contra D. *Joh. Forbesium* coram directionum consessu directæ, rationem omnem, ut sequitur, exponit. Dictus D. *Joh. Forbesius* sententiâ dicti consessus Delegatorum, censuræ obnoxius pronuntiatur, eo quod

1o. *Authoritatem suam non interposuerit ad supprimendum quantum in ipso fuit, doctrinas Papisticas & Arminianas, a nonnullis in Academiis dictatas, a Gulielmo Forbesio scriptas, & per manus studiosorum tritas.*

2o. *Quod librum scripserit, Irenicum appellatum. Ubi in plurimis locis, præsertim pag. 62.* &

& 63. *in suos Ecclesiæ Scoticanæ fratres acerbe invehitur.*

3°. *Quod in pag.* 141. *sui Irenici, Episcopatus abdicationem hæresim esse ac crimen impium, asserat.*

4°. *Quod in primo Moniti sui pacifici exemplo ad Marchionem Huntilæum misso ac postea in lucem edito, ad haud parvam Ecclesiæ & Regni hujus famæ & domi & peregre diminutionem, asseruerit, Fœdus nostrum esse scelestum, hæreseos, schismatis, perjurii, & perduellionis puteum.*

5°. *Quod Liturgiæ in Ecclesiam hanc ab Episcopis introductioni, catenus manus dederit ac faverit, ut Episcopo Rossensi, ipso fatente, ita loquutus sit: Quandocunque librum Liturgiæ compofueritis, si libro Liturgico Anglicano utemini, a quibusdam ibi positis, abstinendum esse vobis commendarem.*

6°. *Quod in pag.* 26. *Duplicationum, præsenti nostræ causæ, in qua flamus, hæc Scripturæ loca applicet, Matth.* 26. 52. *Quicunque gladium accipiunt, gladio peribunt, & Rom.* 13. *Qui resistunt, damnationem sibi accipient.*

7°. *Postulatus de Consecratione Lararii Dominæ de Wardes apud Tillifour conditi, num ibi adfuisset, id negavit: fassus est vero se adfuisse Consecrationi Lararii de Muchels in Comitatu Mearnii, quod est Equitis de Leyes.*

8°. *Profitetur, Nationali nostro Fœderi se non posse subscribere.*

§. LXXXIII. *Sententia in eum lata & a Classe Edinburgensi executioni mandata.*

Synodus Nationalis, ex lite in D. Johannem Forbesium directa, comperto cum a Papismo & Arminianismo abesse, volens idcirco eum benignius tractare, litis hujus cognitionem ac Johannis censuram Classi Edinburgensi delegat, ipsumque intra mensem vel circiter Edinburgum ire jubet, cumque illius Ministris & Classe collationem habere; in itinere etiam Andreapolin divertere, ibique Magistrum Samuelem Rutherford convenire, ac censuram illius fore, prout Classi Edinburgensi satisfecerit, ac ipsis pænitens esse videbitur. Quod si Edinburgum non proficiscatur ut dictum est, & se pœnitere non profiteatur, neque plenam det satisfactionem; dicta Classi in mandatis dat Synodus, sententiam depositionis adversus eum proferre. Extractum ex Archivis Synodi Nationalis Aberdoniæ habitæ, per me Jacobum Murray scribam vicarium a Synodo factum Magistro Archibaldo Johnstono Synodi Nationalis scribæ.

Sic subscribitur

MURRAY *Clerk Depute.*

Noverat Synodus Forbesium propter eruditionem ac pietatem toti regioni esse venerabilem, exauctorationem illius fore omni populo invidiosam, summum illius crimen esse quod Fœdus subsignare detrectaret, ipsum id non facturum, ab Officio itaque deponere decretum est; placet vero Synodo id munus Classi Edinburgensi delegare, quo vel non proficisceretur, vel iis satis non faceret, venerabili seni iter octoginta milliarium præcipiens, ut intra mensem ipsorum sententiam in se latam audiret; simulata erga eum benignitate ac clementia. Sed viscera quorundam sunt crudelia.

§. LXXXIV. *Forbesii Collegæ exauctorati.*

Forbesii etiam Collegæ coram eadem Synodo citati fuere, ibique exauctorati sunt D. Alex. Scrogie Palæo-Aberdonensis, Jacobus Sibbaldus Neo-Aberdonensis, ac Johannes Gregorius apud Dalmaack prope Aberdoniam Pastores. Hic etiam vir fuit eruditus ac pius, Jacobi Gregorii Mathematici quondam celeberrimi pater, ac D. Davidis Gregorii Oxonii Astronomiæ Professoris Saviliani eximii avus. Superiori Anno 1639. Leslæus Academiæ Regiæ Principalis, à Synodo delegatus ad Academiam visitandam, Officio privatus fuerat. *Forbesius* in Commentariis suis quædam narrat de interrogationibus sibi & Collegis propositis, ipsorumque responsis vel defensionibus, quorum nonnulla ipsius verbis hic exscribam.

§. LXXXV. *Narratio interrogationum & responsionum in hac lite a Forbesio scripta.*

„ Die (inquit) 17. Aug. Anni 1640. dolores ac terrores me rursus invaserunt „ ob pusillanimitatem ac prævaricationes „ meas, in quibusdam ex responsionibus „ quas nuperæ Synodo feci. Una fuit diminutio rationum quas primo adduximus, cur *Fœdus* non obsignaverimus. „ Altera fuit de *Presbyteris Laicis.* Multæ „ mihi propositæ fuere quæstiones, ac Dominus in me & pro me respondit, ejusque responsa fuere solida; mihi etiam „ infirmitatem meam ostendit in movendo „ quæstionem de Presbyteris Laicis, camque postea declinando magis quam expediebat.

„ *Me* & *Collegas meos* interrogarunt: Quare detrectatis vos *Fœderi* subscribere? „ Huic quæstioni prior & melior nostra „ responsio hæc fuit. 1. Quoniam in animo nobis persuasum non est, nec clare „ percipimus, nec firmiter credimus nos „ obligatos esse profiteri ac jurare, *Episcopatum, Articulos Perthenses*, ac libros illos (*Liturgiæ* & *Canonum*) quos non satis „ deliberate perpendimus, esse æternæ Dei „ veritati in Sacris Scripturis expressæ; „ contrarios, ac Papismi articulos. 2. Quoniam Ecclesiæ non licet perpetuam aliquam statuere legem, quam Deus non „ statuit. 3. Quoniam *Confessione* nostra „ majori tenemur nihil a generali Concilio „ propositum sine justo examine amplecti, „ nisi in quantum idem Concilium statu-

tum suum, plano Dei verbo confirmet, quod tunc revereri ac amplecti tenemur. Sed novos aliquos Fidei articulos, vel novam aliquam divini verbi expositionem, ex mera Concilii authoritate agnoscere non tenemur. 4. Quoniam clausulæ de defensione mutua jurejurando nos obstringere religioni ducimus, fine dilucida enucleatione ac plena de hac re persuasione. 5. Quoniam in *Confessione* omnes ritus ac cæremoniæ ejurari videntur, quæ fine Dei verbo introducuntur, licet Dei verbo non sint contrariæ. 6. Quoniam non intelligimus quo pacto ventura sæcula hujus sæculi jusjurandum servare obligentur. 7. Quoniam multa *Parlamentorum* statuta, nobis haud bene nota, inferuntur, & omnium præmissorum subsignatio a nobis postulatur.

Inter alias etiam hæc quæstio nobis proposita fuit: An existimatis hanc Synodum legitimam esse Christi Curiam Dei verbo consentaneam? Jussi *Collegas* huic respondere affirmative. Quodam vero e nostris inserente, Synodum hinc ansam arrepturam nos ad *Presbyteros Laicos* agnoscendos obligandi, hoc idcirco scriptum responsum dedimus; *quoad indictionem & convocationem, affirmatur*; de Constitutione autem, quoad Pastores, itidem affirmatur; Seniores autem Laicos quod attinet, de eorum potestate deliberandum videtur.

Licet responsiones hæ solidæ & modestæ essent, metuentes tamen nimium contentiosi videri, ac Synodum & Presbyteros Laicos magis infensos nobis reddere, eas die crastino mutavimus; ac ad quæstionem de *Fœdere* non subscripto obtulimus in scriptis, 1am 2am 4tam ac 5tam rationes, cum aliqua variatione vocum, sed materialiter easdem, nisi quod libros retulimus ad responsum alteri quæstioni de iis seorsim datum; de quibus diximus nobis placere libros oblatos esse, nosque paratos fore post eorum lectionem & justum examen de iis sententiam nostram, si requiratur, dare. Quinta etiam ratio dilucidius in secundo scripto exposita fuit; ubi ostensum est quod *brevis Confessio* omnes ritus ac cærimonias in Dei verbo non expresse mandatas damnare videatur, cum tamen *Confessio* nostra *Nationalis* tales innocuas temporales cærimonias approbare videatur. Et rogatus num alias etiam haberem rationes quibus stare vellim? Respondi, licet semper existimem posteros juramento nostro, ex vi sola juramenti non teneri, si tamen res jurata a Deo in omnia sæcula præcepta sit, tunc ex virtute divini præcepti nos teneri, ac proinde me putasse non opus esse, ut iis molestiam darem afferendo istam rationem de obligatione juramenti. Sic coram Delegatis Synodi respondi: ac M. *David Dickson* surgens replicavit, licet res jurata non esset divini juris, posteros tamen virtute juramenti majorum teneri: & in hujus rei documentum, jusjurandum a *Joshua* & *Principibus Israelis Gibeonitis* datum adduxit. Respondi hoc fuisse pactum civile inter duas gentes jurejurando sancitum. Replicavit si pactum cum hominibus servari oporteat propter juramentum; multo magis pactum cum Deo, idque juratum servari debere. Respondi me velle alio loco & tempore amice de hac re conferre, sed Curiæ molestiam circa eam creare nolle; assentiunt illi.

Verum re postea perpensâ, eam periculosi esse momenti existimo, si mer um majorum juramentum, in rebus etiam Religionis, regulæ ac obligationis apud posteros vim obtineat, & hinc cuilibet genti licebit, Religionem ac cultus formam, sibi, fine Dei verbo, instituere, eique posteros juramento obstringere; quod unanimi Reformatorum omnium doctrinæ, ac Sacræ etiam Scripturæ contrarium est. Ea quippe docet, nos pretioso sanguine Christi redemptos esse de vana nostra conversatione a patribus tradita (πατροπαραδότου) 1 *Pet.* 1. 18. & homines frustra Deum colere docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum, *Matth.* 15. 9. Quod attinet ad juramentum *Gibeonitis* datum, personalis fuit obligatio ipsos jurantes obstringens, fœdus, quod cum Gibeonitis fecerant, servare. Cumque Joshua Propheta ac dux populi legem ac perpetuum statutum in Israële tulisset, ut Gibeonitæ essent in ministerio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna & aquas comportantes, *Jos.* 9. lex & statutum hoc posteros devinxit, ad modum aliorum statutorum & legum quæ ex voluntate Dei, Moses & Joshua populo isti tradidere. Sed dices, si pactum cum hominibus juratum observandum sit, multo magis pactum cum Deo juratum. Respondeo, juramentum illud jurantes solum personaliter pacto stare obstrinxit, lex vero de pacto isto lata posteros obstrinxit. 2. Pactum cum Deo tunc obstringit, cum Deus id illi gratum esse indicat, quod ex Dei verbo dignoscendum est. Hac de causa pœnituit me hanc rationem in secunda charta omisisse, sed lætabar me de ea coram Delegatis locutum esse. Pœnituit etiam me dicas reliquas, cum haud aspernendæ sint, omisisse.

§. LXXXVI. Num posteri juramento nostro obligentur ex vi sola juramenti.

In secunda etiam charta de jure Synodi

§. LXXXVII. De Presbyteris Laicis.

„ di, responsum a nobis fuit affirmative. Cogitabamus enim id nobis minime expedire, ut quæstionem de *Presbyteris Laicis* moveremus, neque putavimus ob eorum præsentiam Synodum cassam esse, quæcunque fuerit eorum potestas; & præterea quoad nos & causam præ manibus nostris, nullum damnum vel incommodum ab iis habuimus, cum omnes *Ministri* subscriptionem Fœderi postularent, adeo ut Presbyterorum Laicorum suffragiis res non fuerit præponderata. Et cum coram Delegatis me sistebam, post datam secundam chartam, interrogatus quid de Synodo sentirem? dixi: *puto eam esse legitimam Jesu Christi curiam, ut in quæstione habetur.* Et rursus interrogatus, de illius Presbyteris Laicis? respondi: *Exceptionem nullam facio contra quodcunque hujus Synodi membrum, sive Clerum, sive Laicum; sed ipsis me submitto.* Ita dimissus sum a Delegatis. At postea gesta perpendens, infirmitatem meam video, tum quod quæstionem hanc de *Presbyteris Laicis* in prima charta sine necessitate injecerim, tum quod quæstione semel mota, eam tam leviter deseruerim. Cum enim de potestate ipsorum interrogarer, existimo me ad minimum respondere debuisse, quod utcunque æstimetur hic Ordo, agnoscunt tamen ii qui ipsius causam maxime agunt, eam esse specificam inter *Pastores* & hujus generis *Presbyteros* differentiam, quod in verbo & doctrina laborare *Pastoris* sit officium. Sed de verbo & doctrina authoritative ex officio pronuntiare & judicare, ac *Pastoribus* quid doceant & quid refutent præscribere, hoc est in verbo & doctrina laborare. Ergo id talibus Presbyteris ex officio non competit.

§. LXXXVIII. *Forbesius certior factus de sententiâ in eum latâ.* *Forbesius* coram Deo deliberans (ut in Diario 20. Aug. 1640. videre est) de professione ad collationem cum Classe Edinburgena habendam, si iis quoad *Fœdus* non satisfaceret, id ipsos iniquo animo laturos, seque in angustias redactum iri metuens, ni Deus pro eo miraculose operaretur, ut hucusque fecerat; ut periculum conscientiam ex infirmitate propria lædendi, & fratres ac populares offendendi evitaret, professionis consilium deposuit. Ad fratres itaque *Edinburgum* scribit (*vide* 10. *Martii* 1641.) se *Fœdus* salvâ conscientiâ subsignare non posse, ipsis itaque per eum licere in hac re decernere, vel ut ipsum professionis Theologicæ munere, ut solebat, fungi permittant, vel alium ad munus hoc obeundum constituant, ne professione ista, Ecclesia fraudetur. Die 20. Aprilis certior factus est *sententiam depositionis* a munere Theologico a Classe Edinburgena ob *Fœdus* non subsignatum & subsignationis recusationem, in ipsum latam esse, & die 21. Aprilis id illi a Synodo Provinciali Aberdonensi denuntiatum est. Qua humilitate & gratitudine erga Divinam Majestatem id acceperit, in quales orationes & laudes eruperit, & quam mire a Domino Deo suo consolatus fuerit, in *Exercitiis* ipsius *spiritualibus*, dictis & sequentibus diebus, legendum relinquo, unde tantum hæc duo desumam dicta:

Hunc mihi quis misero tantum speraret honorem
Nomine pro Christi quantulacunque pati?
O quam dulce mihi divini hoc pignus amoris!
Quam leve Christi onus est! quam mihi suave jugum!

Mart. Luther. in Thes. Heidelbergæ Disputatis 6. Calend. Maji, An. 1518. Thes. 21. *Theologus*, inquit, *Gloriæ*, *dicit malum bonum*, & *bonum malum. Theologus Crucis dicit id quod res est.*

Mirati sunt viri prudentes nulli parti addicti, qualis esset illius Ecclesiæ constitutio, in qua viro tantæ eruditionis ac pietatis, ac, ipsissimâ illâ Ecclesiâ teste, adeo orthodoxo, ac fuit *Forbesius* noster, munere Ecclesiastico vel Theologico fungi non liceret. Sed istius Ecclesiæ bonum, teste Synodo, postulabat, ut tanti viri laboribus fraudaretur. Ita solent & in Ecclesiastica & in civili politia ambitiosi homines tales condere leges & statuta, talia fœdera & juramenta publica, sub specie boni publici inire, quibus viri probi ab Officiis excludantur, & ipsi soli Ecclesiæ vel Regni gubernaculum dirigant, idque quanto cum utriusque Reipublicæ damno unumquodque sæculum proclamat!

§. LXXXIX. *Forbesii sensus de hac sententiâ.* *Forbesii* ipsius sensum de sententia in se lata hic subnectam, prout eundem 19. Oct. 1642. Synodi Provincialis Delegatis ad se missis exposuit, ut in Diario ipsius habetur. „ De domesticis, inquit, nostris dissidiis idem adhuc sentio. Verum cum Fratribus notum sit me in omnibus adversus Papistas, Socinianos, Arminianos, Anabaptistas, aliasque sectas, controversiis, sanum & orthodoxum esse, juxta doctrinam in Nationali nostra Confessione & Harmonia Confessionum positam; cumque mea de domesticis nostris differentiis sententia nec hæretica nec schismatica sit, eamque in pace teneam; ac satis sciens differentias hasce non esse sufficientem separationis vel molestiæ faciendæ causam, potestati huic Ecclesiasticæ me submittam, ejusque jussa faciam; neque in eo est mea praxis sententiæ meæ opposita, cum id quod facio licite possit fieri, & pace publica postulante id præstare de-

„ debeam; licet de natura Episcopatus, „ & necessitate vel injustitia quarundam aliarum rerum in *Fœdere* contentarum, „ a Fratribus modeste ac in pace dissentiam; cumque Episcopatus, quem ego „ legitimum & Dei verbo consentaneum „ existimo, Presbyteratum non evertat, „ neque se mutuo pellant; cumque in Ecclesiis quæ communi tantum Presbyterorum consilio reguntur, tali Episcopo „ carere sit equidem mea opinione defectus „ œconomicus, non vero defectus essentialis, neque Ecclesiæ naturam destruat, „ neque ipsius ordinationem & jurisdictionem tollat aut abroget; cumque mea de „ hisce domesticis dissidiis sententia, cum „ Catholicæ antiquitatis, Ecclesiarum Reformatarum, earumque maxime celebrium ac authenticorum Theologorum „ judicio congruat; cumque Fratribus meis „ notum sit, me in hac statione, manifestâ divinâ vocatione, Ecclesiæ suffragio, „ collocatum fuisse, ac Deus mihi in eadem „ adfuerit, neque stationem deseruerim, „ neque affectus ab ea distraxerim, sed ad „ Religionem Reformatam promovendam, in officio persistere cupiam; non „ video, quo pacto, cum respectu ad Deum, „ Fratribus meis tutum erit, e statione me „ pellere, vel mihi impedimento & terrori esse, in exequendo munere a Deo mihi demandato, in quo misericorditer me „ benedicit. Quocirca ob cunctas has rationes expecto eos, ut in officio pergam, „ me consolaturos, & ab eo non amoturos; „ quod si fecerint, hoc est, si a statione „ in quâ a Deo positus sum, me amoverint, ipsorum factum approbare nequeo, „ id tamen æquo animo pati statuo.

Verum in Ecclesia Scotiæ Presbyterianâ, tam pio, erudito, orthodoxo, pacifico, humili & exemplari viro, munere Ecclesiastico fungendi potestas eripitur, ac si ea istius Ecclesiæ bono non foret, quæ totius Christianæ Ecclesiæ magno fuisset emolumento, atque illum exauctorant quem Jesus Christus non exauctoravit, ac proinde Christi Spiritu non ducebantur. *Quid obest homini* (inquit *August.* 11. quæst. 3. Quid) *quod ex illâ tabulâ vult eum delere humana ignorantia, si de libro viventium non deleat iniqua conscientia? Cum aliquis* (inquit *Origenes*, 24. quæst. 3. Cum aliquis) *exit a veritate, a timore Dei, a fide, a charitate, exit de castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocem minime abjiciatur. Sicut e contrario aliquis non recto judicio foras mittitur, si ante non exierit; interdum enim qui foras mittitur, intus est; & qui foris est, intus videtur retineri.*

§. xc. *Sibbaldus errorum* — Non ingratum fore Lectori nec intempestivum spero, si ulterius narrem quo pacto *Jacobum Sibbaldum* tractarunt, cum *Forbesii* Collega esset, & iisdem molestiis agitatus. *Sibbaldus* a dicta Synodo An. 1640. Officio pastorali depulsus fuit, quod *Fœdus* subsignare nollet. Verum id non satis fuit, sed direptis quibusdam ex ipsius chartis, eum haud orthodoxum esse concludunt, ac de falsis doctrinis accusant, anathema interminantes, si palinodiam non caneret. Sequitur accusatio. *& hæreseos accusatus.*

Catalogus errorum propter quos M. JACOBUS SIBBALDUS *(a Ministerio hactenus depositus), anathemate prosequendus est, si eisdem non recantaverit.*

Patet eum inimicum esse Ecclesiæ Scoticanæ & erroris occultatorem, eo quod non solum habuerit in sua potestate & custodia, D. Gul. Forbesii *scripta, quæ erronea esse agnovit, verum etiam ea dispergenda mutuo dederit, ut inter studiosos de manu in manum communicarentur, & tamen nec contra horum errores locutus est, nec studiosos ut ab iis caverent, monuit.* 1o.

Apparet eum varios Papismi & Arminianismi Articulos docuisse ac propalasse. videl. 2o.

1. *In Funebri Concione p.* 125. Potestas libera aliquid agendi in nobis juncta est cum potestate circa oppositum.
2. *In Funebri Concione p.* 134. A Deo provenit omnis sanctificatio, etiam ad externa Symbola vel Sacramenta, quæ pro nobis instituit qui rudes sumus & a sensibus ducti, ut per hæc sensibilia nos sanctificaret, & corporeo tactu Spiritum suum ejusque dona in animis nostris earumque facultatibus infunderet: *ex quo apparet eum efficaciam Papisticam approbare, & opus operatum, quod Papistæ Sacramento ascribunt.*
3. *In Concione Funebri p.* 96. Ecclesiæ Christianæ visum est sacerdotibus suis externum etiam habitum ab aliis diversum injungere.
4. *In pag.* 79. *Responsionum duplicatarum, privati Baptismi necessitatem asserit.*
5. *In earundem pag.* 84. Non erubescimus cum primitivis Patribus Cœnæ Dominicæ Sacramentum ἐφόδιον vel viaticum appellare, licet vos id improbare videamini.
6. *Pag.* 32. §. 5. *sup. Matth. in Concione manuscripta ad populum habita, jejunii quadragesimalis institutionem approbare videtur. Ejus verba sunt:* Christus tam diu jejunavit, non ideo maxime ut nos tam diu ipsius sequamur exemplum, sed ut æque diu ac Moyses jejunans, Evangelium prædicatum veniret, nobis tantum prout possimus sequentibus: nihilominus Ecclesia tam longum je-

jejunium ante Pascha instituit.

7. *Pag.* 71. §. 4. *super Luc.* 11. ℣. 41. *docuit* eleemosynas quodam sensu dici posse peccatum respectu culpæ expurgare, quatenus dispositio sunt ad justificationem, gratiam illius impetrans.

8. *Super Rom.* 3. ℣. 23. *docuit fidem magis immediatè vel distincte in eum ferri cujus potentiâ justificamur; eam solam esse dispositionem inter omnia nostra opera cui justitia ascribi possit sine periculo superbia, vel derogatione de gratia Dei.*

9. *Super Luc.* 13. ℣. 34. *Docuit* Christum ipsius meritis omnia acquisivisse auxilia, quibus hominibus opus est ex parte Dei, ut reconcilientur & salventur; a Deo impetravit, ut deposita ira quam adversus hominem ob peccatum habuit, omnibus adesse & assistere velit. Filius omnes illuminare præsto est, si quis non videt, ipse in culpâ est.

10. *In Concione super* 2. *Joh.* & 4. *ait:* Hinc patet quam religiose versari debemus in domo Dei, & quam impie Christianorum Ecclesiæ a multis profanentur, quibus major debetur reverentia quam templo Hierosolymitano, ob veram in iis Dei præsentiam, & sanctorum Sacramentorum administrationem. *Et paulo post, super eundem textum:* Sed Deus in hac domo habitat, cum in hoc loco cultui ipsius consecrato facilem aurem præbuerit, ac proinde orationes servorum ipsius magis acceptæ sunt, quam alibi, cæteris paribus, hoc est, si pari pietate, fervore ac fide invocetur, quas virtutes circumstantiæ loci & eorum quæ ibi gesta sunt, magnopere excitant & confirmant. Si Deus omnibus in locis æque adesset, frustra diceremus; Pater noster qui es in cœlis.

3°. *In respondendo ad quæstiones ipsi propositas repertus est in quibusdam errore imbutus, in aliis ambiguus & erroris suspectus, ubi apertius mentem dicere debuisset.*

1. *Interrogatus, num Papa Antichristus esset, respondit, se opinari Papam esse Antichristum, ac nescire num major Antichristus post eum veniet.*

2. *Interrogatus de descensu Christi locali ad inferos, respondit Ecclesiam Scoticanam in Nationali Synodo istum articulum non definivisse. Se credere Christum ad inferos descendisse, & quod ad localem animæ ipsius ad inferos descensum attinet, eam fuisse priscorum quorundam sententiam, seque cum Zanchio eam improbare nolle.*

3. *Interrogatus, num putaret omnes infantes baptizatos esse vere regeneratos, respondit, se illi articulo Ecclesia Scoticana adhærere, quod per baptismum in Christum insiti simus, ut ipsius justitia participes fiamus, eumque in infantibus efficacem esse nisi ponatur obex; sed num ponatur obex ratione præscientia divina vel aliter, se non velle determinare. 2. Interrogatus, quisnam esset ille obex, dixit se non velle ad id respondere, & si cum Augustino affirmasset, quod omnes infantes baptizati regenerentur, se nil absurdi locutum fuisse, opinari.*

4. *Interrogatus, utrum Deus velit omnes salvos esse voluntate antecedenti, dixit, si spatium aliquod temporis illi concedatur, se responsurum. Id loquutus est mox, postquam dixisset se Canonibus Synodi Dordracenæ subscribere velle.*

5. *Interrogatus quid opinaretur de altaribus, inclinationibus coram iis, sacerdotis habitu dum oblationem facit, qualia sunt superpelliceum, amiculum linteum, cappa, positio mensæ per modum altaris, & conversio ad orientem orando, respondit, in solutione harum quæstionum se sibi nondum satisfecisse.*

In Concione super cap. 3. *ad Rom. Feb.* 1638. 4°.
his usus est verbis: Cum Theologi nostri dicunt nos sola fide justificari, omnia opera auxilio gratiæ facta, tanquam conditiones ac dispositiones præparantes non excludunt, qualia sunt pœnitentia, misericordiæ desiderium, oratio. 2°. Opera per gratiam præstita tanquam fidei fructus non excludunt, nam eo modo fidei non sunt opposita, sed amice cum fide conveniunt. *Miratus est Theologos Protestantes docuisse, aut unquam cogitare potuisse, quod priusquam resipiscimus justificati simus,* nam, *inquit,* extra omne dubium est, resipiscentiam, emendationis propositum, veniæ spem, orationem, ac gratiæ desiderium, miseriæ sensum, præire tanquam conditiones & media præparantia priusquam justificemur. *Interrogatus, num doctrinam hanc approbaret, respondit,* se priora verba rite intellecta approbare, nempe hæc opera adesse debere vel præeuntia vel sequentia fidei justificantis actum, & media præparantia auxilio gratiæ præstita posse justificationem præcedere, nempe pœnitentiam. Affirmavit se a Theologis nostris dissentire qui opinantur quod pœnitentia justificationis actum non præcedat. Quod ad secundum attinet, nil mali in eo videt, cum Apostolus dicat, fidem per charitatem operari: De tertio existimavit idem esse cum præcedenti.

In Duplicationum p. 26. *nobis in æquissimo hoc* 5°.
bello nostro defensivo hæc Scripturæ loca applicat, Matth. 26. 52. Quicunque enim acceperint gladium, gladio peribunt: Et Rom. 13. Qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

60. *Interrogatus de nostro Fœdere, num ei subscribere vellet, respondit, se illi subscribere non posse. De plurimis aliis etiam articulis propositæ fuere ei quæstiones, & ubi Ecclesia nostra doctrina & Theologorum Reformatorum principiis consentiebat, distincte & aperte respondit; ubi vero in suspicionem vocatus fuit, in præcipuis nempe articulis, ambigue respondit, vel respondere detrectavit.*

Sic subscribitur

MURRAY *Scriba Vicarius Synodi.*

§. XCI. *Sibbaldi animadversiones in quosdam accusationis articulos.*

Sibbaldi Autographum quoddam 6. vel 7. fol. observationes quasdam in dicam hanc continens apud me habeo, quarum summam hic breviter enarrabo.

„ Primo quod ad chartas suas attinet, Ex meis, inquit, schedis direptis ansam capiunt me de quibusdam articulis accusandi, & priusquam quinam essent distincte novissem, respondi, has chartas non posse in testimonium contra me adduci, cum ipsarum quædam essent breves librorum a me lectorum summæ, quas exscripseram, ut iis vel in refutando vel approbando facilius uterer; Aliæ vero collectiones essent ex Commentariis aliisve libris quas pro meditationum materia in concionibus formandis exscripseram, ut eas pro ratione post justam examinationem, aut probare aut rejicere possem; ac omnes privatæ fuere, non publicæ, neque publico sed proprio tantum usui destinatæ. Et ad hoc confirmandum adducit resolutionem *Navarri* in simili casu Consil. l. 5. de hær. Consil. 7. qui posito hoc fundamento, quod nemo sit accusandus vel arguendus eo quod hoc vel illud scripserit, & suâ manu, in chartulis, commentariolis, & aliis memorialibus imperfectis, indigestis, & inemendatis, posuerit, quibus manus extrema non sit adhibita, nec sunt usque adhuc edita, validis rationibus, distinctis legibus, & celeberrimorum Doctorum authoritate & exemplis, a Sibbaldo exscriptis, clare evincit, nullam accusationem justam, multo minus sententiam, in hujusmodi chartis posse fundari.

§. XCII. *Ejus sententia de jejunio quadragesimali.*

„ Ut plenius satisfaciat, articulos plerosque accusationis sigillatim considerat *Sibbaldus*, & quæ de iis sentiat, dicit. 1o. *Jejunium Quadragesimale* licitum esse, superstitione & delectu ciborum amotis, negari haud posse existimat, & ad unanimem Antiquitatis consensum, Theologorum etiam eruditorum Protestantium, jejunium hoc, prout a pura primitiva Ecclesia observatum fuit, approbantium sententiam accedere ostendit. In hujus rei documentum, testimonia *Zanchii*, Doctorum *Field* & *Andrews*, ac *Petri Molinæi* adducit. & cum hac quæstione concludit; num scil. ii qui hoc jejunium non approbant, omnia improbent jejunia; si id non faciant, cur hoc potius quam ullum aliud rejiciant, præsertim cum tam antiquum sit, & ob graves causas institutum; sed si nulla stata jejunia approbent, (quæ istorum doctrina & praxis est) quo pacto Aerii reatum devitabunt? qui Epiphanio teste, hæres. 75. dixit: *Neque jejunii instituendi ulla ratio est. Hæc omnia Judæorum propria sunt, & cuidam servitutis jugo subjecta, quippe justo nulla lex posita est, sed parricidii ac matricidii duntaxat & id genus aliorum: nam si jejunare omnino decreverim, quacunque libuerit die, sponte & integra libertate jejunabo. Hinc est,* inquit Epiphanius, *quod isti Dominica die jejunare potius affectant; quarta vero sextaque feria vescuntur, non ulla lege, sed voluntate ut asserunt inducti. Porro diebus ipsis Paschatis, quod tempus humi cubando, castimoniam servando, afflictandoque corpore; necnon & aridorum ciborum usu, precibus, vigiliis, jejuniis, & reliquis id genus saluberrimis corporis cruciatibus, celebrare solemus; illi e contrario jam tum diluculo obsonari solent, & carnibus vinoque distenti, cachinnari, ridere, eosque qui illam Paschatis hebdomadam, sanctissimis illis religionibus traducunt, ludibrio habere.*

§. XCIII. *De purgatione peccati per eleemosynas.*

„ Ad alium articulum e chartis ipsius adductum, nempe *peccatum eleemosynis expurgari*, respondet, se nunquam privatim vel publice dixisse, peccatum eleemosynis expurgari, sed eas tantum commendasse ut Deo plurimum gratas & acceptas cum rite fiant; & si quid tale in chartis ipsius reperiatur, merum exscriptum esse, idque ut sibi videtur, e Fr. White Orthodox. &c. Præterea, si totidem verbis dixisset, peccatum quodam sensu eleemosynis purgari, quid amplius asseruisset quam in Scripturis diserte traditum est? Nonne Salomon dicit Proverb. 16. 6. Misericordia & veritate redimitur iniquitas? Nonne licitum est Scripturæ phrasibus uti? Evidenter itaque patet hæc verba, candida interpretatione, in vero & bono sensu capi posse. Sic S. Aug. in Enchir. cap. 72. *Multa sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur, & dimittuntur nobis nostra peccata.* Et in scriptis Patrum plurima similia dicta reperiuntur. Si itaque talia verba in bono sensu sumi possint, hic & non alius iis ascribi debet. Lex enim diserte dicit, *dubia interpretanda esse*

in

in meliorem partem, & semper in dubiis benigniora esse praeferenda.

§. XCIV. *De Ecclesiarum dedicatione & sanctitate.*

Ad alios duos articulos de *Ecclesiarum dedicatione & sanctitate &c.* respondet, se existimare, quod Ecclesiae precibus & gratiarum actionibus Deo consecrari possint & debeant, in signum separationis a profano & communi usu, & destinationis ad sacra & pia exercitia. 2. Dicit loca sic consecrata magis sacra esse quam domus communes; se non adeo absurdum esse ut putet iis talem inesse sanctitatem qualis est in creaturis ratione praeditis, sed eam solum quae locis & temporibus convenire potest; & quod quaedam sanctitas iis convenire possit, a nemine in dubium vocari posse qui S. Scripturam amplectitur, cum ex ea pateat, sanctos esse dies, & terram posse esse sanctam. *Ne appropinques huc* (dicit Dominus ad Moysen), *solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est. Exod.* 3. 5. *Act.* 7. 33. Sic *Joh.* 5. 15. Item *Levit.* 27. 28. dictum est: *Quicquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino. S. Paulus* 1. *Tim.* 4. 5. docet *omnem creaturam sanctificari per verbum Dei & preces.* Si itaque, inquit *Sibbaldus*, cuicunque bonae Dei creaturae sanctitas convenire possit, cur non etiam Ecclesiis? Nullius sunt res sacrae, & religiosae & sanctae. Quod enim divini juris est, id nullius in bonis est, dicit lex. Quis affirmare audet elementa panis & vini post consecrationem magis sancta non esse, quam sunt communis panis & vinum? Peculiarem vero hunc sanctitatis gradum ideo habent, quod in sanctissimum & religiosum usum destinata & consecrata sunt; eodem pariter modo, licet non gradu, sanctae sunt Ecclesiae, quoniam in sacros usus sepositae ac destinatae sunt, & per preces ac gratiarum actiones in hunc finem consecratae. Si mera rei in sacrum usum destinatio sanctam eam reddat, Levit. 27. sique preces & gratiarum actiones id in quodam gradu sanctum faciant, quod communi tantum usui destinatur, ut est ordinarius noster cibus; ab omni ratione alienum est affirmare Ecclesias non ita se habere &c. Si dicatur nos verbi divini authoritate muniri in elementis panis ac vini, non vero in Ecclesiis, consecrandis; dico, inquit, id falsum esse, nam res communi tantum usui destinatas, multo magis quae sacris usibus destinantur, per preces & gratiarum actiones benedicere jubemur. 3. Datur peccatum quod *sacrilegium* vocatur; alioquin quo pacto diceret Paulus Rom. 2. 22. Qui abominaris idola, sacrilegium committis? Id ipsi Ethnici pro flagitiosissimo crimine, & pari poena cum parricidio plectendo, habuere. Jam una ex praecipuis sacrilegii speciebus est Ecclesiarum earumque dotationum violatio & expilatio, quae proprie sacrilegium dicitur. 4. Tandem ostendit id esse sententiae & praxi veteris Ecclesiae consentaneum, ut patet ex Scriptoribus Ecclesiasticis antiquis, quorum testimonia adducit, & Theologorum eruditorum Protestantium judicio, citans Bucerum, Pet. Martyrem, & Zanchium; adeo ut Sibbaldi temporibus eximii hi viri in Ecclesiae Scoticanae communionem recipi non potuissent, sed ex ea ejicerentur, nisi doctrinae hujus palinodiam cecinissent.

§. XCV. *De afflictionibus piorum, quod poena, & a justitia Dei provenire dici possint.*

Dicit Sibbaldus, alium fuisse e chartis allegatum articulum de *piorum afflictionibus, quod* nempe *poena dici possint & a justitia Dei provenire.* Sentit ille eas vere dici posse poenas, idque ob has rationes. 1. inquit, quoniam in iis omnia ad poenam necessario requisita reperiuntur, videl. quod respectum habeant ad culpam, tanquam fontem & scaturiginem primariam unde fluunt; mors enim & quaecunque miseria eam introduit per peccatum intrarunt. *Rom.* 5. 12. *Gen.* 3. 17, 18, 19. - - - - Praeterea Scriptura expresse docet charissimos Dei servos propter peccata ipsorum actualia afflictos fuisse. Sic *Moses Ps.* 106. 32, 33. *David*, &c. Secundum ad poenam requisitum est, ut per eam patiantur & multum patiantur. Tertium, quod ipsorum voluntati, si non actuali, tamen naturali ipsius propensioni & inclinationi contrarium sit. 2. Iniquitates eorum a quibus Deus non aufert misericordiam suam virgâ visitantur. *Ps.* 89. 32, 33. *Ps.* 69. 26. *Ps.* 90. 7, 8. *Heb* 12. 6. Tertio Scriptura asserit *eos a Domino judicari*; 1 *Cor.* 11. 32. *& quod judicium incipiet a domo Dei.* 1 *Pet.* 4. 17. Si itaque piorum afflictiones prout a Deo veniunt sint ipsius judicia, sique eos judicet cum affligit, hinc patet eas & poenas esse & a justitia Dei provenire, quae duae inseparabiliter connectuntur. Ubi dicitur afflictiones solum medicinam esse ad animam a morbis praeteritis curandam & a futuris servandam, ac Deum in iis vindictam suam aut justitiae suae satisfactionem non meditari, sed afflictorum aliorumque qui eorum calamitates observant, bonum spirituale ac aeternum; respondet *Sibbaldus*, verum esse has afflictiones medicinae similes esse, ac Deum affligentem esse Medico similem, verum non ita tantum. Medicus nullum habet

in

„ dominium in patientem suum, verum Deus, utpote supremus noster Dominus ac judex absolutum ac supremum in nos dominium habet, eoque in affligendo utitur, eo saltem modo quo Pater facit qui filium suum propter delictum castigat,* *Heb.* 12. Et quemadmodum patris castigatio pœna esse non desinit, eo quod virtutem medicam ad præservandum a culpâ habeat, ita se habet virga quâ Deus liberos suos castigat. Ita pariter intentio divina, afflictorum aliorumque eos observantium bonum promovendi, naturam pœnæ ab ipsorum afflictionibus minime tollit. Quemadmodum inter homines judex fortassis reum flagellari aut per aliquod tempus in carcerem mitti decernit, ut in posterum emendetur, & alii a simili reatu sibi caveant. Dato afflictiones nil esse præter castigationes paternas, haud tamen inde sequeretur eas non esse pœnas, imo contrarium potius, cum castigationes sint una pœnæ species. Nil aliud vero inde inferri potest, nisi quod non sint ea pœnæ species, quæ solius vindictæ gratia infligitur.

„ Ad id quod dicitur Sanctorum peccata condonata esse, ac proinde ob ea eos postea puniri non posse; cum repugnantia videtur, ut peccatum sit remissum, & homo nihilominus propter id puniri possit; respondet *Sibbaldus:* Remissio peccati a Deo ejusque cum peccatore reconciliatio magnos inquit & beatos habet effectus. Ex hoc plenum peccati supplicium, quod in justitia ei congruit, aufertur; ex hoc illius gratia potimur, & ad omnes salutiferos ipsius effectus jus habemus, nominatim plenam ab omnibus illis miseriis quas hic patimur, liberationem quam justo tempore adipiscemur. Conceditur etiam gratia, qua afflictiones nostræ sanctificentur, ac bono nostro spirituali & æterno subministrent. Sibi tamen potestatem reservat nos castigandi, quemadmodum Pater filium, in nostrum & præsens & futurum commodum, & ad justitiam ac sanctitatem suam patefaciendam. Quænam in his repugnantia justitiæ aut bonitati divinæ? Dicit Apostolus: Nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo, sed non dicit, nil esse in iis damnabile. Tenent nostri Theologi pravitatem originalem in Sanctis remanentem, esse vere peccatum. Atque nullus est qui non peccat. Patet itaque pœnas Sanctorum temporales nec Dei justitiæ repugnare, nec de benignitate ipsius in condonando, vel justificationis nostræ dignitate, derogare. Tam longe abest ut justam querelæ ansam inde habeamus, ut in afflictionibus nostris Dei justitiam agnoscere teneamur, *Ps.* 119. 137. sapientiam illius adorare, bonitatem mirari, qui e tantis malis nos hactenus eripuit, & ab omnibus justo tempore liberabit, quod patienter a nobis expectandum est.

„ Deinceps ostendit, has afflictiones non a solâ justitiâ & simpliciter provenire, neque mere pœnales esse; sed a justitia ita cum misericordia temperata, ut vix pœnæ proprie sic dictæ vocari mereantur, si cum peccatis nostris eorumque pœnis meritis conferantur; si ratio qua movetur nos affligere perpendatur, ipsius nempe amor, non minus, imo plus, quam misericordia; si cum respectu ad effectus a Deo propositos & productos considerentur, quales sunt innatæ corruptionis mortificatio, peccatorum sensus, ea devitandi cura; donorum Dei in nobis inceptorum exercitium, eorum probatio; Filii ipsius imagini major conformitas; ut ipsæ sint æterni gaudii ac beatitudinis seminarium. Ac Augustini diversis de hac re loquendi modis conciliatis, adductoque Melanchthone ut idem secum sentiente, concludit *Sibbaldus* ostendendo differentiam hujus doctrinæ a Papistica.

§. XCVI. *De distinctione voluntatis Dei in antecedentem & consequentem.*

„ Denique prolixius tractat *Sibbaldus* distinctionem *voluntatis Dei in antecedentem & consequentem.* Et ostenso distinctionem hanc apud Patres, Scholasticos & Neotericos in usu esse, observat voluntatem antecedentem significare posse vel nudam & simplicem complacentiam in re aliqua quæ in se ipsa considerata est bona, ac in eo sensu Deo ascribi posse, quo ad omnium creaturarum rationalium sanctitatem & salutem. Salus enim & Angelorum & hominum in se, inquit, considerata, amabilis est, Dei gloriam, & hominum & Angelorum, qui ad Dei imaginem facti sunt, utilitatem, ex sua natura spectans. Est itaque ex se objectum complacentiæ divinæ maxime congruum, qui est ipsa bonitas & amor, & in quacunque re bonâ, præsertim ipsius gloria & imagine, complacentiam non potest non habere.

„ 2°. Voluntas, inquit, antecedens significare potest, non tantum complacentiam simplicem, sed etiam actum qui per modum prosequutionis tendit versus objectum; qua de causâ, qui hanc habet voluntatem, dat, vel paratus est dare id qnod ad rem volitam perficiendam sufficit; hæcque voluntas est vel absoluta & effectiva; sicque voluntas qua Deus de-

decrevit homines vocare est antecedens, cum a nulla re in nobis oriatur, ac sine ulla prævisione determinationis voluntatis humanæ fieri possit, a sola & mera benignitate divinâ proveniens; estque hæc voluntas effectiva; quoscunque enim Deus vocare decrevit, eos vocat, eoque modo quo decrevit. Vel (2.) potest hæc voluntas fieri conditionata, ut cum quis, hanc voluntatem habens, vult talia & talia fieri, verum non absolute, nec sine omni limitatione, sed in quantum postulat providentia, quæ sufficit in eo qui ita vult. Sic cum hæc voluntas Deo ascribitur quoad sanctitatem & salutem eorum qui pereunt, hanc formaliter vel virtualiter includit conditionem, se id operaturum, si homo obicem non ponat, se in hunc finem ea facturum quæ providentiæ ipsius congrua sunt, eaque nullo modo impediturum.

Pergit deinceps inquirere num talis sit in Deo voluntas, & perpensis argumentis contra eam adductis ac ad ea responsionibus, quæ prolixe satis deducit, ulterius disquirit num talis sit in Deo voluntas, & quousque ei ascribi possit. Ac primum *voluntas illa antecedens* sanctitatis & salutis Deo inesse videtur, inquit, cum respectu ad omnes homines in Adamo consideratos; qui in eo non solum naturam æternæ beatitudinis capacem, verum etiam & eam justitiam, qua omnes salvari possint, iis dedit. 2. Si consideretur cum respectu ad hominem lapsum, non patet eam in Deo esse quoad omnes homines, cum innumeri (ait ille) quantum nos perspicimus, necessariis & sufficientibus salutis mediis destituantur. 3. Videtur in Deo esse quoad omnes qui in Ecclesia sunt, quibus media sufficientia, idque serio, offeruntur. 4. Dicit se doctrinam Arminianorum minime approbare, qui asserunt Deum electos plus quam alios amare voluntate consequenti, vel ex eo quod prævideat eos credituros, cum voluntate antecedenti omnes æqualiter amet.

5. Eorum doctrinam non approbat qui asserunt Deum plerorumque humani generis damnationem voluisse voluntate antecedenti, & ante alicujus peccati in iis prævisionem. Agnoscit nil esse in homine propter quod Deus quosdam, aliis præteritis, ad vitam ordinavit. - - - Dicit se id, cum Scriptura, voluntatis divinæ beneplacito tribuere, quod, licet occultum, semper justum est. Verum si sermo fit de reprobatione positiva, quæ est divinum pœnæ decretum, dicit id esse ex voluntate Dei consequenti, & peccati prævisionem præsupponere, non tanquam causam voluntatis, sed tanquam rationem voliti. Ostendit 1. Synodum Dordracensem in eadem fuisse sententia, idque patere ex ipsius Canonibus, & Theologorum, præsertim Britannicorum suffragiis. 2. Scholasticorum doctissimos. 3. Patres, Augustin. ad art. falso sibi imposit. art. 3. *Nemo a Deo creatus est ut periret.* vid. art. 11, 13, 15, 16. 4. Omnes Dei vias esse misericordiam & justitiam. Cum itaque ordinatio quorundam ad mortem æternam, non sit misericordiæ opus, oportet ut sit justitiæ actus, & sic culpæ prævisionem supponat. Ad id quod dicitur peccatorum punitionem Deo placere, ac proinde videri eum voluntate antecedenti eandem velle, non minus quam hominum salutem; respondet hominum salutem esse in se Deo gratam, licet nihil respiciamus ex parte hominis, ac proinde congruum esse voluntatis Dei antecedentis objectum, quod res in se amabilis esse oportet. Sed quod ad hominum pœnam simpliciter & in se consideratam, ea Deo grata non est, sed quatenus justa peccati vindicta est. *Jerem. Thren.* 3. 33. Hinc *Aug. Confess. l.* 3. *c.* 2. dicit *miseriam non esse desiderandam ut manifestetur misericordia; etsi approbatur, inquit, officio charitatis, qui dolet miserum, mallet tamen utique non esse quod doleret, qui germanitus misericors. Si enim est malevola benevolentia, quod fieri non potest, potest & ille qui veraciter sinceriterque miseretur, cupere esse miseros, ut misereatur.* Hic notam addit Sibbaldus *Casauboni* [*Deus perdit homines, non propter eorum peccata, sed quia illi lubet; Apage*, inquit Casaubonus, *doctrinam hanc ex male intellecto Paulo.* Casaub. in Annot. Manuscript. in Calvini Instit. l. 3. c. 22. §. 11.

6. Asserit se non posse capere, quomodo dici possit Deum peccatum velle vel voluntate antecedenti vel consequenti: id tantum, inquit, permittit, & permissum ordinat. Concilia antiqua doctrinam oppositam anathemizarunt. Patres Concil. 2. Arausican. can. 23. ita definiunt: *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Sic Concil. Valent. cap. 3. *Aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi alis esse non possent, non solum non credimus; sed etiam si sint, qui tantum mali credere volunt, cum omni detestatione, sicut Arausicana Synodus, illis anathema dicimus.* Id etiam S. Scripturæ plane contrarium videtur, *Ps.* 5. 4. *Habac.* 1. 13. ac sanctitati Dei infinitæ in ea revelatæ, cui nil magis repugnare videtur, quam actus sceleratos & peccaminosos velle, ac ad eos prædeterminare, cum quidam eorum sint intrinsece mali; ex quibus malignitas nullâ circumstantiâ vel efficientis vel finalis cau-

 fæ,

ſæ; ſeparari poteſt; quique ideo prohibentur quod ſint mali, neque ex ſola prohibitione mali evadunt, ut odium Dei, blaſphemia, perjurium, mendacium. Si aliter eſſet, & Dei voluntate ac efficientia hi actus a malo purgari poſſent, tum ſequeretur quod Deus talia præcipere, & contraria prohibere potuiſſet. Id a nonnullis conceditur. [*Si Deus tum Angelis, tum hominibus imperaſſet longe diverſa, imo oppoſita hiſce, quæ jam de facto imperat, non minus ſanctus eſſet Jehova, quam nunc eſt*; aſſerit quidam]. Sic Deus Angelis & hominibus odium ſui præcipere, & amorem ſui prohibere potuiſſet, quod (inquit *Sibbaldus*) mihi maximum videtur abſurdum. In tali caſu Dei odium bonum eſſet, & ipſius amor, malum. 2. Sequeretur inde Deum poſſe negare ſeipſum, quæ blaſphemia eſt S. Scripturæ contraria. 2 *Tim.* 2. Deus enim eſt eſſentialiter amor ſui ipſius, & cum recta ratione conformitas, & illius odium eſt realiter & poſitive ipſius amori ac rectæ rationi contrarium. 3. Ut in mendacio ſit exemplum; ſi hujus actus non eſſet intrinſece malus, tunc potuiſſet Deus hunc actum velle, abſit verbo blaſphemia. Verum 1. id S. Scripturæ contradicit, *Hebr.* 6. quæ dicit *impoſſibile eſſe Deum mentiri*. 2. Veracitati ac fidelitati quæ in eo ſunt eſſentialiter. 3. Si poſſet vel ipſe contra veritatem loqui, vel ad id alios movere & prædeterminare, fidei noſtræ fundamentum everteretur. Fides enim noſtra fundatur in Dei veracitate ut infallibili, quæ nec decipi, nec decipere poſſit &c.

Rhetorfort. Exercit. Apol. Exerc. 2. c. 3. p. 387.

Si dicatur, Deum lege non teneri, quemadmodum nos, ipſiuſque voluntatem ſibi legem eſſe, ac proinde omne eſſe bonum vel malum, eo quod ipſe libere velit vel nolit; reſpondet, Deo, licet nullum habeat ſuperiorem, ſuam tamen, intrinſecam, naturalem ac eſſentialem rectitudinem ac bonitatem, pro lege eſſe, quæ eſt eſſentialiter ipſa bonitas vel virtus; ſive quod idem eſt, ipſi pro lege eſt, ſuæ ſapientiæ de bono & honeſto dictamen, cum neceſſario ſui ipſius amore conjunctum; vi cujus neceſſe eſt ut ſeipſum tanquam ſupremum honeſtum & bonum amet, ac proinde impoſſibile ut creaturam illam odio habere aut contemnere velit, vel ad reales & poſitivos iſtius odii ac contemptus actus prædeterminet, ita enim contra ſui ipſius amorem, ſuæque ſapientiæ dictamen ageret, quod dictamen eſt, ut cum ſit ſupremum bonum, ab omnibus ametur, a nemine vero odio habeatur. Vid. Aug. l. 2. de peccat. meritis & remiſſ. c. 18. de prædeſtinatione Sanctorum c. 10.

Denique obſervat eos qui Deum velle actus malos, homineſque ad eos prædeterminare aſſerunt, confiteri ſe non poſſe concipere qua ratione Deus ita volens & concurrens excuſetur. Sic *Twiſſ.* Vind. l. 2. digr. 8. ſect. 23. p. 54. *Etiam*, inquit, *non erubeſco fateri, licet nunquam dubitarem de ſancta Dei naturâ, tanquam ab omni ſceleris reatu alieniſſima, hoc tamen diu me ſuſpenſum tenuiſſe, quænam ſcilicet ſit illa vera ratio, qui modus operationis divinæ, quo fiat ut ſe in omni actione tanquam cauſa efficaciſſima immiſceat, extra tamen omnem vitii contagionem, citra juſtam culpæ ſuſpicionem. Et an hodie per omnia ſatis explicatum habeamus, Deus novit.*

Tandem cum *Eccleſia Lugdunenſis* in articulo de Deo omnes ſalvos fieri volente, moderatione, quam merito obſervandam exiſtimat, finem facit. *Sit ergo inter nos* (inquiunt) *etiam hac de re iſtiuſmodi pia cautela & moderatio, quatenus & ſanctis Patribus debitus ſervetur honor, & quolibet quis acquieſcat modo ex illis ſenſibus, qui de hac ſententia ab eis poſiti ſunt, non judicemus eſſe hæreticum; ſed potius vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis & Eccleſiaſticis ſenſibus, poteſt, qui contentioſus eſſe voluerit, hæreticum efficere quod ſentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ipſos ſalubri moderatione, ut nec contemnere audeamus, nec quaſi neceſſaria affirmare conemur, memores ſemper illius Apoſtolicæ ſententiæ: Si quis autem contentioſus videtur eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. Legamus ergo pacifice, & quantum Dominus donat, intelligamus dogmata Eccleſiaſticorum virorum, nec pro aliis doctoribus, adverſus alios litigemus; quia & ipſi pacifici in ſuo ſenſu abundaverunt, alius quidem ſic, alius vero ſic, expectantes fideliter atque humiliter, quod Apoſtolus promittit, dicens:* Et ſi quid aliter ſapitis, hoc vobis revelabit. *Nam qui non tranquille & pacifice moderatur quod ſentit, ſed ſtatim paratus eſt ad contentiones, diſſenſiones & ſcandala,* etiamſi NON HABEAT HÆRETICUM SENSUM, CERTE HABET HÆRETICUM ANIMUM. *Quam pietatis moderationem, ſi etiam iſti boni viri, qui hanc definitionem ſtatuerunt, ſervare voluiſſent, melius hanc rem ſilentio præteriiſſent, & unicuique de ea ſecundum fidem ſuam & auctoritatem, cui magis agnoſcendum putaret, ſententiam permitterent, finitoque inter eos tam longa & pernicioſa contentionis jurgio, pax & unitas Chriſti Eccleſiæ reformaretur.* Hucuſque Eccleſia Lugdunenſis. Salutare equidem & vere Chriſtianum monitum, cui ſi Chriſtiani Orbis Rectores & Paſtores univerſaliter & ſerio auſcultarent, tot non forent contentiones & ſcandala in Eccleſia Dei.

§. CIII. *Quam æquo animo Forbeſius exauctorationem tulit.*

Sed ut ad *Forbeſium* noſtrum redeamus, exauctorationem ſuam æquo & miti animo tulit, inimicis nunquam malum pro malo reddidit, ſed manſuetudine ac charitate

vere

vere Christiana ipsos precibus suis Deo semper commendavit, ut in Exercitiis ipsius spiritualibus videre est. Ædes proprias in usum successorum in isto munere Theologico, ut ipsis in posterum domicilio essent, mortificavit. Nullum schisma vel separationem ab eis fecit, sed publico cultui cum eis interfuit, concionatorum Presbyterianorum auditor fuit, omnia jejunia publica a Synodis instituta observavit, Sacræ Communionis, ipsis ministrantibus, semper pro re nata particeps fuit, & ubique præclaro suo exemplo ostendit quid sit officium pii viri in tam distracto Ecclesiæ statu, & ex spiritualibus ipsius Exercitiis apparet, quam sollicite omni occasione usus sit, ad veram compunctionem, devotionem ac Dei amorem in corde suo promovendum. Observandum est etiam hominum animos non in eum gradum odii ac livoris in se invicem exulceratos fuisse propter diversitatem opinionum de regimine Ecclesiastico &c. ad quem jam devenerunt. Nam antea quum Episcopatus in Scotia obtineret, Presbyteriani in sacris, Episcopalibus se adjungebant, nec Ecclesiam vel altare separatim erigebant; ita pariter cum regimen Presbyterianum in Scotia erectum fuit, ab ipsorum communione Episcopales non discessere, & rursus cum, reduce Carolo Secundo, Episcopatus restitueretur, Presbyteriani & Ministri & Laici in eadem cum iis communione perseverarunt, nec separatam condidere sectam in annum usque 1666. quo circiter tempore Ministri Presbyteriani per totum regnum derepente ab Ecclesiis publicis discessionem fecere, ac idem populum facere docentes conventicula fecere separata, ut eo pacto sectam suam retinerent distinctam: & nunc altera pars vicissim, & ut sibi videtur, meliori de causa, idem facit; & ad quantum confusionum ac omnium pravorum operum gradum iste invidiæ & contentionis spiritus nos tandem aget, soli Deo notum est.

§. XCVIII. *Forbesius purificationi propriæ incumbit.*

Joh. Forbesius privatim domi mansit, cordis sui purificationi, orationi continuæ, ac communioni cum Deo se totum dans, aliis offensioni esse devitans, cum omnibus, quantum in ipso erat, in pace vivens, adeo ut sincera ipsius pietas ac humilitas venerationem ipsis inimicis extorserit, & pacem ac quietem illi conciliarit. Quibusdam e Presbyterianis fratribus quodam die de eo confabulantibus, dixit eorum unus Forbesium esse virum bonum, respondit eorum alter haud magni ingenii, eum esse virum moraliter bonum. (Et hæc etiam rara avis in terris) Imo inquit prior, est vir plus quam moralis. Fuit is unus e tribus Forbesii Antagonistis in disputatione de Nationali Fœdere, Minister tum temporis Aberdoniæ constitutus, majori utens authoritate & in Presbyteros & plebem, quam ullus unquam ibi exercuerat Episcopus, ut quidem in ista Hierarchia moris est. Verum discordiarum flammis & motibus, in Britannia, majori cum æstu erumpentibus, ac novis impositis juramentis, quorum detrectatores tanquam Religionis & Patriæ inimicos persequebantur Fœderati, e patria tandem aliquantisper secedere coactus est, cujus secessus causam hic breviter enarrabo.

§. XCIX. *Occasio solennis Ligæ & Fœderis inter Anglos & Scotos.*

Pace, ut dictum est, inter Carolum & Fœderatos ipsius subditos Scotos conciliata, ejusque articulis ab iis male observatis, facto etiam sine Regia authoritate Status Ordinum conventu, Rex eos armis coërcendos rursus statuit. Scoti (quibus milites non adeo dispertiti, quin facile statim in exercitum cogerentur) prævento Rege, inopinati in Angliam impressionem faciunt, exeunte Augusto An. 1640. Quos quamvis regno exturbare, conscripto quem ducebat exercitu, Straffordius Hiberniæ Prorex, in se receperit, maluit tamen clementissimus Rex, Scotis pacem rogantibus, Anglis Comitiorum indictionem postulantibus, rei summam Parlamento Anglicano committere, quam sine publico consensu cædibus & sanguine regni viscera polluere. Pactis itaque primum induciis, ac postea pace cum Scotis inita, Rex eos in Scotiam sequitur, ubi convocato Parlamento An. 1640. omnia ipsorum postulata concedit, eaque, lege sancita sunt, adeo ut ne vel umbram prætextus habuerint novos motus faciendi. Regiæ etiam Majestatis incolumitatem ac authoritatem propugnare sancte jurarant; ortis tamen inter Regem & Angliæ Parlamentum dissidiis, in intestinum bellum tandem sævientibus, ac postulante Rege, non Scotorum auxilium, ne utraque regna inter se confunderentur, sed pacis domesticæ culturam, ac a factionis Anglicanæ partibus adversus eum fovendis abstinentiam, nihilominus victoriâ ad Regem inclinante, & Parlamentariis animos despondentibus, Scoti in societatem belli ab iis invitati, ac Episcopatus in Anglia & Liturgiæ abrogatione, D. Laud Episcopi Cantuariensis immolatione, ac Presbyteriani regiminis erigendi spe multum illecti, manibus pedibusque quantum possunt operam Parlamenti rebus promovendis impendunt; in pactos articulos consentiunt, sacramento etiam invicem a Senatoribus utriusque consessus inito, omnibusque aliis incolis utriusque regni in eadem verba adactis. Hoc solenne Fœdus & Ligam vocant. In eo promittunt 1. Pro muneris & loci ratione sese Reformatam in Ecclesia Scotica Religionem, quoad do-

ctrinam, cultum, disciplinam, regimen defensuros; Religionem in Angliæ & Hiberniæ Regnis, quoad doctrinam, cultum, disciplinam, regimenque juxta Dei verbum & Ecclesiarum optime reformatarum exemplar reformaturos; Ecclesiasque in tribus hisce regnis ad arctissimam consensionem & uniformitatem in prædictis pro viribus adducturos. 2. Papismum, regimen Episcopale, superstitionem, schisma & impietatem extirpaturos. 3. Parlamenti in utroque regno jura & privilegia, regnorumque libertates conservaturos; Regiæ Majestatis personam atque authoritatem (in veræ Religionis, libertatumque regnorum conservatione & defensione) protecturos: ut attestetur universus Orbis conscientiis suis, de sua in Regem fidelitate, perspectumque habeat, debitam Regiæ Majestati potestatem & amplitudinem imminuendi, nullum sibi animum aut intentionem subesse. 4. Omnes incendiarios & malignantes (hisce perstringunt titulis omnes quicunque Regis favebant partibus) detecturos, ut publicas pœnas luant. 5. Firmam æternamque pacem inter dua regna molituros. 6. Invicem quoque se defensuros omnes qui Fœdere hoc sese obstrinxerint, & in isto constanter permansuros.

§. c. *Cujus subsignatio omnibus mandata.* Solenne hoc Fœdus uno & eodem die 17. August. An. 1642. lectum & approbatum est & a Synodo Nationali, & a conventu Ordinum regni, idque unanimi consensu amplectuntur tanquam omnium efficacissimum medium quo vera Religio Reformata in Regiæ Majestatis ditionibus conservari, & in alias gentes propagari possit, & ad Parlamentum Anglicanum ac Theologorum ibi Synodum misso, approbato, jurato, subsignato & remisso, decernit Scoticana Synodus ut omnes hujus Ecclesiæ Ministri & plebs subscribant, ac omnes id detrectantes, tanquam Religionis præservationi & propagationi inimici, censuris Ecclesiasticis subjiciantur. Conventu Ordinum eodem tempore idem ab omnibus hujus regni subditis faciendum præcipiente, sub pœna addictionis omnium bonorum & redituum fisco Regio, & ulterioris in eos animadversionis tanquam Religioni, Regiæ Majestatis honori, & regnorum paci inimicis, qui id facere detrectarent.

Hisce prodromis artificiis præmunientes aditum in Angliam, viginti millibus armatorum in Boreales tractus infusis, bellum, Parlamenti causa, Scoti capessunt, qui Regi se in Anglicis negotiis nihil molestiæ facessituros sancte promiserant.

§. ci. *Icon istius Fœderis à Rege Carolo I. delineata.* Verissima ac maxime viva & naturalis idoli hujus icon ab ipso Rege Carolo exhibetur, in suis de hac re meditationibus in lucem editis in libro Εἰκὼν βασιλικὴ dicto, quas hic exscribere haud pigebit.

Presbyteriani Scoti, inquit, vulgari auxiliarium pretio haud conducendi sunt, ad societatem ineundam pellici nequeunt, nisi invitantes, animas suas solenni Liga & Fœdere ipsis oppignorent. Ubi multæ piorum & speciosorum prætextuum machinæ, ad Episcopatum præcipue evertendum adducuntur. Hunc volunt esse præcipuum Cacodæmonem (aliis lemuribus ex proposito additis, ut plebi eo magis odiosus & invidiosus fiat) qui tam solenni incantamento & exorcismo ex Ecclesia hac ejiciendus est, post mille & ultra annorum possessionem, a primo in hac Insula Christianismo, & in cæteris omnibus Ecclesiis ab Apostolorum sæculo, ad proxime elapsam centuriam, universalem & temporum & praxeos præscriptionem. "

Sed in illius causa non audienda est antiquitas. Presbyterismo, quasi novitio hæredi, Pater satis diu vixisse videtur, eoque, qnod Episcopalem cathedram ac authoritatem non teneat, ægre ferente (licet Laici reditus rapiant) Episcopatum demergere, ac Presbyterismum in Angliam deducere, qui simili Fœderis artificio in Scotia nuper attollitur, manibus pedibusque contenditur. "

Quamvis multi, inquit, istius Fœderis Articuli mihi haud grati sint (quorum quidam cum ambiguis valde & periculosis limitationibus me spectant), maxime tamen scopum ac propositum de Ecclesiæ disciplina & regimine miror, novosque eadem per juramenta & fœdera promovendi modos, ubi durum est homines obstringi juramentis pro vel contra, in rebus quæ nullius sunt apertæ necessitatis moralis, sed inter doctos & pios viros controversæ, de quibus juramenta vix præcipi vel dari possunt, cum ea persuasione & certitudine quoad nos ipsos, eaque charitate ac candore quoad alios diversa sentientes, quam Religio mihi videtur postulare, quæ in re solum probabili, sinceram & justam deliberationem, imo & dissensum, haud renuit. "

Juramentum populo in rebus dubiis injungere periculosum est, quemadmodum & in illicitis perniciosum; nec minus superfluum, ubi priores religiosæ ac legales obligationes ad officia quæcunque necessaria homines satis devinciunt. Neque video quo pacto tale novaturiens juramentum ac Fœdus cum priori protestatione nuperrime ab iis facta conveniet, Religionem nempe in Ecclesia Anglicana stabilitam tuendi; cum disciplinam, tantam Religionis partem existiment. "

Ve-

Verum ambitiosi homines, se satis insidiarum ac laqueorum ad credulitatem vulgi captandam & tenendam struxisse, haud credunt: nam per dolosa hæc & in speciem pia stratagemata populum suis partibus, perjurii terrore, firmum tenere sperant: cum revera omnes honesti ac sapientes viri, se, prioribus Religionis, fidelitatis ac legum vinculis, Deo & homini, sufficienter obstrictos esse existimarint.

Talia vero pacta, a quibusdam factiosis excogitata & imposita, sine meo consensu, vel quacunque authoritate vel exemplo a Dei aut hominum legibus derivata, nunquam a viris prudentibus haberi possunt validad dissolvendum vel laxandum moralia illa ac æterna officii vincula, quibus omnium subditorum conscientiæ & Deo & mihi obstrictæ sunt.

Verum ut nunc se habent res, pii viri, suum Fœdus honestis & legitimis modis servando, & Deum & me minus offendent, cum ex charitate credam, in horum intentione præcipuum scopum fuisse, in puritate Religionem, ac in pace Regnum conservare. Aliis scopis aut mediis se obstrictos haud existimabunt; nemo etiam veris conscientiæ stimulis tactus consilia optima (multo minus ea quæ nunc & quotidie factiosa & ambitiosa esse apparebunt), ullis modis illegitimis, sub ista fœderis specie, promovere conabitur; nisi novitates ambiguas, periculosas, & authoritate non munitas, manifestis, notis, & jurejurando confirmatis officiis, & Deo & mihi debitis, anteferre ausi sint.

Id credere & sperare propendeo, quod multi Fœderi subscribentes, sibi semper firme persuasum habeant, talia nupera vota, juramenta vel Fœdera, priores characteres vel sculpturas nunquam deleturas, quæ in ipsorum animis, juramentis justis & legitimis, defigebantur.

Tales Confœderationes per modum pactorum & fœderum solennium, eo magis in suspicionem veniunt, quod in omnibus factiosis & prævalentibus Ecclesiæ vel Regni turbis, hæc trita via sit; solennes enim insoliti zeli & pietatis formulæ, nunquam magis affectatæ & elaboratæ sunt, quam cum subdoli, adversus omne quod in Religione vel legibus stabilitum aut sacrum est, perniciosissima maxime meditantur consilia; quibus, quasi cochleis, homines subdole, vehementer tamen, insensibiliter, ac occultis gradibus, a perspectâ normâ & solitâ praxi contorquentur, ut istorum ingeniis se accommodent, qui sub sanctarum combinationum larvis, libidini ac potestati suæ omnia subjugare moliuntur.

Qui funiculi & vimina conscientias hominum non diutius tenebunt, quam vi deducentur & contorquebuntur: brevi enim unusquisque sibi Papa fit, & ab iis vinculis, quæ nec verbi divini mandata, nec leges regni, sed factionis dolus & terror ipsi injecerint, se expedite absolvit, quæ vel vana & superflua fuerant, cum antea satis obstrictus esset, vel fraudulenta & injuria, si sacramenti exactores anteriores justas ac necessarias obligationes solvere vel suspendere molientes, sentiat.

Sane illegitimæ istæ viæ, raro vel nunquam eo tendunt, ut homines magis ad officia, sed solum ad partes devinciant; idcirco nulla ratio habetur, quo pacto fœdera sua quoad pietatem prætensam observent, modo factioni & causæ propositæ firmiter adhæreant.

Video exactoribus placere ut ipsorum sacramentum Mannæ simile fiat (non quod e cœlo, sicut hoc descenderit) ut uniuscujusque, id solum deglutire volentis, palato & gustui gratum reddatur; omnium interpretationes, quamvis diversas, imo contrarias, admittunt, cum quibuscunque cautelis, exceptionibus, conditionibus, modo præcipuo molimini, quod adversus Ecclesiam & me ponitur, impedimento non sint.

Satis est si factioni suæ numerosæ accessionis famam concilient; tam parum memores sunt Deum non irrideri.

In tanta interpretationum latitudine, credo multos qui & me & Ecclesiam diligunt Fœderi subscripsisse, qui tamen non adeo superstitiose ab eo irretiti sunt, ut nunc contra omnem & pietatem & fidelitatem agere velint; quum Fœderi se dediderint, ad avertenda potius mala, quæ iis, si penitus detrectassent, impendebant, quam quod id magnifacerent, aut religiose venerarentur.

Ubi latitudo quarundam clausularum, iis fortassis subsidio esse possit; quales sunt istæ, *agere & conari quod jure possint*, *in suis muneribus ac vocationibus*, & *juxta Dei verbum*. Hæ enim neminem extra bonæ conscientiæ terminos deducunt, qui quoad generale officiorum humanorum regimen & exercitium, Dei legibus; quoad particulare vero, regni statutis, certi ac stabiles redduntur.

Utinam ii qui maxime in Fœderatorum titulo gloriantur, intra eos terminos legitimos se cohibere velint, quos Deus vocatione sua iis posuit. Certe hic est modus optimus, jurisjurandi temeritatem expiandi; quæ tunc apparebit, cum, præter defectum legitimæ authoritatis, qua primum injungeretur, ultra & contra fines in eo nominatos & prætensos de facto deducetur. Iis libenter Fœderis subsignationem condono, qui idem intra eos pietatis, legum & fidelitatis limites servant, qui nec Ecclesiæ, nec mihi, nec paci pu-

" publicæ nocumento esse unquam possint, & adversus hos nullius hominis officium ipsum obligare queat.

" Quod ad Ecclesiæ reformationem quam Fœdus prætendit, nec æquum nec decorum existimo, ut iniquo Theologorum quorundam consilio (qui adeo molli & servili fuere ingenio, ut ad repentinos ducerentur actus & obsequia, priori ipsorum sententiæ, professioni & praxi contraria) tam turpia scandala & suspiciones in Ecclesiæ Anglicanæ doctrinam & regimen congerantur; id quod nunquam fecerant vel ulla transmarina Ecclesia quæ Reformatæ nomen meretur, vel quivis viri domestici, eruditi & candidi: quorum omnium sententiam, quorumvis hominum factiose nunc agentium opinioni, non possum non præferre.

" Nemo me propensior esse queat ad omnem justam reformationem, judicio maturo ac conscientia bona, promovendam, inquibuscunque rebus quas (post maturam deliberationem) vitiosas esse, Dei verbo ac recta ratione convincar. Ipse plus obtuli, quam omnium Parlamentorum frequentissimum, liberrimum, sapientissimum, unquam postulaverat.

" Verum actionum quorundam sequela ostendit, Episcopatus in Presbyterismum depressionem, & Ecclesiæ de fundis ac reditibus suis spoliationem, præcipuam esse reformationem designatam: nulli enim magis injustis accepti sunt modis quoad legitima ipsorum jura quam Episcopi & Ecclesiastici. Hi, tanquam feræ opimæ, perdendi sunt, reliquus scelestus schismatis, hæresium, &c. grex, cum macer sit, indulgentiam obtinere potest. Sic Nabothi vinea ipsum solum blasphemum ac morte dignum fecit. Id semper observo; dum religionis aura vela implet, lucrum indicem nauticum esse, quo novatores in omnibus seditiosis motibus, cursum suum gubernant.

" Sicut nemo fundos & reditus Ecclesiasticos usurpandi sacrilegæ tentationi magis, quam ipsemet, expositus fuit (qui a Regum munificentia profecti, ei accepti feruntur, & jure, me assentiente in fiscum solum venire possunt); ita Deo laus, a facinore isto animus adeo semper abhorruit, ut in tales sacrilegas reformationes ne vel minimam unquam sentirem propensionem. Nemo vehementius Episcopos & omnem Clerum ita reformatos cupit, ut ipsi omnium optime digni sint, & potiantur non solum fundis & reditibus, quos pia Majorum meorum munificentia Deo & Ecclesiæ consecraverat, sed & omnibus aliis Christianæ beneficentiæ additamentis.

" Spero nullam indigentiam me vel meos Sacerdotum fundos aggredi aut vendere unquam impulsuram; a quo facinore & Pharaonis Theologia & vera Josephi pietas abhorruere: iniquum adeo & rationis & religionis oculo videtur, ut munus omnium maxime sacrum, omni debita remuneratione privetur, utque in imitationem alterius crudelis Pharaonis, ab eo paleæ auferantur, pensum vero augeatur; Ecclesiam oppressam usque ad intestini belli mare rubrum, ut quidam fecere, persequentes; unde nil infra miraculum ipsam liberare possit, vel eum, qui præcipuo dignitatis titulo ducit, vocari, & summo sibi honori revera esse, ECCLESIÆ, ET IN VERA IPSIUS FIDE, ET IN JUSTIS POSSESSIONIBUS, DEFENSOR; SACRILEGIUM ET APOSTASIAM ÆQUE ODIO HABENS. "

" Malim, pane ab Ecclesia mendicato, ut quondam Antecessor meus Henricus tertius, vitam sustentare, quam ex Episcoporum & Ministrorum ore panem eripere. "

" Proximum opus erit Jeroboami Reformatio, in sacerdotibus de extremis populi in Israële consecrandis, ad vitulis istis aureis serviendum, qui Ecclesiæ dote & patrimonio seipsos locupletarunt: quod quam infeliciter cesserit principi, sacerdoti, & populo, satis notum est: Ita pariter & hic eveniet, cum pro Regum Reginarumque tutela, qui Ecclesiæ hujus nutritii & nutrices fuerant, ab istis pro demenso pependerit, qui quam duri vitrici & novercæ futuri sint, hactenus manifestarunt. "

" Si pro Ecclesiæ privilegiorum & redituum rapinâ & invidia, paupertatem excusare possit Scotia, id tamen excusationis Anglia non habet. "

" Deplorandos istos effectus, qui Ministrorum paritatem & paupertatem, & in Ecclesia & in regno inevitabiliter consequentur, non possum vel a Deo deprecari, cum mihi talis oratio derisioni & tentationi Dei esse videatur, qua petitur ut eis malis obstare velit, quorum occasiones & remedia penes nos ipsos sunt; illas enim non devitare, & his non uti, uniuscujusque culpa est. "

" Variis modis reparari possunt regni ruinæ, sine eversione Ecclesiæ. Quemadmodum unius instaurator esse velim; ita sub alieni æris publici prætextu alterius expilator esse nolim. Rationes id contrahendi sat iniquæ, sed talis solutio multo pejor esset. Faxit Deus, ut ego & mei neutrius participes simus. "

Cum solennis ista Liga & fœdus præcipua fuerit machina qua novatores eversionem Ecclesiæ & Regni moliebantur, & insigne hoc soliloquium spiritum ac genium quo im-

impulsi fuere, tam vivide adumbret, idem hic repeti e re esse putavi.

§. CII. *Subscriptio Fœderi vehementer in Scotia urgetur.*

Istud ergo in Scotia vehementer promovebatur. Omnis sortis homines in hoc sacramentum adigunt. Quidam in voluntarium concessere exilium, idque ex indulgentia. Aliis placuit eidem subscribere, cautelis quibusdam & exceptionibus additis; qui recipiebantur, ut eos ex Fœderatorum partibus stare dici posset: alii penitus recusabant; in quos immaniter sæviunt Fœderati: in eos Ecclesia dira fulminat anathemata; a novatoribus regni, bonis & reditibus, sequestri nomine spoliantur, & ergastulis inclusi, squalore & jejuniis macerantur; horum plurimis Fœderatorum acta tam gravi scandalo fuere, ut in Romana transierint castra; plerique vero, ductores sequuti, sacramento se obstringunt. Ex hujus Fœderis religione, filii patres, patres filios, servi dominos, uxores maritos insectari, deferre & spoliare, ad minimum, contra-sentientibus, debita denegare officia docebantur. Hisce de causis multi contra conscientiæ dictamina porrigunt ora sacramenti capistro, & tandem (sive quod Regi se crederent obnoxios, vel conscientia sacramenti revera laborarent), se novatorum partibus serio addixerunt. Adversus hoc multi passim docti juxta & religiosi insurgebant, editisque tractatibus convellebant, utpote divinis humanisque legibus contrarium; nil opponentibus præter vim & argumenta bacillina Confœderatis.

§. CIII. *Quidam e Regno se subduxerunt, inter quos Forbesius & D. Rob. Burnetus de Crimond R. Episcop. Sarisb. Pater. Hujus character.*

Inter alios qui e regno se subduxerunt, fuere Forbesius noster, & vir eximius, Aberdonensis R. D. Robertus Burnetus, Thomæ Burneti Equitis Baronetti *de Leyes* fratter, & reverendi ac celeberrimi viri D. Gilb. Burneti Sarisburiensis Episcopi, & D. Thomæ Burneti Medici Edinburgensis celeberrimi pater dignissimus. Vir fuit summa probitate & candore, eruditione ac prudentia insignis, infucatæ pietatis & devotionis, non magna loquens, sed agens, cui omnes prioris regiminis Ecclesiastici methodi non placebant, adeo ut etiam inter eos qui tunc Puritani vocati sunt, haberetur. Verum cum Nationalis Fœderis signum attollere, inque id omnes adigere cœpere Puritani, Burnetus prorsus detrectavit, & in Angliam ad tempus secessit. Postea cum novum vexillum solennis Ligæ ac Fœderis attolleretur, hoc subire nec prece nec pretio induci potuit, sed omnibus amicorum sollicitationibus inexorabilis stetit; quarum vehementiores sustinuit ab uxore illiusque fratre Archibaldo Johnstono de Wariston, Fœderatorum partibus addictissimis. Per amicos itaque eum impetravit favorem ut in voluntarium concederet exilium; id quod fecit, in transmarinas profectus regiones, unde in patriam non reversus est, ante annum 1651, quo tempore Cromwellius, Scotis subactis, Presbyterismi pennas incidit, ac solennem Ligam abrogavit. Commoratus est postea Burnetus utplurimum Aberdoniæ, in reditum usque Caroli secundi Regis, & tunc in Collegium Judicum regni meritissime promotus est, communiter titulo Domini de Crimond notus, ac brevi postea moritur, fragrantem pietatis solidæ ac æquitatis memoriam post se relinquens.

Bina exigua illius scripta mihi videre contigit, quæ conservari digna sunt. Horum unum rationes continet ob quas solennem Ligam & Fœdus haud imponendum esse censuit, quod hic subjungam.

Rationes ob quas subscriptio solenni Ligæ & Fœderi urgeri minime debeat.

§. CIV. *Burneti scriptum, rationes continens ob quas subscriptio hæc urgeri non debeat.*

1. Omnia Fœdera cum Deo in Scripturâ continita, vel sunt de *officiis indubio necessariis, verosque Religionis fundamento ac substantiæ*, ut Deo in veritate & integritate cordis servire, Idola & Deos alienos auferre, sicut illud *Joshuæ*; Dominum Deum Patrum suorum quærere in toto corde, & in tota anima sua, ut illud *Asæ*; ut esset populus Domini, ut illud Jehojadæ; ut post Dominum ambularent, & præcepta ejus & testimonia custodirent in omni corde, & in totâ animâ, ut illud *Josiæ*; vel jurabant ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu *Moysis* servi Dei, ut facerent & custodirent universa mandata Domini Dei nostri, & judicia ejus, & statuta ejus, ut illud *Nehemiæ*; vel saltem de officiis, licet ex sua natura non adeo necessariis, necessariis tamen necessitate præcepti, quoniam a Deo mandatis, ut illud *Ezræ* & *Nehemiæ*, ut uxores alienigenas repudiarent, &c. & illud *Jeremiæ cap.* 34. fratres libertate donatos non retrahere in servitutem. Et væ illi qui non consentiet tale Fœdus cum Domino inire; imo omnis vere Christianus, qui Deum vere timet, id quotidie in corde & affectu renovabit. Verum in hominum conscientias Fœdera obtrudere quæ complectuntur officia non solum distincte in Dei verbo non præcepta, sed &, illorum sententiâ, præter Dei verbum, si non ei contraria; id scrupulosis & infirmis durum videtur, ac tyrannidem Romanam Antichristianam non parum olet; præ-

" præsertim cum sciam per centum retro annos id contra Papistas assertum fuisse, quod nempe leges humanæ sive Ecclesiasticæ sive civiles conscientiam non ligent; hoc etiam est, traditiones humanas validiores reddere mandatis Dei. Imo multi Ministri, nuper erudite & nervose docuerunt, conscientias humanis legibus non esse cogendas, & submisse petitur, quod sibi fieri nolunt, alteri ne faciant. Hæc etiam est sententia omnium maxime eruditorum & celebrium hujus ævi Protestantium, idque dum quid sibi de hac re videtur dicunt, ut *Riveti*, *Salmasii*, *Vossii*, *Blondelii*, & multo plurium quos ipse allocutus sum; imo *Ecclesia Parisiensis Reformata*, dum ibi essem, statuit, nulli Scotorum, ob anathema Scoticum, nisi ob crimen pronuntiatum sit, communione interdicere. Et eruditorum omnium quos allocutus sum pars maxima, adactionem hominum in Sacramentum per excommunicationis terrorem aversata est.

" 2. *Fœdus* debet esse *pactum*, inter duos vel plures, ad mutua officia præstanda, *voluntarium* & *liberum*; quia fœdus secundum quosdam est a fide, & nullus contractus bonam fidem magis postulat quam fœdus, undæ ortæ sunt execrationes in fœdifragos, ut ista Ethnicorum, *si fallo, tum me Diespiter sic ferito, ut ego hunc porcum feriam*: & ritus concidendi vitulum in duas partes, *Jerem.* 34. quasi optans, ut prævaricatores in duas concidentur partes. Et si non sit voluntarium, pro fœdere haberi nequit, quia voluntas coacta non est voluntas, sed servile vinculum quo conscientia constringitur; qui vero fœderi subscribere cogitur, neque putabit se, neque ab aliis reputabitur fœdus iniisse. Hinc proveniunt querelæ de tot pseudo-fœderatis, qui voluntarie id non inierant, sed contra voluntatem, vel in eodem sensu cum adactoribus non intellexerant, vel hypocritice & ob finem sinistrum subsignarant.

" 3. Nullum unquam fœdus, in tota Scriptura reperio, a Dei populo initum fuisse sine ipsorum *supremi Magistratus legitimi* consensu; licet nonnunquam inter eos ea esset temporum ratio, ut religionis substantia in majore esset discrimine, quam eam unquam per triginta duos retro annos viderim, imo non solum in discrimine, sed etiam penitus deformata & eversa. Et in hoc regno, omnia pacta & fœdera inter subditos cujuscunque ordinis, sub quocunque prætextu vel colore, inita, clam Regia Majestate, & non impetrato illius consensu, decreto *Parlamenti* 1585. prohibita sunt, ea sub pœna, ut tanquam seditionis auctores habeantur & plectantur. Neque unquam in historiis legi de ullo fœdere sine consensu legitimi Magistratus supremi inito, quod tandem in rebellionem & insurrectionem adversus Principem non terminatum sit. Multa quæ justis de causis dici possent, quæque, Deus novit, conscientiæ meæ magno sunt offendiculo, hic dicere omitto, ne & Ecclesiæ & Reipublicæ displiceam. "

" 4. Quamvis (Deo gratias) cuicunque regimini Ecclesiastico, utcunque severo, memet submittere paratus sim, modo conscientiam non violet; & quamvis cum multis eruditis sentiam quædam esse regimini essentialia, quæ juris divini sunt; qualia sunt, ut improbitas restinguatur, ut omnia ordine & ad ædificationem fiant, ut sint in Ecclesia Doctores, Pastores, Diaconi, &c. nullam tamen regiminis speciem ex omni parte juris divini esse existimo, ac proinde ex sincera animi sententia judico, me, pro alicujus regiminis vel disciplinæ subsistentia, diutius contendere non debere, quam legitima regni & Ecclesiæ jura idem asserant, nec pro alicujus exclusione, diutius quam per eadem legitima jura excludatur; imo si id, quod, meo judicio, altero melius est, abrogetur, & pejus introducatur, innovationem æquo animo feram, actor tamen esse nolim.

" 5. Homini difficile est fide & bonâ conscientiâ jurare, se *Parlamenti in utroque regno jura & privilegia*, *regnorumque libertates conservaturum*, adeoque seipsum cæco obsequio irretire, nisi imprimis ea in particulari noscat, eaque concessa & stabilita esse in legitimo Parlamento ex capite & membris constante, atque ita manifestè pateat ea esse Parlamenti jura & privilegia. Alioquin quæ a quibusdam privilegia appellantur, alii juris alterius invasionem vocabunt; & quæ nonnulli jura & libertates nominant, ab aliis pro captivitate ac servitute habebuntur; & si Scoto alicui non facile sit, Parlamenti Scotici privilegia, & regni hujus libertates dignoscere, idem Scotus Parlamenti & regni Anglici privilegia & libertates, de quibus inter ipsos ambigitur, minus facile perspiciet.

" 6. Limitatio addita in articulo de Regiæ Majestatis personæ & authoritatis protectione, ubi scilicet, *promittunt*, *se eam in vera Religionis*, *libertatumque regnorum conservatione & defensione*, *protecturos*, quæ, quod sciam, caret exemplo, in suspicionem cadit, ac si Regiæ Majestatis personam ac authoritatem extra illum casum protegere

gere non teneremur. Sic Protestantes omnes sub Regibus diversæ religionis degentes obtendere possint se principis sui personam & authoritatem tueri non debere. Id quod multum adversatur primitivorum Christianorum professioni, obsequii Imperatori Ethnico præstandi, in omni re civili ac temporali, μέχρι τῶν θεῶν, usque ad aras; imo Nationalis hujus Regni Synodus An. 1639. in libello supplici Proregi & Dominis ab arcanis Consiliis oblato, jurant, *se, non solum Regiæ Majestatis personam & authoritatem, in veræ Religionis, libertatumque & jurium Ecclesiæ & Regni, conservatione, protecturos: Verum etiam in omni causa quæ Regis honorem spectare possit, se juxta hujus regni statuta, & bonorum subditorum officia, cum amicis & clientelis, vel quiete vel in armis conventuros, prout vel ab ipsa Regia Majestate, vel ab arcano ipsius Consilio, vel aliquo ipsius authoritate munito, postulati fuerint.* Imo nupera Fidei Confessio a Nationali Synodo approbata capite 23. articulo 4. distincte asserit, *Infidelitatem, vel Religionis differentiam, Magistratus justam & legitimam authoritatem irritam non reddere, nec populum ab obsequio illi debito absolvere.*

7. Ea clausula qua subscribentes asserunt *nullum sibi animum aut intentionem subesse debitam Regiæ Majestati potestatem & amplitudinem imminuendi*, vel alium continet sensum occultum, ab eo quem verba præ se ferunt diversum, vel mihi perspectum non reddit, quo pacto transgressio hujus excusari possit, vel facta, professionem hanc mendacii non arguant.

8. Articulus quartus mansuetudini & dilectioni fraternæ tantopere in Scripturis commendatæ, multum repugnare videtur. Et ingenuo Christiano durum videbitur, fratrum calumniatorem fieri, atque eum accusare, qui seipso fortassis melior est Christianus, & Deo magis acceptus, ex eo tantum quod ab ipso dissentiat, non in Religionis essentialibus, quæ omni terreno respectui, & rei cuicunque præferenda esse agnosco, sed in regiminis Ecclesiastici articulis circumstantialibus. Et valde durum est, quod sub indefinito *Malignantiæ* prætextu & colore, multi boni viri qui Deum vere timent, & fide sincera in omnibus agunt, persecutionem patiantur, ex eo tantum, quod de horum temporum rationibus diverse sentiunt, licet quiete degant, & rebus publicis se minime admisceant.

9. Articulus sextus, quodcunque Regnum in discrimen adducit, nempe ut subditi sine consensu Principis, *invicem se defensuros*, se obstringant, atque illius manu gladium eripiant.

10. Quod ad Fœderis conclusionem, id etiam perniciosum esse autumo, tam solenni sacramento *emendationem vitæ* coram Deo profiteri, & in hac re tam parum præstare, ut unicuique propriâ experientiâ patet. Malim sine tali Confœderatione studere pie vivere, ac aliis exemplo prodesse, quam me aliis sanctiorem esse simulando, sanctam nostram professionem probris exponere, ex sterili fœdere & sacramento, atque ita peccatis meis superioribus, perjurium, ac siti ebrietatem addere.

Hactenus Burneti rationes de Fœderis subsignatione non adurgenda.

5. ev. Burneti Epistola ad D. Rob. Gordon a Straloch.

Alterum scriptum Epistola est ejusdem *Roberti Burneti* ad *Robertum Gordon de Straloch & Pitlurg* data, quam, cum ad illorum temporum res Scoticas pertineat, hic etiam subjungam.

Honorabili Viro

TOPARCHÆ DE STRALOCH

SENIORI.

Vir Honorabilis,

- - - Ex quo tuas acceperam, adeo occupatus fui, partim ægritudine ejusque consequentiis hebdomade proxima, partim amicorum visitationibus qui toto die consilium petebant, ut nedum ut sim in otio, ut tu reris, nunquam minus otii mihi obtigerit ex quo memini. Nam præter curam instituendi liberos, qui in duas distributi sunt classes, licet tres tantum habeam, quam statui mihi ἔργον, in pergis totus dies absumitur; semper aliquo interpellante hoc ἔργον a mane ad vesperam. Miror quid Domino in mentem venerit, qui onus, quod tibi uni in Scotia, omnes qui te norunt imponendum judicarent, tanquam qui solus ad id par sis, aliis imponere cupias, ut sub ejus onere opprimantur. *Tenet insatiabile multos scribendi cacoëthes, & ægre in corde senescit;* me non tenet, neque unquam tenuit, neque ut spero unquam tenebit, ne *deferar in vicum vendentem thus & odores & piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.*

Unusquisque sibi condit adversaria in proprium usum, & certe multa habui reposita in adversariis quæ magno usui esse poterant cuivis historiam hujus temporis molienti, quæ libentissime cuivis se ad

tantum opus accingenti communicassem. " Sed omnia periere cum septingentis plus " minus libellulis, partim scriptis, partim " impressis, dum sine sensu & secure suasu " uxoris, ut multi alii, binas relinquo ædes " instructas & bibliothecam, & quæcunque " cimelia mihi chara, omnia mea mecum " portans, tanquam mox cum cantu & tri- " pudiis revocandus. Sed multum mihi gra- " tulor, quod maxima pars bibliothecæ sal- " va ad me delata sit, primum post meum " discessum in arcem Edinburgi conclusa ab " amico quodam, postea ab uxore inde de- " ducta, & in navem imposita ut cum Ar- " chivis Regni Dunotrium deduceretur, " postea nescio quo fato (*Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ*) rursum in potesta- " tem hostium quo jure quaque injuria re- " dacta, tandem inde liberata, post unius " anni situm & squallorem in cella subter- " ranea perpessum, *post varios casus & tot discrimina rerum*, me hic læta, licet manca " aspexit.

" Meo quidem judicio quicunque tam " grande opus aggredietur, laborabit sub " pondere tot rerum variarum, in tam dis- " sitis locis gestarum, tam varie relatarum, " ut album nigro non magis sit contrarium, " quam prior relatio posteriori, vel com- " munis veræ, idque non ex ignorantia sed " de industria, ut nunquam alibi tam splen- " dide mentitum sit scienter & pruden- " ter.

" Unicum tantum singulare insignis ne- " quitiæ exemplum, tibi in memoriam re- " vocabo, quod scio te non latere, & tibi " satis notum esse. Cujus omnes fœdos & " Fœdifragos pudere deberet, nisi pudere " desiissent & perfrictæ essent frontis. Cu- " rarunt publice prædicandum populo, ex " cathedra veritatis, cujus ipse auritus sui " testis, impudentissimum & diabolicum " hoc commentum & mendacium: non esse " fidem ulterius adhibendam, a quoquam, " Carolo Regi, qui articulos tam solenni- " ter pactos inter eum & subditos suos Sco- " tos Bervici, curaverit manu carnificis pu- " blice Londini comburendos; cum nil mi- " nus verum sit, cum non isti articuli qui " sex tantum fuere numero, sed 16. aut 17. " nothi articuli, quibus mentiti sunt Re- " gem occulte promisisse se assensurum, ex " decreto Consilii Anglicani (qui totius rei " veritatem ex testimonio omnium qui re- " bus agendis interfuere, exacte explora- " runt) manu carnificis merito Londini com- " busti sunt, cujus decreti cum plurima fue- " rint exemplaria impressa secundum con- " suetudinem, dolo & fraude Fœderatorum, " quo res quæ adhuc latet in Scotia, late- ret & in Anglia, omnia fere exemplaria " ab iis fuere coëmpta. Ita ut in tota urbe " Londinensi summa cum difficultate unum " inventum sit exemplar, quod ipse vidi & " perlegi, quod unica tantum philyrâ, ex " anteriori tantum parte impressâ, constans, " sexaginta tamen assibus vænit. Hoc idem " commentum & mendacium decies aut duo- " decies impressum legi, & libellulos in qui- " bus id continebatur ipse habui, & posse- " di, nunc habeam necne incertum est. Cu- " jus commenti impudentiam prædicatori- " bus hujus mendacii ex suggesto, multis- " que aliis qui hæc penitus ignorabant & " ideo Regem oderant, tanquam violato- " rem fidei insignem, patefeci, iisque ocu- " los aperui. Quibusdam veritatis confes- " sionem extorsi, cum maxima auditorum " admiratione & indignatione. Et quod ma- " xime mihi dolebat, legi scriptum Anglica- " num, quod respondens calumniis & crimi- " nibus variis Regi objectis, hoc factum " tantum excusabat & leniebat, non refu- " tabat, ob ignorantiam veritatis, cum res- " pondisse suffecisset, nunquam factum. "

Nec tantum scriptor horum temporum " laborabit hac incertitudine rerum gesta- " rum, & suggestione rerum falsarum pro " veris, sed multo magis in hoc, quod inti- " ma & vera consiliorum arcanorumque co- " gnitio haberi non potest, vel a sepositæ " vitæ instituto, vel ab hominis genio se- " cum non gravate habitantis, præcipue in " hac tantâ & tam fucata totius Insulæ hy- " pocrisi, qua homines se in Angelos lucis " transformantes, & tanquam Angeli de cœ- " lo demissi, inter suspiria & fictos gemi- " tus, nihil nisi divinum crepantes, & di- " vinam gloriam in omnibus præ se feren- " tes; e contra revera tanquam Diaboli ex " inferno emissi, & locustæ Apocalypticæ ex " puteo abysso prodeuntes omnia corrupe- " runt & vastarunt, jura omnia divina & " humana confuderunt, Ecclesiam & rem- " publicam perdiderunt, ejusque loco feram " belluam multorum capitum utrinque con- " stituerunt, omnes, imperio, dignitati- " bus, bonis, fortunis, spoliarunt, ut se " dominos vitæ, dignitatis, fortunarum- " que omnium, nullo opponente, suo ar- " bitrio gererent. Sed hæc potius deflen- " da, aut vindicanda, quam describenda. " Male enim collocatas putarem horas viro " pio & ad senium vergenti, in describen- " dis tam impiorum hominum sceleribus. " Sed non dubito, quin suo tempore, hæc " omnia Deus sit patefacturus; nihil enim " tam secretum quod non revelabitur; & " unusquisque referet propria corporis, pro- " ut gessit, sive boni, sive mali. "

Quid "

„ Quid Dominus præstiterit (cum, ut populus Israël in terra Goschen, bellis undique circumstrepentibus, merito ex utriusque partis decreto, pace frueretur & otio) nescio; me peregrinantem impossibile fuit aliquid solidi præstare, etiamsi illuc applicuissem animum: sed nisi illuc ultra feramur, & tibi septuagenario, aut septuagenario majori, & mihi sexagenario venia danda est, & ambo rude donandi sumus; ut, quod superest ætatis deflendis peccatis, in quæ, præter ingenitam corruptæ naturæ inclinationem, contagio hujus vitiosi sæculi nos induxit, impendamus, & animæ saluti in æternum σὺν θεῷ consulamus.

„ Excitabit sine dubio Deus unita & vegeta ingenia, quibus erit mens sana in corpore sano, qui non verebuntur forti & intrepido animo, scelera hujus sæculi & intima eorum consilia diligenter exquirere, investigare, cernere, & in apertum proferre; & sicut in constituendo Tabernaculo plus afferebat populus, quam necessarium esset, donec prohibitus fuit populus plus offerre; sic si semel constiterit aliquem præstantis ingenii & sinceræ fidei virum, tale aliquid conari, non cessabunt omnes viri boni certatim pro viribus offerre omnia, quæ tanto operi perficiendo necessaria videbuntur: ita ut non dubitem nec Famianum Stradam, a copia & delectu instructiorem, scripsisse suam historiam, quam hunc scripturum.

Archiepiscopi S. Andreæ historia adhuc salva est, & licet præcipuum exemplar semel inciderit in manus Fœderatorum, nunc tamen est in manibus D. *Patricii Drummond* viri integerrimi, & pignori appositum a quodam *Law* servo *Comitis Lanerick*, cui, cum esset a secretis Regi, commissum fuit exemplar. Urgebat me D. Patricius Drummond postquam huc veni, ut a volentibus exigerem collatitiam pecuniam, ut typis mandaretur, sed in his turbis & hac pecuniæ inopia, nemine volente, ego me ipsum scripto obligavi, ad quatuor exemplaria emenda, quamprimum tota historia foret typis mandata. Et conatus sum similem syngraphum ab aliis extorquere ad plura vel pauciora exemplaria emenda, sed nulli persuasi. Verum Archiepiscopi historia non attingit hæc tempora, finiens cum morte Jacobi sexti Regis.

Nunquam mihi contigit videre aut legere, sed audivi a quondam Comite Lauderio, cui per 15. dies a D. Roberto Spotswodo commodata fuerat Londini, nihil magis candide, ingenue, moderate, vere & prudenter ab ullo scriptum, seque ex ungue leonem judicasse, nempe ex relatione rerum suo tempore gestarum, quarum si non maxima, non minima pars fuit.

Varias alias vidi relationes rerum hic illic gestarum, partim Anglice, partim Latine, partim Gallice, sed nihil mihi magis placuit quam Synopsis vel potius Ichnographia quædam & brevis delineatio totius hujus belli causarumque ejus, Latine, erudite & nervose scripta, deducta ad mortem & martyrium Caroli regis, in fronte gerens impressionem Gedanensem, sed meo judicio non tam longe est peregrinata.

Vive, vale, *si quid nosti certius istis, Candidus imperti, si non, his utere mecum.* Nec credat Dominus ex negligentia observantiæ tibi debitæ a me, silentium meum profectum. Hoc vere & ex animo possum profiteri neminem esse in Scotia, quem magis suspiciam ob ingenuum animi candorem, & insignes & non vulgares ingenii dotes, & de cujus salute & statu, cum se offert occasio, magis anxie & sollicite inquiram, sed veritus sum gratis tanti viri studia interpellare, ipse semper multum occupatus in nihil agendo. Deus te diu, reipublicæ, familiæ, & literis, servet incolumem, & perge diligere ut facis

Aberd. 4. Non. Augusti 1652. *Tui observantissimum tibique addictissimum*

R. BURNETUM.

§. CVI. *Burneti constantia & integritas.* Hujus epistolæ autographum est in manibus eximii, pii & eruditi viri D. Ludov. Gordon Medicinæ D. & dicti Toparchæ de Pitlurg & Straloch filii. Alterius vero exemplum habetur apud Jacobum Rolland de Disblair, inter chartas D. Gul. Guild Burneto familiaris. Synopsis de qua loquitur est *Elenchus motuum nuperorum* in Anglia a *D. G. Bateo* M. D. Regiæ Majestatis quondam Proto-Medico concinnatus, ab omnibus qui brevem & nervosam horum motuum descriptionem desiderant, lectu dignissimus. Nemini dubium esto quin dicto Burneto apud Fœderatos gratiam inire ac munia adipisci haud difficile fuisset, si pronâ aquâ ferri voluisset, cum uxoris frater Waristonus tantâ apud eos polleret gratia & authoritate, neque deerant illi sollicitationes, quæ maxime efficaces esse solent, uxoris nimirum isti parti religiosissime addictæ. Verum ut erat vir perspicacis judicii, summæ integritatis

& candoris, conscientiæ dictamen recta sequens, a muniorum ambitu & mundanâ gloriâ longe alienus, adeo ut haud facile persuaderi posset, ut speciosis prætextibus conscientiæ satisfaceret, atque ita contra omnia jura naturalia, divina & humana secundo flumine ferretur; ita fuit invictæ stabilitatis & constantiæ. Ex epistola hac manifestum est quanto horrendæ sæculi & gentis suæ corruptionis sensu commoveretur, cujus verba non sunt temere loquentis, sed oculati testis, animi sensa libere referentis. Is ad quem epistola datur fuit vir generosus, universa eruditione & summa integritate & prudentiâ insignis, in patria ab omnibus dilectus, ab utraque parte observatus, Regis & Patriæ amans. Fœderi subscripsit, sed additis scriptis cautelis, omnem sensum fidelitati erga Regem, &c. contrarium excludentibus, atque in mediis regni fluctibus & turbis, illi, ex utriusque partis decreto, erudita quiete & pace frui, concessum est. Quoniam vero hic mentio facta est historiæ Ecclesiasticæ Scoticanæ a reverendissimo *Spotswodo* conscriptæ, Anglice editæ, quæque erudito orbi in Latina lingua communicari dignissima est, liceat hic præfationem, indictam historiam Ecclesiasticam, a dicto Domino de Straloch exaratam, ne intercidat, inserere prout hic sequitur.

Domini Roberti Gordon
a Pitlurg et Straloch

PRÆFATIO

In Historiam Ecclesiasticam

D. Johannis Spotswoodi

Scotiæ Cancellarii, Archiepiscopi Andreapolitani, & Scotiæ Primatis: ex ipsius D. R. G. a Straloch autographo ad verbum descripta.

§. CVII. *Præfatio R. G. a Straloch in historiam Eccl. Spotswoodi.*

„ Qui historiam suæ gentis nescit, domi peregrinatur, sed ut incorruptam eam habeat, laborandum illi est. In antiquissimis narrationibus & regnorum initiis, multa plerumque fabulosa; minus tamen illic periculi, nisi posteritas ea in exemplum trahat, & inde illicita stabilire conetur. Antiqua historia nostra hoc morbo laborat, sed non illa sola; sicut enim primi nostri Scriptores (quorum nihil præter nomen superest) superstruxere originem nostram fabuloso *Gathelo* & *Scota*, quos ex *Ægypto* educere ausi sunt; ita veteribus *Britannis* non defuit *Brutus*, non defuit *Francion* Francis, Trojano sanguine editus, ut innumera ejus generis taceam.

Detur hic antiquitati venia, in tantâ literarum egestate, & priscorum sæculorum barbarie. At recentiorem historiam corrumpi, odio aut assensione Scriptorum, non ferendum. Ubi tamen regna aut respublicæ insignem mutationem patiuntur, aut civilibus motibus concutiuntur, hoc sæpe accidere videmus; ad victricis partis stabiliendam potentiam, aut abolendam infamiam, multi scriptores aciem ingenii intendunt. Ita adempto omni solatio victis, eorum etiam fama apud posteros prostituitur, si non aliquis veritatis amans (quod tamen rarum) eos famæ restituat.

Hoc ipsum in rebus nostris superiori sæculo gestis experti nos quoque sumus. *Georgius Buchananus*, vir in omni humaniori literaturâ probe exercitus, Poëtarum sui sæculi, multorumque præcedentium, omnium consensu princeps, ille tamen ea aggressus est, quæ famæ ejus interat non attigisse, & intra Poëseos limites se continuisse. Tribus primis Historiæ suæ libris, conviciatorem agit, non historicum, & præter jejunam regni nostri descriptionem (quam tamen desultoria levitate prætervehitur), doctis viris nihil præstare videtur, in re antiquaria non satis instructus. Sed hæc non impune tulit, a *Cambdeno*, omnium Britanniæ antiquariorum longe primo, male habitus. Procedente Historia (ut innumera sphalmata taceam) contra *Kennethum* Regem intonat horrendum, qui legem de successione Regia, quam *Tanistriam* (barbaro & nunc incognito nobis vocabulo) vocant, abrogavit; expertus, in majoribus suis, quam multas turbas ea lex (sive consuetudo fuit) dederat, quantumque inde cruoris haustum, primus statuit, ut Regia proles citra controversiam regnum susciperet, infirmæ ætatis, a delectis gubernatoribus regeretur, præcluso proximis sanguine jam adultis, (quod antea invaluerat) ad sceptra aditu, nisi forte comperta virtutis & fidei in turbam cum aliis ad hanc curam delectis, venirent. Etiam contra γυναικοκρατίαν stomachatur, cum ejus ætate incidisset, at quibus rationibus, qui historiæ ejus assueverint, viderint. Ubi ad sua tempora ventum, Deus bone! jam confusa rerum facie & turbis fluctuante regno, quam aperte in partes transit; jam non historicus, sed causidicus, detortâ veritate rerum, parum apud eum sani aut sinceri. Et hæc omnia, ut unum hominem Mæcenatem suum,

suum, stabiliret, quem tamen antequam vita exiret, cruentâ morte sublatum vidit. Sed non ideo refrixit in eo partium studium. Id testatur egregius ille dialogus aut cento de *jure regni*, quem extrema ætate procudit, ubi illa tractat quæ perfectum Theologum & peritissimum Jurisconsultum postulant. Homo ad hæc impar, e scholis & ludi-magistrorum ferulis in hæc ardua rerum evectus. Vapulat tamen a duobus popularibus suis, viris eruditissimis, & omnis juris peritissimis, *Blackwodeo* & *Barclaio*, quorum doctissimi libri de ea re extant. Jure sane cum eo ita actum esse fatentur omnes, qui sine affectu ea legunt. Qui enim centonem de jure regni & historiam ejus exacte consideraverit, inveniet tractatum de *jure regni* thesin propositam, *historiam* autem sic detortam, ut thesi firmamentum habeatur. Denique *Jacobi Regis* adolescentis, Ordinumque regni de hisce libris judicium, testantur acta publica archivis inscripta, in quibus hi libri lege lata prohibiti. Aut si hæc retractaverit idem Rex jam maturus ævi, testatur tractatus ab eo scriptus, quem βασιλικὸν δῶρον inscripsit. Non hæc refero ut clarissimi viri manibus insultem (quis enim & quantulus ego), hoc enim piaculare; sed veritati obniti, aut eam celare, in rebus tantis, impium. Certo certius est, ab excessu *Jacobi Quinti*, hoc est ab anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, parum sinceri in ulla rerum nostrarum historiâ hactenus editâ reperiri. Ego jam grandis natu, morti proximus, omni affectu vacuus, hoc sancte affirmaverim, cum multa ad quæ mea ætas non porrexit, fando hauserim, ex pluribus incorruptæ fidei viris, qui rebus gestis ipsi interfuere, aut pars magna fuerunt. Bene se habet & mihi ipsi gratulor, quod antequam vita abeam, videam has lucubrationes posthumas in lucem prolatas, de quibus edendis hoc perditissimo sæculo omnes desperaverunt. Fœtus hic est acris, vividi & sublimis ingenii, ubi candor & veritatis studium elucet, narratio simplex, nuda, procul omni affectu. Qui hæc leget & cum *Knoxo* dehonestamento historicorum contulerit (nam ille & se & sua tempora hoc scripti genere deturpavit) non parum discriminis inveniet. Author tamen hic cum tantæ maculæ in *Knoxo* (viro alioquin magno & celebris in Ecclesia nominis) eum puderet, negat illum authorem ejus operis; at non ita sensit nobilis & eruditus *Regni Cancellarius*, *Johannes Metellanus*, eorum temporum æqualis, qui illa omnia apprime noverat, quique acri & mordaci epigrammate (quod adhuc extat) in illum & historiam illam lusit. *David* etiam *Buchananus* nuper illam recudit, mutilam supplevit, ac aperte professus Authorem, jure sane, cum nemo unquam antea de ea re controversiam fecisset. At felix noster iste *Præsul*, non ex scholasticorum subselliis, sed in luce rerum & culmine negotiorum tantis rebus dicendis par, non tamen ad hæc se accinxit, nisi consulto *Rege Jacobo*, qui ad hæc eum impulerat, præfatus, se non posse bonâ fide hanc historiam condere nisi cum multorum offensâ, qui ipsi, aut quorum majores laboraturi sunt. Jussit Rex, audacter pergeret, ubique veritati litaret, quod ab illo non segniter præstitum. Modestia tamen & mansuetudo animi toto opere lucet, rara hoc degeneri sæculo & corruptissimis moribus παῤῥησία, qua tamen innocenter utitur, neque unquam quod sciam, a legitimæ historiæ legibus deflectit orationem, nec odio nec amori indulgens. Qui hæc legent, invenient historiæ nostræ Ecclesiasticæ τὰ λείψανα, qualia tempus edax, bella externa, civiles tumultus, ac omnia atrocissima & literariæ rei infestissima, a cunabulis Christianismi nostri supersunt, per eam longam temporum seriem, quæ mutatam & repurgatam Religionem præcessere. Postea mutata rerum facie, politica & Ecclesiastica sic se miscuere, ut sine utriusque exacta cognitione neutra sciri posset; unde nascitur hic plena historia, hoc nomine nobis gratior, quia hic laborabat historiæ nostræ fides. Hic manet, manebitque multarum rerum memoria, ab omnibus bonis hactenus desiderata, quam illi qui in hanc turbarum scenam successere, sepultam volent; adeo postrema quæ vidimus, sic primis Jacobi Regis temporibus consentiunt, ut mutatis personis, una tragœdia acta videri possit. Faxit Deus, ut posteris Halcyonia sint, nam nihil nobis præter vota reliquum. At Caroli rebus dicendis, spes est in tanta literarum luce, & gestorum cognitione, non defutura præclara ingenia, quibus ea posteritatis cura erit, ut quæ dispersis chartis per hominum manus volitant, ad justas historiæ leges revocentur. Unum postremo desideraverim, ut aliquis labori par, his omnibus jus Latii impertiatur, sic enim toti Europæ, cui tamdiu falsis rerum nostrarum narrationibus illusum est, manifesta historiæ veritas patebit, & bonam vel malam famam pro meritis habebunt, qui hactenus Scriptorum odiis

aut assentationibus indigne habiti sunt. Vale.

4. Cal. April. 1655.

Historiam istam Ecclesiasticam Spotswoodi haud immerito tantopere commendat generosus ac venerandus hic senex, cum tanto judicio, candore, modestia, ac animo a partium studio alieno, scripta sit.

§. CVIII. *Forbesius in Hollandiam profectus est.*

Sed ad Authorem nostrum Forbesium redeo, quem cum Patre Episcopo Forbesio, Archiepiscopus Spotswoodus magni habuit. Aberdoniæ commorari volebat Forbesius, quo aditu ei ad Bibliothecas publicas concesso, reliquos instructionum Historico-Theologicarum libros desideratos absolvisset. Verum hæc gratia impetrari non potuit, nam præter Fœdus Nationale, solenni etiam Ligæ & Fœderi subscribere oportebat, alioquin pœnam anathematis Ecclesiastici subire vel e patria secedere. Hoc ultimum elegit Forbesius, ac 5. April. 1644. relictâ patriâ Belgium versus navigat, ac 10. ejusdem mensis Camp-veriam appulit, hinc peregrinatus est per totum Belgium Fœderatum, ac in Anglorum & Scotorum Ecclesiis, rogatu Pastorum, sæpe concionatus est ad summam consolationem & ædificationem populi, qui miratus est qualis esset Ecclesia Scoticana, quæ tam reverendum virum e Pastorum ipsius collegio ejecerit. Dum in Hollandia erat, Amstelodami plerumque commoratus est, illic occupatus in instructionibus suis Historico-Theologicis edendis, quas prælo dare noluit, nisi suffragantibus celeberrimis Academiarum Fœderati Belgii Theologis, qui earum editioni libenter suffragia dedere. In Diario suo memorat Forbesius & prædicat (Deo gratias agens) singularem *Joh. Ger. Vossii* candorem & benignitatem, quod operis hujus editionem testimonio suo condecorare dignatus sit, licet in 28. & 29. cap. libri 8. ejusdem operis quædam legisset iis contraria quæ ipse in historia sua Pelagiana scripserat. Inter innumera divinæ providentiæ & tutelæ beneficia, id memorabile est. Die Mercuril (inquit *Forbesius*) vespери, 1ǀ Junii, cum in cymba navicularer, ut navem vectariam conscenderem Amstelodamo versus Swartsluys tendentem, singulare hoc gratiosæ tutelæ & liberationis beneficium in me contulit Deus, benedictum sit ejus nomen in æternum. Navis ancbora super me cecidit, salvus tamen fui, non occisus, nec vulneratus, nec illisus, Deo laus. Amen & Amen.

§. CIX. *In Patriam revertitur ac moritur.*

Postquam duos & ultra annos in *Hollandia* commoratus esset, in *Scotiam* renavigavit, & *Veriâ* solvens 8. Jul. 1646. st. v. ad portum *Aberdonensem* 14. ejusdem mensis appulit, & ne Ministri ac pars Presbyteriana aliquam de eo suspicionem conciperent, ipse statim rus ad prædium suum de Corse recessit, Deo gratias maximas habens, quod incolumem euntem ac redeuntem servasset, ac domicilium in pace & sospitate invenisset, ubi reliquum transegit vitæ suæ mortalis tempus, in præparatione ad mortem, ac pie obdormivit in Domino 29. April. 1648. ac sepultus est in suæ Parochiæ cœmiterio sine ulla exequiarum pompâ vel monumento. De ultima ipsius ægritudine & morte nil possum referre, cum nullum de ea memoriale viderim, Diarium enim ipsius ad finem tantum anni 1647. se extendit.

§. CX. *Quædam externa de Forbesio & de moribus temporum in quibus vixit.*

Humili fuit staturâ, colore vultus subfusco, in uxorem honestam duxit fœminam, natione Belgicam, Middelburgo-Zelandicam, Dulcem Rosam-Arborem dictam, quæ mortua est An. 1640. paulo ante mariti exauctorationem a Fœderatis. Ex ea novem habuit liberos, quorum unicus Georgius Patri supervixit, prædiorum, haud vero eruditionis & virtutum hæres, licet id a patre in votis maxime cupitum fuerit. In Museo nullum habuit sedile, sed stando semper legebat vel scribebat ad mensam inclinans. In pratis sæpe deambulabat divinis meditationibus occupatus. Nonnunquam in relaxationem animi, in campis pilâ clavariâ ludebat, sed audito campanæ sonitu ad preces publicas in Ecclesia vocantis, confestim omisso lusu ad templum, non pro formâ, sed ex verâ devotione, contendit; & in Diario videre est multas ex divinis contemplationibus ei datas fuisse, ex occasione S. Scripturæ statis horis quotidie in templo lectæ. Ad extremum usque perstitit in piâ aversione a methodis quibus fratres in Fœderibus suis Nationali & Ligâ propagandis usi sunt. Dicere solebat Fœdera hæc non diutius duratura quam a brachio carnali sustentarentur. Jussitque amicum generoso cuidam, amplæ fortunæ Domino, sed non Fœderato, dicere, ut ipsi morienti fidem habere velit, se Fœderibus istis subscribere & jurare nolle, licet pro præmio amplam illius reportaret fortunam. Tam miros quippe viderat horum Fœderum effectus, tam subdolas Fœderatorum artes, tam horrendam omnis juris violationem, (licet ante ultimum tragœdiæ actum, e luctuoso hoc theatro divinâ misericordiâ sublatus fuerit) ut nemini mirum videatur, si tam

sincera

sincera & candida anima, adeo veri bonique amans, a Fœderatorum quo agebantur spiritu abhorruerit. Viderat eos, qui cum de viciná Ecclesiâ Anglicanâ conquesti essent, ac si ea suos ritus & cærimonias Ecclesiasticas ipsis obtrudere vellet; postea ejusdem Ecclesiæ constitutionem penitus evertere, ipsorumque disciplinam & regimen in eam vi & armis introducere studentes: Qui antea de scrupulosorum & religiosorum coactione quiritabantur; alios postea ipsorum constitutionibus se accommodare, ac in fœdera solennia, renitente propriâ conscientiâ jurare, extremis terroribus & pœnis, Ecclesiasticis & civilibus adurgentes & cogentes: Qui in Episcopos tanquam in clerum dominantes vociferabantur; nunc omnes in totum populum, ipsorumque Synodos Nationales (quarum decreta ne vel tertia pars cleri & populi ex animo approbabat) in clerum & populum infanda tyrannide dominantes: Qui olim in Regem quasi Regia Christi jura invadentem oblatrabant, eo quod Ministros quosdam ut læsæ Majestatis reos coram Regis Concilio citari jussisset, ob dicta e suggestis prolata: Ministris libello exhibito judicem recusantibus, eo quod Domini sui opus agerent, ac proinde solum coram Curiis suis spiritualibus in prima instantia causam dicere deberent; nunc tantam in rebus regni civilibus authoritatem usurpantes, ut Ordinibus regni nil agere licitum esset, ipsis in prima instantia inconsultis, aut non consentientibus: Qui in principio arma in sui tantum defensionem contra Regem capere præ se ferebant; tandem omnibus ipsorum postulatis & quoad Ecclesiam & quoad regnum ab eo concessis, Regem in altero ipsius regno invadentes, & cum rebellibus istius regni subditis adversus eum solenni sacramento fœderantes: Qui Regiæ Majestatis personam tueri sacramento se obstrinxerant, eam tandem, cum ipsorum fidei se commisisset, in inimicorum manus, prætextu quod Fœdere se noluerit astringi, nefario tradentes; contra novam expeditionem Scoticam in Angliam, Parlamenti sui decreto susceptam ad Regem turpiter captivum in libertatem & dignitatem asserendum, Synodice protestantes; Nobiles & generosos susceptores pœnitentiam publicam in cilicio agere cogentes; ac optimum Regem, tanquam causæ Dei (ut blasphemè dicere solebant) inimicum, e suggestis populo diffamantes: Qui principis pacis, animas non perdere, sed salvare, se venisse dicentis, Ministros esse præ se ferebant; sanguinem nihilominus sitientes; ab Ordinibus regni justitiam (i. e. capitale supplicium) in captivos *malignantes* (i. e. qui a Regiis partibus steterant) postulantes; iisque, cum Nobilium & generosorum regni sanguine pegmata tumarent, solennes gratias agentes: Qui in Ecclesiam Romanam, ut statum Antichristianum & meretricem Babylonicam debacchabantur; ipsius nihilominus perniciosissima dogmata & acta transcribentes: Qui in Romanæ Ecclesiæ Hierarchiam invehebant; absolutissimam interim quæ unquam in Republica fuerat Hierarchiam erigentes: Qui Mahumetanam doctrinam de Religione per gladium propagandâ damnabant; idem facientes: Qui Nationales suas Synodos, prohibente licet Rege ob confusiones & turbas ab iis in regno excitatas, tenere mordicus persistebant, divinum jus & authoritatis Christi Regiæ prærogativam prætexentes; Cromwellio tamen Synodum ipsorum Nationalem solvente, neve iterum convenire cum minis prohibente, obsequium præstantes, ac Regiam hanc Christi prærogativam asserere rursus non audentes. Certe hæc Christianum non decent, multo minus eos qui se legatos Jesu Christi appellant, cum a divino ipsius Evangelio, vita & spiritu adeo aliena sint. Si quæstio illis proposita fuisset, num ipse Jesus Christus, si in terris esset, talia faceret, homines ad fœdera ineunda contra ritus quosdam Ecclesiasticos cogendo, ad idem fœdus vi & armis contra supremum ipsorum Magistratum tuendum incitando, utque eum, eidem subscribere recusantem, si ipsorum fidei se committat, inimicorum manui traderent, ac capitale supplicium in ipsius fautores postularent &c. hortando; vix credo illos eo impudentiæ perventuros fuisse, ut id affirmassent. Christus inimicos nec calumniis, nec pœnis, nec vi ullâ excipi voluit, sed commiseratione, precibus, beneficiis, propriæ pro illis vitæ profusione: in quibus & characterem unum eorum qui sui sunt constituit; adeo neminem cogens, ut vel Apostolis suis, januam abeundi si ipsi velint, pandat quam liberalissime: *Vultis & vos abire.*

Horrenda hæc Fœderatorum, Dei & Religionis causam prætendentium, gesta, ideo in memoriam revocanda erant, ut præsens nostrum sæculum moneatur, ne se talibus imposturis seduci sinat. Cum hodie etiam non desint qui fœdera supradicta ad sydera usque extollant, ac nos fœderibus istis ex vi juramenti majorum teneri palam asserant, eorumque jugo omnium colla de novo subjici satagant; quin & in libello

libello nuper edito cui titulus, [*the Hind let loose*, Cervus dimissus], flagitiosissima facinora, parricidium nempe in Carolum hujus nominis primum Regem perpetratum, & R. D. Jac. Sharpii Scotiæ totius Primatis & Archiepiscopi Andreapolitani interfectionem per sicarios, tanquam heroica facta, & parricidas tanquam Patriæ columina deprædicant; in quem tamen libellum, vel eum quem (in Ministrorum ordinem ab iis receptum) fama vulgaris pro authore habuit, Presbyteriana Synodus, quæ in rebus levioris momenti tantum pulverem excitare solet, per decem retro annos quotannis conventa, non animadvertit, nec ulla censura Ecclesiasticâ improbavit.

Utinam tam gravium malorum sub quibus Christianus orbis per tot sæcula ingemuit, experientia, dum Christiani in tot partes scissi, tanto animi zelo hinc inde fervent, pro accidentalibus, accessoriis, circumstantialibus, externis, speculationibus, opinionibus, systematis, ritibus, disciplinæ & regiminis Ecclesiastici formis particularibus; mutuam interim proximi dilectionem, sine qua Dei charitas consistere nequit abigentes, atque ita omnem ipsorum Religionem vanam esse prodentes, quo cæco & Diabolico zelo, mutua invicem odia & convicia ingenerantur; favoris Dei & animæ erga eum conversionis falsa & periculosa præsumptio, ac in plurimis ab omni Religione, quasi vana & falsa, manifesta Apostasia. Utinam, inquam, funesta hæc per totum Christianum orbem experientia, jam tandem Ecclesiasticorum oculos hinc inde aperiat, ut verum Evangelii scopum, sinceram Dei & proximi charitatem prosequi moveantur, non in verbo, sed opere, in spiritu & mansuetudine Jesu Christi.

Atque sic quæ de Authoris vitâ externâ habui dicenda absolvi. Restant Exercitiorum ipsius spiritualium Commentaria, quæ historiæ partem secundam, potiorem, ac vitam interiorem ac divinam exhibebunt.

VITÆ

VITÆ FORBESIANÆ INTERIORIS BREVIS IDEA.

Qui vult plene & sapide Christi verba intelligere; oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare. Th. a Kemp. de Imit. Chr. l. 1. c. 1.

§. 1. *Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus, qui in ipso est.*

1. QUemadmodum ea quæ *Dei* sunt nemo cognovit, nisi *Spiritus Dei*, & ii quibus *Deus* revelat per *Spiritum* suum; sic nemo hominum scit quæ sunt hominis nisi *spiritus hominis* qui in ipso est. Ubi itaque *vir sanctus* internas suas *dispositiones* & statum sincere exponit, ei fides habenda est, præsertim si externa ejus vita tali expositioni in omnibus respondeat. *Per fructus cognoscetis eos.*

§. 2. *Internas Authoris dispositiones ostendunt exercitia illius spiritualia.*

2. Id maxime observandum est in *Authore nostro D. Johanne Forbesio* cujus *vitæ sanctitas* ab omnibus cui notus erat prædicatur. *Exercitia* illius sequentia *spiritualia*, internas animæ ipsius dispositiones erga *Deum*, proximum & seipsum, *Spiritus Sancti* in cor ejus *operationes*, internam & spiritualem ipsius cum *Deo* communionem, candide exponunt. Sacer Psalmorum liber *Regis Prophetæ* & aliorum cum Deo *colloquia*, spirituales ac fervidas ipsorum mentis ad Deum, juxta varium eorum statum, elevationes ac ejaculationes continet. Similis est hic *Reverendi hujus viri* Thesaurus, qui & plurimum ex iisdem verbis componitur, idque non juxta modum garrulitatis *psittacorum*, sine ullo interno sensu aut intelligentiâ, prout nimis sæpe homines in hac re psittaci sunt, sed ex vero interno affectu & intimo sensu cordis *Spiritu Dei* tacti, ubi varii cordis affectus, tanquam fistulæ *organi* harmonice dispositæ, afflatu divino repletæ, juxta *divini organistæ* impulsum, suavem modulantur concentum.

§. 3. *Deus juxta diversas hominum dispositiones diverso modo eos tangit.*

3. *Deus* juxta diversas hominum *dispositiones*, diverso modo eos tangir & deducit, adeo ut particularis modus quo unus ducitur pro universali *normâ* non habendus sit ad quam se conformare omnes obstringantur. Id non intelligendum est de *virtutibus essentialibus* Religionis Christianæ, *amore Dei & proximi*, &c. & mediis ad id necessario requisitis, purificatione cordis, mortificatione corruptionis naturæ, influxu gratiæ & Spiritus Dei ea operantis; sed de diversis modis quibus hæc omnia operatur unus & idem Spiritus. *Deus* enim diverso plane ac omnino dissimili modo utitur in operationibus ac viis suis per quas ad perfectionem sui *amoris* animas ducit; non legibus aut præceptis quæ e libris peti solent est alligatus, sed quaudo ei placuerit, brevi temporis spacio multa & magna perficere potest.

§. 4. *Scopus Authoris in scribendo hæc Exercitia.*

4. *Author* noster prima conversionis suæ ad Deum rudimenta, primas Spiritus Sancti motiones & impulsus quibus Deus illum ad se trahebat, non exponit, cum propositum ejus non fuerit in his exercitiis plenam interioris suæ Vitæ narrationem exhibere, sed in suum usum pro re nata annotare diversas mentis suæ *motiones* erga *Deum* ac intimam Dei in corde ejus *præsentiam* & *operationem*, ut repetita horum lectio, meditatio & memoria flammam *amoris Dei* in corde ejus semper lucentem & ardentem conservaret.

§. 5. *Author noster erudiebatur non solum in scholâ externa, sed maxime in cœlesti & internâ.*

5. *Omnis scriba*, inquit Servator noster, *ad regnum cœlorum institutus patrem familias refert, qui ex thesauro suo nova simul ac vetera depromit.* Quantum doctrinæ veteris vario delectu studiose conquisitæ in thesaurum suum reposuerit hic Scriba noster, quanto studio & industria veteribus studuerit, quam sedulus *inferioris Academiæ*, Scholasticæ scil. alumnus ejusque doctrinâ ac eruditione quam bene instructus esset, notum est omnibus, testantur vetera ex Thesauro ejus deprompta, scripta erudita hactenus edita. Verum sentiens vir optimus, *magisteria forinsecus adjutoria tantum quædam esse, & admonitiones: cathedram in cœlo habere qui corda docet*, atque hinc nova discenda & in thesaurum reponenda esse, nova hæc ut acquireret, *cœlestem* hanc *Academiam* petiit, & animarum Doctori qui inibi *cathedram* habet, se erudiendum tradidit. *Omnes* (inquit Augustin. in Johan. 6. tract. 26.) *regni illius homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient. Et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt intus datur, intus coruscat.* Novam illis scientiam largitur, quam in mentes, non nisi novo lumine illustratas infundit. Magnus animarum Doctor discipulis suis *novam* etiam *cœlestemque mentem* tribuit, ut ita res cœlestes ac divinas percipiant & sapiant. Quam assiduus & docilis in *cœlesti hac schola* discipulus *Forbesius* noster fuerit, quantum profectum ex ore *cœlestis Doctoris* pendens ibi fecerit, ostendunt spiritualia hæc ejus per multos annos exercitia.

Augustin. tract. 3. in 1. Joh.

§. 6. *Cœlestis Academia doctrina, quod solus Deus scil. quærendus sit, a Forbesio intime hausta.*

6. Veri cœlestis hujus Academiæ alumni discunt *Deum* Opt. Max. *summum* esse ac verum animarum nostrarum *bonum*, solam cordium requiem, verum mentis paradisum, ac proinde ipsum desideriorum nostrorum summam ac laborum finem esse debere, qui *solus* a nobis omni studio & animi contentione unice *quærendus* est. Id didicit *Forbesius* non sola cognitione speculativa & scientiâ literali, sed præcipue *praxi sapida & experientiâ intimâ*, spem suam & fiduciam in solo Deo collocabat, in eo solo animus ejus exultabat, eum unice quærebat cum Psalmista ex corde dicens: *Quid mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram?* Soli illius arbitrio vitam, rem, decus, committebat. *Sat amico*, inquit, *te mihi felix.*

Vid. 4. & 5. Maji 1640. 15. Febr. 1624. & per totum librum.

§. 7. *Et fundamentum eruditionis cœlestis, sincera vi-*

7. Fundamentum & basis omnis *eruditionis* & profectus in *cœlesti* hac *Academia* est vera ac sincera *parvitatis* ac *vilitatis* nostræ cognitio, unde [n]ascitur vera *humilitas*, contemptus & abjectio sui, quæ est velut prima *regula*, ac primum documentum in scholâ virtutum. *Nisi efficiamini*

litatis ac impotentiæ suæ cognitio.

sicut parvuli, per humilitatem scilicet, ac nihili sui ipsius æstimationem, *non intrabitis in Regnum cœlorum.* Nemo est qui non sentiat in corde suo desiderium ambitione plenum, quu semper in aliqua æstimatione apud homines cupit habeti. *Forbesius* malum istud in se sentiens & deplorans, illius eradicationi vigilanter incubuit, parvulus fieri in oculis suis cupiens, parvulum se coram Deo exhibens, cum quolibet etiam omni cum mansuetudine, modestia & benignitate conversans, infirmitatem suam & impotentiam ad quodcumque bonum tanquam ex se vel cogitandum vel agendum agnoscens, quod omnis sufficientia ejus ex Deo esset, quod sine Deo nihil posset facere. Innumera sua peccata & peccaminosam suam naturam, nulli rei idoneam quam ut offendat Deum & faciat malum deflens; ut passim videre est in Exercitiis ejus spiritualibus.

Vid. 27. Aug. 1640.

§. 8. *Hinc ad Deum continua oratione confugit.*

8. Hinc intime percipiens quantum illi opus esset *misericordiâ divinâ* ut vilitatis ejus misereretur Deus, & *gratia* ac *virtute Spiritus sancti* ad cor ejus mundandum & renovandum, vocationi divinæ obsequens, & benignis Dei promissis fidens ad Deum confugit continua, supplici & serventi *oratione*. Semper orabat. *Orationes* ejus *ferventes* fuere, gemitus inenarrabiles, ex intimo corde vibratæ.

§. 9. *In omnibus suis orationibus & gratiarum actionibus, sacrum Scripturæ organum tractat, ejus verbis semper usus est.*

9. In omnibus suis orationibus *Sacræ Scripturæ verbis* semper fere usus est, verbis ipsius Dei, Deo bene notis, ab ejus Spiritu dictatis; ea in succum & sanguinem verterat; eorum intimo & divino sensu tactus fuit, ab eodem Spiritu qui primus eundem sensum sacræ hujus Scripturæ Autboribus communicaverat. Magnum est discrimen inter eos qui verbis Scripturæ utuntur juxta argutias humanæ doctrinæ interpretatis, & eos in quorum cordibus divinus, experimentalis & sapiens eorum sensus a Spiritu Sancto intime imprimitur. *Scriptura Sacra* est quasi divinum *instrumentum musicum* a Spiritu Dei divina arte compositum, cujus chordæ cum a perito Musico eodem spiritu moto tractantur, suavem & *harmonicum* edunt *concentum*, dum interim *animalis homo* eas secundum corruptæ suæ rationis & imaginationis regulas tangens nil nisi dissonum stridorem & discordem *symphoniam* profert, ut in hac arte *præcentor* quidam singularis significanter observavit. *Peritus Musicus* juxta præsentem mentis suæ statum & dispositionem, divinas has chordas rite tangens, *harmonicis* & divinis a *Dei Spiritu* movetur *affectibus*, fiduciæ in Deum, raptus divini amoris, laudum & gratiarum actionis, lætitiæ & exultationis in Deo &c. qua cœlesti melodiâ ab aliis bene dispositis mentibus auditâ & perceptâ, etiam eodem *Sancti Spiritus afflatu* se agi ac in similes rapi affectus sinunt, quemadmodum *chordæ* diversorum instrumentorum ad *consonantias* tensæ, tactâ unâ, omnes *tripudiant* & resonant. Quam divina arte sacrum hoc *organum* tractet *Forbesius* noster, quanta simplicitate & sinceritate cordis, quam pii affectus contritionis, fidei, spei, dilectionis Dei & proximi, humilitatis & abnegationis sui inde in eo excitentur & confirmentur, quanta inde aptitudo ad alios bene dispositos similiter movendos resultet, clare perspicient ii qui *exercitia* hæc bona mente perlegerint.

§. 10. *Sacram Scripturam sibi semper in spirituali sensu applicabat.*

10. *Sacram Scripturam* vel quoad historiam vel præcepta vel promissiones Ecclesiæ in genere vel particulari alicui fideli factas sibi semper in *spirituali sensu* applicabat & tanquam sibi dicta intelligebat, unde summam quotidie hausit & lucem, & spirituale nutrimentum & consolationem. Deo placet ut Sacra Scriptura inserviat *ædificationi Ecclesiæ* & uniuscujusque in ea fidelium per omnia hujus mundi secula. Summa Dei cura est *translatio animarum* e regno peccati & Diaboli ad regnum charissimi sui Filii. Externa ejus Oeconomia visibilis hujus mundi in Scripturis narrata *adumbratio* quædam est *internæ hujus Oeconomiæ* in animabus recuperandis & salvandis, adeo ut non solum *literalis* Scripturæ historia tum Veteris tum Novi Testamenti perpendenda sit, sed etiam *mysticus* & *spiritualis* ejus sensus, quem & *Apostoli* & primitivæ Ecclesiæ *Patres* in historiæ Veteris Testamenti expositione præcipue respiciebant, quod si facerent Scriptores *Commentariorum* & *Annotationum* in S. Scripturas, spirituali animarum bono & consolationi multo magis, quam communiter solent, consulerent. Apud Deum etiam nullus est respectus personarum; sed in omni gente qui Deum timet & justitiam colit, ei acceptus est. Et quanquam admirabili sua providentia moderetur, regat, & gubernet totum hoc Universum, ea tamen attentione & sollicitudine *bonum & salutem cujuscunque nostrum* particularim curat & procurat, ac si vere aliorum omnium oblitus, non haberet, nisi nos solos, quibus provideret. Sicut *Sol* uniuscujusque plantæ bonum particularim adeo attente vitali suo calore promovet ac si eam solam haberet quam luce & calore suo foveret. Hinc *Apostolus Paulus* promissum divinum uni fidelium factum [*nunquam te deseram nec derelinquam*] aliis omnibus fidelibus tanquam illis etiam datum proponit. Atque ita *Forbesius* noster hisce innixus principiis in summam sui consolationem & bonum eadem ratione sacram tractabat Scripturam. Sic, [die inquit 11 August. An. 1624. rogatus ut die proxima in *Aberdonia* concionarer, cum *D. Rob. Baronius* ibi Pastor institueretur, Dominum oravi ut me dirigere ac benedicere ipsi placeret, & eximiam percepi consolationem ex promisso Moysi facto, & ad nostram doctrinam scripto: *Perge* (inquit Dominus) *& ego ero in ore tuo, doceboque quid loquaris.* Exod. 4. 12. O Domine, sis in corde & in ore meo.] Sic [die 13. Aug. 1624. Legens, inquit, Ps. 74. oravi pro purgatione & pace domus Dei, ejusdemque domus inimicorum, contaminatorum & turbatorum subversione; quæ intellexi & de *Ecclesia militante & de proprio meo corde*; & solatus est me Deus certitudine liberationis & custodiæ.] Sic Jun. 13. 1640. post recitationem plurimarum Dei in S. Scripturis promissionum, hæc subjungit: [—— Hæc tua, *Domine*, suavia & salutaria promissa pro Ecclesia tuâ omni tempore scribuntur, *& pro unaquaque anima*, quæ ullibi aut ullo tempore (durante hac vita) faciem tuam quærer, & benignitati tuæ confidet. Deus non est acceptor personarum, sed in quavis gente acceptus ei est quivis qui eum timeat, & operam det justitiæ. Quisquis credit in eum non pudefiet: Non enim est distinctio vel *Judæi vel Græci*, nam idem est *Dominus* omnium, dives in quosvis a quibus invocatur: quisquis enim invocaverit nomen Domini, servabitur. Nam quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scirpta sunt, ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.]

§. 11. *Spem suam posuit in solâ Dei misericordiâ per Jesum Christum.*

11. Vilitatis, demeriti ac impotentiæ propriæ intime conscius *Forbesius spem suam* posuit in *solâ Dei misericordia* per *Jesum Christum*, in ejus meritis ac intercessione. Novit omnia illi tradita esse a *Patre*, eum esse *Viam*, *Veritatem* & *Vitam*, neminem venire ad *Patrem* nisi per eum. Nec in alio quoquam salutem esse, nec aliud *nomen* esse sub cœlo quod datur inter homines per quod

opor-

oporteat nosservari. Deum nobis dedisse *vitam* æternam. Et hanc *vitam* in *Filio* ejus esse; qui habet *Filium*, habere vitam; qui non habet *Filium*, non habere vitam. *In eo* itaque omnem animæ requiem quærebat, *in eo* sperabat, ejus mandata & voluntatem facere, jugum ejus tollere & facile esse sentire, ab illo mansuetudinem & humilitatem cordis discere, illius gratiæ & potentiæ juniti, *Christum* in corde suo per *fidem* inhabitare, non se sed *Christum* in ipso vivere, se in *Christo* inseri & esse, ab eoque vitam & virtutem trahere quemadmodum palmes a vite, inque eo semper manere ardenter satagebat & continuo orabat.

§. 12. *Virtutes Christianas necessarias instanter petebat.*

18. *Aug.* 1624. §. 21.

12. In orationibus simpliciter & instanter petebat *virtutes Christianas* necessarias, *Dei* misericordiam ac pacem implorabat, *charitatis* ipsius erga se certitudinem, ejusque cordis in ea certitudine acquiescentiam, virtutem *fidei* in Dominum nostrum Jesum Christum, ac *charitatem* erga *Deum & proximum* suum in *Deo*, de corde puro, & conscientiâ bonâ & fide non fictâ, veram Christianam *fortitudinem* contra omnia carnalia desideria quæ adversus animam ejus militabant, ac contra quoscunque inimicos; *fortitudinem* cum *charitate* vere Christianâ, humilitate aliisque Spiritus fructibus conjunctam, ac ex fide in *Jesum Christum* Salvatorem suum, stabili, vereque justificante ortam. Sanctum petebat *amoris* Spiritum, quo cum lætantibus lætaretur, & cum lachrymantibus lachrymaretur, nulli esset invidiosus aut ex damno alicujus delectationem capiens, sed integro corde & oculo simplici omnes in *Domino* amaret, nil mali suspicans, non de amore *Dei* erga se diffidens; sed ut semper amorem ejus & solitum salutis ejus gaudium sentiret, eique semper adhæreret, eique serviret es toto corde & in misericordia ejus confideret, *Sanctum* ejus *Nomen* laudibus efferret, *Sancto* ejus *Spiritu* eum ducente & consolante, & cor ejus *gaudio* & pace, & os ejus lætis *laudis* cantibus replente, & ut in omnibus operibus suis laudi gloriæ ejus *gratiæ* inserviret. Hæc & similia passim in spiritualibus ejus *Exercitiis* habentur.

Jun. 19. 1625. §. 102.

§. 13. *Et solida amoris Dei erga se signa.*

2. *Jul.* 1640.

25. *Jul.* 1640.

13. Vera semper ac solida *amoris Dei* erga se petebat signa inque eorum concessione lætabatur. [Hoc signum, inquit, in bonum a *Domino* petii, ut ejus gratia diligam *inimicos* meos, benefaciam his qui oderunt me, & orem pro persequentibus & calumniantibus me; hoc enim *liberorum Dei* esse signum declaravit, etiam ut *Dominus* me mitem & humilem corde faceret; sicut *Christus* Servator meus fuit, meque faceret volenter & cum gaudio *jugum* ejus tollere & jugum ejus suave & onus leve invenire.] Rursus, [Pro hoc, inquit, signo in bonum humiliter oravi, pia scilicet cordis & spiritus *contritione* & benigne eam dedit mihi *Dominus*. —— Et pro cordis *rectitudine* oravi cum lachrymis —— utque mihi detur *Deum* agnoscere, amare, invocare, in eo sperare &c.] Adde 14. Febr. 1624.

§. 14. *Cor suum tanquam Dei templum considerabat eique in habitationem perpetuam offerebat.*

16. *Jan.* 1624.

14. Animam & *cor* suum tanquam *Dei* domum & *Templum* considerabat quod Deus *pro* seipso elegit & sanctificavit, ut habitaret ibi in perpetuum, idque in hunc finem ei continuo offerebat ab eo purgandum & illuminandum & suavissimam *Dei* in corde suo *præsentiam* sentiebat. [Mane, inquit, in cubili orans *Deum*, ejusque misericordiam & opem suppliciter cum gemitu lachrymisque implorans in nomine Domini mei *Jesu Christi*, contra tentationes Satanæ, measque infirmitates, percepi eximiam *consolationem*, sensumque gratiæ, misericordiæ & pacis, a Deo *Patre* meo cœlesti per *Jesum Christum* Redemptorem meum & *Advocatum* apud *Deum*. Postremo vestitus suavissimam sensi Domini mei, *cor meum, templum suum*, purgantis & pace beantis, atque in fide corroborantis, *præsentiam*, dum legerem Marc. 10. vers. 47. & seqq. & cap. 11. vers. 9, 10, 15, 16, & seqq. ad 27. &c.] [—— Cum legerem, inquit, hæc verba in If. *Sic ait Jehovah, cælum ipsum solium meum est; & terra scabellum pedum meorum: ubinam est domus, quam ædificaretis mihi? & ubinam locus quieti meæ?* inter legendum manum pectori applicavi, & dixi Deo, *Hic, Domine, locus est quieti tuæ in æternum.* Respondit mihi Deus salutari pacis responso, certum me reddens se habitare in me, & per gratiam habitaturum in sæculum. —— Dicit etiam Dominus Jesus: Si quis diligit me, sermonem meum observabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus. Eapropter suave illud pollicitum Ecclesiæ sub nomine Zionis sancitum (Ps. 132), pertinet quoque ad unamquamque animam fidelem, verum membrum veræ Ecclesiæ. Nam elegit Jehovah Sionem, expetivit pro habitatione sua, dicens, hæc est requies mea usque in sempiternum, hic habitaturus sum, quia hoc expetiveram. Hinc dulcissime, fortiter ac abunde solabar in Deo.]

26. *Nov.* 1640.

Vide etiam 13. *Aug.* 1624. & 6. *Mart.* 1616.

§. 15. *In oratione mentali per viam affectuosæ meditationis continuo se exercebat.*

15. In oratione mentali continuo se exercebat, elevando cor suum versus supremum fastigium Spiritus ad Deum, reducendo ac convertendo ad eum affectiones suas ut in eo quiescerent, & totæ in ejus amore immergerentur. Orationem plerumque inchoabat a lectione & meditatione dicti alicujus S. Scripturæ, vel consideratione Mysterii alicujus nostræ fidei, vel alicujus operis vel effectus bonitatis divinæ ad excitandum hoc medio cor suum ad bonas affectiones, sive amoris, sive laudis, aut admirationis, sive etiam ad acquirendas sibi virtutes. Via meditationis qua in orationibus suis usus est *Forbesius*, non fuit primus ille modus, de quo loqui solent authores spirituales, ubi nempe circa aliquod Religionis nostræ *Mysterium*, longiores habentur discursus, ruminando ac sedulo trutinando ac pervestigando omnes circumstantias, ad excerpendum inde fructum; sed secundus modus a sanctis viris observatus, ubi nimirum, quis sibi sacrum aliquod *Mysterium*, sicut in altero, quidem repræsentat, verum hoc discrimine, quod longiores discursus hic locum non habent, sed *affectio* una cum imaginatione *Mysterii* pari simul gressu continuo procedit, consumens totum tempus in perpetua sermocinatione ad *Deum*. Author noster, cui anima fuit *fervens*, & bonæ voluntatis plena, nudæ meditationi aut longo intellectus exercitio haud incumbebat, sed *desideriis divinis* plenus, tactis semel animæ suæ *chordis*, in *aspirationes*, desiderii, amoris, contritionis, gratiarum actionis, exultationis, gaudii, vel laudis juxta præsentem mentis suæ statum plerumque erumpebat.

§. 16. *Exercebatur præcipue in cognitione Dei experimentali, eum sentiens intra se operantem.*

16. *Cognitio Dei*, quæ est spiritualis nostri boni principium, ab operibus ejus in hac vitâ haurienda est. Inter *opera* vero *Dei* alia sunt extra nos in hoc mundo, alia intra nos in nostro interiori. Prioris generis sunt *creatio* mundi, *providentia* divina, præcipue vero *Mysteria incarnationis, vitæ & passionis Christi.* Hæ objectum sunt meditationis ordinariæ, deque harum meditatione pii Scriptores multa tradidere documenta. Alia sunt *opera Dei intra animam*, operatio nempe divinæ gratiæ cor purgans, illuminans, roborans, consolans, ubi *Deus* animæ bonitatem, misericordiam ac immensam suam erga nos dignationem, propriâ experientiâ *sentiendam & gustandam* præbet, & tunc concipitur

tur non tanquam in supremo cœlo regnans, & longe a nobis remotus, sed in *animâ nostra*, in interiori spiritus nostri præsens, in *corde nostro inhabitans*, suaviter movens, excitans & inclinans, ut eum velimus, quæramus & desideremus, cujus *operationes divinæ* sentiuntur, & puræ affectiones cordis inde excitantur. Prior modus *cognitionis* in eum præcipue finem exercendus est ut ad interiora ducamur, & *Deum* non foris, sed *intus* quæramus. Posterior itaque hæc *experimentalis cognitio* alterius est finis, & magis vivida, realis, & efficax, ac omnium virtutum operativa. Utroque modo exercebatur *Forbesius*, ut videre est per omnia ipsius *Exercitia spiritualia*, præcipue vero secundo. *Deum* intra se *sentiebat*, non per modum objecti cogniti, sed per modum *primi principii* operantis voluntatem ad amandum per tactum suum immediatum, & intellectum ad quærendum faciem & præsentiam ejus, quem cor ita tactum diligit, moventis & applicantis.

14. *Feb.* 1624.

[„ Contra ὀλιγοπιστίαν, inquit, solatus est, & roboravit me *Dominus*, suggerens precationem ut nunquam abnegem illum in hoc seculo, non solum externâ loquelâ coram hominibus, sed ne interno quidem vel minimo cogitatu coram ipso Deo, & inscribendo animæ suavissimam illam responsionem: Sufficit tibi gratia mea, potentia enim mea in infirmitate perficitur. Et *sentire* me faciendo suavissimam illam *inhabitationem Dei & Salvatoris* mei in me, meamque in *Deo & Salvatore* meo, per certitudinem in me, sensumque mutuæ *charitatis*; seque mihi ostendendo meliorem decem conjugibus, centum liberis, millenis amicorum millibus; pollicendoque mihi tutum receptum, & munimen & securitatem contra omnem metum impetumque linguarum; animamque meam *purificando* in obedientiâ *veritatis* ad non fucatam ferventemque φιλαδελφίαν: stabilemque sibi sedem & constans fore habitaculum, cor meum pollicendo: omnemque ἐπιχαιρεκακίαν expellendo ex anima mea, magisque in dies se illam expulsurum promittendo. —— „ Flevi, inquit,

3. *Octob.* 1640.

& ad *Deum* Servatorem meum clamavi pro misericordia & gratia adversus peccata & omnimodas ac multifarias corruptiones, ac tentationes, & adversus inimicos quoscunque spirituales: *Dominus* me exaudivit, appropinquavit & solatus est, ac mihi conspiciendum se præbuit, certumque reddidit de *gratia sua* mihi omni tempore sufficienti; *Dominus* quoque redintegravit mihi consolationes prioris diei. Benedictus sit *Jehovah* quia bonus est, quia in seculum benignitas ejus. Tunc mihi reddidit *Dominus* cor fidele, amans, mansuetum, humile ac rectum. Ille quippe mecum est, & in me habitat, requiemque animæ meæ inveni. Quapropter magnificat anima mea *Dominum*, & exultavit spiritus meus super *Deo Servatore* meo, cui sit *gloria* in secula. Amen.]

§. 17. *Lætam sentiebat tranquillitatem, pacem & gaudium.*

17. Inter alias *Spiritus Sancti* operationes lætam sentiebat *tranquillitatem*, & *pacem*, sanctum *gaudium*, & *consolationes* inenarrabiles: ut ubique videre est in ejus Exercitiis. [—— „ In eâ matutinâ meditatione, inquit, jucundis Dei misericordiis magnopere consolatus est me Dominus, *ipsius enim solatia animam lætificant*. Fieri quidem potest, ut solatia terrena, hominem externum, ejusque sensus & appetitus carnales ac sapientiam mundanam fortassis recreent; nulla vero solatia in intimo *cordis* fundo, ubi *conscientia* manet, suavitate explere possunt, præter solas *Dei consolationes*. Quæ solatia non superficiaria, sed solida sunt, ipso quasi animæ nostræ *centro* illabentia, & *conscientiæ* lucem, gaudium, & pacem afferentia. Sanguis *Jesu Christi* corda nostra a malâ conscientiâ, & conscientiam nostram a mortuis operibus purgat. *Deus* fide purificat *corda* nostra. Cor mundum creat in nobis Deus, & spiritum rectum innovat in visceribus nostris. *Christus* per fidem in cordibus nostris habitat, & per spiritum suum nos in interiori homine virtute corroborat; & regnum in cordibus nostris confirmat, quo ei in gaudio, in pace & in *Spiritu Sancto* serviamus: & per *Spiritum Sanctum*, qui datus est nobis, *charitatem* suam in cordibus nostris diffundit. Et posuit in ore meo novum canticum, laudem *Deo nostro*, in quo speramus, ac ita beati facti sumus.] Et alibi:

3. *Sept.* 1640.

[—— Exaudivit me *Dominus* & unicuique respondit petitioni, & extraordinaria benignæ suæ & persalutaris *præsentiæ* mensurâ votis meis annuit, adeo ut raperetur *cor meum* & obrueretur *gaudio* spirituali, miraque hac Dei in me bonitate stupefactum hæserit. Et *Dominum* laudavi, lachrymas fundens & *Deum* collaudans.]

§. 18. *Quã singulariter sentiebat in Eucharistia præsentiam perceptione.*

18. Sicut omnem opportunitatem perceptionis *corporis & sanguinis Christi* libenter amplexus est, ita in ea maxime gustabat panem omne delectamentum in se habentem, aquam de fontibus *Salvatoris*, quæ hauritur in gaudio, cupiditates ejus restinguentem; tum maxime sentiebat animam suam esurientem, bonis & delitiis nunquam perituris satiatam.

9. *Apr.* 1626.

[—— „ *Dominus*, inquit, *cor* meum pacavit, & ad sacram suam mensam me deduxit, ubi pretioso suo corpore, quod pro me fractum fuit, & pretioso suo sanguine qui pro me in remissionem meorum peccatorum effusus fuit, animam meam aluit, redintegravit & corroboravit. Suavissimam ac singularem *Dei* ac *Salvatoris* mei *præsentiam* mecum percepi. Cum Minister tradidit mihi panem, institutionis verba repetens, cum hæc Salvatoris nostri verba recitabat: *Hoc facite ad mei commemorationem*, ego, sanctum hoc *Sacramentum* adhuc in manu tenens, cor meum ad *Christum* in cœlis elevatum sensi, ei dicens, Te, *Domine*, toto corde commemoro, Domine memineris tuei misericordia; atque sic panem illum comedi, & de poculo illo benedicto bibi, *cœlesti adeo ac exuberanti consolatione*, ex Dei mei super me misericordia, ut eam nec possit lingua mea eloqui, nec calamus exprimere, imo nec potuerit cor meum comprehendere, sed ipsa cor meum comprehendit ac replevit pace, virtute ac gaudio in *Spiritu Sancto*, adeo ut paratus fuerim ac gauderem statim dissolvi, ac cum Domino Jesu esse; Anima exultanter ad Deum clamavit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Atque ita omnes priores consolationes, hujus diei augmento, obsignavit mihi Dominus. Confirma hoc, *Deus*, quod operatus es in nobis. Qui incepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem *Christi*, & quotidie in me promovet. Benedictum sit sanctum ejus *nomen* in secula seculorum. *Amen. Hallelujah. Amen & Amen.*

§. 19. *Omnes orationes cum Dei laudibus & gratiarum actionibus concludebat.*

19. Orationes ejus *Deo* tam acceptæ fuerunt, per eas adeo confirmatus fuit in *Dei* erga se benignitate & misericordia ut eas semper fere finiverit cum *laudibus & gratiarum actionibus*, exultans in *Domino* ac novas inde acquirens vires ut alacriter pergeret in viis *Domini*, ac ejus jugum facile & onus leve sentiret. Hoc observandum est in plerisque ipsius Exercitiis.

18. *Aug.* 1624.

[—— „ Dum ita, inquit, *D[e]um* meum lachrymis orabam, eximiam ac suavissimam percepi consolationem a *Deo* certum me faciente, quod orationes meæ ex-

„ exanditæ essent, ac petitiones abunde concessæ.
„ Atque cum hac oblatione *laudis* Patri meo cœ-
„ lesti grata, per Dominum nostrum *Jesum Chri-*
„ *stum* conclusi: *Ei vero qui summa cum exube-*
„ *rantia potest omnia facere, supra ea quæ petimus*
„ *aut cogitamus, secundum virtutem quæ operatur*
„ *in nobis, secundum divitias gloriæ ac misericordiæ*
„ *ipsius: Ei sit omnis honor, laus, & gloria in*
„ *Ecclesia per Dominum nostrum Jesum Christum in*
„ *secula seculorum. Amen. Hallelujah.* Rursus alibi:
14. Feb. 1626. „ [—— Benedictum sit sanctum ejus nomen,
„ omnisque sit illi laus, honor & gloria in Eccle-
„ sia per *Jesum Christum* Dominum nostrum &
„ Salvatorem in secula seculorum. Amen. Halle-
„ lujah. Amen. Benedic anima mea *Domino.*
„ Benedictum & laudatum sit sanctum & magnum
„ & gloriosum ejus nomen in secula; solus enim
„ ab omnibus & super omnia laudari dignus est.
„ Benignus est ille, & misericordiæ ejus erga nos
„ magnæ ac ejus veritas manet in æternum. Hal-
„ lelujah. Amen & Amen.] Rursus: [Hinc, inquit, mihi in mentem venit egregium illud Augustini dictum ———: (Nam quid melius & animo geramus, & ore promamus; & calamo exprimamus, quam DEO GRATIAS? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest). Et dicti hujus virtutem hoc tempore & sæpe alias suavi experientia percepi. Deo Gratias, Deo Gratias. Hallelujah &c. 7 Nov. 1637.] Atque ita de aliis.

§. 20. *Dignatus est Deus cor ejus interne alloqui & divina cum eo colloquia habere.*

20. Mira loquitur de singulari *familiaritate* quam *Deus* ex benignitate sua ei exhibuit, vultum suum ei sæpe ostendendo ac familiaria & *divina colloquia* cum eo habendo. Sic 10. Jan. 1625. §. 96. Hæc nota ponitur in margine. [*Spiritualia cum Deo colloquia, ineffabilesque cœlestes consolationes, & certitudo misericordiæ & gratiæ & salutis, per Christum*]. Et in ipso Exercitio sic scribitur: [Pro misericordia oravi. Ille respondit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Pro fide & consolatione oravi. Dominus respondit: *Noli timere, quia complacuit Patri tuo dare tibi regnum. Tibi paratus est locus in cœlis.* Pro ejus directione, præsentia & gratia, in hoc vitæ curriculo, sub certa futuræ gloriæ spe, oravi. Respondit Dominus: *Invenisti gratiam coram me, & facies mea præcedet te.* Oravi, ut mederetur omnibus meis imperfectionibus. Respondit Dominus: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Sanctum Domine, da tuum Spiritum, prout promisisti. Respondit mihi Spiritus Sanctus: *Elegit te Dominus, expetivit ut esses habitaculum illi. Hæc requies mea usque in seculum, hic habitabo quoniam expetivi eam.* Hallelujah.] &c. —— Et alibi §. 100. [Cum, inquit, sentirem me quasi remissum esse ut hic aliquamdiu viverem, & cum gratias egissem Domino, propter benignum istum favorem, cum *Moyse* & *Apostolo Paulo* precatus sum, ut mihi benignam suam daret præsentiam, dicens, Facies tua Domine præcedat me, aut ne me remittas; tunc consolatorium hoc accepi responsum: *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Et dixi, ô Domine, inveniat servus tuus gratiam in conspectu tuo, ut nunquam propter mœrorem sim animo fractus, neque a peccato seducar. Tum
Vid. etiam mihi respondit: *Facies quidem mea præcedet te,*
26. Octob. *verba enim mea sunt vera, & scripta ut liberi mei*
1637. *per patientiam & consolationem Scripturarum spem*
27. Iul. *habeant, & invenisti gratiam coram me, & te-*
1640. *ipsum novi ex nomine.* Et dixi: Domine, Domi-
ne, caro mea, & cor meum, omni levissimo 16. Aug.
impetu deficere prona sunt. Respondit mihi Do- 1640.
minus: *Ne timeas, ego enim sum robur cordis tui,* 27. Aug.
& pars tua in æternum; sufficit tibi gratia mea; 1640.
non te deseram nec derelinquam. Tum dixi: Fac, 9. Sept.
Domine, ut tibi serviam cum gaudio, & non 1640.
cum mœrore &c. 29. Sept.

21. Beatus noster author *Deum* ubique quæ- 1640.
rebat, a Deo doceri cupiens, omnibus locis 2. Octob.
temporibusque ei se obvium dabat. *Cœtus publicos* 12. Octob.
divino cultui dicatos frequentabat ubi *Deum, vi-* 26. Nov.
tam & spiritum cum verbo suo loquentem aure 1640.
interna sæpe audivit. Dum doctorem externum 5. Mart.
adiit, oculos & animum in *doctorem internum* 1643.
præcipue intendit, pactum ejus & promissum ab §. 21.
eo repetens, dicens & orans: *Ne obliviscare pro-* *Deum ubi-*
missum servo factum, in quo eum sperare fecisti. *que quære-*
Ac proinde loquere Domine, ut servus tuus audiat. *bat.*
Hinc tantum profectum & incrementum, sic in- Vid. 18.
terne doctus, hausit. *Preces* quoque *publicas* Apr. 1626.
quotidianas in Templo Deum quærens frequen- 24. Sept.
tabat, ubi Spiritus *Dei verbum* lectum comitatus 10. Octob.
est, & animam ejus virtute & consolatione re- 19. April.
plevit, *Dei* justitiam esuriens & sitiens, *Sacram* 18. April.
Eucharistiam sæpe cum summa devotione rece- 20. Octob.
pit, inque ea cibum & potum spiritualem se co- 1626. &c.
medere & bibere cum ingenti gaudio & consola- Vid. 9. Dec.
tione sentiebat. *Deum* in *publica orationis domo* 1639.
una cum *Ecclesia*, omni occasione oblata, prece 18. Febr.
suppliciter petebat, ut eum, quem Ecclesiæ pro- 20 Febr.
misit spiritum, largiri dignaretur. *Domi* secretus 27. Iun.
Deum quotidie precabatur, ut hoc spiritus do- 22. Iul.
num sibi largiretur, quem Christus ipse petenti- 1640.
bus Patrem daturum esse promisit. In *campis* ambulans Domini sui non oblitus est, sed cum ardenter quærebat. In *cubili* media nocte, mane & vesperi meditans Deum orabat. E lecto surgens, in *Museo*, in *campis* quærebat eum, quem anima ejus diligebat. Ut omnes res illi obviæ *Dominum* & *Deum* ejus in mentem illi revocarunt, cum adorandi & laudandi ansam dederunt. Ut passim videre est in Exercitiis. Unicam hic adducam instantiam. [Die 6. inquit, Decembris An. 1625. mane circa diluculum foras ambulabam, ac *lunam* & *stellas* supra me in *cœlis* undique vivide lucentes, & matutinam lucem ex Oriente surgentem aspiciebam; tunc ex *Psalmo* 8. contemplatus sum incomprehensibilem *Dei* Majestatem, *operum* ejus *gloriam*, *hominis* in terreno hoc statu abjectionem, si cum externis gloriosis illis & fulgidis *lucis astris*, multo magis si cum *Deo* horum omnium *conditore*, comparetur. Præstantia tamen *hominis* quoad vitam & animam ejus rationalem omnia transcendit astra, multo magis quoad *Incarnationem Christi*, & nostram in eo supra omnia excellentiam: tum in statu *gratiæ*; in quo Dei opera contemplamur, & ex iis ejus laudis argumenta deducimus; & multo abundantius in statu *gloriæ*, quem in spe expectamus. In hisce meditationibus quale *gaudium*, omnes carnis & hujus mundi libidines longe superans? Tunc in meditationibus meis perrexi, ac in Dei laudem, *Psalmum* 19. recitavi, illius nomen in omnibus ejus operibus sanctum & magnum laudibus extollens; sed supra hæc omnia documenta visibilia, sacrum illius *verbum* prædicans, prout in eo *Psalmo* gloriose nobis describitur. Cujus descriptionis solamen me tantâ lætitiâ perfundebat, ut flexis genibus, eam in orationem verti, *Deum* orans ut eo illuminaret oculos meos, animam meam converteret, me confirmaret, &c. Et cum oratione in fine ejusdem *Psalmi* post dictam descriptionem, finem feci: *Errata mentis quis meminit vagæ* &c. in

finem usque *Psalmi*. Et eximiam ac suavem percepi consolationem. *Hallelujah. Amen.*]

§. 22. *Exercitiorum spiritualium, divinorum tactuum, & cœlestium consolationum memoriam scripto consignavit, ut illi postea usui essent.*

22. Exercitiorum suorum spiritualium, divinorum tractuum, cœlestium consolationum *memoriam scripto* consignavit *Forbesius*, ut illi postea usui essent, juxta varium animi sui statum & *Spiritus Sancti* motionem; quod animæ ejus maximo fuit adjumento. Nam quemadmodum *chorda musica* ad eundem gradum tensa, tactu tantum eget ut eundem sonum harmonicum repetat quem antea ediderat, ita sæpe *anima Forbesii* tactu tantum egebat ad excitandas easdem affectiones erga *Deum* quas antea exercuerat, & stimulo ad desiderium divini *amoris* ope internæ alicujus sermocinationis, quæ eam in *præsentia Dei* sic recollectam, & cum divina ejus Majestate conversantem contineret. Cui usui non parum nec raro inserviebant memoria & relectio *meditationum* & *consolationum* quas antea habuerat, ut in marginibus Exercitiorum ubique videre est. Sic §. 6. [14. Febr. 1624. Consolationes hæ post gravem conflictum abunde mihi renovatæ sunt die 19. Mart. 1640.] Sic 10. Jan. 1625. §. 96. [Spiritualia cum Deo colloquia, ineffabilesque cœlestes consolationes, & certitudo misericordiæ & gratiæ & salutis per Christum. Quam divinam consolationem renovavit mihi Dominus 28. Octob. 1639. Benedictus sit Dominus propter ineffabilia ejus bona, abundantem gratiam, & divitias misericordiarum. Amen.] Et rursus April. 18. 1640. & Mart. 11. 1645. Sic 15. Jun. 1625. §. 104. [Die, inquit, 12. Octob. 1627. suavissimam percepi consolationem ex relectione harum meditationum & precationum. Benedictus sit Dominus. Amen & Amen in æternum.] Et rursus 25. Aug. 1628. & 28. Octob. 1639. & 21. Sept. 1639. & 15. Mart. 1645. Hallelujah: &c.

§. 23. *Conscientiæ puritati summa diligentia incumbebat; eam stricto scrutinio examinabat.*

23. *Forbesius* ad thronum gratiæ continuo accedens, communionem cum *Patre* suo *cœlesti* colens, *præsentiam* ejus in corde sentiens, *conscientiæ puritati* summâ diligentiâ incumbebat, eam stricto scrutinio examinabat, festucas etiam in oculis propriis observans quæ trabes sibi videbantur, ac requiem sibi denegans, donec conscientia a mortuis operibus purgaretur & pacem cum Deo suo obtineret, internas in *voluntate inferiori* ad peccatum titutationes, vigilanter animadvertebat, easque Dei gratia superabat. [12. Novembris, inquit, 1625. literas accepi me certiorem facientes de amici cujusdam (*fratris* scilicet *natu majoris*) morte, quâ contristatus sum; adversus hanc tristitiam suggerebântur duæ *consolationes*, una terrena & iniqua, altera cœlestis & pia. *Impia consolatio* a carne, mundo, & Satana oblata hæc fuit, quod videretur me ex amici morte mundanum aliquod commodum consequuturum, ac proinde me gaudii potius quam mœroris ansam habere. Hinc orta est sæva tentationis tempestas, adversus quam humiliter & instanter ad *Dominum Deum* meum, salutis meæ fortitudinem, spemque meam in tempore angustiæ, preces fudi, *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.* Hæ sunt semitæ omni avaro, ut animas possidentium raperent. In quocunque amor hujus mundi est, in eo non est amor Dei. Avaritia idololatria est. Amor pecuniæ est radix omnium malorum. Proximos nostros ita debemus in Christo amare, ut ex nostris bonis eorum necessitatibus nos subvenire oporteat. Et vita fratrum nobis adeo chara esse debet, ut non solum eos in indigentia, nostrorum bonorum participes facere, sed nos pro iis animam ponere debeamus. Ne diligamus verbo, neque lingua, sed facto & veritate. Et per hoc cognoscimus nos ex veritate esse, & coram ipso secura reddemus corda nostra. Affectio itaque impia & iniqua est, fratri nostro mortem optare, vel ex ea lætari, ob terrena quædam bona inde adepta, cum Christiana lege fratris nostri vitæ conservationem adeo expetere teneamur, ut eum bonorum nostrorum participem facere debeamus, ne vitam vel sanitatem perdat. Cur persequimur vanitates mendaces, incertas divitias, quæ in die ultionis non proderunt? Vita hominis non est in abundantia horum quæ possidet. Non solo pane vivet homo, sed ex quovis verbo prodeunte per os Dei. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ. Melius est paululum justo, quam divitiæ impiorum multæ. Observa perfectum hominem, & vide rectum: quia novissimum tali viro pax. At prævaricantes dissipabuntur pariter: novissimum impiorum succidetur. Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles.

Dum persistebam in his & similibus meditationibus per spatium 24. *horarum*, intermiscendo intimas orationes & gemitus ad *Deum* pro victoria adversus *amorem mundi* per *Dominum* meum *Jesum Christum*, audivit me *Dominus* & petitiones meæ et acceptæ fuere. Benedictum sit sanctum illius *nomen*. Adeo ut cum *Davide* concluserim: Multi dicent, *Quis videre nos faciet bonum? eleva super nos lucem vultus tui, Domine* &c. Hinc dolor ob mortem amici recrudescit, prædicta spuria & impia consolatione non sanandus, sed, impio hoc solamine ejecto & pedibus calcato, mihi cœlitus data est pia & vera consolatio, verbis *Pauli Apostoli*; *nolim vos in ignorantia versari fratres, quod ad eos attinet qui obdormierunt, ut ne contristemini, sicut & reliqui qui spem non habent. Nam si credimus Jesum mortuum esse & resurrexisse, ita etiam Deus eos qui obdormierint in Jesu, adducet cum eo*, &c. Nunc Deo sit gratia, qui facit ut semper triumphemus in Christo. Gratia ejus sufficit nobis, virtus ejus in infirmitate nostra perficitur. *Hallelujah. Amen. Halleluja.*]

Sic etiam motus primos vitiosæ infirmitatis corruptæ suæ naturæ plorabat. [Die, inquit, 21. Febr. 1626. multum laborabam vitiosa infirmitate ex peccato in me habitante, lege in membris meis repugnante legi mentis meæ, & captivante me in lege peccati, adeo ut quando condelectabar *legi Dei*, secundum *interiorem hominem*, & bonum facere volebam, malum mihi adjacens inveni, neque bonum quod volebam perficere inveni, sed malum quod nolui hoc agebam, non ego tamen, sed peccatum in me, quod concupiscit adversus spiritum, quamvis *Dei* mei *gratia* custoditus fuerim a pleno consensu ei dando, & a conatu vel executione mali cum quo interne tantos habui conflictus. Tunc ad *Deum* clamavi ut peccati vim in me occideret, & spiritu suo voluntario me confirmaret, ut & interne & externe a servitio legis peccati liberatus essem, & reliquis vitæ meæ diebus Deo in libertate spiritus servirem. Magnam percepi consolationem, audita lectione *ultimi versus c. 15. quarti libri Moysis, Numerorum* dicti, ubi *Dominus* ad populum suum dicit: *Ego Dominus Deus vester qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem Deus vester. Ego Dominus Deus vester.* Tunc in mentem mihi venit suavis illa responsio *Domini* ac *Salvatoris* nostri servo ejus *Paulo* facta: *Tibi sufficit gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Neque permisit me Dominus diutinæ pte-

precationi insistere, sed certum me reddidit orationem meam coram eo ascendisse, benigne ab eo acceptam esse, seque petitiones secundum ejus voluntatem factas mihi concessurum, meque earum præstationem experturum, eo modo & tempore, quod sancti sui nominis gloriæ, & bono ac consolationi meæ servi ejus maxime conducibile esse illi visum fuerit. Gratias ago Domino Deo meo per *Jesum Christum* Dominum ac Salvatorem meum, qui e servitute me eduxit, & ex potentia tenebrarum me eruit, ut *Deus* meus esset per sanguinem æterni *fœderis*. Proinde misericordiâ erga me delectatur, & bonum opus quod in me cepit, perficiet in diem usque Jesu Christi. Illi sit laus & gloria in æternum. Amen. Hallelujah. Benedic anima mea Domino, Deo misericordiæ meæ & Deo meo. Amen & Amen.] Vid. etiam 8. Apr. 1626. §. 134.

Rursus alio tempore confitetur & deplorat culpam & scandalum profusi convivii. [Die Lunæ, inquit, 16. Octob. 1637. *convivas* quosdam habui mecum prandentes, qui abiere vino magis capti quam aut me aut domum meam deceret, cum talem immoderationem iis indulgere non debuerim, etiam in propriâ domo, quam Deus mihi commodavit, ut esset pietatis & temperantiæ domus & non compotationis; iis tamen vinum suppeditavi; imo & propinavi (licet non ea mensura qua ipsi acceperunt) atque ita iis animos dedi ad plus bibendum quam deceret me in quocunque permisisse, & ex hac occasione liberalius biberunt, quam vel ego cupiebam, vel ipsi sibi proposuerant, donec licitæ hilaritatis limites transgressi sunt, & ego etiam toto tempore cum iis particeps fui, licet neminem ultra libitum bibere jusserim. Video tamen grave fuisse peccatum & scandalum, id quod fecimus, meque valde insipienter fecisse, propter quod peccatum & scandalum, quibusdam post diebus, dies noctesque ploravi ac preces Deo fudi, & *Domino* meo vovi pro futuro accuratius ambulare, non juxta mores hujus seculi, sed juxta *Dei* voluntatem in verbo ejus revelatam, ut bona mea conversatione delicti hujus memoria ex animis hominum obliteretur. Et *Dominum* rogavi, ex infinita sua misericordia, & secundum divitias gloriæ ejus, conscientiam meam ab hoc & omnibus aliis operibus mortuis per *Christi* sanguinem purgare, ut servirem *Deo* viventi, utque *Deus*, cui nullum malum est insanabile, qui promisit misericordiam & gratiam ad tempus opportunum, liberationem & victoriam, omnibus qui ipsum quærunt *toto corde* & tota anima, & *Filium* suum in mundum misit ut peccatores servaret, quorum ego sum primus, qui etiam vocat omnes qui fatigati sunt & onerati, requiem promittens illorum animabus; quique juxta est iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu servabit; & qui summa exuberantiâ potest omnia facere supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa gloriosa ejus vi agente in nobis; ut, inquam, solus hic verus *Deus*, afflictorum consolator, misericordiæ Pater, ac *Deus* omnis consolationis, *Deus* & *Pater* Domini nostri *Jesu Christi*, ac in eo *Deus & Pater* noster, cui omnia sunt possibilia, ut inquam, obliviscatur & dimittat hoc grave meum peccatum, & peccatum omnium convivarum, & familiæ meæ, utque omne ejus scandalum & offensum auferat, omnique incommodo quod supervenire possit medeatur. Exaudi *Domine*, placare Domine, & fac propter temet ipsum. *Ne projicias nos a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a nobis, lucere fac faciem tuam super nos, redde nobis gaudium salutis tuæ, & spiritus voluntarius confirmet nos, docebimus iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Libera nos de sanguinibus Deus, Deus salutis nostræ, & exultabit lingua nostra justitiam tuam. Domine labia nostri aperi, & os nostrum annuntiabit laudem tuam; dilata corda nostra, & nomen tuum laudabimus sincero corde & prompta voluntate. Audire fac me gaudium & lætitiam, ut ossa, quæ propter peccatum meum contrivisti exultent, ex misericordia tua omnia nostra peccata dimittente, & gratia tua nobis sufficienti, & potenti tua virtute quæ in nostra infirmitate perficitur.*

Hisce meis supplicationibus, quas cum suspiriis inenarrabilibus dies septem coram *Domino* fudi, consolatorium aliquod responsum quotidie accepi, ac die *Lunæ proximo*, 23. *Octobris* Dominus confirmavit dilectionem suam erga me, me implens omni pace & gaudio credendo, meque spe exundare faciens per virtutem Spiritus Sancti. Tunc dixi (juxta salutarem illam Isaiæ prophetiam) *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus, salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea & laus mea Dominus Jehova, & factus est mihi in salutem. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*; Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. *Amen. Halleluja.*] Vid. etiam 26. Octob. 1637. 26. & 27. Octob. 1637. 26. Nov. 1631. 12. Aug. 1639. 4. Jul. 1640. 13. Jul. 1640. &c.

§. 24. *In schola crucis quotidie erudiebatur.*

24. *Forbesius* per totum vitæ suæ curriculum erudiebatur in *schola Christi, schola Crucis*; variis exercebatur afflictionibus & tentationibus tam internis quam externis; in quibus omnibus sustinuit eum *Deus*, eumque in verâ fortitudine, patientia, abnegatione sui, humilitate; &c. erudiit. Narrat 18. *Nov.* 1624. & diebus quibusdam subsequentibus, cum meditaretur quomodo convenire possit cum summa illa, sincera & stabili Dei erga liberos suos charitate, eos in hoc mundo ita exercere & affligere; suaves quasdam ac validas consolationes ac meditationes, sibi datas fuisse, quæ in exercitiis spiritualibus loco citato legendæ sunt.

§. 25. *Tentationibus internis.*

25. Quoad tentationes internas, [*die 25. Augusti*, inquit, 1624. multum conturbatus sum periculosa tentatione de *divina Scripturarum* ac rerum mihi traditarum *veritate*, quæ ita me obruit ut ad *Dominum* clamarem in verbis Ezechiæ (Is. 38. 14.) *Domine, vim patior, responde pro me.* Tunc secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ, Domine, lætificârunt animam meam. Misit enim Dominus verbum suum, & sanavit me. Verbum quo me sanavit scriptum est, *Ps.* 19. 6, 7, &c. ad finem usque illius Psalmi, quod in textu Hebr. legi. Et *Ps.* 119. ab initio ad *v.* 50. inclusive, ubi sæpe David precatur Dominum, ut statuta ejus ipsum docere velit, dicens, se Dominum toto corde exquisivisse, & promittens Deum in rectitudine cordis celebrare; mandata Dei toto suo corde custodire, viam mandatorum ejus currere, cum Deus cor ipsius dilataverit; de testimoniis ejus coram regibus loqui & non confundi; & in mandatis ejus quæ dilexit, delectari. Et manus ejus ad mandata quæ dilexit levare, & in statutis ejus meditari. Et postea versu 49. in initio literæ Zain, sic precatur: *Memento verbi servo tuo, in quo sperare fecisti me.* & (vers. 50.) *Hæc est consolatio mea in afflictione mea; quia eloquium tuum vivificavit me.* Sensi *spiritum gratiæ & supplicationis*, me in sensu & certitudine auxilii divini, ad easdem preces cum eisdem verbis

& pollicitationibus animantem, ac conclusione illa *versus* 50. consolationem, evidentem hujus experientiam, & effectuum de quibus mentio facta est *Ps.* 19. in proprio corde me sentire facientem, sicut & sæpe antea expertus sum. Benedictus sit Dominus quoniam mirificavit mihi misericordiam suam tanquam in civitate munita. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, & venit ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum. Qui custodiunt vanitates mendaces, misericordiam suam relinquunt. Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sangnis non revelavit tibi, sed *Pater meus* qui est in cœlis. In illo tempore respondens *Jesus* dixit, *Glorìam tibi tribuo Pater, Domine cœli & terræ, quia hæc abscondisti a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Animalis enim scientia hæc mysteria percipere nequit, sed stultitia sunt homini sapientiæ carnali innitenti. Deus autem nos parvulos efficit, ut in regnum cœlorum intremus. Dat nobis stultos fieri, ut simus sapientes. Et dat nobis sensum, ut cognoscamus eum esse verum. Dat nobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii nostri. Dat nobis Spiritum Dei: mentem Christi. Omnia tradita sunt mihi a Patre meo; & nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. —— Probatio spem operatur, quæ nos non confundit. Tu conversus confirma fratres tuos. &c.] Expertus est se sola Dei virtute (qui hæc revelat parvulis) ex hac tentatione liberari, idque non per viam ratiocinationis humanæ, sed per internum sensum & effectus hujus *verbi* in *corde* suo, sicut *solem* existere percipimus ab ejus luce & calore sensus nostros afficiente. Vid. etiam §. 44. 3. Octob. 1624. vid. etiam 19. Mart. 1640. §. 279. & 20. Mart. 1640. §. 280. & 21. Mart. 1640. §. 281. & 3. Febr. An. 1624. §. 5. & 14. Febr. 1624. §. 6.

Rursus [*die*, inquit, 19. *Jan.* 1627. paulo antequam lectum peterem, post longam plurium dierum luctam & tempestatem, eximiam percepi consolationem & summam tranquillitatem. Plurimis diebus, die ac nocte, ad *Dominum Deum* meum clamaveram, ut in me carnem cum concupiscentiis & affectibus cruci affigere dignaretur, quo magis confirmarer in certitudine misericordiæ ejus & interminatæ dilectionis erga me in Jesu Christo Salvatore meo, ac etiam majori libertate spiritus *Domino Deo* meo in munere meo fervirem. Assidue etiam precatus sum ut omnem amaritudinis & infidelitatis radicem ex corde & anima mea evellere dignaretur, ut in plena fidei persuasione & gratiæ ipsius potentia, omnem meam in eum projicerem curam, ac ab inordinatis & mundanis cupiditatibus, a suspicioso etiam timore & solicitudine, ab ambitione, invidia, & omni mala via & opere liberarer, ut reliquo vitæ meæ tempore, in *Deo* serviendo, alacriter progrederer, in sancto & glorioso ejus nomine semper & omni die exultans, & in luce vultus illius ambulans. Quotidie consolationem accepi a misericordi *Patre meo cælesti* & dulci Pastore, verum lucta recurrit, & tempestas earundem tentationum undas repetivit. Contra quas continuo magis fervide precatus sum, ad Dominum Deum meum supplici ac ferventi oratione appropinquans; qui tandem vesperi diei 19. *Jan. An.* 1627. tempestatem sedavit, ac animam meam magna tranquillitate beavit, mihi monstrans hoc esse maxime opportunum tempus consolationis, quamvis ab initio supplicationum mearum me non audivisset, ac orationes acceptæ fuissent; meque docens se cito auscultare ac concedere petitiones electorum suorum dies noctesque ad eum clamantium, licet nobis in luctis nostris videatur procrastinari, nobisque expedite non succurrere; id tamen expedite facit, quoniam opportune facit, tempore ipsius gloriæ & nostro bono maxime commodo, licet diu nos detineat. Die crastino mane eadem consolatio mihi renovata est, & summe exultavi in laudibus nominis ejus benedicti in secula seculorum &c.] Vide etiam 22. *Jul.* 1627. 3. *Nov.* 1629.

Rursus [die ultimo, inquit, Maji, 1637. *Dominus Deus* meus animam meam, mira *sancti* sui *gratiæ spiritus* operatione, misericorditer ac potenter pacavit, consolatus est, corroboravit ac firmavit adversus horrendas quasdam & graves tentationes mundanæ solicitudinis, invidiæ, diffidentis timoris, iniquæ suspicionis, culpabilis tristitiæ, & ingratæ offensionis, cum quibus, diebus præcedentibus, gravem habui conflictum; quo anima mea multum discruciabatur, & corporis valetudo vitiata est. Verum benedictus sit *Dominus* meus, qui in conflictu me sustinuit, mihique monstravit exercitium hoc ad mei humiliationem necessarium esse, & ut solito meo ad Deum refugio uterer, ac novam *gratiæ* & *pacis* augmentum reciperem, atque ita reliquo peregrinationis meæ tempore absque his angoribus & ingratitudinibus ei fervirem, adversus eas in viribus quotidie crescens, *Domini* mei *gratia* mihi sufficiente, ut mihi non dominentur; quique ex summa ipsius misericordia, & constanti erga animam meam dilectione, lætam & opportunam mihi dedit victoriam, fortitudinem etiam ac consolationem validam in anima mea adauxit, valetudinem etiam restituit, meque *libertate spiritus* ac *lætitia cordis*, corde perfecto ac prompta voluntate ei servire facit, mihique sempiternam dat consolationem, ac, per gratiam, spem bonam, quod me nunquam deseret nec derelinquet, sed me semper ab omni mala via & opere liberabit, adque sempiternum ipsius *regnum* & *gloriam* me servabit. Amen.]

26. Variis etiam exercebatur tribulationibus externis, quarum quasdam ab eo memoratur §. 185. [Die, inquit, 28. *Nov.* 1638. mane meditans de variis, miris ac gravibus ærumnis, timoribus ac luctis, quibus, post proxime scripta in hoc libro, exercitatus & circumdatus fuerim; deque summa *Dei* mei *misericordia*, me in maximis meis angoribus sustinentis ac consolantis, meque facientis ei appropinquare, per submissam *confessionem* meæ stultitiæ, superbiæ, aliorum contemptus, impatientiæ, arrogantiæ, temeritatis, iræ humanæ, vanæ gloriæ, aversionis ab oratione & aliis cultus divini officiis, injustitiæ, inhumanitatis, invidiæ, cogitationum terrestrium, timoris, suspicionis, oculi malitiei, impietatis, erga parentes & alios inobservantiæ, offensionis, injuriæ, ingratitudinis, immitis ingenii, ac plurimorum aliorum peccatorum & iniquitatum atrocium; per tristitiam etiam quæ est secundum *Deum* & veram ab iis *resipiscentiam*; ac per repetitas ac fervidas ad *Deum* meum cum gemitibus & lachrymis *orationes*, ut consequerer misericordiam & gratiam ad opportunum auxilium, directionem & tutelam adversus omnes impetus & pericula, ac ab iis omnibus promptam liberationem; per vota etiam *gratitudinis* & *laudes* ad salutis meæ *Deum*, perque veram ab omnibus meis peccatis ad eum *conversionem*: meditans etiam de suavissimis & validis consolationibus

§. 26. *Et tribulationibus externis.*

tionibus

tionibus ac liberationibus quibus Deus testatus est se in misericordia mihi prope esse, ac orationes meas cum *gratiarum actione* concludere feceras, & cum *gaudio* ejusque *pace* cor ac animum meum in Christo Jesu servante: perpendens etiam nuperarum afflictionum amaritudinem ac multitudinem, ac miras liberationes a *Deo* mihi præstitas; meque adhuc variis ærumnis circumdatum esse, bonâ *Patris* mei *cœlestis providentia*, super me, conjugem, filiam, bona, famam, & amicos; & in memoriam revocans quam terrifice intentatus, exprobratus & perturbatus fuerim, tum a *popularibus* meis *nuperi fœderis subsignatoribus*, vitam, bona & famam una abripere, ac ignominiosæ oblivioni tradere minantibus; tum etiam a *barbaris montanis*, qui unum e clientibus meis, mihi etiam cognatum, captivum duxerunt, eumque occidere interminati sunt, nisi cito magnâ pecuniæ summa redimeretur. Duo hæc ærumnarum genera eodem tempore me invaserunt, *cognati* mei stupebant super ærumnis meis, familiares se absconderunt, ac noti mei quasi alieni recesserunt a me, imo quidam eorum sannis suis & exprobrationibus, & fastidioso mœroris mei neglectu, tribulationes meas adauxerunt, quidam etiam me culparum quarum reus non fui inique accusarunt. *Uxor* mea ægra fit & abortum passa est, *filia* apostematibus & ulceribus sordidis correpta fuit & est, vixque baculo innitens ambulare potest; ac a quibusdam Fœderatorum præsertim Ministris, minis adhuc impetitus sum; ac pauci vel nulli sunt, quibus vita vel tranquillitas mea serio curæ esse videtur. Cognatus etiam meus *Patricius Forbes, Duncani Forbes de Campbell filius* in molestias interim incidit, ejusque vita impetitur; reperio etiam res familiares in deteriori statu esse, ex inevitabili æris alieni augmento. —— Super omnia vero territus sui, cum spirituales meas corruptiones, ac vetera & recentia peccata cogitarem. De his omnibus 28. *Nov.* 1638. mane meditans, statui me totum conferre ad *Dominum Deum* meum eo die obsecrandum, precibus, jejuniis, & seria resipiscentia, quod feci, obsecrans *Deum & Patrem* Domini nostri *Jesu Christi*, Deum misericordiæ meæ, qui in mundum venit ad peccatores salvandos, & omnes qui laborant & onerati sunt, ad se invitat, animabus nostris requiem promittens, nosque jubet quærere, promittens quod unusquisque quærens accipiet; ac cum gemitibus & lachrymis orans, ut omnia mea peccata præterita ac præsentia dimitteret ac oblivisceretur, omnia scandala inde orta auferret, & omnibus quibuscunque incommodis mederetur: & sicut averterat *Syros* a *Josaphat*, *Angelumque* mittens, conclusit ora leonum, ne *Danieli* nocerent, sic ut in multitudine misericordiæ suæ faceret ut *populares* mei me perturbare desinant, occludatque ora istorum omnium qui me devorare quærunt. *Nam quæ olim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per toleruntiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Petii etiam novum, mundum, fidele *cor*, ac spiritum rectum, utque me in posterum mihi ipsi *Deus* non derelinquat, sed sancto suo spiritu in me habitante regat omnes meas cogitationes, verba, facta, omnem meam conversationem, & mores, affectus, motus, meque mitem & humilem corde, *Salvatori* meo similem reddat, ut non ego amplius, sed *Christus* in me vivat, neque secundum carnem, sed spiritu ambulem; virtutes Dei mei prædicans, qui me vocavit e tenebris in admirabilem suam lucem &c.]

27. Non opus est hic plures adducere instantias ærumnarum quibus *Forbesius* per totam vitam tum ab extra tum intus exercebatur, ex his plurima alia in *Exercitiis* passim narrantur. *Qui vult venire post me*, dicit Salvator noster, *abneget seipsum, & crucem suam tollat, & sequatur me. Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum.* Sine his naturæ nostræ pravitas non eradicatur, vetus noster homo non moritur, amor mundi & sui non crucifigitur, vitiosi nostri habitus non superantur. ' *Forbesius* propriâ didicit experientia eximium bonum sanctæ crucis, per eam doctus est sibi diffidere, in solo Deo fiduciam ponere, sub alarum ejus umbram fugere, eum toto corde quærere, sub potenti ejus manu humiliari, cor & vitam stricte scrutari, vetus fermentum expurgare, nulli creaturæ fidere, terrena omnia despicere, ad cœlestia & æterna aspirare, orationi continuæ & ferventi se dare, alios non despicere, passiones Christi contemplari, eique conformem fieri studere; in ea expertus est propriam infirmitatem, virtutem Dei eum sustinentem, supernæ suavitatis infusionem eo majorem & sapidiorem, quo magis terrenis solatiis destitutus fuerat, & spiritum tanto amplius per internam gratiam roboratum, quanto caro magis per afflictionem atterebatur.

§. 27. *Propria experientiâ didicit maximum bonum crucis.*

28. Divinæ, animæ ipsius, virtutes in exercitiis ejus spiritualibus conspicuæ sunt, quæ equidem fuere *exercitia* continua *virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis*, variis modis expressa. *Fidem* exercebat per certam ac indubitatam divinæ in eo præsentiæ persuasionem, unde Deum quærebat, desiderabat, adque eum aspirabat. *Charitatem* per actuale desiderium & sinceram affectionem. *Spem* per confidentiam in *Deo*, in bonitate ejus conceptam, quæ vigorem animi ac solatia subministrabat, animumque in tot molestiis & laboribus subeundis erigebat. Virtutum harum possessioni incumbebat eas a Deo postulando, earum actus repetendo, idque variis aspirationum modis, Deum aliquando immediate alloquendo, adque eum in secunda persona aspirando; nonnunquam eum eo in tertia persona agendo [*ut magnificat anima mea Dominum* &c.] aliquando animam suam alloquendo, vel arguendo, vel animando, ut in verbis Psalmistæ; *Quare tristis es anima mea, spera in Deo. Benedic anima mea Dominum.* &c.

§. 28. *Orationes ejus continua fuere exercitia trium virtutum Theologicarum.*

29. Quomodo roboraverit eum Dominus contra ὀλιγοπιστίαν, dictum est §. 16. hujus Ideæ. *Dei verbo*, ejusque promissis *fidem* sincere adhibebat. [Die, inquit, 14. Augusti, 1624. Dominum precatus sum in verbis *Psal.* 119. *sect. Jod.* Ubi cum hæc verba recitarem; *Sit quæso misericordia tua ad consolandum me, secundum eloquium tuum quod loquutus es servo tuo.* vers. 76. incidit meditatio exquirendi ubi & quodnam esset hoc eloquium Domini, mihi peccatori dictum: Et solatus est me Dominus ostendendo mihi illud ipsius eloquium in his S. Scripturæ dictis: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Hinc Davidis & Petri, Dei misericordia, conversorum, exempla mihi ipsi applicabam. *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua & vivat. Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit; & qui quærit invenit; & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo &c. Si*

§. 29. *I. Fidei.*

fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt: adeo ut nullius sit peccati memoria adversus peccatorem pœnitentem, qui vere ad Dominum convertitur, sicut etiam legimus Is. 55. 7. Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus, quemvis qui crediderit in eum. Credo Domine, succurre incredulitati meæ.] Ubique fere hæc repetit: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum fidem habeamus.* Hæc addens: *Credo Domine, succurre incredulitati meæ.* Cum conturbaretur periculosa tentatione de Scripturarum ac rerum inibi traditarum veritate, ad Dominum clamavit, qui misit verbum suum & sanavit eum, fecitque eum sentire verbi hujus in proprio corde effectum & experientiam, ut supra dictum est §. 24. hujus Ideæ. "Sic 3. *Octob.* 1624. §. 44. Exercitiorum, [Terribiles, inquit, habui luctationes, & per *Christum* qui me dilexit, salutares victorias. Mihi *Dominus* de *veritate Scripturarum* persuasit, & verbo suo consolatus est, me etiam confirmavit in fide qua *Christus* in corde meo habitat, & corroboravit me contra scandalum humiliationis *Christi*, quæ necessaria fuit, ut implerentur Scripturæ Prophetarum, ita enim placuit Deo statuere, ut Dei Filius cum pueris carnis & sanguinis foret particeps, & per mortem aboleret eum qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, & liberaret eos qui metu mortis per totam vitam obnoxii erant servituti; de quo *Prophetæ* antea testimonium perhibuerunt, & postea Sancti ejus *Apostoli & Spiritus Sanctus*, quem *Deus* dat omnibus obedientibus sibi. Neque mensuranda sunt opera Dei, minutulo rationis nostræ modulo. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus, quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, & cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Et placet Deo per stultitiam prædicationis salvum facere mundum. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Neque vacuum revertetur verbum ejus ad eum, sed faciet quæcunque voluit, & prosperabitur in his ad quæ misit illud, quia in lætitia electi ejus egredientur, & in pace deducentur. Et miseretur cujus misertus fuerit. O altitudo divitiarum sapientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in secula. Amen. Quanquam animalis homo perperam concipiat quemvis modum operationum Dei, justificata tamen est sapientia ab omnibus Filiis suis. O Domine, me certum redde quod e Sapientiæ filiis sim; Domine miserere mei peccatoris gravissimi. *Remittuntur tibi peccata tua.* Credo Domine, succurre incredulitati meæ. *Fides tua te salvum fecit, vade in pace.* O Domine fides mea est admodum infirma, corrobora me. *Ne timeas, salus tua sum. Arundinem quassatam non confringit Dominus, & linum fumigans non extinguit, usque dum protulerit ad victoriam judicium. Beata es paupercula anima, quia caro & sanguis debilis hæc veræ fidei initia non dedit tibi, verum Pater meus qui est in cœlis.* Robora, ô Deus, hoc quod operatus es in nobis. Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis. *Fidelis Deus per quem vocatus es in societatem Filii ejus Jesu Christi, qui te in finem usque confirmet. Non deseram nec derelinquam te, confortare, & esto robustus. Nonne præcepi tibi, confortare & esto robustus, noli metuere, & noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeris. Sufficit tibi gratia mea. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Me diligis? Pasce oves meas.* Domine infirmus sum. *Ne timeas, ego enim dabo tibi Spiritum Sanctum, ac os & sapientiam cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii tui. Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Aufertur iniquitas tua & peccatum tuum mundatur.* Ecce ego, mitte me quocunque vis. Facies tua præcedat me, & requiem da mihi. Et gratiam inveniam ante oculos tuos. Et mecum sis ad quæcunque perrexero. *Invenisti gratiam coram me*, inquit *Deus tuus*, *& teipsum novi ex nomine.* O Domine ostende mihi teipsum in misericordia, & cor mundum da mihi ut te videam. *Verbum istud quod locutus es faciam, manifestabo tibi meipsum, & ad te veniam & mansionem apud te faciam, dicit Dominus tuus. Hæc requies mea in æternum, hic habitabo, quoniam elegi eam. Tecum ego sum ut eruam te, dicit Dominus. Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebo-que quid loquaris.* Non debemus fidere in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Sufficientia nostra ex Deo est. Beatus vir quem Deus diligit, in finem eum diliget.

Salutare Exercitium contra infirmitatem fidei.

Salutare Exercitium quo accendantur Evangelii Ministri & singuli Christiani in munere suo peragendo, non obstante propria infirmitate & variis tentationibus, quibus exponuntur.

30. Omnem etiam spem & fiduciam in Deo ponebat, nulli creaturæ nec sibi fidens, in summis angustiis in Domino semper sperans, adeo ut omnes ejus orationes sint virtutis hujus exercitia. Sic [Die, inquit, 7. *Sept.* 1624. consolatus est me Dominus ex lectione & meditatione *Psalmi* 37. qui sic incipit (*Ne commovearis propter malignos*) & hæc est ejus consolatoria conclusio, (*Salus vero justorum e Domino, qui fortitudo eorum est in tempore angustiæ; & adjuvabit eos Dominus & liberabit eos: & eruet eos ab impiis & servabit eos, quia speraverunt in eo*). Jam in Domino spero, & coram eo sum justus, cum per fidem in Jesu Christo Domino meo justificatus sim, qui a Deo factus est mihi sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio; qui succurret incredulitati meæ. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. Qui venit servare quod perierat. Ipse me confirmabit usque ad finem inculpatum, in diem adventus Domini mei Jesu Christi. Mea est ille salus, mea est fortitudo in tempore tribulationis, ipse me adjuvabit, & liberabit, & eruet me ab impiis, & salvabit me quia speravi in illo. Expecta Dominum, viriliter age, & roborabit cor tuum; expecta, inquam, Dominum. O Domine, robora cor meum. Benedictum sit nomen Domini in æternum. Hallelujah. Amen. Hallelujah.] Rursus die 18. Sept. 1624. [—— *Christus*, inquit, *Marc.* 6. discipulos suos vento marique agitatos videt, licet ipsi eum non viderint, & cum postea suo tempore ad eos veniret, super mare ambulans, ipsi magis conturbati sunt, eum phantasma

§. 30. 2. Spei.

ma putantes : verum mox eos consolatus, tum consolatorio suo sermone eos instruendo & confirmando : *Confidite*, *ego sum*, *nolite timere*; deinde in *navem ad illos ascendendo*, & tertio ab effectu & fructu suæ præsentiæ : *Ventus cessavit*. Ita Dominus in omnibus nostris difficultatibus & tentationibus misericorditer in nos aspicit, etiamsi omni tempore oculum ejus super nos vigilantem non percipimus ; idcirco cum ejus discipulis contendamus in viis mandatorum ejus, & licet tentatio tentationi succedat, timor timori, intimis tamen suis misericordiis ac validis consolationibus oportune & cito nos præveniet, veniet & nobiscum & in nobis habitabit, ac in corda & animas nostras pacem & securitatem in æternum secum adferet, nosque non derelinquet, sed ad cœlestis & æternæ beatitudinis portum deducet. Et quanquam corda discipulorum adhuc stupida essent, Dominus tamen confidere eos jubet ; neque nos propter infirmitatem & indignitatem nostram rejiciet, sed nobiscum manebit, nosque secundum multitudinem misericordiarum & constantiam amoris ipsius, tuebitur & sanabit.]

Rursus [Die, inquit, 10. *Maii*, 1627. & quibusdam præcedentibus, hanc salutarem habui meditationem. Sola & certa via perfectam pacem & stabilitatem contra omnes impetus assequendi hæc est : Curam nostram super *Dominum* jactare, & ipse nos enutriet, non dabit in æternum fluctuationem justo ; in nobis ipsis non confidere, sed in Deo suscitante mortuos ; qui novit pios e tentatione eripere ; in quo sunt vires sempiternæ. *Expecta Dominum*, *viriliter age*, *& confortetur cor tuum*, *& sustine Dominum. Dominus adjutor meus*, *& protector meus : in ipso speravit cor meum*, *& adjutus sum. Viriliter agite*, *& confortetur cor vestrum*, *omnes qui speratis in Domino. Defecit caro mea & cor meum : Deus cordis mei*, *& pars mea Deus in æternum. In voluntate tua deduces me*, *& cum gloria suscipies me. Si dicebam, motus est pes meus*, *misericordia tua Domine adjuvabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo ; consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Dominus mihi adfuit, & corroboravit me ; & eripiet me Dominus ab omni opere malo, servabitque regno suo cœlesti ; cui gloria in secula seculorum. Amen. Ad eandem rem sic loquitur, inquit, beatus *Cyprianus* in libro suo de duplici Martyrio, vel quicunque fuerit illius author :
„ Horrere mortem naturæ est ; vincere naturam
„ animæ fortitudine gratiæ est. Omnia potest *Pau-*
„ *lus*, sed in eo qui ipsum corroborat. Sed quibus
„ præsidiis vincitur naturæ infirmitas ? Si nos totos
„ humi prosternamus, hoc est, si nihil omnino
„ tribuamus viribus nostris &c. Et in eodem libro :
„ Beatus *Apostolus* prædixit nulli pie vivere volenti
„ in *Christo Jesu* defuturam persecutionem. Si deest
„ *tyrannus*, si tortor, si spoliator, non deerit *con-*
„ *cupiscentia*, *Martyrii* materiam quotidianam no-
„ bis exhibens, (dum scilicet nos ei resistimus, ac
„ contra eam pugnamus). Postremo hæc ipsa ma-
„ la quæ secum defert vita mortalium, quæque
„ piis cum impiis communia sunt, *Martyrii coro-*
„ *nam* nobis parabunt, si placide, si cum gratia-
„ rum actione pertulerimus. Neque privati sunt
„ Martyrii gloria quicunque violenta morte con-
„ summati non sunt. Et rursus in eodem libro :
„ Ubi quis cogitet, hoc possum, illud perpeti non
„ possum, nunquam feliciter peraget Martyrium :
„ sed qui se totum tradit *divinæ* voluntati, non
„ alio spectans quam ad illius opem, is demum
„ firmus est & invictus. Deo debetur omnis victo-
riæ gloria. Hactenus *S. Cyprianus* vel author il- “
lius libri. —— „ Quomodo debet Petrus post “
lapsum conversus confirmare fratres ? Respon- “
det *S. Cyprianus* in eodem libro : ut sibi diffisi fi- “
duciam omnem collocarent in Domino. *Domine* “
adauge nobis fidem, innitantur corda nostra super te Deum nostrum, & in pace serva nos per *Jesum Christum* Dominum nostrum &c. Vid. 21. Maii 1640. & 23. Maii 1640. & omnia ejus Exercitia.

§. 31. Charitatis unde.

31. Cum vero inter omnes affectus animi *amor* principem locum obtineat, unde fides, spes & reliqui tanquam a fonte dimanant, ac *Forbesii* sola confidentia & spes in Deo posita esset, innixa ejus bonitati, misericordiæ infinitæ, ac meritis Domini nostri *Jesu Christi*, oportebat eum etiam exerceri in *amore & desiderio Dei sui*, unde vires ei subministrabantur & animi ad spiritualium hostium conflictus sustinendos, ad tentationes superandas, ad tribulationes perpetiendas, ad continuo orandum, & ad finem usque vitæ in viis Domini & purificatione cordis perseverandum. Desiderabat maxime hunc *amorem*, & ad eum acquirendum, *præsentiam* Dei in anima sua observabat. Suavissimam sensit Domini sui præsentiam, cor ejus, templum suum purgantis & pace beantis, atque in fide corroborantis. Vid. diem 7. Jan. 1624. Sensit suavissimam Dei & Salvatoris sui in se, ejusque in Deo & Salvatore suo *inhabitationem*, per certitudinem in se, sensumque mutuæ *charitatis* ; Deo etiam ostendente se ei meliorem esse decem conjugibus, centum liberis, millenis amicorum millibus, eique pollicente tutum receptum, & munimen & securitatem contra omnem motum impetumque linguarum ; animamque ejus purificante in obedientia veritatis ad non fucatam ferventemque φιλαδελφίαν ; stabilemque sibi sedem & constans fore habitaculum cor ejus pollicente, omnemque ἐπιχαιρεκακίαν ex animo ejus expellente, magisque indies se illam expulsurum promittente. 14. *Feb.* 1624.] Inter concionandum *Dominum* & in corde & in ore suo præsentem sensit. 12. *Aug.* 1624.] Pro purgatione & pace *domus Dei* orans, ejusdemque domus inimicorum, contaminatorum, & turbatorum subversione ; quæ intellexit & de Ecclesia militante & de proprio suo *corde* ; solatus est eum *Deus* certitudine liberationis, & custodiæ. 13. *Aug.* 1624.]

Præsentiam Dei in corde suo quærebat & sentiebat.

§. 32. Solæ consolationes Dei animam ejus lætificabant.

32. Solæ *consolationes Dei* lætificabant animam ejus ; quæ solatia dicit in *intimo cordis fundo*, ubi conscientia manet, animam explere, ipsi quasi *animæ centro* illabentia, & conscientiæ lucem, gaudium & pacem afferentia, inter quæ hæc enumerat : Sanguis *Jesu Christi* corda nostra a malâ conscientiâ, & conscientiam nostram a mortuis operibus purgat. *Deus* fide purificat corda nostra. Cor mundum creat in nobis *Deus*, & spiritum rectum innovat in visceribus nostris. *Christus* per fidem in cordibus nostris habitat, & per spiritum suum nos in interiori homine virtute corroborat, & regnum in cordibus nostris confirmat, quo ei in gaudio, in pace & in *Spiritu Sancto* serviamus : & per *Spiritum Sanctum*, qui datus est nobis, charitatem suam in cordibus nostris diffundit. Et posuit in ore meo novum canticum, laudem Deo nostro, in quo speramus, ac ita beati facti sumus. 7. Aug. 1624.

§. 33. Ad eum cor suum elevabat & in ejus præsentia conversabatur.

33. Ut *Deum* in summitate mentis posset invenire, ad eum cor suum elevare & in ejus *præsentiâ* conversari, cor suum excitabat per interiora ac sincera desideria, eum perquam unice amandi, ejus amore perintime potiundi, ei complacendi, ac se totum ei perpetuo devovendi.

[Tunc in Spiritu, inquit, *Dominum* oravi: Domine, fac, ut tibi appropinquem, & in misericordia appropinqua tu mihi, ut cor meum, affectus mei, thesaurus meus, & conversatio mea, semper tecum in cœlis sint, mi *Deus*: Carnem in me cum vitiis & concupiscentiis crucifige, & voluntario tuo spiritu me confirma. Et Dominus benigne accepit orationem meam, me certum faciens gratiam ejus sufficere mihi, ac salutem, in ulteriori manifestationis & confirmationis gradu, domui huic hodie factam esse, mihi nempe, qui *domus* sum, quam *Dominus* pro seipso elegit & sanctificavit, ut habitaret ibi in perpetuum. *Hallelujah. Amen.* Benedictum sit nomen Domini. 6. *Mart.* 1626]. Rursus [Cum tu *Domine* dixeris, quis iste est qui applicet cor suum ut appropinquet mihi, ait *Dominus*. Respondit cor meum, appropinquabo tibi, & faciem tuam quæram, fac ut appropinquem tibi, & appropinqua mihi in misericordia, neu sis terribilis mihi, cor mundum crea in me *Deus*, & rectum spiritum renova in visceribus meis. Delectare *Domine* habitare in corde meo in æternum, & facies me delectari in te Deo meo & in multiplici pace tua, & me sustenta spiritu tuo voluntario, ut in plena fidei certitudine omnem meam solicitudinem in te projiciam, quia tibi cura est de me, & ab amore hujus mundi liberer, & cor meum & thesaurum in *cœlis* habeam, & sempiternam in te *Domino* meo animæ meæ requiem. Et *Dominus* consolatoria mihi dedit responsa, misit verbum suum & sanavit me, roboravit me in anima mea fortitudine, & roboravit me fortitudine quæ est in *Jesu Christo*, & magnopere me corroboravit in interno homine, ita ut cor meum in eo sit defixum, & liberum a metu auditionis mali, repletum gaudio & amore, & certa & læta spe gloriæ Dei. &c. 24. *Jun.* 1625.]

§. 34. *Exultat in Deo supra omnia diligendo.*

34. Exultat in *Deo diligendo* supra omnia. *Quis esset mihi in cœlis præter te? & præter te nullo delector in terra.* Deficiente carne mea & animo meo, rupes animi mei & portio mea Deus est in seculum. —— Exultat animus meus in *Jehovah*, elevatur cornu meum in *Jehovah*. —— Nullus est sanctus ut *Jehovah*, nullus est præter te, & nulla est rupes ut Deus noster. —— Tu *Domine* nosti me per gratiam tuam te sincere diligere, amoris defectum adjuva. 6. Maii 1640.] Dicit animam suam ægram amore fuisse & gaudio inenarrabili ac glorioso raptam. 12. Oct. 1640.]

§. 35. *Propter amorem Christi se parabat ad crucem tollendam.*

35. Propter *amorem Christi* se parabat ad *crucem* tollendam, ad persecutiones sustinendas. Verbi Dei monita & hortationes & exempla in hunc finem magna cum consolatione perpendebat. [16. Jul. 1640. Magna, inquit, cum consolatione legi & perpendi hæc Apost. Pauli verba: *Impletus sum consolatione, vehementer superabundo gaudio in omni afflictione. Etenim cum venissemus in Macedoniam, nullam habuit remissionem caro nostra, sed in omnibus fuimus afflicti, foris fuerunt pugnæ, intus metus; sed Deus qui consolatur abjectos, consolatus est nos adventu Titi.* Et hæc verba: *Proinde nos quoque cum tanta nos circumstet testium nubes, abjecto omni pondere, & peccato ad nos circumcingendos proclivi, per tolerantiam propositum nobis stadium decurramus, intuentes in fidei ducem & consummatorem Christum; qui pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem, ignominiâ contemtâ, & ad dexteram throni Dei consedit. Reputate quis ille sit qui talem sustinuit a peccatoribus adversus se contradictionem, ne vestris animis fracti fatiscatis; nondum ad sanguinem usque restitistis adversus peccatum decertando.* &c. Et brevi post Apostolus eos hortatur, ne sit inter eos profanus ut Esau, qui unico edulio vendidit suum jus primogeniti. Nunquam me sinas, Domine, (clamat *Forbesius*) jus meum primogeniti vendere. Quid enim prodest cuipiam, si totum mundum lucratus fuerit, anima vero sua mulctetur. Da mihi abnegare memetipsum, & attollere crucem meam, & sequi te. *Salvator* charissime, serva me tecum. In manum tuam commendo spiritum meum, redime me *Domine Deus* veritatis. Serva animam meam & libera me. *Deus* meus in te spero, ne pudore afficiar, succurre incredulitati meæ. —— Dominus noster Jesus Christus dixit de Paulo: *Ego ei præmonstrabo quam multa oporteat ipsum pro nomine meo pati.* Et Paulus gloriatur quod tanta sit perpessus pro nomine Domini Jesu. Ministri *Christi* sunt? (desipiens loquor) superior sum ego: in laboribus amplius, in plagis supra illos, in carceribus amplius &c. —— Si gloriari oportet, de iis quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor &c. Deus enim, puto, nos ultimos Apostolos spectandos proposuit ut morti addictos. Nam spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus &c. Quis nos separabit a charitate *Christi*? num angustia, num persecutio, &c. in his omnibus amplius quam victores sumus per eum qui dilexit nos. Certitudo *amoris Dei* in Jesu Christo erga eos, consolata est, & virtus *Christi* eos corroborans sustentavit eos. Da nobis etiam *Domine* eandem consolationem, robur & victoriam per *Jesum Christum* Dominum nostrum.]

§. 36. *Spem omnia sustinendi in solo Deo posuit.*

36. *Spem* omnia sustinendi in solo *Deo* posuit. [*Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis, in mundo afflictionem habebitis, sed confidite, ego vici mundum*; dicit Dominus Jesus discipulis suis. Benedictus sit Dominus qui jubet nos bono animo esse, & beati nos quos confidere jubet, nam si ille pro nobis, quis contra nos? Verbum etiam ejus, nos bono animo fore jubens, operativum est, alacritatem in cordibus nostris operans, ut cum dixit, *esto lux, & fuit lux*; & cum voce sua humana dixit *Lazaro mortuo*, *Lazare adesdum foras*, potentiâ sua divina illum vivificavit & e mortuis reduxit. Misit verbum suum, & sanavit eos, *Loquere solum Domine, & sanabitur puer meus.* Cum discipuli turbati essent, statim locutus est eis Jesus, dicens; *confidite: ego sum, ne timete.* Domine adauge fidem nostram. In Deo laudabo verbum ejus, in Deo confidam; non timebo, quid faciet caro mihi? —— Sicut factum fuit Domino nostro Jesu Christo, a primariis sacerdotibus, scribis & senioribus, fiduciam ejus in Deo ridentibus; *Confidit in Deo, eruat ipsum nunc, si placet ei.* Ita multi sunt qui dicunt de anima mea; *Non est ulla salus isti in Deo.* At tu Jehovah, clypeus es circa me, gloria mea, & extollens caput meum &c. 15. *Jun.* 1640.]

§. 37. *Ferventer desiderabat ut omnes ejus perpessiones unice essent in Dei gloriam.*

37. Ferventer desiderabat ut omnes ejus *perpessiones* unice essent in *Dei gloriam*, propter ejus *amorem*, secundum ejus *voluntatem*, sine ulla misturâ quæsitionis sui, suæ gloriæ &c. [*Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic verax est, injustitia in eo non est.* Ignosce *Domine* omni injustitiæ meæ, & gratiam largire ut omnis mea persecutio justitiæ causa sit, & quomodocunque libuerit tibi me pro injustitia castigare, ut tamen mihi non sit in votis ullam tueri iniquitatem, sed ab ea tempestive & sincere me recipiam; neque quidquam adversus veritatem faciam, sed pro veritate; & ut passus sicut Christianus non pudefiam, sed glorificem *Deum* hoc respectu. —— Imbue nos fide erga te Deum nostrum,

nostrum, nequaquam quærendo gloriam nostram, sed *gloriam* tuam, *Deus* & cœlestis noster Pater, qui nos miseris &c. 22. *Jun.* 1640.] [Die 18. *Jul.* 1638. Certior factus, inquit, de *Fœderatis* nostris popularibus, quod frequentes & jactanter Aberdoniam adventuri sint ut nobis & populo authores essent, vel disputatione, vel molimine, vel vi & minis (ut fama est) societatem cum iis in nupero ipsorum Fœdere ineundi, quod nobis fas esse non deprehendimus, & lectis mane *cap.* 3. & 4. *Neh.* cum *Dan.* 9. 25. *Dominum* cum lachrymis rogavi, ut nobis viam rectam ostendat inque ea nos deducat, corroboret & protegat, nosque omnes (& fratres adversantes & nos) sanctificet, & e gravi hac tentatione, ac omnibus tentationibus eruat. Novit *Dominus* pios e tentatione eripere. Populus ejus non confundetur in æternum. Benigne faciet *Sioni*, & temporibus etiam turbatis muri *Jerusalem* ædificentur. *Deus* est adjutorium meum, non timebo quid faciet mihi homo. Erit in ore nostro, sicut cum *Moyse* fuit. Suscipe servum tuum in bonum, & non calumnientur in me superbi. Projice in profundum maris peccata nostra. Illumina, sanctifica, corrobora & anima nos ad opus tuum quod nobis mandasti perficiendum, inque eo nos dirige ac benedicito, & sicut sanctum tuum nomen agnitum & glorificatum fuit per præsentiam tuam cum servo *Elia* adversus *Prophetas Baalim*, ita benigne & potenter nobis adsis in propria tua causa, adversus seductæ hujus multitudinis servorum tuorum errores; ut sciant nos tuos esse servos, tuoque jussu hæc facere, & oratio mea introivit coram eo in templum ejus. Illi sit gloria in *Ecclesia* per *Jesum Christum* Dominum nostrum nunc & in secula. *Amen.* Domine qui dedisti servo tuo *Paulo* ingenue & prudenter *Petrum* monere, & servo tuo *Petro* monitioni placide auscultare, ac bono consilio morigerum esse; concede etiam bona hæc miseris tuis servis, ac cunctis nostris fratribus, ut nec in bonâ causâ animus nos deficiat, nec in malâ pervicaces simus, sed propter misericordiam tuam in Jesu Christo Domino nostro deduc nos per *Sanctum* tuum *veritatis Spiritum* in omnem veritatem, ac veritate tua nos sanctifica, nos fideles redde tibi, Deo nostro, qui nos misisti, *non ut nostram, sed tuam quæramus gloriam, Deus noster, ac populi salutem*, utque terrena non cognemus, sed cursum nostrum cum gaudio consummemus, & Ministerium quod a *Domino Jesu* accepimus ad attestandum *Evangelium gratiæ Dei*. Benedictus sit Dominus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me. *Hallelujah.* &c. —— Libera me, *Domine*, ab oculo malo, vitiosa irâ, præcipitantia, tepore, & timore suspicioso, & omni eo quod oculis tuæ gloriæ displicet &c.]

§. 38. *Ex amore Dei gaudebat persecutionem justitiæ causâ pati.*

38. Ex amore Dei etiam gaudebat *persecutionem* justitiæ causa pati, inque ea summopere consolatus est. [Die 20. *April.* 1641. Intellexi, inquit, latam fuisse a *Presbyterio Edinburgensi* in me sententiam depositionis a manere meo, quod *Fœderi nupero* non subscripserim, & adhuc subscribere detrectem. Tunc in Museum secessi, *Deumque* lachrymis veneratus sum, ipsum rogans ut omnia mea remitteret peccata, me consolaretur & corroboraret adversus hunc, aliosque omnes impetus; gratumque efficeret pro eo quod dignetur me pro nomine suo pati, propter quod *Deum* animitus laudavi; qui majores meruerim angustias propter peccata mea tum plurima, tum gravia, at *Dominus* præ dilectione animæ meæ, omnes iniquitates meas post tergum suum abjecit, nominisque sui confessorem me fecit. Pro *fratribus* meis quoque qui sententiam hanc in me tulerant oravi; ut *Dominus* hoc ipsis remitteret, neque statueret in peccatum. Precatus sum etiam ut *Dominus* retineret me apud se, a superbia servaret, & a contemnendo ullo fratrum meorum, ab omni gestu indecoro, ab omni demum hypocrisi; ut dirigeret me, benediceretque filio meo, populo itidem suo cum pace, efficeretque ut eveham *Jerusalem* supra caput lætitiæ meæ; ut in tentorio suo me abderet, in abdito præsentiæ suæ, utque fruar bono *Jerusalem* omnibus diebus vitæ meæ, & confideam in domo *Jehovæ* in æternum; ut separaret *Deus* desiderium & fiduciam meam ab omni re terrestri, faceretque, ut in *Deo* solo confidam, impleretque me *amore Dei*, & certitudine *amoris sui* erga me in *Christo* in secula seculorum, *amore proximi* mei in *Deo*, ut crearet me *Deus* vere *Israëlitam* in quo non est dolus, lucemque faciei suæ super me attolleret, & super sanctum suum, Israëlem redimeret ex omnibus iniquitatibus ejus, & ex omnibus oppressionibus ejus, populum nempe quem proprio suo sanguine mercatus est. Tum fui in oculis ejus prope consequntus pacem, appropinquavit mihi Deus magna in miseratione, meque lætum fecit in se ac hilarem in salute sua. Benedictus sit *Deus* Israëlis per omnia secula. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, Trinitati Sanctæ, uni soli sapienti Deo, Domino Deo Israëlis supra omnem benedictionem & laudem exaltatæ, in secula seculorum. *Amen & Amen.* Extollam te *Jehova*, quoniam evexisti me, neque lætitia affecisti inimicos meos de me. Cum pater meus & mater mea derelinquant me, Jehova recipiet me. Celebrabo *Jehovam* valde ore meo, & in medio multorum laudabo eum, quoniam assistet ad dexteram pauperis, ut ipsum conservet ab iis qui abjudicant vitam illi. Benedictus *Deus. Hallelujah.* Gratis datum est vobis in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati. Apostolus quoque dicit hoc esse signum salutis, idque a Deo. Ἔνδειξις σωτηρίας καὶ τοῦτο ἀπὸ Θεοῦ.

Hunc mihi quis misero tantum speraret honorem,
Nomine pro Christi quantulacunque pati?
O quam dulce mihi divini hoc pignus amoris!
Quam leve Christi onus est! quam mihi suave jugum!]

[Die 21. *Aprilis* 1641. dicta depositionis sententia publice mihi significatur in Synodo Provinciali *Aberdonensi*, & in eo acquievi, indicans eis me *Fratribus Edinburgensis* scripsisse, ut Epistolam vice præsentiæ personalis acciperent, sententiam etiam ferrent ac si adessem, atque ita fecerunt (quamvis in Epistola hac consultius duxi aliter determinarent, attamen promisi me patienter sententiam illorum passurum, sicut & feci) sensi fratres Synodi sententiam ægre habere. —— Domum profectus sum, gaudens.

Rursus [24. Febr. 1640. Contra, inquit, supradictas humanas *Ecclesiasticarum* ac civilium censurarum minas, dulces ac prægrandes consolationes ac corroborationes ex his Apostoli verbis (*Rom.* 8.) mihi affuere: Non enim accepistis spiritum servitutis rursum ad metum, sed accepistis *Spiritum adoptionis*, per quem clamamus Abba, id est, Pater. Ipse *Spiritus* testatur una cum spiritu nostro nos esse Filios Dei: quod si filii, etiam *hæredes*; *hæredes* quidem *Dei*, *cohæredes* autem *Christi*: Si modo cum eo patimur, ut cum eo glorificemur. Reor enim minime pares esse præsentis temporis perpessiones, gloriæ in nobis revelatæ. —— Novimus autem eis qui diligunt

 Deum,

Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum, cis videlicet qui ex præstituto ipsius vocati sunt. Nam quos præscivit, etiam prædestinavit conformari imagini Filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres. Quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit, quos autem justificavit, eos etiam glorificavit. Quid igitur dicemus ad hæc? Si *Deus* pro nobis, quis contra nos? Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur? Quis intentabit crimina adversus electos *Dei*? *Deus* est qui justificat. Quis est qui condemnet? *Christus* is est qui mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est, qui etiam est ad dexteram *Dei*, qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos separabit a *charitate Christi*? num afflictio, num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? (Sicut scriptum est: Tui causa occidimur totum diem: reputati sumus velut oves destinatæ mactationi). Imo in his omnibus amplius quam victores sumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam posse nos separare a *charitate Dei* quæ est in *Christo Jesu* Domino nostro. O quam ineffabile solatii profluvium ac scaturigo! nulla tam iniqua depositionis aut excommunicationis censura, nulla sententia humana, nulla violentia separabit nos a *charitate Christi*. O anima mea cum *Christo* patere, ut & cum illo glorificere, redi in quietem tuam ô anima mea, *Deus* enim liberaliter tecum egit &c.] Vid. etiam 20. Feb. 1640. &c.

§. 39. *Ex amore Dei profluebat in eo verus & sincerus amor proximi in Deo.*

39. Ex *amore Dei* profluebat in eo verus & sincerus *amor proximi in Deo*. Infucata & fervens Φιλαδελφία unum fuit ex præcipuis mediis per quæ sentiebat *Dei & Salvatoris* sui in se inhabitationem, suamque in *Deo*. [14. Feb. 1624. ——— Sentire me fecit, inquit, *suavissimam* illam inhabitationem *Dei & Salvatoris* mei in me, meamque in *Deo & Salvatore* meo, per certitudinem in me sensumque mutuæ *charitatis*, —— animamque meam purificando ad non fucatam ferventemque Φιλαδελφίαν. &c.] Hanc gratiam a *Domino* ferventer petebat ut daret illi [*charitatem* erga *Deum* ac *proximum* suum in *Deo*, de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. 18. Aug. 1624.] Dicit [*Dominum* illi commendasse muneris curam in pascendis ipsius ovibus, idque ut fideliter & cum fructu obiret, sufficientem ei *gratiam* pollicitum esse, qua in fide, spe, charitate, sapientia, fortitudine, humilitate, gaudio, ac pace, &c. ad mortem usque ambularet & progrederetur; quaque eum ab infideli timore, diffidentia, charitatis destitutione, stultitia, pusillanimitate, superbia, ac mœrore consolationis vacuo, liberaret & salvum faceret. 19. Aug. 1624.] Dicit [se *Deum* suum, & *Patrem cœlestem* humiliter, sincere & ardenter precatum fuisse, ut ei daret misericordiam & gratiam, præsertim *Sanctum* suum *amoris Spiritum*, quo cum lætantibus lætaretur, cum lachrymantibus lachrymaretur, nulli invidiosus esset, non ex malo aut damno alicujus delectationem capiens, sed integro corde & oculo simplici omnes in Domino amans &c. 19. Jun. 1625.] Defectum quemcunque hujus *charitatis* in se vehementer deplorabat. [Die Martis, inquit, 20. *die Sept.* 1636. graviter vexatus & horride territus ex recordatione quorundam priorum gravium peccatorum, & præsertim cogitationum mearum contumacium & dispositionis mentis meæ nonnunquam minime *Christianæ* erga charos quosdam *Dei servos*; in quorum afflictionibus cum eis non lugebam, ut debui, verâ illa & misericordi affectione & *charitate*, quæ *Christianos* decet, verum potius *cor* meum flagitiosum vitiosos quosdam habuit satisfactionis motus, quibus in meipso oculum malum hypocriticum detexi, & eodem tempore coram *Deo* flevi, hujus condonationem, & *gratiam* adversus eum implorans, & consolationem percepi. Jam vero recurrente ejus memoriâ, consolatione quam prius receperam, frui mihi non licuit, ex novo peccati in me dolo, quo perperam ad consolationem quærendam seductus sum; priorem scil. meam impiam *charitatis* destitutionem & hypocrisin, malumque oculum excusando & extenuando. Verum in hunc modum spatio 24. horarum luctans, tandem mei *Dominus* est misertus, cor meum tetigit, & os meum aperuit, adeo ut prædicto die mane in campis, & rursus vespere solus in campis, in faciem prociderim & humiliter ac sincere cum gemitibus & lachrymis, peccata mea, & præsertim peccata illa sanguinea hic memorata *Deo* confessus sim, & pro misericordia in *Christo* clamaverim, qui in mundum venit ut peccatores salvaret, non eos tantum quorum minima erant peccata, sed etiam eos quorum peccata erant gravissima, quo *charitatis* ejus magnitudo, & misericordiæ divitiæ magis conspicuæ sunt; & remissionem, quietem & sufficientem gratiam omnibus promisit quos vere cujuscunque peccati pœnitet, & ita ad eum recta cordis intentione ei in posterum adhærendi veniunt. Et *Dominus* dedit mihi responsum *gratiæ*, misericordiæ & pacis. Benedictum sit *nomen* ejus sanctum in sæcula seculorum. Amen. *Hallelujah*.

Cujus defectum quemcunque in se deplorabat.

Defectum commiserationis.

§. 40. *Nimiam ira in casu quodam commotionem.*

40. Hinc etiam nimiam iræ commotionem erga proximum in quo culpam reprehendebat confitetur ac deplorat. [Die 26. *Nov.* 1637. dum, inquit, manifestam culpam reprehendebam in *amico* coram aliis amicis & servis, animadvertens eum culpam in hac re non agnoscere, ei dixi, peccatum coram *Deo* commissum esse, licet statutum *Comitiorum regni* An. 1612. eam agendi rationem peccatum non esse pronuntiet. —— Et dum hanc rem urgebam, irâ humanâ, quæ *Dei* justitiam non exsequitur, nimium commotus fui, quidam astantes viri prudentes offendebantur, ipse etiam dolui quod numen *Domini* assumpsissem affectu humano, & confestim me cohibui, & monitum meum temperavi, ac ab invicem amice discessimus. Sed diebus quibusdam sequentibus dolor cordis me tenuit, & peccatum meum coram *Deo* fassus sum, peccatum etiam fratrum & populi, & misericordiam ac gratiam petii, ut posthac in mansuetudine cœlestis sapientiæ ambularem, & *Dominum* obsecravi ut hæc & omnia alia nostra peccata & scandala auferret, nos pios redderet, nobisque veram daret resipiscentiam & tristitiam secundum *Deum*, ac e reti pedes nostros educeret. Post tale dierum aliquot exercitium, factum est ut die 29. ejusdem mensis, dum solus fui in campis de his rebus meditans, *Dominus* copiose super me effuderit sanctum suum gratiæ & precum spiritum, adeo ut gemitibus & lachrymis *Deo* confiterer peccata mea, præcipitem ac imprudentem iram, ac nominis *Dei* profanationem, zelum ejus simulans, dum ita ab affectu carnali & humana irâ abripiebar. Confessus sum etiam me peccasse acri nimis exaggeratione culpæ, cum

exinde

exinde conscientiæ rei periculum esset inconsolabilis tristitiæ. Quocirca ad *Dominum* clamavi pro misericordia & gratia & mihi ipsi & etiam iis omnibus qui peccato isto irretiti sunt, ut nec impœnitentes sint, nec abundantiori tristitia absorpti. Et oravi ut nemo in aliquem nostrum scandalizetur, aut nos in malum exemplum sibi proponat, licet eheu & offensionem & malum exemplum dedimus, sed *Deus noster*, qui solus mirabilia facit, cuique nihil est impossibile, omnem potis est amovere offensionem, & omni incommodo mederi. Ac *Dominus* orationes meas benigne exaudivit, meque summopere consolatus est responsione misericordiæ & pacis in corde meo, cum pollicitatione gratiæ suæ sufficientis mihi & reliquis ejus servis, pro quibus speciatim oraveram &c.]

§. 41. *Gratiam rogat sincere existimandi alios sibi præcellere.*

41 Hinc etiam ubique a *Domino* postulat gratiam sincere existimandi alios sibi ipsi præcellere, & omnes diligendi. [Faxit, inquit, Dominus, ut auctiores simus & exundemus mutua inter nos & in omnes homines charitate. —— Da mihi gratiam Domine, ne præsenti hac benignitate elatus sim, sed ex animi submissione constanter existimem alios mihi præcellere &c. 9. Decemb. 1639.]

§. 42. *Preces ex dilectione hac pro aliis a se fusas & pro eo ab aliis exauditas esse sensit.*

42. *Preces* ex dilectione hac pro aliis a se & pro eo ab aliis fusas, exauditas esse sensit. [—— Tunc, inquit, humiliavi meipsum, & vehementer & ex animo *Deum* precatus sum, ut hasce *consolationes* ad cæteros suos liberos, pro uniuscujusque necessitate, per totum hunc peregrinationis nostræ cursum extenderet, ac quosdam speciatim coram *Deo* nominavi, & benigne me exaudivit, & in hoc etiam consolatus est, me etiam certum reddens, similem me fructum habere ex orationibus aliorum pro me orantium, secundum mandatum illud atque promissum (Jac. 5.) & exemplum *Apostolorum* alios ut pro eis orarent rogantium, proque aliis orantium, & mandatum illud *pro omnibus orare*. Benedictum sit nomen Domini in æternum. 22. *Jul.* 1627.] Rursus [—— *Dominum* oravi ut omnes meas offensas amoveret, etiam ut omnes has suas misericordias in alios extenderet (& quosdam speciatim nominavi). *Dominus* benigne me exaudivit, & suaviter consolatus est, aliosque etiam (pro quibus oravi) misericordiam & consolationem percipientes sensi. &c. 7. *Jul.* 1630.]

§. 43. *Ex dilectione hac ferventer orabat pro universa Dei Ecclesia.*

43. Ex dilectione hac speciatim, ferventer & frequenter orabat pro *universa Dei Ecclesiâ*, & pro omnibus ejus liberis. [Faxit autem *Dominus*, ut auctiores sitis & exundetis mutua inter vos *charitate*, & in omnes, quemadmodum & nos in vos: ut corda vestra inculpata stabiliat in sanctimonia coram Deo & Patre vestro, in adventum Domini nostri *Jesu Christi* cum omnibus Sanctis suis. Amen. (1. Thess. 3. 12, 13.) Orationem, inquit, hanc ad *Deum* fudi pro ejus *Ecclesia* in hoc regno & ubique terrarum, pro omnibus nostris popularibus, & universis *Dei* liberis per totum peregrinationis nostræ cursum, &c. & magnam percepi consolationem. 31. *Aug.* 1639.]

§. 44. *Præsertim pro Scoticana.*

44. *Ecclesia Scoticana* illi speciatim cordi erat, turbatum ejus statum flebiliter deplorabat, pro ea *Dominum* ferventer orabat, qui eum de hac re consolatus est: [*Domine*, inquit, miserere mei & *fratrum* meorum & *popularium* meorum. Eheu! *Ecclesia* tua in hac terra in afflictionibus est, Grex tuus dissipatur & dividitur, tuum populum desolationes & terrores arripiunt, cujus consolationem & unitatem in veritate & pace *Dei* magis cupio quam mihi ipsi ullam rem creatam, quæ sit mere creatura in cœlo vel terra. Sit desiderium hoc *Domine* magis ac magis sincerum ac fervens, & condona mihi desiderii hujus imbecillitatem & imperfectionem, & propter *Christum* sana me. Inclina *Deus meus* aurem tuam & audi, aperi oculos tuos & vide desolationem nostram & miseram distractionem, & Ecclesiam hanc & populum super quem nomen tuum est invocatum. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi *Domine*, condona gravissima nostra peccata, multas nostras abominationes, & converte nos ad te & convertemur, & quanquam plagæ nostræ & dolores nostri sint insanabiles, nobis tamen salutem restituere & potes & vis. Loquere verbum *Domine*, & habebimus pacem. Non in sempiternum *Domine* litigabis, neque ad finem usque irasceris, quia *Spiritus* a facie tua egredietur & *animæ* quas fecisti. Et quanquam vagi abivimus in viis *cordis nostri*, & vias nostras vidisti, tamen Domine sana nos, reduc nos, & redde consolationes nobis & lugentibus nostris, secundum verbum tuum quod loquutus es per sanctum tuum Prophetam *Esaiam*, de omnibus peccatoribus pœnitentibus, quibus contritum & humilem das spiritum. *Domine* da nobis piam contritionem, & fac nos mites & humiles corde sicut fuit *Christus Salvator* noster, & da requiem animabus nostris in Domino nostro *Jesu Christo*. Magnam percepi consolationem de his petitionibus, quia *Dominus* Ecclesiam suam suo redemit sanguine, & quanquam nos peccavimus & inique fecimus, non tamen amovit candelabrum nostrum de loco suo *Dominus*, sed nos ad pœnitentiam vocat, & hic adhuc *Ecclesiam* habet, ubi inhabitat ejus nomen, & quæ ejus nomine vocatur, quamque amore sempiterno diligit. Et cogitat super nos cogitationes pacis & non afflictionis, ut det nobis finem expectatum, finem fidei nostræ, salutem scil. animarum, per *Jesum Christum* Salvatorem nostrum, cui sit gloria in æternum. Amen. 27. Jul. 1640.] [*Deum*, inquit, ferventer precatus sum, ac mea & hujus gentis peccata amare deflevi, publica præsertim assumptionis nominis *Dei* in vanum, & apertæ oppressionis. *Dominum* oravi ut nostri misereretur, nos illuminaret & ad se converteret, omnesque nostras impietates deleret, nosque servaret secundum ejus virtutis & misericordiæ magnitudinem in *Jesu Christo* Domino nostro, cujus morte nos, cum adhuc inimici essemus, sibi conciliavit. Et magnopere consolatus sum, *Dominus* enim benignus & misericors, & transit peccata reliquiarum hæreditatis suæ, delectatur misericordia & mali cum pœnitet &c. 17. Jul. 1640.]

§. 45. *Ne de aliis præcipitanter judicaret cavebat.*

45. Ne de aliis præcipitanter judicaret cavebat. De diversis eventibus qui *Dei* servis in tentationibus & persecutionibus contingunt, sapienter, humiliter & candide judicabat. [In persecutione, inquit, ab *Herode* adversus *Christianos* suscitata *Jacobus* frater *Johannis* gladio occisus fuit; *Petrus* incarceratus & duabus catenis vinctus. Alter *Jacobus* & alii neque occisi neque incarcerati sunt, omnes tamen Deo chari, omnes a Domino benedicti. Jacobus Johannis frater in morte fuit felix, *Petrus* felix in vinculis & liberatione, reliqui felices immunitate a morte & vinculis. Ita sapienter judicare oportet de variis eventibus qui *Dei filiis* contingunt persecutionem propter justitiam vel passis vel evadentibus, viam tamen justitiæ firmiter tenentibus.

Ut

Ut etiam mentes nostras in via humilitatis & in judicando candoris reneamus, undecim respiciamus Apostolos tempore *Passionis Christi*. *Petrus* eum secutus est & abnegavit. *Johannes* eum secutus est, non tantum in prætorium, sicut Petrus, sed etiam in locum ubi crucifixus est, viditque eum mortuum, ejusque latus gladio transfossum, neque eum abnegavit, cæteri omnes effugerunt, omnes tamen a *Deo* dilecti, & a malo servati sunt, sicut *Christus* pro eis oraverat. Tale *Deus* in his dispensationibus discrimen facit quale sibi placet, non propter aliquod unius hominis supra alium meritum, sed quia bonum videtur in conspectu ejus, in incomprehensibili consilii ejus altitudine, secundum ipsius beneplacitum, in *gloriam sui nominis*, inque *Ecclesiæ suæ & servorum bonum*, nam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in secula seculorum. Amen. 17. Jul. 1640.]

§. 46. *Inimicos in Deo diligebat, pro iis orabat.*

46. Contra *inimicos* etiam, maledicentes & persecutores nullâ ira aut odio exulceratum fuit mite & humile cor ejus. Eos in *Deo* & Domino suo diligebat, pro eis *Deum* ferventer orabat, eis benedicebat. Hanc gratiam a *Domino* pro signo in bonum suppliciter postulabat & impetravit. [Meditans, inquit, in hæc verba Psalmi 86. *Fac mecum signum in bonum, & videant odio habentes me, & pudore afficiantur, quod tu Domine adjuveris me & consolatus fueris me.* Hoc ego signum a *Domino* petii, ut ejus gratiâ diligam inimicos meos, benefaciam his qui oderunt me, & orem pro persequentibus & calumniantibus me, hoc enim filiorum Dei signum declaravit Matth. 5. Etiam ut *Dominus* me mitem ac humilem corde faceret, sicut fuit *Christus Salvator* meus, meque faceret volenter & cum gaudio jugum ejus tollere, & jugum ejus suave & onus leve sentire, ut requiem inveniam animæ meæ quemadmodum dixit Dominus. Ut ita hostes mei spirituales confundantur, hostes corporei videant & convertantur, & ii qui in Deo me diligunt, mecum & mea de causa gaudeant, *Deumque* laudent, & ut semper in Dei mei adjutoris & consolatoris mei laude exultem, & meipsum magnopere auxiliatum & plene in Deo meo consolatum percipiam. Me *Dominus* benigne exaudivit, mihique ostendit eandem illam pro charitate, humilitate, & mansuetudine petitionem, benignum esse ejus donum & certum signum in bonum. Tunc memini petitionis *Salomonis*, & benigni Dei ad eum responsi (*1 Reg.* 3. & *2 Chron.* 1.) hinc fui coram eo tanquam pacem reperiens, & Dominus me certum reddidit, *quod mihi sufficiet gratia ejus, virtus Christi in me habitabit, & virtus ejus in infirmitate perficitur.* Tunc illius quod in hoc libro de *Jacobi* luctatione scriptum est, memini, eoque consolatus sum. Pro omnibus etiam *Dei filiis & pro me persequentibus oravi.* Humiliter *Dominum* obsecravi eorum misereri, eorumque peccata iis non imputare, verum pœnitentiam ad vitam dare, propter Jesum Christum, qui, cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est. Et ut *Christus* in corde meo inhabitaret, & in me talem operaretur amorem, qualem erga nos ipse ostendit, nosque erga eum aliosque omnes propter eum habere jussit. &c. 2. Jul. 1640.] Rursus [24. Jun. 1640. Citabat, inquit, me sistere coram *delegatis Synodi Nationalis* die 9. Jul. insequentis, in *Collegio Regio Palæo-Aberdonensi*, quam citationem in Museum meum secedens coram Domino explicavi, humi memet prosternens, & Dominum oravi, ut mei ac fratrum meorum misereatur, causamque nostram ageret, salutemque suam ostenderet, nosque viam rectam doceret, inque ea duceret, daretque nobis ea hora quid loquamur, potentiamque suam in infirmitate nostra consummaret. Precatus sum etiam ut *Dominus* misereatur horum *fratrum* nos infestantium, utque servaret eos a peccato contra *Deum*, nobis injuriam ferendo, neque ullum statueret eis peccatum, sed tum illis tum nobis resipiscentiam in salutem quæ est secundum *Deum*, & misericordiam & gratiam nobis subsidio in necessitate concederet. Novit Dominus pios e tentatione eripere. Ac *Christi* gratia, charissime Pater, libera nos ab omnibus tentationibus quibuscunque.] Rursus [—— Omnes has misericordias, gratias, liberationes, & benedictiones omnibus meis fratribus concede, & etiam eorum miserere qui nos infestant, converte & consolare & nos & eos. Uni omnium nostrum corda & animas, in *vera cognitione, timore & amore tui Dei nostri, & dilectione proximi nostri in te.* &c. 18. Jul. 1640.]

Vid. etiam 23. Sept. 1639.

§. 47. *Dei charitas sanctificavit naturalem ejus affectum erga propinquos & filium in sanctum amorem in Deo.*

47. *Dei charitas* in cor ejus per *Spiritum Sanctum* diffusa *naturalem* ejus affectum & *amorem* erga propinquos, uxorem, filium &c. in dilectionem sanctam in *Deo* evexit & sanctificavit. [—— Eodem die, inquit, aggressus est me Satanas pessima tentatione, sed *Dominus* fulcro mihi fuit, & sustinuit me, Satanamque sub pedes meos contrivit. Quum enim gratias agerem *Deo* pro consolatione quam mihi dat, de filio meo *Georgio*, cui tum sanitatem largitur temporalem, ingenium acutum, gratiam spiritualem, educationem liberam, tum illum mihi solatium præstat in *Deo*; quumque *Deum* orarem gratum me redderet, gratiamque mihi conferret, ut cor meum in *Deo solo*, in nullo vero terrestri bono, & consequenter neque in filio collocarem, & sic Deum offenderem; neque dilectione inordinata *Deum* provocarem ad illum mihi eripiendum; Satanas hic me *tentatione* illa adortus est, qua usus fuerat in *Paradiso Deum* calumniandi quasi felicitati hominum invideret, ideoque in promptu esset eos quopiam bonô privare quo maxime delectarentur. Ast *Dominus* Satanam instanter increpuit, & liberavit me ex ore leonis. *Deus est charitas*; & Pater luminum a quo descendit omnis donatio bona, & omne integrum bonum. Invidiam odit, quippe quæ opus carnis. Delectatur pace servi sui; non affligit ex animo suo, mœstitiaque afficit filios hominum. Delectatur benignitate, jure & justitia. Sanctus est: bonus est, & beneficus. Ille unus bonus est: & nulla est iniquitas in eo. At quos amat, castigat. Cum vidit nos subducentes cor nostrum ab unica nostra vera felicitate, vita, luce, salutis nostræ robore, quod ipse est, & felicitatem nostram locantes in rebus quæ beatos nos reddere nequeunt, tum ex paternâ affectione castigat nos modo & mensura quam ille solus sapiens & amantissimus noster *Pater* novit nobis maxime commodam fore, ne una cum mundo condemnemur, sed participes simus sanctitatis ejus. Quare parati esse debemus, (sicut fuit *Abrahamus*) ad offerendum in sacrificium *Deo* quicquid charius nobis habetur in hoc mundo, ut filii simus *Abrahami*, & participes benedictionis; & cum *Jobo* debemus benedicere *Domino*, qui dat & recipit: quod si oculus noster dexter facit ut offendamus, eruamus eum, & abjiciamus a nobis, ne pereamus. Qui amat patrem aut matrem supra *Christum*, non est dignus *Christo*. Qui invenerit animam suam, perdet eam; & qui perdiderit animam suam *Christi* causa, inveniet eam. Quid prodest cuipiam,

si totum mundum lucratus fuerit, animâ vero sua mulctetur. Debemus igitur odio habere patrem & matrem, uxorem & liberos, fratres & sorores, atque adeo etiam animam nostram, ut veniamus ad Christum, & simus discipuli ejus: Et cum *Apostolo Paulo* omnia damnum ducere, propter eminentiam notitiæ *Christi Jesu Domini nostri*, omnibusque nosmet mulctare, & pro stercoribus ducere ut *Christum* lucrifaciamus, qui præstat omnibus. Ille solus via est, veritas, & vita, per quem nos & liberi nostri felices sunt, neque datur salus in ullo alio. Deo autem habetor gratia, qui dat nobis victoriam per *Jesum Christum* Dominum nostrum, qui facit ut semper triumphemus in *Christo*. Amen. *Christus* per mortem abolevit Diabolum, & liberos reddidit nos. Ad hoc manifestus factus est *Filius Dei*, ut dissolvat opera Diaboli. Et ministerio verbi sui, & operatione Spiritus sui sancti convertit nos a tenebris ad lucem, & a potestate Satanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiamus per fidem quæ est in illo. Et virtute sua divina custodit nos per fidem ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo. Ipse Deus noster est, nos vero populus pastus ejus, & grex ductus ejus, neque rapiet eas quisquam e manu ejus. Illi gloria in secula seculorum. Amen. 21. Aug. 1640.]

§. 48. *In omnibus exercebat se ad humilitatem.*

48. In omnibus exercebat se *Forbesius* ad *humilitatem*, ut considerata malorum suorum infinita multitudine, Deique erga eum ineffabili benignitate, in contritione, luctuque, omnes delectationes, omnes inordinatas aut creaturales affectiones, omnium externarum consolationum, atque omnium quæ extra *Deum* sunt, desideria occideret; ut in nulla re suam sed *Dei gloriam* quæreret, omnes sibi præcellere existimaret, in omnibus *Deum* laudaret, ac in solâ *Dei* misericordiâ omnem fiduciam poneret. [Hoc signum, inquit, a *Domino* petii, ut me mitem ac humilem corde faceret, sicut *Christus* Servator meus fuit. 2. Jul. 1640.] [—— Eodem die, inquit, salutarem *humilitatis* didici lectionem, & fidelis esse in omni laude Deo, cui soli debetur, tribuenda, ex dictis *Josephi*, *Danielis* & *Petri*. *Non est penes me, Deus respondebit prospera Pharaoni. Est Deus in cœlis revelans mysteria. —— Et qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. Mihi quoque, non ex sapientia quæ est in me plusquam in cunctis viventibus arcanum hoc revelatum est. Nos quid intuemini quasi nostrâ virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare*, &c. Hisce Jesu Christi exemplum & hæc ejus verba conjunxi: *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est.* Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam, propter veritatem tuam. 3. Jul. 1640.] Rursus [—— *Dominus* monstravit mihi indignitatem meam propter plurima mea gravia & abominanda peccata & flagitia; nequitiam ac turpitudinem meam fassus sum & agnovi; confessionem etiam impietatum gravium institui. Et in immensum memet aversatus sum, ac projeci meipsum coram Deo, animo fracto, & spiritu contrito, & fletibus amaris, in tantum etiam animo dejiciebar & conscientiâ turbabar, ut profunde meditarer ac mirarer, si Deus mihi, impio adeo, insulso, & ingrato ignosceret peccatori. Magnæ quippe Dei in me benignitates, & amicæ ejus mecum familiaritates, argumenta fuere majoris meæ ingratitudinis, ut scriptum est de ingratitudine *Solomonis* in declinando animo suo a *Jehovah*, *Deo Israëlis*, *qui apparuerat ei bis*. *Deus* etiam per *Prophetam* suum sic alloquitur *filios Israëlis*: *Solummodo vos agnoveram ex omnibus familiis terræ: idcirco animadvertam in vos omnes iniquitates vestras. An ambularent duo una nisi convenirent?* Et Salvator noster discipulis suis dicit: *Ille autem servus qui novit voluntatem Domini sui, & neque se comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagis.* Atque ex hac consideratione percepi malas cogitationes in corde meo, pravasque meas affectiones, majora esse peccata, majoresque mereri pœnas, crassis & manifestis aliorum peccatis, quibus se non adeo familiariter manifestaverat Deus. &c. 27. Aug. 1640.] Rursus [—— Dum legebam, inquit, meditationem 18. Sept. 1624. cum quibusdam aliis meditationibus, raptus fui pia ac læta admiratione mirabilium Dei erga me tam miserum peccatorem misericordiarum, qui dignatus est mihi impertiri multiplices has suaves ac validas consolationes; Et in genua procumbens facie in terram pronâ, Domino gratias egi, & propter præsentiam *Domini* faciem abscondi, *Eliæ* memor, qui, audito sibilo auræ tenui, operuit vultum suum pallio. *Moyses* etiam apud rubum abscondit faciem suam, non audens aspicere contra Deum. Et *Publicanus* a longe stetit, nolens vel oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori &c. 20. Mart. 1626.] Rursus [—— Infirmitatis meæ, flagitii, miseriæ, maximarumque & plurimarum Dei erga me misericordiarum experientiâ didici, me nullum unquam debere proximum floccipendere, ast unumquemque me præstantiorem æstimare; inque superabundantibus Dei misericordiis, ac in durante ejus veritate & amore sempiterno ac omnipotenti potentia fidere. 12. Sept. 1640.]

§. 49. *Tota ejus vita fuit continua præparatio ad mortem.*

49. Tota *Forbesii* vita continua fuit *præparatio ad mortem*, de ea quotidie meditabatur, ut in *Domino* & ejus pace decederet quotidie orabat. [Die 19. Aug. 1624. mane, inquit, in cubili, & postquam surrexeram, magnopere consolatus est me *Dominus*, effundendo super me *Spiritum gratiæ ac precum*, cujus gratiâ Patrem meum cœlestem in nomine & per intercessionem Domini mei *Jesu Christi* cum fiduciâ & ardenter precatus sum, & eximiam percepi consolationem, adeo ut cum gaudio ad Dominum dixerim: Quid pro consolatione hac retribuet tibi anima mea, *Domine* mi *Deus*? Calicem salutum accipiam, & nomen *Domini* invocabo. Vota mea *Domino* reddam coram omni populo ejus. Nunc dimittis servum tuum *Domine* in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. *Domine* salutare hoc ne iterum a me abscondas, verum conspectum illius mihi adauge. Et pollicitus est *Dominus* me in pace decessurum, cum id illi opportunum visum fuerit, seque me tanquam bonum ac fidelem servum in *Domini* mei *gaudium* admissurum &c.] [—— Dedit mihi Deus Spiritum gratiæ & deprecationum, fecitque me invocare nomen suum sanctum lachrymis, & misertus est mei, ac copiose consolatus est, adeo ut optarem eandem mihi reddi consolationem cum augmento illius, cum e vita hac discessero, quapropter id quoque Dominum rogavi, ac exaudivit me, certioremque reddidit salutaris admodum ac victoriosi decessus 12. Sept. 1640.] [—— Rogavi *Dominum* ut mihi præsto foret in omnibus laboribus meis, & præcipue in labore illo extremo, quum e vitâ hac discessurus sim. Peccata mea post tergum abjicias Domine, & præclarum illud certamen pro me decerta, fac ut inveniar a te Servatore meo cum pace incontami-

natus & inculpatus, & da mihi salutarem, tranquillum, & jucundum ex hac vitâ discessum, spiritum meum recipias in gaudium tuum perenne *Domine Jesu*, & fac etiam ut testimonium salutaris & potentis tuæ mecum & in me præsentiæ, ad finem & in fine, salutare quoque fiat & bonum omnibus filiis tuis me respicientibus, omnibusque quibus fama deferetur beatæ meæ mortis in Domino. —— Dominus benigne preces meas exaudivit, certumque me reddidit salutaris suæ præsentiæ, benedictique mei ex hoc mundo decessus &c. 2. Octob. 1640.] [Die 14. Nov. 1640. Easdem, inquit, cum haberem dulcissimas consolationes, mihi renovatas, de loco meo in cœlis, supplex Dominum rogavi, ut semper has mihi largiretur consolationes, & præsertim cum discessero ex hac vita. Dominus benigne postulatum annuit, novas addens consolationes, se omnia facturum in bonum quæ me attingunt.]

§. 50. *Portio orationis quotidianæ cum familiâ ex consideratione fragilitatis nostræ ac appropinquantis æternitatis.*

50. [*Portio orationis quam*, inquit, *in domo mea unoquoque mane cum domesticis precor ex consideratione fragilitatis nostræ ac appropinquantis æternitatis.*

Fac nos semper hilares, humiles, sapientes, lenes, & fideles in cultu tuo hic; lætus, paratos & instructos omni tempore, a corpore abesse, & adesse apud Dominum Jesum: fac ut inveniamur a Domino & Servatore nostro cum pace incontaminati & inculpati, ut cursum nostrum cum gaudio absolvamus in conspectu salutis tuæ. Cumque vita nostra in hoc mundo sit tantum momentanea, & postea sequatur infinitus æternitatis status, *Pater* misericors, supplices te rogamus propter *Jesum Christum* Servatorem nostrum, nobis omni tempore adesse nosque servare; præsertim vero in articulo mortis. Adsis nobis benigne cum potentia, in nobis & pro nobis. Eripe nos ne intremus in tentationem, portæ inferorum ne superent nos. Corda nostra redde integra erga te ad finem & in fine, teque firmum exhibeas in nos. Consumma potentiam tuam in infirmitate nostra, totumque illud certamen præclarum quod nos decertare præcipis, milites pro nobis *Domine*; & victoriam nobis des per Dominum nostrum *Jesum Christum*, persuadeasque neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam posse nos separare a *charitate Dei* quæ est in *Christo Jesu* Domino nostro. Ne malum ullum timeamus quum ambulemus per vallem lethalis umbræ, quia tu nobiscum es. Et deficiente carne nostra & animo nostro, tamen rupes animi nostri & portio nostra Deus sit in æternum. Quamvis debilitetur spiritus noster, attamen fortiter corrobora nos per *Spiritum tuum sanctum* in interiori homine. Etiamsi deficiat nobis *auditus externus*, ut nequeamus amicorum verba audire; aperias tamen *aurem animarum nostrarum*. Facito ut audiamus gaudium & lætitiam, per *Spiritum adoptionis*, testantem una cum spiritu nostro, nos esse tuos filios, peccata nostra esse remissa, nominaque in cœlis scripta, te esse salutem nostram, tuumque paternum esse libitum dare nobis regnum illud. Et quamvis *oculi* corporis nostri præstringantur & caligent, ac obscurentur ab intuenda luce mundi hujus, attamen fac Domine lucem faciei tuæ super nos indesinenter attolli; & illumina *oculos mentis nostræ* ad sciendum quæ sit spes illa vocationis tuæ, & quæ opes gloriæ hæreditatis tuæ in sanctis, & quæ sit supereminens illa magnitudo potentiæ tuæ in nobis qui credimus, pro efficacia roboris virium tuarum, quod exeruisti in *Servatore* & capite nostro, quum suscitasti eum ex mortuis, nosque una cum illo. Dignare nos illa vocatione, & compleas in nobis omnem tuæ bonitatis gratuitam benevolentiam, & opus fidei potenter, ut glorificetur nomen Domini nostri *Jesu Christi* in nobis, & nos in eo. Et quamvis deficiant nobis *memoria & cogitationes*, tu tamen Domine recordare nostri in misericordia, cogita de nobis in bonum, ac perfice erga nos cogitationes tuas prosperitatis. Et fugientibus nos *lingua & sermone*, adeo ut nequeamus laudes tibi Deo nostro, & benedictiones ac orationes proferre; nihilominus sermones oris nostri & meditationes mentis nostræ, semper sint propinqua tibi: Quæ, dum tempus largiris & facultatem, per gratiam tuam continuo deprecamur coram te in orationibus & precibus cum gratiarum actione, sintque accepta coram te per *Jesum Christum* Dominum nostrum, qui etiam est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis. Age *Domine* causas animarum nostrarum, vindicato vitam nostram. Quocunque tempore, loco, mortisve modo, tibi libeat vocare nos, in misericordia facito Domine, moriamur in Domino, una cum æterna tua benedictione in corporibus & animabus nostris. Quumque ventum sit ad extremam separationem corporis ab anima, *Domine Jesu recipe spiritus nostros.* In manum tuam deponimus *spiritum nostrum.* Redemisti nos *Jehovah Deus fortis verax.* Recipe nos ad te in locum illum requiei, gaudii, voluptatis, vitæ, lucisque, quem nobis parasti in domo Patris nostri cœlestis, qui a corpore absentes apud te Dominum nostrum aderimus. Suscita *corpora nostra* ultimo illo die in *resurrectionem vitæ*; & da nobis ut inveniamus misericordiam apud te Dominum nostrum in die illo, ita ut corpus & anima manifesta fiant una tecum in gloria, semperque tecum sint in æterna felicitate. *Corda* nostra figito in requie illa, gaudio, voluptate, vitâ, luce, gloriâ, & felicitate: illius certos nos redde, para nos in id, eoque nos perducito statuto tuo tempore. Exaudi nos, Pater dilecte, & adjuva, condona iniquitatem nostram in precando, omniaque alia nostra peccata; petitiones nostras concede, & quicquid præterea vel nobis vel alicui ex filiis tuis, bonum aut commodum sit, propter Dominum *Jesum Christum* Servatorem nostrum, secundum verbum tuum, in quo nos fiduciam habere fecisti. In nomine ejus & verbis preces nostras coram te continuamus, dicentes sicut ipse nos docuit, *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c.*

§. 51. *Salutaris expectatio quieti decessus & vitæ æternæ.*

51. Quum hanc precor orationem, quam benigne recipit Dominus, semperque sibi propinquam tenet, meique continuo in bonum recordatur; quotidie reficior, & magnopere confirmor in *spe certa* gloriæ Dei, me cum pace decessurum, & in *gaudium* æternum Domini mei *Jesu Christi* introiturum, ac cum illo in *gloria* per omnia secula habitaturum. Et hæc est fiducia quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petierimus secundum voluntatem ejus, nos audire, quod si scimus eum audire nos quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones quas ab eo petimus. Cæterum ei qui potest nos custodire a lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriæ ejus inculpatos cum exultatione, *soli sapienti Deo* Salvatori nostro, gloria esto, & magnificentia, robur & auctoritas & nunc & in omnia sæcula. Amen. Ei vero qui summa cum exsuperantia potest omnia facere supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis, ei sit gloria

in

in Ecclesia per *Christum Jesum*, in omnes ætates seculi seculorum. Amen. vid. post 16. Dec. 1640.]

Beatus qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. Qui semper paratus est, & taliter vivit ut nunquam imparatum mors inveniat. Qui talis nititur esse in vitâ, qualis optat inveniri in morte. Ita se gerebat Forbesius, unde magnam fiduciam concepit feliciter moriendi. Ac nulli dubium esto quin transitus ejus ex hac vita beatus fuerit, licet nullum exstet memoriale de statu mentis & consolationibus Dei animam ejus lætificantibus in ultima vitæ scenâ. Nulla habentur exercitia ejus scripta post 22. Jul. An. 1647. vixit vero ad finem Aprilis anni insequentis; postrema etiam sunt potius diarium quoddam eorum quæ illi in peregrinatione accidebant, quam exercitiorum spiritualium justa commentaria. Probabile est virum sanctum, divina unctione perfusum, a crassiori meditationum, discursuum & imaginationum exercitio abstractum fuisse, ac ad intimiorem introversionem, & altiorem orationis gradum a Dei spiritu evectum, quo divino tractui & operationi se totum tradebat, importunæ inferiorum suarum facultatum interpositioni silentium injungens, ac ea sentiens quæ oculus non viderat, auris non audiverat, nec mente concipi nec literis exprimi poterant.

§. 52. *Totius characteris summa.*

52. Utcunque ex viri sancti exercitiis plane apparet, eum toto corde *Deum* instanter & perseveranter quæsivisse, tanquam *summum & unicum suum Bonum*, quem intense desiderabat invenire non extra se, sed intus in *anima & corde* id sibi purgantem & parantem in *Templum* & domicilium in quo in æternum habitaret. Et quia boni hujus possessionem, non propria industria, propriisque viribus, sed divinæ potius gratiæ auxilio se consecuturum confidebat; ideo *spem* suam, non in viribus humanis, non in proprio studio, sed in *solo Deo* constituisse, neque id *bonum* a proprio ingenio, propriaque industria, sed ab infusione *divinæ gratiæ*, expectasse; & propterea non animo elato, arroganti ac superbo ad *Deum* accessisse, sed in *spiritu humilitatis* & animo contrito devotissime ac ferventer *orasse*, obsecrasse, suspirasse, aspirasse ac desiderasse gratiæ ac illius boni donum, cujus amore rapiebatur, eoque humili precum ac aspirationis exercitio continuo submisisse se *influentiæ* hujus divinæ bonitatis; eumque variis *crucis* & afflictionum generibus, tum interne tum externe in animæ purificationem exercitatum fuisse; illum etiam eum quem anima ejus diligebat invenisse, suavissimam *Dei* ac Salvatoris sui in corde suo id purificantis *præsentiam* & inhabitationem sensisse; *Deum* in fide, charitate & omni virtute eum corroborasse, suavibus colloquiis sustentasse, ac consolationibus, pace & deliciis suis inebriantibus animum ejus superfudisse; eique *dilectum* suum in plena fruitione in æternum possidendi *spem* firmam dedisse. *Mirabilis Deus in sanctis* suis. *Cum simplicibus sermocinatio ejus. Arcanum Dei est cum timentibus eum.* Intueamur exemplum sancti hujus viri, qui in vera humilitate stabat, quem scientia superbiâ tumidum non fecit, qui in charitate & patientia ambulabat, qui tam crebras & fervidas orationes *Deo* offerebat, & ideo quotidie in spiritu proficiebat, magnamque apud Deum gratiam obtinebat, & sequamur ejus vestigia prout ille secutus est Dominum nostrum. Utinam omnes *Ecclesiæ Ministri* & sacri muneris *candidati*, *cœlestem* hanc cum Authore nostro perant *Academiam*, & *animarum Doctori* se erudiendos tradant, ab eo sapientiam istam dediscant, quæ terrena est, animalis, Dæmoniaca, ubi est æmulatio & contentio, conturbatio & quicquid est mali, ab eo vero discant cœlestem illam sapientiam, quæ e superuis est, quæ pura, pacifica, mansueta & obtemperans, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absque disceptatione, & minime simulata. *Loquere Domine, & audiant servi tui, ne forte moriantur, & sine fructu efficiantur, si fuerint foris tantùm admoniti, & intus non accensi. Audiant verba tua quæ spiritus & vita sunt. In silentio audiant, & cum omni humilitate atque magno affectu suscipiant.*

VITÆ FORBESIANÆ INTERIORIS IDEÆ

FINIS.

JOH. FORBESII à CORSE

VITÆ INTERIORIS

SIVE

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

COMMENTARIA.

Psalm. 126. 5.
Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.

Sedulius, Carminum Lib. 1. metro ultimo.
- - - *Lachrymasque ferendo, Gaudia longa metam.*

EXERCITIA SPIRITUALIA An. 1624.

§. 1. N. 1624. *die* 5. *Januarii* eximiam percepi consolationem ex attentà lectioue *duorum postremorum capitum Evangelii secundum Matthæum*, & *Psal.* 102. cum precibus.

Ejusdem mensis die 7. snavissime consolatus sum ex lectione & meditatione *primorum octo versuum, paraphraseos Buchanani in Psalm.* 102. & postremorum aliquot versuum *capitis* 7. *Apocalypseos.*

§. 2. *Sensus gratia & præsentia divina cor purgantis & corroborantis.* *Die* 16. *ejusdem Januarii*, mane in cubili orans Deum, ejusque misericordiam & opem suppliciter cum gemitu lachrymisque implorans in nomine *Domini mei Jesu Christi* contra tentationes Satanæ, measque infirmitates, percepi eximiam consolationem, sensumque gratiæ, misericordiæ & pacis a Deo Patre meo cœlesti per *Jesum Christum* redemptorem meum & advocatum apud Deum. Posteaque vestitus suavissimam sensi Domini mei, cor meum, templum suum purgantis & pace beantis, atque in fide corroborantis, præsentiam, dum legerem *Marc.* 10. *v.* 47. *& seqq. & cap.* 11. *v.* 9, 10, 15, 16, *& seqq. ad* 27. occurreretque animo lucta Jacobi Patriarchæ cum Deo, ejusdemque victoria. *Gen.* 32. *Hos.* 12. multaque in Evangelio memorata clementiæ & philanthropias Christi exempla. *Matth.* 12. 20. & 15. 28. &c. & repeterem *Psal.* 103. *vers* 1, 2, *& seqq.*

[Hujus lectione cum humili ac fervida ad Deum oratione in nomine D. N. J. C. corroboravit & consolatus est me Dominus contra omnem infidelitatem die 19. Mart. 1640. Hallelujah.]

Vespere eodem die, snaviss. cousol. 1. Pet. 1. 5, 6, 7, 13, 19, & seqq.

§. 3. *Pater noster.* *Die* 19. *ejusdem mensis* mane & rursum vespere, suavissima cousolatio ex recitatione *orationis Dominicæ*, libera compellatione Patris mei cœlestis me prolem sibi non inficiandam agnoscentis, & amplectentis in *Christo* Servatore meo; & ex meditatione beatitudinis eorum qui Deum ex animo pia prece alloquuntur, præ miseria eorum qui non audent Deum quamvis in gratiæ throno sedentem adire, neque illi supplicant, affixi scilicet, suis illicitis cupiditatibus; quamvis illi in afflictionibus, isti vero in deliciis mundanis agant.

Die 26. *ejusdem mensis* cum lachrymis solatium in cœtu matutino *Exod.* 5. *Matth.* 26. & postea domi, post gemitus gaudia, *Luc.* 2. *&* 3. *Psal.* 106.

Die 2. *Februarii*, mane suaviss. consol. orans, lectis *Luc.* 10. 20. *& seqq.* usque ad *v.* 25 deinde *v.* 41, 42. & *Psal.* 107. §. 4.

Auxilium miseris imploravere querelis;
Audit orantes & opis miseratus egenos,
Omnibus exsolvit mœrentia pectora curis.
Ergo canant Dominumque bonum facilemque parentem. &c.

Eodem die consol. Ps. 68. 29. Robora ô Deus hoc quod operatus es in nobis. & 1. *Cor.* 1. 8, 9. Qui & confirmavit vos &c. & 1. *Thess.* 5. 24. Fidelis est &c.

Eodem die lecto exitu *S. Paulini* Ep. Nolani, *pag.* 726. *& seqq.* oper. Paulini, meditatio incidit de vita & morte Sanctorum, Deo charorum, & inenarrabili dilectione *Christi*, seu *Dei* in *Christo*, erga nos, superante omnem dilectionem creaturarum erga creaturas. Unde non levem percepi consolatiouem. Laus Deo.

§. 5. *Consolationes & instructiones adhibita Christiano cuidam angore animi presso ob duritiem ac impietatem cordis.* *Palæo-Aberdoniæ*, *die* 3. *Febr. An.* 1624. quidam Theologiæ Studiosus, qui propter cordis duritiem, & ex eo quod solita erga Deum reverentia, fideque in eum, ac illius favoris sensu privaretur, vehementer animi discruciabatur, verbum cousolatorium a me obnixe rogabat; quo audito cor tacite ad Deum levabam, ipsius opem implorans, ac Studioso dixi.

I. Quos Deus auimabus afflictis consolationis Ministros constituit, iis in antecessum conscientiæ cruciatum familiarem reddit, ut alios afflictos non despiciant, sed ex sympathia & experientia propria iis idonei consolationis Ministri fiant. 2. *Cor.* 1. 3, 4. *Heb.* 5. 2.

II. Hac impotentiæ & proterviæ nostræ experientia percipere possumus quantum, ex naturali

no:

nostra corruptione, Deo inimici fimus, ex uobis ipsis ad quicquam boni cogitandum inidonei, ne iu uobis ipsis, in nostris viribus confidetemus, sed iu solo Deo mortuos suscitanie, qui in uobis & velle & perficere operatur pro gratuitâ suâ benevolentiâ. *Rom.* 8. 7. 2. *Cor.* 3. 5. *Gen.* 6. 5. & 8. 21. 2 *Cor.* 1. 9. *Phil.* 2. 13. *Jac.* 1. 18.

III. Ex hoc etiam discere possumus eximium Dei erga nos amorem, qui nos ipsius inimicos dilexit, ac pro nobis mortem oppetiit, ut consolationis nostræ fundamentum, non in proprio nostro merito, sed in gratuita & invicta illius erga nos indignos peccatores charitate ponamus. *Rom.* 5. 5, 6, 7, 8, 9, 10. *Tit.* 3. 4. *Isa.* 53. *Luc.* 19. 10.

IV. Licet eam gratiæ & præsentiæ divinæ mensuram non semper experiamur, quam desideramus, & nonnunquam habuerimus; attamen si justitiam esuriverimus & sitiverimus, beati erimus, saturabimur; si luxerimus, consolabimur. *Matth.* 5. 4, 6. Si sub gravi nostro onere ad Christum suspiraverimus, licet magna cum imbecillitate, ipse requiem nobis dabit. *Matth.* 11. 28. Animam lassam recreat Deus, & omnem animam esurientem saturat. *Jer.* 31. 25. vide etiam *Psal.* 34. 18. *Isa.* 57. 15. &c. 2. *Cor.* 12. 8, 9. 1 *Thess.* 5. 24.

V. *Deum* assidue oremus, certi nos *Spiritum Sanctum* & omne bonum ab eo impetraturos, sicut promisit; diligenter in illius verbo meditemur, nam inde nos sanat. *Ps.* 107. 17, 18, 19, 20. *Matth.* 7. 7, 8, &c. *Luc.* 11. 13. *Col.* 3. 16.

[Cum similes tentationes me per plurimos dies invaserunt, consolationes hæ mihi valde gratæ fuere, die 19. Mart. 1640. vide Eph. 1. 17. ad versum 8. cap. 2. & cap. 3. 14. &c. ad finem capitis, quorum meditatio & consensus Veteris & Novi Testamenti de Christo D. nostro, gratiâ Dei mecum, cor meum multum corroboravit. Hallelujah. Amen.]

§. 6. *Die* 14. *Febr.* suaviss. consol. *Luc.* 22. *v.* 15, 31, 32, 40, 41, 42, 43, 44, 61, 69, 70. *Joh.* 21. 3, 7, 15, 16, 17, 18.

Contra ὀλιγοπιστίαν. *Die* 14. *Febr.*: *Ao.* 1624. vespere, contra *ὀλιγοπιστίαν* solatus est & roboravit me Dominus, suggerens precationem, ut nunquam abnegem illum in hoc seculo, non solum externâ loquelâ coram hominibus, sed ne interno quidem vel minimo cogitatu coram ipso Deo; *Matth.* 10. 32, 33. & inscribendo animæ suavissimam illam responsionem: *Sufficit tibi gratia mea, potentia enim mea in infirmitate perficitur.* 2 *Cor.* 12. 9. & sentire me faciendo suavissimam illam *inhabitationem Dei* & Salvatoris mei in me, meamque in *Deo* & Salvatore meo, per certitudinem in me, (1. *Joh.* 4. 10, 19.) sensumque mutuæ charitatis: seque mihi ostendendo meliorem (1. *Sam.* 1. 8.) decem conjugibus, centum liberis, millenis amicorum millibus: pollicendoque mihi (*Ps.* 31. 20, 21, 22.) tutum receptum, & munimen & securitatem contra omnem motum impetumque linguarum: animamque meam (1. *Pet.* 1. 22.) purificando in obedientia veritatis ad non fucatam ferventemque Φιλαδελφίαν: stabilemque sibi (*Ps.* 132. 13, 14, 15.) sedem & constans fore habitaculum cor meum pollicendo: omnemque *ἐπιχαιρεκακίαν* expellendo ex animo meo, magisque indies se illam expulsurum promittendo.

[Laus Deo. Consolationes hæ post gravem conflictum abunde mihi renovatæ sunt die 19. Mart. 1640.]

Die 15. *Febr.* mane [& 23. *Febr.*] Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem. Committo vitam, rem, decus tuo unius arbitrio. *Sat amico te mihi felix.* *Ps.* 68. 28. *Prov.* 4. 18. *Ps.* 31. 37. 61. 91. *Ps.* 4.

Die 16. *ejusdem Febr.* mane. Deus objurgat quos diligit & mox consolaturus est. Dans charitatem Deus dat simul pacem, fidem, gaudium, & reliquos fructus Spiritus. Ipse est qui misericorditer, potenterque aperit mentes nostras ut intelligamus Scripturas. *Luc.* 24. 25. &c. *Gal.* 5. 22. *Luc.* 24. 45.

§. 7. *Consolationes hæ renovatæ die 19. Mart. 1640.* *Die* 4. *Augusti Ao.* 1624. Dixi Domino; Deus meus es tu, exaudi vocem deprecationis meæ. Domine Deus [יְהֹוִה אֲדֹנָי] virtus salutis meæ, obumbrasti caput meum in die belli. Dominus Deus auxiliator tuus, habitaculum ejus sursum, & subter brachia sempiterna, ejiciet a facie tua inimicum. *Ps.* 140. 6, 7, 8. *Deut.* 33. 27.

§. 8. *Pax Christi.* *Eodem die* consolationem percepi ex meditatione pacis Christi: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quemadmodum mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Pax enim Christi est stabilis, & perfecta & sincera, neque dolose aut ficte promissa, neque imperfecta aut destituens, ut est pax mundi. O Domine multiplica mihi pacem & misericordiam & charitatem. *Joh.* 14. 27. *Jud.* *v.* 2.

§. 9. *Christi & ejus Ecclesiæ conjugium.* Consolatus etiam est me Dominus in meditatione matrimonii Christi cum sua Ecclesia. *Hos.* 2. 19, 20. & *in Cantico Salomonis*, & *Eph.* 5. & *Apoc.* 19. 7. ubi Ecclesia, Agni sponsa vocatur, & etiam *cap.* 20. 9. Deus enim in Christo sibi conciliabat mundum; & cum Christus sit omnium hæres, Ecclesia facta est cohæres cum marito, qui ut ad hujus felicitatis participationem idoneam redderet, propter eam vitam posuit, eamque ab omnibus peccatis in sanguine suo lavit, & de spiritu suo ei dedit, atque sic Deo & Salvatori suo desponsata est ac divinæ naturæ consors facta; & cum marito & Domino in throno ejus sedet. In die illâ dicetur Jerusalem, noli timere: Sion, non dissolvantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis; ipse salvabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, exultabit super te in laude. 2. *Cor.* 5. 19. *Heb.* 1. 2. *Rom.* 8. 17. 1 *Cor.* 3. 22, 23. *Ephes.* 5. 25, 26, 27, &c. 2 *Petr.* 1. 4. *Apoc.* 3. 21. *Sophon.* 3. 16, 17.

§. 10. *Eodem die* eximiam percepi consolationem ex verbis Prophetarum *Aggæi* & *Zachariæ*. Aggæus dicit: Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Jesu, fili Josedec, sacerdos magne: & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum). Juxta verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Ægypti; & Spiritus meus erit in medio vestrum: nolite timere. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. *Aggæi* 2. 3, 4, 5, 6, 10. Et per *Zachariam* dicit Dominus: Iratus est Dominus super patres vestros iracundia. Et dices ad eos: hæc dicit Dominus exercituum: convertimini ad me, ait Dominus exercituum: & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum: ne sitis sicut Patres vestri, &c. Converte nos Do-

mine ad te, & convertemur. Et respondit Dominus Angelo qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria. Propterea hæc dicit Dominus, revertar ad Hierusalem in misericordia. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio ejus. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Sileat omnis caro a facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo. Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum. Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum in veritate & in justitia. Sic salvabo vos, & eritis benedictio: nolite timere, confortentur manus vestræ. Et convertam eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerunt, quando non projeceram eos. Ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos. Confortabo eos in Domino, & in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus. Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me quem confixerunt: & plangent eum planctu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremon in campo Mageddun. In die illa erit quod super frenum equi est, SANCTUM DOMINO. Hisce sanctorum Prophetarum verbis eximiam a Domino percepi consolationem, & quoad privatum meum statum spiritualem, & quoad Ministerium in quo positus sum a Domino, ad ædificationem ipsius domus & corporis; in quibus se potenter & clementer mihi adfuturum & operi benedicturum, idque secundaturum, ac in domo hac pacem positurum promisit. *Zachar.* 1. 2,3,4. (*Jerem. Thren.* 5.21.) *Zachar.* 1.13,16. 2.5,8,13. 4.6. 8.8,13. 10.6,12. 12.10,11. 14.20. *Eph.* 4.11,12.

§. 11. *Perseverantia.* *Eodem die*, in gravem de mea perseverantia incidi tentationem, & his verbis magnopere consolatus & confirmatus sum: Noli timere in Ægyptum descendere (aliquantisper in hac vita adhuc manere) quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem. *Gen.* 46. 3,4. Item *Josh.* 1.9. & 2 *Thess.* 3. 3. *Luc.* 10.20. 12.32. *Jerem.* 31.33. *Ps.* 132. 14.

§. 12. *Consolationes Dei lætificant animam.* *Die* 7. *Aug.* 1624. mane cum in cubiculo meditarer in verba *Ps.* 94.19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificarunt animam meam; quæ fuerunt portio Textus super quem duobus ante diebus Aberdoniæ 5. *Augusti* concionatus sum, cum gratiarum actionibus salutem *Regis nostri* coram Deo commemorans, tunc in ea matutinâ meditatione, jucundis Dei misericordiis magnopere consolatus est me Dominus, ipsius enim solatia animam lætificant. Fieri quidem potest ut solatia terrena, hominem externum, ejusque sensus & appetitus carnales ac sapientiam mundanam fortassis recreent; nulla vero solatia in intimo cordis fundo, ubi conscientia manet, suavitate explere possunt, præter solas Dei consolationes. Quæ solatia non superficiaria sed solida sunt, ipso quasi animæ nostræ centro illabentia, & conscientiæ lucem, gaudium & pacem afferentia. Sanguis Jesu Christi corda nostra a malâ conscientiâ, & conscientiam nostram a mortuis operibus purgat. Deus fide purificat corda nostra. Cor mundum creat in nobis Deus, & spiritum rectum innovat in visceribus nostris. Christus per fidem in cordibus nostris habitat, & per Spiritum suum nos in interiori homine virtute corroborat; & regnum in cordibus nostris confirmat. Quo ei in gaudio, in pace, & in Spiritu Sancto serviamus; & per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, charitatem suam in cordibus nostris diffundit. Et posuit in ore meo novum canticum, laudem Deo nostro, in quo speramus, ac ita beati facti sumus. *Heb.* 10.22. 9.14. *Act. Apost.* 15.9. *Psal.* 51.10,11. *Eph.* 3.17. 3.16. *Rom.* 4.17,18. 5.5. *Ps.* 40. 4.

Die 11. *Augusti* 1624. Rogatus ut sequenti die in Aberdonia concionarer, cum D. *Robertus Baronius* ibi Pastor institueretur, Dominum oravi ut me dirigere ac benedicere ipsi placeret, & eximiam percepi consolationem ex promisso Moysi facto, & ad nostram doctrinam scripto: Perge (inquit Dominus) & ego ero in ore tuo, doceboque quid loquaris. *Exod.* 4.12. O Domine, sis in corde & in ore meo. §. 13. *Præparatio ad concionandum.*

Eodem die in Museo meo magnopere consolatus est me Dominus cum orarem Dominum ut cordi meo inscriberet ac me sentitè faceret salutarem horum verborum in me præstationem: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis; non turbetur cor vestrum, neque formidet. Et Dominus votis meis annuit. Benedictum sit sanctum ejus nomen per Jesum Christum Salvatorem nostrum nunc & per omne sæculum. Gloria Deo. Amen. *Joh.* 14.27. §. 14. *Pax Christi cor molestia & metu liberat.*

Die 12. *Augusti* 1624. Magnopere consolatus est me Dominus ex eo quod preces audiverit. Inter concionandum enim, ad magnam meam consolationem Dominum & in corde & in ore meo præsentem, prout rogaveram, sensi. Gloria Deo. §. 15. *Dei præsentia in concionando.*

Die 13. *Augusti* 1624. Consolationem percepi ex hisce verbis Domini nostri (*Apocal.* 21.6,7.) Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, possidebit hæc, & ego ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Et legendo *Ps.* 74. oravi pro purgatione & pace domus Dei, ejusdemque domus inimicorum, contaminatorum, & turbatorum subversione; quæ intellexi & de Ecclesia militante & de proprio meo corde; & solatus est me Deus certitudine liberationis & custodiæ. §. 16. *Beati qui sitiunt & vincunt.*

Gloria Patri, & Filio & Spiritu Sancto, Sanctæ Trinitati, uni vero Domino, Deo, omnium creatori, Salvatori nostro supra omnem laudem & benedictionem ab æterno in æternum exaltato. Te, ô Domine, exercitus cœli adorant, tota terra tuâ plena est gloriâ, & in Templo tuo omnes enarrant gloriam tuam. Amen.

Die 14. *Augusti* 1624. Dominum precatus sum in verbis *Psal.* 119. *sect. jod.* Ubi cum hæc verba recitarem: Sit quæso misericordia tua ad consolandum me; secundum eloquium tuum quod loquutus es servo tuo, *vers.* 76. incidit meditatio exquirendi ubi & quodnam esset hoc eloquium Domini mihi peccatori dictum: Et solatus est me Dominus ostendendo mihi illud ipsius eloquium in S. Scripturæ dictis: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* *Rom.* 15.4. Hinc Davidis & Petri, Dei misericordia, conversorum exempla mihi ipsi applicabam: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua & vivat. Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis; Omnis enim qui petit, accipiet; & qui quærit, inveniet; & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo &c. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix deal-* §. 17. *Dei verbum summum & certum nostrum solamen.*

albabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt; adeo ut nullius sit peccati memoria adversus peccatorem pœnitentem, qui vere ad Dominum convertitur, sicut etiam legimus Isa. 55. 7. Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis. Filioli mei hæc scribo vobis ut non peccetis; sed si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus, quemvis qui crediderit in eum. Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Ps. 50. 15. Ezech. 33. 11. Matth. 6. 12. 7. 7, 8. Isa. 1. 18. 55. 7. 1 Joh. 1. 7, 8, 9, 10. 2. 1, &c. Act. 10. 43. 13. 38, 39. Marc. 9. 24.

§. 18. *Pax & gaudium in meditatione amoris, veracitatis, constantiæ & omnipotentiæ Dei.*

Die 15. *Augusti* consolationem percepi ex lectione *Apocal.* 22. 3, 4, 5, 6, 16, 17, 21. & alacriter Domino cantavi *Psalmum* 103. Sit parens rerum mihi carmen &c. & *Ps.* 114. & *Ps.* 115. & *Ps.* 116. & *Ps.* 117. & *Ps.* 118. ubi læte hæc verba recitavi: *O lux festa, ô lux jucunda, ad gaudium nata, cœlestis in nos lux favoris conscia*, eo quod eximiam percepi consolationem in meditatione misericordiæ, veritatis, constantiæ ac omnipotentiæ Dei; ac cum gaudio recitavi *Ps.* 89. cujus hæc est conclusio: *At tu bone rerum conditor, æterno verax celebraberis ævo.* Quocirca in eum confidam, qui peccata mihi remisit, ac misericordiam & gratiam ad opportunum auxilium promisit, idque non ficte, sicut mundus, sed sincere, neque mutabilis est sicut mundus, sed ita peccatorum nostrorum obliviscitur, ut ea non amplius in memoriam revocet. Cum enim Deus sic nos dilexerit, ut Filium suum unigenitum pro nobis in mortem tradiderit, cujus sanguine ab omnibus peccatis nostris emundamur; ipse quidem cum illo omnia nobis donabit. *Rom.* 8. Jam dilectionem suam erga nos perficere potens est, cum sit omnipotens.

§. 19. *Consolatio in Christo adversus peccata & omnem adversitatis metum.*

Die 16. consolationem percepi ex lectione *Matth.* 1. 21, 22. quod Jesus Christus salvum facit populum suum a peccatis eorum, & quod hoc a Prophetis prædictum fuit. Et ex lectione *Ps.* 3. & *Ps.* 4. Dominus est fortitudo mea ac consolator contra omnes inimicos meos ac tentationes, ac in luce vultus sui me semper lætari faciet, mihi semper dans lætitiam, pacemque, & vel felicitatem perpetuam, vel fortitudinem ac victoriam in adversis. Itaque in nomine ipsius omni die exultabo, & in luce vultus ejus ambulabo. *Ps.* 89. 15, 16, *Hallelujah.*

§. 20. *Laudis canticum jucundum.*

Eodem die, vesperi, immisit Dominus in cor meum canticum jucundum laudis, videlicet *Psalm.* 40. *v.* 1, 2, 3, 4, 5. Expectando expectavi Dominum, & inclinavit &c. & *Ps.* 9. 1, 2. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, &c.

§. 21. *Preces cum lachrymis, læta consolatione, ac ingenua gratiarum actione.*

Die 18. *Aug.* mane, in cubili orans Dominum, ejusque misericordiam ac pacem implorans, ac charitatis ipsius erga me certitudinem, cordisque mei in ea certitudine acquiescentiam, virtutem etiam fidei in Dominum nostrum Jesum Christum, ac charitatem erga Deum & proximum meum in Deo, de corde puro, & conscientia bonâ, & fide non fictâ; rogans etiam ut propter Jesum Christum per Spiritum Sanctum mihi largiri dignaretur veram Christianam fortitudinem contra omnia carnalia desideria quæ adversus animam meam militant, ac contra quoscunque inimicos; fortitudinem cum charitate vere Christiana, humilitate, &c. aliisque Spiritus fructibus conjunctam, ac ex fide, in Jesum Christum Salvatorem meum, stabili vereque justificante ortam; ut etiam Domino placeret operarios plurimos ubique in messem suam mittere, præsertim Aberdoniam inter nos, inque Ecclesias proximas, nobisque gratiam dare, tum in Ecclesia, tum in Scholâ, ambulandi in luce & sanctitate, in humilitate, & charitate, omnibusque donis spiritualibus; utque nobis daret operari cum gaudio & non gementes, ut neque ii ad quos mittimur dolorem inferant, neque peccata propria, neque iratus Dei nostri vultus; sed in illius nomine semper exultemus, ac in lumine vultus ipsius ambulemus, utque benediceret omnibus quæ ad me spectant, & mihi & conjugi meæ daret, ut constanter nos invicem amore sancto ac honorabili amemus, ac de prole consolationem habeamus; daretque Dominus nobis ac omnibus ipsius servis sapientiam & gratiam, ut in omni re tam privatâ quam publicâ sapienter ac cum bonâ conscientia nosmet geramus; utque Dominus a timore mortis nos liberaret, ut dum hic simus illi læte serviamus, ac dissolvi & cum Domino Jesu esse cupiamus, ut ab eo inveniamur in pace, cum ipso appareamus in gloriâ, cumque eo in beatitudine æterna regnemus; utque principibus nostris ac populo omni benedictione temporali ac spirituali abunde benediceret:

Dum ita *Deum* meum lachrymis orabam, eximiam ac suavissimam percepi consolationem a Deo certum me faciente quod orationes meæ exauditæ essent, ac petitiones abunde concessæ. Atque ita cum hac oblatione laudis Patri meo cœlesti grata per Dominum nostrum Jesum Christum, conclusi: Ei vero qui summa cum exuberantia potest omnia facere, supra ea quæ petimus aut cogitamus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, secundum divitias gloriæ ac misericordiæ ipsius; Ei sit omnis honor, laus, & gloria in Ecclesiâ per Dominum nostrum Jesum Christum in sæcula sæculorum. Amen. Halleluja.

§. 22. *Fides in Christum.*

Eodem die, mane, magnopere corroboratus sum in fide Jesu Christi, ac solamen accepi ex lectione ac meditatione *Matth.* 3. ac *Joh.* 1. 32, 33, 34. & *Ps.* 2. *Act.* 4. 24, 25. &c. Confitendo: Domine mi ac Deus mi [*Johan.* 20. 29.] resp. Beatus es qui non vidisti, & tamen credidisti. [ibid.] Quem cum non videris, diligis; in quem, tunc quoque non videns, tamen credens, exultas gaudio ineffabili & glorioso. Gaudium tuum nemo tollet a te. 1 *Petr.* 1. 8. *Joh.* 16. 22.

§. 23. *Spiritus orationis.*

Lætitia in vita & morte humilis & amore plena. Læta & amore plena humilitas. Humilis, læta, & amore plena magnanimitas.

Die 19. *Aug.* mane in cubili & postquam surrexeram, magnopere consolatus est me Dominus, effundendo super me spiritum gratiæ ac precum, cujus gratiâ Patrem meum cœlestem in nomine & per intercessionem Domini mei Jesu Christi cum fiduciâ & ardenter precatus sum, & eximiam percepi consolationem, adeo ut cum gaudio ad Dominum dixerim: Quid pro consolatione hac retribuet tibi anima mea, Domine mi Deus? Calicem salutum accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus. Nunc dimittis servum tuum Domine in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Domine salutare hoc ne iterum a me abscondas, verum conspectum illius mihi adauge. Et pollicitus est Dominus me in pace decessurum, cum id illi opportunum visum fuerit, seque me tanquam bonum ac fidelem servum in

in Domini mei gaudium admissurum, quoniam me diligit, ac in æternum diliget, in Jesu Christo, qui propter reconciliationem ac salutem meam, bonum ac fidele Deo præstitit obsequium, in quo Deus meus me ac obsequium meum gratum acceptum habebit. Interea commendavit mihi Dominus muneris mei curam in pascendis ipsius ovibus, quod ut fideliter & cum fructu obeam, sufficientem mihi gratiam pollicitus est, qua in fide, spe, charitate, sapientia, fortitudine, humilitate, gaudio, ac pace, &c. ad mortem usque ambulem & progrediar; quaque me ab infideli timore, diffidentia, charitatis destitutione, stultitia, pusillanimitate, superbiâ, ac mœrore consolationis vacuo, liberet ac salvum faciat: ut ita tamen humilis sim, ut semper in gaudio abundem, utque sine superbia gaudeam; sicque perfectam illam ac stabilem Dei pacem habeam, omnem sensum exsuperantem, quæ cor meum ac mentem custodiat in Jesu Christo, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen. Quod pariter virtute ipsius gratiæ, semita mea erit quasi lux splendens, quæ procedit & crescit usque ad perfectum diem; utque me mundum creabit cor, ibique in æternum mansionem faciet. Ipsi sit gloria in Ecclesia per Jesum Christum Dominum nostrum in sæcula sæculorum. Amen.

§. 24. *Sancta lætitia & læta sanctitas.* *Die* 20. *Aug.* magnam percepi consolationem ex certa persuasione quod Dominus audierat orationem meam, qua eo mane precatus sum, ut mihi gaudium cum sanctitate dare dignaretur, ut profano gaudio non læter, sed ut semper læter, & sanctitatem semper custodiam, lætitiam sanctam, & lætam sanctitatem. Solamen etiam accepi in meditatione *Psal.* 6. & triumphantis conclusionis ejusdem, & hanc esse solam tranquillitatis viam sensi, in Domini misericordia & veritate confidere, meique erga Deum & hominem officii curam habere, ad quod præstandum sufficientem Dei gratiam humiliter petii, & responsum salutare accepi. *Hallelujah.*

§. 25. *De fidei merito.* *Eodem die*, errore circa fidei nostræ meritum, animo vexatus, cum de virgine Maria dictum sit, beata quæ credidit. *Luc.* 1. 45. precatus sum Deum, ut me in hanc tentationem victorem faceret, & Dominus misericorditer consolatus est & confirmavit me, mihi ostendens fidem, non ex nobis ipsis, sed purum Dei donum esse (*Eph.* 2. 8.) neque innuit dictum illud ullum ejus fidei meritum, sed tantum Mariæ virginis felicitatem, cui Deus dedit credere & non diffidere promisso Dei ab Angelo nuntiato. Sic etiam loquitur Dominus noster Petro: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis hæc non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. (*Matth.* 16. 17.) Et discipulis: Vestri vero beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt: Amen, quippe, dico vobis, quia multi Prophetæ & justi cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. (*Matth.* 13. 16, 17) David etiam dicit; Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. (*Psalm.* 32. 1.) Ubi ex parte hominis beati nullum est meritum; sed ex parte Dei misericordia opulenta, qui peccatori benedicit & peccata condonat. Benedictum sit sanctum ejus nomen, in sæcula sæculorum. Amen. Quoniam in sæculum misericordia ejus. *Hallelujah.*

§. 26. *Læta & vera tranquillitas.* *Die* 21. *Augusti*, eximiam percepi consolationem & pacem in plena fidei certitudine, & amoris Dei erga me in Christo, ejusque immutabilitatis persuasione, & in meditatione innumerabilium Dei erga me misericordiarum, quæ evidenter innotescebant in statu meo tum spirituali tum corporeo, in sancti etiam ac honesti amoris sensibili in corde meo incremento, cum majori omnis peccati odio; ac in læta etiam cordis tranquillitate, mihi a Deo concessa, qui æternam verbi ipsius in Sacris Scripturis traditi veritatem mihi persuasit, & ad salutare illud verbi sui semen recipiendum me purgavit, ac benedictionem suam addidit, qua lætum dedit proventum, & suum opus gratiæ in me perficiet: in certitudine etiam benignæ, omnipotentis ac immutabilis ipsius providentiæ ad meum bonum in omnibus vel quæ ad hanc vel quæ ad cœlestem illam vitam spectant promovendum. Faciem suam quærere me jussit, ipsumque me inventurum per misericordiam ejus in Jesu Christo promisit; & dixit anima mea, Domine faciem tuam quæram; da mihi ut rite & semper faciem tuam quæram. Ne abscondas faciem tuam a me, nec servum tuum in furore arguas. Dedit mihi Deus responsum consolatorium, me in dilectum ipsi servum & filium in Jesu Christo accipiens, animam meam pacans, paterna sua charitate & curâ in omnibus me suffulciens, cor meum dilatans, & os meum in laudes ejus aperiens. Cum solamine etiam legi *Ps.* 7. & *Ps.* 56. *v.* 4. & 10. versionis Anglicæ, *versum vero* 5. *adii* in linguis Hebr. Græca & Latinâ. In Deo laudabo verbum ejus, in Deo sperabo, & non timebo quid faciet mihi caro (imo nec timebo quid Angelus, quid homo, aut quævis alia creatura mihi faciet. (*Rom.* 8.) Et in eodem Psalmo 56. 3. Die quo timebo, ego tibi fidam. (*v.* 2.) O excelse. Eximiam etiam accepi consolationem ex lectione *c.* 6. *Matth.* ubi & legi & precatus sum orationem Dominicam; ac regnum Dei, ejusque justitiam quæsivi, & solatiis cœlestibus repletus fui. *Hallelujah.* Et habitabit in solitudine judicium, & justitia in agro fœcundo, & erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ pax & securitas usque in sempiternum. (*Isa.* 32. 16, 17.) Dominus corda nostra ex solitudine, agrum fœcundum efficit, fructum ex semine verbi ejus, & fide verbi Christi ferentem. Deus justitia nostra, (*Jerem.* 23. 6. & 1. *Cor.* 1. 30.) corda nostra inhabitat, (*Eph.* 3. 17.) secumque veram adfert pacem, (*Matth.* 10. 12. *Joh.* 14. 27.) ac plenum gaudium. (*Joh.* 16. 22.)

Eodem die consolatorium hoc exercitium ac meditationem in hæc quinque capita, habui. §. 27. *Victoria quinque.*
1. Adversus peccati conscientiam: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. (*Matt.* 9. 2.) 2. Quod ad offensionem a proximo attinet: Domine da mihi gratiam aliis remittere, sicut remitti & spero & cupio, & meæ indignitatis conscio, ac tuarum misericordiarum memori, da, Domine ut mihi unumquemque præcellere existimem; purifica animam meam, in obedientia veritatis per spiritum, ad amorem fraternum intensum & minime simulatum. (1. *Pet.* 1. 22.) 3. Adversus metum insolentiæ aut despectus humani: In Deo laudabo verbum ejus; in Deo sperabo & non timebo, quid faciet mihi caro: etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. (*Job.* 13. 15.) Non confundetur populus meus in æternum. Quisquis credit in eum, non pudefiet. (*Rom.* 9. 33) 4. Adversus meum difficultatum: Deus qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? (*Rom.* 8. 32.) 5. Ad munus meum exsequendum, non obstante summa mea infirmitate: Sufficit tibi, inquit Dominus, gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. (2. *Cor.* 12. 9.) Quis fecit os hominis? aut quis fabri-

fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum, nonne ego Dominus? perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque quid loquatis. (*Exod.* 4. 11, 12.) Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa horâ quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. (*Matth.* 10. 19, 20.) Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri. (*Luc.* 21. 14, 15.) Et ne quis existimaret promissa hæc solum temporaria esse ac Apostolis propria, dicit Dominus noster: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Amen. (*Matth.* 28. 20.)

§. 28. *Summa victoriarum.*

Quoniam vero memoria deficere potest & turbari in his omnibus separatim recordandis, summa est: Eleva super nos lucem vultus tui, ô Domine. (*Ps.* 4. 7.) Audita est oratio tua. (*Actor.* 10. 31.) Quicquid petieritis a Patre in nomine meo, hoc faciam. (*Joh.* 14. 14.) Omnis enim qui petit, accipit. (*Matth.* 7. 8.) Respice in me & miserere mei. Da fortitudinem tuam servo tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ. (*Psalm.* 86. 16.)

§. 29. *Silentium & securitas usque in sempiternum.*

Eodem die. Lucerna corporis tui, est oculus tuus &c. (*Matth.* 6. 22, 23.) Da mihi, Domine, cor mundum, & oculum simplicem, avaritiâ, invidiâ, malevolentiâ, libidine carnali, &c. vacuum. Item: Μὴ μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον &c. (*Matth.* 6. 34.) Cor meum, Domine, præsenti tuæ gratiæ sensu quietum redde; & da mihi, in certitudine amoris tui sempiterni, & immutabilis tuæ erga me curæ, omne meum pondus super te projicere, ne ab auditione malâ, aut ab ullo unquam eventu timeam.

§. 30. *Adversus ambitionem & omnia mundana desideria; charitas est medicina omnium nostrarum ægritudinum. Unum est necessarium & plenus gaudii scaturigo.*

Die 23. *Aug.* 1624. Libera me, Domine, & serva me a peccato istorum hypocritarum ambitiosorum, qui amant primos accubitus in cœnis & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus, Rabbi, Rabbi. (*Matth.* 23. 6, 7.) O hominum Salvator, qui ipse nostras infirmitates accepisti & ægritudines nostras portasti, idque sine peccato: (*Matth.* 8. 17.) Sana animam meam ab hoc & omnibus aliis morbis, tu qui omnem languorem & infirmitatem populi tui curas, (*Matth.* 9. 35.) cui nullus morbus est incurabilis, (*Jer.* 30. 12, 13, 15, 16, 17.) qui insanabiles sanos reddis, ut de iis egrediatur laus, voxque ludentium; (*Jer.* 30. 17, 18, 19.) adversus has ægritudines da charitatem. (1 *Cor.* 13.)

Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. (*Luc.* 10. 19, 20.) Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima, unum porro est necessarium, & Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. (*Luc.* 10. 41, 42.) Domine fac ut anima mea quiescat in hujus unius amore & certitudine, in quo solide & semper gaudeam.

§. 31. *Periculosa tentatio de Scripturis superata.*

Die 25. *Augusti* multum conturbatus sum periculosa tentatione de divinâ Scripturarum ac rerum inibi traditarum veritate, quæ ita me obruit ut ad Dominum clamarem in verbis Ezechiæ: (*Isa.* 38. 14.) Domine vim patior, responde pro me. Tunc secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ, Domine, lætificarunt animam meam. (*Psal.* 94. 19.) Misit enim Dominus verbum suum, & sanavit me. (*Ps.* 107. 20.) Verbum quo me sanavit scriptum est *Ps.* 19. 6, 7, &c. ad finem usque illius Psalmi, quod in textu Hebr. legi. Et *Psal.* 119. ab initio ad *vers.* 50. inclusive; ubi sæpe David precatur Dominum, ut statuta ejus ipsum docere velit, dicens, se Dominum toto corde exquisivisse, & promittens Deum in rectitudine cordis celebrare; mandata Dei toto suo corde custodire, viam mandatorum ejus currere, cum Deus cor ipsius dilataverit; de testimoniis ejus coram Regibus loqui, & non confundi; & in mandatis ejus quæ dilexit, delectari. Et manus ejus ad mandata quæ dilexit levare, & in statutis ejus meditari. Et postea *v.* 49. in initio literæ Zain, sic precatur: Memento verbi servo tuo, in quo sperare fecisti me. Et *v.* 50. Hæc est consolatio mea in afflictione mea; quia eloquium tuum vivificavit me. Sensi spiritum gratiæ & supplicationis, me in sensu & certitudine auxilii divini ad easdem preces cum eisdem verbis & pollicitationibus animantem, ac conclusione illa versus 50 consolantem, evidentem hujus experientiam & effectuum de quibus mentio facta est *Ps.* 19. in proprio corde, me sentire facientem, sicut & sæpe antea expertus sum. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit mihi misericordiam suam tanquam in civitate munita. (*Ps.* 31. 22.)

§. 32. *Quæ dispositiones necessariæ sunt ad veritatem cœlestium mysteriorum percipiendam.*

Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum; & venit ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum. Qui custodiunt vanitates mendaces, misericordiam suam derelinquunt. (*Jonah* 2. 8, 9.) Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. (*Matth.* 16. 17.) In illo tempore respondens Jesus dixit, glor2iam tibi tribuo Pater, domine cœli & terræ, quia hæc abscondisti a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Etiam Pater, quia ita placuit tibi. (*Matth.* 11. 25, 26.) Animalis enim sapientia hæc mysteria percipere nequit, sed stultitia sunt homini sapientiæ carnali innitenti. (1. *Cor.* 2. 14.) Deus autem nos parvulos efficit, ut in regnum cœlorum intremus. (*Matth.* 18. 3. & 19. 14.) Dat nobis stultos fieri ut simus sapientes. (1. *Cor.* 3. 18.) Et dat nobis sensum, ut cognoscamus eum esse verum. (1. *Joh.* 5. 20.) Dat nobis os & sapientiam cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii nostri. (*Luc.* 21. 15.) Dat nobis spiritum Dei: (1. *Cor.* 11. 12.) mentem Christi: (1. *Cor.* 2. 16.)

§. 33. *Solus Deus ex speciali misericordia iis hæc revelat quibus ipsi visum est.*

Omnia tradita sunt mihi a Patre meo; & nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. (*Matth.* 11. 27, 28, 29, 30.) Dominus regnabit in sæcula sæculorum. (*Ps.* 10. 16.) Diligite Dominum Sancti ejus. (*Ps.* 31. 24.) Viriliter agite & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. (*Ps.* 31. 25.)

§. 34. *Experientia liberationis, nos in spe amoris ac protectionis divinæ stabiles confirmat.*

Dominus mihi semper benedicet & me servabit; bonum & misericordia prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ; & habitabo in domo Domini in longitudinem dierum. (*Ps.* 23.) Verax enim & constans est Deus in misericordiis & promissis. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, & cogitationes meæ a cogitationibus vestris. (*Is.* 55. 8, 9.)

§. 35. *Probatio nos ad alios conſolandos aptiores & magis diligentes reddit.*

Dat nobis Chriſtus pacem ſuam, non quemadmodum mundus dat, ſed vere, ſolide, & ſemper. (*Joh.* 14.) Probatio ſpem operatur, quæ nos non confundit. (*Rom.* 5. 4, 5.) Tu converſus confirma fratres tuos. (*Luc.* 22. 32.) Simon Filius Jonæ, amas me? Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te. Paſce oves meas. (*Joh.* 21. 17.) Condona Domine, & adjuva incredulitatem meam, (*Marc.* 9. 24.) & defectum amoris aliorumque fructuum Spiritus. Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. (*Matth.* 12. 20. *Iſa.* 42. 3.) Sicut paſtor gregem ſuum paſcet &c.

§. 36. *Perficit Dominus virtutem ſuam in noſtra infirmitate ad ipſius gloriam & æternam noſtram ſalutem.*

(*Iſa.* 40. 11.) Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. (2 *Cor.* 12. 9.) Nunquam te deſeram, nec derelinquam, ita ut confidenter dicamus; Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciet mihi homo. (*Hebr.* 13. 5, 6.) Major eſt qui in vobis eſt, quam qui in mundo. (1 *Joh.* 4. 4.) Omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum, & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. (1 *Joh.* 5. 4.) A Deo Patre ſanctificamur, & ab Jeſu Chriſto conſervamur. (*Jud.* v. 1.) Nos cuſtoditi ſumus in virtute Dei per fidem in ſalutem. (1 *Petr.* 1. 5. &c.) In quo exultatis, modicum nunc (ſi oporter) contriſtati in variis tentationibus: Ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem & gloriam & honorem in revelatione Jeſu Chriſti. (1 *Petr.* 1. 6, 7.) Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii, ad finem uſque ſperate in eam quæ vobis defertur gratiam cum revelabitur Jeſus Chriſtus. (1 *Pet.* 1. 13.) Ei ſit omnis honor, laus & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen. Hallelujah.

§. 37. *Dei verbum ſtabile eſt & potens, eſtque theſaurus pretioſus.*

In æternum Domine, verbum tuum permanet in cœlo, (*Pſ.* 119. 89.) Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. (*Luc.* 21. 33.) Niſi lex tua delectationes meæ fuiſſent, tunc periiſſem in afflictione mea. In ſæculum non obliviſcar præceptorum tuorum: quia in ipſis vivificaſti me. Tuus ego ſum, ſerva me: quoniam præcepta tua quæſivi. Me expectaverunt impii, ut perderent me: verum teſtimonia tua perpendebam. Omni perfectioni vidi finem: latum præceptum tuum valde. (*Pſ.* 119. 92, 93, 94, 95, 96.) vid. etiam *Jer.* 23. 28, 29. *Hebr.* 4. 12. *Rom.* 1. 16. ubi Evangelium vocatur virtus Dei. Et *Iſa.* 53. 1. Verbum Dei vocatur brachium Domini. Et *Jac.* 1. 21. verbum Dei poteſt ſervare animas noſtras. Vid. 1 *Petr.* 1. 23. & 2 *Cor.* 4. Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum, iis qui pereunt opertum eſt, &c. At theſaurum hunc in vaſis fictilibus habemus, ut ſupereminentia virtutis (ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως) ſit Dei, & non ex nobis. Et 1 *Cor.* 1. 18. Verbum autem crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt; iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei potentia eſt. Scriptum eſt enim, perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi inquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi? Nam poſtquam in Dei ſapientia mundus non cognovit Deum per ſapientiam, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: Ipſis autem vocatis, Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus &c. Et *cap.* 2. v. 2. Non enim ſtatui quicquam ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Vid. *Johan.* 17. 3. *Hallelujah.* Laudate Dominum quia bonus eſt, & in æternum miſericordia ejus.

§. 38. *Petra ſtabilis in qua ſperandum adverſus omnes impetus.*

Die 7. *Septembris* ſuaviſſime conſolatus eſt me Dominus ex lectione & meditatione *Pſalm.* 37. qui ſic incipit: [Ne commoveare propter malignos,] & hæc eſt ejus conſolatoria concluſio: [Salus vero juſtorum a Domino: qui fortitudo eorum eſt in tempore anguſtiæ: & adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos ab impiis, & ſervabit eos, quia ſperaverunt in eo.] Jam in Domino ſpero, & coram eo ſum juſtus, cum per fidem in Jeſu Chriſto Domino meo juſtificatus ſim, qui a Deo factus eſt mihi ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio. (1 *Cor.* 1. 30.) Qui ſuccurret incredulitati meæ. (*Marc.* 9. 24.) Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. (*Matth.* 12. 20.) Qui venit ſervare quod perierat. (*Matth.* 18. 11.) Ipſe me confirmabit uſque ad finem inculpatum, in diem adventus Domini mei Jeſu Chriſti. (1 *Cor.* 1. 8.) Mea eſt ille ſalus, mea eſt fortitudo in tempore tribulationis, ipſe me adjuvabit, & liberabit & eruet me ab impiis, & ſalvabit me, quia ſperavi in illo. (*Pſ.* 37.) Expecta Dominum, viriliter age, & roborabit cor tuum; expecta, inquam, Dominum. (*Pſ.* 27. 14.) O Domine, robora cor meum. Benedictum ſit nomen Domini in æternum. *Hallelujah. Amen. Halleluja.* Clemens Dominus & juſtus; & Deus noſter miſeretur. Laudate Dominum. (*Pſ.* 116. 5.) Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens; juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſanctorum. Quis non timebit te Domine, quia ſolus tu es ſanctus. (*Apocal.* 15. 3, 4.) *Hallelujah*, quoniam regnat Dominus Deus noſter omnipotens; gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei. (*Apocal.* 19. 6, 7.) *Amen. Halleluja.*

§. 39. *Anima pacata & hilaris vultus.*

Die 15. *Septembris* magnam percepi conſolationem ex lectione & meditatione Pſal. 42. 5, 6. Cur triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei, propter (ſalutem vel) auxilium faciei ejus יְשׁוּעוֹת פָּנָיו & verſ. ult. & Pſ. 43. verſ. ult. Quoniam adhuc confitebor ei: ſalutare vultus mei, & Deus meus. כִּי־עוֹד אוֹדֶנּוּ יְשׁוּעֹת פָּנַי וֵאלֹהָי׃ Requieſcit anima noſtra & hilaris fit vultus noſter ex luce vultus Dei, ideoque eum alacriter laudamus. *Halleluja.*

§. 40. *Timentibus Deum ſemper bonum erit. Impiis non bonum.*

Die 18. *Septembris* 1624. eximiam percepi conſolationem ex lectione & meditatione *Marc.* 6. & *Pſ.* 51. Ex Marco has accepi conſolationes 1. Johannes Baptiſta, vir juſtus & ſanctus, inceſtuoſæ meretricis libidini, Tyranni improbi, luxurioſi ac impii juſſu immolatur, ac inhumaniter in carcere decollatus eſt. Attamen Johannes in pace mortuus eſt, at ii in ira Dei vixerunt. Serviamus igitur Deo in juſtitia & ſanctitate veritatis omnibus diebus vitæ noſtræ, neque timeamus quid faciet nobis homo. Noſter enim Deus tempora noſtra in manibus ſuis habet, & abſque ejus beneplacito capillus de capite noſtro non peribit. Neque ob ullam rem, quæ nobis accidere poteſt, metu perculſi ſimus, ſed ſemper ſpem noſtram in Deo ponamus, qui liberis ſuis dat pacem.

Dominus eſt turris fortitudinis & refugium certum omni tempore & caſu.

2. Chriſtus miſertus ſuper turbam, accepit quinque panes & duos piſces, & intuens in cœlum, panes fregit, & piſces diviſit, ita ut quinque millia virorum ex iis ſaturata ſint, & ſublati fuerint duodecim cophini fragmentorum pleni. Sic in omnibus noſtris difficultatibus, in eo ſpem ponamus, qui miſericordiæ plenus eſt, & eadem virtute qua cœlos creavit, eademque me-

mediatione qua Deus in Christo mundum sibi reconciliavit, cœli terræque conditor & potens & volens est nobis abundanter succurrere, tum etiam quum in ordinariis mediis nulla spes apparet. 3. Christus discipulos suos vento marique agitatos videt, licet ipsi eum non viderint, & cum postea suo tempore ad eos veniret, super mare ambulans, ipsi magis conturbati sunt, eum phantasma putantes; verum mox eos est consolatus, tum consolatorio suo sermone, eos instruens & confirmans: *Confidite, ego sum, nolite timere*; deinde *in navem ad illos ascendendo*; ac tertio ab effectu & fructu suæ præsentiæ: *Ventus cessavit.* Ita Dominus in omnibus nostris difficultatibus & tentationibus misericorditer in nos aspicit, etiamsi omni tempore oculum ejus super nos vigilantem non percipimus, idcirco cum ejus discipulis contendamus in viis mandatorum ejus, & licet tentatio tentationi succedat, timor timori, intimis tamen suis misericordiis ac validis consolationibus opportune & cito nos præveniet, veniet & nobiscum & in nobis habitabit, ac in corda & animas nostras pacem & securitatem in æternum secum adferet, nosque non derelinquet, sed ad cœlestis & æternæ beatitudinis portum deducet. Et quanquam corda discipulorum adhuc stupida essent, Dominus tamen confidere eos jubet; neque nos propter infirmitatem & indignitatem nostram rejiciet, sed nobiscum manebit, nosque secundum multitudinem misericordiarum & constantiam amoris ipsius, tuebitur & sanabit.

Domini amor & cura erga nos nunquam deficit, nunquam mutatur, licet in horrendis simus tentationibus, opportune succurrit nobis Dominus, seque nobiscum esse ostendit, datque nobis pacem suam ac misericorditer nos servat.

§. 41. *Misericordia, gratia, laus. Summi pax.*

Ex *Ps.* 51. hanc percepi consolationem, quod Dominus omnia mea peccata deleverit, & in sanguine Agni Dei qui tollit peccata mundi me laverit, non plus meminerit iniquitatum mearum, magis & magis me purificabit, ac in ipsius salute me gaudere faciet, mihique dabit, puro corde & sancto ore ejus celebrare laudes, aliosque a peccato ad Deum convertere, eumque puro & contrito corde laudare, ipsiusque Ecclesiam hic in terra tuebitur, ut ubique digne colatur, & filii ejus in ipso exultent. Halleluja. Domine confirma quod operatus es in nobis. Laudate Dominum.

§. 42. *Meditatio maxime salutaris.*

Eodem die, hanc salutarem habui meditationem: Cum Dominus Deus omnipotens, cœli terræque conditor, ad suam me fecerit imaginem, ut eum glorificem, & adeo me dilexerit, ut cum penitus perditus fui, suo sanguine me redemerit, mihique locum in cœlis paraverit, in quem suo tempore in pace me recipiet; cumque Filio suo non pepercerit, sed mihi & pro me eum dederit, ipse etiam me diriget & omnia bona mihi providebit, & ut promisit, nunquam me deseret nec derelinquet, meque exaudiet, ac quicquid in nomine Jesu Christi, secundum voluntatem ejus, postulavero, mihi dabit, præsertim Spiritum ipsius Sanctum, ad me illuminandum, purificandum, dirigendum, confirmandum, & in finem usque conservandum. Quid nunc requirit a me Dominus? ipsum amare, eique puro corde servire, ejusque mandata facere, & mandata ejus non sunt gravia, sed liberis ipsius facilia & jucunda, quoniam in via mandatorum suorum eos diriget, eaque servare faciet, (*Ezech.* 36.) nosque spiritu suo voluntario confirmabit, ut ipsi cum gaudio, non mœrore, serviamus, neque nobiscum in judicium veniet propter infirmitates nostras, sed nos gratia sua sufficienti suffulciet. Idcirco Domine, duc me in via præceptorum tuorum, eaque fac me servare, quia in iis servum tuum delectari facis. Fidelis es Domine, qui me vocasti, servum tuum in finem usque confirma, deduc me consilio tuo dum hic sum, & postea cum gloria me suscipe. Ne sinas me tentari supra id quod possum, da fortitudinem, & in omni tentatione lætum exitum, tu enim, qui promisisti, fidelis es. Da Domine, ut tuam voluntatem facere semper gestiam, utque nullum ex tuis mandatis mihi grave sit. Memento verbi servo tuo, in quo me sperare fecisti. Hæc est consolatio mea in afflictione mea; quia eloquium tuum vivificavit me. Nos ad te venire jussisti, neque rejicies, sed benigne recipies, & animabus nostris requiem dabis, nosque jugum tuum facile esse, ac onus tuum leve, sentire facies. Da mihi, Domine, omnes alias virtutes cum mansuetudine & humilitate cordis; quemadmodum nos a te discere jussisti; ita me doceas, Domine, ut me discere facias, & ad Christum venire, inque eo perfectam animæ requiem invenire. In eo tibi sit laus per sæculorum sæcula. *Amen.*

§. 43. *Consolatio adversus præsentes conflictus.*

Die 20. *Septembris* 1624. Cum Dominus tantam pacem & gaudium liberis suis etiam hic super terra promiserit, unde fit quod Dominus liberos suos tam sæpe contristari permittat, etiam cum de ejus amore certi sunt? Dominus enim vult pacem servorum suorum, nosque semper gaudere jubet. Resp. Gaudemus de afflictionibus & variis tentationibus (*Rom.* 5. *Jac.* 1. 1 *Pet.* 1.). Cum Petrus miratus dixit, Domine, tu mihi lavas pedes? Respondens Jesus dixit ei: Quod ego facio, tu modo nescis, scies autem postea (*Joh.* 13. 6, 7.). Licet sæpe impræsentiarum operationum Dei in nobis modum haud scire possimus, persuasum tamen habeamus ipsum id semper quod nobis in nostrum bonum maxime usui est facere, ut, cum illi opportunum videbitur, clare percipiemus. Omnis autem disciplina in præsens quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum, exercitatis per eam, reddet justitiæ. Propter quod remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris. (*Heb.* 12. 11, 12, 13.) Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate, dicite pusillanimis, confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc saliet, sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.

§. 44. *Veritas Scripturarum. Humiliatio Christi.*

Noctu in lectu ante diem 3. *Oct.* & rursus in Museo meo *die* 4. *Octobris* mane, terribiles habui luctationes, & per Christum qui me dilexit salutares victorias. Mihi Dominus de veritate Scripturarum persuasit, & verbo suo consolatus est, me etiam confirmavit in fide qua Christus in corde meo habitat, & corroboravit me contra scandalum humiliationis Christi, quæ necessaria fuit, ut implerentur Scripturæ Prophetarum. Ita enim placuit Deo statuere, ut Dei Filius cum pueris carnis & sanguinis foret particeps, & per mortem aboleret eum qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum: Et liberaret eos, qui metu mortis per totam vitam obnoxii erant servituti (*Hebr.* 2.). De quo Prophetæ antea testimonium perhibuerunt (1 *Petr.* 1. *Isa.* 53. &c.). Et postea Sancti ejus Apostoli, & Spiritus Sanctus, quem Deus dat omnibus obedientibus sibi (*Act.* 5. 32.). Neque mensuranda sunt opera Dei ex minutulæ rationis nostræ modulo. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus, quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris & cogitationes meæ a cogitationibus vestris (*Isa.* 55. 8, 9). Et placet Deo per stultitiam prædicationis salvum

§. 45. *Beatus est qui non fuerit offensus in me. Matth. 11. Domine da mihi hanc beatitudinem.*

§. 46. Christus prædicatus potentia Dei ac sapientia Dei. 1 Cor. 1.

vum facere mundum. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. (1 *Cor.* 1.) Neque vacuum revertetur verbum ejus ad eum, sed faciet quæcunque voluit, & prosperabitur in his ad quæ misit illud, quia in lætitia electi ejus egredientur, & in pace deducentur. (*Is.* 55. 11, 12.) Et miserebitur cujus misertus fuerit. (*Exod.* 33. 19.) O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula. Amen. (*Rom.* 11. 33, &c.)

§. 47. Salutare exercitium contra infirmitatem fidei.

Quanquam animalis homo perperam concipiat quemvis modum operationum Dei, justificata tamen est sapientia ab omnibus filiis suis. (*Luc.* 7. 31, 32, 33, 34, 35.) O Domine me certum redde, quod e sapientiæ filiis sim; Domine miserere mei peccatoris gravissimi. *Remittuntur tibi peccata tua.* (Luc. 7. 48.) Credo Domine, succurre incredulitati meæ. *Fides tua te salvum fecit, vade in pace.* (Luc. 7. 50.) O Domine fides mea est admodum infirma, corrobora me. *Ne timeas, salus tua sum.* (Ps. 35. 3.) *Arundinem quassatam non confringit Dominus, & linum fumigans non extinguit: usque dum protulerit ad victoriam judicium* (Matth. 12. 20.). *Beata es paupercula anima, quia caro & sanguis debilia hac vera fides initia non dedit tibi, verum Pater meus qui est in cœlis.* (Matth. 16. 17.) Robora ô Deus hoc quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68. 28.) Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis. (Is. 26. 12.) *Fidelis Deus, per quem vocatus es in societatem Filii ejus Jesu Christi, qui etiam te in finem usque confirmabit* (1 Cor. 1. 8, 9. 1 Thess. 5. 23, 24.). *Non deseram nec derelinquam te; Confortare & esto robustus.* (Josh. 1. 5, 6.) *Nonne præcepi tibi, confortare & esto robustus; noli metuere & noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeris.* (Josh. 1. 9.) *Sufficit tibi gratia mea.* (2 Cor. 12. 9.) *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* (Luc. 22. 32.) *Me diligis? pasce oves meas.* (Joh. 21.)

§. 48. Salutare exercitium quo accendantur Evangelii Ministri & singuli Christiani in munere suo peragendo non obstante propria infirmitate & variis tentationibus, quibus exponuntur.

Domine infirmus sum. *Ne timeas, ego enim dabo tibi Spiritum Sanctum, ac os & sapientiam cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii tui* (Luc. 21. 15.). *Non estis vos qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. 10. 20.). *Aufertur iniquitas tua, & peccatum tuum mundatur* (Is. 6. 7.). Ecce ego, mitte me quocunque vis. Facies tua præcedat me, & requiem da mihi. (*Josh.* 1. 9.) Et gratiam inveniam ante oculos tuos. (*Exod.* 33. 17.) Et mecum sis ad quæcunque perrexero (Exod. 33. 18. Joh. 14. 21. Matth. 5. 8.). *Invenisti gratiam coram me, inquit Deus tuus, & teipsum novi ex nomine* (Exod. 33. 17. Joh. 14. 16, 21, 22.). O Domine ostende mihi teipsum in misericordia, & cor mundum da mihi, ut te videam. (Ps. 132. 14.) *Verbum istud quod locutus es faciam, manifestabo tibi meipsum, & ad te veniam & mansionem apud te faciam, dicit Dominus tuus* (Jer. 1. 8.). *Hæc requies mea in sempiternum, hic habitabo, quoniam elegi eam* (Exod. 6. 12. vid. Act. 26. 16, 17, 18.). *Tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus* (2 Cor. 1. 9.). *Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque quid loquaris* (2 *Cor.* 3. *Ps.* 119. *Lamed.* *Rom.* 15. 4.). Non debemus fidere in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. (*Job.* 13. 1.) Sufficientia nostra ex Deo est. Beatus vir quem Deus diligit, in finem enim eum diliget.

§. 49. Certitudo & immutabilitas amoris Dei erga filios suos in Jesu Christo & exinde

Quamvis nonnunquam fructus non tam evidenter appareat, tamen in anima regenerata manet semen Dei in æternum. (1 *Joh.* 3. 9.) Quanquam Deus aliquando faciem suam abscondat, ita ut filii, ob privationem solitæ visionis vultus illius, lugeant; nunquam tamen a conspectione filiorum faciem suam avertit, sed semper super eos in bonum vigilat. Quemadmodum Christus discipulos suos mari & vento jactatos vidit, cum illi ipsum non viderint. (*Marc.* 6. 48.) Quapropter David ad Dominum dixit: Migrationes meas numerasti, pone lachrymas meas in utre tuo: nonne in libro tuo sunt? (*Ps.* 56. 8.) Licet langueamus, & in oblivionis somnum ruere proni simus; Dominus tamen custodit nos, non dormitabit, neque dormiet, neque dabit in commotionem pedem nostrum. (*Ps.* 121.) Infirmi sumus, & fortis est noster hostis, major tamen est qui in nobis est quam qui in mundo. (1 *Joh.* 4. 4.) Omnibus fortior est, quocirca oves ejus non peribunt in æternum, eas enim ipse custodit, & nemo potest eas eripere e manu ejus. (*Joh.* 10. 28, 29, 30.) Deo autem gratia, qui facit ut semper triumphemus in Christo. (2 *Cor.* 2. 14.) Ita ut in omnibus simus amplius quam victores, per eum qui dilexit nos, qui etiam Spiritu suo sancto, testante cum spiritu nostro nos esse filios Dei, ac faciente nos scire quæ a Deo donata sunt nobis, & charitatem Dei erga nos in Jesu Christo in cordibus nostris effundente, nos certos reddit, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla alia creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. (*Rom.* 8. 37. 1 *Cor.* 2. 12. *Rom.* 5. 5, 6, 7, 8, 9, 10. *Rom.* 8. 38, 39.)

§. 50. Infallibilis Sanctorum perseverantia.

Ne quis exceptionem faciat, ut nos terreat, animumque nobis infringat, quod, etiamsi nulla creatura fidelem ab amore Dei separare possit, seipsum tamen potest quis per peccatum separare. Namque dictum Apostoli omnem omnino exclusit separationem. Hæc enim certitudo minime fundatur super nostras vires & merita, verum super liberrimum ac invincibilem Dei in Jesu Christo erga nos amorem, quem morti pro nobis tradidit, cum adhuc peccatores ipsiusque inimici essemus, multo magis igitur nunc justificati ejus sanguine, servabimur per eum ab ira illa. Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius. (*Rom.* 5. 8, 9, 10.) Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, (etiam cum inimici essemus) quomodo non etiam cum eo omnia nobis donabit? (*Rom.* 8. 32.) Nobis nunc per mortem Filii sui sibi reconciliatis non donabit cum illo Spiritum suum sanctum ut nobiscum maneat in æternum? (*Joh.* 14. 16.) Nosque in finem usque confirmabit? (1 *Cor.* 1. 1 *Thess.* 5.) Ac divina sua virtute custodiet per fidem ad salutem? (1 *Pet.* 1. 5.) Obsignans nos spiritu illo promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ suæ. (*Eph.* 1. 13, 14.) Ipsius creaturæ sumus, quos semel regeneratos & justificatos servabit ne peccemus ad mortem. (1 *Joh.* 3. 9.) Et Apostolus Paulus in 8. ad Rom. accusationem peccati hactenus exclusit: Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos separabit a charitate Christi? (*Rom.* 8. 33, 34, 35.) Jam charitas ejus

quæ

quæ prius impietatem nostram superavit, nonne imbecillitatem nostram nunc superabit? & quos voluntarie justificavit, nonne etiam glorificabit? Certe quos justificavit, eos etiam glorificavit. (*Rom.* 8. 38.) Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? (*Rom.* 8. 31.) Gratia Deo super inenarrabili suo dono. (2 *Cor.* 9. 15) Ei qui potens est nos confirmare juxta Evangelium, & custodire a lapsu immunes, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos cum exultatione: (fidelis est qui vocavit nos, qui etiam faciet) Soli sapienti Deo, Salvatori nostro, per Jesum Christum sit gloria & magnificentia, imperium & potestas, nunc & in sæcula sæculorum. Amen. (*Rom.* 16. 25. *Jud. v.* 24, 25. 1 *Thess.* 5. 23, 24.) Halleluja.

§. 51. *Fides singulare divina gratia donum, quod supereminenti sua potentia in nobis operatur.* Ex prioribus exercitiis, luctis, & victoriis, experientiâ didici, fidem non ex nobis ipsis, sed voluntarium esse Dei donum, sicut nos docet Apostolus. (*Eph.* 2. 8.) Singularis ipsius gratiæ donum, ut Apostolus ostendit, (idcirco omnium non est fides. 2 *Thess.* 3. 2.) Idque non ex aliqua potentia nostra, sed secundum efficacem vim potentiæ ipsius, fidem operatur in nobis. (*Eph.* 1. 19.) Beatus es, Simon Bar-Jonah, quia caro & sanguis id non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. (*Joh.* 6. 44, 45.) Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die. Scriptum est in Prophetis: Et omnes erunt docti a Deo. Quisquis ergo audivit a Patre & didicit, venit ad me. (*Matth.* 11. 25. &c.)

§. 52. *Salutaris meditatio in Ps. 33.* *Die 5. Novembris* 1624. Salutares admodum habui meditationes in *Psalm.* 33. ubi pia anima Deum his gradibus appropinquat. I. Pia anima Deum laudat, aliosque ad eum laudandum ex consideratione ipsius naturæ excitat primis quatuor versibus cum dimidio 5. II. Nos eum laudare ac timere hortatur, propter ipsius bonitatem, sapientiam, & potentiam, in creationis operibus conspicuam, a dimidio 5. versus ad 10. III. Ab initio 10. ad finem versus 17. contemplatur sapientiam ac potentiam divinam in consiliis impiorum subvertendis, & in ipsius consilio ac verbo stabiliendo ac perficiendo; inque universali, omniscia & operanti in omnia providentia; ac inde contemplatur illius gentis beatitudinem cujus Deus est Dominus, illius gentis quem sibi elegit in hæreditatem. IV. Eximiam percipit consolationem in contemplatione singularis Dei providentiæ & amantis ipsius oculi super proprios liberos vigilantis, qui eum timent, inque ejus misericordia spem ponunt (hic enim timor & spes certa sunt electionis nota) *v.* 18, 19. & hæc omnia laudis sunt argumenta in initio Psalmi commendata. V. Pia anima his meditationibus animata, confidentiam suam in sancto ejus nomine alacriter profitetur, æternumque in ipso gaudium sibi certo persuadet. *v.* 20, 21. VI. Denique ad thronum gratiæ audacter currit, & per spiritum adoptionis clamat: Abba pater: Sit misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te. *v.* 22. hoc est, debitum non rogamus propter nostra merita, sed tantum propter misericordiam in Jesu Christo, juxta promissum tuum, inque hoc spem nostram ponimus; igitur Domine memor esto verbi tui servo tuo in quo mihi spem dedisti. *Ps.* 119. 49, 50. Vid. etiam Davidis orationem 2 *Sam.* 7.

§. 53. *De filiorum Dei tribulationibus in hoc mundo.* *Die* 18. *Novembris* & diebus quibusdam subsequentibus, dum meditabar, quomodo convenire possit cum summa illa, sincera, & stabili Dei charitate erga suos liberos, quibus cœleste regnum a jacto mundi fundamento paravit, & quos ita dilexit ut unigenito suo Filio non pepercerit, sed ut eos redimeret illum morti tradiderit; & quos sancto suo spiritu sanctificat, ac idoneos facit in partem hæreditatis æternæ iis in cœlis repositæ, eosque in eam virtute sua custodit per fidem; (1. *Pet.* 1.) eorumque pacem vult: (*Ps.* 35. 27.) meditans, inquam, quomodo convenire possit cum eximia charitate quæ omnem exuperat sensum, ac sincero illo & immutabili Dei amore, eos in hoc mundo ita exercere & affligere, suaves hasce ac validas consolationes, ac necessarias has meditationes habui.

I. Dixit Deus, oportere nos per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum. (*Actor.* 14. 22.) Et quid proderit cuipiam, contra immutabile Dei statutum contendere & murmurare? aut cur animum deperdet, cum se in via ad regnum cœlorum duci viderit? §. 54. *Meditatio I.*

II. Deus filios suos affligit propter suam gloriam, cui bona nostra, vita & omnia inservire debent, sine quo proposito, nil nobis charum aut jucundum esse debet. §. 55. *Medit. II.*

III. In nostrum commodum id facit, ut nos sanctitatis ipsius participes efficiat. *Heb.* 12. 10. §. 56. *Medit. III.*

IV. Christus, Dominus & Præceptor noster, quanquam Filius sit, & a peccato immunis, ex iis tamen quæ passus est obedientiam didicit. (*Heb.* 5. 8.) Experientiâ enim didicit quid sit obedire etiam in afflictionibus, vir erat dolorum & sciens infirmitatem; (*Isa.* 53.) & volenter obediens fuit ad mortem, mortem autem crucis. (*Joh.* 10. *Philip.* 2.) Et quid sumus nos ut eandem obedientiæ viam renuamus, pugnare nempe & vincere, quemadmodum & ille pugnavit & vicit? Non est discipulus supra Doctorem, neque servus supra Dominum suum. Sufficiat discipulo ut sit sicut Doctor ipsius, & servo ut sit sicut Dominus ipsius. (*Apoc.* 3. 21. & *Matth.* 10. 24, 25.) Nobis reliquit exemplum. (1. *Pet.* 2. 21. §. 57. *Medit. IV.*

V. Patientiam habeamus, ut voluntatem Dei facientes promissionem reportemus. (*Heb.* 10. 36.) Per patientiam curramus propositum nobis curriculum, τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera throni Dei sedet. Cogitemus eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus seipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. (*Heb.* 12. 1, 2, 3.) Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est supra omne nomen. (*Philip.* 2.) Et cohæredes Christi sumus, si tamen compatimur, ut & conglorificemur. (*Rom.* 8. 17. 2. *Tim.* 2. 11, 12.) Cum igitur Deo placuerit authorem salutis nostræ per passiones consummare, (*Hebr.* 2. 10.) quem oportuit per passiones intrare in gloriam suam; (*Luc.* 24. 26.) quid sumus nos, ut nobis pergratum non sit per eandem viam ad gloriam duci? per eam nempe angustam portam, & arctam viam quæ ducit ad vitam. (*Matth.* 7. 14.) §. 58. *Medit. V.*

VI. Gloriam nos expectantem cum tribulationibus quibuscunque præsentibus comparemus. Existimo enim (inquit Apostolus) quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. (*Rom.* 8. 8.) Propter quod non deficimus, sed licet externus noster homo corrumpatur, internus tamen renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non vi- §. 59. *Medit. VI.*

dentur, æterna sunt. (2 *Cor.* 4. 16, 17, 18.) Adeo ut nec in pondere nec duratione ulla sit æquiparatio.

§. 60. *Medit. VII.* VII. Comparemus temporarias levesque tribulationes Jacobi, Jobi, & Lazari, aliorumque piorum Dei servorum, quibus in hac vita momentanea affliguntur, & in quibus solatium etiam aliquod percipiunt externum, vel ex amicis, vel saltem ex eo quod canes ulcera ipsorum lingant, aut testam qua se radant inveniant, & quædam intervalla ac delinimenta habeant, & liberationis intra breve temporis spatium expectationem ac spem certam; Brevis enim est vita hominis in terra: Has, inquam, comparemus cum inconsolabilibus, irrequietis, infinitis, maximis & gravissimis tormentis divitis illius epulonis, aliorumque impiorum, in inextinguibili illa stagni igne & sulphure ardentis flammâ, in sempiternis & exteris tenebris; quæ etiam nos meriti sumus, sed Deus ex gratuita sua in Jesu Christo misericordia nos inde redemit & liberavit. Et hinc discemus in omnibus nostris temporariis tribulationibus, patientes, gratos, & lætos esse, Deumque amare.

§. 61. *Medit. VIII.* VIII. Perpendamus pretium quo Deus ex gratuito suo amore, nos a tantis tamque infinitis cruciatibus, ad tantam tamque sempiternam gloriam redemit, suo nos redemit sanguine, languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum: Oppressus est & afflictus, tamen os suum non aperuit. Sicut ovis ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondente se obmutescit, & non aperuit os suum &c. (*Isa.* 53.) Jam si ille, cum innocens esset, ex amore tamen suo erga nos tam diras & ineffabiles agonias & passiones mansuete & patienter pertulerit; quam patienter, mansuete & lubenter attollere debemus jugum ejus in nos, & ab eo discere mites esse & humiles corde? (*Matth.* 11.) Hic videmus paternum Dei amorem optime convenire cum illius quem amat afflictione, gravibus de causis a sapienti & benigna Dei providentia cognitis & statutis; certitudinem etiam immutabilis, intensæ & perfectæ Dei charitatis, cum patienti & miti afflictionum perpessione convenire. Cum ille tam magno pretio nos a tanta miseria ad tantam beatitudinem redemerit, quid refert qua ratione nobiscum aget per momentaneum hujus vitæ curriculum? cur non eum in omni providentiæ ipsius cursu semper amabimus?

§. 62. *Medit. IX.* IX. Deus non humiliavit ex corde suo & abjecit filios hominum. Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ. Ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi. Ut perverteret hominem in judicio suo, Dominus ignoravit. (*Lam.* 3. 33, *&c.*) Deus charitas est, (1 *Joh.* 4. 8.) & Deus charitatis, (2 *Cor.* 13. 11.) & vult pacem servi sui. (*Ps.* 33.) Quomodo miseretur pater filiorum, miseretur Dominus timentium se. (*Psal.* 103.) Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui, dicit Dominus. (*Is.* 49. 15.) Charitas Dei erga filios suos electos, amorem hominum longe transcendit, (*Luc.* 11. 12, *Rom.* 5. 8.) & omnem exuperat sensum, (*Eph.* 3. 19.) & perpetua est. (*Jer.* 31. 3. *Malach.* 3. 6. *Joh.* 13. 1.) Quocirca, dicit Salomon, disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias cum ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus, corripit; & quasi pater in filio complacet sibi. (*Prov.* 3. 11, 12.) Et Apostolus eandem nobis commendans adhortationem, subjungit: In disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, nempe suppositii estis, non filii. (*Heb.* 12. 5, 6, 7, 8.) Et cum omnes capilli capitis nostri numerati sint & unus ex iis non cadat super terram sine Patre nostro, (*Matth.* 10. 29, 30, 31.) qui migrationes nostras numerat & lachrymas nostras in utre suo ponit: (*Ps.* 56.) Ex ore altissimi non egredientur & bona & mala? (*Lam.* 3. 38.) Et cum ipse norit quid nobis sit bonum, & suâ sapientiâ & virtute facit omnia in bonum cooperari diligentibus Deum. (*Rom.* 8. 28.) Cumque liberis suis propter eorum bonum invigilet: (*Ps.* 33. *&* 91. *&* 121.) Hisce de causis statuamus & cum Servatore nostro dicamus: Calicem quem dedit mihi Pater, nonne bibam illum? (*Joh.* 18. 11.)

X. Quanquam omnis disciplina in præsenti quidem, videtur non esse gaudii, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum justitiæ, exercitatis per eam, reddet; (*Heb.* 12. 11.) idque quotidiana experientiâ discimus. Perpendamus quid Christus discipulis suis dixerit, idque omnibus nostris mœroribus quibus Patri nostro cœlesti nos exercere placet, applicemus: Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego abeam. (*Joh.* 16. 6, 7.) Vos autem contristamini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, &c. (*Joh.* 16. 20, 21, 22.) Et Petro: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. (*Joh.* 13. 7.) Jam hi pacatissimi justitiæ fructus sunt: §. 63. *Medit. X.*

1. Glorificatur Deus, nos in luctis nostris sustinendo, sicut sustinuit Jacobum, Jobum & omnes martyres. (*Joh.* 15. 11. *Act.* 7.) Nosque egregia liberatione liberando, tum etiam cum omnis externa spes abest; sic cæcum illum sanavit, (*Joh.* 9.) & Lazarum resuscitavit, (*Isa.* 38.) Davidem e manu Sauli eripuit, populumque suum e Pharaonis tyrannide, & Ezechiam a morte, (2 *Cor.* 1. 8, 9, 10.) tres etiam Danielis socios e fornaci ignis ardentis, omnesque suos sanctos & martyres, eos etiam in ipsa morte amplius quam victores reddens per Christum qui dilexit nos. (*Rom.* 8. 35.) Ita ut Christus magnificetur in corpore nostro, sive per vitam, sive per mortem. (*Philip.* 1. 20.) Omnia possumus in Christo qui nos corroborat. (*Philip.* 4. 13.) Adeo ut etiam moriendo victores simus, ut fuit Stephanus, (*Act.* 7.) & Paulus, (2 *Tim.* 4.) & Petrus, (*Joh.* 21. 19. 2 *Pet.* 1. 13, 14, 15, 16.) & omnes Sancti. Jam si amor quem Deus erga nos manifestavit, nos pro fratribus etiam vitam ponere obstringat; (2 *Cor.* 5.) quanto magis debemus nosmet libenter abnegare, omniaque terrena abdicare, ut divinæ voluntati nosmet permittamus, dicentes, fiat voluntas Dei? (1 *Joh.* 3. 16.) Neque vitam aut quicquam aliud ullo pretio habere, modo afflictione aut morte nostra glorificetur Dominus noster, & laudi gloriosæ ipsius gratiæ & in vita & in morte inserviamus, animas nostras ei tanquam fideli conditori bene agendo commendantes. (*Act.* 21. 14.) Qui non tantum nos ad imaginem suam creavit, sed & præterea novâ creatione imaginem hanc denuo nobis instauravit, qua nos in Jesu Christo novas creaturas fecit. (1 *Pet.* 4. 19.) Hic est primus fructus. (*Gal.* 6. 15.) §. 64. *Fructus 1. tribulationum.*

2. *Fructus secundus hic est:* Exili nostra luctarum & afflictionum experientiâ excitamur ad meditandum §. 65. *Fructus 2.*

ditandum & perpendendum gravissimos Jesu Christi angores & passiones, ac horribiles infernal pœnas, a quibus per ineffabiles & mirandos ipsius dolores nos redemit; & ad charitatem ejus ponderandam quæ omnem exuperat sensum. Et sicut Judæi, cum viderent Jesum quando Lazarum suscitatum iret, flentem, dixerunt: Ecce quomodo amavit eum! ita & nos, perpensis spontaneis Jesu Christi passionibus, ejus etiam deprecationibus & supplicationibus, cum clamore valido & lachrymis, idque ex charitate sua erga nos ipsius oves, exclamemus; ô Domine, quomodo nos amasti! His adde meditationem illius miseriæ, in qua in æternum fuissemus, nisi ipse nos liberasset. Jam excitamur, inquam, ad necessarias has meditationes, exili nostra probatione ac experientia dolorum, qui, licet nobis graves, nihil tamen sunt ad eos quos Christus pro nobis libenter pertulit, vel ad eos a quibus doloribus suis nos redemit. Et afflictionum experientia & prioribus meditationibus, ad Christum de die in diem propius trahimur, ipsius justitiam esurientes & sitientes. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. *Matth.* 11. 28.

§. 66. *Fructus* 3. 3. *Fructus tertius hic est*: Afflictionibus excitamur ad sedulam verbi Dei meditationem ejusque magnam existimationem. Quocirca Psalmista dicit: Bonum mihi est quod afflictus fuerim, ut discam statuta tua. Melior est mihi lex oris tui quam millia talenta auri & argenti. Nisi lex tua delectationes meæ fuissent, tunc periissem in afflictione mea. In seculum non obliviscar præceptorum tuorum; quia in ipsis vivificasti me. (*Ps.* 119. 71, 72, 92, 93.) Hæc est consolatio mea in afflictione mea, quia eloquium tuum vivificavit me. (*Ps.* 119. 50. *Ps.* 77. 10, 11, 12.

§. 67. *Fructus* 4. 4 *Fructus quartus hic est*: Afflictionibus discimus vias nostras scrutari, & prævaricationes nostras adversum nos Deo confiteri; (*Psal.* 32. *Lam.* 3. 40.) ac vias nostras vigilantius custodire, ut secundum Dei verbum ambulemus. Priusquam humiliarer, ego errabam: nunc autem eloquium tuum custodio. (*Psal.* 119. 67.) Ideo Deus castigat filios suos, ut participes sint sanctimoniæ ipsius. (*Heb.* 12. 10.) Ut in peccato non pergamus, ne cum mundo condemnemur. (1 *Cor.* 11. 32.) Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Ut quietem præstes ei a diebus malis, donec fodiatur impio fovea. Quia non derelinquet Dominus populum suum, & hæreditatem suam non derelinquet. (*Ps.* 94. 12, 13, 14.) Nam aversio parvulorum interficiet eos: & prosperitas stultorum perdet illos. (*Prov.* 1. 32.) Divitiæ horum conservatæ sunt in malum Dominorum. (*Eccl.* 5. 13.)

§. 68. *Fructus* 5. 5. *Fructus quintus hic est*: Afflictionibus excitamur Deum precari ac instanter quærere, ex iis etiam omnium mundanarum fiduciarum vanitas innotescit, & unicum certum refugium ad quod recurrendum est, esse Deum nostrum. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus, & exaltabitur. (*Prov.* 18. 10.) Ego autem dixi in abundantia mea: non movebor in æternum. (Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem:) avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. Ad te Domine clamavi, & ad Dominum oravi. (*Ps.* 30. 7, 8.) Domine Deus meus ad te clamavi, & sanasti me; Domine abstraxisti ab inferno animam meam, vivificasti me a descendentibus in sepulchrum. (*v.* 2, 3.) Vertisti planctum meum in chorum mihi; solvisti saccum meum, & accinxisti me lætitia. (*v.* 11.) Tristatur aliquis vestrum? oret. (*Jac.* 5. 13.) Et Dominus dicit: Invoca me in die angustiæ, eruam te, & honorificabis me. (*Ps.* 50. 15.) Cum Petrus incarceratus fuit, oratio sine intermissione fiebat (προσευχὴ ἐκτενὴς) ab Ecclesia ad Deum pro eo. (*Act.* 12.)

6. *Sextus fructus hic est*: Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Igitur & gloriamur in tribulationibus, & lætamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum. (*Rom.* 5. 3, *&c.*) Persuasi quod, qui eripuit nos de manu ursi & de manu leonis, ipse liberabit nos de manu Philistæi hujus. (1 *Sam.* 17. 37.) Comperto experientia, quod nos servet sicut pupillam oculi sui. (*Ps.* 17.) Et quod oculus ejus sit super timentes eum, super sperantes in misericordia ejus; Ut eruat a morte animas eorum, & vivificet eos in fame. Ideo anima nostra expectat Dominum. (*Ps.* 33. 18, 19, 20, *&c.*) Duæ sunt nostræ experientiæ partes: primo experimur Dominum esse misericorditer & potenter nobiscum in afflictionibus. 2. experimur eum nos liberare. (*Ps.* 91. 15.) Quod in nobis fortitudinem adversus omnem tribulationem, & spem certam tempestivæ liberationis parit, ut patet exemplo Davidis, (1 *Sam.* 17.) & Petri. (*Act.* 12.) Defecissem, nisi credidissem me visurum bonitatem Domini in terra viventium. Expecta Dominum, corrobora te, & roborabit Deus cor tuum: exspecta Dominum (*Ps.* 27. 14, 15.) Et ego dicebam, dum festinarem, excisus sum ab oculis tuis. Verum exaudisti vocem deprecationum mearum, quum clamarem ad te. Diligite Dominum omnes Sancti ejus, fideles enim custodit Dominus, & reddit propter superbiam facienti superbe. Roboramini, & corroborabit Deus cor vestrum, omnes sperantes in Domino. (*Ps.* 31. 22, 23, 24.) Salvator noster argumento experientiæ utitur ut corda discipulorum contra metum penuriæ panis roboraret. (*Matth.* 16.) Supra modum gravati sumus, supra vires (inquit Apostolus Paulus), ita ut tæderet nos etiam vivere, sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Qui e tantis periculis nos eripuit, & eripit: In quem speramus quoniam & adhuc eripiet: Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis. (2 *Cor.* 1. 8, 9, 10, 11. *Hab.* 2. 3. *Ps.* 77. 10. 116. 2. *Heb.* 10. 36. *Hab.* 3. 17, 18, 19.) §. 69. *Fructus* 6.

7. *Sequitur septimus fructus*: Afflictionibus nostræ in Deum fiduciæ certitudinem & sinceritatem scrutari & experiri adducimur, hancque sinceritatem cum necessitate fiduciæ in Deum, & felicitate eorum qui in eum confidunt deprehendentes, fiduciam nostram in eum sincere & confidenter profiteri excitamur, hincque oritur fidelis oratio & certa consolatio. Sed ad te Domine oculi mei: In te speravi Domine Deus, ne effundas animam meam. (Heb. ne nudam relinquas.) *Ps.* 141. 8. *Vid. etiam Ps.* 37. 18, *&c. & Ps.* 34. *v. ult.* §. 70. *Fructus* 7.

8. *Fructus octavus hic est*: Experientia infirmitatis nostræ, & benignæ Dei præsentiæ nobiscum in omnibus nostris afflictionibus, nosque ab omnibus tribulationibus liberantis, in amore Dei magis & magis accendimur, & ad ejus laudes excitamur. Diligo Dominum quoniam audivit vocem meam, & deprecationes meas. (*Ps.* 116. 1.) §. 71. *Fructus* 8.

Quid

Quid reddam Domino pro omnibus beneficiis quæ contulit in me? Calicem salutis accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam nunc coram omni populo ejus. (*Ps.* 116. 12, 13, 14.) Tibi sacrificabo sacrificium laudis, & nomen Domini invocabo. (*Ps.* 116.17.) Diligam te Domine, fortitudo mea, (*Ps.* 18.2.) Narrabo nomen tuum fratribus meis. (*Psal.* 22. 23,&c.) Invoca me in die angustiæ; eruam te & honorificabis me. (*Ps.* 50.) Eum ex toto corde diligimus, (*Ps.* 18. & 116.) Ei & corde & ore confitemur. Confitebor Domino in toto corde. (*Ps.* 9.1.) Cantabo Domino, quoniam bona retribuit mihi. (*Ps.* 13.6.) Benedicam Domino in omni tempore; semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabit se anima mea. (*Ps.* 34. 2,3. vide *Is.* 38. 19, 20. *Jona* 2. 9.) Tum reddemus vitulos labiorum nostrorum. (*Hos.* 14.2.) Etiam conversatione nostra Deum honorificamus. Petre amas me? Pasce oves meas. (*Joh.* 21.) Adeo ut curam adhibeamus ne amplius peccemus, non tantum propter timorem, ne quid deterius nobis contingat; (*Joh.* 5.14.) sed præsertim quia charitas Christi urget nos. (2 *Cor.* 5. 14.) Si quis me diligit, sermonem meum servabit, dicit Salvator noster. (*Joh.* 14.23.) Obsecro itaque vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem &c. (*Rom.* 12. 1.) Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive quid facitis; omnia in gloriam Dei facite. (1 *Corinth.* 10. 31.)

§. 72. *Fructus* 9.

Argumentum hoc novam etiam distinctam meditationem suppeditat, ut videre est in Meditatione sequente, quæ est XI.

9. *Fructus nonus hic est*: Cum justitia & pax se mutuo osculentur, (*Ps.* 85. 11. vide *Is.* 32.17.) imo Salvator noster Dominus Jesus Christus, quanquam peccatum non novit, tamen quia in se suscepit peccata nostra, miseriis in hoc mundo obnoxius fuerit; cumque in hac vita contra peccatum quotidiano prælio dimicemus, ac proinde cum afflictionibus semper confligere oporteat, non ad satisfaciendum pro peccato, ut fecit Christus, sed ad necessarium nostrum exercitium; Cum, inquam, tanta sit connexio inter justitiam & pacem, inter peccatum & dolorem, experientiâ dolorum nos in conscientiam peccati adducentium, excitamur primo in peccati detestationem, illiusque, quod tantum nobis dolorem parit, devitandi studium. (*Is.* 59. 2. *Jer.* 5. 25. *Lam.* 5.16.) Deinde, dissolvi & cum Christo esse desiderium. (2 *Cor.* 5. &c. *Phil.* 1. 23.) Expectantes & properantes in adventum Domini nostri Jesu Christi, ac cœlos illos novos & novam terram in quibus justitia inhabitat. (2 *Petr.* 3.13) Non ex tædio hujus vitæ, sed desiderio sancto & suspirio humili pro liberatione illa a peccato. (*Rom.* 7. & 8.) Et ex desiderio abesse potius a corpore, & adesse apud Dominum, quam adesse in corpore & peregre abesse a Domino. (2 *Cor.* 5.) Ex desiderio etiam beati ejus adventus; (2 *Tim.* 4. *Tit.* 2.) cum ipsa corpora nostra a corruptione liberata erunt, (*Luc.* 21. *Rom.* 8.) & incorruptibilitatem induent, (1 *Cor.* 15.) & glorioso corpori Christi conformabuntur. Nostra enim conversatio in cœlis est, unde etiam Salvatorem nostrum expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus nostrum humile, ut glorioso ejus corpori conforme fiat, secundum operationem qua etiam possit subjicere sibi omnia. (*Phil.* 3.20,21.) Scimus quod cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. (1 *Joh.* 3. 2.) Beatum hunc ejus adventum propter nostram consummatam glorificationem expectando, volumus interim potius abesse a corpore & adesse apud Dominum. (2 *Cor.* 5.) Quod multo melius est, quam hic permanere in carne, nisi quod satius sit hic in carne aliquamdiu manere, ad munera obeunda ad quæ Deus nos vocat. (*Phil.* 1. 23, 24.) Sed omnium optimum est ei in adventu ejus similes fieri. (1 *Joh.* 3.)

10. *Sequitur fructus decimus.* Ex afflictionibus rerum omnium terrenarum instabilitatem ac vanitatem observare discimus, ac proinde non in iis, sed in solo Deo fidere & gloriari; (*Jerem.* 17. *Psalm.* 33. *Col.* 3. *Jer.* 9.) neque in felicitatem impiorum zelare. (*Psalm.* 33. & 73. & 49.) §. 73. *Fructus* 10.

11. *Fructus undecimus hic est*: Afflictionibus excitamur ad majorem erga Deum gratitudinem propter bona quibus per afflictiones privamur: cum antea beneficiorum Dei non eam habuerimus rationem, quam debuimus. Ab ægritudine discimus valetudinem magni ducere; a paupertate & exilio alimoniam in quieto domicilio non contemnere; a filiorum aut amicorum charorum morte, quantum fuerat beneficium; atque ita ad majorem gratitudinem excitamur propter hæc beneficia, cum Deo placuerit ea nobis redonare, omniaque alia ipsius beneficia; & ingratitudinis pœnitere. Sic famis experientia nos propter sufficientem panis copiam magis gratos esse, eoque reverenter uti docet. Samson experientia cognovit quantum sit Dei beneficium sitienti aquam habere. (*Judic.* 15.) Jobus & Rex Hezechias experientia etiam cognoverunt quanta Dei dona sint sanitas corporis & etiam temporaria hæc vita. (*Libr. Jobi. Is.* 37.) Jeremiæ & populo a Nabuchodonosore Hierosolymis obsessis experientiâ innotuit quantum beneficium esset panem habere ad vescendum & aquam ad bibendum. (*Lam.* 4.) Rex Manasses experientiâ cognovit beneficium Dei cum in pace Hierosolymis sedisset, & post restitutum regnum majorem testatus est gratitudinem. (2 *Chron.* 33.) Hinc & docemur majores Deo gratias habere propter omnia ipsius beneficia. Ita etiam nosmet gerere debemus in aliorum afflictionibus observandis. Ne effertor animo, sed metue. (*Rom.* 11.) §. 74. *Fructus* 11.

12. *Sequitur fructus duodecimus.* Per afflictiones Dominus nonnunquam filios suos ad singularia ea munia, ad quæ eos vocare statuit, obeunda, idoneos reddit: sic Josephum ad Ægypti gubernationem, & familiæ Jacobi sustentationem: (*Ps.* 105.) Et Moysem per quadraginta annorum in terra Madian exilium, ad populum a servitute educendum. (*Exod.* 2. & 3. *Act.* 7.) Ita Davidem per multas tribulationes imperio Israëlitico idoneum fecit. §. 75. *Fructus* 12.

13. *Fructus decimus tertius hic est*: Afflictionum & tribulationum experientiâ, eorum qui affliguntur misereri discimus. Si enim ipse Christus Salvator noster in omnibus similiter ac nos tentatus fuerit, absque tamen peccato, ut misericors esset Pontifex, & infirmitatum nostrarum sensu affici possit; (*Heb.* 2. 17, 18. 4. 15.) quid sumus nos ut putemus minime decere nos afflictionum experientiâ misericordiam discere? *Vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti*, dicit Dominus populo suo per Moysen. (*Deut.* 10. 19.) David etiam experientiâ tribulationum clamat: *Beatus est qui prospicit pauperi* (aut infirmo aut ægro.) (*Ps.* 41.2.) Insuper monemur memores esse afflictorum, tanquam & nos ipsi in corpore morantes. (*Hebr.* 13. 3.) Quasi dixisset; non tantum vos qui ipsi afflictiones experti estis, sed omnes etiam afflictorum memores estote, cum afflictionibus obnoxii sitis, quamdiu in corpore estis, & sic aliorum afflictionum experientiâ misericordiam discite. §. 76. *Fructus* 13.

cite, & scitote vos ipsos tales aut graviores afflictiones experiri posse.

§. 77. *Fructus* 14. 14. *Afflictionum piorum decimus quartus fructus hic est*: Cum charissimi Dei filii & servi adeo graviter castigentur, ut Jobus, Jacobus, Josephus, David, Jeremias, ipse Christus, (*Is.* 53. *Hebr.* 5.) & Ecclesia ipsius, (*Is.* 54. 11. *Mich.* 7. 8, 9.) & omnes Dei filii in hoc mundo tribulationi obnoxii sint; (*Ps.* 34. *Act.* 14. 22.) ex nostris etiam afflictionibus discimus, de afflictis pie judicare, ac non temere vocare quemquam impium, ut amici Jobi, aut propter afflictiones a Deo derelictum. (*Is.* 53.)

§. 78. *Fructus* 15. 15. *Fructus decimus quintus est*, ut afflictionum & consolationum experientiâ, alios in ipsorum tribulationibus melius consolari possimus. Hinc dicit Apostolus Paulus: *Benedictus sit Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum & Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in quavis afflictione positi sunt, ea ipsa consolatione qua nos ipsos consolatur Deus. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur, pro vestra consolatione ac salute affligimur; sive consolemur, pro vestra consolatione ac salute consolamur.* (2 *Cor.* 1. 3, 4, 5, 6.) Ita David in Psalmis sæpe ex propriâ experientia afflictos consolatur. (*Psalm.* 31. 32. 34. &c.)

Fructus 16. 16. *Decimus sextus fructus afflictionum filiorum Dei est*, ut exempla sint afflictionis, patientiæ & consolationis aliis qui harum vel oculati vel auriti testes sunt. Proinde Paulus Apostolus dicit: *Spes nostra firma est pro vobis; scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationum.* (2 *Cor.* 1. 7.) Et in Epistola ad Hebr. postquam multa talia recitasset exempla, exhortationem ad virilem patientiam subjungit ex tanta nube testium, & etiam patientiæ Domini nostri Jesu Christi exemplo. (*Heb.* 11. & 12. 1, 2.) Hic enim est unus e fructibus patientiæ ipsius dum passus est pro nobis, *quod nobis exemplum reliquerit, ut vestigia ejus sequamur, eoque consolemur & confirmemur.* (1 *Pet.* 2. 21. *Philip.* 2. &c.) Jacobus etiam Apostolus dicit: *Exemplum accipite, fratres, laboris & patientiæ Prophetas. Ecce beatos prædicamus qui adversa sustinent; tolerantiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est.* (*Jac.* 5. 10, 11.) Huic convenit etiam dictum illud Pauli Apostoli: *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* (*Rom.* 15. 4.) Debemus itaque & nosmet præeuntium exemplis consolari, in eo etiam acquiescere & gaudere, ut aliis, Deo sic volente, patientiæ & consolationis exemplo simus. Modi providentiæ divinæ in dies singulos erga filios ejus reminisci debemus, ut ita cum fiducia eum in fide precemur, & consolemur. Recordabor annorum dextræ Excelsi: certe recordabor a principio mirabilium tuorum. (*Ps.* 77. 10, 11, &c.) Et tu sanctus es, permanens laudes Israël. In te speraverunt patres nostri, speraverunt, & eruisti eos. (*Ps.* 22. 3, 4, 5.) In medio mei desolatur cor meum. Recordor dierum antiquorum, meditor in omnibus operibus tuis, expando manus meas ad te, &c. (*Ps.* 143.)

§. 79. *Medit. XI.* XI. Animadversa connexione inter peccatum & afflictionem, de qua locuti sumus Meditat. X. & fructu 8. primo incumbit nobis peccatum excutere conari, quo pio conatu, & in afflictionibus magis patientes erimus, ac etiam iis quotidie magis & magis exonerabimur. Vel enim ipsæ afflictiones quoad materiam minuentur, vel saltem vires nostræ adversus eas augebuntur; & quotidie sublevabimur veniendo ad Christum ut inveniamus requiem animabus nostris. Et præterea contendere debemus ut habeamus corda nostra & affectiones sursum. (*Col.* 3.) Deum quotidie cum Psalmista orando: Ut numeremus dies nostros, sic scire fac nos, & adducemus in cor sapientiam. (*Ps.* 90. 12.)

XII. De humo non oritur dolor. (*Job.* 5. 6.) §. 80. *Medit.*
Ex ore Altissimi egredientur & bona & mala. *XII.*
(*Lam.* 3. 38.) Jam quodcunque Dominus nobis imponit, a nobis tollere potest. Idcirco dicit Dominus: Ego occidam & ego vivere faciam; percutiam & ego sanabo; & non est qui de manu mea possit eruere. (*Deut.* 32. 39. vide 1 *Sam.* 2. 6, 7, 8.) Nemo itaque illicitis mediis auxilium quærat, vel enim nullum auxilium habebit, vel si quis permissu divino ejusque providentiâ omnia moderante, levamen viis illicitis obtineat, in se multo majus, imo millies, imo infinities majus peccati & reatus onus imponit, quam est temporalis molestia de qua levari videtur. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. (*Jona.* 2. 8.) Vere mendaces sunt colles & multitudo montium, vere in Domino Deo nostra salus ô Israël. (*Jerem.* 3. 23.) Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit. (*Prov.* 21. 30, 31. vide *Jerem.* 9. 23, 24.) Apud illum omnia sunt possibilia. (*Matth.* 19. 26. *Marc.* 14. 36.) Morbos nostros etiam maxime insanabiles sanare potest. (*Jerem.* 30. 12, 14, 15, 17.) In Domino est fortitudo in perpetuum. (*Is.* 26. 4.)

XIII. Dominus Deus noster non solum potens §. 81.
est, sed etiam volens, imo promisit & statuit & *Medit.*
nobiscum esse & nos in omnibus nostris afflictio- *XIII.*
nibus & luctis sustentare, nobisque gloriosam tribuere victoriam. Id præstabit, mentiri enim nescit. (*Tit.* 1. 2.) Ille Dominus est, & non mutatur, ideoque non consumpti sumus. (*Mal.* 3. 6.) Fidelis est Deus, qui non sinit nos tentari supra id quod possumus, sed una cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possimus eam sufferre. (1 *Cor.* 10. 13.) Erit nobiscum in angustia, & nos eruet. (*Ps.* 91. 15.) Invocabimus eum in die angustiæ, eruet nos & honorificabimus eum. (*Ps.* 50. 15.) Propinquus enim est Dominus contritis corde, & attritos spiritu servat: multæ sunt afflictiones justorum, sed a cunctis ipsis eruet eos Dominus. (*Ps.* 34. 18, 19.) Ipse dixit, non te deseram, neque derelinquam; ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo. (*Heb.* 13. 5, 6.) Nihil horum timeas quæ passurus es. (*Apocal.* 2. 10.) Scrutemur & quæramus vias nostras, & revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. (*Lam.* 3. 40, 41.) Venite & revertamur ad Dominum: quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet, & curabit nos. (*Hos.* 6. 1.) Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei: omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra: Dii nostri opera manuum nostrarum: quia ejus qui in te est misereberis pupilli. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee: quia aversus est furor meus ab eis. Ero quasi ros Israël, &c. (*Hos.* 14. 2, 3, 4, 5, &c. Si nos, cum simus mali, novimus dona bona dare liberis nostris, quanto magis Pater noster qui est in cœlis, dabit bona, imo Spiri-

tum ipsius sanctum, iis qui petierint ab ipso? (*Matth.* 7. 1. *Luc.* 11. 13.) Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. (*Luc.* 12.) Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? (*Rom.* 8. 31.) Ipse cum sit Deus solus sapiens, optime novit quid nobis expediat. Quærentes Dominum non deficient ullo bono. (*Ps.* 34. 10.) Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. (*Ps.* 84. 11.) Imo propitiabitur iniquitatibus nostris, & peccati nostri non memorabitur amplius. (*Jerem.* 31. 34.) Verum gratiam & gloriam dabit. (*Psalm.* 84.) Gratia ipsius sufficiet nobis, ad nos sustinendos in infirmitate nostra. (2 *Cor.* 12. 9.) Et experientiam imbecillitatis nostræ, etiam afflictiones nostras, imo omnia cooperari faciet nobis in bonum. (*Rom.* 8. 28.) Proinde etiamsi occiderit nos, in ipso semper speremus. (*Job.* 13. 15.) A mortuis nos suscitare potens est Deus. (*Heb.* 11.) Ipse vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. (*Rom.* 4. 1.) Et ea faciet, quæ nobis expediunt. In eum projiciamus omnem sollicitudinem nostram, quoniam ipsi cura est de nobis. (1 *Petr.* 5. 7.) Ipse nos enutriet. (*Psalm.* 55. 22.) Aquam nostram vinum faciet. (*Joh.* 2.) Expectando expectemus Dominum, non enim tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant. (2 *Petr.* 3. 9.) Licet patientiam habeat, cito tamen nobis subveniet. (*Luc.* 18. 7, 8.) Expecta Dominum, & confortetur cor tuum. (*Psal.* 27. & 31.) Adhuc enim modicum, aliquantulumque, & qui venturus est, veniet, & non tardabit; si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. (*Heb.* 10. 37.) Metuamus eum, & speremus super misericordia ejus. (*Hab.* 2. 3.) Et dicetur in die illa, Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvabit nos; iste Dominus, sustinuimus eum, & exultabimus & lætabimur in salute ejus. (*Is.* 25. 9.)

§. 82. *Medit.* *XIV.* XIV. Cum pii in hac vita affligantur, quando impii gaudent, & nonnunquam etiam impii hic affligantur; perpendamus non tam externum statum hominis in hac vita, quam quomodo in eodem se gerat, atque ita nulli invideamus; sed male utentium sive prosperis sive adversis misereamur; quod ad eos qui iis bene utuntur attinet, in prospero illorum statu cum eis gaudeamus, & in adverso cum iis ploremus, non tamen fletu inconsolabili, Dei enim filii etiam in tribulatione semper gaudent. Exemplo nobis sit Christus cum duobus latronibus simul crucifixus, Christus nullam ob culpam ab ipso commissam, hi propter sua crimina, quorum unus resipiscens misericordiam adeptus est, ac eadem nocte cum Christo paradisum ingressus est. Ahab potens fuit Rex, sic etiam Josaphat, verum uterque non æqualiter Deo gratias agebat. Sicut Sanctorum humiliationes iis cooperantur in bonum, (*Ps.* 119. *Teth.* *Heb.* 12.) ita divitiæ servantur in malum impiorum suorum dominorum. (*Eccles.* 5. 13.)

§. 83. *Medit.* *XV.* XV. Hæc est fiducia quam habemus ad eum [πρὸς αὐτὸν], quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Quod si scimus eum audire nos quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones, quas ab eo petimus [οἴδαμεν ὅτι ἔχομεν τὰ αἰτήματα ἃ ᾐτήκαμεν παρ' αὐτοῦ]. (1 *Joh.* 5. 14, 15.) An invocavimus Dominum in die tribulationis, gaudeamus in spe, eruet nos, ut glorificemus eum. (*Ps.* 50.) Quicquid petierimus juxta voluntatem ejus, dabitur nobis. Illius non obliviscetur. Attendit Dominus & audivit, & scriptus est liber monimenti coram eo timentibus Dominum & cogitantibus nomen ejus. (*Mal.* 3. 16, 17.) Ipse id cum gaudio expertus sum. *Hallelujah.* Propitius exaudit Deus, & concedit petitiones nostras ab exordio precum nostrarum, licet indicationem particularium ad tempus reservet. (*Dan.* 9. 23. 10. 12.) Neque obliviscitur Dominus, sed revera liberorum suorum desideria implebit, licet nonnunquam diu ex quo preces factæ sunt, dum ipsi diu expectant & sub spe lætantur, licet etiam ex desiderio gemant, impletionem nondum adepti donec tempus a Deo præstitutum veniat. Veniens veniet, & non tardabit. (*Hab.* 2. 3.) Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos. (*Ps.* 145. 18, 19.) Veritatem in sæculum custodit. (*Ps.* 146. 6.) Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum justis dabitur. (*Prov.* 10. 24.) Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die: Quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur. (*Prov.* 23. 17, 18.) Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium. (*Luc.* 1. 13.) Nulli dubium esto quin preces hæ diu ante istud tempus a Zecharia factæ sint. Jam enim senex erat, & uxor ejus processerat in diebus suis, ita ut cum id primum illi ab Angelo indicatum sit, Angeli verbis non crediderit. (*Luc.* 1. 18, 19, 20.) Eodem modo dixit etiam Angelus Domini Cornelio centurioni pio: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. (*Act.* 10. 2, 3, 4.) Quod cum præstituto tempore Dei liberis manifestetur, in iis inenarrabile gaudium ergaque Deum gratitudinem parit. Benedictus Dominus, quia audivit vocem deprecationum mearum. Dominus fortitudo mea, & scutum meum, in ipso speravit cor meum & adjutus sum. Et exultabit cor meum, & cantico meo confitebor ei. (*Ps.* 28. 6, 7.) O Domine agnovisti in augustiis animam meam. (*Psalm.* 31. 7. *vel* 8. & 142. 3. *vel* 4.) Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi tanquam in civitate munita. Et ego dicebam dum festinarem: Excisus sum ab oculis tuis; verum exaudisti vocem deprecationum mearum, quum clamarem ad te. Diligite Dominum omnes misericordes ejus, fideles custodit Dominus, & reddit propter superbiam facienti superbe. Roboramini & roborabit Deus cor vestrum, omnes sperantes in Domino. (*Psalm.* 31. 21, 22, 23, 24.)

XVI. Etiamsi Dominus suo certe veniet tempore, nosque eum expectare jubet, benigne tamen accipit humiles & amorosas nostras expostulationes, ex fide provenientes & cum patienti & fideli expectatione conjunctas, ac humili miseriæ nostræ deploratione, nosque eum etiam invocantes ac devota & humili orationes quasi e somno excitantes. Evigila, ut quid dormis Domine? expergiscere, ne repellas nos in sæculum. Ut quid faciem tuam abscondis? oblivisceris afflictionis nostræ & oppressionis nostræ? Nam inclinavit se usque ad pulverem anima nostra, adhæsit terræ venter noster. Surge in auxilium nobis, & redime nos propter misericordiam tuam. (*Ps.* 44. 23, 24, 25, 26.) Deus mi, Deus mi, ut quid dereliquisti me? elongatus es a salute mea, & a verbis rugitus mei. Deus mi, clamo per diem, & non exaudis; & nocte, & non est silentium mihi. Et tu sanctus permanens §. 84. *Medit.* *XVI.*

laudea

laudes Israël. In te sperarunt Patres nostri, sperarunt & eruisti eos; ad te clamaverunt & evaserunt: in te speraverunt, & non fuerunt pudore affecti. At ego sum vermis & non vir: opprobrium hominum &c. Tu vero es qui eduxisti me ab utero, confidere faciens me super ubera matris meæ; super te projectus sum a vulva; de ventre matris meæ Deus es tu. Ne elonges te a me, quoniam angustia est propinqua, quia non est auxiliator. (*Ps.* 22. 1, 2, &c.) Ne derelinquas me Domine Deus mi, ne elonges te a me, festina ad auxilium meum Domine salutis meæ. (*Ps.* 38. 21, 22.) Ego autem pauper sum & egenus, at Dominus cogitat de me; auxilium meum & liberator meus es, Deus mi ne tardaveris. (*Ps.* 40. 18.) Serva me Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam &c. Delassatus sum clamando, siccatum est guttur meum, defecerunt oculi mei, dum expectarem Deum meum. Exaudi me Domine, & ne abscondas faciem tuam a servo tuo, quoniam angustia est mihi. Festina, exaudi me. (*Ps.* 69. 1, 2, 3, 16, 17, &c.) Ut quid Domine repellis animam meam? abscondis faciem tuam a me? (*Ps.* 88. 14 *vel* 15.) O ne derelinquas me usque valde! (*Psal.* 119. 8. *vide etiam vers.* 49, 59, 81.) Quando me consolaberis? (*Ps.* 119. 82. *Ps.* 13. & 141. 1.) Velociter exaudi me Domine, deficit spiritus meus &c. (*Ps.* 143. 7.) Impatientem Jorami Israëlitarum regis infidelitatem vide & cave. (2 *Reg.* 6. *v. ult.*)

[§. 85. *Medit. XVII.*] XVII. Quanquam Dominus Deus noster per omnem vitam nostram afflictionibus nos exerceret; nostra tamen peregrinatio hic est momentanea, & tum demum requies æterna advenit, æternum excellenter excellentis gloriæ pondus; neque dignæ sunt momentaneæ & leves afflictiones quæ comparentur cum gloria nos expectante. (*Rom.* 8. 18. 2 *Cor.* 4. 16, 17. *Ps.* 39. 5. (*vel* 6.) *Psal.* 90. & 144. 4. *Iac.* 4. 14. *Prov.* 14. 32.) In malitia sua expelletur impius: Sperat autem justus in morte sua. (*Prov.* 10. 24. & 23. 17, 18. 1 *Cor.* 15.) Hac meditatione metum mortis excutimus, & in contemplatione, spe, & desiderio cœlestis nostræ æternæque hæreditatis, magnopere gaudemus; unde omnes nostras afflictiones præsentes momentaneas, leves putamus.

[§. 86. *Medit. XVIII.*] XVIII. Si desperaveris lassus in die angustiæ, imminuta est fortitudo tua. (*Prov.* 24. 10.) Domine vim patior, responde pro me. Miserere mei Domine, quia debilis sum, sana me Domine, quoniam territa sunt ossa mea. (*Isa.* 38. 14.) Respice ad me & miserere mei, da fortitudinem tuam servo tuo, & serva filium ancillæ tuæ. (*Ps.* 86. 16.) Hinc in Deo solo magnopere gaudent servi ejus qui nos roborat & robur nostrum est. (*Ps.* 27. 1. & 28. 7. & 73. 26. & 56. 4, 11. & 94. 17, 18, 19. & 118. 6.) O Domine Deus, fortitudo salutis meæ, qui operis caput meum in die armorum. Ne tradas Domine, desideria sua impio. (*Ps.* 140. 7, 8.) In his omnibus amplius quam victores sumus per eum qui dilexit nos. (*Rom.* 8. 37.) Omnia valeo per Christum qui me corroborat. (*Philip.* 4. 13.) Non in nobis ipsis fidamus, sed in Deo qui suscitat mortuos. (2 *Cor.* 1. 9.) Sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea per infirmitatem consummatur, dicit Salvator noster servo suo; (2 *Cor.* 12. 9.) unde Apostolus concludit; cum infirmus sum, tunc potens sum. (2 *Cor.* 12. 10.) Ex Deo sumus, & vincimus, quia potentior est qui in nobis est, quam qui in mundo. (1 *Joh.* 4. 4. *Vid. Cantic. Salom.* 2. 5, 6.) Sperate in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. (*Isa.* 26. 4. *Vid. Prov.* 3. 5, 6, 7, 8. *Eccles.* 8. 11, 12, 13. *Ps.* 112. *Habac.* 3. 17, 18, 19. *Ps.* 144. 4, 5.) *Hallelujah.*

[§. 87. *Medit. XIX.*] XIX. Quocirca in omnibus afflictionibus sint oculi nostri semper ad Dominum Deum nostrum, in eo semper fidamus, cor rectum in statutis ejus habentes, eum oremus, ei grati simus, & ipse in nobis virtutem adaugebit, & propter ipsius erga nos misericordiam & benignitatem læta ad laudem ejus argumenta nobis suppeditabit. (*Vide Ps.* 141. 7, 8, 9, 10. & 119. 30.) Corrobora ô Deus hoc quod operatus es nobis. (*Ps.* 68. 28.) Expectet Israël Dominum, quia cum Domino est misericordia, & multa apud eum redemptio, & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus. (*Ps.* 130. 7, 8. *Vide etiam Ps.* 23. & 84. *v. ult.* & 117. & 72. *in fine.* & 89. *in fine.*) Laudate Dominum. Amen.

[§. 88. *Meditatio XX.* *Vide infra Exercit. die 27. Feb. An. 1626.*] XX. *Diebus* 6, 7, & 8. *Decembris Anni* 1624. Audito tristi nuntio de peste Edinburgi sæviente, ad Dominum Deum meum me contuli, qui ex infinita sua misericordia me corroboravit & solatus est hisce Psalmis 139. 90. & 91.

[§. 89. *Adversus curiositatem.*] *Die Dominico* 12. *Decembris* 1624. & quibusdam diebus subsequentibus, Dominus me in certa cœlestis ipsius gloriæ spe gaudere monuit & docuit, in certitudine etiam benignæ ac paternæ ipsius erga me in hac vitâ providentiæ, ac interea per hoc peregrinationis ac imbecillitatis meæ tempus, in ipsius mandato & promisso, humiliter, amanter & læte in obedientia veræ fidei acquiescere; ac inscrutabilem sapientissimæ ac æquissimæ illius providentiæ abyssum non investigare; ei propter propriam vocationem & justificationem gratias agere, sed quare multos alios rejecerit curiose non inquirere; humiliter mandatis ejus obedire, & promisso fidere, non vero sollicite nimis inquirere qua ratione det nobis & obediendi & credendi potentiam. Benedictum sit nomen Domini Dei nostri in Jesu Christo Salvatore nostro, ac illi sit omnis laus & gloria, in Ecclesia per Jesum Christum Dominum nostrum in sæcula sæculorum. *Amen & Amen. Hallelujah. Amen.*

EXERCITIA SPIRITUALIA An. 1625.

[§. 90. *Divinum colloquium.*] *Die* 1. *Januarii*, dum hæc verba legerem: *Hac dicit Dominus domus Israël: Quærite me & vivetis. Et nolite quærere Bethel*; (*Amos* 5. 4, 5.) verborum Davidis recordabar; *Cum dixeris, Quærite faciem meam, tibi dixit cor meum, Faciem tuam Domine requiram: ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo.* (Ps. 27. 8, 9.) Atque ita cor meum Deo dixit, *Te Domine quæram.* Et Dominus sancto suo spiritu mihi dixit: Tu vives, tibique dabo ut faciem meam quæras, & a te inveniar, & certo vives. Benedictus sit Dominus, mea lux, mea vita, mea salus!

Eodem die dum legerem verba Apostoli Pauli, ubi ostendit matrimonio junctos afflictionem habituros in carne, ac de iis quæ sunt mundi sollicitos esse, seque velle nos sine sollicitudine esse [ἀμερίμνους εἶναι.] (1 *Cor.* 7.) Apostoli Petri verborum memini: omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. [πᾶσαν τὴν μέριμναν ὑμῶν ἐπιῤῥίψαντες ἐπ' αὐτόν, ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν.] (1 *Pet.* 5. 7.) & verbis Ezechiæ oravi; (*Isa.* 38. 14.) Responde pro me Domine. Insuper oravi: Sustenta me Domine in hac afflictione, ne mundana sollicitudine abripiar, sed ut summa mea sollicitudo sit tibi, Domine, placere; atque in te & propter te solum, aliis placere studeam. Et Do-

Dominus consolatorium mihi dedit responsum: *Pro te respondebo, teque sustentabo, quoniam de te mihi cura est.* Benedictum sit nomen Domini.

Doce me Domine viam tuam, ut ambulem in veritate tua, & tua gratiâ in eâ ambulabo: uni cor meum, ut timeat nomen tuum. Celebrabo te, Domine Deus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in sæculum. Quoniam misericordia tua magna est super me; & eruisti animam meam ex fovea inferiori. (*Ps.* 86. 11, 12, 13.) Ab æterna morte in inferno me eruisti, vitam meam hic produxisti, cum pene deficerem & perirem, me consolatus es, meque ab omnibus tentationibus & molestiis liberasti. Benedic Domino anima mea.

§. 91. *Magna consolatio ex concione habita a Patr. Episcopo Aberdonensi.* *Die* 2. *Januarii*, magnopere in Deo lætabar, cum patrem meum Episcopum Aberdonensem in concione sua hæc orationis Davidicæ verba exponentem audirem, ubi apud Deum de bostibus queritur: Deus, superbi insurrexerunt adversum me, & congregatio fortium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo. (*Psalm.* 86. 14.) Id hostibus meis spiritualibus omnibusque meis ærumnis applicui. Tunc iis suum opposuit refugium his verbis: At tu Domine es Deus misericors & clemens, longus irâ & multus misericordia & veritate. (*Ps.* 86. 16, 17.) Magnam hic habemus consolationem, necessarium etiam documentum ut patrem nostrum cœlestem imitemur. Jam David ut sibi applicet seque certum reddat omnem hanc Dei benignitatem ac misericordiam ad se pertinere, se servum Dei ac filium ancillæ ejus profitetur, in precatione quam subjungit, quæ gradatim has quinque continet petitiones. 1. Respice ad me. 2. Et miserere mei. 3. Da fortitudinem tuam servo tuo [hoc cor meum a Deo petiit, & fortitudinem accepit] 4. Et serva filium ancillæ tuæ. 5. Fac mecum signum in bonum, & videant odio habentes me, & pudore afficiantur: quod tu Domine adjuveris me, & consolatus fueris me. Ut auxilium consolatorium & consolationem auxiliarem illustraret, hæc alterius Psalmi verba citavit. In multitudine cogitationum mearum in intimo meo, consolationes tuæ lætificarunt animam meam. (*Ps.* 94. 19.) Quibus magnam percepi consolationem. Deo meo sit omnis laus. Amen.

§. 92. *Consolationum divinarum fontes.* *Die* 3. *Januarii* 1625. Mane in orationibus ac meditationibus meis, magnopere me consolata sunt, lumen vultus Dei, fortitudinis & consolationum ejus me sustentantium sensus, ejusque gratia animam meam renovans & lætificans, cœlestis ejus gloriæ spes certa, benignæ etiam, clementis, ac potentis ipsius directionis ac tutelæ & in vita & in morte certitudo, Spiritus etiam sanctus pacem in anima mea operans, meque certum reddens quod & potens sit & volens, adque meam consolationem mirabiliter faciet in laudem gloriæ gratiæ suæ, & quod me in munere fungendo & in omnibus roborabit, benedicet & consolabitur. Benedictum sit sanctum ejus nomen in æternum. Amen. *Hallelujah.*

Et cum timerem ne in tentationem inciderem, me in hoc consolatus est, ut non timerem, quia ipsi cura est de me. (1 *Pet.* 5. 7.) In suam me recepit tutelam, deducet me consilio suo dum hic sum, & me postea excipiet cum gloria. (*Ps.* 73. 24.) Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël, ille erit, imo est meus custos. (*Ps.* 121. 7.) Dominus custodiet me ab omni malo, custodiet animam meam. (*Ps.* 121. 8.) Dominus custodiet exitum meum & introitum meum ex hoc tempore in æternum. Hallelujah.

§. 93. *Oratio.* Domine, tu me pro certo tibi credere & in te ex toto corde sperare jussisti; hæc enim sunt promissa tua, & verum est verbum tuum. Credo, Domine, succurre incredulitati meæ. Quique hoc initium in me operatus es, perfice. Domine hoc tuum opus in me, & confirma & corrobora hoc quod operatus es in me. O Domine, nos semper in te gaudere jubes: (*Philip.* 4. 4. *Psal.* 32. *v. ult.*) & liberis tuis hic etiam plenitudinem gaudii ineffabilis & gloriosi promisisti. (*Joh.* 16. 24. 1 *Pet.* 1. 8.) Da nobis Domine, & in nobis hoc gaudium perfice. Lætifica animam servi tui: quoniam ad te Domine animam meam attollo. (*Ps.* 86.) O pacis & amoris Deus, mecum sis tu; (2 *Cor.* 13. 11.) Et misericordia, pax & charitas, (*Jud. v.* 2.) fructusque omnes spiritus multiplicentur mihi, (*Gal.* 5. 22, 23.) ut tibi semper serviam in justitia, pace & gaudio per Spiritum sanctum, ut tibi Deo meo per Jesum Christum Dominum meum acceptus sim, & probatus sim hominibus, (*Rom.* 14. 17, 18.) ad laudem gloriosæ tuæ gratiæ per Jesum Christum Dominum meum. (*Eph.* 1. 6.) Tu Domine qui audis orationem, (*Psal.* 65. 2.) quique nobis dixisti, petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit, & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur. (*Matth.* 7. 7, 8.) Audi Domine, & benigne suscipe hanc meam orationem, (*Ps.* 6. 8, 9.) omnesque alias: Promisisti Domine spiritum tuum sanctum qui maneat nobiscum in æternum; (*Luc.* 11. 13. *Es.* 44. 3. *Joh.* 14. 16. *Rom.* 8. 10. *Gal.* 4. 6.) O Domine, Abba pater, da nobis spiritum tuum sanctum qui maneat nobiscum in æternum. Amen. Hallelujah. Tunc factus sum coram eo quasi pacem reperiens. (*Cant.* 8. 18.) Inveniat servus tuus gratiam ante oculos tuos. (*Exod.* 33. 13.) *Invenisti gratiam coram me & teipsum novi ex nomine; facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* (Exod. 33. 14, 17.) *Et tu conversus confirma fratres tuos*; (Luc. 22. 32.) *& ego ero in ore tuo, doceboque quid loquaris*; (Exod. 4. 12.) *daboque tibi os & sapientiam cui non poterunt contradicere nec obsistere omnes inimici tui.* (Luc. 21. 15.) O da mihi Domine scientiam cum amore, (1 *Cor.* 8. 1, 2, 3.) humilitate & sobrietate. (*Rom.* 12.) Fac ut volens tibi serviam, (1 *Cor.* 9. 19.) cum gaudio & non mœrore; (*Heb.* 13. 17.) serva Domine animam meam, (*Psal.* 86. 2.) ut ipse, evangelii, quod aliis prædico, particeps fiam. (1 *Cor.* 9. 23.) Amen. *Hallelujah.*

§. 94. *Meditatio consolatoria in Jon.* 2. 5, 6, 7, 8, 9. *Die* 10. *Januarii* 1625. Me a morbo quo præcedente die laborabam, levatum sentiens, horum verborum Jonæ Prophetæ, cum eximia consolatione & grato corde, recordatus sum. Circumdederunt me aquæ usque ad animam, &c. tamen sublevasti de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, & venit ad te oratio mea, ad templum tuum sanctum. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcunque vovi reddam pro salute mea Domino. *Jon.* 2. 5, 6, 7, 8, 9.

§. 95. *Certitudo propria salutis per Spiritum adoptionis.* Comparationem inter tribulationis magnitudinem, miramque ab eâ liberationem instituit, quam ex hoc amplificat, quod ita fuerit languidus ut loco precationis, Domini recordatus sit, &, ut dicit, *v.* 4. respexerit versus sacrum Dei templum. Si ergo propter debilitatem precari nequeamus, versus sanctum ejus templum respiciamus, imo Dei recordemur, & hoc erit ei accepta precatio. (*Esa.* 49. 13.) Cum etiam

nos

nos fugit memoria, semper nostri Dominus Deus noster in misericordia magis recordatur, quam mulier liberi sui. Pro misericordia oravi, ille respondit; (*Matth.* 9. 2.) *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Pro fide & consolatione oravi, Dominus respondit: (*Luc.* 12. 32.) *Noli timere, quia complacuit Patri tuo dare tibi regnum,* (Joh. 14. 2.) *tibi paratus est locus in cœlis.* Pro ejus directione, præsentia & gratia, in hoc vitæ curriculo, sub certa futuræ gloriæ spe, oravi. Respondit Dominus: (*Exod.* 33. 12, 14.) *Invenisti gratiam coram me, & facies mea præcedet te.* Oravi ut moderetur omnibus meis imperfectionibus. Respondit Dominus: (2 *Cor.* 12. 9.) *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* (1 Cor. 15. 57.) Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.

§. 96. *Spiritualia cum Deo colloquia. Ineffabilesque cœlestes consolationes, & certitudo misericordiæ & gratiæ & salutis per Christum.*

[Hanc divinam consolationem renovavit mihi Dominus, 28. Octobris 1639. Benedictus sit Dominus propter ineffabilia ejus dona, abundantem gratiam & divitias misericordiarum. Amen. Et rursus April 18. 1640. & Maji 11. 1645.]

§. 97. Hinc hæc sequitur exhortatio. (1 *Cor.* 15. 58.) Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, immoti, eminentes in opere Domini semper, quum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino. Quam ad animam meam verti, in Deo meipsum hortando & consolando. Quam etiam in orationem pro stabilitate verti, atque hanc etiam exhortationem, (1 *Cor.* 16. 13, 14.) vigilate, state in fide, viriliter agite, estote fortes. Omnia vestra cum charitate fiant. (*Luc.* 1.) Sanctum, Domine, da tuum Spiritum prout promisisti. Respondit mihi Spiritus sanctus: (*Ps.* 132. 13, 14. *Vide Ps.* 86. 4. & 119. *in primis vers. Zain.* & 118. 23, 24.) *Elegit te Dominus, expetivit ut esses habitaculum sibi. Hæc requies mea usque in sæculum, hic habitabo quoniam expetivi eam. Hallelujah.* (Esai. 41. 17, 18.) *Cum egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt, & lingua eorum siti aruit, ego Dominus exaudiam eos, ego Deus Israël non derelinquam eos, aperiam in supinis collibus flumina, & fontes in medio camporum: ponam desertum in stagna aquarum & terram inviam in rivos aquarum.*

§. 98. *Vide de hoc argumento apud Gratianum caus. 13. qu. 2. can. quam præposterum & aliquos seq. can.*

Præparatio ad mortem. Vid. 10. Mart. 1640.

Posthæc, ægritudo mea ingravescit, meque spacio trium aut quatuor hebdomadarum tenuit a die 9. Januarii usque dum quidam Februarii dies præteriissent. Hoc in morbo magnopere me solata est & sustentavit Dei mei gratia, dum prioris meditationis, quam die 10. Januarii habui, recordarer, & lætabar dissolvi & esse cum Domino Jesu Christo, in domo Patris mei cœlestis. Et quæcunque occurrebat tentatio, vel ad me terrendum vel impediendum, præsentem dedit mihi Dominus exitum in victoria & triumpho per Christum. Cum de peccatis cogitarem, sustinuit me misericordia ejus. Cum de morte cogitarem, (*Ephes.* 1. 18.) gavisus sum in claro prospectu spei vocationis Dei, (*Rom.* 5. 1, 2, 3.) & in certa ejus gloriæ spe. In meditatione cœlestis istius, cum Christo, & sanctis Angelis, & Sanctis defunctis, cohabitationis, in cœlestis mei Patris domo & jucunda præsentia, ubi neque peccatum neque mœror ullum tenent locum, sed (*Psal.* 16.) satietas lætitiarum est cum vultu ejus & delectationes ad dexteram ejus, in finem usque. Quanquam enim corpora nostra ad tempus aliquod in sepulchris dormiant, tamen non (*Esa.* 26. & *Job.* 5. & 1 *Cor.* 15.) solum in gloria & vigore ad æternam vitam & gloriam suscitantur, sed etiam, animæ a corporibus separatæ immediate (*Luc.* 23. 43.) in paradisum feruntur, ut sint cum Domino & lætentur in præsentia ejus, in læta & certa exspectatione reunionis animarum nostrarum cum corporibus die novissimo, & in eum usque diem in animis præsentes cum Domino, neque timorem neque dubium neque tristitiam habebimus, (*Apoc.* 14.) a laboribus quiescemus, & ambulabimus in visione ejus gloriæ, quam nunc expectamus & credimus. Adeo ut etiam vita ista animæ sine corpore in paradiso, multo desiderabilior sit, felicissimo totius hominis hic in terra statu, ubi peccato & doloribus exercentur. (2 *Cor.* 5. 6, 7, 8.) Idcirco (ut dicit Apostolus) confidenti animo sumus, semper scientes quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. (per fidem enim ambulamus & non per aspectum.) Audemus, inquam, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore & præsentes esse ad Dominum. Si alicujus rei a me in hoc mundo faciendæ respectus in morbo meo mihi occurreret, instanter hac meditatione quietem & consolationem percepi, nempe, quod Dominus sine me æque ac per me præstare poterit quicquid erit necessarium eorum quæ spectant, vel ad publicam meam Theologiæ professionem & Evangelii ministerium, vel ad officium Christianum, vel ad consolationem amicorum, vel ad familiæ meæ sustentationem, vel ad piorum consolationem, vel ad ora impiorum claudenda.

§. 99. *Sententia a Deo recepta hic aliquantisper manendi.*

Dum ita quiete & jucunde apud me statui, humiliter tamen ob rationes supradictas aliquantisper hic manere inclinans, sine ulla tamen molestia, ut dixi: a Deo sententiam recepi, hic manendi ob rationes supradictas, quibus quanquam Deus sine me providere poterit, tamen ex amore animæ meæ, & aliorum ad me pertinentium, ei placuit non sine me sed per me facere, ut ministerio meo cursus theologicus absolvatur, & similiter ut meis publicis concionibus, privatis admonitionibus & pio exemplo peccatores ad Deum adhuc convertantur, infirmi confirmentur, & afflicti consolentur, & vita mea ac ministerio & evidentia præsentiæ & benedictionis divinæ mecum, Dei liberi læti fiant, & os impii claudatur, pater aliique amici pii consolentur, uxor & liberi mei consolationem, instructionem & huic vitæ necessaria habeant, & ut ipse cum pio rege Hezekia *Esa.* 38. & cum Paulo Apostolo 2 *Cor.* 1. hinc habeam amoris Dei erga animam meam, experientiam, & non in meipso aut alia aliqua re mundana, sed in solo Deo, qui mortuos suscitat, fiduciam ponere, & alios afflictos, eodem, quo ipse a Deo solatus sum, solamine, consolari discam, & ut in his omnibus Deus glorificetur. Etiamsi enim lætari debemus, imo desiderare præsentes esse cum Domino in paradiso illo cœlesti, magnum tamen lætandi Deumque laudandi argumentum habemus, cum nos in beatitudinis istius spe confirmans certosque reddens, in hac vita in misericordia & amore ejus continuat. Debemus enim gaudere & laudare Deum propter omnia ejus dona. Hoc est ex donis ejus quæ promisit liberis suis & quinto annexuit mandato, dicit Apostolus (*Philip.* 1. 22.) Quanquam moriendi desiderium habeo, si vivam in carne, hic mihi fructus operis est. Et quanquam hujus vitæ promissa, quæ pietas habet, (1 *Tim.* 4. 8.) conditionabiliter intelligenda sint, quod ea accipiemus si pro nostro fuerint commodo, (*Psal.* 34. 10.) (Quoniam non est penuria Deum timentibus.)

tamen hinc augetur nostra consolatio, & magis exciamur ad Deum propter hæc beneficia laudandum, cum ea accipimus: Quia pro certo constat, propter nostrum commodum, & amorem ejus erga animas nostras hæc nobis dari, ut loquitur pius ille rex. *Esai.* 38. Præterea hæc Psalmistæ verba in memoriam revocemus & perpendamus. (*Ps.* 115. 16, 17, 18.) Cœlum, cœlum inquam Domini est: terram autem dedit filiis hominum. Non mortui laudabunt Dominum, nec descendentes in silentium. Nos autem benedicemus Domino ex hoc tempore & usque in sæculum. Hallelujah. Laudate Dominum: Et totum Psalmum 19. Cœli enarrant gloriam Dei &c. & *Ps.* 29. 9. In templo ejus omnes loquuntur de gloria ejus, & *v.* 11. Dominus fortitudinem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace, una cum scripto Hezekiæ Regis Judææ *Esa.* 38. Et dicta illa Apostoli Pauli, (*Eph.* 3. 10.) ut innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus, per Ecclesiam (militantem scilicet, ut ex textu manifestum est) multiformis Dei sapientia. Et hoc Petri Apostoli loquentis de benigna Dei dispensatione erga Ecclesiam militantem, (1 *Pet.* 1. 12.) in quem desiderant Angeli prospicere. Et hisce aliisque hujusmodi locis rite consideratis, duo hæc discemus documenta: 1. Magnum est Dei erga hominem beneficium, quod ei hanc vitam temporaneam concedit, & in ea terræ hujus usum, cum contemplatione operum creationis & gubernationis hujus mundi visibilis: Quo amplam habemus occasionem Deum glorificandi, eique serviendi, in eoque lætandi; non enim frustra creavit Dominus hunc mundum, sed in hominis bonum & usum, & propter suam gloriam. 2. Dominus Ecclesiam hic in terra habebit, quamdiu duraverit mundus, quam Ecclesiam inhabitat, & ubi vult homines, ex quibus Ecclesia sua consistit, de gloria ejus loqui; qua Ecclesia, & benigna erga eam dispensatione, vult, ut cognoscant Angeli immensam ejus sapientiam. Ideoque pius ille Rex Hezechias tanti fecit tempus sibi concessum Deum hic inter viventes super terram in templo suo sancto laudandi, Dominum terram viventium inhabitantem in Ecclesia sua militanti videndi, in qua nemo mortuorum laudare potest Dominum, etiamsi jam a laboribus quiescant, & Dominum inter Angelos in cœlis laudent. Adeo ut non minimum sit Dei beneficium, gratiam & libertatem habere eum hic in terra in Templo suo laudandi. Pium equidem est desiderium, desiderare potius abesse a corpore & adesse Domino, vel potius immortalitate vestiri, & adesse Domino in corpore & in spiritu: Sed hæc desiderantes, cujus simus spiritus recordemur, vel si sciamus quid dicimus aut desideramus. Petrus Apostolus cum gloriam Christi in monte viderat, (*Marc.* 9.) ibi manere cupivit, & de tabernaculis illic condendis locutus est, Quia, inquit, bonum est nos hic esse. Verum Spiritus sanctus ipse testatur quod nesciebat quid diceret. Bonum erat Lazaro aliisque piis animis, qui in Paradisum abierant, erat (inquam) bonum, eos ibi esse & manere, sed tempus horum ibi manendi nondum venerat, non tamen iis malum erat in hac vita pro tempore manere, ubi laudaturi erant Dominum in Ecclesia militanti. Si equidem amborum statuum differentiam simpliciter spectemus, unum hic in Ecclesia militanti, alterum supra in Ecclesia triumphanti, procul dubio melius est dissolvi & esse cum Christo in Paradiso, ut testatur Apostolus Paulus *Philip.* 1. 23. & 2 *Cor.* 5. tamen impræsentiarum ignoramus uter horum nobis sit melior, sed tantum hoc scimus, quod impræsentiarum nobis optimum sit Dei favore frui, eo gradu qui ad nostram confirmationem & consolationem sufficiet, & ad laudem gloriæ gratiæ ejus, in eo loco & societate, ubi ei placebit nobis suam dignari præsentiam. Idcirco idem Apostolus Paulus in primo capite Philip. dicit, se quid eligat ignorare, seque constrictum utrinque teneri, non obstante modesto ejus desiderio dissolvi & esse cum Domino Jesu Christo, quod in consideratione supra memorata multo melius est. Quapropter statuamus, non nos sed Dominum cognoscere, quid pro nostro fiet commodo nunc & in æternum, eique animas corporaque nostra bene agendo, tanquam fideli creatori redemptorique commendemus, & non revelata linquentes, in lumine revelato quiescamus, (2 *Cor.* 5. 9.) id est ut contendamus, sive absentes, sive præsentes, illi placere; hoc enim scimus quod semper & in locis omnibus (*Psal.* 73.) bonum sit nobis adhærere Deo, & in eo spem nostram ponere, & grate enarrare omnia opera ejus, neminem habere in cœlis præter eum, & neminem ab eo velle super terram, qui solus robur cordis nostri est, & pars nostra in æternum, qui per omnes hujus vitæ angustias & tentationes deducet nos & postea cum gloria suscipiet, (*Psalm.* 29.) qui fortitudinem populo suo dabit, & benedicet populo suo in pace, qui dat liberis regni sui etiam hic in terra ei apte servire per Jesum Christum (*Rom.* 14.) in justitia, pace, & gaudio in Spiritu sancto, (*Luc.* 1. 74, 75.) servire ei in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ.

Cum sentirem me quasi remissum esse ut hic aliquamdiu viverem, & cum gratias egissem Domino, propter id clemens beneficium, cum Moyse & Apostolo Paulo Deum precatus sum ut mihi benignam suam daret præsentiam, dicens, Faciens tua Domine præcedat me, aut ne me remittas; tunc consolatorium hoc accepi responsum: (*Exod.* 33. 14.) *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Et dixi: O Domine, inveniat servus tuus gratiam in conspectu tuo, ut nunquam propter mœrorem sim animo fractus, neque a peccato seducar. Tum mihi respondit: (*Exod.* 33. & 2 *Sam.* 7. 20. & 1 *Cor.* 1. 9. & 1 *Thess.* 5. 24. & *Rom.* 4. 23, 24. & 15. 4.) *Facies quidem mea præcedet te, verba enim mea sunt vera, & scripta ut liberi mei per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeant.* (*Exod.* 33. 17.) Et *invenisti gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine.* Et dixi, Domine, Domine, caro mea & cor meum, omni levissimo impetu deficere prona sunt. Respondit mihi Dominus; *Ne timeas.* (*Lament.* 3. 57.) *Ego enim sum robur cordis tui & pars tua in æternum.* (Ps. 73. 26.) *Sufficit tibi gratia mea.* (2 Cor. 12. 9.) *Non te deseram nec derelinquam.* (Hebr. 13. 5.) Tum dixi: Fac Domine (*Heb.* 13. 17.) ut tibi serviam cum gaudio & non cum mœrore, hoc enim servo tuo molestum esset, & etiam non expediret populo ut ipse dixisti. (*Matth.* 7. 7, 8. *Luc.* 11. 13.) Et jussisti nos rogare, promittens quod accipiemus ipsum Spiritum sanctum si petiverimus, (*Joh.* 16. 23. & 1 *Joh.* 5. 14, 15.) & quod nobis dabis, quodcunque petierimus, in nomine Christi, secundum voluntatem tuam, (*Luc.* 11. 13.) & quod nobis hæc bona cum amore paterno dabis. (*Psal.* 145. 18, 19.) Propinquus es omnibus invocantibus te, & voluntatem timentium te facies; (*Luc.* 18. 13, 14.) & tu peccatores pœnitentes exaudies & justificabis, (1 *Joh.* 1. 9.) & si pecca-

[Margin: §. 100.]

[Margin: *Cœleste colloquium.*]

[Margin: *Oratio.*]

[Margin: *Argumenta certitudinis, exauditionis, & petitionum concessus.*]

ta

ta nostra confiteamur, fidelis es & justus, peccata nostra remittere & emandare nos ab omni iniquitate. (*Matth.* 5.6.) Dixisti: beati sunt qui esuriunt & sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur. (*Ps.* 25.8.) Bonus & rectus es, ideo docebis peccatores viam. (*Ps.* 86. 15.) Et tu Domine, es Deus misericors, & clemens, longus irâ, & multus misericordiâ & veritate. (*Psalm.* 103.8.) Longus irâ & multus misericordiâ, (*Joël* 2.13. *Jona.* 4.2.) & ignoscens super malitia. (*Jer.* 31. 33, 34. *Hebr.* 8.10, 11, 12. & 10.16, 17.) Hoc est pactum gratiæ tuæ nobis, quod dabis legem tuam in visceribus nostris, & in corde nostro scribes eam, & eris nobis in Deum, & erimus tibi in populum, & quod omnes cognoscemus te, & propitiaberis iniquitati nostræ, & peccati nostri non amplius recordaberis. Hoc igitur cum sit secundum voluntatem tuam, quotidie te precamur ut nos dicere docuisti, Pater noster qui es in cœlis, remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Imo Domine, quodcunque nobis a te mandatum est, & revelatum est nostrum esse officium; omne istud est secundum voluntatem tuam, nihil enim nobis a te mandatum, & nihil revelatum nostrum esse officium, quod non sit secun um voluntatem tuam. Imo (*Ezech.* 36. 26, 27.) promisisti, quod facies ut in præceptis tuis ambulemus, & ut judicia tua custodiamus. Et quicquid nobis promisisti est secundum voluntatem tuam, & fidelis es & verax qui stes promissis. Et quodcunque nos petere docuisti sive exemplo sive præcepto, omne illud est secundum voluntatem tuam. Orationes enim in Scripturis Sacris conscriptæ, quas quidam Spiritus Sancti instinctu conceperunt, propter beneficia, quorum nos etiam indigemus, (*Rom.* 4. 24.) propter nos scriptæ sunt, (*Rom.* 15.4.) & ad nostram doctrinam, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. (*Rom.* 8.) Spiritus etiam semper postulat secundum voluntatem tuam. Et Domine Deus veritatis promisisti, (*Ioh.* 14. 13, 14. & 16. 23. & 1 *Ioh.* 5. 14, 15.) quodcunque petierimus in nomine Christi secundum voluntatem tuam, te daturum nobis. Exaudi igitur Domine, & hæc concede servo tuo quæ precatur, & quæ humiliter, sincera, integra, quanquam imperfecta, justitiæ siti & fame, a te Deo meo postulo, secundum voluntatem tuam. (*Ps.* 143.2.) Ne intres Domine in judicium cum servo tuo. (*Psal.* 51.9. & *Ier.* 31.24. *Heb.* 8.12. & 10.17.) Propitiare Domine iniquitati meæ. Averte faciem a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. (*Rom.* 15. 13.) O Domine Deus spei, repleas me quæso omni gaudio & pace in credendo, ut abundem spe in virtute Spiritus Sancti. (*Ps.* 51. 10, 12.) Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis, & spiritu tuo voluntario confirma me. (*Ps.* 25.4, 5.) Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Salvator meus, & te sustinui tota die (*Ps.* 143 10.) Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam. (*Ps.* 86.) Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum. (*Esa.* 48.17, 18.) Domine Deus, doce me utilia, & guberna me in via qua ambulo, ut attendam mandata tua, ut fiat sicut flumen pax mea & justitia mea sicut gurgites maris. (*Ps.* 69. 13, 14, 15, 16, 17, 18.) At ego orationem meam ad te Domine converto tempore beneplaciti: Deus propter multitudinem misericordiæ tuæ exaudi me; propter veritatem salutis tuæ, eripe me e luto: Exaudi me Domine, quoniam bona est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice ad me, & ne abscondas faciem tuam a servo tuo, quoniam angustia est mihi, festina, exaudi me, appropinqua animæ meæ, redime eam, propter inimicos meos redime eam.

Die 7. *Iunii* 1625. Legebam *Apoc.* 22. & territus judicio pronunciato adversus incredulos, & §. 101.
timidos &c. *versu* 8. solidam percepi consolationem ex verbis Dei, *versu* 6. Ego sitienti [τῷ διψῶντι] dabo de fonte aquæ vitæ gratis, & ex eo Salvatoris dicto *Matth.* 5.6. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; ii enim saturabuntur.

Eodem die meditans in Christi promissum de *Consolatio*
mittendo illo altero consolatore Spiritu sancto, *ex promisso*
spiritu veritatis, ut ducat eos in omni veritate, *Spiritu*
& ut maneat cum iis & in iis in æternum, (*Ioh. sancto.*
14, 15, 16.) & in memoriam revocans, (*Rom.* 8. & *cap.* 15.4. *Eph.* 1. *Galat.* 4. &c. & 1 *Ioh.* 2. & 3. & 4.) quod promissum sancti Spiritus ad omnes fideles spectat; oravi Dominum (*Ps.* 51.) ut confirmaret me spiritu suo voluntario, & ut nunquam mihi Spiritus sui Sancti consolationem adimeret. (2 *Cor.* 4.13.) Et ut spiritum fidei mihi daret, & (*Rom.* 8. 15. & 2 *Tim.* 1.7.) a spiritu metus & servitutis me liberaret, & spiritum amoris virtutis & sobrietatis mihi concederet. Et ita magnopere consolatus & confirmatus fui. Benedictus sit Dominus.

Die Iunii 19. *Die Dominico*, tempore post- §. 102.
meridiano in Museo meo solus, Deum meum *Oratio.*
& Patrem cœlestem, humiliter, sincere, & ardenter precatus sum ut mihi daret misericordiam & gratiam, præsertim sanctum suum amoris spiritum, quo cum lætantibus lætarer, & cum lachrymantibus lachrymarer, nulli sim invidiosus, non ex malo aut ex damno alicujus delectationem capiens, sed integro corde & oculo simplici omnes in Domino amans, nihil mali suspicans, non de amore Dei erga me diffidens. Sed ut semper amorem ejus & solitum salutis ejus gaudium sentiam, & ut ei semper adhæream, eique serviam ex toto corde, & confidam misericordiæ ejus, sanctumque ejus nomen laudibus efferam, sancto ejus Spiritu me ducente & consolante, & cor meum gaudio & pace, atque os meum lætis laudis cantibus replente, & ut in omnibus operibus meis inserviam laudi gloriæ ejus gratiæ. Et pro his oravi
in nomine Domini Salvatoris & Advocati mei *Consolatio.*
Jesu Christi, & abundanter supra expectationem meam aut petitionem, corroborata & consolata est anima mea. Laudate Dominum. Amen.

Faveas mihi Domine in studiis meis, & in §. 103.
omni veritate ducas me sancto tuo veritatis *Oratio.*
spiritu, dirige me & benedic mihi in legendo sancto tuo verbo & in omni tuo cultu, inclina cor meum ad pietatem & virtutem, & gratiam mihi da omnia sapienter & recto corde obire. (*Esa.* 6.) Tange os meum & aufer iniquitates meas, (*Jer.* 1. &c.) & da verba tua in ore meo, & misericorditer & potenter mecum sis. In hunc modum orans accepi responsum pacis. *Hallelujah.* Lauda Dominum anima mea.

Te semper Domine laudabo ex toto corde §. 104.
meo, & ut in te Deo meo cor meum ponam & figam, in perfecta pace me serva, fac ut me mali nuntii non terreant, sed ut semper læter in nomine tuo & ambulem in lumine vultus tui, ab internis me purga corruptionibus, os meum sanctifica, & dirige me in via mandatorum tuorum, & fulgeat gratia tua in ipso meo vultu & in conversatione mea. Da mihi gratiam cum humilitate & amore, fidem nostram augeas Domine. Benedic

nedic omnibus qui ad me ſpectant. Benedic omnibus pro quibus orare debeo, ſerva populum tuum Domine, benedic hæreditati tuæ. *Amen. Hallelujah.* Benedictus ſit Dominus qui orationem meam non repulit, nec a me miſericordiam retinuit: Sed omnia peccata mea condonavit, omneſque meos morbos ſanat. Laudate Dominum in ſæcula ſæculorum.

[Die 12. Oct. 1627. ſuaviſſimam percepi conſolationem ex relectione harum meditationum & precationum. Benedictus ſit Dominus. Amen & Amen in æternum. Et rurſus 25. Aug. 1628. & 28. Octob. 1639. & 21. Sept. 1639. & 15. Mart. 1645. Hallelujah.]

§. 105. *Solitum ſalutis Dei gaudium mihi reſtitutum, laudate Dominum in ſempiternum. Amen.*

Die 24. Junii An. 1625. Solitum ſalutis Dei gaudium reſtitutum eſt mihi, & repletus eram conſolationibus cœleſtibus & ſpirituali gratia a Domino Deo meo per Jeſum Chriſtum Dominum & Salvatorem meum cui ſit laus in æternum. *Amen. Hallelujah.*

Cum tu Domine dixeris: (*Jer.* 30. 21.) Quis iſte eſt qui applicet cor ſuum ut appropinquet mihi, ait Dominus. Reſpondit cor meum, appropinquabo tibi & faciem tuam quæram, fac ut appropinquem tibi & appropinqua mihi in miſericordia, neu ſis terribilis mihi. Cor mundum crea in me Deus, & rectum ſpiritum renova in viſceribus meis. Delectare Domine, habitare in corde meo in æternum, neu ſis ut advena & viator, qui pernoctat tantum. Sed mecum maneas in æternum, & facias me delectari in te Deo meo, & multiplici pace tua. (*Pſ.* 51.) Et me ſuſtenta ſpiritu tuo voluntario, (1 *Pet.* 5.) ut in plena fidei certitudine omnem meam ſollicitudinem in te projiciam, quia tibi cura eſt de me; & ab amore hujus mundi liberer, (*Matth.* 6.) & cor meum & theſaurum in cœlis habeam, (*Matt.* 11.) & ſempiternam in te Domino meo & Salvatore requiem animæ meæ habeam. (*Pſ.* 107.) Et Dominus conſolatoria mihi dedit reſponſa, miſit verbum ſuum & ſanavit me. (*Pſal.* 138.) Roboravit me in anima mea fortitudine, (2 *Tim.* 2.) & roboravit me fortitudine quæ eſt in Jeſu Chriſto, (*Eph.* 3.) & magnopere me corroboravit in interno homine, (*Pſalm.* 112.) ita ut cor meum in eo ſit defixum, & liberum a metu auditionis mali, repletum gaudio & amore, & certa & læta ſpe gloriæ Dei. Et pro certo perſuaſus ſum, Dominum quid mihi & cuicunque liberorum optimum ſit cognoſcere: Et ipſi curam eſſe de nobis, & id quod gloriæ ejus & noſtro commodo optimum ſit, facturum, idque propter Jeſum Chriſtum (*Matth.* 12.) Filium ſuum dilectum, in quo bene complacuit animæ ejus, cui (*Rom.* 8.) etiam non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, (*Joh.* 3. 16.) propter ſuum erga nos amorem. Portio Scripturæ qua in ordinaria lectione conſolatus ſum, fuit *Jerem.* 31. ubi Dominus dicit: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans. Rurſumque ædificabo te, & ædificaberis *v.* 3, 4. Exultate in lætitia & dicite; ſalva Domine populum tuum, reliquias Iſraël. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ *v.* 7, 8. Qui diſperſit Iſraël, congregabit eum, & cuſtodiet eum, ſicut paſtor gregem ſuum. Redemit enim Dominus Jacob, & liberabit eum de manu potentioris. Quapropter venient & laudabunt in monte Zion, & confluent ad bona Domini ſuper frumento, & vino, & oleo, & fœtu pecorum & armentorum: eritque anima eorum quaſi hortus irriguus, & ultra non triſtes erunt. Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes & ſenes ſimul: convertam enim luctum eorum in gaudium, & conſolabor & lætificabo eos a dolore ſuo. (*Hic notandum liberos Dei aliquando lugere, ſed Dominus ſuo tempore convertet luctum eorum in gaudium.*) Et inebriabo animam ſacerdotum pinguedine: & populus meus bonis meis adimplebitur, dicit Dominus. *v.* 10, 11, 12, 13, 14. Hæc dicit Dominus, quieſcat vox tua a ploratu, & oculi tui a lachrymis *v.* 16. & ita per totum illud conſolatorium caput. *Hallelujah.*

Conſolationis etiam incrementum ſenſi *Matt.* 16. *v.* 8, 16, 17, 26. omnia mihi ipſi applicans. *Hallelujah.*

§. 106. *Conſolatio ex meditatione 2 Chr.* 20.

Die 23. Julii 1625. Magnopere conſolatus ſum meditando 20. *cap.* 2 *Chron.* ubi ſcriptum eſt Jehoſaphatum Judææ Regem timore perterritum propter certum nuncium belli adverſus ſe parati, ab Amonitis, Moabitis & Edomitis, ſe totum contuliſſe ad rogandum Dominum, & in publica oratione Deo faſſum eſſe dicentem: Deus noſter, in nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. *v.* 12. Et hoc conſolatorium accepit reſponſum: Attendite omnis Juda, & qui habitatis in Jeruſalem, & tu Rex Joſaphat: Hæc dicit vobis Dominus: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: Non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei: Cras deſcendetis ——— ——— Non enim eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos ô Juda & Jeruſalem: Nolite timere nec paveatis: cras egredimini contra eos, & Dominus erit vobiſcum. Joſaphat ergo & Juda, & ſacerdotes & Levitæ laudarunt Dominum: victoreſque facti rurſus Dominum laudarunt *v.* 15, 16, 17, &c.

Hanc hiſtoriam, precationem & conſolationem & gratiarum actionem mihi ipſi in ſpirituali meo bello accommodabam, adverſus tribulationes & tentationes; & conſolationem & fortitudinem accepi a Domino. *Hallelujah. Amen.*

§. 107. *Meditatio in hiſtoriam præparationis Chriſti ad mortem, ejuſque promptitudinis eam ſubeundi. Benedictus ſit Dominus in æternum. Amen.*

Die 5. Octobris 1625. Magnopere conſolatus & affectus ſui ex lectione & meditatione 14. *cap. Marc.* & Evangelii ſecundum S. Joh. *cap.* 13. 14. 15. 16. 17. Quam tranquille expectavit Salvator noſter ſuas paſſiones, proditorem tulit, mutuam diſcipulis præcepit charitatem, eos docuit, conſolatus eſt & oravit pro iis, & manſuete & voluntarie ſubiit dolores agoniæ, opprobrii, & mortis. O quantum nos dilexit! *Hallelujah.* Quæ cœleſtis conſolatio! *Joh.* 14. 12. 3. 13, 14, &c. Quæ pax! *Joh.* 14. 27. Quod gaudium! *Joh.* 15. 9, 11, &c. *cap.* 16. 21, 22, 23. *cap* 17. 13. *&c.* Lauda Dominum anima mea. *Hallelujah.* Gloria Deo in altiſſimis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Amen. Hallelujah* in æternum. *Amen & Amen.*

§. 108.

Die 9. Octobris 1625. Qui erat dies Dominicus, audivi explanatam in concionibus querelam Dei per Prophetam adverſus impatientes murmuratores & prophanos providentiæ Dei cenſores, dicentes, (*Mal.* 3. 13, 14, 15.) vanum eſt ſervire Deo &c. quo monemur, vanum non eſſe ſervire Deo, quanquam patienter eſt expectandum ſervis ſuis. Vanum quidem eſt & calamitoſum, Satanæ, peccato, aut huic mundo ſervire. Servientibus Deo, jugum ejus ſuave & onus ejus leve, Dominus enim iis id jucundum reddit, eoſque portat & ſuſtinet. (*Matth.* 11. 28, 29, 30. 1 *Joh.* 5. 3, 4. *Deut.* 1. 31. *Eſa.* 48. 17. *Jer.* 31. 33. & 32. 40. *Ezech.* 36. 26, 27.) Dominus

Bonum eſt ſervire Deo.

minus lætatur benefacere iis; & plantabit eos in terra ejus in veritate, in toto corde & in tota anima ejus, (*Jer.* 32. 4.) Sancti Angeli eos videre gaudent, (*Luc.* 15.) & iis mandatum eſt eos cuſtodire. (*Pſ.* 91.) & caſtrametantur circum eos, & eripiunt eos. (*Pſ.* 34.) Et percutit Dominus propter eos fœdus, cum beſtia agri, & voluere cœli, & cum reptili terræ, (*Hoſ.* 2. 18.) & cum lapidibus regionum. (*Job.* 5. 23.) Dominus quoque inimicos eorum convertit ad pacem. (*Prov.* 16. 7.) Ab auditione mala non timebunt. Paratum cor eorum ſperare in Domino. (*Pſ.* 112.) Non confundentur in æternum. (*Joël* 2. 26, 27.) Dominus effundit de ſpiritu ſuo ſuper eos, nomen Domini invocant & ſalvantur. (*Joël* 2. 28, 29. 30, 31, 32.) Dominus dirigit pedes eorum in viam pacis. (*Luc.* 1. 79.) Præcedit eos Dominus, & congregat eos Deus Iſraël. (*Eſa.* 52. 12.) Cum venerit hoſtis quaſi fluvius violentus, ſpiritus Domini eum fugabit. (*Eſa.* 59. 19.) Non erit penuria timentibus Deum. Quærentes Dominum non deficient ullo bono. (*Pſ.* 34. 9, 10.) Et requiem dabit iis Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam eorum, & oſſa eorum liberabit, & erunt quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cujus aquæ non deficient. (*Eſa.* 58. 11.) Clamabunt ad Deum & audiet eos, cum ipſis erit in tribulationibus & eripiet eos, & glorificabit eos, longitudine dierum replebit eos, & oſtendet iis ſalutare ejus. (*Pſ.* 91. 15, 16.) In omnibus ſunt benedicti. (*Deut.* 28. *Pſ.* 1. & 112. & 119. &c.) Bonum erit iis ſemper, (*Eccleſ.* 8. 12.) diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. (*Rom.* 8. 28.) Fidelis eſt Deus qui confirmabit eos & cuſtodiet a malo. (2 *Theſſ.* 3. 3.) Ipſe Deus pacis dat iis pacem ſempiternam in omni loco. (2 *Theſſ.* 3. 16.) Salus eorum a Domino eſt, protector eorum eſt in tempore tribulationis. Et adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos a peccatoribus, & ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo, finis eorum eſt pax. (*Pſ.* 37. 39, 40, 37.) Dominus deducet eos hic conſilio ſuo, & poſtea excipiet cum gloria. (*Pſ.* 73. 24.) Et in virtute Dei cuſtodiuntur per fidem in æternam ſalutem, in quo exultant, quanquam contriſtati in variis tentationibus. (1 *Petr.* 1. 5, 6.) In lumine vultus Domini ambulabunt, & in nomine ejus exultabunt toto die, & in juſtitia ejus exultabunt. Gloria virtutis eorum eſt Dominus, & in beneplacito ejus exaltabitur cornu eorum. (*Pſalm.* 89. 15, 16, 17.) Eſt voluntas Patris eorum cœleſtis regnum iis dare, (*Luc.* 12.) regnum paratum iis, a conſtitutione mundi. Imo vitam æternam in gloria, cum Jeſu Chriſto Domino. (*Matth.* 25. *Col.* 3. 4. *Philipp.* 3. 21. *Joh.* 17. 24. 1 *Theſſ.* 4. 17.) Ei ſit laus & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

§. 109. *Malum eſt ſervire Satanæ, peccato, aut mundo.*

Servitium autem Satanæ, peccati & mundi, homines benedictionibus memoratis privat, atque maledictiones hiſce oppoſitas in hac vita, & æternas poſt hanc vitam pœnas iis affert. *Deut.* 28. *Pſ.* 1. *Prov.* 1. *Eccleſ.* 8. 12, 13. *Eſa.* 48. 22. & *cap.* 50. 11. *Jer.* 17. 5, 6. *Matth.* 25. *Marc.* 9. *Eph.* 5. 5, 6. *Apoc.* 21. 8. & 22. 15.

Eodem die, nocturnis precationibus domeſticis cum familia mea privata, magnum ſenſi gaudium, magnam erga Deum fiduciam, & præſentiam Dei, benignamque ejus familiaritatem & reſponſum ad magnam meam conſolationem & corroborationem a gratia. *Hallelujah.*

§. 110. *Die* 10. *Octobris* 1625. in privata mea matutina precatione cum uxore in lecto. Lætam prioris quam præcedenti nocte habui, conſolationis continuationem & incrementum ſenſi. *Hallelujah. Amen.*

§. 111. *Dulces ac fortes conſolationes.*

Die 12. *Octobris An.* 1625. Dominum in muſeo meo orans, ut propter Jeſum Chriſtum me liberaret ab omni radice amaritudinis & incredulitatis, & ab omni pondere oſtenſivo gloriæ ejus, ab omni dolo peccati, ut renovaret me in Chriſto ut ſecundum cor ejus fiam: Senſi per gratiam ejus, conſolationem & gaudium ineffabile & glorioſum; obtenta Jacobi victoria & benedictione, tum deduxit me, ipſe Deus meus miſericordia mea, virtus ſalutis meæ deduxit me amanter ad ſtudia, paterna & cœleſtis benedictio, & præſentia ejus comitata eſt me. Lauda Dominum anima mea. *Hallelujah. Amen.* Benedictum ſit magnum tuum & ſanctum nomen per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, in quo tanta ſuper me accumulas beneficia, & in quo populo tuo & hæreditati tuæ benedicis. Domine ſtatuta tua edoce me, in omni veritate deduc me, ſancto tuo veritatis ſpiritu, & ſanctifica me in ſpiritu & corpore, & tecum ſim in æternum. Suſtenta me ſpiritu tuo voluntario, increpa devorantem, fuga Satanam & omnes poteſtates tenebrarum, & glorifica ſervum tuum in ſalute, converte & deduc domum vagas oves, gregem tuum paſcas & defendas. Neque Satanas, neque peccatum, neque ullus alius hoſtis prævaleat ſuper nos, ſed benigna & potenti tua dextera cuſtodi nos in faſciculo viventium. Deduc nos conſilio tuo Domine ſemper & in omnibus dum hic ſumus, & poſtea cum æterna gloria nos excipies. Amen. Da Domine fortitudinem ſervo tuo, ſerva me filium ancillæ tuæ, ut læter in gloria & gaudeam in te, omnibus diebus vitæ meæ, & ſemper in laudibus tuis triumphem, & demum lætum & benedictum ab hac peregrinatione exitum, & lætum & benedictum in cœleſte & ſempiternum gaudium, introitum habeam, ubi in præſentia tua, plenitudine gaudii & delectationibus ad dexteram tuam uſque ad finem fruar per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in cujus nomine, in omni humilitate, ſancto tuo & benedicto nomini æternas laudes & gratiarum actionem immolo. *Amen.* Etiam me ipſum, corpus & ſpiritum in ſacrificium tibi Deo meo offero, ut ſerviam tibi. O Domine ſalito & incende hoc ſacrificium ſancto tuo gratiæ ſpiritu, idque benigne accipe, propter Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum in quo complacet animæ tuæ, qui me dilexit, & ſeipſum propter me oblationem & ſacrificium tradidit tibi, & hoſtiam in odorem ſuavitatis.

Benedictum ſit nomen Domini, bonus enim eſt & miſericordia ejus durat in æternum. Amen. Hallelujah. Amen & Amen. Hallelujah.

Confirma Domine hoc quod operatus es in nobis. Pſ. 68.

Benedictus ſit Dominus Deus, Deus Iſraël, qui ſolus mirabilia facit, benedictum ſit nomen ejus ſanctum in ſæcula ſæculorum, & impleatur omnis terra gloria ejus. *Amen & Amen. Pſalm.* 72.

Omnia mea peccata condonavit & oblitus eſt, implevit cor meum gaudio & pace, & os meum cantibus liberationis, circumdedit me miſericordiis, certe bonitas & miſericordia me ſubſequetur omnibus diebus vitæ meæ, & inhabitabo domum Domini in longitudinem dierum, imo in æternum. (*Pſ.* 23.) Ego Domine cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane miſericordiam tuam, quia fuiſti ſuſceptor meus & refugium meum in die tribulationis meæ. Adjutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus miſericordia mea. (*Pſal.* 59.) Benedictum ſit glorioſum & ſanctum ejus nomen in Eccleſia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

§. 112. *Laus Deo.*

Lauda Dominum anima mea, benedic Domino anima mea. (*Pſ.* 103.) Benedictus Dominus, quoniam mirificavit miſericordiam ſuam mi-

hi in civitate munita. (*Pſ.* 31.) *Amen, Hallelujah.* Benedicam Domino in omni tempore; ſemper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: Audiant manſueti & lætentur. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus ſimul. Exquiſivi Dominum & exaudivit me; & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me, mihi juravit & confirmavit me. (*Heb.* 6. *Eph.* 3.) Acceſſerunt ad eum & illuminati erant, & facies eorum non confuſæ erant. (*Pſ.* 34.) Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, Altiſſime. (*Pſ.* 92.) Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cœlos gloria ejus. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra. Suſcitat a terra inopem &c. Laudate Dominum: (*Pſ.* 113.) Excelſus & ſublimis eſt habitans æternitatem: & ſanctum nomen ejus: In excelſo & ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu; ut vivificet ſpiritum humilium, & vivificet cor contritorum.

Mart. 22. *St. Vet.* 1645. Non enim in ſempiternum litigabit, neque uſque ad finem iraſcetur, neque vult, ut ſpiritus ejus deficiat, ſed iram ſuam abjiciet, & liberorum ſuorum miſerebitur, ſanabit eos & reducet eos; & reddet conſolationes ipſis & lugentibus eorum, & aperiet labia eorum, & creabit fructum labiorum, ut extollant laudem ejus, & magnopere lætentur in pace ejus. (*Eſa.* 57. 15. &c.) Ira ejus momento tantum durat, & vita in favore ejus, &c. (*Pſalm.* 30.) laus ejus durabit in æternum. (*Pſ.* 111.) Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus. Benedic anima mea Domino. (*Pſ.* 103.) Regnabit Dominus in ſæcula. Deus tuus Zion, in generatione ad generationem. Laudate Dominum. (*Pſ.* 146.) *Amen. Hallelujah.*

§. 113. *De perſeverantia in gratia.* *Diebus* 16. & 17. *Octobris* 1625. Imbecillitate mea & metu me male habentibus, clamavi ad Deum, & in verbo ejus conſolationem petii, meque exaudivit Dominus, & miſit verbum ſuum & me ſanavit.

§. 114. Non erat ex meipſo nec meis viribus quod primo credidi, neque eſt per virtutem aliquam mihi inhærentem quod adhuc in fide perſiſto, ſed (1.) omne illud eſt donum Dei, Qui robur meum eſt & Deus meus, miſericordia mea. Non in me quidem eſt perſtare in gratia Dei, ſed fidelis (2.) eſt qui vocavit me in ſocietatem Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui etiam me confirmabit in finem, ut ſim ſine crimine in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti. (1 *Cor.* 1. 8, 9. 1 *Theſſ.* 5. 23, 24.) Bonum opus quod cœpit in me, perficiet uſque in diem Jeſu Chriſti. (*Philip.* 1. 6.)

1. Deus ex libero ſuo beneplacito nos vocavit.

2. Fidelis eſt.

3. Fœdus ejus certum. (3.) Et quemadmodum nobiſcum certum pepigit fœdus condonare iniquitates noſtras, & peccatorum noſtrorum non amplius reminiſci, (*Jer.* 31. 34.) ſic etiam feriit nobis pactum ſempiternum, quod non deſinet nobis benefacere, ſed timorem ejus dabit in corde noſtro ut non recedamus ab eo. (*Jer.* 32. 40.)

4. Promiſſa ejus vera. Omnia (4.) promiſſa Dei in Chriſto ſunt Imo & Amen ad gloriam Dei per nos. Qui confirmat nos omnes, & paſtores & populum in Chriſto, & qui unxit nos, eſt Deus, qui & (5.) ſignavit nos & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris, (2 *Cor.* 1. 21, 22.) etiam ſanctum promiſſionis Spiritum, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, (*Eph* 1. 13, 14.) Spiritum illum promiſſum, qui facit ut in præceptis Dei ſemper ambulemus, (*Ezech.* 36. 27. *cum Jer.* 32. 40.) Spiritum ſanctum illum paracletum promiſſum nobiſcum manere in æternum, (*Eſai.* 29. 21. *Joh.* 14. 16, 17, 18.) Spiritum illum voluntarium, quo nos Dominus ſuſtentat & confirmat, (*Pſ.* 51. 12.) Spiritum bonum, quo nos ducit in terram rectam, (*Pſ.* 143. 1.) ipſum Dei ſpiritum qui habitat in nobis, quo ſuſcitavit Dominus Jeſum Chriſtum a mortuis & vivificabit etiam mortalia noſtra corpora. (*Rom.* 8. 9, 11.) Non enim accepimus ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis, quo clamamus Abba Pater. Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei, ſi autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, tamen compati oportet ut conglorificemur. Neque ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. (*Rom.* 8. 15, 16, 17, 18.) Non enim dedit nobis Deus ſpiritum formidinis, ſed roboris, & charitatis, & ſanitatis animi. Ne igitur nos pudeat teſtimonii Domini, neque pudeat nos vinctorum ipſius, ſed ſimus participes afflictionum Evangelii ex potentia Dei, qui ſervavit nos & vocavit vocatione ſancta, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia, quæ data quidem eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæculorum, ſed facta nunc eſt manifeſta per illuſtrem illum adventum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui & mortem abolevit, & vitam ac incorruptibilitatem in lucem produxit per Evangelium; cujus ſum ego conſtitutus præco. (hæc verba Apoſtoli mihi applico.) Quam ob cauſam hæc patior & non pudefio: novi enim cui crediderim, & mihi perſuaſum eum poſſe depoſitum meum in illum diem cuſtodire. (2 *Tim.* 1. 7, 8, &c.)

5. Spiritus nobis datus.

Quemadmodum Dominus conſtans eſt, & volens & verax hæc benigna ſua promiſſa nobis præſtare, ita potens eſt cuſtodire quidquid ei committamus, ut dicit Apoſtolus in loco proxime citato, poteſt nos ſtatuere in conſpectu gloriæ ſuæ inculpatos cum exultatione; Qui eſt ſolus ſapiens Deus, Servator noſter, cui ſit gloria & magnificentia, dominium & auctoritas & nunc & in omnia ſæcula. *Amen.* (*Jud. v.* 24, 25.) Bonus eſt ille Paſtor noſter qui & dabit nobis ovibus ſuis æternam vitam, & major eſt omnibus, neque quiſquam poteſt nos eripere e manu ejus, quapropter non peribimus in æternum; (*Joh.* 10. 27, 28, 29, 30.) poteſt nos ſtabilire ſecundum Evangelium ſuum, (*Rom.* 16. 25.) ſufficit nobis gratia ejus, (2 *Cor.* 12. 9.) qui ſumma cum exuberantia poteſt omnia facere ſupra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis. Ei ſit gloria in Eccleſia per Jeſum Chriſtum in ſæcula ſæculorum. *Amen.* (*Eph.* 3. 20, 21.) Virtutis Dei præſidio cuſtodimur per fidem in ſalutem, paratam revelari tempore ultimo. Qua in re exultamus magnopere, licet ad exiguum tempus nunc (ſi oportet) in variis tentationibus triſtitia affecti ſimus per eaſdem tentationes, ad explorationem fidei noſtræ, ad laudem, honorem & gloriam, quum revelabitur Jeſus Chriſtus, quem quum non viderimus diligimus. In quem, cum nunc non videntes ſed credentes, exultamus gaudio ineffabili & glorioſo, reportantes mercedem fidei noſtræ, ſalutem animarum. (1 *Pet.* 1. 5, 6, 7, 8, 9.) Benedictus ſit Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ex multâ miſericordia regenuit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, ad hæreditatem quæ nec corrumpi poteſt, nec contaminari nec marceſſere, nobis in cœlis ſervatam, qui virtutis Dei præſidio cuſtodimur per fidem in ſalutem. (1 *Petr.* 1. 3, 4.) Gratia ſit Deo, qui facit ut ſemper triumphemus in Chriſto. (2 *Cor.* 2. 14.) *In epiſtola ad Rom. cap.* 5. *v.* 8, 9, 10. & *cap.* 8. *a v.* 28. *ad finem iſtius capitis.* Certitudo ſalutis amantium Deum, & perſeverantiæ

§. 115. *De perſeverantia in gratia.*

noſtræ

Vide Ambros. l. 1. de Iacob. & vita beata, c. 6.

nostræ in amore & gratia Dei ad æternam gloriam, non fundatur super aliquam amoris nostri erga Deum virtutem aut constantiam, sed super liberum, immeritum & constantem Dei erga nos amorem in Jesu Christo Domino nostro, per quem & ejus amorem, nos in omnibus plus quam victores reddit. *Hallelujah.*

§. 116. *Non nostris viribus, sed virtute divina.*

Neque sapientiam neque vires habemus, ad sanitatem corporis servandam, aut ad vitam naturalem prolongandam, sed Dominus est qui nos sustentat, & quanquam non tentandus est Deus media negligendo, tamen omnis nostra fiducia in Deo posita sit, qui jussit nos omnem nostram sollicitudinem in eum projicere, quoniam ipsi cura est de nobis, (1 *Pet.* 5. 9.) nunquam nos deseret neque derelinquet. (*Heb.* 13. 5.) Ita etiam non est nostris viribus, quod vitam spiritualem in gratia retinemus, sed quanquam oportet uti mediis vigilandi, orandi, audiendi & meditandi in verbum Dei, tamen omnis nostra confidentia in Deo solo ponenda est, qui non sinet fidem nostram deficere; (*Luc.* 22. 32.) cujus virtute custodimur per fidem in salutem; (1 *Pet.* 1. 5.) qui eripiet nos ab omni opere malo, servabitque regno suo cœlesti: cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen. (2 *Tim.* 4. 18.)

Cum discipuli navigarent, Christo in navi dormiente, tempestas magna facta est in mari, adeo ut navis operiretur fluctibus, & implebantur aqua & periclitabantur (ἐκινδύνευον) & accedentes excitaverunt eum dicentes, Domine serva nos, perimus, ipse vero dixit eis, quid timidi estis, ô exigua fide præditi? Tunc surrexit & objurgavit ventos & mare, & facta est tranquillitas magna. (*Matth.* 8. 24, *&c.*) Similiter Petrus mandato Christi ambulans super aquas ut veniret ad Jesum, videns autem ventum validum, timuit: & cum cœpisset demergi, clamavit, Domine serva me. Et statim Jesus, extensa manu, apprehendit eum, dicens, exigua fide prædite, quid dubitasti? (*Matth.* 14. 29, 30, 31.) Periclitabantur si respiciamus ad suas vires quibus resisterent hisce periculis, quapropter iis timendum erat, sed si respiciamus ad protectionem Christi eos servantem, nequaquam periclitabantur, ideoque merito propter incredulitatem reprehenduntur, quia timuerunt & semel dubitarunt. Iisdem fideles, qui semel vere facti sunt participes Jesu Christi & per fidem in eo justificati sunt, in periculo sunt a gratia in perditionem cadendi cum respectu ad eorum imbecillitatem, & idcirco mandatum est iis vigilare & orare, & cum metu & tremore salutem suam operari, sed cum respectu ad constantiam amoris Dei erga eos & potestatem ejus eos servandi, in nullo sunt periculo a gratia in perditionem labendi, & idcirco jubentur non timere, Deus enim est salus eorum. (*Ps.* 35. 3. *Lam.* 3. 57. *Esa.* 43. 5. *&* 44. 2.) (Deus enim non nobis dedit spiritum timoris, sed potentiæ &c. (2 *Tim.* 1. 7.) Sed semper lætari, (1 *Thess.* 5. 16. *Phil.* 4. 4.) quoniam nomina eorum in cœlo scripta sunt. (*Luc.* 10. 20.) Ne timeas parve grex &c. (*Luc.* 12. 32.) ut quidquam eorum, quæ perpessurus es pertimescas. (*Apoc.* 2. 10.)

§. 117. Quanquam Rex Hezekias certus erat quod prolongaretur vita ejus in 15 annos (*Esa.* 38. 5.) Et Apostolus pro certo credidit, certus factus ab Angelo, neminem secum navigantem vitam amissurum (*Act.* 27, 22. *&c.*) & Salvator noster Jesus Christus certus Angelos eum attendere (*Ps.* 91. *Matth.* 4.) & eum non moriturum ante horam suam (*Joh.* 7. 30.) tamen necessarium fuit Hezekiæ cibum sumere, bibere & dormire, ut patet ex casu omnium hominum quos oportet uti mediis ordinariis, etiamsi sciant omnium hominum dies coram Deo numeratos esse. (*Ps.* 31. 15. *&* 39. 5. *&* 68. 20.) Item Paulo cæterisque cum eo navigantibus necessarium erat ut nautæ manerent in navi, cum hæc sola esset via qua servarentur. (*Act.* 27. 31.) Et Dominus Jesus Christus variis temporibus, sese clam subduxit ab hostibus iratis. (*Joh.* 4. 3. *&* 7. 1. *&* 10. 40. *&* 12. 36.) Sic itidem certitudo salutis & perseverantiæ non gignit in eis qui eam habent tentationem Dei per securitatem contemptuosam & contemptum securum mediorum, quæ Deus constituit. Quin potius eos reddit magis sedulos & alacres ad Deo serviendum eique placendum, & suam etiam vocationem & electionem certam & manifestam recto mediorum usu reddendam. Dominus nobis suam concedat gratiam, *Amen. Hallelujah. Amen.*

Die 23. *Octobris* 1625. Die Dominico, vesperi, dum meditabar, legebam, ac preces Deo lætitiæ meæ fundebam, salutis meæ fortitudini, custodi meo, qui super me vigilat, pro salute mea, atque mihi benefaciat; ab eo accepi suavem & lucidum spiritualis ac cœlestis consolationis, amoris, gaudii, pacis influxum, ac luminis illius vitæ in æternum certitudinem: (*Joh.* 8. 12.) Ac Dominus omnes meas iniquitates ut nubem delens, priora benigna sua promissa præsentiæ & pacis mihi renovavit, gratiam enim apud Deum inveni, ac solitum salutis suæ gaudium mihi reddidit. *Hallelujah. Amen.* De prioribus his promissis & consolationibus vide supra post 10. diem Jan. 1625, § qui incipit [Cum sentirem me remissum esse &c.] Benedic anima mea Domino, in æternum. *Amen. Hallelujah.* Id Domine fecisti, quoniam delectaris misericordiâ: (*Micha* 7. 18.) Et tibi placet ex gratuito tuo favore summam hanc misericordiam & gratiam servo tuo ostendere. Tibi in æternum sit gloria Pater, Domine cœli & terræ. (*Matth.* 11. 25, 26. *Rom.* 9. 15, 16. *Eph.* 2. 2 *Tim.* 1. 9. *Tit.* 3. 4, 5.) *Hallelujah.* Ei qui insidet throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur in sæcula sæculorum. *Amen.* (Apoc. 5. 13, 14.) *Hallelujah. Amen & Amen.* §. 118.

Deus mihi renovat promissa sua pacis & quietis. Hallelujah.

Die 28. *Octobris* mane, solem orientem aspiciens, Deum propter externum illud lumen laudavi, ac pro spirituali amabilis Dei vultus, ejusque sancti Spiritus luce, ut, ad me lætificandum & dirigendum, super me luceret, oravi; daretque in ejus luce honeste ambulare ut in die, & tanquam filius lucis. Et inveni gratiam coram eo. Benedictum sit ejus nomen in æternum. Amen. Verum mox turbatus sum, perpendens quod etiam post renovatum cum Deo meo fœdus, eum graviter offendissem, & quotidie, cogitationibus, verbis & factis in plurima peccata Deo meo ingrata incidam. Nihilominus Dominus Deus meus, cujus misericordiæ sunt in æternum, e puteo isto me statim eruit, deque priorum ejus consolationum oblivione, amore paterno me objurgat, mihi ostendens fœdus equidem inservire ad me excitandum peccatum studiose vitare, (1 *Joh.* 2.) ac certum reddendum de sufficienti ejus gratia ad ejus virtutem etiam in infirmitate mea perficiendam; (2 *Cor.* 12.) ob remanentem tamen infirmitatem, nobis dictum esse: Quod si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, Jesum Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. (1 *Joh.* 2.) Docuitque nos cœlestem ejus Patrem, ipsius nomine, quotidie orare, ut remittat nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. §. 119.

Tentationes nova.

Nova consolatio adversus tentationem.

ſtris. (*Matth.* 6.) Et ut remittamus, promiſit Spiritum ſuum ſanctum iis qui petunt. (*Luc.* 11.) Ex miſericordia ejus eſt, non noſtro merito, quod non ſumus conſumpti, non deficiunt miſerationes ejus, novæ ſunt unoquoque diluculo. (*Lam.* 3.) Dum remiſſionem petimus, oportet ut cum publicano iſto peccata confiteamur, & miſericordiam etiam ut ille conſequemur. (*Luc.* 18. 1 *Joh.* 1. 8, 9.) Ita confitenda ſunt peccata noſtra ut ea etiam relinquamus. Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: Qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. (*Prov.* 28. 13. *Pſ.* 32.) Et quoniam ad peccatum relinquendum nulla eſt in nobis poteſtas ex nobis ipſis, Spiritum ſuum ſanctum, ejuſque gratiam ſufficientem nobis promiſit, modo ſincere petierimus ab ipſo. (*Luc.* 11. 2 *Cor.* 12. *Pſ.* 145. *Rom.* 10.) Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. (*Matth.* 5. 5.) Quæcunque itaque fuerit noſtra miſeria, iniquitas, vel timor, ſemper Dominum quæramus toto corde noſtro; & tota noſtrâ animâ, & inveniemus eum. (*Deut.* 4. 29.) Chriſtus noſter advocatus, cujus ſanguis nos purificat ab omni peccato, (1 *Joh.* 1. 7.) qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, interpellans pro nobis ad dexteram Patris, (1 *Joh.* 2. 1, 2. *Rom.* 8.) ille etiam eſt propitiatio pro vitioſitate noſtra in imperfecto noſtro modo quærendi Deum, ac proinde ſicut in ipſo omnes promiſſiones Dei ſunt etiam, & in ipſo ſunt Amen, (2 *Cor.* 1.) ſic etiam hæc promiſſio, quod quærendo Dominum, eum inveniemus, non obſtantibus noſtris defectibus; nam ſpirituales noſtræ hoſtiæ, licet valde imperfectæ, & in ſeipſis impuræ, Deo tamen acceptæ ſunt per Jeſum Chriſtum, (1 *Petr.* 2. 5.) in quo ſibi complacuit, (*Matth.* 3.) in quo nos ſibi acceptos effecit, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia & prudentia, (*Eph.* 1. 6, 7, 8.) habentes igitur talem pontificem, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ; ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. (*Hebr.* 4. 14, 15, 16.) Sine ulla exceptione ſemper & ubique quæramus Dominum, & vivemus, ſed id ne quæramus quod illi diſplicet. (*Amos* 5. 5, 6.) Cum dicebas, quærite me, & vivetis, (*Amos* 5. 4.) reſpondit cor meum; Te quæro, teque ſemper quæram Domine Deus meus. Et reſpondit mihi Dominus; *Semper quidem meâ gratiâ me quæres, meque invenies, & vives.* Domine robora & confirma quod operatus es in me. (*Pſ.* 68.) Amen. Hallelujah. Amen & Amen. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & miſericordiam ſuam a me. (*Pſ.* 66. *v.* 20.)

Quare Dominum adverſus quodcunque malum.

[Hæc conſolatio renovata [illegible] 1645.]

§. 120. *Adverſus avaritiam & de morte amicorum.*

Die 12. *Novembris* 1625. Literas accepi me certiorem facientes de *amici* cujuſdam morte, qua contriſtatus ſum. Adverſus hanc triſtitiam ſuggerebantur duæ conſolationes, una terrena & iniqua, altera cœleſtis & pia. Impia conſolatio a carne, mundo & Satana oblata, hæc fuit, quod videretur me ex amici morte mundanum aliquod commodum conſequuturum, ac proinde me gaudii potius quam mœroris anſam habere. Hinc orta eſt ſæva tentationis tempeſtas, adverſus quam, humiliter & inſtanter ad Dominum Deum meum, ſalutis meæ fortitudinem, ſpemque meam in tempore anguſtiæ, preces fudi: Inclina cor meum in teſtimonia tua: & non in avaritiam. (*Pſal.* 119. 36.) Hæ ſunt ſemitæ omni avaro, animas poſſidentium raperent. (*Prov.* 1. 19.) In quocunque amor hujus mundi eſt, in eo non eſt amor Dei. (1 *Joh.* 2. 15.) Avaritia idololatria eſt. (*Eph.* 5. 5. *Col.* 3. 5.) Amor pecuniæ eſt radix omnium malorum. (1 *Tim.* 6.) Proximos noſtros ita debemus in Chriſto amare, ut ex noſtris bonis eorum neceſſitatibus nos ſubvenire oporteat. (*Rom.* 12. *Luc.* 3. *Matth.* 25. *Jac.* 2.) Et vita fratrum nobis adeo chara eſſe debet, ut non ſolum eos in indigentia, noſtrorum bonorum participes facere, ſed & nos pro iis animam ponere debeamus. (1 *Joh.* 3. 16, 17.) Ne diligamus verbo, neque lingua, ſed facto & veritate. Et per hoc cognoſcimus nos ex veritate eſſe, & coram ipſo ſecura reddemus corda noſtra. (*v.* 18, 19.) Affectio itaque impia & iniqua eſt, fratri noſtro mortem optare, vel ex ea lætari ob terrena quædam bona inde adepta, cum Chriſtiana lege fratris noſtri vitæ conſervationem adeo expetere teneamur, ut eum noſtrorum bonorum participem facere debeamus, ne vitam vel ſanitatem perdat. Cur perſequimur vanitates mendaces, incertas divitias, quæ in die ultionis non proderunt? (*Prov.* 11. 4. *Zeph.* 1. 18.) Vita hominis non eſt in abundantia horum quæ poſſidet. (*Luc.* 12. 15, &c.) Non ſolo pane vivet homo, ſed ex quovis verbo prodeunte per os Dei. (*Matth.* 4. 4.) Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ. (*Habbak.* 2. 9, 10, 11, 12, 13.) Melius eſt paululum juſto, quam divitiæ impiorum multæ. (*Pſal.* 37. 16.) Obſerva perfectum hominem & vide rectum: quia noviſſimum tali viro pax. At prævaricantes diſſipabuntur pariter: noviſſimum impiorum ſuccidetur. (*vſ.* 37, 38.) Benedictio Domini divites facit, nec ſociabitur iis afflictio. (*Prov.* 10. 22.) Melius eſt parum cum timore Domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. (*Prov.* 15. 16.) Vide initium expoſitionis meæ in præcept. 8.

Dum perſiſtebam in his & ſimilibus meditationibus per ſpatium 24. horarum, intermiſcendo intimas orationes & gemitus ad Deum pro victoria adverſus amorem mundi per Dominum meum Jeſum Chriſtum, audivit me Dominus, & petitiones meæ ei acceptæ fuere, benedictum ſit ſanctum illius nomen; adeo ut cum Davide concluſerim: Multi dicunt, quis videre nos faciet bonum? Eleva ſuper nos lucem vultus tui, Domine &c. Hinc dolor ob mortem amici recrudeſcit, prædicta ſpuria & impia conſolatione non ſanandus, ſed, impio hoc ſolamine ejecto & pedibus calcato, mihi cœlitus data eſt pia & vera conſolatio, verbis Pauli Apoſtoli, nolim vos in ignorantia verſari, fratres, quod ad eos attinet qui obdormierunt, ut ne contriſtemini, ſicut & reliqui qui ſpem non habent. Nam ſi credimus Jeſum mortuum eſſe & reſurrexiſſe, ita etiam Deus eos qui obdormierint in Jeſu, adducet cum eo, &c. (1 *Theſſ.* 4. 13, 14. &c.) Nunc Deo ſit gratia, qui facit ut ſemper triumphemus in Chriſto. (2 *Cor.* 2. 14.) Gratia ejus ſufficit nobis, virtus ejus in infirmitate noſtra perficitur. (2 *Cor.* 12. 9.) *Hallelujah. Amen. Hallelujah.* §. 121.

Sed dices, debetne homo Deo gratias agere propter divitias ex morte alterius licite acquiſitas? poteſtne etiam juſte in alterius morte lætari? §. 122. *Obj.*

Debet equidem homo Deo gratias agere propter omnes ipſius divitias vel labore, vel donatione, vel quocunque alio legitimo modo partas, conſiderando eas tanquam dona Dei ipſi data, quas ab alio intercipi permittere potuiſſet, imo *Reſp.*

imo quas amicus defunctus vel effuse vivendo abligurire, vel alienare potuisset, imo Deus te alio modo, si illi visum fuisset, omnibus rebus necessariis instruere potuisset, quam amici morte, ubi providentia ejus est reverenda. Sed nulli licet, fratri mortem optare, aut propter eam lætari ex ejus divitiarum cupidine; cum talis affectio stare nequeat cum amore illo quem Deo, & fraterna illa charitate quam proximo debemus, ut ostensum est. Possunt tamen pii de morte impiorum licite lætari ob alias rationes æquas & pias, quoniam cum impii perierint, multiplicabuntur justi. (*Prov.* 28. 28.) Quoniam providentia & justitia Dei illustrantur in impiorum interitu, & ex eo justi ad Dei laudem & timorem excitantur. (*Ps.* 52. 6, 7. & 58. 9, 10, 11.) Lætitia hæc provenit ab amore Dei & zelo ipsius gloriæ, idque secundum scientiam, & ab amore pacis Israëlis Dei. Sed altera ista impia lætitia provenit ab amore hujus mundi qui cum amore Dei convenire nequit. Illi sit omnis laus, honor & gloria in Ecclesia per Jesum Christum Dominum nostrum, in sæcula sæculorum. *Amen. Hallelujah.*

Quæ hic dicta sunt de iniquitate lætitiæ in morte proximi ex divitiarum cupidine ortæ, intelligenda sunt etiam de iniquitate talis lætitiæ in morte proximi ex libidine carnis vel honorum vel quacunque alia specie concupiscentiæ terrenæ orta, quæ cum amore Dei consistere nequit, sive sit concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, omnia enim hæc ex mundo sunt, non ex Deo. 1 *Joh*, 2.

§. 123. *Die 6. Decembris*, mane circa diluculum foras ambulabam, ac lunam & stellas supra me in cœlis undique vivide lucentes, & matutinam lucem ex oriente surgentem aspiciebam; tunc ex Psalmo 8. contemplatus sum incomprehensibilem Dei Majestatem, operum ejus gloriam, hominis in terreno hoc statu abjectionem, si cum externis illis gloriosis & fulgidis lucis astris, multo magis si cum Deo horum omnium conditore, comparetur. Præstantia tamen hominis quoad vitam & animam ejus rationalem omnia transcendit astra, multo magis quoad incarnationem Christi, & nostram in eo supra omnia excellentiam: Tum in statu gratiæ, in quo Dei opera contemplamur & ex iis ejus laudis argumenta deducimus, & multo abundantius in statu gloriæ quam in spe expectamus, in hisce meditationibus quale gaudium, omnes carnis & hujus mundi libidines longe superans! (*Dan.* 12. *Matth.* 13.) Tunc in meditationibus meis perrexi, ac in Dei laudem, Psalmum 19. recitavi, illius nomen in omnibus ejus operibus sanctum & magnum laudibus extollens, sed supra hæc omnia documenta visibilia, sacrum illius verbum prædicans, prout in eo Psalmo gloriose nobis describitur. Cujus descriptionis solamen me tanta lætitiâ perfundebat, ut flexis genibus in orationem verterim, Deum orans, ut eo illuminaret oculos meos, animam meam converteret, me confirmaret, &c. & cum oratione in fine ejusdem Psalmi post dictam descriptionem finem feci: Errata mentis quis meminit vagæ, &c. in finem usque Psalmi. Et eximiam ac suavem percepi consolationem. *Hallelujah. Amen.*

EXERCITIA SPIRITUALIA An. 1626.

§. 124. *Magna ex oratione continua orta consolatio.* *Die 9. Februarii* 1626. Mane, turbatâ conscientiâ, Dominum oratione quæsivi, ac in initio eam non inveniens contritionem ac devotionem qua rite affectus essem ad consolationem quam sitiebam accipiendam, apud Deum meum vehementer institi & in cubiculo & in campo, ubi post quasdam luctas, Dei gratia statui, licet adhuc præsentiam & consolationem optatam non inveniam, tamen hac via sola & ad Deum solum propter hanc consolationem eundum esse, neque alibi reperiendam. Atque ita perstiti aliquamdiu orando, ac postea eam nondum reperiens, sed expectans & sperans, de humo surrexi, & ambulando *Ps.* 51. Deo recitavi, quo vix finito, emollivit cor meum Dominus, oculorum fontes reseravit & adeo benigne me consolatus est, ut finito Psalmo, in piam, venerantem ac lætam gratiarum actionem proruperim, recitando Psalmum 103. in Buchanani paraphrasi, quo non parum consolabar, & cum magna lætitia ad solita studia domum redii. Benedictum sit nomen Domini Dei mei & Patris per Jesum Christum Salvatorem meum & apud Patrem advocatum, in sæcula sæculorum. *Hallelujah. Amen & Amen.*

Die 14. Februarii mane in museo, dum legebam in *Gen.* 31. 3. Dixit Dominus Jacobo: Revertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum: Suavem percepi consolationem, in memoriam revocando easdem benignæ Dei præsentiæ promissiones mihi sæpe factas, ac nominatim cum anno abhinc ex ægritudine convalescerem, sæpe etiam ante & post id tempus, & nunc ex infinita & ineffabili Dei mei misericordia, mihi renovata est. Et dum hæc verba legerem, ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, &c. *v.* 13. in memoriam revocavi plurima loca & tempora, in quibus Deus ex benignitate sua singularem familiaritatem mihi exhibuit, & ad me magis consolandum & corroborandum, fecit Dominus hunc locum, ubi nunc sum, in mentem venire; nam in hoc museo sæpe ostendit mihi Dominus benignum ipsius vultum, & misericordias erga me & fœdus redintegravit; de hoc tempore etiam me cogitare facit, jam enim misericordias suas erga me, & fœdus ipsius gratiæ ac præsentiæ mecum per totum peregrinationis meæ curriculum redintegrat. Consilio suo assidue deducet me, & postea cum gloria excipiet. Benedictum sit sanctum ejus nomen, omnisque sit illi laus, honor & gloria in Ecclesia per Jesum Christum Dominum nostrum & Salvatorem, in sæcula sæculorum. *Amen. Hallelujah. Amen.* Benedic anima mea Domino. Benedictum & laudatum sit sanctum & magnum & gloriosum ejus nomen in sæcula; solus enim ab omnibus & super omnia laudari dignus est, benignus est ille, & misericordiæ ejus erga nos magnæ, ac ejus veritas manet in æternum. *Hallelujah. Amen & Amen.* §. 125. *Meditatio salutaris in Gen. 31. 3.*

[Has consolationes renovavit mihi Dominus Amstelodami die 10. Aprilis 1645. Laus Deo. Amen.]

Die 19. Februarii magnam percepi consolationem ex lectione & meditatione horum verborum Apostoli ad Philippenses: *Gaudete in Domino semper: rursus, inquam,* (πάλιν ἐρῶ) *gaudete. Æquitas vestra* (τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν) *innotescat omnibus hominibus: Dominus prope est. De nulla re solliciti estote* (μηδὲν μεριμνᾶτε) *sed omni in re precibus & deprecatione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax illa Dei quæ exsuperat omnem mentem, præsidio custodiet corda vestra & mentes vestras in Christo Jesu. Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque verecunda, quæcunque justa, quæ-* §. 126. *Meditatio salutaris in Phil. 4. 4, 5, 6, 7, 8, 9.*

quaecunque pura, quaecunque amabilia, quaecunque boni nominis, si qua virtus, & si quae laus est, haec reputate (ταῦτα λογίζεσθε.) *Quae & didicistis, & accepistis, & audi[illegible], & vidistis in me, haec facite,* (ταῦτα πράσσετε) *& Deus pacis erit vobiscum.* Hactenus verba Apostoli Pauli, consolationis plena, gaudere iterum & saepius nobis praecipientia, omnem nostram curam in Deum projicientes precibus & deprecatione omni in re sine ulla exceptione; annectitur etiam suave incomprehensibilis, potentis & perfectae pacis promissum, ut praesidium cordium ac mentium nostrarum in Jesu Christo sit, quo Dominus & nobis tranquilla ac pacata corda dabit, & omnes etiam nostras cogitationes & meditationes ita diriget, ut pax ejus mentes nostras a molestis cogitationibus & meditationibus conserver, lucidis, coelestibus ac laetis in Jesu Christo contemplationibus nos replens, inque hisce mentes nostras assidue conservans, adeo ut contrariae cogitationes, vel locum in nobis non inveniant, vel molestiam dare non possint. Atque ita etiam gratiâ Domini nobiscum, officia nobis illic commendata & meditabimur & faciemus, videlicet quaecunque sunt vera &c. Et Deus pacis semper erit nobiscum. *Amen.* Benedictum sit sanctum ejus nomen per Jesum Christum Dominum nostrum in aeternum. *Amen. Hallelujah. Amen.*

§.127. *Die* 20. *Februarii* 1626. Legebam *Genes. c.*37. ubi narratur *Jacobi* gravis afflictio, dolor & luctus diuturnus consolationem accipere nolentis, ob filii sui *Josephi* perditionem *vers.* 34, 35. Et quamvis Dominus etiam ex his, filii ad tempus privationis, tenebris, suavem eximiae consolationis lucem, Jacobo educere statuisset, Domino tamen placuit & Jacobum & Josephum gravi afflictione diu exercere. Ne itaque animum despondeamus propter afflictionum gravitatem vel durationem sub clementi Patris nostri coelestis manu. Ita enim Dominus exercebat suum Israëlem cujus Deus vocari vult in aeternum, ac omnem istum luctum suo tempore in eximium convertit gaudium. *Gen.* 45. 26, 27, 28. *& cap.* 46. 1, 2, 3, 4, 29, 30. *& cap.* 47. 11, 12, 28, 29, 30, 31. *& cap.* 48. 5, 11, 15, 16. *& cap.* 49. 22, 23, 24, 25, 26, &c. Benedictus sit sublimis Jacobi Deus, Dominus Deus Abrahami, Isaaci, & Israëlis, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, nostri Salvatoris, in aeternum. *Amen. Hallelujah. Amen.*

Meditatio salutaris in Gen. 37. &c.

Vide supra §. 83. Medit. XV. & infra 27. Feb. 1626.

§.128. *Die* 21. *Februarii* 1626. Multum laborabam vitiosa infirmitate ex peccato in me habitante, lege in membris meis repugnante legi mentis meae, & captivante me in lege peccati, adeo ut quando condelectabar legi Dei, secundum interiorem hominem, & bonum facere volebam, malum mihi adjacens invenirem, neque bonum quod volebam perficere invenirem, sed malum quod nolui, hoc agerem. Non ego tamen, sed peccatum in me, quod concupiscit adversus spiritum, quamvis Dei mêi gratiâ custoditus fuerim a pleno consensu ei dando, & a conatu vel executione mali cum quo interne tantos habui conflictus. Tunc ad Deum clamavi, ut peccati vim in me occideret, & spiritu suo voluntario me confirmaret, ut & interne & externe a servitio legis peccati liberatus essem, & reliquis diebus vitae meae Deo in libertate spiritus servirem. Magnam percepi consolationem, audita lectione ultimi versus *cap.* 15. *quarti Libri Moysis Numerorum* dicti, ubi Dominus ad populum suum dicit: *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti, ut essem Deus vester: Ego Dominus Deus vester.* Tunc in mentem mihi venit suavis illa responsio Domini ac Salvatoris nostri servo ejus Paulo facta: *Tibi sufficit gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur.* (2 Cor. 12. 9.) Neque permisit me Dominus diutinae precationi insistere, sed certum me reddidit orationem meam coram eo ascendisse, benigne ab eo acceptam esse, seque petitiones secundum ejus voluntatem factas mihi concessurum, meque earum praestationem experturum, eo modo & tempore quod sancti sui nominis gloriae, & bono ac consolationi mei servi ejus maxime conducibile esse, illi visum fuerit. Gratias ago Domino Deo meo, per Jesum Christum Dominum ac Salvatorem meum, qui e servitute me eduxit, & ex potentia tenebrarum me eruit, ut Deus meus esset per sanguinem aeterni foederis. Proinde misericordiâ erga me delectatur, & bonum opus quod in me coepit, perficiet in diem usque Jesu Christi. Illi sit laus & gloria in aeternum. *Amen. Hallelujah.* Benedic anima mea Domino Deo misericordiae meae & Deo meo. *Amen & Amen.*

Luctatio adversus peccatum in me inhabitans & consolatio.

Die 1. Martii 1626. Beati quos Filius Dei a peccato liberavit, ac justitia servos reddidit, ita ut Deo serviant in novitate spiritus.

Joh. 8. 32, 34, 35, 36. *Rom.* 6. 16, 17.

§.129. *Die* 27. *Februarii* 1626. Mane, dum meditabar de laeta filiorum Dei resurrectione, novissimo illo die, cum omnes lachrymae ab oculis eorum abstergentur; & legens de hac re 1 *Thess.* 4. multam accepi consolationem ac corroborationem adversus omnem metum & molestiam, propter momentaneas & leves mortalis hujus vitae tribulationes, & adversus mortem, quae piis brevis transitus est ad vitam multo meliorem, ac Dominum Deum meum ac Salvatorem precatus sum ut in me multiplicaret & abundare faceret charitatem in omnes, & cor meum confirmaret sine querela in sanctitate, coram Deo Patre nostro, in adventu Domini nostri Jesu Christi. (1 *Thess.* 3. 12, 13.) Ac benigne accepit & concessit postulatum meum, me certum faciens, quod me nunquam deseret nec derelinquet, sed ejus gratia mihi sufficiet, & ad me confirmandum, & magis & magis perficiendum in finem usque. Imo & mihi summa cum exuberantia benefaciet supra ea quae peto aut cogito. Benedictus sit Dominus, & benedictum sit sanctum illius nomen in aeternum. *Amen.* Tunc legens *Genes.* 42. *& cap.* 44. de ingenti angore, dolore & anxia animi sollicitudine, quibus Josephi fratres exercebantur, non in eorum ruinam, sed emendationem, utque dispositi essent ad accipiendam inopinatam illam & abundantem consolationem quae statim ex Dei misericordia ipsis data fuit. (*Gen.* 45.). Quamvis atrociter peccassent, iis tamen clemens fuit Dominus Deus, eosque aliquantisper amanter exercens, ut in memoriam & agnitionem peccati, atque ita ad veram resipiscentiam eos duceret, peccatum ipsorum abstulit, ac Josephum, quem inhumaniter vendiderant, paternae suae ac indulgentis erga eos providentiae Ministrum effecit. O deliciae inenarrabilium Dei nostri misericordiarum & benignitatum! Celebrate Dominum, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus. Misericors & clemens, patiens & multae liberationis, ac verax, qui custodit misericordiam in millia, qui aufert iniquitatem & scelera, atque peccata. (*Exod.* 34. 6, 7.) Quoniam momentum est in furore ejus erga servos suos, vita in gratia ejus, vesperi pernoctabit fletus, & mane laetitia erit. Canite ergo Domino misericordes ejus, & celebrate memoriam sanctitatis ejus. (*Psalm.* 30. 4, 5, 6.) Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum haereditatis tuae! non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras;

Vide supra §. 83. & 127.

Meditationes salutares adversus omnem metum quorumcunque malorum.

ftras; & projicier in profundum maris omnia peccata noftra. Dabis veritatem Jacob & mifericordiam Abraham? quæ jurafti patribus noftris a diebus antiquis. (*Mich.* 7.18,19,20. *Luc.* 1.55,72,73.) Benedictus fit Dominus Deus Ifraëlis, Deus & Pater Domini noftri Jefu Chrifti, Pater mifericordiarum & Deus omnis confolationis. Ei fit gloria in Ecclefia per Jefum Chriftum, per omnia fæcula in æternum. *Amen. Hallelujah. Amen & Amen.* Benedic anima mea Domino. Fortitudo mea, tibi cantabo: quia Deus tutela mea; Deus mifericordiæ meæ. (*Pf.* 59. *verf. ult.*) Deo fubjecta efto anima mea, quoniam ab ipfo patientia mea. Ipfe Deus meus, & Salvator meus; Adjutor meus, non dimovebor. In Deo falutare meum & gloria mea: Deus auxilii mei & fpes mea in Deo eft. Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda veftra: Deus adjutor nofter in æternum. (*Pfal.* 62.5,6,7,8.) His meditationibus corroborabar in Domino Deo meo adverfus peccatorum meorum & corruptionis metum, adverfus omnem externum terrorem Satanæ vel hominum, adverfus eorum aftutiæ vel fævitiæ cujufcunque generis metum. Adverfus hæc etiam animo Chriftiano multum confirmabar, meditatione *Pfal.* 91. Qui habitat in adjutorio Altiffimi, in protectione Dei cœli commorabitur &c. & *Pfalm.* 92. Bonum eft confiteri &c. & Pfalmorum immediate fequentium. *Hallelujah. Amen & Amen.* Benedic anima mea Dominum & confitere memoriæ fanctitatis ejus. In Domino laudabit fe anima mea: Audient humiles & lætabuntur. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus fimul. (*Pf.* 34.) Pavete a facie ejus univerfa terra. (*Pf.* 96.9.) *Hallelujah. Amen & Amen.*

Vide fupra §. 88. Medit. XX. & infra 12. Mart. 1626.

§. 130. *Die 6. Martii An.* 1626. In lecto meditabar multo mane & Dominum Deum meum orabam, ut cor meum dilataret & libertatem fpiritus donaret, ita ut a terroribus mundanis, fufpicionibus charitate deftitutis, follicitudinibus fufpiciofis, offenfionibus & animi anxietatibus liberatus, Deo læte fervirem in libertate cordis, ut ejus gratia antea folebam, inque ea magis crefcerem. Inveni unicam viam libertatem a curis & animi ægritudine affequendi effe, primo peccati jugum excutere, ut a peccati fervitute liberatus, & juftitiæ fervus factus Deo, fructum in fanctificationem habeam, & finem vitam æternam, & Domino Deo meo ac Salvatori ferviam in juftitia, pace & gaudio in Spiritu Sancto. Carne mea cum vitiis & concupifcentiis, Dei gratiâ mihi fufficienti, crucifixis. Et quicunque hanc regulam fecuti fuerint, pax fuper illos, & mifericordia, & fuper Ifraël Dei. Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc, ex concupifcentiis veftris quæ militant in membris veftris? Concupifcitis, & non habetis. Occiditis, & zelatis: & non poteftis adipifci. Litigatis, & belligeratis: & non habetis propterea quod non poftulatis. Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupifcentiis veftris infumatis [ἡδοναῖς.] Adulteri, nefcitis quia amicitia hujus mundi, inimica eft Dei? Quicunque ergo voluerit amicus effe fæculi hujus, inimicus Dei conftituitur. An putatis quia inaniter Scriptura dicat: Ad invidiam concupifcit fpiritus qui habitat in vobis? Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit, Deus fuperbis refiftit, humilibus autem dat gratiam. Subditi ergo eftote Deo: Refiftite Diabolo, & fugiet a vobis. Appropinquate Deo & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores, & purificate corda, duplices animo. Miferi eftote, & lugete, & plorate: rifus vefter in luctum convertatur: & gaudium veftrum in mœrorem. Humiliamini in confpectu Domini, & exaltabit vos. In eam fententiam Salvator nofter dicit: Si quis venit ad me, & non odit patrem fuum, & matrem, & uxorem & filios, & fratres & forores, adhuc autem & animam fuam; non poteft meus effe difcipulus. Et qui non bajulat crucem fuam, & venit poft me: non poteft meus effe difcipulus. ——— Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poffidet, non poteft meus effe difcipulus. Et iis qui eum ita fequuntur, ut ejus difcipuli vere fiant, dicit: Ideo dico vobis; nolite folliciti effe animæ veftræ, ——— Et vos nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis; & nolite in fublime tolli. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vefter fcit quoniam his indigetis. Verumtamen quærite primum regnum Dei; & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere pufillus Grex, quia complacuit Patri veftro dare vobis regnum. Vendite quæ poffidetis, & date eleemofynam. Facite vobis facculos qui non veterafcunt, thefaurum non deficientem, in cœlis, quo fur non appropinquat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thefaurus vefter eft, ibi & cor veftrum erit. Sint lumbi veftri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veftris. Et vos fimiles hominibus expectantibus Dominum fuum, quando revertatur a nuptiis; ut cum venerit, & pulfaverit, confeftim aperiant ei. Beati fervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Tunc in fpiritu Dominum oravi: Domine fac ut tibi appropinquem, & in mifericordiâ appropinqua tu mihi, ut cor meum, affectus mei, thefaurus meus & converfatio mea femper tecum in cœlis fint mi Deus; carnem in me cum vitiis & concupifcentiis crucifige, & voluntario tuo fpiritu me confirma. Et Dominus benigne accepit orationem meam, me certum faciens gratiam ejus fufficere mihi, ac falutem, in ulteriori manifeftationis & confirmationis gradu, domui huic hodie factam effe, mihi nempe, qui domus fum quam Dominus pro fcipfo elegit & fanctificavit, ut habitaret ibi in perpetuum. *Hallelujah. Amen.* Benedictum fit nomen Domini.

Ubi non eft habendi cupiditas, ibi non eft carendi neceffitas. Aug. Unica via liberationis a moleftis curis hæc eft; a peccato liberari, nos ipfos abnegare, Deum timere, in eum omnem noftram projicientes curam.

[Confolationes hæ renovatæ 17. April. 1645. Deo fit laus. Amen.]

Die 12. Martii 1626. Cogitabam de rumoribus belli & hoftilis invafionis undique differmi- §. 131.
natis, ad nos inermes & imparatos perterrendos; Inimici etiam malevoli funt, & in brachio humano nulla nobis apparet tutelæ fpes. Ad Deum refpexi & me audivit, meque confirmavit & confolatus eft, me legere faciendo, ac propter præfentem Ecclefiæ Dei ftatum, meofque proprios pavores, animæ meæ per Spiritum fuum fanctum applicando, *Pfalmum* 31. fpeciatim a *verf.* 31. ad finem ufque Pfalmi, cujus verba hæc funt: Audivi vituperationem multorum, pavor circumquaque, dum confultabant pariter adverfum me; ut caperent animam meam, cogitabant. At ego in te fperavi Domine, dixi, Deus meus tu. In manu tua funt tempora mea; erue me e manu inimicorum meorum & a perfequentibus me. Lucere fac faciem tuam fuper fervum tuum, ferva me propter mifericordiam tuam. Domine, ne pudore afficiar, quoniam invocavi te: pudore afficiantur impii, excidantur in fepulchro. Obmutefcant labia mendacia, quæ loquuntur adverfus juftum dura cum fuperbia & contemptu. Quam magna multitudo dulcedinis

Contra metum rumorum belli & omnem timorem. Vide fupra 27. Jan. 1626.

Vid. Pf. 25. 1,2,3, &c. & 119. 5, 6, 80. Joël. 2. 26, 27.

Vid. Isa. 25. 4. Ps. 76. Joel 2. 21. Vid. Isa. 26. 1, 2, 3, 4, &c. Ps. 46. & 48 & 3. & 27. Exod. 14. 13. 2 Chr. 14. 11. Isa. 26. 12.

cedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum! Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita. Ego autem dixi in excessu mentis meæ; projectus sum a facie oculorum tuorum. Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. Diligite Dominum omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Viriliter agite & consortetur cor vestrum; omnes qui speratis in Domino. (*Ps.* 31. 13, 14, &c.) Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos. (2 *Pet.* 2. 9.) Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. (*Gen* 15. 1.) Cum his Dominus etiam mihi in mentem revocavit exempla historica, (2 *Chr.* 20.) ac in præterita meæ vitæ parte experientias, cum me nunquam deseruerit nec dereliquerit, sed victoriam supra omnes difficultates mihi benigne dederit, ac sæpe iterum iterumque mihi promiserit, ac nunc promittat se nunquam me deserturum vel derelicturum, sed tanquam pupillam sui oculi me conservaturum, consilio suo dum hic vivam me deducturum, & cum gloria me postea excepturum. Suum enim pro me dedit Filium, ac illi complacet dare mihi regnum. Non igitur privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Benedictum sit sanctum ejus nomen, in sæcula sæculorum. *Amen. Hallelujah. Amen & Amen. Hallelujah.*

[Consolationes hæ renovatæ 21. Apr. 1645. Hallelujah.]

§. 132. *Ne sis similis misero Demadi.*

Die 13. *Martii An.* 1626. Legebam 2 *Tim.* 4. unde venit hæc meditatio & oratio: Domine Deus & Pater meus in Jesu Christo, custodi me tecum, ne finas me a te discedere, aut cum Demade hoc sæculum diligere. (2 *Tim.* 4. 10.) Hic mundus transit, & concupiscentia ejus: Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. (1 *Joh.* 2. 17.) Fac ô mi Salvator, ut te semper diligam & adventum tuum. (2 *Tim.* 4.8.) Domine tu astitisti mihi, & hucusque me liberasti de ore leonis. Tuque Domine me liberabis ab omni opere malo, & salvum facies in regnum tuum cœleste: tibi sit gloria in sæcula sæculorum. *Amen.* (2 *Tim.* 4. 17, 18.) *Hallelujah.* Benedic anima mea Domino. Benedictus es tu Domine, & benedictum sit sanctum nomen tuum in sæcula sæculorum. *Amen. Hallelujah.* Laudate Dominum. Amen.

Sed imitare beatum Paulum.

§. 133. *Sanatio contra omnes morbos.*

Die 20. *Martii An.* 1626. Mane, magnopere me consolata sunt adversus omnes morbos & spirituales & corporeos hæc Dei verba ad populum suum Israëlem: Ego sum Dominus Deus sanator tuus. (*Exod.* 15. 26. *vid. Jer.* 33. 6. 10. 17.) Quocirca in eo, ejus gratiâ, semper sperabo. Benedictum sit sanctum illius nomen in sæcula sæculorum. *Amen.*

Vide supra diem 18. *Sept. An.* 1624.

§. 134. *Obstupescentia & consolatio ex familiari Dei appropinquatione ad animam Christianam.*

Cum legebam citatam meditationem cum quibusdam aliis meditationibus, raptus fui pia ac læta admiratione mirabilium Dei erga me tam miserum peccatorem misericordiarum, qui dignatus est mihi impertiri multiplices has suaves ac validas consolationes. Et in genua procumbens facie in terram pronâ, Domino gratias egi, & propter præsentiam Domini faciem abscondi, Eliæ memor, qui, audito sibilo auræ tenui, operuit vultum suum pallio. (1 *Reg.* 19. 13) Moyses etiam apud rubum abscondit faciem suam, non audens aspicere contra Deum. (*Exod.* 3. 6.) Et Publicanus a longe stetit, nolens vel oculos ad cœlum levare. Sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. (*Luc.* 18. 13.) Dum ita dejectus & obstupefactus fui in meditatione propriæ indignitatis & iniquitatis, ac mirabilis Dei misericordiæ erga tam vilem peccatorem, ejusque familiaris appropinquationis mihi; Dominus benigne, misericorditer ac potenter me consolatus est, mihique animos fecit, me certum faciens ipsi placere me licet indignum voluntarie diligere, meque esse voluntarie & plurimum dilectum, atque adeo mihi in mentem venere Dei verba per Angelum ejus ad Danielem ad præsentiam ejus attonitum: *Noli timere, vir desideriorum: Pax tibi, & esto robustus.* (*Dan.* 10. 19) Jam quamvis nec in sanctitate & donis vulgaribus ad Danielis sanctitatem & dona accedam; nec extraordinarium immediatæ revelationis ac prophetiæ donum habeam, prout habuit sanctus ille & plurimum dilectus propheta; tamen hæc scripta fuere, non propter Danielem solum, sed propter nos etiam, sicut etiam historia de Abrahamo. (*Rom.* 4. 23, 24.) Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus (*Rom.* 15. 4.) Imo ipsi Daniel & Abraham non justificati fuere coram Deo ex propriis justitiæ operibus, sed ex fide per gratiam Domini nostri Jesu Christi. (*Act.* 15. 11. *Rom.* 4.) Novit Dominus cogitationes quas cogitat super me quamvis peccatorem vilissimum: cogitationes pacis, & non mali, ut det finem & potentiam. (*Jer.* 29. 11.) Quoniam illi complacet iniquitates meas remittere, & peccatorum meorum amplius non recordari, Deum mihi esse, leges suas cordi meo inscribere, juxta voluntarium & firmum suum gratiæ & misericordiæ pactum in Salvatore nostro Jesu Christo. (*Jer.* 31. 33, 34. *Heb.* 8. 10, 12. & 10. 15, 16, 17.) Tunc corroboratus fui, (*Jer.* 29. 12, 13.) & cum persuasione divinæ gratiæ & benedictionis comitantis ad solita studia me recepi. Benedictus sit Dominus. Amen. In tuas manus Domine me commendo, corpus, animam, studia, lectionem, meditationes, scriptionem, orationem, & totam meam conversationem ac totum meum statum nunc & in posterum. Tunc consolatus est me Dominus his verbis: *Et invocabitis me & vivetis; & orabitis, & ego exaudiam vos. Quæretis me, & invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro.* (*Marc.* 9. 24.) Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: (*Ps.* 51. 10.) Sit cor meum perfectum in statutis tuis: ne pudore afficiar. (*Ps.* 119. 80.) Rursus me consolata est Dei promissio per Prophetam ejus: *Dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me universis diebus, & feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me. Et lætabor super eis, cum bene eis fecero. Et plantabo eos in terra ista in veritate, in toto corde meo, & in tota anima mea.* (*Jer.* 32. 34, 40, 41.) Et ex eo quod de Christo dictum est: Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet: donec ejiciat ad victoriam judicium. (*Matth.* 12. 20, 21.) Benigne & misericorditer nos accipit Dominus in Christo, cum per ejus gratiam eum recte & sincere quæ-

quærimus, licet iu magna infirmitate & multis defectibus. Beati qui esuriunt & fitiunt justitiam: quouiam ipsi saturabuntur. (*Matth.* 5. 6.) Spiritus Dei adjuvat infirmitatem uostram, & Christus est ad dexteram Dei, pro nobis interpellans. (*Rom.* 8. 26, 27, 34) Laudate Domiuum. Amen & Amen.

§. 135. *Conflictus.* *Die* 8. *Aprilis*, *An.* 1626. Multum contristatus sum propter rebellionem earnis contra spiritum, & iu memoriam revoeans Augustini in eodem casu orationem, quâ, ut de se memorat in fine lib. 8. Confessionum, Deo dicit: Usquequo Domine —— quamdiu, quamdiu, —— quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Memini etiam Psalmi 13.

Quousque Rector unice,
Me destitutum negliges?
An sempiterna me obrutum
Oblivione deseres? ——
Quousque cor cruciabitur?
Mœroris æstu fluctuans?
Quousque me prostrato aget
Hostis triumphos insolens?
Regnator orbis adspice,
Opem fer, & lucem tuam
Infunde, ne mors lumina
Somno perenni sopiat.

Et Dominum rogavi pro misericordia & gratia, neque tam verba protuli, sed confusus ob habitualem impuritatem quotidie adversus animam meam puguantem, meque solita illa sancta tranquillitate qua aliquando in Domiuo Deo meo potitus sum, spoliantem, & mœrore stupefactus, de Deo Salvatore meo cogitabam, ae coram eo me demisi, & respexi ad sanctum ejus templum, ubi in cœlis habitat, sanctitatis & gloriæ ejus habitaculo; ac Dominus misit verbum suum, & sanavit me. (*Ps.* 107. 20.) Vid. subsequentia hæc dicta: *Victoria.* *Sufficit tibi gratia mea.* (2 Cor. 12. 9.) *Carnis curam ne habeas ad explendas cupiditates ejus.* (Rom. 13. v. ult.) *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* (Gal. 5. 24.) *Omnem sollicitudinem vestram projicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* (1 Pet. 5. 7.) *Nihil solliciti sitis; sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei qua exsuperat omnem sensum, custodiet corda vestra & intelligentias vestras in Christo Jesu. De cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. —— Et Deus pacis erit vobiscum.* (Phil. 4. 6, 7, 8, 9.) *Peccatum vobis non dominabitur.* (Rom. 6. 14.) *Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite.* (Joh. 14. 1.) *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* (Joh. 14. 27.) *Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* (Marc. 9. 24. Matth. 16. 17, 18.) Deus hoc animæ meæ benigne applicavit, & iu gratia sua per spiritum suum sanctum me confirmavit, me certum faciens quod portæ inferi adversus me non prævalebunt. Turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit justus, & exaltabitur. (*Prov.* 18. 10.) Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super eos, & misericordia, & super Israël Dei. (*Gal.* 6. 14, 15, 16.) Fœdus Domini cum Israële hoc est; legem suam in corda nostra scribet; & cor novum dabit nobis & spiritum novum; & spiritum suum ponet in medio nostrum, & faciet ut in præceptis ejus ambulemus. Non desinet nobis benefacere, sed timorem suum dabit in cordibus nostris, ut ab eo non recedamus. (*Jerem.* 31. 33. *Ezech.* 36. 26, 27. *Jer.* 32. 40.) *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris; firmabo super te oculos meos.* (Psal. 32. 8.) *Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque quid loquaris.* (*Exod.* 4. 12.) Esto, Domine, in corde meo, mente mea, voluntate mea, affectibus meis, *Oratio & consolatio.* cogitationibus meis, ore meo, oculis meis, auribus meis, manibus meis, tota mea anima & corpore, & deduc me penitus consilio tuo. (*Psal.* 73.) Tunc responsum Domini ad Moysen me consolatum est & roboravit: *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* (Exod. 33. 14.)

Tu me salutis recreas
Spe, largus auxili: tuum,
Salute parta, laudibus,
Rex magne, nomen efferam. (Ps. 13. v. ult.)

Hallelujah. Amen. A Deo etiam suppliciter petii misericordiam & gratiam adjuvantem adversus omnes meas ægritudines, infirmitates, timores, ac languores in hoc peregrinationis meæ cursu, & Davidis responsio me consolata est. *Projice super Dominum pondus tuum, & ipse sustentabit te: non dabit in sæculum mutationem justo.* (Ps. 55. 22. & 37. 3, 4, 5, 6, 7.)

§. 136. *Oratio pro aliis.* Gratiam etiam, consolationem ac fortitudinem pro omnibus petii, quos tentatione ac doloribus laborare putabam, & ex dicto Apostoli consolationem percepi: Christum nempe Dominum ac Deum nostrum, purificatione peccatorum nostrorum per seipsum facta, omnia verbo suo potente sustinere. (*Hebr.* 1. 3.) Etiam ille liberos suos, ipsorum corda, & omnia onera potenter & constanter sustinebit. In eum itaque omnem projiciamus curam: nam illi cura est de nobis. (1 *Pet.* 5. 7.) Itaque qui malis afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas bene agendo. (1 *Pet.* 4. 19.) Fidelis ille creator, qui & liberos suos secundum fœdus suum bene agere faciet, (*Jer.* 31. & 32. & *Ezech.* 36.) eosque supra id quod possunt, tentari non finet, sed una cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possint sufferre; (1 *Cor.* 10. 13.) eos etiam ex omnibus angustiis eorum eripit. (*Ps.* 34. 17, 19. *Certitudo contra metus tentationum.*

In Deo gaudium. Jam cum postero die, Deo volente, sacra Eucharistica participaturi simus, omnes has consolationes in cordibus nostris, Domine, benigne obsigna. Atque surrexi & gaudens abii, ut Eunuchus fecit, de quo legimus *Act.* 8. Hallelujah. Amen & Amen. Benedic anima mea Domino. Amen.

§. 137. *Tentat Deus Abrahamum, eique dat gratiam promptum* *Die* 9. *Aprilis* quæ fuit dominica resurrectionis *An.* 1626. audivi in concione explicationem historiæ tentationis qua Deus tentavit servum suum Abrahamum, ac prompti & fidelis obsequii Abrahami, cum læto exitu. Ubi typice nobis adumbratur ineffabilis & incomprehensibilis Dei charitas erga nos electos ejus filios, quos elegit in Jesu Christo, Filio suo unigenito, dilectio-

obsequium præstandi. Charitas Dei incomprehensibilis, sensum exsuperans. Obedientia fidelis.

nis suæ Filio, cui non pepercit, sed pro nostra redemptione cum ad mortem tradidit; & charitas illa Christi erga oves suas quæ omnem exsuperat sensum, & mansueta ac voluntaria vitæ pro ovibus suis positio, qui propter delicta nostra mortuus est, & resurrexit propter justificationem nostram. In ea historia narratur etiam fides & obsequium Abrahami, qui sine obmurmuratione, altercatione, aut cunctatione, promptum ac regulare ac constans, cuicunque Dei mandato, præstitit obsequium; quod nobis exemplo est, nosmet abnegare, crucem tollere, ac Christum sequi, ac patrem & matrem, uxorem & liberos, vitam & omnia odio habere, ut Christo fidele obsequium præstemus, ejusque discipuli vere simus.

In Christo triumphus.

His meditationibus multum commotus fui, & raptus, & eximiam percepi consolationem, ex mirabili & constanti illa Dei erga nos charitate, meque huic charitati commendavi, ac Deum toto corde ac tota anima laudavi, ac vota mea Domino nuncupavi, pactum renovando ei serviendi, ac toto peregrinationis meæ tempore mandatis ejus obsequium præstandi, eique in sacrificium laudis obtuli animam meam ac corpus, quæ pretioso suo sanguine redemit, gratiam & virtutem postulavi, ut hæc præstarem & in finem usque perseverarem. Et Dominus cor meum pacavit, & ad sacram suam mensam me deduxit, ubi pretioso suo corpore quod pro me fractum fuit, & pretioso suo sanguine qui pro me in remissionem meorum peccatorum effusus fuit, animam meam aluit, redintegravit & corroboravit.

In sacra Communione consolatio ineffabilis.

§.138. Suavissimam ac singularem Dei ac Salvatoris mei præsentiam mecum percepi, cum Minister tradidit mihi panem, institutionis verba repetens. Cum hæc Salvatoris nostri verba recitabat: Hoc facite ad mei commemorationem; ego, sanctum hoc Sacramentum adhuc in manu tenens, cor meum ad Christum in cœlis elevatum percepi, ei dicens; Te Domine, toto corde commemoro, Domine memineris mei in misericordia. Atque sic panem illum comedi, & de poculo illo benedicto bibi, cum cœlesti adeo ac exuberanti consolatione, ex Dei mei super me misericordia, ut eam nec possit lingua mea eloqui, nec calamus exprimere, imo nec potuerit cor meum comprehendere, sed ipsa cor meum comprehenderit ac repleverit pace, virtute ac gaudio in Spiritu sancto, adeo ut paratus fuerim ac gauderem statim dissolvi, ac cum Domino Jesu esse, & anima exultanter ad Deum clamarit: Nunc di-
Luc. 2. 29, 30. mittis servum tuum, Domine, in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Atque ita omnes priores consolationes hujus diei augmento obsignavit mihi Dominus. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68. 28.) Qui incepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi. (*Philip.* 1. 6.) Et quotidie in me promovet. Benedictum sit sanctum ejus nomen in sæcula sæculorum. *Amen. Hallelujah. Amen & Amen.*

Oratio pro aliis. Gratiarum actiones & laudes Deo.

§.139. Rursus pro aliis oravi, & ex eo consolationem percepi quod cum aliis melior non sim, hanc gratiam acceperim, ac proinde de aliis, utcunque infirmi sint vel statim videantur, non spem omnem abjicere, sed meliora sperare debuerim. *Hallelujah.* Nunc Deo habeatur gratia, qui facit ut semper triumphemus in Christo. (2 *Cor.* 12. 14.) Benedictus sit Dominus Deus Israël, a seculo & usque in seculum. *Amen & Amen.* (*Ps.* 41. *vers. ult.*) Qui solus mirabilia facit. Et benedictum nomen gloriæ ejus in sæculum, & repleatur gloriâ ejus universa terra. *Amen & Amen.* (*Ps.* 72. 18, 19.) Benedicite Domino omnia opera ejus; in omnibus locis dominationis ejus. Benedic anima mea Domino. (*Ps.* 103. *v. ult.*) *Amen. Hallelujah.*

Ps. 51. 12, 13. Concio Episcopi ad Clerum.

Die 18. *Aprilis An.* 1626. Qui erat dies pri- §.140.
mus Synodi Diœcesanæ Aberdonensis pro illo anno, *Episcopus Pater meus* ad Clerum concionatus est super *Ps.* 51. 12, 13. Verba hæc sunt: *Redde mihi gaudium salutis tuæ, & spiritus voluntarius confirmet me. Docebo prævaricatores vias tuas, & peccatores ad te convertentur.* Ubi ostendit *Davidis* postulatum, & cui usui id semel concessum adhibere velit. Sæpe expertus sum, gaudii hujus ac voluntarii spiritus, ob iniquitatem & incredulitatem meam, defectum summo mihi impedimento fuisse, in opere illo quod a pueritia semper dilexeram, ac semper fuit & adhuc est summum meum super terram desiderium, nempe, docere prævaricatores vias Domini, adeo ut peccatores illi convertantur; utque ex meâ imprudentiâ vel infidelitate nemo pereat, & ut nemo ita in me offendatur, ut vel impediatur lætum præstare obsequium Dei verbo per me locuto, vel ipse morarer, infirmarer, vel animo frangerer, in voluntaria, fideli ac prudenti hujus muneris functione. Proinde eo tempore dictus textus & concio me plurimum consolata sunt, affectusque meos ac preces ad Deum excitarunt. Ita plurimos post dies idem sæpe mihi occurrit, & Deum iisdem Davidis verbis orando, magis & magis sanctificatus, consolatus & corroboratus fui. Expertus sum etiam nos in ministerio nostro animum non debere abjicere, propter innumeras nostras infirmitates & defectus, sed semper gaudere debemus, etiam in infirmitatibus nostris, quoniam virtus Dei in infirmitate nostra perficitur. Glorificabit humiles in salute. In ministerio Dei nostri cum carne & sanguine conferre non debemus. Sed in eum projiciemus omnem nostram curam, quia illi cura est de nobis. Qui consilio suo nos deducet, dum hic sumus, & postea in gloriam suam recipiet. Illi sit omnis gloria, honor, & laus in sæcula sæculorum. Amen. Hallelujah.

Experientia spiritualis qua hic textus melius intelligitur, & salubris illius usus habetur.

Apparitio Dei Salomoni & Salomonis responsio & petitio, ubi & Davidis pietas memoratur.

Die 24. *Septembris* 1626. cum esset dies do- §.141.
minicus, moratus sum Cuperi Fifæ, ubi audivi *D. Dav. Dagliesh*, Evangelii in eo oppido Ministrum, eam historiam quæ 1 *Reg. cap.* 3. habetur explicantem, de apparitione *Dei Salomoni* in Gabaon, jubentis eum postulare quid velit ut det ei, deque responsione Salomonis ad Deum, misericordiam ejus celebrantis erga Davidem patrem suum, qui ambularat in conspectu Dei, in veritate & justitia, & recto corde cum illo, & pro se postulantis id quod piam suscepti muneris administrationem spectaret, cor sapiens scilicet, ut populum Dei judicare possit, & discernere inter bonum & malum, in quo suam agnoscit insufficentiam. Postulatum hoc Salomonis Domino adeo placuit ut non solum id ei dederit, sed & alia dona quæ non petierat. In hac historia indicavit nobis Minister memorabile exemplum cum beatæ conversationis, ut scilicet homines ambulent coram Deo, ut semper in conspectu ejus, & cum Deo, ei semper adhærentes, idque in veritate, juxta verbum ipsius, in vera fide & pietate, & in justitiâ quoad officia secundæ tabulæ, & in rectitudine cordis, sine qua omnia nil sant præter hypocrisin; tum etiam sapientis electionis, ut id postulemus quod conscientiæ ac muneri nostro maxime congruat. Et cum in hunc modum supplicationes nostras Deo facimus secundum ipsius volun-

Vide 9. Sept. 1640.

luntatem & verbum, nos audit, nobisque dicit: Ecce feci tibi secundum sermones tuos, tibi etiam dedi id quod non postulasti; nam cum oravimus juxta mandatum & voluntatem Dei nostri, nil habemus de quo solliciti simus, sed oblivioni tradendæ sunt omnes nostræ curæ, eas in Deum projiciendo, qui faciet & hactenus fecit, neque veniunt ulla ex Dei donis solitaria, sed aliis donis & beneficiis supra omnia quæ petimus, aut cogitamus, comitata. Omnis laus & gloria sancto & glorioso illius nomini, quod supra omnem benedictionem & laudem exaltatum est in æternum. Amen. Toto corde desideravi ut ambularem ad exemplum Davidis, & eligerem ad exemplum Salomonis, & Mariæ sororis Marthæ, & benignæ Dei responsioni Salomoni factæ innixus sum, omnem meam sollicitudinem in benignum meum Deum ac Patrem cœlestem charitatis plenum, projiciens, atque ita eximiam percepi consolationem, & corroboratus sum in Dei mei gratiâ. Illi sit omnis honor, laus, gloria, potentia, & gratiarum actio, in Ecclesia per Jesum Christum Dominum ac Salvatorem meum in sæcula sæculorum. *Amen & Amen. Hallelujah. Amen.*

§. 142. *Testimonium spiritus Dei cum spiritu nostro quod filii Dei sumus.*

Die 10. *Octobris* 1626. die Martis, audivi *D. Robertum Baronium* in concione sua Aberdoniæ explicantem 16. *v. cap.* 8. *Epist. ad Romanos*: Et ipse spiritus testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. Dixit testimonium Spiritus Dei in hoc loco esse motionem efficacem fundatam super Dei verbum, & opus gratiæ in corde nostro a Sancto Spiritu operatum, quo opere in nobis juxta Dei verbum operato, Spiritus Sanctus cordibus nostris præsentiam suam cum nobis & in nobis testatur. Nam Spiritus Dei 1. per suam præsentiam operatur in nobis opus gratiæ. 2. Deinde hoc suum opus, quo cor hominis renovavit, innotescere facit ipsi cordi, cujus oculos reflecti facit in seipsum jam renovatum, ibique videre suam fidem & novitatem, & adoptionem. Jam posterius istud opus est efficax illa motio seu testimonium Spiritus Dei patefacientis spiritui nostro nostram adoptionem, quod testimonium recipit cor nostrum seu spiritus noster firma persuasione, concluditque nos esse Dei filios, prout jam clare testatus est spiritui nostro ipse Spiritus Dei, imo adhuc simul testatur cum nostro spiritu, nos esse Dei filios. Testificatio hæc seu efficax motio Spiritus Sancti, vel est motio ducens, qua nos in certitudine adoptionis per quotidiana spiritualis lætitiæ incrementa ducit Spiritus Dei, tendentes ad plenam fruitionem vultus Dei *Ps.* 16. vel est motio retrahens, per quam nos in tentationibus, ærumnis & conflictationibus spiritualibus jam fatiscentes & desperationi vicinos retrahit Spiritus Dei a præcipitio desperationis, & sperare nos jubet ac facit, sub spe, etiam contra spem, imo facit ut ipsam spem speremus. *Psalm.* 42. & 43. Quid mœres anime anxie &c.

Sequuntur regulæ quibus discernatur testimonium spiritus Dei, ab illusione Satanæ, aut cerebri ipsius hominis vana imaginatione.

Regula 1. Si in tempore magnarum ærumnarum in quibus natura nos sustinere nequit, & Satanæ nos non sustinere, sed potius in desperationem adigere placet, si inquam tali tempore experimur nos sustentatos esse, in Deum recumbere ac eum quærere, hic certe est digitus Dei; cum ii qui in otio & quiete degunt, se phantasmate aut vana imaginatione fallere possint.

Regula 2. Si testimonium hoc ortum suum habuerit ex diligenti & pio usu mediorum quæ Deus instituit, ac semper eodem sedulo ac pio usu comitetur. Scilicet si delectatio nostra sit convenire cum populo Dei in atrio Dei, sacrum ejus verbum audire, sanctum & benedictum illius nomen invocare & prædicare, si ex memoriâ præsentiæ Dei nos prope aspicientis, ipsum humiliter, ardenter & cum fructu oremus, si cœnam Domini cum vehementi desiderio ac pia devotione participemus.

Regula 3. Si cum certitudine adoptionis nostræ semper habeamus piam vigilantiam & curam corda nostra continuo scrutandi & probandi, ne in iis ulla fraus lateat ad nos fallendos. Spiritus Dei gaudium equidem secum affert; verum hoc gaudium in nostra hac peregrinatione est gaudium cum tremore. *Ps.* 2. 11.

Sequuntur duæ regulæ quibus dignoscatur num testimonium spiritus nostri sit testimonium spiritus renovati, vel non. *Prima regula est*, status noster; nam spiritus hominis regenerati ad hanc tranquillitatem non pervenit nisi post procellam. Homo regeneratus primo miseriam suam per peccatum ejusque pondus sentiit, ac laboravit & oneratus est sub tam gravi & non portabili onere gemens, priusquam dulcem hanc requiem & pacem animæ suæ experiatur.

Regula secunda, est dispositio nostra erga peccatum, erga gratiam & erga gloriam. Si sit testimonium cordis regenerati, tunc memores sumus peccatorum quæ commisimus, cum tristitia secundum Deum, & vehementi eorundem detestatione; quietum hospitium non damus ulli præsenti peccato, sed contra omne peccatum contendimus, ac omnia peccata & peccatorum occasiones diligenter in posterum evitamus, utpote peccati præteriti impuritatem ac pondus experti, ac sincerum omnis peccati odium semper retinentes.

Erga gratiam, ita oportet nos esse affectos, ut gaudium ac delectatio nostra sit solum & penitus in Deo, in ejus misericordia, in luce vultus illius.

Erga gloriam affectio nostra debet esse, desiderium vel saltem conatus habendi desiderium initiationis cœlestis illius gloriæ per separationem animæ nostræ a corpore ut cum Christo simus, & perfectæ consummationis ejusdem tum in anima, tum in corpore, in die ultimæ resurrectionis. Mors corporea naturæ terribilis est propter separationem animæ a corpore, sed gratiæ accepta est propter unionem animæ cum Christo. Quocirca sanctus Apostolus desiderabat dimitti a corpore & esse cum Domino Jesu, quod multo melius est. *Phil.* 1. 2 *Cor.* 5. *Consolatio contra terrores mortis.*

Regula qua discernatur testimonium Spiritus Dei, a testimonio spiritus nostri, est præcipue in afflictionibus & magnis tentationibus, cum spiritus noster, sensum gratiæ quam habet amittens, in nobis obruitur, ac pacem nobis testari desinit, sed potius languet & deterritus est. Tunc filius Dei se nihilominus digito Dei sustentatum experietur, ac Spiritum Dei omnem ei consolationem suppeditantem, ac spiritui ejus loquentem, ut bono animo sit, nec animum despondeat, quo proprius hominis spiritus animatus & quasi in vitam reductus, solitum pacis testimonium a quo paulisper destiterat redintegrat, cum nihilominus homo sustineretur testimonio Spiritus Dei quiete clamantis ad torpidum & languidum nostrum spiritum, eumque ex languore illo resuscitantis. *Ps.* 42. & 43. & 73. 26. & 94. 19. & 142. & 143. *Vide* 10. *Maji* 1627.

Hæc est summa, ut mea memoria est, piæ hujus concionis *D. Rob. Baronii*, qua ex misericordia clementissimi nostri Dei & Patris cœlestis amantissimi magnam ædificationem ac consolationem percepi.

Omnis laus, benedictio, honor, gloria & gratiarum actio, potentia, majestas & dominium in Ecclesia per Dominum nostrum Jesum Christum, sit Domino nostro Deo clementi & Patri cœlesti, cujus sanctum & gloriosum nomen supra omnem benedictionem & laudem exaltatum est, in sæcula sæculorum. *Amen & Amen.*

Legi etiam de eodem argumento pium ac eruditum tractatum a patruo meo *D. Johanne Forbesio* scriptum, qui me plurimum instruxit & consolatus est. Omnis laus & gloria Deo omnis consolationis, ac Patri luminum, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. Dominus messis mittat quotidie magis & magis, plurimos idoneos operarios in messem suam, eorumque ministerium comitetur potentia, gratia & consolatio sancti illius spiritus, cui sit gloria in sæcula sæculorum. *Amen.*

§. 143. *Consolationes ex concionibus auditis.*

Die 20. Octobris An. 1626. Palæo-Aberdoniæ, die dominico, audivi salutarem expositionem a Patre meo Episcopo Aberdonensi in concione ad populum factam anxiæ sollicitudinis & orationis Patriarchæ Jacobi, cum certior factus esset fratrem suum Esavum ei obviam venire cum quadringentis viris. *Genes.* 32. Et post meridiem *D. Al. Scrogie* concionantem super *Is. c.* 40. *v.* 11. ubi dictum est de Christo: Sicut Pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos &c. Multa nobis dedit pia & salutaria documenta de Salvatoris nostri erga nos benignitate ac pastorali cura & affectu; de cœlestis istius alimenti excellentiâ & permanenti virtute; de gregis Christi felici statu, & eorum miseria qui de ejus grege nunquam fiunt; de misera nostra in peccato & errore dispersione & aberratione, ex pravitate naturæ per Adami lapsum super nos inducta; deque Christi dilectione, sedulitate ac benignitate in aberrantes suas oves quærendo.

Postea domum reversus, humiliter ac fervide oravi Deum & Patrem Jesu Christi Domini mei, qui mei adeo misertus est, ut sæpe cum in præsenti periculo interitus essem, & semper versus perditionem aberrarem, ipse ex infinita sua misericordia me servarit ac restituerit, imo honorarit & consolatus sit in ministerium sibi collocando, ut populo suo & coram mundo misericordiam & veritatem ejus prædicarem. Sanctum & gloriosum illius nomen supra omnem benedictionem & laudem exaltatum laudavi, & supplex oravi pro augmento ipsius gratiæ & præsentiæ, salutis ejus gaudii, fortitudinis, libertatis, ac continuæ confirmationis per voluntarium ejus spiritum, pro quotidiano augmento illuminationis ac sapientiæ cœlestis, ac ut operationem meam ex bona conversatione ostendam in mansuetudine sapientiæ, ut nobis præceptum est. (*Jac.* 3. 13.) Oravi etiam pro tota Ecclesia militante, pro principibus & Pastoribus, ut dignetur Dominus nobis dare idoneos ac fideles Pastores, religiosos ac sapientes principes, in timore Domini fortes, utque unumquemque filiorum suorum pro uniuscujusque necessitate abunde consolari vellet. Tunc Dominus in memoriam mihi revocavit duo de oratione monita ab Apostolo Jacobo nobis tradita, (*Jac.* 1. 6. *Jac.* 4. 3.) ut in fide postulemus, nihil hæsitantes, ac ut petamus pura ac pia intentione, & non ut in concupiscentiis nostris insumamus. Tum oravi: Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Ac crea in me Domine cor mundum ac sincerum, & spiritum rectum magis ac magis in visceribus meis innova. Atque ita eximiam percepi consolationem, innixus firmo illi promisso id quod

Duæ regulæ orationis.

ita postulamus indubie assequendi. (*Jac.* 1. 5. *Jac.* 4. 2. *Matth.* 7. 7, 8, &c.) Benedictum sit Dei nomen in æternum. *Amen & Amen.*

Die 26. Octobris Neo-Aberdoniæ 1626. *D. Jacobus Sibbaldus* in concione super *Matth.* 5. 21. *Non occides*, ansam sumpsit loquendi contra anxiam & suspiciosam melancholiam, ostendens hominem consolationem suam in Domino Deo suo debere ponere, non vero immoderata animi ægritudine se perdere. Si propter peccatum contristemur, pœniteat nos peccatorum præteritorum, & in Dei misericordia speremus, ac Deum timeamus. Vigilemus & oremus ut pro futuro peccatum evitare possimus. Quod si incauti excipiamur, Advocatum apud Patrem habemus, Jesum Christum justum. Et si ob quamcunque aliam miseriam, crucem aut calamitatem contristemur, ad Deum nostrum confugiamus, quærendo, desiderando & gaudendo in eo quod omnium optimum est, luce nempe vultus Dei, (*Ps.* 4.) unica illa margarita, ad quam acquirendam sapiens ille negotiator vendidit omnia quæ habuit. (*Matth.* 13.) In hunc finem adduxit hæc Domini dicta per Prophetam Isaiam: Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui, qui ambulavit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. (*Is.* 50. 10.) Item: Audite me, qui scitis justum, populus meus lex mea in corde eorum: Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, & sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea in generationes generationum. —— Ego, Ego ipse consolabor vos: quis tu ut timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescit? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos & fundavit terram; & formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus qui te tribulabat, & paraverat ad perdendum: ubi nunc est furor tribulantis? (*Is.* 51. 7, 8, 12, 13.) Benedictus sit ille consolator in sæcula sæculorum. *Amen & Amen. Hallelujah.*

§. 144. *Remedium contra tristitiam.*

Justus ab auditione mala non timebit. Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus. Ps. 112.

Die 29. Octobris 1626. Palæo-Aberdoniæ, die dominico, Pater meus Episcopus Aberdonensis concionatus est super partem ultimam *cap.* 32. *Genes.* de *Jacobi luctatione*; quam ostendit ibi narratam esse, non solum propter *Jacobum*, sed etiam in documentum & consolationem nostram. Dominus aliquando terrores suos ita ostendit caris ipsius filiis, & ita lucem vultus sui parumper abscondit ab illis, ut solitam ejus gratiam non sentiant; spiritualis gaudii & pacis sensus ipsos fugit, unde provenit hæc querela: An obliviscetur misereri Deus? Nunquid in æternum projiciet Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? Eorum tamen vita spiritualis non est penitus extincta. Ita enim Dominus tractat filios suos, non ut eos a se abjiciat, licet eos severe flagellet, verum ut eos exerceat, consoletur ac confirmet adversus omnes timores ac impetus quoscunque, victoriam iis dando in hac tam gravi lucta cum ipso Deo, & consequenter certos eos reddendo de victoria contra omnia reliqua per Jesum Christum, in quo eos in finem usque diligit. Quocirca luctando cum iis, clam eos corroborat & sustentat, ut ipsorum fides non deficiat. Sic contra præsentem sensum credunt & sperant sub spe contra spem, & firmiter Deo adhærent, neque ad eum preces cum lachrymis fundere desistunt, iis enim Jacobus cum Domino luctatus est, atque ita victoria potiuntur, neque linquit eos Dominus, priusquam benedicat & con-

§. 145. *Jacobi lucta.*

soletur

foletur & confirmet: & post noctem luctationis, novum iis tribuit lumen, facitque auroram gaudii & triumphi iis oriri; benignum suum vultum in pace iis ostendit, ac solem justitiæ salutariter super eos lucere facit, inque ea luce illi ambulant, in itinere ad cœlestem illam terram promissionis strenue & cum libertate spiritus progredientes in domum cœlestis sui patris; cui sit gloria in æternum. Amen. Talis etiam fuit lucta & victoria mulieris Chananeæ. Quamvis Dominus in misericordia sua nobis det victoriam, tamen nos propriæ nostræ impotentiæ coarguit, sic tetigit nervum femoris Jacobi, & permisit Angelum Satanæ colaphizare Apostolum Paulum; ut propriam vilitatem humiliter agnoscamus, & in Domino solo gloriemur, omnem laudem illi soli reddentes, cujus misericordiæ est quod non simus consumpti. Novæ misericordiæ diluculo. Qui facit ut semper triumphemus in Christo Domino nostro. Benedictus & laudatus sit ille in æternum, cujus sanctum & gloriosum nomen supra omnem benedictionem & laudem exaltatum est in sæcula sæculorum. *Amen & Amen. Hallelujah.*

§. 146. *Meditatio in Ps. 88.* *Die* 30. *Octobris* 1626. Audiebam Episcopum post prandium legentem *Psalmum* 88. ubi Hemanis Ezrahitæ gravis lucta & querela exponitur, in qua, inter omnes sanctorum luctas per totum librum Psalmorum memoratas, id huic peculiare est, quod cum aliæ sanctorum luctationes cum læta & triumphali conclusione, vel saltem prece pro liberatione enarrentur, ut *Psal.* 6. 38. 74. 77. 79. 102. 130. &c. tamen hic Heman Psalmum suum, persistendo in gravi sua querela concludat, adeo ut in expectatione beneplaciti divini, impræsentiarum desistat, ac orationi gravi hac querimonia, finem faciat: *Elongasti a me amantem & socium: notos meos in tenebris.* Sic Deo in sapientia & misericordia sua dilectum suum servum exercere placuit. Quem nihilominus in vera fidei fortitudine sustinuit, quod patet ex compellatione qua vir pius afflictus in initio orationis suæ in eodem Psalmo utitur; ubi dicit: *Domine Deus salutis meæ*; ex continua etiam & fideli oratione ad Dominum, Deum salutis suæ pro consolatione & liberatione *v.* 1, 2, 9, 13. ex familiari etiam, reverenti, & fideli ad Deum suum expostulatione, in quem semper sperare persistit, & per totum Psalmum in paternum ejus sinum mœstas suas lachrymas effundit. Quæ certa argumenta sunt eum lætam ac gloriosam victoriam & triumphum ac tranquillum illum justitiæ fructum impetraturum, (*Heb.* 12. 11.) illam etiam vitæ coronam. (*Jac.* 1. 12.) Da Domine, ut fideles simus usque ad mortem, ut corona illa vitæ nobis detur. (*Apoc.* 2. 10.) Benedictus sit Dominus Deus salutis nostræ in sæcula sæculorum Amen & Amen. Salus a Deo nostro, insidenti throno & Agno. Amen. Benedictio, & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & potestas, & vires Deo nostro in secula seculorum. Amen. (*Apoc.* 7. 10, 11, 12.) *Hallelujah.*

§. 147. *Unum a Domino petii, id requiram.* Eodem die in Vesperis in Ecclesia, salutare documentum, vivificationem & consolationem accepi ex audita lectione *Psalmi* 27. Et cor meum hoc unum petiit, hoc requisivit, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam pulchritudinem Domini, sub alis ejus securus. Respondit cor meum illi dicenti, quærite faciem meam; faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam a me, &c. imo usque ad finem Psalmi cor meum sequutum est orans, & gaudens, & laudes Dei salutis meæ canens. Et adhuc magis in consolationibus his corroboratus fui, audito *cap.* 8. *ad Rom.* ejusque triumphali conclusione in immutabili caritatis Dei nostri erga nos in Jesu Christo Domino nostro constantia. Illi sit omnis gloria, laus & benedictio, in secula seculorum. *Amen & Amen. Hallelujah.*

Eodem die mane legebam 1 *Pet.* 4. ubi in initio capitis moniti sumus, ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei vivamus. Quod facere Deo spopondi, ab eo gratiam, vires, benedictionem & perseverantiam supplex postulans. Atque ita corroboratus fui, ac eximiam percepi consolationem, ex priorum meorum peccatorum & omnis peccati odio, & sincera justitiæ esurie & siti, cum firmo proposito, quod reliquum est vitæ meæ, congruenter Dei voluntati vivendi, certitudine mihi data quod gratia ejus sufficiet mihi. Hallelujah. Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. —— Benedictus Deus: qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me. (*Ps.* 66. 16--20.) Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus simul. —— Hic pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum; & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. (*Psalm.* 33. 4, 7.) Imo misericordiæ ejus prævenerunt me. Cum errarem sicut ovis quæ periit, quæsivit me, meque domum reduxit, vivificavit ac consolatus est. Certe bonum & misericordia prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ, & habitabo in domo Domini in longitudinem dierum. (*Psal.* 23. 6.) Benedictus sis tu Domine, fortitudo mea, salutis meæ petra, Deus ac Pater Domini mei Jesu Christi, in quo tam superabundantes misericordiarum divitias ostendere tibi placet. Domine nosti servum tuum, ex tua enim voluntaria & abundanti misericordia est, quod consumptus non sim, sed in salute tua magnopere gaudeam. Sancto tuo nomini benedico Domine. *Hallelujah.*

ANNO 1627.

Die 19. *Januarii* vesperi paulo antequam lectum peterem, post longam plurium dierum luctam & tempestatem, eximiam percepi consolationem & summam tranquillitatem. Plurimis diebus, die ac nocte ad Dominum Deum meum clamaveram, ut in me carnem cum concupiscentiis & affectibus cruci affigere dignaretur, quo magis confirmarer in certitudine misericordiæ ejus ac interminatæ dilectionis erga me in Jesu Christo Salvatore meo, ac etiam majori libertate spiritus Domino Deo meo in munere meo servirem. Assidue etiam precatus sum ut omnem amaritudinis & infidelitatis radicem ex corde & anima mea evellere dignaretur, ut in plena fidei persuasione, & gratiæ ipsius potentia, omnem meam in eum projicerem curam, ac ab inordinatis & mundanis cupiditatibus, a suspicioso etiam timore & sollicitudine, ab ambitione, invidia, & omni mala via & opere liberarer, ut reliquo vitæ meæ tempore in Deo serviendo alacriter progrederer, in sancto & glorioso ejus nomine semper & omni die exultans, & in luce vultus illius ambulans. (*Psal.* 89. & 90.) Quotidie consolationem accepi a misericordi Patre meo cœlesti & dulci Pastore. Verum lucta recurrit, & tempestas earundem tentationum undas repetivit; contra quas continuo magis fervide precatus sum, ad Dominum Deum meum supplici & ferventi oratione appropinquans, §. 148. *Deus filios suos expedite adjuvat.*

quans, qui tandem veſperi die 19. Januarii An. 1627. tempeſtatem ſedavit, ac animam meam magna tranquillitate beavit, mihi monſtrans hoc eſſe maxime opportunum tempus conſolationis, quamvis ab initio ſupplicationum mearum me audiſſet, ac orationes acceptæ fuiſſent; meque docens ſe cito auſcultare ac concedere petitiones electorum ſuorum dies noctesque ad eum clamantium, licet nobis in luctis noſtris videatur procraſtinare, nobisque expedire non ſuccurrere, id tamen expedite facit, quoniam opportune facit, tempore ipſius gloriæ & noſtro bono maxime commodo, licet diu nos detineat. (*Luc.* 18. 57.) Poſtridie mane eadem conſolatio mihi renovata eſt, & ſumme exultavi in laudibus nominis ejus benedicti in ſecula ſeculorum, Amen. (*Pſ.* 106. 47.) Benedic anima mea Dominum. Sic vota mea ad Dominum Deum & redemptorem meum repetivi, & conſolatus eſt me, & confirmavit in ſufficientia ipſius gratiæ mecum & in me. Benedicite Domino omnes ejus ſancti. Sperabunt in te ſcientes nomen tuum, quia non derelinquis quærentes te Domine. (*Pſ.* 9. 10.) Multi dolores impio: at ſperantem in Domino miſericordia circumdabit. Lætamini in Domino & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde. (*Pſ.* 32. 10, 11.) Diligite Dominum omnes ſancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum: omnes qui ſperatis in Domino. (*Pſ.* 31.) Benedictum ſit nomen Domini Dei noſtri in ſecula ſeculorum, Amen & Amen. Benedic anima mea Domino in æternum, *Amen*, *Hallelujah*, *Hallelujah*, *Amen & Amen*. Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ; & rege eos, & extolle illos uſque in æternum. (*Pſ.* 28. 9.) *Hallelujah*, *Amen*. In *Pſ.* 106. *v.* 1, 2, 3, 4, 5. læta habetur celebratio laudum Dei, ac valde ſalutaris oratio ad eum facta pro ea beatitudine quam ſinguli noſtrum ſemper petere ac quærere debemus; ut meminerit noſtri in beneplacito populi ſui, ac viſitet nos in ſalute ſua. Ut bonum electorum ejus videamus, ut lætemur in lætitia gentis ejus, & gloriemur cum hæreditate ejus. Det Deus hoc unicuique noſtrum ad vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit omnis laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen, Hallelujah.

[Conſolatio hæc abunde mihi repetita eſt die 25. Maji Amſtelodami 1645. Benedictus ſit Deus. Amen.

Conſolatio etiam in lectione 4. Reg. c. 18. & 19. Hallelujah.]

§. 149. *Meditatio Martyrii.* *Die* 13. *Martii* 1627. Dum meditarer in lecto mane de perſecutionibus ſanctorum Dei, ac de Martyrio propter nomen Jeſu Chriſti, oravi Dominum ut me nunquam deſerat nec derelinquat, nec ullum e filiis ſuis, ſed ut nos in omnibus noſtris tentationibus ſuſtineat ac tueatur, noſque fideles ac lætos in mortem uſque reddat, quandocunque, ubicunque vel quomodocunque nos ex hac vitâ mortali recipere illi placuerit; noſque ſemper in ejus laudibus exultare faciat, utpote in omnibus plus quam victores per Jeſum Chriſtum qui dilexit nos, atque ſic illius miſericordiâ promiſſam illam vitæ coronam aſſequamur. (*Jac.* 1. *Apoc.* 2.) *Conſolatio eximia.* Eximiam percepi conſolationem ac ſuavem certitudinem ejus miſericordiæ & gratiæ nobis ſufficientis. Non enim ſinet nos tentari ſupra vires quas nobis ſuppeditat, ſed cum tentatione exitum dabit, ut poſſimus eam ſufferre. (1 *Cor.* 10. 13.) Et faciet ut ſemper triumphemus in Chriſto, (2 *Cor.* 2. 14.) per eum nos amplius quam victores in omnibus faciens. (*Rom.* 8.)

Cum his conſolationibus tantas vires & lætitiam animæ meæ datam ſentii, ut penſitatâ mea *Vid. 6. Aug. 1640.* indignitate ex una parte, & ex altera voluntaria, conſtanti & ineffabili Dei miſericordiâ, & plorarim, & lætus fuerim, dixeritque cor meum ac os ad Deum: Anima mea tibi benedicit Domine, tibi benedico toto corde & anima. Tunc reſpondit mihi Dominus per Spiritum ſuum ſanctum: *Benefaciam tibi ex habitatione ſanctitatis & gloriæ meæ, toto corde meo, & tota anima mea.* (Jer. 32. 41.) Quid dicat ſervus tuus Domine? Tibi placet nobis ſummam hanc oſtendere miſericordiam. Robora ô Deus hoc quod operatus es in nobis. (*Pſ.* 68. 28.) Noſti Domine ſervum tuum. (2 *Sam.* 7.) In tua ſola miſericordia ſpero. Diligis timentes te, ſperantes in miſericordia tuâ. (*Pſ.* 147.) *Hallelujah.* Benedic anima mea Domino, benedictum ſit nomen Domini, Amen.

Hoc ſcripto poſtquam e lecto ſurrexeram, ad ſtudia læte me contuli. Benedictum ſit ſanctum & glorioſum ejus nomen, qui in ſe nos lætari facit. *Amen.*

[12. Maji 1627. dum ſalutaria hæc verba relegerem, dixit cor meum Deo, Domine tu non mutaris, ac proinde non conſumar nec confundar. Mal. 3. 6. Joel 2. 27. unde magnopere conſolatus fui. Benedictus ſit Dominus.

§. 150. *Sola & certa via pacis.* *Die* 10. *Maji* & quibuſdam præcedentibus hanc ſalutarem habui meditationem. Sola & certa via perfectam pacem & ſtabilitatem contra omnes impetus aſſequendi hæc eſt; curam noſtram ſuper Dominum jactare, & ipſe nos enutriet, non dabit in æternum fluctuationem juſto; (*Pſ.* 55. 22.) in nobis ipſis non confidere, ſed in Deo ſuſcitante mortuos; (2 *Cor.* 1. 9.) qui novit pios e tentatione eripere; (2 *Pet.* 2. 9.) in quo ſunt vires ſempiternæ. (*Iſa.* 26. 4.) Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. (*Pſ.* 27. 14.) Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipſo ſperavit cor meum & adjutus ſum. (*Pſ.* 28. 7.) Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum: omnes qui ſperatis in Domino. (*Pſ.* 31. 24.) Defecit caro mea & cor meum; Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. (*Pſ.* 73. 26.) In voluntate tua deduces me, & cum gloria ſuſcipies me. (*Pſ.* 73. 24.) Si dicebam; motus eſt pes meus; miſericordia tua Domine adjuvabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. (*Pſ.* 94. 18, 19.) Dominus mihi adfuit, & corroboravit me; ——— Et eripiet me Dominus ab omni opere malo, ſervabitque regno ſuo cœleſti; cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen. (2 *Tim.* 4. 17, 18.) Ad eandem rem ſic loquitur beatus Martyr S. Cyprianus in libro ſuo de duplici martyrio, vel quicunque fuerit illius author: [Horrere mortem naturæ eſt; vincere naturam animi fortitudine, gratiæ eſt. Omnia poteſt Paulus, ſed in eo qui *Phil. 4. 13.* ipſum corroborat. Sed quibus præſidiis vincitur naturæ infirmitas? Si nos totos humi proſternamus, hoc eſt, ſi nihil omnino tribuamus viribus noſtris, &c.] Et etiam in eodem libro [Beatus Apoſtolus prædixit nulli pie vivere vo- *2 Tim. 3. 12.* lenti in Chriſto Jeſu defuturam perſecutionem. Si deeſt tyrannus, ſi tortor, ſi ſpoliator, non

deerit

deerit concupiscentia, martyrii materiam quotidianam nobis exhibens, (dum scil. nos ei resistimus, ac contra eam pugnamus.) Postremo, hæc ipsa mala, quæ secum defert vita mortalium, quæque piis cum impiis communia sunt, martyrii coronam nobis parabunt, si placide, si cum gratiarum actione pertulerimus. Neque privati sunt martyrii gloria quicunque violenta morte consummati non sunt.] Et rursus in eodem libro: [Ubi quis cogitet, hoc possum, illud perpeti non possum, nunquam feliciter peraget martyrium: sed qui se totum tradit divinæ voluntati, non alio spectans quam ad illius opem, is demum firmus est & invictus. Deo debetur omnis victoriæ gloria.] Hactenus S. Cyprianus vel author illius libri. Videatur tractatus meus de residentia pastorali cap. de fuga, propositione sexta, & prop. septima. Quomodo debet Petrus post lapsum conversus confirmare fratres? Respondet sanctus Cyprianus in eodem libro; [ut sibi diffisi fiduciam omnem collocarent in Domino.] Domine adauge nobis fidem, innitantur corda nostra super te Deum nostrum, & in pace serva nos per Jesum Christum Dominum nostrum, cui cum Patre & Spiritu sancto sit omnis honor, gloria, laus, potestas, majestas, imperium, gratiarum actio, & benedictio in secula seculorum, Amen & Amen. Hallelujah.

§. 151. *Remedia adversus afflictiones.*

Diebus 8, 9, & 10. *Julii* 1627. spiritu, propter molestiam cujusdam afflictionis terrenæ vexatus, omnique alio remedio privatus, recurri ad Dominum humili peccatorum confessione & agnitione justitiæ Domini in me corrigendo, imo sincere magnam ejus misericordiam agnoscens, quod in tantum mihi pepercisset, & non graviorem reddidisset castigationem suam, imo ei gratias agens, propter paternam ejus castigationem, in qua me non destitutum reliquit benignâ ejus præsentia. Et oravi ne sineret me supra vires meas tentari, sed a tentatione servaret, & cum tentarer, mihi vires suppeditaret, & per Jesum Christum Salvatorem me plus quam victorem in omnibus redderet. Tunc fortem percepi consolationem ex remissione peccatorum meorum, & meditatione providentiæ Dei, sine qua ne capillus quidem capitis nostri peribit, & qui omnia vertit in bonum liberis suis. Docuit cor meum pro nihilo habere mundanas has & transitorias afflictiones aut voluptates, & non propter quidquam quod mihi accideret sed propter peccatum contristari, neque gaudium & tranquillitatem animi in aliqua re præter solum Deum locare, qui nunquam destituit fidentes in eum; ejus solum regnum & justitiam & lucem vultus ejus quærere, & paternæ ejus providentiæ acquiescere, qui optime scit quid nobis sit optimum, & pro nobis unigenitum suum Filium dans, non sinet nos quovis carere bono, qui semper vigilat super nos propter nostrum bonum, & facit ut afflictiones nostræ, quantumvis pro tempore graves, tranquillum justitiæ fructum ferant. Deum precatus sum ne sineret stolidam iram in sinu meo manere, & benigne me audivit; tum magnopere consolatus & confirmatus sum hisce verbis prophetiæ Esaiæ de Christi obedientia & victoria & triumpho ejus in omnes hostes, non tantum in seipso, sed etiam in membris: Dominus Deus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est, verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me. Dominus Deus est auxiliator meus, & ideo non confundar. Ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar. Prope est qui me justificat, quis mecum contendet? consistamus simul, quis est adversarius meus? appropinquet mihi. Ecce Dominus Deus auxiliator meus est, quis est qui condemnet me? ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris, & non est lumen ei; speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. Hactenus verba Isaiæ. Ita qui suæ sapientiæ flammis aut creaturis confidunt, tristitiam & confusionem habebunt. Qui vero in Deo fiduciam ponunt, gaudium & perfectam pacem & confidentiam & certitudinem habebunt in æternum. Da mihi Domine gratiam ut constanter in te fiduciam ponam. Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Benedictum sit nomen Domini in secula seculorum. Amen.

Esa. c. 50. Tu Domine tempestive locutus es animæ meæ defessæ. Benedictus sit Dominus. 21. Martii 1640.

§. 152. *Consolatoria & confirmantia dicta.*

Die 22. *Julii* & quibusdam diebus præcedentibus, luctationem habui ex consideratione imbecillitatis meæ & spiritualis & corporeæ, aliarumque molestiarum, sed misericordiâ Dei erga me hisce sequentibus sacræ Scripturæ testimoniis magnopere consolatus & corroboratus sum. Dicit Salvator, ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. (*Joh.* 11. 25.) Dixit etiam Apostolo suo Paulo: Sufficit tibi gratia mea &c. (2 *Cor.* 12. 9.) Idcirco dicit idem Apostolus: Omnia valeo per Christum qui me corroborat; (*Philip.* 4. 13.) & in alio loco loquens de fide patris nostri Abrahami coram Deo cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt: Qui contra spem in spem credidit: ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli & arena maris. Et non infirmatus est fide; nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In promissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia: sed confortatus est fide, dans gloriam Deo. Plenissime sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere. (*Rom.* 4. 17, 18, 19, 20, 21.) Sperate in Deo in sæculis æternis, nam in Domino Deo est fortitudo in perpetuum. (*Esa.* 26. 4.) Sumpsit pii Regis Jehosaphati cor audaciam propter vias Domini. (2 *Chron.* 17. 6.) Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus. Selah. Tu autem Domine, susceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum. (*Ps.* 3. 3, 4.) (Vide *Luc.* 21. 28. Respicite & levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.) Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eum; quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. (1 *Joh.* 4. 4.) Cum Christo crucifixus sum, vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. (*Gal.* 2. 20.) Sic dicit Dominus: Nolite timere, state, & videte magnalia Dei quæ facturus est hodie. (*Exod.* 14. 13.) Hæc dicit Dominus: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei. Cras descendetis contra eos: ascensuri enim sunt per clivum nomine *Sis*, & invenietis

illos in fummitate torrentis qui eſt contra ſolitudinem Jeruel. Non enim eritis vos qui dimicabitis, ſed rantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos, ô Juda & Jeruſalem: nolite timere, nec paveatis: cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiſeum. —— Profectiſque eis, ſtans Jehoſaphat in medio eorum, dixit: Audite me viri Juda, & omnes habitatores Jeruſalem: credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis: credite Prophetis ejus, & cuncta evenient proſpera. Deditque conſilium populo, & ſtatuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent exercitum, ac voce conſona dicerent: Confitemini Domino, quoniam miſericordia ejus durat in æternum. (2 *Chron.* 20. 15, 16, 17, —— 20, 21.) Nonne quinque paſſeres veneunt dupondio, & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo? Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus pluris eſtis vos. —— Et vos nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis, & nolite in ſublime tolli: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem veſter ſcit quoniam his indigetis. Verumtamen quærite primo regnum Dei: & hæc omnia adjicientur vobis. Noli timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. (*Luc.* 12, 6, 7, —— 29, 30, 31, 32.) Non debemus negligere ſacræ Scripturæ conſolationes & exhortationes. (*Heb.* 12. 5.) Propter quod remiſſas manus & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. (*Heb.* 12. 12, 13.) Dixit; nunquam te deſeram, neque derelinquam, ita ut audacter dicere poſſimus; Dominus eſt auxiliator meus, non timebo quid faciet mihi homo. (*Heb.* 13, 5, 6.) Omnem veſtram ſollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. (1 *Petr.* 5. 7.) Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim prope eſt. Nihil ſollicitiſitis: ſed in omni obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu. (*Philip.* 4. 4, 5, 6, 7.) Dicas Domine, animæ meæ; ſalus tua ſum. (*Pſ.* 35. 3.) Salutare tuum expectavi Domine. (*Gen.* 49. 18.) Si cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius. (*Rom.* 5. 10.) Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. —— Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo etiam cum illo non omnia nobis donabit? Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat, quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, imo qui reſurrexit, & qui eſt ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo ſeparabit nos a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia &c. Sed in his omnibus plus quam victores ſumus, propter eum qui dilexit nos. (*Rom.* 8. 28. 30, 31, 32, 33, 34, &c.) Fiat voluntas tua Domine, quemadmodum in cœlis, ſic etiam in terris. (*Matth.* 6. 10.) Benedictum ſit nomen Domini, ſancto ejus & glorioſo nomini ſit omnis laus in ſæcula ſæculorum. Nam miſericordia ejus durat in æternum, & quotidie & ſemper paternas ejus miſerationes mihi renovat, & me benedictionibus ſuis accumulat, meque in eo triumphare & gaudere facit. Lauda Dominum anima mea, lauda Dominum in æternum. *Amen & Amen.* Tunc humiliavi meipſum, & vehementer & ex animo Deum precatus ſum, ut haſce conſolationes ad cæteros ſuos liberos, pro uniuſcujuſque neceſſitate, in omni hujus peregrinationis noſtræ curſu extenderet, ac quoſdam præſertim coram Domino nominavi, & benigne me exaudivit, & in hoc etiam me conſolatus eſt, me etiam certum reddens quod ſimiliter fructum habebam ex orationibus aliorum, qui pro me orabant, ſecundum mandatum illud atque promiſſum, (*Jac.* 5.) & exemplum Apoſtolorum alios rogantium, ut orarent pro iis, & pro aliis orantium, & mandatum illud pro omnibus orandi, 1 *Tim.* 2. Benedictum ſit nomen Domini. Tu qui exaudis orationes, ad te omnis caro veniet. (*Pſ.* 65. 2.) *Hallelujah.* Benedictum ſit nomen Domini in æternum. *Amen & Amen. Hallelujah.* Lauda Dominum anima mea. Laudate Dominum. *Amen.*

[Has conſolationes mihi abundanter renovavit die 12. Auguſti 1639. Hallelujah. Amen. Et 21. Martii 1640. & 9. Maji 1645. Benedictus ſit Dominus.]

Die 26. *Auguſti* 1627. die dominico, & die ſolennis jejunii & humiliationis coram Deo, concionatus ſum in templo de Rathven tempore pomeridiano in hæc verba *Pſal.* 80. 18, 19. *Vivifica nos, & nomen tuum invocabimus. Domine Deus exercituum, converte nos, & oſtende nobis faciem tuam & ſalvi erimus.* Quibus magnopere conſolatus ſum, conſolatione qua Deus meam animam aliorumque auditorum animas implevit. Deo ſit omnis laus. *Amen.* §. 153. *Jejunium.*

Die 2. *Septembris* 1627. die itidem dominico, & ſolennis jejunii & ſupplicationis, concionatus ſum populo in templo de Auchterleſs, tempore pomeridiano, in hæc verba Pſ. 56. 12, 13. *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Quoniam eripuiſti animam meam de morte, nonne eripies pedes meos de lapſu? ut ambulem coram Deo in lumine viventium.* In quibus benignam Dei præſentiam & fortem conſolationem potenter mecum, ad magnum meum gaudium & auditorum ædificationem, ſenſi. Nomen Domini ſit benedictum propter ejus ineffabile donum. Non ſufficientes ſumus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit Miniſtros Novi Teſtamenti, (2 *Cor.* 3. 5, 6.) perficiens virtutem ſuam in infirmitate noſtra. (2 *Cor.* 12. 9.) Sancto ejus & benedicto nomini ſit omnis laus, gloria & honor in ſæcula ſæculorum. *Amen & Amen.* §. 154. *Jejunium.*

Multis poſt diebus ex recordatione horum ſalutarium textuum & in precibus & in meditationibus magnopere conſolatus & corroboratus fui, per viſcera conſtantis miſericordiæ Dei mei erga me in Jeſu Chriſto Salvatore noſtro, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit omnis honor, laus & gloria in Eccleſiâ, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in ſæcula ſæculorum. *Amen & Amen.* Lauda Dominum anima mea. §. 155.

Hunc horum duorum textuum commentarium, *die* 14. *Septembris* 1627. ſcripſi, quo tempore etiam, legendo conſcriptas conſolationes, mihi prius conceſſas, & Deum precando ut mihi eas renovaret propter Chriſtum, adverſus omnes timores, mœrores, curas, libidines, infirmitates, tentationes corroboratus & conſolatus ſum. Et benigne orationem meam exaudivit, & copioſe citra expectationem, ſecundum ejus potentiam glorioſam benigne operantem, petitiones meas conceſſit. Ei ſit æterna laus & gloria. Benedicit Domino anima mea. §. 156.

Tunc

§. 157. *Oratio & laudes.* Tunc in confidentia gratiæ ejus mihi sufficientis, vota mea ei renovavi, & humiliter oravi ut mihi gratiam daret ea præstandi, & ut Dominus me sua statuta custodire & in viis suis ambulare faceret, & cor meum faceret timere nomen ejus, & me semper in veritate sua duceret, & me in finem usque coram Deo in viventium lumine ambulare faceret, id promissum vitæ lumen haberem, (*Job.* 8. 12.) ambulans semper in lumine vultus ejus, & in nomine ejus exultans toto die, & in justitia ejus exaltatus. Gloria virtutis nostræ est, & in beneplacito ejus exaltabitur cornu nostrum. Quia Domini est assumptio nostra, & sanitas Israël est Rex noster. (*Psal.* 89. 15, 16, 17, 18.) Dominum etiam precatus sum, ut me faceret quotidie magis abundare in charitate, gaudio, pace & omnibus spiritus fructibus, (*Gal.* 5. 22.) & ut omnes afflictos suos liberos consolaretur, & omnes has misericordias & gratias ad unumquemque liberorum in omni peregrinationis nostræ cursu extenderet, & ut me & nos omnes misericordes faceret, sicut ipse Pater noster cœlestis est misericors, & ut clementer omnibus in locis Ecclesiam suam militantem aspiceret, & Zionis ruinam repararet, & ut suæ hæreditati misericors esset, & populum suum consolaretur, & ut cœcos ad salutarem ejus, qui est solus Deus verax, & Jesu Christi quem misit, cognitionem vocaret, & ut omnibus suis liberis, in peregrinationis nostræ cursu, pro uniuscujusque munere & necessitate, abundantem & fortem consolationem, & æternam gratiam, misericordiam & pacem largiretur, in Jesu Christo Salvatore nostro, cui cum Patre & Spiritu sancto per Jesum Christum, in Ecclesia sit omnis benedictio, laus, honor & gloria in secula sæculorum. *Amen.* Et Dominus benigne orationem meam exaudivit, & me cœlesti consolatione replevit. Benedictum sit ejus sanctum nomen. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia
Ps. 118. ejus. Dicat nunc Israël; quoniam in sæculum misericordia ejus: Dicat nunc domus Aaron; quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicant nunc omnes qui timent Dominum; quoniam in sæculum misericordia ejus. De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciet mihi caro. Dominus mihi adjutor, & ego
Rom. 16. despiciam inimicos meos. Deus pacis conteret Satanam sub pedes meos cito. Spera domus Israël in Domino: adjutor eorum & protector
Ps. 115. eorum est. Domus Aaron spera in Domino; adjutor eorum & protector eorum est. Qui timent Dominum sperent in Domino: adjutor eorum & protector eorum est. Dominus memor fuit nostri, & benedicet nobis: benedicet domui Israël, benedicet domui Aaron: benedicet omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus. Adjiciat Dominus super vos: super vos & super filios vestros. Benedicti vos a Domino qui fecit cœlum & terram. Sol & scutum est
Ps. 84. Dominus, gratiam & gloriam dat Dominus, nec prohibet bonum ambulantibus perfecte. Domine exercituum, beatus homo qui sperat in te. Cœlestes meditationes da nobis semper Domine. (*Ps.* 1.) Lava a malitia cor meum ut salvus fiam, usquequo morabuntur in me cogitationes noxiæ? (*Jer.* 4. 14.) Lava me a peccato meo & a peccato meo munda me. Asperges me hyssopo & mundabor, lavabis me & super nivem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata. Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes meas iniquitates dele. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu tuo voluntario confirma me. Tunc docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus, Deus, (manus enim meæ sanguine plenæ sunt, [*Esa.* 1. 15.]) Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam. Domine labia mea aperias, & os meum annuntiabit laudem tuam. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Zion: & ædificentur muri Jerusalem. Benedic anima mea Domino, benedicemus Domino ab hoc tempore in sæcula sæculorum. Benedicite Domino. *Amen. Hallelujah. Amen & Amen.* Ps. 103. Ps. 105.

§. 158. *Humiliatio & consolatio ex meditatione orationis Danielis, Dan. 9.* *Die* 19. *Septembris* 1627. & humiliatus & consolatus sum ex lectione & meditatione orationis Danielis, *Dan.* 9. Quam præsenti calamitoso Ecclesiæ Dei statui accomodabam, & Deum precatus sum in verbis Danielis, quanquam heu! zelus meus longe inferior esset, tamen ex misericordia Dei & sincere humiliatus & suaviter consolatus sum. Benedictum sit nomen Domini Dei nostri in æternum, cui misericordia & propitiatio, quanquam recessimus ab eo, qui in misericordia, secundum omnem justitiam suam avertet iram suam, & furorem a populo suo, quem eduxit de terra Ægypti, ex potestate tenebrarum, in manu forti, & fecit sibi nomen in laudem gloriosæ ejus gratiæ, quanquam pro parvo tempore civitas ejus Jerusalem & mons ejus sanctus in opprobrium fiunt omnibus per circuitum nostrum, propter peccata nostra & iniquitates patrum nostrorum. Justus est Dominus, peccavimus enim, tamen ostendet faciem suam supra sanctuarium suum, quod est desertum, propter Dominum, inclinabit aurem suam & audiet preces & supplicationes servorum suorum, qui ante faciem ejus preces suas prosternunt, non in justificationibus suis, sed propter multas ejus miserationes. Aperiet oculos suos & videbit desolationem nostram & civitatem super quam invocatum est nomen ejus. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac, ne moreris propter temetipsum Deus meus: quia nomen tuum invocatum est super civitatem & super populum tuum. (*Dan.* 9.) Ex hoc suavem & cœlestem percepi consolationem in Domino Deo nostro. Benedictum sit sanctum ejus nomen in sæcula sæculorum. *Amen. Hallelujah. Amen.* Laudate Dominum in Zion, quia bonus, quia in sæculum misericordia ejus. Benedictum sit nomen Domini. Hi in equis & hi in curribus fidunt: at nos nomen Domini Dei nostri invocabimus. (*Ps.* 20.) Auxilium da nobis in angustia, vanum enim est hominis auxilium. In Deo faciemus fortitudinem, & ipse conculcabit inimicos nostros. (*Ps.* 60.) Deus pacis conteret Satanam sub pedes nostros cito. (*Rom.* 16.) Hallelujah, benedictum sit nomen Domini, & ei sit gloria in Ecclesia per Jesum Christum in sæcula sæculorum. (*Eph.* 3.) *Amen & Amen.*

§. 159. *Luctationes & consolationes, renovata 21. & 22. Julii 1640.* *Diebus* 25, 26, 27. *Septembris* 1627. die & nocte varios & graves habui impetus & luctationes in meditatione magnæ meæ infirmitatis & indignitatis, & multarum nostrarum tentationum, & molestiarum, & tribulationum, & peccatorum quibus hic in hac peregrinatione, & ego, & alii, & generaliter Ecclesia Christi, & omne genus humanum, obnoxii sumus; & gaudiorum pios in cœlis, & gravium & intolerabilium tormentorum impios in gehenna manentium, imo quæ hactenus impiorum mortuorum animas arripue-

runt, & in meditatione cœcitatis & ſtupiditatis hominum hic in terra, magnopere contriſtatus ſum, meque & alios deflevi. Dominus clemens eſt & miſericors, & propinquus eſt omnibus qui invocant eum in veritate, (*Pſ.* 145.) qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam. (*Matth.* 5.) Sperabunt in eum, ſcientes nomen ejus, quia non derelinquit quærentes eum. (*Pſ.* 9.) Benedictum ſit glorioſum & ſanctum ejus nomen, quia non mutatur & nos filii Jacob non ſumus conſumpti. (*Mal.* 3.) Mihi ſuaviſſimam & ineffabilem largitus eſt conſolationem & lætam victoriam per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, dilectionis ſuæ filium, in quo acceptum me fecit ſecundum divitias gratiæ ejus quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia & prudentia. (*Eph.* 1.) Erit tanquam abſconſio a vento, & latibulum ab inundatione, ut rivi aquarum in loco arido, ut umbra petræ prominentis in terra deſerta. (*Eſa.* 32, 2.) Qui miſeretur noſtrum, ducet nos, & ſecundum ſcaturigines aquarum deducet nos, (*Eſa.* 49. 10.) ut eum aſpicientes ſalvemur. (*Eſa.* 45. 22.) Effundit ſuper nos ſpiritum de excelſo, & ſaltus in arvum redigitur, & arvum pro ſylva reputatur, & opus juſtitiæ eſt pax, & cultus juſtitiæ ſilentium & ſecuritas uſque in ſempiternum, & facit nos populum ſuum habitare in tabernaculis pacis, & in habitaculis ſecuriſſimis, atque in locis ad quietem tranquilliſſimis, (*Eſai.* 32. 15, 16, 17, 18.) auferens iniquitatem noſtram, (*Eſai.* 33. 24.) & nos coronans ſempiterno gaudio, imo gaudio, quod nemo (οὐδεὶς) nobis adimet. (*Eſai.* 35. 10. & *Joh.* 16. 21.) Erit nobis rupes robuſta, & munitio noſtra, & propter nomen ejus aget & deducet nos. Educet nos de laqueo quem abſconderunt nobis, quia robur noſtrum eſt. In manus ejus commendemus ſpiritus noſtros, redemit enim nos Dominus Deus veritatis, (*Pſ.* 31. 2, 3, 4, 5.) & voluntas ejus paterna eſt dare nobis regnum. (*Luc.* 12.) Delectemur igitur in Domino, & dabit nobis petitiones cordis noſtri, & committamus ei vias noſtras, & ſperemus in eo & faciet. (*Pſ.* 37. 4, 5.) Abnegemus noſmetipſos & tollamus crucem, & ſequamur Chriſtum, & dabit requiem animabus noſtris. (*Matth.* 16. 24. & 11. 28. &c.) Et quanquam in mundo habeamus tribulationem, tamen pacem habemus in eo qui mundum vicit, quapropter nos hortatur confidere. (*Joh.* 16. 33.) Vias ejus nos docebit, & diriget nos in ſemita recta propter inimicos noſtros, expectemus eum, & roborabit cor noſtrum. (*Pſalm.* 27. 11, 14.) Adjutor noſter & protector noſter eſt, & in ipſo ſperavit cor noſtrum & adjuti ſumus, quapropter exultat cor noſtrum, & cantico noſtro celebremus eum. Dominus eſt robur noſtrum, & robur ſalutare Chriſti ſui. Salvum fac populum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos & extolle eos uſque in æternum. (*Pſ.* 28. 7, 8, 9.) Amen. Benedictum ſit nomen Domini. Robur noſtri, Pater miſericordiarum & omnis conſolationis Deus eſt. Deus gaudii noſtri & laudis. Nomini ejus ſancto & glorioſo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſit æterna laus, & benedictio in Eccleſia in ſæcula ſæculorum. *Amen & Amen. Hallelujah. Amen. Hallelujah.* Benedictum ſit nomen Domini ſanctum. *Amen.*

§. 160. *Præparatio ad mortem.* *Die* 17. *Augusti* 1629. Magnopere affectus & ſuaviter conſolatus ſum in legendo Domini *Gulielmi Strutherii* præparationem ad mortem. Dominum laudavi propter gratiam ejus cum illo ſervo ſuo, & meum immodicum ſæculi præſentis ſtudium deflevi. Et Dominus benigne ſupplicationem meam audivit, meque conſolatus eſt, vivificavit & corroboravit. Benedictum ſit nomen Domini. *Amen.*

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc & ſemper in ſæcula ſæculorum, tres perſonæ, unus ſolus verus Deus, Dominus, creator cœli & terræ & maris & omnium quæ in eo ſunt, Deus Abrahami, Iſaaci & Iſraelis, Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Deus & pater noſter in eo, ſanctum cujus & glorioſum nomen exaltatur ſuper omnem benedictionem & laudem ab æterno in æternum. *Amen & Amen.*

Exercitus cœli te Domine adorant, & tota terra repleta eſt gloria tua, & in templo tuo omnes dicunt gloriam tuam, & corpus meum & anima mea quam creaſti & redemiſti, & quam quotidie miſericordiis tuis & benedictionibus accumulas, nomini tuo ſancto & benedicto nunc & in æternum benedicit. *Amen.* Benedictus ſit Dominus. *Hallelujah.* Extollamus Dominum ſimul. Gloria Deo in altiſſimis, & pax in terra, hominibus bonæ voluntatis. Benedicite Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus erga Iſraël. Miſericordia Domini ab æterno uſque in æternum, ſuper timentes eum: & juſtitia illius in filiorum filios, his qui ſervant teſtamentum ejus, & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea. (*Pſ.* 103.) Talem me fac Domine, & miſericordiam in omnes tuos liberos extende. Cantate Domino, laudate Dominum: quia liberavit animam pauperis de manu malorum. (*Jer.* 20. 13.) Sol & ſcutum nobis Dominus Deus: gratiam & gloriam dat Dominus, nec prohibet bonum ambulantibus perfecte. Domine exercituum, beatus eſt homo qui ſperat in te. Melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia: elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. (*Pſ.* 84.) Quoniam melior eſt miſericordia tua quam vita: propterea labia mea laudabunt te. Sic benedicam tibi dum vixero: in nomine tuo levabo manus meas. (*Pſ.* 63.) Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus. Benedic anima mea Domino, & ne obliviſcaris omnium beneficiorum ejus. Qui remittit omnes iniquitates tuas, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui ſatiat bono os tuum, ita ut renovetur ut aquilæ juventus tua. (*Pſ.* 103.) Propter quod non deficimus, ſed licet externus noſter homo corrumpatur, tamen internus renovatur de die in diem. (2 *Cor.* 4. 16.) Benedictus ſit Dominus Salvator noſter. *Amen & Amen.*

Die 3. *Novembris*, mane, in lecto, ſolus, gravem & vehementiſſimam habui tentationem, & ſpiritualibus & terrenis anxietatibus ita plenam, ut nullam evadendi viam excogitare potuerim, niſi in qua potius exaggeratio ſollicitudinis quam ſolamen occurrebat. Cum in horrenda illa agonia eſſem, Domino ex ſua erga me miſericordia placuit, cor meum ad ſe per Spiritum ſuum ſanctum, gemitibus ineffabilibus levare, atque in preces fervidas os meum aperire, oculos meos in rivos lachrymarum ſolvere; verbo ejus, quo miſericordiam ſuam & veritatem declarat, initi me faciens. Dicit Job, peccavi, quid faciam tibi ô Salvator hominum? —— quare non tollis peccatum meum, & cur non aufers iniquitatem meam? (*Job.* 7. 20, 21.) Dominus miſericors eſt & benignus, longus ira & multus miſericordia, aufert iniquitatem, & peccatum, & delectatur miſericordia. (*Exod.* 34. 6, 7. *Pſ.* 103. 8. *Mich.* §. 161. *Talis caſus deſcribitur Pſ.* 143. 4. *Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum: ſuper qua Pſalmi verba Doctor Alexander Scrogie conſolatorie admodum concionatus*

est die 15. Augusti 1639. Gravis tentatio, preces fervida & ineffabilis consolatio. *Mich.* 7. 18.) Nos jussit & docuit confiteri & quotidie orare pro remissione peccatorum, promittens nos audire & peccata nostra condonare. (*Matth.* 6. 12. *Luc.* 55. 4, 9. 1 *Job.* 1. 9.) Et jussit nos eum invocare in die tribulationis, promittens quod eruet nos, ut honorificemus eum. (*Ps.* 50. 15.) Nosque jussit projicere pondus nostrum super eum, & ipse sustentabit nos, & non dabit in sæculum nutationem justo. (*Ps.* 55. 22.) Nos sanctificat & justificat in nomine Domini Jesu Christi, & spiritu suo sancto. (1 *Cor.* 6. 11.) Nos jussit semper gaudere in eo (& iterum dico, gaudere) & nihil sollicitos esse, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones ei notas facere, promittens quod pax ejus, quæ omnem exuperat sensum, custodiet corda nostra & intelligentias nostras in Christo Jesu. (*Philip.* 4. 4, 6, 7.) Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, omnem vestram sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. (1 *Pet.* 5. 6, 7.) Capilli autem capitis nostri numerati sunt, quapropter jubet nos non timere. (*Matth.* 10. 30, 31.) Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? (*Rom.* 8. 32.) Fidelis autem Deus est qui non patietur nos tentari supra id quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione exitum ut possitis sustinere. (1 *Cor.* 10. 13.) Novit Dominus pios de tentatione eripere. (2 *Pet.* 2. 9.) Sanctifica me Domine. Expectet Israël Dominum ex hoc tempore usque in sæculum. (*Ps.* 131. 3.) Expectet Israël Dominum: quia cum Domino est misericordia & multa redemptio. Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus. (*Ps.* 130. 7, 8.) Sperate in eo omni tempore, populi: effundite coram illo cor vestrum: Deus est spes nostra. Selah. (*Ps.* 62. 8.) Sperate in Domino in sæculis æternis, nam in Domino Deo est fortitudo in perpetuum. (*Esa.* 26. 4.) Sit misericordia tua Domine super me, ut in te sperem. Sit misericordia tua Domine super me, quemadmodum in te speravi. (*Ps.* 33. 22.) Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Omnia sunt possibilia Patri nostro cœlesti. (*Marc.* 14. 6.) Manus Domini non est abbreviata ut salvare nequeat ex omni tribulatione: (*Num.* 11. 23.) & ne peccata nostra impediant, promisit in fœdere suo, quod dabit leges suas in mentem nostram, & superscribet eas in corde nostro, & propitius erit iniquitatibus nostris, & peccatorum nostrorum jam non recordabitur. (*Heb.* 8. 10. 12.) Non retinet furorem suum semper, quoniam volens misericordiam est. (*Mich.* 7. 18.)

Hisce & similibus meditationibus & precibus cum humili peccatorum meorum ad Deum confessione, per misericordiam & gratiam Dei mei, ineffabilem consolationem & pacem inveni. Benedictum sit sanctum ejus nomen in sæcula sæculorum, ab æterno in æternum. Cujus sanctum & benedictum nomen exaltetur ab æterno in æternum, supra omnem laudem & benedictionem. Hallelujah. Amen & Amen.

[Consolationes hæ consolatorie admodum renovatæ erant 7. die Junii 1640. & 21. & 22. Julii & 17. Martii 1645.]

§. 162. *Laus Deo.* Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabit se anima mea: audient humiles & lætabuntur. Magnificate Dominum, & exaltemus nomen ejus simul. Quæsivi Dominum, & exaudivit me, & ex timoribus meis eripuit me. Aspexerunt eum, & illuminati sunt, & facies eorum non afficiebantur pudore. Iste pauper clamavit, & Dominus audivit eum: & ex omnibus angustiis ejus servavit eum. (*Ps.* 34. 1, 2, 3, 4, 5, 6.) Tace Domino & spera in eo. (*Ps.* 37. 7.) Diligo Dominum quoniam audivit vocem meam, deprecationes meas. (*Ps.* 116. 1.) Imo prævenerunt me misericordiæ ejus, ut precarer & consolarer. Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum. (*Jer.* 20. 13.) Et sperabunt in te scientes nomen tuum: quia non derelinquis quærentes te Domine. (*Ps.* 9. 10.) Benedictus sit Dominus. Venite, audite, & narrabo, (omnes timentes Deum) quæ fecit animæ meæ. (*Ps.* 66. 16.) Omnes quacunque afflictione afflicti, omnes quacunque angustia angustiati, venite ad fontem hunc vitæ, ad misericordiarum Patrem, & omnis consolationis Deum, certasque Davidis misericordias accipite. Cur sequimini vanitates mendaces? O Domine, cor meum & affectus meos ad te leva, & fac ut habeam conversationem & thesaurum meum tecum, ut non scelestis & infœcundis, imo noxiis concupiscentiis & curis amplius seducar, sed tibi rupi salutis meæ cor meum innitatur, & in perfecta pace serva me. Cor meum fige, ut in te confidam, Domine, neque a malis nuntiis timeam, neque infletur cor meum prosperitate, quemadmodum fuit cor dilecti tui servi Hezekiæ, cujus terribile exemplum me abjectum peccatorem tremere facit. Serva me Domine tecum, ut neque rebus prosperis elatus sim, neque adversis, nimiâ tristitiâ absorbear. (2 *Cor.* 2. 7.) Benedictum sit sanctum tuum nomen, qui tantas erga abjectos peccatores ostendis misericordias. O Domine Deus exercituum, beatus homo qui in te fiduciam ponit, & nunc beatus sum ego in hoc lumine clementis tuæ faciei tam benigne super me fulgente, tenebrasque omnes meas fugante, & me in te confidere faciente. Confirma Domine hoc quod operatus es in me. (*Ps.* 68. 28.) Dominus perficiet pro me opus suum: Domine misericordia tua in sæculum: opus manuum tuarum non dimittes. (*Ps.* 138. 8.) Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es. (*Esa.* 26. 12.) Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcunque vovi reddam pro salute mea, Domino. (*Jona* 2. 8, 9.) Vovi quod tuus fierem servus. Da Domine gratiam tuam mihi sufficientem, perfice potentiam tuam in infirmitate mea, ut fideliter & constanter vota mea tibi persolvam. Te Domine laudabo, quanquam iram conceperis adversum me, tamen furorem avertisti & consolatus es me. Ecce Deus est salus mea, confidam in eo & non timebo, Dominus enim Deus est robur meum & cantus meus, factus est etiam salus mea. Idcirco haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & dicetis in die illa, confitemini Domino & invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino quoniam magnifice fecit, annuntiate hoc in universa terra. Exulta, & lauda, habitatio Zion: quia magnus in medio tui sanctus Israël. (*Esa.* 12.) Afflictiones nostræ in hac brevi peregrinatione leves & momentaneæ sunt, & non sunt condignæ ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, ad quam per multam tribulationem venire oportet. (*Rom.* 8. 18. 2 *Cor.* 4. 17. *Act.* 14. 22.) Imo etiam hic no-

nobiscum est in omnibus angustiis, eruet nos & glorificabit nos, (*Ps.* 91. 15.) & consolatur nos in omni tribulatione, ita & per Christum hic abundat consolatio nostra. (2 *Cor.* 1. 4, 5.) Gloria Deo in altissimis: & in terra pax, hominibus benevolentia. (*Luc.* 2. 14) Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc, & semper & in saecula saeculorum, tribus Personis, uni soli vero Deo Domino, creatori coeli & terrae & maris & omnium quae in eo sunt; qui verbo potentiae suae omnia sustentat; (*Heb.* 1. 3. & 7. 6.) in quo vivimus & movemur & sumus; Deo Abrahami, Isaaci & Jacobi, Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi, Deo nostro & Patri in eo, misericordiarum Patri & omnis consolationis Deo, qui abjectos consolatur, qui potens est nos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriae suae immaculatos, cum exultatione. Soli sapienti Deo, Salvatori nostro, sit gloria & majestas, dominium & potestas, in saecula saeculorum. Amen. (*Jud.* 24, 25.) *Hallelujah. Amen & Amen.*

[Hae consolationes consolatorie admodum mihi renovatae erant 7. Junii 1640. Benedictus sit Dominus consolator noster in omnibus tribulationibus nostris & omnibus temporibus. Et diebus 21. & 22. Julii 1640.]

§. 163. *Salutaris tristitia & consolatio.* *Die* 7. *Julii* 1630. mane, graviter contristatus ex conscientia peccati, & tenacis ejus corruptionis, me tam saepe spiritum sanctum contristare facientis, pacemque meam interturbantis, ad Dominum clamavi voce lugubri, moestis gemitibus, & lachrymis, ut mihi benigne auxiliaretur, & abundantem mihi daret suam gratiam, misericordiam & pacem, utque me ad stultitiam redire aut supra vires tentari nunquam sineret; ut me faceret Israëlitam sine dolo, & pastorem in domo ejus secundum cor ejus; ut vota ei persolvam; non meam, sed ejus qui me misit voluntatem quaerendo; ut me e tribulationibus eriperet, & mali eum poeniteret, & cogitationes pacis erga me expleret. Propter nomen tuum Domine, parce iniquitati meae, nam multa est. (*Ps.* 25. 11.) Et ut omnes meas offensas amoveret, etiam ut omnes has suas misericordias in alios extenderet, (& quosdam particulariter nominavi.) Dominus benigne me exaudivit & suaviter consolatus est, aliosque etiam (pro quibus oravi) misericordiam & consolationem percipientes sensi. Ita ex toto corde meo benedixi Domino, & ita fortiter consolatus adversus omnia peccata & corruptiones omnes, & longe supra omnes meas tribulationes, ego ex misericordia & gratia Dei super me, in majorem meam corroborationem & consolationem, per fidem, promissum illud Dei ad populum *Ex hoc die benedictio. Vid. 16. Aug. 1624.* ejus poenitentem & conversum (*ex hoc die vobis benedicam* Hag. 2. 19.) prehendi. Cantate Domino, laudate Dominum, quia animam pauperis eripuit e manu impiorum. Deus misericordia delectatur. Domine Deus exercituum, beatus homo qui in te fiduciam ponit. *In te confido, succurre diffidentiae meae.* Et bonum opus, quod coepisti in me, perfice usque in finem, & fac ut charitas nostra magis ac magis abundet in omni scientia & in omni sensu, ut probemus potiora, ut simus sinceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiae per Jesum Christum, in gloriam & laudem Dei. (*Philip.* 1. 9, 10, 11.) Gloria Deo in altissimis, & pax in terra hominibus bonae voluntatis. Laudate Dominum quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus, veritatem servat in aeternum. Prope est omnibus eum in veritate invocantibus, imo praevenit nos misericordia ejus & nos eum invocare facit, & antequam clamamus exaudit nos, & nobis adhuc loquentibus, audit nos. (*Esa.* 65. 24.) Bonus Dominus universis, & misericordiae ejus super omnia opera ejus. Celebrabunt te Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicent tibi. (*Psalm.* 145. 9, 10.) Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Zion, quoniam roborat vectes portarum tuarum, & benedicit filiis tuis in medio tui, qui ponit terminum tuum pacem, & adipe frumenti saturat te. (*Ps.* 147. 12, 13, 14.) Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam roborata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini in saeculum. *Hallelujah.* (*Ps.* 117.) Benedic Domino anima mea, & omnia quae intra me sunt benedicite sancto ejus nomini. Benedic anima mea Domino, & ne obliviscaris omnium beneficiorum ejus. Qui remittit omnes iniquitates tuas, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de fovea vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui satiat bono os tuum, & renovatur ut aquilae juventus tua. (Et ita per totum psalmum 103.) Benedictus sit Dominus Amen & Amen. Roboramini & facite, nam ego vobiscum sum, dicit Dominus exer- *Incitatio ad diligentiam in officio nostro.* cituum, secundum verbum quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti, spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere. (*Hag.* 2. 4, 5.) Auge fidem nostram Domine, & timorem expelle, da pacem tuam & eâ serva animas & corda nostra in Christo Jesu, & sis tu nobiscum, corrobora, dirige, protege & benedic, & fortes erimus, & in vinea tua operabimur, ne nos deseras neque derelinquas, neque nos a te discedere sinas. O Domine Deus exercituum, beati sunt ii quorum tu es spes & auxilium. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, sicut erat in principio & nunc & semper in saecula saeculorum, Trinitati personarum, uni soli vero Deo, omnipotenti, misericordiarum patri & omnis consolationis Deo, qui in aeternum servat veritatem, sit aeterna laus. Sanctum ejus & gloriosum nomen supra omnem laudem & benedictionem exaltetur in saecula saeculorum. *Hallelujah. Amen & Amen.* Lauda Dominum anima mea. Laudabo Dominum dum vivo, psallam Deo meo quamdiu ero. (*Ps.* 146.) Benedictus sit Dominus. Amen & Amen. Praecepit Deus tuus fortitudinem tuam: robora ô Deus hoc quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68. 28.) Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum & terram. (*Ps.* 124. 8.) Qui est misericors noster Deus & Pater in Jesu Christo Salvatore nostro, cui cum patre & spiritu sancto sit omnis & aeterna laus, honor, gloria, potentia, majestas, dominium, benedictio & gratiarum actio. Amen & Amen. Benedictus sit Dominus.

[Dominus mihi benigne & abundanter has consolationes renovavit 12. die Augusti 1639. Benedictus sit Dominus Amen. Et rursus 21. Martii 1640. Benedictus sit Deus Amen.

Cum horum meminissem die 12. Aug. 1639. quanquam magnopere fuissem vexatus temporibus intervenientibus, tamen constantem divinae hujus consolationis veritatem deprehendi, in omnibus enim tribulationibus meis pacem in Christo inveni. (Joh. 16. 33.) Benedictus sit Deus.]

ANNO 1634.

§. 164. *Die 7. Martii* 1634. Mane in musæo meo humi coram Deo prostratus, psalmosque hebraicos coram me habens, & *Ps.* 22. passionem Christi, conversionem mundi ad Deum & amorem Christi qui omnem exuperat sensum, magnamque eorum felicitatem, quos Pater ad se trahit, prophetice repræsentantem legens, extraordinariam præsentiæ divinæ mensuram deprehendi. Itaque intuens eum quem peccatis meis transfixi, & infinitam ejus sentiens misericordiam, & super summam ejus erga genus humanum charitatem meditans, abundanter flevi, & faciem librumque meum fletibus irrigavi, & ineffabilem percepi consolationem. Gratias Deo propter ineffabile ejus donum. 2 *Cor.* 9. 15. חַי־יְהוָה וּבָרוּךְ צוּרִי וְיָרֻם אֱלֹהֵי צוּר יִשְׁעִי. 2 *Sam.* 22. 46.

[His consolationibus mihi renovatis die 12. Aug. 1639. dixi, conculcasti anima mea robustos. Judic. 5. 21. Benedictus sit Dominus in æternum. Amen. Et rursus 21. Martii 1640. Hallelujah.

§. 165. *Tentatio post eucharistiam & consolatio adversus tentationem.*

Die 7. Aprilis 1634. die lunæ, immediate post Pascham, pridie consolatorie admodum ad mensam Domini Eucharistiâ susceptâ, jam magna gravique tentatione impetebar. Super qua Dominum humilibus supplicationibus, gemitibus & lachrymis invocans, misericordiam, vires & ineffabilem consolationem recepi. Benedictus sit Dominus in æternum. Amen.

Confirma Domine hoc quod operatus es pro nobis. (*Psalm.* 68. 29.) Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo. (*Ps.* 55. 23.) Gloria Deo. Amen.

ANNO 1636.

§. 166. *Necessaria quadam officia veri Christiani sunt 1. sincere & vere cum lugentibus lugere. 2. sincere & vere confiteri Deo peccata nostra, etiam gravissima, absque extenuatione & excusatione eorum cum palliis foliorum ficulneorum. 2. Utcunque gravia sint nostra peccata, ne desperes, sed vera resipiscentia & oratione fideli ad Deum confugito, misericordiam impetrabis, & gratiam invenies ad auxilium opportunum. 3. Deo gratias age & vota tua redde Altissimo.*

Die Martis 20. *die Septembris* 1636. graviter vexatus, & horride territus sum ex recordatione quorundam priorum gravium peccatorum, & præsertim cogitationum mearum contumacium & dispositionis meæ aliquando non Christianæ erga charos quosdam Dei servos. In afflictione eorum cum iis non lugebam, ut debui, vera illa & misericordi affectione & charitate quæ decet Christianos, verum potius cor meum flagitiosum vitiosos quosdam satisfactionis motus habuit, quibus in meipso hypocriticum malum oculum detexi, & eodem tempore flevi coram Deo, condonationem & gratiam adversus eum postulans, & consolationem percepi. Jam vero recurrente ejus memoria, consolatione quam prius receperam, frui mihi non licuit, ex novo peccati in me dolo, quo perperam ad consolationem quærendam seductus sum, scilicet priorem meam impiam charitatis destitutionem & hypocrisin malumque oculum excusando & extenuando. Fueram in hunc modum spacio 24. horarum luctans. Tandem mei Dominus misertus, tetigit cor meum, & aperuit os meum, ita ut prædicto die mane in campis, & rursus vespere solus in campis procciderim in faciem, & humiliter & sincere, cum gemitibus & lachrymis peccata mea & præsertim peccata illa sanguinea hic memorata Deo confessus sim, & pro misericordia in Christo clamarim, qui venit in mundum ut salvaret peccatores, non tantum eos quorum minima erant peccata, sed etiam eos, quorum peccata erant gravissima, quo magnitudo charitatis ejus & divitiæ misericordiæ magis apparent, & remissionem, quietem & sufficientem gratiam omnibus promisit quos vere pœnitet cujuscunque peccati, & ita ad eum, recta intentione cordis ei in posterum adhærendi veniunt. Et Dominus dedit mihi responsum gratiæ, misericordiæ & pacis. Benedictum sit nomen ejus sanctum in sæcula sæculorum. Amen. *Hallelujah.*

Tunc surgens cantavi Domino hæc verba prophetæ Michæ: Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras: & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham; quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis. *Micha* 7, 18, 19, 20.

Hoc est fœdus istud misericordiæ & pacis nobis in Christo Jesu factum & confirmatum, & per Spiritum sanctum in cordibus nostris obsignatum. Cantavi etiam 12. *cap. Esaiæ*: Et dices in illa die: confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus & consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, confidam & non timebo &c. usque ad finem capitis.
Etiam dixi, momento tantum durat ira, & vita *Ps.* 30. 5.
in voluntate ejus: quoniam melior est misericor- *Ps.* 63. 3.
dia tua quam vita, labia mea laudabunt te. Con- *Ps.* 68. 28.
firma hoc Deus quod operatus es in nobis. Do- *Esa.* 26. 12.
mine dabis pacem nobis: omnia enim opera *Jer.* 20. 13.
nostra operatus es nobis. Cantate Domino, laudate Dominum: quia liberavit animam pauperis de manu malorum. Liberavit animam meam ab hostibus salutis meæ, ei confitebor & serviam omnibus diebus & noctibus vitæ meæ. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. Hallelujah. (*Ps.* 117.)

Benedictio, honor, laus, gratiarum actio & gloria Patri, Filio & Spiritui sancto, soli vero Deo, exaltato ab æterno in æternum super omnem laudem & benedictionem. *Amen & Amen.*

Cantavi etiam Domino *Psal.* 103. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra sunt nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnia beneficia ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Qui sanat omnes infirmitates tuas &c. & sic ad finem Psalmi. Benedictus sit Dominus. Amen.

23. Sept. 1636.

Gratiarum actio Deo propter benignam ipsius ac misericordem mei ac aliorum ex illius servis a sævis & impiis prædonibus liberationem.

An. Dom. 1636. circa initium *Februarii*, impii quidam ac sævi prædones montani per intempestæ noctis silentium venere, ac domos colonorum quorundam agri de *Corse* expilarunt, sicut plurimis aliis in vicinia jamdudum impune fecerant; a quibusdam etiam (ut in *Scotia* bene notum est) conniventia & societate, ad id agendum inflammati. §. 167. *Narratio.*

Hoc cognito, & quam parum præsidii ab hominibus exspectandum esset, ac diebus majorum post hominum memoriam nil tale perpetratum fuisse in agrum illum, quem Dominus hæreditaria successione nunc mihi dederat; dixi: Contra majores meos tale facinus aggredi non ausi sunt. Videntur latrones isti putare me facile ab iis opprimi posse, me despicientes, utpote Scho-

lasticum, ac propter spiritualem vocationem ab istis locis remotum, ac istis puguis non assuetum. Verum eidem Deo servio cui Majores mei servierunt, inque ejus misericordia spero viam mihi monstrari, qua latrones hi impii hujus facinoris pœnitere adducantur.

Dissentiunbant interim minas, meipsum aggredi minantes, si apud Regis Consilium eos pollularem, vel ullâ aliâ viâ in eos animadverterem, vel pacem ab iis non redimerem, pecuniam in hunc finem numerando, quæ inter *Scotos* montanis conterminos vocatur *Blackmail.*

In nullo alio medio quo usus sum spera-vi. Oratio. Cum in his angustiis & difficultatibus essem, ad Deum supplici prece & oratione quærendum animum adjeci, atque ita oravi:

Domine Deus salutis nostræ, qui nos in omni nostra tribulatione te invocare jussisti, nosque eruere, ut te honorificemus, promisisti; (*Psal.* 49. 15.) qui propter miseriam inopum, & gemitum pauperum resurrecturum, eosque in salutari positurum, dixisti; (*Ps.* 11. 6, 7.) qui facis misericordias Domine, & judicium omnibus injuriam patientibus; (*Ps.* 145. 7.) in tribulatione hac nostrâ te invocamus, miserere nostri Domine, ac audi nos. Respice in minas eorum, & nos pauperes tuos servos in salute pone ab istis impiis, qui laqueum nobis tendunt. Converte eos ad te Dominum Deum nostrum, si id tua sit voluntas & beneplacitum. Impia illorum consilia & conatus placeat tibi confundere & perimere; eorum prudentiam in stultitiam verte, vires in impotentiam; terrores tuos in eos injice; rete tuum super eos tende; ignem & sulphur super eos plue, ut dixisti, (*Ps.* 10. 7.) ut in funibus peccatorum suorum constringantur, dum nos evadimus. Da nobis pie uti his & omnibus paternis tuis castigationibus, ut vere convertamur ad te Dominum Deum nostrum. Vivifica nos, & nomen tuum invocabimus. Domine Deus virtutum, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. Domine, in nomine tuo, in quo solo speramus, salvos nos fac, & in fortitudine tua judica [libera] nos. Da nobis auxilium de tribulatione; nam vana salus hominis. Da nobis sapientiam & gratiam ut in hac re & in omni proposito nosmet geramus, sicut decet tuos servos & liberos. Fac ut gratiam inveniamus in conspectu tuo, & favorem in oculis hominum. Glorifica sanctum & benedictum nomen tuum, quod supra nos vocatur, in tua erga nos misericordia, & in præsentiâ tua nobiscum; ut qui te Deum nostrum timent, caput exaltent ac in te sperent, & iniquitas os suum claudat, (*Ps.* 107. 42.) ac peccatores ad te convertantur, utque cœlum & terra quotidie benedictis tuis landibus magis ac magis impleantur. Tunc anima mea exultabit in Domino, gaudebit salute ejus. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis sicut tu? Eripiens afflictum a fortiori eo: pauperem & egenum a diripiente eum. (*Ps.* 35. 9, 10.)

Sic die & nocte ad Dominum Deum meum clamavi, rogans ut me audiret, ac nostri misereretur, propter Jesum Christum Salvatorem nostrum, dilectionis suæ Filium, in quo sibi complacuit.

§. 168. *Laudes.* Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabit se anima mea; audient humiles, & lætabuntur. Magnificate Dominum mecum; & exaltemus nomen ejus simul. Quæsivi Dominum, & audivit me: & ex omnibus timoribus meis eripuit me. (*Ps.* 34. 2, 3, 4, 5.)

Sperate in Domino in seculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. (*Is.* 26. 4.) Tecum, ô Domine, est misericordia & veritas in perpetuum. Benedicite Domino omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. *Hallelujah.* (*Psal.* 117. 1, 2.) Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam, super misericordia tua, & veritate tua. (*Ps.* 115. 1.) Domine, æterna tua fortitudo, misericordia & veritas servet nos in æternum. Servabis eum in pace, cujus mens tibi innititur, quoniam in te sperat. Confirma ô Deus, hoc quod operatus es nobis. (*Ps.* 68. 28.) Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es in nobis, & pro nobis. (*Is.* 26. 12.)

Cantate Domino, laudate Dominum: quia liberavit animam pauperis de manu malorum. (*Jer.* 20. 13.) Anima mea exultat in Domino, gaudet salute ejus. Omnia ossa mea dicunt: Domine, quis sicut tu, eripiens afflictum a fortiori eo, & pauperem & egenum a diripiente eum? Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Domino. Dilatum est os meum super inimicos meos, quia lætatus sum in salutari tuo. Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te, neque est petra sicut Deus noster. (1 *Sam.* 2. 1, 2.) Confitebor tibi Domine, quoniam iratus fuisti mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: & dicetis in die illa: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus; notas facite in populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. Exulta, & lauda habitatio Zion: quia magnus in medio tui sanctus Israël. (*Esa.* 12. 1—6.) Lauda Dominum Jerusalem; lauda Deum tuum Zion. Quoniam roborat vectes portarum tuarum; benedicit filios tuos in medio tui. Qui ponit terminum tuum pacem; adipe frumenti saturat te. (*Ps.* 147. 12, 13, 14.) Clemens & miserator Dominus: tardus ad irascendum, & magnus misericordia. Bonus Dominus universis, & misericordiæ ejus super omnem terram. Celebrabunt te Domine, omnia opera tua; & sancti tui benedicent tibi. (*Ps.* 145. 8, 9, 10.) Et anima mea quam redemisti. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me; (*Ps.* 71. 23.) nec delectasti inimicos meos super me. Revertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. (*Ps.* 116. 7.) Dominus Deus Sol & scutum: gratiam & gloriam dabit Dominus, nec privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Domine exercituum, beatus homo qui sperat in te. (*Ps.* 84. 12, 13.) Et sperabunt in te scientes nomen tuum: quia non derelinquis quærentes te Domine. (*Ps.* 9. 10.) Da nobis Domine, ambulare in innocentia, atque ita nomen tuum noscere, ut in te firmiter speremus, ac te semper quæramus: Sicut voverunt labia nostra, dum esset angustia nobis; ut e manu inimicorum nostrorum liberati, sine metu serviamus, in sanctitate & justitia, in tuo conspectu, cunctis vitæ nostræ diebus.

Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Propinquus est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus qui invocant eum in veritate. Voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum exaudit, & salvos facit eos. Custodit Dominus diligentes

gentes ſe: & omnes peccatores diſperdet. Laudem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto ejus, in ſeculum & in ſeculi ſeculum. (*Pſ.* 145. 17--21.)

Da nobis Domine, te timere ac firmiter diligere, & creſcere in gratia & notitia Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti. *Hallelujah. Hallelujah.* Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo, quamdiu fuero. *Auxilium meum & ſpes mea.* Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius: qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Qui cuſtodit veritatem in ſeculum, facit judicium injuriam patientibus: dat eſcam eſurientibus. Dominus ſolvit compeditos: Dominus illuminat cœcos. Dominus erigit eliſos, Dominus diligit juſtos. Dominus cuſtodit advenas, pupillum & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet. Regnabit Dominus in ſecula, Deus tuus Zion: in generationem & generationem. *Hallelujah.* (*Pſ.* 146. 1——10.)

Quis enim eſt Deus præter Dominum? aut quis Deus fortis præter Deum noſtrum? Deus eſt fortitudo mea ac potentia. Vivit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus ſalutis meæ. (2 *Sam.* 22. 32,33,47.) *Amen & Amen. Hallelujah.*

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, tribus perſonis, uni ſoli vero Deo, creatori cœli & terræ, maris & omnium quæ in eis ſunt, qui verbo ſuo potente omnia ſuſtinet, in quo vivimus, movemur & ſumus, Deo Abrahami, Iſaaci & Iſraëlis; Deo ſanctorum Prophetarum, Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac per eum Deo & Patri noſtro; cujus ſanctum, glorioſum & in æternum benedictum nomen exaltatum eſt ſupra omnem benedictionem & laudem in ſecula ſeculorum; quem exercitus cœlorum adorant, univerſa terra impleta eſt gloriâ ejus, & in templo tuo Domine, omnes dicent gloriam. Gloria Deo in excelſis, & in terra pax, in homines benevolentia.

Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus. Benedic anima mea Domino: & noli oblíviſci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: & qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua. Faciens miſericordias Dominus: & judicium omnibus injuriam patientibus. Notas fecit vias ſuas Moyſi: filiis Iſraël voluntates ſuas. Miſerator & miſericors Dominus: longanimis & multum miſericors. Non in perpetuum iraſcetur: neque in æternum comminabitur. Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Quoniam ſecundum altitudinem cœli a terra, corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum: recordatus eſt quoniam pulvis ſumus. Homo ſicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum. Miſericordia autem Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. Et juſtitia illius in filios filiorum, his qui ſervant teſtamentum ejus: & memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea. Dominus in cœlo paravit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus: Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus. Benedic anima mea Domino. (*Pſ.* 103. 1——22.)

Oratio.

Domine Deus ſalutis noſtræ, qui juſtitiam & judicium facis injuriam patientibus, cujus miſericordiæ tam abunde nos prævenerunt, qui orationes noſtras audiſti, & in conſpectu hominum & Angelorum liberationem hanc pro nobis operatus es; Exultat anima noſtra in te, ô Domine, Deus noſter, & in ſalute tua valde lætificatur. Omnia oſſa noſtra ad te clamant: Quis ſicut tu Domine, eripiens afflictum a fortiori eo, & pauperem & egenum a diripiente eum? Cantate Domine, laudate Dominum, animam enim pauperum e manu malorum eripuit. Protrahe ſemper miſericordiam tuam ad nos, ne memineris nobis, nec ullis e ſervis tuis, quos officium hoc ſpectat, iniquitatum priorum, ſed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum memineris noſtri, Domine, & converte nos ad te, Dominum Deum noſtrum, toto corde noſtro, ab omnibus noſtris iniquitatibus. Et propter gemitum eorum qui opprimuntur, & clamorem pauperum, qui tremunt, & ſibi metuunt a latronibus ſuperſtitibus, & propter ſuperbas ac impias gloriationes, & pervicacem, malignam & iniquam impietatem & injuſtitiam iſtorum ſuperborum, impiorum, pervicacium, ſævorum & iniquorum hominum, & propter eos qui Chriſtiana caritate deſtituti, exſpectant claudicationem noſtram, & anguſtias noſtras non reſpiciunt, oſtende ſemper potentem tuam manum, & extenſum tuum brachium, in noſtram tutelam, ac pone & ſerva nos ac poſteros noſtros, tutos & ſecuros ab iſtis impiis qui dentibus ſuis contra nos fremunt. Da nobis te ſolum timere, ac in te Domino Deo noſtro ſperare, & vota noſtra tibi Domino Deo noſtro conſtanter reddere. Converte etiam eos ad Dominum Deum noſtrum.

Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei & Deus meus. (*Pſ.* 42. 6.)

Ne ſitis ſicut ſuſpicioſi iſti murmuratores in deſerto, poſt tam multiplicem experientiam mirabilium Dei miſericordiarum ac benignarum liberationum. *Da mihi gratiam,*

Dixit enim: Non te deſeram, neque derelinquam. Ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo. (*Heb.* 13. 5, 6.) Benedictus ſit Dominus in ſæcula ſeculorum. *Amen & Amen. Hallelujah.*

In pace in idipſum dormiam, & requieſcam: Quoniam tu Domine ſolus confidenter facies habitare me. (*Pſ.* 4 9.) Domine labia mea aperi; & os meum annuntiabit laudem tuam. (*Pſ.* 51. 17.

Omnis ſit honor, laus, gloria, gratiarum actio, poteſtas, majeſtas, imperium, divitiæ, ſapientia, ſalus, & benedictio in ſecula ſeculorum, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, ſoli vero Deo, omnium rerum conditori, Salvatori noſtro, Deo vero, Deo viventi, Regi ſempiterno,

no, a cujus indignatione commovebitur terra, & non sustinebunt gentes comminationem ejus. Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos. (*Jer.* 10. 10, 12.) Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia? (*Exod.* 15. 11.) Qui mirabile facit consilium, & magnificat justitiam. (*Esa.* 28. 29.)

Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. (*Psal.* 34. 18.) Da nobis hunc spiritus humilitatem, & esto præsens nobis in misericordia, & salva nos.

Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam. (*Ps.* 121. 4, 5.)

Præcedat nos Dominus, & gloria Domini colligat nos. Complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei, in conspectu tuo semper, Domine adjutor meus, & redemptor meus. (*Ps.* 19. 15.) Amen. Hallelujah.

§. 169. *Victoria salutaris super plurimos hostes spirituales. Laus Deo.*

Die ultimo Maji 1637. Dominus Deus meus animam meam mirâ sancti sui gratiæ spiritus operatione misericorditer ac potenter pacavit, consolatus est, corroboravit, ac firmavit adversus horrendas quasdam & graves tentationes mundanæ sollicitudinis, invidiæ, diffidentis timoris, iniquæ suspicionis, culpabilis tristitiæ, & ingratæ offensionis, cum quibus, diebus præcedentibus, gravem habui conflictum, quo anima mea multum discruciabatur, & corporis valetudo vitiata est; verum benedictus sit Dominus Deus meus, qui in conflictu me sustinuit, mihique mônstravit exercitium hoc ad mei humiliationem necessarium esse, ut solito meo ad Deum refugio uterer, ac novum gratiæ & pacis augmentum reciperem, atque ita reliquo peregrinationis meæ tempore absque his angoribus & molestiis ei servirem, adversus eas in viribus quotidie crescens; Domini mei gratiâ mihi sufficiente, ut mihi non dominentur; quique ex summâ ipsius misericordia, & constanti erga animam meam dilectione, lætam & opportunam mihi dedit victoriam, fortitudinem etiam ac consolationem validam in anima mea adauxit, valetudinem etiam restituit; meque libertate spiritus, ac lætitiâ cordis, corde perfecto ac prompta voluntate, ei servire facit; mihique sempiternam dat consolationem, ac per gratiam, spem bonam, quod me nunquam deseret nec derelinquet, sed me semper ab omni mala via & opere liberabit, adque sempiternum ipsius regnum & gloriam me servabit. Amen.

[Consolationes hæ mihi renovatæ sunt 28. Octob. 1639. & 18. Maji 1640. Deo sit laus, & rursus 22. Maji 1645. Hallelujah.]

Cantate Domino, laudate Dominum; eripuit enim animam pauperis e manu operantium iniquitatem. Oculos meos eripuit a lacrymis, pedes a lapsu, & animam meam de morte. Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua. Mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, posse me separare a caritate Dei, quæ est in Jesu Christo Domino meo. Credo Domine, succurre incredulitati meæ.

[Hæ consolationes mihi renovatæ sunt 12. Aug. 1639. Deo sit laus.]

§. 170. Per id tempus, dum hac luctâ exercebar, audivi Episcopum nostrum *Adamum Ballandyn* in concione sua, hæc verba Apostoli Pauli exponentem [2 *Cor.* 1. 3, 4, 5. *Benedictus sit Deus, ac Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater ille miserationis, & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra: ut possimus in quavis afflictione positos consolari, ea ipsa consolatione qua nos ipsos consolatur Deus. Nam sicut exundant perpessiones Christi in nobis, ita per Christum exundat etiam consolatio nostra.*] Ubi inter alias doctrinas hanc observavit Episcopus: hinc nempe certum esse, quod fidelibus in hoc mundo nulla crux accidit sine consolatione, nec ulla consolatio sine cruce. Et exundantia afflictionis bene consistit cum exundantia consolationis in iis qui Deum diligunt, atque haud parvam accepi consolationem. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi, Patri misericordiarum, & Deo omnis consolationis. Et benedictum sit sanctum nomen ejus, in secula seculorum, supra omnem laudem & benedictionem, quem exercitus cœlorum venerantur, cujus gloria impleta est terra, & in templo ejus omnes dicunt ei gloriam. Gloria Deo in altissimis, pax in terra, & hominibus bona voluntas. Amen & Amen. Hallelujah.

[Cum hæc relegerem 12. Aug. 1639. consideravi hodiernas tribulationes hujus Episcopi quem Deus mihi fecerat illius consolationis Ministrum, ac Dominum pro eo oravi ut misericordiam & pacem daret, quam spero Dominum illi & fratribus ejus daturum. Benedictus sit Deus. Amen.]

§. 171. *Hoc scripsi 1. Sept. 1637. verum postea occasione id postulante preces matutinas & vespertinas occasioni accommodavi. Gratiarum actio pro castigatione paterna. Gratiarum actio pro his liberationibus & beneficiis.*

In quotidianis meis precibus domesticis unoquoque mane & vesperi, Deo singulares ago gratias pro magnis illius liberationibus & ab externis & ab internis malis. Preces meas ordinarias sic incipio.

Omnipotens Deus, & summe misericors Pater, miserere nobis abjectis & indignis peccatoribus hic coram te prostratis. Effunde super nos sanctum tuum gratiæ & precum spiritum, quo dirigantur preces nostræ, quique pro nobis postulet gemitibus inenarrabilibus, ac propter Dominum nostrum da ut misericordiam consequamur, & gratiam semper inveniamus in auxilio opportuno. Tuæ utique misericordiæ acceptum referendum est quod non sumus consumpti, & quod nobis hactenus pepercisti, nosque paterne castigasti, ac ubertim consolatus es, & ex omni parte nos consolaris; hancque sanitatem, vires, tempus, pacem & omnium rerum abundantiam nobis donas, nosque ab impiis & sævis illis hominibus nobis fortioribus nosque diripientibus, & mala nobis quærentibus eripuisti. Ac nos eruisti a contentionibus populi, & a contentione linguarum, nosque liberasti & quotidie liberas ab omnibus peccatis nostris & abominationibus omnibusque hostium nostrorum spiritualium laqueis & tentationibus; ac nostras animas in te Deo nostro lætari facis, ac in salute tua exultare, ac de beata tua laude semper gloriari;

tiari; nobisque sempiternam das consolationem, ac spem bonam per gratiam, quod nos nunquam deseres nec derelinques, sed semper expedies ab omni mala via & opere, nosque ad sempiternum tuum regnum & gloriam servabis. Benedictum sit sanctum tuum nomen in secula seculorum, cui misericordia tua placet, idque tam ubertim, & erga nos tam viles peccatores. Continua semper misericordias tuas nobiscum. Ignosce ac oblivioni trade omnia peccata nostra. &c.

In precibus privatis. Ac postea cum accedo ad petitiones pro scholis publicis, dico: Domine, tu ex summa tua misericordia me humilem tuum servum a gravibus hisce molestiis ad quietum & salutare hoc exercitium sacri hujus muneris restituisti, mihique das hanc bonam valetudinem, vires, tempus, ac undique pacem, omniaque necessaria, una cum paterno tuo consilio ac copiosa benedictione. Benedictum sit sanctum tuum nomen in secula seculorum. Protrahe misericordias tuas nobiscum, ac misericorditer & potenter adsis mihi, & unicuique servorum tuorum, in veritatis tuæ studio, professione, prædicatione & praxi, & in omnibus aliis legitimis studiis. &c.

Quotidiana petitio privata specialis. In privatis etiam precibus solus sic oro Deum meum: Domine, fac me humilem tuum servum, & ancillam tuam quam mihi connubio junxisti, & liberos nostros quibus auxisti nos, ac omnem nostram familiam, omnesque tuos liberos, ac unumquemque nostrum, salutarem tuam auribus excipere vocem omnibus peregrinationis nostræ diebus, audire te Deum nostrum, dilectum nostrum, unumquemque nostrum alloquentem, ut soles eos qui diligunt nomen tuum, ac unicuique nostrum dicentem: Ne timeas mi fili, mea filia, remittuntur tibi omnia peccata tua. Vade in pace, & esto sana a plaga tua. Fiat tibi sicut vis. Ne timeas, ego sum salus tua. Nunquam te deseram nec derelinquam. Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Reple nos, Deus spei, omni gaudio & pace in credendo, ut abundemus in spe, virtute Spiritus sancti. Fac nos amabiles & speciosos in conspectu tuo, & exsuscita nos, ac trahe nos post te, & dedue nos tecum. Præcedat nos Dominus, & gloria Domini colligat nos hodie & per totum peregrinationis nostræ cursum. Domine, rege & guberna per spiritum tuum sanctum, omnibus diebus peregrinationis nostræ, omnia nostra cogitata, dicta & facta, omnem nostram conversationem, affectus & motus, ut dehinc non nos, sed Christus in nobis vivat, utque ulterius non ambulemus secundum carnem, sed secundum spiritum, ostendentes virtutes tuas, ô Deus noster, qui nos de tenebris vocasti in admirabile lumen tuum, in laudem gloriæ gratiæ tuæ, & in bonum exemplum aliis; utque per bona opera, gratia tua, quotidie magis & magis vocationem ac electionem nostram ratam faciamus. Domine, ita docuisti nos orare, nobisque præcepisti, ac nos exaudire promisisti: Qui potens es omnia facere multo impensius quam petimus aut intelligimus. In tua misericordia Domine speramus, tuamque salutem exspectamus. Omnis gloria sancto tuo nomini, Patri, Filio & Spiritui sancto, tribus personis, unico soli vero Deo, in secula seculorum supra omnem benedictionem & laudem exaltato: Tibi omnis sit gloria in Ecclesia per Jesum Christum Dominum nostrum, in secula seculorum. Abba Pater. Amen.

§. 172. *Confessio,* *Die Lunæ* 16. *Octobris An.* 1637. Convivas quosdam habui mecum prandentes, qui abiere vino magis capti quam me aut domum meam decceret, qui talem immoderationem iis indulgere non debui, etiam in propria domo, quam Deus mihi commodavit, ut esset pietatis & temperantiæ domus & non compotationis. Iis tamen vinum suppeditavi, imo & propinavi, (licet non eo gradu quo ipsi acceperunt) atque ita iis animos addidi ad largius bibendum quam deceret me in quocunque permisisse, & ex hac occasione plus adbiberunt, quam vel ego cupiebam, vel ipsis propositum fuerat, donec licitæ hilaritatis limites transgressi sunt; & ego etiam toto tempore cum iis particeps fui, licet neminem ultra libitum bibere jussi. Vidi tamen grave fuisse peccatum, & scandalum, id quod fecimus, & a me valde insipienter factum; propter quod peccatum & scandalum, aliquot post diebus, dies noctesque ploravi, ac preces Deo fudi, & Domino meo vovi in posterum accuratius ambulare, non ad mores hujus ævi, sed ad Dei voluntatem in verbo ejus revelatam, ut bona mea conversatione delicti hujus memoria ex animis hominum oblitteretur. Et Dominum rogavi, ut ex infinita sua misericordia, & secundum divitias gloriæ ejus, conscientiam meam ab hoc, & omnibus aliis operibus mortuis per Christi sanguinem purgaret, ut servirem Deo viventi; utque Deus, cui nullum malum est insanabile, qui promisit misericordiam & gratiam ad auxilium opportunum, liberationem & victoriam, omnibus qui ipsum quærunt toto corde & tota anima, & Filium suum in mundum misit, ut peccatores servaret, quorum ego sum primus; qui etiam vocat omnes qui fatigati sunt & onerati, requiem promittens illorum animabus; quique præsto est iis qui tribulato sunt corde; & humiles spiritu salvabit; & qui summa cum exuberantia potest omnia facere, supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa gloriosa ejus vi agente in nobis; ut, inquam, solus hic verus Deus, afflictorum consolator, misericordiæ Pater, ac Deus omnis consolationis, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, ac in eo Deus & Pater noster, cui omnia sunt possibilia, ut, inquam, oblivisceatur & dimittat hoc grave meum peccatum, & peccatum omnium convivarum, & familiæ meæ, utque omne ejus scandalum & offensionem auferat, omnique incommodo quod supervenire possit medeatur. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac propter temet ipsum. Ne projicias nos a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a nobis. Lucere fac faciem tuam super nos, redde nobis gaudium salutis tuæ, & spiritus voluntarius confirmet nos. Docebimus iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Libera nos de sanguinibus Deus, Deus salutis nostræ, & exultabit lingua nostra justitiam tuam. Domine labia nostra aperi, & os nostrum annuntiabit laudem tuam. Dilata corda nostra, & nomen tuum sanctum laudabimus sincero corde, & prompta voluntate. Audire fac me gaudium & lætitiam, ut ossa quæ propter peccatum meum contrivisti, exultent, ex misericordia tua omnia nostra peccata dimittente, & gratia tua nobis sufficienti, & potenti tua virtute quæ in nostra infirmitate perficitur.

supplicatio & confessio contra culpam & scandalum profusi convivii.

Hisce meis supplicationibus quas cum suspiriis inenarrabilibus dies septem coram Domino fudi, consolatorium aliquod responsum quotidie accepi, ac die Lunæ proximo 23. Octobris, Dominus confirmavit dilectionem suam erga me, me implens omni pace & gaudio, credendo, me-

que spe exundare faciens per virtutem Spiritus Sancti. Tunc dixi: [juxta salutarem illam Isaiæ Prophetiam (*Is.* 12. 1, 2.)] Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea & laus mea Dominus JEHOVA, & factus est mihi in salutem. Confirma hoc Deus, quod operatus es nobis. Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. (*Ps.* 18. 46.) *Amen. Hallelujah.*

§. 173. *Contra cultus publici neglectum & carnalium affectuum indulgentiam.*

Die Jovis 26. *Octobris* 1637. conscientiâ stimulabar ob cultus divini publici ignavum eo die neglectum, & nimiam affectibus carnis indulgentiam & tunc & olim. Ploravi lugubrem in modum coram Domino, & coram Deo prostratus, humiliter ac toto corde meo Deum misericordiæ meæ oravi, ut ista magna mea peccata dimitteret, utque sol super iram ejus contra me non occideret, ne consumerer & sub manu ejus deficerem, quod expavi, & hoc pavore cohorrui; utque me a metu hypocritico mundano damnorum temporalium liberaret, ac timorem meum erga sanctum ejus nomen dirigeret, ut Majestati divinæ displicere & Spiritum ejus sanctum contristare semper timeam, quod in futurum promisi, in ejus gratia sperans, inque magnitudine misericordiæ ejus, per sempiterni pacti sanguinem, potiora loquentem quam loquatur Abel. Eleva super me lucem vultus tui, Domine, & hæc mihi superabundanter sufficiet. Doce me quid in unaquaque re proposita mei sit officii, ac da gratiam tuam, effice saxis ut quæ tibi recta videntur a me fiant. O immensæ misericordiæ Domine! Bonus & rectus Dominus, ideo docebit peccatores viam. Ambulare faciet humiles in judicio, & docebit humiles viam suam. Omnes semitæ Domini misericordia & veritas, custodientibus pactum ejus & testimonia ejus. Propter nomen tuum Domine, parce iniquitati meæ, quoniam multa est. Misericordiæ tuæ multæ Domine, secundum judicia tua vivifica me. (*Psal.* 119. 156.) Beatus, cui dimissa est prævaricatio, cui tectum peccatum. Beatus homo, cui non imputat Dominus iniquitatem, nec est in spiritu ejus dolus. (*Ps.* 32. 2.) Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea in rugitu meo totâ die. Quoniam die ac nocte aggravatur super me manus tua, (quotiescunque segnis sum in confitendis peccatis meis, ut in angore proximo ob peccata commissa 16. Octobris, & hodie, donec ea plane confessus sim, & preces ac vota tibi fuderim) versus est viror meus in siccitates æstivas, Sela. Peccatum meum notum feci tibi, & iniquitatem meam non operui. Dixi: Confitebor adversum me prævaricationes meas Domino: & tu dimisisti iniquitatem peccati mei, Sela. Hic mihi occurrit in ipsis consolationibus nova lucta, cum hæc verba attenderam, *in cujus spiritu non est dolus.* Ah, mi Deus, valde fallax est animus meus, & inhærentem sibi dolum quotidie declarat. Et respondit mihi Dominus: *Ne timeas. Gratia mea sufficit tibi, virtus mea in infirmitate perficitur. Cum metuis propter tui cordis dolos, in me respice, qui sine dolo sum, qui tibi misericordiam promisi, non propter tuam justitiam, sed propter meam minime fallacem misericordiam in dilectionis meæ Filio, qui non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ipsius.* (1 Pet. 2. 22.) *Non dixi semini Jacob: Frustra quærite me. Ego Dominus loquens justitiam, loquens recta.* (*Isa.* 45. 19.) Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabit se anima mea; audient humiles & lætabuntur. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus simul. Quæsivi Dominum, & exaudivit me, & ex omnibus timoribus meis eripuit me. Aspicient ad eum, & illuminabuntur, & facies eorum non afficientur pudore. Iste pauper clamavit, & Dominus audivit: & ex omnibus angustiis ejus servavit eum. (*Ps.* 34. 2--7.) Propter hoc orabit ad te omnis misericors, tempore idoneo. Profecto in exundatione aquarum multarum, ad eum non pertingent. Tu latibulum es mihi, ab angustia custodis me, clamoribus liberationis circumdas me. Selah. Intelligere faciam te, & docebo te viam per quam ambules, consulam tibi oculo meo. (*Ps.* 32. 6, 7, 8.)

Timor malus. *Timor bonus.*

Confessio peccatorum necessaria & vota Deo facienda.

Suavis & valida consolatio adversus magnam tentationem.

Deus est mea requies & refugium meum. 12. *Aug.* 1639.

Laudate Dominum, omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam roborata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini [manet] in seculum. *Hallelujah.* (*Ps.* 117.) Revertere anima mea ad requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuisti animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, ac pedes meos a lapsu. Ambulabo coram Domino, in terra viventium. (*Ps.* 116. 7, 8, 9) In tuâ spero misericordia, Domine, ac tuam exspecto salutem. Doce me vias tuas Domine, in veritate tua ambulabo. Celebrabo te Domine Deus, ex toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in seculum. Quoniam misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno. (*Ps.* 86. 11, 12, 13.) Quid rependam Domino, pro omnibus ejus erga me meritis. Calicem salutum accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam, coram omni populo ejus. Pretiosa in oculis Domini mors sanctorum ejus. Age Domine, nam ego servus tuus, ego servus tuus, filius ancillæ tuæ: solvisti vincula mea. Tibi sacrificabo sacrificium laudis, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam, coram omni populo ejus. In atriis domus Dei, intra te Jerusalem. *Hallelujah.* (*Ps.* 116. 12——19.)

§. 174. *De turbatoribus schismaticis.*

Dum spirituale hoc scribebam exercitium, allatus est mihi *Libellus famosus*, a turbulento quodam & male feriato homine editus, contra licitas & laudabiles Synodi *Perthensis* constitutiones, ab Ordinibus regni ratas habitas, & in Ecclesia *Scoticana*, a prudentioribus & pacificis pastoribus, & communiter a populo receptas. Viso isto libello, ingemui ex commiseratione Auctoris illius, in pravo instituto adeo pervicacis, tanto opere ac studio caligantis, & tam cœco impetu turbidi. Humiliter Deum oravi, qui novit pios e tentatione eximere, quique me ab atrocibus meis peccatis & ab horrendis periculis tam sæpe liberavit, quique in mundum venit, ut salvos faceret peccatores, quorum ego sum primus; & ut quæreret ac servaret id quod perierat; quique nos ab imperio Satanæ vindicavit, qui natura filii iræ fuimus, juxta cum reliquis, & propter divitias misericordiæ suæ ab ira ventura nos eruit, ac pacem suam Discipulis suis reliquit & dedit, ac Ecclesiam pretioso suo sanguine sibi acquisivit: ut ex abundanti sua caritate & infinita misericordia, illuminaret, converteret, condonaret, ac consolaretur hos suos servos errore seductos, ac nos omnes viam veritatis & pacis doceret, cordaque nostra ad viæ illius amorem inclinaret, nosque per eam duceret, quo alii in alios affecti simus secundum Jesum Christum, & unitatem spiritus in vinculo pacis conservemus. Benefac in voluntate tua ipsi Zion: ædifices muros Jerusalem. Sit

pax

pax in antemurali ejus, prosperitas in palatiis ejus. Fac nos omnes pios, & libera nos a tentatione. Da ut prudenter agamus in via perfecta, in laudem gloriæ gratiæ tuæ, ad ædificationem corporis Christi, donec perveniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi. Viam mendacii amove a nobis, & lege tua dignare nos. Sit cor nostrum perfectum in statutis tuis, ne pudore afficiamur. Sic docuisti nos orare, & tu, Domine, per os sancti tui Prophetæ Joëlis dixisti: Non confundetur populus meus in æternum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat in principio, & nunc, & semper & in secula seculorum. *Amen.*

§. 175. *De pietate erga parentes.* *Inter dies* 26. & 27. *Octobris* 1637. noctu, cum in lecto jacerem, & vigilans, & dormiens animo conturbatus sum ob inobservantiam erga meum piæ memoriæ parentem, quod cum non adeo patienter, reverenter ac sincere coluissem, nec ei ministrassem prout debueram. Et culpam meam Domino confitebar, qui extemplo me consolatus est per sanguinem Jesu Christi, ab hoc & omnibus aliis peccatis me emundantem, & consolationem mihi reddidit etiam ex eo quod ob hanc culpam contristarer, ac in mentem mihi revocando exercitia mea iis temporibus quibus in me observassem ullam erga patrem inobservantiam, vel cogitatione, vel verbo, vel opere; & quomodo ad Deum semper & confessione & deprecatione me contulissem, & consolatus fuissem. Cum etiam animadvertissem patrem meum aliquo modo a me offendi, nunquam quietus fui, donec mens ejus sedata fuerit. Rogavi enim ut propter meam inobservantiam non contristaretur, sed persuasum haberet, me dolore affici propter delicta mea in eum: qui mihi sæpe respondit, se reperire in me magnam erga se observantiam, seque pro me toto corde Deo gratias agere, me in sua infirmitate & afflictionibus ipsi solamen esse, & in senectute subsidium; qua de causa nonnunquam præ gaudio lacrymatus est, seque magnopere id lætari significavit, quod hæres ejus essem futurus; & paulo ante obitum, amantissime & fervide pro me Deum orans mihi benedixit, & ad ultimum usque spiritum, suam in me caritatem, meque magnæ illi consolationi fuisse, testatus est. Et gemitus & preces quas moriens pater apud Deum mea gratia fudit, semper adhuc sunt coram Domino Deo nostro, & in nomine & propter merita Jesu Christi Salvatoris nostri illi acceptæ sunt; meque certum reddit Dominus, quod hæc omnia mea in patrem, & quævis alia peccata, plene remissa sunt, & expurgata per sanguinem Jesu Christi, quodque hæ Patris mei benedictiones & multæ aliæ super me venient, & super liberos meos & familiam meam. Benedictum sit nomen Domini, Dei & Salvatoris mei, in secula seculorum. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacobo, misericordiam Abrahamo, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis. (*Micha* 7, 18, 19, 20.) *Hallelujah.*

[Consolationes hæ benigne & ubertim mihi renovatæ sunt diebus 17. & 18. Maji An. 1640. Benedictus sit Dominus in secula seculorum. Amen.]

Die 30. *Octobris* 1637. cum cogitarem cui uxorem & liberos commendarem, si Deo placuerit me ante eos ex hac vita vocare, & haberem in animo quosdam potentes amicos, Dominus Deus in intimo cordis mei me objurgavit, inque eo solo sperare monuit, & in principibus non fidere, nec in filio hominis in quo non est salus. Tunc eximiam percepi consolationem in horum S. Scripturæ locorum recordatione & comprehensione. Pater est pupillorum, & judex viduarum, Deus in habitaculo sanctitatis suæ. (*Ps.* 68. 5.) Ne fidatis principibus, filio hominum in quo non est salus. Beatus est is cujus auxilio est Deus Jacob, cujus spes est in Domino Deo suo. Dominus custodit advenas, pupillum & viduam sublevat. Relinque pupillos tuos, & ego faciam eos vivere, & viduæ tuæ in me sperabunt. (*Jer.* 49. 11.) Puer fui, etiam senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. (*Ps.* 37. 25.) Misericordia autem Domini a seculo usque in seculum, super timentes eum; & justitia ejus super filios filiorum. (*Ps.* 103. 17.) Justus qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet. (*Prov.* 20. 7.) Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. (*Ps.* 112. 2.) Domine Deus salutis meæ, licet vilis & peccator sim, tu tamen misertus es mei, & uxoris meæ & liberorum, & totius nostræ familiæ. In te Domine, est justitia & fortitudo nostra, in te justificamur & gloriamur. Et salutare tuum exspectamus. Qui proprio Filio non pepercisti, sed pro nobis omnibus illum tradidisti; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabis? (*Rom.* 8. 32.) cum illo, inquam, qui a Deo factus est nobis sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio. Quocirca in Domino gloriamur. (1 *Cor.* 1. 30, 31.) Fac, Domine, ut corda nostra præbeamus ad quærendum tuum regnum & tuam justitiam, da ut omnem nostram curam in te projiciamus, qui paterno nobis animo prospicis. Da nobis ambulare perfecte, nomen tuum noscere, ita ut in te Deo nostro constanter speremus, toto corde & tota anima nostra te quæramus ac inveniamus, & certiores fiamus per Spiritum Sanctum testantem cum nostro spiritu, nos esse tuos filios, quos nunquam deseres nec derelinques, nec bonis destitues, sed quibus omnia copiose præbebis ad fruendum. Imo custodies nos tanquam pupillam oculi tui, nosque ab omni opere malo eripies, & servabis ad cœleste regnum Jesu Christi Domini nostri, cui cum Patre & Spiritu sancto, tribus personis, uni soli vero Deo, omnium rerum creatori ac Salvatori nostro, ab æterno in æternum supra omnem benedictionem & laudem exaltato, sit omnis gloria, honor, gratiarum actio, potestas, majestas, imperium, benedictio & laus in Ecclesia semper, per Jesum Christum Dominum nostrum, in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.* Sperate in Domino in sæculis æternis, quoniam in Domino Jehovah est fortitudo sempiterna. (*Esai.* 26. 4.) Misericordia & veritas Domini manet in æternum. Benedictus sit Dominus. *Amen. Hallelujah.* Domine, credimus, succurre incredulitati nostræ. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68. 28.) Domine, tu dabis pacem nobis, quia omnia nostra opera operatus es in nobis. (*Esa.* 26. 12.) Benedictus sit Dominus. *Amen.* §. 176. *Consolatio de uxore & liberis.*

Die 7. *Novembris* 1637. dum in museo orabam, tanto indignitatis meæ sensu afficiebar, ut cum orationem Dominicam recitaturus essem, §. 177. *Pater noster qui es in cœlis.*

verecundus in corde dicerem: Non ſum dignus Deum appellare Patrem meum. Tunc ad me cœlitus venit mire ſuavis conſolatio, nimirum hæc: Dominus Jeſus juſſit me orare, *Pater noſter qui es in cœlis.* Ipſe etiam interpellat pro nobis, dixitque: *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum.* Sic Chriſto in oratione mecum ſociato, dixi, *Pater noſter*, &c. Et inenarrabilem percepi conſolationem, quoniam licet indignus fuerim, Salvator tamen noſter, Dei Filius, qui nos ita dicere docuit & juſſit, dignus eſt, ſe mihi adjungit, ac pro me orat, mecum dicens, *Pater noſter* &c. Nam beneficia membris ſuis data, ſibi data computat, ac pro iis interpellat. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Benedicta ſit rupes ſalutis meæ, ſancta individua Trinitas, ſancto ejus nomini omnis ſit laus in Eccleſia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in ſecula ſeculorum. *Amen. Hallelujah.* Ac brevi poſtea nova mihi data eſt confirmatio ejuſdem conſolationis, efficaci operatione ſpiritus Chriſti, ſpiritus adoptionis, in corde meo clamantis, *Abba Pater*; mihique animum confirmantis, ac me clamare facientis, *Abba Pater.* Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Convertere anima mea ad requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Benedictus ſit Dominus. *Amen.* Lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum & fortitudinem ejus, quærite ejus faciem ſemper. Cum dixiſti: quærite faciem meam: tibi dixit cor meum: Faciem tuam Domine, quæram. Ne abſcondas faciem tuam a me, neque declines in ira a ſervo tuo. Auxilium meum fuiſti, ne derelinquas me, & ne deſeras me, Deus ſalutis meæ. (*Pſ.* 27. 8, 9.) Vivit Deus, & benedicta ſit rupes mea, & exaltabitur Deus fortis ſalutis meæ. (2 *Sam.* 22. 47.) Benedictus ſit Dominus. Hinc mihi in mentem venit egregium illud Auguſtini dictum ab Epiſcopo noſtro in concione duobus abhinc diebus commemoratum, die quodam ſolemni gratiarum actioni dicato, quod hic plenius recitabo prout inveni in Epiſtola Auguſtini ab eo citata. (*Auguſtini Epiſt.* 77. *ad Aurelium.*) *Nam quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quam* DEO GRATIAS? *Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt.* Et dicti hujus veritatem tum temporis, & ſæpe alias, ſuavi experientia percepi: *Deo gratias, Deo gratias.* Hallelujah. Cantate Deo, cantate: cantate Regi noſtro, cantate. Quoniam Rex univerſæ terræ Deus, canite quotquot intelligitis. Tu, Domine, es Pater meus, & Deus meus. Cantabo Domino in vita mea; pſallam Deo meo, quamdiu ero. (*Pſ.* 146. 2.) Dulce erit ei eloquium meum, ego lætabor in Domino. (*Pſ.* 104. 33, 34.) In multitudine cogitationum mearum in intimo meo; conſolationes tuæ lætificarunt animam meam. Si dicebam: motus eſt pes meus: miſericordia tua, Domine, ſuſtentavit me. (*Pſ.* 94. 18.) Sint ad placitum eloquia oris mei, & meditatio cordis mei coram te Domine, petra mea & Redemptor mi. (*Pſ.* 19. 15.) Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei; ſalutare vultus mei & Deus meus. (*Pſ.* 42. 6. & 43. 5.) Cantate Domino, laudate Dominum, qui eruit animam oppreſſi e manu calumniantis; a quo ſperamus etiam nos adhuc erutum iri. Fidelis es qui promiſiſti. Benedictus ſit Dominus. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, ita nunc, & ſemper, in ſæcula ſæculorum. *Amen.* Benedicite Domino. Benedictus ſit Dominus, ſupra omnem benedictionem & laudem excelſus. *Amen.*

Abba Pater.

Deo gratias.

Die 26. *Novemb.* 1637. dum manifeſtam culpam reprehenderem in amico, coram aliis amicis & ſervis, animadvertens eum culpam in hac re ſuam non agnoſcere, ei dixi, peccatum coram Deo commiſſum eſſe, licet ſtatutum Comitiorum Regni An. 1612. eam agendi rationem peccatum non eſſe pronuntiet. Negavi, in Actis Parlamenti apud Dei tribunal nobis aliquid præſidii fore, ubi judicabimur ex ipſius Dei verbo, cui iniquum iſtud Parlamenti ſtatutum manifeſte repugnat, prout alibi fuſe oſtendi. (*Epiſt. dedic. tractatus de Simonia.*) Et hanc ita rem urgebam, ut ira humana, quæ Dei juſtitiam non exſequitur, nimium commotus ſim, ac nonnulli prudentes auditores offenſi fuerint. Ipſe etiam dolui quod nomen Domini aſſumpſiſſem affectu humano, & confeſtim me cohibui, & motum meum temperavi, ac ab invicem amice diſceſſimus. Sed paucis poſt diebus, inceſſit animum dolor, & tum meum, tum fratrum, & populi peccatum apud Deum confeſſus ſum, & miſericordiam ac gratiam petii ut poſthac in manſuetudine cœleſtis ſapientiæ ambularem, & Dominum obſecravi ut hæc & omnia alia noſtra peccata & ſcandala auferret; utque nos pios redderet, nobiſque veram daret reſipiſcentiam, & triſtitiam ſecundum Deum, ac e reti pedes noſtros educeret. Poſt tale dierum aliquot exercitium, factum eſt die 29. ejuſdem menſis, dum ſolus in campis, his de rebus meditarer, ut Dominus copioſe ſuper me effuderit ſanctum ſuum Spiritum gratiæ & precum, adeo ut cum gemitibus ac lacrymis Deo confiterer peccata mea, præcipitem ac imprudentem iram, ac nominis Dei profanationem, zelum ejus ſimulans, dum ita ab affectu carnali & humana ira abriperer. Confeſſus ſum etiam me peccaſſe, acri nimis exaggeratione culpæ, cum exinde conſcientiæ rei periculum eſſet inconſolabilis triſtitiæ. Quocirca ad Dominum clamavi pro miſericordia & gratia & mihimet, & etiam iis omnibus qui peccato iſto irretiti ſunt, ut nec impœnitentes ſint, nec abundantiori triſtitia abſorpti. Et oravi ut nemo ob aliquem noſtrum offendatur, aut nos in malum exemplum ſibi proponat, licet, eheu! & offenſioni & malo exemplo fuerimus, ſed Deus noſter qui ſolus mirabilia facit, cuique nihil eſt impoſſibile, omnem potis eſt amovere offenſionem, & omni incommodo mederi. Ac Dominus orationes meas benigne exaudivit, meque ſummopere conſolatus eſt reſponſione miſericordiæ & pacis in corde meo, cum pollicitatione gratiæ ſuæ ſufficientis mihi, & reliquis ejus ſervis, pro quibus ſpeciatim oraveram. A Domino etiam petii, 1. humilitatem cum lætitia; 2. zelum cum manſuetudine ſapientiæ; 3. gratiam ſincere exiſtimandi, alios mihi præcellere, una cum ſolida conſolatione certæ perſuaſionis, de ejus miſericordia ac ſempiterna dilectione erga nos omnes, in Jeſu Chriſto Domino noſtro, cui cum Patre & Spiritu Sancto, ſit omnis laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. *Amen.* Tunc Pſalmos quoſdam laudis Domino cantavi, videlicet *Pſal.* 47. & 62. & 108. & 146. & 148. & 149. & 150. cum initiis 105. & 106. & Domino ſolenniter promiſi, opera mea ex bona converſatione demonſtrare, in lenitate ſapientiæ. Et rurſus gratiam a Domino petii, ut vota præſtarem, quæ non ex præſumtione propriæ potentiæ feceram, ſed ſolum religioni habens officium erga Deum & proximum, fretuſque Dei miſericordia, ejuſ-

que

§. 178.

Ira humana juſtitiam Dei non exſequitur. Vide Baſil. in regulis fuſius diſputatis cap. 50.

In admonitione modeſtia neceſſaria.

Combinationes tres neceſſariæ.

Dispositio mentis in votis faciendis. Refugium & confirmatio contra molestiarum meum. que gratia mihi sufficienti. Et in hoc etiam Dominus me exaudivit, & magnopere consolatus est. Benedictus sit Dominus. Dominum etiam rogavi ut me liberare velit a molestiis quibusdam mundanis, quibus a cognatis, ex dissidiis inter eos & vicinos ortis, in periculo fui, ut irretirer, ut Dominus dignaretur nobis dare gratiam, misericordiam, & pacem, sapientiam ac directionem, protectionem, benedictionem & pacem. Benedictus sit Dominus Deus salutis nostræ, qui dat mihi bonam spem per gratiam, quod in hac etiam & in omni alia re, misericordiam suam nobis ostendet & salutem suam nobis dabit. Novit Dominus pios e tentatione eripere. (2 *Pet.* 2. 9.) Fac nos pios Domine, tunc sine dubio e tentatione eripiemur. Quasi adipe & pinguedine saturatur anima mea Domine, & labiis jubilationum laudabit te os meum. Quum recordor tui in cubilibus meis, & in vigiliis meditor de te. Quia fuisti auxilium mihi, & in umbra alarum tuarum exultabo. Adhæret anima mea tibi, me sustentat dextera tua. Et ipsi qui ad desolationem quærunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpis erunt. Rex vero lætabitur in Deo, gloriabitur omnis qui jurat per eum, quia obstruetur os loquentium mendacium. (*Ps.* 63. 6, 12.) Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, sancto nomini ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui vindicat ab interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua. (*Ps.* 103. 1-5.) Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me. Laudabo te, & in te sperabo, quamdiu fuero. Hallelujah. Amen. Benedictus sit Dominus, supra omnem benedictionem & laudem exaltatus. Conversio peccatoris Deo perplacet, & gaudium est coram Angelis Dei. Lætetur etiam terra, & omnes qui Deum timent, vociferentur in lætitia. Ecce Deus est salus mea: sperabo, & non timebo. Dominus Jehova est fortitudo mea & laus mea, & factus est mihi in salutem. Et aquas haurietis in gaudio de fontibus Salvatoris. Benedictus sit Dominus, Sancta & individua Trinitas. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria ejus. Gloria ejus super terram & cœlum. Et exaltabit cornu populi sui, hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israël, populo appropinquanti sibi. Hallelujah.

ANNO 1638.

§. 179. *Fœdus Nationale. 1638.* *Die* 7. *Julii* 1638. dum meditabar de innumeris meis vitiosis infirmitatibus, de externis etiam molestiis ac terroribus quibus circumdabar, ab hominibus minis territus, eo quod adversus ipsorum errores & turbulentum spiritum scripseram, ut in viam veritatis & pacis reducerentur; Dei eum gemitibus & lacrymis vehementer imploravi misericordiam & gratiam, ut omnia mea peccata remittere vellet, nee me fineret ex iis esse, qui ob mala opera pœnam patiuntur publicam; sed ut ipse ex paterna sua misericordia me castigaret, ac non in hominum manus incidere permitteret. Sique illi visum sit ut persecutionem ab hominibus patiar, propter illius veritatem, obsecravi ut me nunquam desereret aut derelinqueret; verum ut mihi daret promissam illam præsentiam Spiritus sui sancti, (*Matth.* 10. 19, 20.) os etiam & sapientiam promissam; (*Luc.* 21. 15.) meque servarer a mixtura iræ vel imprudentiæ humanæ cum justa Dei causa, mihique daret firmam eam dispositionem & gratiam quam dederat sancto suo Apostolo Paulo, ut legitur *Act.* 20. 24. Exaudivit Dominus orationem meam, ac promisit, licet cor meum præ timore deficiat propter innumera gravia mea peccata, se tamen propter magnam ipsius misericordiam me confirmaturum & sustentaturum. Jussit me bono animo esse, quoniam ille roborabit cor meum. Consilio suo deducet me, & postea cum gloria excipiet. Benedictus sit Dominus. Benedic anima mea Domino, qui te exuberanti & ineffabili consolatione implet. Spero in misericordia Domini. In tuas manus commendo spiritum meum [animam & corpus & omne ad me pertinens, & omnes suos sanctos.] Redemisti nos Domine, Deus veritatis. Benedic anima mea Domino. Benedictus sit Dominus. Gloria sit illi in Ecclesia, per Jesum Christum Dominum nostrum, in secula seculorum. Amen. Hallelujah.

[Die 12. Aug. 1639. consolationes hasce in memoriam revocans, earumque impletionem per varios ærumnarum, tentationum & conflictuum casus, quos ex eo tempore subivi; *&* majorem consolationem percepi ex his experientiis, & bona spe per gratiam imposterum.]

Hoc finito, me confestim invasit duplex gravis tentatio, una scilicet, fastidii carnalis horum exercitiorum, ac proinde aversationis ab iis; altera superbiæ & præsumptionis spiritualis, propter benedictam hanc cum Deo familiaritatem. Adversus utrosque adjuvat me Deus gratiâ suâ, ac promisso gratiæ mihi sufficientis. Benedictus sit Dominus. Amen & Amen. Confirma Domine, quod operatus es in nobis. Opera manuum tuarum ne despicias. Dominus perficiet pro me opus suum. Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Hallelujah. Domine miserere horum servorum tuorum errantium, ac pedes eorum e laqueo erue. O mi Deus, qui nosti pios e tentatione eripere, & qui per sanctum tuum Prophetam Joël dixisti: Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam magnificavit Dominus ut faceret; & populus meus non confundetur. O Deus noster, qui iis condonasti qui te crucifixerunt, ac etiam sanctum tuum martyrem Stephanum docuisti pro suis persecutoribus orare, corrobora nos eodem spiritu, & hoc peccato fratribus errantibus ne apponas. Judica causam tuam in misericordia. Benedictus sit Dominus. Amen. Signa super nos lumen vultus tui. Domine Jesu, sis nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, sicut promisisti. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Hallelujah. Amen & Amen. Domine si vis, potes me mundare, potes me ex his & omnibus aliis difficultatibus eruere, & me fidelem ad mortem usque reddere, & mihi victoriam & coronam vitæ dare, per Dominum meum Jesum Christum, cui cum Patre & Spiritu sancto, Trinitati individuæ, unico vero Deo, supra omnem benedictionem & laudem ab æterno in æternum exaltato, sit omnis gloria, honor, laus, amplitudo, potestas, majestas, imperium, opes, salus & benedictio in Ecclesia, per Jesum Christum Dominum nostrum, nunc & in secula. Amen.

men. Gloria Deo in altissimis; in terra pax, in hominibus benevolentia. Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi. Cantate Domino, laudate Dominum; quia liberavit pauperem de manu malorum. Venite, & audite; & narrabo (omnes qui timetis Deum) qualia fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamavi, & exultavi sub lingua mea. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ. Benedictus Deus qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me. (*Ps.* 66. 16-20.) Hallelujah. Amen & Amen. Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in seculum seculi. (*Ps.* 22. 27.) Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus. Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus. Laudamini in nomine sancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus semper. (*Ps.* 105. 1-4.) Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo. Adjutor meus fuisti: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Quum pater meus & mater mea dereliquerint me, Dominus assumet me. Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Defecissem nisi credidissem, me visurum bonitatem Domini in terra viventium. Exspecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & exspecta Dominum. (*Ps.* 27. 8-14.) Domine da quod jubes, & jube quod vis. Da nobis Domine id quod promisisti, da nobis ea facere quæ præcepisti. Eheu, Domine, etiam ii qui te timent, mihi adversantur, meque gratis oderunt ac persequuntur, quoniam tuam sequor & confiteor veritatem. Misericors Pater, ignosce eis, nesciunt enim quid faciunt. Ne tradas me voluntati seductæ hostium meorum. Domine ne permittas me propriæ meæ voluntati; sed propter nomen tuum dirige ac deduc me, & educ tum illorum, tum meos pedes, ab omni laqueo. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis. Mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus & judicia oris ejus. Semen Abrahæ ———. Cum essent numero brevi, paucissimi, & advenæ illic. Et commigrarunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum; non sivit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Christos meos: & Prophetas meos nolite malo afficere, (*Psal.* 105. 12-15.) vide etiam *Psal.* 91. Qui habitat in adjutorio Altissimi, &c. Vid. *Jer.* 1. 17, 18, 19. & 15. 19, 20. & *Ezech.* 3. 8, 9, 17. *Matth.* 10. 24 39. *Act.* 4. 29, 30. Fac me Domine unum e Pastoribus qui juxta tuum cor sunt. Benigne fac Domine, in bona voluntate tua Sion: & ædificentur muri Jerusalem. (*Ps.* 51. 20.) Sacerdotes ejus induantur salutem, justitiam, & sancti tui exultent præ gaudio, & lætentur in bonis. (2 *Chron.* 6. 41.) Benedictus sit Dominus Deus Israëlis, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, ac in eo noster Deus ac Pater, ab æterno in æternum supra omnem benedictionem & laudem exaltatus. Amen. *Hallelujah.*

Die 9. *Julii* 1638. Cum multum dolerem super propriis meis peccatis & corruptione, & super morbis corporeis filiæ meæ Elizabethæ, ad Deum clamavi: Novi, Domine, quod justa sunt judicia tua, & in veritate afflixisti me. Sit quæso misericordia tua ad consolandum me, secundum eloquium tuum servo tuo. Veniant mihi misericordiæ tuæ ut vivam: & sit lex tua meditatio mea. (*Ps.* 119. 75, 76, 77.) Domine si vis, tu nos mundare potes a lepra nostra spirituali. Domine si vis, tu potes sanare filiam meam, ac nos omnes undique abunde consolari. Sana Domine animas nostras, & loquere pacem ad conscientias nostras, & deprecaneus esto de malo contra pauperes tuos servos, & præsta nobis cogitationes misericordiæ ac pacis, in Jesu Christo Domino nostro, in quo acquiescis, & qui in mundum venit, ut peccatores salvos faceret, quorum primus ego sum. Domine secundum magnam tuam misericordiam, & multitudinem miserationum tuarum in eo, ignosce & dele omnes nostras iniquitates, ac sana omnes nostras spirituales ægritudines. Da nobis etiam valetudinem corporis, & omne id quod ad hanc vitam pertinet, ea ratione, qua misericordiæ tuæ oculis visum fuerit. Eleva super nos lucem vultus tui, Domine. Benedic anima mea Domino. Venite, magnificate Dominum mecum, exaltemus Dominum simul, nam exaudivit Dominus orationem meam, nosque ubertim undique consolatur supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis. Ei sit gloria in Ecclesia, per Jesum Christum Dominum nostrum, nunc & in æternum. Amen. §. 180.

[Hæc mea filia Elisabetha in Domino mortua est plena consolatione spirituali, 7. Mart. 1639. Benedictum sit nomen Domini. Et nunc 12. Aug. 1639. cum ipse infirmus sim, & uxor diu ægra, easdem preces pro nobis fudi ad potentem salutis nostræ Deum, & magnopere consolata est me ejus misericordia. Ei sit gloria in æternum. Amen.]

Die 10. *Julii*, 1638. *lecto capite* 8. *Ezræ* ubi Esdra describit jejunium juxta fluvium Ahava, & captivorum orationes ad Deum, a quo petebant viam rectam, qui regi Artaxerxi dixerant, manum Dei Israëlis esse super omnes qui quærunt eum in bonitate; & imperium ejus, & fortitudinem & furorem super omnes qui derelinquunt eum: adeo ut erubuerit Esdra petere a Rege auxilium & equites, qui defenderent eos ab inimico in via. Jejunarunt itaque ac Deum hæc suppliciter orarunt. Et manus Dei fuit super eos, & liberavit eos de manu inimici & insidiatoris in via, & deduxit eos incolumes Jerusalem: Lecto hoc capite mane privatim, coram Domino confestim procubui, cum precibus, gemitibus & lacrymis suppliciter petens liberationem ab omnibus meis hostibus spiritualibus & corporeis, mihi, uxori & liberis salutem, Ecclesiæ ipsius hic & ubique pacem, regioni etiam huic afflictæ, ac nobis afflictis suis servis, regionis hujus incolis, & aliis omnibus ubicunque terrarum ipsius servis pacem, & in Domino gaudium, ut in ejus salutari exultemus, & omnia ossa nostra dicant: Quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum, & pauperem a diripientibus eum. Miserere nostri Domine, propter nomen tuum sanctum, quod vocatur super nos. Remitte nobis, & salva nos, secundum magnam tuam misericordiam, ne ii qui claudicationem nostram expectant, super nos §. 181.

gau-

gaudeant, vel nos inopes tui ſervi triſtitiam ſuper triſtitiam habeamus; ſed ut in te Deo noſtro conſolationem perpetuo habeamus, & novis hiſce miſericordiæ tuæ erga nos experientiis, in te Deo noſtro lætemur, in nomine tuo ſancto gloriemur, inque tuis laudibus exultemus. Et exaudivit me Dominus, & magnopere me conſolatus eſt, promittens, in his & in omni paterna ſua erga nos providentia, nos ſalutare Domini viſuros. Benedictus ſit Dominus. Quis Deus præter Dominum? aut quis rupes præter Deum noſtrum? (*Pſ.* 18.) Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem, & tranſis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem ſuum, quoniam volens miſericordiam eſt. Revertetur & miſerebitur noſtri, deponet iniquitates noſtras: & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Dabis veritatem Jacob, miſericordiam Abraham; quæ juraſti patribus noſtris a diebus antiquis. (*Micha* 7. 18, 19, 20.) Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt. —— Fortitudo & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Quis ſimilis tui Domine? magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? mirabile faciens conſilium, & magnificans juſtitiam. Sperate in Domino in ſeculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. (*Iſa.* 26. 4.) Et apud te, Domine, ſempiterna eſt miſericordia & veritas. Fortitudo tua ſempiterna; ſempiterna tua miſericordia & veritas in perpetuum nos ſalvos faciant. Servabis eum in pace, cujus animus in te recumbit, quoniam ſperat in te. (*Iſa.* 26. 3.) In te Domine recumbant mentes noſtræ. Confirma Domine, quod operatus es in nobis. (*Pſ.* 68. 29.) Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis. (*Iſa.* 26. 12.) Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum. (*Jer.* 20. 13.) Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus. Hallelujah. Benedictus ſit Dominus. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Amen. Judica Domine nocentes me, & libera me. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Facit nos haurire aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris. (*Iſa.* 12.) Benedictus ſit Dominus. Amen.

[12. Aug. 1639. quo convenit Synodus Nationalis Edinburgi, has orationes ad Deum renovavi pro Eccleſia, Synodo, Rege, Conſiliariis, Senatoribus, Proceribus, plebe, Evangelii Miniſtris, Collegis, meipſo, uxore, filio, Academia Aberdonenſi, rogans Deum ut illius manus fiat ſuper nos in bonum, & eximiam percepi conſolationem. Benedictus ſit Dominus in æternum.]

§. 182. *Die* 13. *Julii* 1638. Dum ſupplici oratione a Deo petebam miſericordiam, gratiam, pacem & ſalutem, dicens cum Davide: Redime me ab oppreſſione hominum, & cuſtodiam præcepta tua. Faciem tuam fac lucere ſuper ſervum tuum, & doce me ſtatuta tua; ſuavem percepi conſolationem & certitudinem, quod ſicut Deus ſervavit Jacobum a fratre ejus Eſavo, ſic ego cum Deo & homine prævalerem, miſericordia & virtute ejuſdem clementiſſimi & potentiſſimi Dei Jacobi, Dei & Patris Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei mei ac Patris in Chriſto, cui ſit gloria in æternum. Amen. Domine da tibi reddere vota mea, petra mea & redemptor mi. In timore magno & anguſtiis fui, & ab omni meo timore Dominus me eripuit. Confirma Domine, quod operatus es in nobis. Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraëlem. Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo. Age Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ, dirupiſti vincula mea. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam, in conſpectu omnis populi ejus. In atriis domus Domini: in medio tui Jeruſalem. *Hallelujah.* Benedictus ſit Dominus. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut in principio, ſic nunc, & in ſecula. Amen & Amen.

[Conſolationes hæ mihi ſuaviter renovatæ ſunt 17. & 18. Maji 1640. Benedictus ſit Dominus, conſolator & Salvator noſter. Amen. Hallelujah. Rurſus 13. Jun. 1640. & 15. Aug. 1639. Hallelujah. Amen.

Diebus 13. & 14. *Julii* 1638. eadem mihi renovata & confirmata eſt conſolatio, Deum nempe iſtos homines prohibere ne mihi moleſti ſint, ſicut Dominus objurgavit Labanum, vetuitque quicquam gravius loqui adverſus Jacobum. Benedictus ſit Dominus אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל: Amen. In manus tuas commendo ſpiritum meum: tu redemiſti me, Domine Deus veritatis. *Gen.* 31. & 33.

Die 18. *Julii* 1638. certior factus de Fœderatis, noſtris hominibus, quod frequentes & infeſti Aberdoniam venturi eſſent, nobis & populo authores futuri, vel diſputatione, vel molimine, vel vi & minis, (ut fama eſt) ſocietatem cum iis in nupero ipſorum fœdere ineundi, quod nobis fas eſſe non deprehendimus, cum legiſſem mane *cap.* 3. & 4 *Nehem. cum Dan.* 9. 25. Dominum cum lacrymis rogavi, ut nobis viam rectam oſtendat, inque ea nos deducat, corroboret & protegat, noſque omnes (& fratres adverſantes & nos) ſanctificet, & e gravi hacce tentatione ac omnibus tentationibus eruat. Novit Dominus pios e tentatione eripere. (2 *Petr.* 1. 9.) Populus ejus non confundetur in æternum. (*Joël* 2. 27.) Benigne faciet Sion, & temporibus etiam turbatis muri Jeruſalem ædificabantur. Deus eſt adjutorium meum, non timebo quid homo mihi faciet. (*Pſ.* 118. 6.) Erit in ore noſtro, ſicut cum Moyſe fuit. (*Exod.* 4. 12.) Suſcipe ſervum tuum in bonum: non calumnientur me ſuperbi. Projice in profundum maris peccata noſtra. (*Micha* 7. 19.) Illumina, ſanctifica, corrobora & anima nos ad opus tuum quod nobis mandaſti perficiendum, inque eo nos dirige ac benedicito, & ſicut ſanctum tuum nomen agnitum & glorificatum fuit, cum præſenti tuo numine adeſſes ſervo tuo Eliæ adverſus Prophetas Baalim; (1 *Reg.* 18.) ita benigne & potenter nobis adſis in propria tua cauſa adverſus ſeductæ hujus multitudinis ſervorum tuorum errores; ut ſciant nos tuos eſſe ſervos, tuoque juſſu hæc facere. Et oratio mea introivit coram eo in templum ejus. Illi ſit gloria in Eccleſia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum nunc & in ſecula. Amen. §. 183. *Fœdus Nationale.*

Domine, qui dediſti ſervo tuo Paulo ingenue & prudenter Petrum monere, & ſervo tuo Petro monitioni placide auſcultare, ac bono conſilio morigerum eſſe; concede etiam dona hæc nobis miſeris tuis ſervis, ac cunctis noſtris fratri-

bus,

bus, ut nec in bona causa animus nos deficiat, nec in malâ pervicaces simus, sed propter misericordiam tuam in Jesu Christo Domino nostro, deduc nos per sanctum tuum veritatis spiritum in omnem veritatem, ac veritate tua nos sanctifica, nosque tibi fideles redde, Deo nostro, qui nos misisti, non ut nostram, sed tuam Dei nostri quæramus gloriam, ac populi salutem; utque terrena non cogitemus, sed hoc stadium alacres decurramus, & ministerio defungamur, quod a Domino Jesu accepimus, ad attestandum Evangelium gratiæ Dei. (*Act.* 20.24.) Benedictus sit Dominus qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me. *Hallelujah.* Confirma Domine, quod operatus es in nobis. Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis. (*Is.* 26.12.) Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei. (*Jac.* 5. 5.) Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. (*Ps.* 50.) Libera me Domine, ab oculo malo, vitiosâ irâ, præcipitantia, tepore, & timore suspicioso, & omni eo quod oculis tuæ gloriæ displicet. Fac nos dispensatores fideles & prudentes, pastores juxta cor tuum, qui populum tuum scientiâ & doctrinâ pascamus, ut misericordiam inveniamus apud Dominum in die illo. Fac nos tibi Deo nostro, per totum peregrinationis nostræ cursum, fideles ac bonos servos, & postea admitte
Matth. 25. nos in æternum illud Domini nostri gaudium. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, tribus Personis, uni soli vero Deo, Trinitati Sanctæ individuæ, ab æterno in æternum supra omnem benedictionem & laudem exaltatæ, quam cœlorum exercitus adorant. Ejus gloria tota terra sit plena, & in ejus templo omnes gloriam ejus dicant. Illius nomen solum celebretur, illius gloria supra terras & cœlum. Gloria Deo in altissimis, in terra pax, in homines benevolentia. *Amen. Hallelujah.*

Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis, (*Jer.* 16. 19. & 30. 15, 16, 17.) qui Ecclesiam & liberos tuos a vulneribus incurabilibus sanas, esto nostrum refugium nunc & omni tempore, & a gravi hoc schismate sana. *Amen.* Benedictus sit Dominus.

[Preces has renovavi pro Synodo Nat. & nobis omnibus 12. Aug. 1639. Benedictus sit Dominus. Amen.]

§. 184. Οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα. *Preces salutares audita concione super Luc. 1. 37.*

Die 19. Julii 1638. audivi *D. Alexandrum Ross* Aberdoniæ concionantem super hæc verba Angeli Gabrielis ad beatam Virginem: *Apud Deum non erit ullum verbum impossibile. Luc.* 1. 37. Unde conclusit, Deum omnipotentem a nobis esse timendum, atque in eo sperandum. Hinc ansam sumpsit auditores de motibus præsentaneis alloquendi, nos hortando Deum timere, in Deo sperare, ac hominum potentia & minis non terreri in diffidentiam Dei, vel aliquam ejus offensionem. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Nos etiam hortatus est, recitando dictum Prophetæ Elisæi adversus servum suum: Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis, nempe, exercitus ille cœlestis equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi. (2 *Reg.* 6. 16, 17.) Angeli sancti, Dei jussu, circa nos semper vigilant, ut adversus omnes hostes nos servent & protegant, & cum Deo placet vitæ huic corporeæ finem ponere, parati sunt Angeli sancti animas nostras in gaudium Domini nostri introducere. In horum auditione eximiam percepi consolationem. Simul in mentem venit historia occursus Angelorum Dei Jacobo apud Mahanaim, quæ me plurimum consolata est; (*Gen.* 32. 1, 2.) nec secus liberationes Jacobi a Labano, ab Esavo, post ejus luctam cum Deo. (*Gen.* 32. & 33.) Quæ autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Benedictus sit Dominus Deus noster, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, misericordiarum Pater, & omnis consolationis Deus, qui in omni nostra afflictione nos consolatur; ut possimus in quavis afflictione positos consolari, ea ipsa consolatione qua nosmet consolatur Deus. (2 *Cor.* 1.) Et nonnunquam sinit nos præter modum ac supra vires, gravari, ut in nobis ipsis non confidamus, sed in Deo suscitante mortuos; qui nos eripuit, & eripit, & semper eripiet ab omnibus nostris afflictionibus. Appropinquasti in die, quando invocavi te: dixisti: ne timeas. Judicasti Domine causam animæ meæ: vitam meam redemisti. (*Lam.* 3. 57, 58.) Domino Deo vitæ nostræ omnis laus & gloria, Deo misericordiæ, Deo salutis nostræ, in Jesu Christo Domino nostro. *Amen. Hallelujah.* Fiat cor meum immaculatum in statutis tuis, ut non confundar. *Amen.* Domine, *Amen. Hallelujah.* Si fratres nobis oppositi veritatem tenent, in eadem Domine eos secunda, si in errore sint, ab eo Domine nos averte, eosque frustrare. Ubi nos veritatem tenemus, Domine secunda nos. Tuam age causam, & humilibus tuis servis in adhærendo huic fave. Eloquia oris mei, & meditatio cordis mei complaceant in conspectu tuo semper, Domine, fortitudo mea & redemptor meus. Benedictus sit Dominus. Benedic anima mea Domino. Benedictus sit Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ. Dominus adjutor meus, & protector meus, in ipso speravit cor meum, & adjutus sum. Idcirco cor meum exultat, & cantico meo confitebor ei. Dominus fortitudo eis, & fortitudo salutum uncti sui est. Salvum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: pasce eos, & extolle illos usque in æternum. Domine da pacem populo tuo. Dominus virtutem populo suo dabit. Dominus benedicet populo suo in pace. Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam Dominus magna faciet. (*Joel.* 2. 21.) Benedictus sit Dominus. Cur dejecta es anima mea? Ecce Deus est adjutor meus. Beatus est is cujus in auxilio est Deus Jacobi, cujus spes est in Domino Deo suo. (*Ps.* 46. 6.) Adjutor meus & spes mea. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ. (*Ps.* 97.) Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Tunc humi procubui coram Domino, vilitatem & vitiositatem meam agnoscens, cum sim cinis ac pulvis ac vitiosus. Et locutus est mihi Dominus pacem. Benedictus sit Dominus. In Domino exultat cor meum, in Domino exaltatur cornu meum, dilatatum est os meum in inimicos meos, quia lætatus sum in salutari tuo. Non est sanctus ut est Dominus: nec enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. (1 *Sam.* 2. 1.) Dominus Deus meus illuminabit tenebras meas. Vivit Dominus, & benedictus sit fortis meus, & exaltetur Deus salutis meæ. (*Ps.* 18. 47.) *Hallelujah. Amen & Amen.*

[Preces has renovavi cum magna consolatione

ne 12. Aug. 1639. Benedictus sit Dominus in æternam, Amen. Et rursus 28. Maji 1640. Hallelujah. Amen. Et rursus 23. Maji 1646. Benedictus sit Deus in æternum. Amen & Amen.]

§. 185. *Liberatio.* *Die* 28. *Novembris* 1638. mane, meditabar de variis, miris ac gravibus ærumnis, timoribus ac luctis, quibus post proxime scripta in hoc libro, exercitatus & circumdatus fueram; deque summa Dei mei misericordia, me, in maximis meis angoribus, sustinentis ac consolantis, meque facientis ei appropinquare, tum per submissam confessionem meæ stultitiæ, superbiæ, aliorum contemptus, impatientiæ, arrogantiæ, temeritatis, iræ humanæ, vanæ gloriæ, aversionis ab oratione & aliis cultus divini officiis, injustitiæ, inhumanitatis, invidiæ, cogitationum terrestrium, timoris suspicacis, oculi malitiæ, impietatis, erga parentes & alios inobservantiæ, offensionis, injuriæ, ingratitudinis, immitis ingenii, ac plurimorum aliorum peccatorum & iniquitatum atrocium, tum per tristitiam quæ est secundum Deum, & veram ab iis resipiscentiam; dein per repetitas & fervidas ad Deum meum cum gemitibus & lacrymis orationes, ut consequar & misericordiam & gratiam ad opportunum auxilium, directionem & tutelam adversus omnes impetus & pericula, ab iisque omnibus promtam liberationem, per vota demum gratitudinis & laudis ad salutis meæ Deum, perque veram ab omnibus meis peccatis ad eum conversionem. Meditabar etiam de suavissimis ac validis consolationibus ac liberationibus, quibus Deus testatus erat, se misericorditer mihi propitium esse, ac orationes meas cum gratiarum actione concludere fecerat, & cum gaudio ejusque pace, cor ac animum meum in Christo Jesu servante. Perpendebam itidem nuperarum afflictionum amaritudinem ac multitudinem, ac miras liberationes a Deo mihi præstitas; meque adhuc variis ærumnis circumdatum esse, bona Patris mei cœlestis providentia, super me, conjugem, filiam, bona, famam, & amicos. Tum in memoriam revocabam quam terrifice intentatus, exprobratus & perturbatus fueram, tam a popularibus meis nuperi fœderis subsignatoribus, vitam, bona & famam una abripere, ac ignominiosæ oblivioni tradere minantibus; quam a barbaris Monticolis, qui unum e clientibus meis, mihi etiam cognatum, captivum duxerant, eumque occidere interminati erant, nisi cito magna pecuniæ summa redimeretur. Tum duo hæc ægritudinum genera eodem tempore me invaserunt. Cognati mei obstupuerunt super ærumnis meis, familiares se absconderunt, ac noti mei quasi alieni recesserunt a me, imo quidam eorum sannis suis & exprobrationibus, & fastidioso mœroris mei neglectu, tribulationes meas adauxerunt, nonnulli etiam vitiorum quorum reus non fui, inique accusarunt. Uxor mea in ægritudinem delapsa & abortum passa est. Filia apostematis & ulceribus sordidis correpta fuit & est, vixque baculo innitens ambulare potest; ac a quibusdam Fœderatorum, præsertim a Ministris, minis adhuc impetitus sum, ac pauci vel nulli sunt, quibus vita & tranquillitas mea serio curæ esse videatur. Cognatus etiam meus Patricius Forbes Duncani Forbes de Camphill filius, in molestias interim incidit, ejusque vita impetitur. Reperio etiam res familiares in deteriori statu esse ex inevitabili æris alieni augmento. Inter has angustias, Regia Majestas, ejusque Prorex Marchio de Hamilton, ac D. Walterus Balcanquel Decanus Roffensis, me ac reverendos Collegas multum hortati sunt, quæstiones nostras, replicationes ac duplicationes ad Ministros quosdam Fœderatos scriptas & in lucem editas, literis suis approbantes. Nulla tamen facta est mentio istius moniti, quod rogatu Marchionis Huntlæi scripsi, & propter quod populares mei e Fœderatis tot mala mihi interminati sunt. Jam cogitans me non decere de verbis contendere quibus offendebantur, quæque pro contumeliosis in se habebant, licet meum propositum semper fuisset eos amice monere; monitum istud, omnibus verbis duris expunctis, & venia petita pro omni quod in eo peccatum sit, fratrum quorundam consilio prælo dare statui, ut sic Christianam & pacificam indolem manifestarem. Ex eo aliquantulum placari videntur. Verum quidam ex iis minari pergunt, ut humanis terroribus me cogant, ipsorum rationes approbare & sequi, quod conscientia revera prohibet. Dominus Marchio Huntlæus, authoritate sua apud Monticolas, cognati mei liberationem sine pretio mihi consequutus est; verum idem cognatus brevi post, novam mihi & gravem creavit molestiam, e qua nunc etiam me Deus eruit. Restant adhuc quorundam Fœderatorum minæ, ac quædam scripta conviciis plena, quibus me lacessunt & intentant, sermones etiam populi quibus fui in parabolam, & quasi lampas contempta apud cogitationes eorum qui in otio vivunt. (*Job.* 12. 4.) Ad hæc quorundam amicorum contumacia, aliorumque afflictorum fabulationes mœrorem augent; qui vehementius ingravescit, ex uxoris & filiæ ægritudine, ex oppositis agris pignori ob nimiam æris alieni vim, oblatisque aliis incommodis me a studiorum cursu in sacro munere detinentibus. Verum in primis perculsus fui, iram Dei reformidans, cum spirituales meas corruptiones, ac vetera & recentia peccata cogitarem. De his omnibus 28. *Novembris* 1638. mane meditans, statui me totum conferre ad Dominum Deum meum eo die obsecrandum, precibus, jejuniis & seria resipiscentia. Quod feci, obsecrans Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, Deum misericordiæ meæ, qui in mundum venit ad peccatores salvandos, & omnes qui laborant & onerati sunt ad se invitat, animabus nostris requiem promittens; nosque jubet quærere, ea lege ac omine, ut unusquisque quærens accipiat; ac cum gemitibus & lacrymis orans, ut omnia mea peccata præterita ac præsentia dimitteret ac oblivisceretur, omnes offensiones inde natas auferret, & omnibus quibuscunque incommodis mederetur. Et sicut avertit Syros a Josaphat, (2 *Chron.* 18. 31.) Angelumque mittens, conclusit ora leonum, ne Danieli nocerent; (*Dan.* 6. 22.) sic ut in multitudine misericordiæ suæ faciat ut cives mei me perturbare desinant, occludatque ora illorum omnium qui me devorare quærunt. Nam quæ olim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Petii etiam novum, mundum, fidele cor, ac spiritum rectum; utque me in posterum mihimet Deus non permittat, sed sancto suo spiritu in me habitante regat omnes meas cogitationes, verba, facta, omnem meam conversationem & mores, affectus, motus; meque mitem & humilem corde, Salvatori meo similem reddat, ut non ego amplius, sed Christus in me vivat, neque secundum carnem, sed spiritu ambulem, virtutes Dei mei prædicans, qui me vocavit e tenebris in admirabilem suam lucem, qui, cum dives sit misericordia, & caritate erga

Peccatorum Confessio. *Pœnitentia.* *Consolatio.* *Liberatio.* *Humiles ad Deum supplicationes.*

erga nos in Jesu Christo exundans, nos una vivificavit cum Christo, ae per eum nos liberavit a servitute Satanæ, a vita hujus mundi, a morte in peccatis, ab iræ statu, nosque suscitavit, unaque collocavit in cœlis in Christo Jesu, gratia nos servans per fidem in eum. Dignaretur me liberare ab omnibus istis peccatis, corruptionibus, & ærumnis, atque lucem meam ita splendere faceret coram hominibus, ut videant bona mea opera, & glorificent Patrem meum qui est in cœlis. Misereretur uxoris meæ, liberorum ac omnium popularium. Jam super Synodum Nationalem Glascuæ nunc conveptam copiose effundat sanctum suum Spiritum sapientiæ & revelationis, scientiæ & timoris Domini, veritatis & pacis, caritatis & sanctæ prudentiæ, mansuetudinis & Christianæ misericordiæ, omniumque gratiarum quibus iis opus est, deique ei propter Jesum Christum, faustum & salutarem exitum, in magni & gloriosi sui nominis decus, tum Ecclesiæ suæ hic & alibi, pacem & ædificationem, omniumque nostrum in hac regione consolationem præsentem ac sempiternam. Da, Domine, ut unumquemque existimem mihi antecellere, ac misericordia tua sit mea consolatio. Benedicas, Domine, Regi nostro, & fac illum magis & magis quotidie benedictionem a te Deo nostro populo tuo datam. Miserere Reginæ nostræ, illumina, sanctifica & benedic. Ignosce nostrum illius neglectum, omniaque nostra peccata. Excita mentes servorum tuorum, ut cor Regis suscitent ad eam informandam, ejusque cor aperi, quemadmodum Lydiæ, ut ad te Dominum Deum nostrum vere convertatur. Benedic ubertim Juventutis Principi Carolo, omnique regiæ stirpi. Benedicas etiam Dominæ Elisabethæ ejusque liberis. Dimitte, Domine, Regi nostro omnia ipsius peccata, ab omnibus ærumnis ereptum undique consolare, ut pupillam oculi tui serva, populum ejus in te Deo nostro ei subjice, ac tibi Deo nostro ipsius cor. Da ei cor sapiens & intelligens ad egressum & introitum coram populo tuo, da illi, ejusque Proregi, & Consiliariis, & omnibus ac unicuique nostrum sapientiam & gratiam, ut ea quæ in conspectu tuo recta sunt faciamus. Adsint ei sapientes, pii, ac fideles Senatores. Sis tu ei consiliarius, dux, patronus & defensor. Mihi, collegis meis, omnibusque servis tuis, in tuæ veritatis studio, professione, prædicatione & praxi, benigne & potenter adsis. Spe excidant qui adversus veritatem tuam occupati sunt, ac redeant in viam omnes tui filii errantes. Me omnesque tuos afflictos consolare. Auditui nostro da gaudium & lætitiam, ut exultent ossa humiliata. Ne projicias me a facie tua; & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui: & Spiritu voluntario confirma me. Tunc docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam. (*Ps.* 51. 10-16.) Ego cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane misericordiam tuam: Quia factus es susceptor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ. Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea. (*Ps.* 59. 17, 18.) Tunc convertentur inimici mei retrorsum, in quacunque die invocavero te: ecce cognovi quoniam Deus meus es. In Deo laudabo verbum; in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo. In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium. (*Ps.* 56. 10-13.) Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula: protegar in velamento alarum tuarum. Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam. Misericordiam & veritatem præpara, quæ me conservent. Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi: ut reddam vota mea de die in diem. (*Ps.* 61. 5-9.) Exultabo & lætabor in misericordia tua. Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam. Ego autem ad Deum clamabo; & Dominus salvabit me. Vespere, & mane & meridie orabo, & annuntiabo: & exaudiet vocem meam. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi: quoniam multi erant mecum. —— Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo. (*Psal.* 55. 19, & 23.) Lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt: & habitabis in eis. Glorientur in te omnes qui diligunt nomen tuum: quoniam tu Domine, benedices justo. Ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronabis eum. (*Ps.* 5. 12, 13.) Confitebor Domino nimis in ore meo; & in medio multorum laudabo eum. Quia astabit a dexteris pauperis, ut salvam faciat a persequentibus animam meam. (*Psal.* 109. 30, 31.) Domine, si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me. Ecce in pace amaritudo mea amarissima: tu autem eruisti animam meam ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam. (*Isa.* 38. 16, 17, 18, 20.) Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi a Deo. ——— Qui de tantis periculis nos eripuit & eruit: in quem speramus quoniam & adhuc eripiet. (2 *Cor.* 1. 3, 4, 10.) Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, (*Marc.* 9. 23.) & in Deo confirma cor meum, ut ab auditione mala non timeam. (*Ps.* 112. 7, 8.) Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. (*Psal.* 110. 1.) Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuisti animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Placebo Domino in regione vivorum. Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum valde. Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam; & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem. (*Psal.* 116. 7-19.) Laudate Dominum. Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum.

Orationem hanc renovavi pro Synodo Nationali Edinburgi habita 12. Aug. 1639. & consolatus fui.

Læta gratiarum actio Deo.

num. Hallelujah. (*Psal.* 117.) Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: & dicetis in die illa: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit; annuntiate hoc in universa terra. Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël. (*Isa.* 12.)

§. 186. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti & lætentur. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen ejus in idipsum. Exquisivi Dominum, & exaudivit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum: & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo. Timete Dominum omnes Sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum. Divites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo: & labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Oculi Domini super justos: & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini adversus facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum. Clamarunt justi, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu salvabit. Multæ tribulationes justorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur. Mors peccatorum pessima: & qui oderunt justum, delinquent. Redimet Dominus animas servorum suorum: & non delinquent omnes qui sperant in Deo. (*Ps.* 34.) In te Domine speramus, succurre diffidentiæ nostræ. Benedictio & honor, & gloria & potestas sedenti in throno & Agno in secula seculorum. (*Apoc.* 4. & 11.) Cum angustiaretur in me anima mea, Dominum recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum. Qui custodiunt vanitates mendaces, misericordiam suam derelinquunt. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcunque vovi, reddam. Salus a Domino. (*Jona* 2. 8, 9, 10.) Cor meum dereliquit me, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. (*Ps.* 143. 4.) Deus fortitudo cordis mei & pars mea in æternum. (*Ps.* 73. 26) Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori. (*Ps.* 6. 12, 13.) Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis. (*Isa.* 26. 12.) Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. —— Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo, Deo nostro, in secula seculorum. Amen. (*Apoc.* 7. 10, 12.) Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Sanctæ Trinitati individuæ, soli vero Deo, supra omnem benedictionem & laudem ab æterno in æternum exaltato. Amen. *Hallelujah. Amen & Amen.*

Ignosce Domine peccata linguæ & omnia mea peccata propter Jesum Christum.

Cum cor deficit, Deus nos sustines.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum eo omnia nobis donabit? (*Rom.* 8. 31, 32.) Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob. (*Psal.* 46. 8.) Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. (*Isa.* 6. 7.) Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi. Invenisti enim gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine. (*Exod.* 33. 14, 17.) Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. (*Luc.* 10. 20.) Et nunc hæc dicit Dominus, creans te Jacob, & formans te Israël: Noli timere, quia redemi te; meus es tu. Cum transieris aquas, ego tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israël, Salvator tuus. (*Isa.* 43. 1, 2, 3.) Noli timere vir desideriorum, pax tibi, confortare, & esto robustus. (*Dan.* 10. 19.) Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. (*Ps.* 27. 1, & 19.) Non te deseram, neque derelinquam. —— Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. (*Heb.* 13. 5. 6.) Signatum sit super nos lumen vultus tui, Domine. Dedisti lætitiam in corde meo, magis quam cum frumentum & vinum iis multiplicata sunt. In pace in idipsum dormiam, & requiescam; quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. (*Ps.* 4. 7, 8, 9.) Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni opere bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se, per Jesum Christum: cui sit gloria in secula seculorum. Amen. (*Heb.* 13. 20.)

In Jerusalem montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in seculum. (*Ps.* 125. 2.) Benedictus sit Dominus. Amen.

Die 13. *Decembris* 1638. die dominico, rogatus concionatus sum Neo-Aberdoniæ super Joh. 6. 26, 27. [Respondit eis Jesus & dixit: *Amen, Amen, dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed cibum illum qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis; hunc enim Pater signavit, Deus.*] Hunc textum selegi propter sacram communionem, quam eo die celebravimus cum magna consolatione. Deo sit laus propter hoc & omnes ipsius misericordias. §. 187.

Joh. 6. 26, 27. Concio.

Communio consolationis plena. Benedictus sit Deus. Amen.

In his duobus versibus datur primo objurgatio per modum admonitionis *v.* 26. ac postea directio *v.* 27. Utriusque author est Dominus noster Jesus Christus, quem jubemur audire. *Matt.* 17. 5. Oves ejus vocem ejus audiunt, & sequuntur eum. *Joh.* 10. 27. *Respondit eis*] Erga hypocritas istos adeo benignus est, hæc ejus benignitas adhuc magis apparet mansueta ratione & suavi materia responsionis suæ.

Amen, Amen,] Sic ad nobis persuadendum se demittit, licet sit veritas ipsa, verus Deus, qui mentiri nequit. Vid. *Hebr.* 6. 18. *Dico*] Major authoritas, quam si omnes homines & Angeli dixerint.

Quaeritis me, &c.] Laetetur cor quaerentium Dominum. Quaerite Dominum & confirmamini; quaerite ejus faciem semper. *Ps.* 105. 3, 4. Verum, eheu, quam inordinatum est, eum quaerere propter humanos solum respectus, dum nostram Religionis professionem ad cupiditates nostras carnales referimus, ut iis inserviat.! A
Ps. 34. Deo quidem omnia bona exspectanda sunt. Pie-
1 Tim. 4. 8. tas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est, & futurae. Verum nil mundanum aut temporale primas tenere debet inter motiva nostrae professionis aut conversationis; ut patet ex directione quae sequitur.

Operamini non cibum qui perit, sed cibum illum &c.] In hac directione habetur. 1. mandatum, *Operamini, non cibum qui perit, sed &c.* 2. promissum; *quem Filius hominis dabit vobis.* 3. promissi hujus auctoritatem, *hunc enim Pater signavit, Deus.*

Mandatum continet actionem injunctam, *Operamini*, ἐργάζεσθε, & descriptionem illius quod operandum est, tum negative, *non cibum qui perit*, tum affirmative, *sed cibum illum qui permanet in vitam aeternam.*

Epiphanius haeres. 80. & Theophylact. in Commentario suo super hunc locum Evangelii, scri-
Massaliani. bunt quosdam olim fuisse haereticos Massalianos vel Euchitas appellatos, qui omnem laborem respuebant, in otio degentes, cum specie quadam orationum & meditationum spiritualium, cum luxuriosa valde & infami vita junctaram; & in patrocinium hujus inordinatae in otio vivendi rationis, hoc sacrae Scripturae textu abusi sunt: [*Operamini non cibum qui perit, &c.*] Quem cum aliis locis Epiphanius in haereseos hujus confutatione, & Chrysostomus & Theophylactus in suis in hunc locum commentariis, a perversa hac interpretatione plane vindicant. Sedulitas licita distinguenda est ab illicita cura, & animi applicatione ad res quae pereunt. Haec sola hic prohibetur; illa non prohibetur, verum in sacra Scriptura mandatur & laudatur. *Prov.* 6. 6. & 10. 5. & 12. 11. & 31. 27. 2 *Thess.* 3. 10, 11, 12. Una ex iniquitatibus Sodomae fuit otium. *Ezech.* 16. 49. Piger otio suo contra mandatum Dei peccat, & sibi & proximo nocet. Sibi nocet in re sua temporali. Per agrum hominis pigri transivi &c. *Prov.* 24. 30. &c. Sibi etiam nocet in re spirituali, licet abundantiam panis habeat; nam otio facilis fit praeda tentatori, sicut fuere Sodomitae, ac illi similis evadit, quem impurus spiritus invenit vacantem, versum & ornatum. *Matth.* 12. 44. *Facito aliquid operis, ut te semper Diabolus inveniat occupatum. Hieron. Epist.* 4. *ad Rusticum Monachum, quae incipit; Nihil Christiano felicius.* Piger etiam proximo duobus modis nocet. Vel enim proximo est oneri, (2 *Thess.* 3.) vel otio suo minus capax fit aliis in eorum necessitatibus opem ferre. Vid. *Eph.* 4. 28. *Act.* 20. 35.

Non igitur hic prohibetur honesta sedulitas circa τὰ βιωτικὰ, sed 1. ut res caducas non amemus; 1 *Joh.* 2. 15. anxiam earum curam seu sollicitudinem non habeamus; *Matth.* 6. 25. &c. non graventur corda nostra μερίμναις βιωτικαῖς, *Luc.* 21. 34. &c. ut non serviamus Mammonae; *Matth.* 6. 24. ne ventri nostro serviamus; *Rom.* 16. 18. ne nobis Deus venter sit, & gloria seu summum bonum; ne terrena sapiamus; *Philip.* 3. 19. 3. ne fiduciam ponamus in rebus fluxis, sicut dives ille, qui animae suae multos laetos annos pollicebatur, *Luc.* 12. 19. Vid. *Job.* 31. 24, 25. *Prov.* 11. 28. *Marc.* 10. 24. Vid. *Chrysost. in Evang. Joh.* 6. 27. *Homil.* 44. Haec prohibentur absolute. Comparate autem; ut terrena caelestibus non praeferamus aut aequiparemus, sed terrena & caduca omnia simum reputemus, prae excellenti cognitione Christi Jesu; & omnia odio habeamus, omnimque libenter jacturam faciamus, ut eum sequamur, eo fruamur. *Philip.* 3. 7, 8. *Luc.* 14. 26, 27, 33. Veritatem eme, & ne vendas. *Prov.* 23. 23.

Τὴν ἀπολλυμένην, *qui perit*] Quid enim prodest homini de universo labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies ejus doloribus & aerumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nonne vanitas est? *Eccl.* 2. 22, 23. Omnis labor hominis in ore ejus: sed anima ejus non implebitur. *Eccl.* 6. 7. Cibi mentionem facit, quoniam loquutus erat de panibus quos comederant, sed ratio addita omnia caduca respicit: *Operamini, non cibum qui perit:* Quare? quia perit. Intelligendum est itaque de omnibus quae pereunt, ut ea non operemur; sicut alibi etiam S. Scriptura plane pronuntiat: Noli laborare ut diteris; sed prudentiae tuae pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient sibi pennas, quasi aquilae, & volabunt in coelum. *Prov.* 23. 4, 5. Mundus transibit, & concupiscentia ejus, qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum. 1 *Joh.* 2. 17.

Cibus corporalis perit 1. dum utimur ipse perit, ut mutatione ejus nutriamur. 2. hic effectus, ejusque vis & efficacia ad exiguum valde tempus durat; nam cito rursus esurimus, & sitimus. *Joh.* 4. 13. 3. facile a nobis eripi potest, furto, latrocinio, corruptione, igne, luxu, &c. Ne thesauros recondite in terra, ubi tinea & aerugo corrumpit; & ubi fures perfodiunt ac furantur. *Matth.* 6. 19. 4. hujus cibi & thesauri omnis usus & fructus nobis perit, cum ab iis morte abripimur. (*Luc.* 12. 20.) Neque possumus haec omnia nos a morte tueri, sed oportet nos ingredi viam universae carnis. (*Ps.* 49. *Job.* 6. 49.) τῶν δ' τέλος ἔχει, οὐ σφόδρα περισπουδαστον. Chrys. Hom. 44. in Evang. Joh. sub finem.

Sed cibum illum qui permanet in vitam aeternam] Illum operamini cibum, labor enim qui prohibetur pro cibo perituro, mandatur pro cibo qui permanet in vitam aeternam, 1. ut hunc cibum sapiamus, *Col.* 3. 2. 2. ut eum omnibus praeferamus, sicut emptor pretiosae istius margaritae, & emptor agri cum thesauro, *Matth.* 13. 3. ut labor pro coelesti hoc cibo sit nostrum ἔργον, diligentia nostra circa alterum solum πάρεργον.

Cibum illum, τὴν βρῶσιν] Hic duo videmus ciborum genera, unum fluxum, alterum permanens. Sic datur etiam vita altera, cujus major cura quam vitae hujus corporeae & caducae habenda, ubi pascimur epulis illis sapientiae *Prov.* 9. convivio nuptiali magni regis. *Matth.* 22. *Luc.* 14. Panis ille permanens in vitam aeternam est Christus, ut ipse plane ostendit in hoc *cap.* 6. Evangelii secundum Johannem. Hic est vere cibus. *v.* 55.

Quem Filius hominis dabit vobis] Dixit eis Jesus: Ego sum panis ille vitae: qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam. Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me, nequaquam ejecerim foras &c. *Joh.* 6. 35, 37. Ego sum via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem nisi per me. *Joh.* 14. 6. Nec est in alio quoquam salus; nec enim aliud nomen est sub coelo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari. *Act.* 4. 12.

Hunc

Hunc enim Pater signavit, Deus] Præcognitus quidem ante jacta mundi fundamenta, manifestus autem factus ultimis temporibus propter nos. 1 *Pet.* 1. 20. Unxit eum Deus Spiritu Sancto & potentia. *Matth.* 3. *Actor.* 10. 38. Unxit eum oleo exultationis ultra consortes ejus. *Heb.* 1. 9. In eo Deus sibi bene complacuit. *Matth.* 3. & 17. 5. Hic est ille Angelus habens signum Dei vivi, *Apoc.* 7. 2. qui nos signat Spiritu promissionis sancto. *Eph.* 1. 13. 2 *Cor.* 1. 21, 22. Si testimonium hominum accipimus; testimonium Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei, quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se; qui non credit Filio, mendacem facit eum; quia non credis in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium; quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium Dei, vitam non habet. 1 *Joh.* 5. 9, 10, 11, 12.

Operemur itaque cibum hunc permanentem, vi, & omnium caducorum derelictione, ut hoc unum necessarium assequamur; & labor noster non erit inanis in Domino. 1 *Cor.* 15. 58. Propter quod non deficimus; sed licet is qui foris est noster homo corrumpitur; tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. 2 *Cor.* 4. 16, 17, 18. Id in nobis operetur Deus & velle & perficere, pro bona voluntate, in Jesu Christo Domino nostro, cui cum Patre & Spiritu sancto, Trinitati sanctæ individuæ, sit omnis gloria in æternum. *Amen.*

ANNO M DC XXXIX.

§. 188. *Anno Domini* 1639. plurimas intus & extus passus sum afflictiones; verum Dominus me sustinuit, mihique tutelam, consolationem ac requiem dedit. Benedictum sit sanctum ejus nomen in secula seculorum, *Amen.*

Moritur filia Elisabetha. *Die* 7. *Martii*, filia mea Elisabetha mortua est, & ad meliorem vitam sublata. Manifesta enim gratiosæ operationis & validæ consolationis divinæ cum ea præsentia, hujus certitudinem nobis præstabat. Benedictus sit Dominus in secula seculorum. *Amen.* Detque Dominus nobis gratiam rite utendi hac & omnibus paternis ejus visitationibus, in vera ab omni iniquitate nostri conversione ad Dominum Deum nostrum. Ei sit gloria in æternum. *Amen.*

§. 189. *Copiæ meridionales Aberdoniam venerunt.* Cum pro certo nuntiatum esset Meridionales Scotiæ copias Aberdoniam adventare, ad rus *de Corse* die 25. Martii recessi; & Palæo-Aberdoniam 5. Aprilis vesperi reversus sum, ubi certior factus de duris & minacibus Fœderatorum methodis, quibus alios ad ineundam secum societatem adigebant, deque citatione scripta adversus me data, eadem nocte versus Buchaniam profectus sum, ubi commoratus sum, donec Meridionales copiæ Aberdoniâ meridiem versus regressæ sunt, ac 16. Aprilis Aberdoniam redii, & audito Synodum Diœcesanam Neo-Aberdoniæ conventam esse, eam adii. Postea 21. Aprilis, die Dominico, Palæo-Aberdoniæ concionatus sum super hæc Salvatoris nostri verba: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11. 28, 29, 30. Non diu post die Dominico Neo-Aberdoniæ concionatus sum super hæc verba Davidis: *Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliasti me. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.* Psal. 119. Jod. vs. 75, 76. Habui interim in Academia hebdomadatim bis, consuetas prælectiones Theologicas. Et cum tranquillitatem sperabam, ecce nova citatio realis mihi data, qua jussus sum comparere 15. Maji in Academia Palæo-Aberdonensi coram consessu Delegatorum Synodi proximæ Nationalis sub pœna censuræ Ecclesiasticæ, si non irem; cum Regia Majestas publico edicto, sub pœna reatus læsæ Majestatis, omnes subditos prohibuisset, agnoscere Delegatos Synodi Glascuæ habitæ. In his angustiis precatus sum Dominum me dirigere, ac mihi felicem dare exitum. Conflictus inter Fœderatos eorumque adversarios, qui fuit prope pagum *de Turreffe*, (ubi eorum adversarii vicerunt) huic Delegatorum consessui impedimento fuit quominus convenirent. Et Baronibus Antifœderatis Aberdoniam advenientibus, ac pastoribus urbis absentibus, rogatu præfectorum urbis, populo concionatus sum 21. Maji, die Martis Neo-Aberdoniæ, super hæc verba Apostoli: [*Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est.*] Philip. 4, 4, 5. *Perpetuum in Domino gaudium. Phil. 4. 4, 5. Concio habita super Phil. 4. 4, 5.* Hunc locum selegi ad meum & afflictorum auditorum cor erigendum, ut in Domino semper gauderemus, & hoc etiam nobis non parvum est ingentis gaudii argumentum, quod Spiritus sanctus tantopere studeat & curet ut semper gaudeamus, ut ad id hortetur nos semel atque iterum; seque offerat pro objecto nostri gaudii, jubens nos gaudere in Domino, nos monens de natura & solida constantiâ illius gaudii, quod sanctum est & cœleste, gloriosum & plenum, est enim in Domino; tum stabile & perpetuum, *semper gaudete.* (1 *Thess.* 5. 16.) Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. *Joh.* 15. 11. Gaudebit cor vestrum; & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. *Joh.* 16. 22. Nemo enim potest Deum a nobis rapere, in quo gaudemus. Si in ulla creatura gaudemus, gaudium nostrum a nobis auferri potest; sed si in Domino gaudeamus, gaudium nostrum nemo tollet a nobis, ipse est lætitia exultationis nostræ. *Ps.* 43. 4. Hoc, pars est regni ejus in cordibus nostris, quod non est esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto, *Rom.* 14. 17. & per hoc gaudium regni Dei in statu gratiæ ambulamus & deducimur ad regnum illud cœleste in statu gloriæ, quod vocatur gaudium Domini nostri. *Intra in gaudium Domini tui. Matth.* 25. 21.

Dico] Ego Paulus, per Spiritum sanctum, vel: Ego Deus tuus, summum tuum gaudium, Pauli servi mei ministerio hoc tibi dico. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Matth.* 4. 4. Cœlum & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. *Matth.* 24. 35. Cum Deus jubet nos gaudere, tunc revera gaudere licet, nam certe ibi verum est gaudii argumentum. Verbum ejus nos consolatur in humilitate nostra; eloquium ejus vivificat nos. *Ps.* 119. 50. Verbum Domini non solum hortatorium est, sed & verbum potens & efficax. Dixitque Deus, *Fiat lux, & facta est lux. Gen.* 1. 3. *Ipse dixit & facta sunt:* §. 190. *Deus jubens nos gaudere operatur in nobis quod præcipit.*

 ipse

ipse mandavit, & creata sunt. Psal. 33. 9. Dixit leproso; *Volo: mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. Matth.* 8. 3. Dixit paralytico; *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Matth.* 9. 6, 7. Dixit puellæ filiæ Jairi, *Talitha cumi, quod est interpretatum, puella,* (*dico tibi*) *surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat.* Marc. 5. 41, 42. *Et Naim, dixit, adolescens, dico tibi, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui; & dedit illum matri suæ.* Luc. 7. 14, 15. Voce magna clamavit; *Lazare, veni foras.* Et statim prodiit qui fuerat mortuus. *Joh.* 11. 43, 44. Eadem est vis in ejus verbo per Apostolos in ejus nomine pronuntiato. Petrus dixit claudo: *In nomine Christi Nazareni, surge & ambula.* Et apprehensa manu ejus dextra, allevavit eum; & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat. *Act.* 3. 6, 7. Et dixit Petrus paralytico: *Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus, surge & sterne tibi.* Et continuo surrexit. *Act.* 9. 34. Tabithæ mortuæ dixit: *Tabitha, surge.* Ac illa aperuit oculos suos: & viso Petro, resedit *vers.* 40. Qui vos audit, me audit. *Luc.* 10. 16. Domine tantum dic verbo, & sanabitur servus meus. *Matth.* 8. 8. Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquam. At ipse ait, *Veni.* Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum; & ait illi: *Modicæ fidei, quare dubitasti? Matth.* 14. 28, 29, 30. Ita est etiam in nostro gaudio, cum Dominus nos jubet ac præcipit semper gaudere in Domino, defectus nostri gaudii provenit a nostra diffidentia. Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe & virtute Spiritus Sancti. *Rom.* 15. 13.

Semper] Non solum in prosperis, sed etiam in adversis. *Rom.* 5. 3.

Iterum dico, gaudete] Perdifficile est corda nostra adducere ad beatum hoc exercitium gaudendi semper in Domino. Idcirco adhortatio & animatio repetitur & duplicatur. Verum apud Deum omnia sunt possibilia. Domine, operare in nobis perpetuum hoc gaudium in te Deo nostro.

§. 191. *Modestia.* *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*] 1. Modestia præcipitur. 2. Oportet nos eam notam facere. 3. Omnibus hominibus. Modestia [*τὸ ἐπιεικὲς*] hic non solum significat eam in judicando æquitatem, quæ opponitur ei quod vocatur, summum jus, summa injuria: Sed etiam in latiori sensu comprehendit omnium nostrorum affectuum & actionum, ad piam circumspectionem regimen. Noli esse justus multum, neque plus sapias quam necesse est; ne obstupescas. Ne impie agas multum, & noli esse stultus; ne moriaris in tempore non tuo. *Eccles.* 7. 17, 18. In die bona fruere bonis, & malam diem præcave. *vers.* 14. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Psal.* 2. 11. Non contristamini, sicut cæteri qui spem non habent. 1 *Thess.* 4. 13. Sic in præliorum eventibus, victus ne nimium mœstus sit, & victor ne nimium exultet; sed illi se consolentur in Domino, in eo semper gaudentes; & hi serviant Domino in timore, & exultent cum tremore, & victoriâ modeste, non insolenter vel ferociter utantur. 2. Hæc nostra modestia debet nota esse. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Matth.* 5. 16.

Omnibus hominibus] Si erga omnes homines, quanto magis erga fratres nostros Christianos, eosque ejusdem nobiscum gentis & Religionis? Ergo dum tempus opportunum habemus, benefici simus erga omnes, maxime vero domesticos fidei. *Gal.* 6. 10. Si omnibus benefaciendum sit, multo magis oportet nos esse modestos omnibus. Cyprianus lib. de mortalitate, modestiam commendat in luctu pro mortuis, ad evitandum opprobrium inter Ethnicos, ne professio nostra Christiana ab iis blasphemetur. *Occasionem dandam non esse Gentilibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus.*

Dominus prope est] Hic magnum, proponitur gaudii & modestiæ argumentum, Dominus prope est, *ὁ Κύριος ἐγγύς*. Prope est nobis in hac vita, & prope est ultimus ejus adventus, ut omnibus nostris laboribus finem imponat. Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear. *Psal.* 16. 8. Ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet. *Ps.* 22. 11. Appropinquaverunt persequentes me iniquitate: a lege autem tua longe facti sunt. Prope es tu Domine. *Ps.* 119. 150, 151. Prope est Dominus iis qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu salvabit. *Ps.* 34. 18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate. *Ps.* 145. 18. Humilia respicit & alta a longe cognoscit. *Ps.* 138. 6. Sed & væ eis, cum recessero ab eis. *Hos.* 9. 12. Sanson fit præda hostibus suis, cum Dominus ab eo recessisset. *Judic.* 16. 20. Respondit Jesus, & dixit eis: si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Joh.* 14. 23. Spiritus Dei habitat in nobis, accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. *Rom.* 8. Corpus nostrum templum est Spiritus sancti, qui est in nobis. 1 *Cor.* 6. 19. Deus signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. 2 *Cor.* 1. 22. Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos. *Joh.* 14. 15, 16, 17, 18. Hujus rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus, in interiori homine: Christum habitare per fidem in cordibus vestris. *Eph.* 3. 14, 15, 16, 17. In hoc scimus quoniam manet in nobis, de spiritu quem dedit nobis, 1 *Joh.* 3. 24. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. 1 *Joh.* 4. 16. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, *v.* 12. Qui te custodit, non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te; Dominus protectio tua super manum dextram tuam. *Ps.* 121. Custodi me ut pupillam oculi. *Ps.* 17. 8. Docuit eum, & custodivit quasi pupillam oculi sui, *Deut.* 32. 10. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Zachar.* 2. 8. Et dixit Zion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.

§. 192. *ὁ Κύριος ἐγγύς. Dominus prope est in hac vita, & prope est ultimus ejus adventus.*

Filiorum suorum semper meminit Deus

secundum misericordiam suam.

tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper. *Isa.* 49. 14, 15, 16. Nonne duo passeres asse veneunt? & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. *Matth.* 10. 29, 30, 31. Deus noster refugium & virtus: adjutorem in tribulationibus invenimus abunde. Propterea non timebimus, etiamsi turbabitur terra, &c. *Ps.* 46. Hæc est solida & stabilis consolatio filiis Dei, quod licet permissione divina, homines nos a propriis domiciliis exterminent, amicos & proximos a nobis elongent, nos in carcerem obscurum projiciant, Deus tamen semper prope adsit nobis, nec eum a nobis disjungere queant. Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est. *Mich.* 7. 8. Fuit Dominus cum Josepho in carcere, *Gen.* 39. 21. cum tribus viris in fornace ignis ardentis, *Dan.* 3. 25. cum Jona in ventre ceti, & cum Jeremia in lacu. Nam in filiis suis habitat, & ubicunque sint, ab eo non separantur. Appropinquasti in die, quando invocavi te: dixisti, ne timeas. *Lam.* 3. 57. Nulla tribulatio vel creatura separabit nos a caritate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom.* 8. Gaudete itaque semper in Domino, & modestia vestra nota sit omnibus hominibus: prope est Dominus. Filiis suis semper prope est, ut eos conservet, consoletur, & liberet.

Tu mecum es Ps. 23.

Vid. Jac. 5. 7, 8, &c.

Prope etiam est Dominus ad mundum judicandum; omnes lacrymas ab oculis filiorum suorum abstergendas, eosque sempiterno gaudio in gloria coronandos. Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est ad fores. ὅτι ἐγγύς ἐςιν ἐπὶ θύραις. *Matth.* 24. 33. *Marc.* 13. 29. His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν. *Luc.* 21. 28. Cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei, ὅτι ἐγγύς ἐςιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, *vers.* 31. Nostra autem conversatio in cœlis est, unde etiam Salvatorem expectamus, Dominum Jesum Christum: Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem qua etiam possit subjicere sibi omnia. *Phil.* 3. 20, 21. Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: Et vobis qui tribulamini requiem nobiscum, in revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus. In flamma ignis, dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi: Qui pœnas dabunt in interitu æternas, a facie Domini, & a gloria virtutis ejus: Cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderint (quia creditum est testimonium nostrum super vos) in illo die. 2 *Thess.* 1. 6, 7, 8, 9, 10. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. *Heb.* 12. 1, 2. vid. *Tit.* 2. 11, 12, 13. *Jac.* 5. 7, 8. &c. 2 *Pet.* 3, 11, 12, 13, 14. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. *Apoc.* 22. 12. Et spiritus & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. *vers.* 17. Dicit qui testimonium perhibet istorum: Etiam, venio cito. Amen. Veni Domine Jesu. *v.* 20.

Fidelium beatitudo.

Perpendenda etiam est a nobis mortalis hujus vitæ brevitas, & sicut in morte sumus, ita inveniemur in ultimo illo judicii die. Itaque dies ille unicuique nostrum prope est. Beati mortui qui in Domino moriuntur. A modo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.* 14. 13. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2 *Cor.* 5. 1. Audentes igitur semper & scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino: (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem) Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum. Et ideo contendimus, sive absentes, sive præsentes, placere illi. 2 *Cor.* 5. 6, 7, 8, 9. In hoc respectu Dominus prope est unicuique nostrum. Quod materiam suggerit gaudii, & argumentum modestiæ iis qui credunt. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Amen. Gloria Patri, & Filio, & Spiritu Sancto, nunc & in secula, Amen.

Posthæc advenientibus copiis meridionalibus, §. 193.
rus profectus sum die Veneris, 24. *Maji*, multo mane; iisque regressis, Aberdoniam e villâ *de Corse* redii die Lunæ 10. *Junii*. Et rogatus ut antea a præfectis urbis, concionatus sum populo Neo-Aberdoniæ, die Dominico proximo, 16. *Junii*, auditore etiam Domino de Aboyne, qui vespero præcedenti inopinato redierat a *portu Lapidum* [Stonehaven]. Textus fuit etiam in *Epist. ad Philip. c.* 4. *vers.* 6, 7.

Adventus copiarum.

[*Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Jesu.*]

Concio super Phil. 4. 6, 7.

Hic sunt, 1. Præceptum negativum vel prohibitio: *Nihil solliciti sitis.* 2. Præceptum affirmativum vel positivum: *Sed in omni re, precibus cum deprecatione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* 3. Promissum omnibus qui mandato huic affirmativo obedientiam præstant: Pacem Dei in Christo Jesu accipient, quæ omnes iniquas curas ejiciet: *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiet corda vestra, & mentes vestras, in Christo Jesu.*

Sollicitudo prohibetur. Oratio jubetur. Pax promittitur. §. 194.

Contra sollicitudinem mundanam.

De nulla re sollicite estote.] Sensus est, nos minime sollicitos esse debere de re quacunque mundana, jubemur enim regnum Dei quærere & justitiam ejus, cum prohibemur solliciti esse quid esuri simus, aut quid bibituri, &c. *Matth.* 6. *Luc.* 12. Habenda est quidem licita sedulitas circa τὰ βιωτικὰ cum honestâ illâ curâ [μετὰ πρεπούσης ἐπιμελείας] quæ licita est; sed de his non præcipue vel anxie solliciti esse [μεριμνᾶν] debemus. Hic prohibetur ea sollicitudo istius seculi [ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου,] quæ suffocat semen verbi. *Matth.* 13. 22. Attendite autem vobis ne forte graventur corda vestra, in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, [μερίμναις βιωτικαῖς] & superveniat in vos repentina dies illa. *Luc.* 21. 34. Ecce multa argumenta pro sollicitudine hac evitanda, nam 1. verbum suffocat, & sine fructu efficit. 2. Ex ea corda gravantur. 3. Sollicitudines hæ impedimento sunt præparationi nostræ in diem illam, adeo ut illa dies in nos inopinata superveniat, si corda nostra his curis graventur.

Sollicitudo omnis rei terrenæ hic prohibita significat multam cogitationem de rebus terrenis & magnum erga eas affectum. Ne solliciti estote de

iis,

iis, hoc est, non insignem, multo minus præcipuum teneant locum in vestrarum cogitationum & meditationum subjecto, neque in vestrorum affectuum objecto. Affectus erga mundana consistunt vel in cupiditate ea habendi, vel in sollicitudine retinendi, vel in dolore amittendi. Cujuscunque terreni ne sitis vehementer cupidi. *Coloss.* 3. 2. 1 *Tim.* 6. 9. Ne solliciti estote ea retinere. Sollicitudines istæ assimilantur spinis; (*Matth.* 13.) cor cruciant, & infœcundum reddunt. Avaritia vocatur idololatria; facit homines manducare panem doloris. *Psal.* 127. Ne sitis multum commoti propter eorum amissionem, non enim sunt thesaurus viri pii, & ubi thesaurus ejus est, ibi est & cor ejus, in cœlo scilicet. *Matth.* 6. Non ideo movetur. *Ps.* 62. Confirmatum est cor ejus; ab auditione mala non timebit. *Ps.* 112.

§. 195. *Vid. Jer.* 9. 23.

De nulla re] De nulla re mundana, neque de mundana sapientia, & eruditione, & dotibus mentis quæ impiis cum piis communes sunt; neque de dotibus corporis, quales sunt pulchritudo, sanitas, vires; neque de iis externis quæ communiter bona fortunæ vocantur, qualia sunt divitiæ, voluptates, honores, amici, victoria, pax temporalis &c. neque de malis tribus hisce bonorum temporalium & mundanorum generibus oppositis. Modestum desiderium, & honestum studium mala hæc evitandi, & bona hæc habendi non prohibetur, sed sollicitudo de iis, [μεριμνᾷν.] Servus vocatus es? non sit tibi curæ; [μή σοι μελέτω.] sed & si potes fieri liber, magis utere [μᾶλλον χρῆσαι.] 1 *Cor.* 7. 21. Sic etiam de quocunque bono fluxo terreno, si non habes, non sit tibi curæ; si potes habere, utere potius. Sic de malis, si iis labores, ne sint tibi curæ; si potes ab iis liber fieri, utere potius. Sed de nulla harum rerum solliciti estote, beatitudo enim hominis in istis bonis minime consistit, sed in bonis magis excelsis & permanentibus, ut sunt justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, ac gloria sempiterna. Neque possunt omnia hæc mala verum Christianum miserum facere, nam a peccato & ab ira ventura liberatus est, & in omnibus istis malis terrenis ac temporariis, amplius quam victor est, per Jesum Christum qui dilexit nos. *Rom.* 8.

Dispositio de vita circa bona hujus vitæ.

§. 196. *Tranquillitatis via.*

Verum, eheu! dicetis: Magna est nostra impotentia. Quo pacto perveniemus ad hanc tranquillitatem? Habeto pacem Dei, & ea custodiet cor tuum & mentem tuam in Christo Jesu. Exsuperat equidem mentem nostram quomodo homo mortalis peccatis & miseriis quotidianis obnoxius hanc tranquillitatem habere possit, sed perpende etiam quod pax Dei exsuperet omnem intelligentiam. Beatus homo, dices, qui hanc pacem habet; sed quomodo eam assequemur nos, inter tot corruptiones & ærumnas? Apostolus vel potius Deus sancti sui Apostoli ministerio respondet, pete a Deo, & dabitur tibi.

§. 197. *Ex magna Dei misericordia est quod nos ad se vocat, & orare jubet.*

Sed omni in re precibus & deprecatione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.] O mira Dei misericordia & benignitas, qui nobis recludit rectam hanc & compendiosam viam ad thronum suæ gratiæ, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Heb.* 4. 16.

§. 198. *Omnia sunt possibilia ei qui orat in fide. Hoc enim antidotum ita omnibus morbis occurrit, ut assiduatum omnes morbos depellat &c. Augustin. Serm.* 182.

Omni in re] Nil Deo est insanabile. Propitiatur omnibus iniquitatibus nostris: sanat omnes infirmitates nostras. *Ps.* 103. 3. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Matth.* 11. 28. Sicut Salvator noster dixit de fide: Omnia possibilia sunt credenti, *Marc.* 9. 23. ita de oratione in fide, dicit: Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis. [διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, πάντα ὅσα ἂν προσευχόμενοι αἰτεῖσθε, πιστεύετε ὅτι λαμβάνετε καὶ ἔσται ὑμῖν.] *Marc.* 11. 24. Invoca me in die tribulationis; & eruam te, & honorificabis me. *Ps.* 50. 15. Petite, & dabitur vobis, &c. *Matth.* 7. 7, 8. Amen, Amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Joh.* 16. 23. Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Et scimus quia audit nos quicquid petierimus: scimus, quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. 1 *Joh.* 5. 14. 15.

Τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει, μετὰ εὐχαριστίας.

Precibus & deprecatione, cum gratiarum actione] Cupis aliquod bonum? id precibus postula. Vis ab aliquo malo liberari? id deprecare, & in omni re gratias age, hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis, 1 *Thess.* 5. 18. Non solum quando bona suscipimus de manu Dei, sed etiam quando sustinemus mala, semper debemus benedicere nomini Domini, ut fecit Job, sciens Dominum Deum nostrum esse rectum, & iniquitatem in eo non esse. *Ps.* 92. *v. ult.* Bonum mihi quia humiliasti me: ut discam justificationes tuas. *Ps.* 119. 71. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Rom.* 8. 28.

§. 199.

Petitiones vestræ innotescant apud Deum, τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν Θεόν.] Hæc est descriptio orationis latius sumptæ, prout includit non solum orationem stricte sumptam, sed etiam deprecationem. Oratio est nostrarum petitionum significatio Deo facta. 1. oportet nos habere petitiones quasdam Deo significandas. Nam si homo nullum indigentiæ suæ sensum habeat, nec adjuvari desideret, orare serio non potest. 2. petitiones nostræ significandæ sunt, oportet eas exprimi & offerri. Hic videmus necessitatem orandi. Licet enim Deus noverit omnes nostras necessitates, & etiam intimas nostras cogitationes, priusquam oramus; si tamen hujus officii negligentes simus, non eam rationem habet nostrarum indigentiarum quæ consolationi nostræ necessaria esset. Impii Deum non invocant. *Ps.* 14. Effunde iram tuam super gentes quæ non noverunt te: & super regna quæ nomen tuum non invocant. *Ps.* 79. 6. Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Rom.* 10. 13. Eritque, antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. *Isa.* 65. 24. Non habetis, propter quod non postulatis. *Jac.* 4. 2. Hoc orationis exercitium indicat humilem propriæ nostræ miseriæ confessionem, & agnitionem potentiæ & benignitatis illius, ad quem per orationem confugimus; nosque ad gratitudinem & vigilantiam in posterum excitat.

Orationis necessitas.

§. 200. *Objectum orationis est solus Deus. Quid sit oratio?*

3. *Deo, πρὸς τὸν Θεόν.*] Solus Deus est legitimum orationis religiosæ objectum. Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuntio. *Ps.* 142. Oratio religiosa est invocatio Dei, idcirco cum discipuli Christo dixerunt, Domine, doce nos orare; ait illis: Cum oratis, dicite: Pater noster qui es in cœlis &c. *Luc.* 11. 1, 2. Et in 6. *Evang. Matth.* dicit: Cum oraveris, ora Patrem tuum in abscondito. Quicunque igitur alium invocat, non orat, hoc est, non præstat religiosum illud orationis officium, quod in S. Scripturis mandatur. Neque opus est ut ad alium confugiamus, nam quicunque

que invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. *Rom.* 10. 13. Invoca me in die tribulationis, eruam te. *Pſal.* 50. Quodcunque petierimus a Patre in nomine Chriſti, dabitur nobis. *Joh.* 14. 13. 16. 23. Sicut conſideratio hujus nos adverſus idololatriam munit, ita nos certitudine obtinendi conſolatur, propter miſericordiam ac veritatem Dei, ac plenam in eo ſufficientiam. Sic etiam docet nos orare cum humilitate, timore, & reverentia & attentione, ſcientes orationem eſſe locutionem ad Deum. Docet nos etiam deſideria noſtra moderari, eaque revelatæ ipſius voluntati conformare, (ſcientes, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos,) ac nos ipſus & voluntates noſtras paternæ ipſius providentiæ ac beneplacito ſubjicere. Licet abſolute petere poſſimus ea quæ Deus a nobis requirit, ut fidem, ſpem, caritatem, manſuetudinem, patientiam, perſeverantiam, &c. & ea quæ per divinum promiſſum hiſce annexa ſunt, ut pacem cum Deo, gaudium in Spiritu ſancto, cuſtodiam a malo, & vitam æternam, & omnia quæ nobis abſolute bona eſſe revelantur; nam Dominus non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia, *Pſ.* 84. tamen quod ad alia attinet, qualia ſunt valetudo corporis, mundana proſperitas, liberatio a perſecutione, & a temporali morte corporis &c. hæc abſolute non ſunt petenda, ſed ſub conditione, vel expreſſa, vel ſubaudita, nempe, ſi Deo placeat hæc nobis dare. Salvator noſter nobis præbuit exemplum. *Pater*, inquit, *ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Matth.* 26. 39. Hæc documenta ex hac conſideratione oriuntur, quod oratio ſit, petitionum noſtrarum apud Deum notificatio. *Cap.* 8. *Luc.* in initio legimus, Jeſum parabolam dixiſſe huc ſpectantem, quod oporteret homines ſemper orare, nec ſegnes eſſe; quam continuam orationem exponit eſſe; ad Deum die & nocte vociferari: quem Scriptura vocat eum qui exaudit orationem. *Pſal.* 65. 3. Adeo ut Patres antiqui orthodoxi definiant orationem eſſe, a Deo petere, cum Deo colloqui. Qua de re vide teſtimonia S. Cypriani, Ephrem Syri, Nili, Baſilii, Gregorii Nyſſeni, Chryſoſtomi in Iſagoge noſtra de objecto religioſi cultus part. 2. Quicunque orat cum Deo colloquium habet. Πᾶς ὁ προσευχόμενος, τῷ Θεῷ διαλέγεται, dicit Chryſoſt. lib. 2. de oratione.

Oratio eſt locutio ad Deum.

Quid oratio ſit.

§. 201. *Orationis inſignis fructus.*

Deus qui nobis ſpiritum orationis dedit, cum orare non potuerimus, & gratiam ejus operantem cum eam non peteremus, potuit etiam nobis dare gratiam ipſius cooperantem & ſubſequentem, ſine noſtra oratione. Verum hanc orationis viam inſtituit propter plurima commoda ſupra memorata, quibus adde hunc inſignem orationis fructum; quod nos cum Deo familiares reddat, atque ita ſit ſanctificationis noſtræ & cordium noſtrorum ad Deum elevationis medium, quo pacto ſuper terram, cœleſtem & angelicam cum Deo converſationem incipimus; & ſicut Moyſis facies ſplendorem contraxit, ita etiam afficiuntur animæ noſtræ, ex ſalutari hoc ad Deum aditu & frequenti alloquio. 2 *Cor.* 3.

§. 202. *Pax Dei.*

Et pax Dei quæ exſuperat omnem mentem, cuſtodiet corda & mentes veſtras in Chriſto Jeſu] Res pollicita eſt pax, cum effectu ejus, qui eſt noſtrorum cordium & mentium in Jeſu Chriſto cuſtodia, ſicut præſidium cuſtodit locum aliquem. Pax hæc, eſt pax Dei. Pacem meam do vobis, non prout mundus dat, ego do vobis, *Joh.* 14. 27. Vocatur pax Dei ob tres præcipue rationes. 1. quoniam Deus hanc pacem dat, & nemo præter Deum dare poteſt, unus eſt ex fructibus Spiritus ſancti, *Gal.* 5. 22. pars eſt regni Dei in corde noſtro, *Rom.* 14. 17. pars eſt ſingularis illius benedictionis qua Dominus benedicit populo ſuo, *Num.* 6. 26. *Pſ.* 29. *v. ult.* 2. Vocatur pax Dei, quoniam ea eſt pax qua in pace cum Deo ſumus. Juſtificati ex fide, pacem habemus apud Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, *Rom.* 5. 1. Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi; non imputando eis offenſas eorum. 2 *Cor.* 5. 19. 3. pax Dei vocatur propter divinam potentiam & efficaciam, qua hæc pax in cordibus noſtris operatur effectus ſupernaturales, ultra omnem cujuſcunque creaturæ facultatem. Pacem meam do vobis, non prout mundus dat, ego do vobis. Ne turbator cor veſtrum, neque formidato. *Joh.* 14. 27. Pax hæc, vel Deus per hanc pacem quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodit cor & mentem noſtram in & per Jeſum Chriſtum. Servabis eum in pace, pace, cujus mens in te recumbit, quoniam in te ſperavit. *Iſa.* 26. 3. Ipſo concedente pacem, quis eſt qui turbabit? *Job.* 34. 29. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam: quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me, *Pſ.* 4. *v. ult.* Deus pacis erit vobiſcum. *Phil.* 4. 9. Vid. 2 *Theſſ.* 8. 16.

Quæ exſuperat omnem ſenſum] Et hominum & Angelorum, prout Auguſtinus exponit Enchir. c. 63. licet exſuperet omnem mentem, & conſequenter omnem expreſſionem humanam vel angelicam, tamen vere ſentitur, & vere cognoſcitur, licet non perfecte comprehendatur ab iis qui eam habent. Idcirco propter noſtram conſolationem aliquam ejus delineationem vel adumbrationem indagare poſſumus, ſecundum lumen in ſacris Scripturis revelatum.

Pax in ſacra Scriptura opponitur 1. inimicitiæ. *Eph.* 2. 15, 16, 17. 2. ærumnia, timori & exitio. *Job.* 14. 27. 1 *Theſſ.* 3. 3. *Iſa.* 38. 17. 3. confuſioni & perturbationi, Deus non eſt auctor confuſionis, ſed pacis. 1 *Cor.* 14. 33. Pax Dei in corde noſtro, 1. expellit inimicitiam, & nos in amicitiam cum Deo ducit, ex ejus erga nos amicitia. 2. anxietatem, timorem & exitium removet, & introducit in cor noſtrum requiem, firmam ſalutem & ſecuritatem in æternum. *Iſa.* 32. 17, 18. 3. confuſionem amovet, & in animam hominis introducit bonum ordinem. Cor & mentem noſtram cuſtodit in Chriſto Jeſu, cogitationes vanas expellit, meditationes noſtras in Deum dirigit, & in Jeſum Chriſtum quem miſit. Cor & affectus noſtros cœleſtia ſapere facit. Sic anima noſtra eſt rite ordinata.

Deſcriptionis pacis Dei partes tres.

Hæc omnia per Jeſum Chriſtum, principem pacis, *Iſa.* 9. 6. Ille eſt pax noſtra. *Eph.* 2. 14. cui cum Patre & Spiritu Sancto, ſit omnis & ſempiterna gloria. Amen.

Die Mercurii 19. *Junii*, Pons Devanus & Aberdonia expugnatæ fuere a Fœderatorum copiis Meridionalibus. Ea nocte ad villam *de Corſe* profectus ſum. Pax Aberdoniam venit, literis a Rege & Fœderatis eandem renuntiantibus, quæ literæ Aberdoniæ die Jovis 20. Junii multo mane traditæ fuere, atque ſic urbs ab imminenti ruinâ mire ſervata fuit. §. 203.

Palæo-Aberdoniam redii die *Saturni* 22. *Junii.* Solennis Deo gratiarum actio propter miram hanc liberationem Aberdoniæ celebrata fuit 30. Junii, ubi rogatus Neo-Aberdoniæ concionatus ſum ſuper *Pſ.* 94. 17, 18, 19. & rurſus 14. *Julii*, ſuper *Iſa.* 12. 1. ac die proxima Martis 16. Julii prælectiones meas Theologicas in Academia Regia pro ea æſtate abſolvi. §. 204.

v Poſt

§. 205. Post hæc *die* 4. *Aug.* celebratum fuit solenne jejunium, ad impetrandum bonum exitum Synodo Nationali & Parlamento, quo die præfectis urbis rogantibus, concionatus sum Neo-Aberdoniæ super *Ps.* 119. 132, 133. *D. Iacobus Sibbaldus* Aberdoniam ea nocte reversus est, solennitate jejunii ab eo observatâ apud *Portbethen*.

§. 206. *Die* 11. *Aug. Palæo-Aberdoniæ* audivi *Dr. Scrogie* salutariter concionantem super Joh. 14. 8. ante meridiem, & *Psal.* 143. 4. post meridiem. Textus illius antemeridianus fuit propositio Philippi Christo facta, *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Et postmeridianus, Davidis querela in oratione sua; *Et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* Utrumque valde salutariter explicavit. Post utramque hanc concionem, dum domi in museo meditabar, & ardenter orabam pro me ipso, ægra conjuge, filio, familia & amicis, & pro universa Dei Ecclesia hic & alibi, & pro omnibus afflictis, & cunctis ejus servis, novum & ingens ineffabilis consolationis augmentum sensi, per Dei gratiam & misericordiam in Christo Jesu. Illi sit omnis laus, honor & gloria in æternum, *Amen. Hallelujah.*

§. 207. *Die* 12. *Aug.* Nationalis Synodus Edinburgi convenit, ubi Comes *de Traquair* fuit Delegatus Regius, & D. David *Dickson* Synodi Præses.

Aberdoniæ 30. Junii 1639.

Ps. 94. 17, 18, 19.

Nisi Dominus auxilio fuisset mihi, brevi habitasset in silentio anima mea.

Si dicebam, motus est pes meus: misericordia tua Domine sustentavit me.

In multitudine cogitationum mearum, in intimo meo consolationes tuæ lætificarunt animam meam.

§. 208. *Concio habita super Ps. 94. 17, 18, 19.* His verbis (a Psalmista non solum suo nomine, sed Ecclesiæ etiam & populi Dei prolatis, ut patet ex hujus Psalmi versibus 5. & 14.) narrat magnum suum periculum, & magnam liberationem, qua liberatus fuit, *v.* 17, 18. & exinde omnes cogitationes suas, pro consolatione & lætitia, in hoc unicum solidum fundamentum colligit, *in multitudine &c. v.* 19.

Periculi descriptio duas habet partes, sicut & liberatio, totidem illis conformes.

Prima periculi pars fuit imminens & inevitabilis mors. [*anima mea brevi habitasset in silentio.*] Liberatio, *Dominus fuit mihi auxilio.* [*Nisi Dominus auxilio fuisset mihi, anima mea &c.*] Secunda periculi pars fuit defectus cordis & spei. [*Si dicebam, motus est pes meus,*] Liberatio ex eo, *misericordia tua Domine, sustentavit me. v.* 18.

Habitatio in silentio. Mors & exitium vitæ & animæ ipsius exprimitur per *habitationem in silentio.*] In sepulchro sileant. *Ps.* 31. 17. [taceant in inferno, Hieron.] Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in silentium יֹרְדֵי דוּמָה, qui descendunt in silentium, Hieronym. ex Hebræo. *οἱ καταβαίνοντες εἰς ᾅδου.* LXX. qui descendunt in infernum. Hieron. ex Græco LXX. Et in textu nostro, *anima mea brevi habitasset in silentio.* דוּמָה a Septuag. vertitur *τῷ ᾅδῃ*, & ab Hieronymo, in utraque versione Latina & Hebraici & Græci textus, in inferno. Augustinus in Comm. in hunc textum Psalmi; *prope rueram in illam fossam quæ paratur peccatoribus*, hoc est, paulo minus inhabitaverat in inferno anima mea; quia jam nutabat, jam prope consentiebat. Et Hieronymus in eundem textum hanc dat expositionem: Detenta fuisset anima mea apud inferos, si non tua anima de inferis resurrexisset. Theodoretus interpretatur de morte corporea. Utraque intelligenda est; nam licet ex occasione liberationis a morte temporali hæc gratiarum actio scripta fuerit, ulterius tamen extenditur, ut patet ex 12. & 13. *versibus* hujus Psalmi.

Describitur hujus mortis propinquitas, *prope* §. 209. *Mortis hujus propinquitas.*
vel *brevi* כִּמְעַט, *παρὰ βραχύ.* Hieronym. *paulo minus.* Confestim me perditura fuit. Talis fuit status populi Israëlis apud Pihahoroth, *Exod.* 14. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis. *Psal.* 18. Sic fuere Ezekia in morbo ipsius, *Isa.* 38. Jona in ventre ceti, *Jon.* 2. tres viri in fornace ignis, *Dan.* 3. Daniel in specu leonum, *Dan.* 6. Petrus in carcere & vinculis, *Actor.* 12. & super aquam, *Matth.* 14. 30, 31. & omnes discipuli, *Matth.* 9. 24, 25. *Luc.* 8. 23.

Ejus certitudo & inevitabilitas. Mortis hujus inevitabilitas fuit, quod proprio ingenio, viribus, opibus, vel quocunque alio medio a me excogitabili, eam evitare nequirem. Peribam nisi adjuvarer; & tantum fuit periculum, ut nullum repererim in homine vel quacunque creatura auxilium; ac nisi Dominus mihi auxilio fuisset, brevi periissem. Opprobrio fui omnibus inimicis meis, sed præcipue proximis, & terror familiaribus. Qui videbant me, foras fugerunt a me. *Psal.* 31. Perierat a me effugium, nec erat qui requireret animam meam. Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. *Ps.* 142. Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo. Tu autem Domine susceptor meus &c. *Ps.* 3. Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab æstu. Spiritus enim robustorum, quasi turbo impellens parietem. *Isa.* 25. 4.] Nisi quod Dominus fuit nobiscum, dicat nunc Israël: nisi quod Dominus fuit nobiscum, quum insurgerent adversum nos homines, tunc vivos deglutissent nos. Quum irasceretur furor eorum in nos, tunc aquæ inundassent nos. Torrens pertransisset super animam nostram: tunc transisset super animam nostram aqua illa superba. Benedictus Dominus, qui non dedit nos prædam dentibus eorum. Anima nostra sicut avis evasit de laqueo aucupum: laqueus contritus est, & nos evasimus. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 124.] Beatus est is cujus in auxilio est Deus Jacob. *Ps.* 146. Deus nobis protectio & fortitudo, auxilium in angustiis, invenimus abunde. Propterea non timebimus &c. *Ps.* 46.] Non est Deus alius ut Deus rectissimi: ascensor cœli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum, & subter brachia sempiterna: ejiciet a facie ejus inimicum, dicetque: Conterere. Habitabit Israël confidenter & solus; oculus Jacob in terra frumenti & vini, cœlique caligabunt rore. Beatus es tu Israël: quis similis tui, popule qui salvaris in Domino? scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis. *Deut.* 33. 26, 27, 28, 29.] Nisi Dominus auxilio fuisset mihi, brevi habitasset in silentio anima mea.

Secunda pars descriptionis, (*vers.* 18.) ejus miseriam amplificat, eo quod non solum ingens *Multa sunt mala*
fuerit

justi, & a cunctis ipsis eruet eum Dominus. Ps. 34.

fuerit periculum, ſed cor etiam in eo illum deficeret, & liberationis ſpem amitteret. Cum deficeret in me ſpiritus meus, tu cognoviſti ſemitas meas. *Pſ.* 142. Cum dixi: motus eſt pes meus, אִם־אָמַרְתִּי Εἰ ἔλεγον, LXX. *Si dicebam.* Hieronym. Si dixi, motus eſt pes meus, quod convenit cum noſtra verſione. Cum dixi, nam [*ei, ſi*] non eſt hic mera ſuppoſitio, ſed ad magnificandam Dei miſericordiam ponitur, quod quocunque tempore, in ipſo articulo, & quotieſcunque deficiebat, Dei miſericordia eum ſuſtentabat. [Sic אִם, ἐὰν, *ſi*, capitur *Geneſ.* 31. 8.] Auguſtinus in hunc locum: [Ipſa pericula noſtra dulciorem nobis faciunt liberantem] Eo etiam manifeſtatur valida liberatoris noſtri potentia, 2 *Cor.* 1. 9, 10. Conſiderationi miſeriæ addamus meditationem propriæ noſtræ indignitatis ut liberaremur. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus. *Lam.* 3. 22. *Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine, ſuſtentavit me.*] Ecce in pace amaritudo mea amariſſima: tu autem eruiſti animam meam, ut non periret: projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. (*Iſ.* 38. 17.) Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua, quam expleviſti ſervo tuo. *Gen.* 32. 10. vide *Deut.* 9. 4, 5, 6. *Dan.* 9. 18.

Non nostro merito, sed tua misericordia Domine.

Experientia operatur spem. Rom. 5.

A magnæ & benignæ hujus liberationis experientiâ in anima ſua conſolationem ſolidam in multitudine cogitationum colligit. Huic ſimile invenimus in his Apoſtoli Pauli verbis; Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipſi in nobiſmet ipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos. Qui de tantis periculis nos eripuit & eruit: in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet. 2 *Cor.* 1. 8, 9, 10.

§. 210. *Consolationes Dei sunt sola vera consolationes lætificantes animam.*

In multitudine cogitationum mearum in intimo meo, conſolationes tuæ lætificarunt animam meam] Oſtendit ſe cogitaſſe, ac internis cogitationibus indagaſſe, ubi conſolatio & lætitia animæ ſuæ reperienda eſſet, eamque nec in ulla re terreſtrina, nec in ulla creatura invenit. Nihil totius noſtri laboris & ſollicitudinis infra ſolem nobis requiem dare poteſt; non divitiæ, nec voluptates, nec honores, nec amici, nec uxor, nec liberi, nec ſanitas, nec longitudo dierum. Nihil in cœlo vel terra menti noſtræ impertire poteſt requiem, præter ſolum Deum, & poſtquam laborioſis, anxiis, diſtrahentibus, circa terrena, ſollicitudinibus noſmet fregerimus, ſolam vanitatem & afflictionem ſpiritus metemus, nec unquam ad requiem perveniemus, donec cor noſtrum paratum ſit, ſperans in Domino, ſic ab auditione mala non timebimus. *Pſ.* 112. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. *Iſa.* 55. 2. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Matth.* 11. 28. *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Aug. Lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 1. Conſolationes tuæ lætificarunt animam meam.

§. 211. *Quinque observanda de his consolationibus Dei ex ipso textu. 1. In multitudine cogitationum mearum in intimo meo. Solæ sunt & incomparabiles.*

De his conſolationibus hæ quinque ſingulares conſiderationes in hoc textu ſunt obſervandæ.

1. Solæ ſunt & incomparabiles. *In multitudine cogitationum mearum in intimo meo, conſolationes tuæ &c.*] Veram conſolationem in ſolo Deo invenio, ad cujus conſolationes, nulla alia ſolamina, vel reputanda vel vocanda ſunt, ſunt & levia & momentanea, *Prov.* 23. 4. 1 *Cor.* 7. 31. 1 *Joh.* 2. 17. Idcirco Apoſtolus dixit: Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. *Phil.* 3. 8.

§. 212. *2. Tuæ.*

2. Conſolationum harum præſtantia eſt, quod ſint pluſquam humanæ vel angelicæ, ſunt enim divinæ. *Conſolationes tuæ.* Vocantur conſolationes Dei ob duas præcipue rationes. 1. quoniam conſolationum harum Deus eſt ſolus largitor & auctor. Venite ad me, & ego reficiam vos. *Matth.* 11. 28. Benedictus ſit Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiæ, & omnis conſolationis Deus, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. 2 *Cor.* 1. 3, 4. Spiritus ejus ſanctus qui in nobis habitat, paracletus vocatur, *Joh.* 14. Deus qui conſolatur humiles; [*ὁ παρακαλῶν τοὺς ταπεινοὺς*] conſolatus eſt nos, in adventu Titi. 2 *Cor.* 7. 6. Titus advenit, Paulus plantat, Apollo rigat. Hi ſunt inſtrumenta vel media conſolationis, ſed ſolus Deus incrementum dat, ſolus Deus qui hiſce mediis nos conſolatur. Ego, ego ipſe conſolabor vos. *Iſa.* 51. 12. Conſideratio conſolatoris nobis magis commendat & adauget conſolationem. Secunda ratio cur vocantur conſolationes Dei, eſt, quoniam ipſe Deus eſt conſolationis noſtræ materia, eſt lætitia exultationis noſtræ, *Pſ.* 43. 4. Quocirca David nil deſideravit præter lumen vultus ejus, *Pſalm.* 4. & 27. 4. Quid mihi eſt in cœlo? & a te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum: robur autem cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Pſalm.* 73. 25, 26. Conſolationes ejus ſunt vere conſolationes, ſicut caro ejus eſt vere cibus. *Iohan.* 6. Omnis conſolationis Deus eſt. 2 *Cor.* 1. 3.

§. 213. *Consolationes tuæ.*

3. Vocantur in plurali numero conſolationes, תַּנְחוּמֶיךָ, *αἱ παρακλήσεις σοῦ, conſolationes tuæ.* Habet enim Deus in promptu exuberantiam conſolationum pro univerſis ſuis liberis, contra omnia genera afflictionum, dolorum, terrorum, ſcrupulorum, periculorum, infirmitatum, luctarum, tentationum, morborum, egeſtatum, & quarumcunque neceſſitatum, pro omni loco, tempore & caſu, pro omnibus hominibus, maribus, feminis, proceribus, plebe, divitibus, egenis, ſenibus, parvulis, ſine ullo diſcrimine; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. *Rom.* 10. 12. Omnis conſolationis Deus eſt, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſſimus ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per conſolationem qua conſolamur & ipſi a Deo. 2 *Cor.* 1. 3, 4. Venite ad me omnes qui laboratis, &c. *Matth.* 11. 28.

§. 214. *Lætificant*

4. Conſolationes hæ *lætificant* יְשַׁעַשְׁעוּ εὐφρανάν, *lætificaverunt*, delectabunt. Ipſa vox conſolatio indicat quoddam gaudium & requiem. Verum additio hujus vocis, *lætitiæ*, ſignificat validam & uberem operationem ingentis gaudii & lætitiæ in eo, quem conſolationes Dei lætificant. Et revera ſicut lumen ſolis obſcurat omnes ſtellas iis qui ſolem aſpiciunt, ſic etiam lætitia conſolationum Dei omni alii lætitiæ tenebras & obſcuritatem offundit, animæ Chriſtianæ quæ conſolationibus Dei delectatur. Homines mundani & carnales, divinarum harum conſolationum & lætitiarum ignari, in aliis rebus ſe delectantes, aſſimilari poſſunt iis qui lucem ſolis nunquam viderunt, ſed tantum ſtellarum lucem noctu, qua delectantur. Verum ſi Deo qui eſt Sol juſtitiæ, viſum fuerit, elevare ſuper eos lucem vultus ſui, tunc omnes hæ ſtellæ evaneſcunt,

cunt, & nihil volunt in cœlo vel in terra, præter Deum solum, in quo nunc omnis est ipsorum lætitia; eâque adeo rapiuntur, ut quæ terrena sunt obliviscantur, & omnia detrimentum existiment, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini nostri. *Philip.* 3.

§. 215. *Animam meam.* Quinta & ultima consideratio harum consolationum, in textu observanda hæc est, quod sunt *consolationes spirituales animam* lætificantes. Consolationes tuæ lætificant *animam meam.* Objecta terrena delectare possunt sensus corporeos, vel phantasiam & mentem hominis carnalis; verum nihil spiritui confracto, conscientiæ mordenti, animæ turbatæ, requiem dare potest, præter solam Dei misericordiam in Christo Jesu. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth.* 9. 2. Beatus cui dimissæ sunt iniquitates. *Ps.* 32. Justificati ergo ex fide, pacem habemus cum Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum: per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus; & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. *Rom.* 5. Quis est homo qui timet Dominum? docebit illum viam quam eligat. Anima ejus in bono commorabitur. *Ps.* 25. 12, 13. Spiritus viri sustentabit imbecillitatem suam; sed spiritum sauciatum quis potest sustinere? *Prov.* 18. 14. Si anima requiem non habeat, quid emolumenti aut voluptatis ei impertirent universa hujus mundi regna, cum omni ipsorum gloria & deliciis? Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? *Matth.* 16. 26. Christus in mundum venit, sanare contritos corde. *Luc.* 4. 18. Venite ad me, discite a me, qui mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. *Matth.* 11. 28, 29. Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes, creditis: credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata: Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. 1 *Pet.* 1. 8, 9. Atque ita consolationes Dei lætificant animam. Neque relinquentur corpora nostra sine consolatione, sed quamvis ad tempus aliquod in corruptione, nihilominus resurgent in incorruptione & gloria. 1 *Cor.* 15. Reformabuntur configurata glorioso corpori Salvatoris nostri, Domini Jesu Christi. (*Phil.* 3.) Ei sit gloria in æternum. Amen.

§. 216. *Aberdoniæ 14. & 21. Julii 1639.*

Isai. 12. 1.

Et dices in die illa: Laudabo te Domine, quoniam [vel licet] iratus eras mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me.

In his verbis injungitur, prædicitur & recensetur læta gratiarum actio, ejusdemque rationes.

Primo habetur mandatum & prædictio: *Et dices in die illa.* Secundo quid dicetur: *Laudabo te* &c. In injunctione & prædictione quinque observanda sunt:

Et 1. Conjunctio *Et* indicans necessitatem conjungendi officii nostri cum operibus Dei erga nos. Ego eruam te, & glorificabis me. *Ps.* 50. Sed de gratitudine plura postea.

In die illa 2. Tempus, *In die illa*, scilicet quando promissa hæc evenient, quando liberatus fueris ab Assyrio: [Et erit in die illa: auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computrescet jugum a facie olei. *Is.* 10. 27.] Et a servitute tua spirituali, cujus altera ista figura fuit. [In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit requies ejus gloriosa. Et erit in die illa: adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, & ab Ægypto, &c. *Isa.* 11. 10, 11, &c.] In die illa, quæ etiam vocatur dies salutis, *Is.* 49. 8. 2 *Cor.* 6. 2. Hoc tempus Evangelii vocatur, Dies, per modum eminentiæ. *Rom.* 13. 13. Datur tempus tribulationis, quod etiam vocatur dies. [Væ, quia magna dies illa, nec est similis ejus, tempusque tribulationis est Jacob, & ex ipsa salvabitur. *Jer.* 30. 7.] Sed dies tribulationis cum die salutis collata, tenebræ vocatur, & altera vocatur lux. *Micha* 7. 8, 9. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis. Dies tubæ & clangoris &c. *Sophon.* 1. 15, 16. Invoca me in die tribulationis, ego eruam te, & tu glorificabis me. *Ps.* 50. Scilicet cum liberatus fueris, in die salutis, in illa die, dices: *Domine, te laudabo.* Tristatur aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallat. *Jac.* 5, 13. Non quod laudes excludantur in die tribulationis, Deus enim nos castigans, benedicendus est, imitando Jobum. Et jubemur in Domino semper gaudere, *Phil.* 4. 4. & in omnibus gratias agere, 1 *Thess.* 5. 18. Nec sunt preces excludendæ in die liberationis, Apostolus enim hæc tria mandata conjungit, *semper gaudete; sine intermissione orate; in omnibus gratias agite.* Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis. 1 *Thess* 5. 16, 17, 18. In maximis enim doloribus sancti aliquam habent causam gaudii, & in summo gaudio in hac vita, aliquam causam ploratus. Sed juxta rationem temporis, ubi pro tempore locus est vel mœrori vel gaudio, hortamur vel ad orationes, non omittendo laudes; vel ad laudes, non omittendo orationes, ut hic in textu. Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. Tempus & responsionem cor sapientis intelligit. *Eccl.* 8. 5. Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? *Luc.* 12. 56.

3. Articulus in præfatione seu statuto introductivo, est, persona, vel personæ quæ canticum hoc canent. [*Tu*,] significans universum Dei populum, & unumquemque particularem hominem. Unde duo exsurgunt documenta: 1. commendatio unitatis mentis & affectus, inter populum Dei, quasi unicus esset homo. Hæc est Calvini observatio in hunc locum. 2. accipiat unusquisque particularis mandata & promissa universis Christianis data, tanquam sibi dicta. vide *Rom.* 10. 9. *Tu*

Quartus articulus est, [*Dic*]. Hic est oris nostri & sermonis linguæ præcipuus finis, Deum laudare, ac de ejus gloria loqui. Hinc lingua nostra vocatur nostra gloria. *Ps.* 16. 10. & 108. 1. & 30. *vers. ult.* Sed quum Deus postulat vitulos labiorum nostrorum, *Hos.* 14. vult nos ab hypocrisi cavere. *Isa.* 29. Hic etiam observanda est consolatio nostra & honor, ex his & similibus monitis, quibus admittimur ad Deum loqui, de eo loqui, & ad ejus laudes; quem non ausi fuissemus nominare, vel legem ejus in indigno nostro ore sumere, nisi dixisset, sibi placere ut id faciamus. Dicitur quod Alexander Magnus nemini imaginis suæ delineationem permiserit, præter solum Apellem, cunctos alios huic ineptos reputans; & quod Aristoteles in laudem præceptoris sui Platonis dixerit, quod pravis hominibus nefas esset Platonem laudare. Quanto magis sumus nos inepti & indigni Deum laudare? Id tamen jubet nos facere, & benigne accipit has nostras *Dic*

spiri-

spirituales hostias, Deo per Jesum Christum acceptas. 1 *Pet.* 2. 5.

Dices. Quintus articulus in præfatione observandus est [*Dices*]; innuens & præceptum Deum laudandi, & prædictionem propheticam, de redemptis Domini, a quibus furor ejus est conversus, quod illi procul dubio grati erunt.

§. 217. Sequitur gratiarum actio ejusque rationes.

Laudabo te Domine. *Laudabo te Domine.*] Comparentur hæc duo: Dominus, & unusquisque nostrum loquentium, vel omnes. *Laudabo te.* Bonum nostrum ad eum non pervenit. *Psal.* 16. Gloriosum ejus nomen super omnem benedictionem & laudem exaltatur. *Nehem.* 9. 5. Augustin. in tractat. 100. super Evangel. Joh. ait, *bonum autem laudare, non laudato, sed laudantibus prodest*; loquens de laudando viro justo. Hoc infinite magis dicendum est de laudando Deo. Verbum originale אודך significat confessionem Domino cum laude. [Hieronym. Confitebor tibi. LXX. & Basil. εὐλογήσω σε.] Adeo ut ex hoc confiteamur, ex sola Dei misericordia esse, quod ullam habeamus consolationem, eumque jure iratum nobis fuisse, quoniam in eum peccaveramus; sed ex benigna illius misericordia, conversum esse furorem ejus, & consolatum esse nos. Propter quod eum laudamus. Vide *Deut.* 8. & 9. & *Psal.* 44. 6, 7, 8.

Rationes hic adductæ tres sunt: 1. *quoniam iratus eras mihi.* Id quod cum Rab. Aben-Ezra, Interpretes nostri Anglici verterunt [quamvis]. Melius est, & sanæ doctrinæ congruentius interpretatum, *nam*, vel, *quoniam:* Heb כי: Chald. Jonath. ארי: Rab. Dav. Kimchi לפי שאנפת בי. LXX. & Basili. Mag. διότι. Hieron. Lyranus & Pagninus, *quoniam*, Luth. Daß/ Tremell. & Junius, *quia.* Ratio secunda est, *Conversus est furor tuus.* Tertia, *Consolatus es me.*

Quoniam iratus eras mihi. Prima ratio tria continet: 1. peccatorum confessionem illius, qui suppliciter Deum laudat; ut bene observant Jonathan in Targum, & R. Salomon Jarchi in hunc locum. Confitebor tibi Domine, quoniam iram meritus & furorem tuum, misericordiam consequutus sum, inquit Hieronymus in eundem locum. Non humiliat Deus ex corde suo, & abjicit filios hominum. *Lament.* 3. 33. 2. prima hæc ratio continet agnitionem sanctitatis & justitiæ Dei, qui irascitur impio omni die. *Ps.* 7. 11. Ira in Deo nulla est perturbatio, sed divina ejus naturæ perfectio, qua omnem detestatur injustitiam. Quia non Deus volens impietatem tu es: non habitabit juxta te malum. Non stabunt stulti coram oculis tuis: odisti omnes operantes iniquitatem. Perdes loquentem mendacium: virum sanguinolentum & fraudulentum abominatur Dominus. *Ps.* 5. Dominus justum probat: impium autem & diligentem iniquitatem odio habet animus ejus. *Psalm.* 11. Diligis justitiam & odio habes impietatem. *Psalm.* 45. *Heb.* 1. vid. *Prov.* 6. 16, 17, 18, 19. Atque hinc provenit pœna peccatorum, quæ in sacra Scriptura sæpe vocatur ira Dei, *Num.* 16. 56. *Eph.* 5. 6. &c. Ex eo enim revelatur ira Dei de cœlo, super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent. *Rom.* 1. 18. Laudandus est Deus propter sanctam hanc iram. Tertio, prima hæc ratio continet agnitionem misericordiæ Dei in liberorum ejus castigatione. *Prov.* 3. *Heb.* 12. *Ps.* 119. *Teth* & *Jod.* Quod si nosmet ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur. 1 *Corinth.* 11. 31, 32. Ego quos amo, arguo & castigo: æmulare ergo, & pœnitentiam age. *Apoc.* 3. 19. Secunda ratio laudis venit ex pœnitentia nostra.

Conversus est furor tuus. *Conversus est furor tuus*] Apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *Jac.* 1. 17. Conversio igitur furoris ejus nullam innuit in Deo transmutationem, sed solum in creatura, a qua, peccato (solo furoris Dei incitamento & objecto) remissione & vitæ novitate ablato, ira Dei vere avertitur. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor. *Ezech.* 18. 21, 22. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. *Is.* 43. 25. Cum etiam plaga aufertur, ira ejus in eo sensu accepta non amovetur. Multi enim participant de ablatione temporalis plagæ, super quos tamen ira Dei manet. *Joh.* 3. 36. Quoniam a peccatis suis non conversi sunt, & iniquitas eorum manet. Et mundi sunt oculi Dei, ne videat malum, & respicere ad iniquitatem non poterit. *Hab.* 1. 13. Abominabile Domino cor pravum. *Prov.* 11. 20. Ac proinde non est pax impiis, dicit Dominus. *Isa.* 48. 22. Manus in manu non erit innocens malus. *Prov.* 11. 21. Nulli dubium esto quin peccatum vestrum apprehendat vos. *Num.* 32. 23. Laudandus equidem est Deus, pro pœnarum temporalium amotione. Verum super omnia contendamus, ut omnia nostra peccata a nobis amoveantur, tunc in gratia cum Deo sumus, & a terribili ejus ira liberamur. Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira, *Proverb.* 19. 11. & sicut nuntii mortis, *Prov.* 16. 14. Omnipotentis & sempiterni Regis Regum ira quanta est terribilior? Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi. Spiritum principum auferet, terribilis est apud reges terræ. *Psalm.* 76. Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam? *Ps.* 90. Ante faciem indignationis ejus quis stabit? & quis resistet in ira furoris ejus? indignatio ejus effusa est ut ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo. *Nahum* 1. 6. vide *Apoc.* 6. 15, 16, 17. & *Matth.* 10. 28. *Luc.* 12. 5. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Beatus ergo est vir quorum remissæ sunt iniquitates. *Ps.* 32. *Rom.* 4.

1. Pœnas temporales in hac vita, quæ ira Dei vocantur, sedulo evitare, ac proinde a peccato cavere debemus. 2. Ira illa ventura multo magis a nobis timenda est, æterna illa in gehenna ignis pœna, & verâ pœnitentiâ ab eâ in tempore fugiendum. (*Matth.* 3.) 3. Et maxime omnium a nobis timenda & evitanda est ira Dei, prout significat offensionem illius de peccato, & peccatorum detestationem ex immutabili illa divinæ naturæ perfectione; cum peccatum Deum contra nos irritet, nullam in Deo excitando perturbationem, sed odium & detestationem nobis conflando in conspectu Dei, cujus oculi sunt mundi, ne videat malum, & respicere ad iniquitatem non poterit. *Hab.* 1. 13. Adeo ut licet nulla externa ira timenda sit, peccatum tamen sedulo devitare, & sanctitatem sequi debeamus, ut inimicitiam ejus declinemus, & coram eo accepti simus. Hoc respectu Moyses parte sua in libro vitæ cedere optavit, & Paulus anathema esse a Christo, pro salute Israëlis; tam ardens ipsorum fuit erga Deum & populum in Deo amor. Satis norunt hominem Dei gratiam

habentem in ipso inferno beatum fore : & sine ejus grana ipsum cœlum hominem beatum reddere nequit : neque enim locus ; nec societas, nec ulla creatura beatum faciunt, sed solum lumen vultus Dei, de quo semper certi erant.

§. 218. *Et consolatus es me.* Tertia ratio est, *Et consolatus es me.*] Id equidem animam consolatione inenarrabili magnopere consolatur, quod ab ea conversa sit ira Dei. Deus ex animo in amicitiam redit, iram amovet, & benignissimi ac potentis consolatoris partes agit. Si rogas quid indicet & innuat opus illud Dei, quod vocatur divina servorum ejus afflictorum consolatio; cum sacra Scriptu-

Consolationum divinarum descriptio. ra respondeo : Consolatio Dei qua afflictos & miseros suos servos consolatur, est divina 1. adhortatio, & 2. confirmatio, & 3. sedatio, & 4. delectatio animæ nostræ, 5. plena, & 6. in æternum, 7. in Deo, & 8. per Deum.

1. Hortatur. 1. Παράκλησις significat adhortationem, idcirco Hilarius in *Ps.* 119. (quem vocat 118) *in Jod*, sic legit : *fiat misericordia tua, ut exhortetur me*; & ibi in commentario suo ; ut tribulatus licet & afflictus, divinæ adhortationis auxilio firmetur. Sic & beatus Apostolus Paulus, dicens, benedictus Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus omnis exhortationis, qui exhortatur nos in omni tribulatione. Huc usque Hilarius Pictav. Et revera cum ad aliquem consolandum devenimus, a salutari exhortatione communiter incipimus. Cum Deus avertit iram suam, & nos consolatur, exhortatur nos salutaribus suis exhortationibus. Salus tua ego sum. *Ps.* 35. 3. Ne timeas. *Lam.* 3. 37. Non te deseram, nec derelinquam. *Jos.* 1. 5. *Heb.* 2. 13. Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua. *Matth.* 9. Remissa sunt tibi peccata, fides tua te servavit. *Luc.* 7. Ne metue; parve grex, nam libuit Patri vestro dare vobis regnum; *Luc.* 12. Hæc ad nostram doctrinam & consolationem scripta sunt. *Rom.* 15. Qui etiam accepimus spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater; quique testatur una cum spiritu nostro nos esse filios Dei. *Rom.* 8.

2. Firmat. 2. His exhortationibus addit suam internam potentem operationem, qua cor nostrum corroborat. *Psal.* 27. *v. ult.* Multiplicat virtutem in anima nostra. *Ps.* 138. 3. Deficit caro mea & cor meum : Deus fortitudo cordis mei, & pars mea in æternum. *Ps.* 73. 26. Respice in me, & miserere mei : da virtutem tuam servo tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ. *Ps.* 86. 16.

3. Tranquillat. 3. Deus cor ab agitatione & timoribus tranquillat, dans suam pacem. *Joh.* 14. 1, 27. & 16. *versu ult.* *Rom.* 5. 1. *Philip.* 4. 6. *Cantic. Sal.* 8. 10.

4. Gaudia donat dulcia, 4. Consolationes ejus cor nostrum lætificant, *Ps.* 9. 15. & ita nos afficiunt, ut in eo semper gaudeamus, *Phil.* 4. 4. gaudio ineffabili & glorioso. 1 *Pet.* 1. 8. Convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo a dolore suo. Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine : & populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus. Quia inebriavi animam lassam, & omnem animam esurientem saturavi. Ideo quasi de somno suscitatus sum : & vidi, & somnus meus dulcis mihi. *Jer.* 31. 13, 14, 25, 26.

5. Plena. 5. Ejus consolationes plenæ sunt, nam licet consolationes nostræ quotidie augeantur, prout in gratia crescimus; Dominus tamen plene nos secundum indigentiam nostram consolatur, adeo ut ejus consolatio sufficiat adversus omnes tribulationes. 2 *Cor.* 1. 4. Adeo ut consolatione repleamur, & superabundemus gaudio in omni tribulatione nostra [πεπληρωμένη τῇ παρακλήσει ὑπερπερισσεύομαι τῇ χαρᾷ ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν] 2 *Cor.* 7. 4. Ejus gaudium manet in nobis, & gaudium nostrum impletur. *Joh.* 15. 11. Fortissimum solatium dat. *Heb.* 6. 18.

6. Deus nos consolatur cum certitudine consolationis in omne tempus futurum, imo in æternum. Ipse autem Dominus noster, Jesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, consoletur corda, & confirmet in omni opere & sermone bono. 2 *Thess.* 2. 16, 17. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, &c. *Isa.* 12. 2. Quis nos separabit a caritate Christi? *Rom.* 8. *6. Æterna.*

7. Hæc exhortatio, fortitudo, tranquillitas, lætificatio, plena & sempiterna est in Deo. Gaudete in Domino semper. *Phil.* 4. 4. Cor meum exultat in Domino. 1 *Sam* 2. 1. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. *Joh.* 16. 33. *Job cap.* 28. sui libri, copiose & eleganter disquirit, ubi invenienda sit sapientia, & quis sit locus intelligentiæ ; ac ejus sermo de hac re consolationi recte applicari potest. Consolatio ubi invenitur? Solida, inquam, fortis, plena & sempiterna consolatio? Et cedo locum illius? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit : Non est in me : & mare loquitur : Non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro &c. Non invenitur in terra, nec mari, non in honoribus, voluptatibus, nec scientia, nec in quacunque alia re mundana, imo nec in cœlis, nec in Angelis qui sunt in cœlo, sed in solo Deo, qui Pater est misericordiarum, & Deus omnis consolationis. 2 *Cor.* 1. 3. Adeo ut sine eo nulla inveniri queat consolatio, sed in eo solo promta sit & obvia. Quid mihi est in cœlo præter te? & a te quid volui super terram? *Ps.* 73. 25. *Phil.* 3. 8. *7. Deus solamen,*

8. Sicut in Deo consolamur, ita ex Deo, ejus est donum & opus. Tu consolatus es me. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio & redemptio. 1 *Cor.* 1. 30. Id consolationem magnopere commendat & adauget, quod Deus is sit qui nos consoletur, ille sit auctor, dator & effector omnis nostræ consolationis, ille sit consolator noster, *Joh.* 14. 16. & 15. 26. 2 *Cor.* 1. 3, 4. & 7. 6. 2 *Thess.* 2. 16, 17. *Isa.* 51. 3, 12. & 52. 9. *Zach.* 1. 17. Si Rex magnus ad pauperis alicujus tugurium ex proposito veniret, ut in ejus ægritudine & miseria eum consolaretur, ipsa cogitatio personæ consolantis, & magni honoris pauperi habiti, consolationem multum adaugeret. Multo magis honore afficimur adventu magni illius gloriæ Regis, Regis Regum, & Domini Dominorum, ad nos consolandos. Hoc etiam considerandum est, quod licet multæ sint miseriæ & ægritudines, quas nullus terrenus Rex, nullus inter creaturas medicus a nobis amovere possit; nulla tamen est miseria, nulla ægritudo, quam Deus a nobis depellere, & adversus quam nos consolari non possit. Ille solus a nobis peccata nostra tollere potest & tollit, atque ita convertit iram suam a nobis, & ubertim nos consolatur in Christo Jesu, Agno Dei, qui tollit peccata mundi. *8. Et auctor.*

Ex hoc textu memores simus 1. quod ii a quibus Dei ita convertitur, eum certe laudabunt.

2. quam-

2. quamdiu peccatum manet, per pœnitentiam & remissionem non sublatum, ira Dei non amovetur. 3. Cum ira Dei a nobis avertitur, tunc veram habemus consolationem, & alioquin nulla est vera consolatio.

Laudabo te Domine: quoniam tu iratus eras mihi, conversus est furor tuus, & consolatus es me.

Benedictus sit Deus.

Hortatur, firmat, tranquillat, gaudia donat
Dulcia, plena, æterna, Deus solamen, & Auctor.

§. 219. Aberdoniæ 4. Aug. 1639. Concio in Ps. 119. 132, 133.

Ps. 119. Pe. vers. 132, 133.

Aspice ad me, & miserere mei, secundum consuetudinem erga diligentes nomen tuum.

Gressus meos dirige in verbo tuo, & ne dominetur mihi ulla iniquitas.

In his verbis quatuor sunt petitiones, & post duas primas, ponitur petitionum illustratio & confirmatio. 1. prima petitio, *Aspice ad me*. 2. secunda, *& miserere mei*. 3. illustratio & corroboratio, *secundum consuetudinem erga diligentes nomen tuum*. 4. Petitio tertia, *Gressus meos dirige in verbo tuo*. 5. Petitio quarta, *& ne dominetur mihi ulla iniquitas*.

1. *Aspice ad me*] פְּנֵה אֵלַי. ἐπίβλεψον ἐπ' ἐμέ. LXX.

Dominus videt omnia, etiam uniuscujusque cordis secreta. *Ps.* 33. 13, 14, 15. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. *Prov.* 15. 3. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus, quicum nobis est negotium. *Heb.* 4. 13. Oculi ejus vident, palpebræ ejus probant filios hominum. *Ps.* 11. Tu cognoscis sessionem meam, & surrectionem meam: intelligis cogitationem meam longe ante. Semitam meam & accubitum meum cingis: & omnibus viis meis assuevisti. Quia necdum est sermo in lingua mea: ecce tu Domine nosti totum ipsum. —— Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? &c. *Ps.* 139. 2, 3, 4, 7. Verum Deus dicitur faciem suam abscondere, & sic territi sumus. *Ps.* 30. 7. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis. *Isa.* 1. 15. Dorsum & non faciem ostendam eis, in die perditionis eorum. *Jer.* 18. 17. Quod filiis Dei est valde grave deliquium, quibus lumen vultus Dei est summum bonum & unicum gaudium. *Ps.* 4. eorumque beatitudo. *Ps.* 89. 15, 16, 17. Ut quid Domine repellis animam meam, abscondis faciem tuam a me? *Ps.* 88. 14. Ideo jubemur quærere ejus faciem semper, *Ps.* 105. 4. Quærite faciem meam. Tibi dixit cor meum; faciem tuam Domine quæram. Ne abscondas faciem tuam a me; neque declinare sinas in iram, servum tuum: auxilium meum fuisti, ne derelinquas me, & ne deseras me, Deus salutis meæ. *Ps.* 27. 8, 9. ubi absconsio faciei Dei ab homine exprimitur tremendis quibusdam vocibus, ut declinare in ira, derelinquere, deserere. Eheu tuue venit væ, sicut tenebræ & frigus hybernum veniunt super faciem terræ, cum sol recesserit. Væ eis, cum recessero ab eis. *Hos.* 9. 12. Velociter exaudi me Domine: deficit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me: ne similis sim descendentibus in lacum. *Ps.* 143. 7. Cum officii nostri negligentes sumus, nec studemus cum Deo ambulare, ut Enoch, vel cotam eo, ut jussus fuit Abraham facere, *Gen.* 17. 1. & memores esse cum Davide, quod omnes viæ nostræ in conspectu ejus sint, *Ps.* 119. 168. tum nobis id accidit quod Dominus per Prophetam Hose minatur: Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis, & quæratis faciem meam. In tribulatione sua mane consurgent ad me. *Hos.* 5. 15. Beati erimus si his desertionibus & afflictionibus utamur ad Dominum mature quærendum, humili pœnitentia, & invocatione nominis ejus. Quærite & invenietis. *Matth.* 7. Laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæcula sæculi, *Ps.* 22. 26, 27.

Aspice ad me] Sicut, cum Rex, pater vel amicus offensus, reum, ut solebat, non vult aspicere, reus pœnitens petit solitum ejus benignum aspectum; simili modo hic, peccator pœnitens expertus quam triste & grave sit iratum & aversum Dei vultum ferre, ad Deum clamat cum gemitibus & lacrymis: Domine, aspice ad me Domine, quia tu solus confidenter habitare facies me. *Ps.* 4. Tu es Deus omnis consolationis. 2 *Cor.* 1. Respice in me, & miserere mei; quia unicus & pauper sum. Angustiæ cordis mei dilatatæ sunt: ab angustiis meis edue me. Vide afflictionem meam & laborem meum: & parce omnibus peccatis meis. *Ps.* 25. 16, 17, 18. Sic etiam in meo textu, *aspice ad me, & miserere mei*. Atque ita devenimus ad petitionem secundam.

2. *Et miserere mei*] Hebr. וְחָנֵּנִי.
Targ. וְחוּס עֲלַי parce mihi.
Pagnin. *miserere mei*, & in margine, *gratiam fac mihi*.
Luth. **Und sey mir gnedig.**
Tremell. & Jun. *Et gratiam fac mihi.*

Deus oculis divinæ suæ Providentiæ omnia respicit, & omnes homines, tum pios, tum impios, ut hactenus ostensum est. Sed quoad amorem vel iram, diversimode eos respicit. Oculi Domini super justos, & aures ejus ad clamorem eorum. Vultus autem Domini contra facientes malum, ut succidat e terra memoriam eorum. *Ps.* 34. 15, 16, 17. Humilem intuetur, & excelsum e longinquo cognoscit. *Ps.* 138. 6. hoc est, unumquemque superbum observat & deprimit, omnem arrogantem agnoscit & humiliat. Conterit impios in loco suo, & dispergit furorem iræ suæ. *Job.* 40. 11, 12. Respicit terram & facit eam tremere. *Ps.* 104. 32. Iniquitates eorum observat, in judicium intrat cum eis; &, sicut denunciat per sanctos suos Prophetas, faciem suam ponit in eos in malum, & ut disperdat eos. *Jer.* 44. 11. Ponit oculos suos super eos in malum, & non in bonum. *Amos* 9. 4. Qui facit reges terræ & principes, & fortes & alios dicere montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira Agni. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare? *Apoc.* 6. 16, 17. Juxta hunc modum respexit Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, & interfecit exercitum eorum, & subvertit totas currum. Idcirco in textu David orat pro misericordia: *Aspice ad me, & miserere mei*. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? *Ps.* 130. 3. Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens. *Ps.* 143. 2. Sic Daniel: Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus §. 220.

nibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac. *Dan.* 9. 18, 19. Averte faciem tuam a peccatis meis. *Ps.* 51. Sic publicanus: Deus, propitius esto mihi peccatori. *Luc.* 18. 13. Ad quem autem respiciam, dicit Dominus, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? *Isa.* 66. 2. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est, *misericordiam volo, & non sacrificium*; non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. *Matth.* 9. 12, 13. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, ait Apostolus Paulus 1 *Tim.* 1. 15.

Vox Hebræa in textu meo וְחָנֵּנִי significat gratiam & misericordiam, & nonnunquam in Novo Testamento ambo junguntur cum pace, misericordiæ & gratiæ fructu, ut in salutationibus in Epistolis ad Timotheum & Titum; & aliquando tantum gratia cum pace, ut in salutationibus in Epistolis ad Romanos, Corinth. Gal. Ephes. &c. & nonnunquam solum misericordia cum pace, ut *Gal.* 6. 16. *Jud.* 2. Sed quocunque ex his modis fiat, idem semper intelligitur; quod gratia seu favor χάρις appellatur, ad nostrum meritum excludendum. *Rom.* 11. 6. *Eph.* 2. 8, 9. Et misericordia vocatur ἔλεος, propter nostram miseriam, *Eph.* 2. 4. & etiam ad excludendum nostrum meritum, *Tit.* 3. 5. ac proinde appellatur indiscriminatim, *divitiæ ejus misericordiæ*, & *divitiæ ejus gratiæ*. *Eph.* 2. 4, 7. & 1. 7. Ubi opus misericordiæ, gratiæ ascribitur. In quo (scilicet in Jesu Christo) habemus redemptionem, per sanguinem ejus, (remissionem peccatorum) secundum divitias gratiæ ejus.

Observatio hæc utilis est hic ob has duas rationes: 1. cum in colloquio inter Deum & Moysen legimus, Moysen invenisse gratiam coram Deo, *Exod.* 33. & cum David ad Deum dicit: *Respice ad me, & miserere mei*, idem intelligitur. Ut etiam patet ex Dei verbis ad Moysen in eodem colloquio, *v.* 19. Ego miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit וְרִחַמְתִּי אֶת־אֲשֶׁר אֲרַחֵם וְחַנֹּתִי אֶת־אֲשֶׁר אָחֹן, a septuaginta Interpretibus versis, & ab Apostolo repetitis: ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω.

2. Altera ratio est, ut quandocunque de Dei gratia vel Dei misericordia cogitamus, Jesu Christi semper meminerimus, in quo solo est invenienda. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, (& vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre) plenum gratiæ ac veritatis. Et ex plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Nam lex per Moysen data est; gratia & veritas per Jesum Christum facta est. *Joh.* 1. 14, 16, 17. Nec est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari. *Act.* 4. 12. Ille est via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per eum. *Joh.* 14. 6. *Aspice ad me, & miserere mei*: hoc est: Aspice ad me in Jesu Christo, & propter eum miserere mei.

Miserere mei.

1. 1. remitte mihi omnia peccata mea. *Luc.* 18. *Ps.* 51. & 2. libera me ab
2. omnibus meis ærumnis, *Gen.* 19. 16, 19. *Psal.* 25. 16, 17. ac 3. denique in misericordia & mi-
3. serationibus corona me, *Ps.* 103. 4. juxta eam partem benedictionis qua Aaron ejusque filii populo Israël benedicere jussi sunt: ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur te וִיחֻנֶּךָּ. *Num.* 6. 25. καὶ ἐλεήσαι σε. LXX.

§. 221. *Mei*] Observa hic, cui misericordiam optet. Misericordiam pro universo Dei populo ita postulat, ut in propria persona oret, & rem sibi particulariter applicet. Ubi habetur & confessio proprii peccati & miseriæ, & professio misericordiæ erga alios in futurum.

1. Misericordia complectitur peccati remissionem, miseriæ commiserationem, & ab ea liberationem. Misericordiæ objectum proprium est creatura vitiosa & creatura misera. David misericordiæ erga se petitione, agnoscit se peccatorem & miserum esse. Sic publicanus: Deus propitius esto mihi peccatori, *Luc.* 18. Memores estote Christum in mundum venisse peccatores salvare, medicum ægros sanare, non solum a quocunque morbo corporeo unius hominis solum, ut factum fuit Bethesdæ, sed ab omnibus morbis omnium, qui ad eum quocunque tempore veniunt, *Ps.* 103. *Matth.* 11. 28. cum sit plenus gratiæ & veritatis. *Joh.* 1. Ne abscondas igitur peccatum, morbum ne celes, cum agnoscere ne cuncteris, sed prompte confitere, (si vis sanus fieri, *Joh.* 5. 6.) *Psalm.* 32. *Prov.* 28. 13. Clama, licet objurgent te homines, eo magis clama cum Bartimæo cœco, Fili Davidis, Jesu, miserere mei. *Marc.* 10. Et cum Psalmista hic: Aspice ad me [*ad me, Domine*] & miserere mei. O peccatorum Salvator, ô omnipotens & unice omnium ægritudinum sanator, qui in hunc finem venisti, adest materia operandi; innumerabilia & magna sunt mea peccata, morbi mei sunt fœtidi & incurabiles, etiam ii quos ipse in me video, & multi alii quos non video, sed aspice tu ad me oculo tuo omnia vidente. Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas. Et vide, si via iniquitatis in me est; & deduc me in via æterna. *Ps.* 139. 23, 24. *Respice ad me, & miserere mei.* Et sicut peccatum, pravitas & miseria in me abundat: ita superabundet misericordia tua, ad majorem tuæ gratiæ gloriam.

Misericordiæ objectum.

Adhortatio ad peccata & miseriam Deo confitenda.

2. David misericordiam sibi postulando, se Deo obligat, & promittit erga alios misericordem futurum, sciens, Deum cum misericorde misericordem fore. *Ps.* 18. 25. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5. 7. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Matth.* 6. 14, 15. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. *Prov.* 21. 13. Judicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam, *Jac.* 2. 13. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in eo? 1 *Joh.* 3. 16, 17. Idcirco apposite subjunguntur a Psalmista verba sequentia.

Non frangas pennam misericordia per quam stas. Aug. apud Hug. Card. in hunc textum Ps. 119. 132.

3. *Secundum consuetudinem erga diligentes nomen tuum.* Hebr. כְּמִשְׁפָּט לְאֹהֲבֵי שְׁמֶךָ

Chald. Targ. כְּהִלְכְתָא לְרָחִימֵי שְׁמָךְ juxta morem.

LXX. Κατὰ τὸ κρίμα τῶν ἀγαπώντων τὸ ὄνομά σου.

Hieron. ex Græco 70. *Secundum judicium diligentium nomen tuum*,

Idem ex Hebræo: *Juxta judicium diligentium nomen tuum.*

Pagninus, *Secundum consuetudinem* (tuam) *erga diligentes nomen tuum.* Idem in margine: *Se-*

Secundum judicium, (id eſt morem, ſcilicet tuum.)

Lutherus, Wie du pflegeſt zu thun denen die deinen Namen lieben.

Calvinus, *Secundum judicium erga diligentes nomen tuum.*

Idem in Commentario: Poſtulat hoc verſu rationem ſui haberi, quemadmodum ſolitus eſt Deus ſemper ſuos reſpicere. Nam מִשְׁפָּט, hoc loco, ſicut aliis compluribus, communem regulam, vel morem uſitatum ſignificat.

§.222. *Secundum conſuetudinem erga diligentes nomen tuum.*] In his, hi duo articuli obſervandi ſunt: 1. Argumentum quo David petitionem ſuam & ſpem obtinendi fulcit; nihil eſt in eo, vel ab eo; ſed ſolum Dei beneplacitum, & conſtans ejus agendi ratio, ſecundum judicium vel conſuetudinem. 2. Quibus judicium hoc & conſuetudo ſit, *diligentibus nomen tuum.*

1. Vox Hebræa מִשְׁפָּט ſignificat judicium, ſignificat etiam conſuetudinem vel morem. Utraque hic poteſt intelligi. Judicium tuum ſeu determinata tua voluntas, & beneplacitum in ſacro tuo verbo revelatum, & etiam huic conformis, conſtans tua ratio & modus agendi cum his qui diligunt nomen tuum. Orationem & ſpem ſuam non fulcit ſuper meritum dilectionis ſuæ erga Deum, poſtulat enim miſericordiam; ſed ſuper benignam Dei voluntatem & veracitatem. Voluntas Dei in ejus verbo declarata, de iis qui diligunt nomen ejus, hæc eſt, quod in Domino exultabunt. *Pſ.* 5. *verſ. penult.* Quoniam me valde amat, propterea eruam eum. *Pſ.* 91. 14.] Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. *Joh.* 14. 21.] Scimus autem omnia diligentibus Deum cooperari in bonum. *Rom.* 8. 28.] Aſpice ad me & miſerere mei, ſecundum hoc tuum verbum; etiam ſecundum perpetuum cum amicis tuis agendi modum, cum Abel, Noacho, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Joſepho, &c. Memor fui judiciorum tuorum a ſeculo Domine, & conſolatus ſum. *Pſ.* 119. 52.

2. *Diligentibus nomen tuum.*] Auguſtinus & Hugo Cardinalis hunc locum ita interpretantur: Aſpice ad me, & miſerere mei, quemadmodum judicaſti & ſolitus es aſpicere ad eos, & eorum miſereri, quos tu primo dilexiſti, eoſque nomen tuum diligere feciſti. Quemadmodum Johannes Apoſtolus dicit: Nos diligimus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. 1 *Joh.* 4. 19. Noſter etiam Salvator dicit: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. *Joh.* 15. 16. Commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: Multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius. *Rom.* 5. 8, 9, 10.] Non ex merito, vel perfectione dilectionis noſtræ, ſed ſinceritate ejuſdem argumentum deſumimus, & confidentiam noſtram non ſuper eam fundamus, ſed ſuper ſtabilem Dei dilectionem, & agendi rationem erga omnes, quibus dedit nomen ſuum diligere. Et ſi ſentimus cor noſtrum amore hujus ſeculi aliquo modo corruptum eſſe, ſi tunc ſuſpirare, & ad Deum clamare poſſimus pro miſericordia, ſecundum conſuetudinem erga diligentes nomen ejus, ut noſtri memor eſſe velit, in beneplacito populi ſui, noſque in ſalute ſua viſitare; *Pſal.* 106. 4.] certum ſignum gratiæ eſt, & dilectionis Dei in nobis inchoatæ. Id quod caro & ſanguis facere non poteſt, *Rom.* 8. 7. ſed ſpiritus ille virtutis, & dilectionis & ſobrietatis. 2 *Tim.* 1. 7. *Deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt.* Auguſt. de Correptione & Gratia cap. 1.] Imo utcunque onerati ſimus peccatis & ærumnis, ad Deum clamemus, ut in nos reſpiciat, noſtrique miſereatur, quemadmodum facere ſolet iis, quos, cum ejus inimici & natura filii iræ eſſent, ſibi reconciliavit per mortem ſui Filii, *Rom.* 5. *Eph.* 2.] quorumque corda circumcidit ut diligant Dominum ipſorum Deum, toto corde & tota anima; *Deut.* 30.] juxta etiam conſuetudinem erga nequiſſimos peccatores, quibus pœnitentiam dat ad vitam. *Act.* 11. 18. Quemadmodum fecit Manaſſæ Babyloniæ, 2 *Chron.* 33. mulieri peccatrici, cui multa remiſit, & dedit multum diligere, *Luc.* 7. latroni ſuper crucem converſo, Apoſtolo Petro in domo principis ſacerdotum, *Luc.* 22. & rurſus poſt ejus reſurrectionem apud mare Tiberiadis, ubi illi dixit, *Simon Johannis, diligis me?* utque nobis a Deo detur vere & fidenter reſpondere cum Petro: *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te*, *Joh.* 21. Ingens & dulcis certitudo, Deo teſte veritatis ejus dilectionis! Petrus Chriſtum abnegavit jurando, hic rurſus eum confitetur, & dilectionem ſuam ter juramento profitetur, Dominum atteſtans de veritate dilectionis ſuæ; & acceptus eſt, & cura gregis ei committitur, prædicit etiam ei Dominus qua morte glorificaturus eſſet Deum.

Lachrymas Deo fudi & magnopere conſolatus ſum, mihi ipſi hæc applicando. 29. Aug. 1639. Benedictus ſit Dominus. Domine diligo te, adjuva meam dilectionis indigentiam. Amen. Domine tu ſcis tua gratia in me operationem. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Pſ. 68. 28, 29.

Nomen tuum] Quemadmodum temet nominaſti in verbo tuo, ſecundum omnia tua attributa & opera, te diligunt, & memoriam tui colunt, & amant de te cum lætitia meditari, loqui, & audire. *Pſ.* 1. 2. *&* 63. 5, 6, &c. *&* 122. 1.] Nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ. *Iſ.* 26. 8.

Nota, quod licet Deus prior nos, inimicos, diligat, effectus tamen ejus dilectionis eſt, nos ipſius amicos reddere, & tunc tantum nos certos facit quod ab illo diligimur, cum ſentimus nos eum diligere. Ad quoſcunque aſpicit in miſericordia in Chriſto Jeſu, hi per ejus gratiam diligunt eum; & ad omnes qui eum diligunt pertinet benigna ejus facies & miſericordia.

Diligentes] Eædem promiſſiones factæ ſunt iis qui credunt in eum, qui in ejus miſericordia ſperant, qui eum timent, qui ei ſerviunt. Hic omnia in *dilectione* comprehenduntur, ſine qua nihil nobis proderit ad ſalutem, 1 *Cor.* 13. Qui non diligit, non novit Deum; quoniam Deus caritas eſt. —— Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, manet in Deo, & Deus in eo. 1 *Joh.* 4. 8 —— 16.

Aliquando totum id aſcribitur dilectioni proximi, quæ vocatur impletio legis, *Rom.* 13. 8. Et Johannes Apoſtolus ait: Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. 1 *Joh.* 3. 14. Sed una eſt & eadem Theologica virtus, qua Deum diligimus propter ipſum, & proximum noſtrum in & propter Deum. Verus Dei amor producit amorem proximi, & verus proximi amor (intelligo amorem Chriſtianum ſupernaturalem) provenit ab amore Dei. De actibus amoris intelligo, nam uterque continetur in uno infuſo habitu & fructu ſpiritus. Propterea Apoſtolus Johannes ait, ſi quis dixerit: Quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. 1 *Joh.* 4. 20. [Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter

ipsum, & se atque proximo propter Deum. Aug. lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10.] Apostolus has rationes subjungit: Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, 1 *Joh.* 4. 20, 21. Juxta hæc dicta Salvatoris nostri: Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. —— Si quis diligit me, sermonem meum servabit. —— Qui non diligit me, sermones meos non servat. *Joh.* 14. 21, 23, 24. Apposite ad hanc rem, subjungitur in meo textu petitio sequens:

4. *Gressus meos dirige in verbo tuo.* Hebr. פְּעָמַי הָכֵן בְּאִמְרָתֶךָ.

Chald. Targ. אַסְתּוֹרַי אַתְקֵן בְּמֵימְרָךְ.

LXX. *Τὰ διαβήματά μου κατεύθυνον κατὰ τὸ λόγιόν σου.*

Hieronymus ex Græco LXX. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.*

Idem ex Hebræo. *Gressus meos firma in sermone tuo.*

Luther. Laß meinen gang gewiß seyn in deinem Wort.

Pagninus, *Gressus meos dirige in verbo tuo.* [in margine, præpara:

Calvinus, *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.*

Tremell. & Jun. *Pedes meos institue in sermone tuo.*

§. 123. 1. *Gressus meos dirige in verbo tuo.*] Ex hoc sciam me diligere te, & ex hoc sciam benignum tuum vultum & misericordiam erga me. Hæc enim omnia simul conveniunt; aspectus Dei, & misericordia ejus, nostra dilectio nominis ejus, & progressus noster, per ipsius gratiam secundum

תָּכִין לִבָּם *Cor eorum præparabis Ps.* 10. 17.

eloquium ejus. Dico, per ejus gratiam, qua dirigit nostros gressus; id enim non ex nobis ipsis. Sine me nihil potestis facere, ait Salvator noster discipulis suis, *Joh.* 15. 5. Præparatio cordis in homine, & responsio linguæ a Domino. *Prov.* 16. 1. Et ego, (inquit Psalmista) pene declinaverunt pedes mei, effusi sunt fere gressus mei. —— Ego autem insipiens eram, nec cognoscebam: ut jumenta eram apud te. Tamen ego semper tecum fui, tenuisti manum dexteram meam. Consilio tuo deduces me, & postea cum gloria excipies me. *Ps.* 73. 2, 22, 23, 24. Non quod idonei simus per nos ipsos ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deo est. 2 *Cor.* 3. 5. Deus enim operatur in nobis velle & perficere, juxta beneplacitum suum. *Philip.* 2. 13. Hic est effectus beneplaciti & misericordiæ divinæ erga nos. Atque hoc est primum punctum in hac tertia petitione observandum, [*Gressus meos dirige &c.*] humilis scil. grata & sincera auctoris omnis nostræ felicitatis agnitio. Itaque per hæc verba, *Gressus meos dirige*, duæ actiones vel operationes plane significantur; una Dei, qui gressus nostros dirigit, altera nostri, nos enim gradimur, vel ambulamus in Dei verbo, sed a Deo directi. Ille facit ut faciamus, *Ezech.* 36. 27. *Aug. lib. de gratia & lib. arbitrio, cap.* 16.] acti agimus: *Aug. lib. de correptione & gratia, cap.* 2.]

Vox Hebræa הכן proprie significat, & rectum facere, & firmare. 1. fac gressus meos rectos in verbo tuo, ut nec ad dextram, nec ad sinistram me vertam. *ὀρθοποδεῖν*, recta pedibus ambulare, *Gal.* 2. 14. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite: (*ἀνορθώσατε*) & gressus rectos facite pedibus vestris [*τροχιὰς ὀρθὰς ποιήσατε τοῖς ποσὶν ὑμῶν*] ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Hebr.* 12. 12, 13.] *κατευθύναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης*, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Luc.* 1. 79. Semitæ eorum incurvatæ sunt eis. *Isa.* 59. 8. Vid. *Prov.* 2. 13, 14, 15. & 4. 26, 27. 2. Firma etiam gressus meos, ne declinent, ut fiducialiter in via ambulem, & pes meus non impingat. *Prov.* 3. 23. Stabiliantur omnes viæ meæ. *Prov.* 4. 26. Sustenta gressus meos in viis tuis, ne declinent pedes mei. *Ps.* 17. 5. Instar orationis Petri Apostoli pro eis ad quos scribit, ut Deus eos perficeret, confirmaret, solidaret. 1 *Pet.* 5. 10.

Gressus meos פְּעָמַי etiam omnes meos gressus, ut in toto itinere ne unus declinet. Cum quis graditur in angusta via, supra ingens barathrum & præcipitium, si via sit mille gressus longa, licet recte gradiatur per totam viam, unico excepto gressu, ex hujus unius gressus lapsu in barathrum cadit. Sic in vitæ nostræ itinere, quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *Jac.* 2. 10. Atque hoc est secundum punctum in tertia petitione observandum, sensus scil. directionis nostrorum gressuum.

Tertium punctum est ambulationis nostræ regula, Dei verbum, *in verbo tuo*] non in hominum doctrinis, *Isa.* 29. 12. *Matth.* 15. 3. Non in desideriis hominum. 1 *Pet.* 4. 2. Et, (ut observat Calvinus in locum] non captat novas revelationes, verbo posthabito. *3. Verbum Dei ambulationis nostræ regula.*

Olim Patres Orthodoxi in disputationibus suis huic regulæ adhæsere, adversus multiplicem & præcipue triplicem oppositionem.

1. Gnostici figmenta sua & revelationes fictas opposuere, quibus Irenæus respondit, non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. *Iren. l. 3. adversus Hæreses cap. 1.*

2. In diebus Tertulliani, & rursus in diebus Cypriani, de consuetudine loquebantur. Sed si consuetudo Dei verbo repugnet, relinquenda est. Tertullianus ait, veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit &c. Et Cyprianus ad Cæcilium scribens ait; neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Et in Epistola sua ad Pompejum: Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. *Tertullian. lib. de velandis Virginibus cap. 1.* *Cyprian. Epist. 63. & 74.*

3. Post hæc Augustino objiciebantur Patres, Concilia, Ecclesia, &c. atque ille adversus omnes has objectiones Scripturâ se munit. lib. 3. contra Petilianum cap. 7. lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 14. & lib. de unitate Ecclesiæ contra Petilianum Donatistam, cap. 16. & lib. 2. de baptismo contra Donatistas, cap. 3. In his & aliis operum ejus locis ostendit Augustinus sacram Scripturam esse solam certam regulam, ac omnibus aliis sive sub nomine Patrum, sive Conciliorum, sive Ecclesiæ obtrusis præferendam. *Vid. Basil. Moral. reg. 72. cap. 1.*

Verbo Dei in sacris Scripturis revelato adhærentes, iniquitatis dominationem evitamus. A mandatis tuis intellexi; propterea odivi omnem viam

viam iniquitatis. *Pſ.* 119. 104. Sic ad ultimam petitionem io textu devenimus.

5. Et ne dominetur mihi ulla iniquitas.

Si intraverit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit: Conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſervabit te. Ut eruaris a via mala, & ab homine qui perverſa loquitur, &c. *Prov.* 2. 10, 11, 12. Sicut ſtellas cœli non obſcurat nox, ſic mentes fidelium & inhærentes firma-
Zepherini Papæ dictum apud Gratianum. mento ſanctæ Scripturæ, non obſcurat mundana iniquitas. 30. Diſt. Sicut ſtellas. Auguſtinus in Commentario ſuo ſuper hunc textum, ait: Quid igitur orat? niſi ut præcepta quæ Deus imponit jubendo, impleri faciat adjuvando.

§. 224. *Et ne dominetur mihi ulla iniquitas*] Vox Hebræa אָוֶן, hic verſa, *iniquitas*, a Targumiſta in paraphrati Chaldaica hic & in *Pſ.* 5. 6. & 90. 11. & *Iob.* 11. 14. vertitur, *falſum.* Et in aliis locis ab eadem paraphraſi, ut in *Pſ.* 36. 3, 4. רִשְׁעָא impietas, iniquitas. Etiam eadem vox in Targum in Amos 5. 5. vertitur לְמָא, vanitas, nam לְמָא quoad ſignificationem idem eſt cum הֶבֶל vanitas, ut Rab. Salomon Jarchi, & Rab. David Kimchi obſervant in Commentariis ſuis in hunc locum Amos. quod etiam patet in Targum Pſ. 62. 10.

Eadem vox Hebræa אָוֶן hic in textu meo, & in *Pſ.* 5. 6. a LXX. vertitur, ἀνομία, Hieron. ex Græco LXX. *injuſtitia*: idem ex Hebræo, *iniquitas.* Eadem vox io *Pſ.* 90. 11. a LXX. transfertur, πόνος. Hieron. *dolor.* Tremell. & Jun. *moleſtia.* Luther. erbeit.] Gallica verſio, *miſere.* Belgic. arbeyt. Angl. *ſorrow.*

Eadem etiam vox אָוֶן *Iſa.* 66. 3. ab Hieron. Pagnin. Tremell. Jun. & nova verſione Anglica, vertitur *Idolum.* Et in *Hoſ.* 6. 8. a LXX. μάταια. Hieron. *idolum.* Pagnin. *iniquitatem.*

Hinc apparet hoc verbum אָוֶן in extenſione ſua (prout in meo texto ſumeodum eſt, ubi dicit וְאַל תַּשְׁלֶט־בִּי כָל־אָוֶן ne dominetur mihi ullum *aven*, ſeu ſecundum hebraiſmum omne
Aven. *aven*, LXX. πᾶσα ἀνομία) quoad ſignificatio-
1. nem ſuam has tres continere partes: 1. *vanitatem* & *falſum.* Vanitatem & verba mendacia
2. longe fac a me. *Prov.* 30. 8. 2. *Idololatriam*
3. & quamcunque *iniquitatem.* 3. Ærumnas & dolores. Domine, ne ullum ex his mihi dominetur. Cumque unumquodque horum multos ramos habeat in quos ſubdividitur, ne horum ulla ſpecies mihi dominetur. Non ſufficit omnia peccata vitare, ſi unum regnet. Tunc non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. אֶל־כָּל־מִצְוֹתֶיךָ ἐπὶ πάσας τὰς ἐντολάς σου. *Pſal.* 119. 6.

Ne dominetur ulla iniquitas mihi] אַל תַּשְׁלֶט־בִּי μὴ κατακυριευσάτω μου. Hiero. ex Græco LXX. *Non dominetur mei omnis injuſtitia.* Idem ex Hebræo: *Non des poteſtatem in me univerſæ iniquitati.* Peccatum vobis non dominabitur, *Rom.* 6. 14. An neſcitis quod cui ſiſtitis vos ſervos ad obediendum, ejus ſervi eſtis cui auſcultatis, ſive peccati ad mortem, ſive obedientiæ ad juſtitiam? *Rom.* 6. 16. Quiſquis operam dat peccato, ſervus eſt peccati. Servus autem non manet in domo perpetuo, filius manet perpetuo. Ideo ſi vos Filius in libertatem vindicarit, vere liberi eritis. *Joh.* 8. 34, 35, 36. Hæc eſt unica vera libertas. Bernard. lib. de gratia & lib. arb. Cum igitur triplex ſit nobis propoſita libertas, a peccato, a miſeria, a neceſſitate, &c.] In multis offendimus omnes, *Jac.* 3. 2. Verum Domine, ne ulla iniquitas me captivum teneat, aut mihi dominetur, ſed Spiritu tuo voluntario confirma me. Hilarius in hunc locum per iniquitatem, injuſtitiam, intelligens afflictiones & tentationes, ait; non ut a ſe abſit, ſed ne dominetur ſui, orat. Scit per tentationes ad gloriam perveniti.] Et adductis exemplis Abrahami, Jobi, & Joſephi, ſic pergit: Dominationem injuſtitiæ Propheta metuit, tentationem vero ejus non recuſat. Dirigendos autem eſſe a Domino greſſus ſuos ſecundum eloquia ſua meminit, ne iniquitas qua tentatur, poteſtatem poſſit habere dominandi. Hucuſque Hilarius. Gregorius apud Hugonem Cardinalem in hunc textum *Pſ.* 119. 113. Nulla nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Vid. *Iſa.* 26. 13.

Obſervate hoc eſſe donum Dei, & gratiæ ejus ſpecialis opus; ſine qua iniquitas nobis dominaretur. Propterea Pſalmiſta Deum orat, det ei hanc miſericordiam, ut in verbo ſuo greſſus ejus dirigat, ac ne ulla iniquitas ei dominetur. Quod nobis omnibus det Dominus, per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, cui cum Patre & Spirito Sancto, Sanctæ Trinitati individuæ, ſit omnis & ſempiterna laus, honor & gloria. Amen.

1 Theſſ. 3. 12, 13. 31. Aug. 1639.

Faxit autem Dominus ut auctiores ſitis, & exundetis mutua inter vos caritate, & in omnes, quemadmodum & nos in vos: Ut corda veſtra inculpata ſtabiliat in ſanctimonia, coram Deo & Patre veſtro, in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus ſanctis ſuis.

Orationem hanc ad Deum ſudi pro ejus Eccleſia in hoc regno, & ubique terrarum, pro omnibus noſtris popularibus, & univerſis Dei liberis per totom peregrinationis noſtræ curſum; proque me, conjuge, filio & familia noſtra, pro omnibus Evangelii Miniſtris, pro collegis meis, pro Univerſitate hac Aberdonenſi & cunctis literaturæ Scholis, ac pro omnibus noſtris amicis & proximis. Hæc in muſeo privatim precatus ſum die 31. Auguſt. 1639. & magnam percepi conſolationem. Tunc factus ſum coram eo quaſi pacem reperiens. Cantic. 8. 10. Benedictus ſit Deus. Omnis laus & gloria ſancto ejus nomini in ſecula ſeculorum. Hallelujah. Amen & Amen.

Die 11. *Septembris* 1639. fervidis ſuſpiriis & §. 225.
lacrymis Dominum quæſivi, ut omnia mea pec- *Fœdus Nationale.*
cata remitteret, meque liberaret a tentationibus minatis ex ſtatuto in Nationali-Synodo facto, omnibus nupero fœderi ſubſcriptionem injungente, quod ſtatutum dicitur ratum habitum eſſe in hoc Parlamento. Dominum fervide precatus ſum miſereri mei, ac notam facere mihi viam in qua ambulem, animamque meam e carcere educere, ut ſanctum ejus nomen laudarem; ac mihi gratiam ſemper ac miſericordiam coram eo præſtare, ac miſericordiam opportunam ac favorem in oculis omnium, quibuſcum
mihi eſt negotium. Et die 12. Septembris ea- 12. Sept.
dem precatus ſum quoad ſubſtantiam, ac meditatus ſum ſuper Petri confidentiam, ejuſque ſubſequentem horrendam negationem, ac ſuper hæc Salvatoris noſtri verba: Simon, Simon, ecce Satanas appetit vos, quos ventilaret ſicut triticum. Sed ego deprecatus ſum pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos: *Luc.* 22. 31, 32. Medi-
tationes has renovavi die 13. Septembris, hiſce 13. Sept.
memoriam multorum & gravium peccatorum

diu abhinc a me commissorum addens; de præsenti etiam pravitate me in discrimen similis lapsus, ad veritatis scil. abnegationem instar Petri adducente, cogitans, Deum magna profusione lacrymarum suppliciter precatus sum, omnes meas iniquitates secundum magnam ejus misericordiam delere, cumque in mundum venerit peccatores salvos facere, me omnium peccatorum vilissimum & primum salvare, mihique dare ut omnes mihi præcellere existimem, & consolationem magnam percipiam, in summa ejus erga nos omnes & me gravibus peccatis oneratum misericordiâ; ut, sicut omnes tales ad se venire invitat, eis requiem promittens, me propè se trahat, meæque animæ requiem det, & licet peccata mea innumera & odiosa sint, ut tamen eo magis suarum erga me misericordiarum multitudinem & magnitudinem magnificaret. Quæ misericordiæ ante omne seculum præparatæ sunt, & præstituto tempore solis peccatoribus exhibitæ, & quo graviora fuerint peccatoris facinora, eo magis misericordia & gratia largita eum laudi divitiarum gloriosæ ejus gratiæ inservire facit. Et ut me in sola ejus misericordia firmiter sperare faceret, utque gratia ejus mihi semper adesset, mihique sufficeret, ac ejus misericordia me semper sustineret, ne eum vel ejus veritatem unquam coram hominibus negem, neque iram humanam, quæ justitiam Dei minime operatur immisceam. Ac instar Salvatoris mei, mitem ac humilem corde me faceret, animæque requiem daret. Postulavi etiam misericordiam pro ægra conjuge, ac super eam, me & filium nostrum benedictiones uberes. Quas preces iterum atque iterum renovavi die 14. Septembris, hanc petitionem addens, ut Dominus semper nobis in misericordia adsit, præsertim hora nostri ex hac vita decessus, ut omni tempore ac eo præcipue gratiam coram eo inveniamus, ac omnes qui viderint, nos semen esse cui Dominus benedixit cognoscant; (*Isa.* 61.9.) utque decedere ac cum Domino Jesu fore lætemur, ut consilio suo nos dirigeret, ac postea ad gloriam susciperet, (*Psal.* 73. 24.) propter Jesum Christum Salvatorem nostrum, qui non solum pro Petro, non solum pro Apostolis oravit, sed pro eis etiam qui per verbum eorum in eum credituri erant: Qui etiam est ad dextram Dei, qui & interpellat pro nobis. (*Rom.* 8. 34.) Quem advocatum habemus apud Patrem, quique est propitiatio pro peccatis nostris. (1 *Joh.* 2. 1, 2.) Dominum rogavi, ut e corde meo radicitus evelleret omnem impietatem, a cultu ejus aversionem, murmurationem, impatientism, oculi malitiam, superbiam, impudicitiam, intemperantiam, avaritiam, timorem suspiciosum, melancholiam vitiosam, malam iram, philautiam, aliorum contemptum, & quicquid oculis ejus gloriæ offensivum est, mihique hæc & omnia mea peccata dimitteret, omnesque has miserationes abunde largiretur, conjugi, filio, cunctæ nostræ familiæ, omnibusque Dei filiis per totum peregrinationis nostræ cursum. Sic diu noctuque orans, misericordiam impetravi, & gratiam inveni ad auxilium opportunum. (*Heb.* 4. *v. ult.*) Dominus responsa pacis mihi dedit, & consolationum quotidianum augmentum; Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. (*Matth.* 9. 2.) Sic exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quoniam exaudita fuit vox mea, pervenitque oratio in ejus habitaculum sanctum. Ei autem qui potens est facere (& in ejus misericordia spero eum facturum) omnia superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem

Chrysost. Serm. in Ps. 50. μικρὰ ἡ μετάνοιά σου, ἀλλὰ μεγάλη ἡ τοῦ Δεσπότου Φιλανθρωπία.

Oratio pro beato decessu.

Christus advocatus & propitiatio nostra. Oratio.

Consolatio.

quæ operatur in nobis, (*Eph.* 3. 20.) soli sapienti Deo, Patri, Filio & Spiritui Sancto, Trinitati Sanctæ individuæ, unico vero Deo, Salvatori nostro, sit gloria in Ecclesia, per Jesum Christum Dominum nostrum, per omnia secula in æternum. Amen. Exercitus cœli te, Domine, adorat. (*Nehem.* 9. 6.) Plena est omnis terra gloria tua, & in templo tuo omnes dicent gloriam. (*Isa.* 6. 3. *Ps.* 29. 9.) Gloria in altissimis Deo; & in terra pax, in hominibus benevolentia. (*Luc.* 2. 14.) Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. (*Ps.* 145. 9.) Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicent tibi. Et anima mea quam redemisti. Et animæ nostræ quas redemisti. In manus tuas commendo spiritum meum, tu me redemisti Domine Deus veritatis. (*Ps.* 31. 6) In manus tuas commendamus nostros spiritus, animas nostras & corpora, nostra corda & ora, omnemque nostram conversationem, & quicquid ad nos pertinet, statum nostrum temporalem ac æternum; tu nos redemisti Domine Deus veritatis. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? (*Rom.* 8. 31, 32.) Noli timere, sed loquere, & ne taceas. Propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi ut noceat te. (*Act.* 18. 9, 10.) Domine, labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam. (*Ps.* 51. 17.) Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi; notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. (*Ps.* 143. 8, 9, 10.) Complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper: Domine adjutor meus & redemptor meus. (*Ps.* 19. *v. ult.*) Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: Salutare vultus mei & Deus meus. (*Ps.* 42. 6, & 12.) Deus autem spei repleat nos omni gaudio & pace in credendo, ut abundemus in spe, per virtutem Spiritus sancti. (*Rom.* 15. 13.)

Pia commendatio.

Die 15. *Septembris* 1639. In iisdem orationum & meditationum exercitiis persistebam, sacrarum etiam concionum aliorumque piorum exercitiorum observans, cum dies esset Dominicus. Et cum animo meo recordans promissum a Salvatore nostro discipulis ejus factum, ac in sacras Scripturas relatum, non propter solos Apostolos, sed in consolationem omnium Christianorum fidelium: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri. (*Luc.* 21. 15.) Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. (*Matth.* 10. 19, 20.) Dixit Dominus ad Moysen: Perge, & ego ero in ore tuo: doceboque quid loquaris. (*Exod.* 4. 12.) Deus est salutare vultus mei, & Deus meus. (*Ps.* 42. 12.) In oculis sapientiam tuam manifestabis mihi. (*Ps.* 51. 8.) Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil

§. 226. *Fœdus Nationale.*

nihil hæſitans. (*Jac.* 1. 5, 6.) Omnia ſunt poſſibilia credenti. (*Marc.* 9. 23.) Horum memor fui & magnopere conſolatus ſum. Deus dat nobis ſapientiam & fidem in corde, ſermonem in ore, ſalutem in vultu, adjutorio vultus ejus, ejus præſentia nobiſcum & in nobis. Confirma Domine hoc quod operatus es in nobis. (*Pſ.* 68. 29.) Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis. (*Iſa.* 26. 12.)

§. 127. *Oratio misericordiam & gratiam poſtulans.* *Fœdus Nationale.*

Die 16. *Sept.* 1639. eaſdem habui meditationes, ac rurſus Dominum ſuſpiriis ac lacrymis quæſivi, rogans eum propter Chriſtum, qui pro me interpellat, mihi omnia mea peccata dimittere ac oblivioni dare, omnes offenſiones auferre, ac omnia quæcunque impedimenta amovere, miſericordiam & gratiam coram eo ſemper largiri, ac miſericordiam & gratiam opportunam apud eos, cum quibus mihi eſt negotium: Spiritu ſuo ſancto me ita dirigere, ut contra veritatem nihil agam, nec ex ſuperbia, lite, vana gloria, vel humanâ proterviâ; ſed ut ſancto ejus veritatis & pacis ſpiritu, in via veritatis & pacis deducar, ſincere & humiliter exiſtimans unumquemque mihi præcellere, & etiam multum conſolatus in Dei erga nos omnes miſericordia. Doce me Domine viam ſtatutorum tuorum, & exquiram eam ſemper. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde meo. Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. Statue ſervo tuo eloquium tuum, in timore tuo. Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum: quia judicia tua jucunda. Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me. (*Pſ.* 119. *He.*) Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam. Neque irrideant me inimici mei: etenim univerſi qui ſuſtinent te non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes ſupervacue. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Salvator meus, & te ſuſtinui tota die. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ a ſeculo ſunt. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris: ſecundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine. Dulcis & rectus Dominus: propter hoc docebit delinquentes in via. Diriget manſuetos in judicio: docebit mites vias ſuas. Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum ejus & teſtimonia ejus. Propter nomen tuum Domine, propitiare peccato meo: multum eſt enim. [Miſericordiæ tuæ multæ Domine; ſecundum judicium tuum vivifica me. (*Pſ.* 25.)] Quis eſt homo qui timet Dominum? (Da Domine timorem tuum in corde meo, *Jer.* 32. 40.) eum docebit in via quam elegit. Anima ejus in bonis demorabitur; & ſemen ejus hæreditabit terram. Secretum Domini eſt cum timentibus eum, & teſtamentum ipſius ut manifeſtetur illis. Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos. Reſpice in me, & miſerere mei: quoniam unicus & pauper ſum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte univerſa delicta mea. Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me. Cuſtodi animam meam, & erue me: non erubeſcam; quoniam ſperavi in te. Innocentia & rectitudo me ſervent, quia ſuſtinui te. Libera Deus, Iſrael, ex omnibus tribulationibus ſuis. (*Pſal.* 25.) Memento mei Domine in beneplacito populi tui: viſita me in ſalutari tuo: Ad videndum bonitatem electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hæreditate tua. (*Pſ.* 106. 4, 5.) Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem. Principes perſecuti ſunt me gratis: ſed a verbis tuis formidavit cor meum. Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliaſti me. Fiat miſericordia tua ut conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſervo tuo. Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea; quia eloquium tuum vivificavit me. (*Pſalm.* 119. 161, 75, 76. 49, 50.) Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum. Effudi in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntiavi. In deficiendo ex me ſpiritum meum, tu cognoviſti ſemitas meas. In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi. Conſiderabam ad dextram, & videbam: & non erat qui cognoſceret me. Periit fuga a me, & non eſt qui requirat animam meam. Clamavi ad te Domine, dixi: tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium. Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis. Libera me a perſequentibus me: quia confortati ſunt ſuper me. Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant juſti, donec tu retribuas mihi. (*Pſ.* 142.) Qui timent te, videbunt me & lætabuntur: quia in verba tua ſemper ſperavi. (*Pſalm.* 119. 74.) Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua juſtitia. Et non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam. Collocavit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi. Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum. Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus. Non avertas faciem tuam a me: ne ſimilis ſim deſcendentibus in lacum. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperavi. Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine, vivificabis me, in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam; quoniam ego ſervus tuus ſum. (*Pſalm.* 143. vide *Pſalm.* 116. 16.) Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Suſcipe ſervum tuum in bonum: non calumnientur me ſuperbi. Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium juſtitiæ tuæ. Fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam; & juſtificationes tuas doce me. Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua. *Pſ.* 119. 49, 122--126.

Die 16. *Septembris*, eaſdem rurſus preces effudi, & miſericordiam ac gratiam in conſpectu Domini Dei mei inveni omnibus his diebus hu-

jus ſpiritualis exercitii, ac conſolationis & virtutis quotidianum argumentum.

§. 228. *Meditatio ſalutaris ſuper Matth. 14. 28, 29, 30, 31.*

Eodem die 16. Septembris, hanc valde ſalutarem habui meditationem, ſuper narrationem illam in Evangelio *Matth.* 14. 28, 29, 30, 31. Reſpondens autem Petrus, dixit: Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquam. [*κέλευσόν με πρός σε ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ὕδατα.*] At ipſe ait: Veni. [*ἐλθέ.*] Et deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Jeſum. [*περιεπάτησεν ἐπὶ τὰ ὕδατα, ἐλθεῖν πρὸς τὸν Ἰησοῦν.*] Videns vero ventum validum, [*ἄνεμον ἰσχυρὸν,*] timuit. [*ἐφοβήθη.*] Et cum cœpiſſet mergi, clamavit, dicens: Domine, ſalvum me fac. [*καὶ ἀρξάμενος καταποντίζεσθαι, ἔκραξε λέγων· Κύριε, σῶσόν με.*] Et continuo Jeſus extendens manum, apprehendit eum, [*Εὐθέως δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἐπελάβετο αὐτοῦ.*] Et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti? [*ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίστασας.*]

Baſil. Moral. reg. 8. cap. 1. ὅτι οὐ δεῖ διακρίνεσθαι καὶ διστάζειν ἐπὶ τοῖς ὑπὸ τοῦ Κυρίου λεγομένοις, ἀλλὰ πληροφορεῖσθαι πᾶν ῥῆμα Θεοῦ ἀληθὲς εἶναι καὶ δυνατὸν, κἂν ἡ φύσις μάχηται· ἐνταῦθα γὰρ καὶ τὸ ἆθλον τῆς πίστεως. Hæc Baſilius & citat hunc Scripturæ locum cum quibuſdam aliis. vide ibid. c. 2.

Auctoritas noſtra quoad ambulandum, eſt Dei verbum. Via eſt obedientia Dei mandatis præſtita. Sic ambulantes ad Jeſum venimus. Multæ difficultates & terrores in hac via in conſpectum noſtrum veniunt; quibus ex infirmitate noſtræ fidei deterremur, & in via deficere incipimus. Tunc oratione utimur. In tribulatione noſtra ad Dominum clamamus, ut nos ſalvos faciat, & in orationem humilium Dominus reſpicit, noſtramque precem non ſprevit. (*Pſal.* 102. 18.) Clamorem noſtrum exaudit, idque celeriter, ac nos ſalvos facit. (*Pſal.* 145. 19.) Arundinem quaſſatam non franget, & linum fumigans non extinguet. (*Matth.* 12. 20.) Ob incredulitatem tamen nos objurgat; ſed e præſenti difficultate primo nos eripit, & tunc objurgat. Ubi Dei verbum pro auctoritate habemus, ac tunc certi ſumus, nos, facto noſtro, obedientiam mandato divino præſtare, & cum ſcimus nos hac via ad Jeſum venturos, quare dubitamus? Omnia verbo ſuo fecit; quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt. (*Pſ.* 33. 9.) Apud Deum enim nihil impoſſibile erit. [*ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα.*] (*Luc.* 1. 37.) Ejus gratia ſufficit nobis, nam ejus virtus in infirmitate perficitur. (2 *Cor.* 12. 9.) Ne metue, ſolummodo crede. (*Marc.* 5. 36.) Omnia credenti ſunt poſſibilia. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. (*Marc.* 9. 23, 24.) Cœlum & terra præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt. (*Matth.* 24. 35.) Nonne ego juſſi te? confortare, & eſto robuſtus. Noli metuere, & noli timere; quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus, in omnibus ad quæcunque perrexeris. (*Joſ.* 1. 9.) Deus noſter refugium & virtus; adjutor in tribulationibus expeditus. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Etiamſi fremant & turbentur aquæ ejus, & contremiſcant montes propter ſublimitatem ejus. (*Pſ.* 46. 1, 2, 3.) Deus compeſcit ſonitum marium, ſonitum fluctuum eorum, & ſtrepitum gentium. (*Pſal.* 65.) Hinc convertentur inimici mei retrorſum, in die qua ad te clamabo, hoc cognoſco, nam Deus pro me eſt. In Deo laudabo verbum ejus, in Domino laudabo verbum: in Deo ſperavi, non timebo quid faciat mihi homo. (*Pſal.* 56. vide *Jerem.* 1. 8, 9, 10, 17, 18, 19. & *Act.* 4. 29. *Pſ.* 86. 16, 17: & 71. 16--24.) In me ſunt Deus, vota tua, quæ reddam, laudationis tibi. Quoniam eripuiſti animam meam de morte; pedes meos de lapſu, ut ambulem coram Deo in lumine viventium.

Meditatio ſuper narrationem hanc Evangelicam.

Fortitudinis Chriſtianæ argumenta.

Dominum dilexi, quoniam exaudivit vocem orationis meæ. Quia inclinavit aurem ſuam mihi, quoad vixero, eum invocabo. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Tribulationem & dolorem inveni: tunc nomen Domini invocavi. O Domine, libera animam meam. Miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur. Cuſtodiens parvulos Dominus; humiliatus ſum, & liberavit me. Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuiſti animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapſu. Ambulabo coram Domino in terra viventium. (*Pſ.* 115.) Credidi, propter quod locutus ſum; ego autem humiliatus ſum nimis. Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam; & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. O Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus; in atriis domus Dei, in medio tui Jeruſalem. *Hallelujah.* (*Pſ.* 116.) Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. (*Pſ.* 117.)

Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Etiamſi ficus non florebit, & non erit germen in vineis; mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum: abſcindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præſepibus: Ego tamen in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo; Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervorum: & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem. (*Habak.* 3. 17, 18, 19.) Deo autem gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. (1 *Cor.* 15. 57.) *Amen.* Benedictus ſit Dominus.

Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis? (*Gen.* 32. 29.) His verbis & meditationibus illis ſuper Jacobi luctam ſupra in hoc libro ſcriptis 29. *Octobris* 1626. Dominus me rurſus conſolatus eſt, & cor meum roboravit die 19. *Septembris* 1639. Tranſivitque in Salem —— & erecto ibi altari, invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël. (*Gen.* 33. 18--20.)

Die 20. Septembris 1639. dum legebam *Matth.* 27. 12, 14. Salvatoris noſtri, coram Præſide Romano Pilato ſilentium, cum coram eo accuſatus fuiſſet, promiſſi illius ſalutaris quod diſcipulis fecerat, (*Matth.* 10. 18, 19, 20.) memini, quod cum propter eum ad Reges & Præſides ducentur, dabitur illis in illa hora quid loquentur, & ſpiritus Patris illorum in iis loquetur. Ponite ergo in cordibus veſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri. Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Et capillus de capite veſtro non peribit. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. (*Luc.* 21. 14——19.) Dominus & Salvator noſter, poſita in eum iniquitate omnium noſtrum, ac peccata noſtra portare volens, & pro noſtra redemptione pati, non aperuit os ſuum, ſicut §. 229.

Meditatio ſuper ſilentium Salvatoris noſtri coram Pilato.

agnus

agnus ad occisionem ductus fuit, & sicut ovis coram tondente se obmutescit, sic non aperuit os suum. (*Isa.* 53. *Act.* 8.) Atque ita nobis acquisivit confidentiam ac oris apertionem in eum sperantibus, qui est Advocatus noster apud Patrem, ac securum tutamen contra omnes nostros adversarios. Cum nobis præmeditationem prohibet, sensus est, quod, etiamsi mediis ordinariis orationis & meditationis, ad nos melius præparandos, usi simus; in nostris tamen præmeditationibus non fidendum sit. Neque ob infirmitatem nostram animum despondeamus, sed onus nostrum super Dominum projiciamus, & ipse nos sustentabit; in eum speremus, promissis ejus confidamus, eorumque veritatem experiri nos faciet, ac salutem suam nobis ostendet.

Cum res tamen postularet, locutus est, & coram Pontio Pilato testatam fecit præclaram professionem. Joh. 18. 37. 1 Tim. 6. 13. & coram principe sacerdotum. Marc. 14. 61. Non satis est involuta responsio confitentis Jesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, si videri vis denegasse. Ambros. comm. in Luc. 22. ubi de negatione Petri.

Basil. Magn. Moral. regula 6. Ἠθικῶν ὅρος ς΄.

Ὅτι δεῖ ἀφόβως καὶ ἀνεπαισχύντως παῤῥησιάζεσθαι ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν λόγων αὐτοῦ. Quod intrepide & sine pudefactione libere agere oporteat in confessione Domini nostri Jesu Christi & sermonum ejus.

Ad hanc regulam confirmandam adducit sequentia sacræ Scripturæ testimonia. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus; sed esto particeps afflictionum Evangelii secundum virtutem Dei. Postrema ista Apostoli verba, κατὰ δύναμιν Θεοῦ, non adfert Basilius, sed subjicit ex alio loco ejusdem Epistolæ hæc verba, ὡς καλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ, sicut bonus miles Jesu Christi.

Beatitudo eorum quos persequuntur, & maledicunt, & oderunt homines, propter Christum, describitur *Matth.* 5. 10, 11, 12. & 10. 25. *Luc.* 6. 22, 23. *Act.* 5. 41. *Philip.* 1. 28, 29. 1 *Pet.* 3. 14. & 4. 12, 13, 14. 2 *Thess.* 1. 4, 5. 6, 7. vide etiam 1 *Tim.* 4. 10. *Heb.* 10. 32, 33, 34, 35, &c. & 11. 24, 25, 26, 27.

§. 230. *Contra sollicitudines mundanas. Contra metum molestiarum. Oratio contra iniqua machinamenta.*

Die 23. *Septembris* sollicitudinum mundanarum tentatione oppugnatus & vexatus, supplici oratione ad Deum confugi, summum & unicum omnipotentem medicum, qui omnibus nostris medetur morbis, qui in mundum venit ægros sanare, quærere & salvum facere quod perierat, peccatores ad pœnitentiam vocare, & peccatoribus pœnitentiam ad vitam dare. Ac conciones istas contra inordinatam sollicitudinem pro rebus terrenis legi, quas scripseram super *Joh.* 6. 26, 27. & *Philip.* 4. 6, 7. Et Dominus sanavit me. Dominus etiam contra alium tentationem mihi eam consolationem renovavit quam habueram die 10. Julii 1638. Meditans etiam de solertia, astutia, gravitate & diligentia fratrum quorundam, collegis meis & mihi inquietudinem & opprobrium conflare satagentium, Dominum precatus sum, in stultitiam vertere prudentiam eorum qui in molestiis nobis creandis perverse occupantur, iisque miserer, eosque ab omni malo opere convertere, ac tum eis, tum nobis, dare ut consolationem & satisfactionem in ea sola via, in qua Deus sibi complacet, quæramus; ac nos bono ejus spiritu sustentare, ut non deficiamus, sed Christum semper ejusque veritatem confiteamur: fidem etiam nostram confirmare ac adaugere, ut quæcunque tempestas sæviat, non terreamur; sed eum nobiscum semper inveniamus, licet aliquando dormire simulantem, tevera tamen custodem nostrum perpetuo vigilantem; nec ullus unquam tentationum fluctus nos opprimat, sed ut tempestive imperet ventis & mari, & det nobis tranquillitatem. [Quemadmodum fecit in tempestate; cujus mentio facta est *Matth.* 8. 24, &c.] Sic eximiam percepi consolationem. Deo autem gratias, qui semper nos triumphare facit in Christo. Cui sit gloria in secula. *Amen.*

Et dixit Moyses ad populum: Nolite timere: state & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. (*Exod.* 14. 13, 14.)

Libera nos Domine, & etiam serva fratres nostros qui tribulare nos velint. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. (*Prov.* 16. 7.)

Deus ergo pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, Aptet nos in omni bono, ut faciamus ejus voluntatem; faciens in nobis quod placeat coram se, per Jesum Christum; cui sit gloria in secula seculorum. *Amen.* (*Heb.* 13. 20, 21.)

Die 24. *Septembris* 1639. legens hæc verba Salvatoris nostri, vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet, in mentem venit alterum illud Salvatoris nostri effatum: Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus; & servo, sicut dominus ejus. Illud etiam Apostoli: Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives: ut illius inopia, vos divites essetis. Et dictum illud Salvatoris: Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Quid igitur? An animum despondeamus, si nos persecuti fuerint, falso conviciati fuerint, oderint, bonis terrenis inique nos spoliarint, domiciliis & prædiis ejecerint, & procul a carissimis amicis in exilium miserint, imo & propter Christum occiderint? Nullo pacto. Sed gaudere debemus quod participes

§. 231. *Ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. Documentum læta & patientis fortitudinis in passionibus nostris propter Christum.*

ticipes ſimus paſſionum Chriſti, (1 *Pet.* 4. 13.) & digni habiti ſimus pro ejus nomine contumeliam pati. (*Act.* 5. 41.) Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus: & ſervo, ſicut Dominus ejus. (*Matth.* 10. 25.) Imo in omnibus his ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. (*Rom.* 8. 37.) Et licet infirmi ſimus, & deficere proni, ipſe confirmat nos, ſui promiſſi ſemper memor eſt. Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere. (1 *Cor.* 10. 13.) Gratia ejus ſufficit nobis: virtus ejus perficitur in infirmitate. Omnia poſſum in eo qui me confortat, dicit Apoſtolus Paulus. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis, pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum. (2 *Cor.* 12. 9, 10.) Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem juſto. (*Pſ.* 55. *v. penult.*) Per Jeſum Chriſtum omnes credentes juſtificati ſunt ab iis omnibus, a quibus non potuerunt in lege Moyſi juſtificari. (*Act.* 13. 39.) Juſtificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum, —— per unius enim obedientiam juſti conſtituentur multi. (*Rom.* 5. 1--19.) Juſti ex fide vivent. (*Rom.* 1. 17.) Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. (*Marc.* 9. 24.) Super te jacto curam, ſuſtine me Domine, meque in æternum a fluctuatione ſerva. Greſſus meos dirige, rectos fac & confirma greſſus meos in verbo tuo, nec prævaleat ſuper me ulla iniquitas. Ad te Domine venio, qui benigne vocas omnes, qui laborant & onerati ſunt; da mihi requiem Domine, ſecundum verbum tuum, in quo mihi ſpem dediſti. Verus Chriſtianus non commovetur, licet patiatur perſecutionem, tribulationem, anguſtiam, famem, nuditatem, periculum, gladium, cum in his omnibus ſuperet, per eum qui dilexit nos, & certus ſit quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque præſentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura ulla, poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Cum præoccupatus fuerit Chriſtianus in delicto aliquo, tunc multum commovetur, tunc flet amare, ſicut Petrus fecit poſt ſuam negationem; non tamen ita movetur, ut penitus proſtratus ſit, Dominus enim manu ſua eum ſuſtentat, ne fides ejus deficiat. Omnia alia pro damno & ſtercore ducit, ut Chriſtum lucrifaciat, & in illo inveniatur. Hæc vobis locutus ſum, ut in me pacem habeatis; in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum, dicit Dominus noſter diſcipulis ſuis, *Joh.* 16. 33. Apoſtolus Paulus, teſtimonio Spiritus ſancti certior factus, vincula & tribulationes Hieroſolymis eum manere, dicit: Sed nihil horum vereor; neque vita mea mihi ipſi cara eſt, ut conſummem curſum meum cum gaudio, & miniſterium quod accepi a Domino Jeſu, ad atteſtandum Evangelium gratiæ Dei. (*Act.* 20. 24.) Da mihi Domine id ipſum ſapere, & curſum itidem conſummare. Tantum Deo ſilet anima mea; nam ab ipſo ſalus mea. Tantum ipſe eſt petra mea & ſalus mea: ipſe ſuſceptor meus, non amplius movebor. Quouſque irruitis in hominem? interficiemini univerſi vos; eritis tanquam paries inclinatus, & maceria depulſa. Tantummodo a magnitudine ipſius conſultant depellere, diligunt mendacium: ore ſuo benedicunt, & corde ſuo maledicunt. Verum Deo ſubjecta eſto anima mea; quoniam ab ipſo patientia mea. Quia ipſe Deus meus, & Salvator meus: adjutor meus, non emigrabo. In Deo ſalutare meum, & gloria mea: Deus auxilii mei, & ſpes mea in Deo eſt. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adjutor noſter in æternum. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris: leviores vanitate ſimul. Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi: quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine *miſericordia:* (חֶסֶד) quia tu reddes unicuique juxta opera ſua. (*Pſ.* 62.) Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto in ſecula ſeculorum. *Amen.*

Remedia contra infirmitatem.

Oratio.

Quo pacto verus Christianus non movetur, juxta promiſſum Pſ. 55. v. penult. Rom. 8.

Die 28. *Sept.* 1639. Dum in campis meditabar, innumera mea gravia peccata, & corruptiones magnopere deflevi, ac Deum ardenter deprecatus ſum, verbis utens pœnitentialis illius *Pſalmi* 51. Pſalmi Davidis, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethſabe: Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitates meas. Multum lava me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; & peccatum meum eſt coram me ſemper. Tibi ſoli [לְךָ] peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris. &c. Totum Pſalmum ad finem uſque recitavi multis lacrymis, & vehementer implorans miſericordiam & gratiam divinam mihi, & benignum ejus favorem Eccleſiæ in duobus ultimis Pſalmi verſibus. In unumquemque verſum ſuaves habui meditationes, & conſolationem eximiam. Tunc Dominum laudavi, tum ſolitis meis canticis laudis, (ſcilicet 1 *Sam.* 2. 1, 2. *Pſal.* 18. 31, 32. 2 *Sam.* 23. 32, 33, 47. *Iſa.* 12. &c.) tum etiam *Pſal.* 138. Deum laudans propter inenarrabiles ejus miſericordias, gratiæ augmentum, ac completionem bonæ ejus operationis in & pro me implorans. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſpectu Angelorum pſallam tibi. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo ſuper miſericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificaſti ſuper omnia nomen ſanctum tuum. Die qua invocavi te, exaudiſti me: multiplicaſti in anima mea virtutem. Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, cum audierint verba oris tui. Et cantabunt in viis Domini: quoniam magna eſt gloria Domini. Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit: & alta a longe cognoſcit. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & ſuper iram inimicorum meorum manum tuam extendes, & ſalvum me faciet dextra tua. Dominus retribuet pro me: Domine, miſericordia tua in ſeculum; opera manuum tuarum ne deſpicias. *Pſ.* 138. Amen. Benedictus ſit Dominus in ſecula ſeculorum. Amen & Amen.

§. 231. Meditatio in Pſ. 51.

Eheu, tibi, mi Deus, ſoli bono, & in oculis tuis.

Et ſemper exaudis me, & roborabis me.

Meditationes pro tempore nocturno. §. 233.

Evigilavi, & adhuc ſum tecum. *Pſ.* 139. 18.

Ideo expergefactus ſum, & vidi, & ſomnus meus dulcis fuit mihi. *Jer.* 31. 22.

Ego dormivi & ſoporatus ſum: & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. Non timebo millia populi circumdantis me. *Pſ.* 3.

In pace in idipſum dormiam, & requieſcam; quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. *Pſ.* 4. 9, 10.

Sicut

Sicut adipe & pinguedine replebitur anima mea; & labiis exultationis te laudabit os meum. Cum memor fum tui super stratum meum, & in matutinis meditor in te. Quia fuisti adjutor meus, in velamento alarum tuarum exultabo. Adhæret anima mea post te, me suscipit dextra tua. *Ps.* 63. 6, 7, 8.

Cavete, ne peccetis; loquimini in corde vestro, super cubili vestro, & tacete. *Ps.* 4. 5.

Lavo per fingulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigo. *Ps.* 6. 7.

Benedicam Domino, qui tribuit mihi intellectum, insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei. *Ps.* 16. 7.

Beatus vir, cujus delectatio in lege Domini, & in lege ejus meditatur die ac nocte. *Ps.* 1. 2.

Anticipaverunt vigilias oculi mei. *Ps.* 77. 5.

Anima mea desideravit te in nocte, & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. *Isa.* 26. 9.

Tuus est dies, & tua est nox. *Ps.* 74. 16.

Si dixero: faltem tenebræ occultabunt me: etiam nox lucebit propter me. Etiam tenebræ non occultant a te, & nox ut dies lucet: tenebræ funt ut lux, & lux ut tenebræ. *Psal.* 139. 11, 12.

Ubi est Deus qui fecit me, qui dat carmina in nocte? Qui docet nos super jumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos. *Job.* 35. 10, 11.

Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. *Ps.* 92. 1, 2.

Noctu corde meo meditabar: & ferutabatur spiritus meus. *Ps.* 77. 7.

Recordatus fum nocte nominis tui, Domine, & custodivi legem tuam. *Ps.* 119. 55.

Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis. Cave ne declines ad iniquitatem; hanc enim elegisti potius quam miseriam. *Job.* 36. 20, 21.

Media nocte furgo ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ. *Ps.* 119. 62.

Nicodemus venit ad Jesum nocte, & cœlestes illas accepit institutiones. *Joh.* 3. 2.

Propterea nox vobis pro visione erit.

Nox processit, dies autem propinquat. Abjiciamus igitur opera tenebrarum; & induamur habitu qui luci conveniat. *Rom.* 13. 12.

At vos fratres, non estis in tenebris, ut dies ille vos tanquam fur deprehendat. Omnes vos filii lucis estis, ac filii diei: non fumus noctis, neque tenebrarum. Nempe igitur ne dormiamus ut reliqui, fed vigilemus & fobrii fimus. Nam qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu funt ebrii. At nos qui fumus diei, fobrii fimus, induti thorace fidei & caritatis, & pro galea fpe falutis. 1 *Theff.* 5. 4, 5, 6, 7, 8.

Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc observare debent omnes filii Israël in generationibus fuis. *Exod.* 12. 42.

Dominus Jesus ea nocte qua proditus est, accepit panem, &c. 1 *Cor.* 11. 23. &c.

Noctu duxit Dominus populum fuum per mare rubrum, & involvit Ægyptios in mediis fluctibus. *Exod.* 14.

Confurgam, cum federo in tenebris, Dominus lux mea est. *Mich.* 7. 8.

Non timebis a timore nocturno; a fagitta volante in die, a peste quæ in caligine ambulat, a peste quæ vastat meridie. *Ps.* 91. 5, 6.

Dies Domini, ut fur nocte venit, ita venturus est. Quum enim dicent: pax est & fecuritas, tunc repentinum eis instat exitium, ficuti dolor partus mulieri gravidæ, & nequaquam effugient. At vos, fratres, non estis in tenebris &c. 1 *Theff.* 5. 2, 3, 4.

Præveni crepusculum & clamavi: in verbo tuo speravi, prævenerunt oculi mei vigilias, ad meditandum in eloquio tuo. *Ps.* 119. 147, 148.

Anima mea expectat Dominum, magis quam custodes ipsum mane, magis inquam quam custodes ipsum mane. *Ps.* 130. 6.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies & inclinentur umbræ. Revertere: fimilis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum fuper montes Bether. Uniuscujusque ensis super femur fuum, propter timores nocturnos. *Cant.* 2. 16, 17. 3. 8.

In lectulo meo per noctes quæsivi cum quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Surgam, & circuibo civitatem; per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. &c. *Cant.* 3. 1, 2, 3, 4, 5.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Pone me ut fignaculum fuper cor tuum. *Cant.* 1. 13. 8. 6. Christus per fidem inhabitat in cordibus nostris. *Eph.* 3. 17. Præbe fili mi cor tuum mihi. *Prov.* 23. 26. Hæc requies mea in feculum feculi: hic habitabo, quoniam elegi. *Ps.* 132. 14. Quia hæc dicit excelsus & fublimis, habitans æternitatem, & fanctum nomen ejus; in excelso & in fancto habitans, & cum contrito & humili fpiritu: ut vivificet fpiritum humilium, & vivificet cor contritorum. *Isa.* 57. 15. Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulfantis, dicentis: Aperi mihi foror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illâ? &c. *Cant.* 5. 2, 3. Aspice fudorem ejus fanguineum in horto, & horam illam & potestatem tenebrarum, & coronam fpineam fuper caput ejus; tunc fuit caput ejus plenum rore, & cincinni ejus guttis noctium, ut pro nobis coronam vitæ obtineret. *Joh.* 1. 12. *Apoc.* 2. 10.

Die 3. *Octob.* 1639. die Jovis, mane, meditans de comminatione pœnarum Ecclesiasticarum & civilium in omnes, qui novo Fœderi Nationali fubscribere detrectaverint, quod & a Synodo & Parlamento ratum habitum est; coram Domino me dejeci, & Deum falutis meæ cum lacrymis oravi, fuppliciter postulans illuminationem, fortitudinem, protectionem & consolationem, ne me derelinquat aut deferat, fed viam rectam mihi ostendat, inque ea me deducat & confirmet, mihique benedicat, me tueatur, ac consoletur, fecum femper custodiat, ac certum reddat, ipsum esse falutem meam, ac nomen meum in cœlo fcriptum esse. Inveniam Domine gratiam in conspectu tuo. Domine, si tu es qui ad me loqueris, jube me ad te venire fuper has aquas, & apprehendat me dextra tua, ne obruar; & robora me in anima mea, fortitudine, ne deficiam; & in misericordia invigila fuper me, ne in prava via irretiar, atque ab omni malo eripiar. Laboro Domine, & oneratus fum, ac ad te venio, da mihi requiem fecundum gratiosum tuum promissum. (*Matth.* 11. 28.) Advena ego fum in terra, ne abscondas a me præcepta tua. Toto corde meo exquisivi te; ne errare finas me a mandatis tuis. (*Ps.* 119. 19, 20.) Jussisti nos petere, & promisisti nobis dare quic- §. 234. *De Fœdere Nationali.*

quid petierimus in nomine Christi, secundum voluntatem tuam. (*Matth.* 7.) Per sanctum tuum Apostolum dixisti, quod si cui nostrum desit sapientia, & a te cum fide petierit, ei dabitur, tu enim das omnibus benigne, nec exprobras. (*Jac.* 1. 5,6.) Domine suppliciter peto, credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Da Domine, ne quid faciam ex superbia, vel irâ humanâ, vel contentione, vel vana gloriâ; sed ex bona conversatione ostendam operationem meam cum mansuetudine sapientiæ: in omni simplicitate cordis & sinceritate Dei. Da ut abnegem meipsum, crucem meam tollam, & Dominum Jesum alacriter & fortiter sequar. Da ut unumquemque mihi præcellere existimem, & in tua erga nos omnes misericordia eximiam consolationem percipiam. Cum dixisti: Quærite faciem meam; dixit tibi cor meum: Faciem tuam Domine quæram. Ne abscondas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo. Auxilium meum fuisti, ne derelinquas me, nec deseras me, Deus salutis meæ. (*Ps.* 27. 8,9,10.) Cum dixisti: Quis iste est qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi? (*Jer.* 30. 21.) Respondit cor meum: Domine cor meum applico ut tibi appropinquer. Trahe me ad te in summa tua misericordiâ. Appropinqua in die, quando invoco te, & dic animæ meæ: Ne timeas. (*Lam.* 3. 57.) Suscipe servum tuum in bonum: non calumnientur me superbi. Ne prævaleant portæ inferi adversus me. Oculi mei deficiunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & statuta tua doce me. (*Psalm.* 119. *Ain.*) Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Domine, ne declinem neque ad dexteram, neque ad sinistram, sed fac ut per viam rectam constanter ambulem in Evangelio Jesu Christi, ita ut consummem cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. (*Act.* 20. 24.) Dum ita orabam, Dominus exandivit me, meque his & aliis quibusdam sacræ Scripturæ effatis consolatus est: *Noli timere, vir desideriorum, pax tibi; confortare, & esto robustus.* (Dan. 10. 19.) *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum. Expecta Dominum.* (Ps. 27. 14.) *Invenisti gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine.* (Exod. 33. 17.) *Si contra Deum fortis es, quanto magis contra homines prævalebis?* (Gen. 32. 28.) *Agnus qui occisus fuit, ac nos redemit Deo in sanguine suo, fecit nos Deo nostro reges & sacerdotes, & regnabimus super terram.* (Apoc. 5. 9,10.) *Per memet ipsum juravi, dicit Dominus,* —— *Benedicendo benedicam tibi.* (Gen. 22. 16,17.) Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum, Dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. —— In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, (τὸ ἀμετάθετον τῆς βυλῆς αὐτοῦ) interposuit jusjurandum. Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: Quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis. Ubi præcursor pro nobis introiit Jesus, secundum ordinem Melchisedec Pontifex factus in æternum. (*Heb.* 6. 13,14,17,18.) *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* 19. 31.) Sic Dominus me amanter increpuit timiditatis & diffidentiæ, post tot experientias amoris ejus, & immutabilis erga me misericordiæ, in Christo Jesu Salvatore meo.] Olim Dominus apparuit mihi: & in caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans. (*Jer.* 31. 3.) Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus. (*Is.* 54. 10.) Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filii Jacob non estis consumpti. (*Mal.* 3. 6.) In misericordia reducam eos: & adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea: quia factus sum Israël Pater, & Ephraim primogenitus meus est. (*Jer.* 31. 9.) Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor unum, (לֵב אֶחָד) & viam unam, ut timeant me universis diebus: & bene sit eis, & filiis eorum post eos. Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere: & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me. Et lætabor super eis, cum bene eis fecero: & plantabo eos in terra ista in veritate, in toto corde meo, & in tota anima mea. (*Jer.* 32. 38,39,40,41.) Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & spreverunt me. (*Jer.* 33. 8.) Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. (*Rom.* 5. 8,9,10.) Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? (*Rom.* 8. 31,32.) Deus mi, in me anima mea dejecta est: propterea recordabor tui &c. Recordor dierum a principio, meditor in omni opere tuo: de opere manuum tuarum commentor. Expando manus meas ad te, anima mea sicut terra sitibunda ad te anhelat. Selah. Velociter exaudi me Domine. (*Ps.* 143. 5,6,7.) Cur dejicis te anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. (*Psalm.* 42. 6,12.) Diligam te Domine, fortitudo mea, Dominus petra mea, & arx mea, & liberator meus: Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum: scutum meum, & cornu salutis meæ, (κέρας σωτηρίας, *Luc.* 1. 69.) & elevatio mea. Laudans invocabo Dominum; & ab inimicis meis salvus ero. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes impietatis terrebant me. Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis. In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus. —— Misit de summo, & accepit me, assumpsit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me; quoniam robustiores erant me. Prævenerunt me in die afflictionis meæ: & factus est Dominus protector meus. Et eduxit me in latitudinem: eruit me, quoniam complacuit sibi in me. (*Psalm.* 18. 1-7. & 17-20.) Magnificetur Dominus, qui vult pacem servi sui. (*Ps.* 35. 27.) Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. (*Micha* 7. 18.) Quem diligit Dominus, corripit,

ripit, & quasi pater in filio, complacet sibi. (*Prov.* 3. 12.)

§. 235. *Fœdus Nationale.* *Rursus die* 12. *Octobris* 1639. in privatis meis ad Deum orationibus pro misericordia, consolatione, & ab omnibus his ærumnis liberatione, ejusque paterna directione, protectione & benedictione, liquefactum est cor meum, & vehementer flevi, ac Dominus exaudivit me, mihique præcedentes renovavit consolationes, meque robore roboravit in anima mea, ac cor meum dilatavit in eo sperare, eum diligere, cunctosque in eo fratres meos, eique gratias agere. Ac labia mea aperuit, ita ut os meum loquutum sit laudes ejus, qui supra omnem benedictionem & laudem exaltatus est. Sancta individua Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unus unicus verus Deus, Dominus, omnium creator, noster Salvator, ejus solius nomen exaltatur, ejus gloria supra terram & cœlos. Et exaltat cornu populi sui. Hymnus omnibus sanctis ejus; filiis Israël, populo appropinquanti sibi. *Hallelujah.* (*Ps.* 148. 13, 14.) Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu. Ne discesseris a me; quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet. (*Psalm.* 22. 9, 10, 11.) Domine fortitudo mea, ad auxilium meum festina. Appropinquarunt persequentes me inique: a lege autem tua longe facti sunt. Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas. (*Ps.* 119. 150, 151.) Appropinquasti in die, quando invocavi te: dixisti: Ne timeas. Judicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum. (*Lam.* 3. 57, 58, 59.) Domine Deus meus, quemadmodum liberasti servum tuum Jacobum a Labano & Esavo, & servum tuum Davidem a tot gravibus ærumnis & periculis, & Josaphat a Syris, & Jonam e ventre ceti, & Danielem a leonibus; sic in summa tua misericordia, dignare me & fratres meos a persequentibus nos liberare. Ne statuas illis hoc peccatum; sed fac ut ejus sensu tangantur, ut ab eodem convertantur. Et ne intres in judicium cum aliquo nostrum; sed clementer parce nobis, ac da nobis pacem tuam; & inter nos pacem in te Deo nostro habeamus. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam; sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac. (*Dan. c.* 9. *vers.* 18, 19.) Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ; quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos; & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. —— Introëat in conspectu tuo gemitus compeditorum: secundum magnitudinem brachii tui relinque in vita filios mortis: (*Psalm.* 79. 8. 9, 11.) Sicut Angelum tuum misisti, & servum tuum Petrum de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum eripuisti. (*Act.* 12. 11.) Memor esto benignorum tuorum promissorum servis tuis, in quibus sperare fecisti nos, ac da nobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii nostri. (*Luc.* 21. 15.) Fac nos certe & evidenter experiri, te, cum nos tradent, non derelicturum nos, sed nobis dari in illa horâ quid loquamur, nosque non esse qui loquimur, sed spiritum Patris nostri qui loquitur in nobis, (*Matth.* 10. 19, 20.) paracletum illum, spiritum veritatis, quem promisisti dare te petentibus, qui maneat nobiscum in æternum, & apud nos mansionem faciat. Fac nos te diligere, & mandata tua servare. (*Luc.* 11. 13. *Joh.* 14. 13, 14, 15, 16.) Ne animum despondeamus, nec inficemur: sed corrobora nos in te, Domine, & in potentia virtutis tuæ; (*Eph.* 6. 10.) ut bonam militiam militemus, habentes fidem & bonam conscientiam, (1 *Tim.* 1. 18, 19.) & in patientia nostra possideamus animas nostras; (*Luc.* 21. 19.) utque in domo tua inhabitemus omnibus diebus vitæ nostræ: ut pulchritudinem tuam videamus, & in templo tuo quæramus. Quia abscondes nos in tabernaculo tuo in die malorum, in abscondito tabernaculi tui abscondes nos. In petram exaltabis nos: & nunc exaltabitur caput nostrum super inimicos nostros in circuitibus nostris. Propterea sacrificabimus in tabernaculo tuo sacrificia gaudii, cantabimus, canemus Domino. Exaudi Domine vocem nostram, cum ad te clamamus; miserere nostri, & exaudi nos. Cum dixisti: Quærite faciem meam, tibi dixit cor nostrum: Faciem tuam Domine exquiremus. Ne avertas faciem tuam a nobis; ne declines in ira a servis tuis. Adjutor noster fuisti; ne derelinquas nos, neque despicias nos, Deus salutaris noster. Cum pater meus & mater mea dereliquerint me, Dominus me assumet. Doce me viam tuam Domine, & dirige me in semita recta propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me. [אַל־תִּתְּנֵנִי בְּנֶפֶשׁ צָרָי]. (*Ps.* 27. 4--12.) Benedictus sit Dominus.

§. 236. *Fœdus Nationale.* *Die* 16. *Octob.* 1639. Multo mane in cubili cogitans de omnibus istis ærumnis, difficultatibus ac terroribus, ac in memoriam revocans mea innumera & gravia peccata, amare flevi, ac in oratione mea ad Deum pro misericordia & gratia, directione & liberatione, præsentia & pace, lacrymis meis stratum meum rigavi. Et exaudivit me Dominus de templo suo sancto, & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus, auditam mihi fecit mane misericordiam suam, ac me eximie consolatus est. Benedictum sit ejus nomen in secula seculorum. Eodem die frater cui id munus commissum fuerat, amice ad me venit ac scripturam citationis repetiit, qua citatus fueram coram Delegatis Synodi Nationalis me sistere, eamque modo leniori rescripsit, omnia convicia quibus inique onerabar omittens, & nunc tantum citans me comparere coram Delegatis Synodi Nationalis in templo Academiæ Regiæ Palæo-Aberdonensis die 17. Octobris instantis, ibique documentum exhibere mei obsequii statutis novissimæ Synodi generalis, ac de executione officii mei in professione Theologica in dicta Universitate respondere. Post hæc, eodem die, post meridiem, supplicibus orationibus, deprecationibus ac gratiarum actionibus ad Dominum Deum meum redii, qui appropinquavit mihi in misericordia, ac consolatione inenarrabili me consolatus est, ac cor & os meum aperuit ad Deum loqui, qui responsa misericordiæ & pacis mihi dedit. Gloria Deo in altissimis, & in terra pax, in homines benevolentia. *Hallelujah.*

19. Octob. 1639. Ne declines quasi viator ad manendum ad noctem. Jer. 14. 8. Sed maneas nobiscum in æternum. Joh. 14. 16.

§. 237. *Conventus Delegatorum Synodi subscriptionem Fœderi exigens.* *Die* 17. *Octobris* 1639. comparui coram Delegatis Synodi Nationalis, sicut citatus fueram, & prorogata est Curia, ac ibi apud Acta citatus fui coram iis in eodem loco rursus comparere *die* 14. *Novembris* proximi, cui obsequium, Deo volente, promisi. Domum redii, ac Deo gratias egi pro præsenti tranquillitate, & suppliciter rogavi ut viam veritatis ac pacis mihi notam faciat, utque in eadem per sanctum ejus

ſpiritum ſemper deducat, detque mihi Dominus miſericordiam & gratiam in conſpectu ejus, & clementiam ac favorem in oculis omnium, quibuſcum mihi eſt negotium. Idem etiam rogavi pro cunctis meis fratribus, qui etiam coram his Delegatis citati fuere, ut noviſſimæ Synodi Nationalis ſtatutis obſequium præſtent. Nos valde coarctamur, Eccleſiæ diſplicere nolentes, & ex altera parte quicquam, renitente vel dubitante conſcientia, ſubſignare, aut jurare metuentes. Adjuva nos Domine, educ de carcere animas noſtras, ut nomen tuum laudemus. (*Pſalm.* 142. 8.) Oculi mei ſemper ad Dominum; quoniam ipſe educet e reti pedes meos. Reſpice ſuper me, & miſerere mei: quoniam unicus & pauper ſum ego. Anguſtiæ cordis mei dilatatæ ſunt: ab anguſtiis meis educ me. Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte univerſa delicta mea. (*Pſ.* 25. 15--18.)

Die proximo in eiſdem meditationibus ac orationibus perſiſtebam, & nocte ſequenti valde mœſtus fui coram Deo, & tota fere nocte Deum invocavi.

§. 238. *Oratio.* *Ac die 19. Octobris* in ſecreto muſeo coram Domino procidi, ac mœſtis gemitibus ac lacrymis Dominum Salvatorem noſtrum imploravi, me ac fratres meos ſervare ac liberare, in miſericordia etiam reſpicere in fratres qui nos turbant, & meæ infirmæ, ægræ ac afflictæ uxoris miſereri, eamque conſolari; meque ei officioſum & conſolantem reddere, ac filio benedicere. Tu Domine dixiſti nobis: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* (*Pſ.* 50. 15.) Domine, nos ſumus in tribulatione, ac te invocamus, libera nos Domine, ut honorificemus te. Tu dixiſti: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & dabo vobis requiem. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* (*Matth.* 11. 28.) Ecce Domine laboramus, & onerati ſumus, & ad te venimus; da nobis requiem Domine, pone ſuper nos jugum tuum, & fac ut tollamus ſuper nos & alacriter portemus, porta nos & quodcunque ſuper nos impones, ut ſic jugum tuum ſuave & onus tuum leve inveniamus. Fac nos mites & humiles corde inſtar Salvatoris noſtri, & da nobis invenire requiem animabus noſtris. Dixiſti: *Si quis veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Poſtulet autem in fide.* (*Jac.* 1. 5, 6.) Domine indigemus ſapientiâ, noſti nobis ea multum opus eſſe, ſapientiam ſuppliciter poſtulamus a te Deo noſtro, qui das omnibus affluenter, & non improperas, & promiſiſti dare eis qui in fide poſtulant. Credimus Domine, adjuva incredulitatem noſtram. Doce me Domine viam ſtatutorum tuorum, & ſervabo eam ſemper. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam; & cuſtodiam illam in toto corde meo. Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. Statue ſervo tuo eloquium tuum in timore tuo. Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum: quia judicia tua jucunda. Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me. Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum. Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum: qui ſperavi in ſermonibus tuis. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque: quia in judiciis tuis ſperavi. Et cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Et ambulabo in latitudine, quia mandata tua exquiſivi. Et loquar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundar. Et delectabor in mandatis tuis quæ dilexi. Et levabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & meditabor in ſtatutis tuis. Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me. In toto corde meo exquiſivi te, ne repellas me a mandatis tuis. Incola ego ſum in terra: non abſcondas a me mandata tua. Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me. (*Pſ.* 119. 33-50. 10, 19, 154.)

Tunc in oratione mea legi partem *Pſalmi* 69. & ea quæ paſſiones Chriſti reſpicere mihi videbantur, coram Deo expoſui, orans eum propter merita iſtius ſatisfactionis & amaræ paſſionis Salvatoris noſtri, miſereri nobis, noſque liberare; hæc enim non fruſtra paſſus eſt, ſed diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus: (*Iſa.* 53.) Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundo; ubi non eſt ſtatio. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Laboravi clamans; raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Potentes ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei injuſte: quæ non rapui, tunc exolvebam. Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea a te non ſunt abſcondita. Non erubeſcant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum. Non confundantur ſuper me, qui quærunt te, Deus Iſraël, Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me. Et operui in jejunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi. Et poſui veſtimentum meum cilicium; & factus ſum illis in parabolam. Adverſum me loquebantur qui ſedebant in porta: & in me pſallebant qui bibebant vinum. Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ. Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum: neque urgeat ſuper me puteus os ſuum. Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Et ne avertas faciem tuam a ſervo tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & ignominiam meam. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me: improperium ſuſtinuit cor meum, & miſeriam. Et expectabam qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inveni. Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potaverunt me aceto. (*Pſ.* 69.)

Efficacia & fructus orationis Chriſti ad omnia corporis ejus myſtici membra extenditur.

Miſerere nobis Domine propter has amaras & ſumme meritorias Salvatoris noſtri paſſiones, in multitudine miſericordiarum tuarum in eo, in veritate ſalutaris tui. Cur triſtis es anima mea? Diſcipulus non eſt ſupra Magiſtrum. Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum & libamenta non ſuſcepiſſet, nec oſten-

ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura dixisset. (*Jud.* 13. 23.) Benedictus sit Dominus Deus, Deus Israël, qui facit mirabilia solus. Et benedictum nomen Majestatis ejus in æternum: & repleatur majestate ejus omnis terra. Amen & Amen. (*Ps.* 72. 18, 19.)

§. 239. *Graves tentationes. Preces ardentes. Consolationes.*

Die 21. *Octobris*. 1639. me iterum invaserunt graves tentationes & ærumnæ, & oravi ac flevi coram Deo, qui benigne me consulatus est, & proxima nocte me expergefecit, ut cum multis gemitibus & lacrymis precarer, & in communicatione valde salutari & clementi animæ meæ appropinquavit. Oravi pro remissione peccatorum meorum multiplicium & gravium, horum plurima & recentia & vetera speciatim in memoriam revocans, & quotidiana delicta & pravitates, & incredulitatem; & quo magis me humiliavi, id sensi non a carne & sanguine provenire, sed a cœlesti meo Patre, spiritum gratiæ & precum mihi impertiente, seque me secundum verbum ejus pro certo exauditurum & adjuturum promittente; atque eo magis in eo consolationem inveni. Suppliciter petii misericordiam & pacem pro Christi Ecclesia ubicunque militante, & præsertim pro Ecclesia *Scoticaná*, & prava hac gente, ut nobiscum faceret secundum misericordiam suam, & non secundum nostra merita. Oravi pro Christianis omnibus afflictis, & nominatim pro quibusdam, & obnixe petii misericordiam & consolationem, pro infirma, ægra & afflicta mea uxore, utque ei, si Domino visum fuerit, bonam valetudinem restitueret, utque in ira nos non corriperet, sed paterne nos castigaret, sustentaret, ac consolaretur; & daret nobis omnis ejus paternæ providentiæ bonum usum, ac mihi ut essem justus, mitis, patiens & gratias agens, ac in omnibus officium præstans Deo, uxori & omnibus, meque liberaret ab amore & curis hujus mundi, & ab omni suspicioso metu, ac misericordiam & gratiam in conspectu ejus semper invenire faceret, & comitatem ac favorem in oculis omnium, quibuscum mihi negotium est: daretque mihi sapientiam & gratiam, id in omnibus scire & facere, quod coram eo bonum & acceptum est, [*τὸ καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ.* 1 *Tim.* 2. 3.] meque faceret Deum vere diligere, & proximum meum in eo, non verbo, neque lingua, sed opere & veritate, [*ἀλλ' ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ.* 1 *Joh.* 3. 18.] mihique præstaret humilitatem, mansuetudinem & gratiam existimandi unumquemque mihi præcellere, ac in Dei erga nos omnes misericordia eximiam percipere consolationem; daretque mihi gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, (*Rom.* 12. 15.) patientiam etiam & consolationem ac ab omni impetu in me facto felicem exitum; mihique confirmaret quod nomen meum in cœlis scriptum sit, meque ab ira ventura salvum faceret, & a furore hominum, & opprobrio, quod propter peccata metuebam, verum propter ejus misericordiam de eo eripi sperabam. Filium meum paternæ ejus dilectioni suppliciter commendavi, ut dignaretur Dominus eum benedicere cognitione & timore Dei, pia & bona institutione, salutari gratia in hoc sæculo, & post hæc gloria æterna, sique Domino visum foret, ut in bona valetudine dies illi apponeret. Oravi etiam pro benedictione divina super bona mea temporalia, eo gradu qui mihi utilis sit, & pro gratitudine, utque Dominus semper in misericordia respiciat in domum & familiam nostram, super quam invocatum est sanctum nomen ejus, & tamdiu est, ex quo super eam cœpit invocari. Et consolatus est me Dominus consolationibus suavibus & magnis. Benedictus sit Dominus in secula seculorum. *Amen.*

Die 22. *Octobris* 1639. Dum mane in campis ambularem, in memoriam revocavi exercitia spiritualia a me præcedenti nocte habita, Deumque lacrymabili voce oravi, ut hasce omnesque alias ipsius erga me & universos servos suos misericordias confirmaret, & ut Dominus eo die semperque in posterum mecum in servitio suo adesset. [nam prælectiones meas Theologicas eo die in Academia inchoaturus eram, quod itidem feci cum sensibili Dei benedictione. Sempiternæ laudes Majestati ejus offerantur.] Et Dominus consolationes suas mihi renovavit & multiplicavit. Diligam te Domine, fortitudo mea. Misit de summo, & accepit me: & assumpsit me de aquis multis. Convertere anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi. Hallelujah. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Gloria Deo in altissimis, & in terra pax, in hominibus benevolentia. (*Luc.* 2. 14, 19.) Benedictus qui venit rex in nomine Domini. Pax in cœlo & gloria in excelsis. (*Luc.* 19. 38.) Amen. §. 240. *Inchoatio prælectionum Theologicarum hujus anni.*

Die 25. *Octobris* legens & perpendens hæc S. Scripturæ verba, *quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, (*Act.* 14. 22.) coram Deo supplex procidens, precatus sum ut in suum regnum me deduceret, per quascunque tribulationes, quibus me exercere illi visum fuerit. Tantum duc me Domine in regnum tuum, ac interim in omnibus meis afflictionibus me sustine, & fac semper progrediar in via recta, & da mihi regnum quod filiis tuis parasti a constitutione mundi. (*Matth.* 25. 34.) Idem etiam petii pro ægra uxore, & pro filio, & suaviter consolatus sum. Benedictum sit nomen Domini, in secula seculorum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Amen. Hallelujah. Nolite timere, pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. (*Luc.* 12. 32.) Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. (*Matth.* 6. 33.) Et in Evangelio secundum Lucam utraque hæc dicta habemus in uno & eodem sermone Salvatoris nostri, jubentis nos primum quærere regnum Dei, & tum nuntiantis, complacere Patri nostro, dare nobis regnum. Domine cum dixisti: Quærite regnum Dei, respondit cor meum, (& da mihi & omnibus tuis filiis sic vere & constanter respondere) regnum tuum Domine, & justitiam tuam quæram; da mihi Domine regnum tuum, & justitiam tuam. Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula. Amen. §. 241.

Die 28. *Octobris* 1639. Suppliciter Deum rogavi, ut mihi renovaret suaves illas & divinas consolationes, quas mihi dederat diebus 1, 2, 3, & 10. Januarii An. 1625. prout in hoc libro narrantur, & quas mihi dederat die ultimo Maji 1637. in hunc librum etiam relatas, utque ægram uxorem, si illi visum fuerit, restitueret, eique benigne semper adesset, & mihi & filio, & omnibus suis liberis, & in vita, & in morte, nosque semper sustineret, consolaretur, ac salvos faceret. Et Dominus exaudivit orationes meas, ac solitas illas consolationes mihi renovavit, meque consolatus est in misericordiis suis §. 242.

erga uxorem, noſtrumque filium, ſuque paterna ſua erga omnes ſuos liberos eura. *Ne timeas, ego ſalus tua ſum. Inveniſti gratiam in conſpectu meo, dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, nunquam te deſeram, nec derelinquam. Benedic anima mea Domino.* In orationibus meis aditum ad ejus gratiæ thronum maxime ſalutatem expertus ſum, adeo ut ſentirem *me in Deo eſſe, & Deum in me*, ex ſumma erga me Dei miſericordia in Jeſu Chriſto Domino meo & advocato, per quem in uno ſpiritu aditum ad Patrem habemus. (*Eph.* 2. 18.) Ei ſit honor, gloria & laus, in ſecula ſeculorum. Amen.

Cyprianus epiſt. 8. (ſive lib. 4. epiſt. 4.) Deus utique, qui quem corripit diligit, quando corripit, ad hoc corripit, ut emendet, ad hoc emendat, ut ſervet.

Qui Deum timet, ab iſtis omnibus liberabitur.

§. 243. *Die Sabbati* 2. *Novembris*, 1639. audivi D. *Gul. Guild* Neo-Aberdoniæ concionantem concionem præparativam ad ſacram Euchariſtiam, quæ die proximo illic celebranda erat. Textus fuit Matth. 22. parabola convivii nuptialis, quod rex pro nuptiis filii ſui paraverat, & convivarum invitatio, &c.

§. 244. *Die* 3. *Novembris*, die dominico, eundem audivi concionantem ſuper eundem textum *Matth.* 22. Monuit nos cavere, ne immorigeri ſimus Deo nos ad convivium vocanti, neque ſine veſte nuptiali accedamus. Multum immoratus eſt in deſcribendâ convivii hujus magnificentia, cum ſit convivium magni Regis Regum, æterni Dei, nos miniſterio ſervorum ſuorum ad id benigne vocantis, in quo nobis offertur, & digne accipientibus datur panis ille vivus, ex quo ſi quis manducaverit, vivet in æternum, cum epula maxime opipara, & dapes exquiſitæ aliorum Regum, corruptibilia ſint, & mortali corpori temporariam tantum præbeant refectionem, &, poſt ſuaviſſima & copioſiſſima iſtorum corruptibilium & percuntium ciborum epula, poſſit homo indigere & fame confici, & hi cibi perituri neminem immortalem reddant. Verum Chriſtus eſt *panis vivus qui de cœlo deſcendit. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* (*Joh.* 6. 51.) Debemus nos alacriter accedere, cum Dominus nos vocet, cujus vocatio nobis lætum eſt nuntium, quemadmodum fuit Bartimæo cæco, qui projecto veſtimento ſuo, exiliens venit ad Jeſum. (*Marc.* 10.) Sic debemus nos pannoſa noſtra vetera peccati veſtimenta projicere, & exilientes, ad Jeſum, cum vera in eum fide, venire, & ſanitatem ac vivificationem animabus noſtris accipiemus, & in æternum vivemus.

Communio ſalutaris. Finita concione in nova Eccleſia ſacram adminiſtravit communionem, nos omnes ad menſam Domini reverenter ac ſancte accedere monens, ubi etiam ſacroſancti hujus Sacramenti particeps fui cum eximia animæ meæ conſolatione, cum perſuaſum habui me accepiſſe non ſolum viſibile ſacramentum corporaliter, ſed & veram carnem & ſanguinem Chriſti ſpiritualiter, ſicut Deum multis lacrymis oravi, ut mihi daret fide manducare corpus, & bibere ſanguinem Salvatoris mei Jeſu Chriſti, ita ut dehinc Chriſtus in me inhabitet, & ego in eo; utque in eo potentiam & conſolationem adverſus omnes tentationes inveniam, & in omnibus plus quam victor ſim per eum qui me dilexit. Benedictus ſit Dominus.

Habui etiam hebdomade proxima plurimas cœleſtes ac ſalutares meditationes cum luctia intervenientibus, quibus excitatus fui ad deſiderium rurſus communicandi die dominico proximo, quo denuo celebranda erat, meque rogavit D. Jac. Sibbaldus ut iis concione præparativa aſſiſterem, quod & Dei gratia feci.

Die 9. *Novembris*, *An.* 1639. Neo-Aberdoniæ, rogatus, concionem præparativam habui ante celebrationem ſacræ communionis, quæ die proximo celebranda erat. Textus fuit *Matth.* 11. 28, 29, 30. Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες &c. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve eſt.* §. 245. *Concio his præparativa habetur infra* §. 249.

Die 10. *Novembris*, die dominico, veni ad novam Eccleſiam Neo-Aberdonenſem, ubi audivi D. Jac. Sibbaldum, valde ſalutariter concionantem ſuper Salvatoris noſtri ſudorem ſanguineum in Gethſemane, *Luc.* 22. 44. & inter alia pia monita, circa vehementem angorem & ſudorem ſanguineum Salvatoris noſtri, has quatuor nobis commendavit meditationes: §. 246. *D. Sibbald.*

Quatuor meditationes de Chriſti agonia.

1. Qui ſub gravi onere ambulat, ſudat. Sic Salvator noſter peccata noſtra tulit, & ſub gravi iſto onere ſudorem ſanguineum ſudavit.

2. Moyſes aſſumpſit oleum unctionis, & ſanguinem qui erat in altari, & aſperſit ſuper Aaron & veſtimenta ejus. *Lev.* 8. 30. Salvator noſter, ſummus noſter ſacerdos, ſe & veſtimentum ſuum ſanguine hoſtiæ irrigavit, nempe ſuo ſanguine.

3. Salvator noſter calcabat tunc in torculari iræ Dei adverſus peccata noſtra. Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? (*Iſa.* 63. 1, 2, 3.) Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum &c.

4. Medicus ut plurimum patientem febri gravi laborantem inveniens, in remedium adverſus morbum, ei ſanguinem detrahit, & ſudorem movet. Benignus noſter medicus Jeſus Chriſtus, ut nos de febri gravi peccati ſanaret, & ab æterna morte ſalvos nos faceret, ipſe pro nobis ſanguinis effuſionem & ſudorem ſubiit. Et per ſanguinem ex ejus venis detractum, perque ejus ſudorem, nos ſanitatem obtinemus. Benedictum ſit nomen ejus ſanctum in ſecula ſeculorum. Amen.

Finita concione, celebrata fuit ſancta corporis & ſanguinis Chriſti communio, & cum cæteris ad menſam Domini veni, & poſt multas lacrymas ex uberi conſolatione, communicavi. Benedico, laudo, magnifico tuum ſanctum & benedictum nomen, Domine Deus ſalutis meæ, qui ſupra omnem benedictionem & laudem exaltatus es. Confirma, mi Deus, id quod operatus es pro nobis. Benedictus ſit Deus. Amen. *Communio ſalutaris.*

Die 14. *Novembris*, qui nobis dictus fuerat ad comparendum coram Delegatis Synodi Nationalis, adivi locum nobis dictum, & ibi nullos inveniens Delegatos, audiens etiam eos hoc tempore non conventuros, domum redii, & ſecedens, cœlorum Deum laudavi, eique gratias egi, qui nobis hanc quietem & tranquillitatem dederat, rogans ut dilectionem ſuam erga nos in æternum confirmaret. Et inveni gratiam in oculis ejus. Ei ſit gloria in æternum. Amen. §. 247. *De Delegatis. Deo gratiarum actio.* *Conſolatio in Deo.*

Die 29. *Novembris*, *D. Alexander Scrogie* concionem præparativam ante ſacram communio- §. 248. *D. Scrogie.*

nem

nem concionatus est super *Matth.* 22.11,12,13. monuitque oportere nos ad sacram mensam venire cum sensu præsentiæ Dei cuncta videntis, qui nos aspicit, quique corda & renes scrutatur. Monuit etiam vestem nuptialem necessariam duas continere partes necessarias, quarum una habetur interna & cœlestis animæ dispositio, altera vero externa & sancta conversatio. Inter alias item instructiones, hortatus est nos ad tria hæc officia: 1. Ut deponamus & abjiciamus vestimenta nostra trita & peccaminosa, quod in S. Scriptura vetere dicitur exui homine. (*Col.* 3. 9.) 2. Ut vestem nuptialem induamus, quod etiam in S. Scripturis novo dicitur indui homine. (*Ibid. v.* 10.) 3. Ut retineamus vestem hanc nuptialem, neque unquam deponamus, ne revertamur ad stultitiam. (*Ps.* 85. 9.) Habes aliqua capita etiam Sardibus, quæ non inquinarunt vestimenta sua, ideoque ambulabunt mecum albati: digni enim sunt. *Apoc.* 3. 4. Cum macula quævis sive nota vestimentum nostrum conspurcaverit, cito eam eluamus, sincera pœnitentia, & fide in Christo Jesu, cujus sanguis purificat nos ab omnibus peccatis nostris.

De veste nuptiali.

§. 249. *Die primo Decembris*, die Dominico, *D. Alexand. Scrogie* rursum super parabolam illam *Matth.* 22. ab initio concionatus est, magnificentiam monstrans & sublimitatem convivii nuptialis, quod parat Deus in celebrationem nuptiarum inter Christum & Ecclesiam suam, & ad id nos invitat, ut convivas acceptos, immo & unumquemque fidelem, tum, ut convivam & sponsam. Nullum huic comparabile est convivium, ubi cibum illum recipimus qui durat in vitam æternam, corpus nimirum Salvatoris nostri Jesu Christi fractum pro nobis, sanguinem quoque ejus pretiosum pro nobis fusum, in remissionem peccatorum. Hæc speciatim nobis applicantur omnibus & singulis in celebratione cœnæ Domini, quæ immediate celebrabatur finita concione in Ecclesia cathedrali Palæo-Aberdonensi.

D. Scrogie concionatus est in Matth. 22.

Quod me attinet, plurimis ante diebus, (ex quo proxime Neo-Aberdoniæ communicaveram,) misere vexabar adversario spirituali molestissimo, curis & amoribus mundanis me tentante, contra quem sæpe sæpius Deum rogaveram, & sublevabar. Exinde ergo ad conferendum me ad mensam Domini, gratia novi subsidii intime excitabar, quo subsidio maxime opus mihi fuit tum adversus hanc, tum alias superbiæ, malevolentiæ, & infidelitatis tentationes, quæ omnes me aggressæ sunt etiam inter concionandum; at Deus magnanimiter mihi succurrit, & spiritum suum sanctum largitus est, cujus per gratiam multis lacrymis coram Domino ploravi pro misericordia & gratia, auxilio, & liberatione. Exaudivit me Dominus, ad sanctam suam mensam perduxit, pane vitæ confirmavit, fecitque ut carnem suam vere cibum perciperem, & sanguinem vere potum. Recedite a me malefici, ut custodiam præcepta Dei mei. Sustenta me secundum sermonem tuum, ut vivam; neque pudefacias me ab expectatione mea. Suffulci me ut salvus sim, & respiciam ad statuta tua jugiter. (*Ps.* 119. 115,116,117.) Oravi quoque pro miseratione & consolatione uxoris meæ ægrotæ, & pro gratia ut obsequiose me erga illam gererem, de quibus haud parum consolabar. Quia benignitas tua, ô Deus, melior est vita, eapropter labia mea laudabunt te. (*Ps.* 63.4.) Exultabo, & lætabor benignitate tua, tu enim aspexisti afflictionem meam, agnovisti angustias animæ meæ. Non tradidisti me in manum inimici, sed statuisti in lato pedes meos. Gratiam fac mihi Jehovah, nam angustia est mihi, (*Ps.* 31. 8, 9, 10.) & uxori meæ ægræ angustia est, Domine succurre nobis. Canite Jehovæ, laudate Jehovam, quia eripuit animam egentis e manu maleficorum. (*Jer.* 20. 13.) Novimus autem, iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum: eis qui ex præstituto ipsius vocati sunt: —— Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur? (*Rom.* 8. 28, 31, 32. Benedictus Deus.

Subsidium & victoria adversus inimicos spirituales.

Salutaris communio.

Oratio pro uxore mea ægrota.

Sequuntur Conciones super Matth. 11. vers. 28, 29, 30. §. 250.

Venite ad me omnes, qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis. Attollite jugum meum in vos, & discite a me, quia mitis sum ac humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum facile est, & onus meum leve.

Concio in Matth. 11. 28,29,30.

In his verbis Salvator noster magna benignitate & suavitate, omnes patientes & afflictos, qui suas calamitates sentiunt, ad se venire jubet, iisque quietem dare promittit, sed ita ut eos oporteat jugum ejus in se tollere, & ab eo mansuetudinem & cordis humilitatem discere, ita invenient requiem animabus suis, talibus enim jugum ejus facile est, & onus ejus leve.

Scopus textus.

Plane dividitur textus in tres partes pro numero versuum. In primo versu est invitatio omnium *qui laborant & onerati sunt*, ad Christum *venire*, & promissum quod dabit iis *requiem*.

Et partitio.

In 2. versu quædam injunguntur officia venientibus, & promissum datur hæc officia præstantibus, quod *requiem invenient animabus suis.*

In 3. versu, objectioni occurritur eaque solvitur, quæ in auditorum mentibus oriri possit de compossibilitate & concordantia injuncti officii, & beneficii promissi, scilicet, quomodo *tollere Christi jugum in nos*, consistit cum eo quod promittitur, quod *inveniemus requiem animabus nostris.* Ut hoc illustraret, dicit: *jugum enim meum facile est, & onus meum leve.*

Prima parte, tria consideranda veniunt. 1. Invitatio, quæ & invitatorem designat. *Venite ad me.* 2. Invitati, *Omnes qui laboratis & onerati estis.* 3. Promissum venientibus factum, *daboque vobis requiem.*

1. Invitatio. *Venite ad me.* v. 28.

§. 251. *Δεῦτε. Adeste.* Sine tali invitatione nemo venire auderet; sed a facie ejus fugeremus, præ timore iræ, & justi ejus judicii. *Beatus populus qui scit jubilationem: Domine in lumine vultus tui, ambulabunt.* (*Ps.* 89. 15.) Quam lætus erat cæcus Bartimæus, quum dixerunt ei: *Confide, surge vocat te.* (*Marc.* 10. 49.) Et dixit Petrus; Domine si tu es, jube me ad te venire super aquas. Ipse vero dixit: Veni. (*Matth.* 14. 28,29.) Sicut hoc nobis in magnam consolationem est, quod Dominus tam benigne nos invitat, vocationis cœlestis nos faciens consortes; (*Heb.* 3. 1.) ita per id tenemur divinæ huic vocationi auscultare, ne similes his simus, de quibus dicit Dominus, expandi manus meas toto die ad populum incredulum. (*Esa.* 65. 2.) In descriptione eorum quæ novissimo die futura sunt in *cap.* 25. *Matth. v.* 34. legimus, quod dicet Rex iis qui ad dexteram ipsius erunt, *δεῦτε, adeste benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a jacto mundi* v. 34.

1. Deus invitat.

mundi fundamento; & *v.* 41. quod dicet etiam iis qui ad finistram erunt. *Execrati, abite a me &c.* Quia vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. (*Prov.* 1. 24, 25.) Quapropter, ut dicit Spiritus sanctus, hodie si audiveritis vocem ejus, ne obdurate corda vestra, sicut in exacerbatione illa. —— Itaque juravi in ira mea, non introibunt in requiem meam. (*Heb.* 3. 7, 8, &c.) Quapropter *Venite ad me.* Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, & nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cuicumque voluerit Filius revelare. (*Matth.* 11. 27.) Plenus gratiæ & veritatis; & ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Nam lex illa per Moysen data est; gratia & veritas per Jesum Christum præstita est. Deum nemo vidit unquam; sed unigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit. (*Joh.* 1. 14, 16, 17, 18.) Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me. (*Joh.* 14. 6.) Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me; ut evangelizem pauperibus misit me, ut medear contritis corde, ut prædicem captivis dimissionem, & cæcis visus recuperationem, ut confractos emittam in libertatem: Ut prædicem annum Domini acceptum. (*Luc.* 4. 18, 19.) Nec est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo quod datur inter homines, per quod oporteat nos servari. (*Act.* 4. 12.) Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in seipso. Qui non credit in Deo, mendacem eum fecit, quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo. Est autem hoc testimonium, nempe quod dedit nobis Deus vitam æternam, & hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, non habet vitam. (1 *Joh.* 5. 10, 11, 12.) Quapropter *Venite ad me.*

Externa alia est ad Christum accessio ejus verbum audiendo, & reliqua externi Dei servitii; alia est interna accessio. Utraque mandatur, sed ita ut nobis dicatur, externam sine interna esse infructuosam, & fieri execrabilem. (*Esai.* 1. & 29. *Matth.* 15. *Ezech.* 14. & 33. *Hos.* 6. 6.) Interna ad Christum accessio præcipue consistit in his tribus, 1. verâ pœnitentiâ, quæ sæpe in sacra Scriptura vocatur ad Deum conversio. Ita prodigus filius venit ad patrem. (*Luc.* 15.) 2. in vera fide, (*Joh.* 6.) & 3. in oratione & gratiarum actione. (*Ps.* 50. & 119. 10. 145. *Esai.* 55. 6.)

2. Invitati, *Omnes qui fatigati estis & onerati.*

Omnes. *Omnes*] Dicit Prosper Aquitanicus lib. 1. de vocatione gentium, cap. 22. quod in his verbis, vox Domini, quadam pietatis tuba per totum terrarum orbem resonante, omnes homines invitat & convocat, convertimini ad me, & salvi eritis, omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius. In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur: quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua. (*Esai.* 45. 22, 23. *Rom.* 14. 11. *Phil.* 2.) Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis: ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ iis non profuit. (*Jer.* 16. 19.) Non enim est distinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. (*Rom.* 10. 12, 13.)

Onerates. *Qui fatigati estis & onerati.*] Generalitas hic reducitur ad quosdam homines tantum, & tamen invitatio manet generalis omnibus, nam oportet nos distincte considerare, 1. miseriam quæ est omnibus communis. *Job.* 5. 7. & 14. 1. *Ps.* 90. 11. *Eccles.* Et 2. gemitum sub sensu miseriæ ad Deum, sicut fecerunt Israëlitæ sub Ægyptiaca servitute, *Exod.* 2. 23. in qua laboriosas curas & gravia onera habuerunt, a quibus Deus eos liberavit. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. (*Matth.* 9. 12, 13.) Miseria nostra a nobis ipsis est, sed gemitus ad Deum sub sensu ejus, est speciale gratiæ Dei donum. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me non ejiciam foras. —— Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego eum resuscitabo in die novissimo. (*Johan.* 6. 37, 44, 45.) Stetit Jesus, & clamavit, dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. (*Joh.* 7. 37.) Omnes sitientes, venite ad aquas. (*Esa.* 55. 1.) Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. (*Matth.* 5. 6.) Vis sanus fieri? (*Joh.* 5. 6.) Et qui sitit veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. (*Apoc.* 22. 17.) Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona ejus voluntate. (*Philip.* 2. 13.) Quod operetur Deus in nobis. Trahe me, post te curremus. (*Cant.* 1. 4.)

Laboramus pro ore nostro, *Eccles.* 6. 7. & omnibus nostris necessitatibus, *Act.* 20. 34, 35. & laboremus pro pane qui durat in æternum, ut jubemur *Joh.* 6. Verbum illud quo utitur in textu, (κοπιῶντες) laboriosam curam importat, qua lassati sumus; sicut etiam patet ex gravibus oneribus cum ea conjunctis. Lassamur laboriosa cura in petendo scientiam, *Ps.* 73. 16. opes, & frustra nosmet inquietando, *Ps.* 39. & metentes vanitatem, & afflictionem spiritus: Quid enim proderit homini de universo labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti ejus dies doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nonne vanitas est? *Eccles.* 2. 22, 23. In militia etiam nostra spirituali, laborem habemus gravem, adversus moltos nostros hostes spirituales, & tentationes & difficultates, (vide *Eph.* 6. & 1 *Pet.* 5. & *Gal.* 5.) & nisi Dominus esset Servator & auxiliator noster, cito in silentio habitaret anima nostra.

Et onerati estis] 1. Onere peccati, tum debito vel reatu ejus, tum ægritudine vel corruptione ejus. *Ps.* 32. & 38. 4, 5. *Esa.* 1. 4. *Matth.* 18. 23, 24, 25, &c. *Heb.* 12. 1. 2. Onere curarum & tribulationum hujus mundi. *Ps.* 40. 12. & 38. & 55. 22, 25. 1 *Pet.* 5. 7. *Ps.* 88. *Luc.* 21. 34. *Ps.* 142. & 143. 3. Onere mortalitatis, & metus mortis, & certitudinis mortis. *Ps.* 49. & 89. 49. *Heb.* 9. 27.

Et si alia ulla sit cura aut onus, ad Christum cum omnibus veniamus. Sed si quæratur, quomodo possint homines ita onerati venire ad Christum? Respondetur: Propinquus est Dominus omnibus qui invocant eum, qui invocant eum in veritate. *Ps.* 145. Respicite in me, & salvi eritis, *Esa.* 45. 22. sicut ii qui percussi fuerant, serpentem æreum respicientes, sanati sunt. *Num.* 21. 9. *Joh.* 3. 14, 15. Credite in eum, & per fidem habitet in cordibus vestris. *Eph.* 3. 17. Gemite Deo, sicut Israëlitæ sub servitute Ægyptiaca, & Deus gemitus eorum audivit, *Exod.* 2. Fac sicut fecit Jonas, qui de seipso dicit: *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus*

tus sum, & venit ad te oratio mea ad templum tuum sanctum. Jonah 2. 8. Loqui non potuit in piscis ventre, sed recordatio Domini dicitur ejus oratio. Ita nunc cum memoriæ usum habetis, recordamini Domini antequam malus dies venerit, cum te deseret memoria, & certus eris, eum tui nunquam oblitum. *Esa.* 49. 15.

§. 252. 3. Promissum factum iis qui ad Christum veniunt, *Et dabo vobis requiem.*] Athanasius in libro suo adversus Sabellianos de invitatione, & de promisso hoc, & subsequente mandato omnibus, ut *attollant jugum ejus in se*, clare colligit argumentum divinitatem Christi probans, ut præcedens confessio ad Patrem (*v.* 25.) ejus humanitatem declarat.

Chrysostomus de hoc observat, Christum non vocare peccatores, ut rationem ab iis exigat, sed ut det iis requiem, peccata eorum condonans, etiam requiem non solum exponit salutem, sed etiam statum omnino certum & securum, *ἐν ἀδείᾳ πάσῃ.*

Non fugiendum est nobis, sicut fugit Adamus; sed debemus ad Christum venire, ut requiem accipiamus. Philosophi Ethnici multum quæsivere id quod tranquillitatem vocabant; sed non invenerunt, quia viam rectam, quæ est Christus, ignorabant. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi ejus, qui ambulavit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. *Esa.* 50. 10, 11. In pace pariter accubabo, & dormiam: quia tu Domine solus confidenter habitare facies me. *Ps.* 4. 9. Dat dilecto suo somnum. *Psalm.* 127. In die illa erit radix Jesse qui stabit in signum populorum, ipsum deprecabunt gentes, & erit requies ejus gloriosa. *Esai.* 11. 10. Requiem dat oneribus nostris & laboribus proportionatam, & nos sustentat, & opera manuum nostrarum dirigit. *Ps.* 90. 17. Dat nobis divitias acquirere, *Deut.* 8. 18. & emittit benedictionem super nos, super cellaria nostra, & super omnia opera manuum nostrarum. *Deut.* 28. 8. Consolatur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum, *Gen.* 5. 29. & tribuit victui nostro necessaria. *Prov.* 30. 8. Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur ei afflictio. *Prov.* 10. 22. Melius est paululum justo, quam divitiæ impiorum multæ. *Ps.* 37. 16. Ecce oculus Domini super timentes eum, in sperantes in misericordia ejus. Ut eruat a morte animas eorum: & vivificet eos in fame. *Ps.* 33. 18, 19. Dulcis est somnus operanti, sive parum sive multum comedat. *Eccles.* 5. 12.

Quidam accubant in doloribus, quidam in pace. Requies cum respectu ad labores nostros circa res hujus vitæ.

Etiam dat nobis requiem quoad labores nostros graves, quos in spirituali nostra militia adversus hostes nostros spirituales habemus. Corroborat enim nos in Domino, & robore virium ipsius, armatque nos omni Dei armatura, & nos confirmat adversus omnes Diaboli tentationes, omniaque ignita ejus jacula extinguit. *Eph.* 6. 10——16. Et Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris cito. *Rom.* 16. 12. Obsistite Diabolo, & fugiet a vobis. *Jac.* 4. 7. Sobrii estote, & vigilate; nam adversarius ille vester Diabolus, ut leo rugiens, obambulat, quærens quem absorbeat; cui obsistite firmi per fidem. 1 *Pet.* 5. 8, 9. Deus dat nobis sobrietatem, vigilantiam, & in fide firmitatem, & Satanam fugat a nobis, per Jesum Christum Dominum nostrum, ejusque crucem. Nobis crucifixus est mundus, & nos mundo. *Gal.* 6. 14. Et ii qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis ejus. *Gal.* 5. 24. Gratiæ Deo qui semper triumphare nos facit in Christo. Ita Deus dat nobis requiem quoad labores nostros.

Requies cum respectu ad labores nostros in spirituali militia.

Itidem quoad onera nostra requiem nobis dat, nam adversus debitum & reatum peccati in eo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus. *Eph.* 1. 7. Et si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 1 *Joh.* 2. 1, 2. Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. *Joh.* 1. 29. Et sanguis Jesu Christi Filii ipsius nos mundat ab omni peccato. 1 *Joh.* 1. 7. Beatus cui dimissa est prævaricatio &c. *Ps.* 32. *Rom.* 4. 7. Justificati ex fide, pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum. *Roman.* 5. 1. Ita dat nobis requiem adversus debitum & reatum peccati. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth.* 9. 2. Omnes nostras condonat iniquitates. *Ps.* 103. 3.

Requies quoad onera nostra, debiti & reatus peccati.

Dat nobis requiem adversus ægritudinem & corruptionem peccati. Cor mundum creat in nobis, & spiritum rectum innovat in visceribus nostris. *Ps.* 51. 11. Omnes nostras sanat ægritudines. *Ps.* 103. 3. Nullam iniquitatem nobis dominari sinit. *Ps.* 119. 138. *Rom.* 6. 14. Licet eum perfectionis gradum, quem velimus non assequamur, tamen cum precantes, hoc ab eo recipimus responsum: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Et virtus ejus habitat in me. 2 *Cor.* 12. 9. Gratia nos facit servire Deo hilare, cum quietæ animæ tranquillitate: *ἡ χάρις τοῦ πνεύματος ἀκυμάντῳ γαλήνῃ τὸν λογισμὸν τῷ Θεῷ λατρεύσειν μετ᾽ εὐφροσύνης παρέχει.* Basil. Ascetic. seu Monast. Constit. cap. 17.

Et ægritudinis & corruptionis peccati.

nobisque dat requiem adversus curas & tribulationes hujus mundi. Vidisti afflictionem meam, & agnovisti in angustiis animam meam. Nec conclusisti me in manum inimici: sed stare fecisti in latitudine pedes meos. *Ps.* 31. 8, 9. Projice super Dominum pondus tuum, & ipse sustentabit te: non dabit in seculum nutationem justo. *Ps.* 55. 23. Ut confidenter nobis hoc salutare promissum accommodemus, per fidem remissionem peccatorum apprehendere oportet, & justificati per fidem, pacem habemus cum Deo. Quapropter dico vobis, (dicit Salvator) ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa, nonne vos multo pluris estis illis? Et de vestimento quid solliciti estis? considerate lilia agri quomodo crescant, non laborant neque nent; dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni sua gloria coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem fenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis & vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt; scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum; crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsi. Sufficit diei malitia sua. *Matth.* 6. Hæc locutus

Requies adversus tribulationes & curas hujus mundi.

sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. *Joh.* 16. 33. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. —— Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocantur. —— quos autem justificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? *Rom.* 8. Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere. *Matth.* 10. 30, 31. Et capillus de capite vestro non peribit. *Luc.* 21. 18. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 1 *Pet.* 5. 6, 7. Vide *Ps.* 138. 7. & *Jac.* 1. 2. 3. &c.

Adversus metum & certitudinem mortis corporea, & metum judicii post mortem. Vid. in hoc libro 8. & 9. & 15. Dec. 1639. & 19. Jan. & 20. Mart. 1640.

Etiam Dominus noster Jesus Christus dat requiem omnibus qui ad se veniunt, adversus onus timoris & certitudinis mortis corporeæ, & fragilitatis nostræ sensibilis ad mortem festinantis, & adversus timorem judicii quod mortem sequitur. Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit iisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est Diabolum. Ut liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. *Heb.* 2. 14, 15. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: מִיַּד שְׁאוֹל אֶפְדֵּם מִמָּוֶת אֶגְאָלֵם] O mors ero mors tua, & morsus tuus ô inferne. אֱהִי דְבָרֶיךָ מָוֶת אֱהִי קָטָבְךָ שְׁאוֹל] Hieronym. & Hebr. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors, & morsus tuus, ô inferne.*] Paguin. *E potestate inferorum eos redimam, a morte redimam eos, ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus, inferne.*] LXX. *ἐκ χειρὸς ᾅδου ῥύσομαι αὐτοὺς, ἐκ θανάτου λυτρώσομαι αὐτούς. Ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη;* Hieronym. ex Græco LXX. *De manu inferni liberabo eos, de morte redimam illos. Ubi est causa tua, mors, ubi est aculeus tuus inferne?* *Hos.* 13. 14. ubi Hieronymus in commentario: In eo (inquit) loco, in quo LXX. transtulerunt *ποῦ ἡ δίκη σου*; id est, *ubi est causa tua?* & nos diximus, *ero mors tua*, Symmachus interpretatus est, *ero plaga tua.*] Cum autem corruptum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem; tunc fiet sermo qui scriptus est; *Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors, victoria tua, ubi est, mors, stimulus tuus?* (*ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος;*) Stimulus autem mortis peccatum est, peccati autem virtus lex. Deo autem gratias, qui dat nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum. 1 *Cor.* 15. 54, 55, 56, 57. Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymas ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est. *Esai.* 25. 8. Amen, Amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam: & in judicium non venit; sed transiit a morte in vitam. *Joh.* 5. 24. Propter quod non deficimus; sed licet exterus noster homo corrumpatur, tamen internus renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam, in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes: Si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri: ut absorbeatur quod mortale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Confidenti igitur animo sumus semper, & scimus nos, dum adsumus in corpore, abesse a Domino: (per fidem enim ambulamus, non per adspectum) confidenti autem animo sumus, & bonam voluntatem habemus magis abesse e corpore, & adesse apud Dominum. 2 *Cor.* 4. & 5. Dixit Dominus Jacobo in Bersheba: noli timere, sed descende in Ægyptum, ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem. *Gen.* 46. 3, 4. Ita confirmat Dominus corda filiorum suorum adversum metum mortis, ita ut confidenter cum Davide dicere possimus: *Etiamsi ambulavero per vallem umbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum es.* *Ps.* 23. 4. Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Luc.* 10. 20. Ne turbetur cor vestrum: creditis in Deum? etiam in me credite. In domo Patris mei habitationes multæ sunt: alioquin dixissem vobis: proficiscor paraturus vobis locum: & cum profectus fuero, & paravero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad meipsum; ut ubi ero ego, & vos sitis. *Joh.* 14. 1, 2, 3. Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sim ego, & illi mecum sint: ut spectent gloriam illam meam, quam dedisti mihi. *Joh.* 17. 24. Nullus enim nostrum sibiipsi vivit, & nullus sibiipsi moritur. Nam sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur: sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus. Ad hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur. *Rom.* 14. 7, 8, 9. Beati mortui qui Domini causa moriuntur, &c. ut requiescant a laboribus suis, &c. *Apoc.* 14. 13.

Ita Salvator noster dat nobis requiem ab omnibus laboribus & oneribus nostris, & demum requies ejus est gloria, sicut dictum erat per Prophetam, *Esa.* 11. 10. Quæ æterna gloria vocatur requies Domini, & hortamur laborare ut illam intremus requiem, *Heb.* 4. quæ etiam Domini gaudium vocatur, *Matth.* 25. 21, 23. Sed plura de hac requie dicemus, cum ad extremum hujus versus sequentis ventum sit, ubi promissum est quod hanc requiem invenient.

Vers. 29. *Tollite jugum meum in vos, & discite a me, quia mitis sum ac humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* §. 253.

In hoc versu quædam sunt officia injuncta, & promissum factum est iis qui hæc faciunt, quod *invenient requiem animabus suis.*

1. Of-

Officia injuncta.

1. Officia injuncta.

Officia hic injuncta, ſunt 1. ut attollamus jugum Chriſti ſuper nos. 2. ut ab eo tanquam ſolo noſtro præceptore diſcamus. 3. ut in his eum imitemur, in quibus imitationem requirit, & præſertim in manſuetudine & humilitate cordis.

1. Jugum Chriſti tollere. *Attollite jugum meum ſuper vos.*] Hoc eſt, eſtote ſervi mei & juſſa mea præſtate. In hoc ſenſu Propheta Jerem. loquitur de jugo Regis Babyloniæ. *Jer.* 27. 8. & dicit Apoſtolus: Quicumque ſub jugo ſunt ſervi, ſuos dominos omni honore dignos ducant. 1. *Tim.* 6. 1. Hilarius Comment. in hunc locum Evang. Matth. *Dempturum ſe laborem omnſque promittit, ſi modo ejus jugum tollant, mandatorum ſcil. ſuorum præcepta ſuſcipiant, eumque ſacramento crucis adeant, quia corde humilis & mitis ſit.* Chriſti promiſſum, quod dabit nobis requiem, nullam carnalem licentiam importat, aut quod nos noſtro arbitrio relinquet, (nam natura ſervi ſumus tanti dominii incapaces, quod ad Deum ſolum pertinet) ſed ſervitii mutationem importat. *Rom.* 16. 17, 18, 22. *Coloſſ.* 1. 12, 13.

2. A Chriſto diſcere. *Et diſcite a me, καὶ μάθετε ἀπ' ἐμοῦ.*] Hoc eſt, eſtote diſcipuli mei, *μαθηταί*. Sicut oculi ſervorum intenti ſunt ad manum dominorum ſuorum, *Pſ.* 123. ita & vos accipite a me regulam ambulandi. Audite eum. *Matth.* 17. 5. Nec vocemini doctores, unus enim veſter eſt doctor, nempe Chriſtus. *Matth.* 23. 10. Ne eſtote multi doctores, fratres mei, ſcientes ſure, ut gravius judicium auferamus. In multis enim impingimus omnes. *Jac.* 3. 1, 2. Fruſtra me colunt, docentes doctrinas quæ ſunt mandata hominum. *Matth.* 15. 9. Oves ſequuntur paſtorem, quia norunt vocem ejus. Alienum autem nequaquam ſequuntur, ſed fugient ab eo; quia non norunt vocem alienorum. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnoſco, & ſequuntur me. *Joh.* 10. 4, 5, 27.

Etiam ex eo quod ſequitur de Chriſti manſuetudine & humilitate, clare patet, quod diſcere ab eo etiam imitationem ejus importat. Et hic eſt etiam exemplar boni doctoris, qui docet & verbo, & exemplo ambulandi. Vid. Tertull. lib. de Patientia cap. 1. & Gregorium lib. 23. Moral. c. 13.

Ipſe Salvator nobis proponit exemplum, exemplum ſupra omnia alia exempla, & citra omnem exceptionem ſequendum, in hiſce, in quibus vult ut eum imitemur. *Qui ſequitur viam rectam, ſequitur utique illum qui ait, diſcite a me quia mitis ſum ac humilis corde*, inquit Ambroſ. in cap. 6. Evang. Lucæ.

§. 253.

3. Eum in manſuetudine & humilitate cordis imitari. *Quia mitis ſum ac humilis corde*] Inter multas virtutes in quibus ejus exemplum ſequi oportet, hic eligit manſuetudinem ſuam & humilitatem cordis pro brevi ſuæ doctrinæ & virtutum ſumma, quarum imitatione poſſumus magis expedire inquirere, num cæteras illas neceſſarias habeamus virtutes, & vere ſimus ejus diſcipuli.

Manſuetudo. Hæc manſuetudo a Prophetis prædicitur, *Eſa.* 42. 2, 3, & 53. & *Zach.* 9. 9. — *Matth.* 21. 5. & clare videtur in ejus vita, *Matth.* 12. 18, 19, 20. *Luc.* 9. 55, 56. *Joh.* 13. & in paſſionibus ejus. In iis etiam prælucet ejus humilitas, & in lavandis diſcipulorum pedibus, & deſcribitur per Apoſtolum *Philip.* 2. ubi etiam ad imitationem hortamur.

Ambroſ. [Cum lego Evangelium, audio Filium Dei carnem ſumpſiſſe de Maria, videor mihi cum Chriſto ipſe deſcendere; lego enim eum qui cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit: exinanivit autem ut formam ſervi acciperet, & ſpecie inventus ut homo, humiliavit ſe uſque ad mortem: Lego eum dicentem, venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & diſcite a me quia mitis ſum ac humilis corde. Non dixit, diſcite a me quia potens ſum, non dixit, diſcite quia glorioſus ſum, ſed, diſcite quia humilis ſum, quod poteſtis imitari. Nolite extollere vos, nolite exaltare cornu veſtrum. *Pſ.* 75. Docuit me ergo humiliari. Hæc Ambroſ. in Pſ. 119. *Nun* v. 112.] Etiam Chryſoſt. in comment. ſuo in hunc textum, manſuetudinem & humilitatem, quaſi eſſent una virtus conjungit, propter arctam harum virtutum conjunctionem. [*ἂν ταπεινὸς γένῃ καὶ πρᾷος καὶ ἐπιεικής· αὕτη γὰρ μήτηρ ἐστὶν ἡ ἀρετὴ φιλοσοφίας ἁπάσης.*] Et poſtea in eadem concione de ea loquens, hanc virtutem nomine *ἀνεξικακία* vocat, hoc eſt fortis mali tolerantia, *ἁπάντων γὰρ μήτηρ τῶν ἀγαθῶν ἡ ἀνεξικακία.* Chryſoſt. Homil. 38. in Evang. Matthæi. Vide Gregor. lib. 4. Epiſtolarum ex regiſtro cap. 82. ſeu epiſt. 38.

Ita Bernardus. [Quid deinde auctor & dator virtutum Chriſtus, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi, in quo omnis quoque divinitatis plenitudo habitat corporaliter, nonne tamen & ipſe de humilitate, tanquam ſumma ſuæ doctrinæ ſuarumque virtutum, gloriatus eſt? Diſcite (ait) a me, non quod ſobrius aut caſtus, aut prudens, aut aliquid ejuſmodi; ſed quia mitis ſum ac humilis corde.] Hæc Bernardus Abb. Claræval. epiſt. 42. ad Hen. Senonenſ. Archiepiſcopum, ubi utramque ſub nomine humilitatis comprehendit. Sed non obſtante inſeparabilitate & propinquitate manſuetudinis & humilitatis, tamen & in hoc noſtro textu & in beatitudinum recitatione, *Matth.* 5. & inter partes ſpiritualis noſtri veſtimenti nuptialis *Coloſſ.* 3. 12. ſeparatim nominantur. Ergo de iis ſeparatim loquemur.

Manſuetudo (inquit Baſilius) *eſt virtutum maxima, μεγίστη τῶν ἀρετῶν ἡ πραότης.* Baſil. Mag. in Pſ. 33. (al. 34.) Ubi ita mites deſcribit, *Qui in converſatione graves ſunt, ab ira immunes, & quibus nulla eſt inquieta perturbatio in animis eorum habitans.*

Manſuetudo iracundiam excludit, ſicut patet in deſcriptione manſuetudinis Moyſis, *Num.* 12. & amaritudinem excludit. *Actor.* 8. 23. & *Jac.* 3. ſimilitudine ſumpta a ſaporibus & cibis, ubi mitibus amara & acida opponuntur; ſunt nobis mitia poma. Virgil.

Ariſtoteles Philoſophus virtutem *πραότητα* manſuetudinem inter duo oppoſita vitia locat, unum vocat *ὀργιλότητα* iracundiam, alterum *ἀοργησίαν*, quod ſignificat inconſideratam frigiditatem eorum, qui propter ea non ſuccenſent, propter quæ ſuccenſere debent: neque habent zelum pro Deo & pro pietate, adverſus impietatem & iniquitatem. lib. 2. Ethic. Nicom. c. 7. quæ diſtinctio convenit illi dicto Apoſtoli, *Iraſcimini, & nolite peccare, ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare Diabolo. Eph.* 4. 26, 27. Nota hic imitatores Chriſti & imitatores Diaboli. Moyſes legitime iratus erat, *Exod.* 32. 19. quanquam omnium tum viventium mitiſſimus fuit. *Num.* 12. 3. Jeſus Chriſtus Salvator noſter iratus erat abſque peccato. *Marc.* 3. 5. Comedit eum zelus domus Dei. *Joh.* 2. 17. Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. *Prov.* 16. 32.

Sicut urbs patens & absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *Prov.* 25. 28. Ne sis velox ad irascendum; quia ira in sinu stulti requiescit. *Ecclef.* 7. 9. Vide *Prov.* 19. 19. & 22. 24, 25. Vide *Philip.* 2. 14, 15.

Tales vocantur ἀκρόχολοι a Chrysostomo in hunc locum Matthæi. *Mitiga affectum tuum, ut non irascaris, aut certe iratus ne peccaveris, juxta quod scriptum est: Irascimini, & nolite peccare*, inquit Ambrosius comment. in c. 6. Lucæ.

Beati sunt mites, quoniam ipsi possidebunt terram, *Matth.* 5. 4. etiam illam terram viventium, de qua David loquitur in *Ps.* 27. ut etiam Hieronymus observat in 5. cap. Matthæi: Quis sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ, (ἐν πραΰτητι σοφίας) *Iac.* 3. 13.

Apostolus in versibus sequentibus huic mansuetudini sapientiæ opponit zelum amarum & contentionem in corde, (ζῆλον πικρὸν καὶ ἐριθείαν ἐν τῇ καρδίᾳ) & de sapientia quæ est desursum, primo, inquit, est pudica, deinde modesta, pacifica, suasibilis, plena misericordia & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.

Hinc colligi potest descriptio mansuetudinis Christianæ, quod sit cordis dispositio sapiens, pura, pacifica, modesta, suasibilis, plena fructibus bonis, non judicans, & sine simulatione, (addite e textu meo) in imitationem Christi, (& e priori loco *Iac.* & *Gal.* 6. 1.) operata in nobis desursum, sancto mansuetudinis spiritu.

Est mansuetudo quædam false sic dicta, quæ est stultitiæ mansuetudo, illa ipsa fatua ἀοργησία, de qua dictum est; estque sapientiæ mansuetudo, quæ vere mansuetudinis nomen meretur, ad quam hortatur nos Salvator, *Discite a me quia mitis sum ac humilis corde*, quam Jacobus Apostolus vocat mansuetudinem sapientiæ, & his epithetis vel proprietatibus sapientiæ quæ est sursum, exponit, quid sibi velit per mansuetudinem sapientiæ, scilicet puritatem, tranquillitatem, & lenitatem.

Hæc sapiens, cœlestis, Christiana mansuetudo duobus præsertim temporibus se ostendit. Unum est, cum injuria vel ad iram provocatio nobis offertur. Hoc tempore apparuit Moysis mansuetudo, cum Miriam & Aaron adversus eum locuti sunt, *Num.* 12. & multo magis incomparabilis Christi in passionibus mansuetudo. Alterum tempus, quo videtur hæc mansuetudo, est quum quis monendus, & ob culpam reprehendendus est. In quo casu, duo sunt fugienda, scilicet ne debitam admonitionem omittamus, *Exod.* 19. 12. *Matth.* 18. 15. neque misceamus humanam iram, quæ justitiam Dei non operatur, ut dixit Jacobus Apostolus 1. 20. Sed recordemur harum instructionum nobis ab Apostolo Paulo datarum: Fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne & tu tenteris. *Gal.* 6. 1. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia (ἐν πραότητι) corripientem eos qui resistunt veritati. 2 *Tim.* 2. 24, 25. In hoc etiam proponitur nobis Salvator ut exemplar mansuetudinis, de quo dictum erat per Prophetam Esaiam: Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. *Esa.* 42. 2, 3. *Matth.* 12. 19, 20. Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit ad te, mansuetus, (πραΰς) & sedens super asinam, *Matth.* 21. 5. *Discite a me quia mitis sum.*

Ac humilis corde] Sicut mansuetudo & iracundia sibi invicem opponuntur, ita & humili- §. 254.
tas & superbia. Et sicut iracundiâ & superbiâ homo Diabolo assimilatur, eique locum dat, ita mansuetudine & humilitate homo Christum imitatur, & cor suum patefacit ut ibi habitet Christus. Deus promittit cum eo habitare, qui spiritum contritum & humiliatum habet *Esa.* 57. 15.

Humilitas est modesta sui existimatio cum *Humilitas.*
aversatione suæ gloriæ. Superbia est inordinata suæ excellentiæ opinio, & vana suæ gloriæ cupiditas.

In duas partes distinguitur superbia; nam constat errore animi, & corruptione in affectibus. Humilitas similiter duas partes habet superbiæ oppositas, nempe rectum animi judicium, & affectus rectitudinem.

Bernardus in 42. Epist. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, superbiam, quæ est in errore mentis, superbiam cœcam seu contumaciam vocat, alteram vanam superbiam seu vanitatem vocat. De utraque ibi loquitur, & de humilitate ei opposita, cujus occasione utemur, huic considerationes quasdam necessarias addentes.

Cœca superbia homini dicit, illum habere 1. excellentias quas non habet. Humilitas e contrario homini dicit, illum esse miserum, egenum, cœcum & nudum. Quam meditationem Christus commendat Angelo Ecclesiæ Laodiceorum adversus hoc superbiæ genus. *Apoc.* 3.

2. Cum homo evidenter videt se quædam bona habere, ut sapientiam, bonam conversationem moralem, imo fidem, & pœnitentiam, superbia hæc homini ipsi attribuit, sicut fecere Pelagiani. Sed humilitas dicit, quis te ab alio discriminat? & quid tu habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1 *Cor.* 4. 7. Fides est Dei donum. *Eph.* 2. 8. Ita pœnitentia. *Act.* 11. 18.

3. Etiamsi homo agnoscat omnia quæ habet a Deo sibi data fuisse, tamen ei suggerit superbia, quod hæc aliis negata ei dantur, propter secretam in eo supra alios dignitatem & excellentiam. Ita superbus ille Pharisæus elatus est, quanquam Deo gratias agens, propter suas supra publicanum & alios homines prærogativas. *Luc.* 18. Sed dicit humilitas: Ne dicas in corde tuo, propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem; non propter justitias tuas, & æquitatem cordis tui &c. *Deut.* 9. 4, 5, 6. Natura fuimus filii iræ. Gratia estis salvati per fidem: (& hoc non ex vobis, Dei enim donum est) *Eph.* 2. Secundum misericordiam suam salvos nos fecit. *Tit.* 3. Deus est enim qui operatur in nobis & velle & facere, pro bona sua voluntate. *Philip.* 2. 13. Vide *Rom.* 11. 33, 34, 35, 36.

4. Omnibus hisce finitis considerationibus, superbia dirigit oculos mentis in eam excellentiam quam habet homo dono Dei, & conatur eum inducere in securitatem & oblivionem diei judicii. Sed humilitas clamat semper in aures mentis: *Cuicumque multum est datum, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt homines multum, plus petent ab eo.* Luc. 12. 48.

Atque hæ sunt pugnæ humilitatis adversus cœcam animæ superbiam. Vide plura huc spectantia apud Gregorium Moral. lib. 23. cap. 14.

Vana superbia, in voluntate & affectu, est sacrilega & ingrata cupiditas gloriæ totius vel in

parte,

parte, quæ omnino Deo ſoli debetur. Adverſus hanc vanam cupiditatem, & ſuperbam glorioſitatem dicit humilitas : *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo ſit gloria, propter miſericordiam tuam & veritatem tuam.* Pſ. 115.1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1 *Cor.* 1.31. Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in eo non eſt. *Joh.* 7. 18. Cum Chriſtus ad ſe nos vocat, digne ambulemus vocatione qua vocati ſumus, cum omni humilitate & manſuetudine. (*μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης καὶ πραότητος.*) *Eph.* 4.1,2. Quomodo poteſtis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt non quæritis? *Johan.* 5. 44. De his etiam dicit: Amen dico vobis, mercedem ſuam habent. Cum itaque ſuperbia & fides vera nequeant in eodem hærere ſubjecto, cumque ſuperbia pudorem & ruinam pariat, hominesque ſpoliet mercede futura; & cum per humilitatem, & timorem Domini divitiæ ſint, honor & vita, quum denique (prout loquitur Apoſtolus Petrus, 1 *Pet.* 5. 5.) Deus obſiſtat ſuperbis, ſubmiſſis autem det gratiam; humilitate cingi debemus, ut dicit idem Apoſtolus eodem loco. Quapropter Auguſt. humilitatem commendat, ut primum illud obſervandum inter Chriſtianæ religionis præſcripta, ut commendavit Orator eloquutionem in eloquentiæ præſcriptis. Aug. epiſt. 56. *Humilitas magiſtra eſt omnium materque virtutum*, inquit Gregorius lib. 23. Moral. cap. 13. Sed ut textum ſervemus, reſpiciamus argumenta in eo humilitatem & manſuetudinem ſtabilientia. 1. præceptum Chriſti eſt. 2. diſcipulorum ejus diſpoſitio eſt. 3. has particulares commendat virtutes pro ſumma virtutum ſuarum, quæ a diſcipulis æmulari debeant. 4. oſtendit hanc eſſe methodum qua homines ad illum accedere queant. Superbia contraria eſt fidei, ſine qua nemo ad Chriſtum veniet. 5. ſi ita, & non aliter accedamus, requiem inveniemus animabus noſtris.

2. Datur promiſſum officia hæc ſervantibus: *Et requiem invenietis animabus veſtris.*

§. 255. *Quatuor conſideranda in requie promiſſa.*

Hic obſervanda, 1. conjunctio (&) qua conjungunt præceptum & pollicitum, quod ſatis præ ſe fert, præceptis hujus obſervatoribus, non vero violatoribus, pollicitum illud adjungi. Ira inordinata ſi prævaleat, viam ſtruit Diabolo, & ex ſuperbia cadunt homines in condemnationem Diaboli. Indignatio in ſinu ſtolidorum conquieſcit. Animo ſuperbos abominatur Dominus; conjunctis operis non conſequentur impunitatem. Superbis obſiſtit Deus; ſubmiſſis autem dat gratiam. Elatio hominis deprimet eum; depreſſum autem ſpiritu ſuſtentabit honor. Qui ergo animi quietem ultione & ſuperbia conſequi exiſtimant, aut viam manſuetudinis & humilitatis non recte ducere in tranquillitatem animi generoſi imaginantur, miſere falluntur. 2. Obſervanda eſt in verbis polliciti certa cognitio rei promiſſæ, *invenietis eam.* 3. Res promiſſa, *requies animabus veſtris.*

Hæc jungite priori promiſſo verſu præcedente, *& dabo vobis requiem*, & ex utroque ſimul ſumpto, *dabo vobis requiem* —— &, *invenietis requiem animabus veſtris*: ex his, inquam, facile obſervanda veniunt quatuor hæc capita maxime momentoſa & ſalutaria.

Primo promiſſor & dator.

Primo, promiſſor & requiei hujus dator: *Ego dabo vobis requiem.* Verbum ejus verum eſt, donum liberum & certum. *Quum ipſe tranquillat, quis inquietabit?* Si Deus pro nobis, quis contra nos? Sed poſtea de hoc plura, in explicanda re promiſſa.

Secundo quibus dat.

Secundo, quibus requiem dat, *omnibus laborantibus & oneratis, & ad Chriſtum venientibus, & jugum ejus in ſe attollentibus, & manſuetudinem ejus cordiſque humilitatem imitantibus.* His, inquam, ſolis unicisque. Contumaces enim, qui vocem ejus non audiunt, ſed animum ſuum obdurant, in requiem ejus minime introibunt. *Nulla eſt pax, inquit Jehovah, improbis.* Quamnam requiem habebit ſtultus quidam temerarius, iracundus & inſolens? In quo Diabolus pedem figit, & qui ſapientiâ ducitur diabolica, qui cadit in condemnationem Diaboli, quem abominatur Deus, cui etiam obſiſtit, & dicit, quod etiamſi manus conjungatur manui, attamen non impune evadet; qualem, dico, quietem talis poterit invenire? De quibus & id genus aliis ita loquitur Dominus per Prophetam ſuum: *Improbi ſunt ut mare propulſum, quum quieſcere non poteſt, & cujus aquæ expellunt cœnum & lutum.* (Iſa. 57. 20.) Vid. Chryſoſt. in hunc Matthæi locum.

Tertio vera ejus certitudo.

Tertio, certa datur cognitio & vera certitudo requiei hujus; *Invenietis eam.*

Duo ſunt genera inveniendi. Unum, fructus eſt quærendi, ſicut inventio illa ovis, & drachmæ, quæ perditæ fuerant, *Luc.* 15. & inventio margaritæ illius magni pretii, *Matth.* 13.45,46. Alterum non indiget quæſitione, ut inventio theſauri illius occultati in agro, *Matth.* 13.44. In textu hoc prius ſubauditur genus, nempe requiem quærendo, idque ſincero animo, inveniemus eam. Dicit Moſes: Quod ſi quæſiveris inde Jehovam Deum tuum, invenies; quum quæſiveris eum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo. *Deut.* 4.29. Et Salvator noſter dicit; *quærite & invenietis.* Matth. 7.7. Inventio hæc non ſolum ſub ſe continet habitionem realem, verum etiam certam quandam notitiam, nos habere id quod a nobis expetitur. Inventio proprie ſumpta, ut hic ſe habet, ſupponit etiam notitiam aliquid conſequendi. Realis alicujus rei habitio non totum eſt, nam quod aliquis revera habet, ſi dubitet, vel illud ignoret, quærit id, & cum certo ſcit ſe illud habere, dicitur tum id inveniſſe. Quamvis etiam illud habeat, tamen uſquequo id inveniat, requiem minime conſequitur anima ejus, at eo invento, requiem quoque habet. Poterit Chriſtianus gratiam habere, & tamen animo perturbari, uſquedum inveniat ſe gratiam habere. Nos vero (dicit Apoſtolus) non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui eſt ex Deo: ut ſciamus quæ Deus eſt nobis gratificatus. 1 *Cor.* 2.12. Hic ſpiritus adoptionis eſt, per quem clamamus, Abba, Pater. Qui Spiritus teſtatur una cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei. Tum quidem invenimus eum, quem diligit anima noſtra. *In illo die vos cognoſcetis me eſſe in Patre meo, & vos in me, & me in vobis.* Multa ſunt dona ſalutaris gratiæ Dei nobis data, atque etiam nobis per Spiritum ſanctum notificata, nos perſuadentia de amore ejus. De quibus quæſtiones movent & dubitationes Pontificii, allegantes etiam illum qui ea habet, non poſſe ullo modo ordinario certiorem reddi ſe illa habere. Exempla ſunt vera fides juſtificans, ſpes, caritas. Vide Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 9. Quæ doctrina inimica eſt conſolationi, & ſacræ repugnat Scripturæ. Aſt nunc non licet digredi in controverſiam hanc; ſed in textu noſtro invenimus inventionem requiei animæ; atque certum eſt & evidens donum hoc quod hic nomen habet requiei, certam quandam præſupponere no-

titiam; & inventionem animæ requiei certam cognitionem continere, cui non potest subesse falsum, prout loquuntur Theologi, alioquin anima non erit tranquilla. Requiem ergo invenire animabus nostris, est certam & indubitatam consequi cognitionem, nos favore Dei protegi; & ex fide justificati, pacem habemus cum Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum; per quem etiam aditum habemus ex fide in gratiam ejus in qua perstamus, & gaudemus in spe gloriæ Dei. Neque id solum; sed etiam gloriamur de afflictionibus, scientes quod afflictio tolerantiam efficiat, tolerantia vero experientiam, experientia autem spem. Porro spes non pudefacit, eo quod caritas Dei effusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui nobis datus est. (*Rom.* 5. 1, 2, 3, 4, 5.) Accedamus igitur cum loquendi ubertate ad thronum gratiæ. (*Heb.* 4. 16.)

Quarto res promissa. Quarto insignis est res promissa, *requies animabus vestris.* De requie loquuti sumus versu præcedenti; hic vero exprimitur & perhibetur natura & efficacia requiei Christi. Spiritualis est requies, animam pacificans. Dicit alibi, pacem meam do vobis, non prout mundus dat, ego do: ne turbator cor vestrum, neque formidato. (*Joh.* 14. 27.) Hic duo sunt puncta eximia doctrinæ Christianæ. 1. Nemo nunquam sublevatur, aut vere laboribus & oneribus suis exoneratur, usque dum requiem inveniat animæ suæ. Spiritum fractum quis attollat? (*Prov.* 18. 14.) Quid enim prodest cuipiam, si totum mundum lucratus fuerit, animam autem suam perdat? Aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ? (*Matth.* 16. 26.) 2. Nihil poterit animam tranquillare, præter requiem quam dat Christus omnibus venientibus ad eum, quos trahit Pater ad Christum. Hæc loquutus sum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo afflictionem habebitis; sed confidite, ego vici mundum. (*Joh.* 16. 33.) Ipse enim est pax nostra, per quem aditum habemus per unum spiritum ad Patrem. (*Eph.* 2. 14--18.) Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manum. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero non assentitur Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. (*Joh.* 3. 35, 36.) Deus lux & vita nostra est, & alibi nulla vera est felicitas, sed vanitas spiritusque vexatio, dolorum multitudo, & lectus in dolore. Christus Jesus via est, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per eum. *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Aug. lib. 1. Confess. cap. 1. Quem præ te habeo in cœlis? imo nullus est in terra quem velim præter te. *Ps.* 73. 25. vide *Ps.* 36. 6, 7, 8. & *Ps.* 4. *v. ult.*

Requies hæc quam nobis dat Christus & facit ut inveniamus animabus nostris, hic incepta est in regno ejus gratiæ, quod consistit in justitia, pace, & gaudio in Spiritu sancto: gaudio quo gaudemus in spe gloriæ Dei. *Rom.* 5. 2. & 14. 17. vide Chrysost. in hunc Matthæi locum. Et plene datur requies hæc sanctis in cœlo, ubi requiescunt a laboribus suis, omnesque lacrymæ absterguntur ab oculis eorum. In conspectu Dei habent satietatem gaudiorum suavissimorum, dextera ejus in æternitatem. Tunc temporis in plenitudinem usque consummabitur dictum illud, *requies ejus erit gloriosa.* Isa. 11. 10. & dictum illud *Prov.* 29. 23. Studeamus igitur ingredi in requiem illam, id est, veniamus ad Christum, sicut jubemur, & requiem nobis dabit, & requiem inveniemus animabus nostris, quam det nobis propter se. Ei omnis honor, gloria & laus, in secula seculorum. *Amen.*

Vers. 30. *Jugum enim meum facile est, & onus meum leve est.* §. 256.

Finita expositione duorum præcedentium versuum, pollicitus sum expositionem hujus hoc in loco.

In versu hoc, sicut antea monui, solvitur objectio, quæ auditorum animis occurrere possit de compossibilitate & convenientia officii mandati cum beneficio priori versu pollicito. Videlicet quomodo *jugum Christi tollere*, consistere possit cum promisso hoc, *requiem invenietis animabus vestris.* Servator noster rem dilucidat, monstratque hæc verba egregie consentire, *jugum enim meum*, inquit, *suave est, & onus meum leve est.*

Per hoc cognoscimus, nos diligere filios Dei, quum Deum diligimus, & præcepta ejus observamus, hæc est enim caritas Dei, ut præcepta ejus observemus: & præcepta ejus gravia non sunt. (*καὶ αἱ ἐντολαὶ αὐτοῦ βαρεῖαι οὐκ εἰσίν.* 1 *Joh.* 5. 3.) De dulcedine præceptorum Dei mansuetis & corde humilibus, vide *Ps.* 19. & 119. Talibus etiam, castigationes suas paternas, faciles, leves & bonorum fructuum feraces reddit Deus. *Ps.* 119. *Teth. Prov.* 3. cum *Hebr.* 12. *Michæ* 7. *Luc.* 1. *Rom.* 8.

Hilarius in hunc Matthæi locum dicit: *Et quid suavius jugo ipsius? quid levius onere ipsius? probabilem fieri, a nequitia abstinere, bonum velle, malum nolle, neminem odio habere, æterna acquirere, præsentibus non capi, ulteri id facere nolle, quod pati sibi grave esse putaret.*

Chrysostomus super eundem Matthæi locum ait: *Cum de jugo audis, ne timeto, facile enim est, neque attenti sitis quod de onere loquar, nam leve est.*

Hanc etiam proponit objectionem Salvator noster. *Objectio.* Antea dixerat: Angusta est porta, & stricta via quæ ducit ad vitam. *Matth.* 7. 14. Et ait: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & liberos, & fratres & sorores, atque adeo etiam animam suam, non potest meus esse discipulus: & quisquis non portat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus. —— Sic ergo quisquis vestrum non valedicit omnibus bonis suis, non potest meus esse discipulus. (*Luc.* 14. 26, 27, 33.) Qua ratione itaque est jugum ejus facile, & onus ejus leve?

Respondit, 1. id nobis videri grave ac diffi- *Solutio.* cile tantum ex socordia & protervia nostra; quos defectus si emendemus, inveniemus Christi jugum facile esse, & ejus onus leve. 2. Si Christum diligimus, omnia nobis facilia & levia fore. 3. Si respiciamus gloriam futuram, omnes præsentes apparentes difficultates, leves nos reputaturos.

Responsa hæc bona sunt. Sed ne recedamus a præsenti themate. Has nobis suppeditat responsiones. 1. Si ad Christum accedamus, & libenter jugum ejus tollamus, & ab eo discamus, & (prout decet discipulos ejus) si mansuetudinem ejus animique humilitatem æmulemur, neque immorigeri simus, neque molesti, neque fastidiosi; tum certe longe adeo distabimus a mœrendo & lugendo sub jugo & onere ejus, ut e contra, facile & leve id inveniamus. 2. His verbis, minus exprimitur, & majus subauditur, ut apparet ex præcedentibus, *requiem invenietis animabus vestris.* Jugum & onus Christi ipsissima sunt media, quibus animas nostras reficit & levat; cumque id portamus, magnopere consolamur, & impense lætificamur. 3. Qui Christi onus

Μείωσις. Chrysost. in hunc locum Matthæi. ἡδὺς καὶ κοῦφος ὁ

τῆς ἀρετῆς ζυγός. Vid. Basil. Moral. reg. 44. onus & jugum nequaquam portant, manent sub gravissimo Satanæ jugo, mortisque & peccati onere; ex quibus liberamur ad Christum accedendo, jugumque ipsius tollendo, erepti ex potestate tenebrarum, & translati in regnum Filii ejus dilecti, (*Col.* 1. 13.) requiemque dat nobis ab omnibus laboribus nostris, & oneribus molestis, ut sine metu e manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi, cum sanctitate & justitia, in ipsius conspectu, cunctis vitæ nostræ diebus. (*Luc.* 1. 73, 74.) Et sic liberati a peccato, servi autem facti Deo, habemus fructum nostrum in sanctimoniam; finem autem vitam æternam. (*Rom.* 6. 22.) Propterea non segnescimus: sed etiamsi externus noster homo corrumpitur, internus tamen renovatur in dies. Illico enim præteriens levitas afflictionis nostræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis: dum non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur. Nam quæ cernuntur, temporaria sunt: at quæ non cernuntur, æterna. (2 *Cor.* 4. 16, 17, 18.) Tertium hoc responsum deducitur a liberatione & privilegiis eorum, qui jugum Christi attollunt. 4. Respiciamus amorem, potentiam, veracitatem, & exemplum Domini nostri Jesu Christi, qui amanter nos invitat ad se venire, requiem dare promittit, quique ut pollicitis ster, potens & fidelis est, & qui magna sua miseratione, submisit se etiam crucis morti. Atque adeo omnes hæ difficultates, a Satana aliisque inimicis nostris spiritualibus repræsentatæ, omnesque funes tentationum quibus impedire nos conantur a tollendo jugum Christi, similes erunt duobus eis funibus novis, quibus viri ex Juda Samsonem vinxerant, quum deduxerunt illum ad locum Lechi; qui cum pervenisset ad locum Lechi, Philistæi præ gaudio vociferati sunt ad occursum ejus; & incessit eum spiritus Jehovæ, fueruntque funes illi qui erant ad brachia ejus, tanquam fila linea quæ arserunt igni, & dissoluta sunt vincula ejus e manibus ejus. (*Jud.* 15. 14.) Quapropter dicit Apostolus: Omnia valeo per eum qui me corroborat, nempe Christum. (*Phil.* 4. 13.) Sufficit nobis gratia ejus: nam potentia ejus per infirmitatem consummatur. Libentissime igitur (inquit idem Apostolus) gloriabor potius de infirmitatibus meis, ut inhabitet in me potentia Christi, [ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ] 2 *Cor.* 12 9. Sicut spiritus Domini magnopere incessit Samsonem וַתִּצְלַח עָלָיו רוּחַ יְהוָה ad verbum, *& prospere egit super eum spiritus Domini.* Vulg. *irruit.* LXX. κατεύθυνε. Hæc Christi potentia in omnibus & singulis sanctis Martyribus, sanctique nominis sui Confessoribus inhabitavit, reddiditque eos audaces, constantes, gaudio repletos, & spirituali tranquillitate exundantes. Proinde nos quoque, quum tanta nos circumstet testium nubes, abjecto omni pondere, & peccato ad nos circumcingendos proclivi, per tolerantiam propositum nobis stadium decurramus: Intuentes in fidei ducem ac consummatorem Jesum, qui pro sibi proposito gaudio, sustinuit crucem, ignominia contemta, & ad dexteram throni Dei consedit. (*Heb.* 12. 1, 2.) Ei omnis est gloria in secula seculorum. Amen.

§. 258. *Die Veneris 6. Decembris* 1639. invitatus a *D. Scrogie*, concionem præparatoriam in sanctam communionem die dominico proxime insequenti celebrandam concionatus sum. Thema fuit illud quod vice præterlapsa inexplicatum Neo-Aberdoniæ reliqueram, atque ita in concione hac in Ecclesia Cathedrali Palæo-Aberdonensi, hæc dilucidavi verba: *Et requiem invenietis animabus vestris. Jugum enim meum facile est, & onus meum leve est.* In quibus, præter hactenus scripta, gravitatem peccati graviorem observavi supra animam mola asinaria collo hominis suspensa in profundo maris demersi. Quippe lapis molaris collo hominis suspensus ita in mari demersi, deprimit dumtaxat corpus in profundum maris. At peccatum irremissum animam premens, in profundum inferni dejicit eam. S. Martyrem Clementem primum Episcopum Rom. Chersoneti exulantem, alligata ad collum ancora in mare præcipitatum esse jussu Trajani Imperatoris, legimus in Martyrologio Romano die 23. Novembris, & apud Platinam in ejusdem Clementis vita. Die judicii plenarie & universaliter implebitur dictum illud Salomonis: Elatio hominis deprimit eum, depressum autem spiritu sustentat honor. (*Prov.* 29. 23.) Superbi utique ad infernum dejicientur; humiles vero gloriæ cœlestis & æternæ diademate cingentur. Observavi ad hæc, Christum Servatorem nostrum, qui nos dilexit, seque pro nobis tradidit, quum jugum suum nobis infert, animo tenero & propitio, manuque leni & benigna id facere, ut jugum facile nobis sit, & onus leve, sicut promisit: virtutem etiam nobis addere, nos portare omniaque onera nobis imposita, adeo ut in omnibus amplius quam victores simus per eum qui dilexit nos. Illi gloria in seculum. Amen.

Grave sane peccati onus.

Die 7. Decembris 1639. Mihi fuit in animo rursum communicare ad mensam Domini insequenti die, maximasque Dei mei commiserationes revolvens, repetiturus eram canticum illud sive hymnum Seraphinorum. (*Isa.* 6. 3.) Sed invasit me terror, & tristitia circumcinxit me, cum recordarer sanctos Seraphinos canticum & hymnum hunc pronunciantes facie & pedibus tectos. Et Isaias hac visa visione dixit: Hei mihi, quod exscindor, quia vir pollutus labiis sum, & in medio populi polluti labiis habito, cum Regem illum Jehovam exercituum viderint oculi mei. Sed (inquit Propheta) advolavit ad me unus ex istis Seraphim, habens in manu sua prunam; quam forcipibus sumserat ab altari: admovitque ori meo dicens, ecce, attingit hoc labia tua, jam amovetur iniquitas tua, & peccatum tuum expiatur. Tunc Prophetæ animi addebantur, & officio semet obtulit, & dixit: Ecce ego; mitte me. Totam noctem illam in sancta mansi reverentia, neque hymnum illum recitare ausus sum, sed suppliciter Deum precatus sum. Et cras qui fuit dies 8. Decembris, dum in Ecclesia precibus matutinis essem, magnopere consolabar, & largitus est Dominus mihi gratiam, ut rursum lacrymis orarem; & postea tempore antemeridiano audivi D. *Scrogie* maxime salutarem prædicantem concionem super parabolam illam convivii nuptialis, *Matth.* 22. & *Luc.* 14. in qua plurima inter alia documenta salutaria, monuit nos natura cæcos esse, pauperes, mancos, & claudos; sed convivii hujus cœlestis participatione sanari. Finita concione, desiderio vehementi mensam Domini adii, & post magnam lacrymarum affluentiam, sanctam recepi communionem novo augmento solatii inenarrabilis. Postea reversus a mensa in sedem, supplex Deo gratias habui propter mira sua in me beneficia, agnoscens me indignum minima ejus benignitate. Dominum rogavi ut labia mea pruna tangeret ab altari suo; & maximam lucratus sum consolationem, Deum tum animum meum tetigisse Spiritu suo sancto, participemque fecisse sacrificii altaris, corporis nimi- §. 259.

Communio salutaris.

nimirum & sanguinis Jesu Christi, qui nunc in corde meo habitat per fidem, pollicitumque mihi dat advocatum, in æternum mecum manere. Tunc Dominum laudavi, & dixi: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehova exercituum: implet totam hanc terram gloria ejus. Supplex quoque rogavi pro infirma & ægrota mea uxore, pro filio, proque omnibus & singulis Dei liberis, & dulcissime de omnibus consolabar. Quumque ad uxorem videndam veni, maxime imbecillam quoad corpus inveni, sed perquam salutariter sublevatam, & magnopere confirmatam in interiori homine per Spiritum sanctum. Quapropter animitus Deum celebravi, & ut in Domino nostro fiduciam haberet luctatus sum; quamquam enim deficiat caro nostra & animus noster, rupes tamen animi nostri est, & portio in seculum. (*Ps.* 73. 26.) Mansionem nobis paravit in cœlo, & assumet nos ad seipsum, ut ubi erit ille, & nos simus. (*Joh.* 14. 3.) Potens est qui restituat nos sanitati corporali a qualicumque infirmitate, qua nos visitare sibi visum est; corpora enim mortua e monumentis suscitabit, & si in gloriam suam bonumque nostrum sit, sanitatem quoque largietur corporalem. Omnia facit simul adjumento esse ad bonum eis qui diligunt Deum, *Rom.* 8. 28. quumque ei libuerit nos e vita hac transferre, potentiam suam per infirmitatem nostram consummabit. Gratia ejus nobis sufficiens sustentabit nos, inhabitabit in nobis potentia ejus. Fideles nos efficiet usque ad mortem, victoriamque dabit & coronam vitæ. (*Apoc.* 20. 10.) Respondit mihi responsis Christianissimis & utrique salutaribus valde; insuper me hortata est bono animo esse, neque nimium vel infirmitate ipsius vel morte affici; & in discursu hoc tum oculi ejus, tum mei, lacrymas stillarunt. Denique conclusimus onus nostrum super Dominum rejicere, in benignitate ejus fidere, & ab ipso petere gratiam paterna ejus providentia recte utendi. Benedictus Deus.

Consolatio adversus ægritudinem & terrores mortis vel nostra vel amici cujusdam.

Colloquium cum ægrota mea uxore.

Eodem die concionatus est M. Joannes *Kemp*, tempore pomeridiano, super his Salvatoris nostri verbis: *Ne pecca amplius ut ne quid deterius tibi fiat.* (*Joh.* 5. 14.) Priora hujus versus verba in concione quadam anteriori explicaverat, & nunc inter hæc explicanda, monuit nos ibidem observare tum misericordiam, tum justitiam Dei. Admonitio misericordiam denotat, ut audientes admonitionem hanc serio consideremus, malumque indictum effugiamus, prout est natura minarum Dei. Justitia & severitas Dei perhibetur in judicio denunciando, (quid deterius?) ut per Mosen loquitur, se contumaces castigando addere septuplum propter peccata illorum. (*Lev.* 26. 24.) Quum impurus spiritus exierit a quopiam, & revertatur, accipit secum septem alios spiritus pejores quam ipse sit: & ingressi habitant illic, fitque ultima conditio hominis illius deterior priore. (*Luc.* 11.) Et cum ab omnibus castigationibus & correptionibus temporariis quidam ad peccatum relabitur, ibique manet, tunc ei deterius quid supervenit, infinita nempe damnatio & perditio. In hanc rem citavit *Hebr.* 6. Custodi nos Domine apud te, & ne revertamur unquam ad stultitiam. (*Ps.* 85. 9.) Expectantes dum reveletur Dominus noster Jesus Christus; qui etiam confirmabit vos usque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Jesu Christi. Fidelis est Deus, per quem vocati estis in communionem Filii ipsius Domini nostri Jesu Christi. (1 *Cor.* 1. 7, 8, 9.) Persuasum habens hoc ipsum, fore ut qui incepit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Jesu Christi. (*Philip.* 1. 6.)

Meditationes a Communione.

Die 9. Decembris 1639. In templo, precibus matutinis, lectum audivi cap. 32. lib. 2. Chronicorum de liberatione Hezekiæ populique ejus ex manu Sennacherib, de benignitate Hezekiæ, deque multifariis favoribus, & mirificis misericordiæ operibus Dei in illum, & quomodo non rependit pro beneficio erga se Hezekiah; nam extulit se animus ejus; quapropter fuit contra eum fervens ira, & contra Jehudam & Jerusalem. Sed quum se depressisset Hezekiah pro elatione animi sui, ipse & habitatores Jerusalem; non obvenit eis fervens ira Jehovæ diebus Hezekiæ. Denique secundatus fuerat Hezekiah in toto opere suo. Itaque agentem cum oratoribus principum Babyloniæ, qui miserant ad eum, & inquirerent de prodigio illo quod fuerat in terra, dereliquit eum Deus, tentando eum ut experiretur quicquid erat ei in animo. Hæc audiens, præ gaudio, tristitia & timore clanculum lacrymatus sum. Gavisus sum Hezekiam in Domino fidere & liberatum. Lapsum ejus ploravi, & rursus de pœnitentia ejus lætatus sum, & de benignitate Dei erga illum. Magnopere timui ne in eandem caderem ingratitudinem, superbiam & securitatem, post tanta experimenta benignitatum Dei in me. Tum in templo, tum postea in campis & domi precatus sum, & dixi: Nequaquam bonus adeo existo ac pius ille Rex Hezekiah, etiam impurus sum & indignus minima commiserationum Dei; si tu Domine derelinquas me, væ mihi, nam absque te nihil possum. Quum dixeris, faciem meam requirite, respondit animus meus: faciem tuam, Jehovah, requiram. Ne abscondas faciem tuam a me, ne avertas in ira servum tuum: auxilium meum fuisti, ne deseras me, nec derelinquas me Deus salutis meæ. (*Ps.* 27. 8, 9.) Jehovah perficiet pro me; Jehovah benignitas tua in sæculum est; ab operibus manuum tuarum ne desistas. (*Ps.* 138. 8.) Sincerus sim Domine, & inoffenso cursu pergam ad diem usque Christi. (*Philip.* 1. 10.) Has etiam largitor benignitates uxori meæ, filio, omnibusque liberis tuis. Faxit autem Dominus ut auctiores simus, & exundemus mutua inter nos caritate, & in omnes. O Deus, Deus noster & Pater in Christo, stabilito corda nostra inculpata in sanctimonia coram te, in adventum Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. (1 *Thess.* 3. 12, 13.) Da mihi gratiam Domine, ne præsenti hac benignitate elatus sim, sed ex animi submissione constanter existimem alios mihi præcellere, (*Phil.* 2. 3.) & insuper magnopere consoler miseratione tua ergâ me omnesque filios tuos. Sustineas nos semper gratia tua nobis sufficiente, magnamque potentiam tuam consummes per magnam infirmitatem nostram; & habitet in nobis potentia tua in bonum. (2 *Cor.* 12. 9.) Recedite a me malefici, ut custodiam præcepta Dei mei. Sustenta me secundum sermonem tuum, ut vivam; neque pudefacias me ab expectatione mea. Suffulci me, & salvus ero: & respiciam ad statuta tua jugiter. Horret pavore tui caro mea; atque a judiciis tuis timeo. (*Ps.* 119. 115, 116, 117, 120.) Libera me Domine ab omni odio, & curis vitæ hujus, & ab omni re quacunque quæ displicet in oculis gloria tuæ. Deus pacis, sanctifica nos totos, & conserva integrum nostrum spiritum, & animam, & corpus, inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi. Fidelis est qui vocavit nos, qui etiam id efficiet. (1 *Thess.* 5. 23, 24.) Cæterum ei qui potest nos custodire a lapsu immunes; & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exultatione: soli sapienti Deo, Servatori nostro, gloria

Meditationes post Eucharistiam in 2 Chr. 32.

gloria esto, & magnificentia, robur & auctoritas, & nunc, & in omnia sæcula. Amen. (*Jud.* 24. 25.

§. 260. *Oratio ex consideratione magna infirmitatis uxoris meæ, deque magna ejus interim devotione. Vid. 2. Octob. 1640.*

Die 15. *Decembris* 1639. Post meridiem solus in museo obnixe lacrymis Deum rogavi pro uxore mea infirma, ægrota & afflicta, quæ in ægritudine hac nomen ejus sanctum noctu & interdiu invocat, misericordiam supplicans, consolationem, fortitudinem & gratiam, semet humiliter permittens beneplacito ac voluntati patris sui cœlestis. Dominum oravi, ne ageret nobiscum in ira sua, sed in miseratione, & poculum hoc mortis ab illa removeret, si voluntas sua sit, verumtamen non ut volumus nos, sed ut ille. Misericordiam rogavi & gratiam, robur & patientiam, consolationem & pacem, & in Spiritu sancto gaudium tum illi, tum mihi, neque ut viator esset qui divertit ad pernoctandum, (*Jer.* 14. 9.) sed in æternum nobiscum maneret, secundum salutare suum pollicitum, ut cursum peregrinationis nostræ hic in timore ejus prætereamus, & cursum finiamus cum gaudio. Exaudivit ac consolatus est me Dominus.

Consolationes adversus mortem & omnes tribulationes, inimicos & terrores. Vid. concionem super Matth. 11. 28. &c.

Montes enim recedent, & colles dimovebuntur; attamen benignitas mea a te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Jehovah. (*Esa.* 54. 10.) Alia inter genera montes & colles dimovendi, omnes montes resque hujus vitæ recedunt, ac removentur a nobis, quum nos morte recedamus ab illis; at neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitas, neque profunditas, neque ulla res alia creata poterit separare nos a caritate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro. (*Rom.* 8. 38, 39.) Eandem rogavi misericordiam & gratiam filio nostro, omnibusque ad nos spectantibus dandam, proximis quoque nostris ægris & afflictis, omnibusque & singulis Dei liberis per totum peregrinationum nostrarum cursum & ad finem peregrinationis. De his quoque maxime consolabar. Benedictum nomen Domini. Laudate Jehovam omnes gentes, laudationibus commendate eum omnes nationes. Quia invaluit erga nos benignitas ejus, fides Jehovæ in seculum. Hallelujah. (*Ps.* 117.) Confidite Jehovæ usque in sempiternum: nam in Jah Jehovah rupes seculorum est. (*Isa.* 26. 4.) Sempiterna tua Deus, misericordia, fides & robur, in sempiternum custodiant nos. Animos nostros in te stabilias, & fac ut semper fiduciam habeamus in te. Cogitationi innitenti custodis continuam pacem, quum tibi confidit. (*Isa.* 16. 3.) Imple nos, ô Deus spei, omni gaudio & pace credendo, ut spe exundemus per virtutem Spiritus sancti. (*Rom.* 15. 13.) Respice ad nos, & gratiam fac mihi; da robur tuum servis tuis, & serva filios ancillæ tuæ. Effice erga nos signum quod bono sit; ut videntes osores mei pudore perfundantur; quum tu Jehovah adjuveris nos & consolatus fueris nos. (*Ps.* 86. 16, 17.) Hallelujah. Amen, iterum Amen.

ANNO 1640.

Initio anni hujus 1640. plurimæ & graves mihi aderant luctationes spirituales, sed Dominus mihi fuit subsidio, & sustinuit me. Benedictus Deus.

§. 261. *Uxor mea* **Soete Noodt-boom** *fatis concessit in Domino, die 19. Januarii, & sepeliebatur in cineres pignorum nostrorum mortuorum in Ecclesia cathedrali Palæo-Aberdonensi, 24. die Januarii 1640.*

Die 19. *Januarii*, die Dominico, dilecta uxor mea, spiritu suo obnixe admodum, frequenter & consolatorie in manus benignas & salutares Patris sui cœlestis in Christo commendato, pie, patienter, libenter, fideliter, & placide cursum suum mortalis hujus vitæ cum gaudio finiit. Quod cernens & videns, tum gaudio, tum tristitia affectus sum. Gavisus sum de signo hoc misericordiæ Dei erga eam & apud eam, & de certa persuasione felicitatis ejus nunc in cœlis cum Christo Jesu, apud quem semet conferre fervide desideravit. Tristitiam meam ex orbitate dilectissimæ meæ uxoris duplex comitabatur timor; unus e recordatione plurium & gravium peccatorum meorum; alter e consideratione peccatorum & instantium periculorum gentis hujus. Quare suspiriis & lacrymis innumeris Deum inclamavi, omnia condonaret ac oblivisceretur peccata mea, [quorum plurima in mentem venerunt, animamque afflixerunt, at ego suppliciter ea agnovi & fassus sum Domino, votaque inii vitæ novitatis; & consolabar quod Christus in mundum venerit, ut peccatores servaret, quorum sum primus, (1 *Tim.* 1. 15.) & cujus sanguis purificat ab omni peccato. (1 *Joh.* 1. 7.) Oravi quoque ne mors hæc uxoris meæ judicium ullum ulterius super me portenderet, vel super gentem. In mentem revocavi historiam mortis uxoris Prophetæ Ezekiæ, (*Ezek.* 24.) & dictum illud Isaiæ Prophetæ: Justus perit, & nemo homo reponit in animo; homines enim benigni recipiuntur, nemine advertente, ante adventum ipsius mali recipi justum. Supplices deprecationes meas coram Domino obtuli, pro gente nostra, pro meipso, pro filio, Deum orans salutis nostræ, nobis monstraret viam veritatis & pacis, & in eam duceret nos, sanctum & benedictum suum glorificaret nomen nobis invocatum, benignitate sua erga nos, suaque apud nos sempiterna præsentia. Domine qui adeo mundum dilexisti, ut Filium illum tuum unigenitum dederis, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. (*Joh.* 3. 16.) Credimus Domine, succurras incredulitati nostræ. (*Marc.* 9. 23.) Da nobis gratiam, ut abnegemus & odio habeamus, prout tu præceperis nobis. Quicquid carius nobis sit in mundo hoc, ut crucem tollamus & sequamur Dominum Jesum Christum servatorem nostrum, ut omnia ducamus pro stercoribus præ illo. Fac nos mites & humiles corde, similes illi, & fac requiem inveniamus animabus nostris in eo, & jugum ejus facile & onus leve percipiamus. (*Matth.* 11. 29, 30.) Fac noscamus caritatem illam ejus omni notitia supereminentiorem, & comple in nobis omnem bonitatis tuæ gratuitam benevolentiam, & opus fidei potenter; daque omnibus nobis & singulis, ut per tolerantiam propositum nobis stadium decurramus, (*Heb.* 12. 1.) cursumque cum gaudio consummemus. (*Act.* 20. 24.) Benigne respice familiam nostram, sanctum tuum nomen nobis invocatur. Da nobis gratiam ut ambulemus, sicut Domino convenit, cui per omnia placeamus. Parce populo tuo, & ne exponas possessionem tuam opprobrio. (*Joël* 2. 17.) In vita conserva nos, ut nomen tuum invocemus. Jehovah, Deus exercituum, restitue nos, fac ut luceat facies tua; ita servabimur. (*Ps.* 80. 19, 20.) Deus, propter nomen tuum magnum, serva nos, nam in eo solum confidimus; & da nobis gratiam solummodo fiduciam habere in nomine hoc sancto. Respice ad nos, & gratiam fac nobis, prout est jus erga amantes nomen tuum. Pedes nostros institue in sermone tuo, & ne finas dominari in nos ullam iniquitatem. (*Ps.* 119. 132, 133.) Omnes hasce benignitates tuas extende omnibus & singulis liberis tuis pro cujusque necessitate. Jehovah dedit, & Jehovah recepit: sit nomen Jehovæ benedictum. (*Job.* 1. 21.) In salu-

tem tuam expecto Jehovah. (*Gen.* 49. 18.) In misericordia tua confido. Ad te, Jehovah, animam meam attollo. Deus mi, in te confido, ne erubescam. (*Ps.* 25. 1, 2.) Tu jussisti nos expectare te, & confirmari, & pollicitus es te fortificaturum animum nostrum. Fac is Deus, in te expectemus, confirma nos, animumque nostrum fortifica. Summæ benignitatis est Jehovæ quod non sumus absumpti. (*Thren.* 3. 22.) Horret pavore tui caro mea, adeo a judiciis tuis timeo. (*Ps.* 119. 120.) Deus mi, in me anima mea dejicit se, propterea recordor tui. (*Ps.* 42. 7.) Recordare mei Jehovah, benignitate tua. Respice ad me, & gratiam fac mihi; da robur tuum servo tuo, & serva filium ancillæ tuæ. Effice erga me signum quod bono sit, ut videntes osores mei pudore perfundantur, quum tu Jehovah adjuveris me, & consolatus fueris me. (*Ps.* 86. 16, 17.) Benedictus Jehovah adjutor & consolator meus. Adjuva & consolare me Deus, ut timentes te videant, & exultent mecum pro misericordia tua erga me; & ut peccatores ad te convertantur, & iniquitati os occludatur, omnesque inimici mei spirituales confundantur. Domine crucifige in me carnem cum affectibus & cupiditatibus. (*Gal.* 5. 24.) Crucifige me mundo huic, & mundum mihi, cruce Domini nostri Jesu Christi. (*Gal.* 6. 14.) Contere Satanam omnesque tenebrarum potestates cito sub pedes meos. (*Rom.* 16. 20.) Omni potentia potentem me fac, secundum gloriosum robur ipsius, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio, in te Deo meo, ineffabili & glorioso, & gratiarum actione, & laudibus nomini tuo sancto in secula. Quid dejicis te, anima mea? & quid perstrepis in me? spera in Deo; nam adhuc celebraturus sum eum omnimodam salutem faciei meæ, & Deum meum. (*Ps.* 42. 12.) Fac mihi gratiam Domine, memet submittere robustæ manui Dei, ut extollas me opportuno tempore; omnemque sollicitudinem meam in te conjicere, in plena fidei certitudine tibi curam esse de me. (1 *Petr.* 5. 7.) Deficit caro mea & animus meus, sed rupes animi mei & portio in seculum Deus est. (*Ps.* 73. 26.) Pauci & mali sunt dies annorum peregrinationum nostrarum. (*Gen.* 47. 9.) Robur illorum labor merus est & molestia, quo festine exciso, avolamus. Quis agnoscit robur iræ tuæ, aut excandescentiæ tuæ, secundum timorem tuum? Numerare dies nostros ita doce nos, ut induamus animum sapientem. Revertere, Jehovah, quousque? & pœniteat te propter servos tuos. Satia nos unoquoque mane benignitate tua, ut cantemus & lætemur omnibus diebus nostris. (*Ps.* 90. 10——14.) Quumque voluntas tua sit, ô Deus noster, ut ambulemus per vallem letalis umbræ, nobiscum sis tu. (*Ps.* 23. 4.) Illumina, confirma, consolare, duc & custodi nos, ne malum ullum timeamus. Pugna pro nobis Jehovah, & ostende nobis salutem tuam. Fideles ad mortem usque fac nos, & victoriam & coronam vitæ da nobis. (*Apoc.* 2. 10.) Neque lædamur a morte secunda. Magnopere etiam consolabar meditando hæc Apostoli verba: Nolim autem vos in ignorantia versari, fratres, quod ad eos attinet qui obdormierunt, ut ne contristemini, sicut & reliqui qui spem non habent. Nam si credimus Jesum mortuum esse & resurrexisse, ita etiam Deus eos qui obdormierunt in Jesu, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus verbis Domini, fore ut nos vivi qui reliqui erimus in adventu Domini, non præveniamus eos qui obdormierint. Nam ipse Dominus cum hortationis clamore, cum voce Archangeli, & cum Dei tuba, descendet e cœlo, & qui mortui fuerint in Christo, resurgent primum. Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini in aëra: & ita semper cum Domino erimus. Itaque consolamini alii alios istis sermonibus. (1 *Thess.* 4. 13——18.) O verba fidelibus suavissima, & maxime consolatoria! Adauge fidem nostram Domine. (*Luc.* 17. 5.) Deus omnis gratiæ auctor, qui vocavit nos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu paulisper afflictos, perficiat nos, stabiliat, roboret, fundet. Ipsi gloria & robur in secula seculorum. *Amen.* (1 *Pet.* 5. 10, 11.) Studeamus, Domine, ut incontaminati & inculpati a te inveniamur cum pace. Jehovah robur meum, & munitio mea, perfugiumque meum in die angustiæ. (*Psal.* 46. 2.) Quo die clamavi, eodem exaudivisti me; fecisti ut efferret me animo meo robur. —— Si ambulo in media angustia, vivum conservas me: in faciem inimicorum meorum extendis manum tuam: & servat me dextera tua. Jehovah perficiet pro me: Jehovah benignitas tua in seculum est; ab operibus manuum tuarum ne desistas. (*Ps.* 138. 3, 7, 8.) Deo habetor gratia qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Respice ad me & gratiam fac mihi; quia solitarius & pauper sum. Oppressiones animi mei dilatantor; ab angustiis meis deduc me: aspice afflictionem meam & laborem meum; & condona omnia peccata mea. (*Psal.* 25. 16, 17, 18.) Nam tu es expectatio mea Domine Jehovi; fiducia mea a pueritia mea. Tibi innitor inde ab utero; a visceribus matris meæ tu abripuisti me. In te erit laus mea jugiter. Tanquam ostentum sum multis; adeo es mihi receptus robustus. Impleatur os meum laude tua, toto die gloria tua. Ne abjicias me tempore senectutis: cum deficit virtus mea, ne derelinquas me. (*Ps.* 71. 5——9.) O Deus mi, tu robur meum es, non deseres neque derelinques me. Aggrediar omnimodam fortitudinem Domine Jehovi; commemorabo justitiam tuam solius. Deus docuisti me a pueritia mea, & hucusque indicavi mirabilia tua. Quare etiam tantisper dum senex & canus sum, ne derelinquas me; donec indicavero brachium tuum huic generationi, fortitudinem tuam omni venturæ. (*Ps.* 71. 16, 17, 18.) Consilio tuo deduces me, & postmodum recipies me in gloriam. (*Ps.* 73. 24.) Eripiet me Dominus ab omni opere malo, servabitque regno suo cœlesti: cui gloria in secula seculorum. *Amen.* (2 *Tim.* 4. 18.)

Oratio pro beata morte.

Benedic Domine quem mihi dedisti filio. Benedictum nomen tuum sanctum in seculum. Consolaris me de obdormitis, & undique copiose mihi ades. Magnificatus esto Dominus in sempiternum. Extende benignitates tuas super nos. Sanctifica filium hunc meque tibi totos. Esto ubique tum illi, tum mihi, Deus ac pater misericors; fac nos ambos fidos tibi servos Domino & Deo nostro, atque imitatores tui patria nostri cœlestis, prout decet liberos amantes. Ante conceptum vel natum puerum hunc, a Deo petivi illum precibus supplicibus, & pollicitus sum illum servitio Dei devovere. Concessit mihi filium hunc Dominus, pro quo oraveram, nuncque (sublatis in gloriam suam cœlestem cæteris omnibus liberis meis tum filiis tum filiabus, & postremo etiam matre illorum uxore mea carissima) divinæ ejus libet majestati me filiumque Georgium unicum illum in vita hac mortali servare. Quare benedictum sit nomen Do-

Oratio pro Filio Georgio.

Consideres hoc, fili Georgi, si Domino libeat tuos prolongare dies in vita hac mortali; & fideliter & grate huic

Dei ministerio temet consecres, si visum fuerit majestati ejus divinæ te in illud vocare, sili mi Georgi, votorum meorum fili. Prov. 31. 2. vid. 1 Sam. 1. vide Greg. Nazian. orat. 19. pag. 291.

Domini supra omnem benedictionem & laudem exaltatum. Suppliciter te Deum rogo, si voluntas tua fit, separes hunc filium meum Evangelii ministerio, aptumque redde illum ejus ministrum, ita enim mihi animus est (si beneplacitum tuum foret) in sacram &c. illam functionem cum vocare. Fac me Domine, prudentem, humilem, & fidelem in educando illo. Piam & virtuosam ei pares educationem, atque in ea abunde illi benedicas. Da mihi mensuram illam sanitatis & roboris, temporis & libertatis ab omni labore & impedimento, quæ mihi convenit in benignitate tua, fungendo ministerio tuo incumbenti, & puerum hunc educando. Protrahe dies ejus hic sanitate & robore, si voluntas & beneplacitum tuum sit, tamen non ut ego volo, sed ut tu, Abba Pater. Consarcina illum & me in manu tua paterna ad vitam æternam.

Benedicas Domine familiæ nostræ; habites inter nos & in uniuscujusque corde, benignitate tua. Conserves nos ne simus offendiculo aut mœrori cuilibet, sed gratiam facias ut omnibus nos inspicientibus bono præeamus exemplo; omnesque & singuli quotidie magis magisque mutuo in consolationem simus a te Deo nostro, omnibusque eis ad quos miseris nos. Miserationes hasce tuas largire fratribus & sororibus meis, liberisque ipsorum, omnibusque ad nos spectantibus, pro cujusque necessitatibus; omnibus item & singulis liberis tuis per totum peregrinationum nostrarum cursum. Voca cæcos & errantes, adauge gratiam tuam quos hactenus vocaveris liberis, gratos nos effice propter vocationem nostram. Plurimos emitte aptos operarios in messem tuam, plenitudine benedictionis Evangelii tui. Benedic Ecclesiæ tuæ hic & alibi. Benedic principibus populisque nostris. Ostende nobis viam veritatis & pacis, & deduc nos in eam. Decora nos salute tua, corrobora nos per gratiam tuam, serva nos tanquam nigrum pupillæ oculi tui, provideas omnibus necessitatibus nostris & angustiis, & benigne deduc nos per omnes vitæ hujus pressuras. Glorifica sanctum & benedictum tuum nomen super nos invocatum, misericordia tua in nos, & apud nos sempiterna præsentia.

Misericordiarum pater, omnisque consolationis Deus, tu meas, filiique mei, fratris mei Roberti, omniumque fratrum & sororum nostrorum, & singulorum liberorum tuorum in toto peregrinationis nostræ cursu, tu, inquam, vides omnes nostras ignorantias, stultitias, vitiositates, miserias, perversitates, morositates, ægritudines, exulcerationes, infirmitates, inopias, mœrores, terrores, perplexitates, difficultates, angustias, tentationes, dubitationes, pericula, luctationes, calumnias, labores omnes & onera, necessitates omnes spirituales, corporales, externas, internas, omnes demum necessitates nostras quascunque. O cunctipotens salutis nostræ Deus, qui solus potis es & abunde potis es ad nos sublevandum & ex omnibus his liberandum, quique vocas ad te omnes oneratos & fatigatos, requiem promittens animabus nostris, miserere omnibus & singulis. Trahe nos; ita accedemus, fac requiem inveniamus animabus in te Servatore nostro, jugum quoque tuum facile & onus tuum leve, idque libenter & alacriter portemus. Abjice omnia peccata nostra post tergum in profundum maris æternæ oblivionis. Sanctifica nos totos, robur tuum concede servis tuis, sustine nos in tentationibus omnibus nostris, custodi nos ne deficiamus, neque te Dominum Deum nostrum offendamus. Gratiam fac nobis, omni lenitate, humilitate, longanimitate, patientia, gaudio, gratitudine, sinceritate, & fide, ut submittamus nos manui tuæ paternæ. De nobis pacem tuam omni notitia supereminentiorem, & per eam custodi semper animos nostros in Christo Jesu. Quum multæ sunt apud nos cogitationes, consolationes tuæ oblectent animas nostras, & da nobis salutarem, tempestivam, potentem & divinam liberationem ab omni malo. Fac nos per Christum Jesum amplius quam victores in omnibus. Misericordes simus & lenes, similes tibi Patri nostro cœlesti; sicque dies nostros numeremus ut animum inducamus sapientem. *Psalm.* 90. 12. Eripe nos magis magisque ex amore & curis mundi hujus, ex mortis terrore, & ex omni timore suspicaci, ex omni amaritudinis & infidelitatis radice, ex omni superbia & hypocrisi, impatientia & invidia, ex omni peccati fallacia animique proprii, ex omni astutia & crudelitate Satanica, ex omni malo consortio, ex omni decipulo & tentatione, ex omni vanitate mendaci, ex omni via & opere malo, ex omni re oculis gloriæ tuæ displicenti. Domine Deus noster libera & custodi nos; imple nos amore tui Dei nostri una cum certitudine dilectionis tuæ erga nos in Christo Jesu, amore proximi in te Deo nostro una cum corde mundo, conscientia bona, & fide minime simulata. (1 *Tim.* 1. 5.) Fac nos vere Israelitas in quibus dolus non est. Fac nos semper hilares, humiles, sapientes, lenes & fideles in ministerio tuo hic, alacres, paratos & apprime instructos omni tempore mori, & apud Dominum Jesum adesse. Faxis inveniamur a Domino & Servatore nostro incontaminati & inculpati, cum pace, ut appareamus una cum eo in gloria, & regnemus consimiliter in æterna felicitate. Fige, Domine, animos nostros in felicitatem illam, para nos in eam, certos nos redde ejus, & perdue nos in illam tempore tuo statuto & opportuno. Exaudi me, & succurre Domine, mihi, filio, fratri, & sororibus, omnibusque & singulis liberis tuis, pro uniuscujusque necessitatibus, secundum multitudinem misericordiarum tuarum in Christo Jesu Domino nostro, dilectionis tuæ Filio, in quo acquiescis. Cui cum Patre & Spiritu sancto, personis trinis, soli sapienti Deo, omnium Domino & creatori, Servatori nostro supra omnem benedictionem & laudem a seculo usque in seculum exaltato, qui summa cum exuperantia potest omnia facere supra ea quæ petimus aut cogitamus, qui ita nos docuit orare, & pollicitus est exaudire nos, & revera exaudit: Ei qui potest nos custodire a lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exultatione, soli sapienti Deo, Servatori nostro, gloria esto & magnificentia, robur & auctoritas, & nunc & in omnia secula. *Amen.*

Benedictus esto Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, pater ille miserationum, & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra: ut possimus in quavis afflictione positos consolari ea ipsa consolatione, qua nos ipsos consolatur Deus. *Hallelujah. Amen & Amen.*

Vide Conciones super *Matth.* 11. 28, 29, &c. 15. *Decemb.* 1639. 20. *Mart.* 1640. ubi dulces habentur consolationes adversus mortem, omnesque piorum angustias. Vide initium *Psalmi* 84. Quam amabilia sunt tabernacula tua, ô Jehovah exercituum! Desiderio afficitur, etiamque deficit anima mea *vemendi* ad atria Jehovæ: *Contra terrores mortis.*

Hæc fuit mihi meditatio in Psal. 84. 2. die Februarii 1640.

cor meum & caro mea exclamant *veniendi* ad Deum fortem viventem *desiderio*. Et sic de cæteris ad finem Psalmi, in quo dulces & firmæ sunt consolationes in spe gloriæ Dei. Quia Sol & scutum est Jehovah Deus, gratiam & gloriam dat Jehovah. Benedictus sit Dominus, robur & salus nostra. *Amen. Hallelujah. Amen.*

Johannula Taylor saucia, & rursum sublevata, & demum perfecte sana. Laus Deo.

Die 4. *Februarii*, vespere, una ex ancillis meis, quum esset domi alterius cujusdam proximi, in Canonio Palæo-Aberdonensi cochlidis non gnara, luceque orbata cecidit, & saucia valde fuit in effusionem usque sanguinis ex sinistra aure, cujus certior ego factus domum illam adii, mutamque fere inveni; quare jussi eam adduci domum propriam, medicosque adhibui in subsidium ejus; Deumque rogavi daret mihi bene uti visitatione hac, Dominum obsecrans ut eam sanaret, si libeat ei, & misericordem se præberet erga illam & me, propter nomen suum sanctum nobis invocatum: Tunc Domino libuit relaxationem quandam ei concedere, ita ut in benignitate ejus fore speremus, ut ea plane convalescat. Benedictus Deus.

§. 262. *Fœdus Nationale.*

Die 7. *Februarii*, a quibusdam fratribus aggressus de Fœdere, cujus dixerunt subscriptionem ab omnibus requirendam esse, & rursum die 11. ejusdem mensis, insinuatione terrorum humanorum adversus detrectantes quoscunque, & præsertim adversus meipsum, si vel recusarem; respondi me publicæ pacis sollicitum adeo, ut quodcumque ejus gratia possim, salvâ conscientiâ, (quam precor dirigat & conservet Deus) me facturum spoponderim. At cum impræsentiarum certum non habeam quare subscribam huic fœderi modo quo requirunt, sed solummodo scripta declaratione ante subscriptionem inserta, quod sentio auctoribus gratum minime fore; obnixe rogavi, ut satius existimarent quid amplius a me non petere gestu pacifico. Dixi insuper terrores humanos tantum inservire imbecillitatis nostræ oppugnationi, contra quos persistere impetus nullæ nobis qua nobis adsunt vires, solummodo supplices Deum invocamus ut sustentet nos, neque permittat nos nobismetipsis, sed potentiam suam perficiat in infirmitate nostra, omnisque fiducia nobis est in benignitate ejus. Deum etiam oramus ut pro magnitudine miserationis suæ nobis ostendat viam rectam, & in eam ducat, gratiam faciat abnegandi nos ipsos, & Dominum Jesum sequendi, ne unquam vel illum vel veritatem ejus negemus, sed utrumque constanter fateamur. Amen.

Recursus ad Deum & consolatio in eo.

Interim beatæ consolationes inciderunt, nam die 7. *Februarii* dicto, Deum meum precatus sum in occulto suspiriis ardentibus, plurimisque lacrymis, pro misericordia, directione & protectione, & plurimum consolabar. Laudatus esto Dominus.

§. 263. *Parasceve in jejunium.*

D. Guild.

Et die 8. Saturni post meridiem Neo-Aberdoniam adii, & concionem præparativam ante jejunium publicum & humiliationem die dominico insequenti celebranda audivi. Concio hæc prædicabatur a D. *Gulielmo Guild* super Apoc. 2. 21. 22. *Et dedi illi tempus ut resipisceret a scortatione sua: sed non resipuit. Ecce, ego abjiciam eam in lectum, & eos qui adulterium committunt cum ea, in afflictionem magnam, nisi resipuerint ab operibus suis.* Hic perhibuit nobis Dei longanimitatem & patientiam, peccatoribus spatium resipiscendi concedendo; & hortatus est nos omnes bonitatem Dei magnificate, quod tempus pœnitendi prolonget; & tempore bene uti; pœnitentiam agere qui incepissent, pœnitentiæ cursum continuare hortatus est, nondum cœptos hortatus est nunc eam capessere, Deumque requirere quum præsto est, dum durat gratiæ dies, quoniam nemo novit quamdiu. Loquutus est etiam de miseria impœnitentium. Detrahentur e culcitis plumeis, super quas jacent securitate carnali, & abjicientur in lectum maximæ tribulationis, etiam in lectum illum ignis & sulphuris, ubi infinitus erit & inquietus cruciatus, fletus, dentiumque stridor.

Meditatio de excitanda tempestiva pœnitentia.

Hanc quoque nobis commendavit meditationem, miseras has animas nunc temporis igne inferorum ustas, totum dare mundum, si haberent, pro hora una, vel dimidia hora, qualem nos habemus, spatium nempe gratiæ, spatium pœnitentiæ fructuosæ. Exsuscitet nos meditatio hæc in pœnitentiam tempestivam, priusquam occludatur ostium. Dixit quoque veram resipiscentiam donum Dei esse, nosque oportere a Deo requirere eam, eique laudem ascribere. Hortatus est nos reminisci veram pœnitentiam nequaquam hærere in generali confessione peccatores nos esse, at descendere in particularem conscientiæ explicationem, & in confessionem peccatorum particularium, præsertim vero occultorum, in eorum confessionem coram Deo, tristitia de illis comitatam divina, & sincero animi proposito, ea in posterum linquendi. Voluit quoque nosmet examinare domi vespere hoc. Persalutariter commovebar concione hac. Benedictus Deus. Domum reversus, cubiculum adii & museum, solus, ubi memet capitatim per decalogum examinans, reum me inveni multifariæ violationis uniuscujusque præcepti. Quapropter me coram Domino humiliavi, & plurima & gravia mea fassus sum peccata, multis lacrymis, misericordiam obsecrans propter Christum; & magnam percepi consolationem ex eo quod Dominus benigne adeo animum meum emolliit, & uberrime adeo mei misertus spiritum gratiæ & deprecationis effudit.

§. 264. *Jejunium publicum.*

D. Scrogie.

Die 9. *Februarii*, die dominico, publicum jejunium & humiliatio eo die celebranda decreta sunt, ut Deum misericordiam rogaremus, utque voluntas ejus esset pacem largiri Ecclesiæ suæ hic & alibi, pacem terræ huic pauperæ & afflictæ concedere, & servis suis afflictis in ea; nos ad se convertere, & ad nos benignitate reverti & liberare. In occulto mane precatus sum in museo, magnis suspiriis & lacrymis, & rursus eandem fecit mihi Dominus gratiam in conventu; ubi D. *Alex. Scrogie* duas prædicavit conciones super versus priores 12. cap. 33. Isaiæ, textum suum in tres distribuens partes, 1. judicii denunciationem adversus vastatores perfideque agentes in versu primo. 2. orationem pro Ecclesia versu 2. & contra hostes ejus versibus 3. & 4. 3. responsionem per reliquum textum, imo per totum caput. Responsum hoc incipit ab initio versus 5. in quo & 6. sequentibus Jehova editus esse dicitur, & habitare altum, in bonum Ecclesiæ suæ; multæque habentur ibi benignitates, quas Ecclesiæ suæ confert Dominus. Sequitur versibus 7. 8. 9. objectio, valentissimos, (sive præstantes) & legatos pacis clamare, & amare flere, (sicut & fecerunt Hezekiæ legati, laceris vestibus reversi, *Isa.* 36. 22.) magnumque esse languorem in tota terra. Huic objectioni obviam it Dominus versibus 10. 11. 12. videlicet se nunc surrecturum, & in nihilum redacturum omnia inimicorum commenta & consilia, & conjurationes illorum in ipsorum versurum internecionem & cruciatum horribilem. Hic observavit hominis extremitatem Dei esse opportunitatem:

Extremitas hominis opportunitas Dei.

nitatem: quum jam omnia amiſſa & irrecuperabilia videantur, etiam nunc nulla interpoſita mora, tempore hoc peſquam opportuno, ſurget Dominus, ſeque glorificabit ex mira & potenti liberorum ſuorum liberatione, & ulteriori excidio ſui & horum hoſtium. Verba ſancti textus ſic ſe habent: *Væ tibi vaſtator, qui ipſe non vaſtaris, & tibi perfide, contra quem non agitur perfide: quum deſieris eſſe vaſtator, vaſtaberis; quum abſolveris perfide agere, perfide agetur contra te.* 2. *Jehovah gratiam fac nobis: te expectavimus: eſto brachium horum ſingulis matutinis, etiam ſalus noſtra tempore anguſtiæ.* 3. *A ſonoro ſtrepitu pervagantur populi, ab exaltatione tua diſperguntur gentes.* 4. *Et colligitur præda veſtra collecta bruchi; diſcurſione qualis eſt præſocuridum, diſcurſantium in eam.* 5. *Editus eſt Jehovah, nam habitat altum; implet Zionem judicio & juſtitia.* 6. *Eſt itaque firmitas temporis tui, robur omnis ſalutis, ſapere te & noſſe: reverentia Jehovæ eſt theſaurus ejus.* 7. *En valentiſſimi horum clamaverant foris; legati pacis amare fleverant.* 8. *Deſolati erant aggeres, ceſſaverat viator; irritum fecerat fœdus, ſpreverat civitates, non habebat rationem ullius mortalis.* 9. *Lugebat, languebat terra, pudebat Libanum, languebat; erat Scharon quaſi ſolitudo, rudiebatque Baſchan & arvum.* 10. *Nunc ſurgam, dixit Jehovah; nunc exaltabor; nunc extollam me.* 11. *Concipitis torridum gramen, parietis ſtipulam; ſpiritus veſter eſt ignis conſumturus vos.* 12. *Ita fuerunt populi velut indíti fornacibus calcariis: ut ſpinæ ſuccisæ, igne exuſti ſunt.*

Jehovah brachium noſtrum eſt & ſalus.

Stabilitas, robur & theſaurus.

Auditus fructuoſus.

Magna conſolatio.

Vid. Pſ. 112. In memoria perpetua eſt juſtus; & Rom. 5.1. Juſtificati ex fide, pacem habemus erga Deum; & Mal. 3.16. Atque conſcriptum eſt in libro commentarii coram eo pro timentibus Jehova & cogitantibus de nomine ejus. Vid. ſupra in libro hoc concionem in Phil. 4. 4, 5. Dominus adeſt.

Super textum hunc D. *Scrogie* multas piaſque animadvertit obſervationes, inſtructiones & conſolationes, quas plane & potenter tradidit, unde auditores plurimum moveri percepi, quod & ego ſuaviſſime fui, adeo ut inter audiendum, oculi lacrymas ſtillarint. Et animus Deum inclamavit pro miſericordia & gratia, vota ſanxi, & in pleniorem meam conſolationem, dum biblia reſpicerem, hæc ſeſe mihi obtulerunt verba, *cap.* 44. *Iſaiæ verſ.* 21, 22, 23. Recordare horum Jacob & Iſraël, cum ſervus meus ſis: formavi te, ſervus meus es, Iſraël non traderis oblivioni a me. Deleo ut denſas nubes defectiones tuas, & velut nubes peccata tua; revertere ad me, nam vindico te. Cantate cœli facere Jehovam hæc, clangite ima terræ; fragorem edite montes cantu, ſilva & quæcunque arbor eſt in ea: vindicare Jehovam Jacobum, & in Iſraële gloriari. Ex his ineffabilem habui conſolationem, quæ etiam mihi redintegrabatur tempore veſpertino, quum adhuc in occulto precarer, & flerem coram Deo ſalute mea in muſeo. Benedic anima mea, Domino. Amen.

Diebus Lunæ & Martis 10. & 11. *Februarii*, eandem mihi Dominus largitus eſt animi mollitiem, ita ut ſuſpiriis lacrymiſque Deum oraverim pro continuatione miſerationum ejus erga me, & augmento præſentiæ ejus ſalutaris apud me omni tempore, ſed ſpeciatim tempore tentationum. Quare magnopere conſolabar in plena certitudine, gratiam ejus mihi ſufficientem ſemper & ubique mecum adeſſe.

Die Mercurii 12. *Februarii*, priores hæ omnes conſolationes uberrime mihi renovabantur. Benedictus Deus. Horum recordatus ſum ſacræ Scripturæ effatorum, *Apoc.* 2. 10. *Actor.* 14. 22.
§. 265. *Habak.* 3. 17, 18, 19. & plurimum conſolabar. Laudatus eſto Dominus. Amen, iterum Amen; adde his *Pſalmi* 138. *duos ult. verſ.* & *Pſ.* 68. 29. *Iſa.* 26. 12. Hallelujah. Vota mea Jehovæ perſolvam mox coram toto populo ejus. (*Pſ.* 116. 14.) Jehovah adeſt mihi, non timebo quid faciat mihi homo. Jehovah adeſt mihi &c. (*Pſ.* 118. 5, 6.) In memoria perpetua eſt juſtus, a rumore malo non timet, erecto animo ſuo confiſus Jehovæ; fultus animo. (*Pſ.* 112. 7, 8.) Expecta Jehovam; confirmare, & fortificabit animum tuum; itaque expecta Jehovam. (*Pſ.* 27. 14.) Deficit caro mea & animus meus; ſed rupes animi mei & portio mea Deus eſt in ſeculum. (*Pſ.* 73. 26.) Siſtite & videte ſalutem Jehovæ. Oſtende nobis Domine ſalutem tuam, & quum explebitur curſus meus, dimittas ſervum tuum cum pace, ſicut feciſti ſervo tuo Simeoni. (*Luc.* 2.) Domine ne reſpicias ingratitudinem contumaciamque populi tui, ſed recordare noſtri Jehovah, pro benevolentia qua proſequeris populum tuum, viſita nos ſalute tua. (*Pſ.* 106. 4.) Atque ſic conſolabar de peccatrice noſtra gente. Benedictus Deus ſervator noſter. Amen & Amen. [Vid. verba prius citata ex *Iſa.* 44.] Hallelujah. Amen.

Mox coram toto populo ejus: Domine ne abnegem te coram hominibus, neque ullo modo, ſed fac mihi gratiam ut perſolvam conſtanter tibi vota mea coram toto populo tuo: condona & medere defectibus meis, hoc quoque largitor omnibus & ſingulis filiis tuis. Amen.

Conſolationes renovatæ.

Ad videndum amœnitatem Jehova. Pſ. 27. 4.

Qui ambulat juſtiſſime, & qui loquitur rectiſſime: qui ſpernit lucrum ex fraudibus, qui excutit manus ſuas ne teneat munus, qui occludit aures ſuas ne audiat cædes, & obſtipat oculos ſuos ne videant malum: Hic altiſſima loca habitabit, erunt propugnacula petrarum locus editus ejus, panis ejus dabitur, aquæ ejus ſtatæ erunt. Regem in pulchritudine ſua videbunt oculi tui, ſpectabunt terram longinquiſſimam. Animus tuus meditabitur terrorem, *dicens:* ubi eſt legiſperitus? ubi penſator? ubi cenſor turrium? populum robore præditum non videbis, populum profundioris ſermonis quam ut intelligatur, peregrinæ linguæ, ac non intellectæ. Aſpice Zionem urbem conventuum noſtrorum; oculi tui videant Jeruſalem caulam tranquillam, tentorium quod non diſſipabitur, cujus paxillorum nullus recedet unquam, neque ulli funes ejus diſrumpentur: Sed ibi magnificus Jehovah erit nobis loco fluviorum, rivorumque ampliorum ſpatiis: non itura eſt in eo claſſis impulſa remis, neque navis magnifica pervaſura eum. Nam Jehovah vindex noſter, Jehovah legiſlator noſter; Jehovah rex noſter, ipſe ſervabit nos. (*Iſa.* 33. 15.22.) En juſte regnaturus eſt Rex, & principes jure principatum gerent. Et erit vir tanquam abſconſio a vento, & latibulum ab inundatione: ut rivi aquarum in arido loco, ut umbra petræ ingentis in terra feſſa ex ſiti. Neque connivebunt oculi videntium, ſed aures audientium auſcultabunt. Animaſque inconſideratorum intelliget ſcientiam, & lingua balborum expedite eloquetur verba explanata. —— Habitabit tum in deſerto judicium, & juſtitia in arvo reſidebit. Opus juſtitiæ erit pax; effectus, inquam, juſtitiæ tranquillitas & ſecuritas uſque in ſeculum. Nam reſidebit populus meus in caula pacis; & in habitaculis ſecuriſſimis, atque in locis ad quietem tranquilliſſimis. (*Iſa.* 32. 1-4, 16, 17, 18.)

Deprecationes ferventes repetita.

Die Jovis 13. *Februarii*. Deprecationes meas §. 266.
renovavi magnis ſuſpiriis & fletibus coram Deo robore & ſalute mea, Deo miſericordiæ meæ, cujus in benignitate per Chriſtum confido. Rogavi miſerationem, gratiam & pacem, mihi, filio, omnibus ad me ſpectantibus, ſinguliſque gentis hujus; & benigne conſolatus eſt me Dominus. Benedictus Dominus. Ne procul abſis a me, dum anguſtia propinqua eſt, dum nemo eſt adjutor. —— Tu ergo Jehovah, ne procul abſis: virtus mea ad auxilium meum feſtina. (*Pſ.* 22. 12, 20.) Reſpice ad me, & gratiam fac mihi, quia ſolitarius & pauper ſum. (*Pſ.* 25. 16.) Auxilium meum fuiſti, ne deſeras me, neque derelinquas me, ô Deus ſalutis meæ. Quum pater

ter meus & mater mea dereliquerint me, Jehova recipiet me. Doce me Jehovah viam tuam, & deduc me per semitam planam, propter observantes me. Ne tradas me desiderio hostium meorum.. (*Ps.* 27. 9-12.) Quia audivi infamem sermonem multorum, *magor missabib*, *dicentium*, indicate quod indicemus, omnis mortalis qui pacem colere debebat mecum, observantium claudicationem meam: fortassis pellicietur & prævalebimus, aut sumemus ultionem nostram de eo. Atqui Jehovah adest mihi, similis potenti formidabili, idcirco qui persequuntur me, impingent, neque prævalebunt. (*Jer.* 20. 10, 11. vide etiam *Isa.* 39. 19, 20, 21.) Gaudeant & lætentur in te, omnes quærentes te, ac dicant jugiter, magnificetur Jehovah, amantes salutis tuæ. Sum quidem pauper & egenus, sed Dominus cogitat de me. Auxilium meum, & liberator meus es, Deus mi, ne tardes. (*Ps.* 40. 17, 18.) Quid dejicis te anima mea, & quid perstrepis in me? spera in Deo, nam adhuc celebraturus sum eum, omnimodam salutem faciei meæ, & Deum meum. (*Ps.* 42. 12.) Tantummodo in Deo conquiescit anima mea; nam ab eo est expectatio mea. Tantummodo ipse rupes mea est, & salus mea, locus meus editus; non dimovebor. (*Ps.* 62. 2, 3.) Beatus, cui auxilio est Deus fortis Jacobi; cujus expectatio est in Jehovah Deo suo. (*Ps.* 46. 5.) Animus meus hoc arripiens dictum, respondit: Domine tu es auxilium meum, & spes mea, in quo confido. Ego vero sum pauper & egens, ô Deus, festina mea causa, auxilium meum & liberator meus es, Jehovah, ne tardes. Ex hoc dulce me consolatus est Dominus, in certitudine plena me unum esse beatorum Jehovæ, quem pro auxilio habeam, & in quo expectatio mea collocetur. Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. (*Matth.* 16. 17.) In manum tuam depono spiritum meum: redemisti me Jehovah Deus fortis verax. (*Ps.* 31. 6.) Redi, anima mea, in requiem tuam, quum Jehovah beneficus sit erga te. (*Ps.* 116. 7.) Erat Deus cum Josepho, & eruit eum ex omnibus ipsius afflictionibus, deditque ei gratiam & sapientiam coram Pharaone Rege Ægypti. (*Act.* 7. 9, 10.) Dixit Moses Jehovæ: tu dixisti: agnosco te nominatim, atque etiam gratiam invenisti in oculis meis. Nunc ergo, si modo inveni gratiam in oculis tuis, indica mihi quæso vias tuas, & cognoscam te, ut inveniam gratiam in oculis tuis. Considera etiam gentem hanc populum tuum esse. Quo dicente, facies mea præcederet, ut quietem darem tibi? Dixit ei: si facies tua non præcedet, ne jubeto nos hinc discedere. Nam quanam re cognoscetur jam, invenisse gratiam in oculis tuis me & populum tuum? Nonne quum ibis nobiscum? ita separabimur ego & populus tuus ab omni populo, qui est in superficie terræ. Dixit itaque Jehova Mosi: etiam hanc rem quam dixisti faciam, quia gratiam invenisti in oculis meis, & agnovi te nominatim. Amplius dicenti *Mosi*: fac quæso videam gloriam tuam, dixit: ego faciam ut transeat tota bonitas mea ante faciem tuam, & inclamabo nominatim Jehovah ante faciem tuam; sed gratiosus ero cui fuero gratiosus, & miserebor cui misertus fuero. (*Exod.* 33. 12-19.) In illo die vos cognoscetis me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis. Qui tenet præcepta mea, & observat illa, is est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & ei conspiciendum exhibebo meipsum. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid est cur te sis

Forti animo fuit ut qui videret eum qui est invisibilis Hebr. 11. 27.

Salutaris manifestatio Sanctæ Trinitatis unicuique

nobis conspiciendum exhibiturus, & non mundo? Respondit Jesus & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum observabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus. Qui non diligit me, sermones meos non observat: & sermo quem auditis, non est meus, sed ejus qui misit me, *nempe* Patris. Hæc loquutus sum vobis, apud vos manens. Advocatus autem ille, Spiritus sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixi vobis. Pacem relinquo vobis, pacem illam meam do vobis: non prout mundus dat, ego do vobis. Ne turbator cor vestrum, neque formidato. (*Joh.* 14. 20 27.

Deum diligenti & salutaris ejus habitatio in nobis instruentis nos animumque pacantis.

Ne recordetis adversus nos iniquitates præcedentium temporum: festinantes præveniant nos miserationes tuæ, nam attenuati sumus valde. Auxiliare nobis Deus salutis nostræ propter honorem nominis tui: & eripe nos, expiationemque fac de peccatis nostris propter nomen tuum. (*Ps.* 79. 8, 9.)

Celebrabo Jehovam valde ore meo, & in medio multorum laudabo eum, quod assistat ad dexteram egentis, ut ipsum conservet ab eis qui abjudicant vitam illi. (*Ps.* 109. 30, 31.)

Vide *Joan.* 13. 32. cum 2 *Thess.* 1. 11, 12. & *cap.* 2. *vers.* 1, 2, 3, 15, 16, 17. & *cap.* 3. *vers.* 1, 2, 3, 4, 5.

§. 267. *De excommunicatione injusta.*

Die 15. *Februarii.* Contra terrorem excommunicationis injustæ vide *Job.* 9. 34, 35, &c. *cap.* 12. *vers.* 42, 43. *cap.* 16. *vers.* 1, 2, 3. *Matth.* 5. 11, 12. *Luc.* 6. 22, 23. Utut maledicant ipsi, tu benedicito; qui insurrexerunt quum erubuerint, lætetur servus tuus. *Ps.* 109. 29.

Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Ne metue, sed loquere, & ne tacueris: nam ego sum tecum, & nemo te invadet ut male te accipiat: quoniam populus est mihi multus in hac urbe. (*Actor.* 18. 9, 10.) Nihil eorum metue quæ passurus es. ——— Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. (*Apoc.* 2. 10.) Da quod jubes, & jube quod vis.

Ipse vero Dominus noster Jesus Christus, & Deus ac pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam, consoletur corda vestra, & stabiliat vos in omni sermone & opere bono. (2 *Thess.* 2. 16, 17.

Submissione animi estote intus ornati: nam Deus superbis obsistit, submissis autem dat gratiam. Submittite vos igitur robustæ manui Dei: ut vos opportuno tempore extollat, omni sollicitudine vestra in eum conjecta; nam illi cura est de vobis. Sobrii estote, vigilate: nam adversarius ille vester Diabolus, ut leo rugiens, obambulat, quærens quem absorbeat; cui obsistite firmi per fidem, ut qui noveritis easdem afflictiones, a vestra quæ in mundo est fraternitate peragi: Cæterum Deus omnis gratiæ auctor, qui vocavit vos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu, paulisper afflictos, is perficiat vos, stabiliat, roboret, fundet. Ipsi gloria & robur in secula seculorum. Amen. (1 *Pet.* 5. 5, 6, 7, 8, 9, 10.).

Ecce non dormitat, neque dormit custos Israëlis. (*Ps.* 121. 4. *vid. totum Psalmum.*) Benedictus Dominus. Amen, iterum Amen.

Fidelis Deus qui non finet vos tentari supra id quod potestis, sed una cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis eam sufferre. (1 *Cor.* 10. 13.) Ad Jehovam me recipio, quomodo dicitis animæ meæ, emigra e monte vestro avicula? (*Ps.* 11.) Revertere Jehovah, expedi animam meam: salvum fac me propter benignitatem tuam. (*Ps.* 6.)

Surge

Surge Jehovah, Deus fortis, attolle manum tuam: ne obliviscaris pauperum afflictorum. (*Ps.* 10.12.) Jehovah rex sempiternus est. (*Ibid.* v. 16.)

Audit Jehovah deprecationem meam: audit Jehovah vocem fletus mei: Jehovah orationem meam acceptam habet. (*Ps.* 6.) Vide etiam Ps. 5. penult. & ult. ubi gaudium magnum, protectio divina & benedictio promittuntur omnibus fiduciam habentibus in Deo, nomen ejus diligentibus, & justis, per justitiam scilicet ex fide, tales enim vivent, & pacem habebunt cum Deo, per Jesum Christum Dominum nostrum. (*Rom.* 1. & 5.) Vide etiam Ps. 32. penult. & ult. Fiduciam habete in Jehovah, estote recti animo, lætamini in Jehovah, & laudate eum qui efficit in nobis & ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia. (*Phil.* 2. 13.) Qui implet nos omni gaudio & pace credendo, ut spe exundemus per virtutem Spiritus sancti. (*Roman.* 15. 13.)

Qui fiduciam habet in Jehovah, benignitas circumdabit eum Ps. 32.

Si remisse te geras tempore angustiæ, angusta erit virtus tua. (*Prov.* 24. 10.) Jehovah robur meum & munitio mea, perfugiumque meum es in die angustiæ. (*Jer.* 16. 19.) Potentiam tuam consummabis per infirmitatem meam, potentia enim tua habitat & in me habitabit, adeoque quum infirmus sum, tum potens sum, & potens ero. (2 *Cor.* 12.) Ecce Deus in fortem salutem meam; confidam ut non expavescam: nam robur meum & carmen est Jah Jehovah, qui fuit mihi saluti. —— Claram ede vocem, & canta (anima mea) quæ habitas Zion: magnum esse in medio tui sanctum Israelis. (*Isa.* 12.) O Domine, tu habitaculum fuisti nobis, in quaque generatione. (*Ps.* 90.) Confidens in latibulo excelsi, in umbra omnipotentis indesinenter pernoctans: Dico: in Jehovah est receptus meus, & propugnaculum meum; Deus meus est, cui confido. Quandoquidem ipse erepturus est me a laqueo aucupantis, a peste ærumnosissima. Ala sua protecturus te, quum sub alis ipsius te receperis; clypeus & parma est fides ipsius &c. (*Ps.* 91.) Deus manet in nobis, & nos in eo. (*Joh.* 6. 56. 14. 20. 1 *Joh.* 4. 13, 16.) Hallelujah.

Robur Christiani.

Domine, Sancte Israelis, nullum sit in anima mea de te mendacium, nulla impietas, infidelitas, caritatis destitutio, impatientia, hypocrisis, impuritas, stultitia, avaritia, aut quicquid oculis tuæ gloriæ displiceat. Hæc omnia Domine a me amove & expelle, ut non amplius ego, sed Christus in me vivat; (*Gal.* 2. 20.) nec amplius secundum carnem ambulem, sed secundum Spiritum. (*Rom.* 8. 1.) Mihi ipsi ne me derelinquas, sed fac ut cor meum sit semper integrum erga te, & semper te firmum exhibe erga me. Domine, Deus meus, cujus oculi discurrunt per totam terram, ut firmum te exhibeas erga eos quorum cor integrum est erga te. (2 *Chron.* 16. 9.) Desiderium mansuetorum exaudivisti Jehovah; cor eorum confirmabis, aurem tuam advertere facies: Vindicando pupillum & attritum; ut non pergat amplius eum violenter exagitare mortalis e terra. (*Psal.* 10. 17, 18.) Tuæ fidei committit se defectus viribus, pupilli tu es adjutor. Per te misericordiam consequitur pupillus. (*Ibid. vers.* 4. & *Hos.* 14. 4.)

Oratio pro gratia, misericordia & pace. vid. concionem super Phil. 4. 6, 7.

Restitue nos Jehovah tibi, ut revertamur. (*Lament.* 5. 21.) Sana me Jehova & sanabor, serva me & servabor, quia laus mea es. (*Jer.* 17. 14.) Canite Jehovæ, laudate Jehovam, quia eripuit animam egenis e manu maleficorum. (*Jer.* 20. 13.)

18. *Februarii die*, precibus matutinis in templo, §. 268.
undecimum caput Evangelii secundum Johannem legebatur, in quo persalutarem Salvatoris nostri ad Martham orationem illiusque responsum præ cæteris animadverti. (*Joh.* 11. 25, 26, 27.) *Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et quisquis vivit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi; etiam Domine: ego credo te esse Christum illum, Filium illum Dei, qui in mundum venturus erat.* Cor meum idem cum Martha respondit, atque ex certitudine quod moriar nunquam, magnopere confortabar. Benedictus sit Dominus. Dominus noster ac Salvator Jesus Christus in eodem Johannis Evangelio ita etiam loquitur: (*Joh.* 5. 24, 25, 26, 27, 28 29.) Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transivit a morte in vitam. Amen amen dico vobis, advenit tempus, & nunc est, cum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso. Et auctoritatem ei dedit etiam judicium exercendi, quatenus filius hominis est. Ne hoc miramini: nam veniet hora qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus. Et prodibunt qui bona fecerint in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerint, in resurrectionem condemnationis. Hæc duo loca *Joh.* 5. & *Joh.* 11. comparando, clare percipimus spiritualem nostram vitam ac immortalitatem esse, nostri in hoc mundo per gratiam reviviscentiam, & in spirituali hac vita nunc & in sempiterna secula perseverantiam, ita ut in condemnationem nunquam veniamus, at semper salvi faciendi simus in vita illa æterna, ad quam in hoc statu gratiæ, hactenus transivimus, & qua in statu gloriæ, perfecte magis fruemur, cujus gloriæ status principium est gratiæ status, & hujus ille consummatio, absque ulla interventione mortis spiritualis. Cognoscimus etiam quod etiamsi moriantur corpora nostra, attamen in resurrectionem vitæ æternæ reviviscent ac resuscitabuntur, atque adeo erit completa nostra immortalitas in gloria interminabili. Gloria Deo in excelsis, & in terra pax, in homines benevolentia. Amen.

Immortalitas Christianorum. Vid. 20. Mart. 1640. & 23. Maji 1640.

Per fidem (hic) ambulamus, non per aspectum. 2 Cor. 5. 7. Scimus autem fore ut videamus eum sicuti est. 1 Joh. 3. 2. —

20. *Februarii* 1640. in templo, precibus ma- §. 269.
tutinis, Salvatoris nostri verba, quæ loquutus est Dominus undecim suis Apostolis, post Judæ proditoris exitum ab illis, in quibus paucis ante diebus meditatus eram, legere audivi. *Quum ergo* (ait textus *Joh.* 13. 31, 32. vid. etiam *Joh.* 17. 4, 5. 10.) *exivisset, dicit Jesus: Nunc glorificatus est filius hominis, & Deus glorificatus est in eo. Quod si Deus glorificatus est in eo, Deus quoque glorificabit eum in sese, & statim glorificabit eum.* Summa meditationis meæ super his verbis, manifeste apparet ex simul additis hisce sacræ Scripturæ verbis: (2 *Thess.* 1. 11, 12. & 2. 1, 2, 3, 15, 16, 17. & 3. 1, 2, 3, 4, 5.) *Cujus etiam rei gratia oramus semper pro vobis, ut vos dignetur ista vocatione Deus noster, & compleat omnem suæ bonitatis gratuitam benevolentiam, & opus fidei potenter: Ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in eo, secundum gratiam Dei nostri, & Domini Jesu Christi.* [κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ] Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostri ad eum aggregationem: Ne cito a mente dimoveamini, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos,

Consolamina, una cum precibus, ad persistendum in veritate.

Christus glorificatur in nobis, nosque in illo; quæ omnia ex gratia sunt.

[als

Ne cito a mente dimoveamini.

[εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ νοὸς. μήτε θροεῖσθαι, μήτε διὰ πνεύματος, μήτε διὰ λόγυ, μήτε δι' ἐπιςολῆς ὡς δι' ἡμῶν,] quasi instet dies ille Christi: Ne quis vos seducat ullo modo. [Μήτις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον.] —— Nempe igitur, fratres, perstate

Perstate.

[ςήκετε] & retinete [κρατεῖτε] traditam doctrinam quam edocti estis & per sermonem, & per epistolam nostram (*vel & per nostram sermonem & epistolam*) [εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιςολῆς ἡμῶν.] Ipse vero Dominus noster Jesus Christus, ac Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam, consoletur vestra corda, & stabiliat vos in omni sermone & opere bono. Quod reliquum est orate, fratres, pro nobis, ut sermo Domini currat, & glorificetur [καὶ δοξάζηται] sicut & apud vos: Et ut eripiamur e protervis [absurdis ἀτόπων] ac sceleratis hominibus: non enim omnium est fides. Sed fidelis est Dominus, qui stabiliet vos, & custodiet ab illo improbo. [ἀπὸ τοῦ πονηροῦ] Confidimus autem in Domino de vobis, vos quæ mandamus vobis & facere, & facturos esse. Dominus vero dirigat vestra corda ad Dei caritatem, & Christi patientem expectationem. [εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριςοῦ.] Et in primo capite hujus epistolæ ṿ. 10. verba faciens de adventu Domini ad diem judicii, ait, eum venturum ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus credentibus. [ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, καὶ θαυμασθῆναι ἐν πᾶσι τοῖς πιςεύυσιν.] Et alibi idem Apostolus Paulus dicit: Novi enim fore ut hoc mihi cedat in salutem per vestram deprecationem, & suppeditationem Spiritus Jesu Christi, secundum intentam expectationem & spem meam, quod nulla in re pudefiam; sed cum omni dicendi libertate, ut semper, ita nunc quoque magnificabitur Christus [μεγαλυνθήσεται] in corpore meo, seu per vitam, seu per mortem. (*Phil.* 1. 19, 20.) Dominus etiam per Prophetam Joël loquitur, iterumque idem repetit dicens: *Neque erubescent populus meus en seculum.* (*Joël* 2. 26, 27.) Summa est: Si nos per Dei gratiam perstamus in confessione veritatis hujus, sic faciendo ancillamur laudibus gloriæ gratiæ ejus, & in illo procul dubio glorificabimur, atque ille rursus semet glorificabit in nobis in die novissimo, nosque salvabimur. Aurem præbe Domine, atque facito per Christum. *Amen.* Benedictus sit Dominus.

Deus est consolator & stabilitor noster, cordiumque nostrûm in caritatem & patientiam director. Illum invocare debemus. Ipse audit ac opitulatur.

Ne pudefiamus in Christo, neque sermonibus ejus, & ille nos agnoscet, & non erubescemus in seculum. Joël 2. 26, 27.

§. 270. *Μνημονεύετε τοῦ λόγυ ὃ ἐγὼ εἶπον ὑμῖν. Consolatio eximia ex Joh. 15. 20, &c.*

21. *Die Februarii*, impense mihi animus reddebatur ac suppeditabat ex his verbis Salvatoris nostri quæ matutinis legebantur: Mementote sermonis illius [μνημονεύετε τοῦ λόγου] quem ego dixi vobis: Non est servus major Domino suo. Si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum observaverunt, & vestrum observabunt. Sed omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum qui misit me. Si non venissem, & loquutus essem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato suo, vel, non habent excusationem sive prætextum peccati sui, (πρόφασιν.) Qui me odit, is etiam Patrem meum odit. Si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt tum me, tum Patrem meum. Sed *hoc fit* ut impleatur sermo qui in lege ipsorum scriptus est: Oderunt me immerito. Quum autem venerit Advocatus ille, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus, *inquam*, ille veritatis, qui a Patre emanat, ille testabitur de me. Sed & vos testabimini, quoniam a principio mecum estis. [Verba etiam proxime sequentia ab initio cap. 16.] Hæc loquutus sum vobis, ut ne offendamini. Movebunt vos Synagogis, imo veniet tempus, cum quisquis vos interemerit, putet se cultum præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Sed hæc loquutus sum vobis, ut ubi venerit hora illa, meminerітis illorum. Et versu 33. Hæc loquutus sum vobis, ut in me pacem (ἐν ἐμοὶ εἰρήνην) habeatis: in mundo afflictionem habebitis; sed confidite, ego vici mundum. (*Joh.* 15. 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27. *cap.* 16. 1, 2, 3, 4 —— 33.) Hæc Domini nostri salutifera dicta animum refecerunt, ac relevarunt adversus omnes comminationes, quas veluti tela quotidie in Collegas, & in me præsertim intorquebant, ut terrore hominum perculsi, fœderi solenni Scoticano subscriberemus.

Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα, μνημονεύητε αὐτῶν, ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν.

1. Pax. 2. Fiducia. 3. Victoria.

§. 271. *Fœdus Nationale.*

24. *Februarii* 1640. contra easdem supra dictas humanas Ecclesiasticarum ac civilium censurarum minas, dulces ac prægrandes consolationes & corroborationes ex his Apostoli verbis, mihi affuere: Non enim accepistis spiritum servitutis rursum ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus Abba, *id est*, Pater. Ipse spiritus testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. Quod si filii, etiam heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si modo cum eo patimur, ut & cum eo glorificemur. Reor enim minime pares esse præsentis temporis perpessiones gloriæ in nobis revelandæ. —— Novimus autem, eis qui diligunt Deum omnia simul adjumento esse ad bonum, eis videlicet qui ex præstituto ipsius vocati sunt: Nam quos præscivit, etiam prædestinavit conformes imagini Filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres. Quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit; & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit. Quid igitur dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur? Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos separabit a caritate Christi? num afflictio, num angustia, num persequutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? (Sicut scriptum est. *Ps.* 44. 22. Tui causa occidimur totum diem: reputati sumus velut oves destinatæ mactationi.) Imo in his omnibus amplius quam victores sumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam posse nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. (*Rom.* 8. 15, 16, 17, 18 —— 28, 29, 30, 31, &c.) O quam ineffabile solatii profluvium ac scaturigo! nulla tam iniqua depositionis, aut excommunicationis censura, nulla sententia humana, nulla violentia separabit nos a caritate Christi. O anima mea, cum Christo patere, ut & cum illo glorificere. Redi in quietem tuam, ô anima mea, Deus enim liberaliter tecum egit. Quotidie, Domine, in me auge spiritualem illum sensum ac infallibilem persuasionem infiniti tui amoris erga me in Christo. Abba, Pater, potentiam tuam magnam in imbecillitate mea magna perfice, me-

Solatium ac vires contra timorem omnis judicii aut violentia humanæ.

que

quæ magis magisque justificationis meæ per fidem in sanguine Christi, & vocationis meæ secundum præstitutum tuum, certiorem redde, & gaudio ineffabili & glorioso in certa & constanti gloriæ tuæ spe fac ut exultem, neque quid mali in me dominetur. Ne dejiciat me ulla iniquitas, sed in omnibus amplius quam victor sim per Christum Jesum qui me amavit, seque pro me dedit. Ubi amplificatum est peccatum, ibi superabundavit gratia; ut quemadmodum regnaverat peccatum ad mortem, ita etiam gratia regnaret per justitiam ad vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum. (*Rom*. 5. 20, 21.) Idem Apostolus ait, si justitia sit per legem, igitur Christus sine causa mortuus est. (*Gal*. 2. 21.) Christus venit ut medicus ad eos qui non bene se habent, & vocatum peccatores ad resipiscentiam, (*Matth*. 9. 12, 13.) ut servet quod perierat, (*Matth*. 18. 11. *Luc*. 19. 10.) ut peccatores servaret, (1 *Tim*. 1. 15.) ut peccata nostra tolleret. (1 *Joh*. 3. 5.) Sanguis ejus purificat nos ab omni peccato, (1 *Joh*. 1. 7.) ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, secundum supereminentes opes gratiæ ejus. (*Eph*. 1. 6, 7, 12, 14. & 2. 4, 7.) Cui multa remittuntur peccata, multum diligit. (*Luc*. 7. 17.) Ego vero cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane misericordiam tuam; te fuisse locum editum mihi, & perfugium, quo die fuit angustia mihi. O robur meum, tibi psallam, Deum esse locum editum meum, Deum benignitatis meæ. (*Psalm*. 59. 17, 18.)

25. Die Febr. 1640. Meditatio persalutaris divitiarum gratiæ Dei, in Christo omnia nostra peccata nobis condonantis.

וַאֲנִי אָשִׁיר עֻזֶּךָ וַאֲרַנֵּן לַבֹּקֶר חַסְדֶּךָ כִּי־הָיִיתָ מִשְׂגָּב לִי וּמָנוֹס בְּיוֹם צַר־לִי׃ עֻזִּי אֵלֶיךָ אֲזַמֵּרָה כִּי־אֱלֹהִים מִשְׂגַּבִּי אֱלֹהֵי חַסְדִּי׃

Septuag. Ἐγὼ δὲ ᾄσομαι τῇ δυνάμει σου, καὶ ἀγαλλιάσομαι τοπρωῒ τὸ ἔλεός σου, ὅτι ἐγενήθης ἀντιλήπτωρ μου, καὶ καταφυγὴ μου ἐν ἡμέρᾳ θλίψεώς μου. Βοηθός μου εἶ, σοὶ ψαλῶ, ὅτι σὺ ὁ Θεὸς ἀντιλήπτωρ μου εἶ, ὁ Θεός μου τὸ ἔλεός μου.

Hieronym. juxta LXX. Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane misericordiam tuam, quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ. Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus, misericordia mea.

Idem Hieronym. juxta Hebr. Ego autem cantabo imperium tuum, & laudabo mane misericordiam tuam, quoniam factus es fortitudo mea, & refugium in die tribulationis meæ. Virtutem meam tibi cantabo, quoniam Deus adjutor meus, Deus misericordia mea.

Targum וַאֲנָא אֲשַׁבַּח עוּשְׁנָךְ וַאֲבוּעַ לְעִדָּן צַפְרָא טוּבָךְ אֲרוּם הֲוַיְתָא מְשֵׁיזִיב לִי וְרוּחְצָנִי בְּיוֹמָא דְעָיִק לִי׃ עוּשְׁנִי לְוָתָךְ אֲשַׁבַּח אֲרוּם אֱלָהָא שֵׁיזְבוּתִי אֱלָהָא טוּבִי׃

Id est: Ego autem celebrabo robur tuum, & lætabor tempore matutino bonitate tua, quia fuisti liberator mihi, & fiducia mea in die angustiæ meæ. Robur meum te laudabo, quia Deus liberatio mea, Deus bonitas (*seu misericordia*) mea.

§. 272. Contra infidelitatem. Vide a §. 1. ad §. 52. hujus libri.

19. *Die Martii* 1640. Post gravem plurium dierum contra incredulitatem conflictum, amplius quam victor per Jesum Christum Dominum meum factus fui, ex consolationibus illis mellifluis, quas in similibus luctationibus Ann. 1624. habueram, quæque in principio hujus libri inveniuntur; Dominusque tum fortitudinem, tum humilitatem mihi largitus est, ut illum laudibus cumularem, qui robur suum in imbecillitate mea magna perficit, atque erga me in Christo Jesu, in condonanda ac medenda magna mea pravitate & perversitate, secundum opes gloriæ suæ, misericordiam suam luculentissime declaravit. Gloria sit illi in Ecclesia, in Jesu Christo, per omnia sæcula infinite protensa. *Amen*. Ut gratia hæc nobis omnibus, omnibusque suis sanctis extendatur ex animo precor, ut Deus noster nos dignetur ista vocatione, & compleat omnem suæ bonitatis gratuitam benevolentiam, & opus fidei potenter, ut nomen Domini nostri Jesu Christi glorificetur in nobis, & nos in eo, ex gratia Dei nostri & Domini Jesu Christi. (2 *Thess*. 1. 11, 12.) Consideravi ad hæc Epistolam ad Ephesios a versu 17. cap. 1. usque ad vers. 8. cap. 2. & cap 3. a vers. 14. &c. ad finem; secundum hæc oravi ac laudavi Deum, atque ex his simul & harmonia tum Veteris, tum Novi Testamenti de Christo Domino nostro, roboratur est meum magnopere per gratiam Dei, quæ mihi in hac mea summa necessitate adfuit. *Hallelujah. Amen.*

Deus complet in nobis opus fidei potenter.

20. *Martii* 1640. Eadem continuata meditatione historiam illam legi in Evangelio Marci: Et cum venisset ad discipulos suos, vidit turbam multam circa eos, & Scribas cum eis altercantes; & statim tota turba viso eo expavit, & accurrentes salutaverunt eum. Tunc interrogavit Scribas: Quid altercamini inter vos. Et respondens quidam e turba, dixit: Magister, adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum, qui ubicunque eum corripuerit, lacerat eum; ipse vero spumat, & stridit dentibus suis, & exarescit: Et dixi discipulis tuis ut eum ejicerent, sed non potuerunt. Ipse vero respondens ei dixit: O natio incredula, quousque apud vos ero? quousque tolerabo vos? adducite eum ad me. Illum igitur adduxerunt ad eum: & eo conspecto, statim spiritus discerpsit eum: & ille quum cecidisset in terram, volutabat sese spumans. Tunc interrogavit Jesus patrem ejus: Quantum temporis est quod hoc accidit ei? Ipse vero ait: Ab infante. Et sæpe eum tum in ignem abjecit, tum in aquas, ut perderet eum: sed si quid potes, succurre nobis, intima misericordia commotus erga nos. Jesus autem dixit ei: Si potes hoc credere, omnia possunt fieri credenti. Pater vero pueri statim clamans, cum lacrymis dixit: Credo, Domine; succurre incredulitati meæ. [πιςεύω Κύριε, βοήθει μου τῇ ἀπιςίᾳ.] Quum vidisset autem Jesus turbam simul accurrere, objurgavit spiritum illum impurum, dicens ei: Tu spiritus mute & surde, ego tibi impero: exi ab eo, & ne amplius ingreditor in eum. Et cum clamasset spiritus, multumque discerpsisset eum, exivit; & ille factus est quasi mortuus, adeo ut multi dicerent, certe mortuus est. Jesus vero prehensa manu ejus, erexit eum, & ille surrexit. Quum autem esset ingressus domum, discipuli ejus interrogarunt eum privatim: Cur nos non potuimus spiritum illum ejicere? Ipse vero dixit eis: Hoc genus *Dæmoniorum* nulla re potest exire, nisi precatione & jejunio. (*Marc*. 9. 14—29.) Dum hæc legerem & meditarer, memet coram Domino humiliavi, incredulitatem ac miseriam agnoscens, oransque ne me abjiceret a facie sua, neque Sanctum suum Spiritum reciperet a me. En Domine ad te venio, Domine tu omnia potes, miserere mei mihique succurrito. Credo, Domine, succurre incredulitati meæ. (Hæc cum lacrymis planxi.) Objurga spiritus hos impuros measque corruptiones, ut discedant a me, neque me amplius infestent; sed si beneplacitum tuum sit ut similibus exercear tentationibus, mihi adsis Domine, robora, firma, confirma, meque in omnibus victorem præsta, per Christum Jesum Salvatorem meum,

§. 273. Meditatio in Marc. 9. 14, 15, 16, 17.

Certitudo gloriæ contra terrorem mortis.

cui sit gloria in secula seculorum. Amen. Dominus autem precibus meis præbuit, & inimicos meos longe a me removit, consortavit me ac certum reddidit gratiam suam semper mihi adesse atque sufficere, & in Christo me pacem habiturum perfectam, ac in gloria cœlorum locum mihi hacteuus destinatum, ubi eum Christo Jesu Domino meo incola ero, gloriamque videbo, & in æternum in præsentia ejus triumphabo. Gloria Patri, Filio, & Spiritui Sancto, personis trinis, Deo soli ac unico, Domino, Creatori cœli & terræ, marisque omniumque quæ in illis sunt, qui omnia potestatis suæ verbo sustinet, Abrahami, Isaaci & Jacobi Deo, sanctorum Prophetarum Deo, Deo patrique Domini nostri Jesu Christi, nostrique in illo Deo ac Patri, [Abba Pater] gloriosum ejus ac summe benedictum nomen a generatione ad generationem in sempiterna secula super omnem laudem ac gloriam exaltatur. Exercitus cœlorum tibi se incurvant. (*Neh.* 9. 6.) Adorant eum omnes Angeli Dei. (*Ps.* 97. 7.) Spiritus justorum consummatorum te Domine venerantur. Tota terra impletur gloria tua, & in templo tuo unusquisque gloriam tuam resonat. Cum essem quasi mortuus, Dominus Jesus prehensa manu erexit me, & ego surrexi. Omnis sit illi gloria in secula seculorum. Amen. Ischaias gloriam ejus vidit, & loquutus est de illo, & cantilenas refert Seraphim collaudantium ac dicentium: Sanctus, Sanctus, Sanctus est Jehovah exercituum, implet totam terram gloria ejus. (*Isa.* 6. 3.) Idem etiam Propheta Esaias distincte vaticinatur de illo, cap. Johannis decimo, versu quarto, & alibi. Micas etiam (*cap.* 5. 2.) quemadmodum Daniel (*cap.* 9.) Zacharias itidem & Malachia, omnesque Prophetæ. Moses quippe de illo scripsit. (*Joan.* 5. 46.) Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum recepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum. (*Act.* 10. 43.) Spiritus Christi qui in ipsis erat Prophetis, declaravit Christo eventuras perpessiones, & gloriam illas consequuturam. (1 *Pet.* 1. 11.) Duo viri colloquebantur cum eo, qui erant Moses & Elias, qui visi cum gloria dicebant ipsius exitum quo futurum erat ut defungeretur in Hierusalem. (*Luc.* 9. 30, 31.) Tum respondit Petrus, & ait ad Jesum: Magister, bonum est hic nos esse, atque adeo faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Mosi, & unum Eliæ. Hæc autem ipso dicente, ecce nubes lucida inumbravit eos: & ecce, vox e nube, dicens: Hic est filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco, ipsum audite. (*Matth.* 17. 4, 5.) De hoc etiam idem Apostolus Petrus scribit in secunda epistola, dicens: Non enim arte compositas fabulas sequuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum; sed oculis aspeximus illius majestatem, ἀλλὰ ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. Acceperat enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce ad eum delata hujusmodi, a magnifica illa gloria: [ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης] Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco. Et hanc vocem nos audivimus e cœlo delatam, [ἐξ οὐρανοῦ ἐνεχθεῖσαν] quum essemus cum illo in monte illo sancto. (2 *Pet.* 1. 16, 17, 18.) Vos igitur dilecti, istorum præscii quum sitis, cavete ne illorum nefariorum errore cum illis abducti, excidatis a propria stabilitate. Sed crescite in gratia & notitia Domini nostri & servatoris Jesu Christi, cui gloria & nunc & ad tempus sempiternum. Amen. [αὐτῷ ἡ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς ἡμέραν αἰῶνος. Ἀμήν.] (2 *Petr.* 3. 17, 18.) Sobrii estote, vigilate: nam adversarius ille vester Diabolus, ut leo rugiens obambulat, quærens quem absorbeat; cui obsistite firmi per fidem, ut qui noveritis easdem afflictiones a vestra quæ in mundo est fraternitate peragi. Cæterum Deus omnis gratiæ, qui vocavit vos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu, paulisper afflictos perficiat vos, stabiliat, roboret, fundet. [ὀλίγον παθόντας αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς, στηρίξαι, σθενώσαι, θεμελιώσαι] Ipsi gloria & robur in secula seculorum, Amen. Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. (1 *Pet.* 5. 8, 9, 10, 11.)

Νήψατε, γρηγορήσατε. στερεοὶ τῇ πίστει.

21. *Martii* 1640. Iisdem insudans meditationibus, relegi meditationes & consolationes quæ §. 274.
narrantur in hoc libro a 14. *Septembris* 1627, ad 20. *Septembris* 1636. inclusive. Ego Deum inclamabo, Jehovah servabit me; vespere, & mane atque meridie meditabor, & perstrepam, donec audiverit vocem meam. Redemit vitam meam ne belligerent in me, collocans in pace, quando *multis copiis belligerantes* fuerunt penes me. (*Ps.* 55. 17, 18, 19.) Prioribus his meditationibus ac consolationibus, atque ex hac parte Psalmi 55. magnopere solabar ac roborabar. Benedictus sit Dominus.

22. *die Martii* 1640. die Dominico, audivi Doctorem *Alexandrum Scrogie* perconsolatorie concionantem in hæc verba servatoris nostri Jesu Christi: Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum & ei conspiciendum exhibebo meipsum. (*Joh.* 14. 21.) Ubi inter quamplurimas optimasque observationes, disseruit de felicitate Christum diligentium. Deus eos diligit, Christus illos diligit, sese illis aperit. Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quisquam novit nisi Filius, & cuicumque voluerit Filius retegere. (*Matth.* 11. 27.) Hæc est autem vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. (*Ps.* 17. 3.) Ubi nos subaudimus etiam Jesum Christum verum Deum, ut hæc sit sententia, te & quem misisti Jesum Christum cognoscant unum verum Deum, inquit Aug. epist. 174. ubi plura legere est in hanc sententiam.] Non enim statui quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum, eumque crucifixum. (1 *Cor.* 2. 2.) Sed ex ipso vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, justitiaque, & sanctificatio & redemptio. (1 *Cor.* 1. 30.) Quinetiam certo duco omnia damnum esse propter *eminentiam notitiæ Christi Jesu Domini mei*, propter quem omnibus istis meipsum multavi, eaque duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam, & comperiar in eo, non habens meam justitiam quæ est ex lege, sed eam *quæ est per fidem Christi*, justitiam quæ est ex Deo per fidem; ut cognoscam eum & vim resurrectionis ejus, & communionem perpessionum ejus, dum conformis fio morti ejus; *experiens* ecquo modo deveniam ad resurrectionem mortuorum. (*Philip.* 3. 8-11.) Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et quisquis vivit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Etiam Domine; ego credo te esse Christum illum, Filium illum Dei, qui in mundum venturus erat: [Ναὶ Κύριε, ἐγὼ πεπίστευκα ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος] (*Joh.* 11. 25, 26, 27.) Jesus dicit Philippo: qui vidit me, vidit Patrem. In illo die vos cognoscetis me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis. (*Joh.* 14. 9, 10.) Libuit Patri ut omnis plenitudo in eo inhabitaret. Ut consolationem accipiant

Aug. Ep. 174.

Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Marc. 9. 24.

Beata quæ sic credidit. Vid. Mat. 16. 17.

1. Conso-

latio cordium. 2. Vinculum caritatis. 3. Opulentia plene certiorata intelligentia ad cognitionem mysterii. 4. Omnes thesauri sapientia & notitia. 5. ἵνα μή τις ὑμᾶς παραλογίζηται ἐν πιθανολογίᾳ. 6. Τὸ στερέωμα. 7. Radicati & superstructi in Christo. 8. Βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει. 9. Περισσεύοντες ἐν αὐτῇ.

piant eorum corda, ipsis caritate compactis, & omni opulentia plene certioratæ intelligentiæ, [εἰς πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως.] ad cognitionem mysterii Dei ac Patris, & Christi. [εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ τοῦ Χριστοῦ] In quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac notitiæ absconditi. Hoc autem dico vobis, ut ne quis vos falso ratiocinando fallat, sermonis probabilitate. Etsi enim corpore absum, spiritu tamen sum vobiscum, gaudens & cernens vestrum ordinem, & soliditatem vestræ in Christo fidei. [καὶ τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ὑμῶν] Sicut igitur accepistis Christum Jesum Dominum, ita in eo ambulate, radicati & superstructi in eo, ac confirmati fide, [ἐῤῥιζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει] Sicut edocti estis, exundantes ea cum gratiarum actione. [περισσεύοντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριστίᾳ] Videte ne quis sit qui vos deprædetur per philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Nam in eo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. [ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς] Et estis in eo completi, [καί ἐστε ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι] qui est caput omnis imperii ac potestatis, in quo etiam circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus. [περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ] (*Col.* 2. 2-10.) Quamvis *D. Scrogie* omnia hæc Scripturæ loca, quæ in mei ipsius solatium ac in fidei corroborationem hic collegi, minime tetigerit, attamen egregie sane disseruit de felicitate eorum quibus Christus se manifestat.

10. *Cum gratiarum actione.* 11. Πεπληρωμένοι. 12. Περιτομὴ ἀχειροποιήτος.

§. 275. *Amor Dei erga nos in Christo verus est, potens & permanens.*

Loquutus est etiam de amore Dei & Jesu Christi in nos, comparando eum cum amore mundi tribus dissimilibus. 1. Amor mundi fictus falsusque est, at Dei amor sincerus est ac verus. 2. Amor mundi impotens est & insufficiens ad opem ferendam, ast Dei amor omnipotens ac sufficiens adminiculo nostro in omnibus indigentiis. 3. mundi amor inconstans est & mobilis, amor vero Dei erga nos in Christo constans est & immobilis. (*Vide Jer.* 31. 3. *Mal.* 3. 6. *Joh.* 13. 1. *Rom.* 5. 8.

§. 276.

24 *Martii die* 1640. Iisdem meditationibus animo hærentibus, magnam expertus sum quietem, gaudium, & spirituale robur in Christo, qui me felici hac victoria donavit adversus graves incredulitatis tentationes, & contra omnes spirituales meos inimicos, meque liberat ab omnibus quibuscunque hostibus, & ab omnibus periculis & timoribus. —— —— —— —— Una cum Christo crucifixus sum: vivo autem, non amplius ego, sed vivit in me Christus, & vitam quam nunc vivo, in carne vivo per fidem illam Filii Dei, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, *Eph.* 3. 17. qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. (*Gal.* 2. 20.) Quisquis credit Jesum esse Christum illum, ex Deo genitus est. —— Quoniam quicquid natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria quæ vincit mundum, *nempe* fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse Filium Dei? (1 *Joh.* 5. 1-5.) Supra omnia assumpto scuto fidei quo possitis omnia jacula mali illius (τοῦ πονηροῦ) ignita extinguere. (*Eph.* 6. 16.) Ne incredulus esto, sed credens. Respondit autem Thomas & dixit: Domine mi, & Deus mi. Dicit ei Jesus, quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt & crediderunt. (*Joh.* 20. 27, 28, 29.) Quem cum non videritis diligitis: in quem nunc, *eum* non videntes, tamen credentes exultatis gaudio ineffabili & glorioso. Reportantes mercedem fidei vestræ, salutem animarum: De qua salute exquisiverunt, & *quam* scrutati sunt Prophetæ, qui de *ventura* in vos gratia prophetarunt. ——— Quapropter succincti lumbis mentis vestræ, sobrii, ad finem usque sperate in eam quæ vobis defertur gratiam. (1 *Pet.* 1. 8, 9.) Dixit eis (Jesus): Hi sunt sermones quos loquutus sum vobis cum adhuc essem vobiscum, oportere impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis, de me. Tunc aperuit eorum mentem ut intelligerent Scripturas: Et dixit eis: Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere ex mortuis tertio die: & prædicari ejus nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes gentes, incipiendo ab urbe Hierosolymiorum. (*Luc.* 24. 44, 45, *&c.* Vid. etiam 1 *Pet.* 1. 12.) Scimus nos ex Deo esse, & mundum totum in illo improbo jacere, sed scimus Filium Dei venisse & dedisse nobis mentem ut cognoscamus verum illum; & sumus in vero illo, *id est* in ejus Filio Jesu Christo. Hic est verus ille Deus & vita illa æterna. (1 *Joh.* 5. 19, 20)

Fides nostra est victoria qua vincimus mundum. Scutum fidei. Beati illi qui non viderunt, attamen crediderunt, nempe beati credendo, quamvis nunquam viderint. Lex Mosis, & Prophetæ, & Psalmi Jesum Christum testantur, in quem credimus nos.

§. 277.

25. *die Martii* 1640. Suppliciter lacrymis Deum oravi ut Dominus me magis magisque in gratia sua confirmaret, seque mihi conspiciendum præberet, ac pacem Ecclesiæ suæ hic & alibi conferret, neque pauperam hæreditatem suam derelinqueret, neu angustiâ pressorum floccipenderet orationem; preces enim ac supplicationes quas noctu & interdiu coram illo fundimus, nullo modo propter nostram litamus justitiam, sed propter misericordias ejus excelsas in Christo Jesu Domino nostro, ob justitiam illius, in quo acquiescit, qui dilexit nos & tradidit (*Eph.* 5. 2) semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ; & qui promisit (*Joh.* 14. 13, 14. & 16. 23, 24.) quod quicquid petierimus a Patre in nomine ejus, id faciet. Dominus Jesus faciet, Pater nobis dabit, ut glorificetur Pater in Filio, & ut gaudium nostrum sit plenum. Tunc recordatus sum solatoria verba Prophetæ Jachaziel ad Jehoschaphat populumque ejus: (2 *Chron.* 20.) Vos ne timetote, neque consternamini. —— State & videte salutem Jehovæ erga vos —— Jehovah aderit vobis. [יְהוָה עִמָּכֶם] —— Tum procidebunt coram Jehovah, ac honorem exhibuerunt Jehovæ, & Levitæ laudarunt Jehovam Deum Israëlis voce magna summe. [בְּקוֹל גָּדוֹל לְמָעְלָה] Et exeuntibus in desertum Tekoha consistens Jehoschaphat dixit: Audite me Jehudæi, & habitatores Jeruschalaimorum, firme credite Jehovæ Deo vestro, & confirmabimini, firme credite Prophetis & prosperamini. [הַאֲמִינוּ בַּיהוָה אֱלֹהֵיכֶם וְתֵאָמֵנוּ הַאֲמִינוּ בִנְבִיאָיו וְהַצְלִיחוּ] LXX. ἐμπιστεύσατε Κυρίῳ τῷ Θεῷ ὑμῶν, καὶ ἐμπιστευθήσεσθε· ἐμπιστεύσατε ἐν προφήταις αὐτοῦ, καὶ εὐοδωθήσεσθε.] Et celebrarunt Jehovam, & respicientes multitudinem prostratam humi, prædam diripuerunt, Domino benedixerunt, in valle benedictionis, idcirco vocant nomen loci illius, quod ibi Jehovæ benedixerint. [כִּי שָׁם בֵּרְכוּ אֶת־יְהוָה] Postea reversi sunt Jeruschalaima cum nabliis ad domum Jehovæ. ——— Ita quievit regnum Jehoschaphati, quietem largiente illi circumquaque Deo illius. Ad hæc considerans dulcissima hæc Salvatoris nostri verba, (*Matth.* 11. 28.) *venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis*, placide consolabar in Christo, & dixi: Redi in requiem tuam anima mea, quum Jehovah beneficus fuit erga te. (*Psalm.* 116. 7.) Mecum *erunt* ô Deus, vota tua: persolvam gra-

Fac cor meum ô Deus vallem benedictionis.

gratiarum actiones tibi, nam eripis animam meam a morte, annon pedes meos a lapsu *eriperes*? ut indesinenter ambulem coram Deo in luce hujus vitæ. (*Ps*.56. 13,14.) Benedictus sit Deus. Amen. Hallelujah. Et audita erat vox mea, pervenit oratio mea in habitaculum sanctum illius, in cœlum. (2 *Chr*.30.27.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, unitrino & triuni super omnem benedictionem & laudem exaltato: misericordia ejus durat in æternum, veritatem servat in secula seculorum. Soli sapienti Deo gloria per Jesum Christum in secula. Amen. *μόνῳ σοφῷ Θεῷ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.* (*Rom*. 16. 27.)

Donum gratiæ Dei, tum quod precemur, tum audiamur: quod Deum itidem laudemus & accipiamur.

Domine doce nos orare. (*Luc*. 11. 1.) Vivifica nos, & invocabimus nomen tuum. (*Ps*.80.19.) Itidem autem & spiritus una sublevat infirmitates nostras: quid enim oremus ut oportet non novimus; sed ipse spiritus intercedit pro nobis suspiriis inenarrabilibus. Qui vero scrutatur corda, novit quid sapiat spiritus, quia (vel, ut, *ὅτι*) secundum Deum intercedit pro sanctis. (*Rom*.8. 26, 27.) Et effundam super domum Davidis & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & deprecationum [רוּחַ חֵן וְתַחֲנוּנִים] (*Ezech*. 12. 10.)

Deus confirmat animos nostros, nosque solatur & stabilit in omni sermone & opere bono.

Desiderium mansuetorum exaudivisti Jehovah: confirma animum horum, (*vel, stabilito cor eorum*, תָּכִין לִבָּם) adverte aurem tuam. (*Ps*. 10. 17.) O qui exaudis orationem, ad te usque omnis caro ventura est. (*Ps*. 65. 3.) Domine labia mea aperias, & os meum annunciabit laudem tuam. (*Ps*. 51. 16.) Sint accepti sermones oris mei & meditatio animi mei coram te, Jehovah rupes mea, & Redemptor mi? (*Ps*. 19. *ult*.) Ipse vero Dominus noster Jesus Christus, & Deus ac pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam, consoletur vestra corda, & stabiliat vos in omni sermone & opere bono. (2 *Thess*. 2. 16, 17.) Regi autem æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gloria in secula seculorum. Amen. (1 *Tim*. 1. 17.) *τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ Θεῷ, τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.*

Oratio.

Gratiarum actio.

§.278. *Decertate certamen fidei præclarum.*

11. *Aprilis* 1640. Magna mihi aderat consolatio ac robur in Deo, lectione & consideratione Pauli Apostoli verborum ad Timotheum, & oratione ad Deum, ut gratiam mihi largiri dignaretur ad decertandum præclarum illud certamen fidei, & vitam æternam apprehendendam, ad quam & vocatus sum, simul etiam ad profitendam præclaram illam professionem in conspectu multorum testium, utique coram Deo, Angelis & hominibus. (1 *Tim*. 6. 12.) *Ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως, ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς, εἰς ἣν καὶ ἐκλήθης, καὶ ὡμολόγησας τὴν καλὴν ὁμολογίαν ἐνώπιον πολλῶν μαρτύρων.*

Nihil eorum metuite quæ passuri estis.

Μηδὲν φοβοῦ ἃ μέλλεις πάσχειν· ἰδοὺ, μέλλει βαλεῖν ἐξ ὑμῶν ὁ διάβολος εἰς φυλακὴν, ἵνα πειρασθῆτε· καὶ ἕξετε θλίψιν ἡμερῶν δέκα· γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου, καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς. (*Apoc*. 2. 10.) Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, nequaquam lædetur a morte secunda. *Ὁ νικῶν, οὐ μὴ ἀδικηθῇ ἐκ τοῦ θανάτου τοῦ δευτέρου.* (*Apoc*. 2. 11.) Quoniam observasti sermonem tolerantiæ meæ, ego quoque te servabo ex tempore tentationis, quod venturum est in orbem universum, ad explorandos incolas terræ. Ecce venio cito, retine quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam ut is sit columna in templo Dei mei: Nec foras egredietur amplius, & inscribam nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, *id est*, novæ Hierusalem quæ descendit e cœlo a Deo meo, & *inscribam ei* nomen meum novum *καὶ τὸ ὄνομά μου τὸ καινόν.* (*Apoc*. 3. 10, 11, 12.)

ὅτι ἐτήρησας τὸν λόγον τῆς ὑπομονῆς μου κἀγώ σε τηρήσω &c.

Διδαχαῖς ποικίλαις καὶ ξέναις μὴ περιφέρεσθε. (*Heb*. 13. 9.)

Totum robur nostrum & decertatio præclari certaminis, & victoria nostra, sunt liberum Dei donum in Christo nobis concessum.

Hic Deus fortis est qui accingit me robore, & reddit integram viam meam: disponens pedes meos tanquam cervarum, ut in excelsis meis statuat me. Docens manus meas prælium, adeo ut frangatur arcus chalybeus brachiis meis (*vel, arcus æreus* נְחוּשָׁה). Nam das mihi clypeum salutis tuæ, dexteraque tua sustentat me, & mansuetudo tua adauget me. Dilatas gressui meo locum meum, neque vacillant malleoli pedum meorum. ——— Vivit Jehovah, & benedicta rupes mea; quapropter exaltetur Deus salutis meæ. (*Ps*. 18. 33, 34, 35, 36, 47.) Hic *Deus fortis* robur est meum, *mea* strenuitas: & expeditam reddit integre viam meam (*vel solvit* וַיַּתֵּר) ——— Vivit Jehovah, & benedicta rupes mea; quapropter exaltetur Deus rupes salutis meæ. (2 *Sam*. 22. 33-47.) Conformia hæc sunt his Apostolorum dictis: Benedictus sit Deus ac pater Domini nostri Jesu Christi. (2 *Cor*. 1. 3. 1 *Pet*. 1. 3. *Apoc*. 3. 12. *Joh*. 20. 17.) Deo habetor autem gratia, qui facit ut semper triumphemus in Christo. (2 *Cor*. 2. 14.

Christus est rupes salutis nostra.

§. 279. *Jejunium.*

17. *die Aprilis*. Neo-Aberdoniæ celebrabatur jejunium ac deprecatio, quo etiam me contuli ac sanctæ illius actionis particeps fui, magno meo solatio. Benedictus sit Dominus. Audivi D. Jacobum Sibbaldum concionantem in *Hebr*. 3. 7, 8. *&c*. ubi præcipue ratiocinatus est de obduratione cordis, quæ semper conjunctam secum habet animi cœcitatem, secundum verba Domini versu 10. capitis hujus, *semper errant corde, neque cognoverunt vias meas*. Hinc hortatus est nos, cavere a pessimo hoc malo quod secludit homines a cœlesti requie, & attente vocem Dei creatoris nostri ac servatoris hodie audire, id est, immediate dum adest occasio audiendi vocem ejus, credendi & resipiscendi. ——— Post illum concionatus est Magister Robertus *Daunie* in hæc verba Johannis Baptistæ Pharisæis ac Sadducæis, *progenies viperarum, quis vobis præmonstravit ut fugeretis a futura ira?* (*Matth*. 3. 7.) Unde commendavit nobis humilem miseriæ nostræ confessionem, eo quod, sicut alii, simus filii perditionis. Observavit insuper magnitudinem misericordiæ Dei, longe exuperantis omnia peccata progeniei hominum maxime protervæ, modo pœnitentis. Resipiscentia enim fugimus a futura ira, a qua eruimur per Jesum Christum. (1 *Thess*. 1. 10.) Illi sit gloria in secula. Amen. Nunc recordatus sum quod 17. *Aprilis* 1639. apud amicum quendam clanculum moratus fuerim ut evitarem mandatum a fratribus quibusdam minitatum de subscriptione fœderis solennis: jamque me servatum ac libere cum Dei populo in publica hac salutari actione participantem cernens, Deum ob hanc omnesque ejus misericordias laudavi. Benedictus sit Deus. Deum etiam oravi, ut hanc suam benevolentiam mihi continuaret, meque & omnem suum populum ac servos tutaretur, peccata condonaret, ad seipsum nos converteret, exitum lætum, hilarem ac felicem expeditionem ab omnibus nostris ærumnis, timoribus ac peccatis quibuscunque dignaretur; & in his placide consolabar in Deo. Laudate Dominum quia bonus, misericordia ejus durat in æternum. Amen. Hallelujah.

Concionatus est D. J. Sibbaldus.

§. 280. *Dulcia solamina renovata.*

18. *Aprilis* 1640. Dominus affatim ac uberrime mihi renovavit dulcia & prægrandia solamina, quæ conscribuntur 16. *Augusti An*. 1624. vesperi, & divinum illud colloquium quod habetur ante decimum *Junii* 1625. me certum reddens,

dens, quod, quemadmodum Abrahamo juraverat, mihi benedixerit, meque nunquam deseruerit, nec dereliquerit. Benedictus sit Deus. *Amen & Amen.*

§. 281. *Jejunium concionatus est J. Sibbaldus.* 19. *Aprilis* 1640. Neo-Aberdoniæ jejunium solenne ac humiliatio rursum habebatur, ibique, sicut prius, præsto fui, sacræque illi rei participatus sum, plurimis lacrymis dulcique consolationum cœlestium augmento. Laudatus sit Dominus. *D. Jacobus Sibbaldus* concionatus est super his Pauli Apostoli verbis: *Nam quæ secundum Deum est tristitia, ea resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœniteat: at mundi tristitia mortem efficit.* (2 *Cor.* 7. 10.) Disseruit primo *Tristitia mundi.* de tristitia mundi, qua intelligitur immoderata ex re qualibet mundana tristitia, cujus tristitiæ species maxime evitanda, quippe quæ inutilis, noxia, mortemque operans corporalem, ex nimia in corde sollicitudine ossa exurens, & ex superabundantia Deum offendens, ex nimio quoque rei cujusdam terrestris amore procedens, & ex Deo diffidentia, & ex impatientia sub omnipotenti paternaque ejus manu. Ingratam etiam in providentiam divinam profert mussitationem, atque ita quoque mortem operatur æternam, *Tristitia secundum Deum.* nisi tempestive tristitia quæ secundum Deum est, ejus pœniteat. Quæ tristitia divina oritur, cum tristamur ob peccata nostra, non solum præ peccati deformitate cum pulchritudine ac honestate rationis humanæ comparati, neque tantum præ pessimis exinde consequentiis sive suppliciis in tempore vel æternitate, sed præcipue propter repugnantiam ac inimicitiam quæ inter Dei sanctitatem atque peccatum quod odit, reperitur. Talis tristitia æquissima sane est, si consideremus maximam Dei bonitatem ac sublimitatem, jus quoque ac titulum in nos, & e contra summam nostram parvitatem, exilitatem, obligationem, ingratitudinem, atque infelicitatem ei repugnando ac cum abominando. Tristitia hæc pœnitentiam operatur, cujus est & pars. Pœnitentia hæc est ad salutem, & sic nunquam pœnitenda, nequaquam miserabili ac infructuosæ illi orco damnatorum resipiscentiæ affinis, a qua liberet nos Dominus.

§. 282. *M. Gulielmus Robertson* in his Jacobi Apostoli verbis disseruit: *Obsistite Diabolo, & fugiet a vobis. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* (*Jac.* 4. 7, 8.) Hortatus est nos ut Diabolo, precibus, fide, justitia, & Dei verbo obsisteremus, & ut semper vigilemus, quoniam fugiens Diabolus occasionem præstolatur novæ oppugnationis. Hortabatur quoque ad appropinquandum Deo, fide, resipiscentia, oratione, ac obedientia præceptis ejus, ad appropinquandum etiam Deo non solum ore, sed toto corde nostro; (*Isai.* 29. 13.) & tum procul dubio nobis in misericordia occurret, nobis appropinquabit. Semper hoc fecit, semperque faciet omnibus illum in veritate invocantibus justeque quærentibus. Illi sit gloria in seculorum secula. *Amen.*

§. 283. 21. *Aprilis* 1640. primo Synodi Provincialis Aberdonensis die, *D. Jacobus Sibbaldus* egregie in Psalmum 133. verba fecit: *Ecce quam bonum & quam amœnum est habitare fratres etiam una.* Totum exposuit Psalmum, ad caritatem, concordiam fraternam, mansuetudinem, humilitatem &c. exhortando.

§. 284. 25. *Die Aprilis* 1640. invitatus concionem habui præparatoriam in sanctam cœnam Neo-Aberdoniæ, ubi sacramentum hoc celebrandum erat die insequenti. Recordatus interim hæc Salvatoris nostri dicta, *hoc facite ad mei commemorationem*, quæ ita interpretantur ab Apostolo Paulo dicente, quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis usquequo venerit: (1 *Cor.* 11. 26.) mecumque reputans quod resurrectionem Domini in justificationem nostri reminiscamur, vicesimum secundum Psalmum textum selegi, in quo 1. versibus 21. proxime titulum insequentibus passiones Christi una cum oratione ad Deum pro præsentia ejus ac liberatione per alacrem ac victricem resurrectionem describuntur. 2. a vers. 22. (*Enarrabo nomen tuum fratribus meis*) ad finem Psalmi, habetur gratiarum actio pro liberatione orata nunc & exorata, illiusque duo fructus notabiles declarantur, laudes nempe Dei, & conversio ac mundi salus adminiculo gratiæ, concionis ac sacramentorum felici concomitatorum successu a Deo hæc operante. Imprimis breviter titulum ac totum Psalmum exposui, 2. ad explicationem vers. 26. reversus sum: (*Comedent mansueti & saturabuntur, laudabunt Jehovam quærentes eum: vivet animus vester in sempiternum*) Quæ verba merito applicantur cœnæ Domini a Hieronymo, Augustino, Theodoreto, aliisque qui Psalmum hunc commentariis illustrant.

26. *Aprilis* 1640. *D. Jacobus Sibbaldus* Neo-Aberdoniæ concionatus est in *Isai. cap.* 55. *v* 1, 2. §. 285. *Concionatus est Sibbaldus in Is.* 55. 1, 2. *Heus quisquis sitit, venite ad istas aquas: & cui nulla est pecunia venite, comparate & comedite, venite inquam, comparate absque pecunia & absque pretio vinum & lac. Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo, & laborem vestrum pro re minime satiatura? auscultate indesinenter mihi, & comedite bonum, atque oblectet se hac pinguedine anima vestra.*] In quo textu læte admodum disseruit de sancta Communione, quam immediate post concionem celebravit; & inter alios ego appropinquavi, & recepi sanctam κοινωνίαν corporis & sanguinis Domini nostri ac Servatoris Jesu Christi, *Communicatio salutaris. Hallelujah.* dulcissima & superabundanti consolatione, post fervidas humilesque preces & lacrymas. Et cum sanctæ illi mensæ assiderem, sanctumque reciperem Sacramentum, Dominus mihi in mentem revocavit dictum illud consolatorium quod pridie exposueram, (Comedent mansueti & saturabuntur, laudabunt Jehovam quærentes eum: vivet animus vester in sempiternum;) una cum meditatione mysterii: placidamque inveni certitudinem, me unum esse ex mansuetis illis, & animum meum vivere in sempiternum, per misericordiam Dei in Christo Jesu, immansuetudinem meam omniaque peccata mea condonantis, meque vivificantis & medentis pane hoc vitæ. Et Dominum laudavi maximopere, interiori & spirituali gaudio. Benedictus sit Dominus Salvator meus in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.*

2. *die Maii* 1640. Audivi Dr. *Gulielmum Guild* §. 286. concionantem discursum præliminarem in sanctam Communionem insequenti luce celebrandam. Textum habuit in *Apoc.* 3. 20. *Ecce, sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Hunc distribuit textum in partes trinas: (1.) Gratiosam Christi invitationem, misericordiam ejus manifestantem. *Ecce, sto ad ostium, & pulso.* Nos plurimis modis invitat, at præsertim verbo suo & Sacramentis. (2.) Officium nostrum, vocem ejus audire, cordisque aperire ostium ut ingrediatur Rex gloriæ, *si quis audierit vocem meam & aperuerit ostium.* 1. Audiendum est non tantum aure externa, sed præsertim interiori cordis aure, de qua dicitur, qui habet aurem ad audiendum, audiat. Illud quod in Ecclesia latum est pro nor-

ma fidei ac religionis, vox Christi est; oves meæ vocem meam audiunt. (*Joh.* 10.) Et si quis nobis aliter evangelizaverit, anathema esto. (*Gal.* 1.) Evangelium oportet nos audire sicuti vocem Christi, id est, reverentia, attentione, præparatione cordis nostri fundi ad recipiendum bonum semen Dei verbi; item & obedientia; non enim auditores solum, sed etiam verbi factores simus necesse est. 2. igitur, oportet aperiamus ostium Christo. Audite & aperire. Consideremus quod naturaliter in statu peccati, corda nostra clausa sint atque obserata in peccaminosa induratione contra Christum ac bonitatem omnimodam, quamvis aperta sint Satanæ, peccato, sceleribus ac vanitati: & nisi Dominus aperiat uniuscujusque nostri corda, sicut cor Lydiæ, non possumus nos aperire corda nostra; & tamen debemus aperire gloriæ Regi, unicaque nostra felicitas consistit in ejus cum nobis & in nobis præsentia, nostraque cum illo conjunctione. Illum igitur invocemus qui habet clavem Davidis, qui aperit & nemo claudit, & claudit & nemo aperit; (*Apoc.* 3. 7.) ut corda nostra aperiat, amoveatque cor lapideum a pectore nostro, eorque carneum indat, ut in statutis ejus ambulemus. (*Ezech.* 11.) Dicamus sigillatim cum Davide, *cor mundum crea in me Deus*, & *spiritum rectum renova mihi*; (*Ps.* 51.) & cum Augustino, *Da quod jubes, & jube quod vis.* (*Aug. de bono persever. cap.* 20.) Tempestive aperiendum quamdiu ad ostium stat & pulsat, dicens, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, integra mea, nam caput meum oppletum est rore, capilli mei aspersionibus nocturnis, [ut in agonia illa in Gethsemane, & cum circumdaretur caput corona illa e spinis contexta] ne se subducat, & nos invocemus, at ille non exaudiat; ut legere est in Cantico Canticorum cap. 5. Necessum est etiam libenter aperiamus, eumque alacri mente recipiamus, sicut Zachæus, (*Luc.* 19.) & constanter, ne his assimilemur de quibus sic loquitur Propheta: Benignitas vestra tanquam nubes matutina, & velut ros mane stillans abit. (*Hos.* 6. 4.) Invitatio ac promissio generales sunt, absque exceptione personarum, si quis audiat &c.

Tempestive.

Læte.

Constanter.

§. 287. 3. *Maji* 1640. die Dominico, *Dr. Gulielmus Guild* Neo-Aberdoniæ verba fecit in reliquiis textus sui Apoc. 3. 20. *Ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* In tertia hac thematis parte declaratur benignitas Christi in eos qui vocem ejus audiunt, & ostium ei aperiunt, expressa verbis pollicitationis ejus, scilicet: *ingrediar* &c. Duo promittuntur beneficia maxima, quæ simul indubie præstantur eis qui gratia ejus cordis sui ostium aperiunt ad recipiendum gloriæ Dominum.

I. *Ingrediar ad eum*] Felix illa anima in quam ingreditur Christus; animæ illi contigit salus, ut dixit Christus Zachæo, hodie salus huic domui contigit, (*Luc.* 19.) Christus lux nostra, vita nostra, fortitudo nostra &c.

II. *Et cœnabo cum eo, & ipse mecum.*] Ah! quantum habemus nos præparationem Regi huic magno? Domine non sum dignus ut sub tectum meum ingrediaris; (*Matth.* 8.) sed væ mihi, nisi ingrediare. Para tibi domum Domine, & habita in me. Quid apponam Domino ut mecum cœnet? Ipse nobis dixit; scilicet animum tristitia secundum Deum contritum ob peccata nostra & indignitatem. 2. Cor famelicum ac sitiens ad justitiam: beatum cor illud, nam replebitur. (vide *Isa.* 55. *Apoc.* 21. 6. *Marc.* 9. 24. *Heb.* 13. 21.) Hæc duo fercula priora Christo jucunda sunt, dolor & desiderium.

III. Cor credens.

IV. Cor obediens. Et si illum his epulis colamus, ipse nos cœnare secum efficiet, exhilarans nos sui ipsius pretioso corpore & sanguine, fracto ac fuso pro nobis, unde nobis lucem, vitam, gaudium, pacem, sanitatem, salutemque elargitur æternam. O felices illos qui participes facti sunt cœnæ hujus Agni Dei, qui tollit peccata mundi! Cui dixit unquam Angelorum, præsto sis, tecum cœnabo, & tu mecum?

Habita concione D *Gulielmus Guild* celebravit ac distribuit sanctum corporis & sanguinis Christi Sacramentum, & inter alios ego etiam mensæ incontaminatæ appropinquavi, sanctamque recepi communionem, plurima post suspiria, uberrimasque lacrymas, tum inter concionandum, & inter precandum a concione, tum inter precandum quum assisteremus mensæ Domini. Cumque sancta reciperem symbola, Dominus me consolatus est his sermonibus: *Pax domus huic, hodie salus huic domui contigit*; perfectaque certitudine perpetuæ ejus in misericordia mecum habitationis; unde anima mea cœlesti gaudio perfusa est. Deo vovi me gratiæ ejus mihi sufficienti fidentem, ei fideliter, constanter servire. Dominum oravi ut me ad finem usque firmaret, ac efficeret ut in posterum evidenter crescerem in gratia & notitia Domini mei Jesu Christi, ut magis magisque certior fiam Christum in me manere, & me in Christo; non me vivere, sed Christum in me, quamque vivetem vitam, me vivere per fidem illam Filii Dei, qui dilexit me, & semetipsum pro me tradidit. Illi gloria in secula. *Amen.* Pro eadem misericordia & gratia oravi pro cæteris omnibus Dei liberis hic & alibi in Ecclesia militante, & magnopere confortabar. Benedictus sit Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, misericordiarum Pater, omnisque consolationis Deus. *Amen. Hallelujah.*

Communicatio perconsolatoria. Laudatus sit Dominus.

4. *Die Maji.* Gratiarum actiones ac orationes ad Deum Servatorem meum redintegravi; & pro Rege totaque gente obnixe precatus sum, dulceque fuit solabar in Domino, cui omnis ac sempiterna sit laus, honor, benedictio, gloria; majestas, dominium. Amen. §. 288.

Tum quoque confortabar ex consideratione consolantium matris Samsonis verborum ad maritum suum Manoah: *Si delectaretur Jehovah morte afficiendo nos, non accepisset e manu nostra holocaustum cum munere, neque ostendisset nobis omnia hæc: quin etiam hoc tempore non fecisset ut audiremus rem hujusmodi.* (*Jud.* 13. 23.) Et cum legerem *Apoc.* c. 21. dictum inveni de nova civitate, nova Hierusalem, quod neque civitas illa eget sole vel luna ut luceant in ea, nam gloria Dei illustrat eam, & lucerna ejus est Agnus. (*Jud.* 21. 23.) Sic se habet unaquæque anima fidelis, nulla enim re destituitur, quippe quam plenum solatium, lux, felicitasque perfecta, gloriaque Dei illuminant, Agnusque ejus lucerna; adeo ut nullo modo mortem corporalem timere debeamus, quæ nobis aufert solis lunæque lucem, gloriam vero Dei adimere nequit, quæ animam nostram illuminat. Et Agnus lux nostra, a quo mors neutiquam separare nos poterit. Quinimo confidenti animo sumus, nobis gratum potius esse abesse e corpore & adesse apud Dominum. (2 *Cor.* 5. 8.) Multi dicunt: O si quis efficiat ut fruamur bono! attolle super nos lucem faciei tuæ Jehovah. Indideris lætitiam animo meo majorem quam temporis quo frumentum istorum & mustum istorum percipiuntur ab ipsis copiose. In pace simul cubabo & dormiam: cum in Jehovah so-

Lux.

Consolatio contra terrorem mortis.

solus facias ut secure habitem. (*Ps.* 4.) Etiam quum ambularem per vallem letalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum es. (*Ps.* 23.) Jehovah lux mea, & salus mea est, a quo timerem? Jehovah robur vitæ meæ est, a quo expavescerem? (*Psalm.* 27. 1.) Quia sol & scutum est Jehovah Deus, gratiam & gloriam dat Jehovah; non cohibet bonum ab ambulantibus in integritate. O Jehovah exercituum, beatus homo, qui fiduciam habet in te! (*Ps.* 84.) Quum sedero in tenebris, Jehovah illucescet mihi. (*Micha* 7. 8.) Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum, cum pace, quia viderunt oculi mei salutem tuam, quam parasti in oculis omnium populorum, lumen detegendum gentibus, & gloriam populi tui Israëlis. (*Luc.* 2.) Domine, eum me ex hoc mundo sustuleris in pace, moriar in sereno salutis tuæ conspectu. Rursum ergo Jesus eis loquutus est, dicens: Ego sum lux illa mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. (*Joh.* 8. 21.) Trahe me post te, curremus. Rex ipse me in conclavia sua introduxit. (*Cantic.* 1. 4.) Benedic, anima mea, Domino. (*Ps.* 103.) Gratia habetor Deo super inenarrabili ejus dono. (2 *Cor.* 9. 18.) *Amen.*

Oratio pro exitu quieto.

§. 289. *Die 5. Maji.* Et servi ejus colent eum, & videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus ipsorum *erit*. Et nox illic non erit, neque opus est eis lumine lucernæ, neque lumine solis: quoniam Dominus Deus illustrat eos, & regnabunt in secula seculorum. (*Apoc.* 22. 3, 4, 5.) Corrobora ô Deus quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68. 29.) Tum eram brutus qui ignorarem: velut jumenta eram apud te: itaque ego jugiter futurus sum tecum: prehendisti manum dexteram meam. Consilio tuo deduc me, ut postmodum in gloriam recipias me. Quis esset mihi in cœlis præter te? & præter te nullo delector in terra, (apud te נֶגְדְּךָ). Deficiente carne mea & animo meo, rupes animi mei & portio mea Deus est in seculum. (*Ps.* 73. 22, 23, 24, 25, 26.) Absorbebit ipsam mortem in victoriam, & absterget Dominus Jehovah lacrymas ab omnibus faciebus, & opprobrium populi sui movebit a tota terra, nam Jehovah loquutus est. (*Isai.* 25. 8.) Jehovah dispones pacem nobis: nam etiam omnes res nostras confecisti nobis (pro nobis לָנוּ). (*Isa.* 26. 12.) Exultat animus meus in Jehovah, elevatur cornu meum in Jehovah; dilatatur os meum contra hostes meos, nam lætor de salute tua. Nullus est sanctus ut Jehovah, nam nullus est præter te: & nulla est rupes ut Deus noster. (1 *Sam.* 2. 1, 2.) Jehovah exercituum nobiscum est: locus editus est nobis Deus Jacobi maxime. (*Ps.* 46.) Pax sit fratribus, & caritas cum fide a Deo Patre, & Domino Jesu Christo. Gratia sit cum omnibus diligentibus Dominum nostrum Jesum Christum ad incorruptibilitatem. *Amen.* (*Ephes.* 6. 23, 24.) Tu, Domine, nosti me per gratiam tuam te sincere diligere, amoris defectum & in quo me minime candide gero, juva Domine. Respice ad me, & gratiam fac mihi, prout soles erga amantes nomen tuum (*in quibus operaris amorem sancti nominis tui.*) Pedes meos institue in sermone tuo, & ne sinas dominari in me ullam iniquitatem. (*Ps.* 119. 132, 133.)

Conspectus facialis, nox nulla, gloria sempiterna.

Pax, caritas, fides, gratia.

§. 290. *Die 6. Maji* 1640. Dulce consolabar, viriliterque roborabar adversum omnes hominum minas mundique terrores, ex his Davidis verbis (*Deum alloquentis*:) Quam multa est bonitas tua quam recondis reverentibus te! operaris erga eos qui se recipiunt ad te coram filiis hominum! Abdis eos in abdito præsentiæ tuæ, ab elationibus virorum: abscondis eos in tugurio a contentione linguarum. Benedictus sit Jehovah; quia mirificam reddit benignitatem suam erga me, ut in civitate munita collocans me. Ego quidem dixeram in festinatione mea: Excisus sum a conspectu oculorum tuorum: veruntamen audisti vocem deprecationum mearum, quum vociferarer ad te. Diligite Jehovam omnes quos benignitate prosequitur: fideles custodientem Jehovam, & rependentem excellentissime, facientem res magnificas. Confirmamini, & fortificabit animum vestrum, omnes qui speratis Jehovam. *Ps.* 31. 20, &c.

Contra terrores hominum quorumcunque.

§. 291. *Diebus* 17. & 18. *Maji* 1640. Amare coram Domino flevi antiquas meas transgressiones, & offensas quotidianas præsentesque corruptiones: ac pro misericordia & gratia humiliter oravi, Dominusque aurem præbuit, meique misertus est. Dominum itidem supplicavi pro misericordia ac pace genti nostræ, & pro misericordia, gratia, veritate, pace Ecclesiæ suæ hic & alibi quam pretioso suo sanguine redemit, Dominusque in his omnibus me consolatus est, eo quod miserabitur Ecclesiæ suæ, gentis hujus, mei, filii, domûsque nostræ. Dominus etiam dulces admodum mihi renovavit consolationes, quas in illo habueram *diebus* 26. & 27. *Octobris* 1637. & *diebus* 13. & 14. *Julii* 1638. sicut in hoc libro scribuntur. Confidite Jehovæ usque in sempiternum; nam in Jah Jehovah rupes seculorum est. (*Isai.* 26. 4.) Et apud te Deum nostrum benignitas & fides in seculum. Servent me in sempiternum sempiterna tua fortitudo, benignitas & fides. Cogitationi innitenti custodis continuam pacem, quum tibi confidit. (*Isai.* 26. 3.) Serva animam meam, & eripe me; ne erubescam, quia recipio me ad te. Integritas & rectum custodiant me, quia expecto te. Redime, Deus, Israëlem ab omnibus oppressionibus ejus. (*Ps.* 25.) In te, Domine, confido, infidelitati meæ succurre. Præsta me unum ex Israëlitis illis animo puris quibus bonus tu es. (*Ps.* 73.) O Deus spei, imple nos omni gaudio & pace credendo, ut spe exundemus per virtutem Spiritus sancti. (*Rom.* 15. 13.) Innitantur animi nostri tibi, Deus noster ac Servator. Corrobora, ô Deus, quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68. 29.) Jehovah, dispones pacem nobis, nam etiam omnes res nostras confecisti nobis. (*Isai.* 26. 12.) Pax Christi cor a luctu & formidine liberat. (*Joh.* 14. 27.) Pacem habentes in Christo, gaudio replemur ac victoria, quamvis afflictionem habeamus in mundo. (*Joh.* 16. 33.) Gloriamur de Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus, (*τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν. Rom.* 5. 11.) Canite Jehovæ, laudate Jehovam, quia eripuit animam egentis e manu maleficorum. (*Jer.* 20. 13.) *Hallelujah. Amen.* Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, לְאֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל Præpotenti & summo Deo Israëlis. Qui nos sibi per Christum Jesum reconciliavit. Benedictus Dominus qui quotidie onerat nos donis, Deus ille salus nostra. (*Ps.* 68. 20.) *Amen.* Benedictus sit Deus. Quid dejicis te, anima mea, & quid perstrepis in me? spera in Deo. (*Ps.* 42. & 43.) Redi, anima mea, in requiem tuam, quum Jehovah beneficus sit erga te. (*Ps.* 116.) Benedic, anima mea, Domino. (*Psalm.* 103.) Benedicam Jehovæ omni tempore. (*Ps.* 34.) Regnabit Jehovah in seculum. (*Psalm.* 146.) Regi autem æterno, *τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων*, incorruptibili, invisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gloria in secula seculorum. *Amen.*

Benignitas, gratia, veritas, & pax.

Ps. 25. & 117.

Die

§. 292. *Felicitas eorum qui in Deo confidunt.*

Die 21. *Maji* 1640. Læte consolabar meditatione harum sacræ Scripturæ portionum, in quibus declaratur certa ac indubia in Domino confidentium felicitas. Et hoc donum ejus gratiæ est, quod illi fidamus bonumque faciamus, quod qui recipiunt in seipsis, experiuntur, orant pro ipsius augmento per virtutem Spiritus sancti, & precantur pro cunctis his benedictionibus quæ promittuntur omnibus qui Deo confidunt. Jehovah, Deus mi, ad te recipio me: salvum me fac ab omnibus persequentibus me, & libera me. (*Ps.* 7. 2.) Itaque fiduciam habebunt in te qui noverunt nomen tuum; quia non derelinquis quærentes te Jehovah. (*Ps.* 9. 11.) Hujus Dei fortis integra est via: sermo Jehovæ purgatissimus est: clypeus est omnibus qui se recipiunt ad eum. (*Ps.* 18. 31.) Beati omnes qui se recipiunt ad eum. (*Ps.* 2. *ult.*) Serva animam meam & eripe me; ne erubescam, quia recipio me ad te. (*Ps.* 25. 20.) Confirmamini, & fortificabit animum vestrum, omnes qui speratis Jehovam. (*Ps.* 31. *ult. Ps.* 27) Quam pretiosa est benignitas tua, Deus! quum filii hominum ad umbram alarum tuarum se recipiunt: uberrime explentur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis. Quandoquidem penes te fons vitæ est; in luce tua fruemur luce. (*Ps.* 36.) Redimit Jehovah animam servorum suorum; neque disperduntur ulli recipientes se ad eum (vel rei erunt ולא יאשמו) (*Ps.* 34. *ult.*) Gustate & videte bonum esse Jehovam, beatus vir ille qui se recipit ad eum. (*Ps.* 34. 9.) Quid dejicis te, anima mea, & quid perstrepis in me? spera in Domino. (*Ps.* 42. & 43.) Tantummodo in Deo conquiesce anima mea; nam ab eo est expectatio mea. Tantummodo ipse rupes mea est, & salus mea: locus meus editus, non dimovebor. In Deo est salus mea & gloria mea: rupes robusta mea; receptus meus est in Deo. Confidite ei omni tempore, ô popule, effundite coram eo animum vestrum; Deus receptui nobis est maxime. (*Ps.* 62.) O Jehovah exercituum! Beatus homo qui fiduciam habet in te. (*Ps.* 84. *ult.*) Confide in Jehovah, & fac bonum; inhabita terram, & pascere fide. Et oblecta te in Jehovah qui dabit tibi petitiones animi tui. Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo; nam ipse efficiet: Proferens tanquam lucem justitiam tuam, & jus tuum tanquam meridiem. Acquiesce Jehovæ, & indesinenter expecta eum. (*Ps.* 37. 3, 4, 5, 6, 7.) Acceptos habet Jehovah timentes sui, qui expectationem suam habent in benignitate ipsius. (*Ps.* 147. 11.) Fiduciam habe in Jehovah ex toto animo tuo: intelligentiæ vero tuæ ne innititor. In omnibus viis tuis agnosce eum, & ipse diriget itinera tua. (*Prov.* 5. 3, 6.) Qui attendit ad verbum, consequitur bonum; & qui confidit Jehovæ, ô beatum illum! (*Prov.* 16. 20.) Cogitationi innitenti custodis continuam pacem, quum tibi confidit. Confidite Jehovæ in sempiternum usque, nam in Jah Jehovah rupes seculorum est. (*Isai.* 26. 3, 4.) Quis est inter vos timens Jehovæ, auscultans voci servi ejus; qui ambulatis in tenebris, cui nullus est splendor? Confidat nomini Jehovæ, & innitatur Deo suo. (*Isai.* 50. 10.) In Deo confidam, non timebo: quid faciat caro mihi? (*Psal.* 56.) Ad Jehovam me recipio, quomodo dicitis animæ meæ, emigra e monte vestro avicula? (*Ps.* 11.) Qua die timebo, ego in te confidam. (*Ps.* 56.) Sic ait Jehovah, maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum; a Jehovah autem recedit animus ejus. Erit enim similis nudatissimæ arbori in loco campestri, quæ non sentit quum advenit bonum; quæ sita est in siccissimis locis in deserto, terra salsuginosa & inhabitabili. Benedictus vir ille qui fiduciam habet in Jehovah, & cujus confidentia est Jehovah. Nam erit similis arbori plantatæ secundum aquas, & secundum processum aquarum mittenti radices suas, quæ non sentit quum advenit æstus, sed sunt folia ejus virentia, & anno cohibitionis non est sollicita, neque desinit quin faciat fructum. (*Jer.* 17. 5, 6, 7, 8.) Ne fiduciam habetote in ingenuis: in ullo filio hominum, penes quem nulla est salus. Beatus cui auxilio est Deus fortis Jahakobi, cujus expectatio est in Jehovah Deo suo. (*Ps.* 146.) Auxilium meum, spes mea.

Confide in Domino & fac bonum.

Deum time & spera in benignitate ejus.

§. 293. *Vid. Mat.* 16. 17.

Die 22. *Maji* 1640. Easdem rursus habui meditationes & consolationes in eorum felicitate qui se ad Jehovam recipiunt, qui solus mihi adjutor cui fido. Adjuva Domine infidelitatem meam. Beatus vir qui Deo confidit, quia caro & sanguis hoc in illo non operatus est, sed dilectus noster Pater cœlestis in Christo Jesu. Deus vero spei impleat vos omni gaudio & pace credendo, ut spe exundetis per virtutem Spiritus sancti. (*Rom.* 15. 13.) Quam multa est bonitas tua, quam recondis reverentibus te! operaris erga eos qui se recipiunt ad te, coram filiis hominum! Abdis eos in abdito præsentiæ tuæ, ab elationibus virorum: abscondis eos in tugurio, a contentione linguarum. Benedictus sit Jehovah, quia mirificam reddit benignitatem suam erga me, ut in civitate munita collocans me. (*Ps.* 31. 20, 21, 22.) Civitas fortis est nobis, salutem disponit muris & præmunitioni. (*Isa.* 26. 1.) Deus nobis est receptus & robur, auxilium in angustiis præsentissimum. Idcirco non timeremus, si commutaret terra locum. (*Psalm.* 46.) Consedens in latibulo Excelsi, in umbra Omnipotentis indesinenter pernoctans; Dico: In Jehovah est receptus meus & propugnaculum meum; Deus meus est cui confido, &c. (*Ps.* 91.) Porro spes non pudefacit, eo quod caritas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. (*Rom.* 5. 5.) Quam spem velut animæ ancoram habemus tutam ac firmam, & ingredientem usque in ea quæ sunt intra velum, quo præcursor pro nobis ingressus est Jesus, factus secundum ordinem Melchisedec Pontifex in æternum. (*Heb.* 6. 19, 20.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus, Deus ille Omnipotens, Erat & Est, & venturus Est. (*Apoc.* 4. 8.) Amen. Hallelujah. Amen & Amen.

§. 294. *Consolatio ac robur contra impatientiam & incredulitatem, & adversus terrorem mali & mortis.*

Die 23. *Maji* 1640. Dum solitarius essem in campis, consideravi eos revera felices esse qui in Deo confidunt. Sed ah! tanta nostra est imbecillitas ac corruptio, ut in ceptis nostris, curis & timoribus ingruentibus, diffidere nobis in promtu sit. Deum itaque precatus sum ut potentiam suam magnam in magna infirmitate perficere dignaretur. Arundinem quassatam non franget, & ellychnium fumigans non extinguet. Afflictionibus & tentationibus nos exercet, ut paternæ ejus in nos curæ experientia, in spe crescamus, totamque curam nostram in illum rejiciamus, in plena fidei certitudine, illum semper paternam nostri curam agere. Et etiamsi nos potius in votis habeamus vacare a tentationibus ac molestiis, attamen ille solus est sapiens, nosque magis in deliciis habet quam ipsi; consolari ergo debemus in illo, qui capitis nostri capillos numeratos tenet, nec ullum ex eis perire sinet. Non dormitat neque dormit custos Israëlis. Novit Pater ille noster cœlestis nos indigere his om-

omnibus. Quærentes Jehovam non indigent ullo bono. (*Ps.* 34.) Novimus autem eis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum. Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur? (*Rom.* 8.) Si occcaret me, non sperarem? (*Job.* 13. 15.) Etiam quum ambularem per vallem letalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum es. (*Ps.* 23.) Multæ sunt afflictiones justi, sed ex omnibus illis eripit eum Jehovah. (*Ps.* 34.) Ecce Deus in fortem salutem meam; confidam ac non expavescam: nam robur meum & carmen est Jah Jehovah, qui fuit mihi saluti. Quumque hauseritis aquas cum gaudio, e fontibus hujus saluris, &c. (*Isa.* 12.) Quamvis ficus non efflorescceret, & nullus esset proventus in vitibus; mentiretur opus olivæ, & agrorum nullus ederet cibum; absceinderet hostis ob ovili gregem, & nullum esset armentum in bubilibus: Ego tamen in Jehovah exultabo, gestiam in Deo salutis meæ. Jehovi Dominus robur meum est: qui disponit pedes meos tanquam cervarum, & super excelsa mea facit ut incedam. (*Hab.* 3.) Propterea non seguescimus; sed etiamsi externus noster homo corrumpitur, internus tamen renovatur in dies. Illico enim præteriens levitas afflictionis nostræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis: Dum non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur. Nam quæ cernuntur, temporaria sunt; at quæ non cernuntur, æterna. (2 *Cor.* 4.) Recipit se in morte sua justus. Quo die clamavi, eodem exaudivisti me: fecisti ut efferret me animo meo robur. Si ambulo in media angustia, vivum conservas me: in faciem inimicorum meorum extendis manum tuam; & servat me dextera tua. Jehovah perficiet pro me. Jehovah benignitas tua in seculum est: ab operibus manuum tuarum ne desistas. (*Ps.* 138.) Animo defecissem, nisi crederem me fruiturum bonitate Jehovæ in terra viventium. Expecta Jehovam; confirmare, & fortificabit animum tuum: itaque exspecta Jehovam. (*Ps.* 27.) Quid dejicis te, anima mea? Spera in Domino, salus quippe faciei meæ & Deus meus est. Illi sit omnis gloria in seculum. *Amen.*

§. 295. *Die* 28. *Maji* 1640. Cum animo revolverem inquietas Fœderatorum nostrorum minas, qui comminabantur adventum exercitus sub ductu Satrapæ generalis *Monro* ad omnes in placita sua subjugandos, (qui exercitus eodem die Aberdoniam venit) ad Deum recurri, qui benigne ac plene me consolatus est ac roboravit, mihique dulces illas ac certas renovavit consolationes, quas in simili statu habueram in Deo Salvatore meo, quæque in hoc libro scribuntur 7. 9. 13. & 18. Julii, 1638. Quædam etiam Scripturæ loca perlegi, in quibus Deus servis suis interdicit timore vel conspectuum vel virium hominum, ac salutem & robur adversus inimicos quoscunque pollicetur. Hæc legenti solamen ac fortitudo mihi adjuncta fuere. Ne timeto ab istis: nam adsum tibi ad eripiendum te, dictum Jehovæ. —— Tu itaque accinge lumbos tuos; ut surgens eloquaris apud eos quicquid Ego præcepero tibi: ne consternator attritus conspectu istorum, ut non conteram te in conspectu istorum. Ego enim ecce pono te hodie velut civitatem munitam, & velut columnam ferream, murosque aheneos, toti huic terræ: Regibus Jehudæ, principibus ejus, sacerdotibus ejus, & populo hujus terræ: qui oppugnabunt te, sed non prævalebunt tibi. (*Jerem.* 1. 8. —— 17, 18, 19.) Reverti debuerant isti ad te, non autem tu reverti ad eos; ideo oppono te populo isti pro muro æreo munitissimo, ut opponentes te non prævaleant tibi. Quia tecum sum ad servandum te, & ad eripiendum te, dictum Jehovæ. Eripiam enim te e manu malorum, & redimam te e manu violentorum. (*Jer.* 15. 19, 20, 21.) Ecce dispono faciem tuam obfirmatam adversus faciem istorum, & frontem tuam obfirmatam adversus frontem eorum: similem lapidi perdiuturno, firmiorem rupe disposui frontem tuam: ne timeto istos, neque consternator a facie istorum; quod domus rebellis sint. —— Audi ex ore meo verbum, & admone eos a me. (*Ezech.* 3. 8, 9. —— 17.) Non est discipulus supra doctorem, neque servus supra dominum suum: sufficiat discipulo ut sit sicut doctor ipsius; & ut servus sit sicut dominus ipsius. Si ipsum patrem familias Beelzebulem vocârunt, quanto magis domesticos ejus? Itaque ne eos timete: nihil enim est apertum quod non sit detegendum, & nihil occultum quod non sit cognoscendum. Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aure auditis, prædicate in solariis. Et ne timete vobis ab eis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potius eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Nonne duo passerculi assario veneunt? & unus ex eis non cadet in terram sine Patre vestro; vestri vero etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Ne igitur timete; vos multis passerculis præstatis. Quisquis igitur agnoscet me coram hominibus, agnoscam & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis. Quisquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo qui est in cœlis. Ne existimate me venisse immissurum pacem in terram: non veni immissurus pacem, sed gladium. Nam veni facturus ut dissideat filius a patre suo, & filia a matre sua, & nurus a socru sua. Et inimici hominis *erunt qui sunt* domestici ipsius. Qui amat patrem aut matrem supra me, non est me dignus; & qui amat filium aut filiam supra me, non est me dignus. Qui invenerit animam suam, perdet eam; & qui perdiderit animam suam mea causa, eam inveniet. (*Matth.* 10. 24, &c.) Nunc igitur Domine, dispice in minas eorum, (*καὶ τὰ νῦν, Κύριε, ἔπιδε ἐπὶ τὰς ἀπειλὰς αὐτῶν*) & da servis tuis ut cum omni libertate loquantur sermonem tuum: Manu tua a te extenta ad sanandum, signisque & prodigiis editis per nomen sancti Filii tui Jesu. Quum autem precati essent, succussus est locus in quo erant congregati; & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquuti sunt sermonem Dei cum libertate. (*Act.* 4. 29, 30, 31.) Ipsi autem gaudentes profecti sunt a conspectu Concilii, quod digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumelia afficerentur. Et quotidie in templo & domatim non cessabant docere & evangelizare Jesum Christum. (*Actor.* 5. 41, 42.) Confidens in latibulo Excelsi, in umbra Omnipotentis indesinenter pernoctans: Dico: In Jehovah est receptus meus, & propugnaculum meum, Deus meus est, cui confido. Quandoquidem ipse erepturus est te a laqueo aucupantis, a peste ærumnosissima; ala sua protecturus te, quum sub alis ejus te receperis. Clypeus & parma est fides ipsius, ne timeto a pavore nocturno, a sagitta volitante interdiu; quum tu Jehovam, Deum receptus mei, Excelsum statueris habitaculum tuum; non dabitur occasio ut attingat te malum, & plaga non appropinquabit ad tentorium tuum. Nam Angelis suis præcipiet de te,

Monro Aberdoniam venit.

Recursus ad Deum qui me roborat, servat, ac consolatur. Hallelujah.

ut conservent te in omnibus viis tuis &c. (*Ps.* 91.) Lætitia afficis me, Jehovah, opere tuo; de factis manuum tuarum cantabo. Quam magna sunt facta tua, Jehovah! valde profundæ sunt cogitationes tuæ. ——— Plantati in domo Jehovæ, in atriis Dei germina profundunt. (*Ps.* 92.) Jehovah regnat. —— Utut attollant flumina, o Jehovah, attollant flumina sonum suum; attollant flumina fragorem suum: Sonis aquarum multarum, magnificis fluctibus irrumpentibus maris, magnificentior est in alto Jehovah. Testimonia tua firma sunt valde, domui tuæ decora sanctitas, o Jehovah, in longitudinum dierum est. (*Ps.* 93.) Consumma Domine potentiam tuam per infirmitatem meam. (2 *Cor.* 12.) Corrobora, o Deus, quod operatus es in nobis. (*Psalm.* 68.) Quid dejicis te, anima mea? spera in Deo. (*Ps.* 42.) Jehovah lux mea, & salus mea est, a quo timerem? Jehovah robur vitæ meæ est, a quo expavescerem? (*Ps.* 27.) Rejice in Jehovam quicquid dat tibi, & ipse sustentabit te: non permittet unquam justo ut dimoveatur. (*Ps.* 55.) Fac erga servum tuum secundum benignitatem tuam. (*Ps.* 119. 124.) Jehovah, benignitas tua in seculum est; ab operibus manuum tuarum ne desistas. (*Psalm.* 138.) Tuæ fidei committit se defectus viribus; pupilli tu es adjutor. (*Ps.* 10.) Benedic, anima mea, Jehovæ. (*Psalm.* 103.) Jehovah, adest mihi, non timebo, quid faciat mihi homo. (*Ps.* 118.) Tu, Jehovah, solus facis ut secure habitem. (*Ps.* 4.) *Hallelujah.* Benedictus sit Deus. *Amen.*

§.296. *Die* 29. *Maji* 1640. Easdem consolationes renovaras, imo & adauctas habui, hæc Patriarchæ Jacobi verba legendo de filio suo Josepho: Quamvis amaritudine affecerint eum & jaculati sint, quamvis intestino odio prosequuti sint eum sagittarii: tamen permansit in robore arcus ejus, roborataque sunt brachia manuum ejus, a manibus robusti Dei Jacobi, unde fuit pastor & lapis Israelis: a forti Deo patris tui qui adjuturus est te. (*Gen.* 49.) Summopere itidem consolabar ex his Dei verbis quæ loquutus est per servum suum Mosen: Nullus est similis huic Deo forti, o Jeschurun: qui cœlis insidet in auxilium tuum, & magnificentia ejus superioribus nubibus. Protectio ut Deus sempiternus, & inferne brachia æterna, expellat a facie tua inimicum, aut dicat: Perde. Ut habitet Israël secure solus, fonte Jacobi, in terra frumenti & musti *ferace*; etiam cœlis ejus stillantibus rorem. Beatus es Israël! quis est sicut tu, populus servatus per Jehovam, clypeum auxiliarem tuum, & cujus gladius est excellentia tua? Sic reddentur abjecti inimici tui tibi, tu autem excelsa eorum conculcabis. (*Deut.* 33.) Fiduciam habebunt in te, qui noverunt nomen tuum: quia non derelinquis quærentes te Jehovah. (*Ps.* 9.) Te nobis conspiciendum exhibe Domine, ut notum fiat nobis nomen tuum, & in te fidamus, & te quæramus ex toto corde nostro & ex tota anima nostra; neque derelinque nos, secundum verbum tuum cui fidere fecisti nos. Benedictus sit Jehovah in secula seculorum. *Amen.*

[*Joh.* 14. 21. & 17. 26. *Rom.* 15. 13. *Deut.* 4. 29. *Jos.* 1. 5. *Heb.* 13. 5.]

אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל: Benedictus sit Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, & in illo Deus ac Pater noster. Benedic anima mea Jehovæ. Benedicam Jehovæ omni tempore. Israël confide Jehovæ, auxilium horum & scutum horum est. Vos e familia Aaronis confidite Jehovæ, auxilium horum & scutum horum est. Timentes Jehovam confidite Jehovæ, auxilium horum & scutum horum est. Jehova recordatus nostri, benedicet. (*Ps.* 115.) Utut maledicant ipsi, tu benedicito: qui insurrexerunt quum erubuerint, lætabitur servus tuus. (*Ps.* 109.) Ex ipso angore invocavi Jah, respondens *collocavit* me in lato Jah. (*Ps.* 118.) Jehovah adest mihi, non timebo quid faciat mihi homo. Beatus, cui auxilio est Deus fortis Jacobi. (*Psal.* 146.) Ego vero sum pauper & egeus, o Deus, festina mea causa: auxilium meum & liberator meus es, Jehovah, ne tardes. (*Ps.* 70.) Respice ad me, & gratiam fac mihi, da robur tuum servo tuo, & serva filium ancillæ tuæ. Effice erga me signum quod bono sit, ut videntes osores mei pudore perfundantur, quum tu Jehovah adjuveris me & consolatus fueris me. (*Ps.* 86.) A lapsu immunes custodi nos Domine, atque inculpatos coram te, ad diem ultimum, statue. Fidelis est Deus per quem vocati sumus, qui etiam confirmabit nos usque ad finem. (1 *Cor.* 8. 9.) Cæterum ei qui potest nos custodire a lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exultatione, soli sapienti Deo, Servatori nostro, gloria esto & magnificentia, robur & auctoritas, & nunc & in omnia secula. Amen. (*καὶ νῦν, καὶ εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν. Jud.* 24. 25.) Qui summa exuperantia potest omnia facere super omnia quæ petimus aut cogitamus, (*Eph.* 3.) & qui jussit nos illum invocare tempore angustiæ, & benignitati ejus confidere, qui se nos erepturum promisit, & fidem in æternum servat, cujus benignitas est in seculum; illi sit gloria in Ecclesia, per Jesum Christum, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Vid. in libro hoc 29. Jan. 1627. & seqq. Benedictus sit Jehovah. Amen. Et vid. 3. Novemb. 1629. & initium Febr. Ann. 1636. in quo legendo dulce consolor, & confirmor adversus omnes terrores ac tentationes. Laudatus sit Dominus in secula, quia bonus est, nam in seculum benignitas ejus; fidem quippe servat in sempiternum. *Hallelujah. Amen & Amen.*

[*Ps.* 50. & 147. & 146. & 136.]

[*Solatium & confirmatio adversus terrores & tentationes.*]

§.297. *Die* 5. *Junii* 1640. Rogatus a *Dr. Alexandro Scrogie* illi opem ferre prædicando illo die concionem præparatoriam, eo quod duobus diebus Dominicis insequentibus sanctam celebraturus esset Communionem, illi obtemperavi, ac *eodem quinto Junii, die Veneris*, prædicavi in Ecclesia Cathedrali Palæo-Aberdonensi, in hæc verba *Psalmi* 36. *vers.* 8, 9, 10, 11 *Quam pretiosa est benignitas tua Deus! quum filii hominum ad umbram alarum tuarum sese recipiunt; uberrime explentur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis. Quandoquidem penes te est fons vitæ, in luce tua fruamur luce. Protende benignitatem tuam erga cognoscentes te, & justitiam tuam erga rectos animo.*

[*Concio præparatoria ante Communionem.*]

Psaltes, postquam Deum laudaverat (duobus versibus textum hunc proxime præcedentibus) propter benignitatem ejus, fidem, justitiam, judicia ac providentiam benignam in omnem hominem ac in omne pecus, erumpit hic majori eloquio in admirationem & celebrationem specialis Dei benignitatis erga electos suos filios ex hominum filiis, primis tribus textus hujus versibus, & in quarto orationem addit.

In prima textus hujus portione tres sunt partes. 1. Exclamatio in admirationem misericordiæ Dei: *Quam pretiosa est benignitas tua, Deus!* 2. Fides sanctorum: *Quum filii hominum ad umbram*, &c. 3. datur descriptio felicitatis illorum qui ei fidunt, 1. in pace consistentis; *Sub umbra alarum tuarum*, &c. 2. in plenitudine; *Uberrime explentur, & de torrente*; &c. 3. in deliciis, *Pinguedine domus tuæ, torrente deliciarum tuarum.* 4. in vita; *Quandoquidem penes te est*

est fons vitæ. 5. in luce; *in luce tua fruamur luce.*

In prima parte consideranda sunt: 1. divinum hoc attributum *benignitas* (חַסְדְּךָ). 2. excellentia ejus aut pretium (יָקָר). 3. permagna ejus excellentia, ex particula admirationis, *quam*, notata. *Quam pretiosa* (מַה־יָּקָר), illius instar dicti *Psal* 31. 20. Quam multa est bonitas tua quam recondis reverentibus te! operaris erga eos qui se recipiunt ad te, coram filiis hominum!

§. 298. *Quam pretiosa est misericordia Dei.* Omnia attributa divina sunt excellentissima; sapientia Dei, potentia Dei, justitia ejus & sanctitas &c. at miser peccator nun habet quo se vertat, quoad audiat misericordiam Dei. Christus in mundum venit ut peccatores servaret. Deus fuit in Christo mundum sibi reconcilians, non imputando eis offensas eorum. Veni ut quæram & servem quod perierat, & ut vocem peccatores ad resipiscentiam. Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis &c. Tum anima peccatrix viva redditur, & exclamat: *Vox dilecti mei.* (*Cant.* 2. 8.) Quam pretiosa est benignitas tua, Deus! dulcior est melle, & quidem acœto melle, melior est vino, desiderabilior quamplurimo auro & argento purgarissimo, pretiosior carbunculis, & omnia oblectamenta nostra non possunt æquari ei. Summæ benignitatis est Jehovæ quod non sumus absumpti, quod a molestia hic liberemur, & servemur a futura ira. Misericordia hæc vocatur divitiæ gratiæ Dei, (*Eph.* 2. 7.) divitiæ gloriæ ejus. (*Col.* 2. 7.) Quæ divitiæ sunt Christus inter nos, spes gloriæ. (*Ibid.*) Christus est pretium redemptionis nostræ: misericordia ejus est pretiosa. Gloria Deo in altissimis, pax in terra, in homines benevolentia. (*Luc.* 2. 14.)

Instituamus usus hosce. 1. Quum beneficium quodvis spirituale aut corporale recipimus, Deum laudemus ob pretiosam ejus benignitatem, mane, vesperi, meridie, & omni tempore. 2. Cum sumus afflicti, cœlestis Patris nostri celebremus benignitatem, qui quos amat castigat, nosque leniter adeo castigat, cum graviora mereamur supplicia, & ab inferno nos liberat, & in omnibus tentationibus sustentat. 3. Cum peccata nos terrent, utut multa & magna sint, pœniteamus, & pretiosissimæ ejus benignitati confidamus, invitantis omnes laborantes & oneratos ad Christum venire, ac requiem promittentis, nempe remissionem omnium peccatorum, & gratiam ad subsidium in necessitate. (*Matth.* 11. 28. *Isa.* 1. 18. 1 *Joh.* 1. *Heb.* 4. 16. *Ezech.* 18. 20, 21.) Et exclamemus gratias Deo agendo; *quam pretiosa est benignitas tua, Deus!* 4. Præferamus misericordiam Dei & pacem cum illo, omnibus rebus, divitiis, honori, deliciis, vitæ &c. Vita adest benevolentia ejus. (*Ps.* 30. 6, 7.) Nam benignitas tua melior est vita, ut labia mea laudent te. (*Ps.* 63. 3.) 5. Et ex consideratione pretiosissimæ ejus misericordiæ confidamus illi.

§. 299. *2. Fiducia sanctorum.* *Quum filii hominum ad umbram alarum tuarum sese recipiunt.*] Non potentia equi delectatur Deus, non crura præstantis viri accipit; sed acceptos habet Jehovah timentes sui, qui expectationem suam habent in benignitate ipsius. (*Ps.* 147. 10, 11.) Objectum confidentiæ nostræ solum & legitimum Deus est, & fundamentum confidentiæ nostræ in Deo, nequaquam meritum nostrum, sed ipsius misericordia gratuita in Christo Jesu. Ne gloriator sapiens in sapientia sua, neque gloriator potens in potentia sua: sed in hoc glorietur qui gloriatur, se intelligere & cognoscere me, me esse Jehovam, exercentem benignitatem, jus & justitiam in terra. (*Jer.* 9. 23, 24.) Sic ait Jehovah: Maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum: a Jehovah autem recedit anima ejus. Erit enim similis nudatissimæ arbori in loco campestri, quæ non sentit quum advenit bonum; quæ sita est in siccissimis locis in deserto, terra salsuginosa & inhabitabili. Benedictus vir ille qui fiduciam habet in Jehovah, & cujus confidentia est Jehovah. Nam erit similis arbori plantatæ secundum aquas & processum aquarum, mittenti radices suas, quæ non sentit quum advenit æstus, sed sunt folia ejus virentia, & anno cohibitionis non est sollicita, neque desinit quin faciat fructum. (*Jerem.* 17. 5, 6, 7, 8.) Qui carnem statuit brachium suum, ejus animus abhorret a Deo vivo. Hinc evincitur neminem posse tum Deo tum homini fidere, quippe si homini confidat, animus est procul a Deo. In Deo solo itaque fiduciam habeamus. Tu Jehovah solus facis ut secure habitem. (*Ps.* 4.)

§. 300. *3. Illorum felicitas. 1. Pax.* Primum felicitatis eorum punctum qui in Deo fiduciam habent, quodque in textu meo describitur, est, *quieti erunt sub umbra alarum ejus: Pacem* habebunt & protectionem, faciet Deus ut in securitate & certa confidentia habitent. Quod summo mihi fueris auxilio, itaque in umbra alarum tuarum canam. (*Ps.* 63. 7.) Confidens in latibulo Excelsi, in umbra Omnipotentis pernoctans; Dico, in Jehovah est receptus meus, & propugnaculum meum, Deus meus est, cui confido. Quandoquidem ipse ereptutus est te a laqueo aucupantis, a peste ærumnosissima. Ala sua protecturus te, cum sub alis ipsius te receperis: clypeus & parma est fides ipsius. Ne timeto &c. (*Ps.* 91.) Dominus noster Jesus Christus hoc etiam utitur simili, cum amorem suum purum declararet in filios ingratæ Jerusalem. Quoties, inquit, volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis? (*Matth.* 23. 37.) Et sicut intimus Dei amor in filios suos adumbratur per dilectionem quam habet gallina erga pullos suos, quos sub alis & plumis congregat; ita etiam placida tranquillitas, dulcisque filiorum Dei sub alis ejus jucunditas & lætitia adumbrantur per quietam & tranquillam pullorum confidentiam sub alis & plumis gallinæ eos a pluvia & feris abscondentis & foventis. Sed hic notare est hæc differentia, scilicet fortiorem gallina posse accedere, eamque & pullos opprimere. Sed nemo Deo major, imo nemo adeo robustus, omnibus major est. (*Joh.* 10. 28, 29, 30.) Hic est Excelsus, Omnipotens ille. (*Ps.* 91.) Nemo potis erit tutamen ejus a nobis auferre, neque sub alarum ejus umbra latitantes male accipere, neque extra plumas ejus divellere, sicut nemo valet oves ejus e manu illius eripere. Cogitationi innitenti custodis continuam pacem, quum tibi confidit. Confidite Jehovæ usque in sempiternum; nam in Jah Jehovah rupes seculorum est. (*Is.* 26. 3, 4.)

§. 301. *2. Plenitudo.* Secundum felicitatis caput in Dei misericordia est *plenitudo. Uberrime explentur, dabis eis bibendum de torrente deliciarum tuarum* יִרְוְיֻן, quod hic traducitur, *uberrime explentur*, & in margine, *irrigabuntur*, traducitur a Targumista יִתְרַוְיוּן *inebriabuntur*, & a Septuaginta Interpretibus Græcis μεθυσθήσονται. Hieronym. ex Hebræo & ex Græco LXX. *inebriabuntur*, & revera ita significat dictio Hebræa יִרְווּ & cum ן paragogico יִרְוְיֻן pro יִרְווּ *ubertim inebriabuntur*. Augustin. in hunc locum Psalmi hujus dicit Davi-

Hæ sententia Hebræa, Chaldæa, Græca & Latina hic mei ipsius gratia apponuntur;

eas enim nequaquam pronunciavi inter contemnandum, nam desino populum alloqui lingua ignota.

dem magnum aliquid hic promittere, quod dicere volebat, sed non dicit, cum ineffabile esset, idque nos concipere non possimus. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*] Quæsivit verbum unde loqueretur de rebus humanis quod diceret. Et quia vidit homines ingurgitantes se in ebrietate, accipere autem vinum immoderate, ac mentem perdere; vidit quid diceret, quia cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, pene quodammodo humana mens, & fit divina, & inebriatur ab ubertate domus Dei. Hoc jam calice inebriati erant martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium quam non agnoscere uxorem flentem, non filios, non parentes? Nolite mirari, eam enim Christi doctrinam imbiberant. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. (*Matth.* 10. 37, 38.) Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. (*Luc.* 14. 26.) Supernaturali lumine perspiciebant despectum illum & odium suorum & vitæ suæ, sibi & carissimis istis propinquis maxime profuturum. Qui invenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. (*Matth.* 10.39.) Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini spiritu: Loquentes vobisipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus; cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino: Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri. (*Eph.* 5. 18, 19, 20.) Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi (vel amoribus שִׁכְרוּ דוֹדִים *Cant.* 5. 1.) Quia inebriavi animam lassam, & omnem animam esurientem saturavi. Ideo quasi de somno suscitatus sum: & vidi, & somnus meus dulcis mihi. (*Jer.* 31. 25, 26.)

§. 302. 3. *Voluptas.* Tertium felicitatis eorum membrum est, *voluptas, pinguedo domûs Dei*, &, *torrens deliciarum*] Quasi adipe & pinguedine saturatur anima mea. (*Pf.* 63. 5.) Et irrigabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus bonitate mea saturabuntur, dictum Jehovæ. (*Jer.* 31. 14.) Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo, & laborem vestrum pro re minime satiatura? Auscultate indesinenter mihi, & comedite bonum, atque oblectet se hac pinguedine anima vestra. (*Isai.* 55. 2.) Pinguedo domus Dei est optimum opsonium in domo Dei, vitulus saginatus, (*Luc.* 15. 23.) Agnus Dei, (*Joh.* 1. 29, 36.) verus panis, panis Dei, qui descendit e cœlo, & vitam dat mundo, panis vitæ. (*Joh.* 6.) Fluvius deliciarum ejus, flumen, rivi ejus, lætificant civitatem Dei. (*Pf.* 46. 4.) Sicut voluptates hæ sunt uberrimæ, cum sint fluvius voluptatum; ita quoque sunt voluptates perfectissimæ, puræ ac infallibiles. Sunt enim Dei voluptates, quibus

Deliciæ Dei. delectatur ille, (*Jer.* 9. 23. *Mich.* 7. 18. *Pf.* 147. 11. *Prov.* 12. 22. *Esa.* 62. 5. *Zeph.* 3. 17.) & quibus oblectat electos suos. (*Pf.* 46. 5. & 94. 19. & 35. 9, 10.) Indideris lætitiam animo meo majorem. (*Pf.* 4.) Adducam ipsos quoque ad montem sanctitatis meæ, & lætificabo eos in domo orationis meæ. (*Isa.* 56. 7.) His etiam voluptatibus divinis Angeli electi lætificantur. (*Luc.* 2. 13, 14. & 15. 7, 10. 1 *Pet.* 1. 12. *Apoc.* 5. 11, 12.) Voluptates hæ ideo vocantur divinæ sive Dei, quoniam Deus est objectum in quo per gratiam ejus acquiescimus, & in quo in æternum exultabimus. Exultat animus meus in Jehovah, elevatur cornu meum in Jehovah. (2 *Sam.* 2. 1.) Multi dicunt, o, si quis efficiat ut fruamur bono! attolle super nos lucem faciei tuæ Jehovah. (*Pf.* 4.) Sic anima mea exultet in Jehovah, gaudeat in salute ejus. (*Pf.* 35. 9.) Deus auctor lætitiæ exultationis meæ. (*Pf.* 43. 4.) Oblecta te in Jehovah, qui dabit tibi petitiones animi tui. (*Pf.* 37. 4.) Desiderium nostrum bonitate sua adeo implebit, ut præter illum nullo delectemur. Quia sol & scutum est Jehovah Deus, gratiam & gloriam dat Jehovah: non cohibet bonum ab ambulantibus in integritate. (*Pf.* 84. 12.) Et hæ voluptates divinæ, ut uberrimæ ac perfectissimæ, ita etiam permanentissimæ sunt, infinitæ nimirum deliciæ, ex æterno, infinito, & inexhausto vitæ fonte profluentes. Notam facies mihi semitam vitæ: satietatem gaudiorum in conspectu tuo amœnissimorum, dextra tua in æternitatem. (*Pf.* 16.)

§. 303. 4. *Vita.* *Vita.* Aqua hujus fluminis voluptatum Dei est aqua vitæ, a fonte vitæ procedens qui est apud Deum. *De torrente deliciarum tuarum bibendum das eis, quandoquidem penes te est fons vitæ.*] Quapropter torrens hic vocatur etiam fluvius aquæ vitæ. Et ostendit mihi purum fluvium aquæ vivæ, splendidum, tanquam crystallum, procedentem ex throno Dei & Agni. (*Apoc.* 22. 1.) Deus est scaturigo aquarum perennium. (*Jer.* 2. 13.) Filius est apud Patrem. In principio erat sermo ille, & sermo ille erat apud Deum. In ipso vita erat, & vita erat lux illa hominum. (*Johan.* 1. 1—4.) Annunciamus vobis vitam illam æternam quæ erat apud Patrem, & conspicua facta est nobis. (1 *Joh.* 1. 2.) A Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, qui consideratus in æterna ac immanente sua processione in ejusdem Deitatis unitate, fons est vitæ cum Patre & Filio. Pater est fons vitæ, Filius est fons vitæ, Spiritus sanctus est fons vitæ, & hi tres sunt unus idemque fons vitæ. A fonte hoc per Jesum Christum derivatur electis fluvius aquæ vivæ, ad nos vivificandos qui in peccatis mortui fuimus. Christus Jesus in humanitate sua nullo modo spiritum per mensuram recepit. (*Joh.* 3. 34.) Nam libuit Patri ut in illo omnis plenitudo habitaret. (*Col.* 1. 19.) Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia, (*Joh.* 1. 16.) Torrens deliciarum Dei ad nos delabens per Christum Jesum a fonte vitæ, sunt plenariæ Spiritus sancti gratiæ nobis in Christo Jesu donatæ, qui corda nostra per fidem replet. Hæc Spiritus sancti dona & gratiæ quibus Spiritus sanctus præsentiam salutarem ac in nobis habitationem manifestat, vocantur etiam Spiritus sanctus, & nobis meritis ac intercessione Jesu Christi capitis nostri & Salvatoris conferuntur. Ideo fluvius aquæ vivæ describitur ut procedens ex throno Dei & Agni. (*Apoc.* 22. 1.) Et aliquando dicitur Pater Spiritum sanctum donare rogatibus Christi, & in Christi nomine mittere; aliquando etiam Christus vocatur doni hujus largitor, non solum quod Spiritus sanctus originario procedat a Patre & Filio, verum etiam quia mediatione Jesu Christi donum hoc Spiritus sancti nobis obtinetur ac confertur. Ego vero rogabo Patrem, & alium Advocatum dabit vobis. (*Joh.* 14. 16.) Advocatus autem ille, is est Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia. (*Joh.* 14. 26.) Quum venerit Advocatus ille quem ego mittam vobis a Patre. (*Joh.* 15. 26.) Stetit Jesus & clamavit, *dicens*: Si quis sitit, veniat ad me & bibat; qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent. Hoc autem

Fons vitæ, & inde aqua vivæ, qui est torrens deliciarum Dei.

autem dixit de spiritu illo quem accepturi erant credentes in eum: Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus. (*Joh.* 7. 37, 38, 39.) Dic etiam illo magno Pentecostes, Petrus ait; Hunc Jesum suscitavit Deus, cujus rei omnes nos sumus testes: itaque dextera Dei sursum sublatus, & promissum Spiritum sanctum adeptus a Patre, effudit hoc quod vos nunc cernitis & auditis. (*Actor.* 2. 32, 33.) Nullus datur aditus ad fontem & fluvium vivum, nisi per Christum, per quem aditum habemus ad Patrem per unum spiritum. (*Eph.* 2. 18.) Quapropter Christi caro panis vitæ appellatur, eo quod tantummodo per illum participes facti simus fluminis deliciarum Dei, & possideamus vitam æternam. Fructus spiritus est caritas, gaudium, pax, iræ cohibitio, benignitas, bonitas, fides, lenitas, continentia. (*Gal.* 5. 22, 23.) Una etiam cum deliciis his inveniuntur in torrente hoc, virtus, notitia, patientia, pietas, amor fraternus, (2 *Pet.* 1. 5, 6, 7, 8.) humilitas, & requies animabus nostris, (*Matth.* 11. 29.) consolatio valida & æterna, ac stabilimentum in omni sermone & opere bono, (*Heb.* 6. 18. 2 *Thess.* 2. 16, 17.) robur in Domino & robore virium ipsius, (*Eph.* 6. 10.) gratia, gloria & omne bonum, (*Ps.* 8. *penult.*) Dei præsentia in angustia, salutaris precibus responsio, e dolore ereptio, honor, longitudo dierum, salus. (*Ps.* 91. 15, 16.) In hoc etiam deliciarum Dei torrente habetur resipiscentia secundum Deum, oratio, peccatorum remissio, sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio &c. media quoque gratiæ, verbum Dei nimirum, & sacramenta. Per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus, & Judæi, & Græci, & servi, & liberi: & omnes potati sumus in unum spiritum. (1 *Cor.* 12. 13.) Iis in quibus Spiritus sanctus habitat, per has torrentis Dei voluptates pervenitur ad possessionem fontis vivi qui est in Deo ipso; & per hoc novimus eum habitare in nobis, ex spiritu quem nobis dedit. (1 *Joh.* 3. 24.) Dixit Jesus mulieri Samaritanæ: Quisquis biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non sitiet in æternum; sed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. (*Joh.* 4. 14.) Fons hic aquæ vivæ, qui est Spiritus sanctus habitans in nobis, animam in qua residet, feracem reddit justitiæ, pacis, & gaudii per Spiritum sanctum, (*Rom.* 14. 17.) similemque horto irriguo, & aquæ scaturigini, cujus aquæ non deficiunt. Et ducet te Jehovah jugiter, & exsatiabit siccum ab ariditate animum tuum, ossaque tua expedita reddet, erisque tanquam hortus irriguus, & velut scatebra aquarum, cujus non fallunt aquæ. (*Isa.* 58. 11.) Et sic quivis in quo residet Deus vitæ fons, evadit fons vivus, quippe quam dat ei Christus aqua, fit in eo fons aquæ saliens in vitam æternam, (*Joh.* 4. 14.) & ex ventre ipsius profluent rivuli aquæ vivæ, (*Joh.* 7. 37.) id est, Spiritu sancto repletus sermone ac gestu fructus spiritus præ se feret, ex abundantia cordis ore loquente, manibus operantibus, pedibus ambulantibus &c. velut scatebra aquarum cujus non fallunt aquæ. Os justi scaturigo vitæ. (*Proverb. cap.* 10. *vers.* 11.) Doctrina sapientis est scaturigo vitæ, ad recedendum a tendiculis mortis. (*Prov.* 13. 14.) Et sponsa (quæ est Ecclesia & unaquæque anima sancta) dicitur fons hortorum, puteus aquarum viventium & fluentium supra quam Libani. (*Cant.* 4. 15.)

Deliciæ in torrente Dei qui torrens deliciarum ejus nuncupatur.

Hæc est sane mira felicitas quæ nobis hic in statu gratiæ constituitur. Sed ad illam quæ nobis in cœlis reconditur, quamque in statu gloriæ possidebimus, quicquid hic recipimus, sub nomine venit primitiarum spiritus, (*Rom.* 8. 23.) & arrhabonis spiritus cordibus nostris. (2 *Cor.* 1. 22.) In hoc mundo spiritu illo promissionis sancto obsignamur, qui est arrhabo hæreditatis nostræ ad obtinendam redemptionem, ad laudem gloriæ ipsius. (*Eph.* 1. 13, 14.)

Quintum felicitatis membrum quod in textu meo habetur, est *lux* & *visio*: *In luce tua fruamur luce.*] Quam videmus lucem & in qua felicitas nostra constitit, est Deus. Jehovah lux mea & salus mea, a quo timerem? (*Ps.* 27. 1.) Deus est lux, & in eo nullæ sunt tenebræ. (1 *Joh.* 1. 5.) Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit. (*Joh.* 1. 18.) Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quisquam novit, nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere. (*Matth.* 11. 27.) Nemo venit ad Patrem nisi per me. —— Qui vidit me, vidit Patrem. —— Qui diligit me, diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & ei conspiciendum exhibebo meipsum. (*Joh.* 14. 6——9——20.) Ideo vocatur Christus lumen detegendum gentibus; (*Luc.* 2. 32.) ac de seipso loquitur: Ego sum lux illa mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. (*Joh.* 8. 12.) Hic est sol ille justitiæ. (*Malach.* 4. 2.) Dominus Jesus Christus, qua Deus in carne manifestatus ad nos servandos, ipsique reconciliandos, atque adeo Patri atque sibi Filio illi æterno, & Spiritui sancto, lux est nostra quam conspicimus; videlicet Deus in Christo mundum sibi reconcilians, Filius cum Patre & Spiritu sancto, sancta ac indivisa Trinitas, lux nostra est; resplendens in Christo Jesu, in quo habitat omnis plenitudo. Et quemadmodum Propheta est ille magnus, Deique nobis manifestator, est etiam lumen, sive Doctor per quem Deum cognoscimus; id est, Deum nobis conspiciendum præbet, hic lumine verbi sui & sacramentorum, interiori illuminatione per Spiritum sanctum comitato nos conducens, usque dum, cessantibus his revelationum modis, nos ad æternam Dei ut est, coram, perducat visionem; quæ operis ejus adimpletio indigitatur ab Apostolo, *traditio regni Deo ac Patri*, (1 *Cor.* 15. 24.) ut vult August. lib. 1. de Trinitate cap. 8. Et quum plenitudo Deitatis corporaliter habitet in Christo, ac in æternum habitatura sit, & Pater sit in Filio, & Filius in Patre, & cum Spiritus sanctus nequeat a Patre & Filio separari; ergo lux illa, cujus visio felicitas nostra est, Deus ac Agnus dicitur esse. (*Apocal.* 21. 23. & 22. 3, 4.) Nam in omnia secula ut membra Christi redempta & per illum reconciliata, immediata illa fruemur Dei visione. Hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. (*Joh.* 17. 3.) Per Jesum Christum donati sumus lumine gratiæ in hoc mundo, & lumine gloriæ in cœlis, atque adeo Deum conspicimus in lumine gratiæ hic & postea in lumine gloriæ.

§. 304. *Lux & visio.*

Lumen gratiæ vel est externum, quasia sunt Dei verbum & Sacramenta sancta nobis dispensata; vel internum, quod est mentis ac intelligentiæ nostræ patefactio ad Scripturas intelligendas, (*Luc.* 24. 45.) & cordis, operando inibi fidem, spem, caritatem, aliasque virtutes spirituales, usque lumen in Domino creando, ac efficiendo ut incedamus sicut filii lucis, (*Eph.* 5. 8, 9.) & ut lux nostra ita splendeat coram hominibus, ut videant bona opera nostra, glorificentque Patrem illum nostrum qui est in cœ-

lis; (*Matth.* 5. 16.) nos quoque consolando in fiducia remissionis peccatorum nostrorum, (*Matth.* 2.) nomina scripta esse in cœlis, (*Luc.* 10. 20.) filios esse Dei; (*Rom.* 8. 16.) & Patris nostri libitum dare nobis regnum illud. (*Luc.* 11. 32.) Hæc nostri consolatio dicitur, *tollere lucem faciei Dei super nos.* (*Ps.* 4.) Et sic videmus Deum hic per fidem, lumine gratiæ, in quo per fidem ambulamus, non per conspectum. (2 *Cor.* 5. 7.) Ex parte tantum cognoscimus, (1 *Cor.* 13.) & quanquam etiam hic retecta facie gloriam Domini quasi in speculo intuentes, in eandem imaginem transformemur ex gloria in gloriam, sicut a Domini spiritu; (2 *Cor.* 3. 18.) attamen hæc nostra per speculum visio, ænigmatica dicitur ac obscura, præ perfecta illa Dei visione coram, quam in cœlis habebimus. (1 *Cor.* 13. & 1 *Joh.* 3.) Sol & scutum est Jehovah Deus, gratiam dabit & gloriam; (*Ps.* 84.) gratiam inter nubes & tempestates hic obortas, & gloriam in cœlo, ubi fletus & rugitus tollentur, neque ibi erit quid mali.

Gloriæ lux qua beati in cœlis Deum conspiciunt sicut est, coram, vel facie ad faciem, est Deus ipse, ipsum enim immediate videbimus. In luce tua, id est, in Deitate tua, vel essentia divina fruemur luce; i. e. te, Deus, sempiternam nostram lucem conspiciemus, lumine Dei tum in nos resplendente, tum claritatem & vigorem animarum nostrarum oculis præbente, ut, quemadmodum aquilæ, æternum illum conspiciamus solem oculis apertis immediate. Tunc implebuntur hæc sacræ Scripturæ dicta: Non erit tibi amplius sol in lucem diurnam, & quod ad splendorem noctis, luna non illustrabit te, sed erit tibi Jehovah luci perpetuæ, & Deus tuus ornamento tibi. Non occidet amplius sol tuus, & luna tua non recipiet se: nam Jehovah tibi erit luci perpetuæ, & completi erunt dies luctus tui. (*Isa.* 60. 20.) Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & ibi sint mecum; ut spectent gloriam illam quam dedisti mihi. (*Johan. cap.* 17. 24.) Neque civitas ista eget sole vel luna, ut luceant in ea; nam gloria Dei illustrat eam, & lucerna ejus est Agnus. (*Apoc.* 21. 23.) Nec ullum adversus quemquam anathema erit amplius, sed sedes Dei & Agni in ea erit, & servi ejus colent eum. Et videbunt faciem ejus; & nomen ejus in frontibus ipsorum erit. Et nox illic non erit, neque opus est eis lumine lucernæ, neque lumine solis: quoniam Dominus Deus illustrat eos: & regnabunt in secula seculorum. (*Apoc.* 22. 3, 4, 5.)

§. 305. In secunda textus mei parte habetur oratio, *Protende benignitatem tuam erga cognoscentes te, & justitiam tuam erga rectos animo.*] Fideliter orationem suam stabilit super præstantiam benignitatis Dei, & justitiam Dei in veritate servanda in sempiternum, omnesque eos tuendo quos in tutamen suum recipit. In occasionem oblatam tria notemus puncta præparationis in appropinquando sanctam communionem, videl. 1. ut Deum cognoscamus: recta ejus cognitio est vita æterna. (*Joh.* 17. 3.) Et præsertim, ut Christum sciamus, eumque crucifixum. (1 *Corinth.* 2. 2.) Ut cognoscamus misericordiam ejus esse præstantissimam. 2. ut ideo illi fidamus. 3. ut recti simus animo. Bonus est Israeli Deus, puris animo. (*Ps.* 73. 1.) Jehovæ oculi discurrunt per totam terram, ut firmum se exhibeat erga eos quorum animus integer est erga ipsum. (2 *Chron.* 16. 9.) Manifesta teipsum in misericordia nobis Domine, ut te sicut par est cognoscamus, & fac nos fidere in benignitate tua. Credimus, succurre, Domine, incredulitati nostræ. Animum mundum in unoquoque nostrûm crea Deus, & spiritum firmum renova intra nos. Benedictus sit Dominus in secula. O robur meum, tibi psallam: Deum esse locum editum meum, Deum benignitatis meæ. (*Ps.* 59. *ult.*) *Hallelujah. Amen.* Deus justitiæ meæ est. (*Ps.* 4. *Isa.* 45. 24. *Jer.* 23. 6.)

Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus.

Die 7. *Junii* 1640. die Dominico, *Dr. Scrogie* intemeratam celebravit cœnam Domini in templo cathedrali Palæo-Aberdonensi, ubi etiam magno meo solatio communicavi. Magnificetur Jehovah in secula, magna enim est sempiterna ejus in nos benignitas, & fides Domini manet in æternum. *Hallelujah.* Eodem die ab ultima concione, solus in museo dulces has perlegi consolationes quas 3. Novembris anno 1629. & 7. Julii 1630. habueram, sicut in hoc libro scribuntur, Dominusque benigne ac plenarie eas mihi renovavit. Benedictum sit nomen Domini in secula seculorum. Amen & Amen. §. 306.

Communicatio salutaris.

Die 13. *Junii* 1630. Quum intelligerem hac eadem nocte armatos quosdam a satrapa *Monro* missos venisse domum magistri *Thomæ Lillie*, ibique Dominum *de Gicht* lecto incubantem (qui tamen postea evasit) apprehendisse, atque prope ædes meas perduxisse, me interim dormiente, & nihil quod factum fuit percipiente; quum id, inquam, prima luce persensissem, certiorque redderer Deum horum corda, tum mittentium, tum missorum, flexisse, ut præterirent nulla vel mihi ipsi vel familiæ meæ molestia illata, ingressus sum museum, Deumque laudavi ob novam hanc benignitatis ejus continuæ, & paternæ erga me providentiæ experientiam, humiliterque Deum oravi, ut hanc suam benignitatem mihi continuaret, gratumque me redderet. Salvatoris nostri recordatus sum hujus dicti, Ecce, sanus factus es, ne pecca amplius, ut ne quid deterius tibi fiat; (*Joh.* 5. 14.) hujusque Psaltis, Eloquetur Jehovah pacem erga populum suum, & erga eos quos benignitate prosequitur; sed ne revertantur ad stultitiam. (*Ps.* 85. 9.) Supplex rogavi ut Deus servaret me a revertendo ad stultitiam, & ab amplius peccando, ne quid deterius mihi accideret, utque mihi, ac unicuique filiorum daret, ut sine metu e manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi, cum sanctitate & justitia, in ipsius conspectu, cunctis vitæ nostræ diebus. (*Luc.* 1. 74, 75.) Ut duceret nos per orbitas justitiæ, propter nomen suum; (*Psal.* 23.) meque ac unumquemque eriperet ab omni opere malo, servaretque regno suo cœlesti, (2 *Tim.* 4. 18.) ac per Spiritum suum sanctum nobis inhabitantem certiores redderet, omnia nostra peccata condonata, nomina in cœlis scripta, ut certi Deum Filio suo non pepercisse, sed pro nobis omnibus tradidisse, certe simus etiam persuasi, cum illo omnia gratuito daturum, nilque posse nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro; (*Rom.* 8.) & ut animum meum gratiarum actionibus, osque liberationis canticis impleret, gestumque meum gratum faceret in oculis ipsius, & approbatum hominum conscientiis, in laudem gloriæ gratiæ ejus. Dominus me exaudivit, dixitque animæ meæ: *Ego sum salus tua.* Unde inenarrabile mihi aderat solatium, & Dominus verbo suo, (Spiritu sancto operante in eo) certiorem fecit, se, in misericordia sua præstantissima, & veritate immutabili, populo suo abunde benedicturum, ac unicuique servorum suorum, hic & alibi, secundum divitem suam gloriam, gratumque se fore filio meo, familiæ nostræ, §. 307.

Vid. Ezek. 12. 23.

Consolatio.

Oratio. nostræ, ac necessariis. Precatus sum etiam ut Dominus pro magnitudine misericordiæ suæ plurimas abominationes in gente hac commissas condonaret, & præsertim *usurpationem sancti sui nominis in vanum*, hominumque ad id coactionem; atque memor esset erga nos salutaris sui dicti in quo fidere nos fecit: *Misericors & gratiosus Jehovah, longanimus & multus benignitate. Non in æternum litigat, neque in seculum iram asservat. Non secundum peccata nostra facit nobis; sed quam alti sunt cœli supra terram, prævalet benignitas ejus erga timentes eum. Quam longe abest oriens ab occidente, tam longe amovet a nobis defectiones nostras. Ut miseretur pater filiorum, miseretur Jehovah timentium ipsum.* (*Ps.* 103.) Immo & multo magis, *Luc.* 11.13. Et de hoc quoque magnam accepi consolationem. Benedictus sit Dominus. Quis est Deus fortis par tibi? condonans iniquitatem, & præteriens defectionem reliquiis possessionis suæ, non retinens in æternum iram suam, eo quod delectetur benignitate? Conversus miserebitur nostri, subiget iniquitates nostras: imo projecturus es in profundissimum maris omnia peccata illorum. Præstabis fidem datam Jacobo, benignitatem datam Abrahamo: quam juraveras majoribus nostris a diebus priscis, (*Mich.* 7. 18, 19, 20.) & diebus ultimis obsignasti sanguine dilecti tui Filii. Non intuetur iniquitatem in Jacobo, nec aspicit perversitatem in Israële: Jehovah Deus ejus cum eo est, & clangor Regis est cum eo. (*Num.* 23. 21.) Quoniam illorum miseretur, resipiscentiam ad vitam dat, peccata omnia condonans, faciem ab iniquitatibus abscondit, & defectiones eorum delet. Novi enim cogitationes quas ego cogito de vobis, dictum Jehovæ, cogitationes prosperitatis, non autem adversitatis, dandum vobis finem, eumque expectatissimum. (*Jer.* 29. 11.) Et mundabo eos ab omni iniquitate eorum qua peccaverint mihi; & condonabo omnes iniquitates ipsorum quibus peccaverint mihi, & quibus deficientes in me rebellaverint: quod erit mihi celebri gaudio, laudi & ornamento apud omnes gentes terræ, quæ audient totum hoc bonum, quod Ego facturus sum illis. Et expavescentes commovebuntur ad totum illud bonum, & ad totam illam pacem, qua ego affecturus sum illos. (*Jer.* 33. 8, 9.) Ad momentum parvum dereliqueram te, sed miserationibus magnis congregabo te; pauculo fervore absconderam faciem meam momento a te, sed benignitate sempiterna misereor tui; ait vindex tuus Jehovah. Nam ut aquæ Noæ hoc mihi est, qui juravi non transituras aquas Noæ amplius super terram: sic juro fore, ut non effervescam contra te, & non increpem te. Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur; attamen benignitas mea a te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Jehovah. (*Isa.* 54. 7, 8, 9, 10.) *Hæc tua, Domine, suavia & salutaria promissa pro Ecclesia tua omni tempore scribuntur, & pro unaquaque anima quæ ullibi aut ullo tempore (durante hac vita) faciem tuam quærit, & benignitati tuæ confidit.* Deus non respicit ad personas, sed in quavis gente acceptus ei est quisquis eum timet, & operam dat justitiæ. (*Act* 10. 34. 35.) Quisquis credit in eum, non pudefiet: non enim est distinctio vel Judæi vel Græci, nam idem est Dominus omnium, dives in quosvis, a quibus invocatur. Quisquis enim invocaverit nomen Domini, servabitur. (*Rom.* 10. 11, 12, 13.) Nam quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam ante scripta sunt; ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. (*Rom.* 15. 4.) Atque adeo summe consolabar. Benedictus sit Dominus.

Propter Fœdus & ad id coactionem.

Communicatis sanctorum.

Die 14. *Junii*, die Dominico, Dr. *Scrogie* rursus celebravit sanctum corporis & sanguinis Christi Sacramentum, & ego rursum illius particeps fui in templo cathedrali Palæo-Aberdoniæ, ac dulcissime uberrimeque consolabar, tum inter recipiendum, tum in præparatione salutari quam Deus in me operatus fuerat ad recipienda hæc amoris sui pignora; & etiam post receptum exultavit spiritus meus magnopere super Deo Salvatore meo. Illi gloria in secula seculorum. *Amen.* §. 308. *Communicatio κοινωνία salutaris.*

Die 15. *Junii* 1640. Relegi meditationes diei 13. ejusdem mensis, novumque exinde solatium reperi ac robur in Deo. Benignitates Jehovæ commemorabo, laudes Jehovæ plane pro omnibus quæ contulit nobis Jehovah, & amplitudinem bonitatis erga domum Israëlis, quam contulit eis secundum benignitatem suam, & secundum amplitudinem misericordiarum suarum. (*Isa.* 63. 7.) Considerando etiam quod inter plurimas quaquaversum angustias & terrores, Deus salutariter admodum mecum egerit, (me quippe servavit & sustinuit, meque sæpe sæpius ad sanctam suam perduxit mensam, ibique corpore suo & sanguine pro me fracto & fuso enutrivit, easdemque misericordias mirificas fratribus hic contulit, replens nos pinguedine domus suæ, bibendumque dans nobis de torrente deliciarum suarum, æternamque consolationem & spem bonam per gratiam, nos fonte vivo in secula fruituros, & in luce sua lucem visuros) animus meus gaudio inenarrabili & glorioso in Deo Servatore meo replebatur. Tunc fui in oculis ejus prope consequutus pacem. (*Cant.* 8. 10.) Hæc loquutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habebitis; sed confidite, ego vici mundum, (*Joh.* 16 *ult.*) dixit Dominus Jesus discipulis suis. Benedictus sit Dominus, qui jubet nos bono animo esse, & beati nos, quos confidere jubet, nam si ille pro nobis, quis contra nos? Verbum etiam ejus nos bono animo esse jubens, operativum est, alacritatem in cordibus nostris operans, ut quum dixit, esto lux, & fuit lux; & cum voce sua humana dixit Lazaro, qui fuerat mortuus, Lazare, adesdum foras, potentia sua divina illum vivificavit, & e mortuis reduxit. Misit verbum suum & curavit eos. (*Ps.* 107. 20.) Loquere solum Domine, & curabitur puer meus. (*Matth.* 8. 8.) Quum discipuli turbati essent, & præ metu clamarent, statim loquutus est eis Jesus, dicens, confidite: ego sum, ne timete. (*Matth.* 14. 26, 27.) Domine adauge fidem nostram. In Deo laudabo verbum ejus, in Deo confidam, non timebo: quid faciat caro mihi? (*Psalm.* 56.) Quamvis amaritudine affecerint eum & jaculati sint, quamvis intestino odio prosequuti sint eum sagittarii, tamen permansit in robore arcus sui, roborataque sunt brachia manuum ejus, a manibus robusti Dei Jacobi, unde fuit pastor & lapis Israëlis: A forti Deo patris tui, qui adjuturus est te, & ab Omnipotente qui benedicturus est tibi. (*Gen.* 49. 23, 24, 25.) Proculcato, anima mea, robur. (*Judic.* 5. 21.) Sicut factum fuit Domino nostro Jesu Christo a primatiis sacerdotibus, scribis, & senioribus fiduciam ejus in Deo ridentibus: Confidit in Deo, eruat ipsum nunc, si placeet ei; (*Ps.* 22. 9. *Matth.* 27. 43.) ita multi sunt qui dicunt de anima mea, non est ulla salus isti in Deo. At tu Jehovah clypeus es circa me;

§ 309. *Non propter ullam justitiam nostram, sed propter miserationes tuas amplissimas. Dan.* 9. 18.

Meditationes persolutares.

Annon te jussi? fortis esto &c.

Confidamus constanter in Deo, neque succumbamus insultationibus eorum qui deficere nos conantur.

me; gloria mea, & extollens caput meum. Voce mea ad Jehovam clamavi, respondit mihi e monte sanctitatis suæ maxime. Ego cubui & dormivi, expergefeci me, quia Jehovah sustentat me. Non timebo a myriadibus populi, quas circum disposuerint *metatores* contra me. Surge, Jehovah, fac salvum me Deus mi, (*Ps.* 3.) ac easdem misericordias omnibus fratribus nostris concede. Consilium pauperis afflicti pudefecistis, quia Jehovah est receptus ejus. (*Ps.* 14. 7.) Non enim oblivioni unquam tradendus est egens; expectatio pauperum non peritura est in perpetuum. (*Ps.* 9. 19.) Ego in benignitate tua fiduciam habui, exultabit animus in salute tua, cantabo Jehovæ, quum bono affecerit me. (*Ps.* 13.) Quia tu benedicis justo, Jehovah, facis ut benevolentia tanquam umbo circumtegat (vel coronet) eum. (*Ps.* 5. *ult.*) Justi sumus misericordia Dei in Christo Jesu nos per fidem in illo justificantis. Justificati igitur ex fide; pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. (*Rom.* 5. *vers.* 1.) Mecum sunt, o Deus, vota tua; persolvam gratiarum actiones tibi; nam eripuisti animam meam a morte, annon pedes meos a lapsu eriperes? ut indesinenter ambulem coram Deo in luce hujus vitæ. (*Ps.* 56.) Exultat animus meus in Jehovah, elevatur cornu meum in Jehovah: dilatatur os meum contra hostes meos, nam lætor de salute tua. Nullus est sanctus ut Jehovah, nam nullus est præter te; & nulla est rupes ut Deus noster. (1 *Sam.* 2. 1, 2.) Hic Deus fortis robur est meum. —— Vivit Jehovah & benedicta rupes mea. Quapropter exaltetur Deus rupis salutaris meæ, (2 *Sam.* 22. 33. —— 47.) Deus Domini nostri Jesu Christi. Gloria Patri, Filio & Spiritui sancto, sicut erat in principio, nunc est, & in æternum erit: Personis tribus, soli unicoque vero Deo, Domino, omnium creatori, Servatori nostro, in secula seculorum supra omnem benedictionem ac laudem exaltato. Exercitus cœlorum adorant te, Jehovah; spiritus justorum consummatorum, venerantur te, Domine. Tota terra plena est gloria tua, & in templo unusquisque loquitur gloriam tuam. Jehovah robur populo suo dabit, Jehovah benedicet populo suo cum pace. (*Ps.* 29.) A vi hominum serva nos, Domine, fratresque nostros retine, ne peccent nobis injuriam ferendo. Convertisti planctum meum in choream mihi; solvisti cilicium meum, & accinxisti me lætitia; ut psallat tibi gloria mea, ac non conticescat. Jehovah, Deus mi, in seculum celebrabo te. (*Ps.* 30.) Amen. Hallelujah. Fac Domine ut secundum notitiam nostram agamur zelotypia honoris tui, & incolumitatis domus tuæ. Sic præcordia nostra finge per Spiritum tuum sanctum in nobis inhabitantem, ut evehamus Jerusalem supra caput lætitiæ nostræ. (*Ps.* 137. 6.) Sit pax in præmunitione ejus, tranquillitas in palatiis. (*Ps.* 122. 7.) Stabilias Jehovah & disponas Jerusalem laudem in terra. (*Isa.* 62. 7.) Benefac pro bona voluntate tua Zioni, ædifica muros Jerusalem. (*Psal.* 51.) Serva populum tuum, & benedic possessioni tuæ, pasceque eos, & extolle eos usque in seculum. (*Ps.* 28. 9.) Sacerdotes tui induantur justitia, & quos benigne accipis, cantent. (*Psalm.* 132. 9.) O si quis det e Zione salutem Israëli! reducente Jehovah reducem turbam populi sui; exultabit Jacob, lætabitur Israël. (*Psal.* 14. *ult.*) Non enim deseret Jehovah populum suum, & possessionem suam non derelinquet. (*Ps.* 94. 14.) Quia benevolus est Jehovah erga populum suum, ornabit mansuetos salute. (*Ps.* 149. 4.) Recordare mei Jehovah, pro benevolentia qua prosequeris populum tuum, visita me salute tua, ut fruar bono electorum tuorum, ut læter lætitia gentis tuæ; ut me laudibus efferam cum possessione tua. (*Ps.* 106.) Laudibus commenda Jerusalem Jehovam, lauda Deum tuum, o Zion. Nam confirmavit vectes portarum tuarum: benedixit filiis tuis in medio tui. Disponens termino tuo pacem, adipe tritici satiat te. (*Ps.* 147. 12, 13, 14.) Consolationem da cordibus nostris, Domine, caritate nos compinge & omni opulentia plene certioratæ intelligentiæ, ad cognitionem mysterii Dei, ac Patris & Christi. (*Col.* 2. 2.) Removeantur a nobis Domine schismata & dissidia, & largire nobis gratiam conservandi unitatem spiritus per vinculum pacis. (*Eph.* 4.) Recordare nostri in benignitate hac tua magna cui commendabamur a Servatore nostro Jesu Christo in hunc modum ante passionem suam pro nobis orante: Non tantum autem pro istis rogo, sed & pro eis qui per sermonem eorum crédituri sunt in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus me a te missum esse. Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & ut cognoscat mundus quod tu me miseris, & eos diligas, prout me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut spectent gloriam illam meam quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante jactum mundi fundamentum. Pater juste, mundus te non novit: ego autem te novi, & hi noverunt me a te missum. Et notum ipsis feci nomen tuum, & notum faciam, ut caritas qua dilexisti me, sit in eis, & ego in eis. (*Joan.* 17.) Amen. Salus a Deo nostro insidenti throno, & Agno. Amen. Benedictio, & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & potestas, & vires Deo nostro, in secula seculorum. Amen. (*Apoc.* 7. 10–12.)

Deo gratiarum actio. *Oratio pro adversariis nostris.* *Gratiarum actio.* *Oratio pro zelo domus Dei.* *Oratio pro pace & rebus secundis Ecclesiæ Dei, ac uniuscujusque membri illius.*

Diebus 19. & 20. *Junii* 1640. Hæc sequentia sacræ Scripturæ dicta consideravi, eisque adjunxi considerationem ejus quod scripsi sub finem diei Junii 13. & exinde solatium & robur in Deo lucratus sum. Moses dixit toti Israëli: Confirmamini & fortes estote, neque timete, neque expavescite metu eorum; nam Jehovah Deus tuus is qui ambulat tecum, non deseret te, neque derelinquet te. Postea evocans Moses Joshuam, edixit ei ante oculos omnium Israëlitarum; confirmare, & fortis esto; nam tu ingressurus es cum populo hoc in terram quam juramento promiserat Jehovah majoribus eorum se daturum eis, & tu eam possidendam dabis eis. Jehovah autem is qui antecedit te, ipse erit tecum, non deseret te, neque derelinquet te: ne timeto, neque consternator. —— Edixit vero Jehovah Mosi: En prope sunt dies tui, quum moriendum est, voca Joshuam, & sistite vos ad tentorium conventus, ut mandatis instruam eum (ואצונו καὶ ἐντελοῦμαι αὐτῷ, *ut præcipiam ei*, Vulg. & *præcipiam ei*, Pagnin.). Quapropter iens Moses & Joshua, stiterunt se ad tentorium conventus, apparuitque Jehovah in tentorio per columnam nubis. —— Et mandatis instruxit Joshuam filium Nunis (ויצו את־יהושע καὶ ἐνετείλατο, *præcepit*) dicens, confirmator, & fortis esto; nam tu introduces filios Israëlis in terram quam juramento promisi eis, & ego ero tecum. (*Deut.* 31. 6, 7, 8, —— 14, 15, —— 23.) Et rursum post obitum Mosis, Jehovah hortatus est Joshuam, dicens ei: Quemadmodum fui cum Mose, ero te-

§. 310. *Exhortationes in Deo qui est robur nostrum, & confirmator adversus omnes terrores. Ipse nobiscum erit, non deficiet, neque derelinquet nos. Roborabit, confirmabit, & servabit nos.*

tecum: non deseram te, neque derelinquam te. Confirmare, & fortis esto; tu enim possidendam trudes populo huic terram illam quam juramento promiseram majoribus eorum, me daturum eis. Tantummodo confirmare, & fortis esto valde, ut cum observantia facias omnia, secundum legem illam quam præcepit tibi Moses servus meus, ne recede ab ea dextrorsum aut sinistrorsum, ut secundetis quocunque iveris. Ne discedito liber iste legis ex ore tuo, sed meditaberis de ea interdiu & noctu, ut cum observantia facias omnia prout scripta sunt in eo. Tunc enim prosperaberis in viis tuis, & tunc secundaberis, (*sapienter facies*, תַּשְׂכִּיל). Nonne præcepi tibi? confirmare, & fortis esto; ne expavescito, neque consternator: quia tecum est Jehovah Deus tuus quocunque iveris. (*Josh.* 1. 5, 6, 7, 8, 9.) *ἰδοὺ ἐντέλλομαί σοι, ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου*, הֲלוֹא צִוִּיתִיךָ חֲזַק וֶאֱמָץ: Vulg. *ecce præcipio tibi: confortare, & esto robustus.*] Pagn. *annon præcepi tibi?*

Parænesis in observationem præceptorum Dei.

Hæc vera est adhortatio, ac conducit nostro bono.

Quod hæc interim solamina & incitamenta nostri gratia etiam scribantur, evincitur ex verbis Apostoli Pauli *Rom.* 4.23,24. & 15.4. *Heb.* 13.5. Illud quod in his locis Deuteronomii & Joshuæ traducitur, *confirmare & fortis esto*, ita se habet in Hebræo sermone חֲזַק וֶאֱמָץ. Hujus consideratio in mentem mihi reduxit hæc dicta in Psalmis: Ex intimis visceribus diligam te, Jehovah firmitas mea. [יְהוָה חִזְקִי.] (*Ps.* 18.) Expecta Jehovam, confirmare, & fortificabit animum tuum (וְיַאֲמֵץ לִבֶּךָ), itaque expecta Jehovam. (*Ps.* 27. *ult.*) Confirmamini, & fortificabit animum vestrum; omnes qui speratis Jehovam חִזְקוּ וְיַאֲמֵץ לְבַבְכֶם כָּל־הַמְיַחֲלִים לַיהוָה. (*Ps.* 31. *ult.*) Tu, Domine, jussisti nos confirmari & fortes esse. Tu etiam in verbo tuo sancto declarasti, te esse robur nostrum, ac effecturum animos nostros firmos: Confirma nos, Domine, & roborabimur; animos nostros fortes redde, ac fortificabimur. Atque Deus spei, imple nos omni gaudio & pace credendo, ut spe exundemus per virtutem Spiritus sancti. (*Rom.* 15. 13.) Etiam quum ambularem per vallem letalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum es. (*Ps.* 23.) Jehovah robur populo suo dabit, Jehovah benedicet populo suo cum pace. (*Ps.* 29. *ult.*) Qua die timebo, ego in te confidam. (*Ps.* 56.) Quo die clamavi, eodem exaudivisti me: fecisti ut efferrer me animo meo robur. —— Si ambulo in media angustia, vivum conservabis me: in faciem inimicorum meorum extendis manum tuam, & servabit me dextera tua. Jehovah perficiet pro me. Jehovah benignitas tua in seculum est: ab operibus manuum tuarum ne desistas. (*Ps.* 138.) Omnia valeo per eum qui me corroborat, nempe Christum. (*Philip.* 4.13.) Sufficit nobis gratia ejus, potentia ejus per infirmitatem consummatur. (2 *Cor.* 12.) Perfice Domine magnum tuum robur in imbecillitate mea magna. Jehovah da robur tuum servo tuo, & serva filium ancillæ tuæ. (*Ps.* 86.) Jehovah ne procul absis a me: virtus mea, ad auxilium meum festina. (*Psalm.* 22.) Benedictus sit Dominus in secula seculorum. *Amen.*

Applicationes in usum nostrum.

Deus est fortitudo nostra & confirmator animorum nostrorum.

Præsentia, robur, pax fidentibus Deo & ipsum invocantibus.

§. 321. Hæ consolationes salutares uberrime mihi renovatæ sunt die Junii 22. 1640. adeo ut Deum laudarim, eo quod servos suos confirmet ad læte ferendas injurias pro nomine suo sancto; cumque rogaverim pro præsentia, viribus ac animo, tum mihi, tum omnibus servis suis, ut gaudeamus afflictionem pati nominis sui ergo, & ut constanter fidem ejus omni audacia profiteamur, neque illum neque veritatem ejus denegemus; & ut potentia Christi inhabitet in nobis; (2 *Cor.* 12. 9.) ut pro pollicitis suis gratiosis, in quibus nos fidere effecit, daret nobis os & sapientiam cui non poterunt contradicere neque obsistere omnes, qui se nobis opponunt. (*Luc.* 21.15.) Et quia omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persequutionem patientur, (2 *Tim.* 13.12) & consequenter qui nullam patiuntur persecutionem, non vivunt pie in Christo Jesu; ut Dominus gratos nos redderet pro felicitate hac persequutionem tolerandi causa nominis sui, atque id læte; sicut scriptum est de beatis Apostolis quod gaudentes profecti sint a conspectu Concilii, quod digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumelia afficerentur: & quotidie in templo & domatim non cessabant docere, & evangelizare Jesum Christum. (*Act.* 5. 41, 42.) Quumque nobis præceperit ut prudentes simus ut serpentes, & simplices ut columbæ, ac promiserit, cum tradiderint nos, nobis datum iri illo momento quod loquamur, neque nos esse qui loqueremur, sed Spiritum Patris nostri, Spiritum utique sanctum loquuturum in nobis: (*Matth.* 10. *Marc.* 13. *Luc.* 12.) oravi ut daret nobis prudentiam illam ac simplicitatem quam præcipit, viamque dirigeret, duceretque ab una civitate in aliam, cum fugiendum sit, ac sistere nos efficeret & sustineret cum morandum; & si coram judicibus & præfectis sive civilibus sive ecclesiasticis vel quocunque sit ducamur, ut Dominus nobis concederet propria experientia invenire salutarem promissi ipsius expletionem, Spiritum sanctum nos docere in illo momento quod loquamur, & loqui in nobis; nam absque illo nihil valemus; neque quid meditari quimus, neque meditata proferre, quin superne detur; ita ut tametsi uti nunc temporis possimus, imo debeamus methodis ordinariis quas Deus præparationi nostræ indixit, in hoc tamen solummodo fiducia sit, Deum eapse hora cum animo nostro fore & ore. Beati quos persequuntur homines justitiæ causa, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati eritis, quum vos conviciis affecerint & persequuti fuerint, & mentientes dixerint quidvis mali adversus vos propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis; ita enim persequuti fuerunt Prophetas qui fuere ante vos. Vos estis sal terræ; quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil valet amplius, nisi ut foras abjiciatur, & conculcetur a quibusvis. Vos estis lux mundi. Non potest urbs occultari supra montem posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam subter modium, sed in candelabrum; & splendet omnibus qui sunt in domo. Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem illum vestrum qui est in cœlis. (*Matth.* 5. 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16.) Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic verax est, & injustitia in eo non est. (*Johan.* 7. 18.) Ignosce, Domine, omni injustitiæ meæ; & gratiam largire ut omnis mea persequutio justitiæ causa sit, & quomodocunque libuerit tibi me pro injustitia castigare, ut tamen mihi non sit in votis ullam tueri iniquitatem, sed ab ea tempestive & sincere me recipiam, neque quid adversus veritatem faciam, sed pro veritate, (2 *Cor.* 13. 8.) & ut passus sicut Christianus non pudefiam, sed glorificem Deum hoc respectu. (1 *Pet.* 4.16.) Hanc confer benignitatem omnibus tuis servis, & præsertim nobis quos sal terræ reddidisti & lu-

Exhortationes cum orationibus & gratiarum actionibus.

Necessitas patiendi persecutionem.

Prudentia cum simplicitate.

Dabitur vobis illo momento quod loquamini.

Felicitas persecutionem patientium justitiæ causa.

Sal terræ.

Lux mundi.

Quærite tantummodo gloriam Dei.

Oratio.

lucem mundi. Faxis Deus ne infatuemur, & in quo deficimus per peccata nostra, restitue nobis per gratiam tuam, quemsdmodum Apostolo tuo Petro post tui abnegationem: & fac ut lux nostra ita splendeat coram hominibus, ut videntes nostra bona opera glorificent te Patrem nostrum cœlestem. Imbue nos etiam fide erga te Deum nostrum, nequaquam quærendo gloriam nostram, sed gloriam tuam, Deus ac cœlestis

Gratiarum actio. Pater noster, qui nos miseris. Benedictus Deus, qui non avertit orationem meam a se, & benignitatem suam a me. (*Ps.* 66. *ult.*) Me nondum clamante, respondit, & loquente, exaudivit. (*Is.* 65. 24.) Acquiesce Jehovæ, & indesinenter

Consolatio. expecta eum. (*Ps.* 37. 7.) Tu, Domine, reddidisti requiem animæ meæ. (*Matth.* 11. 28, 29.) Redi, anima mea, in requiem tuam; quum Jehovah beneficus sit erga te. (*Psalm.* 116. 7.) In Deo faciemus strenue. (*Psal.* 108.) Imo in his omnibus amplius quam victores sumus per eum qui dilexit nos. (*Rom.* 8. 37.) Hæc loquutus sum vobis, ut in me pacem habeatis; in mundo afflictionem habebitis, sed confidite, ego vici mundum. (*Joan.* 16. *ult.*) Animam meam quietam efficit, ducit me per orbitas justitiæ, pro-

Gratiarum actio. pter nomen suum. (*Ps.* 23.) Deo habetor gratia; qui dat nobis victoriam per Dominum no-

Exhortatio. strum Jesum Christum. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, immoti, eminentes in opere Domini semper, quum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino. (1 *Cor.* 15. 57,

Oratio. 58.) Deus omnis gratiæ auctor, qui vocavit nos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu, paulisper afflictos, perficiat nos, stabiliat nos,

Gratiarum actio. roboret, fundet. Ipsi gloria & robur in secula seculorum. *Amen.* (1 *Pet.* 5. 10, 11.)

§. 312. Citatio. *Die* 24 *Junii* 1640. Citabar me sistere coram Delegatis Synodi Nationalis die 9. Julii insequentis in Collegio Regio Palæo-Aberdonensi. Quam citationem mecum adduxi in museum, ac explicavi coram Domino, prosternens memet humi facie deorsum, & Dominum oravi ut mei

Orationes ad Deum. & fratrum meorum misereatur, causamque nostram ageret, salutemque suam ostenderet, & viam rectam doceret, ac inibi duceret, daretque nobis ea horâ quod loquéremur, potentiamque suam in infirmitate nostra consummaret. Precatus sum etiam ut Dominus misereretur ho-

Oratio pro persequentibus nos. tum fratrum nos infestantium, utque servaret eos a peccato contra Deum, nobis injuriam inferendo, neque ullum statueret eis peccatum, verum, ut tum illis, tum nobis, resipiscentiam in salutem quæ est secundum Deum concederet, & misericordiam ac gratiam nobis subsidio in necessitate. Novit Dominus pios e tentatione eripere. (2 *Pet.* 2. 9.) Fac nos omnes pios Domine, ac libera nos ab omnibus tentationibus quibuscunque, Pater care, Christi gratia. Quam

Consolatio. multi dicunt de anima mea, non est ulla salus

Gratiarum actio. illi in Deo plane! At tu, Jehovah, clypeus es circa me, gloria mea & extollens caput meum.

Consolationes. Voce mea ad Jehovam clamanti, respondit mihi e monte sanctitatis suæ maxime. (*Psalm.* 3.) Magnam lucratus sum consolationem in Deo salutis meæ, cujus fides clypeus & parma est nostra. (*Ps.* 91.) Benedictum sit nomen Jehovæ. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.* Cum nemo adfuit Apostolo Paulo, sed omnes eum deseruerunt, attamen Dominus adfuit ei, & corroboravit eum. Et eripiet me Dominus ab omni opere malo, servabitque regno suo cœlesti: Cui gloria in secula seculorum. Amen. (2 *Tim.* 4. 16, 17, 18.) Et sic in Deo consolabar de meipso & omnibus fratribus illum recto animo quærentibus, quamvis in mediis versantibus infirmitatibus, & quibusdam erroribus instar ædificantium cœnum, ligna, & stipulam super fundamentum verum. (1 *Cor.* 3.) Quam multa est bonitas tua quam recondis reverentibus te, operaris erga eos qui se recipiunt ad te, coram filiis hominum! Abdis eos in abdito præsentiæ tuæ ab elationibus virorum: abscondis eos in tugurio a contentione linguarum. Benedictus sit Jehovah, quia mirificam reddit benignitatem erga me, ut in civitate munita collocans me. (*Ps.* 31.) Faxis, ô Deus, ut agamus omnes sicut sanctus Apostolus tuus Paulus de seipso profitetur, dicens: Nihil possumus contra veritatem, sed pro veritate. (2 *Cor.* 13. 8.) Due nos Domine in omnem veritatem, per Spiritum tuum sanctum veritatis, & sanctifica nos in veritate tua. Benedictus sit *Gratiarum actio & consolationes.*

Deus veritatis. Bonus & rectus est Jehovah, *Orationes.* idcirco docebit peccatores viam. Faciet ut incedant mansueti ex jure, & docebit mansuetos viam suam. (*Ps.* 25. 8, 9.) Qualis futurus est vir ille qui reveretur Jehovam, docentem ipsum quam viam eligat? (*Ps.* 25. 12.) Adauge Domine in animis nostris verum timorem nominis tui sancti & gloriosi, condona omnia peccata nostra, mansuetos fac & humiles corde. Et omnipotentia potentes fac nos, secundum gloriosum robur tuum, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio, gratias agentes tibi Patri nostro cœlesti, qui idoneos nos fecisti ad participandam sortem sanctorum in luce: qui liberasti nos ex potestate tenebrarum, ac transtulisti in regnum Filii tui dilecti, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, id est remissionem peccatorum. (*Col.* 1.) Domine Deus *Committimus nos Deo adversus omnem timorem delegationum hominum.* noster ac Salvator, cujus oculi discurrunt per totam terram, ut firmum te exhibeas ega eos quorum animus integer est erga te; (2 *Chron.* 16. 9.) integrum redde cor nostrum erga te, & firmum te exhibeas erga nos. Ne recorderis adversus nos iniquitates præcedentium temporum; festinantes præveniant nos miserationes tuæ; auxiliare nobis Deus salutis nostræ propter honorem nominis tui; & eripe nos, expiationemque fac de peccatis nostris propter nomen tuum. (*Ps.* 79.) Purifica nos ab omni peccato *Revolvis Jehova facta tua, & comparabuntur cogitationes tua. Prov. 16. 3.* sanguine dilecti tui Filii Jesu Christi, Domini nostri, qui purificat nos ab omni peccato. (1 *Joh.* 1. 7.) Tuæ fidei committit se desertus viribus, pupilli tu es adjutor. —— Desiderium mansuetorum exaudivisti Jehovah; confirma animum horum; adverte aurem tuam, vindicando pupillum & attritum, ut non pergat amplius cum violenter exagitare (aut terrere) mortalis e terra. (*Ps.* 10. 14—17. 18.) Devolvimus super te viam nostram Jehovah, sicut præcepisti nobis. (*Ps.* 37. 5.) In manum tuam commendo spiritum meum, redemisti me Jehovah, Deus fortis, verax. (*Ps.* 31. 6.) Rejicimus in te Jehovah quicquid das nobis, sustine nos secundum verbum tuum, de quo fecisti spem nobis. (*Ps.* 55. & 119. 49.) Omnem sollicitudinem nostram *Qui male afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas bene agendo. 1 Pet. 4. 19.* in te conjicimus, sit tibi cura de nobis, sicut locutus es. (1 *Petr.* 5. 7.) Deus spei imple nos omni gaudio & pace credendo, ut spe exundemus per virtutem Spiritus sancti. (*Rom.* 15. 13.) Erecto animo fac nos confidere tibi Deus noster, ut a rumore malo non timeamus. (*Psal.* 112.) Tantummodo in Deo conquiescat anima nostra, & ne dimoveamur. (*Psalm.* 62.) Surge Deus, age causam tuam, (*Ps.* 74. 22.) Attolle te, ô judex terræ. (*Ps.* 94. 2.) Quum quocunque itinere pergeremus, abdiderint laqueum nobis

bis, tu solus es receptus noster, & portio nostra in terra viventium. Attende ad clamorem nostrum, nam alternati sumus valde. Eripe nos a persequentibus, quia fortiores sunt nobis. Educ e claustro vitam nostram ad celebrandum nomen tuum. Nos cingent justi quum beneficium intuleris in nos. (*Ps.* 142.) Eripe nos ab inimicis nostris Jehovah, apud te tectum quærimus. (*Ps.* 143.) O Domine tu habitaculum fuisti nobis in quaque generatione. (*Ps.* 90.) Jehovah receptus noster, Excelsus habitaculum nostrum. (*Ps.*91.) Perveniat ante faciem tuam gemitus vincti. (*Ps.* 79. 11.) A generatione pauperum afflictorum, ab exclamatione egentium jam exsurgam, dicit Jehovah, locabo in salute illum in quem favilla incendium improbus fecerit. Dicta Jehovæ dicta pura sunt; argentum purgatum in catino lectissimo terræ, defæcatum septies. Tu Jehovah servato eos, custodito eorum quemque a generatione ista in seculum. (*Ps.* 12.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in sempiternum. Amen.

§. 313. *Excelsus videt.* *Die* 27. *Junii* 1640. Precibus vespertinis, hoc dictum sacræ Scripturæ lectum audivi: Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc, quia excelso excelsior videt. (*Eccl.* 5. 7.) Et in meditatione mea memini dicti Esaiæ: Et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, & magnificaret justitiam. (*Isa.* 28. 29.) Et illius Moysis: Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia? (*Exod.* 15. 11.) Memini etiam illius dicti Apostoli Johannis: Et si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. (1 *Joh.* 2. 1.) Et humiliter Deum meum & Salvatorem precatus sum, ut nostram etiam hic in terra causam ageret, & ut poteuter in nostrum bonum, cordibus eorum cum quibus nobis agendum est, loquatur. Et consolatus sui. Benedictus sit Dominus in secula seculorum, Amen. Deus etiam est Advocatus noster in terra, cum det nobis, Spiritu suo sancto loquente in nobis, quod loquamur illo momento. (*Matth.* 10. 19, 20. *Marc.* 13. 11. *Luc.* 12. 12.)

Patens noster Advocatus in cœlo & in terra. Vide Gen. 31. 24. 29, 42. & Ps. 105. 24, 15. & Dan. 1. 9. & 2 Tim. 4. 17. & 13. Jul. 1638.

Meditatio 28. *die Junii* 1640.

§. 314. Idemque sanctus Spiritus est Advocatus noster apud Deum, sublevat enim infirmitates nostras, quid enim oremus ut oportet non novimus; sed ipse spiritus intercedit pro nobis suspitiis inenarrabilibus: Qui vero scrutatur corda, novit quid sapiat Spiritus; quia secundum Deum intercedit pro sanctis. (*Rom.* 8. 26, 27.) Judica causam meam, & redime me; propter eloquium tuum vivifica me. (*Ps.* 119. *Resch. v.* 154.) Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. —— Speculatur impius justum, & quærit interimere eum: At Dominus non derelinquet eum in manu ejus, neque condemnabit eum, quum judicatus fuerit ipse. (*Ps.* 37. 5 —— 32, 33.) Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. Vocem meam audisti, ne avertas aurem tuam a singultu meo, & clamoribus. Appropinquasti in die quando invocavi te; dixisti, ne timeas. Judicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ: (*Lam.* 3. 55, 56, 57.) Ego pauper & egenus sum, at Dominus cogitat de me. Auxilium meum & liberator meus es, Deus mi ne tardaveris. (*Ps.* 40. 18.) Prospexit de excelso sanctitatis suæ, Dominus e cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitum vinctorum, ut solveret morti destinatos. Ut narrent in Zion nomen Domini, & laudem ejus in Jerusalem. (*Ps.* 102, 19, 20, 21.) Maledicent ipsi, & tu benedices. —— Celebrabo Dominum valde ore meo, & in medio multorum laudabo eum: Quod stet ad dexteram pauperis, ut servet eum a judicantibus animam ejus. (*Ps.* 109. 28, —— 30, 31.)

Deus videt. *Maledicent ipsi, & tu benedices.*

Meditatio die 29. *Junii* 1640.

Quid igitur ad hæc dicemus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis. Quis nos separabit a caritate Christi? num afflictio, num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? sicut scriptum est: Tui causa occidimur tota die, reputati sumus velut oves destinatæ mactationi. Imo in his omnibus amplius quam victores sumus, per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam posse nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. (*Rom.* 8. 31, 32, &c.) Justificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum: Per quem etiam fide adducti fuimus in hanc gratiam, per quam stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei. Neque id solum, sed etiam gloriamur de afflictionibus, scientes quod afflictio tolerantiam efficiat, tolerantia vero experientiam, experientia autem spem. Porro spes non pudefacit, eo quod caritas Dei effusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. (*Rom.* 5. 1, 2, &c.) Venistis ad Jesum Christum mediatorem novi pacti, & sanguinem aspersionis potiora loquentem quam loquatur Abel. (*Hebr.* 12. 24.) Igitur quodcunque petimus in nomine Christi a Patre, nobis id dabit. (*Joh.* 14. 13, 14. & 15. 16. & 16. 23, 24.) Et intercessione Christi, alius Advocatus datur nobis, ut maneat nobiscum in æternum, nempe spiritus ille veritatis, quem vos nostis, quia apud vos manet, & in vobis erit, & nos cognoscere facit Christum esse in Patre, & nos in Christo, & Christum in nobis, & habitabit nobiscum Deus: (*Joh.* 14. 16, 17, 20, 23.) Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos. (*Esa.* 33. 22.) Non pudefio, novi enim cui crediderim. (2 *Tim.* 1. 12.) Quapropter etiam semper oramus, ut dignetur nos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in nobis, & nos in illo, secundum gratiam Dei nostri, & Domini Jesu Christi (*κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.* 2 *Thess.* 1. 11, 12.) Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit nobis consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda nostra, & confirmet in omni opere & sermone bono. (2 *Thess.* 2. 16, 17.) Redime Deus Israëlem ex

§. 315. Spes firma in Deo. Dominus hanc benedictam in me renovavis persuasionem. Vide 18. Sept. 1624. & 24. Februar. & 16. & 27. Jul. 1640. Confirmet me Dominus ad finem & in fine, Amen. Benedictus sit Dominus, Amen.

omnibus angustiis ejus. (*Ps. 25. 22.*) Benefac in voluntate tua ipsi Zion, ædifices muros Jerusalem. Tunc voles sacrificia justitiæ. (*Psal. 51.*) Non repellet Dominus populum suum, & hereditatem suam non dereliaquet. (*Ps. 94. 14.*) Redimet Dominus animam servorum suorum, & non devastabuntur omnes sperantes in eo. (*Psal. 34. 23.*) O Domine, confidentiam meam pono in te, succurre diffidentiæ meæ. Credo, succurre incredulitati meæ. (*Marc. 9. 24.*) Deus autem spei repleat nos omni gaudio & pace in credendo, ut abundemus in spe & virtute Spiritus sancti: (*Rom. 15. 13.*) Deo autem qui docet nos precari, nosque audire promisit, & audit nos, & qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, ei gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu, in secula seculorum. (*Eph. 3.*) Amen.

§. 316. *Signum in bonum.* *Vide 14. Feb. 1624. 10. & 25. Jul. & 20. Aug. 1640.* *Die 2. Julii* 1640. Meditans in hæc verba Psalmi 86. *Fac mecum signum in bonum, & videant odio habentes me, & pudore afficiantur, quod tu Domine adjuveris me, & consolatus fueris me;* hoc ego signum a Domino petii, ut ejus gratia diligam inimicos meos, benefaciam his qui oderunt me, & orem pro persequentibus & calumniantibus me, hoc enim liberorum Dei esse signum declaravit: (*Matth. 5. 44, &c.*) Etiam ut Dominus me mitem & humilem corde faceret, sicut Christus Salvator meus fuit, meque faceret volenter & cum gaudio jugum ejus tollere, & jugum ejus suave & onus ejus leve invenire, ut requiem inveniam animæ meæ, quemadmodum dixit. (*Matth. 11. 28.*) Ut ita hostes mei spirituales confundantur, hostes mei corporei videant & convertantur, & it qui in Deo me diligunt, mecum & mea de causa gaudeant, Deumque laudent, & ut semper in Dei mei adjutoris & consolatoris mei laude exultem, & ut meipsum magnopere auxiliatum & plene in Deo meo consolatum percipiam. Me Dominus benigne audivit, mihique ostendit, eandem illam pro caritate, humilitate & mansuetudine petitionem, benignum esse ejus donum, & certum signum in bonum. Tunc memini petitionis Salomonis, & benigni Dei ad eam responsi. (*1 Reg. 3. & 2 Chron. 1.*) Tunc eram coram eo tanquam pacem reperiens, (*Cant. 8. 10.*) & Dominus me certum reddidit, quod mihi sufficit gratia ejus, quod virtus Christi in me habitabit, & virtus ejus in infirmitate perficitur. (*2 Cor. 12.*) Tunc illius quod in hoc libro de Jacobi luctatione scriptum est, memini, eoque consolatus sum. Pro omnibus etiam Dei liberis, & pro me persequentibus oravi, humiliter Dominum obsecravi eorum misereri, & non peccata eorum iis imputare, verum pœnitentiam ad vitam dare, propter Jesum Christum, qui, cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est. Et ut Christus in corde meo inhabitaret, & in me talem operaretur amorem, qualem erga nos ipse ostendit, nosque erga eum aliosque omnes propter eum habere jussit. Et ut bearet Dominus populum suum pace, murosque Zionis conderet, & daret prosperitatem in palatiis ejus, & luce veritatis suæ, perspicue, constanter, consolatorie & potenter, nos & posteritatem nostram collustraret, in eoque nos læte, recte & semper ambulare, nosque omnes prudenter in via perfecta agere faceret. Benedictus Dominus Salvator noster, qui nos adjuvare semperque adjuvabit, nobisque benedicet & corroborabit robore animam nostram, nosque replebit omni gaudio & pace in credendo, ut abundemus in spe, virtute Spiritus sancti. Qui remittit omnes iniquitates nostras, qui sanat omnes nostras infirmitates, qui redimit de fovea vitam nostram, qui coronat nos in misericordia & miserationibus. Doce me Domine viam tuam, ut ambulem in veritate tua: Uni cor meum ut timeat tuum nomen. Celebrabo te, Domine Deus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in seculum; quoniam magna est misericordia tua super me, & eruisti animam meam e fovea inferiori. Regi æterno, immortali & invisibili, soli sapienti Deo, Salvatori nostro, qui potens est nos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione, ei sit honor, gloria & majestas, imperium & potestas, in secula seculorum. Amen.

Pro persequentibus oratio. *Act. 11.* *Rom. 5.* *Oratio pro Christi præsentia & amore.* *Oratio pro Christi Ecclesia, omnibusque ejus membris.* *Gen. 49. 25.* *Ps. 138.* *Rom. 15.* *Ps. 103.* *Ps. 86.*

§. 317. *Conclusio annui curriculi.* *Die 3. Julii* 1640. Cum comitia Academica utriusque collegii hactenus habita essent, publicique conventus hebdomade proxima de rebus Ecclesiasticis habendi essent, cumque essent auditores pauci, prælectionum publicarum Theologicarum cursum in Collegio Regio Palæo-Aberdonensi absolvi, & post lectionem Deum laudavi, & supplicationes votaque publice, cum auditoribus qui aderant, feci.

Supplicationes. Omnipotens & clementissime Pater, quam pretiosa est misericordia tua! qui nos pretioso unigeniti Filii tui sanguine redemisti, ac liberasti a cursu hujus seculi, & e servitute Satanæ, a morte in peccatis, e statu iræ; & nos cum Christo vivificasti, suscitasti, atque in cœlestibus in illo collocasti, & spiritu adoptionis corda nostra potenter consolaris ac sustentas, & per mille rerum discrimina nos incolumes custodire, & ad hujus etiam annui curriculi studiorum nostrorum metam, terroribus licet undique circumvallantibus, illæsos tamen & tranquillos perducere voluisti. Domine, aperi labia nostra, & os nostrum meditabitur laudem tuam. Quis eloquetur fortitudines Domini, & enarrabit omnem laudem ejus? Super nos Deus sunt vota tua, reddemus laudes tibi. Vivifica nos, & nomen tuum invocabimus. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Miserationum tuarum est quod non fimus consumpti, quia non defecerunt misericordiæ tuæ. Supplices precamur, condona omnia peccata nostra, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, & omnes iniquitates nostras dele, secundum multitudinem miserationum tuarum, in Christo Jesu, Filio dilectionis tuæ, Servatore nostro. Benigne respice conflictantem Ecclesiam tuam, emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsæ deducant nos, Domine. Duc nos per semitas justitiæ, propter nomen tuum. Benedic populo tuo in pace. Sit pax in antemurali Hierosolymæ, & prosperitas in palatiis ejus. Regem nostrum Carolum, & Reginam, & regiam sobolem, & Proceres, & Pastores, & universum populum veritate tua illumina, pietate vera imbue, dona tranquillitate. Et quicquid stadii nostri in hac caduca vita superest, fac ut illud patienter decurramus in timore tuo, & lætanter finiamus in favore tuo, per Dominum nostrum Jesum Christum: Cui cum Patre & Spiritu sancto, sit omnis laus, honor & gloria, in secula seculorum. Amen.

§. 318. *Humilitas & fidelitas Deo.* Eodem die salutarem humilitatis didici lectionem, & fidelitatis in omni laude Deo, cui soli debetur, tribuenda, ex dictis Josephi, Danielis, & Petri. *Non est penes me; Deus respondebit prospera Pharaoni.* (Gen. 41. 16.) *Est Deus in cœlis revelans mysteria* —— *& qui revelat mysteria*

steria, ostendit tibi quæ ventura sunt. Mihi quoque, non in sapientia quæ est in me plus quam in cunctis viventibus, arcanum hoc revelatum est. (Dan. 2. 28, 29, 30) *Nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum.* (Act. 3. 12, 13) Hisce Jesu Christi exemplum, & hæc ejus verba conjunxi: *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est.* (Jo. 7. 18.) Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam, propter veritatem tuam. Utquid dicent gentes, ubi est nunc Deus eorum? (*Ps.* 115. 1, 2.) Glorifica nomen tuum sanctum & benedictum, quod invocatum est super nos, in misericordia tua erga nos, & præsentia tua nobiscum semper, propter Jesum Christum salvatorem nostrum, cui sit gloria in æternum. Amen.

§. 319. *Adversus infidelitatem.*

Die 4. Julii 1640. cum essem in agris mane, gravem spiritualem habui conflictum adversus infidelitatis tentationem. Quocirca magnis gemitibus & lacrymis Deum precatus sum, ut servaret me, ne fides mea deficiat, & ut mihi seipsum ostenderet, mecumque & in me maneret, ut crescam in gratia & in cognitione Domini Dei nostri Jesu Christi, & ut in me bonitatis suæ beneplacitum & opus fidei in potentia perficiat, ut nomen Christi glorificetur in me, & ego in eo, secundum gratiam Domini nostri Jesu Christi, & ut me a peccato servaret, & ut me statueret in conspectu gloriæ suæ inculpatum, cum exultatione. Et Dominus misertus est mei, & appropinquavit mihi in misericordia, & dixit mihi: Ne timeas, salus tua ego sum. Tunc adduxit mihi in mentem multa clara veteris testamenti testimonia, de divinitate, humanitate, & passione Christi, & quod docebit gentes viam salutis, & quod peccata nostra ferret, se hostiam pro nobis omnibus offerens, posuit enim Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, adeo ut livore ejus sanati sumus. Davidis filius est, & etiam Dominus, ut David testatur spiritu Dei loquens: Dixit Dominus Domino meo &c. (*Ps.* 110. 1.) O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ, nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, & ab omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. —— Et dixit iis: Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Et dixit iis; quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertio die, ut prædicentur in nomine ejus pœnitentia & remissio peccatorum, apud omnes gentes, incipiendo ab Hierosolymia. Vos autem testes estis horum. (*Luc.* 24. 25, 26, 27, —— 44, 45, 46, 47, 48. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem, in salutem paratam revelari tempore novissimo. In quo exultabitis, modicum nunc (si oportet) contristati in variis tentationibus, ut probatio fidei vestræ multo pretiosior auro (quod per ignem probatur), inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelatione Jesu Christi; Quem cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis; credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata; reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum; De qua salute exquisiverunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in iis spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias: Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, nobis autem ministrabant ea quæ nunc nunciata sunt vobis per eos qui evangelizarunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere. Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam quæ affertur vobis gratiam, in revelatione Jesu Christi (*vel, in gratia quæ vobis affertur in revelatione Jesu Christi*) ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ. (1 *Petr.* 1. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13) Fidei nostræ probatio per multas tentationes, nobis pro tempore gravis est, tamen & præsenti gaudio conjungitur, & invenietur ad laudem, honorem & gloriam, cum venerit Christus. Spiritus Christi prius in Prophetis locutus est, idemque Spiritus sanctus in Apostolos aliosque Evangelium prædicantes e cœlo demissus est, eodemque spiritu Christus sacras Scripturas discipulis exposuit, & eorum intelligentiam aperuit, ut Scripturas intelligerent. Quod det nobis omnibus Dominus, & corda nostra consoletur, & in omni bono verbo & opere nos confirmet. Ei sit gloria in æternum. Ei autem qui potens est vos confirmare, juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei in cunctis gentibus cogniti: soli sapienti Deo, per Jesum Christum, sit honor & gloria in secula seculorum. (*Rom.* 16. 25, 26, 27.)

Gen. 3. 15. & 12. 3. & 22. 18. & 49. 10. Esai. 7. 14. & 9. 5. 6. & 11, 42, 49, 50, 51. 52, 53. Jer. 23. 5, 6. Ps. 22. & 40. Ez. 34. cum Jona 10. Job. 2. cum Act. 2. Mic. 5. Dan. 9.

Hereditas fidelium, ejusque certitudo, cum gaudio ineffabili & glorioso, inter, omnes tentationes nostras.

Finis fidei nostræ.

Benedicta fidei nostræ probatio.

Spiritus Christi. vide 20. Sept. 1624.

§. 320. *Dr. Scrogie Jo. 14. 30. Princeps hujus mundi venit, & in me non habet quicquam.*

Die 5. Julii 1640. Die dominico, Doct. Alexandrum *Scrogie* super hæc Christi discipulis ante passionem loquentis verba tempore antemeridiano concionantem audivi: *Venit mundi hujus Princeps, & in me non habet quicquam.* (*Jo.* 14. 30.) Princeps hujus mundi, de quo hic dictum est, est Satanas; Princeps hujus mundi vocatus est hic, & cap. 12. 31. & cap. 16. 11. & hujus mundi Deus; (2 *Cor.* 4. 4.) quia peccato homo primitivam amisit dignitatem, & servus factus est Satanæ primo peccati autori & introductori; & homo Dei supremi principis obedientiam relinquens, in Satanæ tyrannidem incidit, justo Dei judicio, adversum quem homo peccavit, & ita omnis Adami posteritas carnali viri & feminæ conjunctione genita, in peccato concepta, Satanæ servitio subjecta est; & hujus mundi mos est ambulare secundum principem potestatis aëris hujus, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ; A quo miserabili servitio Christus nos liberavit, nosque in regnum suum transtulit. (*Ephes.* 2. 1, 2, 3, 4, 5, 6. *Colos.* 1. 13. *Actor.* 26. 18.) Satanas in Christo non habet quicquam: id est, 1. Nullum est in Christo peccatum. Qui facit peccatum, ex Diabolo est; quoniam ab initio Diabolus peccat. (1 *Jo.* 3. 8.) 2. Nullam habet in Christum potestatem; est enim peccatum quasi sceptrum regni Satanæ, & in pios nullam habet potestatem aut jus. 3. Nunquam Christum superabit; at Christus Diabolum,

Liberatio per Christum.

Victoria Christi in Satanam, & liberatio nostra a

Satanæ, & victoria nostra in Christo. lum: & electos a Satanæ potestate liberat. Apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est. —— In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli. (1 *Jo.* 3. 5, —— 8.) Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit iisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est Diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. (*Hebr.* 2. 14, 15.) Et expoliata imperia & potestates, traduxit palam, triumphatis illis in cruce. (*Colos.* 2. 15.) Deo habetor gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. (1 *Corinth.* 15. 57.

§. 321. *Ps.* 23. *Restauratio animæ.* Tempore pomeridiano ejusdem diei, super hæc verba 23. *Psalmi* concionatus est: *Animam meam convertit; ducit me per semitas justitiæ propter nomen suum.* Anima peccato errat, & perit; Deus dat pœnitentiam, & misericordiam & gratiam; & ita animam reducit, & nos per semitas justitiæ ducit. Quæ est via arcta ad vitam æternam, in qua per gratiam ejus ambulamus; & non nostra sapientia, aut potentia; *Deus est ductor noster propter nomen suum.* sed Deus nos ducit; & non propter ulla nostra merita, sed propter suum nomen, in laudem gloriæ ejus gratiæ in Jesu Christo, cui sit gloria in æternum, Amen.

§. 322. 1 *Thess.* 5. 14. *Oratio pro consolatione, virtute & gratia.* *Die* 6. *Julii* meditans in exhortationem Apostoli, 1 *Thess.* 5. 14. Consolamini illos qui pusillo animo sunt, sublevate infirmos (παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους, ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν.) Patrem meum cœlestem precatus sum, qui jubet nos esse perfectos, sicut ille est perfectus, (*Matth.* 5. 48.) qui consolatur abjectos, (2 *Cor.* 7. 6.) qui fulcitat omnes corruentes, & erigit omnes incurvatos, (*Ps.* 145. 14.) qui propinquus est contritis corde, & attritos spiritu servat; (*Ps.* 34. 18.) ut semper illam piam mihi daret contritionem, quam ipse injungit, & ut semper mihi propinquus esset & servaret, & me sustentaret, erigeret, consolaretur & sustineret. Pusillanimis sum Domine; care Pater, propter Christum me consolare. Imbecillis sum; sustenta me Domine, Domine Pater, responde pro me, (*Esai:* 38, 14) Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi. Oculi mei defecerunt ad salutem tuam, & ad eloquium justitiæ tuæ. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & statuta tua doce me. (*Ps.* 119. *Ain.*) Ne projicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi gaudium salutis tuæ, & spiritus voluntarius confirmet me. Tum docebo prævaricatores vias tuas, & peccatores ad te convertentur. Erue me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, & prædicabit lingua mea justitiam tuam. Domine labia mea aperi, & os meum annuntiabit laudem tuam. Quoniam non vis sacrificium, & dedissem (condona repugnantiam meam, & me fac volentem); holocaustum non vis. Sacrificia Dei spiritus contritus, cor contritum & confractum, Deus, non despicies. (*Ps.* 51.) Angustiæ cordis mei dilatatæ sunt; ab angustiis meis educ me. Vide afflictionem meam, & laborem meum, & parce omnibus peccatis meis. Vide inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me. Custodi animam meam, & erue me; ne confundar, quoniam speravi in te. Perfectio & rectitudo custodiant me, quoniam te expecto: (*Ps.* 25.) Et cum me liberaveris & consolatus fueris, serva me a superbia & ingratitudine, & a carnali securitate, & ab omni eo quod tibi displicet, & corrobora me gratia tua; virtutem tuam perfice in infirmitate mea, & in me maneat virtus Christi. Hæcque officia, pusillanimos consolari, imbecillos sustentare, & omne aliud officium Christianum me præstare facias, & delectari via mandatorum tuorum. Omnesque has misericordias & benedictiones omnibus *Oratio pro iis qui nos affligunt.* nostris fratribus, qui ullam patiuntur tribulationem, iis etiam qui nos affligunt, omnibusque tuis liberis in omni peregrinationis nostræ cursu, concede. Redime Deus Israëlem ex omnibus angustiis ejus. (*Ps.* 25. 22.) Benefac in voluntate tua ipsi Zion; ædifices muros Jerusalem. (*Ps.* 51.)

Preces meas audivit Dominus, lacrymasque §. 323.
meas vidit, & abundanter me consolatus est, *Consolatio.*
per Jesum Christum Dominum nostrum, cui *Gratiarum*
cum Patre & Spiritu sancto, tribus personis, *actio.*
soli vero Deo, omnium creatori, nostroque salvatori, sit omnis honor, laus & gloria, in secula seculorum Amen. Quoniam non sprevit, nec abominatus est afflictionem afflicti, neque abscondit faciem suam ab eo, & dum clamaret ad eum, audivit; (*Ps.* 22.) projecisti enim post tergum tuum omnia peccata mea. (*Esai.* 38. 17.) Non fecit nobis secundum peccata nostra, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Nam sicut cœlum altum est super terram, ita magna est ejus misericordia erga timentes eum. Quantum distat oriens ab occidente, distare fecit a nobis prævaricationes nostras. (*Ps.* 103.) Benedictus sit Dominus, Amen.

In hæc verba 103. *Psalmi* hanc habui meditationem: Oriens ab occidente bis tanto distat *§. 324. De perfecta peccatorum remissione.* quam altitudo cœli super terram. At nos in terra sumus, & amota a nobis sunt peccata nostra tanto, quantum distat oriens ab occidente, tum extra cœlum ejecta sunt, & penitus evacuata & annihilata in perpetuam oblivionem, igitur dicit Hezekias Deo, projecisti post tergum tuum omnia mea peccata; (*Esai.* 38. 17.) ita ut Deus nunquam postea ea aspiciat. Quan- *7. Jul. 1640.* quam peccatum substantia non sit, neque localiter mobile e loco in locum, his tamen similitudinibus & loquelis metaphoricis Spiritus sanctus utitur, nostri conceptus imbecillitati se accommodans, ad nostram instructionem, consolationem & confirmationem, in plena certitudine plenæ, perfectæ & sempiternæ remissionis peccatorum nostrorum, per magnam & incomprehensibilem Dei erga nos misericordiam in Jesu Christo salvatore nostro, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus (remissionem peccatorum,) secundum divitias gratiæ ejus, *Christus factus est nobis redemptio, 1 Cor. 1. 30. & per eum solum habemus remissionem peccatorum.* (*Eph.* 1. 7. *Colos.* 1. 14.) cujus sanguis meliora loquitur quam sanguis Abel, (*Heb.* 12. 24.) & nos ab omni peccato mundat. (1 *Jo.* 1. 7.) Justificati gratis per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus: (*Rom.* 3. 24, 25.) Justificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei, (*Rom.* 5. 1, 2.) secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro, in quo habemus fiduciam & accessum in confidentia, per fidem ejus. (*Eph.* 3. 11, 12.) Eodem modo intelligendum est de omnibus aliis similitudinibus & loquelis de remissione peccatorum, ut, projicit ea in profundum maris, *Micha* 7. 19. Quod ea tegat *Psalm.* 32. 1.

Num.

Deus juravit nobis benedicere, & nos ſervare per Chriſtum Pontificem noſtrum in æternum.

Num. 23. 21. Amplius nos lavat ab iniquitate noſtra, & a peccato noſtro mundat nos. Abſcondit faciem ſuam a peccatis noſtris, & omnes iniquitates noſtras delet, (*Pſ.* 51.) & eorum non amplius recordatur: (*Jer.* 31. 34. *Heb.* 8. 12.) Et Deus hoc non tantum nobis promiſit, ſed juravit; nam Deus volens abundantius oſtendere heredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum (ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ), ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus qui confugimus ad tenendam præpoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ, tutam & firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis: Ubi præcurſor pro nobis introiit Jeſus, ſecundum ordinem Melchiſedec Pontifex factus in æternum, (*Heb.* 6.) non ſecundum legem mandati carnalis, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis —— cum jurejurando per eum qui dixit ei; Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos, ſecundum ordinem Melchiſedec. —— Quia manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, unde & ſalvare in perpetuum poteſt (εἰς τὸ παντελὲς) accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro iis, (*Heb.* 7. 16. —— 21. —— 24, 25.) Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum exhaurienda peccata, & ſecundo ſine peccato apparebit omnibus expectantibus ſe, in ſalutem. (*Heb.* 9. 28.) Habentes igitur fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti; quam dedicavit nobis viam novam & viventem, per velamen, id eſt, per carnem ſuam: Et habentes ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala; & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem, fidelis enim eſt qui promiſit. (*Hebr.* 10. 19, 20, 21, 22, 23.) Ei ſit gloria in Eccleſia in Jeſu Chriſto, per omnia ſecula ſeculorum, & infinita ſecula. Amen.

Spes, certa ac ſtabilis animæ anchora.

Pſ. 110.

Cor verum, fidele, purum & conſtans.

§. 325. *Oratio pro miſericordia & gratia.*

Die 8. *Julii* 1640. Humiliter, cum magnis gemitibus, lacrymiſque multis, Deum ſalutis meæ precatus ſum, ut miſereretur mei, & me conſolaretur, pro me ſtaret, meque in via recta duceret; ut mihi gratiam daret illos qui me odio habent & perſequuntur amare, meque imbecillitati meæ non relinqueret, ſed mihi daret os & ſapientiam, ut omnes qui viderent aut audirent, ſcirent Spiritum ſanctum eſſe qui loqueretur in me, & ut mihi daret reſpondere cum modeſtia & timore, prout juſſit, (1 *Pet.* 3. 15.) & ut me conſilio ſuo deduceret; ut dexteræ meæ aſtaret, & ſervaret me, & ut mihi daret omnes me meliores exiſtimare, nec faciam quicquam adverſus veritatem, ſed pro veritate, idque ſine humana ira & vana gloria.

Conſolatio.

Et appropinquavit mihi Dominus, & dixit, ne timeas. Judicaſti Domine cauſam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. (*Lam.* 3. 58.) Et ſperabunt in te ſcientes nomen tuum, quia non dereliquiſti quærentes te Domine. (*Pſ.* 9.) Mecum erit Dominus in anguſtia, eruet & glorificabit me. (*Pſ.* 91.) In die qua invocavi te, exaudiſti me; roboraſti me in anima mea fortitudine. (*Pſ.* 138.)

Etiam oravi pro iiſdem miſericordiis omnibus fratribus, & pro pace Zionis, & magnopere conſolatus ſum. Vivit Dominus, benedicta ſit rupes mea & Deus rupis ſalutis meæ exaltetur. (2 *Sam.* 22. 47.) Humiliter & ferventer etiam oravi pro filio meo, filio meo unico Georgio, & pro fratre meo Roberto, & omnibus ejus, & pro domo noſtra & familia, & hic etiam Dominus me audivit, (& ſuaviter conſolatus eſt. Precatus ſum etiam pro Rege, Regina Regiaque prole, & pro noſtris gubernatoribus, & populo. In quo etiam conſolationem percepi: Quia Dominus aufert iniquitatem, & tranſit peccatum reliquiarum hereditatis ſuæ, non in æternum retinet furorem ſuum, quia volens miſericordiam eſt, (*Micha* 7. 18.) Non repellet Dominus populum ſuum, & hereditatem ſuam non derelinquet. (*Pſ.* 94. 14.) Dominus benedicet populo ſuo in pace. (*Pſalm.* 29. 11.) Spera in Domino Iſrael, nam auxilium eorum & clypeus eorum eſt. (*Pſ.* 115.) De anguſtia invocavi Dominum, & audivit me in latitudine Dominus. Dominus mecum, non timebo quid faciet mihi homo. (*Pſ.* 118.) Laudate Dominum omnes gentes: laudate Dominum omnes populi: Quoniam confirmata eſt miſericordia ejus ſuper nos, & veritas Domini manet in æternum. (*Pſal.* 117.) Laudate Dominum. *Amen.* Benedictus ſit Dominus in ſecula ſeculorum, exaltatus ſupra omnem laudem & benedictionem in æternum. *Amen.* Chariſſimi, nolite mirari in fervore (qui ad tentationem vobis ſit,) quaſi novi aliquid vobis contingat, ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. (1 *Pet.* 4. 12, 13.) Beati eritis cum homines oderint vos & cum ſeparaverint vos (καὶ ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς), & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in die illa, & exultate; ecce enim, merces veſtra multa eſt in cœlo; ſecundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum. (*Luc.* 6. 22, 23.) Itaque & hi qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas ſuas in benefactis. (1 *Pet.* 4. 19.) Nihil horum timeas quæ paſſurus es, ecce miſſurus eſt Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem: eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. (*Apoc.* 2. 10.) Hic eſt patientia, & fides ſanctorum. (*Apoc.* 13. 10.) Deus autem patientiæ & ſolatii det nobis idipſum ſapere in alterutrum, ſecundum Jeſum Chriſtum. Deus autem ſpei repleat nos omni gaudio & pace in credendo, ut abundemus ſpe in virtute Spiritus ſancti, (*Rom.* 15. 5, 13.) & Deus in omni virtute corroboret nos, ſecundum glorioſam ſuam potentiam, in omni patientia & longanimitate cum gaudio, gratias agentes Patri noſtro cœleſti, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos e poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ (τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ. *Coloſſ.* 1. 11, 12, 13.) Cui ſit gloria in æternum.

Laus. Conſolamina divina adverſus omnem injuſtam perſecutionem ſervorum Dei pro pietate patientium.

Preces.

Gratiarum actio.

Perge ergo, & ego ero in ore tuo, docebo que quid loquaris, (*Exod.* 4. 12.) & tibi dabo os & ſapientiam. Et capillus de capite veſtro non peribit. In patientia veſtra poſſidete animas veſtras: (*Luc.* 21. 15. —— 18, 19.) Domine horum benignorum promiſſorum ſervis tuis recordare, & da nobis in patientia animas noſtras poſſidere, & da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, cum potenti & læto ſucceſſu. (*Act.* 4. 29, 30.) Et dignos nos hujus vocationis reputa, & imple voluntatem bonitatis tuæ, & opus fidei cum virtute, ut nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti glorificetur in nobis, & nos in eo, ſecundum gratiam Dei noſtri; & Domini Jeſu Chriſti; cui ſit gloria in ſecula ſeculorum. *Amen.*

§. 326. *Dies ſtationis mei coram Delegatis.*

Die 9. *Julii* 1640. quo die me ſiſtere oportebat coram Delegatis Synodi Nationalis, in templo Academiæ Palæo-Abredonenſis, humiliter Deum

Deum precatus sum, ut pro me staret, meque reliquosque fratres mecum citatos corroboraret; ut etiam Delegatos ab omni peccato adversus Deum servaret.

Ingens consolatio.

Et magnopere his salutaribus verbis consolatus sum: *Sicut princeps habes potentiam apud Deum & hominem, & prævaluisti. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis; in mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. Salus tua sum. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Non te deseram, neque derelinquam. Sufficit tibi gratia mea, virtus enim mea in infirmitate perficitur.* (*Genes.* 32. 28. *Johan.* 16. 33. *Psalm.* 35. 3. *Matth.* 9. 2. *Heb.* 13. 5. 2 *Corinth.* 12. 9.)

Denuntiatio terribilis. Humiliatio & precatio.

Et inveniens scriptum in Jeremia: *Dorsum & non faciem meam ostendam iis, in die perditionis eorum:* (*Jer.* 18. 17.) tremui, meque coram Deo humiliavi, dicens: Ne mihi ostendas dorsum tuum, Domine, sed faciem tuam benignam, die calamitatis & omni tempore. Eleva super nos vultus tui lucem Domine. Cum dixeris: Quærite faciem meam; respondit tibi cor meum: Faciem tuam Domine quæram. Ne abscondas igitur faciem tuam a me, neque declinare sinas in iram servum tuum. Auxilium meum fuisti; ne derelinquas me igitur, & ne deseras me, Deus salutis meæ. (*Ps.* 27.)

Consolatio.

Et gratiam inveni coram eo. (*Exod.* 33.) Adhuc confitebor ei, propter salutare faciei ejus, salutare vultus mei & Deus meus, (*Ps.* 42.) est benedictus in æternum, *Amen.* Etiam Deus abundanter mihi præcedentis diei consolationes renovavit. Benedictus sit Dominus in æternum. Cur dejecta es anima mea? & quare conturbata es in me? spera in Deo. (*Ibid.*) In Domino laudabit se anima mea, audient humiles & lætabuntur. (*Psal.* 34.) Da mihi Domine incrementum fidei ex visione gloriæ Dei, & Jesu adstantis ad dexteram Dei; (*Act.* 7. 55.) cui sit gloria in æternum. *Amen.*

Post hæc coram Delegatis, in templo collegii Palæo-Aberdonensis comparui, ubi jussus eram comparere coram iis, eodem die, post meridiem in Consistorio Ecclesiastico Neo-Aberdonensi, ubi me sistens, accusatus sum inobedientiæ decreto Synodi Nationalis circa Fœdus. Respondi, me in praxi mea ei obsequium præstitisse. Verum Præses institit, quod pars decreti Synodici sit, ut omnes Fœderi subscribant. Ad quod ego respondi: Cum hæc tantum sit discrepantia in opinione de quibusdam articulis, de quibus diversitas opinionum tolerari potest in iis qui sententiam suam pacifice tenent, ac nullam turbam aut molestiam creant; rogare me, ut hæc amice perpenderent; me non posse jurare quod revera persuasus sim de tali opinione, dum conscientia dicit, me non esse persuasum de illius veritate; me fratres eorumque opinionem reveriturum; verum in eam me non posse jurare, nisi mihi revera de ea persuasum esset.

Citatio ut me sisterem coram Synodo Nationali.

Ibi apud Acta citatus fui me sistere Aberdoniæ coram Synodo Nationali die 29. sequentis mensis Augusti, & interim desistere a Theologicæ professionis exercitio, quam utcunque feriationis tempore non eram obiturus. Verum ministerii exercitio quibusdam fratribus qui mecum comparuerunt ad id tempus prohibito, idem mihi de professionis meæ exercitio dictum est.

Oratio pro præsentia divina, & læto Synodi Nationalis eventu.

Domum redii in pace, Deumque pro misericordia sua erga me laudavi, divinam ejus orans majestatem, ut mihi adesset coram Synodo Nationali, & salutarem, propitium, pacificum & benedictum eventum mihi daret. Et consolatus sum in Domino Deo nostro. Cui sit omnis & æterna laus, *Amen.*

§. 327. *Nova molestia. Oratio.*

Die 10. *Julii* 1640. rursus minabar ab eis qui mulctas pecuniarias a populo exigebant, & meipsum in preces dedi, Dominum Salvatorem meum orans, ut me dirigeret & liberaret, & ut averteret hos a me, quemadmodum Syros a Jehosaphato avertit. (2 *Chron.* 18. 31.) Circumdederunt me mala innumera; comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre. Multiplicatæ sunt præ capillis capitis mei, & cor meum dereliquit me. Complaceat tibi Domine ut eruas me: Domine ad auxilium meum festina. (*Ps.* 40. 13, 14.) Vide afflictionem meam, & laborem meum; & parce omnibus meis peccatis. (*Ps.* 25.) Domine miserere mei, sana animam meam, quia tibi peccavi. Omnes liberos tuos in misericordia adjuva. Redime Deus Israëlem ex omnibus angustiis ejus, secundum misericordiæ tuæ magnitudinem, in Jesu Christo Domino nostro, Filio tuo dilecto, in quo complacuit animæ tuæ, per quem humiliter tibi offerimus omnes & æternas laudes. *Amen.* Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. (*Matth.* 26. 42.) Domine, mecum sis in omnibus meis afflictionibus, & angustiis, & mihi da gratiam & vires, ut quemcunque calicem tu, meus Pater cœlestis, mihi præbeas, eum volenter, gratanter & cum gaudio ebibam, & in his omnibus plus quam victorem me fac per Jesum Christum qui me dilexit, (*Rom.* 8. 37.) & pro me seipsum dedit. (*Gal.* 2. 20.) Omnesque has misericordias erga omnes tuos liberos propter Christum extende, cui cum Patre & Spiritu sancto sit omnis & sempiterna gloria. *Amen.*

Nova consolatio.

Dominus benigne me audivit, & abundanter me consolatus est, Deus qui consolatur abjectos me consolatus est. Exultabo & lætabor in misericordia tua; quia vidisti afflictionem meam, & agnovisti in angustiis animam meam. Nec conclusisti me in manum inimici; sed stare fecisti in latitudine pedes meos. Miserere mei Domine, quoniam angustia est mihi.

§. 328. *Meditatio admodum salutaris.*

Eodem die in colloquio cum Domino *Alexandro Strachan* Evangelii Ministro apud *Logidurnoch*, de multis nostris angustiis, Dominus admodum salutarem mihi dedit meditationem; quod cum ærumnæ undequaque crescunt & angustiæ quæ videntur inextricabiles, circumdant nos, si interim benignam Dei præsentiam nobiscum & in nobis sentiamus; certum est signum admodum salutaris & magnæ liberationis, lætæque victoriæ, quam dabit nobis Dominus.

Signum in bonum. Vide §. 316. & 25. *Sept.* 1627. & 3. *Nov.* 1629.

Quam dictus Dominus Alexander audiens, in confirmationem hujus salutarem illam adduxit historiam metus discipulorum, Christo in nave dormiente, eorumque ab eo metu liberationis, cum ejusdem timoris reprehensione, cum etiamsi navis repleta esset aqua, non deberent timere, quia Dominum secum habebant. (*Matth.* 8. *Marc.* 4. *Luc.* 8.) Etiamsi ambulavero per vallem umbræ mortis, non timebo malum; quoniam tu mecum es. (*Psal.* 23.) O Domine, qui in magna illa tempestate quæ discipulos tuos terruit, imperasti ventis & mari, & tranquillitas magna facta est; dic verbum, & omnes tempestates quibus nos affligimur, & terremur, cessabunt, & magna erit tranquillitas. Ita solamina abunde mihi erant renovata. Benedictus sit Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen gloriæ ejus in seculum, & repleatur gloria ejus universa terra. *Amen & Amen.*

Solamina.

Die

§. 329. *Gratiarum actio. Confide in Deo, ama eum, agnosce nomen ejus, invoca eum; tunc certus ac salvus eris in perpetuum.*

Die 11. *Julii* 1640. Meditans in Psalmum 91. *Qui habitat in abscondito Altissimi, in umbra Omnipotentis commoratur*; in verbis Psalmi quæsivi hæc duo capita. 1. Quæ felicitas promissa sit. 2. Quibus promissa sit. Quoad felicitatem, ex his duabus partibus constat, videl. 1. ex tutela & liberatione a malo, & a metu mali, & præsentia Dei nobiscum in afflictionibus nostris, & certa ab omnibus tribulationibus liberatione. *vers.* 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13. 2. multis pretiosis benedictionibus, *vers.* 14, 15, 16. Ii quibus hæc beatitudo promittitur, his officiis describuntur. 1. In Deo confidentiam ponunt. 2. Eum amant. 3. Nomen ejus agnoscunt. 4. Eum invocant. Qui tales sunt, pacem, tutelam, præsentiam, audientiam, liberationem, & tranquillitatem in hac vita habebunt. Exaltabo eum, cum glorificabo, longitudine dierum saturabo illum, & videre faciam eum salutem meam. O Domine, fac ut confidentiam nostram in te ponamus, te amemus, nomen tuum agnoscamus, & te invocemus; tunc magnam habebimus pacem, & infinitam gloriam.

Sic consolatus sum sub umbra alarum Altissimi, qui benigne alas suas super me extendit, & pennis suis me texit, & seipsum ostendit habitaculum meum, & veritatem ejus scutum & clypeum quo defendar in æternum. Domine habitaculum fuisti nobis, a generatione in generationem. —— Ut numeremus dies nostros, sic scire fac nos; & adducemus in cor sapientiam. Convertere Domine, usquequo? & placare super servos tuos. Satura nos mane misericordia tua, & exultabimus & lætabimur omnibus diebus nostris. Exhilara nos secundum dies quibus afflixisti nos; secundum annos quibus vidimus malum. Conspiciatur in servis tuis opus tuum, & gloria tua super filios eorum. Et sit decor Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum dirige super nos; opus, inquam, manuum nostrarum dirige. *Ps.* 90.

Vide Ps. 31. 20, 21. & 36. 7, 8, 9, &c. & 25. 5. & 145. 9.

Qui habitat in abscondito Altissimi, & in umbra Omnipotentis commoretur. 2. Dicam de Domino: spes mea est, & arx mea: Deus meus, in eo sperabo. 3. Certe ipse eruet te de laqueo venatoris, & a peste pravitatis. 4. Alis suis teget te, & sub alis ejus securus eris. Scutum & clypeus veritas ejus. 5. Non timebis a timore noctis, a sagitta quæ volaverit per diem. 6. Nec a peste quæ in caligine ambulat, a peste quæ vastat meridie. 7. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextera tua: tibi tamen non appropinquabit. 8. Tantum oculis tuis aspicies, & retributionem impiorum videbis. 9. Quoniam tu dixisti, Domine spes mea; Excelsum posuisti habitaculum tuum: 10. Non accidet tibi malum: neque plaga appropinquabit tabernaculo tuo. 11. Quoniam Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. 12. In manibus portabunt te; ne forte ad lapidem impingat pes tuus. 13. Super leonem & basiliscum calcabis, conculcabis catulum leonis, & draconem. 14. Quoniam me valde amat, propterea eruam eum: exaltabo eum, quoniam agnoscit nomen meum. 15. Invocabit me, & exaudiam eum: cum ipso ero in angustia: eruam & glorificabo eum. 16. Longitudine dierum saturabo eum: & videre faciam eum salutem meam. (*Ps.* 91.) *Amen.* Fac servis tuis, Domine, secundum verbum tuum, in quo nos sperare fecisti. Domine credimus, succurre incredulitati nostræ. Benedictum sit nomen Domini, quod turris nostra fortissima est, & habitaculum in æternum. (*Proverb.* 18. 20.) Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen.*

§. 330.

Die 12. *Julii* 1640. Audivi Dominum *Alexandrum Sheene* in Ecclesia *de Fittie* concionantem super hæc verba Evangelii secundum Johannem: Adhuc modicum lumen in vobis est, ambulate dum lumen habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem; ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus, & abiit, & abscondit se ab iis. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: Ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo. (*Joh.* 12. 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41.)

Oportet ut simul una ambulatio & fides; opera enim sine fide non sunt accepta, & fides sine operibus mortua est. Tria argumenta pro his officiis. 1. Brevitas temporis, *adhuc paululum*. 2. Periculum, *ne tenebræ vos comprehendant*. 3. Fructus, *ut filii lucis sitis*, & ita lucem habeatis. Christus abscondit se ab hostibus. Quanquam enim sciret horam suam non venisse, legitima tamen media non omisit.

Ex omnibus plagis Ægypti durities cordis erat maxima plaga, a qua nos liberet & servet Deus. Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sit gloria in secula seculorum. *Amen.*

§. 331. *Eph. 4. 30. Victrix liberatio a conflictu spirituali. Benedictus sit Dominus.*

Diebus 13. & 14. *Julii* 1640. conflictum habui spiritualem, propter quasdam cogitationes & verba, quibus Spiritum sanctum contristavi, quo signatus sum in diem redemptionis. Humiliter Deum precatus sum, & coram Patre meo cœlesti magnopere lacrymatus sum, ut in magna ipsius misericordia in Christo condonaret & deleret hæc & omnia mea peccata, & ut omnia offensa data & accepta amoveret, & omnibus incommodis mederetur, & ut gaudium salutis ipsius mihi redderet, & elevaret super me lucem vultus sui, ut me consilio suo deduceret, & semper duceret me per semitas justitiæ propter nomen suum, & postea exciperet me cum gloria. Bonus & benignus est Dominus, longus ira, & paratus condonare, & multus misericordia & pace. Preces meas audivit, & mei misertus est, & consolatus est me in Christo Salvatore meo, cui sit gloria in æternum. *Amen.*

§. 332. *Deus castigat populum suum plaga & dolore insanabili, & tum nos sanat.*

Die 15. *Julii*, pacem habui in Deo, & fortem & sempiternam consolationem, & bonam spem per gratiam a Deo Salvatore meo mihi datam, qui promittit salutem populo suo, & nos a plagis nostris sanare, cum fractura & dolor noster est insanabilis, & plaga nostra pessima est, cum non est qui judicet judicium nostrum ad alligandum, cum curationum utilitas non est nobis, cum omnes amatores obliti sunt nostri, nosque non quærunt, cum Dominus ipse plaga inimici percussit nos, castigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis nostræ, & dura peccata nostra; (*Jer.* 2. 30.) tamen in magna sua misericordia propitiabitur iniquitati nostræ, & peccati nostri non recordabitur amplius, (*Jer.* 31, 34.) & dabit nobis cor unum, & viam unam, ut timeamus eum semper, & timorem suum dabit in corde nostro, ut non recedamus ab eo. Et lætabitur super nos, benefaciendo nobis, & plantabit nos in veritate, in toto corde suo, & in tota anima sua. (*Jerem.* 32. 39, 40, 41.)

Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem languorem & infirmitatem in populo, (*Matth.* 4. 23) nam apud Deum nihil est impossibile. (*Luc.* 1. 37.)

Domine miserere nostri, doce nos viam tuam, corrobora corda nostra. Ne memineris nobis iniquitatum priorum; festina; præveniant nos misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus valde. Adjuva nos Deus salutis nostræ, propter gloriam nominis tui, & erue nos, & propitiare peccatis nostris, propter nomen tuum. (*Ps.* 79.) Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse educet e reti pedes meos. Respice super me, & miserere mei; quia unicus & pauper sum. Angustiæ cordis mei dilatatæ sunt: ab angustiis meis educ me. Vide afflictionem meam, & laborem meum; & parce omnibus peccatis meis. Vide inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me. Custodi animam meam, & erue me; ne confundar, quoniam speravi in te. Perfectio & rectitudo custodiant me; quoniam te expecto. Redime Deus Israëlem, ex omnibus angustiis ejus. (*Ps.* 25.)

Ps. 130. *Num.* 14. 17, 18, 19, 20, 21. *Deus condonando peccata nostra, magnam suam potentiam & misericordiam ostendit. Joh.* 12. 28. *Glorificetur Dominus.*

Et redimet Israëlem ex omnibus iniquitatibus ejus. Magnificetur ergo fortitudo Domini, sicut loquutus es dicens: Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Dimitte obsecro peccatum populi tui hujus, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus ex Ægypto usque ad locum istum. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum. Vivo ego, & implebitur gloria Domini universa terra. Pater, glorifica nomen tuum, & nos ad te converte, & consolare, & quemcunque nobis calicem dabis, fac ut placide cum gaudio, & consolatione eum bibam. Calicem, quem dat mihi Pater, nonne ebibam eum? (*Matth.* 20. 23.) Calicem quidem meum bibetis. Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. (1 *Pet.* 2. 21.) Si igitur humilientur corda eorum incircumcisa, & pœnam iniquitatis suæ accipiant, tunc recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Jacob, & Isaac, & Abraham, terræ quoque memor ero. (*Lev.* 26. 41, 42.) Ego, quoscunque amo, arguo & castigo: ferve igitur, & resipisce. (*Apoc.* 3. 19.) Cæterum ei qui potest nos custodire a lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exultatione: soli sapienti Deo, Salvatori nostro, gloria & magnificentia, robur & auctoritas, & nunc, & in omnia secula. *Amen.* (*Jud.* 24. 25.)

Novit Dominus pios a tentatione eripere. (2 *Pet.* 2. 9.) Domine fac nos pios, & ab omnibus tentationibus nos eripe. Domine, nos docuisti & jussisti te precari pro his misericordiis & gratiis, & pro omnibus bonis quæ nos facere jussisti, & pro omnibus bonis quæ liberis tuis promisisti; Propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac. (2 *Sam.* 7.) Et promisisti nos audire, & audis. Qui exaudis orationem, ad te omnis caro veniet. (*Ps.* 65.)

Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera, locutus es enim ad servum tuum bona hæc, idcirco benedicas servis tuis Domine. (2 *Sam.* 7.) Benedic populo tuo in pace. Miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. (*Ps.* 41.) Cognosco Domine, quia æquitas judicia tua; & in veritate tua humiliasti me. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum verbum tuum servo tuo. Aspice in me, & miserere mei, secundum judicium diligentium nominis tui. Gressus meos dirige, secundum eloquium tuum; & non dominetur in me omnis injustitia. Redime me a calumniis hominum; & custodiam mandata tua. Faciem tuam illumina super servum tuum; & doce me justificationes tuas. Suscipe servum tuum in bonum; fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, (*Ps.* 119.) & ita cum omnibus tuis servis, care Pater, propter Christum. Ei qui summa cum exuberantia potest omnia facere, supra ea quæ petimus & cogitamus, pro illa vi agente in nobis; ei sit gloria in Ecclesia, per Christum Jesum, in omnes ætates sæculi sæculorum. *Amen.* (*Eph.* 3. 20, 21.)

Die 16. *Julii* 1640. Legi & perpendi magna cum consolatione hæc verba Apostoli Pauli: Impletus sum consolatione, vehementer superabundo gaudio in omni afflictione. Etenim cum venissemus in Macedoniam, nullam habuit remissionem caro nostra, sed in omnibus fuimus afflicti, foris fuerunt pugnæ, intus metus. Sed Deus qui consolatur abjectos, consolatus est nos adventu Titi. (2 *Cor.* 7. 4, 5, 6.) *Et hæc verba:* Proinde nos quoque, cum tanta nos circumstet testium nubes, abjecto omni pondere, & peccato ad nos circumcingendos proclivi, per tolerantiam propositum nobis stadium decurramus; Intuentes in fidei ducem & consummatorem Christum; qui pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem, ignominia contemta, & ad dexteram throni Dei consedit. Etenim reputate quis ille sit, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus se contradictionem, ne vestris animis fracti fatiscatis. Nondum ad sanguinem usque restitistis, adversus peccatum decertando. Et obliti estis adhortationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur: Fili mi, ne parvi facito castigationem Domini; neque animo frangitor, cum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem quemcunque filium agnoscit. Si castigationem sustinetis, Deus sese vobis exhibet ut filiis; quis enim est filius, quem non castigat pater? &c. (*Heb.* 12. 1, 2, 3.) Et paulo infra, Apostolus eos hortatur, ne sit inter eos profanus, ut Esau, qui unico edulio vendidit suum jus primogeniti. Nunquam me sinas Domine jus meum primogeniti vendere. Quid enim prodest cuipiam, si totum mundum lucratus fuerit, anima vero sua mulctetur? Da mihi abnegare memetipsum, & attollere crucem meam, & sequi te. Salvator carissime, serva me tecum. In manum tuam commendo spiritum meum; redime me Domine Deus veritatis. (*Ps.* 31.) Serva animam meam & libera me, Deus meus in te spero, ne pudore afficiar, (*Ps.* 25.) succurre incredulitati meæ. Serva populum tuum, & benedic hæreditati tuæ, & pasce eos & extolle eos usque in sæculum. (*Ps.* 28.) Nulli qui expectant te, afficiantur pudore. (*Ps.* 25.)

§. 333. *Consolatio & gaudium adversus tribulationem omnem.*

Respice ad Jesum, & ne animo fractus sis.

Cum castigamur pro peccatis, debemus gaudere & patientes esse.

Vers. 16. *Ne jus tuum primogeniti vendas.*

Benedic filio meo, benedic omnibus liberis tuis, cum misericordia & pace, gratia & gloria, propter Jesum Christum, cui cum Patre & Spiritu sancto, sanctæ individuæ Trinitati, soli vero Deo, Salvatori nostro, sit omnis & æterna laus & gloria. *Amen.*

Gloriatur Paulus in afflictionibus pro Christi nomine.

Dominus noster Jesus Christus dixit de Paulo: Ego ei præmonstrabo quam multa oporteat ipsum pro nomine meo pati. (*Actor.* 9. 6.) Et Paulus gloriatur, quod tanta sit perpessus pro nomine Domini Jesu. Ministri Christi sunt? (desipiens loquor) superior sum ego; in laboribus amplius, in plagis supra illos, in carceribus amplius, in mortibus sæpe. A Judæis quinquies accepi

ꝭepi undequadraginta plagas. Ter virgis cæſus fui, ſemel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi. In itineribus ſæpe fui. In periculis fluminum, periculis latronum, periculis a meis gentilibus, periculis a gentibus, periculis in civitatibus, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis inter falſos fratres. In labore & ærumna, in vigiliis ſæpe, in fame & ſiti, & in jejuniis ſæpe, in frigore & nuditate. Abſque iis quæ extrinſecus eveniunt, urget agmen illud in me quotidie conſurgens, id eſt, ſollicitudo de omnibus Eccleſiis. Quis infirmus eſt, quin ego ſim infirmus? quis offendiculo afficitur, quin ego urar? Si gloriari oporter, de iis quæ infirmitatis meæ, ſunt gloriabor. &c. (2 *Cor.* 11. 23, 24, &c.)

Status Apoſtolorum in terra. Non major eſt ſervus domino.

Deus enim, puto, nos ultimos Apoſtolos ſpectandos propoſuit ut morti addictos; nam ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto; nos infirmi, vos autem validi; vos glorioſi, nos ignominioſi. Ad hoc uſque tempus eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & incertis ſedibus erramus! Et laboramus, operantes propriis manibus: conviciis affecti bene precamur: ſi qui nos perſequantur, ſufferimus; infamati, precamur, tanquam purgamenta mundi facti ſumus, & tanquam omnium ramentum nunc uſque. (1 *Corinth. cap.* 4. *verſ.* 9, 10, 11, 12, 13.) Vide ad hanc rem 2 *Cor.* 4. 8, 9, 10, 11. & *cap.* 6. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti? num anguſtia, num perſecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? Imo in his amplius quam victores ſumus per eum qui dilexit nos. (*Rom.* 8.) Certitudo amoris Dei in Jeſu Chriſto erga eos conſolata eſt eos, & virtus Chriſti eos corroborans ſuſtentavit eos. Chriſtus ipſe in iis & pro iis pugnavit, eoſque reddidit victores, imo amplius quam victores. Da nobis etiam Domine eandem conſolationem, robur & victoriam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui ſit omnis gloria in æternum. *Amen.*

Conſolatio, virtus & victoria per Chriſtum.

§. 334. *Die* 17. *Julii* 1640. Serio Deum precatus ſum, & amare mea & hujus gentis peccata deflevi, publicæ præſertim aſſumptionis nominis Dei in vanum, & apertæ oppreſſionis. Dominum oravi, ut noſtri miſereretur, nos illuminaret, & ad ſe converteret, & omnes noſtras iniquitates deleret, & ut nos ſervaret ſecundum magnitudinem virtutis & miſericordiæ ejus, in Jeſu Chriſto Domino noſtro, cujus morte nos, cum adhuc inimici eſſemus, ſibi conciliavit. Et magnopere conſolatus ſum. Dominus enim benignus & miſericors, & tranſit peccatum reliquiarum hereditatis ſuæ. Delectatur miſericordia, & mali eum pœnitet. Noli timere terra, exulta & lætare; quoniam magna faciet Dominus. Et comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri qui fecit vobiſcum mirabilia, & non confundetur populus meus in æternum. (*Joël* 2. 21, 26.) Dominus delectatur populo ſuo, mites adornabit ſalute. Memento mei Domine, in beneplacito populi tui: viſita me in ſalute tua: Ut videam bonum electorum tuorum, ut læter in lætitia gentis tuæ, & glorier cum hereditate tua. (*Pſ.* 106.) Celebrate Deum cœli, quoniam in ſeculum miſericordia ejus. (*Pſal.* 136. 25.) Paulus & Silas jacentes in interiore carcere, & pedibus ipſorum ligno ſtrictis, Deum & orabant & laudabant. (*Act.* 16. 25.) Quo manifeſtum eſt eos a Deo habuiſſe reſponſum pacis & gaudii ipſorum precibus, quo magnopere lætati ſunt in afflictionibus & inter cruentas multorum verberum acceptorum vibices, ita ut erumperent in lætas Dei laudes, repleti conſolatione & ſuperabundanti gaudio, in omnibus afflictionibus. Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur. Et gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis. (*Joh.* 15. 11. & 16. 22.) Deus eſt lætitia exultationis noſtræ. Ei ſit gloria in Eccleſia, per Jeſum Chriſtum, in ſecula ſeculorum. *Amen.*

Supplicatio contra peccata mea & gentis.

Conſolatio.

Oratio & gratiarum actio in afflictionibus.

Plenum & conſtans gaudium.

Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus; ſed collabora Evangelio, ſecundum virtutem Dei (κατὰ δύναμιν Θεοῦ. 2 *Tim.* 1. 8.) Labora ſicut bonus miles Jeſu Chriſti (ὡς καλὸς ςρατιώτης Ἰησοῦ Χριςοῦ. 2 *Tim.* 2. 3.)

In perſecutione ab Herode adverſus Chriſtianos ſuſcitata, Jacobus frater Joannis gladio occiſus fuit, Petrus incarceratus & duobus vinculis vinctus. (*Act.* 12.) Alter Jacobus & alii, neque occiſi, neque incarcerati fuerunt, omnes tamen Deo cari, omnes a Domino benedicti. Jacobus Johannis frater in morte fuit felix. Petrus felix in vinculis & liberatione, reliqui felices in immunitate a morte & vinculis. Ita ſapienter judicare oportet de variis eventibus qui contingunt Dei liberis, pro juſtitia perſecutis, vel perſecutionem evadentibus, viam tamen juſtitiæ firmiter tenentibus. Ut etiam mentes noſtras in via humilitatis & in judicando candoris teneamus, reſpiciamus undecim Apoſtolos tempore paſſionis Chriſti. Petrus ſecutus eſt eum & abnegavit, Joannes eum ſecutus eſt non tantum in prætorium, ut Petrus; ſed etiam in locum ubi crucifixus eſt, viditque eum mortuum, latuſque ejus gladio transfoſſum, neque eum abnegavit; cæteri omnes fugerunt, omnes tamen a Deo dilecti & a malo ſervati ſunt, ſicut Chriſtus pro iis oraverat. Tale Deus in his diſpenſationibus diſcrimen facit quale ſibi placet, non propter aliquod unius hominis ſupra alium meritum, ſed quia bonum videtur in conſpectu ejus, incomprehenſibili conſilii ejus altitudine, ſecundum beneplacitum ejus, in gloriam nominis ſui, & in bonum Eccleſiæ ſuæ & ſervorum, nam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum. *Amen.* *Rom.* 11.

Meditationes ut judicemus ſapienter, humiliter & candide, de diverſis eventibus quæ contingunt ſervis Dei in tentationibus & perſecutionibus.

Die 18. *Julii* 1640. meditans ſuper timorem, §. 335.
& afflictionem Jacobi, ob appropinquationem *Rom.* 11.
fratris ſui Eſau, ſibi obviam cum quadringentis hominibus venienti, & ferventem ejus orationem ad Deum pro liberatione, & luctationem quam cum Deo habuit, ejuſque victoriam, & fauſtum omen quo Deus eum erexit, & ſalutarem ejus cum Eſau congreſſum, & felicem ab eo timore & periculo liberationem, & gratitudinem ejus Deo, cum gloriatione in eo altare erigendo & vocando *El-elohe-Iſraël*: ſuper hæc meditans, & cogitans populares partim circa me armatos eſſe, & partim venturos, ad habendam Aberdoniæ Synodum Nationalem, die 28. menſis proximi Julii, eoſque palam iram ſuam adverſus me profeſſos eſſe propter monitum, & quod Fœderi non ſubſcripſiſſem, & graviter adverſus me minatos eſſe, ac in proxima Synodo Nationali Edinburgi habita omnibus hujus Eccleſiæ & regni membris Fœderi ſubſcriptionem injunctam eſſe, ſub pœna ſummæ cenſuræ Eccleſiaſticæ, & Ordines regni hoc Synodi Nationalis ſtatutum civili ſanctione muniiſſe; Dominum quæſivi, nomenque ejus invocavi in hoc metu & afflictione, cum magnis gemitibus & multo planctu, dicens: O Deus patris mei Abrahami, & Deus patris mei Iſaaci, & Deus pa-

Gen. 32. & 33. & *Hoſ.* 12. *Jacobi timor, oratio, luctatio, victoria & gratitudo.*

Gen. 33. & *Hoſ.* 12. *Salutaris ejus uſus.*

Supplicationes Domino.

tris mei Iſraël, qui es Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in eo Deus meus & pater, Domine qui dixiſti mihi, cum apud exteros eſſem, revertere in patriam tuam & ad genus tuum, & bene agam tecum; qui dixiſti mihi cum * translatus fuiſſem ab hac profeſſione, revertere in publicam hanc profeſſionem, & ero tecum: Non dignus ſum minima miſericordiarum tuarum, & omni veritate tua, quam ſervis tuis oſtendiſti, nam ex hac regione pauper ego & ſordidus profectus ſum, & hue nunc adduxiſti ſervum tuum, hanc divitiarum & honoris plenitudinem mihi dans, & tuas mihi conſolationes multiplicans, & me prope te adduxiſti in magna tua miſericordia. Libera me, rogo te, ab ira fratrum meorum, ab ira conterraneorum, eos enim metuo, quia minati ſunt, me ex hereditate tua ejicere, vitamque meam & fortunas mihi adimere; & omnis mea ſpes in te Deo meo eſt, qui dixiſti mihi, ne timeas, ſum ſalus tua. Age pro me in miſericordia & potentia, & iis pro me loquere, ſicut locutus es Laban pro ſervo tuo Jacob. (*Gen.* 31. 29.) Converte corda eorum in amorem fraternum erga me, ſicut convertiſti cor Eſau erga Jacob, (*Gen.* 33.) & quacunque luctatione tibi Deo meo placebit me exerçere, robora me, & ſuſtenta me, & fac me in omnibus amplius quam victorem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; & gratum me fac ut ambulem Domine in lumine vultus tui, ſuper me benigne & ſemper reſplendente, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. In nomine tuo exultabo toto die, & in juſtitia tua exaltabo me, & in laude tua triumphabo *El-Elohe-Iſraël*, Abba Pater. Omneſque has miſericordias, & gratias, & liberationes, & benedictiones omnibus meis fratribus concede, & etiam eorum miſerere qui nos infeſtant, converte & conſolare, & nos & eos. Uni omnia corda noſtra & animas noſtras in vera cognitione, timore & amore tui Dei noſtri, & dilectione proximi noſtri in te. Et quanquam afflictiones, mœrores & angores noſtri ſint valde graves, & inſanabiles videantur, dic verbum tantum Domine, & valetudinem & pacem perfectam habebimus. Novit Dominus liberare pios a tentationibus. (2 *Pet.* 2. 9.) Domine pios nos fac, & libera nos ab omnibus tentationibus. Faciem tuam ne abſcondas a nobis, ne projicias nos a facie tua. (*Pſal.* 51.) Vivifica nos, & nomen tuum invocabimus. Domine Deus exercituum, converte nos, lucere fac faciem tuam ſupra nos, & ſervabimur. (*Pſalm.* 80.) Salvos nos fac Domine, magno tuo numine, in quo ſolo ſpem ponimus, & da nobis in nomine tuo ſolo fidere.

** Vocatus fuit auctor ad miniſterium verbi Neo-Aberdoniam, ubi commoratus eſt unico tantum anno ſcil. 1635. & poſtea reverſus eſt ad profeſſionem Theologicam.*

Pro iis etiam qui nos moleſtant.

Conſolationes & laudes.

Dominus me audivit, & miſertus eſt mei, & roboravit me, & conſolatus eſt me. Benedictus ſit Dominus. Cur dejecta es anima me, & cur conturbata in me? ſpera in Deo, quoniam adhue confitebor ei, ſalutare vultus mei & Deus meus, (*Pſalm.* 42. & 43.) benedictus in ſecula. *Amen.*

§. 336. *Renovata miſericordia.*

Die 19. *Julii* 1640. die Dominico, eandem quam præcedente die, habui meditationem, eandem orationem renovans & Dominus benigne mihi eandem conſolationem renovavit. Et dixi: Deus ſpei, reple me omni gaudio & pace in credendo, ut abundem in ſpe & virtute Spiritus ſancti. (*Rom.* 15.)

Domine, Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam feciſti mirabilia, cogitationes tuæ antiquæ ſunt fidelitas & veritas —— fuiſti enim fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes a turbine, umbraculum ab æſtu, ſpiritus enim robuſtorum quaſi turbo impellens parietem. (*Eſai.* 25.) Urbem habemus fortem, Salvator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens juſta. Cuſtodiens veritatem, ſervabis pacem: pacem ei qui in te ſperat. Sperate in Domino ſemper, in Domino eſt fortitudo in perpetuum. (*Eſai.* 26.) Et tecum Domine eſt miſericordia & veritas in æternum. (*Pſal.* 117.) Virtus tua ſempiterna, & veritas & fortitudo tua ſempiterna, nos in æternum ſervent, & fac nos ſperare in te toto corde noſtro, omni tempore. Pacem nobis Domine dabis, omnia enim opera noſtra operatus es. (*Eſai.* 26.) Revertere anima mea ad requiem tuam, quia Dominus benefacit tibi. (*Pſ.* 116.) Nolite timere; ſtate, & videte ſalutem Domini. (*Exod.* 14. 13.) O Domine hæc ſcribi feciſti, & nobis revelaſti in conſolationem noſtram & doctrinam, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. O Domine, operare in nobis veram ſcientiam, ſolidam conſolationem, & ſtabilem ſpem in te, per virtutem Spiritus ſancti. Indictæ huic Synodo Nationali benedic Domine, deduc eos in omni veritate, ſancto tuo veritatis ſpiritu, & eos in veritate tua ſanctifica, & benedic populo tuo in pace. Memento noſtri Domine, in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalute tua. Benedictus ſit Deus ſalutis noſtræ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſolus verus & æternus Deus, Dominus exaltatus ab æterno in æternum ſupra omnem laudem & benedictionem. *Amen & Amen.*

Oratio pro Synodo.

Die 20. *Julii* 1640. rurſus eaſdem habui meditationes, ſupplicationes, & conſolationes, quas duobus præcedentibus diebus habueram, & magis confirmatus ſum in miſericordia Dei erga me, & præſentia ejus mecum, & in certitudine ſalutis ejus nunc & in æternum. §. 337. *Renovata miſericordia.*

Et dixi: Dominus lux mea, & ſalus mea; a quo timebo? Dominus fortitudo vitæ meæ; a quo pavebo? —— Unum petii a Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: Ut videam pulchritudinem Domini, & quæram in templo ejus. Quia abſcondet me in tabernaculo ſuo in die mala, abſcondet me in abſcondito tabernaculi ſui. In petram exaltabit me; & nunc exaltabitur caput meum ſuper inimicos meos in circuitibus meis, & ſacrificabo in tabernaculo ejus ſacrificia gaudii; cantabo & canam Domino. Audi Domine vocem meam, cum clamo; miſerere mei, & exaudi me. (*Pſ.* 27.) Pedes ſanctorum ſuorum ſervabit Dominus, & impii in tenebris conticeſcent; quia in fortitudine ſua non roborabitur vir. (1 *Sam.* 2. 9. vide *Pſ.* 18. 37.) Da Domine fortitudinem tuam ſervis tuis, & ſerva filios ancillæ tuæ. (*Pſ.* 86.) Corrobora nos in Domino Deo noſtro & in potentia virtutis ejus. (*Ephef.* 6. 10.) Virtutem tuam magnam in magna noſtra infirmitate perfice, (2 *Cor.* 12. 9.) & inhabitet in nobis virtus Chriſti. Amplius quam victores nos fac per eum qui dilexit nos. (*Rom.* 8.) Greſſus noſtros dirige in verbo tuo, & ne dominetur nobis ulla iniquitas. (*Pſ.* 119. *Pe.*)

Fac cum populo tuo ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, & pœniteat te mali de ſervis tuis, & fac erga nos cogitationes tuas miſericordiæ & pacis in Jeſu Chriſto Domino noſtro. Converte nos Domine, ad te, & convertemur; ſana nos Domine & ſanabimur; ſalvos nos fac, & ſalvabimur; quoniam laus noſtra tu es. O ſancte, permanens laudes Iſraël, (*Pſ.* 22.) omnia tibi ſunt poſſibilia; inſanabiles morbi apud §. 338. *Oratio pro Scotia populo.*

ce

te non sunt insanabiles, qui vivificas mortuos, & vocas ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. (*Rom.* 4. 17.)

Oratio pro filio meo Georgio, & de eo consolatio.

Oravi etiam pro filio meo unico Georgio, pro misericordia & gratia ei, educatione, sustentatione & præservatione ejus, & ut Deus eum, illi servitio idoneum redderet, quod ei designavit, & eum servaret ab omni illegitimo jurejurando, & ab omni malo in conspectu Dei, & ut eum in via recta deduceret, & illum & nos omnes in cœleste ipsius regnum adduceret, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui sit æterna gloria. *Amen.*

Consolationes de populo Dei, & meipso, & filio meo Georgio.

Dominus abundanter consolatus est me, certum faciens preces meas audivas esse, & quod in misericordia aget cum populo tuo, & quod mei, & filii mei, & fratrum nostrorum recordaretur in beneplacito populi sui, & quod benignam paternam habebit curam filii mei, & quod dabit ei gratiam & gloriam, & omnia bona necessaria ei.

Quid reddam Domino pro omnibus beneficiis ejus quæ contulit in me? (*Ps.* 116.) O Domine, bonitas mea non extenditur ad te, sed bonitas tua liberaliter extenditur ad nos. Benedictum sit sanctum tuum nomen in secula seculorum. Domine aperi labia nostra, tange labia nostra calculo ex altari tuo, dilata corda nostra, ut os nostrum laudes tuas personet, ut te laudemus cum gaudio, cum integro corde, & volenti mente.

Gratiarum actio.

Exaltabo te Domine, quoniam exultasti me, nec lætificasti inimicos meos de me. Domine Deus clamavi ad te, & sanasti me. Domine, ascendere fecisti ab inferno animam meam: vivificasti me a descendentibus in sepulchrum. Canite Domino omnes sancti ejus, & confitemini memoriæ sanctitatis ejus. Quoniam furor ejus durat tantum momento; vita in voluntate ejus: vesperi pernoctabit fletus, & mane lætitia erit. Et dixi in felicitate mea: non vacillabo in seculum. (Nam Domine, in beneplacito tuo stare fecisti in monte meo fortitudinem:) Abscondisti faciem tuam, & territus fui. Ad te Domine clamavi, & ad Dominum oravi. Quæ utilitas in sanguine meo, quum descendero in foveam? Nunquid confitebitur tibi pulvis? Nunquid annuntiabit veritatem tuam? Audi Domine, & miserere mei, Domine esto adjutor mihi. Vertisti planctum meum in choream mihi: solvisti saccum meum, & accinxisti me lætitia. Propterea canet tibi gloria mea, & non tacebit: Domine Deus mi, in seculum confitebor tibi. (*Ps.* 30.) Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quia volens misericordiam est. Revertetur, & miserebitur nostri; deponet iniquitates nostras: & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham: quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis. (*Micha* 7.) Præstabis erga nos benignum tuum misericordiæ, gratiæ & pacis fœdus, quod jurasti patribus nostris, Abraham, Isaac & Jacob; & quod fecisti, & nobis confirmasti in Jesu Christo Domino nostro; & signasti in cordibus nostris per Spiritum sanctum tuum. Quis similis tui inter Deos Domine? Quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia. (*Exod* 15. 11.) Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus, (*Psal.* 72.) mirabilis in consilio, & excellens in justitia. Salus Deo nostro qui sedet super thronum & Agno. —— *Amen.* Benedictio & gloria, sapientia & gratiarum actio, & honor & potestas, & fortitudo sit Deo nostro, in secula seculorum. *Amen.* (*Apoc.* 7.)

§. 339. *Renovatæ consolationes.*

Die 21. *Julii* 1640. Deus benigne & abundanter consolatus est me suavissimis illis consolationibus quas mihi diu abhinc dederat (prout in hoc libro conscriptæ sunt 25. Sept. 1627. & 3. Novembris 1629.) Benedictus sit Dominus.

Dolor pro peccato.

Eodem die magnopere contristatus sum propter peccata mea, quibus eo die & prioribus diebus in Deum peccaveram, & propter corruptionem meam qua tam sæpe Spiritum sanctum contristabam, quam corruptionem, ex malis ejus fructibus in me adhuc esse percepi ad majorem mensuram quam existimavi, super quod Dominum contrito corde & lachrymantibus oculis oravi ut mei misereretur mihique condonaret & sanaret.

Consolatio in misericordia Dei.

Et consolatus sum in misericordia ejus erga me, & in gratia ejus mecum mihi sufficiente, & in certitudine quod perficiet virtutem suam in infirmitate mea, & quod virtus ejus in me manebit. Benedictum sit sanctum ejus nomen in secula seculorum. *Amen.*

§. 340. *Misericordia renovata.*

Die 22. *Julii* 1640. easdem mihi renovavit Deus meditationes, & consolationes suaves, quas quatuor diebus præcedentibus habueram, & laudavi Dominum Salvatorem meum & consolatorem. Ei sit gloria in æternum. *Amen.*

Eodem die, audiens lectam in templo precibus matutinis, & rursus legens domi, historiam Arcæ Dei a Philisthæis captæ, & dolorem & verba uxoris Phinehas matris Ichabod: *Translata est gloria ab Israël, eo quod capta esset Arca Dei.* 1 *Sam.* 4. Lacrymatus sum valde, & huic conjungens verba 78. *Psalmi*: Et irritaverunt eum in excelsis suis, & sculptilibus suis ad æmulationem provocaverunt eum. Audivit Deus & commotus est: & valde sprevit Israëlem. Propterea dereliquit tabernaculum Siloh, tentorium in quo habitavit inter homines. Et tradidit in captivitatem fortitudinem suam, & gloriam suam in manum hostis. Tradidit item gladio populum suum, & in hereditatem suam iratus est. Juvenes ejus voravit ignis, & virgines ejus non fuerunt laudatæ. Sacerdotes ejus gladio ceciderunt, & viduæ ejus non fleverunt. Hæc verba Psalmi ego conjungens cum historia, 1 *Sam.* 4. & etiam gravia hujus gentis peccata, & mea peccata considerans, contremui & multas lacrymas fudi, orans Deum gloriam nostram, non discedere a nobis, sed in multitudine misericordiarum suarum nos ad se convertere, & nobiscum in misericordia manere, & nos ex omnibus difficultatibus nostris educere, & benedicere huic Synodo Nationali indictæ, cum spiritu justi judicii, & timore Domini, & omnibus donis pacifico & benedicto eventui necessariis; & mihi & nobis omnibus dare gratiam, ne domus Dei pacem conturbemus, sed nobis viam pacis & veritatis ostendere, in eaque nos deducere, propter Christum, secundum promissum suum in quo nos confidere fecit. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Postulet autem in fide. (*Jac.* 1. 5, 6.) Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Et etiam promisisti, quod quodcunque rogaverimus in nomine Christi, secundum voluntatem tuam, factum erit nobis. (*Joh.* 14. & 15. & 16. & 1 *Joh.* 5.) Toto corde meo quæsivi te; ne sinas me errare a mandatis tuis. Advena sum ego in terra; ne abscondas a me præcepta tua. Viam mendacii amove a me Domine, & lege tua dignare me. Viam mandatorum tuorum curram, cum dilataveris cor meum. Doce me Domine viam statutorum tuorum;

Væ etiam iis, cum ab iis discedo. Hos. 9. 12.

Deus est gloria nostra. Ps. 26. 1 Cor. 1. 21. Luc. 2. 32.

Preces pro gente nostra, & Synodo, & meipso, & pro unoquoque fratrum nostrorum.

rum; & custodiam eam usque in finem. Da mihi intelligentiam, & custodiam legem tuam; & custodiam illam toto corde. Deduc me per semitam mandatorum tuorum; quia in ea est beneplacitum meum. Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. Confirma servo tuo eloquium tuum, qui timori tuo adhæret. Aufer a me opprobrium meum quod timui; quia judicia tua bona. Ecce concupivi mandata tua: in justitia tua vivifica me. Et obveniant mihi misericordiæ tuæ Domine; & salus tua secundum eloquium tuum. Sit cor meum perfectum in statutis tuis, ne pudore afficiar. Confirma me secundum verbum tuum, & vivam: & ne pudore afficias me ab expectatione mea. Sustenta me, & servabor: & delectabor in statutis tuis semper. Horruit præ timore tui caro mea; & a judiciis tuis timui. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam; & doce me statuta tua. Gressus meos dirige in verbo tuo; & ne dominetur mihi ulla iniquitas. (*Ps.* 119. *Beth* 10. *Gimel* 19. *Daleth* 29, 32. *He* 33——40. *Vau* 41. *Jod* 80. *Samech* 116, 117, 120. *Ain* 124. *Pe* 133.) Justitia sunt testimonia tua in seculum; da mihi intelligentiam & vivam. Et Deus consolatus est me. Benedictus sit Dominus. *Amen.*

§. 341.

Amor Dei in Christo suavis est nostra & fortis consolatio.

Die 23. *Julii* 1640. Dominus meus ac Deus meus, carissimus meus & amantissimus Pater, hanc suavem & fortem mihi dedit consolationem adversus omnem timorem & imbecillitatem, quod ex iis sum quos amat Deus in Jesu Christo filio dilectionis suæ, amore sempiterno, (*Jerem.* 31. 3.) & quod nihil me separabit ab amore ejus, & quod me servat & semper servabit virtute sua per fidem in salutem paratam revelari tempore novissimo; in qua nos magnopere gaudere facit, etiam inter nostras multifarias tentationes, e quibus me ernet Dominus, & me ab omni malo opere eripiet, servabitque regno suo cœlesti. (2 *Tim.* 4. 18.) Ei sit gloria in secula seculorum. *Amen.* Deus est Amor. (1 *Joh.* 4. 8.) Deus pacis & amoris nobiscum sit. (2 *Cor.* 13. 11.) *Amen.*

Deus amat me.

§. 342.

Die 24. *Julii*, magna cum consolatione perlegi has meditationes, quæ in initio hujus libri scriptæ sunt, Deumque laudavi propter ineffabilem ejus amorem, & æternas misericordias erga nos in Christo Jesu.

Consolatio adversus calamitate filiorum Dei.

Etiam considerans afflictiones liberorum Dei hic & alibi, consolatus sum ex lectione horum verborum Domini ad Moysem: Ego audivi gemitum filiorum Israël, quo Ægyptii oppresserunt eos; & recordatus sum pacti mei. Ideo dic filiis Israël: Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & etiam de servitute, & redimam vos brachio magno & judiciis excelsis. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus, & scietis quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum. Et inducam vos in terram, super quam levavi manum meam, ut darem eam Abrahamo, Isaaco & Jacobo: daboque illam possidendam vobis, ego Dominus. (*Exod.* 6. 5, 6, 7, 8.)

Gratias Deo Patri nostro cœlesti, qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum in lumine; Qui eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filii sui dilecti: (filii dilectionis suæ, τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ·) In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum. (*Coloss.* 1. *vers.* 12, 13, 14.) Ei sit æterna gloria. *Amen.*

§. 343.

Signa in bonum.

Die 25. *Julii* 1640. in meditationibus meis matutinis, dum cogitarem super hæc verba *Psalmi* 34. 19. *Propinquus est Dominus contritis corde: & attritos spiritu servat:* Et in memoriam revocans ea quæ supra in hoc libro scripseram, de signo in bonum; in his *Psalmi* 34. verbis certum signum in bonum inveni, piam scilicet cordis & spiritus contritionem. Pro hac humiliter Deum oravi, & benigne eam dedit mihi. Et magnopere consolatus sum in infallibili promissorum ejus veritate, quod propinquus est contritis corde, & attritos spiritu servat. Sacrificia Dei spiritus contritus: cor contritum & confractum Deus non despicies. (*Ps.* 51. 19.) Quia hæc dicit Excelsus, & sublimis, habitans æternitatem: & sanctum ejus nomen: in excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu: ut vivificet spiritum humilem, & vivificet cor contritorum. (*Esai.* 57. 15.) Quæ secundum Deum est tristitia, resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœniteat. (2 *Cor.* 7. 10.) Beati qui lugent, quoniam ipsi solamen recipient. (*Matth.* 5. 4.)

Pia contritio.

Et rectitudo cordis.

Cum hac pia contritione etiam est cordis rectitudo, pro qua etiam Dominum oravi cum lacrymis. Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis. (*Ps.* 51. 12.) Sit cor meum perfectum in statutis tuis, ne pudore afficiar. (*Psal.* 119. *Jod v.* 80.) Et quanquam cor meum sit dolosum, tamen, Domine, æterna tua caritas erga nos est justissima, & invincibilis, in Jesu Christo Salvatore nostro; qui lacrymas & sanguinem effudit, & mortuus est pro peccatis meis, & resurrexit propter justificationem meam, qui est ad dexteram Dei, qui etiam pro me & pro nobis omnibus intercedit, potens noster Advocatus apud Patrem, cujus sanguis nos ab omni peccato mundat. In eo nullus erat dolus, neque ullum erat in illo peccatum: & cum adhuc essemus inimici, nos tibi reconciliasti per mortem ejus. Nos nunc carissime Pater, reconciliatos per vitam ipsius serva. Hoc etiam persalutare signum in bonum inveni. Oculi Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Clypeus meus est in Deo, qui servat rectos corde. (*Psalm.* 7. *vers.* 11.) Observa perfectum hominem, & vide rectum, quia novissimum tali viro pax. (*Psalm.* 37. 37.) Profecto bonus est Israeli Deus, sed mundis corde. (*Ps.* 73. 1.) Beati qui sunt mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. (*Matth.* 5. 8.) Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: & non imputabit iis quod minus sanctificati sunt. (2 *Chron.* 30. 18, 19.)

Valida in Christo consolatio.

Item agnoscere Deum, eum amare, eum invocare, & in eo confidentiam ponere.

Etiam memini horum quatuor signorum in bonum in Psalmo 91. scriptorum, de quibus supra in hoc libro, scilicet Deum agnoscere, eum amare, eum invocare, in eoque confidentiam ponere; & promissorum illorum bonorum omnibus talibus factorum in eo Psalmo, ut supra scriptum est in hoc libro. Etiam in aliis sacræ Scripturæ locis dicitur, quod hæc sunt signa multorum bonorum & felicitatis æternæ. Hæc est autem vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum. (*Joh.* 17. 8.)

Cognitio Dei.

Agnosce Deum.

Quin etiam certe duco omnia damnum esse, propter eminentiam notitiæ Christi Jesu Domini mei: propter quem omnibus istis me ipsum mulctavi, eaque duco pro stercoribus, ut eum lucrifaciam, & comperiar in eo. (*Phil.* 3. 8, 9.)

Amor Dei.

Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & ei conspiciendum exhibebo meipsum (*Joh.* 14. 21.)

No-

Novimus autem, iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse in bonum. (*Rom.* 8. 28.) *Invocate nomen ejus, sperate in eo.* Quisquis invocaverit nomen Domini, servabitur. (*Rom.* 10. 13.) Et sperabunt in te scientes nomen tuum: quia non derelinquis quærentes te Domine. (*Ps.* 9. 11.) Beati omnes qui sperant in eo. Sol & scutum nobis Dominus Deus: gratiam & gloriam dat Dominus; nec prohibet bonum ambulantibus perfecte. Domine exercituum, beatus homo qui sperat in te. (*Ps.* 84.)

Oratio. Manifesta te mihi Domine in misericordia, & me fac te scire, te amare, te invocare, in te sperare, vere & semper; & in me etiam operare reliqua signa in bonum, ut soles iis facere quibus dabis gloriam, & gratiam, & omne bonum. Multi dicunt: quis videre faciet nos bonum? *Bonum est lumen vultus Dei.* eleva super nos lumen vultus tui Domine. Dedisti lætitiam in corde meo &c. In pace pariter accubabo & dormiam; quia tu Domine solus confidenter habitare facies me. (*Ps.* 4.)

Opus gratiæ in nobis inceptum certum est signum, quod fidelis noster Deus id perficiet in nobis, & non deseret opera manuum suarum. Hallelujah. Qui incepit in vobis opus bonum, perficiet, usque ad diem Jesu Christi. (*Philip.* 1. 6.) Qui etiam confirmabit vos usque in finem inculpatos, in diem Domini nostri Jesu Christi. Fidelis est Deus, per quem vocati estis in communionem Filii ipsius Jesu Christi Domini nostri. (1 *Cor.* 1. 8, 9.) Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, Deumque rogo, ut integer vester spiritus & anima & corpus inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi conserventur. Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam id efficiet. (1 *Thess.* 5. 23, 24.) Cur dejecta es anima mea, & cur conturbata in me? spera in Domino. (*Ps.* 42. & 43.) Dominus perficiet pro me opus suum. Domine misericordia tua in seculum: opus manuum tuarum non dimittes. (*Ps.* 138.) Soli sapienti Deo sit laus & gloria, per Jesum Christum, in secula seculorum. *Amen.*

Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus petra mea, & arx mea, & erutor meus, Deus meus, fortitudo mea, in eo sperabo; scutum meum, & cornu salutis meæ, & elevatio mea. Laudatum invocabo Dominum, & ab inimicis salvus ero. (*Ps.* 18. 2, 3, 4, 5.) Latibulum meum, & scutum meum es tu: verbum tuum expecto. (*Ps.* 119. 114.) Dominus fortitudo mea & scutum meum, in ipso speravit cor meum & adjutus sum; & exultavit cor meum, & cantico meo confitebor ei. Te Domine laudo, quod mihi gratiam dedisti, & cor meum coram te effundere me fecisti, & audivisti me, & cor meum in te sperare fecisti. Domine succurre diffiden-
Ps. 27. & 30. tiæ meæ. Auxiliatus es mihi Domine. Auxilium meum fuisti, ne deseras me igitur, neque derelinquas, Deus salutis meæ. *Ps.* 28. Audi Domine, & miserere mei: Domine, esto adjutor mihi. Serva populum tuum, & benedic hereditati tuæ, & pasce eos, & extolle eos usque in seculum.

Oratio pro Ecclesia & regno nostro. Da benignum, benedictum & salutarem hujus Synodi, & omnium horum conventuum, pactorum, consultationum & expeditionum eventum.

Ps. 115. Israël, fide Domino: quoniam auxilium eorum & clypeus eorum est. Domus Aaron, fide Domino: nam auxilium eorum & clypeus eorum est. Qui timetis Dominum, fidite Domino: quia auxilium eorum & clypeus eorum est. *Auxilium, protectio & benedictio.* Dominus memor fuit nostri, benedicet nobis: benedicet domui Israël, benedicet domui Aaron. Benedicet timentibus Dominum, pusillis cum magnis. Nos autem benedicemus Domino, ex hoc tempore usque in seculum. *Hallelujah.*

§. 344. *Consolatio adversus omnes tentationes.* *Die* 26. *Julii* 1640. considerans quod hic sumus sicut agni inter lupos, nam præter multas alias luctationes, spiritualibus impietatibus gressus nostros pervertere quærentibus circumdamur; oravi Deum meum & Dominum, ut bonum pro nobis prælium pugnaret, nos ab ore leonis & ab omni malo laqueo servaret, me in fide in Christo Jesu stabiliret, & cursum meum patienter currere faceret, fidem & bonam habentem conscientiam, & spem in *Præparatio pro beata morte.* Christo & gloriam spei usque in finem firmam retinentem, ita ut cursum meum finiam cum gaudio in conspectu salutis ejus, & in pace moriar, & sim semper cum Domino Jesu in gloria cœlesti.

Exaudivit Dominus preces meas, & magnam mihi dedit consolationem, in certitudine quod omnes has meas concessit petitiones, & bonum *Preces pro filio meo & aliis.* etiam mihi faciet, supra quod petam aut cogitem. Eum rogavi ut easdem benedictiones filio meo & cæteris omnibus nostris amicis, omnibusque aliis Dei liberis largiretur, & ut huic in- *Et pro Synodo & pro nobis qui coram ea comparere jussi sumus.* dictæ Synodo Nationali benediceret, utque mecum & cum Collegis meis ibi esset, & ubicunque sumus, causam nostram benigne & potenter ageret, dextræ nostræ astaret, & ab omni malo opere nos liberaret, ad regnumque suum cœleste reservaret divina sua virtute per fidem in Jesu Christo.

Et etiam suaviter consolatus sum super has petitiones. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto in secula seculorum. *Amen.*

Eodem die, (die Dominico) Dominum *Joannem Kempt* Palæo-Aberdoniæ super hæc verba Domini per Prophetam suum *Jeremiam* concionantem audivi: *Ite ad locum meum in Schilo, ubi habitavit nomen meum a principio: & videte quæ feceram ei propter malitiam populi mei Israël.* (*Jer.* 7. 12.) 1. Talium exemplorum hunc usum discite: non maximi sunt peccatores ii, verum ni resipiscatis, omnes peribitis. (*Luc.* 13 *v.* 3, 5.) 2. Peccatum producit judicium, & tribulationem, & resipiscentia plagam avertit. 3. Non ita debemus aspicere instrumenta & causas secundarias, quibus Deus utitur nos corrigendo, ut efficientem principalem, qui est Deus, quem offendimus & provocavimus nostris peccatis, & ne ulterius peccate, sed resipiscite. 4. Ubi non resipiscitur, ibi nullum privilegium a pœna liberat. Shilo erat locus Dei, ubi habitavit nomen ejus a principio, eratque Israël populus ejus. Sanctum & reverendum est ejus nomen. *Psalm.* 111. 9.

Die 27. *Julii* 1640. cogitavi de his verbis Sal- §. 345.
Paternus amor. vatoris nostri Jesu Christi: Ecquis ex vobis pater, si filius ab eo petierit panem, lapidem ei dabit? aut si piscem, num pro pisce dabit ei serpentem? Aut si petierit ovum, dabit ei scorpionem? Si vos igitur qui mali estis, nostis bona dare liberis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus ab ipso? (*Luc.* 11. 11, 12, 13.)

Memini etiam hujus dicti Jesu Christi: Sed quum tradent vos, ne estote solliciti quomodo aut quid (πῶς ἢ τί) loquamini, dabitur enim vobis illo momento quod loquamini. Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus patris vestri is est qui loquitur in vobis. (*Matth.* 10. 19, 20.)

Oratio pro dono Spiritus sancti. Et meipsum humiliavi coram Domino Deo meo, Patre meo cœlesti, & cum lacrymis ab eo Spiritum sanctum petii, propter Christum filium dilectionis suæ, in quo dilexit me, & diligit amore paterno, multo supra amorem meum erga filium meum Georgium, quem amo ut animam meam.

Responsum Et Pater meus cœlestis qui est amor, dedit mihi

admodum salutare. mihi responsa misericordiæ paternæ, charitatis, veritatis & pacis. *Et sanctus Spiritus* (quem a Patre meo cœlesti sancta Trinitate petii) *in templum suum, ipsum cor meum, cum nova benigna suæ præsentiæ mensura venit, me certum faciens, quod omnia mea peccata condonavit*, vidit omnes meas afflictiones, & posuit lacrymas meas in utre suo, & libro suo eas scripsit. (*Ps.* 56. 9.) Et quod velit me consolari, & cor meum vivificare, & mecum & in me habitare, in sempiternum suo consilio me deducere, me in terram justitiæ ducere, & in æternum gloriam me recipere. Surge, amica mea, speciosa mea, & veni. (*Cant.* 2. 13.)

Oratio. Maneas mecum & in me, in æternum, Domine.

Responsum. Tunc salutare admodum mihi dedit responsum: *Hac est requies mea in æternum; hic habitabo, quia elegi eam:* (*Ps.* 132. 14.) Mihi ostendens quod hæc promissa benigna ita fiant Ecclesiæ, ut etiam particulariter ad unamquamque animam fidelem secundum decretum ejus vocatam pertineant; & me etiam certum reddens,

Certitudo particularis de electione mea, adoptione & salute. quod ex his sum, & clamare me faciens Abba Pater, & testimonium spiritui meo perhibens, quod sim filius Dei, & me ita scire faciens quod in me manet. Da mihi gratiam Domine, & fac ut digne ambulem Patri meo cœlesti per omnia placens, in omni bono opere fructificans, (*Col.* 1. 10.) & virtutes Dei mei annuntians, qui me vocavit e tenebris in admirabilem lucem suam, (1 *Pet.* 2. 9.) ut bene agendo vocationem & electionem meam firmem, (2 *Pet.* 1. 10.) & in certitudine ejus crescam quotidie. Dominus respondit mihi: *Vade in pace.* (*Luc.* 1. 50.) *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* (*Matth.* 9. 2.) *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur.* (2 *Cor.* 12. 9.) *Nunquam te deseram, neque derelinquam.* (*Heb.* 8. 5.) *Ne timeas, sum salus tua.* (*Ps.* 35. 3.) *Libuit patri tuo, dare tibi regnum*, (*Luc.* 12. 32.) *& omni tuo gregi.* O Domine, si operaretur spiritus in me talem zelum & justitiam, ut operatus est in sancto tuo Apostolo Paulo, cum propter salutem fratrum optaret ipse, anathema esse a Christo! (*Rom.* 9. 3.)

Lamentatio & oratio pro Christi Ecclesia in Scotia. Domine miserere mei, & fratrum meorum, & popularium meorum. Eheu! Ecclesia tua in hac terra est in afflictionibus, grex tuus dissipatur & dividitur, tuum populum desolationes & terrores arripiunt, cujus consolationem & unitatem in veritate & pace Dei magis cupio, quam pro meipso ullam rem creatam, quæ sit mere creatura in cœlo aut terra. Sit desiderium hoc Domine in me magis ac magis sincerum ac fervens, & condona mihi desiderii hujus imbecillitatem & imperfectionem, & propter Christum sana me. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram & miseram distractionem, & hanc Ecclesiam, & populum super quem nomen tuum est invocatum; non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, condona gravissima nostra peccata, multas nostras abominationes, & converte nos ad te, & convertemur. Et quamquam plagæ nostræ & dolores nostri sint insanabiles, tamen nobis salutem restituere & potes & vis. Loquere verbum Domine, & habebimus pacem. Non in sempiternum Domine litigabis, neque usque ad finem irasceris, quia spiritus a facie tua egredietur, & animæ quas fecisti. (*Esai.* 57. 16.) Et quanquam abivimus vagi in via cordis nostri, & vias nostras vidisti, tamen Domine sana nos, reduc nos, & redde consolationes nobis & lugentibus nostris, secundum verbum tuum quod loquutus es per sanctum tuum Prophetam Esaiam de omnibus peccatoribus qui resipiscunt, quibus contritum & humilem das spiritum. Domine, da nobis piam contritionem, & nos mites & humiles fac corde, sicut fuit Christus Salvator noster, & da requiem animabus nostris in Christo Jesu Domino nostro.

Consolatio de Ecclesia. Magnam percepi consolationem de his petitionibus, quia Dominus Ecclesiam suam suo redemit sanguine, & quanquam nos peccavimus, & inique fecimus, non tamen amovit candelabrum nostrum de loco suo Dominus, sed nos ad pœnitentiam vocat, & hic adhuc Ecclesiam habet, ubi inhabitat ejus nomen, & quæ vocatur ejus nomine, quamque amore sempiterno diligit: & cogitat super nos cogitationes pacis & non afflictionis, ut det nobis finem expectatum, finem fidei nostræ, scilicet salutem animarum, per Jesum Christum Salvatorem unstrum, cui sit gloria in æternum. *Amen.*

Consolatio de filio meo Georgio. Serio etiam oravi pro misericordia, & gratia, & pace, & gloria, & omnibus bonis filio meo Georgio necessariis; & Deus benigne & abundanter renovavit mihi idem salutare responsum, quod de eo acceperam die hujus mensis 20. ut in hoc libro scriptum est. Benedictus sit Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra, ut possimus in quavis afflictione positos consolari ea ipsa consolatione, qua nos consolatur Deus. Nam sicut exundant perpessiones Christi in nobis, ita per Christum exundat etiam consolatio nostra. (2 *Cor.* 1. 3, 4, 5.) Gloria Deo in altissimis, & pax in terra hominibus bonæ voluntat.s. (*Luc.* 2. 14.) *Amen. Hallelujah.*

Angustia Hezekiæ, & ejus ad Deum applicatio, qui eum liberavit. *Eodem die* audivi lectum in templo precibus vespertinis 37. cap. Esaiæ, ubi Hezekias hæc verba mittit Esaiæ: *Venerunt filii ad partum, & virtus non est pariendi.* (Et a Sennacherib epistolum recepit hæc habentem,) *Ne decipiat Deus tuus in quo tu confidis, & Hezekias expandit epistolam coram Domino, Deumque precatus est ut eum servaret, & audivit eum Dominus, & consolatus est eum, & servavit eum.*

Applicatio Tunc ego considerans præsentes meas difficultates, & multas hominum adversum me minas, dixi in oratione mea Domino: Multi dicunt de anima mea, non est salus ei in Deo. Selah. At tu Domine clypeus es pro me; gloria mea, & exaltans caput meum. (*Ps.* 3. 3, 4.) In te confido, serva me, non confundar, & succurre incredulitati meæ. Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. (*Psal.* 119. 37.) Et magnopere consolatus sum, & corroboratus in Deo. Benedictus sit Dominus in æternum, qui summa cum exuberantia potest omnia facere supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis. (*Eph.* 3. 20.) Ei sit gloria in Ecclesia, per Jesum Christum, in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.*

Die 28. *Julii* 1640. sedit Synodus Nationalis, §. 346.
Synodus Nationalis in Aberdonia. quæ habita est in templo Collegii Neo-Aberdonensis, & eo die observarunt jejunium, & conciones in eo templo habuerunt. Concionatus est mane Dominus *David Dickson* (qui fuerat præses in præcedenti Synodo Nationali Edinburgi habita,) super hæc verba Apostoli: Non enim statui quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum, eumque crucifixum. (1 *Cor.* 2. 2.) Pastor debet loqui & agere determinate, & non temere, & deponere omnia alia quæ impedimento sunt,

sunt, ut pellacia humanæ sapientiæ verba, vanam gloriam, mundanas distractiones &c. Christum cognoscere hic significat ita eum cognoscere, ut etiam eum amemus, in eoque credamus, & cognitione experimentali eum cognoscamus; & præsertim ut cognoscamus eum pro redemptione nostra crucifixum. Hæc est vita æterna ut te cognoscant esse verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. (*Joh.* 17. 3.) Et dixit Apostolus, ut cognoscam eum, & vim resurrectionis ejus: & communionem perpessionum ejus, dum conformis fio morti ejus. (*Phil.* 3. 10.) Etiam nihil cognoscere præter Christum crucifixum, est nihil profiteri, nihil docere, propter nihilum gloriari, præter Christum crucifixum, non nostram quærere gloriam, sed gloriam ejus qui misit nos. Non enim nosipsos prædicamus, sed Christum Jesum esse Dominum; nos autem servos vestros propter Jesum. (*2 Cor.* 4. 5.) Jejunium eo die cum Synodo observavi. Et Deum ibi & alibi invocavi, & lætam percepi consolationem. Benedictus sit Dominus. *Amen.*

§. 347. *Mei statio coram Synodo.* *Die* 29. *Julii*, auditor in Synodo permansi tota ea sessione, & circa finem sessionis nomine meo cum nominibus aliorum qui citati erant, vocato; respondi, & Præsidi accessurus propius, remoratus sum, jussus quotidie Synodum attendere & foris extra domum Synodi manere, quibus obedire promisi.

§. 348. *Imbecillitas coram Synodo.* *Die* 30. *Julii* 1640. multo mane revolvens ea quæ hesterno die transacta fuerunt, reperi quod inter verba mea coram Synodo erant quædam, quæ non dixisse debui, & quædam omisi, quæ erant dicenda.

Oratio cum lacrymis. Et metuens ne quædam offensa in animis quorundam exorta esset propter id, & derelictionem metuens, Dominum precatus sum cum lacrymis pro misericordia, & ut omnes offensas a me ulli datas aut ab ullis eo die propter me sumptas amoveret & mederetur, & ut cum corde meo & ore meo esset, & ut misericordiam & gratiam in conspectu suo, & convenientem misericordiam & gratiam in conspectu omnium

Consolatio. cum quibus agendum est, mihi daret. Et in Deo consolatus fui. Et sit gloria in æternum. *Amen.*

Die 31. *Julii* 1640. easdem petitiones Deo repetivi & consolatus fui.

Die 1. *Augusti* 1640. comparui coram Delega-

§. 349. *Benigna Dei mecum præsentia coram Delegatis.* tis Synodi Nationalis, & de multis interrogatus, benignam Dei præsentiam tam evidenter mecum sensi, ut non obstantibus meis scrupulis de Fœdere, & scriptis meis, placati viderentur. Etiam æqui bonique fecere responsiones meas ad alias quæstiones, diebus 4. & 5. ejusdem mensis. Nunc

Preces cum gemitibus & lacrymis. omnibus diebus Synodi precatus sum Dominum gemitibus & lacrymis, ut mecum esset, & mihi lætum exitum benedictumque daret eventum, & omnia mea peccata condonaret. Et audivit me. Benedictus sit Dominus.

§. 350. *Synodi bonum de me testimonium.* *Die* 5. *Augusti* 1640. vocatus comparui coram Synodo Nationali, & præses ejus *Dom. Andreas Ramisæus*, mihi in nomine & præsentia totius Synodi dixit, Synodum Nationalem me reperisse ingenuum & orthodoxum, neque Papistam, neque Arminianum, & quoad diversam meam de Fœdere sententiam, Synodum mihi suam voluntatem sequenti die intimaturam. Hoc audito, respon-

Gratiæ Deo. di, & gratias egi Deo, & huic venerabili Synodo, propter hoc eorum de me testimonium. Et promisi serio me eis daturum omnem satisfactionem, quantum conscientia mea permitteret.

§. 351. *Idem testimonium reiteratum.* *Die* 6. *Augusti* 1640. (Hoc die finiit Synodus) Vocatus rursus comparui coram Synodo, ejusque Præses rursus publice in nomine Synodi idem mihi dedit sinceritatis & orthodoxiæ testimonium, quod mihi die præcedenti dederat, mihi declaravit velle Synodum, ut,

Mandatum Synodi & meum responsum. paucis post Synodum diebus, Edinburgum proficiscar, atque ibi cum fratribus ejus presbyteris de Fœdere conferrem. Hunc esse favorem mihi factum agnovi, atque obedire promisi, rogans etiam, ut, sive post colloquium conveniremus, sive non, amorem suum erga me continuarent, si bene me gererem. Et promisi audire, & sincere & æque considerare omnes rationes, quæ mihi afferrentur, & nullam pervicaciam aut cordis duritiem, neque honorem vel dedecus, aut ullum alium mundanum respectum me remoraturum, quin quod verum esse comperiam amplectar & confitear. Deum orabo & in gratia

Eorum responsum. ejus confidam. Et cum eos rogavi ut amorem suum erga me retinerent, amice mihi responderunt, ut hoc referrem Delegatis qui futuri erant Edinburgi, & ut amicam expectarem tractationem quantum cum publico Ecclesiæ Scoticanæ bono consisteret, quod ulli privato homini præferendum est.

Responsum meum. Respondi, hoc æquissimum esse, & ita dimis-

Salutaris a Synodo discessus. sus sum cum amore, & unanimi totius Synodi & omnium membrorum tam laicorum quam clericorum benevolentia; & ab iis discessi laudans & glorificans Deum, qui mei misertus est, & mihi amicam hanc a Synodo gratiam dedit, & ita abundanter consolatus est me supra ea quæ petii aut cogitavi, & amicis meis copiam dedit gaudendi & Deum laudandi mecum & pro me,

Gratiæ Deo pro miris ejus misericordiis. & hostes meos mihi pacificos & amicos meos fecit, & spirituales meos hostes confudit, & omnes hujus misericordiæ magnæ Dei erga me spectatores, miram Dei providentiam, & excellentem ejus caritatem, & veritatem salutis ejus omnibus qui in misericordia ejus confidunt, & nomen ejus *El Elohe-Israël* invocant, extollere & admirari fecit. Benedictus sit Dominus, quoniam mihi mirificavit caritatem suam in civitate munita.

Gratiæ cum lacrymis gaudii. Posthæc eodem die in campis solus & super hæc omnia meditans, humi meipsum projeci, Deumque cum lacrymis gaudii laudavi. Redemit in pace animam meam a bello quod erat contra me, quoniam multi erant mecum. Judicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. (*Lam.* 3. 58.) Revertere anima mea ad requiem tuam, quia Dominus benedixit tibi. (*Psalm.* 116.) Quid reddam Domino pro omnibus ejus beneficiis erga me? Bonum meum non ad te pervenit Domine. (*Psal.* 16.) Sanctifica me totum, spiritum, animam & corpus tibi. (*1 Thess.* 5. 23.) Super me Deus sunt vota tua, reddam laudes tibi. Quoniam eripuisti animam meam a morte: nonne & pedes meos a lapsu, ut ambulem coram Deo in lumine viventium? (*Ps.* 56.)

Oratio de itinere meo Edinburgum. Deduc me Domine, serva me & benedic mihi in instituto hoc Edinburgum itinere, & me domum refer in pace, cum bona conscientia.

Consolatio. Hoc ferventer cum lacrymis rogavi, & Dominus benigne orationem meam audivit, me certum reddens, quod mecum ibit & domum reducet in pace, & salutem ejus mihi ostendet. Ita ut cursum meum cum gaudio finiam, & in pace moriar in conspectu salutis ejus.

Consolatio adversus timorem & mortem. Hinc magnopere a Deo consolatus sum adversus timorem profectionis Edinburgum, & imbecillitatis meæ & tentationum me ibi expectantium, & adversus timorem mortis. Benedictum sit nomen Domini in æternum. *Amen.*

§. 352. *Pœnitentia & consolationes.* *Diebus* 7, 8, 9. *Augusti* 1640. deflevi amare delicta mea, & peccata mea, & corruptiones, & quotidie consolatus sum, sed maxima cum exuberantia die 9. die Dominico & mane, & inter conciones duas quas *Gulielm. Guild SS. T. D.* concionatus est Palæo-Aberdoniæ super hæc verba *Psal.* 126. 5. Qui seminaverunt cum lacrymis, cum exultatione metent. Debemus flere, lacrymis piæ contritionis, propter nostra & aliorum peccata, & propter absentiam sponsi, in cujus vultus lumine est gaudium nostrum, & desiderio patriæ, ut simus cum Christo liberi ab omni peccato, & perfecti in sanctitate & gloria. Cum gaudio metemus, hic implebimur gaudio salutis Domini, & postea in cœleste illud Domini nostri gaudium intrabimus, in satietatem lætitiarum cum vultu ejus, & jucunditates ad dexteram ejus in æternum. Pias mihi dedit Deus lacrymas cum audirem, & animam meam in Domino lætam fecit, & lacrymas meas posuit in utre suo, misericors mihi in Jesu Christo Salvatore meo, qui lacrymas & preciosum suum sanguinem fudit, & vitam pro me deposuit, & me Deo reconciliavit, qui me in dilecto acceptum fecit, ut essem ad laudem gloriæ ejus gratiæ. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Luc.* 10. 20. Oravi etiam pro Christi Ecclesia in hoc regno, & in cæteris regionibus quæ sub Regis nostri ditione sunt, & alibi, & pro fratribus nostris & sororibus afflictis, & pro filio meo & pro omnibus aliis amicis nostris. Et suaviter & fortiter consolatus sum in Deo Salvatore meo, cui sit gloria in æternum. *Amen.*

§. 353. *Supplicationes.* *Die* 10. *Augusti* supplicationes meas ad Deum lacrymis renovavi, pro misericordia & gratia, & consolatione, & liberatione, & perpetua præsentia, & pro pœnitentia, & condonatione, & mansuetudine, & humilitate cordis, caritate & sanctitate, sinceritate & in bono constantia, vera sapientia & tranquillitate animi, & requie animæ in Christo Jesu Salvatore nostro; & ut Dominus in omni veritate duceret me sancto suo Spiritu veritatis, & me in veritate sanctificaret, & animam meam renovaret, & me in justitiæ via duceret propter nomen suum; & ut condonaret meam incredulitatem, & meam remissionem in cultu ejus, & meam erga fratres meos contumaciam, & ut omnes offensiones a me datas amoveret & mederetur; & ut vigilaret super me posthac propter bonum, & ut lumen voltus sui semper & benigne super me lucere faceret, per Jesum Christum Dominum meum, & ut pro me omnibus fratribus meis loqueretur, & mihi in conspectu eorum gratiam & misericordiam daret, & ut omnes me meliores habere faceret, meque in abundante erga nos omnes misericordia consolaretur, & verum ac fidelem usque ad mortem faceret, mihique victoriam & coronam vitæ daret, per Jesum Christum benedictum meum Salvatorem. Cui cum Patre & Spiritu sancto sit omnis gloria, honor & laus in æternum. *Amen.*

Oravi etiam ut omnes has misericordias & gratiæ dona omnibus meis fratribus, & filio meo, & omnibus nostris, & omnibus Dei liberis, in omni nostræ peregrinationis cursu pro omnium necessitate daret. Oravi etiam pro veritate & pace Christi Ecclesiæ in hac terra, & in omnibus regionibus quæ sub Regis ditione sunt, & ubique alibi, & pro misericordia, & pace, & benedictione in Regem, & Reginam, & Regios liberos, & omnes ejus subditos. *Dominus audit & respondet consolatorie.* Audivitque me Dominus, & dedit mihi responsa gratiæ, veritatis, & pacis; & me certum fecit, quod faciet propter bonum meum, & propter bonum omnium reliquorum liberorum, summa cum exuberantia, supra quod peterem aut cogitarem. Et custodiet nos a lapsu immunes, & statuet in conspectu gloriæ suæ inculpatos, cum exultatione. Ita reddita est anima mea in requiem suam in Christo, & etiam consolatus sum de omnibus meis fratribus. Christus est lumen vultus mei, & Deus meus, animam meam facit sicut hortum irriguum, facit cor meum ut vallem Baca, *Baca & Berachah.* mihi pios gemitus & lacrymas dando; & etiam vallem Berachah, implendo cor & os meum cantibus laudis & benedictionis, Deo Salvatori nostro. (2 *Chron.* 20. *Ps.* 68. *Es.* 26.) Robora ô Deus hoc, quod operatus es nobis. Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis.

Benedictus sit Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater miserationum, & omnia consolationis Deus, consolans nos in omni afflictione nostra, ut possimus in quavis afflictione positos consolari ea ipsa consolatione, qua nos ipsos consolatur Deus. (2 *Cor.* 1.) Sanctifica Domine totum meum spiritum, animam & corpus, ut benedicam nomini tuo sancto & benedicto. Benedictum sit gloriosum tuum nomen, quod exaltatur supra omnem laudem & benedictionem.

Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sanctitatis ejus. Benedic anima mea Domino, & ne obliviscaris omnium beneficiorum ejus. Qui remittit omnes iniquitates tuas, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de fovea vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui satiat bono os tuum, & renovatur, ut aquilæ, juventus tua. Faciens justitias Dominus, & judicia omnibus quibus vis infertur. Notas fecit vias suas Mosi, filiis Israël opera sua. Misericors & clemens Dominus, longus ira, & multus misericordia. Non in seculum contendit, nec in sempiternum servat iram. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli super terram, roboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat oriens ab occidente, distare fecit a nobis prævaricationes nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, miseretur Dominus timentium se. Quia ipse cognoscit figmentum nostrum, recordatur quod pulvis sumus. Hominis sicut herba sunt dies, sicut flos agri, sic floret. Quoniam ventus transit in illum, & non est, neque agnoscit eum ultra locus ejus. Misericordia autem Domini a seculo usque in seculum, super timentes eum, & justitia ejus supra filios filiorum, super custodientes pactum ejus, & eos qui recordantur præceptorum ejus ad faciendum ea: (tales nos faciat Dominus.) Dominus in cœlo præparavit thronum suum, & regnum ipsius omnibus dominatur. (*Ps.* 103.) Regnabit Dominus in seculum: Deus tuus Zion in generatione & generatione. (*Psal.* 146.) *Hallelujah.*

Benedicite Domino Angeli ejus, fortes robore, facientes verbum ejus, ad obtemperandum voci verbi ejus. Benedicite Domino omnia opera ejus, ministri ejus, facientes voluntatem ejus (fiat voluntas tua quemadmodum in cœlis, sic etiam in terris). Benedicite Domino omnia opera ejus, in omnibus locis dominationis ejus. (*Ps.* 103.) Bonus Dominus universis, & misericordiæ ejus super omnia opera ejus. Celebrabunt te Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicent tibi. (*Psal.* 145.) Et anima mea quam redemisti. (*Psalm.* 71. 23.) Benedic Domino

ani-

anima mea. Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu ero. (*Ps.* 146.) Benedictus sit Dominus. *Amen.*

§. 354. *Fletus.* *Diebus* 11. 12. & 13. *Augusti* 1640. amare quotidie flevi inter precandum, & Deo confessus sum, & agnovi defectiones meas, ac offensas flagitiosas, meque orando sudi coram Domino Deo misericordiæ meæ, roboris ac salutis, qui etiam me exaudivit, & exaltavit magnas suas *Consolationes.* & æternas in me benignitates in Christo Jesu Salvatore meo, meque affatim solatus est, & certificavit se nunquam vel me deserturum, vel derelicturum, omniaque condonata mea peccata, gratiamque suam ubique mihi sufficere, se potentiam suam in imbecillitate mea perfecturum, *Adversus terrores mortis.* virtutem Christi mihi insidere, iniquitates meas se subditurum, & per orbitas justitiæ propter nomen suum me ducturum, seque mihi præparasse locum requiei & æternæ felicitatis in cœlis, in domo cœlestis Patris mei, atque me in locum illum apud se tempore suo constituto rapturum, neque me siturum ultra vires tentari, ast me sustentaturum ac erepturum, gratiosum se præbiturum populo suo hic & alibi, misericordiam exerciturum in gentem hanc, filio meo benedicturum, omnibus necessariis meis, omnibus denique afflictionis filiis, consolaturum, gratumque se exhibiturum servis suis quibuscunque, neque se nobiscum acturum pro peccatis nostris & nequitia, sed secundum multitudinem misericordiarum suarum in Christo Jesu, quem pro divite sua benignitate & caritate superabundanti erga nos in illo pro nobis tradidit. In animum revocavi stultitias, temeritates & timores suspicaces, malasque meas suspiciones, & impatientiam, multifariamque cordis mei & viarum mearum nequitiam, offensasque inde illatas. *Confessio.* Supplex peccata mea Deo professus sum, omnesque mihi ignovit iniquitates, meque sanavit, ac dulcem solidamque redintegravit con- *Consolatio.* solationem, eripuitque me de laqueis quibus stulte memet illaqueaveram, retinuitque me a peccando contra illum, omniaque mea devia hactenus perpetrata præteriit, omissionum demum quarumcumque vinculum abrupit, ac in tutelam & protectionem in sempiternum me accepit. Nisi Jehovah pleno auxilio fuisset mihi, parum abest quin habitasset in loco silentii vita mea. Quum dico: dimovetur pes meus, benignitas tua ô Jehovah sustentat me: Quum multæ sunt cogitationes meæ apud me, consolationes tuæ oblectant animam meam. (*Ps.* 94.) O Jehovah exercituum, beatus homo, qui fiduciam habet in te. (*Psalm.* 84.) Ignosce Domine diffidentiæ meæ, & fac me stabiliter in te solo confidere; tunc habebit anima mea requiem & gaudium in te rupe & portione mea in secula, semperque exultabo in laudibus tuis. Celebratus sit Jehovah. *Amen & Amen.*

§. 355. *Orationes.* *Die* 14. *Augusti* 1640. Easdem renovavi supplicationes; & Deus easdem mihi redintegravit *Consolationes.* consolationes, quas præcedenti die habueram. Tunc fui in oculis ejus ut pacem consequutus, eumque precatus sum ut omnibus de me reme- *Confessio una cum gratiarum actione.* dium afferret incommodis, item & de populo suo, utque mei, & vicinorum curam ageret, filioque benediceret, meque omnibus sublevaret oneribus & difficultatibus; Dominusque mihi aurem præbuit, & respondit responsis benignitatis pacisque, ac consolatus est, meque vivum præstitit, ac denique roboravit. Parum abfuit quin deficerem, sæpe etiam in proclivi fuit peccatum ac contumeliam mihi inferre, & Dominus servavit me misericordia sua, & sustulit me de magnis aquis, exaltavitque e portis mortis. Tum *Orationes.* eram brutus, qui ignorarem: velut jumenta eram apud te: itaque ego jugiter futurus sum tecum: prehendisti manum dexteram meam. (*Ps.* 73, 23, 24.) Da mihi gratiam Domine, ut unumquemque mihi præcellere existimem, ut jussisti tu, (*Philip.* 2. 3.) & consolator magnopere misericordia tua erga nos omnes. Consilio tuo deduc me, ut postmodum in gloriam recipias me. Quis esset mihi in cœlis præter te? & præter te nullo delector in terra. Deficiente carne mea, & animo meo; rupes animi mei & portio mea Deus est in seculum. (*Ps.* 73.) Ne permittas me, Domine, mihi ipsi, neque tradas me consilio carnis & sanguinis. Ignosce, Jehovah, omnes errores & iniquitates mihi, omnesque offensiones inde exortas removeas, & secundum magnitudinem misericordiæ tuæ ac potentiæ, & in veritate salutis tuæ, in qua fiduciam habere me fecisti, omnibus medeare incommodis. Præcepisti quippe nobis omni tempore ad te confugere, animosque coram te fundere; tu enim es receptui nobis: (*Ps.* 62.) in sempiternum quo- *Fiducia in Deo.* que tibi confidere, nam in Jah Jehovah rupes seculorum est: (*Isai.* 26. 4.) viam nostram super te devolvere, & in te securos esse, nam tu efficies: (*Psal.* 37. 5.) in te rejicere quicquid das nobis, tuque sustentabis; (*Ps.* 55.) nunquam permitties ut dimoveamur. Tu Domine justificasti nos gra- *Admodum consolatoria.* tis, gratia tua, per redemptionem factam in Jesu Christo. (*Rom.* 3. 24.) Ergo nunquam sines nos dimoveri. Jussisti nos omnem sollicitudinem in te conjicere, nam tibi cura est de nobis: (1 *Pet.* 5. 7.) nobisque dixisti: de nulla re solliciti estote, sed omni in re, precibus & deprecatione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum: & pax illa Dei quæ exuperat omnem mentem, præsidio custodiet corda vestra, & mentes vestras in Christo Jesu. (*Philip.* 4. 6, 7.) Domine fac ut ubique recurramus ad te Deum nostrum. Desiderium meum coram te Domine; Pater dilecte, libera me ab angustiis meis, & ab omni sollicitudine illicita, pacemque hanc quotidie magis magisque mihi concedas, atque in ea serva cor animumque meum, per Christum Jesum. Domi- *Consolationes.* nus autem his meis rogatibus advertit, monstravitque quoddam remedium præsens his infortuniis, a quibus timebam; prævenit quippe eas ac retinuit, mihique prægrande solatium & spem in seipso contulit adversus cætera pericula atque timores. Benedictum sit sanctum ejus ac glorio- *Laus.* sum nomen, supra omnem laudem & benedictionem in seculum exaltatum. *Amen. Hallelujah.*

Die 15. *Augusti* 1640. Easdem Deo obtuli de- §. 356. *Deprecationes & consolationes renovata.* precationes, quas proximo die coram illo fuderam, & peccata mea Deo confessus sum, ac oravi pro misericordia & gratia, vita & pace, Dominusque renovavit mihi benignitatem suam, & abunde me confortavit. Quod ubi viderint mansueti, lætabuntur; & revivifcet animus vester, ô quærentes Deum. (*Ps.* 69. 33.) Magnopere etiam reficiebar lectione *Psalmi* 71. Ad te, Jehovah, me recipio, ne erubescam unquam: justitia tua eripe me, & libera me, inclina ad me aurem tuam, & serva me. Esto mihi rupes quam inhabitem, quo veniam jugiter. (הֱיֵה לִי לְצוּר מָעוֹן לָבוֹא תָּמִיד) Præceptum posuisti de servando me, quia petra mea & munitio mea es. (כִּי־סַלְעִי וּמְצוּדָתִי אָתָּה) Deus mi, libera me e manu improbi, e manu inique & præfracte agentis. Nam tu es expectatio mea, (תִקְוָתִי) Domine Jehovah, fiducia mea (מִבְטַחִי) a pueritia mea; Tibi innitor inde ab utero; a

visceribus matris meæ tu abripuisti me: in re est laus mea jugiter. Tanquam ostentum fui multis; adeo es mihi receptus robustus (מַחְסִי־עֹז). Impleatur os meum laude tua, tota die gloria tua. Ne abjicias me tempore senectutis: quum deficit virtus mea, ne derelinquas me. Quia loquuntur inimici mei de me: & observantes animam meam consultant simul: Dicendo, Deus dereliquit eum, persequimini, & prehendite eum; quia nemo est qui recipiat. Deus, ne longe abesto a me; Deus mi, ad auxilium meum festina. Pudefiant, deficiant adversantes animæ meæ; operiantur opprobrio & ignominia quærentes malum meum. Ego vero jugiter in expectatione sum, (וַאֲנִי תָּמִיד אֲיַחֵל) de tota laude tua, & perrecturus sum. Os meum narraturum est justitiam tuam, quotidie salutem tuam, quamvis ignorem numeros ejus. Aggrediar omnimodam fortitudinem Domini Jehovi, (אָבוֹא בִּגְבֻרוֹת אֲדֹנָי יְהֹוִה); commemorabo justitiam tuam solius. Deus, docuisti me a pueritia mea, & hucusque indicavi mirabilia tua. Quare etiam tantisper dum senex & canus sum, Deus, ne derelinquas me, donec indicavero brachium tuum huic generationi, omni venturæ generationi fortitudinem tuam. Nam justitia tua, Deus, in altum usque assurgit; quia facis res magnas; Deus, quis est par tibi? Quia postquam fecisti ut experirer angustias magnas & malas; (*multas & malas* צָרוֹת רַבּוֹת וְרָעוֹת, *θλίψεις πολλὰς καὶ κακὰς*, tribulationes plurimas
1. & malas. Hieron. ex Hebr.) 1. rursus vitæ re-
2. stituis me, & 2. ex abyssis terræ rursus facis ut
3. ascendam (מִתְּהֹמוֹת הָאָרֶץ). 3. Auges magnitu-
4. dinem meam, & 4. divertens consolaris me. E-
tiam ego celebraturus sum te instrumento nablii, fidemque tuam Deus mi, psallam tibi cithara, ô sancte Israëlis. Cantabunt labia mea, quando psallam tibi, & anima mea quam redemeris. (נַפְשִׁי אֲשֶׁר פָּדִיתָ) Etiam lingua mea quotidie enunciabit justitiam tuam: quod erubuerint, quod pudore perfusi fuerint quærentes malum meum.

Domine, tu robur meum, nunquam me vel derelinques vel deficies.

Deo docente, annunciamus mirabilia ejus.

Benedictus sit Jehovah Deus; Deus Israëlis; qui facit mirabilia solus: & benedictum nomen gloriæ ejus in seculum: impleaturque gloria ejus tota terra. *Amen*, iterum *Amen*. (*Psalm.* 72. 18, 19.)

§. 357. *Adsum.*

Die 16. *Augusti* 1640. Magno solatio hæc consideravi Isaiæ verba, *Tunc invocantem te Jehovah exaudiet, vociferanti dicet, ecce me* (הִנֵּנִי, *ἰδοὺ πάρειμι*, ecce adsum.) (*Isa.* 58. 9.) Dominumque oravi & idem hoc concessit responsum. Consolatus est etiam me tribus his quæstionibus Petro propositis, *diligis me?* (*Joan.* 21. 15, 16, 17.) fecitque cor meum respondere, *diligo te*, ignosce, Domine, medere, & succurre defectui amoris. Et dixit mihi: *Sufficit tibi gratia mea, pasce oves meas.* Et iterum iterumque renovabatur mihi cœlestis hæc communicatio cum Domino meo, Deumque celebravi, & dixi: Per gratiam tuam Domine, fiduciam habui in benignitate tua, exultabit animus meus in salute tua: cantabo Jehovæ, quum bono affecerit me. (*Psalm.* 13.) Benedictus sit Deus. *Amen. Hallelujah.*

Diligis me?

Pasce oves meas.

§. 358. *Confessio pusillanimitatis & prævaricationis.*

Die 17. *Augusti* 1640. Angustiæ & terrores mihi supervenerunt ob prævaricationem, & remissionem in quibusdam meis responsis Synodo Nationali postremæ. Erat unus error in diminutione rationum nostrarum quas primo dedimus, cur non subscriberemus Fœderi; alter erat de Presbyteris Laicis. Plurimæ mihi proponebantur quæstiones, & Dominus in me & pro me respondit: his etiam Deus mihi dedit hæc solida responsa, simulque mihi monstravit imbecillitatem meam in proponenda quæstione de presbyteris laicis, & postea plus quam decebat resiliendo ab ea.

Proponebatur mihi & Collegis meis hæc quæstio, *quasnam adfertis rationes, quod recusatis subscribere Fœderi?* Prima & optima nostra responsio huic quæstioni fuit, 1. Quia animis nostris minime persuasi sumus, neque plane percipimus, nec indubie credimus, nos præcepto Dei teneri agnoscere, & sacramento obsignare, Episcopatum, articulos Perthenses, librosque illos quos mature non consideravimus, contradicere æternæ Dei veritati in sacris Scripturis expressæ, membraque esse Papismi. 2. Et quoniam Ecclesia nequit ullam ferre legem perpetuam, quam Deus non antea tulit. 3. Et quia tenemur largiore nostra Confessione nullomodo recipere absque deliberato examine quidquid proponatur a quavis Synodo Nationali, vel Concilio generali, sed in quantum Concilium probaverit ex plano Dei verbo determinationem & mandatum quod commendat; quod si fecerit, tum tenemur eam revereri & amplecti. 4. Quod nequeamus fidem habere clausulæ defensionis mutuæ, sine ulla solutione clara vel persuasione de illa. 5. Quod in Confessione minori, omnes ritus & ceremoniæ videntur abjurari, quæ citra quidem, sed non contra Dei verbum introducuntur. 6. Quia ægre concipimus quem in modum generationes succedaneæ obstringentur juramentum hujus generationis tueri, simpliciter virtute Sacramenti. 7. Quoniam plurima inseruntur decreta Parlamentaria nobis fere ignota, & tamen requiritur subscriptio omnibus præmissis.

Rationes cur recusavimus subscribere Fœderi.

Inter alias quamplurimas quæstiones hæc nobis proposita fuit: *Existimatis vos, præsentem hanc Synodum Nationalem conventum Christi licitum, congruentem verbo Dei?* Huic quæstioni Collegis meis suasi respondere affirmative; at unus ex societate nostra, sic, inquit, nos obstringent laicos Presbyteros agnoscere, quare hanc scriptam dedimus responsionem, *quoad indictionem & convocationem; affirmatur: de constitutione autem quoad pastores, itidem affirmatur, seniores autem laicos quod attinet, de eorum potestate deliberandum videtur.*

De Synodo.

De senioribus laicis.

Quamvis hæ responsiones solidæ sint & modestæ, ast ne nimis contentiosi videremur, & ne Synodum senioresque laicos contra nos exasperaremus, sequenti die mutavimus eas, & quæstioni de non-subscriptione scriptas dedimus rationes primam, secundam, quartam & quintam, cum quadam vocularum alteratione, sed substantia easdem*: & cum rogarer, num quasvis alias haberem rationes quas defenderem; respondi, quod etiamsi adhuc existimem sacramento nostro generationes succedaneas nequaquam obstringi simpliciter virtute sacramenti, tamen si juratum sit quoddam a Deo omnibus generationibus institutum, tum tenentur virtute præcepti divini; atque sic existimavi non opus esse ut amplius infestem conventum hac ratione de obligatione juramenti. Hoc fuit responsum coram Delegatis Synodi Nationalis; Tunc exurgens *Mr. David Dickson* dixit, quod etiamsi juratum non esset juris divini, attamen obstringuntur posteri virtute jurisjurandi majorum, & in probationem hujus adduxit testimonium sacramenti, quo se Joshua & principes Israëlis Gibeonitis devinxerunt. Respondi, hoc fuisse pactum civile inter duas gentes jurejurando sancitum. Ingessit ille; si pactum inter homines de-

Infirmitas, & timor inordinatus.

* *Præterquam quod libri remittebantur in aliud responsum alii quæstioni separatim de libris; & respondimus nos gaudere quod removeantur hi libri ab Ecclesia hac, & quod rogati libenter*

judicium nostrum de illis post considerationem & exactam examinationem proferemus. Prima etiam ratio clarior erat in secunda charta, monstrans Confessionem minorem videri omnes ritus & ceremonias quæ non expresse præcipiuntur in Dei verbo, condemnare; cum tamen major Confessio Nationalis tales & temporales ritus approbare videatur.

debeat conservari propter juramentum, multo magis pactum cum Deo debere observari. Regessi; me libenter colloquuturum cum illo de hoc amanter alio tempore & loco, sed quod præsens attinet, non mihi arridere Conventum inquietare hac re, cui etiam acquiescunt. At postea paulo altius rem deducens, maximi momenti, & pessimæ consequentiæ invenio, si merum genitoris sacramentum sit sufficiens vinculum & norma posteritati, in rebus etiam divinis & religiosis; atque etiam inde libertatem concedi cuivis genti sibi fingendi religionem & rationem cultus, etiam absque Dei verbo, & sacramento se illi obstringentes, posteros etiam obstringere & devincire, quod sane repugnat doctrinæ uniformi omnium Ecclesiarum Reformatarum, atque etiam sacræ Scripturæ, quæ docet nos redemptos ex vana nostra conversatione a patribus tradita, (πατροπαραδότου, 1 *Pet.* 1. 18.) pretioso sanguine Christi; & frustra homines Deum colere, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum. (*Matth.* 15. 9) Et quod attinet fœdus pactum cum Gibeonitis, personalis fuit obligatio, obstringens jurantes, fœdus cum Gibeonitis eos non percutiendi, conservare, & Joshua, Propheta cum esset, & imperator populi, legem tulit & statutum perpetuum in Israële Gibeonitas, ignarios & aquatores fore cœtui, idque altari Jehovæ. (*Jos.* 9.) Lex hæc & statutum posteros devinxit, sicut ceteræ leges & statuta, quæ Moses & Joshua tradiderunt populo, ex voluntate Dei. Sed objicietis, si pactum jurejurando sancitum inter homines sit necessario observandum, tum multo magis pactum cum Deo sancitum. Respondeo: 1. Jusjurandum illud solummodo devinxit jurantes personaliter pactum præstare, at lex de illo pacto sancita posteros devinxit. 2. Pactum cum Deo tunc redditur obligatorium, cum declarat Deus hoc sibi gratum esse, quod intelligendum ex verbo Dei. Ex hac consideratione pœnituit me quod hanc omiserim rationem in secunda charta, sed gavisus sum quod loquutus fuerim coram Delegatis. Tæduit etiam omissionis aliarum duarum rationum, quum sint graves & non spernendæ.

In secunda etiam charta responsum fuit quæstioni de jure Synodi affirmative: Consideravimus enim nequaquam expedire nobis, excitare quæstionem de potestate seniorum laicorum, neque existimavimus Synodum invalidam reddi ex illorum præsentia, quicquid sit potestatis eorum, & ex eis etiam nullum invenimus incommodum contra nos vel causam quæ agebatur, quum omnes pastores subscriptionem Fœderis approbaverint, ita ut res non superata sit vocibus seniorum laicorum dominantium differentibus a suffragiis pastorum. Et cum coram Delegatis comparuerim, & hanc secundam tradiderim chartam, interrogatus quid sentirem de Synodo, respondi, reputo illam licitum Christi conventum, ut in quæstione proponitur. Et interrogatus denuo de senioribus laicis, respondi, non excipio ullum membrum hujus Synodi, vel laicum, vel clericum; sed memet eis submitto.

Confessio.

Atque sic dimissus fui ab hac delegatione. Sed postea cum animo revolverem quid actum fuerat, meam percepi infirmitatem, tum in movenda quæstione de senioribus laicis in prima charta, idque absque ulla urgente necessitate, tum postea leviter adeo & perfunctorie defenda.

De potestate seniorum laicorum.

Nam interrogatus de illorum potestate, existimo ad minimum debuisse respondere, quicquid de ordine hoc sit sentiendum, attamen propugnatores ejus maximi agnoscunt differentias specificas pastorum & talium seniorum esse, pastoris officium contineri in labore verbi & doctrinæ, & horum seniorum munus nequaquam consistere in labore verbi & doctrinæ; ast sedere ut judices & auctoritative ex officio pronunciare de verbo & doctrina, & pastoribus quid doceant & quid refutent præscribere, est laborare in verbo & doctrina; ergo hoc non attinet ex officio ad tales seniores.

1 Tim. 5. 17.

Confessio. Misericordia & solatium. Oratio. Deus audit.

Omissa hæc, una cum reliquis meis quamplurimis & gravibus peccatis, Deo fassus sum, lacrymisque ploravi; & Dominus condonavit mihi, & solatus est. Oravi ut Dominus amplius me non relinqueret imbecillitati & corruptioni meæ, atque ut consolationes suas apud me redintegraret; & ille aurem præbuit voci deprecationum mearum, ac præsentem mihi & cordi se monstravit, in quo benigniter habitabit in æternum. Sic ait sublimis, & elatus, cujus nomen est, Inhabitans æternitatem, & Sanctus, qui in sublimi & sancto habito: Etiam cum eo qui attritus est demissusque spiritu habito, ut vivum conservem spiritum demissorum, & vivum conservem animum contritorum. (*Isai.* 57. 15.) Propinquus est Jehovah fractis animo: & contritos spiritu servat. (*Psal.* 34. 19.) *Ecce me.* (*Isai.* 58. 9.) Ubi Domine? *Ego in te; & tu in me.* (*Joan.* 14. 20.) *Hæc est requies mea usque in sempiternum; hic habitaturus sum, quia hoc expetiveram.* (*Ps.* 132. 14.) Benedictus sit Dominus in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.* Proculcasti anima mea robur. (*Judic.* 5. 21.) *Hallelujah.*

Victoria.

§. 359. Fructiferum est & salutare peccata nostra Deo confiteri.

Die 18. *Augusti* 1640. Rursum mihi aderant meditationes & consolationes diei proxime præcedentis. Quum silerem, inveterascebant ossa mea, in rugitu meo toto die. Nam interdiu & noctu gravis erat super me manus tua; convertebatur præstantissimus humor meus in siccitates æstivas maxime. Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam, (inquiebam) confitebor defectiones meas Jehovæ; & tu sustulisti pœnam peccati mei maxime. Propter hoc oraturus est te quemcumque benignitate prosequeris, quo tempore obvenerit, (in inundatione aquarum multarum, ad eum non pertingent tantum.) dicens: Tu latibulum es mihi, ab angustia custodito me; cantionibus liberationis circumdato me maxime. (*Ps.* 32. vide *Ps.* 18. 4, 5, 6, 16, 17, 18, 19.) Quam pretiosa est benignitas tua Deus! quum filii hominum ad umbram alarum suarum se recipiunt. (*Ps.* 36.) Agnovisti angustias animæ meæ. (*Psal.* 31.) Benedictus sit Dominus.

Adversus tentationem ex nimio ab aliis respectu provenientem.

Eodem die reputans animo quosdam ex Collegis majorem profiteri respectum opinioni & gestui meo, quam vel mihi vel illis expedit, quique majoris contra me impetus occasioni serviat, spe facile trahendi & pelliciendi hos meos Collegas in sententiam meam, timui ac ploravi coram Deo, illumque suppliciter oravi, ut me a superbia & seductione, dum videar mihi ipsi aliquid esse, quum nihil sim, (*Gal.* 6. 2.) liberaret & servaret, gratiamque mihi daret ex animi submissione & sincere unumquemque existimare mihi præcellere, (*Philip.* 2.) & me fidelem Deo qui misit me efficeret, non propriam quærendo gloriam, sed gloriam ejus qui misit me; (*Joan.* 7.) & ut misericordiam & gratiam in conspectu suo mihi conferret, & benignitatem & gratiam in oculis omnium quibuscum mihi res est, utque efficeret me semper & ubique fidem servare bonamque conscientiam, & in omnibus

amplius quam victorem faceret per Christum Jesum qui dilexit me, concederetque mihi & Collegis meis misericordiam, sapientiam, solatium, robur, pacem ac salutem, per Dominum nostrum Jesum Christum. Et Dominus benigne mihi auscultavit, & consolatus est. Celebratus sit Deus. Claram ede vocem, & canta quæ habitas Zion: magnum esse in medio tui Sanctum Israëlis. (*Esai.* 12. *ult.*) Deus mihi præbuit animum mollem lacrymasque divinas; & grate admodum alloquutus est animam meam, fecitque me gaudere in seipso gaudio inenarrabili ac glorioso. Omnis celebratio, benedictio, & gloria sit sancto ejus nomini, in secula seculorum. *Amen.*

Gratia & pax, lacryma & gaudium.

§. 360. *Misericordia renovata & multiplicata.*

Die 19. *Augusti* 1640. Renovavit mihi benignitates suas Deus, deditque mihi mollitiem cordis, lacrymas divinas, & consolationes in Christo prægrandes, dulceque admodum & uberrime mihi redintegravit consolamina die præcedenti collata, atque illa quæ mihi dederat longo antea tempore, diebus 3. & 4. Octobris, anno 1624. die etiam 13. Martii 1627. & 14. Septembris 1639, ut scripta sunt hoc in libro. Omnes has consolationes renovavit Deus animæ meæ hodie mane, precesque exaudivit pro filio meo aliisque pro quibus supplex oravi, ex quibus mirifice confirmabar in Deo Servatore meo, qui etiam certiorem me reddidit durantis ac invincibilis continuationis sui in me amoris in Christo Jesu, se quoque copiose benedicturum filio, & consilio suo ducturum, & postmodum in gloriam sempiternam recepturum. *Amen.* Venite, extollamus nomen Domini pariter (*Psal.* 34.) Gloria Deo in altissimis, pax in terra, benevolentia erga homines. (*Luc.* 2.) Exultat animus meus in Jehovah, elevatur cornu meum in Jehovah: dilatatur os meum contra hostes meos, nam lætor de salute tua. (1 *Sam.* 2. 1.) Domine, oculi mei viderunt salutem tuam. Faxis Deus ut quandocunque eripias me e mortali hac vita, dimittar cum pace in visione salutari tua, (*Luc.* 2.) recipiarque in gaudium tuum æternum, Domine mi, cui sit omnis honor, gloria, majestas, potentia, vires, laus, & benedictio in secula seculorum. *Amen.*

Certitudo salutis. Consolationes de Filio suo.

§. 361. *Graves angustiæ.*

Die 20. *Augusti* 1640. Quum sentirem me circumdatum plurimis angustiis, nullumque adjutorem mihi adesse, immo quosdam ex familiaribus doloris mei & tristitiæ amplificatores, dum agricolæ mei & villici clamitant se oppressione minari, ni provideam ego armatos & pecuniam ad bellum hoc gerendum pro defensione Fœderis, alii rursus dum urgent me ita facere (ipsis eo spectantibus), aliique tale quiddam quantum licet fugiunt, neque ipse satis sum persuasus me posse salva conscientia vel dare vel jubere agricolas opem ferre, neque valeo ego minatam repellere vim ab agricolis & agris sive possessionibus meis. Inter hæc consideravi etiam mihi Edinburgum proficisci constitutum; quo nisi potero satisfacere de Fœdere, vereor ne ægre feratur, & adhuc opinione differamus. Et nisi Dominus mirum in modum (quod & antea fecit) causam meam agat, in foveam facile lapsurus sum. Quod efficit ut huic itineri adverser, ad tantam sustinendam aleam, periculum nimirum conscientiam violandi, per imbecillitatem meam, & deinde periculum fratribus meis & popularibus offensum pariendi, quod maxime evitare velim. His aggressus difficultatibus ad solitum, certum unicuique recepi me perfugium, precibus me totum dedi, lacrymisque invocavi Jehovam, Deum salutis meæ, ut præsto mihi esset in omnibus angustiis, ut sustineret me & consolaretur, viamque rectam notam mihi faceret, duceretque per eam, ut benignitates suas in me & villicos meos, omnesque timentes eum & in misericordia ejus fiduciam habentes magnificaret, ut tum cordis præparationem conferret orisque responsum sibi gratum, animosque omnium fratrum confirmaret ad benigne me recipiendum, ut omnes spectantes me cognoscant me Domini servum & filium dilectum in Christo, & ut anima mea e claustro educta sanctum ejus celebret nomen, atque justi cingant me, cum viderint Dominum beneficium contulisse in me. Easdem etiam omnibus Collegis meis misericordias rogavi, & ut Deus zelotypum me faceret pro domo sua zelo Dei ex notitia, verumque & benignum erga omnes in Deo, præsertim vero Deum timentes & domesticos fidei. Oravi etiam pro misericordia, gratia & pace Ecclesiæ Dei, hic & alibi militanti, item & genti huic pauperæ & afflictæ, Principibus nostris populoque, & ut Dominus multos idoneos emitteret operarios in messem suam, populo etiam resipiscentia ad vitam, filioque meo, & necessariis nostris benediceret, omnesque confortaret miseriis laborantes, & ut omnibus ac unicuique nostrum gratiam daret & gloriam, per Christum Jesum Dominum nostrum, cui sit gloria in seculum. *Amen.*

Refugium ad Deum precibus & lacrymis.

Hæc sum precatus; & Dominus exaudivit me, ac uberrime consolatus est. Me quoque summopere confirmavit ad omnem curam ac onus in eum rejiciendum, qui mei curam geret & sustinebit; nunquam deseret me, neque derelinquet; ostendet mihi salutem suam.

Aurem præbet Deus, & consolationem addit.

Beati qui lugent: quoniam ipsi solamen recipient. (*Matth.* 5. 4.) Novit Dominus pios e tentatione eripere. (2 *Pet.* 2. 9.) Propinquus est Jehovah fractis animo; & contritos spiritu servat. (*Psalm.* 34. 19.) Sacrificia Dei sunt spiritus fractus, animum fractum & contritum, ô Deus, non spernis. (*Psalm.* 51. 19.) Invoca me tempore angustiæ; eripiam te, ut honore afficias me. (*Ps.* 50. 15.) Simul ac invocaverit me, exaudiam eum: ipsi adero in angustia, eripiam eum, & honore afficiam eum. Longitudine dierum satiabo eum, denique efficiam ut fruatur salute mea. (*Ps.* 91. 15, 16.) Acceptos habet Jehova timentes sui, qui expectationem suam habent in benignitate ipsius. (*Ps.* 147. 11.) Deus operatur in nobis sanctitatem, nobis dat animum fractum & spiritum contritum, efficitque ut seminemus cum lacrymis, nomen suum invocemus, ipsum cognoscamus, timeamus, amemus, & in misericordia ejus fidamus. Hæc gratiæ Dei dona recipientibus sunt firmum signum in bonum, Deum eos consolaturum, & responsurum, præsentemque eis in angustiis fore, ac erepturum, se quoque juxta eos mansurum, servaturum ac glorificaturum, & longitudine dierum satiaturum, salutemque se suam eis ostensurum, & in inundatione aquarum multarum, ad eos non pertingentium, adfuturum. (*Ps.* 32. 6.) Justus es Jehovah, & rectus judiciis tuis. (*Ps.* 119. *vers.* 137.) Agnosco Jehovah justa esse judicia tua, & te in fide afflixisse me. (*Ibid.*) Adsit jam benignitas tua ut consoletur me, secundum sermonem tuum habitum cum servo tuo. (*Ibid. v.* 75, 76.) Recordare verbi cum servo tuo habiti, de quo spem fecisti mihi. Hæc est consolatio mea in afflictione mea: sermonem tuum vivificare me. (*Ibid. v.* 49, 50.) Confidite ei omni tempore, popule; effundite coram eo animum vestrum: Deus receptui nobis est maxime. (*Ps.*

Meditationes consolabunda.

Certum signum in bonum.

Confessio & oratio.

Exhortatio.

Oratio.

Oratio. (*Pſ.* 62. 9.) Inveniate Domine ſervis tuis quærentibus te ex toto corde & ex toto animo noſtro, (*Deut.* 4. 29.) & condona omnia peccata noſtra, & imperfectiones corruptibiles, quum quæramus te. Ex toto animo quæro te, ne ſinas me errare a præceptis tuis (*Pſ.* 119. 10.) Peregrinante me in hac terra, ne abſcondas a me præcepta tua. *Ibid.* 19. Pollicitus es ſapientiam unicuique dare cum fide poſtulanti. (*Jac.* 1. 5, 6.) Eam a te poſtulo Domine, credo etiam, ſuccurre Domine incredulitati meæ. Cœleſtis Pater, da mihi & unicuique ex liberis tuis, Spiritum ſanctum quem promiſiſti te daturum petentibus illum. (*Luc.* 11. 13.) Chriſtus etiam Salvator noſter, cujus nomine hæc rogo, pollicitus eſt advocatum (Παράκλητον) hunc nobis dandum eſſe, & in æternum nobiſcum manſurum, omniaque nos docturum. (*Joh.* 14. 16. & 1 *Joh.* 2. 27. & 3. 24.) Qua die timebo, ego in te confidam. (*Pſ.* 56. 4.) Adjuva Domine diffidentiam meam; ô Deus ſpei, imple me omni gaudio & pace credendo, ut ſpe exundem per virtutem Spiritus ſancti. (*Rom.* 15. 13.) Cui ſit gloria in ſeculum. *Amen.*

Gratiarum actio. Laudatum invoco Jehovam, & ab inimicis meis ſervor. —— In ipſa anguſtia mea invoco Jehovam, & ad Deum meum vociferor; exaudit vocem meam, & extrahit me ex multis aquis. —— Educit me etiam in latum, liberat me, quia delectatur me. —— Vivit Jehovah, & benedicta rupes mea; quapropter extollatur Deus ſalutis meæ, (*Pſ.* 18. 4. 7. 17. 20. 47.) condonans iniquitatem, eo quod delectetur benignitate. (*Mich.* 7. 18. *Jer.* 9. 24. *Iſa.* 63. 7.)

Oratio. Gloria Patri, Filio, & Spiritui ſancto. *Amen. Hallelujah.* Domine, ne amplius permittas me mihi ipſi, aſt deduc me ſemper conſilio tuo, Spirituſque tuus bonus ducat me per terram planam. Dirige pedes meos in viam pacis, conſumma potentiam tuam in infirmitate mea, & ne corruant greſſus mei, ſed in omni opere bono perficiar, ut faciam voluntatem tuam. Da mihi gratiam meipſum abnegandi, Dominumque Jeſum Chriſtum ſequendi conſtanter. Stabilito me, robora, confirma, tum me, tum unumquemque ex liberis tuis; quodque inceperis in nobis opus bonum, perfice uſque ad diem Jeſu Chriſti. Cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit omnis ac æterna celebratio, honor, & gloria. *Amen.*

Conſolatio. Hanc poſtremam abſolvi orationem maximo in Deo gaudio qui me exaudivit, & benigne admodum reſpondit, ac dulce ſane conſolatus eſt certitudine miſericordiæ ſuæ & amoris erga me durantis in Chriſto qui habitat in me, neque me deſeret vel derelinquet unquam. Eccleſiæ quoque huic benedicet, filioque meo, ac miſerebitur illius, familiarium, Collegarum, & villicorum meorum, ac incubabit nobis in bonum.

Gratiarum actio. Benignitates Jehovæ commemorabo, laudes Jehovæ. (*Jeſ.* 63. 7.) Celebrate Dominum, quia bonus, quia in ſeculum eſt benignitas ejus. *Amen.* Benedictus ſit Deus. Amen, iterum *Amen.*

§. 362. *Memoria peccati.* *Die* 21. *Augusti* 1640. Recordatus ſuperiora mea peccata, quibus ſæpe adeo contriſtavi & adhuc (hei mihi) contriſto Spiritum ſanctum, animoſque ſanctorum, ac offendi, & indignationem mihi-ipſi & miniſterio meo induxi, præcipitantia, fervore, præſumptione, inſtabilitate, ſuperbia, erga parentes, fratres, ac uxorem bonæ memoriæ contumacia, & in quamplurimos alios, multis aliis flagitiis.

Humiliatio una cum oratione & lacrymis. Meipſum cane pejus & angue odi, tremebundus hæſi, & lacrymas catervatim ſudi coram Domino, atque ſic os in verba reſolvi; *ô Deus, miſerere mei peccatoris:*

Conſolatio. Ac ſolatium lucratus ſum in Chriſto, qui venit in mundum ut quæreret & ſervaret quod perierat; vocatum peccatores ad reſipiſcentiam; ut peccatores ſervaret quorum primus ſum ego. Suſtulit Dominus omnia peccata mea, certumque me reddidit gratiam ſuam ſufficere mihi, potentiam ſuam conſummandam in infirmitate mea. Surge amica mea, pulchra mea, columba mea, integra mea, & veni. Sic fui in conſpectu ejus ut pacem conſequutus; & quietem mihi reddidit, requiemque inveni animæ meæ. Oravi etiam pro Eccleſia Chriſti in gente hac, in inſula hac & alibi, proque filio, omnibuſque ad nos pertinentibus, & pro Collegis meis, omnibuſque afflictis Dei liberis, filiiſque errantibus, ac pro omnibus & unoquoque ex eis in toto peregrinationis noſtræ curſu, utque dirigeret me Deus, benediceretque in ſcribendo, loquendo, & agendo, in cogitationibus etiam ipſis de rebus his publicis impræſentiarum ſub manum cadentibus, deque omni alio propoſito, ſervaretque ut pupillam oculi ſui, & liberaret ex omni opere malo, atque duceret me in cœleſte ſuum regnum per Jeſum Chriſtum Dominum meum. Et de familia mea rogavi unicuique in-ea miſericordiam & gratiam; omnibus itidem agricolis meis neceſſariis, vicinis, & conſuetudinariis, pro divite ſua miſericordia qua nos gratis ſibi acceptos efficit in illo dilecto, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, cui cum Patre, & Spiritu ſancto omnis ſit honos, laus, gloria, virtus, majeſtas, vires & benedictio aſcripta in Eccleſia, per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum, in quo preces noſtras & celebrationes devovemus ſibi ipſi cum Patre & Spiritu ſancto, ſacræ ac individuæ Trinitati, uni Deo in ſecula benedicto, ac ſupra omnem benedictionem & laudem exaltato. *Amen.* Conſolationem in eo de omnibus his petitionibus recepi. *Hallelujah.*

Eodem die aggreſſus eſt me Satanas peſſima tentatione, ſed Dominus fulcro mihi fuit, & ſuſtinuit me, Satanamque ſub pedes meos contrivit. *Deo gratiarum actio de filio meo Georgio.* Quum enim gratias agerem Deo pro conſolatione quam mihi dat de filio meo Georgio, cui tum ſanitatem largitur corporalem, ingenium acutum, gratiam ſpiritualem, educationem liberam, tum illum ſolatium mihi præſtat in Deo; quumque Deum orarem gratum me reddere, gratiamque mihi conferre, ut cor meum in Deo ſolo, nullo vero terreſtri bono quoquam, & conſequenter neque in filio collocarem, & ſic Deum offenderem, neque dilectione inordinata Deum provocarem ad eripiendum illum a me: *Peſtifera Satanæ tentatio.* Satanas hic me tentatione illa adortus eſt, qua uſus fuerat in Paradiſo, Deum calumniandi quaſi felicitati hominum invideret, ideoque in promptu eſſet eos quopiam bono orbare, quo maxime delectarentur. *Victoria in Satanam, omneſque ejus tentationes.* Aſt Dominus Satanam inſtanter increpavit, & liberavit me ex ore Leonis. Deus eſt caritas, (1 *Joh.* 4. 7.) & pater luminum, a quo deſcendit omnis donatio bona & omne integrum donum (*Jac.* 1. 17.) Invidiam odit, quippe quæ opus carnis. (*Gal.* 5. 21.) Delectatur pace ſervi ſui. (*Pſ.* 35. 27.) Non affligit ex animo ſuo, mœſtitiaque afficit filios viri. (*Lam.* 3. 33.) Delectatur benignitate, jure, & juſtitia, (*Jer.* 9. 24.) Sanctus eſt. (*Pſ.* 99. 5.) Bonus eſt & beneficus. (*Pſ.* 119. 68.) Ille unus bonus eſt, (*Matth.* 19. 17.) & nulla eſt iniquitas in eo, (*Pſ.* 92. 16.) at quos amat caſtigat (*Apoc.* 3. 19.) Cum videat nos abducentes cor noſtrum ab unica noſtra felicitate, vita, luce, roboreque ſalutis noſtræ quod ipſe eſt, & ſummum noſtrum bonum locantes in rebus quæ beatos nos reddere nequeunt, tum ex paterna affectione caſtigat nos modo & menſura quam ille ſolus ſapiens & aman-

amantissimus pater noster novit, nobis maxime commodum fore, ne una cum mundo condemnemur, (1 *Cor.* 11. 32.) sed participes simus sanctitatis ejus. (*Hebr.* 12. 10.) Quare prompti debemus esse (sicut fuit Abrahamus) ad offerendum in sacrificium Deo quicquid carius nobis habetur in hoc mundo, ut filii simus Abrahami, & participes benedictionis. Item & cum Jobo debemus benedicere Domino qui dat & recipit: quod si oculus noster dexter facit ut offendamus, eruamus eum, & abjiciamus a nobis, ne pereamus. (*Matth.* 5. 29.) Qui amat patrem aut matrem supra Christum, non est dignus Christo. (*Matth.* 10. 37.) Qui invenerit animam suam, perdet eam; & qui perdiderit animam suam Christi causa, inveniet eam. *Ibid.* 39. Quid prodest cuipiam, si totum mundum lucratus fuerit, anima vero sua mulctetur? (*Matth.* 16. 26.) Debemus igitur odio habere patrem & matrem, uxorem & liberos, fratres & sorores, atque adeo etiam animam nostram, ut veniamus ad Christum, & simus discipuli ejus, (*Luc.* 14. 26.) & cum Apostolo Paulo, omnia damnum ducere propter eminentiam notitiæ Christi Jesu Domini nostri, omnibusque nosmet multare, & pro stercoribus ea ducere, ut Christum lucrifaciamus, (*Philip.* 3. 8.) qui præstat omnibus. Ille solus via est, veritas, & vita, per quem nos & liberi nostri felices sunt, neque datur salus in ullo alio. Deo autem habetor gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum, (1 *Cor.* 15. 57.) qui facit ut semper triumphemus in Christo. (2 *Cor.* 2. 14.) *Amen.*

Deo gratiarum actio, & gloriatio in eo.

Christus per mortem abolevit Diabolum, & liberos reddidit nos. (*Hebr.* 2. 14, 15.) Ad hoc manifestus factus est filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli, (1 *Joh.* 3. 8.) & ministerio verbi sui, & operatione Spiritus sui sancti convertit nos a tenebris ad lucem, & a potestate Satanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiamus, per fidem quæ est in illo, (*Act.* 26. 18.) & virtute sua divina custodit nos per fidem ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo. (1 *Petr.* 1. 5.) Ipse Deus noster est, nos vero populus pastus ejus, & grex ductus ejus. (*Ps.* 95. 7.) Neque rapiet quisquam ejus oves e manu sua. (*Joh.* 10. 28.) Illi gloria in secula seculorum, *Amen.*

Magna difficultas.

§. 363. *Die* 22. *Augusti* 1640. Solus quum essem in campis, ac gravem meditarer difficultatem spiritualem, eo quod rebus me implicatum perciperem, quibus magna usquequaque aderat molestia, ante extricare quam me valeam, absque peccato & scandalo; quid facerem satius ignoravi ut expedirem me sine labe vel offensa. In magna hac mea anxietate Dominum invocavi, prostravi memet coram illo, clamitansque rogavi misericordiam, gratiam, tempestivam ac salutarem expeditionem & auxilium propter Christum. Amare admodum coram Domino lacrymatus sum, cui omnia possibilia sunt, quique pollicitus est invocantes illum eripere, & exinde laudis præbere materiam, ut illum omni tempore glorificemus, & in eo fiduciam habeamus.

Oratio ad Deum cum lacrymis.

Bonus & (justus) rectus Jehovah est, idcirco docet peccatores viam. Accessit Dominus ad me, & dixit: *Ne timeto, ego sum salus tua, ego auxiliabor tibi, eripiam te, ac benedicam. Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo, nam ipse efficiet. Manus Jehovæ non est brevior. Consistite, & spectate salutem Jehovæ. Remissa sunt tibi peccata tua, & peccati tui non recordabor amplius. Ne timeto, ego adsum tibi. Gratia mea sufficit tibi, nunquam te deseram, nec derelinquam.*

Solatium.

Tum oravi ut extendantur eædem hæ benignitates in filium meum totamque gentem, omnesque Dei liberos in peregrinationibus his, pro divite ejus gloria in Christo. De hoc etiam suaviter consolabar. Deumque celebravi, qui me exaudivit, & gratia sua fecit me illum invocare, quique benigne adeo misertus est mei, consolatur, & misericordia delectatur, mirificasque suas benignitates erga omnes & singulos filios suos magnificat, nosque in bonum observat, omniaque nostra condonat peccata, eripitque nos ex omnibus augustiis & terroribus, stabilitque gressus nostros, nostrique miseretur. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen.*

Gratiarum actio Deo.

Die 23. *Augusti* 1640. Supplicationes & orationes lacrymis redintegravi, quas præcedenti die obtuleram, & Deus benigne ac uberrime easdem mihi renovavit consolationes. Hodie etiam generale dabatur jejunium per totam Scotiam a proxima Synodo Nationali institutum. Quapropter Neo-Aberdoniæ audivi Mr. Gulielmum *Robertson* concionantem in hæc Jacobi Apostoli verba: *Sensu ærumnæ tangimini, lugete & flete &c.* (*Jac.* 4. 9) Affligite vosmet jejunio, & lugete tristitia divina peccata vestra & aliorum. Jejunium corporale spirituali hoc luctu destitutum par est jejunio armentorum Ninivæ, diebus Jonæ Prophetæ. Signa quibus dignoscimus utrum tristitia nostra divina sit, an non, hæc sunt. 1. Si primaria luctus nostri causa sit offensio Dei, & non pœna. 2. Si luctus noster & peccati abominatio perseveret. 3. Si luctum comitetur derelictio peccati. 4. Si tristitia ducat nos ad Deum. Quum de his signis loquentem illum audiverim, flevi & gavisus sum, quod invenerim signa hæc a Deo taliter mihi concessa, ut gratiam ejus mihi sufficientem sentiam, potentiamque ejus in mea consummatam imbecillitate. Benedictus sit Deus benignitatis meæ, rupes salutaris mea, in secula seculorum *Amen.* In humiliatione nostra rogavimus Ecclesiæ de Regno Scoticano misericordiam, gratiam & pacem, utque Deus in benignitate sua has nostras sedaret commotiones absque fusione sanguinis, converteretque nos a peccatis nostris ad Deum. Ac solatio nobis fuit, Deum nos incitasse ad orandum illum, speramusque felici inventuros exitu, benigne illum nos exaudisse. Illi gloria omnis in secula. *Amen.* §. 364.

Jejunium.

Signa luctus divini.

Die 24. *Augusti* 1640. Easdem has renovavi petitiones, & Deus benigne & affatim mihi redintegravit easdem, quas duobus diebus immediate præcedentibus habueram consolationes. Celebratus sit Jehovah. *Amen.* §. 365.

Die Augusti 25. 1640. Easdem revolvens difficultates, (de quibus die 22. mensis hujus) publicasque calamitates, pericula, & labores, peccata etiam grandia tum mei, tum nostratium; flevi & luxi amare, supplexque ad Deum clamavi pro misericordia, gratia, consolatione ac libertate, Dominusque magna benignitate appropinquavit mihi, & consolatus est me, & de Filio meo, & de gente hac, aliisque etiam, quorum gratia oravi. Meipsum abominatus sum, ac indignum existimavi, qui faciem ejus requiram, aut sub alis ejus protegar. At Dominus eos qui sunt peccatores, onerati, & fatigati, tales, inquam, vocat ad resipiscentiam. Venit in mundum ut servaret peccatores. Venit ut medicus ad medendum iis qui male se habent, recipitque ægrotos sub alis suis, & sic eos sibi assumendo, alasque super eos pandendo, curat eos, datur enim curatio cum alis ejus. Jubet nos remissionem petere omnium peccatorum, auxiliumque adversum labores omnes, & pollicitus est se nos exauditurum, & quicquid petamus nomine

Difficultates & calamitates.

Luctus & oratio.

Consolatio.

Humiliatio.

Consolationes.

Christi

Christi secundum voluntatem suam in Scripturis revelatam, daturum. Cum peccatores essemus ac inimici ejus, dilexit nos, & Filium suum illum dilectum pro nobis tradidit, gratosque reddidit nos in dilecto; multo magis ergo reconciliati, per vitam ejus servabimur. Hinc magnopere consolabar tum de meipso, tum de gente hac peccatrice. Deus quippe Nationem hanc in populum sibi vindicavit, & indubia præsentiæ suæ inter nos benignæ signa propagat; quibus testatur se adhuc tenere nos pro populo suo & professione. 1. Quamvis ah! gens simus peccatrix, gravissima iniquitate, tamen populus ejus & Ecclesia Christiana sumus, in qua habitat ipse. Quapropter visitabit defectiones nostras virga hominum, & plagis iniquitates nostras; sed benignitatem suam non irritam faciet a nobis, neque mentietur contra fidem suam. (*Ps.* 89. 33, 34.) Non enim deseret Jehovah populum suum, & possessionem suam non derelinquet. (*Psal.* 94. 14.) Castigat sane, at modice, non in ira sua, ne comminuat nos. (*Jerem.* 10. 24.) Nam in seculum non contender, neque in æternum effervescet: nam Spiritus a conspectu ejus obrueretur, & animæ quas fecit. (*Isa.* 57. 16.) Quapropter Jehovam pœnitet propter servos suos, (*Deut.* 32. 36.) & miseretur nostri, & curat nos, deducit nos, redditque consolationes nobis & lugentibus nostris. (*Isa.* 57. 18.) Expectationem habeat Israel in Jehovah, quia apud Jehovam est benignitas, & plurimum apud eum redemtionis, & ipse redimet Israëlem ab omnibus iniquitatibus ejus. (*Ps.* 130. 7, 8.) In omni angustia eorum non affecit eos angustia, sed Angelus faciei ejus servavit eos. (*Isa.* 63. 9.) Celebratus sit Jehovah in secula. *Amen.*

Angelus faciei vel præsentiæ ejus.

§. 366. *Orationes pro misericordia, sapientia, gratia & libertate, &c.*

Die 26. *Augusti* 1640. Rursum rogavi liberationem ab omnibus peccatis meis & difficultatibus, utque Deus doceret me rectam viam, duceretque in ea, & ab amplius peccando contra illum servaret, potentiamque consummaret suam in infirmitate mea, animamque liberaret. Ex toto animo meo quæro te, ne sinas me errare a præceptis tuis. (*Ps.* 119. 10. Peregrinante me in hac terra, ne abscondas a me præcepta tua. *Ibid.* 19. Viam falsitatis amove a me, & legem tuam gratiose largire mihi. —— Viam præceptorum tuorum percurram, quum dilataveris animum meum. (*Ibid.* 29. 32.) Doce me Jehovah viam statutorum tuorum; quam custodiam in finem usque. Fac ut intelligam, ut custodiam legem tuam, observemque eam ex toto animo. Deduc me per semitam præceptorum tuorum, nam ea delector. Flecte animum meum ad statuta tua; neque sinas deflecti ad quæstum. (*Ibid.* 33-36.) Utinam compararentur viæ meæ ad observandum statuta tua! Tunc non erubescam, quum intuebor omnia præcepta tua. Celebrabo te recto animo, (*tu Deus enim animum rectum dabis mihi, opusque gratiæ consummabis in me*) discendo jura justitiæ tuæ. Statuta tua observabo; ne derelinquas me admodum. (*Ibid. vs.* 5-8.) Doce me Jehovah viam tuam, & deduc me per semitam planam, propter observantes me. (*Ps.* 27. 11.) Vias tuas notas fac mihi, Jehovah, semitas tuas doce me. Fac ut incedam per veritatem tuam, & doce me, nam tu es Deus salutis meæ; te expecto totum diem. Recordare miserationum tuarum Jehovah, & benignitatum tuarum; eas a seculo esse. Peccatorum pueritiæ meæ & defectionum mearum ne recorderis; pro benignitate tua recordare mei tu; propter bonitatem tuam, Jehovah. Bonus & rectus Jehovah; idcirco docebit peccatores viam. (*Ps.* 25. 4-8.) Oravi quoque pro Nationali hac Ecclesia & Regno, pro Rege & familia Regia, omnibusque subditis, ut Deus omnia corda nostra aduniret in notitia, timore & amore sui, & proximi in eo; proque afflictis Dei servis, omnibusque liberis ejus in peregrinatione hac, ut consolaretur duceretque nos Deus consilio suo & Spiritu sancto, & postmodum reciperet in gloriam cœlestem, per Jesum Christum Dominum nostrum. Precatus sum etiam pro filio meo Georgio, ut Deus libere adeo benediceret illi benedictionibus tum temporalibus, tum spiritualibus, ut omnes spectantes agnoscant, videantque continuationem misericordiæ Dei in familiam nostram, in qua nomen Domini invocatur, utque Dominus toti domui, necessariis nostris, omnibus denique ad nos spectantibus benediceret & sanctificaret, eosque & liberos suos errantes converteret, ostenderetque salutem suam. Et de omnibus his petitionibus meis magnam a Deo recepi consolationem, qui præsto est omnibus quærentibus eum in veritate, quique delectatur benignitate. Benedictum sit nomen ejus sanctum supra benedictionem & laudem exaltatum in secula seculorum. *Amen.*

Orationes pro principibus nostris, populis, omnibusque Dei liberis in peregrinationibus his.

Pro Georgio, totaque familia nostra, & necessariis, &c.

Consolatio.

Hallelujah.

§. 367. *Jejunium.*

Die 27. *Augusti* 1640. Rursum per totam Scotiam celebrabatur jejunium solenne, & humiliatio, ut a postrema Synodo Nationali indictum fuerat. Hoc jejunium solenne observavi ego cum concione Neo-Aberdoniæ, ubi bis audivi Mr. Gulielmum *Robertson* prædicare super verbis Apostoli Jacobi, *Et flete: risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.* Ante primam etiam concionem, præclaram sane ac ædificatoriam habuit exhortationem in 28. Caput Deuteronomii. Animum adjicere statui ad quærendum Deum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ad magnopere me humiliandum coram Domino, sicut Manasses, quum esset afflictus. Dominum quoque oravi, qui conatum hunc animi mihi dederat, ut etiam peractionem ejus operaretur in me salutarem, utque mihi exoraretur, auremque deprecationibus meis præberet, eriperet, servaretque. Dominus monstravit mihi indignitatem meam propter plurima mea grandia & abominanda peccata & flagitia. Nequitiam ac turpitudinem meam fassus sum & agnovi, confessionem etiam impietatum gravium institui, & immensum memet aversatus sum, ac projeci meipsum coram Deo animo fracto, spiritu contrito, & fletibus amaris. In tantum etiam animo dejiciebar, & conscientia turbabar, ut profunde meditarer ac mirarer si Deus mihi impio adeo, insulso, & ingrato ignosceret peccatori. Magnæ quippe Dei in me benignitates, & amicæ ejus meecum familiaritates, argumento fuere majoris meæ ingratitudinis, ut scriptum est de ingratitudine Solomonis, in declinando animo ejus a Jehova Deo Israëlis, qui apparuerat ei bis. (1 *Reg.* 11. 9.) Deus etiam per Prophetam suum sic alloquitur filios Israëlis. Solummodo vos agnoveram ex omnibus familiis terræ: idcirco animadvertam in vos omnes iniquitates vestras. An ambulaturi essent duo una, nisi convenirent? (*Amos.* 3. 2, 3.) Et Salvator noster dicit discipulis suis: Ille autem servus qui novit voluntatem Domini sui, & neque se comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagis. (*Luc.* 12. 47.) Atque ex hac consideratione percepi, cogitationes in animo meo malas, corruptasque meas affectiones, majora esse peccata, majoresque mereri pœnas, crassis ac manifestis aliorum actionibus peccaminosis, quibus se non adeo familiariter manifestaverat Deus. Agnovi etiam peccata mea multa & gravia verbis

Propositum animi Deum quærendi.

Magnopere humiliabar coram Deo, eumque ex toto corde quæsivi.

bis & factis, omissaque peccaminosa; & gestum ingratum. Peccatorum meorum onus par fuit monti excelso conscientiæ meæ incumbenti animumque obruenti. Sub gravi & terribili hoc onere ingemui, & pervehementer lacrymas Deo fudi, cujus benignitas magna est supra cœlos. (*Psal.* 108.) Qui animum fractum & contritum non spernit; (*Psal.* 51.) qui misericordiam pollicetur, & plurimum condonat cuique peccatori pœnitenti, etsi fuerint peccata nostra tanquam dibapha, & rubra velut coccinum; (*Isai.* 55. & *Isa.* 1.) qui venit vocatum peccatores ad resipiscentiam, ut medicus ad medendum infirmis; (*Matth.* 9.) qui subvertit montes, (*Job.* 9. 5.) & arefacit mare; (*Nah.* 1. 4.) cujus misericordia in omnibus operibus ejus; (*Ps.* 145.) qui non sine causa mortuus est, (*Gal.* 2.) sed quum adhuc peccatores essemus & inimici, mortuus est pro nobis, & per mortem suam reconciliavit nos sibi; (*Rom.* 5. 2 *Cor.* 5.) qui venit in mundum ut peccatores servaret, quorum primus sum ego; (1 *Tim.* 1. 15.) cujus sanguis pacti æterni, (*Hebr.* 12.) qui loquitur pro nobis, (*Heb.* 13.) & mundat nos ab omni iniquitate; (1 *Joh.* 1.) quique vocat ad se omnes qui fatigati & onerati sunt, promittens requiem nobis se daturum. (*Matth.* 11. 28, 29.) Et Dominus aurem mihi præbuit, & misericordia solatus est, sustulit montem peccatorum meorum, & post tergum suum abjecit in profundum maris æternæ oblivionis, & mundavit me, ac mecum & in corde meo & anima mea se manifestavit, dicens, *adsum ego*; & faciens me responsi sui Jacobo recordari, dixit mihi, *vicisti, potentia vales apud Omnipotentem Deum Jacobi, qui auxiliabitur tibi & benedicet, ac servabit. Ne timeto, ego sum salus tua. Omnia peccata tua remissa sunt tibi, vade cum pace, fides tua te servavit; nunquam deseram te vel derelinquam: ego sum tecum & intra te, & hic in æternum habitabo.* —— —— Egisti Domine causam animæ meæ, vindicasti vitam meam. (*Lam.* 3. 58.) Deum celebravi, & simul cum cœtu oravi pro misericordia, gratia & pace, Christi Ecclesiæ, & genti huic peccatrici, proque conversione errantium Dei filiorum, & pro consolatione lugentibus, pro libertate afflictis, luce cœcis, robore infirmis, pro pace & unitate Ecclesiæ suæ hic & alibi. Pro filio etiam oravi & omnibus ad nos spectantibus. De his omnibus consolabar in Deo, animusque meus gaudio spirituali, consolatione æterna, bonaque spe per gratiam replebatur. Et anima mea benedixit Domino Deo misericordi meo, salutari meo robori. Quis est Deus par tibi Domine? condonans iniquitatem & præteriens defectionem reliquiis possessionis tuæ. Benignitas ejus durat in æternum, fides ejus sempiterna. Lætetur animus quærentium Jehovam. (*Ps.* 105.) Revivificet animus vester, ô quærentes Deum. (*Ps.* 69.) Quærite Jehovam, ita vivite. (*Amos* 5. 6.) Mecum sunt, ô Deus, vota tua, persolvam gratiarum actiones tibi. (*Ps.* 56. 12.) Tibi serviam ex toto corde meo, cæteris vitæ meæ diebus. Da mihi gratiam, Deus, & fac vota persolvam; eripe me ex omnibus angustiis meis, stabilito me spiritu tuo ingenuitatis. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, Personis trinis, soli unicoque vero Deo, supra omnem benedictionem & laudem exaltato, qui potest nos custodire a lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exsultatione; (*Jud.* 24.) qui solus mirabilia facit; (*Ps.* 72.) qui summa cum exsuperantia potest omnia facere supra ea quæ petimus, aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis. Ei sit gloria in Ecclesia, per Christum Jesum, in omnes ætates seculi seculorum. *Amen.* (*Eph.* 3.)

Fundamenta fiducia. — *Copiosa consolatio.* — *Adsum ego, vicisti.* — *Oratio pro Ecclesia, &c.* — *Consolatio.* — *Gratiarum actio.* — *Gaudium & vita quærentibus Deum.* — *Oratio. Gloria Deo.*

§. 368. *Die* 28. *Augusti* 1640. Renovavit mihi Deus consolationes præcedenti die collatas, certum me reddens se esse salutem meam, precesque meas exaudiisse, populo suo benedicturum, filio meo & Collegis misereri, omnibus singulisque liberis suis in bonum incubiturum, nos custoditurum immunes a lapsu, & in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exultatione staturum. Illi gloria in secula. *Amen.* Exercitus cœlestis adorat te Domine, spiritus justorum consummatorum venerantur te, & exultant gaudio magno, cernentes faciem tuam in conspectu gloriæ tuæ. Benignitate tua confidimus, nos ex illis fore, cum e mortali vita hac sustuleris nos. Implet totam hanc terram gloria tua, (*Isa.* 6.) & in templo tuo, in Ecclesia tua militante, quivis eloquitur gloriam tuam. (*Ps.* 29.) Gloria Deo in altissimis, pax in terra, benevolentia erga homines. (*Luc.* 2.) Celebrent te Jehovah, omnia opera tua; & quos benignitate prosequeris, benedicant tibi; (*Psal.* 145.) anima quoque mea, quam redemisti. In manum tuam depono spiritum meum; redemisti me Jehova Deus fortis verax. (*Ps.* 31.) Commendamur omnes in manus tuas paternas, per Dominum nostrum Jesum Christum, quum, vitam suam pro nobis deponens, seque in sacrificium propitiatorium fragrantis odoris tibi, cœlestis noster Pater, offerens, oravit dicens, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. (*Luc.* 23. 46.) *Amen*, Domine. Benedictus sit Jehovah. *Hallelujah. Amen.*

Benignitates & consolationes renovata. — *Laudes Deo.*

§. 369. *Die* 29. *Augusti* 1640. Solus in campis, quum pusillanimitatis recordarer, zelique pro domo Dei & veritate ejus defectus, & angustiarum quibus stulte me intricaveram, ex quibus haud facile absque vel peccato vel scandalo solvere me valeo; prostratus coram Domino jacui lacrymabundus, eique maximo luctu peccata mea fassus sum, supplex misericordiam rogavi, intellectum, & ex malis his liberationem salutarem, ut anima ab ergastulo redux Domino benedicat. Pro zelo quoque oravi, ut vere zelotypia agar domus Dei, veritatis ejus, zelò nimirum ex notitia. Dominum etiam precatus sum, ut animum sincerum & rectum in quo habitare delectatur, & revera habitabit, mihi donaret; cumque cor hominis fraudulentum sit supra omnia, & quis cognoscat ipsum? (*Jer.* 17. 9.) attamen id novit Dominus, animorum & rerum explorator. Ad Dominum suspiriis & lacrymis queribundis clamavi, ut mihi conferret animum, qualem rectum ipse agnosceret; hancque denuo renovavi petitionem in museo planctibus plurimis, propter injustitiam meam. Ah, Domine, quando tempus adveniet, cum tu de me ut de Nathanaële pronunciaveris? *Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est*, (*Joh.* 1. 48.) mihique dixeris, sicut & illi? Tu etiam per sanctum tuum Prophetam Davidem sic loquutus es: Beatus levatus a defectione, cujus tectum est peccatum. Beatus homo, cui non imputat Jehovah iniquitatem, & cujus spiritui non inest dolus; (*Psal.* 32.) adeo ut cuicunque das remissionem peccatorum, illi etiam concedas dolo carere. Ah, Domine, quis servabitur? ah, quomodo habebo ego peccata remissa, cujus in corde tantus & multiplex adeo delitescit dolus? Dominus audivit threnodiam & preces meas, animique desiderium, meque solatus est in sempiterna sua erga me in Christo dilectione, non propter dignita-

Confessio supplex, luctus & oratio. — *Agonia in quærendo animo integro.* — *Consolatio.*

gnitatem meam, dilexit enim me quum essem inimicus & peccator, sed propter beneplacitum suum, secundum æternum ac immutabile gratiæ suæ propositum, & voluntatis consilium. Fatigatos etiam & oneratos ad se vocat, & requiem eis dat. (*Matth.* 11. 28.) Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. (*Matth.* 5.) Opus illud bonum quod in me incepit, perficiet usque ad diem Jesu Christi. (*Phil.* 1. 6.) Gratia ejus mihi sufficit. (2 *Cor.* 12.) Præstabit mihi procul dubio pollicita sua salutifera, in quibus me fiduciam habere effecit. A lapsu immunem me custodiet, & inculpatum me statuet in conspectu gloriæ suæ, cum exsultatione. (*Judic.* 24.) Hinc animus meus in Deo consolabatur. Pro Ecclesia quoque Dei in gente hac, insulis his, & alibi oravi, pro Ecclesia (inquam), quam suo illo sanguine acquisivit, ut Dominus misericordiam in nos exerceret, & daret resipiscentiam pro omnibus peccatis nostris, veritatis item notitiam, animique & cordis unitatem in illo, pacemque suam, tutamen, & consolationem magnam. Precatus sum quoque pro Collegis meis afflictis, ut Dominus gratiam conferret eis ad bene utendum visitationibus his, eosque consolaretur. Filio quoque omnibusque ad nos spectantibus, & quibuscunque Dei liberis pro cujusque necessitate per totum peregrinationis hujus rursum, benignitatem & gratiam rogavi.

Consolatio.

Et in his confortabar, Dominus enim preces meas exaudivit, ac super omnibus petitionibus meis salutari pacis responsione consolatus est. Benedictus sit Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, misericordiarum Pater, ac omnis consolationis Deus, qui in omnibus tribulationibus nostris consolatur nos, ut nos etiam valeamus alios consolari, & confidere ei omni tempore discamus, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, (1 *Pet.* 1.) ad hereditatem quæ nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cœlis servatam, qui virtutis Dei præsidio custodimur per fidem, ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo. Laudate Dominum supra omnem benedictionem & laudem a seculo usque in seculum exaltatum. (*Neh.* 9. 5.) *Amen. Hallelujah.*

§. 370. *Exultatio in Deo.*

Die 8. *Septembris* 1640. Quum triumpharem in Domino propter misericordiam ipsius erga me undique magnificatam, meique ab odio, vi, hominumque superbia ereptionem, & a lite ac contumeliis populi, & linguarum contentione;

Secreta tentatio ex consideratione antecedentium peccatorum. Oratio.

magna mihi supervenit animi vexatio ex peccatorum antecedentium plurium & execrabilium recordatione, Satanasque inde me occupare quæsivit, omnique mea in Deo orbare exultatione, qui sanctus est, omnemque abominatur impietatem, hypocrisin & peccatum. Non consistent insani e regione oculorum ejus, odit omnes qui operam dant iniquitati. Perditurus est loquentem mendacium: virum sanguinarium & dolosum abominabitur Jehovah. (*Ps.* 5.) Clanculum me recepi, supplexque prostravi memet coram Domino, benignitatem rogavi & gratium,

Consolatio & victoria.

ac consolationem luctatus sum, omnia hæc mea peccata condonata, Dominumque diu abhinc ea obliterasse ac oblivione sepelisse, Satanamque his suis accusationibus me minime superare, ast Dominum Deum ac Servatorem meum, qui me redemit, brevi Satanam sub pedibus meis contercre. Non intuitus est Deus iniquitatem in Jacobo, nec aspicit perversitatem in Israële. (*Num.* 23. 21.) Filio suo non pepercit, sed tradidit illum pro nobis omnibus, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur? Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. (*Rom.* 8.)

Luctus; deprecatio; & oratio.

Abunde flevi in deprecatione mea & oratione ad Deum pro benignitate, consolatione, & robore in illo, proque luce faciei ejus, ut Dominus mecum in æternum remaneret, & a tentatione ineunda liberaret, neque sineret me tentari supra id quod possum, sed una cum tentatione præstaret etiam exitum, ut possim eam sufferre; similiter ut Dominus fidelem me faceret, sapientem, & in cultu suo innocuum, neque unquam permitteret me quoquo modo eum abnegare; præcedentia remitteret peccata mea omnia & prævaricationes, animamque e claustro educeret ad laudes illi cumulandum; misericordiam semper & gratiam in conspectu suo largiretur; & talem benignitatem & favorem in oculis fratrum, ac gloriæ nominis sui expedit; Ecclesiæ suæ utilitati, bonoque meo; spiritumque suum sanctum ut mihi impertiretur ad consolandum & docendum me, ducendum semperque mecum manendum; efficeret me etiam eos diligere, qui odio me habent, benedicere eis; & precari pro eis, qui mihi infesti sunt & persequuntur; unumquemque humiliter & sincere mihi præcellere existimare; meque misericordia sua erga nos omnes consolaretur, mitem ac mansuetum me Servatori meo similem præstaret, requiemque animæ meæ in eo daret; ut vere & constanter pro gloria sua zelotypum efficeret, proque domo sua, aliorumque salute & propria; utque bonam retineam conscientiam zelo Dei ex notitia, gratiamque suam mihi sufficientem præberet ad potentiam ejus in infirmitate mea consummandam, & ut virtus Christi mihi inhabitet, neque me unquam mihi ipsi permitteret; ast mihi os & sapientiam daret, cui non poterunt contradicere, neque obsistere omnes qui veritati ejus sese opponunt, spiritumque suum sanctum in illo momento, ut quod & quomodo loqui debeam, loquar; ut statuta sua me doceret, gloriamque suam mihi ostenderet, seque mihi conspiciendum præberet, sicut promisit sese diligentibus ipsum manifestare; faceretque ut plurimum eum diligam sincera & grata agnitione benignitatum suarum erga me mirabilium,

Plurimum amat, cui plurimum remittitur.

plurimum mihi condonantem, omnia nimium peccata capillis capitis mei numero majora, & arena ad mare montibusque excelsis graviora. Omnia hæc sustulit Dominus, & propter dilectionem animæ meæ, omnia mea peccata post tergum abjecit in sempiternam oblivionem. Oravi etiam ut Dominus, pacis Deus, impleret me magis magisque omni gaudio & pace credendo, ut quotidie magis magisque spe exundem per virtutem Spiritus sancti; utque efficeret me crescere indesinenter in gratia & notitia Domini nostri Jesu Christi, & ut in posterum non vivam ego, sed Christus in me, neque amplius secundum carnem ambulem, sed secundum spiritum, prædicans virtutes illius qui me vocavit e tenebris in admirabilem suam lucem, & ut lux mea ita splendeat coram hominibus, ut videant opera mea bona, glorificentque Patrem meum qui est in cœlis, sanctam nimirum & indivisam Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, utque me vere Israëlitam faceret, in quo non est dolus, animumque meum coram se rectum crearet, seque firmum exhiberet erga me; (2 *Chron.* 16. 9.) & animum meum integrum

faceret in statutis suis, ut non erubescam; (*Ps.* 119. *Jod.*) dilataretque me, ut percurrerem viam præceptorum suorum; (*Ps.* 119. *Daleth.*) & daret mihi gratiam & gloriam, neque quid boni cohiberet a me; (*Ps.* 84.) sed omne bonum largiretur, & fidelem me faceret usque ad mortem; ut certamen illud præclarum decertet pro me, mihique victoriam det & coronam vitæ, per Jesum Christum, Servatorem meum benedictum, cui gloria in seculum. *Amen.*

Exaudit Dominus. Intima præsentia. Gaudium magnum.

Exaudivit me Dominus, & unicuique respondit petitioni, ac supplicationibus meis annuit *præterordinaria benignæ suæ & persalutaris præsentiæ mensura, adeo ut raperetur animus meus, & obrueretur gaudio spirituali, miraque hac Dei in me bonitate stupefactus hæserit.* Et Dominum laudavi, lacrymas fundens, ac Deum collaudans.

Oratio.

Precatus sum pro Dei populo hic & alibi in peregrinationibus his. Serva populum tuum Domine, & benedic possessioni tuæ; pasceque eos, ac extolle eos usque in seculum. (*Ps.* 28.) Præsertim vero pro Rege nostro oravi, Regina uxore ejus ac liberis, omnibusque subditis, & exitu salutari præsentium horum motuum; atque solabar animo, persuasus de misericordia Dei, illum blande acturum cum Ecclesia sua, Principibus nostris, populoque.

Consolatio. Aditus cœlestis. Oratio.

Ac inter cœlestem hunc ad Deum aditum, dictum illud in mentem venit, *dilata os tuum, & impleturus sum illud.* (*Ps.* 81.) Tum dixi, da mihi, Domine, Spiritum tuum sanctum, qui pro sanctis interpellat secundum voluntatem tuam, ut intercedat pro me. Inde precatus sum pro sapientiæ & revelationis spiritu, per agnitionem Dei &, quem misit, Jesu Christi, (*Joh.* 17. 3.) utque Deus oculos mentis meæ illuminaret, ad sciendum quæ sit spes illa vocationis ejus, & ut videam nomen in cœlis scriptum, (*Luc.* 10. 20.) & quæ opes gloriæ hereditatis ipsius in sanctis, & quæ sit supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipsius, quod exeruit in Christo, quum suscitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dexteram suam in cœlis, longe supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro, & omnia subjecit ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & complementum ejus qui omnia implet in omnibus. (*Eph.* 1.) Etiam nos, quum in offensis mortui essemus, una vivificavit cum Christo, ille qui dives est misericordia, & multus caritate erga nos, in illo, eripuit nos a servitute Satanæ, & a vita hujus mundi, & a morte in peccato, & a statu iræ, & vivificavit & suscitavit nos una cum Christo, unaque collocavit in cœlis in Christo Jesu, servans nos gratia sua per fidem in illum. (*Eph.* 2.) Hujus rei gratia etiam flexi genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo tota familia in cœlis & in terra nominatur, ut det mihi pro divite sua gloria, ut fortiter corroborer per spiritum ipsius in interiori homine; & inhabitet Christus per fidem in corde meo, ut in caritate radicatus & fundatus, valeam assequi cum omnibus Sanctis, quæ sit illa latitudo & longitudo, & profunditas & sublimitas, & nosse caritatem illam Christi omni notitia supereminentiorem, ut implear ad omnem usque plenitudinem illam Dei. (*Eph.* 3.)

Oratio pro aliis.

Oravi etiam ut benignitates hæ affatim etiam filio largirentur, omnibusque Dei filiis, tum amicis meis particularibus & familiaribus, tum omnibus aliis, secundum divitias gratiæ Dei in Christo Jesu Domino nostro.

Particularis etiam pro filio Georgio.

Speciatim quoque pro filio meo oravi, ut Deus idoneum illum redderet servitio illi Dei, cui me educaturum promisi, si liberet Deo mihi eum dare, & educationem illi impertiri, ac vocationem ad obsequium illud in sancto verbi Dei ministerio, jamque rogavi ut Dominus aptum illum efficeret muneri huic, si gratum sit Deo eum eo vocare. Precatus sum etiam pro gratia, misericordia & gloria illi, & de omnibus his postulatis

Uberrima consolatio.

uberrimam mihi consolationem dedit Dominus, certumque me reddidit, se benevolum fore erga populum suum, eosque servare gestire, futurumque ut nostri pro benevolentia qua populum suum prosequitur, recordetur, & salute sua nos visitet, ut fruamur bono electorum ipsius, ut lætemur lætitia gentis ejus, ut nos laudibus efferamus cum ejus possessione; (*Psal.* 106.) seque summa cum exuperantia omnia bona nobis facturum supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis. (*Ephes.* 3.)

Laudes Deo.

Ei sit gloria in Ecclesia, per Christum Jesum, in omnes ætates seculi seculorum. *Amen.* Omnes Angeli cœlorum, omnesque spiritus justorum consummatorum, omnesque spiritus in terra laudent nomen Domini supra omnem benedictionem & celebrationem exaltatum. (*Nehem.* 9. 5.) Benedictus Jehovah Deus Israëlis, inde a seculo usque in seculum: & dicat totus populus, *Amen.* (*Ps.* 106. 48.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, Personis trinis, soli unicoque vero Deo, Domino Jehovæ, omnium rerum creatori, soli sapienti Deo, Servatori nostro, cujus solius exaltatur nomen, cujus decor supra terram & cœlum, (*Ps.* 148.) Deo ac Patri Domini nostri Jesu Christi, (2 *Cor.* 1.) (sacrosancta Trinitas Deus ejus est, & Pater unus ex Personis, Pater est Filii) misericordiarum Patri, omnisque consolationis Deo, qui effert cornu populi sui, laudem omnium quos benigne accipit Israëlitarum vere Israëlitarum, animo purorum, populi propinqui sibi, qui consolatur nos in omni afflictione nostra, ut possimus in quavis afflictione positos consolari, ea ipsa consolatione qua nos ipsos consolatur Deus. (2 *Corinth.* 1.). *Hallelujah.*

§. 375. *Deprecationes & consolationes renovata. Salutis certitudo. Oratio pro consolatione super necessariis mortuis.*

Die 9. Septembris 1640. Eusdem quas præcedenti die Deo obtuleram deprecationes & preces, lacrymis renovavi, & Deus quas tum habueram consolationes, copiose redintegravit, certumque me reddidit nomen meum scriptum esse in cœlis, seque salutem mihi fore. Consolationem quoque rogavi adversus iteratos tristitiæ & melancholiæ dolores, affligentes me ex recordatione uxoris, liberorum, patris, matris, fratrumque qui decesserant ex vita hac mortali in meliorem, qua nunc animæ cum Christo fruuntur, dum corpora in monumentis recondantur in diem beatæ illorum resurrectionis. Sicque verba feci: O Deus mi, qui me liberasti e magnis gravibusque peccatorum meorum montibus, tibi quoque arrideat ab his tristitiæ & melancholiæ angoribus me liberare, ne vel Spiritum tuum sanctum tristem, neque animo infringar, vel retinear a tibi læte & grate serviendo, sicut præceperis, & ne exinde continuar.

Exaudit Dominus, ac consolationem & robur largitur.

Dominus preces meas exaudivit, consolatus est, nunquam deseret me vel derelinquet. Ille solus lux mea, salus mea, & robur vitæ meæ. (*Ps.* 27.) Deus auctor est lætissimæ exultationis meæ. (*Ps.* 43.) Lux faciei ejus felicitas mea. (*Ps.* 4.) Benignitas ejus melior est vita. (*Ps.* 63.) Hi mei necessarii cum Christo gaudent, & Dominus ipse melior mihi est eis, omnibusque quæ vel cogitari

tari

Laudes Deo.

tari vel expeti queant. Dominus receptus meus, & portio mea. (*Ps.* 142.) Quis est mihi in cœlis præter te? & præter te nullo delector in terra. Deficiente carne mea, & animo meo, rupes animi mei & portio Deus est in seculum. (*Ps.* 73.) Anima mea, Dominum celebra, nam ipse salus faciei meæ, & Deus meus. (*Ps.* 43.) Et in seculum benedictum sit gloriosum tuum nomen, supra omnem benedictionem & laudem exaltatum. Tu ille Jehovah solus es; tu fecisti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum illorum; terram, & quicquid est in ea, maria & quicquid est in eis, & tu conservas hæc omnia. Etiam exercitus cœlorum tibi se incurvant honorem exhibentes. (*Nehem.* 9. 5, 6.) Salus Deo nostro insidenti throno, & Agno. —— *Amen.* Benedictio, & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & potestas, & vires Deo nostro, in secula seculorum. *Amen.* (*Apoc.* 7.)

Natus fuit Patricius 29. Aprilis 1621. Henricus 17. Aprilis 1623.

His finitis meditationibus, ecce illico in manus venit epistola, a Patre beatæ memoriæ conscripta ad uxorem meam beatæ memoriæ, hac occasione. Deus duo mihi dederat pignora, Patricium & Henricum; natu major, nempe Patricius, mortuus est ad beneplacitum divinum die 16. Maji Ann. 1623, Minor etiam Henricus eodem obiit anno, 9. die Augusti, quum tunc temporis abessem ego in parte meridionaliori, & pater meus ad *Corse* diverteret; qui cum mortis Henrici certior redderetur, consolatoriam hanc scripsit epistolam uxori meæ Palæo-Aberdoniæ agenti.

§. 372. *Epistola consolatoria conscripta a Patre meo defuncto, uxori meæ, nunc quoque mortua.*

Filia dilecta, ad aures meas pervenit visitatio Dei, qua patientiam tuam exploravit, quam precor ab omnibus conspici, ut videant singuli in te, quanta fortitudine Christiana Religio eos instruat, qui eam vere possident. Nulla tibi accidit tentatio præterordinaria, cuique non sint homines obnoxii. Ex hoc a mundo dignoscimur, quod patienter & submisse cœlestis Patris nostri virgas osculari queamus, qui sapientior est nobis, & quid nobis satius sit, intime novit, qui potest etiam, imo & faciet omnia in bonum nostrum uberioremque consolationem cedere, nisi murmurando ulteriores nobismetipsis inducamus castigationes, quæ procul dubio dabuntur usque dum coram sistere & silere discamus. Major datur anxietas in uno filio vivo, ast flagitioso, quam in decem aliis quos Deus in benignitate ad se perducit. Quapropter te iterum iterumque rogo, teipsum consoleris in Deo, qui habitat in anima mansueta, & abunde potest nos consolatione ornare, supra omnia quæ vidimus mala, vel videnda sunt. Diviti ipsius gratiæ & benignitati commendo te, semperque supersum

Dilectus tuus Pater.

A Corse 10. *Aug.* 1623.

Epistola hæc maxime mihi consolatoria est; laudatus sit Dominus.

Agnosco Jehovah justa esse judicia tua; & te in fide afflixisse me. Adsit jam benignitas tua, ut consoletur me, secundum sermonem tuum habitum cum servo tuo. Obveniant mihi misericordiæ tuæ, ut vivam; quia lex tua est omnis oblectatio mea. (*Psal.* 119. *Jod.*) Respice ad me, & gratiam fac mihi; prout est jus erga amantes nomen tuum. Pedes meos institue in sermone tuo; & ne sinas dominari in me ullam iniquitatem. (*Ps.* 119. *Pe.*) Omnes has concede, Domine, benignitates & consolationes omnibus singulisque liberis tuis, secundum necessitates suas; utque Angeli in cœlis super conversione & consolatione filiorum tuorum gaudent; sic fac me singulosque nostrum super ea gaudere, ut fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlis, sic etiam in terra. Benedictum sit nomen Domini, in secula seculorum. *Amen.* Benedicam Domino omni tempore. Audient mansueti & lætabuntur. (*Ps.* 34.) *Hallelujah. Amen.* Remitte Domine fatigationem meam & aversionem a servitio tuo, animumque integrum da mihi, dilata cor meum, & fac ut percurram viam præceptorum tuorum læte & alacriter, animo integro & lubenti. Dominus mihi consolatorie respondit, *certum me reddens misericordiæ suæ, & gratiæ mihi sufficientis, virtutemque Christi in me habitaturam, potentiamque suam in imbecillitate mea consummaturum.* Ignosce Domine ingratitudinem meam, mihique medere pro Christo. Dominus mihi respondit: *Ego sum salus tua.* Benedictus sit Dominus.

§. 373. *Suavis cum Deo communio.*

Dixit mihi Deus: *Quid me rogas?* Respondi: Supplex rogo in nomine Christi, ut certior reddar de remissione omnium peccatorum, ut animus sit mihi integer in te, Ecclesiam tuam, & in omnes homines, ut fruar bono Jerusalem omnibus diebus vitæ meæ, (*Psalm.* 128.) paceque super Israëlem; ut fruar bono electorum tuorum, ut læter lætitia gentis tuæ; ut me laudibus efferam cum possessione tua; (*Psalm.* 106.) ut considam in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ, ad videndum amœnitatem Jehovæ, & inquirendum in templo ejus; (*Ps.* 27.) ut sapiens sim, fidelis & verax in omni famulitio Dei; (*Matth.* 24. 45. *Joh.* 7. 18.) ut per tolerantiam propositum mihi stadium decurram; (*Hebr.* 12. 1.) ut consummem cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi a Domino Jesu, ad attestandum Evangelium gratiæ Dei; (*Actor.* 20. 24.) ut dimittar cum pace, in conspectu salutis tuæ. (*Luc.* 2. 29, 30.) Gratiam dato & gloriam Domine, filio meo Georgio, omnibusque servis tuis. Et Deus mihi respondit responsa pacis, verba bona, verba consolatoria; (*Zach.* 1. 13.) *preces meas exauditas esse, postulata concessa, seque etiam tum posse, tum facturum, summa cum exuperantia supra quæ petii vel petere vel cogitare potero.* (*Ephes.* 3.) *Fecit me quoque videre eandem hanc suavem cum Deo communionem, esse amoris sui erga me, paternæque suæ super me in Christo benedictionis testimonium. Beatus es Simon Bar-Jonah: quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* (*Matth.* 16. 17.) *Certum quoque me reddidit, se confirmaturum me usque ad finem inculpatum, dum reveletur Dominus noster Jesus Christus.* (1 *Corinth.* 1. *vers.* 8.) Jehovah perficiet pro me, (& pro filio meo Georgio, proque omnibus & singulis liberis suis) Jehovah benignitas tua in seculum est; ab operibus manuum tuarum ne desistas. (*Psal.* 138.) Cæterum ei qui potest nos custodire a lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos, cum exsultatione; soli sapienti Deo, Servatori nostro, gloria esto & magnificentia, robur & auctoritas, & nunc, & in omnia secula. *Amen.* (*Jud.* 24. 25.)

Salutis certitudo.

§. 374.

Die 10. *Septembris* 1640. Quum exhortationes has consolatorias perlegerem, quas scripseram 22. Octob. 1626. recordatus sum dicti illius de Josaphat in laudem ejus, *Et efferebatur animus ejus ad vias Domini.* (2 *Chr.* 17. 6. וַיִּגְבַּהּ לִבּוֹ בְּדַרְכֵי יְהוָה) Καὶ ὑψώθη ἡ καρδία αὐτοῦ ἐν ὁδοῖς Κυρίου. Vulg. *Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini.* Pagn. *Elevatum est*

est præterea cor ejus in viis Jehovæ.) Hanc contuli sententiam et quam legere est Psal. 131. ubi David dicit de seipso (לֹא־גָבַהּ לִבִּי *οὐχ ὑψώθη ἡ καρδία μου, non est exaltatum cor meum, non est altus animus meus*); illi etiam quam loquutus est Servator noster. (*Discite a me, quod mitis sim & humilis corde,* ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. (*Matth.* 11. 29.) Ac hinc invenio bonam esse animi elevationem quæ in viis Domini est, quæque veram concomitatur lenitatem animique humilitatem; malamque esse elevationem, superbiæ, & dignitatis nostræ præsumptioni dicatam. Bona animi exaltatio incredulitatem, timorem suspicacem, animi demissionem & negligentiam peccaminosam præcludit; ast mala exaltatio inimica est mansuetudini & humilitati. Nequaquam pro vera habetur humilitate in viis Domini negligentem se præbere, pusillanimum aut diffidentem, neque veræ spiritualis fortitudinis signum est, superbe & arroganter nosmet gerere propter dignitatem aut vires proprias.

Bona datur animi exaltatio, item & mala.

In hanc rem ita loquitur & Ambrosius: *Ex malo servo factus es bonus filius, ideo præsume, non de operatione tua, sed de Christi gratia; gratia enim salvati estis.* *Apostolus ait.* (*Ephes.* 2. *Non ergo hic arrogantia est, sed fides; prædicare quod acceperis, non est superbia, sed devotio.* (*D. Ambros. lib.* 5. *de sacram. cap.* 4.) In quo loco sic loquitur de præsumptione hac, *bona præsumptio est.*

Bona præsumptio.

§. 375. *Die* 11. *Septembris* 1640. Rursus meditatus sum de bona hac malaque animi exaltatione. Augustinus dicit: *Si ergo cor castum non potest invenire, quod præsumat de sua justitia, præsumat omnium cor de misericordia Dei.* Aug. in Psal. 129. (seu 130.)

Bona est hæc animi exaltatio ad quam Deus Joshuam hortatur, *fortem utpote se præbere ac confirmari, cum observantia facere prorsus secundum præcepta Dei, ac in præsentia ejus promissa fiduciam habere.* (*Jos.* 1.) Contrarius autem est bonæ huic animi elevationi diffidens Ahaz & populi ejus metus, cum animus eorum commoveretur sicut commoventur arbores sylvæ propter ventum, ut loquitur Isaias. (*Isai.* 7.) Mala quoque animi exaltatio fuit illa Regis Assyriorum, (*Isai.* 10.) & Nebucadnezaris. (*Dan.* 4.) Mala hæc animi exaltatio, gloriatio, & fiducia propria; bonaque præcipitur. (*Jerem.* 9. 23. 24. & 17. *vs.* 5, 6, 7, 8.) Animus Hannæ matris Samuelis bona elevabatur exaltatione, cum diceret: exultat animus meus in Jehovah, elevatur cornu meum in Jehovah: dilatatur os meum contra hostes meos, nam lætor de salute tua. (1 *Sam.* 2. 1.) Talis quoque fuit hæc firme constituta Davidis fiducia: In Deo laudabo verbum ejus, in Deo confidam, non timebo; quid faciat caro mihi? (*Psal.* 56.) atque hæc Apostoli Pauli: Si Deus pro nobis, quis contra nos? (*Rom.* 8.)

Eodem die, in brevioribus Basilii regulis legi, Interrog. 234. debere Christianum mortem Domini annunciare (1 *Cor.* 11. 26.), ut audacter dicamus, venit princeps mundi hujus, sed in me non habet quicquam. (*Joh.* 14. 30.) Proinde consideravi, quod hic Servator noster de seipso loquutus est, ad omnia membra ejus pertingere, quos per mortem suam liberavit a potestate Satanæ. Hujus etiam Apostoli dicti recordatus sum: Empti estis pretio; glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei. (1 *Cor.* 6. 20.)

Salvator noster quoque dicit, vestri vero etiam capilli capitis omnes numerati sunt. (*Matth.* 10. 20.) Et, pilus capitis vestri non peribit. (*Luc.* 21. 18.) Sed, ah! peccata nostra animum addunt Satanæ contra nos. Hujus rei gratia Dominum lacrymis oravi; & Dominus me consolatus est. Gratia ejus nobis sufficiet, omnia peccata nobis condonantur, neque quid mali dominabitur in nos. Nil habet Satanas in nobis, omnes enim sumus Christi, ipse nobis medebitur, Satanamque sub pedibus nostris conteret, & quod inceperit in nobis Dominus opus bonum, perficiet ad finem usque. Benedictus esto Dominus, ego sum Christi, & ille ejus. *Hallelujah.* Nos oves ejus sumus, quas redemit, & dabit ille nobis vitam æternam, nec peribimus in æternum, neque rapier nos quisquam e manu ejus. (*Joh.* 10. 28.) Illi gloria in seculum. *Amen.*

Nihil in nobis habet Satanas.

Certitudo salutis.

Diebus 12, 13, 14. *Septembris* 1640. Has habui consolationes mihi renovatas; sed præterea novum & spiritualem sensi conflictum; Satanas quippe semet adversum me in procinctu tenuit, ut fidem meam enervaret. At Dominus me corroboravit, & servavit, fidemque præservavit ne deficeret. Et sicut vidua Sareptæ ad angustias penuriæ reducebatur paulo ante copiosam provisionem, atque ad alterum graviſſimum dolorem ex morte filii; quem tamen instanter Deus mutavit in longe uberiorem consolationem & gaudium in Deo, quum & filium vitæ restitutum acceperit, & hinc quoque confirmaretur in veritate verbi divini, quod ei loquutus fuerat Propheta Elijah; (1 *Reg.* 17.) ita Dominus Deus Servator meus sustinuit me, ac potenter in difficultatibus his pro me dimicavit, ac præpropere eripuit me ex tentationibus his, Satanamque sub pedibus meis conculcavit, meque in finum amoris sui amantiſſime recepit, certumque reddidit nomen meum in cœlis scriptum, Christum verum Deum, veramque vitam æternam illam in me habitare, meumque in seculum remansurum, atque ad finem usque. & in fine potentiam suam in infirmitate mea consummaturum. Ac me certificavit, me potentia valere apud Deum, instar Jacobi, perque Christum me victorem semper & amplius fore in Satanam, omnesque inimicos meos spirituales, neque quid mali in me dominaturum, sed omnipotentem Servatorem meum sub pedibus eos contriturum, neque resurgere valituros. Apud homines quoque me potentia valere certiorem reddidit. Dedit mihi Deus spiritum gratiæ & deprecationum, fecitque me invocare nomen suum sanctum lacrymis, & misertus est mei, ac copiose consolatus est, adeo ut optarim eandem mihi reddi consolationem cum augmento illius, eum e vita hac discessero. Quapropter id quoque Dominum rogavi, ac exaudivit me, certioremque reddidit salutaris admodum ac victoriosi decessus. Oravi etiam ut misericordia & gratia Ecclesiæ Christi hic & alibi infunderentur, pro Rege quoque nostro, pro Regina, liberis & subditis ejus, utque omnes has benignitates impertiretur Deus filio meo, Collegis, fratribus, consuetudine junctis, omnibusque Dei liberis uberrime, secundum cujusque necessitatem. De hoc quoque consolabar. Pusillanimitatis hujus meæ, flagitii, miseriæ, maximarumque & plurimarum Dei erga me misericordiarum experientia, me nullum unquam debere proximum flocci pendere dici, ast unumquemque me præstantiorem existimare, inque superabundantibus Dei misericordiis, ac in durante ejus veritate, & amore sempiterno, ac potentia omnipotenti fidere. Illustra lucernam tuam Domine, splendentes effice tenebras nostras, Domine Deus noster. (*Ps.* 18.)

§. 376. *Consolationes renovatæ.*

Conflictus, Opitulatur Deus.

Auxiliatur, liberat, victoriamque dat Deus.

Certitudo salutis per Christum Jesum.

Prævalentia Jacobi.

In mortem salutarem præparatio.

Oratio pro aliis.

Humilitatis & in Dei fiducia documentum.

Attul-

Oratio. Attolle ſuper nos lucem faciei tuæ Jehovah. (*Pſ.* 4.) Filios tuos errantes converte, conſolare eos qui puſillo animo ſunt, ſubleva infirmos, (1 *Theſſ.* 5.) omnibuſque & ſingulis affatim ſuccurrito, pro omnibus neceſſitatibus noſtris, propter Dominum noſtrum. Et ipſe Deus pacis ſanctificet nos totos, & integer noſter ſpiritus, & anima, & corpus inculpate in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti conſerventur. *Conſolatio.* Fidelis eſt qui vocavit nos, qui etiam id efficiet. (*Ibid.*) Illi, Patri nimirum, Filio, & Spiritui ſancto, *Gratiarum actio.* Regi immortali, æterno, inviſibili, ſoli ſapienti Deo, ſervatori & receptui noſtro, auxilii noſtri clypeo, excellentiæ noſtræ gladio, qui brachiis ſuis ſempiternis amplectitur nos & ſuſtinet, cujus nomen glorioſum ſupra omnem laudem & benedictionem exaltatur, ei gloria eſto in Eccleſia, per Chriſtum Jeſum, in omnia ſecula ſeculorum, *Amen.* Gloria Deo in altiſſimis, in terra pax, benevolentia erga homines. Benedictus ſit Jehovah.

§. 377. *Confirmatio in certitudine ſalutis.* *Die* 15. *Septembris* 1640. Salutariter admodum confirmabar in certitudine ſalutis meæ, ex verbis Petri Apoſtoli, quibus nobis demonſtrat, hereditatem noſtram æternam nobis in cœlis ſervatam, virtutiſque Dei præſidio ad eam per fidem cuſtoditos. (1 *Pet.* 1.) Fidem nobis dedit Deus, fidemque noſtram & noſmetipſos potentia ſua divina cuſtodit, gaudiumque confert inenarrabile ac glorioſum in ſpe indubitata fidei noſtræ mercedis, ſalutis nempe animarum noſtrarum (quam, inquit Apoſtolus, nunc recipimus ex fide, nimirum plena ſpei certitudine quæ non pudefacit). Quapropter etiam nos exhortatur ad finem uſque ſperare. Verba ejus hæc ſunt: Benedictus eſto Deus, ac Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ex multa ſua miſericordia regenuit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, ad hereditatem quæ nec corrumpi poteſt, nec contaminari, nec marceſcere, vobis in cœlis ſervatam, qui virtutis Dei præſidio cuſtodimini per fidem, ad ſalutem paratam revelari præſtituto tempore ultimo. Qua in re exſultans, ad exiguum tempus nunc (ſi oportet) in variis tentationibus triſtitia affecti: ut exploratio fidei veſtræ multo pretioſior auro quod perit, & tamen per ignem exploratur, inveniatur vobis eſſe laudi, & honori, & gloriæ, quum revelabitur Jeſus Chriſtus: *Beati qui non viderunt, & tamen crediderunt. Joh. 20. vſ. 29.* Quem quum non videritis, diligitis: in quem nunc cum non videntes, tamen credentes, exultatis gaudio ineffabili & glorioſo, reportantes mercedem fidei veſtræ, ſalutem animarum: De qua ſalute exquiſierunt Prophetæ. —— Quapropter ſuccincti lumbis mentis veſtræ, ſobrii, ad finem uſque *Deus noſter fidelis eſt, omnipotens, & ſapiens ad ſervandum, ſervabit nos.* ſperate perfecte (τελείως ἐλπίσατε) in eam quæ vobis defertur gratiam, quum revelabitur Jeſus Chriſtus. (*Ibid. vid. etiam Rom.* 5. 1, 2, 3, 4, 5. *Heb.* 3. 6. & 6. 11. *Epheſ.* 2. 8.) Fidelis eſt Deus, qui vocavit nos in communionem Filii ſui Jeſu Chriſti; quapropter confirmabit nos quoque ad finem, ſervabit nos inculpate in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti. (1 *Cor.* 1. 8, 9.) Omnipotens etiam eſt, poteſt nos cuſtodire a lapſu immunes, & ſtatuere in conſpectu gloriæ ſuæ inculpatos cum exultatione. Solus ſapiens Deus *Salvator noſter eſt, illi ſit gloria in ſeculum. Amen.* eſt ac Servator noſter. (*Jud.* 24. 25.) Illi omnis ſit gloria in Eccleſia, per Chriſtum Jeſum, in omnia ſecula, *Amen.*

Angeli omnes, homines, & omnia opera ejus celebrent eum; & quos benignitate proſequitur, ſanctum ejus benedicant nomen in omnes ætates. *Amen.* Benedic anima mea Jehovæ, qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis: qui vindicat a fovea vitam tuam, qui circumtegit te benignitate & miſerationibus; quo ſatiante bonis quibuſque os tuum: ſervas te recentem tanquam aquila; tanquam pueritia tua. (*Pſ.* 103.) Quam pretioſa eſt benignitas tua, Deus, quum filii hominum ad umbram alarum tuarum ſeſe recipiunt! (*Pſ.* 36.) Corrobora, ô Deus, quod operatus es in nobis. (*Pſ.* 68.) Jehovah, diſpones pacem pro nobis: nam etiam omnes res noſtras confeciſti nobis. (*Iſai.* 26.) Canite Jehovæ, laudate Jehovam, quia eripuit animam egeni, e manu maleficorum. (*Jerem.* 20.) Benedictus ſit Jehovah (Pater, Filius, & Spiritus ſanctus), quia mirificam reddit benignitatem ſuam erga me, ut in civitate munita collocans me. (*Pſ.* 31.) *Hallelujah. Amen.*

Die 18. *Septembris* 1640. Quum peccata mea §. 378.
magna & gravia infidelitatis conſiderarem & impietatis, improbitatis, odii, oculorum malitiæ, impatientiæ, ſuperbiæ, ambitionis, hypocriſis, mundanarum & carnalium cupiditatum, boni zeli defectus, aliorum contemptus, a ſerviendo Deo averſionis, curæ mundanæ, timoris ſuſpicacis, aliarumque abominationum, quas in corde meo hodie mane ex peccaminoſis ipſius motibus retexi; quumque conſiderarem quantum unaquæque malarum harum cogitationum Deo diſpliceat, & quod ſtipendia peccati mors ſint & cruciatus ſempiterni, ah quantam iræ molem componunt peccata mea omnimoda cogitationibus, verbis, & factis per totum peregrinationis meæ curſum commiſſa! *Meditatio de gravi onere peccatorum meorum, & de divitiis miſericordiæ Dei & caritatis Chriſti, quæ nequit cognoſci.* Subinde conſideravi divitias miſericordiarum Dei in Chriſto, magnumque quod pro me onus tulerit Chriſtus, & ab omnibus peccatis liberaverit me, Deoque reconciliaverit, a peccatis meis quod liberet me, & ab ira futura eripuerit me, ac in me habitet, ſoletur, & ſuſtineat, ac ſempiternam det mihi conſolationem & ſpem bonam per gratiam. *plurimum diligendus eſt.* Dicti quoque Chriſti mulieri pœnitenti recordatus ſum; *multa illa ipſius peccata remiſſa ſunt, nam dilexit multum; cui autem paululum remittitur, paululum diligit.* (*Luc.* 7.) *Oratio.* Ad Dominum ergo lacrymis clamavi, ut in certitudine peccatorum (quæ plurima ſunt) remiſſionis confirmaret me, gratiamque daret, ut plurimum eum diligerem, in omne tempus futurum me apud ſe retineret, bonumque gratiæ ſuæ opus ad finem uſque in me perficeret, a lapſu immunem cuſtodiret, ſtatueretque inculpatum in conſpectu gloriæ ſuæ, cum exultatione. Rogavi conſimiliter ut Deus reverentiam ſui animo meo inderet, (*Jer.* 32.) & quotidie augeret eam, ac nunquam ab illo diſcedere fineret, me quam eligerem viam doceret, (*Pſal.* 25.) duceretque per orbitas juſtitiæ propter nomen ſuum, (*Pſ.* 23.) ſecundum pollicita ſua ſalutaria, quibus confidere me fecit. *Conſolatio.* Dominus autem mihi præbuit, ac conſolatus eſt, pacemque animæ meæ loquutus eſt, certumque reddidit, me nunquam ſe deſerturum vel derelicturum, virtutemque Chriſti in me habitaturam. Benedictus ſit Dominus.

Meditatio in tempore perſequutionis. Eodem quoque die in epiſtola Eccleſiarum Lugduni & Viennæ in Gallia legi de infirmitate quorundam Chriſtianorum (hoc refert Euſebius), qui tempore perſecutionis defecerunt, deque animo invicto, miraque Martyrum conſtantia; quos confirmavit Chriſtus, victoreſque reddidit, vitæque æternæ diademate coronavit. Præ triſtitia propter Chriſtum abnegantium languorem, & præ gaudio propter Martyrum per gratiam ejus indefatigate ipſum profitentium conſtantiam flevi; ſupplexque Deo faſſus ſum imbecillitatem

meam

meam magnam, & ut me corroboraret precatus sum, potentiamque suam in mea consummaret infirmitate, gratiam quoque conferret ad judicium cum caritate de infirmis ferendum, & sympathia cum illis ad bonum ipsorum ambulandum. De hoc quoque consolatus est me Dominus. Sustentat Jehovah omnes cadentes, & erigit omnes incurvatos. (*Ps.* 145. 14.) Lapsos erige Domine, stantesque sustineas & stabilias. *Amen.* Ostende nobis Jehova benignitatem tuam; & salutem tuam da nobis. (*Ps.* 85.) Facito ut audiamus gaudium & lætitiam, exultent ossa quæ contriveris. (*Ps.* 51.) Pacem eloquere erga populum tuum, & erga eos quos benignitate prosequeris, & fac ne revertamur ad stultitiam. (*Ps.* 85.) Gloria Deo, qui undique nos copiose consolatur. *Hallelujah. Amen.*

Clara confessio.

Epistola hac Ecclesiarum Lugduni & Viennæ fertur Verium judicio interrogatum, an Christianus esset, clarissima fassum fuisse voce, λαμπροτάτῃ φωνῇ. (vid. *Act.* 4. 29.)

Timor Christianus.

Christiani quoque ejus epistolæ scriptores referunt, quod cum quosdam deficere viderent, magno perculsi essent timore præ cæteris apprehensis, non quod timerent ullos eis infligendos cruciatus, sed ne ipsi quoque aut ulli ex eis deficerent.

In eadem adhuc fertur epistola, una cum Christianis Paganos quosdam Christianorum domesticos apprehensos fuisse, illosque qua pœnas sibi timentes quas Christianos pati viderent, qua a militibus incitatos, adversum Christianos commenta finxisse, falso dixisse Christianos habere Θυέστεια δεῖπνα, καὶ Οἰδιποδείους μίξεις. Quibus calumniis judex populusque contra Christianos magnopere irritabantur.

Ego Christianus sum.

Ferunt quoque Martyres in ore diligenter, læte, & frequenter habuisse hoc dictum, *Ego sum Christianus.*

De magnis etiam perpessionibus, hilarique cujusdam Martyris nomine Sancti constantia loquentes, perhibent Christum in eo patientem, magna & gloriosa perpetrasse, hostem enervantem, & exemplo aliis monstrantem, ὅτι μηδὲν φοβερὸν ὅπου πατρὸς ἀγάπη, μηδὲ ἀλγεινὸν ὅπου Χριστοῦ δόξα. *Nil terribile ubi residet charitas Dei, nil grave ubi gloria Christi.* In descriptione quoque passionum Christianæ mulieris *Blandinæ*, hoc habetur dictum; ὅτι πᾶς ὁ ὑπὲρ τῆς Χριστοῦ δόξης παθὼν τὴν κοινωνίαν ἔχει μετὰ τοῦ ζῶντος Θεοῦ. *Quisquis propter gloriam Christi patitur, communionem habet cum Deo vivo.*

Fulcrum Martyrum.

Eadem quoque epistola dicunt id quo Martyres inter cruciatus suos consolantur, ac sustinentur, gaudium esse Martyrii, spemque promissorum, erga Christum etiam caritatem, & Patris illorum cœlestis spiritum, ἐκείνους μὲν γὰρ ἐπεκούφιζεν ἡ χαρὰ τῆς μαρτυρίας, καὶ ἡ ἐλπὶς τῶν ἐπηγγελμένων, καὶ ἡ πρὸς τὸν Χριστὸν ἀγάπη, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ πατρικόν.

In persequutione illa Martyr fuit Pothinus Episcopus Lugdunensis, quem excepit Irenæus, ut manifestum est ex capite illo, & ex capite quarto lib. 5. Eusebii historiæ.

Hæc fuit quarta persecutio sub Imperatoribus Marco Aurelio Antonino Philosopho, & Lucio Annio Vero; qua etiam in persequutione Martyres extitere Justinus & Polycarpus.

Vocatione hac dignetur nos Deus, & compleat in nobis omnem suæ bonitatis gratiam, & opus fidei potenter, ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in nobis, & nos in eo, secundum gratiam Dei nostri & Domini Jesu Christi, cui gloria esto in secula. *Amen.* (2 *Thess.* 1.)

Eodem die, precibus vespertinis, in templo legebatur 26. caput Jeremiæ, ubi dicit Jehovah Prophetæ: *Eloquere omnia verba eis, quæ præcipio te; ne subtrahito verbum.* (*Jerem.* 26. 2.) Et Deum oravi ut hac in re peccata mea remitteret, faceretque me loqui omnia quæ mihi mandaverit, neque verbum subtrahere, clare & indubie quoque dignoscere quæ me eloqui præcipit verba. Persalutariter consolabar. Benedictus sit Dominus supra omnem benedictionem & laudem in secula seculorum exaltatus. *Amen*, iterum *Amen. Hallelujah.*

Ne verbum subtrahas.

§. 379. *Post victoriam vigilandum.*

Die 19. *Septembris* 1640. Utiliter consideravi dictum illud Cypriani de Confessoribus loquentis quos a victoria vigilare requirit: *Nunc est ut magis insidiantem adversarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus hoc ipso quod victus est, superantem superare conatur.* (*Cypr. epist* 6. *seu lib.* 3. *epist.* 10.) Jehovah custos noster, semper vigilias subit. (*Ps.* 121.) Valiatior est Diabolo. (*Luc.* 11. 22. 1 *Joh.* 4. 4.) Solus ille sapiens Deus, Servator noster. Illi omnis gloria in seculum. *Amen.*

§. 380.

Die 20. *Septembris* 1640. *die Dominico.* Mr. *Jacobus Willocks* concionatus est Palæo-Aberdoniæ in persalutarem hanc Davidis orationem*: Tu Jehovah, ne cohibeas miserationes tuas a me: benignitas tua & veritas tua jugiter custodiant me. Nam circumdantia invadunt me mala innumerabilia: assequuntur me iniquitates meæ, adeo ut nequeam dispicere. Numerosiores sunt capillis capitis mei, animus etiam meus dereliquit me. Velis, Jehovah, eripere me; Jehovah ad auxilium meum festina. (*Ps.* 40.) Tum inter audiendum, tum postea meditandum, summopere consolabar. Benedictus sit Deus. *Amen. Hallelujah.*

§. 381. *Fletus propter peccata & corruptiones meas.*

Diebus 29. & 30. *Septembris* 1640. Tempore matutino abunde flevi ex consideratione peccatorum & corruptionum mearum plurimarum, & præcipue 30. die ex meditatione caritatis Christi omni notitia supereminentioris, graviumque perpessionum ejus propter peccata mea, aliorumque ovium quas delegit. Respexi ad eum quem transfixeram, (*Zach.* 12.) ut passiones ejus describuntur *Ps.* 22. & planxi super eo tanquam planctu de unigenito. Quumque peramare lacrymarer & lugerem, simul magnum sensi gaudium, certus hoc esse opus Spiritus sancti gratiæ & deprecationum super me effusi, sicut a Propheta Zacharia prædictum fuit. Et Dominus Jesus me interrogavit, *diligis me*? Tum ego lacrymans respondi, Tu Domine nosti proprium tuum gratiæ opus in corde meo, quo me te diligere fecisti; condona Domine & succurre caritatis defectui; opus autem illud bonum quod in me incepisti, ad finem usque perfice, meque a lapsu immunem custodi, & statue inculpatum in conspectu gloriæ tuæ, cum exultatione. Respondit mihi Dominus salutaribus admodum ac dulcissimis benignitatis & pacis responsis, certiorem me reddens *omnia mea remissa esse peccata, nomenque in cœlis scriptum esse, gratiam suam mihi sufficere, neque me deserturum vel derelicturum unquam. Fratres suos me diligere jussit, Ecclesiam, & oves, easque pascere, promittens se purificaturum animam meam in obsequenda veritate ad sincerum & flagrantem hanc caritatem, per Spiritum suum sanctum, semperque mihi adfore, & in omni famulitio suo benedicturum, gratiam quoque & gloriam daturum, populo suo benignum se præbiturum, eisque consolationem & robur, tempestivam, potentem, benedictamque ab omni malo liberationem impertiturum.*

Lacryma præ caritate & passionibus Christi.

Gaudium inter lacrymas.

Cœlestis cum Deo communio.

Certitudo saluti:.

Pasce oves meas.

rum. Tum precatus fui ut vere & constanter gratum me redderet, usque filii Georgii misereatur, eum corroboraret, servitio sua adaptaret, & in illo benediceret, gratiam item & gloriam ei largiretur. Rogavi quoque misericordiam & pacem fratri meo Roberto, omnibus necessariis & spectantibus ad nos, genti huic & vicinis, utque Regi nostro; omnibusque apud illum, subditisque quibuscunque sapientiam conferret, & gratiam ad provide in via recta nos gerendos, & ut Dominus felicem horum præsentium motuum exitum daret, & salutarem ex omnibus angustiis liberationem, omnesque liberos suos afflictos ubique terrarum consolaretur, & animo pusillos, infirmos sublevaret, aperiret oculos cæcorum, errantes converteret, omniumque uniret animos in notitia, timore & amore Dei, & proximi in Deo, & ut vocatione hac dignaretur nos, & in nobis compleret omnem suæ bonitatis gratuitam benevolentiam, & opus fidei potenter; (2 *Thessal.* 1.) ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in nobis, & nos in eo, secundum gratiam Dei nostri & Domini Jesu Christi. De his omnibus consolabar. Gloria Patri, Filio & Spiritui sancto, sancto & indiviso Tri-uni & Uni-trino, soli sapienti Deo, Servatori nostro, supra omnem laudem & benedictionem exaltato. Glorioso ejus nomini supra omnem benedictionem & laudem exaltato in secula, gloria esto in Ecclesia, per Jesum Christum, in sempiterna secula. *Amen.*

Die 1. *Octobris* 1640. Renovavit mihi Dominus salutariter & copiose meditationes, motus, & consolationes, quas die præcedenti habueram. Benedictus sit Deus. *Amen.*

§. 382. *Die* 2. *Octobris* 1640. Rursum mihi aderant eædem meditationes, consolationes, & motus. Magnificatus sit Dominus. Meditans quoque de his verbis Psalmi 91. *Simulac invocaverit me, exaudiam eum, ipsi adero in angustia, eripiam eum, & honore afficiam eum; longitudine dierum satiabo eum, denique efficiam ut fruatur salute mea*; hinc movebar ex gratia Dei mecum præsente humiliter orare suspiriis & lacrymis ad Dominum Deum & Servatorem meum, ut mihi in omnibus angustiis meis adesset, & ab omnibus illis eriperet, mihique præsto esset, tum in labore, tum in liberatione ab eo; cum enim abscondit faciem suam, tunc conturbatus sum valde. (*Ps.* 30. *Hos.* 9. 12.) Maxima etenim angustia defectus est salutaris & gratiosæ ipsius præsentiæ, & benignitas ejus melior est vita. (*Psal.* 63.) Neque ulla dari poterit felicitas absque luce faciei ejus. (*Psal.* 4. & 80.) At ex luce faciei ipsius hilares efficimur, in quacunque versemur angustia. Tu Jehovah, præcepisti nos quærere faciem tuam, teque requirere & invocare, quum propinquus sis. (*Ps.* 32. & 27. *Is.* 55.) Tuque pollicitus es animos quærentium te læturos & victuros in æternum; respondit cor meum, faciem tuam Jehovah requiram, ne abscondas faciem tuam a me, ne avertas in ira servum tuum. (*Ps.* 22. & 105. *Amos* 5. 6.) Auxilium meum fuisti, ne deseras me, neque derelinquas me, Deus salutis meæ. Quando & ubi inveniam te, Domine? Respondit Dominus, *se ubique inveniri quum puras attollamus manus, eumque invocemus fide.* (*Job.* 4. 1 *Tim.* 2. 8. *Psal.* 145.) Tunc dixi ego: Ex toto animo meo quæsivi te, ne sinas me errare a præceptis tuis. Nullus est in cœlis aut in terra, quo præter te delector. (*Psalm.* 119. *Beth. Psal.* 73.) Dominum oravi ut defectus & corruptiones meas ignosceret, velletque a me in misericordia inveniri, opusque gratiæ suæ in me perficeret. Rogavi Dominum ut mihi præsto foret in omnibus laboribus meis, & præcipue in labore illo extremo, quum e vita hac discessurus sim. Peccata mea post tergum abjicias Domine, & præclarum illud certamen pro me decerta, & fac ut inveniar a te Servatore meo cum pace incontaminatus & inculpatus, & da mihi salutarem, jucundum & tranquillum ex hac vita discessum. Spiritum meum recipias in gaudium tuum perenne Domine Jesu, & fac etiam ut testimonium salutaris & potentis tuæ mecum præsentiæ, & in me, ad finem & in fine, salutare quoque fiat & bonum omnibus filiis tuis me respicientibus, omnibusque quibus fama deferetur beatæ meæ mortis in Domino. Benedicas mihi Domine in omni re dum hic commoror, ad exitum quoque, & per omnia secula, in Christo Jesu Domino meo. Benedic quoque filio meo, fratri, & sororibus cum maritis earum, & uxori ejus, liberis ipsorum, omnibusque ad nos spectantibus, & filiis tuis quibuscunque. Dominus benigne preces meas exaudivit, certumque me reddidit salutaris suæ præsentiæ, benedictique mei ex hoc mundo decessus, (sicut oravi,) misericordiæ quoque & gratiæ erga filium meum aliosque. *Dominus itidem indicavit mihi locum meum in cœlis paratum, seque me elegisse ut in me habitet in æternum. Surge dilecta, pulchra, & veni.* (*Cant.* 2. 10.) Gloria Deo in altissimis, pax in terra, benevolentia erga homines. (*Luc.* 2.) Benedic, anima mea, Jehovæ, & omnia intestina mea nomini sanctitatis ejus. Benedic anima mea Jehovæ, & ne obliviscaris ullius beneficiorum ejus: qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis: qui vindicat a fovea vitam tuam, qui circumtegit te benignitate & miserationibus: quo satiante bonis quibusque os tuum, servas te recentem tanquam aquila, tanquam pueritia tua. (*Ps.* 103.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula supra omnem benedictionem & laudem exaltato. *Amen. Hallelujah.*

Felicitas in præsentia Dei apud nos.

Quando & ubi Deus inveniendus est.

Præparatio in mortem perfalutaris.

Certitudo salutis.

Præcepit Deus tuus robustum esse te, corrobora, ô Deus, quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68.) Jehovah, dispones pacem nobis: nam etiam omnes res nostras confecisti nobis. (*Isa.* 26.) Si ambulo in media angustia, vivum conservas me; in faciem inimicorum meorum extendis manum tuam; & servat me dextera tua. Jehovah perficiet pro me, Jehovah benignitas tua in seculum est; ab operibus manuum tuarum ne desistas. (*Ps.* 138.) Etiam quum ambularem per vallem letalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum es. (*Ps.* 23.) Canite Jehovæ, laudate Jehovam, quia eripuit animam egentis e manu maleficorum. (*Jerem.* 20. 13.) Regi autem æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gloria, in secula seculorum. *Amen.* (1 *Tim.* 1. 17.)

Die 3. *Octobris* 1640. Flevi, & ad Deum Servatorem meum clamavi, pro misericordia & gratia adversus peccata & omnimodas ac multifarias corruptiones, tentationes, & adversus inimicos quoscunque spirituales. Dominus me exaudivit, appropinquavit & solatus est, ac mihi conspiciendum se præbuit, certumque reddidit de gratia sua mihi omni tempore sufficiente. Dominus quoque redintegravit mihi consolationes præcedentis diei. Celebratus sit Jehovah, quia bonus est, quia in seculum benignitas ejus. Tunc mihi reddidit Dominus cor fidele, amans, mansuetum, humile ac rectum, ille quippe mecum est & in me habitat; requiemque animæ meæ inveni. Quapropter magnificat anima meum Dominum, §. 383.

Deprecationes. Consolationes copiosæ.

Dulcia Dei dona.

Gloria Deo.

& exultavit spiritus meus super Deo Servatore meo, cui sit gloria in secula. *Amen. Luc.* 1. 46, 47.

§. 384. *Jejunium publicum.* *Die* 4. *Octobris* 1640. die Dominico, publicum celebrabatur Neo-Aberdoniæ jejunium & humiliatio, eoque me contuli, & in opere illo consors extiti. *Mr. Gulielmus Robertson* ante meridiem concionatus est in *Apoc.* 2. 5. *Memor esto itaque unde excideris, & resipisce, & priora opera facito* &c. *Mr. Alexander Bramber* post meridiem prædicavit in 1 *Cor.* 15. 58. *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, immoti, eminentes in opere Domini semper, quum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino.*

Humiliatio. *Magna consolatio.* *Felices animi dispositiones, quas auget Dominus.* Maxime commovebar inter precandum, & inter cantandum *Psalmum* 51. Dominus animum meum mollem reddidit, quapropter inter precandum & cantandum lacrymas fudi, ac suavem & abundantem sensi in Deo consolationem, qui respexit me, misertus est, preces exaudivit, animumque mihi largitus est fidelem, amantem, mansuetum, humilem, integrum, lenem, & cœlestem, certitudine quoque benignitatis suæ erga populum suum, & filium meum me solatus est, quodque semper mihi misericordia aderit, & mercedem dabit expectatam, salutem animæ meæ, per Christum Jesum Dominum meum, cui gloria esto in secula seculorum. *Amen.*

§. 385. *Die quoque* 5. *Octobris* 1640. Benigne Dominus mihi renovavit easdem consolationes. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, Personis trinis, uni soli sapienti Deo, Domino Jehovæ, supra omnem benedictionem & laudem in secula seculorum exaltato. *Amen. Hallelujah. Amen.* Redi, anima mea, in requiem tuam, quum Jehovah beneficus sit erga te. (*Psalm.* 116.) Benedictus sit Deus. *Amen.*

§. 386. *Dolor spiritualis ex consideratione peccatorum meorum.* *Dat Deus victoriam & salutarem liberationem.* *Jucundam quoque cum Deo communionem.* *Die* 6. *Octobris* 1640. Peccata mea obversantia terruerunt me valde. Ad Dominum clamavi, & peccata Deo fassus sum, humilemque coram eo fudi deprecationem pro misericordia & gratia. Dominus mihi appropinquavit, & dixit, *quid movet te*? Respondi, Domine, horret pavore tui caro mea; adeo a judiciis tuis timeo. Justus es Jehovah, & rectus judiciis tuis. (*Psal.* 119.) Assequuntur me iniquitates meæ, adeo ut nequeam dispicere: Numerosiores sunt capillis capitis mei, animus etiam meus derelinquit me. Velis Jehovah eripere me; Jehovah ad auxilium meum festina. (*Psal.* 40.) Tum dixit, *quidnam petis? Quid ex me quæris*? Lacrymans respondi, ὁ Θεὸς, ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ, (*Luc.* 18. 13.) mecumque sis in misericordia, serva me apud te, ac ne ad stultitiam revertar. *Respondit mihi Dominus responsis magna consolatione plenis,* *Consolationes hæ læto mihi renovatæ 16. Feb. 1642.* *placide me alloquens, certumque reddens omnia mea remissa esse peccata, & beatus cujus remissæ sunt iniquitates;* (Ps. 32. Rom. 4.) *neque me deserturum, vel derelicturum se unquam, gratiamque suam semper mihi sufficere, ac omnibus quibuscunque difficultatibus meis se mederi, a lapsu immunem servare, & statuere me inculpatum in conspectu gloriæ suæ, cum exsultatione.* *Certitudo salutis.* Hinc magnopere consolabar, ac Dominum Deum ac Servatorem meum celebravi. *Meditatio admodum salutaris de passione Christi, ejusque pro nobis intercessione.* Meditatus sum insuper de passione Christi, gravibusque ejus luctibus Psalmo 22. descriptis. Imploravi misericordiam, quum omnia peccata mea tulerit ipse, ac plenarie pro eis satisfecerit. Ecce ego, & pueri, quos mihi dedit Deus, (*Heb.* 2. 13.) ait Christus causam nostram agens, quos sanguine suo redemit & reconciliavit, caritatem omni notitia supereminentiorem manifestans, & quum moreretur pro nobis, in manus Dei commendavit nos oratione illa ante passionem suam, (*Joh.* 17. 9.) ac verbis his quæ in cruce eloquutus est, dicens, *Pater, remitte ipsis. Consummatum est. Pater, in manus tuas depono spiritum meum.* (*Luc.* 22. *Joh.* 19.) *Vid. Serm. Funebr. pag.* 292. Quorum verborum sensus extenditur in omnes liberos, quos ei dedit Deus, pro quibus plenam perfecit satisfactionem & sacrificium propitiatorium, ac nobis omnibus & singulis obtinuit peccatorum remissionem, divinamque custodiam in manibus Patris sui & nostri, Dei sui & nostri, cui sit gloria in secula. *Amen.* *Felicitas.* Sic perquam felix exstiti per Christum Jesum, qui mortuus est propter offensas meas, & suscitatus ad nostri justificationem, (*Rom.* 4.) & dedit nobis æternam consolationem & spem bonam per gratiam, (2 *Thess.* 2.) qui virtute sua divina custodit nos, per fidem, ad salutem. (1 *Pet.* 1.) Mecum sunt ô Deus vota tua, persolvam gratiarum actiones tibi. Nam eripis animam meam a morte, annon pedes meos a lapsu eriperes? ut indesinenter ambulem coram Domino in luce vitæ hujus. (*Ps.* 56.) Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur? Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos separabit a caritate Christi? num afflictio, num angustia, num persequutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? (Sicut scriptum est: Tui causa occidimur totum diem: reputati sumus velut oves destinatæ mactationi. *Psalm.* 44. 23.) Imo in his omnibus amplius quam victores sumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem; neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam posse nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. (*Rom.* 8.) Illi gloria in seculum. *Amen.* *Requies.* Redi anima mea, in requiem tuam, quum Jehovah beneficus sit erga te. —— (*Ps.* 116.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in omnes ætates. *Amen. Hallelujah.* Venite ad me, & dabo vobis requiem. (*Matth.* 11.) Confidens in latibulo Excelsi, in umbra Omnipotentis indesinenter pernoctabit. (*Ps.* 91.) Quam multa est bonitas tua, &c. *Abditum.* Abdis eos in abdito præsentiæ tuæ, (*Ps.* 31.) abdit me in abdito tentorii sui, in rupem attollit me. (*Ps.* 27.) Vivit Jehovah, & benedicta rupes mea. *Rupes.* Quapropter exaltetur Deus rupis salutaris meæ, (2 *Sam.* 22. 47.) Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, qui rupes est salutis meæ. Ei gloria in seculum. *Amen.*

§. 387. *Benignitates renovatæ.* *Die* 7. *Octobris* 1640. Eædem mihi renovatæ sunt consolationes & victoriæ adversus peccata mea, corruptiones & terrores, & summe consolabar ex verbis quæ loquutus est Servator noster paralytico, quæque jam mihi dicit: *Confide fili*, θάρσει τέκνον, *remissa sunt tibi peccata tua*; (*Matth.* 9. 2.) ex his quoque verbis in cruce prolatis, *Pater remitte hoc ipsis, nesciunt enim quid faciant.* (*Luc.* 23. 34.) *Consummatum est*, τετέλεσται. (*Joh.* 19. 30.) *Pater, in manus tuas depono spiritum meum.* (*Luc.* 23. 46.) Quum dicat Dominus, *remitte eis, nesciunt enim quid faciant*, sensus non est, omnia peccata ignoranter perpetrata remissa esse; sed, peccatum quod- *De peccatis ignorantiæ.*

dam

dam ignare commissum non tanti esse momenti, seu non adeo irremissibile, ac peccatum de industria contra Spiritum sanctum, quod condonabitur nunquam. Tale fuit peccatum quorundam ex Pharisæis dicentium, Christum habere spiritum impurum; (*Marc.* 3. 29, 30.) at non aliorum rursum ex eis qui eum crucifixerunt, nescientes quid facerent, quique si cognovissent, nequaquam gloriæ Dominum crucifixissent. (1 *Cor.* 2. 8.) Sed nunc, fratres, scio vos per ignorantiam ista fecisse (κατ' ἄγνοιαν ἐπράξατε), sicut & primores vestros. —— Resipiscite igitur, & convertite vos, ut deleantur peccata vestra. (*Act.* 3. 17 —— 19.) Paulus quoque de seipso loquitur: Qui prius eram blasphemus, & persequutor, & contumeliosus; sed mei misertus est, nam ignorans id faciebam, fidei expers.

Peccata infirmitatis contra scientiam. (ἀλλ' ἠλεήθην, ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ. 1 *Tim.* 1. 13.) Neque proinde existimandum est unumquodque peccatum contra notitiam & conscientiam commissum, irremissibile esse, quippe Dominus in lege sua holocausta pro peccatis talibus, & expiationes pro tali peccatore fieri jussit, ac remissionem promittit, ut legere est *Lev.* 6. ac salutem pollicetur populo suo, si pœnitentiam agant, imo & postquam statuta ipsius violaverint, & cum ipso temere ambulaverint, (*Lev.* 26.) atque in eum rebellaverint. (*Isa.* 1. & 55. *Jerem.* 3. & 26. *Ezech.* 18. & 33.) David etiam in re Uriæ, & Petrus in abnegatione ejus & pejeratione in notitiam & conscientiam peccarunt, attamen pœnitentiam agunt & misericordiam nanciscuntur: si enim resipiscant peccatores, & in Christum Jesum credant, sanguis ejus mundat eos ab omni iniquitate. (1 *Joh.* 1.) Benigne quoque ad se vocat omnes fatigatos, & oneratos, requiemque eis dat. (*Matth.* 11.) Peccata scienter, at non maligne, contra spiritum gratiæ commissa, possunt resipiscentia

Ignorantia triplex. purgari & remitti. Quædam ignorantia animum obnubilans unumquodque comitatur peccatum, quæ vel est ignorantia erroris, vel infirmitatis, vel malitiæ deliberatæ; errorìs peccata vocantur etiam ignorantiæ; altera species sub nomine venit imbecillitatis, quanquam scienter committatur; utraque hæc species condonatur; at peccatum contra Spiritum sanctum nullam audit remissionem, consequenter neque & remissionem. (*Vid* 2. *Sent. Dist.* 43. & *Summ. Thom.* 1. 2. *qu.* 76.

Oratio. & *qu.* 77.) A peccato hoc flagitioso libera nos, Domine, atque eripe nos ab omni peccato. Illustret Deus tenebras nostras, medeatur animabus nostris, & dirigat pedes nostros in viam

Consolatio. pacis, pro Christo. Hanc meam orationem exaudivit Dominus, & benigne admodum ac amanter me consolatus est; servabit me ab omni opere malo, & custodiet virtute sua divina per fidem ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.*

Laus.

§. 388. *Die* 12. *Octobris* 1640. Quum legerem in constitutionibus asceticis sive monasticis Basilii Cæsariensis, cap. 1. inter quamplurimas alias rationes ad persuadendam nobis perseverantiam placidam, fidelem & gnaram in petendo a Deo quæ secundum voluntatem ejus sunt, usque dum postulatorum compotes simus, hæc quoque ratio habetur, quod indefides nostra & caritas erga Deum manifestentur, si patienter & indesinenter Deo gratiarum actiones persolvamus, cumque invocemus usque dum consequamur. Hanc tum habui meditationem, quod etiam quum nos Deum moras nectere arbitremur, at-

Salutaris exhortatio ad perseverandum in orationibus quamquam videatur Deus cunctari. Vide Luc. 18.

tamen impræsentiarum nobis largitur grandia hæc patientiæ dona, & in fide constantiæ, caritatis & gratitudinis, dulcisque illius experientiæ, adeo ut omnia in bonum nostrum concurrere efficiat. Benedictus sit Dominus. *Amen.*

Eodem die quum meditarer de calamitatibus his imminentibus, atque de privatis meis anguliis, timoribus, ac mœroribus, animumque ad Deum elevarem pro consolatione, robore & pace Ecclesiæ suæ ac ministris, & præsertim quoque mihi ipsi indigno suo servo; appropinquavit Deus mihi, & dixit, *ne dejiciare columba mea, devolve super me onus tecum, efficiam ego illud, quod redundat in commodum populi mei & servorum, ac speciatim tui; benedicam etiam filio tuo: & quamvis necessarii tui vel emigrarint in alteram vitam, vel procul a te inveniantur, vel impotentes sint tibi succurrere, tamen nil boni deerit tibi, nam ego tecum sum, ego sum tuus, tuque meus, ne timeto, confirmare, remissa sunt tibi peccata tua, fides tua servavit te, vade cum pace.* Respondit animus meus, Pater care, felix ego quem misericordia hac dignare, ut me amanter adeo & consolatorie alloquaris, qui omnino pulvis & cinis, miserque sum peccator, utque jubeas me confirmari neque mœrere. Abba Pater, magnum ere ac mirum in modum consolor; benigne enim consolatur ilis, quos tu confirmari præcipis, misericordiarum pater, omnisque consolationis Deus. Benedictum sit nomen tuum gloriosum, in secula sempiterna supra omnem laudem & benedictionem exaltatum. Celebrabo te Jehovah, quia iratus fuisti mihi, sed aversa ira tua consolaris me. (*Isa.* 12.) Sed quid pergam adhuc miser ego servus tuus loqui apud te? Tu enim nosti servum tuum Domine Jehovah. Propter sermonem tuum, & secundum animum tuum, propter magnam tuam in Christo Jesu miserationem, præstitisti has omnes res maximas notas faciendo servo tuo. Propterea magnus exstitisti ô Jehovah Deus; quin non est par tibi, imo non est Deus præter te. (2 *Sam.* 7.) Venite & collaudemus Dominum, omnes sancti illius, sancti ejus Angeli, omnia ipsius opera in omnibus locis dominationis ejus. O anima mea, benedic Jehovæ. O Servator mi, præstas mihi præsta solatium hoc dulce & ineffabile, ut eo omni tempore expiose consoler, præsertim vero, Pater dilecte, momento discessus mei ex hac vita mortali, & tunc recipe me in gaudium tuum cœleste & æternum. Exaudivit me Deus, postulata annuit, *animaque mea ægrotabat amore, ac gaudio inenarrabili & glorioso rapiebatur.* Cœlorum exercitus adorat te Jehovah, spiritus justorum consummatorum laudant te, spectantes gloriam tuam, & in luce faciei tuæ gaudentes, ac confidimus nos in misericordia tua eadem cum illis gavisuros beatitudine, cum præsentes erimus apud Dominum Jesum, quamquam absentes a corpore, & quando una cum illo, corpore & anima in gloria apparuerimus, die illo ultimo, atque ita semper cum Domino erimus. Tota terra repleatur gloria tua. Gloria Deo in altissimis, pax in terra, benevolentia erga homines. Hosanna, benedictus Rex Israëlis qui venit in nomine Domini; pax in cœlis, & gloria in excelsis, Hosanna in altissimis. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.*

Spiritualis cum Deo communio dulcis admodum & salutaris, quam etiam renovavit mihi Deus, die 16. Februarii 1642. & die 25. Aprilis 1643.

Oratio.

Preparatio in beatum decessum ex hac vita.

Consolatio ineffabilis, laus & gratiarum actio.

Die 13. *Octobris* 1640. Dominus Deus meus renovavit mihi cœlestem illam communionem, ac consolationes eas dulces in Christo, quas præcedenti die habueram, fecitque me easdem redintegrare petitiones & laudes, & accepit me in Fi- §. 389.

Benigni actus renovatio.

 lio

Gloriatio in Deo una cum laudibus ejus. lio suo dilecto, in quo acquiescit. Ecce Deus in fortem salutem meam; confidam ac non expavescam; nam robur meum & carmen est Jah Jehovah, qui fuit mihi saluti. (*Ifai.* 12.) Benedic anima mea Domino. (*Psal.* 103.) Sum quidem pauper & egens; sed Dominus cogitat de me. (*Ps.* 40.) Hac re expertus fuero quod delectaris me, & restituis me coram te in seculum. Benedictus Jehovah Deus Israëlis, a seculo usque in seculum. *Amen*, iterum *Amen*. (*Ps.* 41.) Tantummodo in Deo conquiesce anima mea; nam ab eo est expectatio mea. Tantummodo ipse rupes mea est, & salus mea: locus meus editus, non dimovebor. In Deo est salus mea, & gloria mea; rupes robusta mea; receptus meus est in Deo. (*Psal.* 62.) Quod ubi viderint mansueti, lætabuntur; & revivifcet animus vester, ô quærentes Deum. (*Ps.* 69.) Lætitia affecisti me, Jehovah, opere tuo; de factis manuum tuarum cantabo. (*Psal.* 92.) Jehovah, benignitas tua in seculum est, ab operibus manuum tuarum ne desistas. (*Ps.* 138.) Laudent eum cœli & terra; maria, & quicquid repit in eis: quia Deus servat Zionem, & instaurat civitates Judæ; ut habitent ibi, & hæreditario jure possideant eam terram: posteri, inquam, servorum ejus possideant eam, & amantes nominis ejus habitent in ea. (*Psal.* 69.) Gratia autem habetor Deo super inenarrabili suo dono. (2 *Cor.* 9. 15.) *Amen* & *Amen*.

§. 390. *Consolationes redintegratæ una cum victoria nova.* *Die* 14. *Octobris* 1640. Eædem mihi renovatæ sunt consolationes, quibus a Deo duobus diebus præcedentibus consolabar. Adfuit quoque victoria nova de inimicis meis spiritualibus aggredientibus me tentationibus incredulitatis, impatientiæ, curæ mundanæ, & timoris suspicacis. At brevi Deus Satanam sub pedibus meis contrivit, omnes iniquitates meas condonavit, animam meam sanavit, animumque corroboravit in plena fidei certitudine, Dominum lucem esse meam & salutem, robur item vitæ meæ. (*Ps.* 27.) Ideo non debeo timere, sed gaudere, & in Deo conquiescere, qui servabit me ab omnibus inimicis meis, & ab omnibus angustiis liberabit. Dabit mihi quoque hoc unum, quod petii ab illo, quodque requiram, ut considam in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ, ad videndum amœnitatem Jehovæ, & inquirendum in templo ejus. Nam abscondet me in tugurio suo, tempore adversitatis, abdet me in abdito tentorii sui, in rupem attollet me. Jam vero extollet caput meum supra inimicos meos circumstantes me; ut sacrificem in tentorio ejus sacrificia clangoris; canam & psallam Jehovæ. Audi Jehovah voce mea elamantem; gratiamque fac mihi, & exaudi me. Tum illud, requirite faciem meam, cogitat animus meus: faciem tuam Jehovah requiro. Ne abscondas faciem tuam a me; ne avertas in ira servum tuum. Auxilium meum fuisti, ne deseras me, neque derelinquas me, Deus salutis meæ. Nam pater meus & mater mea dereliquerunt me, sed Jehova recipiet me. Doce me Jehovah viam tuam, & deduc me per semitam planam, propter observantes me. (*Ibid.*) Ah, amici mei & familiares lapsum meum expectarunt, & afflictionibus momentum addiderunt. Domine, ne statuas hoc eis peccatum, at ostende mihi signa in bonum, ut tum illi, tum qui me odio habent, videant hoc, & ad te convertantur, ut cognoscant me servum tuum esse, teque in misseratione tua juvisse me & consolatum fuisse, ut simul omnes nomen tuum celebremus. Oravi etiam pro Ecclesia Christi hic & alibi, quam suo illo proprio

Amici nostri deficiunt nos, at Deus deficit nunquam.

In Deo solo confidentia.

sanguine acquisivit; speciatim quoque rogavi pro filio Georgio, ac pacis & consolationis responsa recepi. Redi anima mea in requiem tuam, quum Jehova benefecit tibi erga te. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in seculum. *Amen. Hallelujah.* Nil nisi bonum & benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & quietus ero in domo Jehovæ, quandiu longa erunt tempora. (*Ps.* 23.) O Domine, tu habitaculum fuisti nobis in quaque generatione. (*Ps.* 90.) Deus manet in nobis, & nos in eo. (*Joh.* 14. & 16. 1 *Joh.* 4.) Illi gloria esto in Ecclesia, per Christum Jesum, per omnia secula. *Amen.* Oravi pro misericordia & gratia Collegis meis, ac consolabar. Benedictus sit Deus. *Amen.*

Meditatio consolatoria de habitatione Dei in nobis. Hanc habui quoque meditationem: Deus habitat in nobis & dominatur in cordibus nostris; quomodo ergo prævalebunt tenebræ, ubi habitat lux? Neque impietas, nec injustitia, neque odium, neque superbia, vel peccatum ullum, neque mors in nos prævalebit, in quibus habitant & regnant pietas, justitia, caritas, lenitas, mansuetudo, puritas vitaque æterna. Christus est mitis ille & humilis corde, ipse quoque est in unitate unius Deitatis cum Patre & Spiritu sancto lux, pietas, justitia, caritas, puritas, vita æterna, luminum pater. Ei gloria in secula seculorum. *Amen.*

§. 391. *Pasce oves meas.* *Die* 1. *Novembris* 1640. Renovavit mihi Deus easdem meditationes, motus ac consolationes, quas die 30. Septembris proxime elapsi habueram, sicut in libro hoc scribuntur. Largitus est mihi Deus contritionem divinam, plurimas lacrymas magno cum augmento cœlestium, dulcissimarum & inenarrabilium in Christo Jesu consolationum, per salutarem & potentem præsentiam & operationem Spiritus sancti, cui omnis sit honos, gloria & laus in secula. *Amen.*

Divina contritio & consolatio magna.

§. 392. *Die* 3. *Novembris* 1640. Dulce ac copiose Deus mihi redintegravit consolationes, quas gratia ipsius habueram diebus 2. & 3. Octobris præterlapsi, ut in hoc Opere inveniuntur. Benedictum sit gloriosum ejus nomen, supra omnem benedictionem & laudem exaltatum. *Amen.*

§. 393. *Divina contritio & deprecationes.* *Die* 4. *Novembris* 1640. Magnopere spiritu contristabar propter peccata mea & corruptiones, pro negligentia divini cultus, propter incredulitatem, curas mundanas, diffidentiam, murmurationem, ingratitudinem, caritatis defectum & hypocrisin. Ad Dominum Deum meum patremque cœlestem lacrymis clamavi, ut condonaret mihi, sanaret, juvaret, stabiliret, meque ad finem usque & in fine apud se retineret. Ac pater dilectus extemplo mihi aurem præbuit, etiam antequam loquerer, & festinanter ac copiose me solatus est, certumque reddidit iniquitates meas esse remissas, gratiamque etiam mihi sufficientem semper mihi adfuturam, ac me magis magisque victorem præstituram in omnibus ad finem usque & in fine, seque proprium Filium pro me tradidisse, & cum illo omnia etiam mihi commoda gratificaturum. *Fecit me magis in luctu meo consolari, quam in omnibus humanis deliciis*, beati enim qui lugent; quoniam ipsi solamen recipient. Et quanquam infirmus sim ego & impotens, qui perdurare possim & continuare in luctu hoc frequenti, attamen mihi robur erit, monstrabitque commiserationes suas mirificas hic, & salutem suam in seculum, ideoque præcepit me amantissime totam meam curam in se dejicere, ac bono animo esse de meipso, & filio, & necessariis, deque omnibus & singulis populi sui hic & alibi, indefatigatam enim nostri curam agit, potens etiam est ad servandum.

Consolationes divinæ, tum in vita, tum in morte.

Beati qui lugent.

vandum. Dominus conſimiliter mihi renovavit dulciſſimas has conſolationes, quas die 12. Octobris nuperrime elapſi habueram, ſicuti in hoc codice ſcribuntur, una quoque cum augmento affluenti gaudii inenarrabilis. Unde anima mea quievit, pacemque in Chriſto Jeſu invenit, Domino meo, cui gloria, honor & laus pro donis ipſius ineffabilibus aſcribatur in ſecula ſeculorum. *Amen.* Benedictum quoque ſit nomen ejus glorioſum, ſupra omnem benedictionem & laudem exaltatum in omnes ætates. *Amen.* Nam nomen ejus ſolummodo exaltatur; compingit nos ad omne opus bonum, ac efficit in nobis quod gratum ſit in ipſius conſpectu, per Jeſum Chriſtum. Gloria Patri, Filio & Spiritui ſancto, ſacræ & indiviſæ Trinitati in Unitate, Unitati in Trinitate, ſoli ſapienti Deo, Salvatori noſtro, in ſecula. *Amen.* Benedictus Dominus, qui quotidie onerat nos donis; Deus ille fortis ſalus noſtra excellentiſſime. (*Pſal.* 68.) Ego vero ſum pauper & egens, ô Deus, feſtina mea cauſa: auxilium meum & liberator meus es, Jehovah, ne tardes. (*Pſal.* 70.) Benedictus ſit Deus. *Amen. Hallelujah. Amen*, iterum *Amen.* Deficiente carne mea, & animo meo; rupes animi mei & portio mea Deus eſt in ſeculum. (*Pſal.* 73.) *Hallelujah.*

Gratiarum actio.

§. 394. *Liberatio & conſolationes renovatæ.*

Die 8. *Novembris* 1640. Liberavit me Deus ex gravi mœrore, quo laborabam in conſcientia propter peccata mea, & copioſe me conſolatus eſt in certitudine ſalutis ſuæ, dulcique amoris ſui ſenſu, ac teſtimonio gratiæ ſuæ mecum, & certa gloriæ ſuæ ſpe. Mœſto luctu ad Dominum clamitavi, & exaudivit me præpropere, ad auxilium feſtinavit. Conſolatus eſt quoque me perſalutaribus reſponſis de Eccleſia ſua hic & ubique gentium, deque gente hac miſera & peccatrice, de filio, domeſticis, amicis, Collegis, inquilinis, ſanctis omnibus afflictis, liberiſque ſuis; animum meum contra omnes malos terrores confirmavit, in gratia ſua me roboravit, ac perlætum me reddit luce faciei ipſius & magna conſolatione, ſe nunquam me vel deſerturum vel derelicturum, at in finem uſque me firmaturum, ut inculpatus ſim in die Domini Jeſu; ſe ubique cauſam meam acturum, ſervaturum, mihique in bonum incubiturum. Præſtabit hoc quoque omnibus & ſingulis electis ſuis filiis, quanquam diverſa tali menſura, & diſpenſationis ejus modo, ac Majeſtati ſuæ divinæ lubet, attamen ita, ut eis qui diligunt Deum, omnia ſimul adjumento ſint ad bonum, eis qui ex præſtituto ipſius vocati ſunt. Dominus quoque dulciſſime mihi renovavit meditationes & conſolationes, quas 4. die menſis hujus mihi dederat, & diebus 12. & 13. & 14. Octobris proximi, ut in hoc libro ſcribuntur. Magnificat anima mea Dominum, & exultat ſpiritus meus ſuper Deo Servatore meo. Illi ſit gloria in Eccleſia, per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum, per omnes ætates in ſeculo ſeculorum. *Amen.*

Laus.

§. 395. *Locus mihi in cœlo paratus acunicuique filiorum Dei.* * *Hebr.* 11. 16.

Die 13. *Novembris* 1640. Inter recitandum hæc verba Pſalmi 103. *Neque agnoſcit ipſum amplius locus ejus;* ad Dominum clamavi, & dixi: At tu Domine, locum mihi in cœlis paraſti, qui me agnoſcet in ſeculum; omnibus item filiis tuis; * & Dominus conſolatus eſt me in certitudine illius. * Quapropter nequaquam deficimus ob defectum loci hujus, in quo hic in terra in vita hac mortali habitamus, at gaudemus & exultamus, læti diſcedere in cœleſtem ac æternam habitationem, quam paravit nobis Chriſtus Servator noſter in domo cœleſtis Patris noſtri, patris ſui & noſtri, Dei ſui & noſtri: Illi ſit gloria in ſecula. *Amen.* Huc ſpectat quod immediate ſequitur in Pſalmo 103. ſalutare ſane dictum: *At benignitas Jehovæ inde a ſeculo uſque in ſeculum eſt, erga timentes ipſum, & juſtitia ejus erga nepotes.* Dicit quoque Dominus noſter Jeſus Chriſtus: *Ne turbator cor veſtrum; creditis in Deum, etiam in me credite. In domo Patris mei habitationes multæ ſunt; alioqui dixiſſem vobis: proficiſcor paraturus vobis locum. Et quum profectus fuero, & paravero vobis locum, rurſum veniam, & aſſumam vos ad meipſum; ut ubi ero ego, & vos ſitis.* (*Joh.* 14.) Pater, quos dediſti mihi, velim ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum; ut ſpectent gloriam illam meam quam dediſti mihi; quia dilexiſti me ante jactum mundi fundamentum. (*Joh.* 17. 24.) Adeſte benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis a jacto mundi fundamento. (*Matth.* 25. 34.) Et dicit Apoſtolus Paulus: Scimus enim, ſi terreſtris hujus domus noſtræ tabernaculum diſſolutum fuerit, nos ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manu factum, æternum in cœlis. (2 *Cor.* 5. 1.) Et ita ſemper cum Domino erimus. (1 *Theſſ.* 4. 17.) Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. (*Coloſſ.* 3. 3.) Sic fatur quoque Apoſtolus Petrus: Benedictus eſto Deus, & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ex multa ſua miſericordia regenuit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, ad hereditatem quæ nec corrumpi poteſt, nec contaminari, nec marceſcere, nobis in cœlis ſervatam, qui virtutis Dei præſidio cuſtodimur per fidem, ad ſalutem paratam revelari præſtituto tempore ultimo. Qua in re exultatis &c. (1 *Petr.* 1. 3, 4, 5, 6. *&c.*) Gloria Deo in altiſſimis, in terra pax, benevolentia erga homines. *Amen. Hallelujah.*

Deus habitatio noſtra. Pſ. 90. 1 *Joh.* 4. 13.

Deus portio noſtra. Pſ. 16. & 142.

§. 396. *Præparatio in jejunium.*

Die 21. *Novembris* 1640. Audivi Neo-Aberdoniæ Dr. Gulielmum *Guild* concionantem concionem præparatoriam in jejunium ſolenne diebus 22. & 26. ejuſdem menſis celebrandum. Thema fecit: *Beati qui lugent; quoniam ipſi ſolamen recipient.* (*Matth.* 5. 4.) Et inter audiendam hanc prædicationem in mœrore fui & triſtitia divina lacrymiſque copioſis, quippe Deus mihi animum emollit. Et impenſe conſolabar in Domino. Benedictum ſit glorioſum ejus nomen, ſupra omnem benedictionem & laudem in ſecula exaltatum. *Amen.*

Lacrymæ & conſolatio.

§. 397. *Jejunium.*

22. *Die* dominico celebrabatur jejunium, & audivi ego Mr. Gulielmum *Robertſon* tempore antemeridiano in hæc verba Pſalmi 90. *Revertere Jehovah, quouſque? & pœniteat te, propter ſervos tuos.* Tempore pomeridiano Mr. Alexandrum *Brabner* in hæc verba Pſalmi 51. *Benefac pro bona voluntate tua Zioni, ædifica muros Jeruſalem.* Dominum quæſivi ex toto animo meo, & quamvis abeſſent lacrymæ, tamen ſolatus eſt me Dominus, magnumque elargitus eſt gaudium. Benedictus ſit Deus. *Amen.*

Conſolatio quanquam deſtituta lacrymis.

§. 398. *Jejunium.*

26. *Novembris* 1640. die Jovis. Rurſus habitum fuit jejunium Neo-Aberdoniæ. At domi detinebar ego ex morbo per catarrhum frigidum, ſed intemeratum retinui jejunium, & in cubiculo oravi, dulceque conſolabar. Cumque plurima loca ſacræ Scripturæ perlegerem, magnum exinde reperi ſolatium. Inter cætera hæc quum legerem verba in Iſaia; (*Iſai.* 66. 1.) *Sic ait Jehovah, cœlum ipſum ſolium meum eſt, & terra ſcabellum pedum meorum; ubinam eſſet domus quam ædificaretis mihi? & ubinam locus quieti meæ?* Inter legendum, manum pectori applicavi, & dixi Deo, hic, Domine, locus eſt quieti tuæ in æternum. Reſpondit mihi Deus ſalutari pacis reſponſo, *certum me reddens ſe habitare in me,*

Meditatio & communio cum Deo ſalutares in. Iſ. 66. *&c.*

 & per

& per gratiam habitaturum in seculum, sicut ibi loquitur. *Atqui omnia ista fecit manus mea, & per eam existunt omnia ista, dictum Jehovæ: sed in hunc intueor, in pauperem & contritum spiritu, ac trepidantem ad verbum meum.* (*vs.*2.) Et: *Sic ait Sublimis & Elatus, cujus nomen est, Inhabitans æternitatem, & Sanctus, qui in sublimi & sancto habito: etiam cum eo qui attritus est demissusque spiritu habito, ut vivum conservem spiritum demissorum, & vivum conservem animum contritorum.* (*Isai.* 57. 15.) Dicit etiam Salvator noster advocatum spiritum illum veritatis nobiscum in æternum mansurum, nosque eum nosse, quippe qui apud nos manet, & in nobis erit; (*Joh.* 14.) ibique etiam Dominus Jesus dicit, *si quis diligit me, sermonem meum observabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.* (*Ibid.*) Eapropter suave illud pollicitum Ecclesiæ sub nomine Zionis sancitum (*Ps.* 132.) pertinet quoque ad unamquamque animam fidelem, verum membrum veræ Ecclesiæ. Nam elegit Jehovah Zionem, expetivit pro habitatione sua: Dicens: Hæc est requies mea usque in sempiternum; hic habitaturus sum, quia hoc expetiveram. Hinc dulcissime, fortiter ac abunde solabar in Deo, a quo etiam salutaria recepi responsa de Ecclesia sua hic & alibi, de gente hac, filio, aliisque pro quibus oravi, de anima mea, corpore, & vocatione in professione hac Theologica, de rebus meis mundanis, omnique ad me spectante. *Certitudo salutis.* Deus omnipotens me abunde consolatus est, ac firmavit in certitudine misericordiæ caræ paternæque providentiæ semper mihi in bonum incubantis, *Felicitas Georgio.* neque quid boni vel commodi unquam mihi defore, omnia se effecturum mihi adjumento, *Pax Israëli.* nomenque in cœlis scriptum esse; gratiam quoque & gloriam se filio meo daturum, populoque suo pace benedicturum. *Laus Deo.* Gloria Patri, Filio & Spiritui sancto, soli sapienti Deo, Servatori nostro, supra omnem benedictionem & laudem in seculum exaltato. *Amen. Hallelujah. Amen & Amen.* Redi anima mea in requiem tuam, quum Jehovah beneficus sit erga te. *Hallelujah. Amen.*

§. 399. *Periculum errorum.* *Diebus* 12, 13, 14. *Decembris* 1640. Quum considerarem plurimos errores periculosos inter populum nostrum ventilatos in libris quibusdam excusis, sicut in illo qui sub nomine venit Reexaminationis quinque articulorum Perthensium anno 1618, & in eo qui inscribitur, Disputatio contra Anglicano-Papisticos ritus Ecclesiæ Scoticanæ obtrusos, aliisque ejus farraginis; quumque animo volverem errores eos pedetentim serpere (tempore hoc confuso) sub specioso prætextu novationes religiosas expellendi, meque debuisse magis sollicite malis his obviam ire quam hactenus feceram, & nunc mihi os obstrui ab *Orationes.* instantiis hujus fœderis Coryphæis: supplex Dominum Deum meum oravi, ne populum suum desereret, neque hereditatem suam derelinqueret, neque errores hos & peccata servis suis errantibus oneri imponeret, sed ut converteret eos nosque omnes ad se. Tum dixi: Tu Domine *Pasce oves meas.* servo tuo dixisti, *diligis me? pasce oves meas*, & bonam mihi largitus es spem te restituturum me tranquillo & salutari vocationis meæ exercitio, meque adhuc oves tuas pasturum, ut per gratiam tuam hactenus feci. Et licet infirmus ac valetudinarius sim, tamen tu robur meum es, nil tibi impossibile, apud te robur sempiternum, tu mortuos vivos reddis, quæ non sunt, ac si essent, vocas, extollis nos a portis mortis, & in media angustia vivificasti me, abdidisti me in abdito præsentiæ tuæ, & benignitates tuas mirum in modum servo tuo magnas reddidisti coram Angelis & hominibus, exultare me facis in luce faciei tuæ, & triumphare laudibus tuis. Domine, si velis, poteris mihi sanitatem reddere, ac robur, & placidum vocationis meæ exercitium, meque in eo præservare, usque dum per gratiam tuam omnes elongaverim offensiones ex negligentia mea præterita, prævaricatione, & imprudentia exortas, ac per misericordiam tuam manumque tuam potentem mihi præsentem omnia vicerim incommoda, & plane magis & perfecte viam tuam huic generationi indicaverim, & misericordiam tuam, veritatem, justitiam, & potentiam generationibus venturis. Dominus uberrime me consolatus est, ac per Spiritum ipsius sanctum animos mihi reddidit eum in hunc modum adhuc alloquendi: Ne abjicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne recipias a me. Redde mihi gaudium salutis tuæ, & spiritu ingenuitatis sustentato me. Docebo defectores vias tuas, ut peccatores ad te convertantur. Libera me a sanguine, ô Deus, Deus salutis meæ: canet lingua mea justitiam tuam. Domine labia mea aperias, & os meum annunciabit laudem tuam. (*Ps.* 51.) Fac me sapientem & fidelem interpretem, & linguam eruditorum da mihi, ut sciam tempestive eloqui defesso verbum. (*Job.* 33. 23. *Isa.* 50. 4.) Sermo meus sit semper cum gratia sale conditus, ut sciam quomodo oporteat me unicuique respondere; & aperias mihi ostium sermonis, ut loquar mysterium Christi (& verbum tuum), propter quod etiam sum vinctus; ut illud manifestum faciam, sicut oportet me loqui. (*Coloss.* 4. *v.* 6. & *v.* 3, 4.) Educ e claustro vitam meam ad celebrandum nomen tuum, me cingent justi, quum beneficium contuleris in me. (*Ps.* 142. 7.) Tu Jehovah gratiam fac mihi, & exsuscita me, ut rependam illis. [ut lenitate & caritate, absque lite aut vana gloria, ostendam eis errores suos, & rependam eis bonum pro malo.] Hac re expertus fuero quod delectaris me, quum non clanget inimicus meus de me [nullam sinis iniquitatem dominari in me]; sed me sustentas in integritate mea, & restituis me coram te in seculum. Benedictus Jehovah, Deus Israëlis, a seculo usque in seculum. *Amen.* iterum *Amen.* (*Ps.* 41.) Fac me Domine zelotypum pro domo tua zelo Dei secundum notitiam, (*Psal.* 69. *Rom.* 10.) ut eveham Jerusalem supra caput lætitiæ meæ, (*Ps.* 137.) in te Deo meo auctore lætissimæ exultationis meæ. (*Ps.* 43.) Serva populum tuum, & benedic possessioni tuæ: pasceque eos, ac extolle eos usque in seculum. (*Psal.* 28.) Nam benevolus est Jehovah erga populum suum, ornat mansuetos salute. (*Ps.* 149.) Recordare mei Jehovah pro benevolentia qua prosequeris populum tuum; visita me salute tua, ut fruar bono electorum tuorum, ut læter lætitia gentis tuæ; ut me laudibus efferam cum possessione tua. (*Psal.* 106.) Easdem has annue benignitates omnibus & singulis filiis tuis, in toto peregrinationum nostrarum cursu. Ne recorderis adversus nos iniquitates præcedentium temporum: festinantes præveniant nos miserationes tuæ, nam attenuati sumus valde. Auxiliare nobis Deus salutis nostræ, propter honorem nominis tui: & eripe nos, expiationemque fac de peccatis nostris, propter nomen tuum. (*Ps.* 79.) Non enim propter ullam justitiam nostram nos procidentes deprecamur te, sed propter miserationes tuas amplissimas. Domine exaudi, Domine condona, Domine attende & effice, ne tardato, propter te, Deus mi,

quia

quia de nomine tuo vocatur civitas tua & populus tuus, (*Dan.* 9. 18, 19.) [& unusquisque liberorum tuorum quos receperis]. Et quid facies nomini tuo maximo? (*Jos.* 7. 9.) Quandoquidem iniquitates nostræ testantur contra nos, ô Jehovah, fac propter nomen tuum. (*Jerem.* 14. 7.)

Fili Georgi reminiscere hujus.

Ex consideratione præsentis juncturæ, qua omnes qui recipiuntur studiosi in Academiis, aut admittuntur in munus ministerii verbi divini in Scotia, ordinantur nunc Fœdus jurejurando signare, quod etiam in futurum cautum est; recordatus sum filii Georgii, votorum meorum filii, & supplex Deum oravi, qui valvas chalybeas frangit, & vectes ferreos succidit; (*Isai.* 45. *v.* 2.) quique dedit nobis libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Jesu, ea via quam dedicavit nobis recentem & vivam, per velum, hoc est per carnem suam: (*Heb.* 10. 19, 20.) deleto quod adversum nos fuit ritibus chirographo: quod erat nobis subcontrarium, ipse vero cruci affixum e medio sustulit; (*Col.* 2. 14.) ut quum lubeter divinæ suæ majestati filium meum Georgium erigere in studiosum Academiæ, atque postea vocare illum in officium ministerii verbi divini, libeat quoque Majestati suæ omnipotenti & divinæ tribuere illi sanctum & beatum ingressum, atque copiose ei benedicere in educatione ipsius, & in toto Dei famulitio, gratiam ei ac gloriam largiri, & nobis omnibus, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui sit gloria in seculum. *Amen.*

Precatus sum quoque pro afflictis & errantibus, utque det mihi Deus signum in bonum, ut bono Jerusalem fruar, ut Deus beneficus sit erga populum suum, mihi benedicat, & filio, omnium angustiis pressorum, errantiumque Christi ovium misereatur, gratumque se præbeat fratri Roberto, sororibus, omnibusque vel ad eos vel ad me spectantibus, cæteris necessariis nostris, omnibusque Dei liberis; hoc inquam quæsivi signum, animum nimirum credentem, amantem, lenem, mansuetum, integrum, mitem, ac cœlestem. Exaudivit me Dominus, certumque me reddidit postulata mea concessa, meque benedictum quod hoc perquisiverim signum, non a carne & sanguine, sed a Patre meo cœlesti excitatum, qui quoque hoc meum implebit desiderium, gratiamque suam mihi sufficientem dabit, opusque suum bonum intra me perficiet, ac in finem usque confirmabit, ut inculpatus existam die Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto, sanctæ & individuæ Trinitati, soli sapienti Deo, Servatori nostro, qui potest omnia supra ea quæ petimus aut cogitamus, secundum potentiam in nobis operantem, illi gloria esto in Ecclesia per Christum Jesum, per omnia secula seculorum. *Amen.*

Signum in bonum.

Consolatio nunc & in æternum.

Laus Deo.

§. 400.
Misericordia renovata.

Die rursum 15. *Decembris* 1640. Easdem habui meditationes & consolationes dulce mihi renovatas, quas diebus præcedentibus habueram. Benedictus Dominus, qui quotidie onerat nos donis, Deus ille fortis salus nostra excellentissime. Deus ille fortis nobis est Deus fortis ad salutem omnimodam (אֵל לְמוֹשָׁעוֹת): & Jehovæ Domino sunt exitus contra ipsam mortem. (*Ps.* 68.) In manu tua tempora mea sunt. (*Ps.* 31.) Jehovah robur populo suo dabit, Jehovah benedicet populo suo cum pace. (*Ps.* 29.) Benedictus sit Jehovah, quia exaudivit vocem deprecationum mearum. Jehovah robur meum & scutum meum; cui confidente animo meo, adjuvor. Idcirco exultat animus meus, ut cantico meo celebrem eum. (*Ps.* 28.) Manus Jehovæ curta non est, sufficiens est ad servandum. (*Num.* 11. *Isa.* 50. & 59. & 63.) Bonus est, in seculum est benignitas ejus. (*Ps.* 136.) Servat fidem in seculum. (*Ps.* 146.) Beati omnes qui se recipiunt ad eum. (*Ps.* 2.) Jehovæ est salus. (*Ps.* 3. *Jon.* 2.) Sed tu propensus amore eduxisti animam meam a fovea excedente, quia abjecisti post tergum tuum omnia peccata mea. (*Isa.* 38.) Nisi Jehovah plene auxilio fuisset mihi, parum abest quin habitasset in loco silentii vita mea. Quum dico, dimovetur pes meus; benignitas tua, ô Jehovah, sustentat me. Quum multæ sunt cogitationes meæ apud me, consolationes tuæ oblectant animam meam. (*Psal.* 94.) Laudatum invoco Jehovam, & ab inimicis meis servor. (*Ps.* 18.) Benedictus sit Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater ille miserationum, & omnis consolationis Deus, consolans nos in omni afflictione nostra; Ut possimus in quavis afflictione positos consolari, ea ipsa consolatione, qua nos consolatur Deus. (2 *Cor.* 1.) Domine, fac per gratiam tuam rependam tibi vota mea, quæ nuncupaverint aperta labia mea, & eloquutum fuerit os meum in angustia mea. —— Agite, audite, quicunque timetis Deum; ut enarrem quæ fecit animæ meæ. Eum ore meo inclamavi, & sui clarus pro sermonibus linguæ meæ. Ad iniquitatem si spectassem animo meo, non exaudivisset Dominus. At certe exaudivit Deus, attendit ad vocem orationis meæ. Benedictus est Deus, qui non avertit orationem meam a se, & benignitatem suam a me. (*Psal.* 66.) Extraxit me ex multis aquis; (*Ps.* 18.) eduxisti a corruptione vitam meam, Jehovah Deus mi. Quum obrueretur in me anima mea, Jehovæ recordatus sum, pervenitque ad te oratio mea, in templum sanctitatis tuæ. Qui observant vanitates mendaces, benignitatem erga se derelinquant. Ego vero cum voce gratiarum actionis sacrificabo tibi, quæ vovi, rependam: omnimoda salus est Jehovæ. (*Jon.* 2.) Ipse vero Dominus noster Jesus Christus, & Deus ac Pater noster, qui dilexit nos & dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam, consoletur nostra corda, & stabiliat nos in omni sermone & opere bono. (2 *Thess.* 2.) Patri nunc & Filio, & Spiritui sancto, sacro indiviso Tri-uni & Unitrino Domino Jehovæ, Regi æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor esto & gloria in secula seculorum. *Amen.* (1 *Tim.* 1. 17.

Die 16. *Decembris* 1640. Post morbum plurium dierum, a Deo adjutus, contuli me ad matutinas publicas preces in templo. Quapropter Deo gratias egi, & nomen ejus benedictum laudo, orans ut per gratiam suam efficiat me vota mea persolvere, semperque mihi benignus ac misericors sit per Christum Jesum Dominum meum, secundum divitias gloriæ suæ in eo. Lectum audivi in templo 33. cap. Jobi, ubi verba Elihu de peccatore pœnitente, suppliciter iniquitates & perversitates suas, Deique justitiam ac bonitatem agnoscente, persalutaria mihi fuere, dicit enim, Deum tum gratia eum alloquuturum, ac redemturum animam ejus; ne transeat in foveam, utque vita ejus lucem respiciat, quum supplex oraverit, Deum benigne eum recepturum, ut aspiciat faciem ejus cum jubilo. (*Job.* 33. *Psal.* 107. 17.) Iniquitates meas, familiæ meæ, necessariorum, Principum, populique peccata fassus sum, & dixi, ah, Domine Deus noster, peccavimus, & perverse egimus, improbeque fecimus, ac rebellavimus; & quidem recedendo a præceptis tuis & a juribus tuis. (*Dan.*

§. 401.
Vires post infirmitatem corporis.

Gratiarum actio & oratio.

Consolatio peccatori humili & pœnitenti.

Confessio & oratio.

nos in id, eoque perducito nos flatuto tuo tempore. Exaudi nos, Pater dilecte, & adjuva, condona iniquitatem nostram in precando, omniaque alia nostra peccata, petitiones nostras concede, & quicquid praeterea vel nobis vel alicui ex filiis tuis bonum aut commodum sit, propter Dominum Jesum Christum Servatorem nostrum, secundum verbum tuum, in quo fiduciam habere fecisti nos. (*Joh.* 14. 13, 14. & *Joh.* 15. 7. & *Joh.* 16. 23, 24. *Matth.* 7. 11.) In nomine ejus & verbis, preces nostras coram te continuamus, dicentes sicut ipse nos docuit, *Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum &c.* (*Matth.* 6.)

Salutaris expectatio placida mortis, vitaeque aeternae. Quum hanc precer orationem, quam benigne recepit Dominus, semperque sibi propinquam te net, meique continuo in bonum recordatur, quotidie reficior, & magnopere confirmor in spe certa gloriae Dei, me cum pace decessurum, & in gaudium aeternum Domini mei Jesu Christi introiturum, ac cum illo in gloria per omnia secula habitaturum. Et haec est fiducia quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petiemus secundum voluntatem ejus, nos audire. Quod si scimus eum audire nos, quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones, quas ab eo petimus. (1 *Joh.* 5. 14. 15.) Caeterum, ei qui potest nos custodire a lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriae suae inculpatos, cum exultatione; soli sapienti Deo, Servatori nostro, gloria esto & magnificentia, robur & auctoritas, & nunc & in omnia secula. *Amen.* (*Jud.* 24. 25.) Ei vero qui summa cum exuperantia potest omnia facere supra ea quae petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis, ei sit gloria in Ecclesia, per Christum Jesum, in omnes aetates seculi seculorum. *Amen.* (*Ephes.* 3. 20, 21.)

§. 403. *Meditatio salutaris in partem illam Evangelii S. Matthaei, quae habetur a versu 13. capite 16. usque ad versum 8. capite 17. inclusive.* *Die* 9. *Februarii* 1641. & diebus quibusdam insequentibus, largitus est mihi Deus dulcissimam consolationem, conscientiam tranquillam reddidit, animam sanavit, ac verbo suo corroboravit, quod scriptum est cap. 16. Matthaei, a versu 13. ad finem capitis, & ab initio capitis 17. usque ad versum 8. inclusive. Apostolus Petrus beatus dicitur, quod etiam spectat ad unumquemque nostrum, qui per gratiam Dei ore confitemur, & animo credimus, Jesum esse Christum illum, Filium illum Dei vivi, & portae inferorum non superabunt nos super hanc Petram aedificatos. Paulo post, beatus Apostolus Petrus ex sapientia sua stulta & humana peccat in Christum Jesum, qui acerrime eum reprehendit, vocans eum Satanam; tamen non dejicit eum, neque aufert ab eo priorem benedictionem, sed reprehensione hac docet illum, & longius eum firmat in vero Christianismo; eum nosque omnes Christi discipulos monens, nosmet abnegare, crucem tollere, & Christum sequi, expectantes beatam illam spem & illustrem ejus adventum, & tunc reddet unicuique, prout opus ipsius erit. Sexto vero post die assumit Jesus Petrum, (qui nupertime cum tum fassus fuerat, tum offenderat) ac Jacobum & Joannem fratrem ejus, & subducit eos privatim in montem sublimem, transformatusque est coram eis gloriose admodum, & ostendit eis Mosen & Eliam gloria quoque circumdatos cum eo colloquentes, & audierunt vocem illam e coelo delatam, dicentem, *hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco: ipsum audite.* Et quum haec audissent discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt vehementer. Intuemini nunc benignitatem Domini in eos, etiam in Petrum qui taliter eum offenderat; excelsa haec ets monstrat, &, (in faciem suam cadentibus & timentibus ipsis valde) dicit textus, accedens Jesus tetigit eos, dixitque, *surgite, & ne timete, sublatis autem oculis suis, neminem viderunt nisi Jesum solum*, in eo quippe solo lex & Prophetae implentur. O quam dulcis & operatius est tactus hic & vox illa animae miserae & afflictae: *Surge, ne timeto*; & quam salutaris est visio illa, quum oculos attollentes, semper illum apud nos videmus, consolantem & firmantem nos! In eo solo omnem acquirimus felicitatem, in eo omnis habitat plenitudo. Quapropter dicit Apostolus Paulus, non statui quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum, eumque crucifixum. (1 *Cor.* 2. 2.) Qui vidit illum, vidit Patrem & Spiritum sanctum. (*Joh.* 14.) Nec est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen est sub coelo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari. (*Act.* 4. 12.) Et idem Apostolus Petrus dicit: Non enim arte compositas fabulas sequuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum: sed ut qui oculis nostris aspeximus illius majestatem. Acceperat enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce ad eum delata hujusmodi a magnifica illa gloria, *hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.* Et hanc vocem nos audivimus e coelo delatam, quum essemus una cum eo in monte illo sancto. (2 *Petr.* 1. 16. 17. 18.) Idem adhuc Apostolus sermone suo ad Cornelium, caeterosque praesentes, de Domino nostro Jesu Christo sic loquitur: Huic omnes Prophetae testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui crediderit in eum. (*Act.* 10. 43) Credo, Domine, succurre incredulitati meae. (*Marc.* 9. 24.) Exaudivit me Dominus, sanavit & tetigit me, ac dixit, *surge, ne timeto*; Elevavit me, ac se mihi conspiciendum praebuit, & copiose consolatus est consolationibus ipsius ineffabilibus, magnis & aeternis, quae animam meam oblectant, quum multae sint cogitationes meae apud me. (*Ps.* 94.) Regi autem aeterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gloria in secula seculorum. *Amen.* (1 *Tim.* 1. 17.)

Ἐγέρθητε καὶ μὴ φοβεῖσθε.

Diebus 22. & 23. *Februarii* 1641. Pium considerabis discursum Leonis hujus nominis primi, Episcopi Romani, de constantia in vocationibus nostris, & fiducia in Deo adversus omnem difficultatis & infirmitatis propriae metum, quumque ad rem sit, hic (ut sequitur) inserendum operae pretium duxi. §. 404.

Leo 1. *Papa Rom. epist. ad Rusticum Narbonensem Episcopum.*

Exhortatio Leonis I. Papae ad constantiam in vocationibus nostris, & fiduciam in Deo adversus omnem difficultatis & infirmitatis propriae metum. Miror autem, dilectionem tuam, in tantum scandalorum quacunque occasione nascentium adversitate turbari, ut vacationem ab Episcopatus laboribus optare te dicas, & malle in silentio atque otio vitam degere, quam in his quae tibi commissa sunt, permanere. Dicente vero Domino, *beatus qui perseveraverit usque in finem*; (*Matth.* 24. 13.) unde beata erit perseverantia, nisi ex virtute potentiae? Nam secundum Apostolicam praedicationem, *Omnes qui voluerint pie vivere in Christo Jesu, persequutionem patietur:* (2 *Tim.* 3. 12.) Quae non in eo tantum computanda est, quod contra Christianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur, aut quibuscunque suppliciis; cum persequutionum saevitiam suppleant & dissimilitudines morum, & contumaciae inobedientium, & malignarum tela linguarum; quibus conflictationibus cum omnia sem-

per Eccleſiæ membra pulſentur, & nulla piorum portio hic a tentatione ſit libera, ita ut periculis nec otia careant nec labores, quis inter fluctus maris navem diriget, ſi gubernator abſcedat? Quis ab inſidiis luporum oves cuſtodiet, ſi paſtoris cura non vigilet? Quis denique latronibus obſiſtet & furibus, ſi ſpeculatorem in proſpectu explorationis locatum ab intenſione ſollicitudinis amor quietis abducat? Permanendum ergo in opere eſt credito, & in labore ſuſcepto. Conſtanter tenenda eſt juſtitia, & benigne præſtanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines. Nunc corripiantur tumidi, nunc tolerentur infirmi; & quod in peccatis ſeverius caſtigari neceſſe eſt, non ſævientis plectatur animo, ſed medentis. At ſi vehementiur tribulatio incubuerit, non ita expaveſcamus, quaſi illi adverſitati propriis ſit viribus reſiſtendum; cum & conſilium noſtrum & fortitudo noſtra ſit Chriſtus, ut ſine quo nihil poſſumus, (*Johan.* 15. 5.) per ipſum cuncta poſſimus; (*Phil.* 4. 13.) qui confirmans prædicatores Evangelii & Sacramentorum miniſtros; *Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.* (*Matth.* 28. 20.) Et iterum, *Hæc*, inquit, *loquutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis; in mundo autem tribulationem habebitis, ſed bono animo eſtote, quia ego vici mundum.* (*Joh.* 16. 33.) Quæ pollicitationes quia ſine dubitatione manifeſtæ ſunt, nullis debemus ſcandalis infirmari, ne electioni Dei videatur ingrati; cujus tam potentia ſunt adjutoria, quam vera promiſſa.

Vid. lib. de duplici Martyrio, qui Cypriano tribuitur. Horrere mortem natura eſt; vincere naturam animi fortitudine gratia eſt &c.

Συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελλίῳ κατὰ δύναμιν Θεοῦ. (2 *Tim.* 1. 8.)
Σὺ οὖν κακοπάθησον ὡς καλὸς ϛρατιώτης Ἰησοῦ Χριϛοῦ. (2 *Tim.* 2. 3.)

§. 405. *Die* 25. *Februarii* 1641. Benigne admodum, ſalutariter & copioſe renovavit mihi Deus meditationes has cœleſtes, motus ſpirituales, & conſolationes ſuaves, quæ ſcribuntur in libro hoc 31. Aug. 1639. 15 16. 20. & 23. Sept. 1639. & Jun. 13. & 14. & 29. Aug. & 8. & 9. Sept. 1640. Benedictus Deus. *Amen.*

Conſolationes renovata.

Ἀγωνίζȣ τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίϛεως, ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς, εἰς ἣν καὶ ἐκλήθης, καὶ ὡμολόγησας τὴν καλὴν ὁμολογίαν ἐνώπιον πολλῶν μαρτύρων. (1 *Tim.* 6. 12.)

Οὐκ ἐπαισχύνομαι, οἶδα γὰρ ᾧ πεπίϛευκα, καὶ πέπεισμαι ὅτι δυνατός ἐϛι τὴν παρακαταθήκην μȣ φυλάξαι εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν. (2 *Tim.* 1. 12.)

Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρός τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέϛηκε. Τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, τὸν δρόμον τετέλεκα, τὴν πίϛιν τετήρηκα. Λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης ϛέφανος, ὃν ἀποδώσει μοι ὁ Κύριος ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ὁ δίκαιος κριτής· οὐ μόνον δὲ ἐμοὶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ. (2 *Tim.* 4. 6, 7, 8.)

§. 406. *Die* 26. *Februarii* 1641. Redintegravit mihi Dominus perſalutariter ac dulce admodum ſpirituales hos motus, firmaſque conſolationes, quas mihi prius dederat, ſcriptæque inveniuntur in codice hoc, 26. Nov. 12, 13, 14, 15. Dec. 1640. Magnificatus eſto Dominus in ſecula. *Amen. Hallelujah.*

§. 407. *Die* 1. *Martii* 1641. Benigne & copioſe renovavit mihi Dominus dulces has conſolationes, quibus me conſolatus eſt diebus 18. & 20. Sept. 1624. 4. quoque Octobris ejuſdem anni 1624. Conſolationes has itidem redintegravit, quas mihi largitus fuerat diebus 12. 13. 14. 15. & 16. Decembris 1640. Celebratus eſto Dominus: Hoc ſignum in bonum Deum rogavi, animum credentem, amantem, mitem, humilem, rectum, lenem, cœleſtem, invictum, ſapientem, verum, intrepidum & prudentem in Deo, Deoque fidum. Aurem mihi præbuit Dominus, poſtulatum annuit ea gratiæ ſuæ menſura ac mihi ſufficit, certum me reddens ſe in finem uſque confirmaturum, & die illo inculpatum ſtiturum in conſpectu gloriæ ſuæ, cum exultatione in æternum duratura. Verbis eis Elihu ſupra dictis die 16. Decembris proxime elapſi, hæc maxime conformia in Pſalmo 107. invenio. Stulti propter viam defectionis ſuæ, & propter iniquitates ſuas affligantur: Quorum anima omnem cibum abominatur; qui pertingunt uſque ad portas mortis: Quum clamantes ad Jehovam in oppreſſione ipſorum, ab anguſtiis ipſorum ſervaverit ipſos: Mittens verbum ſuum curaverit ipſos, & liberaverit eos a foveis ipſorum: Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus, & opera mirabilia ejus apud filios hominum: Et ſacrificantes ſacrificia laudis, enarrent opera ejus cum cantu. (*Pſ.* 107. 17, 18, 19, 20, 21, 22.)

Conſolationes renovata.

Signum in bonum.

Certitudo ſalutis.

Meditatio pro infirmis.

Officium ejus qui ab infirmitate liberatur.

§. 408. Rurſus jam, quod Fœderi non ſubſcripſerim, cenſura interminatus, priorum anguſtiarum, deprecationum, ac conſolationum diebus 18. 19. 20. 21. & 22. Julii 1640. ſcriptarum recordatus ſum, & eaſdem pro modo deprecationes Domino renovavi pro miſericordia, luce, gratia & liberatione, atque Deus eaſdem mihi abunde redintegravit benignitates paternas, & conſolationes firmas, & ſic per Spiritum ſuum ſanctum me refocillavit adverſus hos alioſque terrores. Benedictus Deus. Conſolatus eſt me quoque de populo ſuo, fratribus meis ac filio. *Hallelujah.* Gloria Patri, Filio, & Spiritui ſancto, in ſecula ſeculorum. *Amen.*

Fœdus Nationale.

Miſericordia renovata.

§. 309. *Die* 2. *Martii* 1641. Dulciſſime conſolabar in Deo conſolationibus, quas diebus 23. & 24. Julii 1640. habueram. In Deo faciamus ſtrenue. (*Pſal.* 60.) Eſto mihi rupes, quam inhabitem, quo veniam jugiter, præceptum poſuiſti de ſervando me, quia petra mea & munitio mea es. (*Pſ.* 71. 3.) Celebrabo Jehovam valde ore meo, & in medio multorum laudabo eum; quod aſſiſtat ad dexteram egentis; ut ipſum conſervet ab eis, qui abjudicant vitam illi. (*Pſ.* 109. 30, 31.) Jehovah exercituum nobiſcum eſt, locus editus eſt nobis Deus Jacobi maxime. (*Pſ.* 46.) Nam hic Deus Deus noſter eſt in ſeculum & ſempiternum; hic nos deducturus eſt ad mortem uſque. (*Pſalm.* 48.) Illi ſit gloria in Eccleſia, per Chriſtum Jeſum in omnes ætates ſeculi ſeculorum. *Amen.* (*Eph.* 3. 20.)

Contra pericula & terrores quoſcumque.

Laus Dei.

§. 410. *Die* 3. *Martii* 1641. Dominum orationibus fervidis & lacrymis invocavi, & mihi inventus fuit, & me conſolatus eſt, indicans mihi, ſe vere Iſraëlitam me creaſſe, meque in principem memet geſſiſſe apud Deum & homines, ac potentia valuiſſe. Gloria Patri, Filio, & Spiritui ſancto, *El-Elohe-Iſraël.*

Luctatio & victoria.

§. 411. *Die* 4. *Martii* 1641. Valde confortabar & confirmabar ex ſcripturis & meditationibus in libro hoc ſcriptis 23. & 29. Maii 1640. & ex ſuavi illo dicto Chriſti diſcipulis ſuis afflictis, *Confidite, Ego ſum, ne timete.* Θαρσεῖτε, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε. (*Marc.* 6. 50.) Benedictus Dominus, qui in omnibus anguſtiis & terroribus confidere, neque timere jubet, & potenter quod in nobis fieri vult, in nobis operatur, ſicut dixit, eſto lux, & fuit lux. In Deo faciemus ſtrenue. (*Pſalm.* 60.) Deus confirmat animum noſtrum. (*Pſal.* 27. & 31.) Spiritum ſuum ponit in medio noſtri, quo facit ut in ſtatutis ejus ambule-

Conſolationes valide adverſum omnes aggreſſus.

bulemus. (*Ezech.* 36. 27.) Sermo ejus vivificat nos. (*Ps.* 119. *Zain* 50.) Vivit in nobis Christus. (*Gal.* 2. 20.) Deus is est qui efficit in nobis & ipsum velle & ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia. (*Phil.* 2. 13.) Benedic anima mea Jehovæ. Benedictus Deus, supra omnem benedictionem & laudem exaltatus, in secula seculorum. *Amen*, iterum *Amen*.

§. 412. *Die* 7. *Martii* 1641. Adversus præsentia mea pericula & timores consolatus est me Dominus consolationibus, quibus in tali statu me antea consolatus fuerat diebus 11. 12. 13. 14. 15. & 16. Septembris 1639.

§. 413. *Benignitates renovata.* *Die* 8. *Martii* 1641. Renovavit mihi Dominus consolationes, quibus consolabar diebus 17. & 19. Septembris 1639. & diebus 29. & 30. Octobris 1626. Celebratus esto Deus.

§. 414. *Etiam somnus meus suavis est mihi Jer. 31. 26.* *Die* 9. *Martii* 1641. Pie mihi redintegravit Dominus dulces has consolationes, motus & meditationes, quibus exercebar, solabar & confirmabar diebus 17. 20. & 23. Septembris 1639. ut in hoc libro scribuntur. Dominus quoque abunde renovavit sanctas has meditationes, motus & consolationes firmas, quas per gratiam ejus diebus 7. 9. 10. 13. & 14. Julii anno 1638. habueram. Plures etiam consolationes novasque mihi Dominus addidit vices, prout manus Dei mei mihi aderat, per Jesum Christum Servatorem meum, cui gloria in secula. *Amen.*

§. 415. *Die* 10. *Martii* 1641. Benigne admodum & dulce renovavit mihi Dominus consolationes, quibus me consolatus fuerat diebus 18. & 19. Julii 1638. quasque habueram diebus 24. & 28. Septembris 1639. Jamque memor decimum hunc Martii eum esse diem, quo actio mea de subscriptione Fœderis, Edinburgi judicio subjicienda statuebatur, memor etiam me fratribus in ea parte scripsisse, salva conscientia subscribere me non posse, ideoque in hac re decernant, vel me sinere ut pergam in publica mea Theologiæ professione, sicut facio, vel alium quemdam comparare professorem vice mea, ne destituatur Ecclesia publicæ hujus professionis bono: supplex Deum rogavi, ut animos fratrum bono suo duceret spiritu, animumque meum erga se integrum redderet, causamque ageret, seque erga me firmum exhiberet, & erga Ecclesiam suam, ut dirigeret pedes nostros in viam veritatis pacisque, exitumque præberet salutarem, benignum, tranquillum, felicem omnium horum conventuum, actionum, deliberationum & expeditionum, populoque suo benediceret cum pace, gratiamque nobis impertiret recte utendi providentia ejus paterna, & in omnem nos duceret veritatem per Spiritum suum sanctum veritatis, nosque ut in veritate sua sanctificaret, fidosque Deo efficeret omnibusque in illo, tueretur nos a peccando in illum, & secundum potentiam suam illustrem confirmaret nos in omnem patientiam, longanimitatem, cum exultatione in eo, & gratiarum actione, ut potentiam consummaret in infirmitate nostra, & amplius quam victores efficeret in omnibus per Christum qui nos dilexit, seque pro nobis tradidit; ut fideles ad mortem usque faceret, victoriam daret, & coronam vitæ, per Jesum Christum Servatorem nostrum. Et Dominus benigne preces meas exaudivit, & dulcissime consolatus est & firmavit me. Tunc fui in oculis ejus prope consequutus pacem. (*Cant.* 8. 10.) Et quanquam hic verser ego Palæo-Aberdoniæ, judiciumque Edinburgi habeatur; tamen Jehovah munimentum meum ubique versatur, & in manibus suis omnium tenet animos. Custus Israëlis nec dormitat, neque dormit. (*Psalm.* 121.) Jehovæ oculi discurrunt per totam terram, ut firmum se exhibeat erga eos, quorum animus integer est erga ipsum. (2 *Chron.* 16. 9.) Animum mundum crea mihi, Deus, & spiritum firmum renova intra me. Ne abjicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne recipias a me. Redde mihi gaudium salutis tuæ & spiritu ingenuitatis sustentato me. Docebo defectores vias tuas, ut peccatores ad te convertantur. Libera me a sanguine, ô Deus, Deus salutis meæ: cantet lingua mea justitiam tuam. Domine labia mea aperias, & os meum annunciabit laudem tuam. Nam non delectaris sacrificio ut dem; (*condona Domine repugnantiam meam, & libentem me præsta*) holocaustum non vis. Sacrificia Dei sunt spiritus fractus, animum fractum & contritum, ô Deus, non spernis. Benefac pro bona voluntate tua Zioni, ædifica muros Jerusalem; (*Ps.* 51.) & delectate servis tuis, omnibusque conatibus nostris in cultu tuo, per Jesum Christum Servatorem nostrum, dilectionis tuæ Filium illum, in quo acquiescis. Unum petii a Jehovah, id ipsum requiram, ut considam in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ; ad videndum amœnitatem Jehovæ, & inquirendum in templo ejus. Nam abscondet me in tugurio suo tempore adversitatis; abdet me in abdito tentorii sui, in rupem attollet me. Jam vero extolletur caput meum supra inimicos meos circumstantes me: ut sacrificem in tentorio suo sacrificia clangoris; canam & psallam Jehovæ. Audi Jehovah me voce mea clamantem, gratiamque fac mihi, & exaudi me. —— Ne abscondas faciem tuam a me, ne avertas in ira servum tuum. (*Psal.* 27.) Sit animus meus integer in statutis tuis, ut non erubescam. (*Psalm.* 119. *Jod.*) Suscipe causam meam, & vindica me, pro sermone tuo, vivum conserva me. (*Ps.* 119. *Resch.*) Appropinquasti qua die invocabam te, dicebas, ne timeto. Agens, Domine, causam animæ meæ, vindicabas vitam meam. (*Lam.* 3. 57, 58.) Para me Deus, ad recipiendum omnia beneficia tua, omnesque angustias meas: glorifica sanctum tuum & benedictum nomen, quod invocatur a me, in misericordia tua erga me, & præsentia tua semper mecum. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen.* Hinc magnopere consolabar. Benedictus Deus.

§. 416. *Benignitates maxima, & consolationes sempiterna.* *Die* 11. *Martii* 1641. Dominum rursus lacrymis quæsivi & inveni. Persalutariter me alloquutus est, conscientiam sedavit, & robore in anima firmavit me, certumque reddidit, me potentia apud Deum & homines per gratiam suam valuisse, se a potestate tenebrarum eripuisse me, & transtulisse in regnum Filii sui dilecti; in quo me habere redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, atque per eum victoriam reportasse, semperque strenue facturum, seque omnes inimicos meos spirituales sub pedibus meis conculcaturum, & amplius quam victorem facturum me in omnibus, per eum qui dilexit nos: gratiam se & gloriam filio meo, & fratri daturum, semperque paternam nostri gerere curam, & favore populi sui nostri reminisci, populo suo pace benedicturum, ac effecturum nos firmo animo sibi fidere. Atque adeo nunquam sinet nos pudefieri, ast exaltabit nos in justitia, semperque in laudibus suis exultare nos faciet, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui gloria in secula seculorum. *Amen.*

§. 417. *Consolationes & sol-* *Die* 12. *Martii* 1641. Supplex Deum oravi & ploravi pro misericordia, gratia & gloria, atque appropinquavit mihi. Dominus in magna sua be-

loquia divina. benignitate, & copiose me consolatus est. *Confide, fili, remissa sunt tibi peccata tua.* (*Matth.* 9. 2.) *Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est.* (*Joh.* 1. 48.) Tu, Domine, servo tuo ostendisti & indicasti peccata mea remissa esse, tuque per Prophetam tuum sanctum dixisti: *Beati levati a defectione.* (*Ps.* 32.) Tu eis benedicis, facisque ut in spiritu illorum non sit dolus; operare & perfice Domine in me opus hoc gratiæ tuæ, & in filio meo, & in omnibus & singulis liberis tuis per totum peregrinationis nostræ cursum, & fac unusquisque nostrum audiat in die illo dictum illud salutare nobis prolatum, secundum misericordiam & gratiam tuam in verbo tuo declaratam, in quo fiduciam habere fecisti nos. *Bene est, serve bone & fidelis;* (εὖ, δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιςέ) *in exiguo fuisti fidelis, super multa te constituam: ingredere in gaudium Domini tui.* (*Matth.* 25. 21.) Conduc nos per omnes vitæ hujus angustias, victoriam de omnibus tentationibus nostris da nobis, & fac nos in omnibus amplius quam victores (*Rom.* 8.) per te Deum ac Servatorem nostrum, qui dilexisti nos, & perficies pro nobis. Jehovah benignitas tua in seculum est, ab operibus manuum tuarum ne desistas. (*Ps.* 138.) Sic tranquilla fuit reddita anima, & fortiter in Deo Salvatore meo consolata; cui gloria in seculum. *Amen.*

§. 418. *Consolationes eximiæ.* *Die* 13. *Martii* 1641. Quum mane essem in campis solus & solitarius, supplex Deum plurimis lacrymis ac suspiriis oravi ut peccata mea condonaret, animam sanaret, in misericordia mihi appropinquaret, consolaretur me in certitudine benignitatis suæ, & gratiæ mihi sufficientis, atque die illo in gaudium suum æternum reciperet salutari ea vocatione, *Bene est, serve bone & fidelis*, ut animum meum integrum efficeret erga se ad finem & in fine, causam meam ut ageret, filio meo ac omnibus Dei filiis benediceret, juvaret, roboraret. Et Dominus aurem mihi præbuit, petitiones concessit, & in benignitate sua gaudere me fecit, quam uberrime adeo mihi manifestavit, quum divinam hanc largiretur contritionem, mihique appropinquaret, & servaret. Propinquus est Jehovah fractis animo: & contritos spiritu servat. (*Ps.* 34. 18.) Exultabo & lætabor benignitate tua, tu enim aspexisti afflictionem meam, agnovisti angustias animæ meæ. Non tradidisti me in manum inimici, sed statuisti in lato pedes meos. (*Ps.* 31. 8, 9.) Postea in museum magno gaudio & pace reversus, adhuc amplius solabar & firmabar, hæc Petri Apostoli verba legendo: *Et quis est qui male accipiat vos, si bonarum rerum æmulatores fueritis? Sed & si quid perpetiamini propter justitiam, beati tamen estis: cæterum metu eorum ne metuite, neque turbemini. Sed Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris. Estote autem semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei quæ in vobis est, cum mansuetudine & timore, conscientiam bonam habentes: ut pro eo quod obloquuntur vobis tanquam facinorosis, pudefiant qui infesti sunt vestræ bonæ in Christo conversationi;* (1 *Pet.* 3. 13, 14, 15, 16.) & hæc Prophetæ Isaiæ verba: *Nam ita edixit Jehovah mihi, adhibita confirmatione manus; quum erudiret me non eundum via populi istius, dicendo; ne dicatis, conjuratio, in quibuscunque dicit populus iste, conjuratio: & timore istius ne timeatis, neque expavescendum dicetis. Jehovam exercituum ipsum sanctificate, & ipse sit timori vobis, idemque sit pavori vobis, & erit sanctificationi vobis.* (*Isa.* 8. 11, 12, 13, 14.)

Deus erit sanctificationi. Turris robusta est nomen Jehovæ, quo accurrens justus, in edito collocatur. (*Prov.* 8. 10.) Esto mihi rupes quam inhabitem, quo veniam jugiter: præceptum posuisti de servando me, quia petra mea, & munitio mea es. (*Ps.* 71. 3.) O Domine, tu habitaculum fuisti nobis in quaque generatione. (*Psalm.* 90.) Confidens in latibulo Excelsi, in umbra Omnipotentis indesinenter pernoctabit. (*Ps.* 91.) Ex intimis visceribus diligam te, Jehovah firmitas mea. Jehovah petra mea, & propugnaculum meum &c. (*Ps.* 18.) Dominus Jesus dicit: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. (*Joh.* 6. 56.) Et ait Apostolus Johannes: Deus caritas est; & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. (1 *Joh.* 4. 16.) Credo, Domine, succurre incredulitati meæ. Tu Domine omnia nosti, opera tua gratiæ in me nosti, tu nosti quod amem te. Condona, Domine, & succurre amoris defectui. Et respondit mihi Dominus verbis bonis & salutaribus. Benedictus Dominus, qui benignitatibus suis divitibus prævenit me, animumque meum paravit, preces exandivit, beneficus est erga me, & requiem dedit animæ meæ in se. Jehovah Rex sempiternus est (Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto in secula seculorum): perierunt gentes e terra ipsius. Desiderium mansuetum exaudivisti Jehovah: confirmabis animum horum, advertes aurem tuam: Vindicando pupillum & attritum; ut non pergat amplius cum violenter exagitare mortalis e terra. (*Psalm.* 10. 16, 17, 18.) Parce Jehovah populo tuo, & ne exponas possessionem tuam opprobrio. (*Joël.* 2. 17.) In vita conserva nos, ut nomen tuum invocemus. Jehovah Deus exercituum, restitue nos, fac ut luceat facies tua: ita servabimur. (*Ps.* 80.) Jehovah miserebitur nostri, subiget iniquitates nostras: imo projecturus es in profundissimum maris omnia peccata istorum. (*Mich.* 7. 19.) Qui attritus est, ne redeat confusus: pauper & egeus laudent nomen tuum. Surge, ô Deus, age causam tuam. (*Ps.* 74. 21, 22.) Expectationem habeat Israël in Jehovah; quia apud Jehovam est benignitas, & plurimum apud eum redemtionis. Et ipse redimet Israëlem, ab omnibus iniquitatibus ejus. (*Ps.* 130.) Novit Dominus pios e tentatione eripere. (2 *Petr.* 2. 9.) Redimit Jehovah animam servorum suorum; neque disperduntur ulli recipientes se ad illum. (*Ps.* 34. *ult.*) Recordabitur nostri Jehovah pro benevolentia qua prosequitur populum suum. (*Ps.* 106.) Jehovah robur populo suo dabit, Jehovah benedicet populo suo cum pace. (*Ps.* 29.) Gloria Deo in excelsis, in terra pax, benevolentia erga homines. (*Luc.* 2. 14) Benedictus Deus. Benedic anima mea Jehovæ, *Hallelujah. Amen.*

Die 14. *Martii* 1641. Consolatus est me Dominus communicationibus & consolationibus his cœlestibus, quas diebus 12. & 13. Octobris 1640. habueram. §. 419.

Die 15. *Martii* 1641. Copiose mihi Deus renovavit consolationes mihi præsentes diebus 12. & 13. Octobris 1640. Eosdem quoque sensi conflictus spirituales, easdemque victorias jucundas & expeditas, quas habueram 14. Octobris & 4. Nov. 1640. 8. quoque 12, 14. 21. 22. & 26. diebus ejusdem mensis Novembris 1640. Dominus etiam mihi redintegravit meditationes, consolationes & communiones dulces, quas die 3. Januarii 1625. dederat. Abunde lacrymas fudi pro misericordia & gratia, pro salutari & permanenti Dei præsentia, proque testimonio benignitatis ejus, quod munus & officium attinet, utque conserver in communione Ecclesiæ ejus in gente hac, neve unquam ipsum abnegem, neque veritatem §. 420.

Felix fletus per magnam misericordiam Dei Servatoris nostri.

ritatem suam, neque quidquam faciam adversus veritatem, neque animo deficiam in confitendo illo & sequendo; sed ut constanter, audacter & plane sine fuco aut fallacia, ipsum confitear & veritatem ejus, utque fidelis sim ei qui misit me, animumque purum possideam, & lenis cordeque humilis existam sicut Servator, ut fidelem me ad mortem usque præstaret, victoriamque & vitæ coronam daret, per Jesum Christum, cui gloria in sempiternum. *Amen.* Pro Ecclesia Christi hic & alibi precatus sum, pro principibus & populo, pro filio & familia, necessariis, omnibusque filiis Dei afflictis sive errantibus, proque unoquoque electorum ejus liberorum in Ecclesia militanti nunc & omnibus generationibus futuris, ad secundum usque adventum Salvatoris nostri. Exaudivit me Deus, & petitiones annuit. Benedictus sit Deus. Para me Domine ad omnia beneficia tua recipiendum, para me in omnia pericula mea, semperque apud te conserves me. Custodi nos virtutis Dei præsidio per fidem, ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo. Remitte nobis omnia peccata nostra, omnes removeas offensas, omnibus bono nostro incommodis quibuscunque medeare, pios nos effice, & fac continuo crescamus in gratia & notitia Domini nostri & Servatoris Jesu Christi. Gratia habetor Deo super inenarrabili ipsius dono. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen. Hallelujah. Amen.*

§. 421. *Lacrymæ & gaudium.* *Die* 16. *Martii* 1641. Amare rursum coram Domini flevi, supplexque rogavi misericordiam, gratiam, firmamque & durantem in eo consolationem, benignitatem filio meo, zelum & integritatem, misericordiam & pacem populo suo hic & alibi, liberationem ab iniquitatibus nostris, ab erroribus pestiferis, ab oppressione, consolationem & robur omnibus & singulis liberis ejus afflictis, utque Deus causam nostram ageret pro magnitudine benignitatis suæ. Festinavit Dominus ad subsidium & solatium meum, & perlætum me effecit in præsentiæ suæ dulcedine inenarrabili, verbis bonis & salutaribus respondit mihi, atque robore in anima mea corroboravit, & certum reddidit se nunquam deserturum nec derelicturum me. Benedic anima mea Jehovæ. Ecce Jehovah salus mea; confidam, neque timebo. Libitum ejus paternum dare mihi regnum illud. Redi anima mea in requiem tuam, quum Jehovah beneficus sit erga te. Anima mea requiescit in Domino. Benedictus Deus. Confidite ei omni tempore, ô popule: vivet animus vester, ô quærentes Deum. Quærentes Jehovam non indigent ullo bono. Dominum invocavi, & exoratus fuit, magnopere me consolatus est. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, supra omnem laudem & benedictionem exaltato, in secula seculorum. *Amen*, iterum *Amen. Hallelujah.*

§. 422. *Die* 17. *Martii* 1641. Ex amici cujusdam præcipitantia & mei ipsius imprudentia parum abfuit, quin in difficultatem periculosam memet præpedivissem, at Dominus festinanter me prævenit miserationibus suis, & excitavit me ad percipiendum errorem & periculum, & ad liberationem benignam orandum, quam absolute mane insequentis 18. diei Martii consequutus sum, quo tempore suppliciter & ex animo gratias egi, & Deum Servatorem meum celebravi, propter omnes ejus benignitates, & ob experientiam hanc recentem providentiæ ejus paternæ, sollicitæque in bonum meum curæ. Nisi Jehovah pleno auxilio fuisset mihi, parum abest quin habitasset in loco silentii vita mea. Quum dico, dimovetur pes meus; benignitas tua ô Jehovah sustentat me. Quum multæ sunt cogitationes meæ apud me; consolationes tuæ oblectant animam meam. (*Ps.* 94. 17, 18, 19.) Canite Jehovæ, laudate Jehovam; quia eripuit animam egentis e manu maleficorum. (*Jer.* 20. 13.) Cantabunt labia mea, quando psallam tibi, & anima mea quam redemeris. (*Ps.* 71. 23) Tum eram brutus qui ignorarem: velut jumenta eram apud te: Itaque ego jugiter futurus sum tecum: prehendisti manum dexteram meam. Consilio tuo deduces me, ut postmodum in gloriam recipias me. Quis esset mihi in cœlis præter te? & præter te nullo delector in terra. Deficiente carne mea & animo meo; rupes animi mei & portio Deus est in seculum. (*Ps.* 73.) Animam meam quietam efficit: ducit me per orbitas justitiæ propter nomen suum. —— Nil nisi bonum & benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & quietus ero in domo Jehovæ, quamdiu longa erunt tempora. (*Ps.* 23.) Benedictus Dominus, qui quotidie onerat nos donis; Deus ille fortis salus nostra excellentissima; Deus ille fortis nobis est Deus fortis ad salutem omnimodam: & Jehovi Domino sunt exitus contra ipsam mortem. —— Præcepit Deus tuus robustum esse te; corrobora, ô Deus, quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68 20, 21 —— 29) Etiam quum ambularem per vallem letalis umbræ, non timerem malum; quia tu mecum es: virga tua & pedum tuum ipsa consolantur me. (*Ps.* 23.) Fiduciam habe in Jehovah ex toto animo tuo: intelligentiæ vero tuæ ne innititor. In omnibus viis tuis agnosce eum, & ipse diriget itinera tua. Ne esto sapiens judicio tuo: reverere Jehovam, & recede a malo. (*Prov.* 3. 5, 6, 7.) Regi vero æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gloria, in secula seculorum. *Amen.* (1 *Tim.* 1. 17.)

Ego tecum sum.

Tu mecum es.

§. 423. *Jejunium.* *Die* 24. *Martii* 1641. Neo-Aberdoniæ solenne celebrabatur jejunium, cujus particeps eram & ego; quumque audirem Dr. Gulielmum *Guild* (in Apoc. 2. 5.) hortantem nos, dum adsit tempus, iniquitatum nostrarum reminisci, sicut fecerat & David Psal. 51. 4. & pœnitentiam agere, ut jubentur in hoc textu Apocalypseos; in mentes quoque revocantem, Deum omnes qui tempestive peccatorum suorum non recordentur, neque resipiscunt, reprehensurum, & iniquitates suas in oculis ipsorum dissertuturum, cum judicium ineat; (*Ps.* 50. 21.) sed si tempestive recordemur, & resipiscamus, Deum procul dubio in æternum condonare peccata nostra, & oblivisci; præcipit enim nobis iniquitatum reminisci, & resipiscere, ut ipse obliviscatur earum, & remittat, neque amplius recordetur, secundum fœdus suum, (*Jer.* 31. *Hebr.* 8.) multaque illius pollicita in sacris Scripturis expressa. Hæc inquam, quum audirem, iniquitatum mearum recordatus sum, lacrymisque Deo fassus sum, tristitia divina resipui, novitatem vitæ vovi, Deumque oravi ut omnia peccata mea condonaret & oblivisceretur, tum quorum memor fui, tum quorum immemor, utque pedes meos dirigeret in viam statutorum suorum, ut corruptiones meas spirituales sanaret, ut confirmaret me in gratia sua mihi sufficiente, meque apud se custodiret. Dominus orationem meam exaudivit, & dulcissime consolatus est me in Christo, fidem auxit, & Spiritu suo sancto stabilivit me. Benignitatem quoque & pacem rogavi Ecclesiæ suæ in gente hac & alibi, misericordiam Aberdoniæ & salutare ei ministerium; in hoc quoque con-

Reminiscamus peccatorum nostrorum, & pœnitentiam agamus, & Deus condonabit & obliviscetur.

solabar. Precatus sum consimiliter pro Principibus nostris & populis, pro omnibus Dei filiis afflictis & errantibus, pro liberis suis quibuscunque in Ecclesia militanti, pro misericordia, gratia & pace omnibus & singulis eorum; & in eo etiam dulcem lucratus sum consolationem. Benedictus esto Deus. Dominus quoque renovavit exercitia hæc spiritualia, & solamina dulcia, quæ 3. Octobris 1639. habueram. Oravi insuper pro misericordia & consolatione amico cuidam angustia presso, & respondit mihi Deus verbis salutaribus de illo. Gloria Patri, Filio & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen.*

§. 424. *Jejunium.* *Die* 4. *Aprilis* 1641. Habebatur Palæo-Aberdoniæ jejunium solenne, quod & per totum Regnum celebrabatur. Audivi Mr. Gulielmum

M. W. S. *Strachan* concionantem Palæo-Aberdoniæ in hæc verba Ps. 102. 14. *Tu surgens misereberis Zionis: quia tempus est faciendi gratiam ei, quia advenit statutum tempus.* Hic fuit textus ejus, tempore antemeridiano; & rursus prædicavit pomeridiano in hæc verba Ps. 51. *Benefac pro bona voluntate tua Zioni, ædifica muros Jerusalem.* Quum ante meridiem rationes jejunii declararet, legemque explicaret, & ad veram pœnitentiam hortaretur, potenter & salutare loquutus est; atque tum inter audiendum, tum precandum,

Dulcis & salutaris Dei præsentia apud me. dulcem sensi & salutarem Dei præsentiam apud me, divinam contritionem, lacrymas copiosas, & uberrimam & firmam in Deo consolationem præbentem; quem suppliciter rogavi, tum propria causa, tum filii, totius gentis, omnisque Christi Ecclesiæ. Peccata mea plurima & gravia, & abominationes istas quæ fiunt in medio gentis hujus, ploravi; (*Ezech.* 9.) & Deus magnopere consolatus est me per Spiritum suum sanctum, obsignans me spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hereditatis nostræ ad obtinendam redemtionem, ad laudem gloriæ ipsius. (*Ephes.* 1. 13, 14. 2 *Cor.* 1. 22.) Consolabar quoque in continua Domini benignitate in Ecclesiam suam hic & alibi, quam sanguine suo proprio acquisivit. (*Act.* 20. 28. *Ephes.* 5. 25.) Condonat iniquitatem, & præterit defectionem reliquiis possessionis suæ, & conversus miseretur nostri. (*Mich.* 7.) Quandoquidem iniquitates nostræ testantur contra nos; ô Jehovah, fac propter nomen tuum. (*Jer.* 14. 7.) Non intuetur iniquitatem in Jacobo; nec aspicit perversitatem in Israële: Jehovah Deus ejus cum eo est, & clangor Regis est in eo. (*Num.* 23. 21.) Liberat populum suum ex peccatis ipsius; (*Matth.* 1. 21.) & redimit Israëlem ex omnibus oppressionibus ejus. (*Ps.* 25. 22.) Quanquam mortifera sit confractio populi istius, & ægerrima percussio illius, tamen faciet ut ad justam constitutionem assurgat Israël suus, & a percussionibus ejus curabit illum. (*Jer.* 30. 12-17.) Quia apud Deum non est aliquid quod fieri non possit. (*Luc.* 1. 37.) Novit Dominus pios e tentatione eripere. (2 *Pet.* 2. 9.) Non enim deseret Jehovah populum suum, & possessionem suam non derelinquet: (*Ps.* 94. 14.) neque disperdentur ulli recipientes se ad eum. (*Ps.* 34. *ult.*) Jussit nos invocare illum tempore angustiæ, & pollicitus est erepturum se nos, ut honore afficiamus eum. (*Psal.* 50. 15.) Dicit quoque nobis, venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati; & ego faciam ut requiescatis. (*Matth.* 11. 28.) Pater trahit nos & ita venimus ad Christum, & requiem animabus nostris nanciscimur. (*Joh.* 6. 44.) Tota ipsa anima laudet Jah. (*Ps.* 150.) Celebrabo te Jehovah, quia iratus fuisti mihi; sed aversa ira tua, consolaris me. —— Claram ede vocem, & canta quæ habitas Zion: magnum esse in medio tui sanctum Israëlis (*Jsai.* 12. 1-6) *Hallelujah.*

§. 425. *Consolationes renovatæ & auctæ.* *Die* 5. *Aprilis* 1641. Dulcissime renovavit, imo & auxit mihi Dominus præcedentis diei consolationes. Expectationem habeat Israël in Jehovah; quia apud Jehovam est benignitas, & plurimum apud eum redemtionis. Et ipse redimet Israëlem ab omnibus iniquitatibus ejus, (*Ps.* 130.) & ex omnibus oppressionibus ejus. (*Ps.* 25. 22.) Multæ sunt afflictiones justi: sed ex omnibus illis eripit eum Jehovah. (*Psalm.* 34. 19.) Aspice afflictionem meam & laborem meum; & condona omnia peccata mea, (*Ps.* 25. 18.) secundum magnitudinem benignitatis tuæ, (*Num.* 14. 19.) in Christo Jesu, cui gloria in seculum. *Amen.* Domine fac vota persolvam per gratiam tuam, & da mihi, omnibusque & singulis filiis tuis in toto peregrinationum nostrarum cursu, ut sine metu, e manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus tibi cum sanctitate & justitia, in conspectu tuo, cunctis vitæ nostræ diebus. (*Luc.* 1. 74, 75.) Recedite a me malefici, ut custodiam præcepta Dei mei. Sustenta me secundum sermonem tuum, ut vivam; neque pudefacias me ab expectatione mea. Suffulci me ut salvus sim, & respiciam ad statuta tua jugiter. (*Ps.* 119. *Samech.*) In ipsa angustia mea invocu Jehovam, & ad Deum meum vociferor: exaudit e templo suo vocem meam, & vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus. —— Mittens ex edito assumsit me; extraxit me ex multis aquis. (*Ps.* 18.) Domine, per hæc vivitur: etiam in his singulis inest vita spiritus mei; his facis ut revalescam, & vivum conservas me. Ecce ad pacem advenit amare mihi amaritudo; sed tu propensus amore eduxisti animam meam a fovea exedente, quia abjecisti post tergum tuum omnia peccata mea. (*Jsai.* 38. 16, 17.) Celebrabo te Domine, Deus mi, ex toto animo meo; & honore prosequar nomen tuum in seculum: Quum benignitas tua magna sit erga me, & eripueris animam meam a sepulcro imo. (*Psal.* 36. 12, 13.) Tibi debetur certa laus, ô Deus, qui es in Zion; & tibi rependendum est votum. O qui exaudis orationem, ad te usque omnis caro ventura est. (*Ps.* 65.) Regi vero æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo (Patri, Filio, & Spiritui sancto) honor sit & gloria in secula, *Amen.* (1 *Timoth.* 1. 17.) Expectationem habeat Israël in Jehovah, ex hoc tempore usque in seculum. (*Ps.* 131.) Domine, peccata mea obversantur mihi, iniquitates meæ assequuntur me, animum terror & tristitia frangunt. Deus miserere mei peccatoris, animum meum consolare, confirma me in gratia tua, & insideat mihi potentia tua in bonum. Stabilias me in omni sermone & opere bono, fac ut ancillet tibi cum justitia, pace, & gaudio in Spiritu sancto. Atque, ô Deus spei, qui consolaris abjectos, (2 *Cor.* 7. 6.) qui venisti in mundum ut peccatores servares, quorum primus sum ego, (1 *Tim.* 1. 15.) qui venisti ut quæras & serves quod perierat: (*Luc.* 19. 10.) Erravi, ut pecus quæ perit; (*Ps.* 119. *Thau.*) ah! perdidi me; at in te auxilium meum statutum est. (*Hos.* 13. 9.) Require servum tuum, eripe me propter benignitates tuas, inde reverentiam tui animo meo, ut non recedam a te, (*Jer.* 32. 40.) ac imple me omni gaudio & pace credendo, ut spe exundem, per virtutem Spiritus sancti. (*Rom.* 15. 13.) Maneas mecum in æternum, (*Joh.* 14.) prout est jus erga amantes te, ut vivam ego, tamen non amplius ego, sed Christus in me; & vitam, quam nunc vivo in carne, vivam per fidem illam Fi-

lii

lii Dei, qui dilexit me, & tradidit femetipfum pro me. (*Gal.* 2. 20.) Humilem, lenem & mifericordem me fac erga peccatores, memoremque pravitatis meæ, & benignitatum tuarum in me, ut leniter ac humiliter doceam defectores vias tuas, & peccatores ad te convertantur, (*Pfalm.* 51.) & credant in te ad vitam æternam. (1 *Tim.* 1. 16.) Deo autem qui docuit nos orare, & promifit exauditurum fe nos, & petitiones conceffurum, quique poteft & vult facere fupra quæ petimus aut cogitamus, qui faciet ex fuperabundantia fua mifericordia, & illuftri potentia quam in nobis operatur, Patri, Filio, & Spiritui fancto, facræ & indivifæ Trinitati, foli fapienti Deo, Servatori noftro, gloria fit in Ecclefia, in Chrifto Jefu, per omnes ætates feculi feculorum. *Amen.* Redi, anima mea, in requiem tuam, quum beneficus fit Jehovah erga te. (*Pf.* 116. 7.) Tunc fui in oculis ejus prope confequutus pacem. (*Cantic.* 8. 10.) Benedictus efto Deus.

Gratiarum actio una cum gaudio & pace in Deo.

§. 326. *Triftitia divina.*

Die 5. *Aprilis* 1641. Propter peccata mea, corruptiones, tentationes, & difficultates excruciatus, fuppliciter Dominum Deum meum lacrymis precatus fum, mifericordiam, gratiam & pacem propter Jefum Chriftum rogans; & Dominus feftinavit ut femet magna benignitate mihi confpiciendum præberet, uberrime me confolatus eft, & robore in anima mea corroboravit, amanter me alloquutus eft, & juffit me pafcere oves fuas, ab omnibus denique liberavit me terroribus. Benedictus Dominus in fecula fempiterna. *Amen.*

Pafce oves meas.

Proximum neque odio habeas, neque contumelia afficias.

Scriptum inveni, (*Prov.* 10. 18.) proximum neque animo odio habendum, neque infamiam contra illum proferendam; ait enim Solomon, *qui tegit odium, labiis eft fallacibus, & qui profert infamiam, eft ftolidus.* At proximum debemus ficut nos ipfos amore amplecti, & ex amore illum admonere, neque iniquitatem in eo tolerare. (*Lev.* 19. 17, 18. *Matth.* 18. 15. 16. 17. *Coloff.* 3. 12, 13, 14, 15, 16. *Hebr.* 10. 24.) Deum rogavi ut morigerum me in munere hoc efficeret, & ad omne opus bonum compingat me, ad præftandam ipfius voluntatem, efficiens in me quod gratum fit in confpectu ejus, per Jefum Chriftum, cui fit gloria in fecula feculorum, *Amen*; (*Hebr.* 13. 21.) utque animum confolaretur, & in gratia fua quotidie magis magifque corroboraret, ut iter meum fimile luci fplendidæ efficeret pergenti lucere ad ftabilem diem; (*Prov.* 4. 18.) ut populo fuo fana notitia & pace benediceret, & filio meo omnibufque ad nos fpectantibus, omnibus Collegis, cæterifque Dei liberis per totum peregrinationum noftrarum curfum. Oravi etiam Dominum, ut commodam mihi oftenderet methodum educandi filium, ut nobis in ea benediceret, ut femper caufam meam in benignitate ageret, ut Confiliarius, Dux & Protector effet in omnibus actionibus & neceffitatibus, utque gratum me faceret & fidelem ad mortem ufque, victoriamque daret & coronam vitæ, per Jefum Chriftum, Servatorem noftrum. Benigne me Dominus exaudivit, & confolatus eft. Gloria Patri, Filio, & Spiritui fancto, in fecula feculorum. *Amen. Hallelujah. Amen & Amen.*

§. 327. *Triftitia divina.*

Die 15. *Aprilis* 1641. Eadem mihi aderat triftitia divina propter iniquitates meas, & corruptiones; atque exinde fupplices perfeci deprecationes animo fracto, plurimifque Domino lacrymis, Deo meo, peccatorum Salvatori, quorum primus fum, qui venit ut quæreret & fervaret quod perierat, qui condonat omnes iniquitates noftras, omnibufque medetur infirmitatibus. Tum dixi: Libera me a fanguine, ô Deus, Deus falutis meæ. Confeftim venit Dominus, confolatus eft me & benedixit, folatium quoque mihi præbuit de populo fuo, de filio meo, atque omnibus quibufcunque. Gloria Patri, Filio, & Spiritui fancto, Perfonis trinis, foli fapienti Deo, fupra omnem benedictionem & laudem in fecula exaltato, qui in omnibus luctationibus noftris & tentationibus noftris amplius quam victores nos efficit per Dominum noftrum Jefum Chriftum, qui dilexit nos, feque pro nobis tradidit. Benedictus efto Deus, miferationum Pater, omnifque confolationis Deus. *Amen. Hallelujah.*

Magna confolatio.

Die 16. *Aprilis* 1641. Amare coram Domino flevi propter iniquitates meas & corruptiones, aliorumque peccata, Chriftique Ecclefiæ miferias & fchifmata. Supplex Dominum rogavi mifericordiam, gratiam & pacem fuper Ifraël; & dulciffime a Deo confolabar, per Chriftum Jefum Salvatorem noftrum, cui fit gloria in feculum. *Amen.*

§. 128. *Deprivatio eo quod Fœderi non fubfcripferim.*

Die 20. *Aprilis* 1641. Intellexi latam fuiffe fententiam a Presbyterio Edinburgenfi de orbando me munere meo, quod Fœderi nupero non fubfcripferim, & adhuc fubfcribere detrectem. Tunc in mufeum veni, Deumque lacrymis veneratus fum, ipfum rogans, ut omnia mea remitteret peccata, me confolaretur & corroboraret adverfum hunc aliofque omnes aggreffus; gratumque ut me efficeret pro eo quod dignetur me pro nomine fuo pati. Quamobrem Deum animitus laudavi, quod majores meruerim anguftias propter peccata mea, tum plurima, tum gravia; ac Dominus præ dilectione animæ meæ, omnes iniquitates meas poft tergum fuum abjecit, nominifque fui confefforem me fecit. Pro fratribus meis oravi quoque, qui fententiam hanc in me tulerant, ut Dominus hoc ipfis remitteret, neque ftatueret in peccatum. Precatus fum fimiliter, ut Dominus retineret me apud fe, a fuperbia fervaret, & a contemnendo ullo fratrum meorum, ab omni geftu indecoro, ab omni demum hypocrifi; ut dirigeret me, benediceretque, & filio meo, populo itidem fuo cum pace, efficeretque ut eveham Jerufalem fupra caput lætitiæ meæ, ut in tentorio fuo me abderet, in abdito præfentiæ fuæ, utque fruar bono Jerufalem omnibus diebus vitæ meæ, & confidam in domo Jehovæ in fempiternum; ut fepararet Deus defiderium & fiduciam meam ab omni re terreftri, faceretque ut in Deo folo confidam, impleretque me amore Dei, & certitudine amoris fui erga me in Chrifto, in fecula feculorum, amore proximi mei in Deo; ut crearet me Deus vere Ifraëlitam, in quo non eft dolus, lucemque faciei fuper me attolleret, & fuper fanctum fuum, Ifraelem redimeret ex omnibus iniquitatibus ejus, & ex omnibus oppreffionibus ejus, populum nempe quem proprio fuo fanguine mercatus eft. Tum fui in oculis ejus prope confequutus pacem. Appropinquavit mihi Deus magna in miferatione, lætumque fecit in fe ac hilarem in falute fua. Benedictus fit Deus Ifraëlis per omnia fecula. Gloria Patri, Filio, & Spiritui fancto, Perfonis trinis, foli fapienti unicoque Deo, Domino Deo Ifraelis, fupra omnem benedictionem & laudem exaltato, in fecula feculorum. *Amen, & Amen.* Extollam te Jehovah, quoniam evexifti me; neque lætitia affecifti inimicos meos de me. (*Pf.* 30.) Cum pater meus & mater mea derelinquant me, Jehova recipiet me. (*Pfal.* 27.) Celebrabo Jehovam

Oratio cum lacrymis.

Laus Deo.

Oratio.

Magna confolatio.

Gratiarum actio.

vam valde ore meo, & in medio multorum laudabo eum; quod assistat ad dexteram egentis, ut ipsum conservet ab eis qui abjudicant vitam illi. (*Ps.* 109.) Benedictus Deus. *Hallelujah.*

Felix perpessio. Gratis datum est vobis in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati. (*Phil.* 1. 29.) Apostolus quoque hoc ponit signum salutis, idque a Deo. (*ἔνδειξις σωτηρίας καὶ τοῦτο ἀπὸ Θεοῦ. ibid. v.* 28.)

Vid. Act. 5. 41.

Hunc mihi quis misero tantum speraret honorem,
Nomine pro Christi quantulacunque pati?
O quam dulce mihi divini hoc pignus amoris!
Quam leve Christi onus est, quam mihi suave jugum!

§. 429. *Die* 21. *Aprilis* 1641. Dicta deprivationis sententia publice mihi enunciatur in Synodo Provinciali Aberdonensi, & in eo acquievi, indicans eis, me fratribus Edinburgenis scripsisse, ut epistolam vice præsentiæ personalis acciperent, sententiam etiam ferrent ac si adessem, atque ita fecerunt (quamvis in epistola hac consultius duri aliter determinarent, attamen promisi me patienter sententiam illorum passurum, sicut & feci). Sensi fratres Synodi sententiam ægra habere; at quum lata sit per Delegatos Synodi Nationalis mandatum præsens publicum simulantes, auctoritatem suam interponendam non existimarunt. Domum profectus sum, gandens quod dignus habitus essem, qui pro nomine Domini hoc paterer, quod nomen in vanum usurpare timui. Deum ad hæc laudavi propter fratrum erga me amorem, rursumque pro omnibus eis oravi, ne Dominus statueret hoc eis in peccatum, utque populo suo benediceret cum pace, semperque Deum se præstaret misericordem erga me & filium meum; de his magnopere confortabar in Domino Deo meo, cui sit gloria in seculum. *Amen.*

Vid. Act. 5. 41. *Gaudium, gratiarum actio.* *Oratio. Consolatio, gratiarum actio.*

Deus mihi rupes, quam inhabitem in seculum. Esto mihi rupes quam inhabitem [לְצוּר מָעוֹן], quo veniam jugiter; præceptum posuisti de servando me, quia petra mea, & munitio mea es. (*Ps.* 71. 3.) Christus manet in nobis, & nos in eo. (*Johan.* 6. 56. 1 *Joh.* 4. 15.) Habitat in cordibus nostris, (*Eph.* 3. 17. *Gal.* 4. 6.) & nos aliquo modo in corde ejus. (*Exod.* 28. 29. 1 *Reg.* 9. 3.) Latus & cor ejus transfossa sunt in cruce, quo declaratur per sanguinem ejus introitum dari in sincerum affectum & integrum Dei amorem, qui est in Christo Jesu Domino nostro, ita ut sanguine ejus purificati in sinum ejus recipiamur, adeo ut Dominus gaudeat de nobis, benefaciendo nobis, ex toto corde suo, & ex tota anima sua. (*Jer.* 32. 41.) Confidimus in latibulo Excelsi (*Ps.* 91. 1.) Habitaculum nobis est in quaque generatione. (*Ps.* 90. 1.) Et nihil nos separabit a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. (*Rom.* 8. 1.) Virtutis Dei præsidio custodimur per fidem ad salutem. (1 *Petr.* 1. 5.) Impletus sum consolatione: vehementer superabundo gaudio in omni afflictione nostra. (2 *Cor.* 7. 4.) Vita adest benevolentia ejus. (*Ps.* 30.) Quia benignitas tua melior est vita, labia mea laudabunt te. (*Ps.* 63.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen. Hallelujah. Amen.*

Theologus gloriæ. Theologus crucis. Mart. Luther. in thesibus Heidelbergæ disputatis 6. Cal. Maji, anno 1518. thes. 21. *Theologus gloriæ dicit malum bonum, & bonum malum. Theologus crucis dicit id quod res est.* (*vid. Isa.* 5. 20. *Matth.* 11. 6. *cum Matth.* 13. 21.) Theses illas adjectas invenies a D. Quirino Reutero, sub finem Jubilæi primi Collegii Sapientiæ.

Die 6. *Junii* 1641. die Dominico, adfui in templo *de Kinkardin Oneil*, ibique audivi *Mr. Joannem Forbesium* consobrinum meum, Ecclesiasten illius Ecclesiæ, concionantem in hæc verba Lamentationum Jeremiæ: *Nihil ad vos, ô viatores omnes! intuemini, & videte, an sit dolor par dolori meo, qui factus est mihi: quoniam afficit me Jehova mœrore die æstus iræ suæ.* (*Lam.* 1. 12.) Hæc verba in concione sua applicavit infandis Christi pro nobis passionibus, eo quod celebraturus esset sanctum Sacramentum Cœnæ Domini, cujus & particeps eram ego cum cæteris: dulcemque sensi præsentiam, magnumque gaudium in Deo Servatore meo. Benedictus sit Deus. §. 430. *Communicatio salutaris.*

20. *Junii* 1641. die Dominico, audivi Palæo-Aberdoniæ pastorem *Mr. Gulielmum Strachan* Palæo-Aberdoniæ concionantem in hæc verba: *Hic est enim sanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum,* (*Matth* 26. 28.) una cum his verbis, *itidem & poculum, postquam cœnasset, dicendo: hoc poculum est novum illud pactum per meum sanguinem: hoc facite quotiescunque biberitis, ad mei commemorationem: Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, usquequo venerit.* (1 *Cor.* 11. 25, 26.) Ante concionem psallebatur postrema pars *Psalmi* 24. incipiendo a versu 7. *Attollite portæ capita vestra &c.* & post concionem celebrabatur Eucharistia. Participavi & ego, sanctum illud Sacramentum magno gaudio recipiens. Magnopere movebar, lacrymæ tacito pede & gradatim ab oculis distillabant; tum inter cantandum, precandum, audiendum; tum inter sedendum ad mensam Domini; requiemque inveni animæ meæ in Christo, & gaudium ineffabile in Deo Salvatore meo, qui gratiam mihi largitus est ad orandum pro magno hoc beneficio temporibus his duris, die angustiæ meæ, & deinceps in benignitate, ut expedit nominis ipsius sancti gloriæ, Ecclesiæ suæ utilitati & consolationi meæ, preces meas exaudivit, postulata annuit, & replevit animam meam famelicam bonis, pinguedine domûs suæ, torrente deliciarum, cibo illo qui durat in vitam æternam; & corroboravit me robore animo meo. Tum læte admodum recordatus sum verborum matris Samsonis marito suo Manoah: *Si delectaretur Jehovah morte afficiendo nos, non accepisset e manu nostra holocaustum cum munere, neque ostendisset nobis omnia hæc; quin etiam hoc tempore non fecisset ut audiremus rem hujusmodi.* (*Judic.* 13. 23.) Memor quoque fui verborum Apostoli: *Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?* (*Rom.* 8. 32.) Nil nisi bonum & benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ, & quietus ero in domo Jehovæ, quamdiu longinqua erunt tempora. (*Psalm.* 23.) Habitaculum sum Jehovæ, & ille meum est in seculum, est mihi vita æterna. (*Joh.* 6.) Magnificat anima mea Dominum, & exultat spiritus meus super Deo Servatore meo. (*Luc.* 1. 46, 47.) Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum cum pace, quia viderunt oculi mei salutem tuam: Quam parasti in oculis omnium populorum: lumen detegendum gentibus, & gloriam populi tui Israëlis. (*Luc.* 2. 29. &c.) Non rogo, Domine, ut tollas me e mundo, sed ut me semper apud te conserves, & in indole hac cœlesti; & quandocunque sustuleris me e vita hac mortali, da mihi salutarem hunc salutis tuæ conspectum, & decessum tranquillum. Sic mirifice consolabar in Deo Servatore meo. §. 431. *Palæo-Aberdonia.* *Communicatio salutaris.*

Redi,

Redi, anima mea, in requiem tuam, quum Jehovah beneficus sit erga te. (*Ps.* 116.) Benedictus Dominus Deus Israëlis, quod inviserit & redemerit populum suum. (*Luc.* 1.68.) Animum quoque percepi multum renovatum sensibili augmento fidei, spei, caritatis, lenitatis, humilitatis, patientiæ, sanctitatis, integritatis, aliorumque fructuum Spiritus sancti. Fac, Deus, crescam in gratia & notitia Domini nostri & Servatoris Jesu Christi. (2 *Pet.* 3.18.) Tu incepisti & adhuc opus hoc bonum in me promovisti, perficias Domine usque ad diem Jesu Christi. (*Philip.* 1. 6.) Fidelis es tu, qui vocasti nos, qui etiam efficies. (1 *Thess.* 5. 24.) Et eripies me Domine, ab omni opere malo, servabisque me regno tuo cœlesti. (2 *Tim.* 4. 18.) Rogavi limiter pro Ecclesia Christi militanti, pro Principibus nostris populisque, pro filio meo, fratribus, necessariis, & pro inimicis meis, ut concederet eis Dominus pœnitentiam & misericordiam, mihi etiam largiretur animum pro eis orare sicut justit. (*Matth.* 5.44.) Liberationem etiam rogavi ab omnibus inimicis, ut sine metu serviam Domino cum sanctitate & justitia, in ipsius conspectu, cunctis vitæ meæ diebus. (*Luc.* 1.74,75.) Tunc fui in oculis ejus prope consequutus pacem. (*Cant.* 8. 10.) Jehovah benedicet populo suo cum pace. (*Ps.* 29.) Redimit Jehovah animam servorum suorum, neque disperdentur ulli recipientes se ad eum. (*Ps.* 34.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, supra omnem benedictionem & laudem a seculo usque in seculum exaltato. *Amen.* Benedic anima mea Jehovæ, & omnia intestina mea nomini sanctitatis ejus. Benedic anima mea Jehovæ, & ne obliviscaris ullius beneficiorum ejus. Qui condonat omnes iniquitates tuas: qui medetur omnibus morbis tuis. Qui vindicat a fovea vitam tuam: qui circumtegit te benignitate & miserationibus. Quo satiante bonis quibusque os tuum, fervas te recentem tanquam aquila, tanquam pueritia tua. (*Psalm.* 103.) Benedictus sit Jehovah Deus, Deus Israëlis, quia facit mirabilia solus. Et benedictum nomen gloriæ ejus in seculum: impleaturque gloria ejus tota terra. *Amen*, iterum *Amen.* (*Psalm.* 72.) Decor ejus supra terram & cœlum. (*Ps.* 148.) Benedictus sit Deus. (*Ps.* 68.) *Amen. Hallelujah.*

§. 432. *Morbus dolorosus.* *Diebus* 4. 5. & 6. *Augusti* 1641. Miserrime cruciabar dolore, quodam in plicatura sinistræ coxæ, qui morbus ischiadicus, vel passio coxalis appellatur, at præsertim noctu dolore afficiebar, adeo ut augurari inciperem an hic prodromus esset accessus propinqui diei mortis corporalis. Existimavi quoque summum dolorem quo affigebar graviorem decessu tranquillo & placido ex mortali hac vita ad felicitatem illam æternam nobis in cœlis repositam; attamen memor verborum Elihu Jobum reprehendentis, quod mortem potius quam afflictionem desideraret, *Ne aspires ad illam noctem, qua abeunt populi in locum suum; cave tibi, ne respicito ad vanitatem, ut hoc eligas præ afflictione, &c.* (*Job.* 36.20, 21, &c.) Hæc Salvatoris nostri verba recordatus sum, pro discipulis suis orantis: *Non rogo ut tollas eos e mundo, sed ut eos ab impro illo conserves.* (*Joh.* 17. 15.) Quapropter Deum magno meo labore invocavi, (*vid. Ps.* 50.) ut iniquitates meas remitteret, animam sanaret, (*Ps.* 41.) in omnibus miseriis meis adesset, atque omnipotentia potens fierem, secundum gloriosum robur ipsius, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem, cum gaudio & gratiarum actionibus illi. (*Col.* 1. 11, 12.) Dixi quoque: Agnosco Jehovah justa esse judicia tua, & te in fide afflixisse me: Adsit jam benignitas tua, ut consoletur me, secundum sermonem tuum habitum cum servo tuo. (*Psal.* 119. *Jod.* 75, 76.) Fidelis es tu, qui non sines nos tentari supra id quod possumus; sed una cum tentatione præstabis etiam exitum, ut possimus eam sufferre. (1 *Cor.* 10. 13.) Recordare verbi cum servo tuo habiti, de quo spem fecisti mihi. Hæc est consolatio mea in afflictione mea; sermonem tuum vivificare me. (*Ps.* 119. *Zain.* 49, 50.) Sustenta me decumbentem in sponda languoris; totum cubatum meum ex morbo meo mutes. (*Psal.* 41.) Et si beneplacitum sit tuum, removeas a me morbum hunc, & exsuscites me, ut quum nondum abeo, plenius & planius nomen tuum, justitiam, benignitatem, veritatem & brachium tuum omnipotens judicem generationi huic omnibusque venturis.

Exaudivit me Dominus, & benigne eripuit me, ita ut 7. die Augusti magnum senserim subsidium. Tum secessi in museum, & prosternens memet coram Domino, oravi cum lacrymis, ut gratum me sibi redderet animo integro absque ulla hypocrisi, ut gratiam impertiret vota mea rependendi, quæ etiam tum temporis renovavi, ut sine metu, e manu inimicorum meorum liberatus, serviam ipsi, cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu, cunctis vitæ meæ diebus, (*Luc.* 1.74, 75.) Rogavi etiam Dominum, ut (si libeat illi) neque vehemens ille ischiadici morbi dolor, neque talis quispiam cruciatus in posterum mihi superveniret. Et ut Propheta Jeremia deprecationem suam consequutus est a Rege Zedekiah, ne juberet eum redire in domum Jehonathanis scribæ, ut non moreretur ibi; (*Jer.* 37.20.) precor, cœlesti Patri meo arrideat mihi parcere, & liberare ab omni hujusmodi doloris extremitate, attamen non ut ego, sed ut velis, Pater dilecte. Respondit mihi Dominus responso pacis, & consolationis æternæ. Tum dixi; pacem tuam Domine requiro, hoc est totum desiderium meum; nunquam auferas pacem tuam mihi, sed fac ut pax tua omni notitia supereminentior custodiat animum & cor meum in Christo Jesu. Annuit Dominus petitionem meam. Ad hæc rogavi, ut cædem benignitates, gratiæ & consolationes omnibus afflictis Dei liberis impertirentur, omnibusque filiis ejus quibuscunque, per totum peregrinationis suæ cursum, ut maxime commodum sit gloriæ ipsius, & eorum utilitati. Precatus sum pro Christi Ecclesia hic & alibi militanti, tum hoc, tum omni tempore futuro; pro Rege, familia regia, omnibusque subditis, pro filio meo & omnibus necessitudine conjunctis: ac de his omnibus magnopere consolabar a Deo. Benedictus esto Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater ille miserationum, & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra: ut possimus in quavis afflictione positos consolari ea ipsa consolatione, qua nos ipsos consolatur Deus. - - - Ne confideremus in nobis ipsis, sed in Deo suscitante mortuos, quique ex tanta morte nos eripuit & eripit: in quo speramus nos adhuc etiam ereptum iri. (2 *Cor.* 1. 3, 4 —— 9, 10.) Et eripiet me Dominus ab omni opere malo, servabitque regno suo cœlesti; cui gloria in secula seculorum. *Amen.* (2 *Tim.* 4. 18.) Animæ meæ applicavit Dominus pretiosa hæc pollicita, & animo meo scripsit. Benedictus Deus. Tunc in mentem revocavi hæc Salvatoris nostri dicta, *Ecce sanus factus es; ne pecca amplius, ut ne quid deterius tibi fiat.* (*Joh.* 5. 14.) Et oravi: Domine, ne peccem amplius, sufficiat mihi gratia tua.

§. 433. *Liberatio salutaris, gratiarum actio, una cum orationibus & consolationibus.*

tua. Inhabitet in me potentia Christi, potentiam tuam per infirmitatem meam consummes. (2 *Cor*. 12.9.) Crescam quotidie in gratia & notitia Domini mei & Servatoris Jesu Christi. (2 *Pet*. 3.) Fidelis sim ad mortem. (*Apoc*. 2.) Amplius quam victor sim per illum qui dilexit me, seque pro me tradidit, & interpellat pro me; (*Rom*. 8.) detque mihi per eum coronam vitæ; cui gloria esto in seculum. *Amen*. Redi, anima mea, in requiem tuam, quum Jehovah beneficus sit erga te. (*Ps*. 116.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, Trinitati in Unitate, & Unitati in Trinitate, soli unicoque vero Deo, supra omnem benedictionem & laudem a seculo usque in seculum exaltato. *Amen. Hallelujah.*

§. 434. *Luctationes & consolationes recentes.* *Die* 8. *Augusti* 1641. Vespere, nocte insequenti, & postridie mane, magnopere inquietabar novo impetu tentationum mundanarum & spiritualium. Foris fuere pugnæ, intus metus. Dominus pertraxit me propter se, ita ut per gratiam ejus, suppliciter & integre Deum quæsiverim ardentissimis suspiriis, deprecationibus ferventibus, plurimisque lacrymis, vota mea Domino redintegrarim. Tum confestim adjuvabat, & summe consolabar, Deus enim persalutariter animam meam alloquutus est, ex omnibus timoribus meis eripuit me, in gratia sua confirmavit me, reddidit mihi gaudium salutis suæ, & spiritu ingenuitatis sustentavit me, eduxit me e lacu tumultuoso, ex aquis profundis iniquitatis & corruptionis, statuit me supra petram, firmavit gressus meos, denique indidit ori meo canticum novum. (*Ps*. 40.) Dilatavit cor meum ad celebrandum & amandum eum, proximumque in illo; ad exultandum in laudibus ejus. Videntes multi reverebuntur, & confident in Jehovah. Beatus est vir ille, qui ponit in Jehovah fiduciam suam, neque respicit ad superbos aut declinantes ad mendacium; & neumquemque sibi præcellere existimat; cui solatium est in benignitate Dei, & rejicit totam curam suam super Domino, in plena fidei certitudine, Deum paternam illius gerere sollicitudinem. Bonum hoc opus operatus est in me Dominus, perficietque id ad finem & in fine. Sic sensit anima mea suavem requiem & consolationem æternam in Deo Servatore meo, cui sit gloria in Ecclesia, per Christum Jesum, per omnes ætates. *Amen.*

Venit Filius hominis, ut quærat & servet quod perierat. (*Luc*. 19. 10.) Certus est hic sermo, & dignus qui modis omnibus recipiatur: Christum Jesum venisse in mundum, ut peccatores servaret, quorum primus sum ego. (1 *Tim*. 1.15-17.) Regi autem æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, sanctæ Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui sancto, qui ostendit supereminentes illas opes suæ gratiæ, pro sua erga nos benignitate, in Christo Jesu, (*τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*), honor sit & gloria, in secula seculorum. *Amen.*

§. 435. 1642. *Communio persalutaris.* *Die* 17. *Aprilis anno* 1642. Palæo-Aberdoniæ prædicavit *Mr. Gulielmus Strachan* in 1 *Cor*. 11. 27. potenter admodum & consolatorie. Post concionem, sanctam celebravit Eucharistiam, ubi quoque communicavi ego magno solamine, dulcissimam percipiens apud me Dei præsentiam, purantis me & pascentis pinguedine domus suæ, animamque excitantis in laudem sui ipsius, in fiduciam benignitatis suæ, & in oblationem mei illi, facientis ut gratiam consequerer in oculis suis, corroborantis me per Spiritum suum sanctum, æternam mihi vitam donantis. Anima mea celebrat & magnificat nomen ejus sanctum in secula. *Amen, & Amen.* Jehovah perficiet pro me: Jehovah benignitas tua in seculum est: ab operibus manuum tuarum ne desistas. *Hallelujah.* (*Psal*. 138.)

Die 24. *Aprilis*, post concionem persalutarem quam habuit *Mr. Gulielmus Strachan* in 1 *Cor*. 11. 28. sanctam celebravit rursus Communionem in Ecclesia cathedrali Palæo-Aberdonensi, ubi etiam communicavi ego, priorum gaudiorum spiritualium corroborationem sentiens, una cum augmento magnæ consolationis, plurimis lacrymis, dulcissimis & cœlestibus extasibus comitatæ, ita ut consolatione penitus replerer, & gaudio vehementer superabundarem in omnes afflictiones, terrores & tentationes meas. Exercitus cœlorum celebrat te Domine, & gaudio afficitur super conversione peccatoris. Spiritus justorum consummatorum laudant te, omnia opera tua celebrant te, & quos benignitate prosequeris, benedicunt tibi, animæque nostræ, quas redemeris, laudant te. Benedic, anima mea, Jehovæ. Tu Domine, proprium tuum dedisti mihi Filium, ideoque cum eo omnia mihi gratificaberis. (*Rom*. 8.) Christum possidens, omnia possideo. Persolvam gratiarum actiones tibi, nam eripuisti animam meam a morte, annon pedes meos a lapsu eriperes? ut indesinenter ambulem coram Deo in luce hujus vitæ. (*Psalm*. 56.) Christus nunc manet in me, & ego in eo; vivam quoque ego per eum. (*Joh*. 6. 56, 57.) Vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus, (*Gal*. 2. 20.) qui consolabitur cor meum, & stabiliet me in omni sermone & opere bono. (2 *Thess*. 2. 17.) Ei gloria esto in secula. *Amen.* §. 436. *Communio persalutaris.*

Die 8. *Maji* 1642. Orationem habuit persalutarem *Mr. Gulielmus Strachan* in 1 *Cor*. 11. 29. & a concione celebravit rursum Eucharistiam in templo cathedrali Palæo-Aberdoniæ, cujus beatissimi Sacramenti particeps eram & ego. Magnopere ibi consolabar & roborabar in Domino Deo meo, per manum Dei mei, quæ mihi adfuit. Celebratus esto Deus. Eadem die, tempore pomeridiano, adhuc concionem prædicavit saluberrimam *Mr. Gulielmus Strachan* in hæc verba: *Redi, anima mea, in requiem tuam; quum beneficus sit Jehovah erga te.* (*Ps*. 116. 7.) Magnam exinde retuli consolationem, & anima mea requiem invenit in Deo, per Jesum Christum Dominum meum, cui sit gloria in secula seculorum. *Amen.* §. 437. *Communio persalutaris.*

Responsum meum duobus fratribus reverendis
Mr. Roberto Reid & Mr. Guliel. Strachan;
mihi a Synodo Provinciali Aberdonensi die
19. *Octobris* 1642. *delegatis.*

Eidem equidem inhæreo opinioni de dissidiis nostris domesticis. At quum norint Patres, me sanum & orthodoxum esse in omnibus controversiis adversus Romanenses, Socinianos, Arminianos, Anabaptistas, aliosque Sectarios quoscunque, secundum doctrinam confessione nostra Nationali & Confessionum harmonia traditam & contentam; Insuper cum opinio mea de dissidiis nostris domesticis neque hæretica sit, neque Schismatica, eamque placide & tranquille retineam, gnarus discrimina hæc minime sufficere vel ad separationem vel ad perturbationem; memet præsenti Oeconomiæ subjicio, & prout ordinatur, sic exerceo. Neque in eo exercitium adversatur opinioni, quum quod exerceam legitimum sit, & consequenter (pace publica ita §. 438.

re-

requirente,) ita me gerere teneor, quanquam de natura Episcopatus, & de necessitate vel non legalitate quarundam rerum in Fœdere contentarum a fratribus meis modeste & pacifice discrepem: Et Episcopatus, quem licitum & verbo Dei consentaneum habeo, nullo modo presbyterium divellat, neque ei repugnet. Et in iis Ecclesiis quæ communi Presbyterorum consilio solummodo reguntur, talis Episcopi defectus sit, mea opinione, defectus equidem œconomicus, ast non essentialis, neque veram Ecclesiæ naturam auferat, neque incassum reddat illius Ecclesiæ ordinationem vel jurisdictionem. Quibus omnibus opinio mea de dissidiis nostris convenit cum sententia tum Catholicæ antiquitatis, tum Ecclesiarum Reformatarum, & celeberrimorum & probatissimorum Doctorum. Et quum satis sciant fratres, me in munere hoc constitutum fuisse evidenti divina vocatione, totius Ecclesiæ suffragiis, cumque Deus in eo obeundo mecum adfuerit, neque jam officium deseram, neque affectum ab eo alienem, sed in eodem continuare prælubenti animo sim, ut religionem Reformatam promoveam; vix concipio, quomodo tutum sit fratribus erga Deum, me a munere deponere, vel impedire me, vel animum adimere in opere hoc prosequendo, quod commisit mihi Deus, & in quo benigne mihi benedicit. Quapropter in omnibus his me confirmaturos spero, ut in munere meo (sicut facio) pergam, neque eo me spolient; quod si fecerint, dico, si deponant me ab officio illo, in quo constituit me Deus, nequeo factum approbare: Tamen patienter ferre statui.

§. 439. *Jejunium.* *Die* 26. *Februarii* 1643. & 2. *Martii*, publicum habebatur jejunium & humiliatio per totam Scotiam, & utroque die ante meridiem Palæo-Aberdoniæ concionatus est D. Gulielmus *Gould* in hæc verba: *O Deus exercituum, revertere jam, intuere e cœlis, & respice, ac visita vitem hanc.* (*Ps.* 80. 14.) Et post meridiem utroque die prædicavit Mr. Gulielmus *Strachan.* Priori die textum habuit: *Sed appropinquans ad eum nauclerus, dixit ei: Quid tibi est, somnolente? surge, inclama Deum tuum, si forte suscipiet cognitionem Deus ille de nobis, ut non pereamus.* (*Jon.* 1. 6.) Posteriori vero die: *Ecce, sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* (*Apocal.* 3. 20.) Deo placuit benigne me suscipere, ita ut salutariter commoverer, & dulcissime consolarer. Benedictus Deus. *Amen. Hallelujah.* Secunda Mr. *Gulielmi Strachan* præparatoria fuit concio in sanctam Communionem die Dominico insequenti celebrandam. Laudatus esto Dominus.

§. 440. *Communio salutaris.* *Die* 5. *Martii* die Dominico, Palæo-Aberdoniæ celebratur Eucharistia, ubi communicavi ego una cum persalutari Dei præsentia, magnoque gaudio spirituali. Laus tibi, Deus. Quum eundum esset ad sanctam mensam, Dominus animæ meæ dixit, *surge dilecta, pulchra mea, veni.* (*Cant.* 2. 10.) Et inter participandum sancte, me Dominus consolatus est, verbis his, *pax domui huic* (*Luc.* 10. 5.), *hodie salus huic domui contigit.* (*Luc.* 19. 9.) *In illo die vos cognoscetis, me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis.* (*Joh.* 14. 20.) Tunc fructus consideravi in felici hac unitia me confirmaturos, postea nimirum ut in me sentiam augmentum fidei, caritatis, humilitatis, patientiæ, aliorumque spiritus fructuum pro quibus submisse oravi, votaque vovi, adeoque pacifice me in locum contuli cum pace & gaudio magno. Deo gratias egi, & in oculis ejus gratiam consequutus sum. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto. *Amen*, iterum *Amen.* Ad mensam insuper me consolatus est Dominus dicto illo: *Sanguis Jesu Christi Filii ejus purificat nos ab omni peccato.* (1 *Joh.* 1. 7.) *Benedictus Deus.*

Die 12. *Martii* 1643. die Dominico. Rursum celebrabatur Eucharistia Palæo-Aberdoniæ, ubi & rursus participavi ego persalutariter, prioribus consolationibus uberrime renovatis, una cum augmento gaudii spiritualis, additaque firma consolatione in Deo Servatore meo, qui pacem animæ meæ loquutus est, indicavitque animum victurum in æternum, me vitam habiturum æternam, seque suscitaturum me die ultimo in resurrectionem vitæ: utque in indubitata illius spe confirmer, se facere & facturum me participem prioris resurrectionis, adeo ut secunda mors nullam in me habeat potestatem. Comedent mansueti & saturabuntur, laudabunt Jehovam quærentes eum: vivet animus vester in sempiternum. (*Ps.* 22. 26.) Instruis coram me mensam e regione hostium meorum: delibutum reddis unguento caput meum, poculum meum exuberans. Nil nisi bonum & benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & quietus ero in domo Jehovæ, quamdiu longinqua erunt tempora. (*Ps.* 23.) Miserationibus magnis congregabo te. (*Isai.* 54. 7. Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur: attamen benignitas mea a te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Jehovah. (*Isai.* 54. 10.) Nam ut aquæ Noæ hoc mihi est, qui juravi, non transituras aquas Noæ amplius super terram: sic juro fore, ut non effervescam contra te, & non increpem te. (*Ibid. vs.* 9.) Nullum instrumentum formatum contra te prosperabitur, & omnem linguam insurgentem contra te in jus condemnabis: hæc est possessio servorum Jehovæ, quorum justitia est ex me; dictum Jehovæ. (*Ibid. vs.* 17.) Lætamini cum urbe Jerusalem, exultate in ea omnes amantes eam; gaudete cum ea gaudio, quicunque lugebatis de ea, ut sugatis & saturemini ubere consolationum ejus; ut exprimatis & delicias agatis e splendore gloriæ ejus. (*Isa.* 66. 10. 11.) Ut quispiam quem mater sua consolatur; sic ego consolaturus sum vos, & Jerusalem consolatione perfundemini. (*Ibid. vs.* 13.) Considebo in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ, videbo amœnitatem Jehovæ, & inquiram in templo ejus sancto. Sacrificabo Jehovæ sacrificium laudum, vota mea Jehovæ persolvam, Dominus quippe mecum est, & habitat in me, & ego in eo, custodiet me apud se, & ducet me per orbitas justitiæ propter nomen suum. Benedictum sit nomen Domini supra omnem benedictionem & laudem exaltatum a seculo usque in seculum. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, nunc & in sempiternum. *Amen & Amen.* Benedic anima mea Jehovæ. Benedictus esto Deus.

§. 441. *Communio salutaris.*

Die 14. *Maii* 1643. Sancta Eucharistia rursus Palæo-Aberdoniæ celebrabatur, ubi etiam illius participes fuimus ego & filius meus Georgius, cum uberrima consolatione in Christo Domino nostro & Servatore, cui sit gloria in seculum. *Amen.* Magnopere consolabar in benignissima & saluberrima Dei apud me præsentia. Maximo quoque fuit mihi gaudio in Domino, & gratiarum actioni Deo nostro, quod filium etiam una pariter adduxerit ad sanctam suam mensam tali cum testimonio gratiæ suæ super eo. O quantas quantasque valeo referre gratias Deo ob præstantissimum hoc gaudium, & pro omnibus benignitatibus ejus! (1 *Thessal.* 1. 3.) Tu Domine,

§. 442. *Communio salutaris. Hoc primum est, quo particeps fuit filius Georgius sancti Sacramenti cœna Domini; mihi dixit se tum humilitatem,*

tum gaudium sensisse. Benedictus esto Deus. præceptum dedisti corroborando nos, corrobora ô Deus quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68. 28.) Jehovah dispones pacem nobis: nam etiam omnes res nostras confecisti nobis. (*Isai.* 26. 12.) Canite Jehovæ, laudate Jehovam, quia eripuit animam egentis e manu maleficorum. (*Jer.* 20. 13.) Confidimus in benignitate ejus, & salutem ejus expectamus, eum ubique erepturum nos. Benedic anima mea Jehovæ. Nobiscum sunt ô Deus vota tua; persolvemus gratiarum actiones tibi. Nam eripuisti animas nostras a morte, annon pedes nostras a lapsu eriperes? ut indesinenter coram Deo ambulemus in luce hujus vitæ. (*Ps.* 56. 12, 13.) *Hallelujah.* Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, Sacræ indivisæ Trinitati, soli unicoque vero Deo, Servatori nostro, supra omnem laudem & benedictionem a seculo usque in seculum exaltato. *Amen*, iterum *Amen.* (*Nehem.* 9. 5. *Ps.* 41. *ult.*)

§. 443. *Jejunium publicum.* *Die* 11. & rursum *die* 14. *Junii* 1643. Publicum celebrabatur jejunium & humiliatio per totam Scotiam, quibus diebus humiliationis & jejunii habuit Mr. Gulielmus *Strachan* Palæo-Aberdoniæ saluberrimas conciones, numero quatuor, in hæc verba: *Quapropter etiam nunc, dictum Jehovæ, convertimini ad me ex toto animo vestro: & jejunio, & fletu, & planctu: Lacerate igitur corda vestra, ac non vestes vestras, & revertimini ad Jehovam Deum vestrum, quia gratiosus & misericors est, longanimis, & amplus benignitate, & quem pœnitet mali.* (*Joël.* 2. 12, 13.) Dulcissime commovebar, & maximopere consolabar, pro manu Dei mei quæ mihi adfuit. Corrobora, ô Deus, quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68. 29.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.*

§. 444. *Communio salutaris cujus participavimus ego & filius Georgius.* *Die* 3. *Septembris* 1643. Distributá fuit sancta Communio Palæo-Aberdoniæ, unaque cum cœtu participavi, filius etiam Georgius; magnopere consolabar. Dixit mihi quoque filius, se magnam sensisse consolationem in Christo Jesu in cor suum venientis, remissionem peccatorum suorum indicantis; seque statutum habere in Christo per gratiam ejus remanere, Christumque asservare habitantem in animo suo per fidem. Hinc docui illum, Christum qui operatur in nobis suaves hos motus, hoc modo fidem nostram corroborare, certosque nos reddere per Spiritum suum sanctum, se habitare in nobis, & nos in eo, se mansurum in nobis & servaturum, & die illo suscitaturum in resurrectionem vitæ æternæ. Ex his uterque multum reficiebamur in Deo Servatore nostro, cui omnis sit honos, gloria, & laus in secula seculorum. *Amen.*

§. 445. *Jejunium publicum.* *Die* 22. *Octobris* 1643. Publicum celebrabatur jejunium & humiliatio Palæo-Aberdoniæ, ubi dulcissime consolabar & roborabar in Deo. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto. *Amen*, & *Amen. Hallelujah.* Jehovæ est salus: benedictio tua super populum tuum. (*Ps.* 3. 8.) Jehovah robur populo suo dabit, Jehovah benedicet populo suo cum pace. (*Ps.* 29. 11.) Recordare mei Jehovah, pro benevolentia qua prosequeris populum tuum. (*Ps.* 106. 4.) Benedictus esto Deus, qui non avertit orationem meam a se, & benignitatem suam a me. (*Ps.* 66. 20.) *Hallelujah.*

§. 446. *Communio salutaris.* *Die* 24. *Decembris* die Dominico 1643. Palæo-Aberdoniæ celebrabatur sancta Eucharistia, quò etiam participavi ego maxima cum consolatione. Laus Deo.

Anno 1644.

§. 447. *Publicum jejunium.* *Die* 7. *Januarii* die Dominico, & die Mercurii insequenti ejusdem mensis 10. celebrabatur Palæo-Aberdoniæ & in omnibus Ecclesiis per totum Scotiæ Regnum, jejunium & humiliatio solennis; & per gratiam Dei animum emollitum & summe consolatum sensi. Laus Deo.

5. *Aprilis*, *die Veneris*, sub vesperam, Ego, filius Georgius, & Mr. Gulielmus *Keith* conscendimus navem Joannis *Anderson de Torrie.* Solvimus a statione Aberdonensi, & prout manus Dei nostri optima nobis adfuerat, tuto appulimus Campeveriam, die Mercurii ejusdem Aprilis 10. hora decima antemeridiana. Et die Dominico insequenti, mensis 14, invitatus a Mr. Grybio Ecclesiæ Anglicanæ Medioburgi Concionatore, & a Mr. *Spang* Ecclesiæ Scoticanæ Campeveriæ Pastore, prædicavi in Ecclesia Anglicana Medioburgi in Rom. 8. 31, 32. Benedictus sit Deus, propter miserationes suas in Christo Jesu persalutares. *Hallelujah.* §. 448. *Iter in Belgium.*

Die 28. *Aprilis* stylo vetere, 8. vero Maii stylo novo, die Dominico, concionatus sum in Ecclesia Anglicana Amstelodami in Joh. 6. 27. invitatus a Mr. Julio *Haring* ejusdem Ecclesiæ Pastore. §. 449.

Die 12. 22. *Maii*, die Dominico prædicavi in Ecclesia Anglicana Ultrajectina in Ps. 119. 132. invitatus a Mr. *Harris* ejus Ecclesiæ Rectore. §. 450.

Die Mercurii 15. 25. *Maii* invitatus a Mr. Julio *Haring*, rursus prædicavi in Ecclesia Anglicana Amstelodamensi in Matth. 11. 28. §. 451.

Die 26. *Maii* S. V. invitatus a Mr. *Spang*, rursum concionatus sum Medioburgi in Matth. 11. 29. absente Mr. Grybio. Benedictus Deus in seculum. *Amen.* §. 452.

Die 2. 12. *Junii.* Dr. Spanhemius Theologiæ Professor Lugduni Batavorum, concionatus est lingua Gallica, in Ecclesia Gallica in hæc Servatoris nostri verba: *Ubicunque enim fuerit cadaver, illuc congregabuntur aquilæ.* (*Matth.* 24. 28.) Verba hæc docte, concinne, apposite, & potenter exposuit, applicans ea Eucharistiæ celebrationi, quam & post concionem celebravit, ubi quoque participavi ego, suavem sentiens præsentiam firmamque in Christo Jesu Servatore meo consolationem; cui sit gloria in seculum. *Amen.* Et post meridiem Conventus ejus Gallici Pastor ordinarius prædicavit ibi in Psal. 103. 1, 2, 3, 4, 5. Benedic, anima mea, Jehovæ &c. Domino gratias ago propter occasionem hanc gratuitam, & propter omnes ipsius benignitates. *Hallelujah. Amen.* §. 453. *Communio salutaris.*

Die Mercurii, vesperi, 5. 15. *Junii*, dum in cymba navigarem ad navem vectoriam inter *Swartsluyse* & Amstelodamum, magnam hanc habui a Deo liberationem & præservationem. Benedictum sit nomen ejus sanctum in sempiterna secula. Ancora navis supra me cecidit, & tamen liberabar, immo ne vel cicatrix vel contusio ulla apparuit. Laus tibi Deus, *Amen*, iterum *Amen.* §. 454.

Die rursus *Veneris*, sub noctem 7. 17. *Junii*, Groningæ, dum in lectum altum ascendebam, revolutum est scabellum, atque ita cecidi ego in pavimentum perdurum, attamen minime sauciabar. Laudatus esto Deus in seculum. *Amen.* §. 455.

Die 23. *Junii.* St. V. 3. *Julii* S. N. die Dominico, audivi Amstelodami ante meridiem in *de Zuyder Kerk* unum ex Pastoribus Amstelodamensibus, concionantem in conventu Batavico. Concio ejus docta sane, pia, & salutaris admodum fuit. Thema habuit: **Want de Sone des menschen is gekomen om te soeken ende saligh te maken dat verloren was** / id est; *venit enim Filius hominis, ut quærat & servet quod perierat.* (*Luc.* 19. 10.) Post concionem cele- §. 456.

Communio salutaris. lebrabatur Eucharistia, & ad mensam Domini participavi similiter ego cum conventu illo, & non parum consolabar. Salutarem apud me sensi Domini præsentiam, parantis & invitantis me, & ad sanctam suam mensam ducentis, ibique animam ad vitam revocantis, & confirmantis cibo illo cœlesti, qui durat in vitam æternam. Vota redintegravi, gratiam postulavi; magnopere consolabar, Dominumque celebravit anima mea, illumque ex toto corde celebro, & per gratiam ejus dum spiritus hos regit artus, nomen ejus sanctum amabo & celebrabo. *Hallelujah.*

Eodem die post meridiem alter Pastor Amstelodamensis concionatus est in *Actor.* 2. 38, 39. *& in* 72, 73, & 74. quæstiones Catechismi illorum ordinarii, de baptismate. Postea quoque alio in templo, at eodem die, tertiam audivi concionem plane & potenter habitam ab alio adhuc Pastore Amstelodamensi, in hæc verba: **Ende niet vele dagen daar na / de jongste sone alles by een vergadert hebbende / is wech gereyst in een verre (gelegen) landt / ende heeft aldaar syn goedt doorgebracht / levende overdadiglick.** i. e. *Post dies autem non multos, congregatis omnibus, junior ille filius peregre profectus est in regionem longinquam: & illic dissipavit substantiam suam, profuse vivendo.* (*Luc.* 15. 13.) Gratias Domino ago propter has aliasque occasiones illi serviendi, & propter multifarias ipsius in me omnesque & singulos liberos suos miserationes. *Hallelujah.*

§. 457. *Julii* 14. 24. die Dominico, concionatus sum in Ecclesia Anglicana Amstelodami in *Matth.* 11. 29. invitatus a *Mr. Thoma Paget* ejus Ecclesiæ Pastore.

§. 458. *Communio salutaris.* *Augusti* 4. 14. 1644. die Dominico. Eucharistiæ particeps fui in Ecclesia Gallica a *Mr. Hotton*, pastore ordinario Conventus Gallici Amstelodami, qui etiam prædicavit in *Psalm.* 133. 3. Et rursus tempore pomeridiano alium audivi pastorem in eadem concione Gallice prædicantem in *Rom.* 12. 1. Magnopere consolabar in Deo Servatore meo. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen.*

§. 459. *Augusti* 18. 28. die Dominico, invitatus habui in Ecclesia Anglicana Delphis duas conciones in *Isai.* 12. 1. *Itaque dices tempore illo: Celebrabo te Jehovah, quia iratus fuisti mihi; sed aversa ira tua consolaris me.*

§. 460. *Augusti* 28. S. V. 7. *Septembris* S. N. die Mercurii, invitatus concionatus sum Amstelodami in hæc verba: *In vita conserva nos, ut nomen tuum invocemus. Jehovah Deus exercituum, restitue nos; fac ut luceat facies tua, ita servabimur.* Pf. 80. 19, 20.

§. 461. Paucis elapsis diebus Groningam rursus me contuli, ubi versabatur filius meus, cum pædagogo suo *Mr. Gulielmo Keith*, quumque filius valetudinarius jam factus esset, tristitiaque commotus, sudo se offerente, ego, filius & pædagogus ejus foras exivimus, & progressi sumus leniter & amœne per Ommelandiam, & Frisiam, hasque urbes in Frisia illi exhibuimus, Leovardiam, Franekeram, una cum Academia ejus, & Harlingam, ac in unaquaque paululum divertimus. Per aliam quoque Frisiæ civitatem transivimus, nomine Bolswardiam, aliasque e longinquo conspeximus. Postea die septimo reversi sumus Groningam sani & pacifici; pro quo laus tibi Deus, & quod filium liberaveris a morbo illo, quem ante adventum meum graviorem fuisse ferunt. Hic versatus sum per duos menses, omnibusque rebus eis necessariis in tempus hyemale comparatis, gratiæ Dei eos commendavi, & postmodum sanis eis relictis, lætis & in studiis progressus haud spernendos facientibus, Groninga iter capessivi die Mercurii 30. Octobris S. V. & propitio Numine tuto Amstelodamum appuli, die Saturni 2. Novembris S. V. 12. Novembris S. N. Benedictus Deus.

Propter librum typis excudendum sub titulo Instructionum Historico-Theologicarum, rationem inii de commorando Amstelodami hyeme hac. Quare ingressus sum domum mercatoris Batavici, ubi domesticos, pios & urbanos inveni, cubiculum vero quanquam amplum & bene instructum, obscurum tamen & subfrigidum. Unde dixi, me hic non talem habere commoditatem respectu cubiculi, qualem exigunt studia mea, eosque obnixe rogavi, migrationem in aliam domum, ubi cubiculum habeam magis appositum, æqui bonique consulere. Propositioni huic minime adversati sunt, & ego cum alio pepigi. Ibi commodius habui cubiculum, quamvis carius. Interim, dum septimanam cum prioribus implere pergerem, omnibus modis cuipiam mihi displicenti mederi conantur. Quidam etiam amici significarunt, mihi eos fortassis male consulturos, & fidei violationem in me existimaturos, & sibi domuique suæ injuriam illatam, si mature adeo derelinquerem eos; contra vero alteri pollicitus fueram, me eo venturum. Hujus angustiæ consideratio me non parum commovit, memet enim coarctatum vidi necessitate saltem apparenti peccandi, & offendiculum dandi, quomodocunque me gererem, quod plane magis amarum morte mihi fuit. Quapropter saucius mœrore, iniquitates Deo fassus sum, & peccaminosam hanc præcipitantiam in difficultatem adeo angustam. Lacrymis Deum meum, cui omnia possibilia, inclamavi, & exaudivit me Dominus, atque misertus est mei, movitque animos piæ illius familiæ, ubi diversabar, mihi dicere, quod etiamsi gauderent societate mea, attamen se agnoscere cubiculum maxime mihi incommodum esse, atque adeo se migrationi meæ assentire amice & benevole, neque se quid offendiculi inde expiscari, sed magis dolere domus illius incommoditatem, quæ sibi dumtaxat ipsis conducta fuit. Addidere insuper se moliri, aliud quoddam melius nancisci diversorium; atque adeo pacata conscientia & utrinsque partis amore in alteram commodiorem domum veni. Benedicit anima mea Jehovæ Deo meo & Servatori, & per gratiam ejus laudabo sanctum ejus nomen, quamdiu futurus sum. (*Ps.* 146. 2.) Qui agnovit angustias animæ meæ; (*Ps.* 31. 7.) qui irritas fecit machinationes & expectationem inimicorum meorum spiritualium, & extraxit me ex multis aquis, (*Ps.* 18. 16. & 144. 7.) tentationis & angustiæ, quibus circumdatus eram, meque servavit a peccando contra se, & a dando offendiculum; qui propensus amore erga animam meam abjecit post tergum suum omnia peccata mea, (*Isa.* 38. 17.) & eripuit me ex ore leonis; cujus etiam in benignitate confido, erepturum me ab omni opere malo, & servaturum regno suo cœlesti; cui gloria in secula seculorum. *Amen.* (2 *Tim.* 4. 17, 18.) Mecum sunt, ô Deus, vota tua; persolvam gratiarum actiones tibi. Nam eripuisti animam meam a morte, an non pedes meos a lapsu eriperes? ut indesinenter ambulem coram Deo, in luce hujus vitæ. (*Psalm.* 56. 12. 13.) Quæ nuncupaverint aperta labia mea, & eloqutum fuerit os meum in angustia mea, rependam tibi vota mea. (*Ps.* 66. 13, 14.) Ego vero canam robur tuum, & can-

§. 462. *Angustia & liberatio.*

Vide similem angustiam, mirамque liberationem 22. Aug. 1640.

tabo in matutinum quodque benignitatem tuam; te fuisse locum editum mihi, & perfugium, qua die fuit angustia mihi. (*Ps.* 59. 16, 17.) O robur meum, tibi psallam, Deum esse locum editum meum, Deum benignitatis meæ. Propter hoc oraturus est te, quemcunque benignitate prosequeris, quo tempore obvenerit: (in inundatione aquarum multarum ad eum non pertingent tantum) Dicens: Tu latibulum es mihi, ab angustia custodito me: cantionibus circumdato me maxime. (*Ps.* 32. 6, 7.) Exultabo & lætabor benignitate tua; quando aspexeris afflictionem meam, agnoveris angustias animæ meæ, ac non tradideris me in manum inimici, sed statueris in lato pedes meos. (*Ps.* 31. 8, 9.) Præcepit Deus tuus robustum esse te, corrobora, ô Deus, quod operatus es in nobis. (*Psalm.* 68. 29.) Interdiu amandaturus est Jehova benignitatem suam, & noctu canticum suum ad me; oratione mea ad Deum fortem vitæ meæ perstabo. (*Psal.* 42. 8.) Quæsivi Jehovam, & exaudivit me, ac ex omnibus pavoribus meis eripuit me. (*Psal.* 34. 4.) Jehovah, dispones pacem nobis: nam etiam omnes res nostras confecisti nobis. (*Isa.* 26. 12.) Canite Jehovæ, laudate Jehovam; nam eripuit animam egentis e manu maleficorum. (*Jer.* 20. 13.) Dominus sedulus fuit erga me, filium, & juvenem quem nobiscum dedit in peregrinatione hac nostra. Misericordiam & gratiam in oculis suis nobis largitur, & miserationem & favorem apud homines. Paterne nobis providet. Restituit animam nostram in vitam, neque permittit dimoveri pedes nostros. (*Ps.* 66. 9.) Tu parasti bonitatem tuam pauperi, ô Deus —— Benedictus Dominus, qui onerat nos donis, Deus ille fortis salus nostra excellentissime. Deus ille fortis nobis est Deus fortis, ad salutem omnimodam: & Jehovæ Domino sunt exitus contra ipsam mortem. (*Ps.* 68. 10——19, 20.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, Personis trinis, soli unicoque vero Deo, sacræ indivisæ Trinitati, omnium rerum Creatori, Salvatori nostro, supra omnem benedictionem & laudem a seculo usque in seculum exaltato. *Amen & Amen.* Redi, anima mea, in requiem tuam, quum Jehovah beneficus sit erga te. (*Psal.* 116. 7.) *Hallelujah.*

§. 463. *Audivi D. Richardson concionantem.* *Die* 17. 27. *Novembris* 1644. *Mr. Richardson* Pastor Ecclesiæ Anglicanæ Delphis, concionatus est Amstelodami in *Ps.* 84. 9. *Qui pergunt ab acie in aciem.* In quibus verbis una cum plurimis documentis persalutaribus septem illos enumeravit gradus roboris, ad quos procedendum est, & in nobismet insatiabilitatem quandam habere, usquequo ad omnes illos perventum sit: 1. Ut Deo volenter serviamus alacritate, & præcepta ejus observare in deliciis sit. (*Ps.* 119. 35.) 2. Ut vocationem & electionem nostram firmam efficiamus. (2 *Pet.* 1. 10.) 3. Ut extasibus bisdulcissimis, & cum Servatore nostro communionibus & familiaritatibus, eis connubialibus fruamur, quibus sanctos suos hic in terra dignatur. (*Cant.* 1. 3.) 4. Ut corroboremur perlubenter mori, absque ullo timore suspicaci. (2 *Cor.* 5. 8.) 5. Ut firmam habeamus fiduciam in pollicitis Dei, propter vitam & sustentationem, etiam tum, quum media non appareant, ut verbo Dei innitamur. Dixit enim: Non deseram neque derelinquam te. (*Habb.* 3. 17, 18. *Hebr.* 13. 5.) 6. Ut omni potentia potentes fiamus ad omnem tolerantiam & animi lenitatem in afflictionibus & injuriis, ne vincamur a malo, sed vincamus bono malum. (*Col.* 1. 11. *Rom.* 12. 21.) 7. Ut firmi simus fide, spe, caritate, ad nosmetipsos abnegandos, ad omnia relinquenda, & vitam deponendam, propter nomen Domini Jesu Christi, ad gaudendum, quum patiamur pro nomine ejus. (*Matth.* 16. 24, 25.) Gradus hos roboris spiritualis gratia Dei animabus nostris inhærentes, evidentibus elucidavit Scripturis, & persalutariter nobis dixit, quod qui veram possident gratiam, quamvis semet debiles in gradibus his inveniant, tamen dolent eo quod majori plenitudine eos non occupent. Hortatus est nos insuper, Apostoli Pauli exemplum æmulari, qui de seipso sic loquitur: Non quod jam metam apprehenderim, aut jam sim consummatus; sed persequor, experiens, an quoque apprehendam, cujus etiam rei causa apprehensus fui a Christo Jesu. Fratres, ego meipsum non reor metam apprehendisse; unum autem ago: ea quidem quæ a tergo sunt obliviscens, ad ea vero quæ a fronte sunt contendens, scopum versus feror, ad præmium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu. (*Philipp.* 3. 12, 13, 14.) Ducat nos Dominus, & faxit ut pergamus ab acie in aciem, donec perveniamus nos omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi, ut ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ, in hominum alea, per veteratoriam ad artificiose fallendum versutiam: sed sincere nos gerentes in caritate, prorsus adolescamus in eum qui est caput, nempe Christus: Ex quo totum corpus congruenter augmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura uniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens, ad sui-ipsius exstructionem, per caritatem. (*Ephes.* 4. 13, 14, 15, 16.) Det nobis omnibus & singulis Dominus pro Christo, ut non excidamus a propria stabilitate, sed ut crescamus in gratia & notitia Domini nostri & Servatoris Jesu Christi: Cui gloria & nunc, & ad tempus sempiternum. *Amen.* (2 *Petr.* 3. 17, 18.)

§. 464. *Communio salutaris.* *Die* 15. 25. *Decembris* 1644. *Mr. Julius Haring* & *Mr. Thomas Paget* duo Pastores ordinarii conventus Anglici, prædicarunt Amstelodami, & sanctam celebrarunt Communionem; atque una cum cæteris mensæ Domini appropinquavi, ibique particeps fui Eucharistiæ, dulcissima & maxime sensibili Domini Dei mei & Servatoris apud me præsentia, priora sua consolamina mihi renovantis, pluraque adjungentis, adeo ut quum secederem a mensa, & ad privatam devotionem, Deo gratias agendo memet conferrem, animus & anima magnopere in Domino exultarint, oculique lacrymas fuderint a gaudio spirituali procedentes, & amore, & pace. Oravi pro confirmatione & continuatione gratiæ ipsius apud me, proque votorum solutione, ut hanc operaretur in me Dominus, Ecclesiæque suæ in Regis nostri ditionibus & alibi benediceret, faxitque ut consoler a Deo Patre meo cœlesti, omnibus diebus vitæ meæ, Jeruschalaimis, ut quispiam, quem mater sua consolatur; (*Isa.* 66. 13.) & ut signum hoc habeam infallibile, Christum in me manere, & me in eo, fertilitatem nempe in illo, multum ferendo fructum; dicit enim: Is qui manet in me, & in quo maneo, hic fert fructum multum. (*Joh.* 15. 5.) Rogavi quoque pro filio Georgio, aliisque liberis ejus carissimis, & in his magnopere consolabar. Laudatus esto Deus. Dicti Pastores potenter & consolatorie concionati sunt; *Mr. Haring* ante meridiem in *Actor.* 2. 23. *Hunc, definito illo consilio & præcognitione Dei deditum quum accepissetis, manibus sce-*

sceleratis cruci affixum interemistis; *M. Paget* post meridiem in *Joh.* 1. 29, 30, 31, 32, 33, 34. immorans præsertim testimonio illi Joannis Baptistæ, de Domino nostro Jesu Christo *vers.* 29. *Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.* Benedicit Jehovæ anima mea, de saluberrimis his cultus sui occasionibus, gratiæque mediis, benedictione sua efficaci & affluenti comitatis, bonaque spe per gratiam, bonitatem & benignitatem prosequutura me, filium, aliosque Dei dilectos, omnibus diebus vitæ nostræ, & quietos nos fore in domo Jehovæ, quamdiu longinqua erunt tempora. (*Ps.* 23.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, supra omnem benedictionem & laudem a seculo usque in seculum exaltato. *Amen*, iterum *Amen*.

§. 465. *Die* 18. 28. *Decembris* 1644. Invitatus a Mr. Julio *Haring*, prædicavi in Ecclesia Anglicana Amstelodamensi, in hæc verba Servatoris nostri: *Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum facile est, & onus meum leve est.* Matth. 11. 29, 30. Benigne, tum me, tum auditores meos, consolatus est Dominus. Laus Deo. *Amen.*

§. 466. *Die* 22. *Decembris* 1644. S. V. 1. *Januarii.* 1645. S. N. *Mr. Haring* morbo adhuc laborante, meque vice ejus concionari invitato, rursus prædicavi in Ecclesia Anglicana Amstelodami in Ephes. 3. 14, 15, 16. Et Dominus benigne mihi & auditoribus adfuit. Omnis laus & gloria nomini ejus sancto in seculum attribuatur. *Amen.*

§. 467. *Die* 25. *Decembris* 1644. S. V. 4. *Januarii* 1645. S. N. (quo die feriæ esuriales unoquoque mense recurrentes in Anglia celebrantur) invitatus a *Mr. Haring* & *M. Paget*, concionatus sum Amstelodami in Luc. 18. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8. Gloria Deo in secula seculorum. *Amen.*

ANNO DOMINI 1645.

§. 468. Nieuwe templum Amstelodami: Nieuw Kerk. *Die Mercurii* 1. *Januarii S. V.* 1645. die vero 11. S. N. Excelsum & magnificum Templum Amstelodamense templum novum appellatum, incendio combustum est; quibusdam vero animo hærentibus qui hoc eveniret, timor invasit insurrectionis aut confusionis cujusdam; eives fores ædium clausere, & municipes statuto publico ad arma convolarunt, usque dum præteriterit timor ratioque inita civitatem liberandi. Benedictus Deus, qui pepercit nobis & nos consolatur.

§. 469. Vossius. *Die Jovis* 9. 19. *Januarii.* Vir eruditus D. *Gerardus Joannes Vossius*, capitibus 28. & 29. libri 8. Historico-Theologicarum mearum Instructionum lectis & perlectis, impressioni earum assensit. Dominum magnificio, qui me exaudivit, animumque inclyti hujus Viri movit, ut eis assentiatur, adversentur licet quibusdam ab eo prius conscriptis in Historia ejus Pelagiana. Benedictus esto Deus, potens Jacobi Deus, El Elohe Israël.

§. 470. *Die* 12. 22. *Januarii, die Dominico*, obnixe rogatus a *M. Haring* adhuc ægroto, vice ejus ut prædicarem: concionatus sum in Ecclesia Anglicana Amstelodamensi in hæc verba Apostoli Pauli: *Ut fortiter corroboremini per Spiritum suum sanctum in interiori homine; & inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.* Ephes. 3. 16, 17. Benigne mihi adsuit Dominus, & benedictionum harum salutarium participem me fecit. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen.*

§. 471. *Die* 19. 29. *Januarii.* Invitatus rursus prædicavi vice *M. Haring* in hæc verba Apostoli Pauli: *Ut inhabitet Christus in cordibus vestris per fidem; ut in caritate radicati & fundati, valeatis assequi cum omnibus Sanctis, quæ sit illa latitudo & longitudo, & profunditas & sublimitas: & nosse caritatem illam Christi omni notitia supereminentiorem, ut impleamini ad omnem usque plenitudinem illam Dei.* Ephes. 3. 17, 18, 19. Et Dominus divite sua gloria participem me fecit consolationum harum suavium & firmarum, quarum me aliis ministrum disposuit. Benedictum sit sanctum ipsius nomen, supra omnem laudem & benedictionem a seculo usque in seculum exaltatum. *Amen* & *Amen.* *Ipse particeps suavium consolationum, quarum ego aliis minister.*

§. 472. Jejunium publicum. *Die Mercurii* 22. *Januarii.* S. V. 1. *Februarii* S. N. ex decreto Ordinum solenne celebrabatur jejunium & humiliatio per omnes Provincias Belgii Fœderati, eoque die ante meridiem audivi in Ecclesia Anglicana, Amstelodami, *M. Renlictum*, qui prædicavit in *Luc.* 19. 41, 42. & a concione cantavit quatuor versus priores Psalmi 74. Post meridiem audivi *M. Paget* qui concionatus est in 2 *Thess.* 1. 11. *Cujus etiam res gratia oramus semper pro vobis*; & post concionem cantavit Ps. 99. Vespertino rursus tempore audivi in Ecclesia Gallica *M. Hotton* prædicantem in *Apoc.* 3. 22. qui a concione cantavit Psalm. 85. Conciones & psalmi salutares admodum fuere, Dominique præsentiam gratiosam, dulcemque & firmam sensi consolationem. Laudatus esto Deus, & nunc, & ad tempus sempiternum. *Amen.*

§. 473. D. D. Forbes. *Eadem die conveni* Dominum Dn. de Forbes Amstelodami, & uterque gavisi sumus in Domino Deo nostro. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in seculum. *Amen. Hallelujah.*

§. 474. *Die* 26. *Januarii.* S. V. 1645. Concionatus sum vice *M. Haring*, in Ecclesia Anglicana, Amstelodami, in *Ephes.* 3. 20, 21. *Ei vero qui summa cum exuperantia potest facere omnia supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis: Ei sit gloria in Ecclesia, per Christum Jesum, in omnes ætates seculi seculorum. Amen.*

§. 475. *Die* 2. 12. *Februarii* die Dominico, rursus prædicavi vice *M. Haring* in Ecclesia Anglicana Amstelodamensi in Ps. 9. 11. *Itaque fiduciam habebunt in te qui noverunt nomen tuum, quia non dereliquisti quærentes te Jehovah.* Dominum quæsivi, orans ut mihi & auditoribus adesset, & exaudivit me Dominus & auditores, & magnopere consolabamur in Domino Deo nostro. Benedictum sit gloriosum ipsius nomen in secula. Omnis illi laus, qui benignitatem nobis ostendit, & consolationem dat, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui cum Patre & Spiritu sancto, honor omnis & gloria sit perenois. *Amen* & *Amen. Hallelujah.*

§. 476. *Die* 9. 19. *Februarii.* Vice *M. Haring* prædicavi in Rom. 5. 1. Perpaululum fuerat mihi temporis, quapropter timidus Dominum lacrymis quæsivi, & exaudivit me. Benedictus sit Deus in seculum. *Amen.*

§. 477. Communio salutaris. *Die* 16. 26. *Februarii.* Amstelodami celebrabatur cœna Domini in Ecclesia Anglicana, quo etiam participatus sum ego, præsentia persalutari & cœlesti ornatus. Benedictus Deus, Servator meus & Paracletus. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen* & *Amen.*

§. 478. *Die* 23. *Februarii* S. V. die Dominico, prædicavi Amstelodami in partem prioris & secundum versum cap. 5. epist. ad Rom.

§. 479. *Et die* 26. *Februarii. S. V.* concionatus sum in Jerem. 30. 12, 13, 14, 15, 16, 17. Gratias ago Domi-

Domino, propter miserationes ejus maximas. *Amen.*

§. 480. *Die* rursus 2. 12. *Martii* die Dominico prædicavi in Rom. 3. 5. 3, 4, 5. Tarde monitus fui, at misertus est mei Dominus, & benigne mihi & auditoribus adfuit. Benedictus Deus. *Amen.*

§. 481. *Die* 26. *Martii S. V.* Prædicavi Amstelodami in Psal. 85. 4, 5, 6, 7, 8, 9. Et exaudivit orationes meas Dominus. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, a seculo usque in seculum. *Amen.*

§. 482. *Communio salutaris.* *Die* 20. 30. *Aprilis* 1645. Ad mensam Domini particeps fui Eucharistiæ, in Ecclesia Anglicana Amstelodamensi, & adfuit mihi Dominus, magnopere me consolans, confirmans, & corroborans. Benedictus Deus. *Amen.*

§. 483. *Communio salutaris.* *Die* 1. *Junii S. V.* 1645. Perquam salutariter particeps fui sanctæ Eucharistiæ, una cum conventu Batavico Groningæ: & 7. elapsis diebus 8. Junii, rursus cum eo participavi. *Communio salutaris.* Filius quoque Georgius cum pædagogo suo M. *Gulielmo Keith* secundo hoc die participarunt. Benedictus Deus, qui nos uberrime consolatus est, & adhuc consolatur, nobisque benedicit in Christo Jesu Domino nostro. *Amen. Hallelujah.*

§. 484. *Communio salutaris.* *Die* 17. 27. *Augusti* 1645. Amstelodami in Ecclesia Anglicana, particeps fui sancti sacramenti Cœnæ Domini, maxima cum spirituali consolatione, dulcique Dei Servatoris mei præsentia, cui gloria in seculum. *Amen.*

§. 485. *Communio salutaris.* *Die* 3. *Septembris S. N.* Saluberrime sanctam recepi communionem una cum conventu Gallico aut Wallonico, aut Gallo-Belgico Medioburgi 1645.

§. 486. *Communio salutaris.* *Die* 28. *Septembris S. V.* 1645. Magna cum consolatione sanctam recepi communionem una cum conventu Batavo-Geldrico aut Sicambrico Arenaci, quo etiam filius meus & pædagogus ejus *M. Gulielmus Keith* similiter partiopparunt. Benedictus Dominus.

§. 487. *Communio salutaris.* *Die* 5. *Octobris S. V.* 1645. Rursus communionem recepi in conventu Batavo-Sicambrico, Herenatii, & magnopere me consolatus est Dominus, & gratia sua in Christo Jesu Domino nostro confirmavit, cui cum Patre & Spiritu sancto, omnis sit honor, gloria, laus & gratiarum actio, & benedictio, & robur in secula seculorum. *Amen.*

§. 488. *Divina monitoria mortalitatis, & liberationes misericordes, & præsentia salutaris.* *Diebus* 18. & 19. *Novembris* S. V. 1645. Amstelodami dolorem habui noctu & interdiu in sinistro latere, at eum benigne submovit Dominus. Laus Deo. Die quoque 10. Decembris. S. V. 1645. Arenaci, solus quum essem in cubiculo, ac legerem, occuparunt me capitis vertigo & oculorum caligo, quas etiam præpropere miseratione sua magna relevavit Dominus, adeo ut in studiis salutariter pergerem. Benedictus sit Deus. *Amen. Hallelujah.* Inter infirmitates has præsentiam Dei salutarem apud me sensi, incitantis me ad orandum, & memet paterno suo beneplacito committendum, meque intus & in cute corroborantis, & copiose me consolantis, pro magna sua erga me in Christo Jesu benignitate, cui cum Patre, & Spiritu sancto, gloria esto in seculum. *Amen.* Et adhuc Herenatii die 22. Decembris 1645. S. V. mirifice sublevabar, & liberabar ex obstructione frigida, duobus diebus præcedentibus pectori inhærente; at Dominus festinavit, & eripuit me quoque a morte hac. Celebratus esto Dominus, quia bonus est, quia in seculum est benignitas ejus.

§. 489. *Communio salutaris.* *Die* 25. *Decembris* S. V. 1645. Eucharistia Herenatii publice celebrata, Ego, filius Georgius, & pædagogus ejus *Mr. Gulielmus Keith*, ejus participes cum conventu illo facti sumus, & plurimum consolabamur. Benedictus Deus. Et rursus die 28. ejusdem mensis, ministrabatur Eucharistia reliquis Ecclesiæ illius Batavicæ, & iterum particeps factus sum ego, cum uberrima Dei apud me præsentia, persalutariter animam meam alloquentis, meque gaudio suo, pace & robore replentis. Magnificat & benedicit glorioso ejus nomini anima mea, Dominoque gratias habeo; profundæ etenim sunt erga populum suum & me servum suum miserrimum miserationes ejus, fidesque Jehovæ durat in æternum. *Hallelujah.* Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, Personis trinis, soli unicoque vero Deo, sanctæ indivisæ Trinitati, omnium rerum Creatori, Servatori nostro, supra omnem benedictionem & laudem a seculo usque in seculum exaltato. Ei, inquam, gloria esto, in Ecclesia, per Christum Jesum, in omnes ætates. *Amen.* *Communio salutaris.*

ANNO 1646.

Die 7. 17. *Januarii* 1646. Jejunio solenni & humiliatione publica per totum Belgium Fœderatum in gratiam exitus pacifici compositionis Monasteriensis celebratis, ego, filius, & *Mr. Gulielmus Keith* versabamur Arenaci in Geldria, ubi adjunximus nosmet eis in humiliatione illa. Duas audivimus conciones saluberrimas in *Psal.* 46. *v.* 8. ad finem, & in *Psal.* 122. 6. ad finem quoque. Precati sumus insimul pro Ecclesiis in Regis nostri ditionibus, pro Rege, regia sobole, omnibus subditis, nobisque ipsis & omnibus ad nos spectantibus, idque non solum quum in conventu essemus, sed & etiam domi; & benigne Dominus precibus nostris aurem advertit, dulcissimeque me servum suum miserum, illosque qui mecum erant, consolatus est. Benedictus Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, sacra indivisa Trinitas, solus unicusque verus Deus. Illi gloria in Ecclesia, per Christum Jesum Dominum nostrum, in omnia secula. *Amen.* §. 490. *1646. Jejunium publicum.*

Die 29. *Martii* S. V. 1646. Sacramentum cœnæ Domini publice Arenaci celebrabatur, ubi sanctum illud recepi Sacramentum, & adfuit mihi Dominus, summeque consolatus est. Filius quoque & *Mr. Gulielmus Keith* eodem die participarunt & benedictionis. Laus Deo. §. 491. *Communio salutaris.*

Die 5. 15. *Aprilis* 1646. Rursum Herenatii celebrabatur Eucharistia, quam & iterum recepi, Dominusque benigne & copiose confirmavit, mihique auxit dulcissimas ac ineffabiles suas consolationes in Christo Jesu Servatore meo, cui gloria in seculum. *Amey.* §. 492. *Communio salutaris.*

Die 17. *Maji* 1646. Celebrabatur Herenatii Eucharistia, cujus & particeps fui ego, dulci revera & uberrima consolatione in Deo Servatore meo. Benedictum sit nomen ejus sanctum, supra omnem benedictionem & laudem a seculo usque in seculum exaltatum. *Amen & Amen.* Eodem etiam tempore filius meus *Georgius* & *Mr. Gulielmus Keith* communicarunt. Laudatus esto Deus, qui quotidie onerat nos donis, nobis æternam largitur consolationem, & spem bonam, per gratiam. *Hallelujah.* §. 493. *Communio salutaris.*

Die 24. *Maji* 1646. Arenaci rursum celebrabatur Eucharistia, & rursum participavi; adfuit mihi Dominus, confirmans & augens me, in consolationibus ipsius inenarrabilibus, & certitudine in sempiternum. Benedictus Deus. Corrobora, ô Deus, quod operatus es in nobis. (*Ps.* 68. 29.) Nil nisi bonum & benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ, & quietus ero in domo Jehovæ, quamdiu longinqua erunt tempora. (*Ps.* 23. 6.) Salvator noster dicit: §. 494. *Communio salutaris.*

dicit: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, manet in me, & ego in eo. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto. *Amen.*

Die 21. *Junii* S. V. 1646. Obnixe rogatus, concionem habui in Ecclesia Anglicana Amstelodami, in *Ps.* 89. 15, 16.

§. 495. *Jejunium publicum.* *Die Mercurii* 24. *Junii* S. V. 1646. Publicum celebrabatur jejunium & humiliatio, per omnes Fœderatas Belgii Provincias, pro successu felici exercitus illorum; quumque ea die Hagæ Comitis versarer, ibi cum Ecclesia Gallica intemeratum tennui jejunium, & *D. Andream Rivetum* concionantem audivi lingua Gallica in cap. 58. *Isa. v.* 5. 6. 7. 8.

§. 496. *Communio salutaris.* *Die* 28. *Junii* S. V. 1646. Ego, filius meus Georgius, & *M. Gulielmus Keith* audivimus *Mr. Colvium* Ecclesiæ Gallicæ Dordraci Pastorem, prædicantem Gallice in *Hebr.* 12. 14. & eodem tempore Cœnæ Domini participes fuimus, una cum conventu illo Gallico, magna cum consolatione. Laus Deo.

Die 5. *Julii* S. V. 1646. Enixe rogatus, concionatus sum in Ecclesia Anglicana Medioburgi, in *Mich.* 7. 7.

§. 497. *Reditus Aberdoniam.* *Die Mercurii* 8. *Julii* S. V. Navem conscendimus, ego, filius meus Georgius, & *Mr. Gulielmus Keith* Campeveriæ, & die Martis insequentis hebdomadis 14. Julii anno 1646. tuto appulimus Aberdoniam, prout manus Dei nostri optima nobis adfuit. Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.*

§. 498. *Reditus ad Corse. Job.* 5. 24. *Die* 2. *Septembris* 1646. *Corsam* venimus ego, filius & *Mr. Gulielmus Keith*, & tabernaculum meum quietum inveni, per magnam Domini nostri commiserationem, in Christo Jesu Servatore nostro, cui gloria in secula seculorum. *Amen. Hallelujah.*

§. 499. *Jejunium publicum.* *Die* 4. *Octobris* & rursus 1. *Novembris* publicum celebrabatur jejunium & humiliatio, quibus diebus memet adjunxi conventui Locheleusi, & magnopere confortabar. Laudatus esto Deus.

§. 500. *Filius Georgius in Academiam proficiscitur secundamus.* *Die* 20. *Octobris* 1646. Filium meum Georgium misi *Corsa* ad Academiam Palæo-Aberdonensem, Dominumque laudo ex occasione hac ulterioris ejus educationis, non obstricta conscientia ejus vel mea ulli juramento aut subscriptioni in rebus his nunc temporis inter fratres Protestantes in Scotia disceptatis. Jehova dispones pacem nobis, nam omnes res nostras confecisti nobis. (*Isa.* 26. 12.) Benedictus Deus.

1647. Anno 1647.

§. 501. *Jejunium publicum.* *Die* 4. *Julii* 1647. Propter pestem Aberdoniæ aliisque locis grassantem, publicum celebrabatur jejunium ac humiliatio; quod & retinui ego una cum conventu Locheleusi, tum quoque publice, tum privatim, ardenter Dominum invocavi, & summe consolabar. Laus tibi Deus.

§. 502. *Dolor atrox, una cum præsentia salutari & liberatione.* *Die* 15. *Julii* 1647. Matutino tempore mature admodum super stratum cum jacerem, insolitus & truculentus invasit me dolor ex calculo a rene dextro descendente, unde atrociter adeo laborabam spatio horæ & amplius, ut sæpe surrexerim & ambulaverim, plurimosque mutaverim gestus, præ dolore vociferans, Dominumque Deum salutis propter Christum orans, ut mei misereretur, corroboraret, sublevaret, & consolaretur, & Dominus subsidio meo festinavit. *præpropera. Laus Deo.* Quapropter Deum celebravi, & rogavi ne dolor hic (si beneplacitum ejus foret) in posterum unquam recurreret. Illi quoque gratias habui propter paternam ejus in omnibus providentiam, præsertim etiam quod beneficus mihi fuisset tali tempore, loco & occasione, ut nemo (quod sciam) alius dolorem meum perceperit, aut vociferationem audiverit, ejulatus licet horridus ac lugubris esset. Gratiosus Jehovah & justus Deus, Deus, inquam, noster misericors. Servans simplices Jehovah, quum attenuatus fueram, mihi contulit solatium. Redi, anima mea, in requiem tuam; quum Jehova beneficus sit erga te. (*Psal.* 116. 5, 6, 7.) Quæsivi Jehovam, & exaudivit me; ac ex omnibus pavoribus meis eripuit me. (*Psal.* 34. 5.) Ego vero canam robur tuum, & cantabo in matutinum quodque benignitatem tuam: te fuisse locum editum mihi, & perfugium, quo die angustia mihi. O robur meum, tibi psallam; Deum esse locum editum meum, Deum benignitatis meæ. (*Ps.* 59. 17, 18.) Quum multæ sunt cogitationes meæ apud me, consolationes tuæ oblectant animam meam. (*Psal* 94. 19.) Gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto, sacræ indivisæ Trinitati, soli sapienti Deo, omnium creatori, Servatori nostro, supra omnem benedictionem & laudem a seculo usque in seculum exaltato. Amen, iterum Amen.

Die 22. *Julii* 1647. Benigne & dulcissime mihi renovavit Dominus suaves has consolationes, quas prius habueram diebus 12. & 13. & 14 Octobris 1640. ut in codice hoc legere est. Benedictus Deus. Uberrime quoque redintegravit consolationes mihi donatas diebus 1. 4. & 8. Novembris 1640. *Hallelujah.* §. 503. *Consolatio renovata.*

Hoc anno 1647. Sæpe sæpius domi concionatus sum in aula *de Corsa* domesticis meis & inquilinis, eo quod non daretur concio in Ecclesia Lochellensi propter corporalem infirmitatem *M. Thomæ Forbes*, conventus illius Pastore. Domino libuit benigne nobis adesse, & consolari. Benedictus Deus. Amen. §. 504. *Prædicatio Corsæ.*

BENEVOLE LECTOR.

Sequentia, quæ in schedula peculiari erant exarata, ac suo loco omissa, restitue si placet superius pag. 244. col. 2. ante §. 396.

Die 14. *Novembris* 1640. Easdem quum haberem dulcissimas consolationes mihi renovaras de loco meo in cœlis, supplex Dominum rogavi ut semper has mihi largiretur consolationes, & præsertim cum discedam ex vita hac. Dominus benigne postulatum annuit, novasque adjungens consolationes, se omnia facturum in bonum quæ me attingunt. Hinc consolabatur animus, animaque quievit in Deo Servatore meo. Ei gloria in seculum. Amen. *Præparatio in felicem ex vita hac decessum.*

Vitæ Forbesianæ Interioris, five Commentarii Exercitiorum Spiritualium FINIS.

INVESTIGATIO INGENTIS INVICTIQUE SOLATII,

Quod ex Domini nostri Jesu Christi sessione ad dexteram Dei, ubertim & constanter percipiebat

PATRICIUS FORBESIUS à CORSE,

ὁ μακαρίτης, Episcopus Aberdoniensis, Consiliarius Regius, Studii generalis Aberdoniensis Instaurator & Cancellarius, Baro de Oneil, &c.

Quam ad Dei gloriam, & audientium ædificationem, & proprii doloris levamen, pro concione proposuit

JOANNES FORBESIUS Filius.

MONITUM AUCTORIS.

Christiane Lector,

On ipsum exhibemus sermonem lingua nostra vernacula in cœtu publico habitum, sed summa rerum fastigia Latine delineata, quibus insistens viator adversa omnia contemnas, ac facile exuperes, per Christum *in corde tuo habitantem, qui te corroborat, tibique donat ut*

Celsior astrorum flammis & Numine plenus,
Hostica despicias agmina, tela, minas.

Conspicies enim cœlos apertos, & videbis gloriam Dei, *&* Jesum *stantem ad dexteram* Dei. (Act. 7. 55, 56.) *Habitabis in excelsis, munitiones rupium sublimitas tua, panis tuus dabitur tibi, aqua tua stabiles. Regem in decore suo videbunt oculi tui.* (Isa. 33. 16, 17.) *Ab auditione mala non timebis, quia paratum cor tuum, fidens* Domino. (Psal. 112. 7.)

Psalm. CX. 1.

Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis.

1. *Epigraphe.* Nte omnia Epigraphe Psalmi inspiciatur, לְדָוִד מִזְמוֹר, Septuag. *Ψαλμὸς τῷ Δαυίδ*, & ita passim ista verba in Psalmorum inscriptionibus interpretantur, quæ Psalmi scriptorem indicant Davidem.

2. *Rejiciuntur Judæorum infidelium deliria.* *Justinus Martyr* dialogo cum *Tryphone Judæo*, & *Tertullianus* lib. 2. adversus *Marcionem*, cap. 9. commemorant *Judæos* interpretari *Psalmum* hunc de *Ezechia* Rege, ac si illi esset a Domino dictum, *Sede a dextris meis*, &c. Ubi etiam hanc *παρεξήγησιν* prolixe refellunt Justinus & Tertullianus.

Chrysost. in hunc Psalmum refellit etiam quosdam insanos *Judæos Zorobabelem* hic intelligi somniantes.

Rabbi *David Kimchi* in hunc *Psalmum*: Hunc (inquit) *Psalmum* interpretantur magistri sive Rabbini nostri beatæ memoriæ de *Abrahamo* patre nostro, quando profectus est ad præliandum cum quatuor regibus, & exponunt, *Tu es sacerdos Deo Excelso*, nam conveniens visum est emanare inde sacerdotium, quia ipse erat מַלְכִּי־צֶדֶק *Rex justitiæ*; sicut dictum est, *& ipse Sacerdos Dei Excelsi*. (Gen. 14.) Verum, quoniam in benedictione sua præposuit *Abrahamum* Deo Excelso, abstulit Dominus [ille sanctus benedictus ille הקב״ה] sacerdotium ab illo, & dedit illud *Abrahamo*: Sicut dictum est, *Tu sacerdos in æternum*, עַל־דִּבְרָתִי מַלְכִּי־צֶדֶק, *propter sermonem illum quem loquutus est Melchisedec.* Hæc ille. Postquam autem commemoravit ibi *David Kimchi* stultam istam veterum Rabbinorum expositionem *Psalmi* hujus de *Abrahamo*, laudat aliam expositionem a Rabbi Abra-

Abrahamo filio Ezræ (qui dici consuevit *Aben-Ezra*) traditam, quam & Kimchius sequitur, non minore amentia Psalmum hunc de ipso Davide Rege exponens, quam olim antiquiores illi de Abrahamo. Ideo non ipsum Davidem, sed aliquem ex cantoribus de Davide cantantem hunc Psalmum introducunt Aben-Ezra & David Kimchi, & dicentem, *Dominus dixit Domino meo*, id est, *Davidi*; & inscriptionem לְדָוִד interpretantur בַּעֲבוּר דָּוִד *propter Davidem*; contra usitatissimum & ordinarium sensum hujus tituli in aliis Psalmis.

3. *David Spiritu sancto dictante hunc Psalmum vates cecinit.* Rectius Rabbi *Joseph* paraphrastes *Chaldæus*, in suo *Targum* in *Psalmos*, titulum hujus Psalmi CX. מִזְמוֹר לְדָוִד interpretatur עַל יַד דָּוִד תּוּשְׁבַּחְתָּא *laudatio per manum Davidis*. Sic etiam exponit inscriptiones *Psalmorum* CVIII. & CIX. quos ipsi *Davidi* tribuunt Rabbini sine controversia; quamvis ut plurimum in aliis Psalmis *Targumista* Hebraicum לְדָוִד retineat in sua paraphrasi. Divina tamen providentia factum est, ut in titulo hujus Psalmi CX. & duorum proxime antecedentium, clare & perspicue interpretaretur לְדָוִד, *per manum David*, ac si diceret, *per ministerium*, sive *per os Davidis*, usitatissimo Hebraismo. 1 *Reg*. 16. 34. & 2 *Reg*. 9. 36. & 10. 10. & 14. 25. & *Zach*. 7. 7.

4. *Argumentum & summa hujus Psalmi.* Est igitur hic *Psalmus Davidis*, quem suggerente Spiritu sancto cecinit ac scripsit David. Id quod etiam diserte asserit Dominus noster, inquiens, David in spiritu Dominum ipsum vocat, dicens; dixit Dominus Domino meo, &c. *Matth*. 22. Psalmus hic Propheticus est de regno & sacerdotio Servatoris nostri *Jesu Christi*. *Matth*. 22. 43. *Act*. 2. 34. *Hebr*. 1. & 8. 1. & 1 *Corinth*. 15. 25, 26.

Præmittitur decretum seu effatum Dei vers. 1. Subjicitur ejusdem explicatio de regno vers. 2, 3. de sacerdotio vers. 4. de utroque inde ad finem Psalmi.

5. *Analysis. vers. 1.* Nota in primo versu, 1. Quis sit loquutus; *Dominus dixit*. 2. Cui? *Domino meo*. 3. Quid? *Sede ad dexteram meam*, &c.

6. *Dixit JEHOVAH Domino meo.* *Dixit Jehovah*] Pater Filio dixit, non inspirando, neque externo intermediæ vocis ministerio, sed gignendo sapientiam suam, dedit ei omnia Patris placita. (*vide Aug. Tract.* 47. & 54. *in Evang. Joann*) Vel secundum humanitatem, cum ipsa humanitatis illius efformatio & unitio sit indivisum opus sanctissimæ Trinitatis, intelligenda est Trinitas dicens per decretum æternum de Christi Mediatoris exaltatione: *Etsi* per revelationem temporalem repræsentatur Pater loquens, sicut ad Jordanem, hic est Filius meus dilectus, *Matth*. 3. & *Ps*. 2. Tu es Filius meus. Non enim Trinitatis, sed solius Patris est Filius; neque sunt duo Filii, sed unus idemque Filius Dei, & Filius hominis, *Emmanuel*. Sic missio Christi hypostatice spectati a solo Patre est, at secundum dispensationem ἐνσαρκώσεως, missio ejus est opus commune Trinitatis. *Ambros. in Symbol. Apostolorum. cap*. 6. *August. lib*. 2. *de Trinitate. cap*. 5.

7. *Ubi audivit hoc David?* Ubi audivit hoc David? Respondet Augustinus Comment. in hunc Psalmum: Audivit in spiritu, ubi nos quando audivit, non audivimus; sed loquenti quod audivit, & scribenti credidimus. Audivit ergo prorsus: audivit in secretario veritatis, in quodam mysteriorum sanctuario, ubi Prophetæ in occulto audiverunt, quod in aperto prædicaverunt. Ibi audivit David, qui cum fiducia magna dixit, Dixit Dominus Domino meo, &c.

8. *Consectarium.* *Dominus dixit*; ergo certo & infallibiliter fiet. Vide Aug. in hunc Psalmum.

9. *Christus ut homo est Dominus Davidis, & sedet ad dexteram Dei.* *Domino meo*] Aug. Et eo ipso quod carnem accepit Christus, quod in carne mortuus est, quod in eadem carne resurrexit, quod eadem ascendit in cœlum, & sedit ad dextram Patris, & in eadem ipsa carne sit honorata, sic clarificata, sic in cœlestem habitum commutata, & Filius est *David*, & Dominus est *David*. Christo secundum carnem resurgenti, ascendenti, donavit nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, infernorum. Ubi erit David, & non ei sit Dominus? In cœlo sit, in inferno sit, Dominus ejus erit, qui est Dominus cœlestium, terrestrium & infernorum. Hac August. Commentario in hunc locum. Hieronymus etiam & Theodoret. in Commentariis in hunc Psalmum huic expositioni favent. Et Ambros. lib. 2. ad Gratianum Augustum.

10. *Objectio; sessio ista Deitatem probat sedentis: ergo homini non competit.* Attamen ex hoc loco *Dominus Jesus* adstruit contra Pharisæos suam divinitatem, αὐτοῦ τὴν θεότητα, καὶ τὸ ὁμότιμον πρὸς τὸν πατέρα; ut monent Hilarius, & Hieronymus, & Chrysostomus, & Theophylactus Comment. in *Matth*. 22. Et Chrysostomus & August. & Theodoret. Comment. in hunc Psalmum. Et Ambros. lib. 2. de fide, ad Gratianum Augustum, & in enarratione hujus Psalmi & in Apologia David posteriore cap. 4. ubi ait; Neque enim de filio suo diceret, *dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam*. Quomodo enim filium suum Dominum nominaret? Lex prohibet, repugnat religio, abhorret fides, ut ad dextram Dei omnipotentis mortalem hominem loces. Et diserte affirmat Hieron. Comment. in Matth. *Dominum* Davidis vocari, non secundum id quod de eo natus est, sed juxta id quod natus ex Patre semper fuit; præveniens ipsum carnis suæ Patrem.

11. *Solutio; nempe Deitatem illius personæ, nam simplici homini sessio ista non competit.* Quem Ambros. *mortalem*, Hieron. in Matth. clarius vocat *simplicem* hominem, Chrysost. ibidem ἄνθρωπον ψιλόν. Atque hinc patet difficultatis enodatio. Non enim homo ille esset Dominus Davidis, neque sederet ad dexteram Dei, nisi idem in unitate ejusdem personæ esset *Deus* & opifex Davidis, Patri consubstantialis, & æqualis, cui idcirco throni ejusdem consessus jure competit. Nec ob assumptam carnem eo jure excidit, sed idem ille homo peracta obedientia, quia etiam Deus est in illa carne, declaratur esse Deus, omniumque Dominus, ac propter dignitatem Personæ divinæ, adeoque inæstimabilem personalis obsequii in assumpta carne præstiti valorem, coronatur etiam secundum humanitatem honore & gloria super omnes creaturas, & in throno judiciario collocatur. Huc accommodat Oecumenius in cap. 1. ad Hebræos, illam Christi orationem ad Patrem: Et nunc, glorifica me tu, Pater, apud temet-ipsum, ea gloria, quam habui apud te, priusquam mundus esset. *Joh*. 17. 5. Unde Ambrosius in enarratione hujus Psalmi; Nec mirum, inquit, si unius est substantiæ & naturæ cum Patre. Et August. etiam in hunc Psalm. respondens illi quæstioni Domini, quomodo ergo David in spiritu dicit eum Dominum? &c. "Quomodo, inquit, nos diceremus, nisi a te disceremus? Nunc ergo " quia didicimus, dicimus. In principio eras Ver- " bum, & Verbum eras apud Deum, & Deus eras " Verbum. Omnia per te facta sunt. Ecce *Dominus* " David. Sed nos propter infirmitatem nostram " quia caro desperata jacebamus, Verbum caro " factus es, ut habitares in nobis. Ecce filius *David*. " Certe tu in forma Dei cum esses, non ra- " pinam arbitratus es esse æqualis Deo, ideo Do- " minus *David*; sed temetipsum exinanisti, for- "

„ mam servi accipiens, inde Filius *David.* Denique & in ipsa interrogatione tua, dicens, quo modo filius ejus est, non te filium ejus negasti, sed modum, in quo id fieret, inquisisti. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus *Emmanuel.* Hæc August. De eadem disserens Dominica quæstione Ambrosius, *in posteriore apologia David*, cap. 4. „ Una, inquit, quæstione *Dominus* noster *Jesus Christus* omnium „ Hæreticorum ora sepsit, sacrilegia conclusit. „ Non solum enim *Judæos*, sed & *Photinianos*, & „ *Arianos*, & *Sabellianos* hac redarguit quæstione, &c.

12. *Non propter solum Davidem hæc scripta sunt. Joh. 20. 28.*

Domino meo: Hoc quilibet fidelis sibi recte accommodat, & in illo suo *Domino* gloriatur, qui fidelium suorum peculiari modo gratiosus est *Dominus*, ad quem etiam clamant cum Thoma Apostolo, Domine mi & Deus mi.

13. *Effati Dominici duæ partes.*

Sede ad dexteram meam, donec &c. describitur his verbis 1. sublimitas exaltationis, *sede ad dexteram meam.* 2. effectus dominationis, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

14. *Prioris partis subdivisio.*

In priore membro sunt: modus dicendi, deinde res ipsa. Modus dicendi est quasi imperativus, seu mandativus. Hieron. in nunc locum; *Deus non sedet, assumptio corporis sedet, huic ergo præcipitur ut sedeat, qui homo est, qui assumptus est.* Hæc ille. *Audit quasi homo, sede, sedet vero quasi Dei Filius*, inquit Ambrosius posteriore apologia David, cap. 4. Non quod alius audiat, alius sedeat, sed quia homini honor datur propter dignitatem Personæ Filii Dei. Qui (ut loquitur Ambros. lib. 2. de fide) non ex præcepto, neque ex gratia, sed quasi dilectissimus Filius ad dexteram Dei sedet. Et paulo post ibidem Ambros. ait: Christus ut sedeat non quasi jussus obsequitur, sed quasi Filius dilectissimus honoratur.

15. *Modus dicendi. Sede.*

Chrys. serm. 2. in epistolam ad Hebræos in cap. 1. vers. 3. Οὐκ εἶπεν, ὅτι ἐκέλευσεν, ἢ προσέταξεν, ἀλλ᾽ ὅτι εἶπε (κάθου)· καὶ τοῦτο δι᾽ οὐδὲν ἕτερον, ἀλλ᾽ ἵνα μὴ ἄναρχον αὐτὸν νομίσῃς καὶ ἀναίτιον. Ὅτι γὰρ διὰ τοῦτο οὕτως εἴρηκε, δῆλον ἐκ τοῦ τόπου τῆς καθέδρας. Id est: Non dixit, quod jusserit vel imperaverit, sed quod dixerit *sede:* Et hoc propter nihil aliud, nisi ut eum nequaquam existimes sine principio & sine auctore. Quod enim propter hoc sic loquutus sit, manifestum est ex loco sedis. Idem repetit Oecumenius, Comment. in cap. 1. ad Hebræos, explicans illa verba: *sede a dexteris meis*; ubi ait hoc manifestum esse ex loco sedis, qui honoris æqualitatem τὸ ὁμότιμον indicat. Et addit; Vel quia alio modo non poterat Propheta significare consensum ac voluntatem Patris ut sederet, usus est verbo *sede.* Magnum (inquit) hoc est, nec tantum supra humanam naturam, verum etiam supra omnem creaturam. Attamen ob humanam quoque naturam hoc ei dictum est, [ἀνθρωπίνως καὶ αὐτῷ εἴρηται] nam Filius, quatenus Deus est, sempiternum habet thronum: Thronus tuus, inquit, Deus, in seculum seculi. Neque enim post crucem & passionem hoc honore donatus est Deus; sed ut homo accepit, quod jam habebat ut Deus. ——— Ut homo igitur audit, *sede a dextris meis*, nam ut Deus æternum habet imperium. Hæc Oecumenius.

16. *Deum Patrem autorem & principium Filio vocat Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. & 17.*

Dominus Pater (inquit Ambros.) Domino Deo Christo Filio throni sui offert sublimem consessum, honoris gratia ad dexteram suam illum æterna sede constituit. Hæc Ambros. in hunc Psalm.

17. *Res ipsa.*

Res ipsa, *sede ad dexteram meam.* Quid hac (inquit Ambros. poster. apol. David, cap. 4.) potest dici præcellentius potestate, quæ etiam carnem hominis ad dexteram Dei collocavit? Et infirmum illud conditionis humanæ (postquam tamen Verbum caro factum est) divinitati copulavit æternæ? Idem in enarratione hujus Psalmi; Secundum consuetudinem (inquit) nostram, illi consessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adveniens, honoris gratia promeretur ut sedeat. Ita ergo & homo Jesus Christus passione sua Diabolum superans, resurrectione sua inferna reserans, tanquam perfecto opere ad cœlos victor adveniens, audit a Deo Patre, *sede ad dexteram meam.* Nec mirum est, si unius sedis offertur Filio consessus a Patre, qui unius est substantiæ & naturæ cum Patre. Hæc ille. *Sede.*

18. *Quid significet Christi sessio, quid ejusdem statio ad dextram Patris.*

Idem ibidem: Videamus quæ sit ratio quod idem Dominus a David sedens prophetatur, stans vero a Stephano prædicatur: *Ecce video cœlos apertos, & Jesum stantem ad dexteram Dei.* (*Act.* 7. 56.) Primo omnium Deus qui incorporeus & invisibilis est, sedere aut stare quomodo potest? Deinde autem quali subsellio sedeat Deus, qui infinitus est & immensus, intra se ipse magis creaturam cunctam continens? Hæc autem propterea a sanctis viris dicta arbitror esse de Domino, non quo sint contraria sibi, sed ut modo ejus *potentia*, modo *misericordia* describatur. Nam utique pro potestate Regis, sedere dicitur, pro bonitate Intercessoris, stare suggeritur. Ait enim beatus Apostolus; quia Advocatum habemus apud Patrem *Jesum Christum.* (1 *Joh.* 2. 1.) *Judex* ergo ut *Christus*, cum residet: *Advocatus*, cum assurgit. Judex plane Judæis, Advocatus Christianis. Hic enim stans apud Patrem, Christianorum licet peccantium causas exorat: ibi residens cum Patre, Pharisæorum persequentium peccata condemnat. Illis indignans vehementer ulciscitur, his interveniens leniter miseretur. Hic stat, ut Stephani suscipiat Martyris spiritum; ibi residet, ut condemnet Judæ proditoris admissum. Hæc ibi Ambrosius.

19. *Dextera Dei.*

Dextra Dei, non est corporis Dei pars, nam Deus spiritus est, incorporeus, immensus, impartibilis, &c. sed potentiam denotat & majestatem Christo datam. Dextera Domini agit strenue, dextera Domini elata, *Psal.* CXVIII. ubi dextera potentiam denotat. Et Christus de hac sua sessione dixit; ab hoc tempore videbitis Filium hominis sedentem ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, ad dexteram potentiæ. *Matth.* 26. 64. Et Apostolus de eadem ait, Ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης, ἐν ὑψηλοῖς, *Hebr.* 1. 3. sedit ad dexteram Majestatis in excelsis. In quem locum Chrys. Εἰπὼν, ἐν δεξιᾷ, οὐκ ἐσχημάτισεν αὐτὸν, ἀλλὰ τὸ ὁμότιμον ἔδειξε τὸ πρὸς τὸν πατέρα. Id est: Dicens, *ad dextram Dei*, non illi (Patri) figuram tribuit, sed eundem ostendit honorem Filii & Patris. Idem in expositione hujus Psalmi: Ubi idem est thronus, ejusdem est regni par honor, *ἰσοτιμία.* Et paulo post: Quemadmodum nos majorem Patre non dicimus, quia ad dexteram sedem habet honoratissimam; sic neque tu minorem dicito & inferiorem, ἀλλ᾽ ἰσότιμον καὶ ἴσον. Τοῦτο γὰρ ἡ κοινωνία τῆς καθέδρας δηλοῖ, sed honore parem & æqualem: hoc enim communio sedis manifestum facit.

20. *1. Ratio, cur ad dextram Christus, ut ostendatur æqualis Patri, quoad Deitatem.*

Sic Ambros. in hunc Psalm. Ideo ad dextram sedit Filius, non quo præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur.

21. *2. Ratio, ut locum ovibus*

Addit vero ibidem Ambrosius: Et ideo ad dextram Filius, quia, secundum Evangelium, ad dexteram oves, ad sinistram vero constituentur

destinatum Pastor anticipet. Apoc. 14. tur hœdi. Necesse est ergo ut ovium partem primus Agnus obtineat, & sequuturo immaculato gregi locum Dux immaculatus anticipet: Sicut ait Johannes in Apocal. dicens: Hi sunt qui sequuntur Agnum quocunque vadit, qui se cum mulieribus non coinquinaverunt. Hæc Ambrosius.

Eodem sensu August. Dicamus, inquit, quomodo id quod Altissimus suscepit ex nobis in cœlum levaverit, ad dexteram Patris collocaverit, ac fidei nostræ certum pignus dederit, ut secura sint membra de tanto capite, fideliterque sperent ad ipsum se posse pervenire, quem jam credunt ad dexteram Patris sedere. Sessionem

22. *3. Ratio, ut demonstratur eum accepisse potestatem judicantis, secundum humanitatem.* istam, dilectissimi, non accipiatis humanis membris positam, tanquam Pater sedeat in sinistra, ut Filius sedeat ad dexteram, sed ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit homo ille susceptus a Deo, ut veniat judicaturus, qui prius venerat judicandus. Lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos, cap. 7. Et postea lib. 3. cap. 7. Hoc, inquit, quod Filius dicitur sedere ad dexteram Patris, demonstratur quod ipse homo quem suscepit Christus, potestatem acceperit judicantis. Hæc Augustinus.

23. *Quomodo nos viatores fideles in Christo sedeamus in cœlestibus.* Ambrosius epist. 37. ad Irenæum, explicans quomodo nos sedere fecerit Deus in cœlestibus in Christo, sicut docet Apostolus *Ephes.* 2. Non quo quisquam hominum (inquit) prærogativam sedendi meruerit in illa sede Dei, de qua Pater soli Filio dixit, *Sede a dextris meis*; sed quia in illa carne Christi per consortium ejusdem naturæ, caro omnis humani generis honorata est. Hæc ibi. Sed addendum erat ex illo loco Apostoli, altiorem etiam & solis eis qui cum Christo vivificati & suscitati sunt peculiarem datam esse nobis prærogativam & excellentiam sessionis in cœlestibus in Christo; qui ibi sedet caput nostrum, membris suis inde vigorem infundens, & locum æternum parans. Quem fide tenemus & spe possidemus: quam spem velut animæ ancoram habemus tutam & firmam, & ingredientem usque in ea quæ sunt intra velum; quo præcursor pro nobis ingressus est Jesus. *Hebr.* 6. 19, 20. Benedixit nobis Dominus omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, *Ephes.* 1. 3.

24. *Quo sensu dicantur comprehensores sedere in throno Christi cum ipso.* Qui vicerit (inquit), dabo ei ut sedeat mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ipsius. *Apocal.* 3. *v.* 21. Id quod intelligendum est de congrua quadam honoris participatione, non autem de honoris æqualitate. Sicut alibi dixit; ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. *Joh.* 17. 22. Ubi non idem intelligendus est unitatis modus inter Christum & fideles, qui est inter Deum Patrem & Filium; quamvis & hic & illic sit beata quædam unitas; nempe inter Patrem & Filium substantialis, & inter Christum & Ecclesiam mystica ac spiritualis, per quam effici dicimur *divinæ consortes naturæ.*

25. *Inseparabilis a Patre Filius. Filius potentia Dei, dextra Patris.* Quando dicitur Filius sedere ad dexteram Patris, non separantur Pater & Filius, nam hi duo unum sunt, i. e. unus indivisus Deus. Ipse Filius est potentia Dei. 1 *Corinth.* 1. 24. Est effulgentia gloriæ, & character personæ ipsius, sustinens omnia verbo potentiæ suæ. *Hebr.* 1. 3. Unde Ambros. lib. 5. de fide, cap. 1. ait Filium esse dexteram Patris.

26. *Christi humanitas non est* Neque tamen existimandum est, quia Deitas ubique est, ideo Christi humanitatem jam ubique esse. Nam profectus est in cœlum, *Act.* 1. 11. ascendit in cœlos, *Act.* 2. 34. vel, ut loquitur Paulus Apostolus, supra omnes cœlos, *Ephes.* 4. 10. ibi sedet ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *Ephes.* 1. 20. ἐν ὑψηλοῖς. *Hebr.* 1. 3. ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Hebr.* 8. 1. Cœlum thronus Dei. *Isai.* 66. 1. Habitaculum sanctitatis & gloriæ ejus. *Isa.* 63. 15. Christum oportet cœlum capere, donec impleantur oraculorum prophetica. *Act.* 3. 21. E cœlo veniet ad judicium. *Phil.* 3. 20. 1 *Thess.* 4. 16. καταβήσεται ἀπ' οὐρανοῦ. *ubique. Ostenditur id testimoniis sacr. Script.*

Justinus Martyr in Apolog. 2. pro Christianis: Quod vero, inquit, Christum post resurrectionem a mortuis Pater omnium Deus cœlo illaturus fuerit, atque ibi tantisper detenturus [ἀγαγεῖν εἰς τὸν οὐρανὸν ἔμελλε, καὶ κατέχειν ἕως ἂν πατάξῃ], dum hostiliter adversantes ei Dæmones percutiat, & eorum numerus qui boni atque probati esse ab eo præcogniti sunt, expleatur; propter quos etiam nondum extremam rerum consummationem fecit: Prophetæ Davidis audire verba, quæ sunt hæc: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet*, &c. Hæc Justinus. 27. *Et testimoniis Patrum.*

Ambrosius Tractatu in Symbolum Apostolorum, cap. 6. Sequentes (inquit) Filium Dei Jesum, qui penetravit cœlos, & in dextera sedens, & omni consistens loco, nihil suæ præsentiæ vacuum dereliquit; licet eum unius loci spatio contineri ratione corporis pro nostra salute suscepti putemus, non tamen circumscriptam divinitatis & incorporalitatis suæ naturam. Et postea cap. 22. Hæc, inquit, vera resurrectio, quæ sic gloriam tribuit carni, ut non auferat veritatem. Hæc Ambrosius. 28. *Unius loci spatio continetur Christus ratione corporis.* 29. *Manet veritas carnis.*

Noli itaque dubitare (inquit Aug. epist. 57.) ibi nunc esse hominem *Christum Jesum*, unde venturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit a mortuis, ascendit *in cœlum*, sedet ad dexteram Patris, *nec aliunde quam inde venturus* est ad vivos & mortuos judicandos. Et sic venturus est illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem corporis forma atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam, *Non est putandus ubique diffusus.* Cavendum est enim ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. —— Una enim persona *Deus* & homo est, & utrumque est unus *Christus Jesus*, ubique per id quod *Deus* est, *in cœlo autem per id quod homo.* Hæc Aug. epist. 57. ad Dardanum, in solutione quæst. 1. Idem etiam Tractatu 50. in Evangelium Johannis, "Secundum carnem quam Verbum assumpsit, implevit quod ab eo dictum est, non semper habebitis me vobiscum. Quare? quoniam conversatus est secundum corporis præsentiam 40. dies cum discipulis suis, & eis deducentibus videndo, non sequendo, ascendit in cœlum, *& non est hic: ibi enim sedet ad dexteram* Patris: & hic est; non enim recessit præsentia majestatis. Et Serm. 146. de tempore; ascendit in cœlum, *ibi est ad dextram* Patris, non est venturus nisi in ultimo seculo, ad judicandum vivos & mortuos. Hactenus Aug. 30. *Ibi manet eadem forma, & substantia & natura corporis. Vide Fulgent. lib. 2. ad Trasimundum prope finem libri.* 31. *"Non est "hic, ibi "est ad "dexteram Patris."*

Donec, עַד, ἕως] Monent Chrys. in hunc Psal. & Oecum. in cap. 1. ad Hebræos, ex Photio & Gregorio Nazian. τὸ ἕως non esse hic temporis terminum, ac si sedere desiturus esset post debellationem hostium, sed eo tantum significari certitudinem victoriæ. Sic Theodoret. in hunc Psal. Hæc (inquit) particula, *donec*, non tempus significat, sed sacrarum literarum est idioma. Sic per 32. *Donec.*

per Vatem ait Deus, & donec senio confecti eritis, ego sum, Esai. 46. 4. Simile est dictum illud Apostolicum, oportet enim ipsum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedes suos. 1 Cor. 15. 25. Attamen, ut prædixit Daniel, & postea Gabriel, regni ejus non erit finis, & sancti cum eo æternum regnabunt. Illam autem traditionem regni Deo ac Patri 1 Cor. 15. 24.

33. *Quo sensu dicatur Christus traditurus regnum Deo & Patri.*

recte interpretatur Chrysost. ibi, & in hunc Psalmum, non abdicationem, sed κατόρθωσιν τῆς βασιλείας, id est, perfectionem regni, per plenariam subjugationem omnis adversariæ potestatis; ut patet ex verbis Apostoli eodem versu. Adde interpretationem illam Augustini: Quid est ergo, inquit, *cum tradiderit regnum Deo & Patri:* quasi modo non habeat regnum Deus & Pater? Sed quia omnes justos, in quibus nunc regnat ex fide viventibus, Mediator Dei & hominum, homo *Christus Jesus* perducturus est ad speciem, quam visionem dicit idem Apostolus facie ad faciem: ita dictum est, cum tradiderit regnum *Deo* & Patri, ac si diceretur, cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei & Patris. Hæc August. lib. 1. de Trinitate, cap 8. Ubi evacuationem principatus omnis & potestatis aliter interpretatur quam Chrysost. sic enim August. Tunc revelabitur a Filio Pater, cum evacuaverit omnem principatum & omnem potestatem & virtutem, i. e. ut necessaria non sit dispensatio similitudinum per Angelicos principatus, & potestates, & virtutes. Hæc ille. Simpliciter tamen & tutior videtur illa Chrysostomi interpretatio, de evacuatione potestatis Dæmonum dominantium adhuc in tenebris hujus seculi, & servis Dei bella moventium, Ephes. 6. Quomodo etiam verba hæc interpretatus est auctor quæst. & resp. ad Orthodoxos, quæ Justino Martyri tribuuntur, ad qu. 81. Et favet Justinus Apol. 2. verbis superius citatis.

Eodem sensu legitur *donec*, ut certam operis perfectionem, non autem temporis limitationem designet. Genes. 28. 15. Psal. 112. 8. Matth. 1. ult.

34. *Ponam.*

Ponam] Quicquid facit Pater ad extra, id facit Filius, id facit Spiritus sanctus. Ideo recte August. Nec quisquam (inquit) ita existimet de Patre intelligendum, quod subjecerit omnia Filio, ut ipsum Filium sibi omnia subjecisse non putet. Quod Apost. ad Philip. ostendit, dicens: Nostra autem conversatio in cœlis est, unde & Salvatorem expectamus *Dominum Jesum Christum*, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, conforme ut fiat corpori gloriæ suæ, secundum operationem suam, qua possit etiam sibi subjicere omnia. Inseparabilis enim operatio est Patris & Filii, alioquin nec ipse Pater sibi subjecit omnia, sed Filius ei subjecit, qui ei regnum tradit, & evacuat omnem principatum. Ipse enim subjicit qui evacuat. Nec se arbitremur *Christum* traditurum regnum *Deo* & Patri, ut adimat sibi, &c. Hæc August. lib. 1. de Trinitate, cap. 8.

Philipp. 3. Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.

Chrysost. etiam in hunc Psal. ut ostendat Christum sibi hostes subjicere, adducit illud Pauli Apostoli testimonium, oportet illum regnare donec ponat inimicos sub pedes suos. 1 Cor. 15. 25

35. *Christus homo ad dexteram Dei tum ut Rex, tum ut Sacerdos.*

Hic autem meminisse debemus, Christum hominem esse ad dexteram potentiæ & majestatis in cœlestibus, non solum ut omnium heredem & regem Hebr. 1. sed etiam ut sacerdotem Rom. 8. Hebr. 8. qui non solum jure & auctoritate regali præsit cœlo & terræ, sed etiam sacerdotali intercessione obtineat ut quicquid fieri vult, is effectum reddat divina omnipotentia. Gaudete vos vere Christiani. Nemo rapiet Christi oves de manu ejus. Væ inimicis Christi, nisi ex inimicis fiant amici.

36. *Scabellum pedibus.*

Scabellum pedibus] Id est, sub pedibus, 1 Cor. 15. 25. Ephes. 1. 22. *Omnes oportet subjterni pedibus ejus, aut per gratiam, qua ex inimico fit humilis Cultor ejus, aut per victoriam Regis ac Judicis, ad pœnam æternam. Quare ergo quem locum habeas sub pedibus Dei tui; nam necesse est habeas, aut gratiæ, aut pœnæ*, ait August. in hunc locum. Non solum terra dicitur scabellum pedum Domini Isa. 66. 1. & terreni hominis, seu inimici ejus hoc loco; sed etiam sanctuarium ejus in terris appellatur scabellum pedum ejus, seu locus pedum ejus. Psal. 99. Isa. 60. 13. Thren. 2. 1.

37. *Inimici tui Ps. 2.*

Qui inimici ponuntur scabellum pedum ejus? Respondet Augustinus in hunc Psalmum: Quibus frementibus & inania meditantibus dicitur; quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? &c. Dixit Dominus; frement illi, meditentur inania, perstrepant, numquid non implebitur? Hæc ille.

Theodoretus in hunc locum; Inimici ejus potissimum Diabolus, & hujus ministri Dæmones, & qui ejus divinis præconiis resistunt, nimirum Judæi & Græci.

August. Judæis & Paganis addit Hæreticos & falsos fratres, in quorum omnium medio Christus prædicitur dominaturus.

38. *Quatuor ordines inimicorum Christi.*

Latius & plenius existimo exponi posse inimicos hoc loco, quatuor ordinum.

1. Diabolus diserte appellatur ὁ ἐχθρὸς Matth. 13. 39. Cui adjunge πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ, i. e. Spiritus immundos Luc. 10. 19. Lucta nobis est adversus principatus & potestates, adversus τοὺς κοσμοκράτορας mundipotentes tenebrarum seculi hujus, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Ephes. 6. 12.

2. Peccatum est inimicum Deo contra quem admittitur, & homini qui hoc veneno a Serpente perimitur, aut seipsum perimit: τὸ Φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος, nempe homini peccatori; item τὸ Φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεὸν &c. Rom. 8. Hinc in viatoribus regenitis lucta illa inter carnem & spiritum. Rom. 7. Gal. 5.

3. Mundus ingentem sub Diaboli vexillo ducit exercitum, tum hominum credere Evangelio recusantium, credentes persequentium, doctrinam aut pacem Catholicam turbantium; tum malarum tentationum a dextris & a sinistris irruentium. ὁ κόσμος, ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. 1 Joh. 5. 19.

4. Denique mors inimicis Christi membrorumque ejus accensetur. 1 Cor. 15. 26.

39. *Omnium inimicorum nos facit victores. Coloss. 3. 1.*

Hos omnes inimicos vincit, debellat, & sibi subjicit Christus, eorundemque victores nos omnes facit, quicunque in illo fiduciam puro corde habemus, quicunque sapimus, & quærimus quæ sunt sursum, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Coloss. 3. 1.

40. *Dat nobis victoriam de Diabolo.*

1. Diabolum sub pedibus nostris conterit. Rom. 16. 20. Hebr. 2. 14, 15. Apocal. 12. 11. omnemque ejus hostilem potentiam, Luc. 10. 19. Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum: Si quis (inquit) altercans dicat: & quomodo fieri potest ut caro imbecilla resistat potestatibus & spiritibus dominationum? illud sciat, quod Omnipotenti & Domino freti, in eoque habentes fiduciam adversamur potestatibus tenebrarum & morti [ὅτι τῷ Παντοκράτορι καὶ τῷ Κυρίῳ θαῤῥοῦντες, ἀντιπολιτευόμεθα ταῖς ἀρχαῖς τοῦ σκότους καὶ τῷ θανάτῳ]. Adhuc te loquente, inquit, dicet, ecce adsum.

Invictus adjutor noster. adsum. Isai. 58. 9. Vide adjutorem invictum, qui nos defendit. Ὅρα τὸν ἀήττητον βοηθὸν, τὸν ὑπερασπίζοντα ἡμῶν.

41. *2. De peccato.* 2. Peccatum opus Diaboli ut solveret, manifestatus est Filius Dei. 1 Joh. 3. 8. Datur nobis tum contra reatum peccati, tum contra pestiferam ejus luem, victoria per sanguinem Agni, qui mundat nos ab omni peccatu. 1 Joh. 1. 7. Qui Agnus Dei tollit peccatum mundi. Joh. 1. 29. Purgationem peccatorum nostrorum per seipsum fecit. Hebr. 1. 3. Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Apocal. 1. 5. In illo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ipsius. Ephes. 1. 7. Eum proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius. Rom. 3. 25. Hinc per eum pacem habemus cum Deo. Rom. 5. 1. In illius mortem baptizati sumus. Rom. 6. 3. Per illum liberati a lege, constituimur sub gratia, unde fit, ut non dominetur nobis peccatum. Roman. 6. & 8. vers. 2, 3, 4. Qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & cupiditatibus. Galat. 5. 24. Ille nos gratia sua sufficiente semper efficaciter solatur & sustentat. 2 Corinth. 12. 9.

42. *3. De mundo.* 3. De mundo etiam ejusque omnigenis copiis victoriam nobis donat. Confidite: ego vici mundum. Joh. 16. ult. Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum; & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est ille qui vincit mundum, nisi qui credit quod Jesus est Filius Dei? Joh. 5. 4, 5. Per illum mundus nobis crucifixus est, & nos mundo. Galat. 6. 14. Plus quam victores nos facit ille qui dilexit nos. Rom. 8. 37. Qui nunquam nos deseret neque derelinquet, adeo ut confidenti animo dicamus, *Dominus est mihi adjutor, nec metuam quid faciat mihi homo*, Hebr. 13. 5, 6. Hinc omnia valemus per Christum, qui nos corroborat. Philipp. 4. 13. Scientes eis, qui diligunt Deum, omnia cooperari in bonum: & illum qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, omnia etiam cum eo nobis gratificaturum. Rom. 8. 28. 32.

43. *4. De morte.* 4. Ultimus hostis aboletur mors 1 Cor. 15. 26. mortis autem, per Dei gratiam in Christo nobis datam, victores constituimur, tum in hac vita, tum in vita futura.

Victores morti sumus in hac vita. Tum æterna mortis, quæ secunda dicitur. Nam in hac vita per Christum liberamur a metu mortis. Hebr. 2. 15. Mortis, inquam *tum æternæ* illius, quæ secunda mors dicitur; nulla enim condemnatio est eis qui sunt in Christo Jesu. Rom. 8. 1. Et Spiritus ejus testatur una cum spiritu nostro, nos esse Dei filios. Ibid. vers. 16. adeoque nullam esse nobis condemnationem. Hic spiritus non est servitutis ad mortem, sed adoptionis spiritus, per quem clamamus, *Abba, Pater*. ibid. vers. 15. Et Servator noster ait; Amen, Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam; & in condemnationem non venict, sed transivit a morte in vitam. Joh. 5. 24. Qui ex hoc pane vitæ comederit, *non morietur*, sed *vivet in æternum*, *habet vitam æternam*. Joh. 6. 50, 51, 54.

44. *Tum temporalis mortis, qua moritur corpus: cujus metum vincimus.* *Tum etiam temporalis* mortis, qua corpus moritur, victores sumus, in hac vita, vincendo mortis metum, tergemina eaque haudquaquam fallente persuasione & confidentia.

1. Quia persuasi sumus neque mortem, neque vitam, posse nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Roman. 8. 38, 39.

45. *Secunda certitudo* 2. Quia scimus, si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet, non manufactum, æternum in cœlis, 2 Corinth. 5. 1. Confidentes igitur semper, & scientes nos dum adsumus in corpore, peregre abesse a Domino: (per fidem enim ambulamus, non per speciem) confidentes autem animo sumus, & gratius est nobis abesse ex corpore, & adesse apud Dominum. ibid. vers. 6, 7, 8. *per quam in hac vita mortem corporis vincimus.*

Hinc Cyprianus: “Quod interim (inquit) morimur, ad immortalitatem morte transgredimur; nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire. Non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso, ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? lib. de mortalitate. Et supra eodem libro: Ejus est mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim, justum fide vivere. Si justus es, & fide vivis, si vere in Deum credis, cur non, cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris; & quod Diabolo careas? Simeon lætus de morte jam proxima, & de vicina accersitione securus, accepit in manus puerum, & benedicens Deum exclamavit, & dixit, *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum*, Luc. 2. 29. probans scilicet, atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus; quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fidei tranquillitas, illa stabilis, & firma, & perpetua securitas. Et paulo post: Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus de hoc mundo recedenti tibi immortalitatem pollicetur, & tu dubitas? Hoc est Deum omnino non nosse; hoc est, Christum credentium Dominum & Magistrum peccato incredulitatis offendere; hoc est, in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere. Quantum prosit exire de seculo, Christus ipse salutis atque utilitatis nostræ Magister ostendit; qui, cum discipuli ejus contristarentur, quod se jam diceret recessurum, locutus est ad eos, dicens; *si me dilexissetis, gauderetis, quoniam vado ad Patrem*. Docens scilicet, & ostendens, cum chari, quos diligimus, de seculo exeunt, GAUDENDUM POTIUS QUAM DOLENDUM. Quorum maximum computat Apostolus pressuris exemptum ad lætitiam salutis æternæ, Christo vocante, proficisci. *Et postea:* Mori plane timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur. Mori timeat, qui ad secundam mortem ex hac morte transibit. Mori timeat, quem de seculo recedentem, perennibus pœnis æterna flamma torquebit. Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur ut cruciatus ejus & gemitus interim differatur. Mortalitas ista ut Judæis & Gentilibus & Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est. Hoc quod sine ullo discrimine generis humani, cum injustis moriuntur & justi, non est quod putetis bonis & malis interitum esse communem. AD REFRIGERIUM JUSTI VOCANTUR, ad supplicium rapiuntur injusti. *Et inferius:* Nobis præceptum est, ut contestarer assidue & publice prædicarem, fratres nostros non esse lugendos accersitione Dominica de seculo liberatos; cum

Cypr.

46. *Non exitus sed transitus.*

47. *Tunc incipiunt regnare cum Christo.*

48. *Tunc est pax Dei servis, quando hinc migraverint.*

49. *Hoc sine dubitatione credendum.*

50. *Gaudendum. Proficiscuntur ad lætitiam salutis æternæ.*

51. *Salutaris excessus*

ad refrigerium.

Non lugendi, non

“scia-

amittuntur, sed præmittuntur. Desiderari debent, non plangi. Vivunt apud Deum.

„ sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent, DESIDERARI eos debere, non PLANGI: non accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint: occasionem dandam non esse Gentilibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus. *Et postea*: Potius fratres dilectissimi mente integra, fide firma, virtute robusta, parati ad omnem voluntatem Dei simus, pavore mortis excluso, immortalitatem quæ sequitur cogitemus. Hoc nos ostendamus esse quod credimus, ut neque carorum lugeamus excessum; & cum accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter & lubenter ad Dominum ipso vocante veniamus. *Et paulo post*: Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo;

52. *Libenter moriamur quia ad Dominum imus: paradiso restituimur & regno cœlesti.*

qui nos istinc ereptos, & laqueis secularibus exsolutos paradiso restituit & regno cœlesti. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus; quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat,

53. *Patria nostra paradisus.*

parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi?

54. *Illic summa & perpetua felicitas cum Apostolis, Prophetis, &c.*

Quam summa & perpetua felicitas? Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus, triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis continentiæ robore subegerunt, remunerati misericordes qui alimentis & largitionibus pauperum justitiæ opera fecerunt, qui dominica præcepta servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus; ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus. Hæc omnia Cypr. lib. de mortalitate.

55. *Status omnium animarum a corporibus separatarum, quæ ad secundam mortem non transeunt.*

Ex his patet quæ fuerit Cypriani sententia de statu animarum a corporibus separatarum, nempe omnes fidelium animas, omnes hominum animas quæ gehennæ ignibus non mancipantur, ibique æternis pœnis torquentur, quæcunque ad secundam mortem non transeunt; eas omnes, moriente corpore, ad Christum ire, cum Christo incipere regnare, pacem & liberam ac tranquillam quietem tunc consequi, sedis & securitatis æternæ portum petere, ad immortalitatem venire, & fidam tranquillitatem, stabilemque & firmam ac perpetuam securitatem, ad lætitiam salutis æternæ proficisci, ad refrigerium vocari, non amitti, sed præmitti, ad Dominum venire, paradiso restitui & regno cœlesti, in patriam regredi, ibique apud Deum vivere, in summa & perpetua felicitate esse, cum Apostolis, & Prophetis, & Martyribus. Unde colligit, cum cari, quos diligimus, de seculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum, desiderari eos debere, non plangi, nec accipiendas esse hic atras vestes; quando illi ibi indumenta alba jam sumserint; & cum accersitionis propriæ dies venerit, nos debere incunctanter & libenter ad Dominum ipso vocante venire; amplecti diem qui nos paradiso restituit & regno cœlesti.

56. *Excluditur purgatorium e verum natura.*

Quæ certe commentitios *Purgatorii* cruciatus prorsus evacuant. Quod figmentum illa etiam ratio evidenter evertit, qua utitur Cyprianus, ut Christianis timorem mortis excutiat; quia videlicet solis reprobis hoc mora longiore confertur, ut cruciatus eorum & gemitus interim differatur. Quod utique verum esse non posset, si alicui electo statim post mortem sustinendus esset cruciatus Purgatorii, ut somniant Papistæ:

57. *Mors Papistarum horroris plena.*

quos idcirco mirum non est illibenter & trepidantes mori, moram semper longiorem optantes, qua cruciatus quem in Purgatorio sustinendum sibi metuunt, interim differatur. Cypr. autem manifeste docuit, omnes fideles, omnes qui Christi cruce & passione censentur, omnes qui ad secundam mortem de hac morte non transeunt, quando de seculo exeunt eximi pressuris, & ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci, & illo die, quo hinc exeunt, exsolvi laqueis, paradiso restitui, in patriam regredi.

58. *Refellitur falsa glossa Pamelii.*

Jacobus Pamelius injusto glossemate patrocinium Purgatorii affingit Cypriano scribenti ad Antonianum, epist. 52. *aliud esse pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse.* Neque enim verbis illis loquitur Cypr. de igne aliquo purgante post mortem corporalem, sed de dolore pœnitentium in hac vita, quo tanquam igne cruciati purgantur. Non enim comparatio illic instituitur a Cypr. inter defunctos glorificatos & defunctos cruciatos; sed inter Martyres qui alacriter pro Christi nomine vitam suam ponunt, & lapsos ad pœnitentiam admissos. Quod sic probo 1. ex verbis ipsius Cypr. eodem illo loco: Nec putes frater clarissime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quod lapsis taxata sit pœnitentia, & quod pœnitentibus spes pacis oblata. Manet vero fidentium robur immobile, & apud timentes & diligentes corde toto Deum stabilis & fortis perseverat integritas. Nam & mœchis a nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen virginitas in Ecclesia deficit, aut continentiæ propositum gloriosum per aliena peccata languescit. Floret Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ servat; nec quia adultero pœnitentia & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur. Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire. Aliud missum ad carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem. Aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse. Hæc ibi. 2. Eodem modo accipit atque interpretatur ignem illum (cujus mentio fit 1 Cor. 3.) August. in Enchiridio cap. 68. & lib. 21. de C. D. cap. 26. & lib. ad Dulcit. qu. 2. nempe, ut ignis sit tentatio tribulationis in hac vita, ustio autem sit dolor de amissione rerum temporalium quo uri mavult pœnitens quam Christo carere. Non autem intelligendum esse ignem illum Purgatorii quem imaginantur Papistæ, vel illa una ratio manifeste evincit, quam adfert August. loco citato. Ignis, inquit, de quo loquutus est eo loco Apostolus Paulus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, & qui ædificat aurum, & qui ædificat fenum. Adjunxit enim; uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit &c. Quo argumento etiam recedendum est ab expositione Chrysostomi, qui in commentario illius loci, ignem illum interpretatur ignem æternum, quo cruciantur damnati. 3. Perversam Pamelii glossam destruit constans Cypriani

Matth. 5. 1 Cor. 3.

59. *Expositio ignis, de quo 1 Cor. 3.*

priani doctrina de requie & lætitia in paradiso, quam omnibus animabus fidelium dari ait, quando hinc exeunt. Hanc doctrinam libro de Mortalitate, prolixe & perspicue tradidit. Et ineandem sententiam scribit ad Demetrianum:

60. *Fideles & sero pœnitentes sub ipsa morte paradisus hospitium immortalitatis & copia regni cœlestis excipit.*

„ Nec separari generi humano ab invicem datur, nisi istinc de seculo recedatur. Intra unam domum boni & mali interim continemur: quicquid intra domum evenerit, pari forte perpetimur; donec ævi temporalis fine completo, ad æternæ vel mortis vel immortalitatis hospitia dividamur. --- Quid hoc ad Dei servos, quos paradisus invitat, quos gratia omnis & copia regni cœlestis expectat? —— Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus; hic vita aut amittitur, aut tenetur; hic saluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei providetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis, quo minus veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad Indulgentiam Dei aditus, & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu, pro delictis roges, & Deum qui unus & verus est confessione & fide agnitionis ejus implores: venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de divina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hæc Cypr. prope finem libri ad Demetr.

Manifestum est igitur Cyprianum constanter prædicasse transitum omnium animorum fidelium in patriam cœlestem seu paradisum ipso die exitus e corpore.

61. *Justini testimonium contra purgatorium, sive authoris quæst. & resp.*

Sic Autor quæst. & resp. ad orthodoxos, quæ Justino Martyri tribuuntur, ad quæst. 75. Μετὰ δὲ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον, εὐθὺς γίνεται τῶν δικαίων τε καὶ ἀδίκων ἡ διαςολή· ἄγονται γὰρ ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς ἀξίες αὐτῶν τόπες· αἱ μὲν τῶν δικαίων ψυχαὶ, εἰς τὸν παράδεισον, ἔνθα συντυχία τὲ καὶ θέα ἀγγέλων τε καὶ ἀρχαγγέλων, κατ' ὀπτασίαν δὲ καὶ τοῦ σωτῆρος Χριςοῦ, κατα τὸ εἰρημένον· Ἐκδημοῦντες ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημοῦντες πρὸς τὸν Κύριον. Αἱ δὲ τῶν ἀδίκων ψυχαὶ εἰς τοὺς ἐν τῷ ᾅδῃ τόπες, κατὰ τὸ εἰρημένον περὶ τοῦ Ναβυχοδονόσορ βασιλέως Βαβυλῶνος· ὁ ᾅδης κάτωθεν ἐπικράνθη συναντήσας σοί. Καὶ τὰ ἑξῆς. Καὶ εἰσὶν ἐν τοῖς ἀξίοις αὐτῶν τόποις φυλαττόμεναι, ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἀναςάσεως καὶ ἀνταποδόσεως. Id est: Post exitum vero animarum e corpore, ilico justi ab injustis segregantur, abducuntur enim ab Angelis ad condigna sibi loca; ac justorum quidem animæ in paradisum, ubi consuetudine & aspectu fruuntur Angelorum & Archangelorum, per visionem autem & ipsius Servatoris Christi, pro eo atque dictum est: Peregre absumus a corpore, & præsentes adsumus apud Dominum. Injustorum autem animæ, in ipsius Orci loca, pro eo atque dictum est de Nabuchodonosore Rege Babylonis; infernus subter exacerbatus est in occursum adventus tui. &c. Et asservantur quæque in locis sedibus, usque ad resurrectionis & compensationis diem.

62. *Iterum Hilarii.*

Similiter Hilarius, in fine Commentarii in Psalm. 2. Testes nobis sunt Evangelii Dives & Pauper. quorum unum Angeli in sedibus beatorum & in Abrahæ sinu locaverunt, alium statim pœnæ regio suscepit. Adeo autem statim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus in supernis maneant. Nihil illic dilationis aut moræ est. Judicii enim dies, vel beatitudinis retributio est æterna, vel pœnæ Tempus vero mortis habet interim unumquemque suis legibus, dum ad judicium UNUMQUEMQUE AUT ABRAHAM RESERVAT, AUT POENA. Hæc Hil. Pictaviensis.

63. *Philastrii. Cassiodori.*

Idem docuerunt Philastrius, in catalogo hæreseon, quæ sub Apostolis exstiterunt, Hæres. 73. & Cassiodorus, lib. de anima, cap. 19.

Ambrosii.

Et Ambrosius: Primum regnum cœlorum sanctis propositum est in dissolutione corporis; secundum regnum cœlorum est post resurrectionem esse cum Christo. Hæc ille, Comment. in cap. 6. Lucæ in illa verba, Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Idem, in fine libri de fide resurrectionis, ait, Ex hoc vitæ anfractu discedentes fidelium animas *ad concilia superna contendere, & Angelis sociari.*

64. *Chrysost.*

Chrys. homil. 3. *de Lazaro*, circa medium, omnes homines qui peccaverunt distinguit in tres ordines respectu pœnarum, quas propter peccata sua patiuntur. Alios dicit puniri hic duntaxat, & dat exemplum in *Lazaro*, & tales ait hinc abire puros. *Luc. 16.* Alios dicit nihil hic tale pati, sed omnem vindictam illic recipere, & pro exemplo adducit *Divitem* illum, cui in flamma infernali ardenti negata est aquæ guttula. Alios denique tum hic, tum illic puniri, & id probat exemplo *Sodomitarum*, quibus tolerabilius fore in die judicii quam contemptoribus Evangelii, docuit Dominus noster. Unde etiam colligit Chrysost. leviorem fore in inferno pœnam illorum damnatorum, qui hic aliquid supplicii pertulerunt. Ergo ex mente Chrysostomi, nulla pœna, nullus cruciatus excipit quemquam electorum ex hac vita egressum; soli enim reprobi post hanc vitam cruciantur, licet alii levius, alii gravius. Idem Chrys. homil. 5. in Genesin, ait, fideles illuc ire καθαροὺς τῶν ἁμαρτημάτων, *puros a peccatis*; non enim possibile esse ut inveniat illic consolationem aliquam, qui in præsenti vita non fuerit ablutus a peccatis: Hoc esse agonis & luctæ tempus, illud coronarum & retributionum & præmiorum.

65. *Purgatorii commentum a Paganis & Montano Hæresiarcha derivatum. Matth. 5.*

Montani Hæresiarchæ fuit deliramentum a Paganismo deductum, animas etiam justorum (nisi martyrio paradisum obtinuissent) apud inferos sequestrari in diem Domini, ibique delicta luere mora resurrectionis, hunc enim esse carcerem illum, unde non exitur ante solutionem novissimi quadrantis, i. e. modici cujusvis peccati: Teste ejus discipulo Tertulliano, lib. de resurrectione carnis, cap. 43. & lib. de anima, cap. 55. 58. Hoc insani illius Hæretici nugamentum, labentibus annis modica interpolatione adhibita donatum est civitate ab Eugenio 4. in Concilio Florent. in decreto de purg. anno Dom. 1439.

66. *Hieron.*

Hieron. Comment. in cap. 65. Esaiæ, vers. 4. „ Qui, dum in hoc vivit corpore, veniam peccatorum non fuerit consequutus, & sic de vita excesserit, Deo perit, & esse desistit: licet sibi subsistat in pœnis. Hæc Hieron.

August.

August. lib. 13. de Civitate Dei, cap. 8. „ In requie, inquit, sunt animæ piorum a corpore separatæ, impiorum autem pœnas luunt; donec istarum ad æternam vitam, illarum vero ad æternam mortem, quæ secunda dicitur, corpora reviviscant. Idem Tract. 26. in Evang. Johannis, ait illum qui manducat carnem Christi, & bibit ejus sanguinem, atque adeo secundum Christi promissionem vitam habet æternam, mori quidem corpore, at *habere interim secundum spiritum, vitam æternam in requie, quæ sanctorum spiritus suscipit*, donec etiam corpus in novissimo die ad vitam æternam resurgat. Item Tract. 10. in epist. Johan. prope finem: Qui mortuus

mm est,

est, inquit, corpus ipsius ponitur in terra; *anima autem aut in sinu Abrahæ gaudet, aut in igne æterno aquæ modicum desiderat.*

67. *Non decessit, sed præcessit.*

Idem lib. de decem chordis, cap. ult. *Vivit prorsus, non decessit, sed præcessit. Qua fronte venturus es ad filium tuum, qui præcessit, cui præcedenti non mittis partem suam in cœlum?* Hæc ibi, hortans ad eleemosynam faciendam de opibus illis quas pater destinaverat filio jam defuncto. Unde patet fideles defunctos in cœlum recta ire, secundum rationem illam ab eo adhibitam.

Auctor Tractatus de rectitudine Catholicæ conversationis, tom. 9. operum Augustini, paulo ante finem illius Tractatus; scitote (inquit) quia anima, cum a corpore avellitur, statim in paradiso pro bonis operibus, aut certe pro malis in inferno præcipitatur continuo. Quapropter eligite modo, & hic in vita vestra disponite, aut perpetualiter gaudere cum sanctis, aut sine fine cruciari cum impiis. Hæc ibi.

68. *Tertia certitudo qua mortis: corporis metum superamus in hac vita, est certitudo resurrectionis mortuorum. Joh. 5. 29.*

Tertia persuasio & confidentia qua mortem in hac vita vincimus, est fides & certa spes resurrectionis corporum nostrorum εἰς ἀνάστασιν ζωῆς. Qui credit in Christum, habet vitam æternam, & Christus suscitabit eum ultimo die. *Joh.* 6. 39, 40, 54.

69. *Patrum quorundam sententia de resurrectione mortuorum. Tertull.*

Tertullianus ait lib. de resurrectione carnis, cap. 1. Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum.

August.

Hoc est (inquit August.) quod præcipue Christianos a gentili errore secernit. ——— Hanc ipsam animam tunc habebimus, quam modo habemus, & in hoc ipso, quo nunc induimur, sumus corpore resuscitandi. —— Nemo ergo, fratres dilectissimi, de resurrectione desperet, in qua Christianorum spes tota consistit. Hæc Aug. Serm. 34. de verbis Apostoli.

Epiphan.

Epiphanius in Anchorato, in carnis, inquit, resurrectione omnis thesaurus & fundamentum omnis sapientis cogitationis, & omnis bonæ operationis, spes est deposita. Item; si non spes fuisset resurrectionis, qualis esset ossium cura, ut de corruptibilibus ossibus præciperent justi? *Sicut Joseph.*

Iren.

Irenæus lib. 5. adversus hæreses, prolixe adstruit resurrectionem corporum nostrorum, ita ut non alia, sed hæc ipsa quæ gestamus corpora, quæ Spiritus sancti templa, & Christi membra sunt, per Dei potentiam reviviscant. Id quod

Athenag. & Ambros.

etiam Athenagorus lib. de resurr. mortuorum, & Ambros. lib. de fide resurr. & Tertull. ac Epiph. locis citatis, confirmant plurimis argumentis.

Hieronym.

Hieron. epist. ad Pammachium adversus errores Johannia Hierosolymitani; procedent (inquit) de monumentis, ros enim qui a Deo est, medulla est ossibus ipsorum. Tunc implebitur quod Dominus loquitur per Prophetam: populus meus intra in cellaria tua aliquantulum, donec ira mea transeat. (*Isa.* 26. 20.) Cellaria sepulchra significant, de quibus hoc utique profertur quod conditum fuit: & exibunt de sepulchris suis, veluti hinnuli de vinculis soluti &c. Plura ibi Lector inveniet.

70. *Cura funeris.*

Hinc Augustinus commendat curam & officiosam pietatem circa funera justorum, propter fidem resurrectionis adstruendam, lib. 1. de Civit. Dei, cap. 13. Etsi curatio funeris, conditio sepulturæ, & pompa exequiarum magis sint vivorum solatia quam subsidia mortuorum. Christianis autem & ipsius carnis, & membrorum om-

71. *Redintegratio corporum dispersorum.*

nium reformatio non solum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadavera recesserunt, in temporis puncto reddenda & redintegranda promittitur, ut loquitur August. eodem lib. cap. 12.

72. *Refellitur Kimchi delirium.*

Non soli autem resurgent justi, sicut somniarunt nonnulli de infidelibus Judæis, qui dixerunt, impiorum animas cum corporibus interire, & non esse eis resurrectionem; in quo errore fuit Rabbi David Kimchi Comment. in Psal. 1. & in finem Psalm. 17. & in Psalm. 49. Nam dormientium in pulvere terræ evigilabunt alii in vitam æternam, & *alii in opprobrium.* Dan. 12. 2. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: *qui vero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis.* Joh. 5. 28, 29.

73. *Discrimen resurrectionis justorum & impiorum.*

Et Paulus Apostolus ait fore resurrectionem mortuorum tum justorum tum injustorum. *Act.* 24. 15. Non tamen impii hac resurrectione victoriam ullam consequentur, sed tanquam rei e carcere mortis prioris extracti, sistentur coram Judice, ejusque sententia damnabuntur, & tradentur morti secundæ.

74. *Quidam Rabbini agnoverunt impiorum resurr. & pœnam æternam.*

Quamvis autem Kimchius putaverit animas impiorum mori cum corporibus, neque fore impiis resurrectionem; alii tamen nonnulli ex Rabbinis Judæorum, agnoverunt impiorum sempiternam pœnam. Nam Rabbi Joseph Targumista, in sua Chaldæa paraphrasi in Psalm. 1. dictum illud Prophetæ לא־יָקֻמוּ רְשָׁעִים בַּמִּשְׁפָּט *non resurgent impii in judicium*, interpretatur לָא יִזְכּוּן רַשִׁיעַיָּא בְּיוֹמָא רַבָּא. i. e. *Non justificabuntur* (vel, *non invenientur innocentes*) *impii in die magno.* Et in Paraphrasi Psalmi 49. vivet, inquit, bonus in vitam æternam, non videbit judicium gehennæ: quia sapientes videbunt impios in gehenna. Hæc ille.

Gehenna.

Idem de gehenna, quod sit locus in quo animæ impiorum post corporis mortem puniuntur, tradiderunt Elias Levita, & Rabbi Joseph Castiliensis, verbis illis, quæ ex illorum libris citatur a Guidone Fabricio in suo dictionario Syro-Chaldaico, in radice נחת in apparatu bibliorum Reg. & veteres Pharisæos credidisse resurrectionem mortuorum impiorum, testatur Paulus Apost. 24. 15.

75. *Error quorundam hæreticorum de animabus impiorum.*

Impiorum etiam resurrectionem sustulerunt illi hæretici, quos Philastrius scribit dixisse, animas impiorum transire in Dæmones ac pecudes, & bestias, ac serpentes, atque ita verti in aliam naturam: Quos refellit Philastrius, in catalogo Hæreseon, quæ sub Apostolis exstiterunt, Hæres. 73.

Irenæus.

Recte Irenæus lib. 1. adversus hæreses Valentini & similium, resurrectionem carnis negantium, cap. 19. qui idem (inquit) resurgent carne, licet nollent, ut agnoscant virtutem suscitantis eos a mortuis. Cum justis autem non adnumerabuntur, propter incredulitatem suam. Hæc Irenæus.

Gregorius.

76. *Resurget corpus palpabile.*

Greg. Magnus lib. 14. Moralium prope finem libri, disserens de resurrectione, docet corpus resurrecturum *subtile* quidem per effectum spiritualis potentiæ, sed *palpabile* per veritatem naturæ. Et quod Apostolus dicit, *quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, recte interpretatur, intelligi carnem *secundum culpam*, non carnem *secundum naturam.* *1 Cor. 15. 50.*

77. *Quæstio, cur moriantur justi, quibus remissa*

Si quem moveat ipsa temporalis mors justorum, ac si victoria nobis promissa de morte, immunitatem postulare videatur ab hac temporali separatione animæ & corporis; quo argumento hæretici Pelagiani perperam contendebant hominem

ſunt peccata?

nem moriturum fuiſſe, etiamſi non peccaſſet; negantes enim originale peccatum, negabant peccato factum eſſe, ut moreremur; dicebant enim, ſi ex peccato mors iſta, nunc credentes in Chriſtum, jam remiſſo peccato, mortem iſtam non obituros: Reſpondens Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 30, 31, 32, 33, 34. ait, victores nos conſtitui tum ſuperando metum hujus mortis in hac vita, tum poſt mortem iſtam reſurgendo ad immortalitatem.

78. *Cap. 31. Reſp. ad certamen ſive agonem & gloriam fidei, qua mortis metum vincit.*

„ Poterat autem (inquit) etiam hoc donare credentibus, ut nec iſtius experirentur corporis mortem: ſed ſi hoc feciſſet, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo: Quid enim magnum erat videndo non mori eos qui crederent, credere ſe non moriturum? Quanto eſt majus, quanto fortius, quanto laudabilius ita credere ut ſe ſperet moriturus, ſine fine victurum? Hæc *laus fides* non eſſet, nec omnino fides eſſet, ſi homines in credendo præmia viſibilia ſequerentur, hoc eſt, ſi fidelibus merces immortalitatis in hoc ſeculo redderetur; quandoquidem fides ita definita eſt; *fides eſt ſperandorum ſubſtantia, & convictio rerum quæ non videntur.* Quod timorem mortis fideles vincunt, *ad agonem ipſius fidei* pertinet, qui profecto defuiſſet, ſi mox eſſet credentes immortalitas conſequuta.

79. *Cap. 33. Sic poſt peccati remiſſionem afflictiones eveniunt, quæ non ſunt jam ſupplicia peccatorum, ſed certamina exercitationeſque juſtorum proficientium in agone juſtitiæ. cap. 34.*

„ Quædam res ſunt quarum *reatum* ne poſt hanc vitam obſint Deus ſolvit, tamen eas *ad certamen fidei* ſinit manere, *ut per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone juſtitiæ.* Sicut illud quod propter peccatum dicit Deus homini; in ſudore vultus tui edes panem tuum, & ſpinas & tribulos pariet tibi terra. Item quod dictum eſt mulieri; in gemitu paries.

„ Ante remiſſionem ſunt iſta *ſupplicia* peccatorum, *poſt remiſſionem autem certamina exercitationeſque juſtorum.* Ita & illis, quos de morte corporis ſimiliter movet, reſpondere debemus, ut eam & peccato accidiſſe fateamur, & poſt peccatorum remiſſionem, ut magnus *timor* ejus a proficientibus ſuperetur, *ad certamen* nobis relictam eſſe non dedignemur. Si enim parva virtus eſſet fidei, quæ per dilectionem operatur, mortis *metum* vincere, non eſſet tantum Martyrum gloria; nec Dominus diceret, *majorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Joh. 15. 13. Mortis igitur, cujus magna multumque dura moleſtia eſt, timorem qui vincit ex fide, magnam ipſius *Fides* comparat *gloriam*, juſtamque mercedem. Unde mirandum non eſt, & mortem corporis non fuiſſe eventuram homini, niſi præceſſiſſet peccatum, cujus etiam talis pœna conſequeretur, & *poſt remiſſionem peccatorum* eam fidelibus evenire, ut in ejus *timore* vincendo *exerceretur fortitudo juſtitiæ.* Tale aliquid nobis inſinuatum eſt de Patriarcha David, in libro Regnorum, 2 *Sam.* 12. ad quem Propheta eum miſſus eſt, eique propter peccatum quod commiſerat eventura mala ex iracundia Dei comminaretur, confeſſione peccati veniam meruit, reſpondente Propheta, quod illud ei flagitium facinuſque remiſſum eſſet, & tamen conſequuta ſunt quæ Deus fuerat comminatus, ut ſic humiliaretur a filio. Quare & hic non dicitur, ſi Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimiſſo peccato, quod erat minatus implevit, niſi quia rectiſſime, ſi ſic dictum fuerit, reſpondebitur remiſſionem illam peccati factam, ne homo a percipienda vita impediretur æterna; ſubſequutum vero illius com-

80. *Nota bene contra erroneam doctrinam Papiſtarum de temporalibus pœnis poſt culpa remiſſionem ſatisfactoriis pro peccato, vel in hoc ſeculo, vel in futuro in purgatorio.*

minationis effectum, ut *pietas hominis* in illa humiliatione *exerceretur atque probaretur.* Sic & mortem corporis propter hoc peccatum Deus homini inflixit, & poſt peccatorum remiſſionem *propter exercendam juſtitiam* non ademit. Hæc ibi. “

Synod. Trid. ſeſſ. 6. can. 30. & ſeſſ. 14. de pœnit. cap. 8. & cap. 9. & catech. Rom. pars. 2. cap. 5. quæſt. 52. & 54. Vid. Auguſt. lib. 50 homiliarum, homil. 46.

Ad eandem quæſt. idem Auguſt. lib. 13. de Civit. Dei cap. 4. reſpondet in hunc modum: “ Iſta quæſtio in alio noſtro opere tractata & ſoluta eſt, ubi dictum eſt, ad hoc relinqui animæ experimentum ſeparationis a corpore, quamvis ablato jam criminis nexu, quoniam ſi regenerationis ſacramentum continuò ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides enervaretur, quæ tunc eſt fides, quando expectatur in ſpe quod in re nondum videtur, &c. “

Idem alibi: Eſt autem fides noſtra imagine diſcreta ab omni fide Gentilium in reſurrectione mortuorum, Serm. 33. de verbis Apoſtoli.

Atque hæc de victoria illa dixiſſe ſufficiat, qua per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſuorum noſtrorumque hoſtium domitorem ac triumphatorem, ſuperamus mortem in hac vita.

81. *Mortem poſt hanc vitam vincimus tribus victoriæ gradibus.*

Eandem poſt hanc vitam eodem Domino donante vincimus tribus victoriæ gradibus. Primo gradu victores conſtituimur mortis ſecundæ quoad animam jam cum cœlitibus beatam, licet corpus ſub morte prima adhuc jaceat. Secundo gradu victoriam conſequimur de morte corporis, per glorioſam reſurrectionem; in qua reſurrectione *iterum Chriſtus tanquam ſuo reſurget in corpore*, ut pulchre loquitur & Ambroſius Comment. 1. in cap. 17. Lucæ. Tertio gradu de utraque morte æternum triumphamus in regno illo cœleſti, de quo Dominus noſter in illo ultimo die illam ineffabilis conſolationis pleniſſimam proferet ſententiam, dicens ovibus ſuis ad dexteram ſuam conſtitutis; *adeſte benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis a jacto mundi fundamento.* Matth. 25. 34. Tunc fiet illud quod ſcriptum eſt; *abſorpta eſt mors ad victoriam. Ubi tuus, ô mors, ſtimulus? Ubi tua, ô ſepulchrum, [vel ô inferne, ᾅδη] victoria? Stimulus autem mortis eſt peccatum, vis autem peccati, lex. Sed Deo ſit gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* 1 Cor. 15. 54, 55, 56, 57. Sicut prædixit Dominus per Prophetam Hoſeam: *E poteſtate inferni* [שאול ᾅδη] *redimam eos, a morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors, ero morſus tuus, inferne; pœnitudo abſcondetur ab oculis meis.* Hoſ. 13. 14. Tunc perfecte implebitur quod dixit Eſaias Propheta: perdet mortem in ſempiternum, & abſterget Dominus Jehovah lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet ab univerſa terra. *Eſai.* 25. 8. Quid igitur dicemus ad hæc? Reſpondet Apoſt. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui quidem proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus qui mortuus eſt; imo vero qui etiam ſuſcitatus eſt; qui etiam eſt ad dexteram Dei; qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti? Num afflictio, num anguſtia, num perſecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? (Sicut ſcriptum eſt: Tui cauſa occidimur totum diem: reputati ſumus velut oves deſtinatæ mactationi.) Imo in his omnibus amplius quam victores ſumus (ὑπερνικῶμεν) per eum qui dilexit nos. Nam mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque

82. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

83. *Chriſtus eſt ad dexteram Dei interpellans pro nobis.*

84. *Gloriatio triumphalis.*

neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam, posse nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom.* 8. Omnibus inimicis bellum indicit, nec ipso quidem excepto peccato, quod nonnulli cavillantur posse nos separare ab hac caritate Dei. Nam præsupponit electionem, & inde manantem vocationem secundum propositum, adeoque justificationem irrevocabilem, quam infallibiliter sequitur glorificatio. Unde infert triumphalem hanc quæstionem; *quid igitur dicemus ad hæc?* & memoratam responsionem prorsus invictam & triumphalem.

O beatos illos! quibus datur fideli eorde dicere: *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis.*

PARS SECUNDA.

De fructibus quos ex præcedenti doctrina fideles percipiunt, cum applicatione ad Patricium Forbesium beatæ memoriæ, Episcopum Aberdonensem.

1. HInc oritur 1. in corde fideli, adversus DEUM
1. Fructus. pietas, & fixa in Deo fiducia,
2. 2. Et erga homines, exemplo divinæ benigni-
2. Fructus. tatis, *Φιλανθρωπία*, & coronæ civicæ affectatio
Jac. 5. *ult.* per conversionem peccatoris ab errore viæ suæ: ut servetur anima a morte, & operiatur multitudo peccatorum.

3. 3. Erga inimicos invicta constantia, sive nos
3. Fructus. Diabolus urgeat, sive peccatum, sive mundus, sive mors, aut mortis antecambulo morbus vel afflictio. Ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. Ut intrepidi cum Davide dicamus: Dominus lux mea, & salus mea: a quo timebo? Dominus fortitudo vitæ meæ: a quo pavebo? *Psalm.* 27. 1. & cum Esaia: Ecce Deus salus mea confidam, & non pavebo: quia fortitudo mea & laus Dominus Jehovah, & factus est mihi in salutem. *Esai.* 12. 2.

4. Fructus. 4. Item cœlestis in terris conversatio, & speratæ illius æternæ tranquillitatis suavissima inchoatio, dum pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. *Rom.* 5. 1. dum Rex ille gloriæ, etiam hic, se nobis præbet conspiciendum, & mansionem apud nos facit, habitans per fidem in cordibus nostris. *Psal.* 24. *Job.* 14. *Ephes.* 3. & efficit ut nostra conversatio in cœlis sit, & inde etiam Servatorem expectemus Dominum Jesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso, pro illa vi efficaci qua potest etiam subjicere sibi omnia. *Phil.* 3. 20, 21.

5. 5. Deinde vitæ feliciter actæ jucundus & felix
5. Fructus. exitus. Beati qui in Domino moriuntur, *Apoc.* 14. 13. Bene auctor libri Sapientiæ: Justus etiamsi præmatura morte obeat, quiete tamen perfruetur. *Sap.* 4. 7. Et recte Augustinus: Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit; neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis, qui necessario morituri sunt, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur Christiani noverint longe meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quam impii divitis in purpura & bysso, horrenda illa genera mortium quid mortuis obfuerunt qui bene vixerunt? Hæc *Aug.* lib. 1. de Civit. Dei, cap. XI.

6. Denique præconceptæ & prægustatæ in ter- 6.
tis beatitudinis gloriosa in patria æternitas. 6. Fructus.

7. Qua nunc affluenter, quoad animam, cum 7.
læta expectatione redemtionis corporis, fruitur *Applicatio*
beatæ memoriæ genitor meus *Patricius Forbesius* *ad Patri-*
a Corse Episcopus *Aberdonensis*, qui in mediis *cium For-*
tentationum quarumcunque fluctibus, erecto cor- *besium E-*
de & sublatis in cœlum oculis & manibus, hoc *pisc. Aberd.*
semper in ore solamen habebat, se certo scire, firmiter per Dei gratiam credere: "Dominum nostrum Jesum Christum sedere ad dexteram " Dei, neque possibile esse eum de throno illo " detrahere, quantumcunque fremat ac tumultuetur universa hostium multitudo; sed ibi sessurum constanter & dominaturum, donec ponantur inimici omnes scabellum pedibus ejus. " Scio igitur, inquiebat, cui crediderim. Fidelis est & potens servare depositum, quod ei custodiendum commisi. Non me bella, aut rumores bellorum; non hostium technæ, aut " copiæ, aut victoriæ terrent, neque dejiciunt " piorum afflictiones, neque conturbat immanis " quæ oculis se ingerit rerum confusio. Dominus regnat; lætabor in eo: omnia hostium consilia in fumum tandem evanescent, stabit autem inconcussum quod dixit Dominus Domino meo; *sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis.* Non cadet " pilus de capite nostro absque paterna ejus pro-
videntia. Non dormitabit, neque dormiet, " *Psal.* 121.
qui custodit Israëlem. Illi curæ sumus, effi- " 8.
ciet ille ut omnia cooperentur in bonum eis qui " *Ejus fortis*
diligunt eum. Sit ille nobis propitius, & non " *constantia.*
est quod timeamus. Hæc perdius & pernox suavissima meditatione se indesinenter pascens atque sustentans, ineffabilem percepit dulcedinem, & æquabilem per omnes rerum vices & incredibiliter admirabilem atque invictam heroici ac plane inexpugnabilis animi constantiam, per Dei gratiam, vivens moriensque exhibuit.

PARS TERTIA.

De officiis imperatis hoc versu 1. Ps. CX. & qualiter in eis se per Dei gratiam gesserit memoratus Patricius.

QUibus autem itineribus ad uberrimam hanc consolationem pervenerit, quibus stadiis ad tantam animi magnitudinem profecerit, quibus gradibus ad hanc Christianæ fiduciæ sublimitatem ascenderit, quo facilius percipere, & eisdem vestigiis ad idem subvehi fastigium valeamus; missis aliis innumeris quibus radiabat virtutibus, ea sola Christiani hominis officia intueamur, quæ hoc ipso quem tractamus Psalmi hujus versiculo commendantur, & in illo eximie reluxerunt.

Primum officium est, ut quæcunque occurrant 1.
dubia, quibuscunque infestemur periculis, qui- 1. *Officium, studium*
cunque nos rerum anfractus impediant, *ad ver-* *verbi Dei.*
bum Dei nos convertamus, consulamus os Domini, inquiramus quid Dominus dixerit. Hoc fiduciæ Davidis fundamentum ponitur. DIXIT JEHOVAH.

Hujus officii nunquam immemor genitor meus 2.
ὁ μακαρίτης, lectione sacrarum Scripturarum, *Patricius*
carun- *sacrarum*

Scripturarum studio addictissimus.
earundemque meditatione assiduus, & de eisdem sermocinatione mirifiec delectabatur; & palam profitebatur unicum ærumnarum omnium crebro ingruentium solatium, & adversus tentationes propugnaculum, in verbo Dei scripto, & invocatione nominis divini constanter se invenisse.

3. *Potens in eis.*
Potens fuit in Scripturis; & usque adeo assuetudine perpetua familiarem sibi reddidit Spiritus sancti in Scripturis loquentis dictionem, ut non solum in concionibus publicis, & libris in lucem editis, Scripturarum testimonia confertim, prout res postulabat, accumularet, sed etiam in quotidianis colloquiis, quæ ille de rebus Theologicis libenter habebat, Scripturas ex improviso loqueretur, ut sermo illius, absque ulla affectatione, ex sacræ Scripturæ verbis ac phrasibus magnam partem coagmentatus, in venerandam quandam concinnitatem assurgeret.

4. *Consolationem ex eis hauriebat uberrimam.*
His seipsum, his alios saluberrimis aquis reficiebat. Et grates Deo debitas semper persolvens, ô quoties & quam pio in Deum ardore, hæc & similia ex Scripturis deprompta ἐκφωνήματα recinebat! *Dominus exaudiet, cum clamavero ad eum.* Psal. 4. 4. Deus, Deus meus es, quæro te mane, sitit te anima mea, desiderat te caro mea. Melior est misericordia tua quam vita: labia mea laudabunt te. *Ps.* 63. In Deo laudabo verbum ejus, in Domino laudabo verbum: Deo fido, non timebo quid faciet mihi homo. *Ps.* 56. In multitudine cogitationum mearum in intimo meo, consolationes tuæ lætificarunt animam meam, *Ps.* 94. 19. Melior est mihi lex oris tui, quam millia auri & argenti. *Ps.* 119. *Teth.* Nisi lex tua delectationes meæ, tunc periissem in afflictione mea. In seculum non obliviscar præceptorum tuorum: quia in ipsis vivificasti me. *Ibid. Lamed.* Quam dulcia sunt palato meo eloquia tua, præ melle ori meo! Ex præceptis tuis intelligentiam mihi comparavi: propterea odi omnem semitam mendacii. *Ibid. Mem.*

5. *Reverentiam eis & prærogativam debitam deferebat.*
Quam pio zelo sceleratam eorum insaniam detestabatur, qui relictis divinis Scripturis, in doctrinis hominum basin fidei quærunt; aut humana scripta vel Traditiones quas vocant non scriptas divinis literis ausu sacrilego æquiparantes, non verentur nec verecundantur parem & erga illas profiteri pietatis affectum, & reverentiam ac venerationem! Concil. Trid. sess. 4. Laudabat veterum Patrum piam modestiam, debitam exhibentium divinis Scripturis reverentiam & prærogativam.

Irenæus lib. 3. cap. 1.
Per Dei voluntatem (inquit Irenæus) in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futuram.

Qui vult cognoscere quæ sit vera Ecclesia, non cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas, inquit auctor operis imperfecti (quod Chrysostomo tribuitur) in Matth. homil. 49.

Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur, inquit Hieronym. Comment. in cap. 23. Matth.

In eis quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur ea omnia quæ continent fidem moresque vivendi. August. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 9.

Idem lib. de Unit. Ecclesiæ, contra epist. Petiliani, cap. 3. Non audiamus (inquit) hæc dico, hæc dicis; sed audiamus, *hæc dicit Dominus*: Sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus; ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram, &c. Et postea eodem lib. cap. 16. Utrum ipsi Ecclesiam teneant; *non nisi* divinarum Scripturarum canonicis libris ostendeus.

Hæc & similia Patrum dicta (quæ recitare nunc non est præsentis instituti) meritis efferebat laudibus, & aliis commendabat. Plura huc etiam spectantia invenies inferius in explicatione quinti officii.

6. *2. Officium, sana fidei confessio.*
Secundum officium est *fidei sana confessio*, nixa sacris Scripturis, qua verum Deum confiteamur, & quem misit Jesum Christum. Quod officium nobis Psaltes commendat his verbis; Dominus Domino meo.

7. Patricius *officii hujus observantissimus.*
Hujus officii observantissimus Parens meus beatæ memoriæ, qui (justa regulam Episcopis divinitus præscriptam, & ab Apostolo Paulo ad Titum scribente promulgatam) tenax fuit fidi illius secundum doctrinam sermonis, & inde potens fuit exhortari in doctrina sana, & contradicentes convincere. (*Tit.* 1. 9.) Inprimis delectabatur meditatione ae repetitione effati illius Dominici, quod & auditoribus suis frequenter inculcabat; *hæc est vita æterna, ut cognoscant te esse illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Joh. 17. 3.

8. *Pastor orthodoxus sana doctrina defensor & hæreseon oppugnator valentissimus.*
Quod olim Tertullianus de sui temporis Romana Ecclesia, illud apte huic viro accommodabitur; unum Deum novit Creatorem universitatis, & Christum Jesum, ex Virgine *Maria* Filium Dei Creatoris, & carnis resurrectionem: legem & Prophetas cum Evangelicis & Apostolicis literis miscet; & inde potat fidem eam. Hæc Tertull. lib. de Præscriptionibus, adversus Hæreticos, cap. 36. Fuit genitor meus ὀρθοδοξίας ὄμμα, *orthodoxiæ ocellus*, ut loqui solebant veteres Græci, quando pastorem aliquem prædicabant ὀρθοδοξότατον: fuit (sicut Bernard. de Augustino loquitur) *validissimus hæreticæ pravitatis malleus.*

9. *Schismatis aversator.*
Ab omni etiam schismate abhorrebat, memor præcepti illius dominici, ut diligamus alii alios, sicut ipse dilexit nos. Non habet autem Dei caritatem, qui Ecclesiæ non diligit unitatem, inquit Aug. lib. 3. de Baptismo, contra Donatistas. cap. 16. Et Ambros. dixit, fidem non esse in schismate.

10. *Schismatici a fide alieni.*
Nam etsi fidem erga Deum teneant, tamen erga Dei Ecclesiam non tenent, cujus patiuntur velut quosdam artus dividi, & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, a quibus evacuatur ejus passio, corpusque distrahitur. Hæc Ambros. lib. de Obitu fratris sui Satyri, post medium libri. Sic olim circa ann. Domini 850. Ecclesia Lugdunensis, lib. de tenenda veritate Scripturæ, post medium; qui non tranquille & pacifice moderatur quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones, dissentiones, & scandala, etiamsi non habeat hæreticum sensum, certissime habet hæreticum animum. Bibl. Patr. tom. 4. part. 2. edit. 4.

11. Patricius *pacis & veritatis amator.*
Quam sæpe gementem *Patricium* vidimus, & flebiliter deplorantem audivimus Ecclesiæ nostræ Scoticanæ intestina dissidia? Sæpenumero dicebat jucundum sibi fore, si ipsius sanguine restingui posset infelix illud incendium: tanto ille pacis atque unitatis amore flagrabat: Memor interim caritatem non gaudere iniquitate, sed congaudere veritati, ut docet Apostolus, 1 *Cor.* 13. 6.

Greg. homil. 7. super Ezech.
Laudabat illud dictum Gregorii: Utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur; & illud Thomæ Aquinatis: Propter nullum scandalum quod sequi videatur, debet homo, prætermissa veritate, falsitatem docere.

2. 2. quæst. 43. art. 7.
Et quod ab Hilario scriptum est initio libri contra Auxentium: Speciosum quidem nomen est pacis, & pulchra est opinio unitatis; sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ atque Evangeliorum unitam pacem esse, quæ Christi est?

12. *3. Officium, ut Christo Domino opere serviamus.*

Tertium officium quod hoc versu Psalmi commendatur, est, ut Christo serviamus, ille sit noster Dominus, nos illius servi, & per illum unicum Mediatorem viam ad Patrem affectemus, fiducia sit in illo solo; ut læti cantemus, DOMINUS DIXIT DOMINO MEO, &c.. Nec fide exanimi, ac diabolica nobis blandiamur, sed fidei nostræ veritatem, ac vitam comprobemus operatione per caritatem; & Christum, in quem

13. Patricius *fidelis Christi servus.*

fide credimus, sequamur opere. *Si quis mihi serviat, sequatur me*, inquit Dominus noster *Johan.* 12. 26. Quam sedulus fuerit in hac parte officii Christiani sanctæ memoriæ genitor meus, testatur tum pastoralis fidelitas, tum omnis vita ejus, pie, juste, ac temperanter acta, & adhuc in hominum memoria loquens, multorumque consciorum sermonibus celebrata. Deus bone! Quanta illi in omnibus vitæ, tum privatæ, tum publicæ partibus, præ omnibus aliis quibuscunque sollicitudinibus, bonæ, intaminatæ, atque inoffensæ conscientiæ cura fuit! quam tenellum illi cor! quam timoratum pectus, ne Dei spiritum contristaret, ne cuiquam scandalum poneret, ne suavissimo divini vultus lumine, vel ad quamtulamcunque brevis momenti particulam, animam suam privaret! voluptatem atque utilitatem veram, sinceram, atque cœlestem in illa Dei pace omnem mentem exuperante, & cor ejus atque cogitationes ejus in Christo Jesu custodiente, incomparabiliter ampliorem judicans, quam in omnibus mundi hujus opibus, honoribus, amicitiis, & quibuscunque oblectamentis.

14. *4. Officium, ut causa nobis contra omnes inimicos cum Christo communis sit.*

Quartum officium est, ut causa omnis nostra sit Christi causa, ut dicere possimus, convicia conviciantium tibi, inciderunt in me. *Psal.* 69. *Rom.* 15. Suos enim inimicos conculcabit Christus, ponentur scabellum pedibus ejus. Si igitur tibi cum Christo sit causa communis, etiam victoriæ eris particeps. In mundo, inquit, afflictionem habebitis: sed confidite, ego vici mundum. *Joh.* 16. *ult.* Et Petrus Apostolus ait: In eo quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete, ut & cum revelabitur gloria ipsius, gaudeatis exultantes, &c. 1 *Petr.* 4. Et Dominus beatos pronunciat illos, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5. 10. Propterea voluptatem capiunt, inquit Apostolus, in infirmitatibus, in injuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; cum enim infirmus sum, tunc potens sum. 2 *Cor.* 12. 10.

15. *Patricius ut Christi causam tueretur, nullas hominum inimicitias formidabat.*

De hoc etiam officio nunquam deserendo, semper cogitans piæ recordationis Pater meus, nullam unquam habuit cum quoquam dissensionis causam, nisi quæ Christi fuit; neque illi discordia cum aliquo intercessit, nisi quia nullis moveri terriculis, nullis inescari illecebris, nulla portarum infernalium machinatione frangi, neque ulla unquam ratione induci potuit, ut Dei causam desereret, officio suo deesset, quod in commune utile esse judicabat, prævaricatrice silentio suffocaret, vel ullo pacto iniquitati aut mendacio consentiret. Eximia qua præstabat re-

16. *Prudens libertas.*

rum divinarum & humanarum scientia, admirabili qua pollebat facundia, & expedita in rebus gerendis solertia, tam libere & prudenter usus est, quod juxta mecum nostrates omnes intelligunt, ut apud duos sapientissimos Principes JACOBUM augustæ memoriæ, &, qui nunc paterno BRITANNIARUM imperio feliciter potitur, Sere-

17. *Pia & constans fortitudo.*

nissimum Regem nostrum CAROLUM, in magna semper gratia fuerit, omnium Ordinum benevolentiam meruerit, & ab ipsis quoque hostibus ac invidis admirationem & reverentiam extorserit; nec tam apertas contra illum gesserint inimicitias (terrente eos manifesta Numinis invito præsentia) quam occulta infelices quidam odia foverint. Quæ ille sciens insuper habuit, & solo Deo fretus, justum ac tenacem propositi virum se constanter exhibuit. Laudatum ab illo memini, quando Christi causa agitur, & ob eam causam offensio hominum incurritur, dictum illud Hieronymi ad Ruffinum, prope finem Apologiæ illius quæ incipit, LECTIS LITERIS; si ista est causa discordiæ, mori possum, tacere non possum.

18. *Objectio afflictæ conscientiæ.*

Si quis afflictæ conscientiæ Christianus ex me quærat; quid igitur si ipse mihi peccato meo inimicitias procuraverim & calamitates accersiverim? num propterea animum despondebo: quia non patior propter justitiam & propter Christum, sed propter meam injustitiam?

19. *Solutio consolatoria.*

Respondeo: Non est quod animum despondeas; sed potius felicem exitum & certam victoriam per Christum tibi pollicearis, si serio resipiscas; nam pœnitendo jam in Christi tutelam transis, qui venit vocare peccatores ad pœnitentiam. *Matth.* 9. 13. Qui peccantibus nobis ac resipiscentibus advocatum se præbet. 1 *Joh.* 2. 1.

20. *De afflictionibus peccato accersitis.*

Ego (inquit) quoscunque amo, arguo & castigo; æmulare igitur ac resipisce; *Apocal.* 3. 19. Fili mi, ne neglexeris castigationem Domini, neque deficias animo, cum ab eo argueris, &c. *Hebr.* 12. Quocirca dicit: Invoca me in die angustiæ, eruam te, & honorificabis me. *Psalm.* 50. 15. Audies suavissimam illam Domini vocem: Confide fili; remissa sunt tibi peccata tua. *Matth.* 9. 2. Atque his & similibus de divina er-

21. *Patricii humilis pietas & sincera humilitas.*

ga peccatores afflictos, & sub afflictione sincere resipiscentes, clementia & benignitate testimoniis Pater meus in asperrimis suis quas expertus est conflictationibus se sustentans, ineffabilem consolationem, atque invictam animi constantiam divinitus sibi dari perpetuo animadvertit. Quod multoties in privatis inter nos colloquiis, cum ardentissima divinæ misericordiæ celebratione, professus est. Quamvis enim aliis cum eo degentibus hominibus innocens, inculpatus & observantissimus æqui fuit; sibi tamen, præsertim ad Dei tribunal cum se sisteret, peccatis sordidus, clamabat cum Publicano, Deus, propitius esto mihi peccatori: (*Luc.* 18. 13.) & cum Davide, Novi Domine quod æquitas judicia tua, & in veritate afflixisti me. Sit quæso misericordia tua ad consolandum me, secundum eloquium tuum servo tuo. (*Ps.* 119. *Jod.* 75, 76.)

22. *5. Officium, sursum corda.*

Quintum officium, quod hic versiculus Psalmi, quem explicandum suscepimus, a nobis postulat, est, ut sapiamus & quæramus quæ sursum sunt, *ubi Christus sedet ad dexteram Dei*, non sapiamus terrena, sicut monet Apostolus ad Coloss. 3. ut thesaurus noster & cor nostrum sit in cœlo, *Matth.* 6. 21. ut voti nostri summa, & lætitiæ materia sit regnum Dei, victoria Dei, gloria Dei, & cœlitum illud carmen integremus: *Regna mundi facta sunt Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in secula seculorum*; *Apoc.* 11. 15. ut gaudeamus quod nomina nostra scripta sint in cœlis, *Luc.* 10. 20. quod Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, in Christo & per Christum sit Pater noster, & Deus noster; *Joh.* 20. 17. quod Christus sit noster Dominus & Servator, ac nos ejus servi & amici.

23. *Patricius cor & thesaurum suum in*

In hujus officii præstatione mirum quantum excelluit pientissimus Pater meus; cujus animus semper cœlestibus intentus, caduca omnia, quantamcunque inanis gloriæ vel fallacis securitatis speciem præ se ferrent, qualibuscunque blandi-

cœlo semper habebat. rentur lenociniis, pro nihilo reputabat; & omnia detrimentum existimabat, ac pro excrementis ducebat, præ eminentia cognitionis Christi Jesu Domini nostri. Ὁ *ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, amor meus crucifixus est*, scripsit olim in sua ad Romanos epistola beatus Martyr Ignatius, Joannis Apostoli discipulus, Antiochiæ Syriæ Episcopus. Hoc ipsum & Patri meo divinitus con-
24. ** Ignatii & Patricii amor Christus.* cessum est, * ut Christum noctu diuque in pectore gestaret, cogitaret, adoraret; in illo fiduciam collocaret; ad illum sitienter anhelaret; in illo solo voluptatem caperet; illum solum timeret, de illo solo gloriaretur; per illum de omnibus hostibus palmam reportaret.

Metris Boëthii, quæ in ejus opere de consolatione Philosophiæ sparsim inveniuntur, jam inde ab adolescentia delectatus, ea postea senex e locuplete memoriæ penu feliciter depromebat; præsertim illa, quibus opum, voluptatum, honorum & gloriæ mundi hujus vanitas depingitur, & animus ad altiora, veriora, ac duratura bona
Boeth. lib. 3. de consol. philos. metro 9. appetenda accenditur. Imprimis autem metrum illud, quo scriptor ille Deum compellat, & in eo versus hosce, honesta cum animi sui voluptate, & jucunda adstantium utilitate, frequenter usurpabat,

Da Pater augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da luce reperta
In te conspicuos animi defigere visus.
Et hos,
Tu requies tranquilla piis; te cernere finis,
Principium, rector, Dux, semita, terminus idem.

25. *Patricii conversatio sancta, cœlestis, angelica.* Timor Dei, dilectio Dei, fiducia in Deo, imitatio Christi, in verbis ejus, in oculis, & in omnibus vitæ partibus emicabat, & constanter ac splendide refulgebat. Conversatio illius fuit sancta, cœlestis, Angelica. Sanctus moribus; cœlestis affectibus, Angelicus fuit indefessa celebratione Dei, & pastoralibus excubiis circa heredes salutis.

26. *Meditatio assidua sacrarum scripturarum.* Ut domi semper sacrarum literarum lectioni & meditationi affixus, nullis unquam intercurrentibus negotiis animum suum passus est vel tantillum a divinæ gratiæ contemplatione, & incumbentis sibi muneris recordatione dimoveri; ita etiam peregre agens, sive certo loco interquiesceret, sive iter faceret, aliquam sacrarum literarum *περιοχὴν* mente revolvebat: eamque apud se penitus intuens, ejusque sensum secretiori quadam indagine investigans, & cum aliis Scripturæ locis collationem ejus instituens, assiduis interim ejaculationibus cœlum pulsans, in promptu semper habebat, tum quo ipse animum suum in meditationibus æternum profuturis perpetuo detineret, & adversus inferorum portas munitus atque invictus consisteret, tum quod ad Dei gloriam & audientium ædificationem, pro concione, veluti ex tempore, in quacunque Ec-
27. *Sedulitas in prædicando.* clesia diceret. Eo factum ut ubicunque eum dies Dominicus, vel alius sacris publicis destinatus, deprehenderet, cœtus illius loci concione sacra nunquam destitueretur. Nam absente, vel ægritudine aliqua laborante, vel ob impedimenta aliqua imparato, vel etiam auxilium ejus implorante loci Pastore, vel sicubi Pastor nullus esset, incunctanter ad concionandum ille, Deo fretus, se accingere, & tanquam Scriba doctus in regno cœlorum, de thesauro cordis sui efferre nova & vetera, quibus imperitos erudiebat, fatiscentes reficiebat, errantes in viam reducebat, pertinacibus terrorem incutiebat, & sacrorum testimoniorum pondere os obstruebat. Quando solabatur, aut ad officium hortabatur, melle dulcior
ejus fluebat oratio, ut (casto & sublimiore sen- 28. *Facundia pastoralis.*
su quam de Xenophonte olim Rhetore dictum est) in labris ejus Pitho sedisse, sermonem ejus Charites finxisse viderentur. Nec facta dictis fidem derogabant, nam hortamenta sua præclaro vitæ exemplo condecoravit, *ἡδὺς τὸν λόγον, ἡδίων τὸν τρόπον, jucundus verbis, jucundior moribus*, ut loquitur Gregor. Naz. de magno Athanasio. *Naz. orat. de laudibus Athanasii.* Quando docebat, vel abdita pandebat mysteria, tunc veluti introductis Solis radiis, lumen rebus quæ inaccessæ putabantur, clarissimum inferebat, & veluti e puteo erutam veritatem in apricum producebat, & propius intuendam omnium oculis subjiciebat. Quando adversus hominum peccata ultionem divinam denunciabat, tum vero ex ore ejus vibrabant fulmina illa quæ *καρδιοκράτορι* Dei ipsius brachio contorta ferebantur. Quod olim de beato Cypriano scripsit Lactantius lib. 5. divinarum Institut. cap. 1. id ipsum in *Patricio* auditores mirabantur; *ingenio fuisse facili, copioso, suavi, & (quæ sermonis maxima est virtus) aperto*, ut discernere nequires, *utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo* esset. Nec senex sibi pepercit, sed florens in atriis Domini, adhuc in senectute fructum ferebat. *Ps.* 92. 14, 15. Memor illius obtestationis Apostolicæ, ut Episcopus prædicet verbum, instet tempestive, intempestive, arguat, objurget, exhortetur cum omni lenitate & doctrina. 2 *Tim.* 4. 2. Et Apostolicis insistens vestigiis, sese erigebat & solabatur jugi meditatione & crebra repetitione verborum illorum, quibus olim Apost. Paulus seipsum & alios ad piam fortitudinem & Christianam constantiam animabat: Propterea non segnescimus; sed etiam- 29.
si externus homo noster corrumpitur, internus *Remigium animæ in cœlum sese attollentis.* tamen renovatur de die in diem. Nam illico præteriens levitas afflictionis nostræ excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis: Non spectantibus nobis ea quæ videntur, sed ea quæ non videntur: nam quæ videntur, sunt temporaria; at quæ non videntur, sunt æterna. 2 *Cor.* 4. 16, 17, 18.

Propterea & ipse correptus paralysi illa, quæ 30.
mortem ei propinquam portendebat, nihil remisit *Perpes fidelitas, & invicta constantia, etiam tempore morbi.* de pristino pietatis studio, sed quo magis appropinquare sentiebat reddendæ rationis diem, eo diligentius nervos omnes animæ & quos poterat corporis, intendebat, ut Dominus qui gregis sui curam & domus suæ præfecturam ei demandaverat, cum inveniret *ποιοῦντα οὕτως, facientem sic.* Matth. 24. 46. Conventus aliquot Synodicos tempore illius morbi cum symmystis egit, sella portatili, qua ad audiendas conciones sacras vectabatur, delatus in templum, conventibus illis pro officii sui ratione præfuit, & quod magis omnes gratulabundi mirabamur, conciones item in eis habuit more consueto, cum solita facundia, & pristinis orationis nervis, ac evidenti Numinis eum potenter roborantis præsentia. Hæc mecum sciunt, hæc palam loquuntur, hæc dum vivent restabuntur, præter alios auditores plurimos, centum Presbyteri diœceseos Aberdonensis, cum quibus Synodos illas celebravit.

Postea ingravescente morbo, cum in cubiculo 31.
perpetim detineretur, norunt adhuc superstites, *Mitis patientia, & grata pietas.* tum Clerici, tum Laici, qui ad eum invisendum certatim confluebant, quanta ille animi mansuetudine, quanto etiam interni hominis vigore, quam patienter, quam confidenter, qua humilitate, qua pietate, illam divinitus sibi impositam sustinuerit afflictionem; quam alacriter, quam libenter, quam constanter poculum illud

bibe-

biberit, quod a Patre suo cœlesti [illegible] porrigi animadvertebat: quanta gratitudine immensam Dei illum tam benigne visitantis, & cum quasi per partes mori jubentis clementiam deprædicaverit; quam in eo etiam ubertim experiebatur, quod artubus dextri lateris per paralysin labefactatis, præter hujus morbi indolem & consuetudinem Deus illi linguæ & sensuum illibatum usum benigne conservaret.

32. Mansit ei lingua & sensuum usus.

Cum autem acerbis subinde doloribus urgeretur, adeo placide Divinitati se submisit, ut nulla unquam impatientiæ vox ex ejus ore audita sit. Interea quam suavis & affabilis salutantibus, quam præsenti animo & hilari vultu omnes exceperit, quam pastoraliter instruxerit, quam paterne consolatus sit; res ipsa adeo in aprico est, & tam sonora voce clamitat, ut nostro non indigeat testimonio. Omnium ordinum supersint testes locupletissimi, qui hæc audiverunt & viderunt, & cum gaudio & admiratione ad Dei laudem, aliis etiamnum recitant.

33. Qualis in visentibus.

34. *Votum.* Sæpe dicebat, sibi in voto quidem ardentissimo esse hinc protinus liberari & esse cum Christo, sed nec audere se nec velle Deo limites ponere, aut tempora figere, aut paternæ ipsius providentiæ per impatientiam obniti, vel ingrato fastu obmurmurare: scire se cui crediderit, 2 *Tim.* 1. 12. adhuc enim tantillum, tantillum, inquam, & venturum qui veniet, neque tardaturum. *Hebr.* 10. 37.

Pia patientia. Fides.

35. *Accepit τὸ τελευταῖον ἐφόδιον.* Accelerari dimissionis sui diem lætus persentiscens, & salutare sacro-sanctæ Eucharistiæ Viaticum impense cupiens, illud sibi dari postulavit, quo una cum sex Presbyteris (quorum ego pars fui) summa cum devotione, reverentia, & consolatione sumpto, interrogatus a me, annon vivificam panis vitæ dulcedinem ubertim perciperet; respondit, se jam Deo canere illud senis

36. *Lætus erupit in verba Simeonis.* *Simeonis* canticum, Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum. Luc. 2.

37. *Benedictionem impertivit Symmystis & liberis, &c.* 29, 30. Tunc symmystis illis, & suis liberis & domesticis & amicis qui aderant, benedici ab illo enixe flagitantibus, manum quam habebat a paralysi immunem singulorum capitibus imposuit, & per ardentissimam ad Deum preciunculam pastorali ac paterna eos benedictione sigillatim adgeniculantes impertivit. Ea res nobis omnibus ingenti solatio fuit; & recurrente identidem suavissima ejus recordatione oppido recreamur.

38. *Colloquia inter Patricium & Johannem ejus filium. Matth. 11. 28.* Inter assiduas nostras collocutiones, quibus, de rebus divinis, de hominum miseria per peccatum, de Dei misericordia, & felicitate redemptorum per Christum, de seculi hujus vanitate, de vitæ hujus brevitate, de dulcissima illa invitatione & promissione Servatoris nostri; venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos; de justitia & pace, & gaudio in Spiritu sancto, de morte corporis, de immortalitate animæ, de carnis resurrectione, de hereditate nobis in cœlis reposita, de visione beatifica, summa cum animarum voluptate disserebamus; accidit ut paucis ante obitum diebus, acri infestatum dolore, & corporis viribus nimium quanto defectum hortarer ad constantem in Deo fiduciam, quam nullæ piis afflictiones excutiunt, cum hominem in Christi sanguine justificatum, adeoque jam Deo judice justum, nulla calamitatum congeries separare possit a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Ille in-

39. *Patricii constans in Deo fiducia.* concussam suam fidem fortissima responsione testatam fecit, finem Psalmi quinti commemorans, ejusque verba illa ultima Hebraice repetens כצנה רצון תעטרנו id est, *benevolentia veluti scuto coronabis* (vel *circumdabis*) *eum.* Atque ita Dei favore circumdatum, munitum, & coronatum, mox placida corporis etiam quies complexa est.

40. *Dilectis Dei servis datur ut non inviti, sed libenter moriantur.* Cum ei referrem de consanguineo quodam nostro nuper defuncto, quam dissimiliter animo affectus fuisset in isto morbo, qui ei mortem intra paucos dies attulit, ac in alio quodam morbo, quem ante paucos annos minari sibi interitum existimabat. (Nam in priore illo usque adeo consternatus timore mortis æstuabat ac trepidabat, ut non sine lacrymis ac suspiriis de propinquo (ut putabat) obitu suo loqueretur: Cum autem Dei beneficio ex illo morbo revaluisset, die mortis triennium circiter prolongato, & ægritudine postmodum hac mortifera correptus decumberet, visenti mihi professus est ultro sine ullo fletu aut gemitu, perjucundum sibi fore, si quamprimum sibi Deus illum ex hac vita ad seipsum transferret; cujus voti intra paucos dies compos feliciter factus est.) His auditis, subjecit Pater meus, *tam clementer a Deo haberi dilectos suos, ut invitos abripi non sinat, sed antequam hinc excedant, det animum obsequentem, ut volentes tabernaculum hoc deponant, & ad meliora transeant.*

41. *Quo sensu dicatur Christianus velle mori.* Vult autem mori Christianus, *non quo nolit vivere, sed ut post mortem melius possit vivere*, ut loquitur Augustinus lib. 14. de Civit. Dei, cap. 25. Illud autem Pater meus non eo asserebat, ac si pari omnes alacritate, ad hanc terribilem cum morte afflictionem in arenam descenderent; singulis enim concessa est hæc pia fortitudo, &

42. *Dispar fortitudo. Ephes. 4. 7. Rom. 12. 3.* Christiana fiducia, *secundum mensuram donationis Christi*; i. e. prout Christo libuerit eam admetiri: seu, ut alibi Apostolus, prout cuique Deus partitus est mensuram fidei; dispariliter quidem; ita tamen, ut quamvis irreprehensibili quadam

43. *Sed in omnibus victrix.* conservandæ inter corpus & animam copulæ appetentia, amarum illud divortium homo naturaliter abhorrescat, nihilominus unicuique nostrum in Domino morienti detur sufficiens illa & insuperabilis gratia Christi, qua virtus ejus in nostra infirmitate perficitur: i. e. per quam certam consequimur victoriam. Qua gratia Dominus nos ut prius ad credendum, ita tandem aliquando etiam ad moriendum, ex nolentibus facit volentes.

44. *Qualiter affectus Patricius ad vivendum aut moriendum, & migrandum.* Ipsum vero dulcissimum Patrem meum, cum illa diceret, & jam ante etiam a multis annis (quod inter alia testatur adhuc carmen ejus climatericum EUBULO adjunctum) ita cerneres comparatum, ut neque vitæ hujus temporalis fastidio vel cupiditate duceretur; neque mortis imminentis formidine angeretur, sed Dominum adeundi & supernis potiundi deliciis concepta cœlitus ineffabili spiritus flagrantia jugiter raperetur. Idcirco, cum omnes optarent illi atque adprecarentur a Domino vivendi commeatum, id ille ubi rescivit, respondebat, verbis illis utens Ambrosii, quæ in ejus vita ad Augustinum conscripta a Paulino commemorantur: Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori, quia Dominum bonum habemus. Addebat autem, se vehementi teneri desiderio cedendi de hoc seculo, & ad Christum proficiscendi.

45. *Patricii sincera pietas, & pia humilitas, metuens sibi a laudantibus,* Laudantibus vitam ejus anteactam, dicere solebat; sola Dei misericordia semper fulfultum soli Deo se acceptam referre quamcunque de tentationibus victoriam reportaverit; se in solo Deo gloriari, qui hoc ei benigne indulserit, attestante etiam sua conscientia, quod cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei conversatus fuisset

in

& soli Deo gloriam tribuens.

in mundo. (2 *Cor.* 1. 12.) Attamen (inquieba) non per hoc justificatus ſum. (1 *Cor.* 4. 4.) Det mihi Dominus ut inveniam misericordiam apud Dominum in illo die. (2 *Timoth.* 1. 18.) Quod opto & ſpero. Sic olim beatus Martyr IGNATIUS, epiſtola ad Trullenſes: In Domino gloriari bonum eſt. Quanquam enim roboratus

45. *Humilis pietas Ignatii Episcopi Antiocheni.*

ſim in eis quæ Dei ſunt, [τὰ κατὰ Θεὸν,] tamen plus mihi timendum eſt, nec animus illis intendendus, qui fruſtra me inflant καὶ μὴ προσέχειν τοῖς εἰκῇ φυσιοῦσί με, qui enim laudant, flagellant me, οἱ γὰρ μὲ ἐπαινοῦντες, μαστιγοῦσιν.

46. *Patricii mortem perſpicientis felix perſuaſio.*

Paulo ante ultimam vitæ diem, me alloquens Pater meus, dixit: perſpicio, Joannes, brevi adfore curſus mei terminum, & vitæ hujus exitum, quem certo perſuaſus ſum felicem futurum & conſolationis plenum.

47. *Immenſa conſolatio ex verbis Servatoris noſtri poſtremis in cruce. Luc. 23. 46. Vide in Evang. Joh. Cyril. Alex. lib. 12. cap. 36.*

Pridie quam moreretur (qui erat Domini noſtri Jeſu Chriſti paſſionis dies) cogitantibus nobis de vivifica Servatoris noſtri paſſione in cruce, ſuggerebam illi orationem illam Chriſti ad Patrem, dicentis; *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Qua oratione aiebam commendari Patri a Chriſto non ſolum propriam ac Deitati hypoſtatice unitam ſuam animam; ſed etiam omnem cujuſcunque Chriſtiani fidelis animam e corpore migrantem: atque adeo illius Orationis perpete virtute jam animam ipſius commendari Deo per Chriſtum, qui eſt ad dexteram Dei, & intercedit pro nobis. Ille hæc audiens, languentes ut poterat attollens oculos: Haud dubie, inquit, hæc vera eſt interpretatio, & ipſiſſimus verborum Domini ſenſus, qui & orat pro nobis, & a Patre ſemper exauditur. (*Joh.* 11. 42.)

48. *Chriſtus orat ut homo, exaudit ut Deus.*

Ad iſta recte intelligenda conducit dictum illud Auguſtini de Chriſto Patrem orante, & exaudito a Patre: Quomodo non Patrem rogat ut homo, qui cum Patre exaudit ut Deus? lib. 3. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum. cap. 14. Quo ſenſu etiam alibi ait: Ex hoc enim rogat, quo minor eſt Patre; quo vero æqualis eſt, exaudit cum Patre. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 10. Veſpere ante obitum; nunc, inquiebam, mi Pater, accidunt ad aures animæ tuæ dulciſſima illa Servatoris verba: Euge, ſerve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. (*Matth.* 25. 21. 23.) Nunc illam dabit beatam requiem, & immarceſſibilem gloriæ coronam imponet tandem capiti tuo. (1 *Petr.* 5. 4.) Reſpondit paucis, (non enim lingua multis verbis proferendis jam ſufficiebat) Joannes, hoc faxit Deus.

49. *Precatio fidei.*

Deinde hortor ut illius etiam ſuaviſſimæ invitationis ſolatio, ut ſæpe antea, ita nunc præſertim ſeſe erigat atque confirmet, ad inceptum iter in patriam ad Dominum Jeſum, licet per vallem mortis, alacriter conficiendum; qua Servator, qui eſt ille dilectus noſter, dicit fideli animæ; SURGE AMICA MEA, FORMOSA MEA, ET VENI. *Cant.* 2. 10.

50. *Solatium ex Cant. 2. 10. quo Patricius impenſe gaviſus.*

Qua mellitiſſima compellatione & benigniſſima exultatione nunc te vocat dilectus tuus, Servator tuus, ut ex hoc mundo, in quo peccatis ærumniſque infeſtamur, in cœlum properes, quod eſt, *habitaculum ſanctitatis & gloriæ Dei*, (Eſai. 63. 15.) ut hac nocte *cum Chriſto ſis in Paradiſo:* (Luc. 23. 43.) Reſpondit; *O iter optimum, cui nullum aliud felicitate æquiparari aut conferri pote?.*

51. *Quomodo ſe geſſerit cum loqui amplius non poſſet.*

Poſtea ceſſante jam linguæ uſu, quamdiu voces adhuc a nobis prolatas de Dei miſericordia, de beato exitu morientium Domino, de manſione cœleſti a Chriſto illi præparata, in qua mox cum Domino futurus erat, & de conſortio Angelorum, Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque beatorum, & de plenitudine illa lætitiæ quæ ibi eſt cum vultu Domini, & jucunditatibus ad dexteram ejus ſempiternis; quamdiu, inquam, voces has auribus ſuis inſonantes percipiebat, quantopere earum rerum meditationibus delectaretur, quorſum tunc animus ejus ac vota ferrentur, & quam conſtanter Deo fideret, manus illius quæ a paralyſi libera erat, & oculorum crebra ad cœlum levatione manifeſtum faciebat. Et percunctante me, an vellet ut qui aderamus, Deo in genua procidui, unanimiter toto pectore ſupplicaremus, ut quem inſtare videbamus, eum cœleſtis Pater ex immenſa ſua Indulgentia & immota ſuorum in Chriſto dilectione, exitum præſtaret beatum in Domino; illico ſeſe erigens ut poterat, manuque illa & oculis in altum vibratis, & omnibus flagrantiſſimi affectus datis indiciis, luculenter nobis teſtatum fecit, quam jucundum illi, quam acceptum, quam ſerio exoptatum fuerit illud noſtrum pro eo precandi officium; & noſtris votis ſua illum conjungentem, ex manu & oculis totoque vultus habitu evidenter animadvertimus.

Finita precatione, manum oculoſque ad dicta noſtra auribus ipſius ingeſta, pauliſper attollebat: mox audiendi ſenſus & omnis locomotiva facultas conquieverunt.

52. *Ἐκοιμήθη. Pie ac placide in Domino obdormivit ſub horam tertiam matutinam, in confinio noctis & auroræ, pridie Paſchatis 28. Martii anno Dom. 1635. in palatio Epiſcopali, quod Eccleſiæ adjacet cathedrali, juxta veterem pagum Aberdoniæ.*

Et nobis ſpectantibus, lacrymantibus, Deumque toto pectore invocantibus, & ex eis quæ audiendo & videndo clariſſime perſpexeramus, beatæ migrationis certiſſimis argumentis conſolationem haud exiguam capientibus, ille, dormientis inſtar, beatum illum cœloque jam maturum ſpiritum ſuum in manus Patris cœleſtis placidiſſime exhalavit. Tunc ego veluti Patriarcham olim *Jacobum* expirantem conſpicatus, & jam exanimem oſculatus, lacrymis madens, oculos ejus digitis meis compoſui. Exequiarum deinde & funeris curam habui.

Domino interim, qui tantis gratiæ ſuæ muneribus illum ditavit, & in cœleſtem nunc gloriam introduxit, benedicens, ſimilem mihi & vitæ tenorem, & ex hac peregrinatione exceſſum, quandocunque acceſſitionis meæ tempus adveniret, ſeriis precibus a divina clementia flagitabam. Id quod etiamnum conſtanter expeto, & ex Dei miſericordia lætanter expecto per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Deus autem ſpei, omnes ſervos ſuos hic peregrinantes magis magiſque impleat omni gaudio & pace in credendo: ut ſpe abundemus per virtutem Spiritus ſancti. Cui cum Patre & Filio, Triuni vero ſoli ſapienti Deo, Servatori noſtro, ſit omnis laus, honor & gloria, & magnificentia, & robur, & poteſtas, & nunc, & in omnia ſecula: AMEN.

Metrum Conſolatorium.

MEns mea ſollicito cur me labefacta dolore 53.
Conficis? ah tandem deſine feſſa queri.
Cernis, ut interea fugit hora laboribus apta,
Dum fracti ærumnis, attonitique malis,
Liquimur in lacrymas, & flendo ducimus annos:
Et noſtras pulſat mors properata fores.
Ite truces curæ. Domini quæ dextera clemens
Porrigit, hæc alacri pocula mente bibam.
Tranſit amarities: ſanati æterna manebit
Integritas animi. Mens mea fide Deo.
Te propter majora tulit, nec linquet Jeſus,
Qui Patris ad dextram victor in axe ſedet.

Quæ pateris, nigris nil sunt collata gehennæ
Ignibus, ardebit queis scelerata cohors.
Tu verbum meditare Dei, Christumque fatere.
Te servire Deo vociferetur opus.
Sit tibi communis cum Christo causa; ferantur
Vota tua in regnum justitiamque Dei.

Non metues Orci portas, Mundive furores,
Peccatum vinces, interitumque premes.
Per varios casus, per multa pericula ducit
In patriam cunctis semita trita piis.
Hic tu olim victrix & condecorata perenni
Luce, beatifico læta fruere bono.

JOANNIS FORBESII DISSERTATIO De VISIONE BEATIFICA.

Lectori S.

1. *Gebatur solennis Academiæ panegyris, in qua mihi ex officio de themate aliquo Theologico publice dicendum erat, & eam celebritatem Pater meus ὁ ἐν ἁγίοις, non obstante illa qua premebatur paralysi, carissimam filiam suam Universitatem* Aberdonensem *(quam marcore longo extabescentem & situ inferni squalentem, sanitati & nitori pristino, instaurator felix, restituerat) extremum invisens, manibus gestantium in auditorium portatus, veneranda sua præsentia condecoravit. Materiam igitur eam mihi deligendam existimavi, quæ & illi parentis mei conditioni maxime esset accommodata, & Theologo imprimis digna, & auditorio utilitatem juxta ac voluptatem longe uberrimam allatura videbatur. Præcipue vero ut hoc argumentum illo præsertim tempore tractandum assumerem, vehemens animi impulit ardor, quo solandi atque exhilarandi pientissimum illud ac mitissimum pectus carissimi Genitoris mei, senio simul & morbo gravati, & accersitionem sui de hoc seculo in horas præstolantis, flagrantissime rapiebar. Neque voto successus defuit, nam ille attentas, ut solebat, aures præbens, ad primum* visionis beatificæ *auditum, usque adeo per Dei gratiam exultavit spiritu, ut veluti novis collectis viribus sese ad audiendum mira alacritate componeret. Et quam impense* beatificæ visionis *meditatione delectaretur, frequentibus postea inter nos colloquiis, ad extremum usque spiritum luculenter ostendit.*

Ut autem dissertationem *hanc nunc publici juris facerem, his adductus sum rationibus.*

1. *Hoc olim solamine Patriarcha* David *mœrorem suum de filioli morte conceptum leniebat, quod ad defunctum iturus esset. Et* Ambrosius *obitu fratris sui* Satyri *contristatus, se hac spe solabatur, quod cito ad fratrem suum venturus esset, nec digressus inter illos longa essent futura divortia, & ipse cum fratre inter Angelorum consortia, propediem futurus. Hac ipsa Patrem meum apud Christum videndi spe me recreo atque sustento. Quæ certe ad amicos nostros hinc translatos profectio solatio esse non posset, nisi illos miseriis exemptos, cœlestibus jam potiri gaudiis crederemus. Quæ gaudia quo clarius prævisa, & certius animo præcepta, & frequentius atque accuratius menti repræsentata fuerint, eo mirabiliores sui amores in nobis excitabunt.*

2. *Ea etiam est præsentis seculi, utcunque ærumnosi, illecebrosa fallacia, & perniciosa blanditia, ut altioris remigio contemplationis opus sit, quo mentes nostras cœnosis degravatas affectibus humo revellere, & ad vera beatitudinis domicilium attollere valeamus. Torporem igitur hunc & exitiabilem inertiam quo facilius excutiamus, & ea quæ Dei sunt, non autem quæ mundi hujus sunt, libenter & continenter sapiamus, haud exiguo per Dei gratiam adjumento (ut hactenus mihi fuit) ita posthac tibi & mihi futuram confido istam quam exhibemus* beatificæ visionis *meditationem. Dicebat, memini,* Pater *meus beatæ memoriæ; „durante vitæ nostræ curriculo, „ præter communia & perpetua pericula, unamquamque ætatem novis & peculiaribus obnoxiam „ esse tentationibus: ideoque semper nobis vigilandum esse, ne accepta aliquando securitas indili- „ gentiam pariat, & vetus denuo hostis obrepat, qui semper novas nobis non desinit nectere ten- „ diculas, quamdiu adhuc in agone versantes, ad æternæ tranquillitatis arcem nondum perveni- „ mus. Omnibus igitur cujuscunque ætatis viatoribus inde a pueritia ad extremum usque senectutis terminum necessarium est, ut Apostolum imitati, cogitent se nondum metam apprehendisse, aut jam consummatos esse, sed persequantur an ipsi quoque apprehendant, cujus etiam rei causa apprehensi sunt a Christo Jesu; ut ea quæ a tergo sunt obliviscentes, ad ea vero quæ a fronte sunt contendentes, scopum versus ferantur, ad palmam (ἐπὶ τὸ βραβεῖον) supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Phil. 3. 12, 14. *Quocirca junioribus pariter & senioribus, & omnino omnibus qui Creatoris sui memores esse optant & ad supernam μισθαποδοσίαν animum adjiciunt, atque anhelant, tractatum hunc destinamus. Deum suppliciter orantes ut & illi accepta & lectoribus salutaria sint quæcunque in hac dissertatione subjiciemus. Vale, & pro nobis ora.*

2. *Patricii Forbesii a Corse Episcopi Aberdonensis, γνώμη de tentationibus.*

DIS-

DISSERTATIO
De
VISIONE BEATIFICA.

3. Vanitas rerum seculi hujus.

OMnibus quæ sub aspectabili hoc sole geruntur, acuta sapientiæ acie perlustratis, & æqua maturi judicii trutina pensitatis, sapientissimus Solomon deprehendit quantum esset in rebus inane. Idcirco omnia in unam congesta lancem (sequestrato Dei cultu qui altioris est ordinis) non modo vana, sed ipsam asseruit esse vanitatem, aut si quid cogitari potest vanitate vanius, ut hoc designaret, omnia quæ sub sole fiunt, *vanitatem vanitatum* esse pronunciavit. Hominem de muliere natum, sanctus Job ait esse ὀλιγόβιον, & multis plenum miseriis. (*Job*. 14. 1.) Ipsam dierum nostrorum præstantiam Psaltes *laborem* vocat & *dolorem*. (*Psalm*. 90. 10.) Cui congruit illud Chrysostomi, πολλῆς γέμει ταραχῆς ἡμῶν ἡ ζωὴ, καὶ θορύβων μεςὸς ὁ παρὼν βίος ἐςίν. Nec ærumnis solum nubila, sed etiam brevis est nostra in terris peregrinatio. Ad describendam ejus evanescentem brevitatem, plurimæ in sacris Scripturis a rebus sumptæ frivolis ac fugacibus similitudines adhibentur; dum vita nostra caduca vel homo mortalis assimilatur 2 *Samuel*. 14. 14. *Psal*. 22. 15. *Psal*. 90. 5. aquæ, *Job*. 7. 6. radio textoris, *Job*. 9. 25. cursori, *Psal*. 90. 5, 6. *Psal*. 103. 15. *Job*. 14. 2. *Esai*. 40. 6, 7. flori seu herbæ, *Job*. 7. 7. *Psal*. 78. 39. vento, *Psal*. 144. 4. vanitati, 1 *Chron*. 29. 15. *Job*. 14. 2. *Ps*. 102. 11. *Psal*. 144. 4. umbræ, *Jac*. 4. 14. *Job*. 7. 9. vapori & nubi deficienti, *Psalm*. 90. 5. *Job*. 20. 8. *Psal*. 73. 20. *Esa*. 29. 8. somno & somnio, *Psal*. 90. 9. meditationi seu sermoni, *Job*. 9. 26. navi celeriter prætereunti aut pertranseunti, *Job*. 9. 26. aquilæ ad escam volanti. Has omnes similitudines memoriæ juvandæ exhibemus hoc disticho;

4. Vita hujus caduca miseria & brevitas. Chrysost. serm. 1. de providentia.

5. 11. Similitudines quibus peregrinationis nostra evanida brevitas depingitur.

Vita liquor, radius, cursor, flos, ventus, inane,
Umbra, vapor, somnus, fabula, puppis, avis.

6. Tom. 8. operum Chrys. Collatio præsentis seculi & futuri. Clemens Rom.

Chrysost. Serm. de futurorum fruitione, & præsentium vanitate, hoc seculum ait esse *stadium*, futurum vero seculum vocat βραβεῖον: & huic quidem σκάμματα, καὶ πόνους, καὶ ἱδρῶτας, *stadia seu terminum*, & *labores* & *sudores* esse a Deo attributos; illi vero ςεφάνους καὶ ἔπαθλα, καὶ ἀμοιβὰς, *coronas*, & *præmia*, & *retributiones*. Hoc breve esse, illud senectæ expers & immortale. Sic Clemens Romanus, vel quicunque Autor fuit secundæ illius epistolæ, quæ Clementi Pauli Apostoli discipulo tribuitur, ἡ ἐπιδημία ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ τῆς σαρκὸς ταύτης μικρά ἐςιν, καὶ ὀλιγοχρόνιος· ἡ δὲ ἐπαγγελία τοῦ Χριςοῦ μεγάλη καὶ θαυμαςή ἐςιν, καὶ ἀνάπαυσις τῆς μελλούσης βασιλείας, καὶ ζωῆς αἰωνίου, peregrinatio carnis hujus in mundo hoc parva est & exigui temporis: promissio autem Christi magna est & admirabilis, & requies futuri regni, & vitæ æternæ. In eandem sententiam sanctus ille Antonius Ægyptius, in sua ad Monachos Ascetas parænesi dixit: ὅλος γὰρ ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος βραχύτατός ἐςι, μετρούμενος πρὸς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας· ὥςε καὶ πάντα τὸν χρόνον ἡμῶν μηδὲν εἶναι πρὸς τὴν αἰώνιον ζωήν. Omnino enim vita humana cum futuris seculis comparata, est omnium brevissima, ut ad æternitatem nihil sit omne nostrum tempus.

Apud Athanasium in vita S. Antonii.

Ab hoc autem vitæ hujus momento pendet æternitas. Et omnium Christianorum spes in futurum tempus extenditur, ut quod hic servivimus, alibi nos servisse lætemur. Et vitæ hujus summa brevis spes nos monet (dum tempus habemus) inchoare æternas. Nam quæ visibilia sunt, temporaria sunt; at quæ sunt invisibilia, æterna. (2 *Cor*. 4. *ult*.) *7. A momento pendet æternitas.*

In hoc brevi stadio res quasdam pro tempore *utendas* accepimus a supremo Agonotheta Deo, cujus solius æterna *fruitio* nobis plena requies est, & unica & sempiterna beatitas. Pulchre August. quia, inquit, fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. *8. Uti & frui. Vid. Aug. lib. 1. de doct. Christiana, cap. 3, 4, 5, 22. Aug. lib. 1. Confess. cap. 1.*

Utrum autem beatitudo nobis in cœlis reposita in actu intellectus, an voluntatis principalius consistat, anxie inter Scholasticos Theologos disceptatum est. Nos missa nunc ea tanquam haud quaquam necessaria controversia, de illa Dei visione, Deo ipso donante, dicere instituimus, quæ ita beatifica est, ut cuicunque Deus eam indulserit, is haud dubie etiam flagrantissima summi illius & communis boni dilectione constanter ardeat. Nam Deus est τῶν νοουμένων τὸ ἀκρότατον, intelligibilium supremum, & τὸ τῶν ὀρεκτῶν ἔσχατον, omnium expetibilium extremum, seu ultimus terminus, in quo desiderium omne consistit ac defigitur, & plene conquiescit, ut monet Greg. Nazianz. *In 4. sent. dist. 49. 9. Visio beatifica separabilis non est ab actu voluntatis. Naz. orat. de laudibus Athan. sub initium.*

Carissimi (inquit Joannes Apost.) nunc filii Dei sumus; sed non apparuit quod erimus. Scimus, quod cum ipse patefactus fuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. 1 *Joh*. 3. Hæc felicitas mundis corde, & diligentibus Deum a Servatore promissa est. Quin etiam viatoribus multis Patriarchis & Prophetis conspectus esse dicitur, ut Abrahamo, Jacobo, Moysi, Esaiæ, Danieli, &c. cum tamen alibi Scriptura sacra Deum prædicet invisibilem, lucis inaccessæ habitatorem, quem vidit nemo hominum, neque videre potest; & Joannes dicat, Deum nemo vidit unquam. *10. Promissio visionis beatificæ. Matth. 5. Joh. 14. 21. 11. Visio in via. Objectio. Deus non videtur. 1 Tim. 6. Joh. 1.*

De visionibus illis antiquis facilis est solutio, admota hac distinctione, *Deus juxta naturæ suæ proprietatem nulli corporali oculo visibilis est*, quando autem Patribus visus est, sicut Moysi, cum quo facie ad faciem loquebatur, *alicujus conspicabilis materiæ dispositione assumpta, salva sua invisibilitate, videri potuit.* Sic respondent Greg. Naz. & Hieron. apud August. epist. 111. Et ipse ibid. & sequente epistola August. & Ambr. in cap. 1. Evangelii Lucæ, exponens eum locum, ubi Angelus in templo apparuit Zachariæ sacerdoti; & Chrys. Hom. 15. in Evang. Joannis, & omnis sanorum Theologorum schola consentit adversus Hæreticos Ἀνθρωπομορφίτας. Chrysost. (loco citato) de visionibus veteribus loquens, quibus Deum vidisse dicuntur Patriarchæ & Prophetæ: Illa, inquit, omnia συγκαταβάσεως ἦν, *12. Responsio de visionibus in via. 13. Quomodo Deus invisibilis est, vel videri potest oculo corporali. 14. συγκατάβασις.*

οὐκ αὐτῆς τῆς οὐσίας γυμνῆς ὄψις, condescensio erant, non ipsius nudæ essentiæ visio, nam si ipsam vidissent, nulla ex parte differentem videssent, quippe quæ simplex est, ἁπλῆ καὶ ἀσχημάτιστος, καὶ ἀσύνθετος, καὶ ἀπερίγραπτος. Augustinus epist. 112. laudat illam Hieronymi sententiam: *Res incorporalis oculis non videtur*: & illud Ambrosii: *Deum ea specie videri quam voluntas elegerit, non natura formaverit.* Et illa ejusdem Patris verba identidem inculcat: Nec Deus in loco videtur, sed mundo corde, nec corporalibus oculis Deus cernitur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu.

15. *Attributa quædam divina.*

16. *Quæstio, quo sensu Deus dicatur secundum naturæ suæ proprietatem visibilis aut invisibilis menti creatæ.*

Hic vero gravis & expeditu difficilis se ingerit quæstio; an, & quatenus, & quomodo Deus secundum naturæ suæ proprietatem se conspiciendum præbeat oculis mentis creatæ, & quo sensu etiam intellectui humano vel Angelico invisibilis sit.

17. *Responsio Hieronymi.*

Hieronymi verba sunt (apud Augustinum epist. 111.) Videre Deum, sicuti est in natura sua, oculus hominis non potest. Non solum homo, nec Angeli, nec Throni, nec Potestates, nec Dominationes, nec omne nomen quod nominatur: neque enim creatura potest aspicere Creatorem suum. Et alibi (in cap. 1. Esaiæ): Homo igitur Dei faciem videre non potest, Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus & in ænigmate, tum autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, & poterimus cum Apostolo dicere; nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu. Licet faciem Dei, juxta naturæ suæ proprietatem, nulla videat creatura: & tunc mente cernatur, quando invisibilis creditur. Quæ Hieronymi verba perpendens August. epist. 111. ad Fortunatianum; in his (inquit) verbis hominis Dei multa consideranda sunt.

1 Cor. 13. Matth. 18. 2 Cor. 3.

§. 18. *Augustinus.*

1. *Primum.* Quia secundum apertissimam Domini sententiam, etiam ipse scuit tunc nos visuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus, id est, æquales Angelis facti fuerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum. *Deinde.* Apostolico testimonio satis apparuit, non exterioris, sed interioris hominis faciem intelligendam, cum videbimus facie ad faciem. Dicit velamen super cor Judæorum positum esse, ut ostendat cordis faciem nobis esse revelatam, velamine ablato. Quod autem dixit Hieron. faciem Dei juxta naturæ divinæ proprietatem a nulla videri creatura, id Augustinus refert ad corporales aspectus etiam Angelicos. Verum quia satis durum est spiritibus illis cœlestibus oculos tribuere corporales, juvabit audire hac de re disserentes Ambrosium (in cap. 1. Lucæ) & Chrysostomum (homil. 15. in Evang. Joannis) & ipsum alibi Augustinum (epist. 112.)

2.

19. *Augustiniana expositio verborum Hieronymi.*

20. *Ambros.*

Ambrosius dictum illud Johannis Evangelistæ, *Deum nemo vidit unquam*; ad ipsas etiam cœlestes virtutes & potestates extendit, quod Deum nunquam viderint. Idque in hunc modum explicat: Et ideo Deum nemo vidit unquam, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem deitatis, nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. *Vidit* ergo ad utrumque referendum est. Denique cum additur, *unigenitus Filius ipse enarravit*, mentium magis quam oculorum visio declaratur. Species enim videtur, virtus vero enarratur, illa oculis, hæc mente comprehenditur. Quæ Ambrosii verba considerans Aug. (epist. 112. cap. 9.) aliud est, inquit, videre, aliud est totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur quod præsens utcunque sentitur. Totum autem comprehenditur videndo quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt. Posterior ista comprehensio Dei nulli est possibilis creaturæ, ut cap. 8. ejusdem epist. docebat Augustinus. Visionem tamen Dei sicuti est, (quæ etiam Apostolo *comprehensio* latiore sensu dicitur Phil. 3.) nobis promittit sacra Scriptura, quando in Angelos profecerimus. Proinde (inquit ibi August.) narrante Unigenito qui est in sinu Patris, narratione ineffabili, creatura rationalis munda & sancta impletur visione Dei ineffabili, quam tum consequemur cum æquales Angelis facti fuerimus. Et cap. 15. Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, divinitatis naturam atque substantiam INSONABILITER NARRAT, & ideo dignis idoneisque tanto conspectu oculis etiam INVISIBILITER MONSTRAT. Hæc August.

21. *Distinctio. Videtur Dei essentia sicuti est, sed plenitudo ejus non comprehenditur a mente creata. Locus ipsa visio beatifica dicatur, & sit comprehensio secundum modum creatura qua hac visione impletur.*

Loquatur nunc os aureum, αὐτὸ ὅπερ ἐςὶν ὁ Θεὸς, id quod est Deus, non modo Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli. Et subjungit eandem rationem, qua usus est Hieron. ἡ γὰρ κτιςὴ φύσις ἅπασα πῶς καὶ ἰδεῖν δύναται τὸν ἄκτιςον; omnis enim natura creata quanam ratione videre poterit increatum? Deinde proposito Servatoris dicto de Angelis semper videntibus faciem Dei, & altero illo, *beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; posterius sic exponit, τὴν κατὰ διάνοιαν ὄψιν φησὶ τὴν ἡμῖν δυνατὴν, καὶ τὴν ἔννοιαν τὴν περὶ Θεοῦ. i. e. visionem dicit intellectualem nobis possibilem, & intellectionem de Deo. Et ad prius rediens, ait, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν ἀγγέλων ἐκληπτέον, ὅτι διὰ τὴν καθαρὰν αὐτῶν καὶ ἄγρυπνον φύσιν, οὐδὲν ἕτερον, ἀλλ᾽ ἢ τὸν Θεὸν ἀεὶ φαντάζονται. Subjicit deinde: Propterea Christus, *Nemo*, inquit, *cognovit Patrem nisi Filius.* Quid inquam? Num omnes in ignorantia sumus? Absit. Sed nemo ita cognovit Patrem ut Filius. (οὕτως οὐδεὶς οἶδεν ὡς ὁ Υἱός.) Sicut igitur viderunt eum multi κατὰ τὴν ἐγχωροῦσαν αὐτοῖς ὄψιν (visione ipsis congruente, seu pro suo captu) τὴν δὲ οὐσίαν οὐδεὶς ἐθεάσατο· οὕτως ἴσμεν πολλοὶ τὸν Θεὸν, τὴν δὲ οὐσίαν οὐδεὶς οἶδεν, ὅ, τι ποτὲ ἐςίν, εἰ μὴ μόνος ὁ γεννηθεὶς ἐξ αὐτοῦ· γνῶσιν γὰρ ἐνταῦθα τὴν ἀκριβῆ λέγει θεωρίαν τε καὶ κατάληψιν, καὶ τοσαύτην, ὅσην ὁ πατὴρ ἔχει περὶ τοῦ παιδός. Καθὼς γὰρ γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα. Hæc Chryſ. Summa est: Deum non nisi τῇ κατὰ διάνοιαν ὄψει vident creaturæ rationales mundæ, attamen οὐχ οὕτως ὡς ὁ Υἱός, non accurata illa divinæ essentiæ contemplatione & comprehensione, qua Pater Filium, & Filius novit Patrem, sed tantummodo pro captu seu modulo creaturæ, κατὰ τὴν ἐγχωροῦσαν αὐτοῖς ὄψιν.

Chrys. homil. 15. in Evang. Joan. Matth. 18. Matth. 5.

Ἡ κατὰ διάνοιαν ὄψις.

Matth. 11.

22. *Summa responsionis ex Chrysostomi distinctionem similem suppeditat.*

Augustinus hac de re antiquorum patrum, præsertim Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, & Hieronymi doctrinam, cui & ipse consentit, proponens, ait, epist. 111. Magni quidam viri & in Scripturis sanctis doctissimi, qui plurimum Ecclesiam & bona studia fidelium suis literis adjuverunt, ubi eis occasio data est, dixerunt invisibilem Deum INVISIBILITER VIDERI. Hoc est per eam naturam quæ in nobis quoque invisibilis est, munda scilicet mente vel corde. Idem epist. 112. seu libro de videndo Deo, ad Paulinam, prolixe contendit nos in statu

Aug. epist. 111.

23. *Deus videtur invisibiliter. Aug. epist. 112. seu lib. de videndo Deo.*

statu gloriæ, „ mentis puræ oculis intellectuali„ bus nude & aperte visuros Deum in sua natura, „ in forma Dei sicuti est.

14. *Visio facialis immediata.* 25. *Communis sententia Theologorum.* *4. Sent. dist. 49.*

Et Augustinum sequuta universa fere Theologorum schola concorditer docet *beatos videre immediate Dei essentiam, seu videre Deum in sua essentia, & non per medium eam repræsentans vel adumbrans, sed per ipsam Dei essentiam quæ immediate absque ulla similitudine conjungitur intellectui beato, hac eam conjunctione seu visione* (ut vocant) *faciali beatificans.* Ita docent Thomas, Scotus, Durandus, & alii, in quartum sententiarum, dist. 49. & rursum Thomas in Summa part. 1. quæst. 12. Et auctoritati sacræ Scripturæ, beatificam visionem Dei sicuti est, facie ad faciem, sanctis apertissime promittentis, adjiciunt hanc rationem:

26. *1. Ratio pro immediata visione Dei.*

Desiderium veraciter piorum (inquit Augustinus epist. 112. cap. 8.) quo videre Deum cupiunt, & inhianter ardescunt, non in eam speciem contuendam flagrat, qua ut vult apparet quod ipse non est, sed in eam substantiam qua ipse est quod est. Hujus enim desiderii sui flammam sanctus Moyses fidelis famulus ejus ostendit, ubi ait Deo, cum quo ut amicus facie ad

Exod. 33. faciem loquebatur, *si inveni gratiam apud te, ostende mihi temetipsum.* Quid ergo? Ille non erat ipse? si non esset ipse, non diceret, *ostende mihi temetipsum*, sed ostende mihi Deum: & tamen si ejus naturam substantiamque conspiceret, multo minus diceret, *ostende mihi temetipsum.* Ipse ergo erat in ea specie qua apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat. Ea quippe promittitur sanctis in alia vita. Unde quod responsum est Moysi, verum est, *quia nemo potest faciem Dei videre & vivere*; id est, nemo potest eum in hac vita vivens videre sicuti est. Et postea eodem libro, cap. 11. In illo, inquit, regno ubi eum videbunt filii ejus sicuti est. Tum quippe satiabitur in bonis desiderium eorum, quo desiderio flagrabat Moyses, cui loqui ad Deum facie ad faciem non sufficiebat, & dicebat, *ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te*, tanquam diceret quod in Psalmo ex eodem desiderio ca-

Psalm. 17. nitur, *satiabor cum manifestabitur gloria tua.*

Beatitudo. Beatitudo (inquit Bonaventura in 4. sent. dist. 49. art. 1. quæst. 1. in resolutione) est finis sa-

Beatus. tians nostrum appetitum. Beatus non est, ait August. lib. 13. de Trinit. cap. 5. nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult male. Hæc ille. Desiderium igitur videndi Dei essentiam sicuti est, piis mentibus a Deo inditum, non erit inane, sed satiabitur.

27. *2. Ratio pro immediata visione Dei. Thom.*

Alia ratio est, quam adferunt Thomas & Scotus. Thomæ verba sunt (in 4. sent. dist. 49. quæst. 2. art. 1.): Si in perfectissima operatione intellectus, homo non perveniat ad videndam essentiam divinam, sed aliquid aliud; oportebit dicere quod aliquid aliud est beatificans ipsum hominem quam Deus. Et cum ultima perfectio cujuslibet sit in conjunctione ad suum principium, sequitur; ut aliquid aliud sit principium effectivum hominis, quam Deus. Quod est absurdum.

Scot. Scotus (in 4. sent. dist. 49. quæst. 2.) similiter philosophatur; naturam scilicet intellectualem (cum sit suprema perfectibilis natura) non habere ultimam suam perfectionem & beatitudinem, nisi in supremo perfectivo extrinseco, non essendo illud realiter, nec habendo illud formaliter sibi inhærens, sed attingendo illud, & sic habendo modo sibi possibili habendi. Nullam perfectionem intrinsecam beatorum esse beatitudinem, nisi pro quanto immediate conjungit perfectivo extrinseco, quod est objectum beatificum.

28. *Conclusio, quatenus Dei essentia oculis mentis creatæ videatur, & quatenus non comprehendatur ejus plenitudo.*

Quæstionis superius propositæ duos jam expedivimus articulos, nempe Deum in sua essentia, sicuti est, videri oculis mentis creatæ, visione nuda, aperta, immediata, manifesta, licet plenitudinem Deitatis nulla creatura comprehendat comprehensione illa accurata, qua in sanctissima Trinitate Pater novit Filium, & Filius Patrem, sed tantum pro modo suo eum perfecte attingant & teneant beatæ mentes.

29. *Proponitur quæstio de modo quo fit hæc immediata Dei visio.* 30. *Laudabilis & conducibilis est hujus modesta & pia investigatio.*

Tertia pars omnium difficillima est, de modo quo fit hæc visio, pro cujus investigatione, insignem illum librum, De videndo Deo, scripsit ad Paulinam Augustinus, & Scholastici subtiliter exercentur. Neque de eo modeste inquirere, sensumque adeo sacræ Scripturæ, hanc visionem describentis, sobria sedulitate rimari, inutilis erit curiositas & ventosa garrulitas, sed pars quædam illius cœlestis quam nobis commendant sacræ literæ, qua mentes nostræ ab omnibus carnis sensibus, quoad ejus fieri poterit, paulisper sevocatæ, per hujusmodi cœlestia progymnasmata a sordidis mundi curis ad sublimia erigantur, & beatificæ illius visionis suavis meditatio, ad eamque ardens anhelatio, & certa ejusdem expectatio cogitationes vanas a nobis abigat, mundanas cupiditates excutiat, anxiam rerum fluxarum sollicitudinem expectoret, ipsamque mortis, per quam ad hanc beatitudinem transmittemur, formidinem absorbeat.

Aug. epist. 112. & lib. 13. de Trin. cap. 3. 31. *Visio quadruplex.*

Paulo altius igitur rem cum Augustino repetamus. 1. Videre dicimur ea quæ sensu corporis percipimus, ut corpora, per quorum etiam imagines quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus. Talis Dei nulla est visio in sua natura, sed tantum in assumpta creatura. Hæc Dei *visio* docendi causa dicatur *symbolica.*

32. *1. Visio symbolica.* 33. *2. Visio intuitiva.*

2. Videmus illa mentis intuitu quæ oculis mentis plane præsentia conspicimus, licet corporeos sensus fugiant, nec aliorum de eis testimonio nitamur: sic videt quisque vitam, voluntatem, cogitationem, memoriam, cognitionem, intelligentiam, scientiam, fidem suam, & quicquid aliud mente conspicit, atque ita esse non tantum credendo, *sed plane videndo non dubitat, certa scientia & clamante conscientia.* Hoc modo viatores Deum non videmus. Hæc est *visio intuitiva.*

34. *3. Visio ratiocinativa.*

3. Videmus & ea quæ neque corporis sensibus, neque animi contuitu, in ejusdem rei quæ cognoscenda est, evidentia, percipimus; sed ex eis quæ vidimus cogitatione utcunque formamus, & memoriæ commendamus, quo recurramus cum voluerimus; ut illic ea, vel potius qualescunque eorum imagines quas ibi fiximus, similiter recordatione cernamus.

35. *Ad ratiocinativam visionem Dei via triplex.*

Hujusmodi *visione ratiocinativa* Deum vident ex intuitu operum divinorum, formantes de Deo veros licet inadæquatos conceptus. Idque via triplici, videlicet, *causalitatis, eminentiæ, & negationis seu remotionis.*

36. *1. Via causalitatis.*

Nam invisibilia Dei a creatione mundi per ea quæ facta sunt conspiciuntur: æterna scilicet ejus tum potentia tum divinitas, ut monet Apost. ad Romanos, cap. 1. v. 20. hæc via est *causalitatis*, ab effectis ad causam.

37. *2. Via eminentiæ.*

Altera est *eminentiæ*, qua colligimus & cogitamus, quicquid entitatis, bonitatis, & perfectionis est in creatura quacunque vel in omnibus creaturis, id totum esse eminentius in Deo.

38. *3. Via negationis seu remotionis.*

Ne vero quicquam Deo nisi θεοπρεπῶς tribuatur, accedit via *negationis* seu *remotionis*, per quam ab illo removemus ea quæ ei non conveniunt: ad quam pertinet illud Damasceni, lib. 1. orthod. fidei, cap. 4. De Deo non possumus scire quid est, sed solum quid

non est: & quod scite scripsit Auctor operis de cardinalibus Christi operibus (quod Cypriano tribuitur) in præfatione, affirmatio de Dei essentia in promptu haberi non potest; neque definibilis est divinitas: sed verius sinceriusque remotio indicat negando quid non sit, quam asserendo quid sit. Quoniam quicquid sensui subjacet, illud esse non potest quod omnem superat intellectum. Quicquid audiri vel videri vel sciri potest, non convenit majestati. Hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum, & caligat aspectus.

39. *Visio fidei.* 4. Est & visio Dei per fidem, solo nixa testimonio verbi Dei, cui de Deo asserenti aliquid credimus. De qua Hieron. dixit, tunc mente cerni Deum, quando invisibilis creditur. Viatores per fidem incedimus, non per aspectum. (2 *Cor.* 5.7.) Non est de Deo (inquit Hilarius) humanis judiciis sentiendum: neque enim nobis ea natura est, ut se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat. A Deo discendum est, quid de

40. *Regula fidei.* Deo intelligendum sit, quia non nisi se auctore cognoscitur. Adsit licet secularis doctrinæ elaborata institutio, adsit vitæ innocentia, hæc quidem proficient ad conscientiæ gratulationem, non tamen cognitionem Dei consequenter. Hæc Hilarius Pictaviensis, lib. 5. de Trinit. Ubi mox subjicit: Loquendum ergo non aliter de Deo est, quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se loquutus est.

41. *Beatifica visio est intuitiva.* Beatifica illa, quam exspectamus, *visio*, nec *symbolica* est, nec *ratiocinativa*, neque *fidei*, sed est *intuitiva*, seu *facie ad faciem*, non speculatoris & ænigmatica, qualis est cognitio viatorum, sed perfecta. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit τὸ τέλειον, quod perfectum est, tunc τὸ ἐκ μέρους, quod ex parte est, abolebitur. (1 *Cor.* 13.10,12.)

42. *Quid sit Dei visio intuitiva.* Quæritur jam quid sit illa intuitiva Dei visio.

43. *Descriptio Augustiniana.* August. lib. 12. de Genesi ad literam, cap. 27. Sic intelligendum arbitror quod de Moyse scriptum est, concupiverat enim, ut in Exod. legimus, videre Deum; non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo, sed in ea substantia qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur; neque in spiritu figuratis similitudinibus corporum; sed per speciem suam, quantum eam capere creatura rationalis & intellectualis potest, sevocatis ab omni corporis sensu, & ab omni significativo ænigmate spiritus. Hæc

44. *Intuitivæ visionis Dei compendiaria descriptio.* ille. Intuitiva Dei visio est, (sicut ex præmissis jam liquere arbitror, intellectualis, manifesta, & symbolis imaginibusque atque externis omnibus testimoniis nuda, ipsius divinæ essentiæ immediata contemplatio.

45. *Excluditur ab hac visione species intelligibilis.* Qua descriptione excluditur etiam intermedia species intelligibilis, quæ licet sufficiat cognoscendæ creaturæ, nulla tamen forma creata potest esse idonea species seu similitudo repræsentans videnti Dei essentiam, quia sola essentia Dei est infinita, & est ipsum suum esse, neque potest nisi admodum deficienter repræsentari per creatam speciem. Nec tali specie indiget, potens

46. *Usus specierum intelligibilium.* per se intellectum possibilem facere intellectum actu, qui est unicus specierum intelligibilium usus. Unde detegitur & aliud discrimen; nam

47. *Essentia divina non informat intellectum sicut species intelligibiles.* species intelligibiles informant intellectum actu intelligentem; *Deitas* vero eis non egens, licet perfectius per modum objecti intelligibilis seipsa conjungatur cum intellectu, ut ipsa sit id quod intelligitur, & quo intelligitur, non tamen est vera forma intellectus nostri, neque ex ea & intellectu nostro efficitur unum simpliciter, sicut in naturalibus ex forma & materia naturali; sed proportio essentiæ divinæ ad intellectum nostrum est, sicut proportio formæ ad materiam, ut loquitur Thomas in 4. sent. dist. 49. quæst. 2. art. 1.

Si quæras, quid in hac visione intrinsecum habeat mens beata; respondet Thomas, (part. 1. quæst. 12. art. 2. & in 3. sent. dist. 14. quæst. 1. art. 3.) habet *lumen divinæ gloriæ* confortans & perficiens intellectum ad videndum Deum. De quo dicitur in Psalmo; *in lumine tuo videbimus lumen*. Hoc lumen Bonaventura (in 4. sent. dist. 49. art. 1. quæst. 1.) vocat *influentiam Dei in animam quæ est ipsa Deiformitas*, & *satietas*. Hæc tamen Deiformitas non in similitudine Dei objectiva consistit, seu specie intelligibili Deum repræsentante, sed in ipsa operatione seu visione, qua mens Deum videndo attingit eique immediate conjungitur. Nam (ut monet Thomas in 3. sent. dist. 14. quæst. 1. art. 3. & quæst. 2. art. 1.) omnis intellectus creatus qui videt essentiam Dei, videt eam sine aliqua mediante similitudine; qui autem cognoscit Deum per similitudinem aliquam sive impressam, sive a rebus acceptam, non videt essentiam Dei, sed ad hoc quod videat Deum oportet ut ipsa Dei essentia conjungatur intellectui, ut forma qua cognoscit determinate.

48. Quid in hac visione intrinsecum habeat mens beata. Psalm. 36.

49. Lumen gloriæ, seu influentia Dei in animam, quæ est ipsa Deiformitas, in quo consistit.

Innuere videtur Thomas (ibi quæst. 1. art. 3.) lumen gloriæ perficiens intellectum possibilem ad cognoscendum Dei essentiam esse *habitum* quendam in intellectu. Si inesse intelligat per modum habitus, quamvis habitus proprie dictus non sit, consentit cum Scoto, qui habitum ipsa visione priorem, aut ab ipsa visione distinctum negans (in 3. sent. dist. 14. quæst. 2. num. 3. & 8.) sufficere docet ipsam mentis Deum videntis *operationem* seu visionis actum, qui est ipsa permanens in intellectu, sicut habitus, adeoque habet perfectionem actus primi & secundi, permanens semper ex præsentia perpetua objecti beatifici, absque qua non permaneret vel actus vel habitus. Non opus esse aliquo lumine intellectum ad videndum Dei essentiam perficiente, tanquam forma absoluta alia a visione, tum quia ipsa visio est lumen perfectum, tum quia essentia divina est lux summa ex se, & de se intelligibilis, & de se perfectissime motiva intellectus ad actum intellectionis seu visionis, ita ut nullum lumen requirat cooperativum sibi. Ideo alibi idem Scotus ait (in 4. sent. dist. 49. quæst. 2. num. 9.) Essentia divina illabens potentiæ intelligenti, perficit eam tanquam causa extrinseca, ut objectum: & perficit eam formaliter, per formam causatam, quæ est Operatio attingens ipsam ut objectum. Et Num. 27. ibid. Excepta revelatione, ultima perfectio intrinseca beati, & proxima objecto beatifico, seu immediatissimum conjungens, est operatio. Hæc Scotus.

50. Videtur non requiri habitum luminis qui præcedat operationem mentis ad videndum Deum, sed sufficere ipsius operationis lumen, quod Deus menti donat per objecti beatifici perpetuam præsentiam, remotis omnibus impedimentis.

Pro lumine gloriæ, tanquam non necessario, Durandus (in 4. sent. dist. 49. quæst. 2.) substituit remotionem duntaxat omnium impedimentorum, ut solam necessariam ad immediatam visionem Dei. Et Joannes Major in 3. sent. dist. 14. quæst. 2. postquam dixit lumen gloriæ ponendum esse in omni anima beata, nec posse intellectum creatum, de communi lege, videre Deum sine aliquo habitu, hoc est sine lumine gloriæ; & id ipsum confirmavit ex *Clementinis* Tit. de *Hæreticis*, cap. *ad nostrum*, ubi hæreticum esse decernitur, si quis dixerit animam non indigere lumine gloriæ ipsam, elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum. Postquam inquam, lumen gloriæ asseruit *Major*, mox ibidem subjicit, posse Deum supplere causalitatem luminis glo-

Durand.

Joan. Major.

51. Objectio ex Clementinis, pro necessitate luminis gloriæ.

52. Responsio ex Majore

& ex ipsis Clementinis. gloriæ (si quam habeat) quod homo Deum videat, partialiter illam visionem producendo absque hoc quod lumen gloriæ concurrat. Item, posse illam qualitatem quæ est lumen gloriæ stare in intellectu, absque hoc quod illum habitum habens Deum videat; posse enim prius stare sine posteriore. Hæc *Major*. Quod autem illam *Clementis* Papæ quinti & Concilii *Viennensis* determinationem attinet, patet ex loco citato *Clementinarum*, eam opponi illorum duntaxat errori, qui asserebant quamlibet intellectualem naturam in seipsa naturaliter esse beatam, nec indigere actione Dei, quo solo faciente videri potest ipsius essentia. Qui error evertitur sufficienter, etiamsi teneatur doctrina *Scoti & Durandi*, habitum luminis gloriæ alium ab ipsa visione beatifica negantium; sufficit enim agnoscere actum seu operationem esse Dei donum, qui operatur in nobis & velle & operari. Quod & ipse docet Scotus, in 3. sent. dist. 14. qu. 2. num. 4. ubi docet *visionem beatificam non posse inesse humano intellectui ex naturalibus suis, vel ex causa naturali; nec posse inesse nisi a Deo causante istam visionem immediate & supernaturaliter*. Et Durandus in 4. sent. dist. 49. quæst. 2. §. 24. ubi profitetur hanc immediatam visionem fieri *non secundum ordinem naturæ*, sed *secundum ordinem divinæ gratiæ*. Et §. 28. ubi hanc rationem reddit diversorum graduum beatitudinis cœlestis, etiam absque illo habitu luminis gloriæ, quamvis inter intellectus humanos non sit gradus majoris & minoris perfectionis, & essentia divina eodem modo & æque immediate cuilibet intellectui beato repræsentetur, atque adeo non sit differentia vel ex parte intellectus recipientis, vel ex parte objecti præsentati: his, inquam, non obstantibus, hanc diversorum graduum beatitudinis inter homines, & æquationis hominum cum Angelis, rationem reddit Durandus, quia *nihilominus Deus potest perfectiorem actum intelligendi infinere uni quam alteri, & homini quam Angelo, & sic poterit unus homo esse beatior altero, & æque beatus cum Angelo* (quamvis habente naturaliter intellectum humano præstantiorem), *vel beatior ipso, secundum diversitatem perfectionis actus intelligendi impressi huic vel illi.*

53\. *Ratio diversitatis graduum beatitudinis, absque habitu luminis gloriæ.*

54\. *Conciliatio responsionum quæ a diversis adferuntur.*

Re convenit *Durandus* cum *Scoto*. Uterque enim ponit operationem, & hæc impedimentorum postulat remotionem. Nec dissentiunt *Thomas*, & *Bonaventura* & *Clemens*, si lumen gloriæ & influentiam & Deiformitatem exponas operationem mentis divino munere datam, & instar habitus permanentem in mente intuente divinam essentiam, sese immediate repræsentantem & menti conjungentem. Quæ operatio dici potest lumen & influentia, & Deiformitas, quia est Dei donum, menti intrinsecum, conjungens eam cum Deo immediate.

55\. *Quomodo immediate videatur Deus per actum fidei secundum Scotum.*

Scotus in 4. sent. dist. 49. quæst. 12. arg. 5. objicit sibi, posse Deum in vita mortali immediate cognosci per actum fidei. Et respondet, posse quidem cognosci & diligi hic immediate; tamen in communi & confuse; talem autem dilectionem & notitiam non esse ultimam beatitudinem possibilem homini, sed hanc consistere in cognitione intuitiva clara, & dilectione correspondente.

56\. *In quo consistat ultima beatitudo hominis.*

Hæc pauca de modo hujus ineffabilis visionis suggessisse sufficiat.

Tandem superest, ut dicamus quo sensu etiam intellectui humano vel Angelico invisibilis sit Deus. Hæc etiam pars breviter absolvenda est.

57\. *Quatuor gradus invisibilitatis, quibus Dei essentia est invisibilis intellectui humano vel Angelico.*

Quatuor tantum invisibilitatis hujus gradus strictim indicabo.

58\. *1. Gradus, immediata visio essentiæ divinæ non in viis datur ex lege communi, sed in patria.*

Primus gradus est, viatoribus ex lege communi non datur videre Dei essentiam, sed patriæ hæc visio reservatur, ut docent passim sacræ literæ. Dixi, ex lege communi, quia, ut nulla moveatur (certe nulla moveri debet) controversia de Domino nostro Jesu Christo, qui ipse totaque ejus vita ingens fuit miraculum, ὁμολογουμένως μέγα μυςήριον, *simul viator & comprehensor*, ut recte observarunt *Petrus Lombardus*, 3. sent. dist. 16. & *Bonaventura* ibid. art. 2. qu. 2. in resolutione, & *Thomas* in 3. sent. dist. 15. quæst. 3. art. 2. & in summa 3. part. quæst. 15. art. 10. & alii: ut inquam conticescat omnis de Christo dubitatio; existimarunt quidam veteres Patres, eosque sequuti scholastici Theologi, visam esse *Mosi* adhuc in itinere constituto Dei essentiam, quia de eo dicit Dominus in reprehensione *Aaronis & Mariæ, Mosi autem per speciem, non per ænigmata, & gloriam Domini videbit*, Idem de *Paulo* sentiunt in tertium cœlum rapto. Nempe, si eis tunc concessa est ea visio, miraculum fuit. De quo ita disserit *August*. lib. de videndo Deo, sive epistol. 112. cap. 13. Potest, inquit, movere, quomodo jam ipsa Dei substantia videri potuerit a quibusdam in hac vita positis, *Num*. 12. 2 *Cor*. 12 propter illud quod dictum est ad Moysen, *nemo potest videre faciem meam & vivere*: Exod. 33. 20. nisi quia potest humana mens divinitus rapi ex hac vita ad Angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne solvatur. Sic enim raptus est qui audivit illic ineffabilia verba quæ non licet homini loqui: ubi usque adeo facta est ab hujus vitæ sensibus quædam intentionis aversio, ut sive in corpore, sive extra corpus fuerit, id est, utrum sicut solet in vehementiori extasi, mens ab hac vita in illam vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo, an omnino resolutio facta fuerit qualis in plena morte contingit, nescire se diceret. Ita fit ut & illud verum sit quod dictum est, *nemo potest faciem meam videre & vivere*, quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur; & non sit incredibile quibusdam sanctis nondum ita defunctis, ut sepelienda cadavera remanerent, etiam istam excellentiam revelationis ejus concessam fuisse. Hæc Augustinus.

59\. *Christus simul viator & comprehensor.*

60\. *Visio divinæ essentiæ quibusdam in hac vita positis miraculose concessa: ut Mosi & Paulo.*

61\. *Unde illa Mosis & Pauli inusitata vota. Exod. 32. 32. Rom. 9. 3.*

Ex ea revelationis hyperbole, *Mosi & Paulo*, in itinere, præ aliis meris hominibus viatoribus, concessa, extitit illa zeli probe oculati stupenda flagrantia, & charitatis alte volantis pernix sublimitas, qua pro Dei gloria, & populi *Israëlitici* salute, *Moses* de Dei libro deleri, & *Paulus* anathema a Christo esse, intrepide exoptarunt.

62\. *2. Gradus, immundo cordi invisibilis est Deus. Matth. 5.*

Secundus gradus est; hæc visio solis conceditur mundis corde juxta illud, *beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Ab hac igitur visione Diabolus & omnes Angeli ejus, & omnes cum eis impii sine ulla nebula dubitationis exclusi sunt, quoniam mundo corde non sunt. Verba sunt Augustini, lib. de videndo Deo, cap. 11. unde etiam (ut idem monet cap. ult.) sine ulla dubitatione perspicimus, ad videndum Deum, per ejus auxilium cor mundum nos debere præparare. Pacem (inquit Apostolus) sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum. *Heb. 12. 14.*

63\. *3. Gradus, nemo miser Deum videt.*

Tertius gradus est; Deum non vident miseri, nam fugat omnem miseriam hæc beatifica visio, juxta illud; lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium & lætitiam apprehendent, fugientque tristitia & gemitus. (*Esa*. 35. ult.) Item;

non

Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non deficiet: quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam, & complebuntur (seu finientur) dies luctus tui. (*Esa.* 60. 20.) Item: Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque labor erit amplius. (*Apocal.* 7. 17. 21. 4.) Horum insignem quidem arrham & dulces primitias largitur Deus Ecclesiæ peregrinanti: (sicut in illustri suo in *Apocalypsin Commentario* Reverendissimus Genitor meus luculenter docuit) gloriosa tamen plenitudo, seu beatifica perfectio in patria demum obtinetur.

64. *Objectio de Mose & Paulo. Responsio.*

Si de *Moyse & Paulo* objiciatur, quod non obstante illa visione quæ ipsis concessa est, cum multis tamen necesse habuerint conflictari miseriis; respondeo: Durante illa visione, nullo afficiebantur dolore, nam vires inferiores omnino a suis actibus abstrahebantur in illo raptu Pauli, ut recte monet *Thomas*, in 3. sent. dist. 15. quæst. 2. art. 3. & ex ipsis Apostoli verbis manifestum est. Id ipsum verisimile est & *Mosi* contigisse.

65. *Discrimen visionis Mosi & Paulo concessæ, & visionis beatorum.*

Durandus visionem illam *Paulo* concessam ait fuisse *per modum passionis transeuntis*, non autem *per modum habitus permanentis*, quomodo se habet *visio beatorum* in cœlis, in 3. sent. dist. 16. quæst. 2. §. 7. Et Johannes Major ait *Mosen & Paulum* vidisse Deum in vita *raptum*, in 3. sent. dist. 14. quæst. 1. Idcirco *Paulus* profitetur se nondum comprehendisse. *Phil.* 3. nempe, permanenter, ut beati & perfecti.

66. *Objectio de Christo.*

At, inquies, Christus habens *visionem beatificam* per modum habitus permanentis, multos interea sentiebat dolores, tempore suæ mortalitatis.

67. *Responsio. Singulare miraculum fuit quod Christus simul viator esset & comprehensor.*

Respondeo; Christus solus simul viator & comprehensor, habuit simul bona viæ quædam, ut gratiæ plenitudinem; & bona patriæ, ut non posse peccare, & Dei perfectam contemplationem, & quædam etiam mala viæ, ut afflictiones & mortalitatem, ut recte monet Petrus Lombardus, lib. 3. sent. dist. 16. Verum est (inquit ibi Bonaventura) quod beatitudo miseriæ opponitur secundum legem communem, & non reperitur in aliquo simul gloria cum miseria. Et ratio hujus est, quia unusquisque est in uno statu, non in duplici: sed quoniam Christus in duplici statu erat, vel quasi rationem tenebat duplicis personæ; sicut in Christo status est compossibilis status sine repugnantia; sic beatitudo cum miseria.

68. *Dolor Christi non erat contrarius gaudio fruitionis, nec illud impediebat, aut minuebat.*

Et paulo superius ibid. dicit Bonaventura; fuisse in anima Christi secundum eandem potentiam, & secundum eundem statum potentiæ, dolorem & gaudium, ita ut nec dolor superveniens discontinuaverit gaudium, sed simul fuerit; nec iterum (quod majus est) dolor intensus valde, fecerit gaudium esse minus perfectum. Dolorem autem illum & gaudium in Christo, non habuisse contrarietatem, sed unum fuisse materiale respectu alterius, & ideo simul eidem inesse potuisse, quia ex hoc ipso Christus gaudebat in Domino, quo sentiebat se pati & dolere pro Domino. Sicut etiam in vero pœnitente videmus quod simul doleat, & de dolore gaudeat. Hæc Bonaventura, in 3. sent. dist. 16. art. 2. quæst. 2. Sic Thomas de eodem Christi dolore eodemque gaudio disserens; Qui tamen, inquit, dolor erat quodam modo materia gaudii fruitionis, in quantum gaudium illud se extendebat ad omnia illa, quæ apprehenduntur ut Deo placita. Et sic patet, quod dolor qui erat in anima Christi, nullo modo gaudium fruitionis impediebat, neque per modum contrarietatis, neque per modum redundantiæ, &c. Hæc Thomas, in 3. sent. dist. 15. quæst. 2. art. 3.

69. *Miraculum impediens impassibilitatem, quæ aliqui fuisset in primo instante unionis.*

Fuit hoc in Christo speciale miraculum, quod gloria animæ non statim redundaverit in corpus, sed fuerit aliquamdiu mortale, & quod cum *visione beatifica* dolorem passa sit ipsa ejus anima, ut recte observat Scotus, in 3. sent. dist. 16. quæst. 2. num. 5. & dist. 18. quæstione unica, num. 15. ubi ait, gloria & impassibilitas corporis & animæ infuissent Christo in primo instante unionis, nisi per miraculum fuissent prohibita. Et paulo post, ait Christum *affectione justitiæ*, fuisse summe conjunctum fini, ita ut nullo modo posset injuste velle vel peccare, attamen quoad *affectionem commodi* nondum fuisse summe conjunctum, sed potuisse aliquid pati contra

70. *Nota distinctionem inter affectionem justitiæ, & affectionem commodi.*

affectionem commodi, & illud Christum potuisse ordinate velle, & acceptare, & ita mereri. Secus ac se habet in aliis Beatis, quibus nullum occurrit in patria objectum, quod affectione commodi, tanquam sibi incommodum aversentur, & affectione justitiæ meritoria amplectantur, ideoque sunt jam prorsus extra statum merendi.

71. *Qui non est viator, non est in statu merendi.*

Non sic olim Christus, qui secundum aliquid fuit in statu viatoris, & nondum omni modo *in termino*. Ideo passiones illas, ob nullum ipsius peccatum ei debitas, a quibus per affectionem commodi naturaliter atque irreprehensibiliter abhorrebat, voluntarie atque obedienter suscipiendo per affectionem justitiæ, vere merebatur; sicut recte docet *Scotus*, quæstione proxime citata. Nunc autem, postquam viator esse desiit, cessante miraculo illo, quod corporis & animæ impassibilitatem impediebat, non est amplius in statu merendi; ut monet Thomas, part. 3. quæst. 19. art. 3. ad primum.

72. *Christus in mediis miseriis non miser, sed beatus, licet conflictans cum miseriis.*

Passiones illæ Christi temporariæ non constituebant miserum, nam erant etiam voluntariæ, & meritoriæ, & materia gaudii; ideoque *visionis beatificæ* lætitiam non impediebant, non minuebant. Unde stat assertio nostra, de tertio gradu invisibilitatis, *Deum non vident miseri*. Et quod diximus, *fugari visione hac omnem miseriam*, id intelligendum est, de lege communi, nisi beatitudinis hujus redundantia, quæ omnem prorsus excluderet miseriam, per miraculum impediatur, quemadmodum in Christo ad tempus contigit.

73. *4. Gradus, nulla mens creata videndo assequitur infinitam Dei perfectionem.*

Quartus denique gradus est, quod (sicut superius Chrys. Ambr. & Aug. monebant) ne a puris quidem & beatis mentibus ea quæ in Deo habitat plenitudo perfecte comprehenditur, id est (ut recte explicat Thomas in 3. sent. dist. 14. quæst. 2.) *secundum totam rationem suæ cognoscibilitatis*.

74. *Anima Christi, & omnis anima beata videt totam Dei essentiam, sed non totaliter.*

Quamvis enim anima Christi, & omnis beata anima, videt *totam essentiam* Dei, quia tamen efficacia intellectus creati videntis Deum, non adæquatur objecto quod videtur, ideo *etsi videt totam Dei essentiam*, (quippe quæ impartibilis est) *non tamen eam totaliter videt*; i. e. ita ut visibilitas objecti non excedat modum videntis, sed videns ita perfecte videat, sicut res perfecte visibilis est. Nullus enim intellectus creatus potest essentiam Dei totaliter videre: quia ejus efficacia non est tanta in intelligendo, quanta est veritas sive claritas divinæ essentiæ secundum quam visibilis est: quod solius divini est intellectus: & ideo ipse solus seipsum totaliter cognoscit; ut accurate atque apposite argumentatur *Thomas*, loco citato.

75. *Visionis beatificæ delectabilis plenitudo.*

Beati plenitudinem divinæ essentiæ non comprehendunt *secundum perfectionem objecti* quod videtur; Deum tamen vident perfecte *in ultima perfectione videntium*. Nullus in viso terminus, nullus videnti defectus. Manet in nobis gaudium Domini nostri, etiam in agone adhuc constitutis; quanto magis in statu gloriæ permanebit in

nobis

Job.15.11. nobis in secula seculorum? attamen non dicit Dominus servo bono & fideli, *intret in te gaudium meum*, quamvis intimos animi recessus penetret ineffabilis illa lætitia; sed, *intra in gaudium Domini tui.* *Matth.25. vs.21.* Nam sicut aves in aërem, & pisces in oceanum, ita in æternum illud gaudium intrant beati, eoque implentur, licet ejus immensitatem non comprehendant, sed ab ea potius comprehendantur. Unde recte *Thomas* *2a 2æ qu. 28. art. 3.* ait, gaudium beatorum esse perfecte plenum, & etiam superplenum *ex parte ipsorum gaudentium*, quia plus obtinebunt quam desiderare sufficerint sive valuerint; & hanc esse *mensuram illam bonam & superfluentem*, quæ danda promittitur in *Luc. 6.38.* sinum eorum. At *ex parte rei de qua gaudetur*, cum illud sit plenum gaudium quo de ea gaudetur pro dignitate ipsius rei, ita ut rei dignitatem gaudium adæquet; hoc sensu solum Dei ipsius gaudium esse plenum de seipso, quia solum gaudium Dei est infinitum, & infinitæ bonitati Dei æquale. Quia autem nulla creatura est capax gaudii de Deo ei condigni; inde esse quod illud gaudium omnino plenum *non capiatur in homine*, sed potius homo intret in ipsum; secundum illud *Matth. 25. Intra in gaudium Domini tui.* Hæc Thomas, 2a 2æ quæst. 28. art. 3. in corpore articuli.

Nullum est visionis hujus tædium; sed perfecta atque indefessa delectatione ac plenitudine in infinito inexhaustæ beatitudinis oceano semper delicientur beati spiritus. Vident semper, & videre desiderant, sine anxietate desiderant, & sine fastidio satiantur.

76. *Quibus negatur, ii sunt infelicissimi.*

Juvat hic exclamare, beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt! Illa namque visio Dei (inquit August.) tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis præditum atque abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere. Hæc Aug. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 16.

77. *Beati Majestatem Dei venerantur, & ejus bonitatem amant.*

Duo sunt, (inquit idem Aug. super Magnificat) quæ Angelorum & hominum beati spiritus in illo fonte boni æterna contemplatione hauriunt, incomprehensibilis scilicet Majestas Dei, & ineffabilis bonitas. Quarum alterum castum timorem gerit, alterum dilectionem parit. Pro Majestate venerantur Deum, & pro bonitate amant: ne vel dilectio sine reverentia dissoluta esset, vel reverentia sine dilectione pœnalis.

Hæc est illa *visio faciei ad faciem quæ summum præmium promittitur justis*, ut loquitur August. lib. 1. de Trinit. cap. ult. Hæc mensura voti, vigiliarum hic nostrarum finis, hæc meta laborum est. Tunc experiendo cognoscemus illam lætitiæ plenitudinem, de qua Psaltes ait, πληρώσεις με εὐφροσύνης μετὰ τοῦ προσώπου σοῦ. *Psalm.* 16. ult. Et repetit Petrus, *Act.* 2. 28. Tunc justi fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum, *Matth.* 13. Putas qualis tunc erit splendor animarum, quando solis claritatem habebit lux corporum? August. serm. 35. de verbis Apostoli. Nec solum firmamento, stellis, soli, sed etiam claritati Angelicæ decor illius pulchritudinis Electorum comparatur; erunt enim ἰσάγγελοι, imo θεοείκελοι, Deo similes per beatificam Dei visionem, 1 *Joh.* 3. 2.

In ea felicitate (ait August. lib. 13. de Trinitate cap. 7.) quicquid amabitur aderit, nec desiderabitur quod non aderit. Omne quod ibi erit, bonum erit, & summus Deus summum bonum erit, atque ad fruendum amantibus præsto erit, & quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit. 78. *Ineffabilis felicitas.*

Clemens Pauli Apost. discipulus, in sua ad *Corinth.* epistola, sive quicunque auctor fuit epistolæ illius, quæ *Romano* illi *Clementi* tribuitur; Clamemus, inquit, ad eum ardenter, ut participes fiamus τῶν μεγάλων καὶ ἐνδόξων ἐπαγγελιῶν αὐτοῦ. *Esai.64.4. 1 Cor.2.9.* Dicit enim, oculus non vidit, neque auris audivit, nec in cor hominum ascendit, quæ præparavit τοῖς ὑπομένουσιν αὐτὸν, expectantibus eum. Ὡς μακάρια καὶ θαυμαστὰ τὰ δῶρα τοῦ Θεοῦ, ἀγαπητοί. Ζωὴ ἐν ἀθανασίᾳ, λαμπρότης ἐν δικαιοσύνῃ, ἀλήθεια ἐν παῤῥησίᾳ, πίστις ἐν πεποιθήσει, ἐγκράτεια ἐν ἁγιασμῷ, καὶ ταῦτα ὑποπίπτει πάντα ὑπὸ τὴν διάνοιαν ἡμῶν. τίνα οὖν ἄρα ἐστὶ τὰ ἑτοιμαζόμενα τοῖς ὑπομένουσιν; ὁ δημιουργὸς καὶ πατὴρ τῶν αἰώνων ὁ πανάγιος, αὐτὸς γινώσκει τὴν ποσότητα καὶ τὴν καλλονὴν αὐτῶν. ἡμεῖς οὖν ἀγωνισώμεθα εὑρεθῆναι ἐν τῷ ἀριθμῷ τῶν ὑπομενόντων αὐτὸν, ὅπως μεταλάβωμεν τῶν ἐπηγγελμένων δωρεῶν. Id est: Quam beata, dilecti, & mirabilia sunt dona Dei! vita in immortalitate, splendor in justitia, veritas in libertate, fides in confidendo, temperantia in sanctitate, & hæc omnia sub intellectum nostrum cadunt. Quænam igitur sunt, quæ præstolantibus eum præparantur? Sanctus opifex & seculorum pater, quantitatem & pulchritudinem eorum novit. Nos igitur, ut promissorum donorum participes fiamus, in numero expectantium eum reperiri, serio contendamus. Hæc ille. 79. *Nostrum officium.*

Unusquisque nostrum cum *Psalte* oret; Memento mei Domine, in beneplacito populi tui: visita me in salute tua: Ut videam bonum Electorum tuorum, ut læter in lætitia gentis tuæ, & glorier cum hæreditate tua. 80. *Precatio. Psal. 106. vs. 4, 5.*

Hoc nobis benigne largiatur ὁ ἐλεήμων, φιλάνθρωπος, ὑπεράγαθος Deus salutis nostræ, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortem quidem destruxit, vitam autem atque incorruptibilitatem in lucem per Evangelium produxit. Cui cum Patre & Spiritu sancto, indivisæ Trinitati, uni vero Deo, προσκυνήσει ἀμερίστῳ, cœlestes Angelorum Myriades, universa primogenitorum, qui in cœlis conscripti sunt panegyris & Ecclesia, omnia denique opera ejus, Seraphicum illud τρισάγιον, & immortale concinant *Hallelujah. Amen & Amen.* 81. *Δοξολογία.*

F I N I S.

SUMMA CONCIONIS

Edinburgi in Scotia vernacule habitæ 25. Jun. St. Vet. A. D. 1633. coram

C A R O L O

Magnæ Britanniæ Rege istius Nominis primo, a R. Viro D.

GUL. FORBESIO

SS. Theol. D. ac Ecclesiæ Aberdonensis tunc temporis Pastore, postea vero Episcopo Edinburgensi primo, super

Joh. 14. 27.

§. I. *Textus partitio.*

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non sicut mundus dat, ego do vobis: Ne turbetur cor vestrum, neque formidet.

N his verbis coram vobis lectis (Auditores plurimum dilecti) habemus

1. *Christi legatum.* 1°. Legatum, quod Christus, e terra ad Patrem discessurus, Testamento suo, Discipulis, imo universæ Ecclesiæ, omnibusque ejus membris reliquit. *Pacem relinquo vobis*, vel *vobiscum.*

2. *Idem repetitum.* 2. Idem donum sive legatum a Salvatore repetitur, ut discipulorum mentes eo magis afficerentur, verum cum aliqua notabili verborum variatione: *Pacem meam do vobis.*

3. *Discrimen inter Christi & mundi donum.* 3. Discrimen inter pacem quam dat suis Salvator, & eam quam dat mundus; discrimen, inquam, & in re data, in pace ipsa, quam uterque dat; & etiam in modo dandi; uterque enim modo diverso pacem suam dat. Utriusque fit insinuatio in verbis: *Non sicut mundus dat, ego do vobis.*

4. *Exhortatio singularis.* 4°. & ultimo, hinc discipulis suis singularem dat consolationem & incitamentum in his verbis: *Ne turbetur cor vestrum, neque formidet.*

§. II. *Pars prima. Legatum.* 1°. Quoad Christi legatum, post promissum Paracleti in verbis præcedentibus a Salvatore factum, rite & aptissime nunc subjungit: *Pacem relinquo vobis.* Christi enim pax inseparabilis est & necessarius spiritus fructus & consequens. *Gal. 5. 22. Fructus spiritus est caritas, gaudium, pax.* Donec spiritum recipiamus, pacis Christi sumus incapaces. Idcirco mundus, id est, homines mundani, qui spiritu Christi carent, hanc pacem neque habent, neque sine spiritu, habere aut accipere possunt. Quapropter Deum ferventer & semper oremus pro spiritu & spiritus abundantia, si Christi pace, ipsiusque abundantia frui velimus. Multi vero sunt, & nimis multi, qui summa arrogantia spiritum crepant & jactitant, adeo ut aliis Christi spiritum vere habentibus, exprobrare audeant, sicut aliquando Zedechia Pseudopropheta fecit Micaiæ Domini Prophetæ, dicens: *Quanam transivit spiritus Domini a me, ut alloqueretur te?* (1 Reg. 22. 24.) Sed eorum vias & mores intuemini, & videbitis, *quod viam pacis non cognoverunt.* (Rom. 3. vs. 17.) Nihil magis eos delectat, quam contentionis ardor & flamma, in qua vivere amant, quemadmodum salamandræ; *Ne ergo omnibus spiritibus credatis, sed probate spiritus, num ex Deo sint, quia multi Pseudo-prophetæ venerunt in mundum.* (1 Joh. 4. 1.) Non omnis qui dicit se accepisse spiritum, habet spiritum Christi. *Pacem*, dicit beatissimus noster Salvator, *relinquo & do vobis.* Non opes, non bona temporalia, non mundanos honores, sed optimum quod possum vobis relinquere, vobis legare, & quo nihil est desiderabilius, delectabilius & magis salutare. *Tantum est pacis bonum, ut in rebus terrenis nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri.* *Augustin.* *Pacis nomen dulce, res vero ipsa tum jucunda, tum salutaris.* *Tertull.*

§. III. *Pax triplex.* Pax quam nobis relinquit Dominus, tria in se continet, sive triplex est pax.

1. *Cum Deo.* 1°. Pax supra nos & cum Deo, reconciliatio & amicitia nostra cum eo. (*Rom. 5. 1.*) *Ipse enim est pax nostra*, Christus est pax nostra, *qui per crucem reconciliavit nos Deo, peremptis per eam inimicitiis quæ erant inter Deum & nos.* (Ephes. 2. 14, 15.

2. *Cum nobismetipsis.* 2°. Pax cum nobismetipsis, vel quam habemus in nobis & in sinu, a pace nostra cum Deo profluens, & a sensu & salutari ejus certitudine; a communicatione etiam & inhabitatione Spiritus sancti, serenitas & tranquillitas, placiditas & requies animæ, inter omnes tentationes internas, & tribulationes externas, quibus omnia adversa, persecutiones omnes, tanta æquanimitate & animi moderatione, sustinemus, ut nulla tribulatione dejiciamur, aut separemur a fide & caritate Jesu Christi: sed etiam,

Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Hæc est vera illa Euthymia sive animi tranquillitas, quam Philosophi tantopere ardebant, & tanta anxietate quærebant, quam diligenti sua investigatione attingere haud unquam poterant. Christi enim spiritu hic promisso, qui eos duceret, destituti erant, ideoque superstitiosa sedulitas evanuit. Hæc est *Dei pax, quæ omnem exsuperat intellectum* (Philipp. 4. 7.) non solum carnalium, sed etiam spiritualium, & qui ipsam receperunt. Nam melius ab illis sentitur, quam intelligitur. Cum interna hac pace semper etiam conjunctus est debitus & rectus omnium nostrûm internarum passionum & affectuum ordo. *Cupiditates enim carnis*, nisi per spiritum Christi subjugentur & mortificentur, *adversus animam mili-*

militant, 1 Petr. 2. vs. 11. ita ut nulla sit interna nobis pax.

3. Cum Fratribus.

3°. In hac pace insinuatur, idque præcipue, pax cum fratribus nostris, pax extra nos, mutua inter nosmet pax & concordia, quæ & ex mentis nostræ tranquillitate, & legitima passionum & affectuum nostrorum compositione & ordine exoritur.

§. IV. *Triplex hæc pax indissolubiliter connectitur & postrema a priori resultat.*

Hæc tria pacis genera inseparabili & indissolubili connexionis vinculo connectuntur, & postrema a priori necessario resultat. Pax cum Deo tranquillitatem cum nobismetipsis & in nobis gignit, & immotam quandam in omnibus afflictionibus & tentationibus animi securitatem, & concomitante ac semper adjuvante gratia spiritus, legitimam ac debitam affectuum nostrorum compositionem & tranquillitatem, ita ut non tumultuentur & æstuent, sicuti solebant, neque mentem distrahant, eam huc & illuc trahendo & rapiendo, verum spiritui Dei & illuminatæ nostræ menti ac rationi suaviter sint subjecti ac morigeri. In hunc modum disposita & composita mens, facile postea suavissimam *cum omnibus hominibus*, quantum in se est, (Rom. 12. 18.) *præsertim vero cum Sanctis*, societatem & *concordiam colit* & sequitur. Hominum enim inter se rixæ & discordiæ, ab interna mentium perturbatione, & indebita & inordinata affectuum tumultuatione & seditione unice oriuntur. *Unde bella, & lites & pugnæ inter vos? nonne ex concupiscentiis quæ militant in membris vestris?* (Jacob. 4. 1.) Omniaque hæc pacis genera sanctus Apostolus postulat & optat initio Epistolarum, Ecclesiis & Sanctis quibus scripsit. *Pacem relinquo vobis.*

§. V. *Christus in omnibus pacem servavit.*

Christus, tempore magnæ pacis, regnante Augusto, templo Jani clauso, in mundum venit. Inque ejus nativitate Chorus ille cœlestis Angelorum, pacis hymnum cantavit. (*Luc.* 2. 14.) *Pax in terris*, Xenium Christi fuit. Jamque eo e mundo discessuro, *pacem relinquo vobis*, est Christi legatum. A mortuis resurgens, discipulisque se videndum præbens, *Pax vobis*, id erat quod ipsis optabat. (*Joh.* 20. 19.) Nihil enim optatu dignius. Septuaginta mittens discipulos, iis mandavit, ut quamcunque intrarent domum, ei dicerent, *Pax huic domui* &c. In cœlos ascendens, dona dedit hominibus, & in sua Ecclesia munia constituit, ut *adduceret sanctos in unitatem* (εἰς τὴν ἑνότητα) *fidei & agnitionis Filii Dei.* (Ephes. 4. 8, 11, 12, 13.) Omnes Pastores & Doctores per eum mittuntur, ut doceant & evangelizent pacem. *Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Ut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* (Rom. 10. 15.) quia in pace omnia bona. Ita benedictus noster Dominus & Salvator, Pacis Princeps, nihil aliud quam pacem spiravit. Quoad id quod dicit Matth. 10. 34. *Ne existimate me venisse immissurum pacem in terram, non veni immissurus pacem, sed gladium*; non censendum est Christum decrevisse bellum excire & inter homines lites & discordias serere, voluit enim ut omnes veritatem sequi consentirent. Verum hominis pravitas, infidelitas & veritati disobedientia, bellum gerunt, hocque bello magis incolumis est fidelis Christianus, quam maxima pace in impietate; sicut cum membrum putrefactum a corpore absconditur & separatur.

§. VI. *Pars secunda. Pax est Christi, ab eo promerita, parta & data.*

Hoc donum & legatum repetit Salvator noster dicens: *Pacem illam meam* (εἰρήνην τὴν ἐμὴν) *do vobis.* (Joh. 14. 27.) Non talis est, qualem alius vobis daret. Mea est pax, ipsa mea pax, quam ut stabilirem in mundum veni, quamque magno emi pretio. Sanguinis mei pretium est. Ego *do* vobis. Non eam tantum vobis injungo & mando, nec tantum oro & opto eam vobis, sicut homines: sed ea auctoritate ac potestate qua sum hujus pacis Auctor, eam do vobis. Sicut Deus sum Patri & Spiritui sancto coæqualis, sicut homo & Mediator inter Deum & hominem, eam factis meis & passionibus promerui, potestate excellenter mihi a Patre data eam *ego do vobis.*

§. VII. *Pars tertia. Non talis, qualis est pax mundi, nec taliter data.*

Non sicut mundus dat. 1°. Non talem pacem, qualem dat mundus, is enim si ullam det pacem, corporea tantum & externa pax est, pax corporis & bonorum externorum, ac proinde non vera, solida & perennis pax, sed dubia tantum, incerta & valde mutabilis. Christus autem spiritualem dat, internam, æternam & veram pacem, pacem veri nominis. 2do. Non taliter, non quomodo mundus dat. Verum, ut dicit Augustinus, [homines qui diligunt mundum, dant sibi pacem, ut sine molestia litium atque bellorum, non Deo, sed amico suo mundo perfruantur. At quando justis dant pacem, ut non eos persequantur, pax non potest esse vera concordia, quia disjuncta sunt corda. Nos ergo carissimi, quibus pacem reliquit, & pacem suam nobis dat, non sicut mundus, sed sicut ille per quem factus est mundus, ut concordes simus, jungamus invicem corda, & cor unum sursum habeamus, ne corrumpatur in terra.] Præterea mundus & homines mundani temporalem etiam pacem aliis dare nequeunt, nisi eam ex toto corde optando & valde desiderando. Vel si vere & actu amicis & sibi carissimis pacem dent & procurent, non tamen est pax stabilis, multo minus æterna. Sed Christus suam dat pacem, quam vere operatur vel efficit, eamque reddit perpetuam, quæ durabit in æternum, ita ut neque homines, neque omnes maligni gehennæ spiritus eam nobis aut ejus Electis eripere valeant. Verum est sanctos hac Christi pace in hac vita non perfecte frui, aut accipere, nam certitudo amoris & favoris Dei sæpe cum dubitatione aliqua, pugna & lucta inter carnem & spiritum miscetur, quæ quamdiu hic sumus, non penitus cessat, neque hic datur plenus consensus & concordia judicii & affectuum Sanctorum. Quo magis perfecte tamen spiritu Christi sunt præditi, eo magis perfecte pacem ejus habent & servant. Sed eam perfectissime omnes in Patria habebimus. *Postquam advenerit quod perfectum est, tunc quod est aliquatenus tolletur*, (1 Cor. 13. 10) cum nullum fuerit amplius bellum in membris nostris adversus spiritum, neque ulla inter Sanctos animorum & affectuum dissensio aut diffidium.

August. in locum.

§. VIII. *Pars 4ta. Pax hæc ab omnibus inimicis corda nostra tuebitur.*

Ultimo, Dominus & Salvator noster salutarem hinc infert conclusionem. *Ne turbetur cor vestrum, neque formidet.* Etiam, quia pacem relinquo vobis, & pacem meam do vobis. Est *pax Dei quæ animos vestros & corda vestra per me servabit* (Φρουρήσει) instar custodiæ seu præsidii militaris, animas vestras & corda ab omnibus inimicis tam invisibilibus quam visibilibus servabit & tuebitur. Ea & ego cum ea vos nunquam deseremus neque derelinquemus.

§. IX. *Deplorandus pacis hujus defectus.*

Hucusque breviter textus verba percurri, multa observanda, propter institutam brevitatem, omittens. Utinam omnes Christiani, suavissimorum horum & benignorum Salvatoris dictorum sono & sensu afficerentur, quemadmodum Augustinus dicit Hipponenses suos aliquando affectos fuisse, cum ipse in concione sua hæc verba Psalm. 147. tantum pronuntiasset: *Qui posuit fines tuos pacem.* Universi auditores ma-

August. in Ps. 147. 11.

 gno-

gnopere lætati sunt, exclamarunt, & præ gaudio plaudebant. [Quomodo exultatis omnes? huuc amate Fratres mei. Multum delectamur quando clamat de cordibus vestris pacis dilectio, quomodo vos delectavit? Nihil dixeram, nihil expofueram, versum pronuntiavi & exclamastis. Quid de vobis clamavit dilectio pacis? Quid ostendi oculis vestris? quid clamastis, si non amatis? unde amatis, si uun videtis? Invisibilis est pax, quis est oculus quo visa est ut amaretur? neque enim declamaretur nisi amaretur. Hæc sunt spectanda quæ exhibet Deus rerum invisibilium. Quanta pulchritudine intellectus pacis corda vestra percussit? prævenit omnia mea verba vester affectus. Non impleo, non possum, infirmus sum &c.] Ita sanctus Augustinus, in pusillo suo grege amorem pacis magnopere prædicans, magnopere de eo gaudens: Ast ego eheu! e contrario, horridum & distractum aspiciens statum hodiernum totius Christianismi, inter suas pene expirantis discordias, & (quod multo magis est deplorandum) super suis dissidiis & divisionibus gaudentis & exultantis, eosque qui ejus pacem sine partium studio quærunt & amant hostiliter persequentis, dicam oportet: Prævenit omnia verba mea vester defectus, non impleo, non possum, infirmus sum, *Viscera mea, viscera mea, doleo præcordia mea, fremit mihi cor meum, non possum silere: nam sonum buccinæ audit, anima mea, clangorem belli.* (Jer. 4. 19.) Sed per quem maxime turbatur hodie Ecclesiæ Christianæ pax? Ne videamur frustra & sine justa causa lugubrem ejus statum deflere, breviter id vobis ostendam.

§. X. Pacis Christi turbatores. De Satanæ adversus Christi Ecclesiam malitia & subdolis artibus non opus est ut multa dicam. Deus pacis cum (ut maximum suæ Ecclesiæ eusque pacis inimicum) brevi, sicut promisit, *1. Satanas.* sub pedibus nostris conteret. (*Rom.* 16. 20.) Neque de iis Regibus & Principibus loquar, qui, *2. Exteri a fide.* quum a fide & Ecclesia Christi alieni sint & exteri, eam persequuntur, quorum oculos aperiat Deus, nesciunt enim quid agunt. Sed perlu-

§. XI. ctuosum est videre tot Christianos Reges & Prin- *3. Reges ac Principes Christiani cruentis bellis.* cipes, Orbis terræ, & Christianæ Ecclesiæ pacem, quemadmodum multis retro annis fecerant, tam truculentis & cruentis bellis, turbantes; ac omni hostilitate & mortali, imo immortali odio eos præsertim persequentes, qui Deum secundum verbi ejus præscriptum in spiritu & veritate colere student. Verum est, ut aliquem bellis præbeant colorem, utque omnibus justa & æqua videantur, multos civiles prætextus obtendi, & forsan intermistos esse de juribus & titulis Regnorum & ditionum temporalium. Quasi vero cruenta hæc bella pro rebus tantum civilibus & temporalibus, & non pro religione essent suscepta! Verum vel etiam luscus, viso per quem præcipue dirigantur & moveantur, per ipsum scilicet Pontificem Romanum ejusque as-

Alphons. de statu Ecclesiæ instaurando. sessores & adhærentem Clerum, facile perspiciet in multis, quicquid prætendaut, imo ita loqui audent, hæc fieri ad Ecclesiam restaurandam, ac Hæreses & Hæreticos eradicandos; hoc est

§. XII. ad multos erasos errores & abusus patrocinan- *4. Pontifex Rom. ejusque Clerus.* dos, & veritatem omnesque eam amplectentes opprimendum, si fieri possit, & extinguendum. Verumtamen quis præsentem horum bellorum *1. Ad bella incitans.* statum & conditionem & in iis horridam Christiani sanguinis effusionem observans se cohibere potest, quin cum Propheta dicat? *O si quis daret caput meum esse aquas, & oculum meum scaturiginem lacrymarum, ut deflerem interdiu & noctu confossos filiæ populi mei!* (Jerem. 9. 1.) Sed omnibus qui Christianæ Ecclesiæ pacem desiderant, maxime mirum videtur, quod ipse Pontifex Romanus, qui, per Christum primarium Ecclesiæ Caput, se Caput ejus secundarium & ministeriale, ad pacem & unitatem in ea conservandam & promovendam, constitutum esse prætendit, primatum suum usurpatum super universam Ecclesiam Christianam ita evehat, & adversante interim Scripturæ, Patrum, & multorum sanorum & cordatorum Romanistarum sententia (ut de Græcis & Reformatis non loquar) adeo absurdissime omnem in decisionibus & determinationibus publicis infallibilitatem & inerrabilitatem sibi arrogat, idque tanta vi armorum & calamorum, ut hic præcipuus sit lapis offensionis & petra scandali, quo Ecclesiæ Græcæ & Reformatorum cum Romana pax maxime omnium impeditur. Rursus quot quæso addi lit nuperum istud Concilium Tridentinum ad Ecclesiæ pacem hic in Occidente turbandam? Quot Articulos desiuivit de fide, qui revera non sunt, quique nullo retro tempore pro talibus ab Ecclesia Catholica habebantur? Novum illud fidei symbolum ex decretis Concilii Tridentini conditum, & anno 1564. per Pontificem Pium quartum præscriptum tanquam creditu ad salutem necessarium, quis non novit, quis non miratur? Quis feret hæc? (inquit Bochellus Romanista moderatus) Cætera item omnia a sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, & præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita ac declarata indubitanter recipio atque profiteor &c. Huc Reges (inquit Bochellus) Principes huc, Nobiles huc, omnes denique omne genus Ordines animis advertite vestris &c. [Si damnandi sunt (inquit Viudelius, similiter Romanista, sed moderatus) quotquot neoterica ista nescivetint, & quotquot eadem neglexerint, non erit in cœlo Ignatius, non Dionysius, non Justinus, non Hieronymus, non Chrysostomus &c. quid præ metu fere laboro? Veteres, quorum quanta est multitudo, tanta fuit magnitudo, tanta sanctimonia, tanta scientia, tanta celebritas, &c.] Et rursum. [Quomodo defendent coram Christiana Synodo, imo quomodo excusabunt coram Judice Christo, quæ majore damno quam utilitate Ecclesiæ Dei, divinis literis & orthodoxorum Patrum scriptis addiderunt &c.] Pax cum veritate semper ab iis fuit postulata ex amore pacis & veritatis. (*Zach.* 8. 19.) Anne melior est contentio pietatis causa suscepta, quam vitiosa Concordia? Verum cum de ea iis loquimur, bellum tantum voluut, & clamant quasi classicum canerent. Aures suas occlusere, & etiamnum occludunt, adversus piorum quorundam Imperatorum & Principum, alias magnopere iis devotorum, postulationes serias, adversus etiam Consultationes graves & salutares admonitiones multorum suarum partium Doctorum, pacem volentium, pacem propter Principem Pacis rogantium. Sed adhuc aures non habent ad audiendum, quas det iis Deus. [Et tu Domine Jesu Christe, qui pax es nostra, qui fecisti ex utroque unum, fac ut vere tandem cantemus &c. *Ecce quam bonum est & jucundum habitare Fratres in unum!* Redde concordiam, pelle discordiam, introduc teipsum in Titulos tuos, tu mane, nec alter possideat & de tuis velis fallat.] Amen.

2. Primatum supra Ecclesiam Catholicam usurpans.
3. Infallibilitatem sibi arrogans.
4. Novos fidei Articulos condens.
In præfat. Operum.
In Methodo Concionandi.
Petrus Pithœus.

§. XIII. 5. Multi etiam Protestantes pacis Christi turbatores. Verum eheu! non sola est Ecclesiæ Romanæ pertinacia, qua Christi Ecclesiæ pax turbatur, sed, quod flens dico:

Iliacos intra muros pugnatur & extra.

Multi

Multi enim Reformati, cum aliis in fundamentalibus & necessariis consentientes, magnopere tamen contendunt, & contentiose disputant, imo & positive determinant, de rebus quibusdam præterfundamentalibus, imo & extrafundamentalibus, cum sint res tantum problematicæ & in se disputabiles, & forsan clare & evidenter per Scripturam determinari nequeant, adeo ut iis non sufficiat suis sitis opinionibus, sed erga alios diversa ab iis opinantes, omni destituantur caritate, hanc & istam & nescio quam hæresin iis exprobrantes. Neque ipsi pro certo sciunt omnes veritates divinas. Multæ sunt utiles, paucæ admodum necessariæ, aut æqualis necessitatis ad salutem, prout omnes cordati Theologi docent. In Religione etiam multa sunt mysteria quæ similiter sunt inscrutabilia. *Quid opus est ut affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quæ sine discrimine nesciuntur?* Cur antiquorum Judæorum modestiam non sequimur? *Elias cum venerit, solvet dubia.* Postquam advenerit quod perfectum est, tunc abolebitur id quod parum fuerat, & omnes imperfectiones perficientur. Tunc per fidem non ambulabimus ut hic, sed per visionem.

1. De rebus præterfundamentalibus & extrafundamentalibus contendentes & fidei articulos condentes.

Aug. Enchirid.

1 Cor. 13.

2 Cor. 5.

Magna est in Prædestinatione profunditas, ut ipse beatus Apostolus agnoscit, idcirco positivæ circa eam determinationes sunt admodum periculosæ, & ab iis est abstinendum. Ita etiam de modo operationis Gratiæ spiritus Dei cum & super voluntate humana, audacter determinare, ut quidam faciunt, non tutum est. Sic etiam modum præsentiæ corporis Christi in sancto Sacramento definire, ut multi faciunt, quam periculosum! Præsentiam credimus, modum nescimus omnes. Talibus temerariis & audacibus determinationibus, controversiæ infeliciter multiplicantur, Christiani inter se dividuntur, inconsutilis Christi tunica laceratur, ejusque pax indigne violatur & rumpitur. Multa sunt præterea, in quibus omnis vir pius & modestus abundare potest suo quisque sensu, donec eadem Concilio Generali determinentur. Quotquot perfecti sumus hoc sentiamus, & si aliter sapitis, & hoc nobis Deus revelabit, ut sanctus August. ex Apostolo prudenter monet. Verumtamen ad quod hactenus pervenimus, eadem incedamus regula, idem sapiamus. Et certe quo plus doctrinæ, pietatis & caritatis adducit aliquis ad controversias circa Religionem tractandas, eo plus adducere solet sapientiæ & moderationis. Reliqui ut graculi (ut Vir doctus verissime dicit) in rebus publicis & domo Dei tempestatem nuntiant & creant, furoris & contentionis sacerdotes, non illius sunt qui suam pacem vobis reliquit.

Phil. 3. 15.

Is. Bootius.

§. XIV. Rursus alii quidem sunt, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, qui summas excitant rixas, & gravia creant schismata & offensa propter cærimonias & ritus Ecclesiasticos, quorum multi per universam Ecclesiam Christianam antiquitus in usu fuere. Sed si universa Ecclesia eos observaverit, ab iis discedere, eosque in dubium revocare, num sint observandi, insolentissimæ insaniæ est, inquit sanctus Augustinus. *Sed his cur displiceant ritus moresque Ecclesiastici, causa satis magna est, quod placuere prius*, ut dicit Vir doctus. Tales ostendunt magnum esse scientiæ & judicii defectum in non distinguendo inter res necessarias & indifferentes, imo & quoddam etiam superstitionis genus. Æque enim est superstitiosum Dei cultum ponere in rejectione rerum quarundam, quasi Deo displicentium, cum ei non displiceant, ac in observatione quarundam quasi Deo placentium, cum ei non placeant. Legatur *Col.* 2. 20. Legitimæ potestati circa res indifferentes obsistunt, quæ solæ proprium sunt legum humanarum & justi legitimæ potestatis mandati objectum; ac semper coram Deo, cum leges institutæ sunt, hominum conscientias obligant, quanquam Magistratus & qui in legitima auctoritate sunt, eos Dei judicio committant.

2. De ritibus Ecclesiasticis turbas moventes.

Epist. 110.

Idem itidem hominum genus, eorum saltem multi, in Ecclesia liturgiam aut communem divini cultus publici formam, aut præscriptas aliquas precum & administrationis Sacramentorum formulas, præsertim eas quæ ullam cum antiquis Ecclesiæ liturgiis affinitatem habent, ferre nequeunt: sed unumquemque arbitrio suo vel licentiæ potius relinqui volunt, ut juxta suam phantasiam Deum publice colat. Mira imaginatio, & in Dei Ecclesia quæ domus est ordinis & non confusionis, maxime monstrosa! Hac etiam novitate Ecclesiæ pax maxime turbatur & impeditur. Alii rursus communem & uniformem Catechesin, quo rudes & idiotæ in doctrina Christiana instituantur, vix ferre possunt, sed unusquisque Catechismo a seipso secundum suam phantasiam & placitum composito utitur. Ita multiplicantur Catechismi ad numerum pene parochiarum, ut Judæi ad numerum civitatum Deos multiplicabant, & ad platearum numerum in Hierosolyma aras erigebant. His quidem, ut videtur, unica Christianæ fidei & Religionis Confessio, veritates tantum necessarias continens, minime placebit. Pro Ecclesiæ tamen pace & hominum conscientiis nihil magis est necessarium. Hæc Confessionum multitudo & pluralitas parum boni Ecclesiæ Christi hoc ævo attulit, ejusque pacem plurimum obstruxit potius quam promovit. Hæc tria, una Liturgia, unus Catechismus, & una Confessio, sunt omnibus probis, optatæ unionis coagula. Multi sunt etiam in hac regione, & ubi non quæso? qui in temporalibus pacem & tranquillitatem Hierusalem magnopere præpediunt & obstruunt, qui Deum ejus portione, Ecclesiam ejus patrimonio, Pastores necessario & debito victu, Dei populum spirituali pane, & pauperes alimento corporis spoliant. Homines qui profitentur Idola abominari & sacrilegium admittere non hæsitant.

De Liturgia.

Optatæ unionis coagula.

Psal. 122.

Rom. 2.

Hæc est Juliani Apostatæ Ecclesiæ persecutio, quæ multo majorem fecit injuriam, quam cruenta Diocletiani persecutio. Hic enim sustulit duntaxat Presbyteros; at ille sustulit Presbyterium.

Multis aliis modis pax & salus Ecclesiæ turbatur & impeditur, adeo ut cum Bernardo Ecclesiæ statum deflente dicere possim: [Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugere, non fugare eos potest, & invaluerunt & multiplicati sunt supra modum & numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ &c. Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarii, & omnes adversarii; omnes proximi, & omnes peregrini, quæ sua sunt quærunt; Ministri Christi sunt & serviunt Antichristo.

§. XV. Ecclesiæ statum deflet.

Verum an opobalsami nihil est in Gilbade? An Medicus nullus est ibi? nam cur non convaluit filia populi mei? Nihil ad vos, ô viatores omnes! intuemini, & videte an sit dolor par dolori meo, &c. Hodiernus Ecclesiæ status haud absimilis est statui hominis, qui ab Hierosolyma descendebat

Jer. 8. 22.

Lam. 1. 2.

Jerichuntem, & incidit in latrones, quem ſauciatum ac ſeminecem reliquerunt. Sacerdos caſu deſcendens per eandem viam, viſo eo, ex adverſo præteriit, & ejus non eſt miſertus; neque Levita. At miſericors Samaritanus intima erga eum commotus eſt miſericordia. Multi duricordes Sacerdotes & Levitæ Chriſti Eccleſiæ (quæ myſticum ejus corpus eſt) vulnerum non miſerentur, imo eorum multi ſunt qui maxima ei infligunt vulnera. Excipio prorſus eximios illos Epiſcopos & Presbyteros, qui Eccleſiæ unitatem & pacem intentiſſime quærunt & amant. Sed quando veniet miſericors Samaritanus, ipſe Chriſtus, Eccleſiæ ſuæ Caput & Dominus, ejuſque vulnera ſanabit? Veni, Domine Jeſu, imo veni cito, & propter magni tui & ſumme excelſi nominis gloriam id facito, ut omnes ſancti tui præ gaudio exultent.

§. XVI. *Quem Principibus commendat inſtaurandum.*

Verum multum eſt in manibus Regum & Principum Chriſtianorum & eorum poteſtati ab ipſo Deo concreditum, ad ipſius Eccleſiæ mala corrigenda, & externam ejus pacem conſervandam, vel fractam aut penitus amiſſam reſtituendam. Legite *Deut.* 17. 19. *Pſ.* 2. & infinita alia Scripturæ loca. [Cognoſcant Principes ſæculi, inquit Iſidorus, de ſummo bono (quod etiam habetur in Lege Civili); ſciant hujus mundi Principes ſe ex officio Deo rationem reddituros de Eccleſia, quam a Chriſto tuendam acceperant. Num enim Eccleſiæ diſciplina & pax per fideles Principes promoveatur aut diſſolvatur, ipſe qui Eccleſiam ſuam poteſtati eorum committit, ab iis rationem exiget. Et in hoc Reges Deo ſerviunt ut Reges, (inquit Auguſtinus) cum in ſuis Regnis bona jubent & mala prohibent, non in rebus civilibus tantum, ſed & in iis quæ Religionem ſpectant. Et huic veritati multi docti Romaniſtæ ſubſcribunt, ut iis notum eſt qui in eorum ſcriptis mediocriter verſati ſunt. Deum igitur rogemus ut corda eorum uniat ad liberam & legitimam Synodum generalem convocandam, ut luctuoſis his & infauſtis litibus & ſchiſmatibus quæ in Eccleſia ſunt, finem imponant, utque juſtam & ſanctam inter Chriſtianos concordiam componant. Nam

Iſidor.

Lib. 3. contra Creſtonium Grammaticum.

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Et ſi hæc, propter peccata noſtra & ad majorem totius Chriſtiani Orbis humiliationem, nondum obtineri poſſit, ut tum divinæ ſuæ ſaltem placeat Majeſtati, uniuſcujuſque Regis & Principis cor efficaciter movere, ut in ſuis ditionibus, & ſuprema ea poteſtate & auctoritate qua eos Deus armavit, ſolidam in ejus Eccleſia pacem ſtabiliant, omneſque factioſos & turbulentos Incendiarios ex utraque parte reprimant. Et benedictus erit in ultimis terræ oris, omneſque ejus poſteri, cujus poteſtate & auctoritate, pax Eccleſiæ Chriſtianæ procurata & peracta fuerit.

§. XVII. *Præſertim Regi Carolo II.*

Quam humillime igitur flectens genua, Deum rogo, ut magis ac magis inclinet Regiæ veſtræ Majeſtatis cor (quam exaltavit in hominem a Deo ſecundum, & quicquid eſt a Deo conſequutum, & ſolo Deo minorem, ut dicit Tertullianus) ad ſtudium & amorem pacis, non tantum Civilis, ſed & Eccleſiaſticæ. Recordetur ſacra tua Majeſtas, admirabilem & nunquam ſatis laudandam Regis Patris tui beatæ memoriæ ad pacem diſpoſitionem, qui vere Britanniæ Solomon dicebatur, & cujus Symbolum erat: *Beati pacifici*; qui nihil præter pacem domi & foris, in Eccleſia & in mundo ſpirabat. Et ſicut ſingulari Dei gratia in feliciſſimis ejus veſtigiis ambulare cœpiſti; ita perge, perge, ad finem uſque, prout te Deus pacis & amoris movebit. Nos, ut officium eſt, Deum æternum comprecabimur, ut tibi det vitam longam, felix Regnum, fideles Miniſtros, fortes milites, fideles Conſiliarios, & ſubditos morigeros; & mundum (hanc ſaltem Britanniæ Inſulam in qua at reliquis ſeparati degimus) quietum & pacificum; & quæcunque hominis & Regis vota ſunt hic & poſtea. Omnes etiam, quocunque denique Ordine dignitateve ſimus, *in pace & unitate ſpiritus* vivamus, Deum timeamus, eique ſerviamus, Regemque honoremus. Et ſicut Auguſtinus de Chriſto dicit, *Vos in pace reliqui, inveniam vos in pace cum rediero. Proficiſcens voluit dare, quæ deſiderabat rediens in omnibus invenire.* *1 Pet. 2. 13.*

§. XVIII. *Concluſio. Pax hæc abſolute neceſſaria.*

Qui hanc pacem amiſit, inquit ille, eam quærat, & quicunque recepit, eam ſollicite retineat, nam qui in ea non invenietur, a Patre non agnoſcitur, a Filio exhæredatur, a Spiritu ſancto alienatur; nec unquam Domini hæreditatem obtinebit, qui pacis teſtimonium & fœdus non obſervat. Nunc Patri Deo pacis, Filio Principi pacis, & ſancto Spiritui pacis ſpiritui, ſit gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

F I N I S.

INDEX I.

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

Quæ in JOH. FORBESII Vita Interiori, sive Commentariis Exercitiorum Spiritualium,

Sive fusius pro Concione, sive aliquatenus, piis meditationibus explicantur, &c.

INDEX II.

RERUM PRÆCIPUARUM

Quæ in eadem Joh. Forbesii Vita Interiori continentur.

Prior numerus sectionem sive §. notat; posterior paginam.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

I.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBRI DECEM.

In quibus

PRÆCEPTA DECALOGI

exponuntur; & variæ

Circa DEI LEGEM, & SPECIALIA ejusdem PRÆCEPTA

CONTROVERSIÆ

dissolvuntur;

& CASUS CONSCIENTIÆ explicantur.

Prece & Studio

JOHANNIS FORBESII à CORSE,

Presbyteri & SS. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Professoris in Academia ABERDONIENSI.

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM
THEOLOGIÆ MORALIS.

LIBER PRIMUS.

Dissertatio generalis de Lege cum expositione primi Præcepti Decalogi.

LIBER SECUNDUS.

In quo explicatur secundum Præceptum.

LIBER TERTIUS.

De tertio Præcepto Decalogi.

LIBER QUARTUS.

De quarto Præcepto Decalogi.

LIBER QUINTUS.

De quinto Præcepto Decalogi.

LIBER SEXTUS.

De sexto Præcepto Decalogi.

LIBER SEPTIMUS.

De septimo Præcepto Decalogi.

LIBER OCTAVUS.

De octavo Præcepto Decalogi.

Octavi Libri Pars prima,

Sive Tractatus de Furto *in genere, ejusque variis speciebus, oppositoque officio.*

Secunda Pars Libri Octavi,

Sive Tractatus de Simonia. *Ubi etiam de* jure Patronatus.

OCTAVI LIBRI PARS TERTIA,

Sive Tractatus de Sacrilegio.

OCTAVI LIBRI PARS QUARTA,

Sive Tractatus de Usura.

LIBER NONUS.

De Nono Præcepto Decalogi.

LIBER DECIMUS.

De Decimo Præcepto Decalogi.

THEO.

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER PRIMUS.

Dissertatio generalis de Lege, cum expositione primi præcepti Decalogi.

Caput Primum.

De Lege æterna, & de vocabulis, & de Lege impropriè dicta.

I. LEX æterna Theologis dicitur illa naturalis sanctitas, justitia, veracitas, bonitas Dei, qua nititur & immota stat veritas harum & similium enunciationum: *Deus mentiri nescit.* Tit. 1: 2. *Abnegare seipsum non potest.* 2 Tim. 2: 13. *Deus lux est, & tenebræ in ipso nullæ sunt.* 1 Joan. 1: 5. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in ipso.* 1 Joan. 4: 16. *Tu, Deus, non diligis iniquitatem, non habitat tecum malum.* Psal. 5: 5. *Impium & violentiæ amantem odit anima ejus.* Psal. 11: 5. *Deus tentari malis non potest, tentat autem ipse neminem.* Jacob. 1: 13. Contra hanc naturalem voluntatis Divinæ perfectionem velle aut præcipere aut agere aut approbare quippiam non potest Deus, neque ideo non est omnipotens, neque per hanc Divinæ voluntatis immotam perfectionem quicquam decedit perfecto & absoluto ejus dominio. Quocirca iniquè & impiè agunt, qui Dei dominium cum hac lege æterna committere conantur.

II. Quæ aliquando cœpit lex, vel impropriè dicitur, vel propriè.

III. Vocabulum Hebraicum תּוֹרָה *torah* doctrinam sonat, ab הוֹרָה *horah* docuit. Græcè νόμος, deducunt a verbo νέμειν distribuere, quia lex docet suum cuique tribuere. Lat. *Lex*, aliis à legendo dicitur, quia publicè legi sæpiusque relegi debet doctrina legis; aliis autem à ligando, vel quod obliget eos, quibus fertur, vel propter antiquam illam in gentibus consuetudinem, qua

> — *Vincla minantia fixo*
> *Ære ligabantur.*

…d. Me- …mor- …f. I.

Leges peculiares appellantur etiam מִצְוֹת *mitsvoth* præcepta; פִּקֻּדִים *pikkudim*, decreta; מִשְׁפָּטִים *mishpatim*, judicia, &c. Græc. ἐντολαὶ, δόγματα, δικαιώματα, &c.

IV. Impropriè dicta lex est ordo quidam & certa rerum conditio, ex subjectione quadam, obedientiam (etiam impropriè dictam) non tam exigens, quam efficiens.

Talis lex reperitur in scriptura triplex. 1. Naturalis. 2. Præternaturalis. 3. Supernaturalis, nempe respectu naturæ rei, quæ lege ista tenetur.

V. Lex naturalis, est ordo & conditio rerum naturalis, a Deo auctore naturæ instituta. Hac lege tenetur omnis creatura, etiam quæ sensu ipso penitus destitutæ sunt. Hanc legem tulit Deus, cum res crearet earumque ordinem præscriberet: quando *conclusit ostiis mare, posuitque nubem vestimentum ejus, & caliginem fasciam ejus, & decrevit super eo decretum suum, apposuitque illi vectem & ostia; & dixit, hucusque venies, neque procedes ulterius, & hic pones elationem fluctuum tuorum.* quando *præcepit mane, & indicavit auroræ locum suum.* Job. 38: 8, 9, 10, 11, 12. quando *fecit statuta Cæli, posuitque dominium ejus in terra*, vers. 33. quando *constituit tempus, quo parerent ibices, & quo parturirent cervæ, mensesque gestationis decrevit, modumque partus.* quando *emisit onagrum liberum, posuitque solitudinem domum ejus, &c.* Job. 39. quando *igni dedit calorem & levitatem, terræ frigus & gravitatem*, &c. vide Psal. 148: 6.

VI. Præternaturalis est ea, quam Apostolus vocat *legem peccati & mortis*, Rom. 7, & 8. nempe illa in homine ex lapsu contracta pravitas & servitus, per quam est ad bonum ineptus, ad malum autem effrænato impetu fertur. Huc referenda est etiam illa moriendi necessitas, peccato humano arcessita.

VII. Supernaturalis est, quæ Apostolo dicitur *lex spiritus vitæ in Jesu Christo.* Rom. 8: 2. id est, vita & vigor spiritualis, quem Christi merito consequuti sumus per Spiritum Sanctum, operantem in nobis & velle & perficere, inscribentem cordibus nostris leges suas, & facientem ut in iis ambulemus. Philipp. 2: 13. Tit. 3: 4. Jerem. 31: 33. & 32: 40. Ezech. 36: 26, 27.

VIII. Duæ sunt in nobis operationes Spiritus Sancti; moralis una, per viam moralis suasionis; altera persuasiva, inclinativa, tractiva, quam Augustinus *divinam*, alii *supernaturalem* vocant: hac enim uti potest solus Deus. Hæc posterior est illa lex Spiritus, liberans à lege peccati & mortis. Altera illa docet quidem & monet; at hæc illa est, quæ parere facit. Illa pertinet ad legem propriè dictam, quæ obedientiam non tam efficit, quam exigit; hæc ad legem impropriè dictam, quæ obedientiam non tam exigit, quam efficit. Etsi prior etiam illa ad obedientiæ effectionem necessaria est: adeo ut lex Spiritus vitæ in Christo Jesu, utramque in nobis operationem Spiritus complectens, non solum suasiva sit, sed etiam effectiva obedientiæ. Respectu prioris operationis, nomen legis propriè obtinet; respectu posterioris, impropriè.

CAPUT II.

Legis propriè dicta definitiò & divisio.

I. LEX propriè dicta, est doctrinalis quædam regula operationum & dispositionum: à potestatem habente data creaturæ rationali, exigens obedientiam. Illis igitur solis fertur, qui instructionis capaces sunt, obedientiamque ex cognitione præstare possunt.

II. Quamvis autem artium ac disciplinarum regulæ dicantur etiam leges, unde leges canendi, leges saltandi, leges metricæ, leges conviviales, &c. lex tamen propriè dicta, æqui atque iniqui, justi & injusti discrimen spectat. Hoc genus usitatissimè & per excellentiam nomen legum obtinet. Tales autem sunt non solum eæ leges, quæ mores pro immediato habent proximoque objecto; sed etiam illæ omnes, quæ ad morum regimen reducuntur, hoc est, quæ propter autoritatem jubentis contemni aut negligi sine peccato morali non possunt; e. g. regulæ quas accepit *Noachus* arcæ condendæ, in se quidem artis fuerunt regulæ, peritiam docentes, at quatenus a Deo datæ sunt cum præcepto exequendi, non poterant negligi sine peccato morali, atque ita reductivè pertinent ad regimen morum. Idem dicendum de regulis exstruendi tabernaculi in Exodo, & de legibus sacrificiorum, purificationum, & discernendorum morborum in Levitico, &c. quò pertinet usitata illa distinctio necessitatis eorum quæ lege præscribuntur: alia enim sunt necessaria, tum præcepti, tum etiam medii necessitate; ut quæ decalogo proximè objecta sunt, dilectio Dei, & proximi, hujusque dilectionis partes præceptis illis imperatæ: alia verò non nisi præcepti necessitate sunt necessaria; quæ videlicet per se non sunt partes officii necessarii decalogo omnibus imperati, sed tantum eò reducuntur, propter autoritatem imperantis, eique parendi necessitatem; qualia fuerunt illa artium & cæremoniarum præcepta. Omnis igitur lex cui necessariò parendum est, quæ non sine peccato morali negligitur, ad morum pertinet moderamen, discretionemque æqui atque iniqui.

Necessitas alia est medii, & alia præcepti.

III. Lex æqui atque iniqui, vel est divina, vel humana; illam *fas*, istam *jus* appellat *Gratianus*, dist. 1. c. *omnes*. Divina tamen non minus quam humana, *jura* dicere consuevimus; Jureconsulti autem nomen *juris* ad humanum restringere solent, à quo etiam Jureconsulti sive Jurisconsulti dicuntur: quamvis & *jus* naturæ, & jus gentium agnoscant.

IV. Lex humana, quæ ab homine vel hominibus potestatem habentibus lata, humanam obtinet autoritatem, duplex est: una civilis, quæ *jus forense & civile* dicitur; altera Ecclesiastica, quæ *canon* nuncupatur. sicut etiam observavit *Gratianus*, dist. 3. c. *omnes hæ*. quæ distinctio non tam ab objecto, quam à latoribus sumpta est. Nam etiam de rebus Ecclesiasticis feruntur leges seculares seu civiles, ut in primis duodecim titulis Codicis *Justiniani*, & ejusdem aut. Coll. 1. Novella const. 3. &c. quæ tamen canonum appellationem non accipiunt.

V. Utraque, tum civilis, tum Ecclesiastica lex, vel est scripta lex, & appellatur *constitutio*, civilis, aut canonica; vel moribus tantùm utentium introducta & servata est, & *consuetudo* appellatur. Nam etiam inveterata consuetudo vim legis obtinet humanæ, seu ut loquitur *Justinianus*, legem imitatur, §. *sine scripto*. Just. de jure naturali gentium, & civili. item in Decreto, dist. 1. *Consuetudo*. Ita quidem Canonistæ & Legistæ, locis citatis; malim tamen dicere, legem aliam esse solenniter latam, & hanc esse *constitutionem*; aliam moribus tantum utentium introductam & conservatam, hanc autem esse *consuetudinem*. deinde constitutiones vel esse *ἐγγράφως*, ut leges Atheniensium; vel *ἀγράφως*, ut erant leges Lacedæmoniis à Lycurgo traditæ. Vide §. *Et non*. Inst. de jure naturali gentium & civili.

CAPUT III.

Legum divinarum & humanarum collatio, in quibus conveniant, & in quibus differant.

I. CONVENIUNT in his: Factæ utræque 1.
ad æquitatis conservationem, & depulsionem iniquitatis. Hic enim utrarumque finis & usus, ad quem comparatæ. Utrasque oportet 2.
esse honestas, justas, possibiles, loco temporique convenientes, utiles. Neque egent ista probatione. Vide *Grat*. dist. 4. c. *factæ sunt*. & c. *Erit autem*. Utrisque vel expressè adjunctæ vel ta- 3.
citè adhærescunt promissiones morigeris, & sanctiones in contumaces, quibus detractis collabitur plerumque legum auctoritas.

II. Differunt autem in istis. 1. Leges divinæ 1.
ipsa institutione firmantur; robur enim omne accipiunt ab autoritate instituentis; de cujus lege ne apex quidem unus, aut jota unum irritum erit, sed complebitur, vel obedientia, vel punitione inobedientium. Matth. 5: 18. Rom. 2. At humanæ leges instituuntur quidem cum promulgantur; firmantur verò quando moribus utentium approbantur. *Sicut enim* (inquit Gratianus) *moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur. Unde illud Telesphori Papæ decretum, ut clerici generaliter a quinquagesima jejunandi propositum susciperent, & à carnibus & deliciis abstinerent, quia moribus utentium approbatum non est, aliter agentes transgressionis reos non arguit*. dist. 4. *In istis*. Sic etiam multæ veterum leges civiles, sine ulla in contrarium constitutione, solo posterorum diverso usu, tum apud Romanos, tum etiam apud alias gentes, in desuetudinem abierunt, & vim suam tandem amiserunt.

Aliud discrimen est: Lex humana non ab au- 2.
toritate instituentis, sed à lege divina accipit autoritatem aliquam & obligandi vim, quoad conscientiam. Lex autem divina per se ex Legislatoris autoritate obligat conscientias, neque eam autoritatem mutuatur à lege humana. Princi- Rom. 13
pibus itaque & Episcopis subjici oportet pro- 5.
pter conscientiam, non quia ipsi hoc præcipiunt, sed quia ita jubet Deus. Et si quando pugnet lex humana cum lege divina, non est ei præstandum obsequium, *Deo enim parere oportet potius quam hominibus*. Act. 4: 19, 20. & 5: 29. Unde rectè *Symmachus* Papa, apud *Gratianum*; *Non licet* (inquit) *Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra divina mandata præsumere: nec quicquam, quod Evangelicis vel Propheticis aut Apostolicis regulis obviet, agere*. dist. 10. *Non licet*. Vide etiam dist. 9. can. *Ego solis*. & can. *quis nesciat*. & c. *Noli*. & can. *Neque quorumlibet*. & can. *Sana*. ubi ait *Gratianus*, constitutiones vel Ecclesiasticas vel civiles naturali seu divino juri adversantes, penitus esse excludendas.

III. Leges humanæ honestæ, justæ, possi- 3.
biles, convenientes, & utiles esse debent, ac non

non semper tales sunt: leges autem divinæ tales sunt, neque inhonestæ, injustæ, impossibiles (nisi per iniquam virium abjectionem, qua se creatura debilitavit) inconvenientes, inutiles esse possunt.

4. IV. Ut solus Deus legem divinam instituere potest, ita divinæ leges à nullo homine abrogari aut mutari possunt, sed à solo Deo earum conditore: humanæ quælibet ab hominibus, vel earum latoribus vel ab aliis pari potestate præditis, antiquari & tolli possunt. Neque enim laudandus ille Medarum & Persarum ferreus rigor & insana obstinatio, de qua legimus, Daniel. 6: 8, 15. Sapienter dixit Augustinus; *Non itaque verum est, quod dicitur, semel rectè factum, nullatenus esse mutandum. Mutata quippe temporis causa, quod rectè antè factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat, ut cum ipsi dicant, rectè non fieri si mutetur, contrà veritas clamet, rectè non fieri nisi mutetur. Quia utrumque tunc erit rectum, si erit pro temporum varietate diversum.* Hæc Augustinus, Epist. 5. ad Marcellinum. Unde legimus Conciliorum quorundam, & Pontificum decreta, Principumque edicta, aliaque jura humana, vel ab ipsis auctoribus, vel à posterioribus parem habentibus potestatem, non injustè esse antiquata. Et rectè *Justinianus* Imperator, §. *Nos autem*, coll. 4. novell. 22. de nuptiis, in præfatione: *Nos autem* (inquit) *in constitutionum compositione multa quidem & alia de istis decrevimus; existimavimus autem oportere nunc, consiliis perfectioribus causam considerantes, etiam quædam corrigere, non aliorum solummodò, sed etiam quæ à nobis ipsis sancita sunt. Non enim erubescimus, si quid melius etiam horum, quæ ipsi prius diximus, adinveniamus, hoc sancire, & competentem prioribus imponere correctionem, nec ab aliis exspectare corrigi legem.* Hæc ille. Nec malè *Joannes* Papa XXIIdus. tit. *de torneamentis*, in Extravagantibus Joannis vigesimi secundi; *Quia* (ait) *in futurorum eventibus sic humani fallitur incertitudo judicii, ut, quod conjectura probabili ex nunc interdum attenta consideratio utile pollicetur, reperiri damnosum quandoque contingat: nonnunquam quod consultè statuitur, ex sanioris inspectione judicii consultius revocatur.* Hactenus *Joannes*, qui citato titulo revocat constitutionem prædecessoris sui *Clementis* Papæ Vti. de *torneamentis & hastiludiis*. Neque improbanda illa *Innocentii* Papæ IIItii. oratio, *Non debet* (ait ille) *reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana: præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit.* Extra de consang. & affinit. Cap. *Non debet.* ubi *Innocentius*, approbante Concilio generali, revocat constitutionem Papalem & Synodicam *Gregorii* Papæ in Concilio Meldensi, item *Julii* Papæ, de veteris gradibus consanguinitatis in contrahendis nuptiis. *Gregorii* autem & *Julii* Pontificum decreta illa exstant, causa 35. qu. 2. & 3. c. *de affinitate.* & c. *Nullum.* Huc pertinet illa conclusio Harmoniæ Synodorum Belgicarum, editæ anno 1618. ad finem speciminis Hommiani. Verba conclusionis sunt: *Articuli hi ad legitimum Ecclesiæ ordinem spectantes, ita mutuo consensu sunt constituti, ut si utilitas Ecclesiarum aliud postulet, mutari, augeri, & minui possint & debeant. Non erit tamen privatæ alicujus Ecclesiæ id facere, sed dabunt omnes operam, ut illos observent, donec Synodo aliter constituatur.* Hactenus illa conclusio. Plurima hujusceemodi exempla reperire est, tum vetera, tum recentia, & quotidiana. Sciendum autem, Deum abrogare & mutare suas leges, non mutando sententiam, sed tantum accommodando suas leges diversis temporum conditionibus, quas ipse omnes ex æterno prævidit: Homines verò sæpe leges suas mutare, mutando sententiam, ex observatione alicujus commodi, aut incommodi, illis antea inperspecti.

V. In lege divina non potest homo dispensare, sed solus Deus, legis auctor. Non licet homini addere quicquam ad Verbum Domini, neque de eo quicquam diminuere. Deut. 4: 2. & 12: 32. Prov. 30: 6. Apoc. 22: 18, 19. Ideo rectè monet *Innocentius* Papa IIItius, in gradibus divina lege prohibitis dispensari non posse, sed in eis qui constitutione humana interdicti sunt, posse dispensari, sicut Beatus *Gregorius* & multi alii dispensarunt. Extra de rest. spol. cap. *Literas.* Nam inferior non potest dispensare in lege superioris, proinde nec homo in Lege Dei. Quod agnovit etiam *Bellarm.* lib. de matrimonio cap. 11. §. *prima propositio.* Dispensationes illæ Deut. 24. & 1 Sam. 21. & 22. non fuerunt sine immediata revelatione divina, ut ex libris ipsis manifestum est. At in lege humana potest homo aut hominum cœtus, potestatem habens, dispensare: imo eam mutare, & tollere, uti ostensum est. Vide apud *Gratianum*, caus. 1. qu. 7. can. *Requiritis.* & sequentibus canonibus, ubi agitur de dispensatione. Attendendum tamen, ne dentur dispensationes contra rationem, animam legis, & contra mentem æqui legislatoris. e. g. Statutum in Concilio Lateranensi sub *Innocentio* Papa IIItio, & postea etiam in Tridentina Synodo, sess. 24. in reformatione matrimonii, cap. 1. & in reformatis etiam Ecclesiis receptum est, ut trina fiat futurarum nuptiarum, tribus diebus festivis, in cœtu Ecclesiæ, solennis denuntiatio, antequam celebrentur ipsæ nuptiæ. Ratio hujus legis est, ut caveantur clandestina & illicita conjugia. Ubi igitur nullum hujusmodi periculum est, neque in ipso conjugio, de quo quæritur, neque in exemplo, tutò dispensari potest, interdum etiam dispensari expedit, imo nonnunquam necesse est, rebus ita postulantibus. Apud nos civilis est lex de abstinentia à carne, certis diebus, propter rationes quasdam politicas: in hac lege non injustè dispensatur, servatis rationibus illis politicis, & interdum dispensatio est necessaria. Non enim ea est mens legislatoris, ut, posthabitis omnibus aliis etiam gravioribus rationibus & incommodis, sola verborum legis exequutio, sine ulla exceptione, stricto rigore exigatur. Vide etiam si placet, Extra de observ. jejun. cap. *Consilium.*

VI. Inter homines uni divinæ legi communiter atque æqualiter subjectos, esse possunt eodem tempore quædam leges humanæ, non per omnia inter se consentientes, licet in communi æquitate, neque cum lege Dei, neque inter se discordent. Unde rectè *Petrus Martyr*, loc. comm. classe 2da, cap. 4. §. 39. Neque tamen (inquit) existimo nimium esse contendendum, ut ritus & cæremoniæ sint eædem, & ubique modo eodem serventur, sed hoc providendum est, ut cum Verbo Dei minimè pugnent, &c. Unde *Hieronymus* (epist. ad *Lucinium*, & apud *Gratianum*, Dist. 12. can. *Illud.*) *Neque* (inquit) *aliquorum consuetudo, aliorum contrario more subvertitur.* Et Augustinus; *Quod neque contra fidem Catholicam, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.* Aug. epist. 118. cap. 2. Et Gregorius, *In una*

(inquit) *fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa*. Hæc *Gregorius* I. Papa Rom. epist. 41. ad *Leandrum*. Et apud Gratianum, Dist. 4. de Consecratione, Can. *De trina*. Vide in hanc sententiam plura, apud *Augustinum*, epist. 86. ad Casulanum, & apud *Gratianum*, Dist. 11. & Dist. 12. & Extra, de observatione jejuniorum, cap. *Consilium*. cum glossis. & apud *Nicephorum Callisti*, lib. 12. Hist. Eccles. cap. 34.

Hæc autem, quæ de humanis legibus diximus, intelligi volumus tum de constitutionibus, tum de consuetudinibus. Pauca adhuc restant dicenda seorsum de consuetudine, & de exemplo.

CAPUT IV.

De Consuetudine.

I. CONSUETUDO est non lata Lex, sed moribus utentium introducta, & eousque conservata atque inveterata, ut jam legem imitetur, & pro lege teneatur. §. *fine scripto*. Inst. de jure naturali gent. & civili. item dist. 1. can. *Consuetudo*. item dist. 11. can. *In his rebus*. Hinc has suggerimus observationes.

Observatio 1. Consuetudo omnis humani est juris, nulla divini. Nam ideo tantum inveterata consuetudo seu diuturni utentium mores legis vim acquirunt, quia talis consuetudo censetur quasi lex ab illis utentibus communi consensu lata, ipso usu consensum indicante. Quum igitur homines potestatem non habeant condendi legem divinam, neque possunt mores hominum, quantumcunque diuturni, imitari legem divinam, aut consuetudo humana haberi pro lege divina.

II. Observatio 2. Differt exemplum à consuetudine. Nam exempli autoritas statim ab initio plena est ex autoritate illius, in quo cernitur exemplum, vel ex conformitate cum lege Dei, neque eget longo multorum sequentium usu; at omnis consuetudinis autoritas ex longo usu existit. Ideo fatemur esse exempla quædam juris divini, qualia sunt ea omnia, in quibus Christus & alii ex immediato Spiritus Sancti instinctu imitanda nobis præbuerunt exempla: quæ autem vocem imitanda exempla; mox ostendam; etsi negamus consuetudines esse divini juris.

III. Observ. 3. Cum consuetudo omnis sit juris humani, est igitur mutabilis, dispensabilis & ad Dei legem examinanda, neque ulla consuetudo per se obligat conscientiam, possuntque diversæ esse in diversis regionibus & Ecclesiis consuetudines, salva fidei compage.

IV. Consuetudinis bonitas non ex antiquitate, neque ex utentium multitudine, aut eorundem dignitate, sed ex utilitate & veritate æstimanda est: id est, si ad institutionem in fide & hortationem morum utilis, ac veritati divinæ non repugnans, neque cum sua qualicunque utilitate majus habens conjunctum nocumentum. Etsi fatendum est, cæteris paribus, eo majoris esse autoritatis consuetudinem aliquam non malam, quo est antiquior, & universalior, & quo major est utentium prærogativa.

V. Consuetudo utilis, & veritati consentanea, quamdiu talis manet, benè retinetur, absque opinione tamen immutabilitatis, & seclusa omni superstitione. Vide Dist. 8. Canon. *Frustra*. Ubi tamen nondum recepta est ea consuetudo, non debet sine prudenti consideratione introduci, ne plus novitate perturbet, quam utilitate adjuvet, atque ita consuetudo alioqui utilis, ipsa non necessaria & imprudenti perturbatione fiat noxia.

Omnis subita mutatio rerum, non sine quodam quasi conflictu contingit animorum, inquit *Boethius* lib. 2. de consolatione Philosophiæ, prosa prima. Omnis consuetudo noxia, omnis sacræ scripturæ aut rectæ rationi repugnans consuetudo haud dubie tollenda est, & fugienda. Consuetudo enim cedere debet veritati & rationi; neque dixit Dominus se esse consuetudinem, sed veritatem se appellavit. Neque obstat vetustas, aut utentium multitudo; quælibet enim consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgara, veritati omnino est postponenda, & usus qui veritati est contrarius, est abolendus: consuetudo antiqua, sine veritate, vetustas est erroris. Relicto igitur errore, sequenda veritas; non enim hominum consuetudinem, sed Dei veritatem sequi oportet: uti monent *Cyprianus*, *Augustinus*, *Gregorius*, & *Nicolaus* apud *Gratianum*, dist. 8. can. *Mala*. & canonibus sequentibus. *Licet enim usus & consuetudinis non minima sit autoritas, nunquam tamen veritati aut legi præjudicat*: ut recte asseruit *Alexander* Papa tertius. extra de sententia & re judicata. cap. *Cum causa*. Videantur etiam *Gregorii* IX. verba in eandem sententiam. extra de consuetudine, cap. ultimo. *Ecclesia Dei* (inquit *Augustinus*) *inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit*. Aug. epist. 119. cap. 19. Non licet transgredi legem Dei propter traditiones hominum, Matth. 15: 3. 6. Omnia referenda sunt in Ecclesia ad pacem & ædificationem. Rom. 14: 19. Concordia igitur in eis quæ destruunt, non est pax Ecclesiæ Christi. *Speciosum quidem* (ait Hilarius) *nomen est pacis, & pulchra est opinio veritatis, sed quis ambigat eam Ecclesiæ atque Evangeliorum unitam pacem esse, quæ est Christi*. Hæc Hilarius Pictaviensis Episc. lib. contra Auxentium.

Vide. lib. 8. hujus operis. pars. 1. cap. 8. §. 11.

Eam autem appello noxiam consuetudinem, non quæ aliquibus displicet, sed quæ meritò displicet. Nunquam enim tam bene agitur cum Ecclesia militante, aut Republica aliqua, ut omnibus omnia aut etiam optima semper probentur. Quo pertinet illud *Augustini*, Epist. 119. cap. 18. Una in his, quæ per varia loca observantur, saluberrima est retinenda regula, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, ut majora studiorum lucra speranda sint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maxime illud quod etiam de scripturis defendi potest, sicut de hymnis & psalmis canendis, cum & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta & exempla & præcepta de hac re tam utilia. Hactenus *Augustinus*.

VI. Evenit interdum, ut consuetudo quæ utilis erat atque laudanda, evadat postea per hominum abusum ita inutilis & noxia, ut eam resecari necesse sit. Exemplo sint epulæ illæ, quas ἀγάπας vocabant. Neque solum temporum, sed etiam locorum attendenda diversitas in consuetudinibus dijudicandis: quo pertinet illa *Ambrosii* ad *Augustinum* responsio; *Cum Romam venio, jejuno Sabbato; cum hic sum, non jejuno*. Aug. epist. 118. cap. 2. Sic in regionibus calidioribus mergendo, in frigidioribus aspergendo baptizant, vero utrobique baptismo; alibi etiam unica, alibi trina mersione utuntur: Et in his agendum est sequ-

Vide Ingest. Instruct. Histor. Theol. lib. 10 cap. §. 48. & florico-

se-

secundum consuetudinem Ecclesiæ in qua degimus, quam tamen consuetudinem Ecclesia mutare potest. Vide *Lombard.* 4. sent. dist. 3. cap. *De immersione*. Vide *Gratian.* dist. 12. can. *Scit Sanctâ.* & can. *Novit.* & de consecratione, dist. 4. can. De *trina*. & de consecr. dist. c. *quotidie*.

VII. Non est cujusvis, receptam in Ecclesia mutare consuetudinem, aut ab ea contentiosè recedere, quam pro tempore approbat Ecclesia, si neque contra fidem sit ea consuetudo, neque contra bonos mores: omnia enim debent in domo Dei decenter & ordine fieri. 1. Cor. 14. 40. Indecorum est autem & contra bonum ordinem, ut cuivis liceat in constituta Ecclesia receptas damnare & contemptim abjicere consuetudines, quas neque fidei neque bonis moribus repugnare ostendit. Aliud fuit Pauli Apostoli de talibus judicium, qui quamvis liber esset ab omnibus, seipsum tamen omnibus veluti in servitutem tradidit, quo plures lucraretur, omnibusque factus est omnia, ut quovis modo aliquos servaret. 1. Cor. 9. 19. &c. Ipsa etiam Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, quædam etiam inutilia & otiosa, quæ resecta optaret, interdum non malè tolerat. Aug. epist. 119. cap. 19. studio scilicet pacis, & ædificationis, quæ præcipuè spectari debent. Rom. 14.19. quanto magis singulis adhibenda cura est, ut ea sectentur quæ ad pacem pertinent & ædificationem, ne intempestivo ac imprudenti zelo abrepti, Ecclesiam perturbent vexentque inutilibus & importunis litibus? *Joannes Calvinus*, in Comm. in 1. ad Cor. cap. 11. vers. 16. exponens illa Apostoli verba [*Quodsi quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*] Contentiosus est (inquit) qui libidine ad movendas lites incitatur, nec curat, ut locus sit veritati. Tales sunt omnes qui bonos ritus & utiles convellunt nulla necessitate, qui de rebus non ambiguis movent controversias, qui non acquiescunt rationibus, qui non sustinent se in ordinem cogi. Tales sunt etiam ἀκοινώνητοι, qui stulta affectatione ad novam & inusitatam formam feruntur. Eos Paulus non dignatur responsione: quia perniciosa res sit contentio, ideoque arceri debent ab Ecclesiis. Quo docet, authoritate magis compescendos esse pervicaces & rixandi cupidos, quam refellendos longis disputationibus. Nunquam enim contentionum erit finis, si certando velis hominem pugnacem vincere, quia centies victus nunquam fatigabitur. Diligenter ergo notemus locum istum, ne abripi nos supervacuis disputationibus sinamus: modo tamen contentiosos noverimus discernere. Neque enim pro contentioso semper est habendus, qui placitis nostris non acquiescit, aut qui refragari nobis audet. Sed ubi libido & pervicacia apparet: tum dicamus cum Paulo, alienas ab Ecclesiastico more esse contentiones. Hactenus *Joannes Calvinus*.

VIII. Meminisse etiam debet Ecclesia Christiana, quod rectè monet *Augustinus*, epist. 119. cap. 19. dandam esse operam, ut omnes inutiles & otiosæ consuetudines, ubi & quando id fieri commodè potest, resecentur. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit. Servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior fuerit conditio Judæorum, qui legalibus sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciebantur.

IX. Præterea in sanciendis constitutionibus, & in stabiliendis ac defendendis consuetudinibus, cogitare debent illi, qui cum autoritate præsunt, quod rectè monet idem *Augustinus*, lib. 1. ad Pollentium, de adulterinis conjugiis, cap. 20. non tanto pondere prohibendos esse homines facere licita, quamvis non expediant, quanto pondere prohibentur illicita. Quod ideo observo, ut doceam non esse probandum quorundam rigorem importunum in vindicandis transgressionibus præsumptionum humanarum, dum interea Dei legem violari facilè ferunt. Hoc nomine Pharisæi olim à Domino reprehensi, quod legi Dei nullam pene reliquissent autoritatem, propter ipsorum traditiones. Matth. 15: 4, 5, 6, &c. *Augustinus* etiam de hominibus sui seculi queiens; Sed hoc (ait) nimis doleo, quia multa, quæ in divinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit. Hæc *Augustinus*.

X. Consuetudo per se neque fidei, neque bonis moribus contraria, adeoque non mala, tunc evadit mala, & fidei contraria, quando ei ratio substernitur hæretica. Exempli gratia, liberum est homini Christiano uti sua libertate Christiana in vescendo, vel in abstinendo; in cælibatu casto retinendo, vel casto conjugio contrahendo: at liquis hanc suæ abstinentiæ vel continentiæ substernit rationem, quod immundos existimet eos qui carne vescuntur, aut uxores ducunt, jam ejus abstinentia profana, hæretica, & in Deum contumeliosa est. Hæc est enim illa dæmoniorum doctrina, 1. Tim. 4: 1, 3. aliter Christus & Apostoli docuerunt: *Quod intrat in os, non polluit hominem.* Matth. 15: 11. Omnis creatura bona est, & nihil abjiciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur. 1. Tim. 4: 4. Conjugium honorabile in omnibus & torus immaculatus. Hebr. 13: 4. Omnia munda mundis, immundis autem & infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum & mens & conscientia. Tit. 1: 15. Itaque illud (*ait Augustinus*) quod scripsisti, quosdam fratres ita temperare à carnibus edendis, ut immundos qui comederint arbitrentur, apertissimè contra fidem sanamque doctrinam est. *Augustin.* Epist. 119. ad Januarium, cap. 20.

XI. Vide de hoc argumento, *Hieronym.* dialog. adversus Luciferianos. *Aug.* lib. 4. de baptismo contra Donatistas, cap. 5. *Gregor.* Pap. Rom. hujus nominis primum, lib. 7. epist. 110. & in responsione ad tertiam interrogationem Augustini Cantuariensis Episcopi, ubi inter alia ait, *Non pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda*, ideoque non esse quod se Augustinus alliget consuetudini Ecclesiæ Romanæ, sed id ex qualibet Ecclesia eligendum esse, quod plus omnipotenti Deo possit placere, quod pium, quod religiosum, quod rectum sit. Eadem ex illo repetit *Gratianus*, dist. 12. can. *Novit*.

Atque hæc quidem de consuetudine, seu de jure consuetudinario. Pauca adhuc supersunt dicenda de exemplo. Nam & exemplum aliquando legem imitatur.

CAPUT V.

De Exemplo.

QUOD sit discrimen inter exemplum & consuetudinem, indicavimus supra, in observatione 2da. de consuetud. ubi diximus, etiamsi consuetudo juris divini non sit, esse tamen exem-

pla quædam divini juris, hoc est, legem divinam imitantia, & pro lege divina tetienda.

II. Est autem exemplum, latè sumptum, dispositio vel actio alicujus, quam alius imitari debet, aut potest. Nam quod neque debet neque potest alius imitari, exempli appellationem non accipit, ut est creatio mundi, resuscitatio mortuorum, quadragiuta dierum jejunium, &c. Nihil exempli nomen obtinet, nisi quod & quousque est imitandum aut imitabile. Itaque opera inimitabilia non sunt exempla, quamvis in operum istiusmodi inimitabilium exequutione reluceant sæpe quædam imitabilia & imitanda, adeoque exemplaria, ut bonitas, misericordia, prudentia &c. Quo pertinet illud *Basilii* Magni in Asceticis, cap. 1. Christi omnis loquutio & omnis actio nobis regula est pietatis & virtutis, *κανών ἐςιν εὐσεβείας τε καὶ ἀρετῆς*, & illud *Augustini*, de Christo loquentis, in libro de vera religione, cap. 16. Tota (inquit) vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus, disciplina morum fuit. Hæc *Augustinus*. Nam etiam in ipsa miraculorum patratione, & in mediatorii muneris exequutione, multa nobis reliquit exempla charitatis, humilitatis, mansuetudinis, &c. Actionis vocabulo intelligimus etiam voluntarias omissiones & cessationes, neque sola facta, sed etiam dicta, eadem voce includimus.

III. Exemplum sic acceptum, vel est bonum, vel malum. Utrumque autem, tum bonum, tum malum, vel propriè dicitur, vel abusivè. Exemplum bonum propriè dictum, est, quando & illud quod in exemplum assumitur, bonum est, & imitatio bona: ut humilitas, mansuetudo, charitas, patientia Christi, ejusque imitatio. Abusivè dicitur exemplum bonum, quando illud quod in exemplum trahitur, bonum est, sed imitatio mala; sic discipuli malè imitari volebant bonum illud Eliæ factum, quo ignem cælitus devocavit contra impios: ideo repræhensi sunt à Domino, *Nescitis*, inquit, *cujus spiritus sitis vos*. Luc. 9: 54, 55. Sic olim *Cerinthiani* hæretici circumcisionem & observationem legis cæremonialis ut obtruderent Christianis, abutebantur verbis & exemplo Christi, & dicebant: *Sufficit magister ejus. Quid igitur? circumcisus est Jesus; tu quoque ipse circumcidere. Christus secundum legem se gessit, tu igitur eadem facito.* Hanc Cerinthianorum pravam atque ineptam argumentationem commemorat Epiphanius, hæresi. 28. quæ est Cerinthianorum §. 5. Sic etiam *Marcionitæ* olim & *Encratitæ* nuptiarum vituperatores, Christi cælibis exemplo se perperam defendebant, ut refert *Clemens Alexandrinus*, Strom. 3. Exemplum malum propriè dictum, est, quando tum imitabile, tum etiam imitatio, mala sunt: quomodo exemplum malum Jeroboami primi malè imitati sunt ejus successores Reges Israelitici. Exemplum malum impropriè dictum est, quando facinus malum benè imitamur, seu ex alterius etiam scelere discimus prudentiam. Sic exemplo impii illius œconomi, admonemur habere majorem rationem futuræ vitæ, quæ duratura est, quam præsentis, quæ cito delitura. Luc. 16. 8, 9.

Vide instruct. Historico-Theolog. lib. 10. cap. 5. §. 32.

IV. Aliter judicandum de facti alicujus bonitate; aliter verò de ejus imitatione. Regula judicii nostri de bonitate facti triplex est. 1. Ex absoluta infallibilitate facientis, quæ regula est judicii nostri de factis Dei & Christi. 2. Ex adventitia quadam infallibilitate facientis, propter immediatam revelationem & eminentem quandam Spiritus Sancti cum faciente præsentiam; quæ regula est judicii nostri de factis Prophetarum, & Apostolorum, & Evangelistarum, Propheticis, Apostolicis, atque (ut ita loquar) Evangelisticis, deque omnibus eis quæ peculiari instinctu Dei & ex peculiari revelatione, homines fecerunt, sicut de Rebecca, Gen. 27. Jaele Eberis uxore Jud. 4. & 5. judicamus. 3. Ex conformitate cum lege & præceptione Dei; sive speciali, qualis data est Israëliris exituris ex Egypto, de mutuanda ab Ægyptiis supellectile. Exod. 11. 2. & 12. 35. 36. sive communi, ex qua de aliis hominum factis judicium instituimus; juxta illud, *ad legem & ad testimonium*, Esai. 8. 20. item, *peccatum est transgressio legis*. 1. Joan. 3. 4. &c. Regula autem judicii nostri de facti alicujus etiam boni imitatione, hoc est, sitne imitandum illud factum, nec ne, duplex est: (quod de facto dicimus, idem de dictis & dispositionibus & cogitatis innotescentibus intelligi volumus:) 1. Interpretatio legis divinæ. 2. Perspicua legis divinæ exequutio. Loquimur de imitatione exempli, ad quam obligamur non secus atque ad exequutionem legis divinæ.

V. Omnis interpretatio legis divinæ certa, & divinam obtinens authoritatem, niti debet testimonio sacrarum Scripturarum. Ab eis igitur exemplis duntaxat, quæ sacræ suppeditant Scripturæ, petenda ejusmodi legis divinæ interpretatio, non autem ab exemplis extra scripturas. Legem intelligimus illam communem quæ Ecclesiæ Christianæ etiamnum incumbit, interpretationemque nobis pro lege divina tenendam. Talia in scripturis sanctis reperiuntur exempla trium ordinum. 1. Exempla Christi manifestè nobis interpretantia legem illam, qua nos tenemur. 2. Exempla Prophetarum, Apostolorum, & Evangelistarum, aliorumque immediatam revelationem habentium, in factis ipsorum θεοπνεύςοις, legem interpretantibus. 3. Exempla hominum etiam non habentium immediatam revelationem, habentia tamen vel expressam vel tacitam approbationem ex revelatione immediata, ut exemplum Centurionis, Matth. 8. Cananitidis mulieris Matth. 15. Mariæ. Luc. 10: 39, 42. Reginæ noti, Luc. 11. 31. Beræensium, Act. 17: 11. &c. *Lex est*, (Matth. 5. 39.) *Siquis te percusserit in dextra mala, obverte illi & sinistram.* Exemplum Christi (Joan. 18. 23.) nos docet, non vetari hac lege justam innocentiæ defensionem, sed tantum superbam injuriæ retaliationem: neque præcipi obversionem alterius malæ simpliciter, ut verba sonare videntur, sed secundum quid, & conditionaliter; nempe, ferendam potius novam injuriam, quam ut malum malo ex privata vindictæ cupiditate repcudamus. *Lex est*, honorandos principes, & alios qui nobis præsunt, Exod. 22: 28. Rom. 13: 1. & 1. Pet. 2: 13. Hebr. 13: 17 quæritur an etiam malos & injustos? Respondet *Cyprianus*, affirmando, apud Gratianum, dist. 93. can. *Dominus*, suamque responsionem confirmat exemplo Domini Deique nostri Jesu Christi, qui usque ad passionis diem servavit honorem Pontificibus & sacerdotibus; quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent. Nam cum leprosum mundasset, dixit illi, vade & ostende te sacerdotibus, & offer donum. *Matth. 8. 4.* Humilitatem nos Christus humilis docuit, sacerdotem adhuc appellans, quem sciebat esse sacrilegum, Item subditus passioni cum alapam accepisset, & ei diceretur, sic respondes Pontifici? *Joan. 18. 22. 23.* nihil ille contumeliosè loquutus est in personam pontificis; sed sic magis innocentiam suam tutatus est, dicens: Si malè loquutus sum, exprobra de malo, si autem bene, quid me cædis? quæ omnia ab eo ideo facta sunt humiliter

al-

atque patienter, ut nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum: docuit enim sacerdotes veros legitimè & plenè honorari; dum circa falsos sacerdotes ipse talis extitit. Hactenus *Cyprianus*. Sic exemplo Domini gratias Deo agimus post sumptum cibum, Matth. 26: 30. quod pertinet

Deut. 8: 10. ad interpretationem legis de gratiis Deo agendis. Rectè *Bernardus*, in circumcisione Domini serm. 3. *Venit* (inquit) *Dominus propter nos non solum redimendos sanguinis effusione, sed & docendos verbis, & exemplis nihilominus instruendos*. Hæc ille. *Lex est*, de die septimo, in quarto præcepto decalogi, alia lex est de non curandis sabbatis, Coloss. 2: 16. cum tamen constet in omni præcepto decalogi aliquid esse morale, & perpetuam retinens obligandi vim. Quæritur quomodo nos utrique huic legi obedientiam præstare debeamus? Respondeo; conciliatricem legum istarum interpretationem præbet nobis exemplum Christi, & Apostolorum, Joan. 20: 19, 26. Act. 20: 7. & 1 Cor. 16: 2. ubi additur mandatum, & Apocal. 1: 10. ubi appellatur *dominicus dies*, is qui resurrectionis fuit. Apostolici hæc summa officii, testem esse resurrectionis Domini, Act. 1: 22. & 3: 15. & 4: 33. &c. Lex est, *baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis*. Matt. 28. Quæritur an etiam mulieres sint baptizandæ, cum soli mares olim circumcisi sint, baptismus autem in locum circumcisionis successerit? Col. 2: 11. 12. Respondeo, baptizandas esse etiam mulieres, atque hanc fuisse Christi legislatoris mentem, docent nos exempla Philippi Evangelistæ, Act. 8: 12. & Pauli Apostoli, Act. 16: 15. qui docebant & sacramenta administrabant ex immediata revelatione per Spiritum Sanctum. Discimus etiam exemplo Philippi, Act. 8: 37. legem illam Christi de baptizandis omnibus gentibus, ita esse intelligendam, ut adultis non conferatur sacramentum baptismi nisi prius ediderint sanæ fidei confessionem. Act. 8: 37. Dominus noster vitam æternam ponit in cognitione Dei & Christi. Joan. 17: 3. Apostolus Paulus docet in Christo repositos esse omnes sapientiæ & intelligentiæ thesauros, Coloss. 2: 3. ibidem etiam (vers. 8.) cavendum monet, ne quis nos decipiat per philosophiam & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundùm elementa hujus mundi, & non secundùm Christum. Eidem Apostolo omnia præ Christi cognitione sordescunt Philipp. 3: 8. *hinc oritur quæstio*, an liceat Christiano, secularibus literis operam dare. Respondent affirmando, apud Gratianum dist. 37. *Beda* can. *Turbat*. & illo antiquior *Hieronymus*, can. *qui de mensa*. & hanc suam affirmationem confirmant exemplis Moysis & Danielis ejusque sociorum, & Pauli, qui jam Apostolus servire sibi fecit Paganorum testimonia, ut Arati, Epimenidis, & Menandri, quibus utitur in suis scriptis & sermonibus. Addunt autem, eo fine legendas Christiano literas seculares, ut judicet atque convincat errores gentilium, eosque legendo detestetur, & utilia quæ in eis invenit, ad usum sacræ eruditionis devotus convertat. Hanc quæstionem copiosius pertractat *Gratianus*, citata illa dist. 37. Ne verò cavilletur quispiam, regum imperiis factum esse, ut ita erudirentur Moyses & Daniel ejusque socii; occurrit *Hieronymus*, qui de mensa (inquit) & vino regis nolunt comedere ne polluantur; utique si sapientiam atque doctrinam Babyloniorum scirent esse peccatum, nunquam acquiescerent discere quod non licebat. Eodem modo occurrit *Beda*. *Lex est*, de cavendis pseudoprophetis. Matth. 7: 15. & explorandis spiritibus. 1 Joan. 4: 1. hanc legem interpretatur nobis approbatum illud Beræensium exemplum, Act. 17: 11. unde discimus, scrutandas nobis esse scripturas, si tuti esse volumus à pseudoprophetis; & regulam explorationis esse Scripturas Sanctas.

VI. Frustra in rebus fidei objiciuntur tanquam legis interpretativa exempla extra hos tres ordines, id est quæ neque ex infallibilitate absoluta facientis, neque ex immediata revelatione, neque ex approbatione divina autoritatem habent & vim legis divinæ. Rectè ab Ethnico illo dictum est,

Nil agit exemplum litem quod lite resolvit. Horat. lib. 2 Satyr. 3.

Atque hæc quidem de interpretatione.

VII. Altera imitationis in divinis regula est, manifesta atque irrefragabilis exequutio legis nobis incumbentis. Quæ regula exigit a nobis, ut, in cujuscunque vita & moribus manifestam atque irrefragabilem conspicimus legis divinæ nobis incumbentis exsequutionem, ejus vitam moresque eousque imitemur, quousque in eis manifesta legis nobis positæ exequutio relucet. Paulus nobis suum exemplum proponit sequendum quousque ille Christi est imitator, id est, legem eam exequitur in cujus exequutione Christus nobis exemplo suo præivit 1 Cor. 11: 1. Philip. 2. 5. & 1 Pet. 2: 21. & alibi. Et cujuscunque mores boni imitandi sunt Hebr. 13: 7. & 1 Petr. 3: 1. etiamsi non habeant revelationem immediatam. Omnis enim necessitas imitationis secundùm hanc regulam, ab autoritate profluit legis divinæ, quam exequi tenemur, etiamsi nullum videamus prævium obedientiæ exemplum: jam verò exempla nobis veluti stimuli sunt ad obediendum, & testimonia parata contra immorigeros. Matth. 12: 27, 28, 41, 42. Hebr. 11: 7. Atque hæc quidem de exemplis legem divinam imitantibus.

VIII. Exempla humanam legem imitantia, vim legis obtinent humanæ, aliisque sequenda sunt juxta tres regulas. 1. ubi manifesta relucet legis exequutio, ut patet. 2. sequenda sunt humanam legem interpretantia exempla eorum, qui potestatem interpretandi habent, salva semper ratione, anima legis. Quomodo legem communem & ambiguam interpretantur nobis sententiæ judicum. Has vocant praxeis vel practicas, quas alii postea judices sequuntur. Quo pertinet illud *Innocentii* IIItii Pontificis Romani, Extra de sententia & re judicata, cap. *In causis*. In causis (*inquit*) quæ summi Pontificis judicio deciduntur, & ordo juris & vigor æquitatis est subtiliter observandus. Cum in similibus casibus cæteri teneantur similiter judicare, nisi fortè cum aliquid, causa necessitatis & utilitatis inspecta, dispensativè duxerit statuendum. Hæc ille. Observandum tamen, quod rectè monet *Augustinus*, apud *Gratianum*, dist. 9. can. *Sana*. sanam rationem etiam exemplis anteponendam esse. Unde sancit *Justinianus*. L. *nemo*. C. de sententiis & interlocutionibus omnium judicum. *Non exemplis, sed legibus judicandum esse*, quando scilicet sententia olim lata rationi deprehenditur adversa, aut præsenti casui minus congrua. Itaque 3tia regula, quæ nusquam negligi debet, est sana ratio, secundùm quam regulam *Gregorius* Romanus professus est, se etiam minores suos imitari paratum esse in bono. dist. 22. can. *De Constantinopolitana*, & *Augustino* Anglorum Episcopo suadet, ut sive in Gallicanarum aliqua, seu in qualibet Ecclesia aliquid magis pium, religiosum, rectumque invenerit, illud, etiam posthabitò usu Romano, apud Anglos in consuetudinem deponat, in Resp.

ad

ad tertiam interrog. *Augustini*, in fine operum *Gregorii*.

IX. Quia verò ita comparatum est multorum ingenium, ut exemplis magis quam ratione plerumque ducantur, & ad malorum facilè exemplorum imitationem, qua sunt pravitate, præcipites rapiantur, ideo danda sedula opera ne quis proximo suo præeat malo exemplo, præsertim illi qui eminentiori aliquo in loco constituti sunt, anniti debent, ut bona exempla inferioribus præbeant. Scitè *Claudianus* Poëta, in Panegyri de quarto consulatu *Honorii*;

In commune jubes si quid censesque tenendum,
Primus jussa subi: tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, quum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ac vita regentis:
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Deterius quippe in populis Prælati delinquunt, unde & acrius puniuntur. Idcirco *Gregorius* tot mortibus dignos esse dixit Prælatos perversa perpetrantes, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt; ideo necesse esse, ut tantò se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt, non soli moriuntur. Causa 11. quæst. 3. can. *præcipuè*. Si tales nobis pastores contingant qui vera doceant, & prava faciant, monet Dominus, audiendam esse sanam eorum doctrinam, sed non imitandam pravam eorum vitam. Matth. 23: 3. Neque solis Prælatis, sed omnibus lata hæc lex est, ne cuiquam sint offendiculo, addita hac interminatione & sanctione, *Væ mundo propter scandala. Væ homini illi per quem venit scandalum.* Matth. 18: 7.

De scandalo vide Irenic. lib. 2. cap. 20.

Hactenus de Exemplo.

CAPUT VI.

Distinctiones quædam Legum humanarum.

I. LEGES humanæ, sive Ecclesiasticæ illæ sint, sive civiles, vel sunt generales, communi omnium commodo institutæ; vel privatæ, in quorundam gratiam seorsum factæ, quæ privilegia nuncupantur, qualia sunt quæ aliquibus in Scotia conceduntur jura regalia per privata sua latifundia; quales etiam constitutiones sæpe sunt, & à generali seu communi lege exceptiones, in gratiam Academiarum, Monasteriorum, Collegiorumque & Societatum. Hanc distinctionem legum retulit *Gratianus*, dist. 3. can. *Regula*. & can. *Privilegia*.

II. Constitutiones seu canones Ecclesiastici sunt decreta conciliorum, eorumque omnium qui Ecclesiis cum legitima authoritate Ecclesiastica præsunt.

Leges civiles nationibus & imperiis distinguntur, vel enim Romanorum sunt, vel Persarum, vel Longobardorum, &c.

III. Constitutiones Romanorum priscorum fuerunt sex generum, videlicet Leges, Plebiscita, Senatusconsulta, Principum placita, Magistratuum edicta, Responsa prudentum. §.*Constat*. Instit. de jure naturali gentium & civili. De istis sigillatim dicere Jureconsultorum est.

Atque hæc de humanis legibus dixisse sufficiat.

CAPUT VII.

De Lege Naturæ.

I. LEX divina homini data vel est concreata & connata lex, quæ naturæ dicitur; vel est homini creato natove lata, legislatione quadam adventitia & externa; vel homini interna inspiratione suggeritur, ut dictamen Spiritus Sancti internum & moraliter suasivum, exigens obedientiam: cujus legis contemptores obstinati & malitiosi peccant contra Spiritum Sanctum. Hæc est illa pars legis Spiritus, quam supra (cap. 1. §. 8.) diximus mereri nomen legis propriè dictæ.

II. Lex naturæ, vel sola sensitiva nititur cognitione, estque omnibus communis animantibus, unde maris & fœminæ conjunctio, sobolis procreatio, educatio &c. vocant *jus naturæ primævum*: vel ex lumine rationis promanat, in eoque fundatur, nempe quam naturalis ratio inter homines constituit. Hanc & *jus gentium*, & *jus naturæ secundarium* appellant, quia, etsi hominis integri appetitus sensitivi tunc erant moderati, ut eis rectè obsequi posset, lapsi tamen hominis natura ita depravata est, ut fræno opus sit rationis, & secundario quodam naturæ jure ex naturali ratione. Hanc rationem reddit *Conradus Lagus*, I. C. in prima parte methodi juris civilis, cap. 3. num. 2. Ex isto jure naturæ rationali orti contractus matrimoniales; ne promiscuè sociarentur homines, belluarum ritu, item cultus Dei, honoratio parentum, abstinentia ab injuria, propulsatio injuriæ, &c. ff. de justitia & jure.

III. Est hæc (ut ait Tullius) non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, sed à natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. *Cic. Orat. pro Milone.*

IV. Jus naturæ rationale, quod secundarium appellant, continet sub se præcepta juris naturæ sensitivi quoad hominem. Nam conjunctionem viri & mulieris, item prolis educationem &c. dictat utraque lex naturæ, tum sensitiva, tum rationalis. Unde de talibus officiis conduntur etiam positivæ leges ex juris naturalis fontibus derivatæ: neglectique officii reos arguit conscientia, quæ rationalis est; eoque vehementius exaggerat culpam quod superari se passus sit homo, & pudendo post intervallo relinqui in eo officii genere, quod ne à brutis quidem animantibus negligitur. Prov. 6: 6. Esai. 1: 3. Jerem. 8: 7. &c. Rationalis legis naturæ meminit Apostolus Paulus, Rom. 2: 14. 15. *Quando* (inquit) *gentes legem non habentes, faciunt per naturam ea quæ legis sunt, hi legem non habentes, sibi ipsis lex sunt; qui quidem ostendunt opus legis scriptum in cordibus ipsorum, testimonium simul perhibente ipsorum conscientia, & cogitationibus inter sese accusantibus aut etiam excusantibus.* Plura autem de *Conscientia* dicemus cap. 16. & seqq.

V. Non improbare possum, quod nonnulli præceptorum naturalium plures constituerunt gradus. Nam 1. unum est generale præceptum juris naturalis, de bono sequendo, & malo fugiendo, hoc nunquam ullo communi statu obliteratur ex hominum mentibus. 2. sunt peculiaria præcepta, proximè huic cohærentia, & omnibus sua luce manifesta, quando proponuntur, sine ulteriore discursu; ut Deum colere, parentes honorare, ab homicidio, ab adulterio, à furto abstinere, aliaque in decalogo repetita. Ista interdum obliterata esse videntur, vel potius ita obscurantur, ut in quorundam animis non facile dignoscantur inhærentes & penitus deperdi nesciæ eorum reliquiæ, unde extiterunt nonnulli athei, quidam etiam parentum jugulatores, & quidem ex humana, licet iniqua, lege, vel consuetudine legem imitante, ut apud Triballos parricidas, notum est etiam illud distichon:

Mos

Mos erat, ut juvenes ferrent suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitare senes.

Unde depontani senes dicti. Sic olim apud Persas incestæ contra naturæ legem conjunctiones invaluerunt, ut cecinit *Catullus*,

Nam magus ex matre & gnato nascatur oportet,
Si vera est Persarum impia relligio.

Persas cum suis matribus misceri Ctesias refert, inquit Tertullianus, Apologet. cap. 9. Et Philo Judæus, libro de Specialibus legibus, scribit, Persas honoratiores [τὺς ἐν τέλει] matrimonia cum suis matribus, jam viduis, contrahere, & ex eis natos haberi nobilissimos [εὐγενεςάτυς,] & regio dignos solio. id quod Philo ibi meritò vocat maximam impietatem, & scelus longe impientissimum. [μέγιςον καὶ δυσσεβέςατον ἀνοσιούργημα.] Rectè Dionysii Siculi mater filio sollicitanti respondisse fertur, tyrannum humana jura mutare posse, at non leges naturæ 3. In tertio gradu sunt præcepta peculiaria, quæ naturalis ratio inter homines constituit, sine ullius certi humani legislatoris authoritate, quæ naturali constant æquitate, non tamen ita perspicuè ex primo illo generali præcepto profluunt, quin opus sit plerumque discursu ad eximendam hominum mentibus dubitationem; quæ etiam non sunt omnino indispensabilia, modo primis duobus gradibus suus maneat immotus vigor. Ad tertium gradum pertinent non solum præcepta illa quæ peculiariter *juris gentium* dici solent, prout jus gentium à naturali recedit, qualia sunt præcepta naturalia de manumissione, de bello & pace, de legatis, & fecialibus non-violandis, de dominiorum distinctione, de rerumpublicarum regnorumque conditione & discretione, de commercio, &c. l. 4. & l. 5. ff. de justitia & jure. Sed etiam libertas illa omnium hominum ex jure naturæ, lege 4. ff. de justitia & jure. Et illa quarundam rerum communitas naturalis, de qua in Inst. de rerum divisione & acquirendo earum dominio, ut littoris & fluminum, piscationisque & riparum, omniumque bestiarum ferarum communitas, & id genus alia juris naturæ præcepta, quæ neque disputationem neque dispensationem prorsus excludunt.

Hactenus de lege naturæ concreata & congenita homini.

Caput VIII.

De Lege Dei qua homini creato sine scriptione data est.

I. Sequitur Lex divina homini creato lata. Ea Lex vel est ἄγραφος, id est, sine scripto tradita, neque unquam divino jussu literis exarata in usum Ecclesiæ illius temporis; vel ἔγγραφος seu scripto tradita Ecclesiæ ejusdem temporis & succedentium: distinctio ista à diversis revelationis modis desumpta est.

II. Lex divina ἄγραφος vel est lata homini integro, vel lapso.

III. Lata est homini integro lex interdicens illi esu fructus arboris scientiæ boni & mali; lata etiam lex matrimonialis, Gen. 2. (incumbens adhuc posteris, de qua alias.) illa autem nobis præcipue nunc consideranda venit, prout eam Moses scriptam reliquit, Gen. 2: 16, 17.
Genes. 2: 16, 17. *& præcepit Dominus Deus homini, dicendo; ex omni arbore horti comedendo comedes, at ex arbore scientiæ boni & mali non comedes ex ea. nam in die qua tu comederis ex ea, moriendo morieris.*

IV. Illa verba, [*ex omni arbore* &c.] concessionem continent, & liberalem ostendunt Dei erga hominem indulgentiam; hominisque abstinentiam ex Dei benignitate, adeo ut facilè posset homo à fructu illo vetito se continere, tanta reliqui paradisi ubertate & varietate illi concessa. Quo fœda magis hominis luxuriantis fructumque prohibitum usurpantis ingratitudo. Mandatum ipsum prohibitivum habetur vers. 17. illis verbis [*ex arbore scientiæ boni & mali non comedes ex ea*] ostendimus in dissertatione de statu primi hominis ante lapsum, non fuisse in natura sua malam illam arborem, sed explorasse Deum obedientiam hominis interdicendo illi usu rei non malæ, & exigendo ab illo abstinentiam quandam præstitu facillimam. Difficilius obedientiæ specimen postulanti Deo præbuit per Dei gratiam *Abrahamus*, immolare parans filium suum *Isaacum*. Multa fuisse peccata in uno Adami peccato, ostendit Augustinus, Enchirid. cap. 45. videlicet, superbiam, sacrilegium, homicidium, fornicationem spiritualem, furtum, avaritiam, &c. Et ante Augustinum, id ipsum docuit Tertullianus, lib. adversus Judæos cap. 2.

V. Additur legi huic sanctio, illis verbis [*nam in die, qua tu comederis ex ea, moriendo morieris.*] proponit Deus homini mortis pœnam, quam sancit in contumaces.

VI. Hominem quamdiu integer staret, non moriturum fuisse, sed semper ab omni mortis genere liberum victurum, ostendimus in dissertatione de statu hominis ante lapsum. Omne igitur mortis genus per peccatum hominis invectum in humanum genus hic intelligitur. *Mors corporis*, Genes. 3. *pulvis es & in pulverem reverteris.* Præviæque ærumnæ, Gen. 3. *In sudore vultus tui comedès panem. multiplicabo dolores tuos, in dolore paries.* Psal. 38. *Nulla requies in ossibus meis propter peccata mea.* Psal. 39. Te persequente scelera pœnis, illico vigor decorque defluit, tinea peresæ more vestis, ô homo caduca res & futilis! Lev. 26. multiplicatis flagellis puniturum se Deus minatur rebelles. Item *mors spiritualis illa quæ pars est mortis primæ, nempe mors in peccato.* Psal. 51. Ephes. 2. (Spiritualem istam mortem homo peccando sibi conscivit αὐτοσφαγής.) & *mors illa æterna* in futuro seculo, quæ *secunda* dicitur. Matth. 25: ult. Rom. 6: ult. Marc. 9: 43, 44. Apocal. 20: 14. Quam *Paulinus* Nolanus non inscitè dixit nihil aliud esse quam vitam pœnarum, epist. 26. terroresque ac cruciatus animi etiam in hac vita, Psal. 14. & 53. Deut. 28: 28, 66, 67. Psal. 90. Apocal. 9. & 16. omnisque maledictio. Deut. 27. & 28. Gal. 4. Hæc omnia mortis nomine intelliguntur, Gen. 2: 17. & Rom. 5: 12, 13, 14. & alibi. Sciendum est (*inquit Gregorius*) quia mors duobus accidit modis, aut absentia vivendi, aut a qualitate vivendi. lib. 5. ex registro, ep. 14. sic qui vivit in pœna, dicitur in morte esse. Nam gravior est mors, à qualitate vivendi, quàm mors absentia vivendi.

VII. Rectè Augustinus, lib. 13. de civitate Dei, cap. 12. Cum (inquit) requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum transgrederentur acceptum, nec obedientiam custodirent; utrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam quæ secunda dicitur. Respondendum est, omnes. Prima enim constat ex duabus: secunda, ex omnibus tota. Sicut enim universa terra ex multis terris, & universa Ecclesia ex multis constat Ecclesiis, sic universa mors ex omnibus: quoniam prima constat ex duabus; una animæ, altera corporis, ut sit prima totius ho-

minis mors, cum anima sine Deo & sine corpore ad tempus pœnas luit; secunda verò, ubi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini quem in Paradiso constituerat, de cibo vetito; quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini; non tantum primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo; nec tantùm posteriorem, ubi corpus privatur anima; nec solum ipsam totam primam, ubi anima & à Deo & à corpore separata punitur, sed quicquid mortis est usque ad novissimam quæ secunda dicitur, & qua nulla est posterior, comminatio illa complexa est. Hactenus *Augustinus*.

Objectio. VIII Obj. Christus nos liberavit ab omni pœna peccati, seipsum dans λύτρον pro nobis; at Christus non liberavit nos à morte corporis, ærumnisque hujus vitæ, eam præeuntibus & ac-

Responsio. celerantibus: ergo non sunt illæ pœnæ peccati.

Resp. 1. Sicut Christus liberavit nos à lege peccati, non ut in nobis confestim desinat esse peccatum, sed ut in nobis non regnet, deque eo nos finalem tandem reportemus victoriam; ita etiam à morte miserilque per peccatum in genus humanum invectis liberavit nos Christus, non ut statim plenæ ac perfectæ beatitudinis apicem attingamus, sed ut calamitatum agmina perrumpentes, ipsam etiam mortem experti, de eis omnibus per Christum triumphemus, ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν, plus quam victores simus, per illum qui dilexit nos. Nam persuasus sum (*ait Paulus* Rom. 8.) quod neque mors, neque vita &c. poterunt nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. 2. Sicut peccatum in credentibus manet, non ad condemnationem, sed ad exercitationem, quod Deus in eis jam justificatis, non ut vindex, sed ut medicus intuetur, non ulturus in eis, sed sanaturus; sic etiam pœnalia quædam mala (ut ærumnæ hujus vitæ, ipsaque mors corporalis,) incumbunt adhuc redemptis & fidelibus, non ad supplicium, sed ad exercitium, non ut irati & inimici vindicis ultiones, sed ut amantissimi & prudentissimi patris castigationes, monelæ, & exercitationes, quibus liberos suos vult exercitos, amoto ab afflictionibus ultrice odio, & avulso à morte stimulo, afflicti gaudemus & morientes beati sumus.

IX. Qui autem dicunt (*inquit Augustinus*) si peccato mors ista corporis accidisset, non utique post remissionem peccatorum, quam Redemptor nobis tribuit, moreremur; non intelligunt, quomodo res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus solvit, tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone justitiæ. Posset enim & alius hoc non intelligens dicere, si propter peccatum dixit Deus homini, in sudore vultus tui edes panem tuum, & spinas & tribulos pariet tibi terra; quare & post remissionem peccatorum labor hic permanet, & hæc dura & aspera parit etiam terra fidelium? Item, si propter peccatum dictum est mulieri, cum gemitu paries; cur etiam post peccatorum remissionem fœminæ fideles eosdem dolores parturiendo patiuntur? Et tamen constat, propter peccatum quod admiserant, illos à Deo primos homines hæc audisse atque meruisse, nec resistit his verbis divini libri, quæ posui de labore hominis, & de parturitione mulieris, nisi qui prorsus alienus à fide catholica eisdem literis adversatur. Verum quia & tales non desunt, quemadmodum eis hac quæstione proposita respondemus dicentes, ante remissionem esse illa supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina exercitationesque justorum: ita & illis quos de morte corporis similiter mover, respondere debemus, ut eam & peccato accidisse fateamur, & post peccatorum remissionem, ut magnus timor ejus à proficientibus superetur, ad certamen nobis relictam esse non dedignemur. Si enim parva virtus esset, fide quæ per dilectionem operatur, mortis metum vincere, non esset tanta Martyrum gloria: nec Dominus diceret, majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. (*& paucis interpositis*) Unde mirandum non est, & mortem corporis non fuisse eventuram homini, nisi præcessisset peccatum cujus etiam talis pœna consequeretur, & post remissionem peccatorum eam fidelibus evenire, ut in ejus timore vincendo exerceretur fortitudo justitiæ. Caro enim, quæ primò facta est, non erat caro peccati, in qua noluit homo inter delitias Paradisi servare justitiam. Unde statuit Deus, ut post ejus peccatum propugnata caro peccati ad recipiendam justitiam laboribus & molestiis niteretur. (*& paulo post*) Sicut ergo illi primi homines postea justè vivendo, unde meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad Paradisum revocari: sic & caro peccati, etiamsi remissis peccatis homo in ea justè vixerit, non continuò meretur eam mortem non perpeti quam traxit de propagine peccati. Tale aliquid nobis insinuatum est de Patriarcha David, in libro Regnorum, ad quem Propheta cum missus esset, eique propter peccatum quod commiserat, eventura mala ex iracundia Dei comminaretur, confessione peccati veniam meruit, respondente Propheta, quod & illud flagitium facinusque remissum sit, & tamen consecuta sunt quæ Deus fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio. Quare & hic non dicitur, si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimisso peccato, quod erat minatus implevit, nisi quia rectissimè, si dictum fuerit, respondebitur, remissionem illam peccati factam, ne homo à percipienda vita impediretur æterna, subsecutum verò illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur. Sic & mortem corporis propter hoc peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam justitiam non ademit. Hactenus *Augustinus*, lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, capp. 33. & 34. Infantes etiam moriuntur, ut ipsos etiam sciamus esse per naturam peccato impuros, Rom. 5: 14. & ut alii admoneantur suæ mortalitatis, statutum videlicet hominibus esse à Deo, ut semel moriantur, post mortem verò sequi judicium. Hebr. 9: 27. Ex his facilis est solutio propositæ objectionis. Ad majorem; Christus liberavit nos ab omni pœna peccati, ita ut tandem superemus omnem, & in ipso agone, ut absit ultrix Dei odium, mortisque stimulus auferatur; non autem ut sine ullo exercitio statim perfectè mundati beatique existamus. Ad minorem; Christus non liberavit nos à morte corporis, ita ut illam nullo modo experiamur; sed ab ea nos ita liberavit, ut neque stimulo ejus occidamur, certamque de ea victoriam reportemus.

Joan. 15. 13.

X. Leges ἄγραφοι post lapsum, hominibus ab Adamo ad Moysen usque latæ, partim fuerunt morales, ut illa de homine non occidendo, Gen. 9: 5. & de perfectione vitæ, Gen. 17: 1. partim cæremoniales, ut illa de non comedendo sanguine, Gen. 9: 4. & de circumcisione. Gen. 17: 10.

partim

partim judiciales, ut illa de plectendo homicida, Gen. 9: 6. quæ leges quoniam in lege Mosaica repetuntur, non est quod eis nunc seorsum explicandis immoremur, occurrent enim explicandæ in lege Mosaica.

XI. Totum illud curriculum temporis ab Adamo usque ad Moysen, dicitur fuisse ante legem, Rom. 5: 13, 20. Gal. 3: 17, 19. non quod nullam omnino habuerint homines legem ante Moysen, sed quia tum primum Ecclesiam multorum millium à cæteris gentibus, spectante & mirante mundo, separavit, latisque solenniter legibus celebrem in ea rempublicam Israëlis instituit, & ordinavit, & ab extraneis discrevit, ipse populi sui Rex & legislator, Dominus, Deus, & Redemptor, suasque leges partim ipse audibili voce, è media flamma, auscultante populo, promulgavit, tabulisque consignatas legalibus Moysi tradidit, partim per Moysen scribi mandavit, etiam in posterorum usum. Quamvis ante illud tempus habuerint homines legem naturæ, cordibus inhærentem; legemque oraculi ἄγραφον, ut ostensum: ubi enim nulla est lex, ibi neque ullum peccatum est, aut imputatur. Rom. 4: 15. & 5: 13. sic gentes dicuntur fine lege [ἀνόμως] peccasse, Rom. 2: 12. id est, sine lege illa divino digito, jussuque, tabulis legalibus sacræ Scripturæ consignata; at non sine omni lege; habebant enim legem naturæ, ut docet Apostolus, eod. cap. 2. ad Rom. vers. 14, 15. Obtulisse autem Patres ante Moysen sacrificia Deo, non sine jussu Dei, sic ostendo. 1. Constans regula est, frustra coli Deum ultroneis hominum commentis, juxta mandata humana, Deut. 4: 2. Prov. 30: 6. Esai. 29: 13. Math. 15: 9. &c. Præterea Patres Deo sacrificantes placuerunt per fidem, ut Abel, & Noah, &c. Gen. 4. & 9. & Hebr. 11. fides autem, qua Deo placemus, non est sine Dei verbo aut ductu, quo nititur, Rom. 10: 17. interdum etiam expressa legimus mandata, ut Gen. 15: 9. revelavit autem suam illis
Hebr. 1: 1. Deus voluntatem πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, interdum oraculo externo, interdum interna suggestione per Spiritum Propheticum, interdum etiam visionibus, item somniis, &c. *Thomas Aquinas* solus instinctus meminit. Dicendum, (*inquit*) quod ante tempus legis, justi per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur; postmodum verò exterioribus præceptis circa hoc homines sunt instructi, quæ præterire pestiferum est. Hæc ille 2da 2dæ qu. 93. art. 1. ad 2um.

Caput IX.

De Legis Dei scripta quibusdam distinctionibus.

I. Scriptam vocamus Legem, quæ divina autoritate scripto consignata & tradita est in usum Ecclesiæ illius temporis, & sequentium temporum. Sic lex vetus Synagogæ, nova lex Ecclesiæ Christianæ lata & scripta est. Legem suam scripto consignavit in monte Sina ipse Deus, Exod. 24. Moysesque & alii Prophetæ impulsu Dei.

II. Lex scripta distingui solet in veterem & novam; neque repudio istam distinctionem, si rectè intelligatur: Apostolus enim Joannes facit mentionem mandati veteris & novi, 1 Joan. 2: 7, 8. & Paulus, Rom. 3: 27. excludi ait gloriationem, non per legem operum, sed per legem fidei, & Hebr. 7: 12. mutato Sacerdotio, legis etiam factam esse mutationem. Ubi non modo ex operibus justificatio justificationi ex fide opponitur, sed etiam legum & dispensationum in utroque testamento concors diversitas indicatur, quoad regulas conversationis hominum: quam solam partem nos impræsentiarum intuemur: ac propterea quando quæritur de Lege Dei, sive doctrinali regula, secundùm quam se gerere debeant homines, tum in cultu Dei, tum in reliqua vita, sive publica, sive privata; quoniam collatis temporibus Mosaicæ Synagogæ & Ecclesiæ Christianæ, quamvis utrobique salutem non nisi per fidem in Christum homines consequuti sint, invenimus tamen partim diversas, partim verò easdem vivendi regulas, illis, & nobis, esse traditas; uti mox patebit ex convenientia & discrimine legis divinæ in Vet. Testamento, & legis divinæ in Novo Testamento, quantum ad regulas vivendi: idcirco Legem Dei, ut veteres Israëlitas obligabat, veterem legem, ut verò nos Christianos obligat, novam legem appellamus.

III. Legem veterem scripserunt Moyses, ut Legislator ministerialis, qui fuit fidelis servus in tota domo Dei, & Prophetæ, ut Legis Mosaicæ infallibiles interpretes. Unde legis titulo citatur non solum pentateuchon, sed etiam Psalmi, Joan. 10: 34. & Prophetæ 1 Cor. 14: 21. illam vero legem, qua parte perpetua est, scripserunt etiam nobis, ut, quæ illic imperantur, faciamus & nos; qua autem parte πρόσκαιρος & mutanda erat, scripserunt eam solis veteribus illis in Synagoga Israëlitica præstandam, nobis vero in Ecclesia Christiana non præstandam, sed tantummodo discendam, ut inde dispensationem mysterii, legemque nos obligantem intelligamus. Adeo ut nihil in libris sit veteribus, quod nobis non sit, aliquo saltem respectu, scriptum, ut monet Apostolus, Rom. 4: 23, 24. & 1 Cor. 10: 6. & Rom. 15: 4. Novam, à Domino nostro Jesu Christo filio heroque familias acceptam, & veterum testimoniis communitam, literis consignarunt Apostoli & Evangelistæ. Non est animus hîc disserere de convenientia & discrimine Veteris ac Novi Testamenti, (quod alibi suo loco commodius fiet, Deo donante,) sed regulas tantum vivendi indicare, in Veteri & Novo Testamento traditas.

IV. Lex, ut regulam vivendi significat, triplex fuit in Veteri Testamento: nempe *Moralis*, in decalogo, ejusque expositionibus moralibus; & *ceremonialis*, in cultu illo cæremoniali; & *civilis*, quam & *judicialem* vocant, qua est constituta populi illius & administrata respublica. Rectè observavit *Calvinus*, [Instit. lib. 4. cap. 22. §. 14. & 15.] veteribus, qui distinctionem istam tradiderunt, ignotum non fuisse, etiam posteriores istas duas partes circa mores versari, quia tamen salvis moribus mutari & abrogari poterant, non dixisse morales; sed primam illam partem peculiariter appellasse eo nomine, citra quam non constet vera morum regula & immutabilis rectè vivendi ratio.

V. Lex moralis eadem imperat officia clariùs & expressiùs, quæ lex naturæ obscurius magisque indistinctè: nempe sincerum veri Dei cultum, hominumque inter se non fucatam & constantem dilectionem ac benevolentiam. Estque hæc immota justitiæ & indispensabilis regula, homines universos & singulos obligans. Rom. 1. & 2. Indispensabilem vocamus hanc legem moralem; quamvis enim actus quidam lege ista alioqui prohibiti, separabiles sint à malitia, eoque casu sub prohibitione ista non contineantur, sed per dispensationem quandam eximantur, nullus tamen actus vetitus, prout prohibitione ista comprehenditur,

ditur, vetitamque malitiam legi repugnantem retinet, dispensabilis est.

VI. Alia est ratio præceptorum cæremonialium, & judicialium, quæ non nisi positiva sunt, hoc est, non à ratione communi constanter dictantur, sed pro Legislatoris arbitrio variè (licet non contra rationem) determinantur, ita ut salva lege naturæ, etiam mutari possint; non enim naturalem habent conformitatem cum natura Dei, & lege æterna, sicut præcepta moralia; sed liberrimæ sunt electionis; neque aliter Deo placet eorum observatio, nisi mediante observatione præceptorum moralium, quorum constans bonitas non impedit, imò interdum postulat cæremonialium & judicialium mutationem. Quod non malè explicat Thomas 1ma 2dæ qu. 99. art. 4. & 5. & qu. 101. art. 1. & 4. & qu. 104. art. 1. eam scilicet esse perpetuam & universalem vivendi regulam, quæ obligat ex ipso immoto dictamine rationis, quomodo obligant præcepta legis moralis. Alia autem præcepta non nisi determinationes quasdam esse præceptorum moralium pro arbitrio Legislatoris, neque obligare ex ipso immoto & communi dictamine rationis, eo quod in se spectata non habeant absolutè rationem debiti vel indebiti; sed vim omnem obligandi immediatam habere ex adventitia aliqua institutione seu legislatione. Quum autem duo sint summa capita legis moralis, eorum unum, de colendo Deo, determinari lege cæremoniali; alterum verò, de justitia inter homines, determinari præceptis judicialibus & politicis.

CAPUT X.

De abrogatione quarundam veterum Legum.

I. DE convenientia & discrimine Legis divinæ in Vetere Testamento & Legis divinæ in Novo Testamento, quantum ad regulas vivendi, occurrunt duæ quæstiones expediendæ. 1. An per legem novam quicquam demptum aut antiquatum sit de lege veteri, in regulis vivendi. 2. Num lege nova quicquam superadditum sit legi veteri morali. De priore quæstione explicabimus hoc capite; posteriorem tractabimus capite sequente.

II. Ad priorem quæstionem respondemus.

Præcepta cæremonialia legis veteris *abrogata* sunt in Novo Testamento, *quoad usum*, Gal. 4. & 5. Coloss. 2:9. Hebr. 7:12. & seqq. & Cap. 8. vers. 13. & cap. 9: vers. 8, 9, 10. & seqq. & cap. 10. vers. 1. &c. & vers. 9. &c. & *impleta quoad significationem*; ut ex locis citatis patet. Umbræ enim erant præfigurantes Christi venturi incarnationem & obedientiam usque ad mortem, qua redempturus erat populum suum à peccatis, cælumque redemptis promeriturus, & chirographum illud in decretis è medio ablaturus; itaque decreta illa seu statuta illa cæremonialia Christo moriente exspirarunt. Coloss. 2:14. & aliis locis citatis. τετέλεσαι, Joan. 19:30.

III. Observandum autem cum Augustino, Epist. 19. & Thoma 1ma 2dæ qu. 103. art. 4. cæremonialia illa, quæ à Deo ipso quondam instituta sunt, non fuisse statim atque expirarunt contemptim abjicienda, sicut detestandæ atque idololatricæ gentilium abominationes, sed cum honore fuisse sepelienda; ideo sensim & paulatim eorum observatio tollenda erat, donec Evangelio divulgato, & veritate passim confirmata, clarum esset, non licere jam Christianis cæremonias illas usurpare.

IV. Christo jam nato, & se hominibus per Baptistæ & suum ipsius ministerium ostendente & manifestante, mori incipiebant seu ægrotabant illæ cæremoniæ, etsi animam, quam tunc agebant, non exhalarunt nisi Christo moriente, qui eas cruci affixas è medio sustulit, Coloss. 2: 14. ideo quamvis morti proximæ, non tamen negligendæ erant, sed necessarius erat earum usus ante mortem Christi. Matth. 8. 4. & 26: 17. Huc pertinet illud: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem, exinde regnum Dei prædicatur*, Luc. 16: 16. Deinde, ante divulgatum Evangelium, post Christi mortem, cæremonialia illa mortua quidem erant, sed nondum mortifera, quamvis non jam prodesset euiquam eorum usus, quomodo prodesse imò necessarium esse eorum usum dicebant illi judaizantes, de quibus, Act. 15: 24. Neque tamen adhuc erat perniciosus; ideo ipsi etiam Apostoli ea interdum usurpabant, compassione misericordiæ erga infirmos Judæos, non simulatione fallaciæ Act. 16: 3. & 18: 18. & 21: 26. & gentiles etiam credentes monuerunt, ut à sanguine & suffocato & idolothytis abstinerent. Actor. 15: 29. nempe ut eò facilius simul habitarent credentes, tum ex Judæis, tum ex Gentibus: Judæis enim abominationi adhuc erant sanguis & suffocatum; comestio autem idolothytorum suspicionem excitare aut alere posset in Judæorum animis de gentilibus, quod reditum pararent ad idololatriam, aut saltem quod eam nondum planè deseruissent. Postea verò, transacto illo tempore, (ut loquitur Augustinus, lib. 32. contra Faustum, cap. 13.) & clarius Ecclesiæ manifestata veritate illius doctrinæ Christi, *hominem non inquinari eo, quod os intrat*, Matth. 15: 11, 17. &, *quicquid apponitur comedi posse illæsa conscientia*, 1 Cor. 10: 27. *Nihil immundum esse mundo*, Tit. 1: 15. *Nullam Dei creaturam abjiciendam esse, sed sumi posse cum gratiarum actione*, 1 Tim. 4: 4. sublata jam & mortua & in Christo complementum finemque adepta esse illa cæremonialia, ita ut jam patefacta veritate nefas sit ulli Christiano ea usurpare, Gal. 4. & 5. Coloss. 2. Hebr. 7. & 8. & 9. & 10. neque jam prodendam illam nostram libertatem, qua nos Christus liberavit, in gratiam obstinatorum hostium, qui jam non possunt infirmitatem prætendere, sed meram ostendunt contumaciam, Gal. 2: 3, 4, 5. cœpit esse mortifera cæremoniarum legalium usurpatio. Unde Paulus Apostolus, *Si* (inquit) *circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Gal. 5: 2. & prohibitionem ullius cibi, tanquam immundi, aut comedentem polluentis, vocat doctrinam dæmoniorum. 1 Tim. 4: 1, 3. Quantum ad fornicationem, ea etsi nunquam erat adiaphora, prohibebatur tamen specialiter in illa Epistola Synodica, Act. 15. quia gentiles eam non habebant pro peccato, ut rectè monet Thomas, loco citato, postea verò per Evangelii lucem clarius omnibus innotuit ejus abominanda spurcities.

De sensu istius loci 1 Tim. 4. vide plura in annotatione de jejunio, (quam dedi in Patrum mei Stelitenticum, seu tertiam partem Appendicis Commentaris in Apocalypsin,) §. 16.

V. Cerinthianorum & Ebionitarum hæresis fuit, item eorum qui Nazaræi dicebantur, retinendas esse cæremonias Mosaicas simul cum fide in Christum Jesum, ob quam hæresin, & à Christianis damnati sunt, neque Judæis grati fuerunt; volentes enim esse & Judæi & Christiani, neque Judæi fuerunt neque Christiani, ut testantur *Hieronymus* & *Augustinus*, in epistolis illis de Petro repræhenso à Paulo, quæ sunt in epistolis *Augustini*, epist. 11. & epist. 19. & in epistolis *Hieronymi*, tom. 2. epist. quæ incipit; *Tres simul epistolas*: & epistola quæ incipit; *Jampridem charitati tuæ*.

VI. Judicialia & politica præcepta quod attinet,

tinet, quibus constituta & gubernata est respublica Israelitarum, à qua alieni erant omnes gentiles, a fœderibus extorres, Ephes. 2: 12. cum desierit jam angusta illa Ecclesiæ & populi Dei conditio, diruta maceria parietis intergerini, Ephes. 2: 14. tempusque advenerit, quo neque Hierosolymis, neque in monte Garizim necesse sit Deum colere, sed à veris jam cultoribus coli possit in quolibet loco, cultumque postulet Deus non figuralem illum & umbratilem, sed spiritualem & verum in spiritu & veritate, Joan. 4. & 1 Tim. 2. & cum regnum suum Christus, Rex Israëlis, professus sit non esse ex hoc mundo, Joan. 18: 36. regnumque terrenum fugerit, Joan. 6: 15. & politicam causarum decisionem à se amolitus sit, videlicet, de dividunda hæreditate, Luc. 12: 14. & de plectenda adultera, Joan. 8: 11. quum jam non unius populi peculiariter rex sit, exclusis aliis, sed & Assyrios, & Ægyptios, & insulanos, usque ad ultimos terræ fines, pro populo suo agnoscat, Esai. 19. & 49. Psal. 2. &c. eosque una lege gubernet, & in unum corpus conjunxerit, Ephes. 4. & quamvis omnibus eædem leges conveniant spirituales, quia unum sunt corpus mysticum, uno Christi spiritu vegetatum & gubernatum, non tamen eædem leges politicæ & seculares omnibus sunt idoneæ, quum non sint unum corpus politicum, sicut erat olim Israël secundùm carnem, sed in unitate civitatis ac familias spiritualis, qua sunt omnes concives & condomestici, Ephes. 2: 19. manant separatæ & multiformes societates seculares, neque civitatis neque legis ejusdem civilis communionem habere possint, aut similitudinem, nisi in communi æquitate & pietate; hæc cum ita se habeant, cessante jam illa politica Dei administratione, qua peculiarem rempub. sibi ut ejus Principi præ cæteris constituendam regendamque delegit, cui etiam leges tulit politicas, loco illi temporique & genti convenientes, certum est constitutiones illas antiquas politicas, uni illi veteri populo factas, non obligare respublicas omnes Christianas. Neque in Politia Mosaïca reperire est omnes casus, qui occurrunt in aliis rebuspublicis, neque convenient circumstantiæ.

VII. Relicta igitur omnibus gentibus libertas est, non quidem recedendi à naturali æquitate, quam omnibus dictat recta ratio, & præscribit lex moralis, sed constitutiones sibi, tum inter se, tum à lege illa Moysis judiciali & civili diversas, condendi, juxta communem æquitatis & charitatis regulam, prout suis rebus perspexerint expedire.

VIII. Alibi leviore censura cohibentur homines ab hoc aut illo flagitii genere, puta, ab homicidio, ab adulterio, a furto, à falso; alibi autem non nisi atrocium suppliciorum metu refrænantur. Nec locorum tantum, & ingenii gentis, sed etiam temporum attendenda differentia, & vicinorum quibuscum vivitur, aliarumque circumstantiarum ratio habenda est. Ideo quod jactatur (utor jam *Calvini* verbis) à quibusdam, fieri contumeliam legi Dei per Moysem latæ, quum abrogata illa, novæ aliæ illi præferuntur, vanissimum est; neque enim aliæ illi præferuntur, dum magis probantur, non simplici collatione, sed temporum, loci, gentis conditione, aut illa abrogatur, quæ nobis lata nunquam fuit. Siquidem non eam Dominus per manum Moysis tradidit quæ in omnes gentes promulgaretur, & ubique vigeret; sed quum Judaïcam gentem, in fidem, patrocinium, clientelam suam suscepisset, illi etiam peculia-

Instit. lib. 4. C. 20. §. 16.

riter Legislator esse voluit; ac, quod sapientis legislatoris erat, singularem quandam ejus rationem in ferendis legibus habuit. Hæc rectè *Calvinus*. qui ibidem duo docet intuenda in legibus politicis; *constitutionem* scil. & *æquitatem*; illam mutabilem esse pro circumstantiarum diversitate; hanc immotam perdurare. illa propriè politica est, hæc moralis. illa solum illum veterem populum Israëlitarum, cui facta & data est; hæc omnes homines omnium temporum & gentium obligat.

IX. Adde istis duobus etiam tertium quiddam in legibus illis Politicis non prætereundum, nempe *figuralem significationem*: qualis fuit in lege leviratus, de suscitando semine fratri sine prole defuncto; etiam in lege redempturæ, qua tenebatur proximus agnatus agrum redimere; & in lege non elocandi filias hæredes extra propriam familiam aut tribum; & in lege anni Sabbatici, & anni jubilæi, deque manumissionibus, novisque tabulis illorum annorum, & servitute perpetua illius servi, qui oblatam aspernatus esset libertatem: & in legibus de captiva tondenda, ejusque unguibus resecandis, & mora luctuque unius mensis, antequam eam victor in uxorem duceret; de non induenda veste ex lino simul & lana contexta; de vinea non conserenda diversis seminibus: de non jungendis simul ad arandum bove & asino: de non obligando ore bovis triturantis, &c. Neque in quibusdam dumtaxat legibus, sed in universa illa Politia Israëlis erat figuralis quædam significatio, Ephes. 2: 12. in regno Davidico, Luc. 1: 32, 33. totoque illius populi statu, & variis vicibus, Hebr. 3. & 4. 2 Cor. 6: 17. Apoc. 11: 8. & cap. 14: 8. & cap. 21: 2. &c. Nec immeritò dixit *Augustinus*, lib. 22. contra Faustum, cap. 24. illorum hominum non tantum linguam, sed etiam vitam fuisse Propheticam: totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quendam, quia & magni cujusdam, Prophetam. Hinc etiam liquet, non teneri illis legibus Christianos, sublatis jam figuris legalibus.

X. Nos quidem obligat moralis æquitas, qua nituntur leges, tum cæremoniales, tum Politicæ; sed neque quod est in illis legibus merè politicum, nobis incumbit, neque quod est figurale. Nam figuræ prorsus evanuerunt, Politicarum autem constitutionum universalitatem & constantiam impedit ipsa ratio æquitatis.

XI. *Thomas* 1ma 2dæ qu. 104. art. 2. observat, præcepta esse dupliciter figuralia: nempe vel *primò & per se*, quomodo figuralia erant præcepta cæremonialia, ad hoc principaliter instituta, ut aliquid figurarent pertinens ad cultum Dei & ad mysterium Christi; vel tantum *ex consequenti*, quomodo figuralia erant præcepta judicialia, quæ instituta sunt primò & per se ad ordinandum statum illius populi secundum justitiam & æquitatem; sed ex consequenti aliquid figurabant, in quantum scilicet totus status illius populi, qui per hujusmodi præcepta disponebatur, figuralis erat. Hæc *Thomas*.

XII. Observandum etiam, cum eodem *Thoma*, qu. eadem, art. 3. aliter evacuata esse præcepta judicialia, quam cæremonialia. Adeo enim esse evacuata cæremonialia, ut jam post Evangelium divulgatum non solum mortua sint, sed etiam mortifera observantibus, quia figuralia fuerunt primò & per se, instituta principaliter ad figuranda Christi mysteria ut futura; & ideo ipsa observatio eorum præjudicat veritati, secundùm quam confitemur illa mysteria jam esse completa. At præcepta judicialia mortua quidem

 esse,

eſſe, quia non habent vim obligandi; non tamen mortifera: non enim peccaturum Principem aliquem Chriſtianum, qui illa in ſuo regno obſervari juberet, modo eam obſervationem non imponat tanquam ex obligatione legis Politicæ latæ populo Iſraëlitico. Talem enim obligationem ipſa fidei Chriſtianæ veritas excludit, quæ docet Chriſtum veniſſe, ſtatumque Iſraëlis Dei, quo ab aliis diſtinguitur, non amplius eſſe terrenum & figuralem, ſed cœleſtem & ſpiritualem. Neque alienos eſſe à republ. Iſraëlis homines Chriſtianos, qui aliis utuntur legibus Politicis, ſervata communi æquitate.

XIII. Præterea etiam de cæremonialibus ſciendum eſt, duplicem eſſe earum uſum, poſt divulgatum Evangelium: unus eſt *religioſus*, quem *Paulus* Apoſtolus docet eſſe mortiferum, Gal. 5: 2, 3, 4. quia eſt quædam inficiatio complementi legis per Chriſtum præſtiti; vel eſt *Politicus*, quomodo circumciſione adhuc utuntur Abyſſini Æthiopes, non ut pignore incarnandi Chriſti, quem credunt natum eſſe, & crucifixum pro noſtris peccatis, & in cujus nomine baptizantur, ſed ut monimento quodam originis Imperatorum ſuorum, quos ajunt ex *Solomone* & *Maqueda* Regina Sabæ oriundos, & magnatum, quorum majores dicunt fuiſſe nobilium Iſraëlitarum filios, regi ſuo *Davidi* in Æthiopiam Hieroſolymis abituro adjunctos comites à *Solomone* Patre illius *Davidis*. Hunc politicum circumciſionis uſum non dicimus eſſe mortiferum: nihil enim eo futurum præfigurari dicunt, neque inde nobiliores ſe aliis Chriſtianis aut Deo acceptiores exiſtimant.

XIV. Denique etſi dicimus eſſe mortiferum eorum uſum religioſum, non tamen inde concludere licet, damnari certò omnes & ſingulos Chriſtianos eis *religioſe* utentes, quomodo religioſè adhuc abſtinent Æthiopes à cibis lege Moſaïca vetitis. Nam vel ex ſimplice ignorantia illis utitur aliquis, quomodo olim eis uſi ſunt infirmi Chriſtiani ex Judæis; vel ne moniti quidem & ſufficienter de eorum abrogatione edocti ceſſant ab eorum uſu: illorum miſeranda eſt cæcitas, iſtorum deteſtanda improbitas. Neque tamen iſtos omnes dixerim haud dubiè damnatos eſſe. Non enim omnes peccatores damnat Scriptura ſimpliciter, ſed omne peccatum: Nam peccatum omne ſeparat à Chriſto in natura ſua, quamvis non omnis peccator ſeparetur ſemper totaliter à Chriſto, manente in homine credente ſemine illo Dei. 1 Joan. 3: 9. & ſubſequente reſipiſcentia, tum particulari & explicita de particularibus, quorum memor eſt, peccatis, & quæ certò ſcit eſſe peccata; tum etiam generali & implicita, de omnibus ſuis peccatis quibus Deum offendit, ſive ipſi pœnitenti cognitis, ſive ignotis. Pſal. 19: 13.

Vide Inſtruct. Hiſtorico-Theolog. lib. 12. c. 5. §. 42.

XV. Sic judicamus, Æthiopes Chriſtianos, veram Chriſti fidem tenentes, ſalvos fieri per fidem in Chriſtum, ſeu per redemptionem in Chriſti ſanguine, quam vera fide apprehendunt, etiamſi ex inveterata quadam perſuaſione putent, cæremoniarum quarundam legalium religioſam obſervationem non pugnare cum fide Chriſtiana, ideoque eas perſeveranter obſervent, neque unquam particularem agant pœnitentiam de iſto peccato: nam peccata ex ignorantia commiſſa Deus condonat credentibus & habentibus reſipiſcentiam de eis generalem, *errores enim ſuos quis noſcet?* ideo dicentes quotidie, *Pater dimitte nobis debita noſtra*, non ſolum nobis compertorum, ſed etiam eorum omnium peccatorum veniam oramus, quæ etſi Deo comperta ſint, nos tamen latent. Debet autem qui veniam exſpectat errorum ſuorum latentium, paratus eſſe & diligens ad diſcendum, & recipiendam veritatis lucem: hanc enim qui obſtinatè contempſerit, majori eſt in diſcrimine, idcirco illi opus eſt reſipiſcentia particulari de illo ſuo contemptu, quem averſari debet. Quamvis & hic diſtinguendi ſint gradus neglectus & contemptus veritatis. Nam mitius de illis judicamus, qui ipſi indocti aut in Theologicis minus exercitati credula ſimplicitate in errore detinentur, etiam ubi ſe offert occaſio diſcendi veritatem, quàm de erroris doctoribus matæologis, ἀνυποτάκτοις, qui à veritate victi meram oſtendunt atque opponunt pertinaciam, & ad blaſphemias convertuntur. Etſi fateor ſignum eſſe diſplicentiæ divinæ erga ipſos idiotas, ſi veritatem oblatam non capiant, neque recipiant; quamvis fidem directè non abnegent, ſed tantummodo erroribus quibuſdam adhæreſcant cum fide pugnantibus, quos illi pro talibus non agnoſcunt.

Pſal. 19: 13.

XVI. Sic tres erunt gradus hominum fidem 1.
profitentium ſalvificam, & tamen errores quoſdam retinentium fidei repugnantes. *In primo gradu* ſunt ii, qui inveteratam in Eccleſia conſuetudinem, aut opinionem, id eſt, erroris vetuſtatem ita ſequuntur ad extremum uſque vitæ halitum, ut neque fidei contrariam judicent, neque melius aliquid diſcendi occaſionem habeant, neque unquam erroris ſui moneantur, & parati ſint in corde ſuo renunciare omni errori, quem fidei in Chriſtum, quam profitentur, perſpexerint adverſari: horum errores condonat Deus, propter Chriſtum, in quem ſincere credunt. Sic judicamus de Æthiopibus Chriſtianis, & de majoribus noſtris ſub papam, qui profunda Satanæ non didicerant, ſed erroribus quidem ſeculorum ſuorum communibus abducti, ſalutis tamen obtinendæ fiduciam omnem in Dei miſericordia collocabant, ſupplicantes Deo ut propter Chriſtum illis omnia errata condonaret, & exauditi ſunt, neque propter ſtipulam erroris à doctoribus aut majoribus ſuis acceptam, amiſerunt etiam aurum fidei. *In ſecundo gradu*, ſunt ii qui in hac 2.
tam clara luce cæcutiunt, ex credula quadam ſimplicitate & ſupina ignorantia: horum deterior conditio eſt, ut oſtenſum. His pro gradu peccati intendenda etiam reſipiſcentia eſt. *In* 3.
tertio gradu ſunt contumaces, qui ita aguntur Spiritu erroris, ut non ſint parati credere meliora docenti, & centies convicti reſiſtant manifeſtæ veritati, & ad lucem oculos ferientem, animiſque ſe ingerentem, pertinaciter conniveant. His neceſſaria eſt magis ſpecialis reſipiſcentia de iſta obſtinatione. Et omnino, quo clarius refulget veritatis lux, eò minus excuſationis habet à veritate aberratio; juxta illud, *Si non veniſſem & loquutus fuiſſem illis, peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato ſuo.* Joan. 15: 22.

Vide Inſtruct. Hiſtorico-Theol. lib. 11. cap. 7. §. 37. & §. 39.

Hactenus de abrogatione legum cæremonialium, & politicarum.

XVII. Quod attinet legem moralem in Veteri Teſtamento traditam & explicatam, ea, quum ſit perfecta & immota juſtitiæ regula, & indiſpenſabilem erga Deum & proximum dilectionem præcipiat, ſemper manet. *Quicunque igitur ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, Matth. 5: 19. Ad hanc legem pertinet & in ea manet quicquid eſt morale etiam in cæremonialibus & judicialibus præceptis, ſicut è converſo, quæ in lege morali cæremonialia aut civilia reperiuntur, ea cum reliquis cæremonialibus & civilibus exſpiraverunt.

XVIII. Hæc Lex ſummatim in decalogo tradi-

ta

ta est; breviore rursum compendio ad duo summa capita revocatur, de diligendo Deo ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota cogitatione nostra; quod primum est & magnum mandatum; & de proximo diligendo sicut ipsi nos diligimus, quod est secundum simile priori. Ab istis enim duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent. Matth. 22: 36, 37, 38, 39, 40. Eadem est Evangelica morum regula, & naturalis lex, ad quam facti & imbuti sumus. Eadem vetus & nova & perpetua morum lex est: charitas nunquam excidit, 1 Cor. 13: 8. *Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis, sicut dilexi vos, ut & diligatis alii alios. Ex hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis inter vos.* Joan. 13: 34, 35. Hoc est illud vetus idemque novum mandatum. 1. Joan. 2: 7, 8, 9. semper idem substantiâ, sed novum quoad novum gradum revelationis dilectionis Dei erga nos, quæ nostræ in Deum & proximum dilectionis fundamentum est: diligimus enim Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. 1 Joan. 4: 19. & quia sic Deus dilexit nos, debemus etiam alii alios diligere. 1 Joan. 4: 11. & propter identitatem quoad substantiam, dicitur mandatum non novum, sed quod habuimus ab initio. 2 Joan. 5.

XIX. Quia autem ex dilectione vel odio proximi facilè se prodit dilectio Dei, vel hypocrisis falsò asserentium se Deum diligere, *si quis enim dixerit, Deum diligo, & fratrem suum oderit, mendax est. qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non vidit, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* 1 Joan. 4: 20, 21. hanc ob caussam Christus juveni viam moralem quærenti ad vitam, proponit mandata secundæ duntaxat tabulæ, Math. 19: 18, 19. & suum esse mandatum suis discipulis ait, ut alii alios diligant. Joan. 13: 34. & 15: 17. Et Paulus in dilectione proximi ponit complementum legis totius, Rom. 13: 8, 10. Gal. 5: 14. & Joannes pronunciat translatos esse de morte in vitam eos, qui diligunt fratres. 1 Joan. 3: 14. & in luce manere eum, neque scandalum esse in eo, qui diligit fratrem suum. 1 Joan. 2: 10. Hæc Philadelphia, est synecdochica & virtualis quædam totius legis summa: præsupponit enim alteram dilectionis partem, cujus Deus ipse proprium est objectum. Quibus duabus partibus comprehenditur universa lex moralis, prout tum in veteri, tum in Novo Testamento traditur, non solum in decalogo, sed etiam in expositionibus præceptorum decalogi Propheticis & Evangelicis.

XX. Hæc autem lex moralis nos Christianos perpetuo obligat, non solum prout in novo, sed etiam prout in Veteri Testamento per Moysen & Prophetas tradita exstat: ex eorum enim scriptis, quippe nos etiam Christianos obligantibus quoad doctrinam moralem & doctrinam fidei, adferuntur in Novo Testamento passim testimonia, non tantum ad fidei dogmata, sed etiam ad morum præcepta confirmanda, non solum Judæis, sed etiam gentibus. Matth. 19: 4, 5, 6. Matth. 26: 52. Rom. 13: 8, 9, 10. 1 Cor. 10: 6. 2 Cor. 9: 9. Ephes. 6: 1, 2, 3. Jac. 2: 8, 9, 10, 11. 1 Pet. 3: 10, 11, 12, 13. &c. Etsi enim Christiani jam justificati, non amplius sumus sub lege, ut lex opponitur gratiæ, seu ut est ministerium mortis & litera occidens, Rom. 6: 14. & 2 Cor. 3: 6, 7, 8, 9. etiamnum tamen lex ad nos pertinet, quatenus nos ducit in via charitatis, & sanctitatis, sine qua nemo videbit Deum, Rom. 13: 8. Hebr. 12: 14. Quatenus lucerna est pedibus nostris, & lux semitis nostris, Psal. 119: 104. quatenus perfecta est, convertens animas, & sapientiam dans simplicibus, & exhilarans cor, & illuminans oculos; quatenus docet Dei timorem castum & purum, qui stat in æternum Psal. 19. beati sunt & Christiani illi quorum in ea est meditatio noctes & dies, Psal. 1. Hoc est quod Theologi dicunt, nos a lege morali liberatos esse per Evangelium, quoad rigorem & maledictionem legis, sed manere ei subjectos, eamque adhuc obligare quoad institutionem, & hortationem, seu suavem præceptionem, ut immotam morum regulam, & justitiæ normam.

Caput XI.

De consiliis Evangelicis & operibus supererogationis.

I. Secunda quæstio est, num per legem novam aliquid sit superadditum legi veteri morali? Respondeo: quoad substantiam nihil est superadditum, eadem enim utrobique est constans & perfecta justitiæ regula; sed quoad explicationis claritatem, accessisse fatemur uberiorem veritatis manifestationem, seu evidentiorem legis moralis expolitionem: ut videre est, Matth. 5. & alibi. Quemadmodum per antiquos olim prophetas clariores indies tradebantur expositiones decalogi per Moysen dati, quamvis nihil ei addiderint quoad substantiam. Etsi fatendum est, semper eam fuisse in Dei Ecclesia mensuram manifestationis, quæ pro tempore sufficeret ad hominem perfectè instituendum in tramite justitiæ.

II. Quæ Christus tradit in sermone in monte, *Matth.* 5.
non esse mera consilia, sed propriè dicta præcepta, docet *Augustinus*, tom. 4. in libris de sermone Domini in monte, & Thomas 1a 2æ, qu. 108. art. 3. ad 1m. & art. 4. ad 4m. & fatetur Bellarminus, lib. de monachis, cap. 6. §. *Septimo dicit.* Neque in illo sermone novam fecit legem Christus, antea non latam, sed veterem illam, unicam & perfectam morum regulam, inculcat & enucleat, atque à perversis Pharisæorum aliorumque Rabbinorum glossematis vindicat. Docet præceptis de non occidendo, & non adulterando, imperari etiam internam charitatem, & castitatem, vetarique non solum ultimas perpetrationes operis flagitiosi, sed etiam odium & inconsideratam iram, & linguæ intemperiem, item impudicum etiam aspectum, imo appetitionem. Idem quoad substantiam docetur in veteri Testamento, ubi cordis sinceritas, & puritas, dilectio Dei & proximi non simulata, identidem exiguntur, Lev. 19: 17. 1 Sam. 16: 7. Ps. 5: 10. Ps. 7: 11. Ps. 12. Prov. 4: 23. & 23: 26.
&c. & linguæ lex fertur Psal. 34: 13. &c. Huc *Matth.* 5.
pertinent illa metaphorica, de amputanda ma- 29 30.
nu, & eruendo oculo offendente, hoc est, de cavendo peccato quantumcunque illud carni gratum videatur. Rectè *Augustinus*, in illo sermo-
ne proverbiales loquutiones, quales sunt de *Matth.* 5.
obvertenda percussori etiam altera maxilla, & 39. 40.
de concedendo etiam pallio raptori tunicæ &c. agnoscit esse præcepta quædam propriè dicta, non autem nuda consilia, & præcepta esse *ad præparationem cordis, non ad ostensionem operis*, hoc est, ut paratus sis potius dextram manum aut oculum amittere, quam Deum offendere; ut paratus sis novam potius ferre, quam privatæ vindictæ cupiditate ulcisci acceptam injuriam. Christus civilem illam & temporariam toleratio-
nem

nem repudii ostendit non patrocinari, in foro conscientiæ, iniquitati eorum qui innocentes dimittunt conjuges; legem conjugii in primæva sua integritate stare jubet, nihil addens, neque quicquam demens legi morali veteri de conjugio. Vide Matth. 19. Abutebantur Rabbini præcepto illo quo prohibebantur perjuria per nomen Domini, Levit. 19: 12. ac si per creaturas temere jurare & pejerare non esset illicitum: hanc *παρερμηνείαν* tollit Dominus, & docet eam esse mentem legis, ut caveantur omnia temeraria juramenta, etiam per creaturas, ideoque extra casum necessitatis non esse omnino jurandum, in casu autem necessitatis noverant adhuc ipsi Rabbini usurpandum solius Dei nomen, ut præceptum est, Deut. 6: 13. unde illæ adjurationes, Matth. 26: 63. Joan. 9: 24. non esse autem simpliciter prohibita omnia juramenta, patet 2 Cor. 1: 23. Gal. 1: 20. Hebr. 6: 16. Veteres etiam perperam interpretabantur legem illam talionis, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, Exod. 21: 24. ac si commendaretur illic privata ultio; ideo hanc legem docet Christus pertinere non ad privatos, juxta legem, Lev. 19: 18. sed ad publicum magistratum, cujus partes sunt, vindictam Dei exercere; privatos vero tantum abesse debere à retalianda injuria, ut potius novam perferre parati sint. Abutebantur Pharisæi speciali illo mandato Dei de abolendis Amalekitis, Exod. 17: 14. 1 Sam. 15. & de non quærendo bono Ammonitarum, aut Moabitarum, Deut. 23: 6. quæ specialia erant mandata, & politica, nec non aliquo modo figuralia: hinc sinistri interpretes Rabbini colligebant universalem regulam moralem, contrariam legi morali à Deo latæ; illi dictabant diligendos quidem esse amicos, at inimicos odio habendos, quo suo placito discedebant ab imitatione patris cœlestis, & ad profanarum gentium impia commenta se applicabant; Deus enim jussit cibum potumque porrigere inimico esurienti, & sitienti, Prov. 25: 21. asinumque ejus aut bovem errantem reducere, & succumbente sub onere asino ejus, opem ei ferre, Exod. 23: 4, 5. Christus legem, pro munere suo Prophetico, interpretans, idem repetit, diligendos scilicet inimicos, & benefaciendum etiam eis qui oderunt nos, &c. Hoc enim esse necessarium officium omnium filiorum Dei. Ex his patet, nihil hic superaddi legi veteri morali.

III. At consilia saltem de continentia, & paupertate, & obedientia, addita esse in Novo Testamento, clamant Pontificii. adjiciunt Rhemenses Consilium de abstinentia à vino & à carne, in Matth. 19: 12. Consilium verò appellant opus bonum, in Novo Testamento non imperatum, sed monstratum & commendatum, cujus omissio nullam meretur pœnam, præstatio autem meretur singularem quendam supra alios, sola mandata divina præstantes, gradum gloriæ, quem *aureolam* vocant. Hæc sunt quæ appellant *opera supererogationis*, & verè meritoria vitæ æternæ & gloriæ singularis, & conducentia ad satisfactionem pro peccatis. consilia ista vocant perfectionis. *Bellarm.* de Monachis, capp. 6, 7, 8, 9, &c.

IV. In sacris literis Dei consilium, (Hebraicè עֵצָה, Græcè βουλή) nusquam opponitur præcepto divino: aliquando quidem significat Dei decretum, Psal. 33: 11. Ephes. 1: 11. Sæpe autem pro ipso præcepto usurpatur, Ps. 107: 11. Prov. 1: 25. Luc. 7: 30. Apoc. 3: 18. Apostolus quidem 1 Cor. 7: 25. à divino mandato distinguit suum judicium, *τὴν γνώμην*, quæ vox etsi in Vulgata editione Latina vertitur *consilium*, propriè tamen significat sententiam de re aliqua. At nihil inde efficitur pro Romanensium doctrina de Evangelicis consiliis: Non enim dicit illud esse Dei consilium, licet hominis habentis Dei Spiritum, neque proponit præmium æternam aureolam, sed pro tempore immunitatem ab oneribus & curis matrimonialibus.

V. Thomas, 1ma 2dæ qu. 108. art. 4. & alii, sic explicant rationem consiliorum. Homo ex spirituali & corporali constans natura, inter res hujus mundi & bona spiritualia constitutus est; à bonis spiritualibus avocatur appetitione rerum mundanarum immoderata: res autem in hoc mundo quæ hominem à spiritualibus bonis impedire possunt, sunt præsertim divitiæ, voluptates seu delitiæ carnis, & honores, ex quorum immoderata appetitione tria existunt vitia, avaritia, luxuria, ambitio: Prima ad concupiscentiam oculorum, secunda ad concupiscentiam carnis, tertia ad vitæ superbiam pertinet. Jam ut vitia ista caveantur, non præcipit Deus abjicere prorsus divitias, abstinere penitus ab omni voluptate, omnem defugere honorem; Nam & his rebus rectè uti licet, iisque non obstantibus ad æternam perveniri potest felicitatem: qui tamen compendio ad gloriam adspirant, & ad singulares anhelant aureolas, etiam quod præcepto facere non tenentur, faciunt libera charitate, hæc tria totaliter, quoad viatori possibile est, derelinquentes, quo melius & expeditius propositam finem consequantur, quod pertinet ad consilia Evangelica: in quibus etiam tribus fundatur omnis religio, quæ statum perfectionis profitetur: nam divitiæ abdicantur per paupertatem; delitiæ carnis per continentiam perpetuam; honores per obedientiæ servitutem; Ideo hæc consilia perfectionis appellant, & qui ista voverint, in statu dicuntur perfectionis, & hujusmodi abdicationes dicuntur opera supererogatoria, & indebita, tantoque magis meritoria. In hanc sententiam *Thomas* & *Bellarm.* locis citatis de origine disserunt & natura consiliorum Evangelicorum.

VI. Pergit autem *Bellarminus*, & quatuor proponit discrimina inter præceptum divinum, & consilium. 1. ex parte materiæ. 2. ex parte subjecti. 3. ex parte formæ. 4. ex parte finis.

VII. Ex parte materiæ duo ponit discrimina. 1. ait materiam præcepti esse faciliorem, consilii difficiliorem: facilius quippe esse conservare conjugii fidem, quam abstinere à conjugio. at meminisse debebat *Bellarminus* discriminis ex parte subjecti, quod præceptum commune sit omnibus, consilium non item. Jam autem certum est, facilius esse habenti illud donum, abstinere à conjugio, quam omnibus hominibus parere præcepto de non committendo adulterio, hoc est, animum, oculos, linguam, totamque conversationem incontaminatam conservare. & rectè *Paulinus* Nolanus, epist. 26. ad *Sanctum* & *Amandum*, ait, difficilius esse renunciare vitiis, quam divitiis; ingenita quam apposita separare; intus infixa divellere, quam affixa extrinsecus rejicere. 2. Alterum discrimen ex parte materiæ statuit *Bellarminus*, quod materia præcepti bona sit, consilii melior & perfectior, loquendo de præceptis quæ circa eandem materiam versantur, circa quam versantur consilia: consilium enim includere præceptum, & aliquid supra præceptum addere. At verò hoc non est opponere præcepto consilium, quomodo illud nunc intuemur. Consilii enim materia propria, secundum Romanenses, est opus non imperatum, sed demonstratum, non mandatum sed commendatum; præcepti verò materia est opus mandatum & imperatum.

VIII. Præ-

VIII. Præterea excellentiorem esse præcepti materiam, sic ostendo: ea est excellentior materia quam est consilii materia, ad quam, tanquam ad finem propter quem, ipsa consilii materia refertur, ut aliquid instrumentale, cujus bonitas omnis ex fine æstimatur. Atqui ad præcepti materiam, puta charitatem, seu dilectionem Dei & proximi, dirigitur materia omnis consilii, tanquam ad finem &c. ergo. Major per se manifesta est: omnis enim mediorum bonitas pendet à fine, propter quem solùm media qua talia appetenda sunt: Minor probatur ex *Bellarmino*, lib. de monachis cap. 6. qui ait, monachos cum omnibus suis votis nihil aliud cupere quam perfici in charitate; & ex Thoma, 2a. 2æ. qu. 184. art. 3. ubi ait, perfectionem Christianæ vitæ principaliter & essentialiter consistere in præceptis, eorumque materia charitate; in consiliis verò & eorum materia non nisi secundariò & instrumentaliter, quatenus videlicet consilia ad præceptam charitatem ordinantur. Apostolus etiam docet, sordere omnia quantumcunque speciosa nostra opera, si separentur à charitate. 1 Cor. 13: 3.

IX. Ex parte autem subjecti *Bellarminus* hoc ponit discrimen, quod præceptum commune sit omnium, consilium non item. Hinc colligimus contradictionem in doctrina *Bellarminiana*: nam eodem libro de Monachis, cap. 31. contendit posse omnes continere, si velint, & omnes posse capere hoc verbum: jam verò si omnes possunt capere hoc verbum, omnibus datur consilium, *qui potest capere capiat*. Sin autem consilium non sit commune omnium, sicut asserit *Bellarm.* cap. 7. illius libri, necessariò sequitur, non posse omnes capere hoc verbum. *Matth. 19: 12.*

X. Ex parte formæ, discrimen ponit *Bellarminus*, quod præceptum vi sua obliget, consilium in arbitrio hominis positum sit. Omnia autem consilia in casu esse in præcepto, monet *Thomas*, quolib. 12. art. 29.

XI. Ex parte finis, sive effectus, sic distinguit *Bellarminus*, quod præceptum observatum habeat præmium, non observatum habeat pœnam; Consilium autem si non servetur, nullam habeat pœnam; & si servetur, majus habeat præmium, id est, ut ipse cap. 6. & 9. interpretatur, quod observatio consilii sit verè meritoria vitæ æternæ, & conducat ad satisfactionem pro peccatis, & singularem & excellentiorem quendam supra eos, qui sola observant præcepta, gradum gloriæ mereatur. *Lib. de monachis.*

XII. Nullum verò tale consilium in scripturis reperiri, sic demonstramus; quia observantibus præcepta divina nihil deest ad summam perfectionem moralem; summa enim perfectio charitas est, charitatis autem summus gradus præcipitur, quo altior viatori non contingit: quod his argumentis probatur. 1. Altior charitatis gradus nullus est quam ur verè perfectam in nobis habeamus dilectionem Dei; qui autem observant præcepta Dei, habent verè perfectam in se dilectionem Dei, 1 Joan. 2: 5. ergo qui observant præcepta Dei, summum habent charitatis gradum, quo sublimior viatori non contingit. Sed occurrent fortassis, inani sua distinctiuncula perfectionis, in eam quæ est necessaria simpliciter ad salutem assequendam, quam necessitatem præcepti vocant, eamque constituunt in plena observatione mandatorum, & in eam perfectionem, quæ necessaria est non ad salutem simpliciter, sed ad excellentiorem gloriæ gradum in regno cælorum; quam perfectionem consistere ajunt in observatione consiliorum; hanc & consilii perfectionem vocant, & perfectione præcepti majorem esse asserunt: de illa loquutum esse Dominum, Matth. 5. vers. ultimo, de ista Matth. 19: 21. Respondeo; nos etiam distinguere solemus moralem perfectionem hominis Christiani, in eam quæ est omnibus necessaria ad salutem simpliciter, quæ est omnium etiam plebejorum qui salvantur perfectio, sine qua nemo videbit Deum; & eam quæ non est ad salutem omnibus simpliciter necessaria, sed tantum in vocatione aliqua certa constitutis, qualis est perfectio in pastoribus & doctoribus requisita, 1 Tim. 4: 12. &c. & in iis quibus plura data sunt, ab his enim plura etiam reposcentur, Luc. 12: 48. pro mensura quidem gratiæ & obedientiæ in hac vita, majori etiam ornantur gloria in vita futura, ut patet ex parabola talentorum, Matth. 25. Luc. 17. & 1 Cor. 3: 8. Sed & reposcetur ab illis major mensura obedientiæ, Luc. 12: 48. nisi igitur plus aliis præstent, non salvantur: infidelitatis enim rei tenebuntur, nisi resipiscant; si autem plus præstiterint quam alii, id est, si fideles comperiantur, vitam æternam gloriosiorem consequentur. Utraque igitur pars hujus nostræ distinctionis ad perfectionem pertinet præcepti. *Bellarminiana* vero distinctio perfectionis in utroque membro erronea est; in priori membro falsum est, plenam mandatorum observationem in nobis ipsis esse simpliciter necessariam ad salutem; quotusquisque enim vel quis omnino (hominum in peccato conceptorum) plenè observat mandata Dei? Si dicimus, nos peccatum non habere, decipimus nos ipsos, & veritas non est in nobis 1 Joan. 1: 8. peccatum verò est legis transgressio. 1 Joan. 3: 4. In posteriori membro falsum est, in observatione consiliorum, ut vocant, majorem reperiri charitatis perfectionem, quam in observatione præceptorum, & meritoriam excellentioris gloriæ: ut patebit ex argumentis sequentibus. *Eccles. 7: 20. Vide Instruct. Historico-Theol. lib. 8. cap. 2. §. 3. & cap. 24.*

XIII. Secundum nostrum argumentum contra Papistica consilia, est; Per quam observationem ita manemus in dilectione Christi, sicut Christus mansit in dilectione Patris, in ea summus est charitatis gradus; atqui per observationem mandatorum Christi sic manemus in dilectione Christi, sicut Christus mansit in dilectione Patris; ergo in observatione mandatorum summus est charitas gradus. Major patet; Christi enim exemplo, ejusque imitatione, nulla major perfectio; Minor exstat in illis Christi verbis, Joan. 15: 10. *Si observaveritis mandata mea, manebitis in charitate mea, sicut ego mandata Patris mei observavi, & maneo in ipsius charitate.* Huc referenda sunt etiam illa Christi verba, Joan. 14: 31. *ut cognoscat mundus quod diligo Patrem, & sicut mandavit mihi Pater, ita facio.*

XIV. Tertium argumentum; Illa charitas, in qua consistit perfectio, qua perfecti sumus sicut Pater Cælestis, summum habet in se charitatis gradum; altior enim gradus ne cogitari quidem potest. at in charitate præcepto imperata consistit illa perfectio, qua perfecti sumus sicut pater noster cælestis. Matth. 5: 48. ergo. comparatio perfectionis nostræ cum perfectione Dei & Christi instituitur secundùm similitudinem, & competentem imitationem ac conformitatem, non autem secundùm æqualitatem seu paritatem. & hæc ipsa similitudo latitudinem habet, ita tamen ut summus ejus gradus non transcendat imperatam charitatem.

XV. Quartum nostrum argumentum est; Illa perfectio, unde plenitudo gaudii ipsis promittitur Apostolis, seu de qua summè gaudendum erat ipsis Apostolis, perfectissimum in se continet cha-

charitatis gradum: at perfectio præcepti fuit, unde plenitudo gaudii &c. Joan. 15: 11, 12. ergo.

XVI. Quintum nostrum argumentum est; Dilectione ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione, ex omnibus viribus, & dilectione proximi ut sui ipsius, nulla potest esse major dilectio. Atqui dilectio imperata est dilectio Dei ex toto corde &c. Ergo dilectione imperata nulla potest esse major dilectio. Major manifesta est: significat enim dilectio illa ex toto corde, ex tota anima, dilectionem dupliciter perfectam, nempe tum partium, tum graduum perfectionem: quamvis autem dilectione ex toto corde, quoad solam perfectionem partium consideratâ, possit dari multò major perfectio, nempe in perfectione graduum; simpliciter tamen dilectione ex toto corde, (prout ea tum partium, tum graduum dilectionem complectitur) nulla cogitari potest major dilectio. Perfectio partium etiam in hac vita reperitur, est enim nihil aliud, quam sinceritas charitatis ἀνυποκρίτου, Deut. 30: 2. Jer. 24. 1 Reg. 14. 2 Reg. 23. Psal. 119: 10. quæ testimonia inscitè adduxit *Bellarminus*, lib. de Monachis, cap. 13. ut probaret legem Dei perfectè impleri posse in hac vita, & majorem etiam reperiri posse in viatoribus charitatem, quam sit imperata illa de diligendo Deo ex toto corde; imprudenter vel impudenter confundens & convolvens perfectionem graduum, cum perfectione partium: a qua amentia tantum abfuit *Augustinus*, ut rectè asseruerit, præceptum hoc non nisi in patria cælesti perfectè adimplendum. *Aug.* de spiritu & litera, cap. ultimo, & lib. de perfectione justitiæ. Quem secutus est *Bernardus*, sermone 50. in Cantic. & *Thomas Aquinas*, 2a 2æ. qu. 184. art. 3. ubi ait, dilectionem Dei & proximi cadere sub præcepto non secundùm aliquam mensuram, ita ut aliquid remaneat charitatis quod consilio commendetur.

XVII. Sextum nostrum argumentum; *Thomas* 2a 2æ. qu. 184. art. 7. ait, perfectiorem esse statum Episcoporum, animas pascentium ex officio, juxta Dei mandatum, propter hanc ipsam animarum curam, quamvis proprias res habentium, & retinentium; quàm monachorum, qui bona omnia sua terrena abdicaverunt: nihil enim prohibere, statum perfectionis esse sine abrenunciatione propriorum, idemque dicendum de aliis exterioribus observantiis.

XVIII. Object. Dices, nullumne igitur opus bonum cadit sub consilio, adeo ut nihil boni præstare queamus, cujus omissio careret peccato, puta, largiorem vel parciorem eleemosynam dare, sæpius vel rariùs in lege Dei meditari, & de ea cum proximis sermones cædere, &c.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 10. cap. 7. §. 6. Respond. Nullum opus bonum est moraliter sine charitate. & ex mensura charitatis æstimatur operis cujusque bonitas: uniuscujusque operis charitas seu moralis bonitas necessaria est, neque omitti potest absque peccato; at externus actus non semper est necessarius, sed libertati hominum sæpe relictus, modo nihil decedat charitati, qua Deum ex toto corde, & proximum propter Deum diligere tenemur, non verbo solum, & lingua, sed opere & veritate. 1 Joan. 3: 17, 18. charitas enim præscribit genus officii, sed non determinat certum numerum aut mensuram actuum externam. Ista enim variant pro circumstantiis personarum, locorum, temporum, &c. quam varietatem judicio discretionis, non autem defectu charitatis, sed salvo officio charitatis existentem, ipsa approbat charitatis lex. Atque hæc pauca ex multis sufficiat protulisse argumenta, contra commentitiam illam consiliorum Papisticorum perfectionem. *Finis rei est, his omnibus auditis, Deum time, & præcepta ejus observa, quia hoc est totum hominis.* Eccles. 12: 15.

CAPUT XII.

Vindiciæ Scripturarum, quas pro sua doctrina de Consiliis Evangelicis, & operibus supererogationis, adducunt Romanenses.

I. ADVERSARII pro sua sententia abutuntur aliquot scripturæ testimoniis, quæ nunc vindicanda sunt. Primo; Esai. 56. *Non dicat Eunuchus, ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & servaverint fœdus meum, dabo iis in domo mea & muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus* (seu ut *Bellarm.* ex Hebræo vertit, *nomen bonum præ filiis & filiabus*,) *nomen æternum dabo iis quod non peribit.* Nihil hinc erui potest pro causa Pontificia. Solatur enim Deus apud Prophetam Eunuchos, ne necessaria sterilitate, quæ in Dei populo olim ignominiosa erat, & maledictionis instar, contristarentur; daturum se iis nomen pollicetur Deus, dummodo fœderi ejus adhæreseant, longè durabilius quam sit nomen posteritatis carnalis. quemadmodum eodem cap. solatur alienigenas, promittitque iis locum in domo sua sancta; juxta illud Apostoli, *Neque Judæus, neque Græcus, neque servus, neque liber, neque mas, neque fœmina, sed omnes unus in Christo Jesu.* Gal. 3: 28. Jam sicut alienigenæ naturales & necessariò tales, hoc est, gentiles, ita & Eunuchi necessariò steriles intelliguntur. Quod autem inde contendunt adversarii, commendari istos Eunuchos ab opere quodam supererogationis, seu consilii, eo quod dicantur eligere quod vult Deus, puerile est, acsi electio non esset obedientia præcepti: *Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas, ipse est enim vita tua*, Deut. 30: 19, 20. quod autem nomen æternum interpretantur singularem gloriam, supra alios Dei filios & filias, alienum est: quis enim nescit, æternum nomen omnibus Dei filiis & filiabus, sive conjugatis, sive Eunuchis, esse promissum. Porro addunt de suo nomen *Dei*, dum filios & filias interpretantur filios & filias *Dei*: quamvis huic interpretamento diffisus *Bellarminus* fateatur verba Hebræa optimè recipere hunc sensum: dabo illis qui carent liberis, aliquid melius quam sit habere liberos, quomodo etiam verterunt 70. interpretes, δώσω αὐτοῖς τόπον ὀνομαστὸν κρείττω υἱῶν καὶ θυγατέρων.

Esai. 56: 3, 4, 5.

II. Secundum testimonium est, Sapient. 3. *Fœlix sterilis & incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto, habet fructum in respectione animarum sanctarum, & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, neque cogitavit contra Deum nequissima, dabitur enim ei fidei donum electum*, (id est, glossatore *Bellarmino*, bonum quoddam singulare respondens fidelitati ipsius,) *& sors in templo Dei. bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidit radix sapientiæ.* Hinc nullum elicit argumentum *Bellarminus*, nisi quod locum hunc similem esse superiori doceat *Hieronymus*: Atqui, si *Hieronymum* audimus, non est hujus libri idonea autoritas ad confirmationem dogmatum fidei, *Hieronym.* præfatione in lib. Solomonis.

Sapient. 3: 13, 14, 15.

lomonis. Sed ut autoritatem hujus libri, de quo alias diximus, mittam faciamus, & de glossemate illo *Bellarmini* nonnihil dicamus, quærendum, ubinam in hoc textu reperiatur opus consilii. Comparat enim autor libri steriles mandata Dei observantes, cum adulteris prolificis & fœcundis, & beatiores pronunciat observatores præceptorum Dei, quamvis steriles, quam transgressores, etiam fœcundos. quemadmodum *Eccl.* 4:13. *Prov.* 16: 8. & 19: 1. *Solomon*, puerum sapientem anteponit Regi provecto & stolido; pauperem justum diviti injusto. Christus in Evangelio unoculum qui salvatur, beatiorem pronunciat illo qui duos habens oculos damnatur; claudum & mancum qui salvantur, habentibus pedes & manus satis vegetas, qui damnantur: mendicum Lazarum pium & ulcerosum, diviti impio & corpore sano. Si verò adversarii verba illa, quibus incoinquinata esse & nescisse torum in delicto dicitur hæc, quæ felix pronunciatur, & quibus spado non operatus esse iniquitatem, neque cogitasse contra Dominum nequissima asseritur, si, inquam, ista verba interpretentur adversarii de cœlibatu seu abstinentia à toro conjugali, jam docent doctrinam dæmoniorum, & in Deum nuptiarum autorem contumeliosi sunt, atque Apostolo apertissimè contradicunt, clamanti, honorabiles esse nuptias in omnibus, & torum immaculatum, Hebr. 13:4.

Matth. 13: 8, 23. III. Tertium testimonium est, Matth. 13. ubi Dominus comparat regnum Cœlorum, idest, Ecclesiam, terræ bonæ, cujus una pars reddebat fructum centesimum, alia sexagesimum, alia trigesimum. Hac parabola distingui ajunt meritum casti conjugii, viduitatis, & virginitatis: ad conjugium referunt fructum tricesimum, ad viduitatem sexagesimum, ad virginitatem centesimum. Resp. Ut taceam expositionem istiusmodi conjecturalem non esse sufficienter argumentativam; *Augustinus* etiam non multum tribuit isti conjecturæ: postquam enim hanc conjecturam proposuisset, libro de sancta virginitate, cap. 44. à *Bellarmino* citato, statim subjungit sequenti capite, hæc verba: *Sed quicquid*, inquit, *significet fœcunditatis illa diversitas, viderint qui hæc melius quam nos intelligunt*. *Vide superius, cap.* 11. §. 12. Deinde alias adnectit conjecturas. Certè negari non potest, istas graduum differentias in ipsa virginitate, vel inter viduas, vel etiam in conjugatis inveniri: nec esse ullum trium istorum fertilitatis graduum uni hominum ordini peculiarem, ita ut ab ista diversitate excludantur alii ordines. *Luc.* 8: 8. Et in Evangelio Lucæ, absque mentione istius diversitatis, de terra bona simpliciter dicitur, quod fructum ferat centuplum. quamvis facta fidelium collatione inter se, in quolibet vitæ genere, sive virginali, sive viduali, sive conjugali, alii præ aliis fructus ferant uberiores. Ea est autem Dei bonitas, ut omnes clementer suscipiat. *καὶ ἐνταῦθα δὲ πολλὴ ἡ Φιλανθρωπία, ὅτι οὐχ' ἓν ἀπαιτεῖ μέτρον ὁ Θεὸς ἀρετῆς, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρώτους ἀποδέχεται, καὶ τοὺς δευτέρους οὐκ ἐκβάλλει, καὶ τοῖς τρίτοις δίδωσι χώραν*, inquit *Joannes Chrysostomus* in cap. 13. Evang. Matthæi, homil. 44. id est, Et hic quidem multa Dei erga homines dilectio cernitur, quod Deus non eandem postulat virtutis mensuram: sed & primos suscipit, & secundos non rejicit, tertiis etiam dat locum.

Matth. 19: 10, 11, 12. IV. Quartum testimonium, Matth. 19. quum Apostoli dixissent, *non expedit ergo nubere*, Dominus ait, *non omnes capiunt verbum hoc: sunt enim Eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, & sunt Eunuchi qui facti sunt ab hominibus, & sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum Cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Resp. Supra docuimus, hoc loco & apud Apostol. 1 Cor. 7. anteponi conjugio cœlibatum, ut meliorem, non moraliter, sed physicè, idest, ut liberiorem statum, in quo pauciora occurrunt avocamenta à rebus spiritualibus, ei qui hoc verbum capere potest. quemadmodum & libertas præfertur servituti 1 Cor. 7:21. & in ipso conjugio uxor fidelis infideli; morigera, humilis, quieta, sedula, contumaci, superbæ, garrulæ, ignavæ; ut constat ex descriptione officii mulicbris passim; beatior etiam est Pater, qui liberos habet sibi obsequentes in timore Domini, & sapientes, quam qui liberos habet *ἀνυποτάκτους*, profanos, & stultos: beatior, inquam, tum quoad hujus vitæ conditionem, tum etiam quoad rerum cœlestium liberiorem meditationem: sed non melior moraliter. quibus autem conveniat illa commendatio, patet ex verbis Domini, dicentis, non omnes capere hoc verbum, sed quibus datum est, Matth. 19:11. Vide dissertationem nostram de cura & residentia Pastorali, cap. 33.

V. Quintum testimonium, item Matth. 19. ubi adolescenti dicitur; *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo.* *Matth.* 19: 21. Hinc exculpere satagunt consilium de Paupertate; atque ita locum interpretantur, aesi juveni asserenti se mandata omnia à juventute servasse, ac deinde quærenti quid ei adhuc deesset, respondisset Dominus, nihil ei deesse ad salutem, unum tamen deesse ad majorem quandam perfectionem, qua supra alios singularem gloriæ gradum mereretur, nempe ut venderet omnia quæ habebat, daretque pauperibus: & hoc esse ajunt consilium, non præceptum: nam (*inquiunt*) si hoc esset præceptum, certè præceptum esset charitatis, at non est; nam charitas non requirit nisi ut diligamus proximum sicut nos ipsos; non ergo requirit ut demus omnia nostra proximis, & nobis nihil servemus: sed satisfacimus ei præcepto si partem demus, partem retineamus. Hæc *Bellarm.* deinde ajunt, consilium istud non illi soli juveni datum, sed omnibus fidelibus qui volunt esse perfecti: id quod probare nituntur 1. testimonio ipsius Domini, Marc. 13:37. *quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* 2. & argumento à pari, sic, quæ Christus dixit alicui ut principi, accipiuntur dicta omnibus principibus, ergo etiam quæ dixit uni tanquam privatæ personæ, intelliguntur dicta omnibus privatis personis. 3. Deinde, quia Apostoli id sibi accommodant, dicentes, *Ecce nos reliquimus omnia.* 4. Adhæc, quia simillimæ sententiæ sunt & ab eodem atque eidem dictæ, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, &, *si vis perfectus esse, vende omnia*, &c. At prior dicta est omnibus, ergo etiam posterior. 5. Idem denique probant exemplis, S. *Antonii*, & S. *Francisci*, qui testibus beato *Athanasio*, & beato *Bonaventura*, à Deo edocti de vero sensu horum verborum, sibi dictum putaverunt, *Si vis perfectus esse, vende omnia*, statimque omnia vendiderunt & dederunt pauperibus.

VI. Contendit autem *Bellarm.* juvenem illum, dicentem se omnia mandata servasse à juventute sua, verum dixisse, perfectè eum observasse mandata Dei: quod inde probare conatur; quia Dominus juvenem intuitus dilexit eum, Marc. 10: 21. Dominus autem (inquit ille) non diligit mendaces: igitur credibile esse ait, eum vera dixisse. atque ita tandem universa disceptatio &

demonstratio unica quam ex scripturis afferunt, pro consilio paupertatis, superstruitur fundamento credibili, id est, probabiliter seu topicè vero. At neque omnibus credibile est hoc fundamentum: nam ut *Hieronymum* taceam & *Bedam*, quos rejicit *Bellarminus*, *Hilario* etiam, qui utroque erat antiquior, & cujus interpretatio verior, falsum visum est. Succedit (inquit *Hilarius*) hic juvenis, requirens, quibusnam bonis operibus vitam æternam habere posset; juvenis iste interrogavit, & insolens fuit, & rursus mœstus est factus. Deinde juvenem hunc ait *Hilarius* formam Judaici populi habere, & in lege insolentis, & nihil præter præcepta Mosis spei exspectantis à Christo: deinde addit; hunc igitur ex lege insolentem, sollicitum de salute, remittit ad legem, ut in ea ipsa, in qua gloriaretur, intelligeret, nihil se exinde recti operis fecisse: verbis enim legis ei Dominus respondit, sed adolescens tanquam populus insolens & glorians in lege confidit, cui tamen obsequutus ex nullo est. (& paulo post.) respondit omnia fecisse à juventute sua, & quærit quid adhuc sibi restet, sed, ut diximus, neque superiora illa egerat, ad quæ remittitur, & in ipsis glorians, tanquam consummatus, hæc loquitur; cui Dominus respondit, vendenda omnia bona sua esse, & danda pauperibus, & tunc eum futurum esse perfectum, habiturumque thesaurum in Cœlis. Respondetur his quidem juveni, pulcherrimo illo ac maximè utili relinquendi seculi præcepto; quo jactura terrenæ substantiæ cælorum opes emendæ sunt; sed in eo quod bona sua vendere & dare pauperibus jubetur, confidentiam legis relinquere admonetur. (& paulo post, explicans verba illa, *Difficile divitem intrare regnum cælorum:*) Habere, criminis non est, sed modus in habendo retinendus est; nam quomodo impertiendum est, quomodo communicandum, si impertiendi & communicandi materia non relinquatur; ergo nocenter magis habere, quam illud ipsum habere, fit crimen; sed periculosa cura est velle ditescere, & grave onus &c. Hactenus *Hilarius*, comment. in Matth. can. 19 In eandem sententiam *Hilario* antiquior *Clemens Alexandrinus*, Stromat. 3. Πῶς δὲ αἰτῶν καὶ λαμβάνων καὶ δανειζόμενος ἀπὸ μηδενὸς ὑπάρχοντος τοῦ ἔχοντος καὶ διδόντος καὶ δανειζόντος; id est, quomodo autem esse poterit petens & accipiens & mutuans, si nullus sit habens & dans & mutuum dans? (paulo post) ὡς οὖν ἐξ ἐναντίων ὁ κόσμος σύγκειται, ὥσπερ ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, ξηροῦ τε καὶ ὑγροῦ, οὕτω κἀκ τῶν διδόντων, κἀκ τῶν λαμβανόντων; πάλιν τε αὖ ὅτ᾽ ἂν εἴπῃ· εἰ θέλεις τέλειος γίνεσθαι, πωλήσας τὰ ὑπάρχοντα δὸς πτωχοῖς, ἐλέγχει τὸν καυχώμενον ἐπὶ τῷ πάσας τὰς ἐντολὰς ἐκ νεότητος τετηρηκέναι· οὐ γὰρ πεπληρώκει τὸ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. τότε δὲ ὑπὸ τοῦ κυρίου συντελειούμενος ἐδιδάσκετο δι᾽ ἀγάπην μεταδιδόναι. καλῶς οὖν πλουτεῖν οὐ κεκώλυκεν, ἀλλὰ γὰρ τὸ ἀδίκως καὶ ἀπλήστως πλουτεῖν, id est, an non aperte indicat, quod sicut mundus componitur ex contrariis, nempe ex calido & frigido, humido & sicco, ita etiam ex iis qui dant, & ex iis qui accipiunt? & rursus cum dixit; si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, refellit eum qui gloriatur, quod omnia à juventute sua præcepta servaverit. Non enim impleverat illud, diliges proximum tuum sicut teipsum. tunc autem ut qui à Domino perficeretur, docebatur communicare & impertiri per charitatem. pulchrè ergo non prohibuit esse divitem, sed injustè divitem esse & inexplebiliter. Similiter *Ambrosius*, præfat. in Psal. 1. Dominus Jesus sciens imperfectum à quo interrogabatur, quibus ad vitam æternam operibus perveniret, respondet ei: Non adulterabis, non homicidium, non furtum facies &c. Deinde dicenti quod fecisset illa omnia, adjecit perfectiora, (id est, perfectionem imperatæ obedientiæ clarius testantia, ut patet ex eis quæ sequuntur) dicens, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. tantumque abesse docuit inter malorum declinationem, & imitationem bonorum, ut nec abnueret, quia illa sibi facilia judicabat. sed quia nec illa ascenderat, ideo ad hæc se aptare non potuit: nam si dilexisset proximum, potuisset pauperibus subsidia sui patrimonii non negare. Hæc *Ambrosius*. Item *Augustinus*, Confess. lib. 13. cap. 19. quærebat dives ille à magistro bono, quid faceret ut vitam æternam consequeretur: dicit ei magister bonus, ut si vult venire ad vitam, servet mandata, separet à se amaritudinem malitiæ atque nequitiæ, non occidat, non mœchetur, non furetur, non falsum testimonium dicat, ut appareat arida, & germinet honorem patris & matris, & dilectionem proximi; feci, inquit, hæc omnia. Unde ergo tantæ spinæ si terra fructifera est? Unde extirpa sylvosa dumeta avaritiæ, vende quæ possides, & implere frugibus, dando pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & sequere Dominum, si vis esse perfectus, iis sociatus, inter quos loquitur sapientiam ille qui 1 Cor. 2. 6.
novit quid distribuat diei & nocti, &c. Hæc *Augustinus*. *Augustini* autem contemporaneus *Paulinus*, Episcopus Nolanus, illa Domini verba interpretatur de venditione internarum etiam divitiarum, necessaria & imperata; ejus hæc sunt verba, epist. 26. ad *Sanctum* & *Amandum*; vade & vende omnia tua: non pecuniam tantùm, & fundos, extraneas facultates, sed etiam animi nostri internas opes, quæ verè nostra substantia est, possidemus; hanc vendere, hoc est, alienare à nobis, tanto major victoria, quanto altior difficultas est, ingenita quam apposita separare, & intus infixa divellere, quam affixa extrinsecus rejicere; si enim seipsum vincit & superat qui renunciat moribus suis, & se abdicat sibi, ut illud fortissimum Dei verbum impleat, *qui perdet* Matth.
animam suam propter me, inveniet eam, &c. 16:25.

His præmissis patrum testimoniis, examinemus nunc adversariorum placita. deinde quid de re tota sentiendum sit, breviter ostendamus.

VII. *Primum eorum placitum est*, juvenem illum, de perfecta sua obedientia gloriantem, verum dixisse, hoc est, perfectè legem implevisse. At verò, si *Clementi*, *Hilario*, *Ambrosio*, *Augustino*, & *Paulino* credimus, mentitus est ille juvenis, ut patet ex modo recitatis Patrum istorum verbis. Accedit fortius argumentum ex ipsis sacris literis, quæ testantur, ex operibus legis non justificari coram Deo, atque adeo neque ad vitam æternam pervenire posse ullam carnem; & quamdiu legi adhærescimus, nil nisi peccati cognitionem, & iræ divinæ ac maledictionis nobis, quippe transgressoribus, incumbentis manifestam revelationem inde haurire; inde enim patescere nostram iniquitatem, & miseriam, ut totus mundus obnoxius sit Deo, qui omnes conclusit sub peccato, ut omnium misereatur, ut omne os obstruatur, & gloriatio excludatur, quam excludit non operum, sed fidei lex: si enim ex lege justificatio, frustra mortuus est Christus: ideo Israel secundum carnem sequens legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenit, quia non ex fide, sed tantum ex operibus legis justitiam quæsiverunt, & ad lapidem offendiculi impegerunt: ignorantes enim Dei justitiam, &

pro-

propriam justitiam quærentes stabilire, justitiæ Dei se non subjecerunt. Rom. 3. & 9. & 10. & 11. Gal. 2. & 3. &c. Juvenis ait, quid faciam, ut habeam vitam æterriam? justitia enim legis est, qui fecerit hæc, vivet in iis. Rom. 10: 5. respondit Christus, remittendo eum ad hanc ipsam legalis justitiæ regulam; servanda videlicet illi
Rom. 3: 20. esse mandata, si faciendo seu per justitiam operum cupiat vitam consequi æternam, non, quod ex operibus legis justificari possit ulla caro coram Deo, sed ut hominem suæ impotentiæ ex lege convictum, ad seipsum, legis finem, adduceret: quia autem etiam propositis præceptorum legalium verbis, non desiit insolenter cæcutire, & imperitè insolescere, ac falsò de sua perfectione gloriari ille juvenis, ac si perfectam legi obedientiam præstitisset, idcirco Dominus, non ignorans hominis latentem in corde avaritiam, peculiari quodam præcepto, de vendendis omnibus bonis in usum pauperum, detexit imposturam animi sibi frustra blandientis, & in vana justitiæ larva perperam acquiescentis; id quod eventus docuit; ecce enim iste modò justissimus in oculis suis, & in charitate perfectus, suam prodit imperfectionem, & servitutem qua mammonæ serviebat, cujus amore impediebatur, ne Domini impetus per omnia obsequeretur. Argumentum verò quo utitur *Bellarminus*, ut probet juvenem vera dixisse, inane est; nam non solum mendaces, sed & multis etiam aliis modis Deo inimicos diligit Deus, nullo utique ipsorum merito, sed ex mero suo beneplacito, Rom. 5: 8, 10. Præterea, credibile est, juvenem illum, etsi propriæ justitiæ opinione occæcatum, aliquid tamen habuisse sinceri, quod Christo non displiceret, quemadmodum Paulus ait, se ex ignorantia peccasse in infidelitate, & misericordiam esse consequutum. 1 Tim. 1: 13. vide Philip. 3: 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10.

VIII. *Secundum adversariorum placitum* est, quod verba illa Domini (*si vis esse perfectus* &c.) non præceptum, sed consilium contineant. Præceptum enim charitatis, inquiunt, non postulat, ut omnia nostra demus pauperibus, sed satisfaciamus præcepto, quo proximum diligere jubemur sicut nos ipsos, si partem damus, partem retinemus. At verò juvenis iste sua tristitia & inobedientia defectum prodidit debitæ charitatis, ut rectè argumentati sunt *Clemens Alexandrinus*, & *Ambrosius*, & *Augustinus*, locis & verbis supra citatis. Idem charitatis defectus ostenditur hoc argumento: quæ exigit, ut vitam nostram ponamus pro fratribus, illa multò magis postulat abdicationem bonorum externorum; (est enim Ἀνθρώποις ψυχὴ πάντων προτιμιώτερον, uti non inscitè dixit *Heliodorus*, Æthiopicorum lib. 5. cap. 15.) At imperata charitas postulat à nobis, ut vitam nostram ponamus pro fratribus. 1 Joan. 3: 16. ergo multo magis postulat abdicationem omnium externorum bonorum pro fratribus. Si dicant, vitam ponendam, ubi necesse est, non autem citra necessitatem; idem etiam dicetur de abdicatione opum externarum: sin autem asserant, juveni illi necessariam non fuisse pro tempore abdicationem bonorum externorum, nimis sunt absurdi. quis enim nescit, summam esse necessitatem obediendi Christo jubenti? neque minus absoluta sunt, absque ullius adjectione conditionis, verba Joannis, de vita ponenda, quam Christi, de vendendis bonis. Adhæc, ipsius Domini expressum est mandatum, de abdicatione omnium bonorum, necessaria omnibus ipsius discipulis; *qui non abrenunciat omnibus quæ habet, non potest meus esse Discipulus.* Luc. 14: 33. Præterea datum esse illi juveni de vendendis omnibus præceptum propriè dictum, patet ex sequentibus Domini verbis ad discipulos, quibus juvenem illum eorum numero accenset, qui confidunt in divitiis, & hac sua idololatrica confidentia excluduntur à regno Cœlorum. Marc. 10: 24, 25. exclusum esse pronunciat Dominus à regno Cœlorum omnem divitiis fidentem, nisi scilicet resipiscat. Ideo difficile est divitibus ingredi in regnum Cœlorum, quia difficile est divitem esse & non fidere divitiis, imo impossibile apud homines, sive humanis viribus, sed possibile est apud Deum, cui nihil est impossibile; potest enim Deus cum divitiis animum dare ab earum præpostera dilectione liberum, rebusque secularibus omnibus superiorem. *Hilarius* expressè vocat præceptum, & ait jussum esse à Domino juvenem, ut venderet omnia. *Augustinus* & *Paulinus* internorum vitiorum, præsertim avaritiæ exstirpationem, quæ omnino necessaria est, his Domini verbis juveni docent esse imperatam. Denique non dicit Dominus, si potes hoc verbum capere, vende omnia quæ habes; sed simpliciter ait illi; *si vis esse perfectus, vende omnia:* Perfectionem intelligens, qualem sequenti ad discipulos oratione in eo desiderat, necessariam scilicet ad ingressum regni Cœlorum.

IX. *Tertium adversariorum placitum* est, quod his Domini ad juvenem verbis contineatur consilium universale, hoc est, illi non soli datum, sed ad omnes pertinens. de qua re, primo ipsorum argumenta examinemus, deinde quid sentiendum sit, indicemus.

Probant, verba illa ad omnes pertinere, quinque argumentis. I. Ex testimonio ipsius Do- 1.
mini, Marc. 13: 37. *quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Hoc argumentum multis modis vitiosum est. 1. Verba illa, *Vende omnia quæ habes*, non dicuntur Apostolis, sed juveni. 2. Neque omnia quæ Apostolis dicuntur, illa omnibus dicuntur; dictum est *Petro*, ut ad mare proficisceretur, piscem argentum ore ferentem injecto reti extraheret. Matth. 17: 27. duodecim Apostolis dictum est, *In viam gentium ne abeatis.* Item; *infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmonia ejicite.* Item; ne *possidete aurum, neque argentum, neque æs in zonis vestris, neque peram ad iter, neque duas tunicas, neque calceos, neque baculos &c.* Matth. 10. quæ tamen non omnibus dicta sunt. 3. Palam est, Dominum loqui, citato capite, apud Marcum, de communi Christianorum vigilantia, quæ omnibus imperatur; *quæ vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Non ut omnes Apostolicum munus usurparent, sed ut unusquisque in sua statione, secundùm acceptam à Domino ἐξεσίαν, opus suum [τὸ ἔργον αὐτȣ̃] sedulò exsequatur, ut eum Dominus rediens inveniat vigilantem. Marc. 13: 33, 34, 35, 36.

Secundum adversariorum argumentum est à 2.
pari; quæ Christus dixit alicui, inquiunt, ut Principi, accipiuntur dicta omnibus principibus; ut *pasce oves meas*, Joan. 21: 16. ergo etiam quæ dixit uni tanquam privatæ personæ, intelliguntur dicta omnibus personis privatis.

Resp. de sensu verborum Domini apud Jo- *Vid. Instruct. Historico-Theol. lib. 15. cap. 15.*
annem, alias diximus; dicta sunt illa Petro, non ut Principi aut Monarchæ Ecclesiæ, qualem se jactat Papa Romanus, sed ut Pastori gregis Christi, quales erant reliqui Apostoli, eorumque successores, quibus omnibus dicitur, ut

ut gregem Domini pascant. 1 Petr. 5. Act. 20. Quod autem ait *Bellarm.* hæc dicta juveni ut privatæ personæ, aliquid dicit, sed non totum dicit: neque enim simpliciter ut privatæ personæ hæc dicta sunt, sed ut privatæ personæ insolenti, & de suorum operum justitia, apud ipsum Dominum corporaliter & visibiliter præsentem, illo tempore, & illa occasione, falso glorianti, & cæca præsumptione fascinatæ, & mammonæ servitio addictæ, latentibusque avaritiæ laqueis implicitæ, ipsumque Dominum visibiliter præsentem adeunti, & de via operum ad Cœlum ducente percunctanti: quemadmodum *Petro*, ut primario discipulo, cum ipso Domino corporaliter in terris agente præsenti & piscatori dictum est, ut jacto reti argentum è piscis ore allatum daret Publicanis; & Abrahamo dictum est, tanquam personæ singulari, illo peculiari experimento tentandæ & explorandæ, ut filium suum Isaacum immolaret.

3. Tertium argumentum; Simillimæ (*inquiunt*) sententiæ sunt, & ab eodem & eidem dictæ, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, &, *Si vis esse perfectus, vende omnia*: At prior dicta est omnibus, ergo etiam posterior.

Resp. Hoc argumentandi genus infirmum est, & conjecturale, ex collatione incerta duarum diversarum sententiarum. Præterea prior illa sententia, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, non ad omnes simpliciter pertinet, neque enim ab omnibus simpliciter exigitur perfecta legis observatio ad hoc ut consequantur vitam æternam, ita ut nisi legem perfectè præstiterint, excludantur à regno Cœlorum: sed è diverso, dicitur Christianis, Christum esse ἱλασμὸν pro peccatis nostris, credentesque in eum habere vitam æternam. Dicuntur autem ista superbis, & propriam suam justitiam stabilire satagentibus, spreta Dei justitia; ut scilicet, si per opera justificari quærunt, legem perfectè præstent, nulla enim esse bona opera ad vitam consequendam, nisi in legis obedientia. Porro, non sequitur, eodem modo accipiendas esse diversas sententias, quæ ab eodem eidem dictæ sunt; sic enim contra Pontificios sequetur, quia prior sententia de servandis mandatis imperativa est, etiam secundam esse imperativam, de vendendis omnibus; quod etsi verum est, & firmioribus argumentis à nobis supra demonstratum, negatur tamen à Pontificiis. Abrahamo certè ab uno eodemque Deo dictum est, ut perfectus esset, ambularetque coram Deo, item ut filium immolaret. Prius præceptum universale erat, ad omnes se extendens; posterius singulare, ad solum pertinens Abrahamum.

4. Argumentum quartum est; ajunt adversarii, Apostolos putasse id sibi dictum, ut scilicet venderent omnia, eo quod Apostoli responderent
Matth. 19:27. Domino, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.*

Resp. Apostoli, audita misera conditione eorum, qui opibus terrenis affixi Dominum relinquunt, sicut fecerat juvenis ille, ajunt se omnia reliquisse, & Dominum sequutos esse, id est, nullis rerum avocamentis aut illectamentis impediri potuisse, quo minus, omnibus aliis rebus posthabitis, Dominum sequerentur, & illius arbitrio se devoverent, imperiisque addicerent; id quod præcipit Christus omnibus suis discipulis; *qui non odit patrem & matrem & uxorem & liberos & fratres & sorores, præterea etiam & suam ipsius vitam, non potest meus esse discipulus: & qui non portat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Item; *quicunque ex vobis non abrenunciat omnibus quæ habet, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14: 26, 27, 33. Non dicunt Apostoli se vendidisse omnia, & dedisse pauperibus, ut essent perfecti; sed reliquisse omnia, & Christum esse sequutos, hoc est, ut diximus, neque parentum, neque conjugum, neque liberorum, neque amicorum præpostero amore, neque opum mundanarum studio retractos esse à sequendo Christo, quod erat illis factu necessarium; etsi legimus retentam ab illis rerum suarum proprietatem, etiam postquam essent vocati. Ingressus est Jesus in domum Petri, & socrum ejus febricitantem sanavit, Matth. 8: 18. Christus in cruce pendens matrem suam commendavit Joanni Apostolo, & ab illa hora accepit eam discipulus ille εἰς τὰ ἴδια, in sua, seu domum suam. Joan. 19: 27. Christus etiam Apostolis gloriam promittit, eo quod ipsum sequuti sint, posthabitis scilicet omnibus impedimentis. Matth. 19: 27, 28. Nulla ibi mentio venditionis bonorum.

Sumunt quintum argumentum à revelationibus *Antonio* & *Francisco* datis.

Resp. Peculiares revelationes si quas acceperunt, sibi habeant, non enim aliis eas acceperunt. Nos dogmata fidei non superstruimus privatis revelationibus post clausum canonem. Si Angelus de Cœlo aliud nobis prædicet E- Gal. 1: 8.
vangelium, quam quod accepimus, anathema sit. Neque dici potest consilium Evangelicum, quod in Sacris Scripturis Novi Testamenti nusquam invenitur.

Antequam de re tota quid sentiendum sit ostendamus, refellendum occurrit aliud adversariorum commentum.

X. *Quartum adversariorum placitum* est, nomine *thesauri in Cœlo* intelligendum esse singulare aliquod præmium, & excellentiorem supra mandatorum observatores gradum gloriæ cœlestis. Matth. 19: 21. Hoc asserunt, sed non probant. At Dominus noster omnibus præcipit, ut thesaurizent thesauros sibi ipsis in Cœlo, ubi neque tinea neque corruptio officit, neque fures perfodiunt neque furantur. Matth. 6: 20. Opponens scilicet & anteponens cœlestes illas & permanentes divitias hisce mundanis & fluxis: quemadmodum & hoc loco juvenem opulentum alloquens, animum ejus jubet relicto terrenorum thesaurorum amore & cura, ad cœlestes opes attolli, expectandas omnibus iis qui Christum sequuntur: ut ubi thesaurus ejus esset, ibidem esset & cor ejus, videlicet in Cœlo. Matth. 6: 21.

XI. Nunc ostendamus quid sentiendum sit de re tota. 1. Juvenem illum non servasse mandata, neque veriloquum dedisse responsum, supra demonstravimus. 2. Illis Domini verbis [*vende omnia* &c.] ostendimus contineri præceptum propriè dictum. 3. Argumenta adversariorum, quibus consilii, ut ipsi somniant, universalitatem probare nitebantur, profligavimus. 4. Thesauri promissi significationem vindicavimus. id solum restat expediendum, sitne universale illud præceptum, *vende omnia* &c. an vero tantummodo singulare seu speciale, ad illum solum juvenem pertinens. Respondeo præmissa hac distinctione, quam etiam tradit *Thomas*, 2da 2dæ qu. 184. art. 7. ad 1m. abrenunciatio omnium bonorum propriorum consideratur dupliciter; vel in *actu*, ut scilicet quis actu & ipso opere externo exsequatur quod ait Dominus, *vende omnia*, &c. vel *affectu*, sive, ut loquitur *Augustinus*, *secundum præparationem cordis*, ut scilicet homo sit paratus, si opus fuerit,

omnia

omnia vendere, & distribuere potius, quam ulla in parte desit officio hominis Christiani. quemadmodum ait Joannes Apostolus nos debere vitam ponere pro fratribus 1 Joan. 3: 16. non semper *actu*, sed semper *affectu*, in quo propriè consistit perfectio hominis Christiani, ut monet *Thomas* loco citato. Ideo *Augustinus* ait, filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & in temperantia per abundantiam non se corrumpendi, atque opportune sumendi vel non sumendi ea, quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est. (& paulo post) Magis ergo interest, non quid vel quantum alimentorum, pro congruentia hominum atque personæ suæ, & pro suæ valetudinis necessitate quis capiat, sed quanta facilitate atque serenitate animi careat, cum his vel oportet vel etiam necesse est carere: ut illud in animo Christiani compleatur, quod Apostolus dicit, scio & minus habere, scio & abundare, in omnibus imbutus sum, & satiari & esurire; & abundare, & penuriam pati; omnia possum in eo qui me confortat. (& paulò post) Justificatur etiam sapientia ab omnibus filiis suis, qui intelligunt utendis terrenis tempora opportuna esse debere, facilitatem verò carendi talibus & amorem fruendi æternis non variari oportere per tempora, sed perpetuò retineri. Hactenus *Augustinus*, lib. 2. quæst. Evang. cap. 11. quem sequitur *Thomas*; qui ideo non dubitat perfectiorem pronunciare prælatorum statum, quamvis res proprias habentium, statu Monachorum nihil proprii retinentium. Hac præmissa distinctione, dicimus, mandatum illud vendendi omnia, si intelligatur secundum actum, pertinuisse absolutè ad solum illum juvenem; ad alios verò non nisi hypotheticè, nempe in casu necessitatis: quemadmodum mandatum de immolando filio, si ad actum referatur, pertinebat absolutè ad solum Abrahamum, Gen. 22. At verò si intelligatur secundum *affectum* seu *præparationem cordis*, agnoscimus esse universale mandatum, omnes simpliciter & perpetuo obligans; juxta illud, *quicunque ex vobis non abrenunciaverit omnibus quæ habet, non potest esse meus discipulus*, Luc. 14:34. quemadmodum mandatum de immolando filio, relatum ad præparationem animi, omnes semper & absolute obligat, juxta illud, *Si quis venit post me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, prætereà etiam & suam ipsius vitam, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14: 26. Et hanc fuisse verorum Patrum mentem, docent verba eorum superius allegata. Atque hæc de quinto testimonio.

Philip. 4. 12, 13.

XII. Sextum testimonium scripturæ, quo abutuntur adversarii pro commentitiis suis consiliis, exstat eodem capite Matth. 19. in oratione Domini ad eundem juvenem, cui postquam dixisset, *vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo*; continuò addit, *& sequere me*; quibus ultimis verbis contineri ajunt consilium de obedientia. Duo hinc errores refellendi occurrunt; prior adversariorum error est, quod aiunt, hoc esse consilium, non præceptum: quia scilicet dicitur ei soli, qui vult esse perfectus, & cui dictum est; *vende omnia quæ habes*; atqui ostendimus, perfectionem intelligi obedientiæ imperatæ, & Dominum juveni illi imperasse venditionem bonorum. Nihil igitur hinc eruere potuerunt Pontificii, quo probent sequelam istam fuisse consilio duntaxat commendatam, non autem præcepto imperatam: Christus etiam ista conjungit, nempe abrenunciationem omnium, & sequelam Christi, ut necessaria omnibus Christianis; *qui non odit patrem & matrem &c. non potest meus esse discipulus: qui non abrenunciat omnibus quæ habet, non potest meus esse discipulus.* & eodem cap. *qui non portat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*, Luc. 14. Unica est igitur sequela Christi, nempe imperata, ut scilicet sic maneamus in charitate ipsius, observando ejus præcepta, sicut ipse observavit præcepta Patris, & manet in ejus charitate Joan. 15: 10. Alter adversariorum hoc loco refellendus error est de natura hujus sequelæ; nam etsi libenter agnoscimus, in eo consistere sequelam Christi, ut ejus imitemur obedientiam, qua factus est obediens usque ad mortem, Philip. 2. nullam tamen aliam agnoscimus obedientiæ hujus rectam imitationem, quam quæ ab ipso proposita est discipulis, Joan. 15: 10. ut scilicet observemus mandata ejus, sicut ipse observavit mandata Patris. Apex obedientiæ Christi ponitur in perpessione mortis, seu vitæ suæ positione pro ovibus, Philip. 2. Hanc autem obedientiam jussus præstitit; *propter hoc Pater me diligit, quia ego pono animam meam, ut rursus accipiam ipsam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursum sumendi eam. hoc præceptum accepi à Patre meo.* Joan. 10: 17, 18. Quum igitur sequi Christum sit obedientiam ejus imitari, obedientia autem Christi omnis præcepto præstita sit, hinc efficitur, omnem rectam Christi sequelam & obedientiæ ejus imitationem in obedientiæ divinis præceptis mandatæ præstatione consistere. Verba Christi apud Marcum, cap. 10: vers. 21. sunt, ut juvenis iste sequatur post Christum, sublata cruce. at hoc necessarium esse omnibus suis discipulis, monet Christus Luc. 14: 27. & sanè puerile est adversariorum argumentum: Christus, quem sequi tenemur, obediens fuit Deo, & quidem præcipienti, usque ad mortem crucis, indeque nomen supra omne nomen consequutus est; ergo votum simplicis obedientiæ, homini peccatis erroribusque obnoxio præstandæ, est Deo gratius, & excellentioris gloriæ meritorium, quàm est universorum præceptorum divinorum plena observatio, sine tali voto. In hoc argumento sunt plures quam tres termini. Si enim secundùm Logicæ rectas regulas argumentari vellent, esset inferendum hoc consequens, ergo qui Christum sequi vult ad gloriam, tenetur Deo præcipienti obedire, usque ad mortem, etiam ignominiosissimam. Nullus hic locus relinquitur consiliis, & operibus supererogationis: adde quod sacrilegum sit, pretio divini sanguinis redemptos humano se arbitrio mancipare, 1 Cor. 7: 23: homini enim non nisi in Domino, & propter Dominum parendum, id est, propter conscientiam divini præcepti, Ephes. 6: 1. Rom. 13: 5. majorem collocare perfectionem in observatione mandatorum humanorum, & in de gratiorem Deo hominem, & excellentiori præmio digniorem asserere, quid est aliud, quam idololatrico sacrilegio hominem in Dei locum substituere, ipsique Deo contradicere, testanti, frustra se coli secundùm mandata hominum? Matth. 15: 9. Coloss. 2: 22, 23. quæ consolario ex operibus, de quibus dicetur, *quis requisivit hæc à manibus vestris*? Isai. 7: 12. quamvis speciem habeant sapientiæ, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ in superstitione seu cultu voluntario, καὶ ταπεινοφροσύνῃ & humilitate sive submissione animi, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος & ad non parcendum corpori, sive in eo quod corpori non parcant, ad Coloss. 2: 23.

Matth. 19. 21.

Luc. 14. 26. & vers. 33. & vers. 27.

Philip 2. 5, 8.

XIII. Quod

XIII. Quod verò adfert *Bellarminus* de Rechabitarum obedientia, ex Jerem. 35. alienum est. Nam 1. Pontificii in solo Evangelio seu Novo Testamento agnoscunt consilia; ergo non fuit illa observatio alicujus consilii divini. 2. Sepofita consideratione discriminis, quod ponunt inter Vetus & Novum Testamentum, quærendum ex Pontificiis, præceptone divino, an consilio moti Rechabitæ eam Jonadabo parenti suo præstiterint obedientiam; si præcepto moti divino obedierunt Rechabitæ, nihil obtinent Pontificii; si consilio, monstretur nobis illud consilium. 3. Deus quidem eorum obedientiam collaudat, & terreno quodam præmio remuneraturum se promittit, indeque redarguit atque exaggerat populi Israëlitici contra divina præcepta contumaciam; non quod res sit Deo gratior, mandatis etiam hominum, quàm solius Dei imperiis, simpliciter obedire; quod absit. Nam propter Deum hominibus obediendum est, non contra; sed ut ex hac collatione Israëlitarum ingratitudo clarius patescat: quemadmodum brutorum etiam animantium exemplis eosdem convincit, & redarguit. Isai. 1, 2, 3. Jer. 8: 7. & ut placere sibi ostendat Deus prudentis consilii à majoribus accepti prudentem sequelam, non ut meritoriam vitæ æternæ, sed ut sequentibus utilem, & commoditates ad hanc vitam nullo jure contemnendas afferentem, & per consequens etiam adjutricem ad hoc, ut Deo possimus liberius servire; quemadmodum Rechabitæ parentis sui consilium sequuti gratiores erant Israëlitis, faciliusque & liberius unum verum Deum cum illis colebant. Ex his quæ diximus, corruit consilium votumque & meritum Monachalis obedientiæ, pro qua nullum aliud ex scripturis adversarii proferunt testimonium. Accedunt adhuc testimonia *Paulini* & *Thomæ*, quorum ille epist. 26. hic verò 2da 2dæ qu. 184. art. 3. ad 1m *Hieronymum* & *Ambrosium* sequutus, hæc verba, *Sequere me*. Marth. 19: 21. interpretantur de præcepto propriè dicto, in cujus observatione perfectio charitatis imperatæ consistit per se & essentialiter.

XIV. Septimum testimonium est, 1 Cor. 7. ubi aiunt proponi consilium continentiæ, quem locum explicatum dedimus, lib. de cura & residentia pastorali, cap. 33. ubi ostendimus, anteponi conjugio cœlibatum, non ut virtutem Theologicam, sed tantum ut statum, non moraliter, at physicè, meliorem, quemadmodum eodem cap. servituti præfertur libertas, & in ipso conjugio beatior est maritus piæ, modestæ, & sedulæ uxoris, & ad Deo serviendum liberior, quam profanæ, clamosæ, & desidiosæ; beatior item pater cui liberi subditi sunt in timore Domini, quam qui liberorum perversitate affligitur: beatior inquam physicè, licet non melior moraliter.

XV. Octavum testimonium, 1 Cor. 9. quo capite ajunt Apostolum ostendere, se plus fecisse, quam sibi esset præceptum, & propterea singularem gloriam apud Deum meruisse. Nam (*inquiunt*) cum Dominus ordinasset iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere, Paulus maluit gratis Evangelium prædicare, & sic facere opus supererogationis. Resp. Apostolus Paulus eodem cap. & alibi, tum libertatem suam ac jus prædicat, tum rectum ejus usum in sua persona ostendit. Secundum libertatem ac jus illi datum à Domino, debebant auditores, quibus Evangelium prædicabat, suppeditare illi alimenta, aliaque necessaria, poteratque ipse ea exigere; rectum verò usum eum esse ostendit qui non impediat fructum Evangelii, 1 Cor. 9: 12. qui aptior sit lucrandis plurimis, vers. 19. qui non sit imprudens, & intempestivus abusus potius quam usus, vers. 18. qui aptissimus sit & convenientissimus ædificationi audientium, 2 Cor. 12: 19. & convenientissimus ad obstruendum os maledicis & dolosis seductoribus, 2 Cor. 11: 12. qui non excludat prædicatorem Evangelii à communione ipsius Evangelii quod prædicat, 1 Cor. 9: 23, 27. neque etiam præconem Evangelii in penuriæ inevitabilis angustias inextricabiles conjiciat, & necessariorum defectu a muneris pastoralis fideli exsecutione avocet & abstrahat, 2 Cor. 11: 8, 9. &c. Talem autem usum quis neget fuisse Apostolo necessarium? idcirco, etsi Corinthiis Evangelium gratis prædicavit, propter jam jam allatas rationes; ab aliis tamen accepit stipendium, non occurrentibus illis abstinendi rationibus, 2 Cor. 11: 8. Philip. 4: 10, 15, 16, 17, 18. Non erat igitur supererogationis opus, quando gratis Corinthiis Evangelium prædicavit, sed Christianæ prudentiæ, & necessariæ discretionis opus, quo ab omnibus liber existens omnibus seipsum mancipavit, ut plures lucraretur, omnibus factus omnia, ut quovis modo aliquos salvos faceret; quod fecit propter Evangelium, ut comparticeps ejus ipse fieret. Quemadmodum de aliis rebus mediis docuit ipse Paulus, sequenda esse ea, quæ faciunt ad pacem & mutuam ædificationem, ne quis propter cibum destruat opus Dei; quamvis sint omnia munda, malum tamen esse homini per offendiculum comedenti, &c. Rom. 14: 19, 20, 21. Præcipit etiam ne nobis ipsi placeamus, sed ut unusquisque proximo suo placeat ad ædificationem, sicut Christus non sibi ipsi placuit, &c. Rom. 15: 2, 3. Omnia sibi licere ait, sed non omnia conducere, omnia licere, sed non omnia ædificare: unde præcipit ut nemo quærat quod suum est, sed unusquisque quod alterius est, ut sint omnes ἀπρόσκοποι, sine offendiculo, & Judæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei, sicut ipse per omnia omnibus placebat, non quærens suam ipsius utilitatem, sed quod multis utile esset, ut servarentur. 1 Cor. 10: 23, 24, 32, 33. Unde patet, illam Apostoli prudentiam, & ab accipiendo stipendio abstinentiam, de qua legimus 1 Cor. 9. & 2 Cor. 11. & 12. non fuisse indebitam & supererogatoriam, quum eam proponat aliis imitandam, ejusque imitationem præcipiat omnibus, in suis vocationibus.

XVI. Nonum testimonium, quo abutuntur adversarii, est Apocal. 14. ubi vidit Joannes Apostolus in visione, *Agnum stantem super montem Zion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentium nomen Patris agni scriptum in frontibus suis, & canentium canticum novum, quod nemo discere poterat nisi illa centum quadraginta quatuor millia; qui scilicet empti sunt è terra; hi cum mulieribus non sunt inquinati, virgines enim sunt; hi sequuntur agnum, quocunque ierit, hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & Agno, & in ore ipsorum non est inventus dolus, sunt enim inculpati ante thronum Dei.*

Rectè responsum est à Magdeburgensibus, locum hunc debere intelligi mysticè, de iis qui non maculati sunt idololatria Antichristiana, seu fornicatione Babylonis meretricis magnæ, ut constat ex Apocal. 13. ubi describitur malum Antichristianum quod omnia pervasit; statimque initio Capitis 14. commodè & tempestivè subjicitur hæc visio Agni super montem Zion, virginumque eum sequentium; ut sciamus, nunquam defuisse Christo veram Ecclesiam, licet sub

ſub Antichriſti uſurpatione ad tempus latentem. quemadmodum in diebus Eliæ habebat Deus ſibi ſeptem millia à Baalitico cultu pura. hunc verò eſſe ſenſum hujus viſionis patet inſuper ex collatione Apoc. 7: 1, 2, 3. uſque ad verſ. 9. & cap. 9. verſ. 4. ubi idem malum Antichriſtianum & ſub eo conditio Eccleſiæ deſcribuntur. *Ambroſius*, in Commentario in hunc locum, ait non poſſe intelligi hanc viſionem de iis ſolummodo qui virginitatem corporis ſervaverunt; hæc enim dicta eſſe non de ſolis virginibus, ſed de omnibus ſanctis animabus; & virgines interpretatur integras, & ab omni corruptione mundas. Et autor Commentarii in 2 Cor. 11. qui Ambroſio tribuitur, exponens verba illa Apoſtoli Pauli, *Paravi vos uni viro virginem caſtam*, &c. virgines (inquit) vult eos eſſe in fide, unde & corruptores fidei zelatur ab his, ut in die judicii incontaminatos eos aſſignet judici Chriſto. Hinc eſt unde in Apocal. Joannis legitur; *Hi ſunt* (inquit) *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim permanſerunt, hi ſequuntur agnum quocunque ierit.* In mulieribus errorem ſignificavit. (& paucis interpoſitis) ſicut Jezabel mulierem dixit propter uxorem Achab, quæ zelo Baal, Dei prophetas occidit; quum intelligatur idololatria, qua corrumpuntur mores & fidei veritas: nam ſi per mulieres intelligas, ut ideo putes virgines dictos, quia corpora ſua incontaminata ſervaverunt, excludis ab hac gloria ſanctos, quia omnes Apoſtoli, exceptis *Joanne* & *Paulo*, uxores habuerunt: & vide an conveniat accuſare *Petrum* Apoſtolum, qui primus inter Apoſtolos eſt, quanto magis inter cæteros? Hæc ille. *Chryſoſtomus* etiam eadem Pauli verba in ſuo commentario exponens, ait ea omnibus dici, & conjugatis, & non conjugatis. His conſentit auctor Commentarii in Apocal. qui *Auguſtino* adſcribitur: is verba illa interpretans, [*hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati*, &c.] Virgines (inquit) hoc loco non ſolum corpore caſtas intelligamus, ſed maximè omnem Eccleſiam quæ fidem puram tenet, ſicut dicit Apoſtolus 2 Cor. 11. *Deſponſavi enim vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto:* nulla adulterina hæreticorum commixtione pollutam, nec in male blandis & mortiferis hujus mundi voluptatibus uſque ad exitum vitæ ſuæ, abſque remedio pœnitentiæ, infelici perſeverantia colligatam. Præterea non intelligi hîc virginitatem corporalem, ſed ſolam ſpiritualem, quæ omnibus Chriſtianis, tam conjugatis, quam non conjugatis communis eſt, hinc patet; quia incontaminati vocantur, eorumque virginitas pollutioni opponitur: jam verò nefas eſt dicere caſtum conjugium eſſe pollutionem, & torum conjugalem eſſe contaminatum, quem ſcriptura impollutum pronunciat: ut taceam, maſculos ſolum commemorari, per quos myſticè intelligitur Eccleſia Chriſti, in qua neque mas, neque fœmina, ſed omnes unus in Chriſto, una caſta virgo Chriſto deſponſata, conſtans ex maribus & fœminis, conjugatis & non conjugatis, qui tamen ſpiritualiter ſunt unus homo. Epheſ. 4: 13. Gal. 3: 28. & 1 Cor. 12: 12. & 13. &c. & caſta virgo 2 Cor. 11. Epheſ. 5. At corporaliter, quamdiu viatores ſumus, Chriſtiani omnes non ſunt mares, neque omnes virgines Chriſtum ſequentes ſunt mares, neque omnes qui Chriſtum ſequuntur virgines ſunt.

XVII. Adducit etiam pro ſe *Bellarm.* exemplum Chriſtianorum, de quibus legimus Act. 4. quod venditis propriis poſſeſſionibus pretium earum attulerint ad pedes Apoſtolorum. Unde hoc, ait *Bellarminus*, niſi quia audirent Dominum id conſuluiſſe?

Reſp. Fallit *Bellarminus* captione à non cauſa pro cauſa: vera enim hujus communicationis cauſa in textu ſacro apertè proponitur, Act. 4: 34, 35. *Neque erat indigens quiſquam inter illos. qui enim poſſeſſores erant agrorum, aut domorum, vendentes deferebant pretia venditorum, & ponebant ad pedes Apoſtolorum. Fiebat verò diſtributio unicuique prout opus habebat.* Non ergo eligebant voluntariam paupertatem, ſed exigente naſcentis illius Eccleſiæ ſtatu, in qua multi erant egeni, communem ſufficientiam antepoſuerunt privatæ affluentiæ.

XVIII. De iſta κοινωνίᾳ bonorum pauca obſervemus contra Pontificios. 1mo. Non confluebant ſancti in unum aliquod monaſterium, in quo ſeparati ab aliis, & cælibes viverent, ſed in ſuis domibus cum ſuis familiis, non obſtante iſta κοινωνίᾳ, diſtincti habitarunt, Act. 2: 46. 2da Obſervatio hæc eſt: vendebant poſſeſſiones ſuas, non admiratione aut affectatione ultroneæ paupertatis, ut ſtatus per ſe expetibilis, aut perfectionem aliquam in ſe præ divitum ſtatu excellentiorem continentis, hominemve Deo per ſe commendantis, ſed commiſeratione indigentiæ inopum fratrum, ne, ſcilicet, ipſis abundantibus, fratres inopes penuria premerentur; Ideo diſtributio facta eſt, prout unus quiſque opus habebat: cui diſtributioni præerant Apoſtoli, ad quorum pedes depoſita ſunt venditorum pretia: atque hæc diſtributio in uſus neceſſarios indigorum fratrum unicus erat venditionis illius finis: uſus neceſſarios intellige non extremam neceſſitatem, ſed eam indigentiam, quæ fratrum τὸν βίον τοῦ κόσμου habentium benignitatem exigebat: non enim ait καθότι ἄν τις ἀνάγκην εἶχε, prout quiſque neceſſitate premebatur, ſed καθότι ἄν τις χρείαν εἶχε, *prout cuique opus erat.* quamvis neque ad lautitias, neque ad fovendum otium, (ſicut in Monachis fieri cernimus,) ſuppeditata ſit cuiquam eleemoſyna. 3tia Obſervatio; Sancti illi in Eccleſia Apoſtolica, non ita abdicaverunt bona propria, ut nihil ſuis uſibus reſervarent. Neque obtentu relinquendi ſeculi, ad mendicitatem prolapſi ſunt; quod fit ab hujus temporis Monachis, qui plura ab aliis bona ad ſe attrahunt, quibus ſocietates ſuas ditant, & opiparè epulantur, quàm aut vendiderunt, aut quæ venderent, habuerunt; debitaſque infirmis ac neceſſaria paupertate preſſis fratribus eleemoſynas intercipiunt: ſed ita aliis ſubvenerunt, ut ipſi egeſtate non premerentur, neque cuiquam eſſent oneri: nemo enim indigens erat inter ipſos, Act. 4: 34. obſervarunt regulam illam æqualitatis, (proportionatæ ſcilicet) ſcientes Deo gratam eſſe communicationem, non qua alii ſublevarentur, ipſis egeſtate preſſis, ſed, ſecundùm proportionatam quandam æqualitatem, contulerunt datam à Deo illis copiam ad ſublevandam aliorum inopiam. 2 Cor. 8: 12, 13, 14, 15. 4ta Obſervatio; κοινωνία hujuſmodi non eſt arbitraria, aut nudo conſilio commendata, ſed neceſſaria eſt & imperata, Luc. 12: 33. vendite quæ habetis, & date eleemoſynam, 1 Joan. 3; 17. qui habuerit τὸν βίον τοῦ κόσμου, qui habuerit mundanas facultates, & viderit fratrem χρείαν ἔχοντα egentem, & clauſerit viſcera ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Item Rom. 12: 13. ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες. Atque, ut ſupra argumentati ſumus, ſi vitam debemus ponere pro fratribus, 1 Joan. 3: 16. quanto magis externa divendere, ut fratrum inopiæ ſubveniamus? id

quod omnibus externas facultates habentibus semper necessarium est, quoad præparationem cordis: quoad actum verò, sive actualem venditionem, in simili casu, qualis incidebat in primitiva illa & Apostolica Ecclesia Hierosolymitana, est etiam necessarium. Casus autem ille non semper neque omnibus advenit, ideoque nec venditio similis semper requiritur, ut somniarunt hæretici qui se Apostolicos nominabant, teste *Augustino* ad *Quod vult deum*, Hæres. 40. Neque verò illo tempore necessarium erat, ut omnes venderent suas possessiones, ut constat ex verbis Petri ad Ananiam, Act. 5: 4. & ab omnibus factum non esse apparet ex fine capitis quarti, ubi *Barnabæ* exemplum adfertur, ut qui egregiè excelluerit in ostensione charitatis præ aliis multis, vendendo scilicet agrum suum, ejusque pretium ad Apostolorum pedes ponendo; ut illud quod legimus, vers. 34. ejusdem capitis, *quotquot enim possessores* &c. intelligendum sit de venditione à quibusdam inchoata, ita exigente fratrum inopia, qua sublata, non erat necesse ut omnes alii idem facerent: qui autem fecerunt, nihil indebitum fecerunt, si intuearis non tam humanum forum, ubi externa facultatum proportio tantummodo spectari solet, quam divinum judicium, in quo spectantur interni motus, dispositiones, & oportunitates omnes, per quas reducitur venditio ista ad executionem mandati illius divini, quo jubemur communicare necessariis usibus ταῖς χρείαις sanctorum, & hoc fine vendere quæ possidemus, & dare eleemosynam, Rom. 12: 13. Luc. 12: 33. 5ta. Observatio; Non licet euiquam ostentu κοινωνίας seu alienationis bonorum suorum, ut pauperibus succurrat, ἀτάκτως vivere, id est, otio se dedere, & in manifestam vel penitus carendi alimentis & necessariis, vel ab aliis eadem emendicandi necessitatem se conjicere, aut suorum, quorum illi à Domino commendata cura est, necessitates negligere, aut Ecclesiam Dei absque necessitate onerare ad eos alendos. 2 Thess. 3: 10, 11, 12. 1 Tim. 5: 8, 16. Matth. 15: 5, 6.

Vide lib. 3. cap. 6. §. 11.

XIX. Profert etiam *Bellarminus* ex eodem Actorum libro, cap. 21. exemplum filiarum *Philippi* Evangelistæ. *Lucas* enim ait, *Philippo* fuisse filias virgines quatuor Prophetrias, quas ait *Bellarminus* ex electione perpetuam conservasse virginitatem, & pro se adducit testimonium *Polycratis*, apud *Eusebium*, Hist. Eccles. lib. 3. cap. 31. sed impudenter fallit, aut miserè hallucinatur ipse *Bellarm.*, si ex illa *Eusebii* narratione effecturum se speret quod intendit. Nam *Eusebius* libro illo citato, cap. 30. refert ex *Clementis Alexandrini* Stromat. 3. *Philippum* Evangelist. filias suas viris collocasse in matrimonium. Postea, cap. 31. ex *Polycrate* Ephesii ad *Victorem* Romanum epistola, refert duas ex *Philippi* filiabus virgines in extrema senectute occubuisse. Hanc narrationem arripit *Bellarm.* ut probet, omnes quatuor *Philippi* filias in virginitate consenuisse: contra *Clementis* & *Polycratis* & *Eusebii* manifestam mentem. *Polycrates* duas dicit, non omnes quatuor consenuisse in virginitate: *Clemens* ait *Philippum* elocasse in matrimonium filias, id est, minimum duas: an verò plures, nempe tres, aut omnes quatuor, elocaverit, necne, ex *Clementis* narratione constare nequit: utriusque igitur, tum *Clementis*, tum *Polycratis*, collatis relationibus, nulla inter eas invenietur repugnantia; duas enim videbimus ex *Philippi* filiabus permansisse virgines, alteras verò duas nupsisse viris, quas tamen prophetissas minus quam earum sorores dilexisse Deum, aut minus à Deo dilectas esse, aut non pari cum sororibus ardore ad summam in Cœlo gloriam adspiravisse, dicere absurdum est.

XX. Atque hæc de testimoniis, & exemplis, quæ ex Scriptura proferunt adversarii, pro commentitiis suis perfectionis consiliis. Ex quorum testimoniorum & exemplorum vindiciis palam fecimus, nullam in sacris Scripturis Veteris aut Novi Testamenti inveniri aliam morum nostrorum regulam imperatricem, aut consultricem, nisi legem Dei moralem de charitate necessaria, ejusque officiis.

Caput XIII.

Ad Legem moralem quæ pertineant: & de partitione Decalogi.

I. Ad Legem Dei moralem, sive perpetuam morum humanorum regulam, pertinent non solum decem illa verba, à Deo in monte Sinai pronunciata, audiente universo populo Israëlitico, sed etiam quæcunque reperiuntur in sacris Veteris & Novi Testamenti voluminibus universalia & perpetua de moribus præcepta, (universalia, inquam, saltem quoad certum quendam ordinem, quomodo quædam sunt præcepta data universaliter omnibus principibus, quædam omnibus maritis, &c.) omnesque institutiones per exempla, & id genus alia, quæ permanentium legum vim habent. Quorum omnium duplex summa in Scriptura proponitur. Una est bimembris; de diligendo Deo ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione, ex omnibus viribus: quod est primum & maximum mandatum, aliorumque omnium fundamentum; Deut. 6: 5. Matth. 22: 37, 38. & de proximo diligendo sicuti diligimus nos ipsos. Levit. 19: 18. quod est mandatum simile priori, Matth. 22: 39. officiumque priori indivulso nexu adhærescens, ab eoque promanans. 1 Joan. 4: 30, 31. Dilectio ista proximi, quia dilectionis Dei indubitatus fœtus est, & certissimum τεκμήριον, pro tota perfectione hominis & complemento legis moralis proponi solet, Matth. 19: 18, 19. Rom. 13: 9, 10. 1 Joan. 2: 10. & cap. 3: 14. & cap. 4: 7.

II. De hac summa, & cur non sit præceptum ut diligamus nos ipsos, doctè & eleganter disserit *Augustinus* Epist. 53. quæ est ad *Macedonium*. Quanquam (*inquit*) & in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est, id eligere, prudentia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, justitia est: quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est; imus autem non ambulando, sed amando. Quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eundem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem. Nec enim locis corporalibus vel extenditur vel includitur. Ad eum ergo qui ubique præsens est, & ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus. Mores autem nostri non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod quisque diligit, dijudicari solent. Nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Pravitate ergo nostra à rectitudine Dei longè sumus. Unde rectum amando corrigimur, ut rectò, recti adhærere possimus. Ad illum ergo quanta

ta opera possimus, etiam illi ut perveniant agamus, quos tanquam nosmetipsos diligimus, si nosmetipsos diligere, illum diligendo, jam novimus. Christus namque, id est, Veritas dicit, in his duobus præceptis totam legem Prophetasque pendere, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & diligamus proximos tanquam nosmetipsos. Proximus sanè hoc loco non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socii sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis? Hinc & ille Comicus, [sicut luculentis ingeniis non desit resplendentia veritatis,] cum ab uno sene alteri seni dictum componeret, tantumne ab re tua est otii tibi, aliena ut cures, eaque quæ nihil ad te attinent? Responsum ab altero reddidit: homo sum, humani à me nihil alienum puto. Cui sententiæ ferunt etiam theatra tota, plena stultis, indoctisque, applausisse. Ita quippe omnium affectum naturaliter attigit societas humanorum animorum, ut nullus ibi hominum nisi cujuslibet hominis proximum se esse sentiret. Cum ergo illa dilectione, quam divina lex imperat, debeat homo diligere Deum, & seipsum & proximum; non tamen ex hoc tria præcepta data sunt: nec dictum est, in his tribus, sed, in his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ: id est, in dilectione Dei ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, & proximi tanquam sui ipsius: videlicet, ut intelligeretur nullam esse aliam dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum. qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicendus est; sit quippe iniquus, privaturque luce justitiæ, qui à potiore ac præstantiore bono aversus, atque inde vel ad seipsum conversus, ad inferiora & egena utique convertitur: fitque in ipso quod veracissimè scriptum est: qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. Quia igitur nemo nisi Deum diligendo, diligit seipsum, non opus erat, ut dato de Dei dilectione præcepto, etiam seipsum homo diligere juberetur: cum in Deo, diligat seipsum, quod diligit Deum; debet ergo & proximum diligere tanquam seipsum, ut quem potuerit hominem, vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coërtione, adducat ad colendum Deum, sciens in his duobus præceptis totam legem prophetasque pendere. Hoc qui sobria discretione eligit, prudens est: qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est: qui nulla alia delectatione, temperans est: qui nulla elatione, justus est. Hactenus *Augustinus*.

Matth. 22: 40.

III. Quæres, quum proximus etiam non nisi in Deo diligendus sit, cur peculiari præcepto imperatur nobis dilectio proximi? Respondeo: Id fit cum propter specialia officia proximis in Deo debita, ad proximorum utilitatem spectantia; tum etiam ad deiegendam hypocrisin; quis enim non jactat dilectionem Dei? At verò qui dicit se diligere Deum quem non videt, & non diligit proximum quem videt, mendax est, ut docet Joannes Apostolus. 1 Joan. 4: 20, 21. ad cæcum quendam sui ipsius amorem unusquisque plus satis fertur, & ad odium proximi, per naturæ depravationem; propterea dilectio proximi simpliciter ac seorsim imperanda erat, dilectio vero sui ipsius non opus habebat speciali præceptione, sed modus ejus tantummodo imperandus, ut scilicet non nisi in Deo se quisque diligat.

Encomium charitatis, ex 1 Corinth. 13.

Si linguâ hominum loquar angelicàque, nec adsit
Castus amor, sonitum reddo, velut æris, inanem.
Si me prophetam fugiant mysteria nulla,
Cognitio mihi sit quantumvis magna, fidesque
Tanta, ut transponam montes, nisi pectus amore
Ferveat, ipse nihil sum. Nec bona si mea egenis
Omnia distribuam, & corpus tradam igne cremandum,
Inde juvor quicquam, mihi si dilectio desit.
Multa diu tolerat dilectio; & usque benigna est;
Expers invidiæ est; & nil molitur ineptè:
Non fastu turget: non illi mos inhonestus:
Quæ sua non quærit: non est proclivis ad iram:
Non illi mala mens; nec eam delectat iniquum:
Vero congaudet: fert omnia; & omnia credit;
Sperat cuncta; pati vult cuncta; haud excidit unquam.
Magna fides, spes magna, ast his dilectio major.

Dilectio summum fidei Sacramentum, Christiani nominis *Thesaurus*, inquit *Tertullianus*, lib. de patientia, cap. 12. ubi de hac dilectione recitat verba Apostoli, 1 Cor. 13.

IV. Altera Legis Moralis summa distinctius proponit officii nostri partes, erga Deum & erga proximum, in Decalogo. Hanc summam Deus ipse duabus incisam tabulis tradidit Mosi, & per Mosen populo Israelitico, omnique posteritati: in qua clarius proponuntur nobis officia dilectionis, quæ ipsa dictat naturæ lex, licet jam obscurius, mente humana per lapsum debilitata.

V. Hujus summæ partitio duplex est; una in duas tabulas; tum quia duabus tabulis eam Deus inscriptam tradidit Mosi, Exod. 31. & 34. Deut. 4: 13. & cap. 9: 10. &c. tum etiam quia universa lex moralis ad hæc duo præcipua reducitur capita ab ipso Domino, ut scilicet Deum diligamus, & proximum. Dilectio Dei ad priorem pertinet tabulam, hoc est enim mandatum primum, ut ostensum est. Dilectio proximi ad posteriorem, hoc enim secundum est mandatum: Matth. 22. ideo assentiri non possumus *Josepho & Philoni* Judæis scriptoribus, qui ad primam tabulam referunt quinque prima præcepta, etiam illud de honorandis parentibus: sed illi non animadverso hoc duplici officiorum genere, aut illud saltem non attendentes, unicuique tabulæ quinque putabant tribui debere præcepta. *Josephus* Antiquit. Judaicar. lib. 3. cap. 6. *Philo* libro de Decalogo.

De partitione decalogi in duas tabulas.

VI. Altera partitio Decalogi est in decem præcepta: quem numerum omnes agnoscunt; quia expressè positus invenitur in sacris literis. Exod. 34: 28. Deut. 4: 13. עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים sept. in Exodo. τὰς δέκα λόγους. in Deut. τὰ δέκα ῥήματα, Latine, *decem verba*, quia scilicet ea Dominus ipse de cœlo loquutus est, Exod. 10: 1, 22. eadem & *præcepta*, αἱ ἐντολαὶ dicuntur, Matth: 19: 17. & alibi passim in sacris literis. & *viæ Domini*, Deut. 20: 12. Psal. 25. & Psal. 119. ubi promiscue usurpantur hæc nomina, *via Dei*, *lex Dei*, *judicia Dei*, τὰ δικαιώματα, & κρίματα. Item *sermones Dei*, *eloquia Dei*, Græcè τὰ λόγια, & *mandata Dei*, *testimonia Dei*, τὰ μαρτύρια &c. Quibus nominibus lex moralis præcipuè intelligitur, ut & Psalmo decimo nono, cum intuitu Evangelii. Nec malè *Philo Judæus*, in libro suo de decalogo, decem hæc verba τὰς δέκα λόγους appellat νόμους καὶ θεσμοὺς, leges,

De partitione decalogi in decem præcepta.

leges, & castigationes seu regulas. Item, *καὶ νόμους, καὶ νόμων τῶν ἐν μέρει κεφάλαια*, *& leges, & capita legum particularium*, ad quæ scilicet omnes aliæ de moribus leges reducuntur.

Enumeratio decem præceptorum Decalogi.

VII. De horum verborum sive præceptorum numero denario inter omnes constat. de cujus numeri perfectione eleganter & eruditè, ex Philosophia sua Platonica, disserit *Philo Judæus*, in libro suo de decalogo, paulo post initium libri. At verò in iis recensendis dissentiunt inter se etiam Christiani doctores; nam ut *Isychium* seu *Hesychium* taceam, qui præfationem illam [*ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis,*] aiebat esse primum præceptum; in verbis autem illis prohibitivis [*non habebis deos alienos coram me*] esse præceptum secundum; sententiam verò de Sabbato, ut cæremonialem, explodebat è numero mandatorum, lib. 7. in Levit. cap. 26. quam ejus sententiam meritò rejicit Thomas, 1ma 2dæ qu. 100. art. 4. ea *Hesychii* sententia nunc sectatorem, quod sciam, habet neminem. Præcipua dissensio est jam inde à temporibus *Augustini*, quem sequuti sunt scholastici, hodieque sequuntur Pontificii, & qui *Lutherani* dicuntur, in illa conjecturali & parum congrua præceptorum distinctione, contra mentem antiquorum Patrum, qui eodem modo decem præcepta distinguebant, quo in nostrarum Ecclesiarum Catechismis hodie distincta leguntur. Nos quatuor præcepta inveniri dicimus in prima Tabula, ad religionem pertinentia: sex verò in secunda Tabula, quæ referuntur ad dilectionem proximi, ut primum præceptum Decalogi sit: *Non habebis deos alienos coram me.* 2. *Non facies tibi sculptile*, &c. 3. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, &c. 4. *Recordare diei Sabbati*, &c. 5. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, &c. 6. *Non occides.* 7. *Non mœchaberis.* 8. *Non furaberis.* 9. *Non loqueris contra proximum tuum testimonium falsum.* 10. *Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, neque servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque asinum ejus, neque quicquam eorum, quæ sunt proximi tui.* Quod mandatum brevius uno verbo complexus est Apostolus, Rom. 7:7. concupiscentiam, inquit, non novissem, nisi lex dixisset, *Non concupisces.* & cap. 13:9. Decem ista præcepta sic cohærent: officium omne nostrum vel est religionis, vel humanitatis: illud erga Deum, istud erga proximum. Officium erga Deum vel in agnitione internoque cultu consistit; quod officium præscribitur mandato primo; vel in externis; externa autem religionis officia vel sunt communia, tum opera ad cultum religiosum spectantia, præcepto secundo; tum verba, præcepto tertio: vel certo tempori conveniunt, præcepto quarto. Vel sic: officium erga Deum est. 1. ut illum Deum nostrum nobisque colendum agnoscamus; quod præcipitur præcepto primo: deinde ut illum modo licito & ipsi grato colamus opere externo, præcepto secundo: postea ut de eo reverenter loquamur, perque eum juremus, præcepto 3. Denique ut externa ab ipso Deo constituta pietatis, fidei & sanctitatis consequendæ inque eis proficiendi media non negligamus, præc. 4. Officia erga proximum quinque sententiis particularibus, & una generali proponuntur. Particularia officia vel respiciunt certos hominum ordines, præcepto quinto; vel sine discrimine cuilibet præstanda sunt, tum opere, tam quoad personas, eorumque & vitam, præcepto sexto; & pudicitiam, præcepto septimo; quam quoad opes, præcepto octavo: tum verbo, præcepto nono. Generalis sententia per modum exegeseos ipsi interiori homini legem ponit in omnibus iis, quæ mandatis præcedentibus secundæ tabulæ imperata sunt aut prohibita, præcepto decimo: sicut primum decalogi præceptum legem ponit interiori homini quoad omnia religionis officia. Hanc partitionem & ordo ipsius textus scripturæ, & rationes singularum legum confirmant: eandemque agnoverunt, ut solam idoneam, Judæi, *Jonathan* in paraphrasi, *Philo* in lib. de decalogo. *Josephus*, lib. 3. Antiquit. Judaicarum, cap. 4. & veteres Christiani; *Origenes*, hom. 8. super Exodum. *Athanasius* in Synopsi divinæ Scripturæ, in Exodo. *Hieronymus*, Commentario in epist. ad Ephes. cap. 6. in expositione illorum verborum vers. 2. *Hoc est primum mandatum cum promissione.* & *Autor Commentarii qui Ambrosio adscribitur*, in eundem locum epist. ad Ephesios. Et *Sulpicius Severus*, lib. 1. histor. sacræ. Item *Chrysostomus*, in opere imperfecto in Matthæum, cap. 22. Accedit Author primæ partis quæstionum Veteris & Novi Testamenti, cap. 7. tom. 4. operum *Aug.* quod opus etsi *Erasmus* negat esse *Augustini*, dicit tamen primam ejus partem, capitibus 47. comprehensam, eruditi cujusdam autoris esse, in eaque multa digna cognitu tradi. *Clemens Alexandr.* Stromat. 6. præceptum quidem de Sabbato vocat tertium; at idem præceptum de honorandis parentibus dicit esse quintum. Denique decimum esse de omnibus cupiditatibus, *δέκατος δὲ ἐστιν ὁ περὶ ἐπιθυμιῶν ἁπασῶν λόγος.* ubinam statuat quartum præceptum, non invenio.

Recitantur Isychii verba, lib. 4 hujus operis, cap. 1. § 1. Vide autem de hoc Isychio, Instruct. Historico-Theolog. lib. 11. cap. 7 § 7.

VIII. Primum legimus *Augustinum*, cum suis, nescio quibus, quos secum sentire ait, antiquam & receptam deseruisse partitionem, eique novam immerito prætulisse; nam de auctore commentariorum in Psalterium, qui *Hieronymo* tribuuntur, dubitatur, vel si *Hieronymus* in ea aliquando fuit sententia Comm. in Psal. 32. postea tamen, mutata sententia, enumerationem novam istam reliquit, & veterem amplexus est, in ejus indubitato Comm. in Epist. ad Ephesios cap. 6. Primus igitur est *Augustinus*, quem partitioni Veteri Novam constanter prætulisse invenio, duabus scilicet nixum rationibus invalidis. lib. quæst. super Exodum, qu. 71. Ratio cur putaverit congruentius accipi tria tantum præcepta in prima tabula, non satis idonea est; quia scilicet Trinitatis mysterium hic numerus insinuabit: ac si omnes præceptiones, omnesque sermones divini, qui in sacris literis leguntur, vel conglutinandi essent vel divellendi, prout eos numeris mysticis convenire vel non convenire judicabimus ex Platonicæ & Pythagoricæ Philosophiæ regulis. Hanc conjecturam ut fulciret, asseruit, nihil diversum, sed idem clarius præcipi illis verbis: *Non facies tibi sculptile* &c. Quod præcipiebatur verbis præcedentibus, *Non habebis Deos alienos coram me.* Certe fatemur, in primo præcepto, quo prohibemur habere Deos alienos, virtualiter contineri non solum secundum præceptum, de non fabricandis & non colendis idolis, sed etiam tertium, de non sumendo in vanum Dei nomine, & omnino omnia officia religionis: at verò si distinctionem attendimus in decalogo propositam, inveniemus aliam officii nostri partem præcipi illis verbis, *Non habebis Deos alienos coram me*; aliam verò verbis sequentibus, *Non facies tibi sculptile*: sicut etiam alia proponitur illis verbis: *Non assumes nomen Domini Dei in vanum*: Item alia illis, *Recordare diei Sabbati*, &c. aliud enim est agnoscere

agnoscere animoque revereri quem solum debeas pro Deo habere & colere; aliud vero illi, quem solum pro vero Deo agnoscis, cultum externum tum in operibus, tum in verbis, debito modo, (præcept. 2. & 3.) & tempore, & sacris solemnibus (præcepto quarto) exhibere.

IX. Ratio quæ *Augustinum* movit, ut decimum præceptum discerperet, infirma est: nam dum illis verbis, *Non concupisces uxorem proximi tui*, Nonum vult & peculiare contineri præceptum; illis verò, *Non concupisces domum proximi tui*, aliud præceptum à priori distinctum; ut scilicet priori illo concupiscentia carnis, seu luxuria, posteriori concupiscentia oculorum, seu avaritia seorsum prohibeatur; hanc adhibet rationem, quia scilicet, post illa verba, *Non concupisces domum proximi tui*, adjuncta sunt, *neque agrum ejus, neque servum ejus, neque ancillam ejus*, &c. At verò post illa verba, *Non concupisces uxorem proximi tui*, non statim dicitur, *neque domum ejus* &c.

Resp. hæc ratio inanis est, imo falsa, si legem recipimus, ut par est, prout eam Dominus ipse pronunciavit, Exod. 20. tabulisque lapideis inscripsit, asservandam in Arca fœderis, Exod. 40: 20. Nam legem suam Dominus sic pronunciavit, *Non concupisces domum proximi tui: Non concupisces uxorem proximi tui, neque servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus*, &c. Unde patet, unum hoc esse præceptum, de non concupiscendo, prout ab Apostolo repetitur, Rom. 7: 13. *Non concupisces*. alioqui si sepates præceptum de non concupiscenda uxore proximi, à præcepto de non concupiscenda ejus domo, in has redigeris angustias; ut vel fateare inter unius ejusdemque præcepti verba interjectum esse aliud diversum præceptum, in ipsis à Domino in monte Sina pronunciatis legum eloquiis; vel ut undecim constituas præcepta; Nonum scilicet, de non concupiscenda domo proximi: decimum, de non concupiscendo uxorem proximi: & undecimum, de non concupiscendo servum proximi, &c. Etsi autem in Mosaica legis repetitione, Deut. 5. qua ejus observationem populo commendat, ubi quædam à Domino pronunciata verba omittuntur, alia ab illo non pronunciata inseruntur, ut in repetitione præcepti quarti, quia videlicet Moses illic legem non fert, sed latæ legis observationem commendat, & urget; etsi, inquam, in illa legis commendatione transponuntur verba, non tamen animus Mosi fuit populum abducere ab ordine præceptorum divinitus tradito. Sciebat illi ordini nullum fieri præjudicium, etiamsi in unius ejusdemque præcepti repetitione, verborum aliqua esset transpositio; non ut verborum ordinem à Deo traditum emendaret; sed ut doceret, in præceptis singulis eam esse Legislatoris mentem, ut verba quidem, sed magis sensum attendamus, in quæstione praxeos. Etsi verba eo ordine postibus domorum & januis inscribenda erant, aut liberis tradenda, quo sunt à Domino pronunciata.

X. Romanenses autem, aliam ob caussam, desiguint ordinem & verba quibus præcepta à Domino pronunciata sunt; nec sustinent eadem Dei verba eodemque ordine in Catechismis suis describere, & populo ediscenda tradere, quæ & quo ordine à Deo primum pronuntiata sunt, tabulisque legalibus ab ipso Deo incisa, ejusdemque jussu in Arca fœderis asservata sunt. imo neque illum ipsum ordinem servant, eademque verba, quæ in Mosaica, aut quavis alia, decem præceptorum, repetitione, in scripturis leguntur, (nam in illa sua recapitulatione Moyses [Deut. 5.] integrum repetit præceptum secundum, de non faciendis neque colendis imaginibus, prout à Domino est pronunciatum, Exod. 20.) sed pro arbitrio & de industria quædam prætermittunt: sequentes quidem eam quæ *Augustino* placuit, præceptorum enumerationem; Sed, præter *Augustini* mentem, verbis Domini pro arbitrio dementes, & imaginum manufactarum religiosum cultum impudenter defendentes, cujus scelerataæ impietatis non habent patronum *Augustinum*, sed manifestum adversarium. *Augustinus* enim, Epist. 119. Cap. 11. disertè affirmat, & clamat, non esse colendam aliquam in figmentis hominum Dei similitudinem; Et hoc ipsum in Decalogo prohiberi, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse, neque ipsa pro illo, sed cum illo. Hæc *Augustinus*. Eadem si dicerent Pontificii, neque ullius etiam creaturæ imaginem religiosa adoratione colerent, & mandatum de non faciendis neque adorandis imaginibus integrum, ut à Domino pronunciatum est, Catechismis suis insererent, non pugnaremus tantopere de enumeratione & interpunctione, dummodo rem ipsam tenerent.

CAPUT XIV.

Regulæ observandæ in expositione Decalogi.

I. PRima regula: quum lex Dei sit spiritualis, & à cordium scrutatore lata, hominemque interiorem non minus obliget, quam exteriorem, ut constat ex primo & ultimo præceptis, & ex breviori illo Compendio legis universæ, de diligendo Deo ex toto corde &c. & proximo, sicuti diligimus nos ipsos; Item ex sermone Domini, quo legem interpretatus est in monte, Matth. 5. exponenda sunt præcepta de officiis tum internis, tum externis. *1a. Reg. de legis spirituali intelligentia.*

II. *Secunda regula*; quum præcepta secundæ tabulæ contineant ea omnia humanitatis seu justitiæ inter homines officia, quæ requiruntur ad ingressum in vitam æternam, Matth. 19: 17, 18, 19. Sequitur etiam primam tabulam esse perfectam pietatis regulam, seu officiorum religionis erga Deum. Hinc oritur regula observatu necessaria in expositione Decalogi. Ita sunt exponenda Decalogi præcepta, ut ad ea reducantur omnes, quæ in Scripturis reperiuntur, præceptiones morales, universales, & perpetuæ: *sive* sint de rebus ipsis quæ per se & primario imperantur, aut vetantur, quales sunt de non mentiendo, de non recedendo à veritate doctrinæ salutaris, de non rixando &c. *sive* de rerum occasionibus, & caussis, qualis est præceptio de cavenda curiositate præpostera circa idololatricum cultum, Deut. 12: 30, 31. Item de connubio cum idololatris non contrahendo, Deut. 7: 3, 4. & 2 Cor. 6. & illa de hominis insipientis & hominis iracundi sodalitio fugiendo, Prov. 14: 7. & cap. 22: 24. de vitandis malis colloquiis, non solum propter ipsorum propriam malitiam, sed etiam ne corrumpant bonos mores, 1 Cor. 15: 33. Item illa, de vigilando & orando, ne scilicet introëamus in tentationem, Matth. 26: 41. *sive* sint de adjuvantibus & affinibus; qualis est illa præceptio de usu rerum mediarum prudenti, & ut nobis ipsis non placeamus, etiam in eis quæ in se licita sunt, sed pla- *2da. Reg. de reductione omnium præceptorum moralium ad decalogum.*

placeamus proximo, non tam propter ἀρεσκείας hujus intrinſecam bonitatem, quam propter proximi ædificationem, & ſcandali vitationem, Rom. 14. & 15. 1 Cor. 8. & 9. & 10. quo pertinet etiam præceptio illa de vitanda omni ſpecie mali, ſeu fugiendo eo quod ſpeciem habet mali 1 Theſſ. 5: 22.

3ia. Reg. de tropis in decalogo.

III. *Tertia regula*, quæ dependet ex ſecunda; quum omnes morum noſtrorum perpetuæ & univerſales regulæ ad Decalogi præcepta reducantur, manifeſtum eſt, in præceptis Decalogi eſſe ſynecdochen, & metonymiam. Nam pars una pro omnibus ſynecdochicè ponitur: e. g. adulterium pro omni illicito concubitu: & concupiſcentia, pro omni inordinato motu, ſive concupiſcibili ſive iraſcibili; ſicut etiam exponit præceptum 10um. Apoſtolus, Rom. 7. Et nominato uno relatorum, intelligitur & alterum; e. g. nominato officio liberorum erga parentes, intelligitur etiam officium parentum erga liberos; nominato effecto, ſimul intelligitur & cauſa; e. g. nominata aſſumptione nominis Dei in vanum, & nominato adulterio, ſimul & intelliguntur eorum cauſæ, & occaſiones, ut commercia & colloquia prava. Et ex affirmatione colligenda eſt negatio, & viciſſim &c.

4ta. Reg. de primis fundamentis, communibusque principiis interpretationis decalogi.

IV. *Quarta regula*; quum ipſe Decalogus, omneſque particulares de moribus præceptiones à duobus illis pendeant mandatis, de diligendo Deo ex toto corde, &c. & diligendo proximo, ſicut diligimus nos ipſos; ut ſcilicet cupiamus & faciamus aliis, quod nobis cupimus & fieri volumus: ſicuti ſummam ſecundæ tabulæ propoſuit Dominus, Luc. 6: 31. Omnes noſtræ præceptorum moralium expoſitiones ad eaſdem dilectionis regulas inſtituendæ, & ad charitatem referendæ ſunt, & ſecundum ejus regulas recipiendæ.

5ta. Reg. de connexione & collatione duarum tabularum.

V. *Quinta regula*; quum prioris tabulæ officia pertineant ad primum & maximum præceptum de diligendo Deo; poſterioris verò officia ad ſecundum, priori ſimile, de diligendo proximo; Matth. 22. quumque dilectio Dei, imperata in priore tabula, non poſſit eſſe abſque dilectione proximi, imperata in ſecunda tabula, ut effectu & comite indivulſo, 1 Joan. 4: 20, 21. Neque poſſit dilectio proximi, qualem exigit poſterior tabula, ſeparari à dilectione Dei, à qua emanat; Matth. 19: 17, 18. 1 Joan. 2: 10. & 3: 14. & 4: 7. & 5: 2. Ita accipienda ſunt officia prioris tabulæ, ut ea demum prioris tabulæ vera Deoque grata intelligatur obſervatio, quæ ex ſe gignit obſervationem poſterioris tabulæ, in eaque ſeſe oſtendit: & ita ſunt intelligenda officia poſterioris tabulæ, ut eam demum legitimam eorum præſtationem eſſe meminerimus, quæ ab obſervatione prioris tabulæ, tanquam à fonte, promanat, eandemque ut finem reſpicit, eique inſervit. *Virtutes* (inquit *Auguſtinus*) *quas habere videtur mens hominis, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſæ vitia ſunt potius quam virtutes. Aug.* lib. 19: de civitate Dei, cap. 25. Unde natum axioma; Officia poſterioris tabulæ cedere debent officiis prioris tabulæ, officia intellige eſſentialia, non cæremonialia. Nam etſi eſſentialibus prioris tabulæ officiis poſthabenda eſt parentum & liberorum proximorumque, laudabilis alioqui, cura; ut docet Dominus, Luc. 14: 26, 33. cæremonialibus tamen ad priorem tabulam pertinentibus officiis anteponenda ſunt officia ſecundæ tabulæ eſſentialia; Hoſ. 6: 6. Matth. 12: 7. Eſai. 1. & 58. Jerem. 7. & 22. &c. Imo quandoque evenit in ipſis moralibus, ut peccatum adverſus ſecundam tabulam, gravius ſit quadam tranſgreſſione præcepti primæ tabulæ; unde a 1 *Cyprianus*, epiſt. 52. (ſeu lib. 4. epiſt. 2.) *ad Antonianum*, *quando multo gravior & pejor ſit mœchi quam libellatici cauſa: cum hic neceſſitate, ille voluntate peccaverit: hic exiſtimans ſibi ſatis eſſe quod non ſacrificaverit, errore deceptus ſit; ille matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingreſſus, ad cloacam & cœnoſam voraginem vulgi, ſanctificatum corpus & Dei templum deteſtabili colluvione violaverit.* Hæc *Cyprian.* Officia dilectionis Dei, & proximi, diſtinctis præceptis præſcribuntur, quia ſunt diſtincta officia, quamvis neutra dilectio ſine altera eſſe poſſit.

6ta. Reg. de mandato ſpeciali & conſequenti.

VI. *Sexta regula*; Mandatum ſpeciale eum qui illud accepit, liberat pro loco & tempore à generali mandato; non utique derogando quippiam legi communi, ſed muniendo hominem ne pro tranſgreſſore legis communis habeatur, etiamſi actum in ſpeciem illi contrarium peragat: nam actus qui ex ſpeciali mandato divino præſtatur, non eſt revera contrarius ulli mandato divino, ſi mentem mandatoris, & rationem, animam mandati, ut decet, intuearis: e. g. Iſraelitæ Ægyptiorum bona ſecum aſportantes, furtum committere videntur, niſi eos à furti crimine eximeret, eorumque innocentiam demonſtraret interventus ſpecialis mandati; Exod. 11: 2. & 12: 35, 36. Eodem modo mandatum conſequens liberat ab antecedente: e. g. mandatum de non curando Sabbato, Coloſſ. 2: 16. liberat à mandato de non operando, ipſo Sabbati die, ſeu ſeptimo die hebdomadis. Exod. 20. & alibi. At verò ſine interventu mandati divini, aut diſpenſationis divinæ, quicunque recedit à communi aut ſemel præſcripto officio, reus eſt tranſgreſſionis, id eſt, peccat, ſeu legem Dei tranſgreditur: id quod nullo caſu licitum eſt, neque ullo quantumcunque ſpecioſo prætextu excuſatur: non enim facienda ſunt mala, ut eveniant bona. Rom. 3: 8. quiſquis igitur ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum. Matth. 5: 19. tunc non erubeſcam, ubi reſpexero ad omnia mandata tua. Pſalm. 119: 6.

VII. Deus in præceptis prohibitivis atrocia nominavit flagitia: & inde diſcimus, quam ſint Deo exoſa etiam ea peccata, quæ hominibus levia videntur. Nam quicquid homines judicent, coram Deo tamen impura appetitio, item impudicus aſpectus adulterium eſt: odium, inconſiderata ira, verbum contumelioſum, homicidium eſt. Atrociſſima tamen crimina, etſi iiſdem legibus prohibuit, non expreſſit nominatim: cujus ratio videtur quia non ſunt communia, neque omnibus in mentem veniunt: qualia ſunt illa quæ Levit. cap. 18. & alibi in legibus ſpecialibus condemnat.

VIII. Sic alloquitur Deus populum univerſum, ut etiam ad unumquemque ſigillatim dirigatur oratio. *Non habebis Deos alienos* &c. cujus formulæ tres rationes eſſe dixit *Philo*; 1. Ut inde pateficeret, pluris eſſe apud Deum unum aliquem hominem legi Divinæ obſequentem, quam univerſum præterea humanum genus: quomodo Abrahami ſe Deum profeſſus eſt ſingulari quadam ratione, poſthabitis reliquis hominibus, quorum etiam aliis modis Deus erat. 2. Quia quando ſinguli admonentur, quid agere debeant, omnes docentur eadem opera, & quiſque redditur obſequentior, ſibi dictum exiſti-

stimans: qui verò cum cætera turba comprehenditur eodem alloquio, surdescit, turbam ipsam prætexens suæ contumaciæ. 3. Ut exemplum daretur regibus & principibus, ne superbè despiciant privatum aliquem obscurumve civem, sed vel egentissimis obscurissimisque affabiles se & patronos præstent. Hæ sunt opinor causæ (inquit *Philo*) cur singulariter loquantur oracula, quasi dirigantur ad unum hominem. Hæc rectè *Philo*.

IX. In præfatione præparat Deus Israëlitarum animos, exigitque attentionem. Attentionis argumentum quoddam occurrit in ipso nomine *Israël:* gentem enim illam divinis beneficiis præ aliis affectam, Israëlis Patriarchæ Deo obsequentissimi progeniem, decebat observatio mandatorum Dei. Illius, inquam, Dei, qui Deus erat Abrahami, Isaaci, & Jacobi, & seminis eorum, qui etiam est ille *Jehova ὁ ὤν*. Atque hoc est secundum argumentum ad comparandam obedientem attentionem, sumptum à descriptione Dei in seipso, quod sit *Jehovah*; & ab ejusdem descriptione erga illos, quibus singularem benevolentiam duplici beneficio testatam fecit; primo quod eos sibi elegisset in populum peculiarem, eorumque se Deum profiteretur, singulari quadam indulgentia, quamvis universæ terræ esset Dominus; secundo quod eos è servitute Ægyptiaca misericorditer & potenter liberasset. Hæc præfatio etiam ad nos pertinet Christianos, qui sumus Israël Dei, Gal. 6: 16. Semen Abrahæ, Gal. 3: 7, 29. & filii promissionis, Rom. 9: 8, 24. quos Deus misericorditer & potenter liberavit à servitute peccati. Joan. 8: 32. & sequentibus, à potestate diaboli, Ephes. 2: 2. à potestate tenebrarum plusquam Ægyptiacarum, Coloss. 1: 13. à servitute & metu mortis, mortis, inquam, æternæ. Hebr. 2: 14, 15.

CAPUT XV.

Expositio primi præcepti.

I. NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME. Ex hac negatione colligenda est affirmatio, me habebis, & quidem solum, pro Deo tuo, & pro uno vero Deo, præter quem non est alius Deus. Deut. 6: 4. Esai. 44: 6, & 8. cap. 45: 5. Marc. 12: 30, & 32. ex qua affirmatione sequitur negatio, Non habebis Deos alienos, &c. Dicamus paucis, 1. de affirmativa parte hujus præcepti, 2. de negativa.

II. In affirmativa parte præscribitur officium erga Deum, consistens in his tribus; 1. ut quæcunque de Deitate credenda & cogitanda sunt, illa omnia de Domino Deo Israëlis credamus. 2. ut quæcunque homines à Deo vel Deitate exspectare debent, ea omnia exspectemus à Domino Deo Israëlis. 3. ut quæcunque homines Deo aut Deitati præstare & tribuere tenentur, ea omnia Domino Deo Israëlis præstemus & tribuamus. Atque adeo, ut quæcunque hominibus divino munere donata sunt vel contingunt, ea omnia Domino Deo Israëlis accepta referantur.

III. Ad primam officii hujus partem pertinet fides, ad secundam spes, ad tertiam dilectio & cultus Dei: unde rectè dixit *Augustinus*, fide, spe, charitate colendum esse Deum. Enchirid. cap. 3.

IV. Prima officii pars postulat, ut credamus Deum esse, ut illum credamus natura simplicissimum esse, invisibilem, immutabilem ab æterno in æternum, immensum, in seipso vitam habentem, τὸν ζῶντα, solum sapientem, optimum, potentissimum, unum verum Deum personis indivisis, & inconfusis trinum, Creatorem Cœli & terræ, & omnium quæ in iis sunt, tum visibilium tum invisibilium, in quo vivit, movetur, est, quicquid vivit, quicquid movetur, quicquid est, cui omnia ut Domino Deoque subjecta sunt, qui ex lapsa humani generis massa Ecclesiam sibi proprio suo humano sanguine redimendam & spiritu sanctificandam ac tandem glorificandam elegit, ac segregavit, &c. istam posteriorem partem de fide redemptionis adjungimus, quia Decalogi præcepta sic impræsentiarum interpretamur, prout etiam Christianos obligant: & omnino ex ipso operum fœdere tenetur homo credere Deum esse summè veracem, & mentiri nescium, adeo ut quicquid asserat Deus, id pro verissimo sit suscipiendum, nec pro falso habendum: atque ita saltem hypotheticè ipsa fides redemptionis in lege operum imperatur. Nam quicquid Deus dixerit, illud credere tenemur ex lege operum; si igitur dixerit, se redempturum esse per mortem Filii Dei, illud omnino jam credere tenemur ex lege morali. Unde efficitur, si fidem etiam justificantem intueamur, ut actum obedientiæ, pro objecto habentem veracitatem Dei, eam esse opus imperatum lege morali, ipsaque adeo lege naturæ. *Qui suscipit ejus testimonium, obsignavit quod Deus verax sit*, Joan. 3: 33. *Si testimonium hominum recipimus, majus est Dei testimonium: quia hoc Dei est testimonium, quod testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso: qui non credit Deo, mendacem eum fecit, quia non credidit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.* 1 Joan. 5: 9, 10. Sin autem intueamur redemptionem ipsam & peccatorum remissionem in sanguine redemptoris, tanquam speciale objectum fidei justificantis, hac consideratione fides justificans locum non habet in lege operum, sed ad legem & fœdus gratiæ pertinet.

V. Secunda officii nostri erga Deum primo præcepto affirmativè imperati pars exigit à nobis, ut soli Domino Deo Israëlis acceptum referamus quod vivimus, quod spiramus, quod sumus, quod ratione utimur, quod animantibus brutis dominamur, denique omnia quæ nobis obveniunt bona: justamque ejus providentiam revereamur; ut præmia boni, supplicia mali ab illa expectemus: ut humiliter cum Deo ambulemus; Mich. 6: 8. ut nos sub ejus potenti manu humiliemus, 1 Pet. 5: 6. ut à solo Domino Deo Israëlis tum bonorum dationem, tum malorum depulsionem speremus. Quando solum dicimus Dominum Deum Israëlis, non excludimus ministros, & media, quibus ipse pro suo arbitrio utitur, ad nos sublevandos, sed excludimus alienos Deos, & spem quæ non in Deo vero, sed in creaturis aut inanibus figmentis collocatur. Beati omnes quorum spes in illo est, Deo omnis spei, Psal. 2. vers. ult. Rom. 15: 13. Jerem. 17: 7.

VI. Tertia officii hic affirmativè imperati pars postulat, ut corpora & spiritus nostros soli Domino Deo Israëlis in simplex obsequium addicamus, & in templa illi consecremus, quæ gloriæ ipsius serviant. 1 Cor. 6. & alibi. Ut illum solum in angustiis invocemus, Psal. 50. & alibi. Illi soli cultum religiosum exhibeamus. Nam ad illum solum pertinet omnis θρησκεία

ſeu cultus religioſus. Ideo damnat Apoſtolus θρησκείαν τῶν ἀγγέλων, religioſum cultum Angelis exhibitum, Coloſſ. 2: 18. & fixa lex eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, Matth. 4: 10. Deut. 6: 16. & cap. 10: 20. Eſai. 8: 13. * ille ſolus religioſo metu timendus, quippe bonorum omnium dator, Act. 14: 17. & cap. 17: 25. & ſolus poteſtatem habens non ſolum occidendi corpus, ſed & conjiciendi tum corpus, tum animam in gehennam, Matth. 10: 28. illi ſoli offerenda ſunt ſacrificia, exſtruendæ aræ & præſtanda cætera omnia quæ ad ſacrificium pertinent. Exod. 22: 20. Pſal. 16: 4. Soli Deo, ut creationis, ita & redemptionis totiuſque operis ſalutis electorum debetur in ſolidum gloria, quam nulli alteri communicari patitur. Iſai. 42: 8. & 43: 11, 25. & 44: 23, 24. Rom. 16: 25, 26, 27. & 2 Cor. 2: 14. & 1 Tim. 1: 17. Judæ verſ. 25. Apocal. 4: 11. & 5: 8, 9, 10. & ſequentibus & cap. 7: v. 10, 11, 12. & cap. 11: v. 17. cap. 15: v. 3, 4. & cap. 19: v. 1, 7. &c. Atque hæc de affirmativa parte præcepti primi. Contra hanc partem peccant Athei illi qui vel cum Diagora & Theodoro nullum numen agnoſcunt; vel unum illum verum Deum trinum, ut ſe in verbo ſuo revelavit, non agnoſcunt; item illi, qui agnitum non honorant, ut oportet. Sequitur negativa, Non habebis Deos alienos, &c.

* *De ſenſu iſtorum verborum* [Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies, *Matth.* 4: 10.] *Vide Inſtruction. Hiſtorico-Theolog. lib. 7. cap. 1. §. 11. & cap. 4. §. 16, 19, 20, 27. & cap. 9. § 23. & cap. 11. § 3.*

VII. In negativa parte præcepti primi prohibemur ullam partem officii Deo ſoli debiti alio transferre, ſive ad creaturas, ſive ad figmenta inania: ut neque de aliis credamus quod de ſolo Domino Deo Iſraëlis credendum eſt, neque ab aliis exſpectemus quæ ab illo ſolo expectanda ſunt, aut aliis accepta referamus quæ illi ſoli accepta referri debent, neque aliis ea præſtemus aut tribuamus, aut nobis ipſis præſtari aut tribui ſinamus, quæ ſoli Domino Deo Iſraëlis præſtanda & tribuenda ſunt.

VIII. Contra primam officii hujus partem peccant πολύθεοι, qui plures fingunt Deos, & tribuunt pluribus diis quæ uni ſunt propria. in quo ordine ſunt non ſolum Pagani, multorum deorum commentitiorum cultores; ſed etiam Pontificii; Nam ſicuti Pagani creaturis & figmentis aſſerebant ea convenire, quæ de ſolo Domino Deo Iſraëlis credenda ſunt, ita etiam Pontificii, dum ſanctos defunctos, & Angelos credunt eſſe idoneum religioſæ invocationis objectum, preceſque ad eos directas, etiam mente ſola conceptas, audire, quum Deus ſe ſolum profiteatur eſſe auditorem precum, Pſal. 65: 3. *O precum auditor, ad te veniet omnis caro*; auditor precum nominatur Deus, quia ſolus eſt idoneum precum religioſarum objectum, & ſolus ubique & ſemper audit, ſolus etiam cordium noſtrorum ſcrutator eſt, Jerem. 17: 10. Act. 15: 8. & 1 Cor. 2: 10. &c.

Bellarm. lib. de ſanct. beatit. cap. 20. §. Deinde non eſt. *Et lib. de reliquiis ſanct. cap. 2. §* At noſtri. *& lib. de cultu ſanctorum, cap. 4.*

IX. At, inquies, Pontificii dicunt, ſanctos non propria virtute, ſed Dei munere omnia vota preceſque hominum viatorum intelligere, Deo ſcilicet illis revelante. Reſp. Dicunt quidem hoc Pontificii, ſed non probant. ideo opponimus iis illud *Hieronymi*, quod ſine authoritate ſacrarum ſcripturarum aſſentitur, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Præterea oratio ſine fide eſſe non debet, Rom. 10: 14. Jac. 1: 6. ſine verbo Dei nulla fides, Rom. 10. At deſtituuntur Pontificii verbi Dei authoritate pro hoc commento. Præterea, revelationem illam ex Dei arbitrio pendere neceſſe eſt fateantur, ut ea tantum videant ſancti, quæ Deus vult illis revelare; jam autem alterutrum duorum eligant, & dicant nobis, utrum Deus ſanctorum defunctorum ſpiritibus velit omnia revelare, an quædam tantum? ſi dicant, omnia; convincuntur falſitatis ex verbis Chriſti docentis ultimum diem ne Angelis quidem eſſe cognitum, nec ulli niſi ſoli Deo. Matth. 24: 36. Marc. 13: 32. Si quædam tantum dicant ſanctorum ſpiritibus pro Dei beneplacito revelari; oſtendant nobis ex ſcripturis divinis, quænam illa ſint. Huic poſtulato æquiſſimo ſi non ſatisfaciant, neque ex Dei verbo probent, omnes per univerſum terrarum orbem ſparſim conceptas viatorum ad ſanctos precationes, tum vocales, tum mentales, ſpiritibus ſanctorum defunctorum per divinam revelationem innoteſcere, nihil ſupereſt, unde nobis perſuadeant, & cur certa fide credamus, quod aſſerunt de illa mirabili ſpirituum illorum ſcientia, & promptitudine in audiendis & ſuſcipiendis, Deoque offerendis hominum orationibus. Ut taceam præpoſterè ab illis fieri, ſi ita ſe res habet, ſicuti dictitant; Nam cum ex eorum placitis, non niſi per Deum Deoque revelante innoteſcant ſanctis defunctis viatorum preces, ad Deum potius immediatè, quam ad ſanctos illos, eſſet dirigenda oratio; & dicendum: Domine Deus revela meam nunc orationem ſancto Petro, ut illius pro me accedat interceſſio, potius quam, Sancte Petre ora pro nobis. Jam autem nulla Deo oratio grata eſt ſine fide. Jacob. 1: 6, 7. neque fides eſt ſine Dei verbo, Rom. 10: 17. oſtendere igitur debent ubinam in Dei verbo doceatur, talem orationem Deo acceptam fore, & promiſiſſe Deum, ſe orationes viatorum ſanctis defunctis revelaturum, & quidem hoc fine, ut ſancti comprehenſores eaſdem viatorum orationes, quas Deus ipſis revelavit, ipſi rurſum Deo offerant, & orantes commendent. Poſtulamus autem probationem ex Dei verbo, quia hæc ſola fidei noſtræ cultuſque religioſi regula eſt, neque moramur poſthumos adverſariorum enthuſiaſmos, & incertas revelationes, in quibus neque Prophetica neque Apoſtolica excellit autoritas. *Bellarminus* ait ſanctos defunctos ſcire quid oremus, & probare nititur exemplo ex ipſis ſcripturis petito; quia (inquit ille) unde ſciunt Angeli converſionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in cœlis, ut dicitur Luc. 15: 10. inde ſciunt ſancti noſtras preces. Hactenus *Bellarminus* lib. de Sanct. beatit. cap. 19. §. *præterea in utroque*. Reſp. 1. Alia eſt Angelorum ratio, alia ſanctorum defunctorum; Angeli enim, ut docet ſcriptura, ſunt ſpiritus miniſtratorii, qui hominum electorum bono emittuntur ad miniſtrandum, Hebr. 1: 14. caſtra metantur circa timentes Dei, Pſal. 34: 7. excubant & cuſtodes ſunt electorum, Pſal. 91: 11. gaudentes ſpectant Eccleſiam militantem, cœtuſque Eccleſiaſticos, 1 Cor. 11: 10. Epheſ. 3: 10. & 1 Petr. 1: 12. Deinde ſcriptura non dicit uniuſcujuſque peccatoris converſionem ſtatim in ipſo converſionis momento innoteſcere omnibus & ſingulis Angelis, ſed dicit lætari Angelos in Cœlo de converſione unius peccatoris, id eſt, magno gaudio affici Angelos, quoties intelligunt converſum eſſe aliquem peccatorem, ſive ipſi præſentes converſionem videant, ſive ex aliorum Angelorum relatione accipiant, ſive Deo revelante intelligant; ſic etiam in Eccleſia militante, homines pii lætantur de viſa vel audita converſione unius peccatoris.

Hieron. Comm. in cap. 23. Matthæi.

Concil. Trid. Seſſ. 25.

X. Contra eandem primam partem officii imperati illis verbis prohibitivis, *Non habebis Deos alienos*, &c. peccant etiam μονόθεοι illi,

illi, qui vel Trinitatem negant personarum; *qui enim negat Filium, is non habet Patrem* 1 Joan. 2: 23. & qui destituitur spiritu Christi, ipse non est Christi, Rom. 8: 9. quod faciunt indurati Judæi, & Muhammedani, & Samosateniani, cæterique Antitrinitarii. Vel naturam Deo indignam comminiscuntur, puta corporeum Deum, ut Audiani Anthropomorphitæ: otiô deditum neque negotii quicquam habentem, aut aliis exhibentem, fandi nefandique negligentem, aut cultu humanitus adinvento gaudentem, &c. Quod faciunt nostri seculi Epicurei quidam, & stulti illi, de quibus loquitur scriptura, Psal. 10. & 14. & 36. & 50. Item Arriani, cæterique hæretici πολύθεοι, qui Polytheis accensendi sunt.

Vide Instruct. Hist. lib 1. cap. 7 §. 8.

XI. Contra secundam partem officii hic imperati peccant ii omnes, qui à creaturis, aut ab inanibus figmentis exspectant quæ à solo Deo exspectanda. Quomodo peccant omnes πολύθεοι, omnesque illi μονόθεοι erratici, de quibus supra diximus: Pagani in Deorum multitudine spem collocantes, Pontificii à sanctis defunctis ea sperantes, iisque ea accepta referentes, quæ à solo Deo speranda, eidemque accepta referenda sunt, qui solus vitæ mortisque, sanitatis, ægritudinis, divitiarum & paupertatis arbiter est: qui solus peccata condonare, & gratiam dare potest. At (inquies) Pontificii ista non à sanctis exspectant, ut datoribus, sed ut intercessoribus per sua merita apud Deum. Respondeo, hoc ipsum idololatricum est sacrilegium: nam ut solus Deus dator est vitæ, gratiæ, gloriæ, ita etiam solius Domini Deique nostri Jesu Christi merito impetramus vitam, gratiam, gloriam: neque ab ullo alio exspectanda est impetratio meritoria veniæ vitæque &c. ut alibi pluribus ostendimus.

Instruct. Historico-Theolog. lib. 7. c. 1.

XII. Contra eandem hanc partem peccant Pontificii, dum à rebus etiam inanimatis, ut ex contactu reliquiarum, & ex signatione figuræ crucis, sanitatem & incolumitatem ex opere operato sperant sibi eventuram, ipsam peccatorum remissionem ex adoratione crucis &c. sibi spondent. *Bellarmin.* lib. de relig. & imag. sanct. cap. 20. & cap. 30. Ait quidem *Bellarminus*, loco posterius citato, sanctitatem, quæ accedit ex crucis signatione, vel ex contactu reliquiarum, in relatione tantum consistere; qualis est sanctitas crucis, clavorum, vestium, aliarumque rerum quæ tetigerunt Christum, aut sanctos. Hæc ille. Si verum est quod dicit *Bellarminus*, neque alia sanctitas hominibus accedit ex simplici signatione crucis, virtute signi scilicet, tanquam divinitus instituti, ut ipsi loquuntur, vel ex contactu reliquiarum, quam cujus participes sunt res inanimes & felicitatis minimè capaces, aut bonitatis moralis, quales sunt vestes, clavi, lignum crucis &c. sequitur homines ex hujusmodi signatione, aut contactu, neque meliores effici, neque feliciores; & non obstante ista quam accedere fingunt sanctitate, posse signatos istos, & qui reliquias tetigerunt, perire in æternum, exosos Deo; sicut periit Judas, Christum osculatus; & perire potuerunt milites, Christi crucifixores; & alii impii martyrum carnifices; & ille qui ultimo die à latere sancti hominis, cui in uno lecto adhærebit, abripietur in ignem æternum, Luc. 17: 34. non obstante contactu corporis Christi, & corporum sanctorum; & alienos posse esse ab omni vera felicitate, & sanctitate morali, quomodo ab iis aliena sunt lignum, ferrum, vestimentum, &c. ut nullo aut valde exiguo commodo, si *Bellarmini* stet placitum, ista usurpentur.

XIII. Contra eandem hanc secundam officii hic imperati partem peccant omnes illi, qui sibi felicitatem, à solo Deo expectandam, pollicentur ex opibus aut honoribus mundanis, ex eruditione seculari, ex deliciis carnis, ex familiaritate cum dæmonibus, ex imposturis magicis, artibusque præstigiosis, &c.

XIV. Tertia pars officii in parte negativa imperati exigit à nobis, ut quæ soli Domino Deo Israëlis præstare & tribuere debemus, ea aliò non transferamus: ut nulli alii nos in absolutum obsequium addicamus, nullum alium religioso cultu honoremus, id est, nulli alii vota religiosè nuncupemus, nulli alteri templa, sacerdotes, altaria, hostias, dies festos dedicemus, aut sacra faciamus, nullum alium angustiis pressi supplicatione religiosa invocemus, aut adoremus, nulli alii ullam partem gloriæ creationis, redemptionis, totiusque operis salutis nostræ tribuamus.

XV. Contra hanc partem peccant Pagani πολύθεοι adorantes pro diis partim creaturas, de quo genere idololatriæ loquutus est Moses, Deut. 4: 19. Ne (inquit) sublatis in cœlum oculis videas Solem & Lunam, & Stellas, omnem militiam Cœli, & impellaris & incurves te illis, colasque ea, quæ distribuit Dominus Deus tuus omnibus populis sub Cœlo. Quo in genere præ aliis Ægyptii se superstitiosissimos ostenderunt. Partim verò pro diis adorantes inania figmenta.

XVI. Contra eandem hanc partem peccant hodierni Judæi. Unum enim verum Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi & quem misit Jesum Christum, per quem solum patet aditus ad Deum, abnegaverunt. *Qui me odit, & patrem meum odit.* Joan. 15: 23. *Nunc autem & viderunt, & oderunt tum me, tum Patrem meum.* vers. 24.

XVII. Contra eandem partem peccant Muhammedani, & hæretici Samosateniani, omnesque Antitrinitarii, qui Deum verum unum & trinum non colunt, sed idolum quoddam μονοπρόσωπον, quod sibi ipsis commenti sunt, abnegantes Christum, qui est Deus benedictus in secula, Rom. 9: 5. adeoque etiam Patrem: nam *qui non honorat Filium, non honorat Patrem*, Joan. 5: 23. & abnegantes Spiritum sanctum, sine quo nemo Christi est, Rom. 8: 9. & cui ut uni vero Deo nos ipsos in templa debemus, 1 Cor. 6: 19. & 2 Cor. 6: 16.

XVIII. Contra eandem hanc partem peccant Pontificii, qui Angelos & homines defunctos adorant, illisque serviunt, ædes sacras, altaria, preces, thura ipsis dedicant & offerunt, vota nuncupant, dies festos consecrant. De distinctione illa cultus religiosi, quam obtendunt Pontificii, in *Duliam* & *Latriam*, prolixè alibi disseruimus; & ostendimus nihil efficere Pontificios, qui frustra fallaci distinctionis hujus obtentu sacrilegam suam idolomaniam satagunt inumbrare. ubi etiam pluribus disseruimus de templis, votis, & id genus aliis partibus cultus soli Deo debiti, quas Pontificii ad creaturas transtulere.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 7. c. 1. & c. 2. & cap. 4.

XIX. Porro contra hanc eandem partem officii hic imperati peccant Pontificii, transferendo cultum religiosum ad crucem, & crucis imaginem, signumque crucis, & ad vestes, clavos, &c. *Bellarminus* (lib. 2. de Ecclesia triumphante, Cap. 3.) religiosum cultum, quo res istas

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 7. c. 2.

Object. 1. istas etiam inanimes prosequuntur Romanenses, adorando, aliaque officia suffituum & orationum iis exhibendo, cultum, inquam, illum rebus istis deberi, sic ostendere nititur etiam ex sacris literis: Moses discessurus cum populo ex Ægypto, ossa sancti Josephi jam diudum mortui honorificè secum asportavit: ergo non est superstitiosum, neque novum, transferre ossa sanctorum, ut Magdeburgenses in singulis centuriis clamant.

Resp. Respondeo; Jussit Josephus sua transferri ossa, & quidem spiritu prophetico: Præterea terra illa promissa pignus Patriarchis erat Cælestis Patriæ: nihil horum invenire est in superstitiosis illis translationibus apud Pontificios.

Obj. 2. Pergit *Bellarm.* Item Deut. ultimo, Deus ipse corpus Mosis honoravit, dum illud propriis manibus sepelivit. Item 4. Reg. 13. Ossa Elizæi, quum tetigissent mortuum quendam hominem, continuò illum ad vitam revocarunt; ergo Deus non contemnit ossa sanctorum, sed ea honorat, & honorari cupit, dum per illa miraculum tam insigne patravit, item 4. Reg. 23. Josias quum aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen sancti Prophetæ ibidem reperta, asservari jussit; ergo non existimavit Josias reliquias sanctorum delendas esse. Hæc *Bellarminus.*

Resp. Respondeo; ex primo istorum locorum sequitur, Deum non contemnere ossa sanctorum, sed ea honorare; non tamen velle ea coli à nobis ac adorari: sic nos Dei exemplo sanctorum ossa non contemnimus, sed sepulturæ honore honoramus; & ipsos sanctos, quorum ossa terris condimus, honorifica mentione, & virtutum quæ in iis reluxerunt imitatione, Deoque laudes de illorum victoriis canendo, honoramus: etsi neque eos neque eorum ossa adoratione aut invocatione religiosa colimus. Ex hoc primo testimonio, & tertio de Josia, qui, teste Scriptura, mandavit, ut ossa Prophetæ dimitterent, neque ea quisquam moveret, unde & intacta manserunt ossa illius cum ossibus alterius Prophetæ; at non jussit asservari, uti dolosè loquutus est *Bellarminus*, acsi sepulchro eruta asportari, & insepulta asservari atque adorari jussisset, sicuti hodie faciunt Pontificii, sepulchrorum effossores, & ossium insepultorum idololatrici adoratores; ex istis, inquam, duobus testimoniis discimus, quem honorem debeamus sanctorum ossibus, nempe honorem sepulturæ, atque ut sepulta quiescere sinamus. Secundum testimonium quod attinet, de ossibus Elizæi; videmus quidem Dominum ita honorasse Prophetam suum, ejusque doctrinam & vaticinia confirmasse, ut etiam mortui ossa, edito miraculo, non siverit inquietari; at non legimus post illud miraculum effossa esse Prophetæ ossa, & in thecis asservata, mortuisque aut ægrotantibus admota, aut adorata, quod ostendere debebat *Bellarminus*, si hinc suam causam vellet esse suffultam.

De miraculis, vide Instruct. Historico-theolog. lib. 7. cap. 5. §. 21. & Patris mei Tracta- XX. Interim quia & alibi pro adoratione crucis, & reliquiarum, & imaginum, &c. utitur argumento à miraculis sumpto, puta sanationibus, & vivificationibus miraculosis, quas refert *Bellarminus*, lib. de relig. & imagin. sanctorum, simul ac semel respondendum est huic argumento à miraculis sumpto. Dicimus igitur, jam, post absolutum & clausum Scripturæ canonem, nullis nitendum esse miraculis pro suscipienda nova doctrina in Scripturis non tradita. Nam si quis aliud Evangelium nobis evangelizaverit, quam quod accepimus, etiamsi sit Angelus de Cælo, anathema sit. Galat 1: 8. & contra istos mirabiliarios nos cautos fecit Dominus, præmonendo, ne decipiamur Pseudoprophetarum & falsorum doctorum signis etiam magnis, & prodigiis, quæ edituros prædicit, ita ut decipiant, si possibile esset, etiam electos; *Ecce* (inquit) *prædixi vobis*, Matth. 24: 24. & Apostolus Paulus 2. Thess. 2. prædicit, Antichristi adventum futurum secundum efficacitatem Satanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt, eo quod veritatis charitatem non receperint, ut salvi fierent, &c. 2. sive vera sive falsa sint illa miracula, non tamen inde sequitur, adoranda esse miraculorum instrumenta. Invenerit sanè *Helena* ipsam illam ligneam crucem, in qua Dominus passus est: & mulierem etiam fortasse ægram sanaverit, seu potius, admota cruce, illam Deus sanaverit, aut etiam mortuum suscitaverit; hæc (inquam) sive vera sint, sive falsa, non probant adorandam esse crucem. Quodsi certò constaret, vera esse quæ narrantur; responsio in promptu est, voluisse Deum ligni illius conservatione, & indicatione miraculosa, monimentum aliquod passionis Christi infirmis ostendere, non adorandum, sed intuendum; neque per quod semper esset miracula patraturus, aut unde omnes ægroti sanitatem, & viventes suis mortuis resuscitationem expectarent. Quemadmodum neque Elizæi Prophetæ ossibus aut cultum aliquem religiosum exhibitum esse, aut aliorum postea mortuorum cadavera admota, ut vitam reciperent, aut peregrinationes ad ejus sepulchrum ab ægrotantibus factas; neque aspectu serpentis ænei post egressum ex eremo quenquam legimus esse sanatum; quamvis asservatus fuerit in monimentum clementiæ divinæ, quam ostenderat erga populum in eremo; etsi non adoratus, neque oblatum ei thymiama, nisi errore quodam à quibusdam, ac propterea à pio Rege Ezekia confractus est. 2. Reg. 18: 4.

tum Apologeticum, de ministrorum vocatione, § 24 & ibidem nostras annotationes. Vide etiam Andr. Rivet. Jesuit. vapul. cap. 19. §. 7. & seqq.

Obj. 3. *Esai.* 11. 10. XXI. Object. Adhæc de sepulchro Domini (ait *Bellarminus*) legimus Isai. 11., in eum gentes sperabunt, & erit sepulchrum ejus gloriosum. Ex quo loco docet *Hieronymus* Prophetam prædixisse futurum, ut sepulchrum Domini ab omnibus honoraretur. Hæc ille.

Resp. Respondeo; & nos sepulchrum Domini honorandum esse agnoscimus, non adoratione loci, sed adoratione sepulti & resuscitati Servatoris nostri. In Hebraico est [*menuchatho*] requies ejus erit gloria seu gloriosa, Sept. *Καὶ ἔςαι ἡ ἀνάπαυσις ἀυτȣ̃ τιμή.* Hanc requiem Ecclesiam dicere possumus, hoc ipso enim vocabulo Ecclesia designatur, Psal. 132: 14. זאת מְנוּחָתִי *ἄυτη ἡ κατάπαυσίς μȣ*, *hæc requies mea in æternum, hic habitabo, quia eam desideravi. Hieronymus* quidem vertit, *& erit sepulchrum ejus gloriosum*, at verborum istorum *Hieronymus* in Commentario in Esai. 11: 10. scribit hunc esse sensum, *erit mors ejus gloriosa*, ut impleatur illud, quod Salvator in Evangelio precatur, *Pater, glorifica me gloria, quam habui priusquam mundus esset apud te.* (*Joan.* 17. 5.) Dictum est de nativitate ejus, dictum est de cæteris in medio Sacramentis, venit ad mortem, quæ non consueto mortalium nomine, sed quia in Christo erat vita perpetua, requies appellatur: Nos autem ut manifestum legenti sen-

ſenſum faceremus pro dormitione & requie, altero verbo, ſed eodem ſenſu, ſepulchrum vertimus. In tempore igitur illo, quando Chriſti in toto mundo Evangelium coruſcarit, & repleta fuerit omnis terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris terram operientes, erit radix Jeſſe, & qui de ejus ſtirpe conſcendet, in ſignum omnium populorum, ut videant populi ſignum filii hominis in Cœlo, qui habet cornua in manibus ſuis, in quibus abſconditur fortitudo ejus, ut exaltatus omnia trahat ad ſe, ſive, ut Sept. tranſtulerunt, reſurget à mortuis, ut princeps ſit omnium nationum, & univerſæ gentes ſperent in eo. Hactenus *Hieronymus*.

Matth. 24: 30. Habac. 3: 4 Joan. 12: 32.

Obj. 4. Matth. 9: 20. Act. 5: 15.

XXII. Object. Præterea mulier hæmorroiſſa fimbriam Chriſti fideliter attigit, & ſanata eſt, Matth. 9. Neque ſunt reprehenſi populi, Act. 5. qui certatim ad umbram Petri eo modo quo poterant attingendam occurrebant, ſed potius fidei ſuæ præmium retuliſſe dicuntur; & tamen quæ reliquiæ ipſa umbra viliores cogitari poſſunt? neque habiti ſunt ſuperſtitioſi (Act. 19.) qui Pauli ſudaria & ſemicinctia deferebant ad ægrotos, ut etiam nos modo facimus, (ait *Bellarminus*) ſed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus. Hæc exempla, cum illo Eſaiæ vaticinio de ſepulchro, repetens *Bellarm.* libri illius ſecundi de Eccleſ. triumph. cap. 4. §. *ad tertium*: Dico (inquit) cultum reliquiarum non eſſe cultum voluntarium, id eſt, ab hominibus excogitatum, ſed eſſe à Deo inſpiratum, ut patet ex ſcripturis citatis; Nam ſcriptura approbat cultum ſepulchri, fimbriæ Chriſti, item umbræ Petri, ſudariorum & ſemicinctiorum Pauli: (*quamvis huic reſponſioni diffidens addat*,) dico ſecundò, apud Paulum, Coloſſ. 2. ἐθελοθρησκείαν non ſignificare cultum quomodocunque voluntarium, id eſt, non præceptum à Deo, ſed ab homine excogitatum, ſed cultum ſuperſtitioſum, ut noſter interpres rectè vertit, &c. Hæc *Bellarminus*.

Act. 19: 12.

Coloſſ. 2: 23.

Reſp. 1.

Reſp. I. Errat *Bellarminus*, ſi putat, locis citatis, approbari à ſcriptura cultum ſepulchri, & fimbriæ Chriſti, item umbræ Petri, ſudariorum & ſemicinctiorum Pauli. Nam in illis locis nulla vel leviſſima fit mentio aut inſinuatio ullius cultus (θρησκείας) rebus illis exhibiti, neque adoravit mulier fimbriam Chriſti, neque adoraverunt populi umbram Petri, aut ſemicinctia & ſudaria Pauli: imo ne ipſos quidem Apoſtolos adorarunt: ſed mulier adoravit Chriſtum, corporaliter & viſibiliter præſentem, quem ſaltem in fimbria veſtimenti contingere cupiebat, non adoratione veſtimenti, ſed fide in Chriſtum veſtitum, qui multis modis & ad diverſa media ſanationes operabatur, & miracula faciebat interdum verbo, interdum ſputo, interdum etiam luto, præterea & aqua Siloë utens in perficienda ſanatione; non ut inſtrumenta illa proponeret adoranda, ſed ut ſeipſum demonſtraret illum eſſe, qui ſolus adorandus eſt, & cui ſoli eſt ſerviendum. Neque enim quia Deus baculo Aaronis uſus eſt, quando plagas in Ægyptum multiplicavit; aut quia Eurum adhibuit, quando miraculosè ſiccavit mare rubrum, Exod. 14: 21. aut quia Notum adhibuit ad coturnices miraculosè advehendas, Pſal. 78: 16, 17. aut quia ſerpentem æneum populo intuendum ad ſanitatis recuperationem proponi juſſit, Num. 21: 8, 9, &c. propterea adorare licebat vel baculum Aaronis, vel ventos, vel ſerpentem æneum, vel id genus alia externa, quæ Deus adhibebat, non defectu potentiæ, ſed plenitudine ſapientiæ & bonitatis. 2. Aliud eſt Chriſtum præſentem vel in fimbria veſtimenti contingere, & ex eo contactu ſanitatem à Chriſto fideliter expectare, quum Chriſti veſtis ab ipſo ſeparata non ſit, ſed quaſi pars illius externa ſit & adjacens, neque ex veſtis, ſed ex Chriſti veſtiti contactu fideli ſperetur ſalus; aliud verò res inanimes à Chriſto ſeparatas contingere, imo adorare, & ex eo contactu & adoratione incolumitatem ſibi polliceri, abſque ullo mandato aut promiſſione Chriſti, adeoque abſque vera fide: quemadmodum aliud eſt Regem purpura indutum & diadema geſtantem adorare; aliud verò purpuram à Rege ſeparatam, vel diadema ſeorſum jacens, regio honore colere: quo exemplo utitur *Auguſtinus* pro adoratione ipſius humanæ naturæ in Chriſto, apud *Lombardum*, lib. 3. ſent. diſt. 9. Sed illi adhuc (inquit *Auguſtin.*) replicabunt & dicent, quid eſt quod carnem ejus, quam creaturam eſſe non negas, ſimul cum divinitate adoras, & ei non minus quam divinitati deſervis? Ego Dominicam carnem (reſpondet hæreticis *Auguſtinus*) imo perfectam in Chriſto humanitatem ideo adoro, quia à Divinitate ſuſcepta, & Deitati unita eſt, ut non alium & alium, ſed unum eundemque Deum & hominem Dei Filium eſſe confiteat. Denique ſi hominem ſeparaveris à Deo, illi nunquam credo, nec ſervio, velut ſi quis purpuram vel diadema regale jacens inveniat, nunquid ea conabitur adorare? quum verò ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea cum Rege adorare quis contempſerit. In eandem ſententiam *Leo* primus, Epiſcopus Romanus, epiſt. 97. ad *Leonem Auguſtum*, cap. ult. Ita (inquit) Chriſtum unum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum Verbo coadorantes, ne diviſionis quædam ſpecies inducatur, ſed unum jam & eundem adorantes, quia non eſt alienum à Verbo corpus ſuum, cum quo etiam adſidet Patri. Hæc *Leo*. Hæc ſi de ipſa Chriſti humanitate dici poſſunt, quanto magis de veſte, aliiſque extrinſecus attingentibus, nempe, ſi ea à Chriſto ſeparaveris, non eſſe iis credendum, nec ſerviendum? ſic etiam aliud eſt viventis & corporaliter præſentis Petri corpus vel in umbra contingere, aliud oſſa mortua adorare, aut ex eorum contactu ſanitatem ſibi certò polliceri, ſine mandato aut promiſſione divina. Item aliud eſt à Pauli viventis & corporaliter præſentis ac Evangelium prædicantis & miracula virtute Chriſti edentis corpore ſudaria & ſemicinctia ad ægrotos portare, aliud verò ſudaria vel ſemicinctia mortuis oſſibus, neque Evangelium prædicantibus, (ceſſante etiam priſtino miraculorum uſu) admovere, eaque ad ægrotos deferre. De ſuperſtitione autem ἐθελοθρησκείας dicemus pluribus, Deo largiente, in expoſitione ſecundi præcepti, & lib. 3. cap. 6. §. 3. quamvis cultus iſte religioſus, quem Romanenſes exhibent creaturis, ſit manifeſte contrarius verbo Dei, qui ſolus adorandus, & cui ſoli ſerviendum, adoratione & ſervitute religioſa.

2.

Vide Inſtruct. Hiſtorico-theolog. lib. 7. capp. 1. & 2. & 4.

Obj. 5. Pſal. 99. 5.

XXIII. Objectio; ait Pſaltes, exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. Pſal. 99: 5. adorate ſcabellum pedum ejus; corpore ſcilicet, (ut interpretatur *Bellarm.* in Commentario hujus Pſalmi) incurvantes & proſternentes vos ad arcam fœderis, quæ eſt ſcabellum pedum ejus: quoniam arca ſive ſcabellum hujuſmodi

 ſan-

sanctum est, propter relationem ad Deum cui dicata est, & propter ejus honorem adoratur. Ex hoc loco satis apertè colligitur, res sacras, ut imagines Christi & sanctorum, reliquias earundem, & altaria, sacra vasa, & similia, propter relationem ad Deum, vel sanctos, sanctas esse, & honoraria adoratione dignas. (*paulo post*) Neque solum (inquit) adorandam esse Christi humanitatem, ut est in propria forma, sed etiam ut latet sub speciebus sacramentalibus in Eucharistia, docent ex hoc loco Psalmi Sanctus *Ambrosius*, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. & S. *Augustinus*, in Explicatione hujus versiculi: ex quo refellitur alius error hæreticorum, qui negant, Christum in Eucharistia esse adorandum. Hæc *Bellarminus*.

Respondeo; Hebraicè est, הִשְׁתַּחֲווּ לַהֲדֹם רַגְלָיו ad verbum, *adorate ad* [sive *versus*] *scabellum pedum ejus*, vel *in scabello*, id est, in Templo, sicut in fine ejusdem Psalmi, הִשְׁתַּחֲווּ לְהַר קָדְשׁוֹ ad verbum, *adorate ad* [seu *versus*] *montem sanctum ejus*, vel *in monte sancto ejus*. Neque ratio reddi potest ex Hebræo textu, cur verba utrobique non eodem modo accipi debeant: fatentur enim adversarii, non proponi adorandum montem, sed adorationem imperari præstandam Deo *in monte ejus sancto*, sicut est in vulgata versione Latina, aut *versus montem ejus sanctum*, εἰς ὄρος ἅγιον ἀυτȣ͂, ut est in editionibus Græcis; & tamen volunt scabellum nobis proponi adorandum, quia scilicet in Græca editione dicitur, προσκυνεῖτε τῷ ὑποποδίῳ τῶν ποδῶν ἀυτȣ͂, & in Latina vulgata, *adorate scabellum pedum ejus*. item in versione *Hieronymi* ex Hebræo. Atque his solis, nulla addita ratione, testimoniis fretus *Bellarminus* credendum dictat, non eodem modo accipi debere versiculum Hebraicum in utroque loco, & retinendam esse versionem vulgatæ Latinæ editionis, quippe quæ & à Græca Septuaginta interpretum, & à Sancto *Hieronymo* testimonium habeat. Cui respondemus: Fatemur quidem versionem Septuaginta, quæ apud *Hieronymum* exstat, & utramque *Hieronymi* versionem, tum ex Græco Septuaginta, tum ex Hebræo, habere *adorate scabellum pedum ejus*: Fatemur etiam, verbum Hebræum הִשְׁתַּחֲווּ habere post se ל *Lamed*, etiam quando significatur adoratio ipsius rei, cujus vocabulo præpositum est ל, ut Psal. 97: 7. Deut. 4: 18. sed non semper significatur adoratio illius rei, cujus vocabulo præmittitur verbum *Hischtachavu* cum *Lamed*, ut patet ex fine Psalmi 99. *Hischtachavu Lehar Kodscho*, *incurvate vos monti* seu potius, *adorate ad montem*, εἰς ὄρος, ut Sept., vel, *in monte sanctitatis ejus*, seu, *in monte sancto ejus*, ut vertit *Hieronymus* tum ex Græco Sept. tum ex Hebræo, & Psal. 132: vers. 7. נִשְׁתַּחֲוֶה לַהֲדֹם רַגְלָיו, ubi Septuaginta verterunt, προσκυνήσομεν εἰς τὸν τόπον ȣ̓ ἔςησαν οἱ πόδες ἀυτȣ͂, *adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*. Et similiter *Hilarius*, & vulgatus Latinus interpres, quem locum *Hugo* Cardinalis, in suo Commentario, ait similem esse illi loco Psalm. 138: vers. 2. אֶשְׁתַּחֲוֶה אֶל־הֵיכַל קָדְשְׁךָ *Hieronym.* ex Hebræo, *adorabo in templo sancto tuo.* Sept. προσκυνήσω πρὸς ναὸν ἅγιον σȣ. *Hieronym.* ex Græco Sept. *adorabo ad templum sanctum tuum.* Propterea ut certò dignoscamus, quando intelligenda sit adoratio ipsius rei, cujus nomen in textu reperitur, & quando non rei illius, sed in illa re, vel versus illam rem, adoratio Dei accipienda sit, respicere oportet ad religiosæ adorationis objectum illud unum & solum, in scriptura

Regula.

commendatum, juxta illud, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, Math. 4: 10. quotiescunque igitur verbum הִשְׁתַּחֲוָה religiosam adorationem significans, præponitur vocabulo meræ creaturæ, sciendum est, adorationem intelligi non creaturæ illius, sed Dei in illo loco, vel cum conversione corporis versus illam rem, ut institutum divinitus symbolum divinæ præsentiæ, & ad quam respicere jussit Deus, sine ulla tamen adoratione illius rei, puta templi, vel Arcæ fœderis, &c. sicut exponunt locum citatum Psalmi 132. *Hilarius*, & *Hieronymus*, *Hugo Cardinalis*, per locum ubi steterunt pedes ejus intelligentes Ecclesiam Dei, in qua prædicarunt Apostoli.

Vide supra § 6.

Vid. 1 Reg. 8: 30, 33. & 2 Chron. 6: 21. & Dan 6: 11.

XXIV. Quia autem invaluerat ea lectio, quam tradiderant Septuaginta interpretes, Psal. 99. *Adorate scabellum pedum ejus*, propterea interpretes *Ambrosius*, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. *Hieronymus*, *Augustinus*, & *Hugo Cardinalis*, in Commentariis, locum illum mysticè interpretati sunt; per scabellum intelligentes humanitatem Christi, seu Christum hominem, qui adorandus est eo quod Deus sit, neque neganda personæ adoratio, eo quod homo sit. Inprimis perspicua est *Ambrosii* oratio; Sed ne forte (inquit) propositum aliquos præterfugere videatur exemplum, qua ratione ad incarnationis Dominicæ sacramentum spectare videatur, quod ait Propheta, *Adorate scabellum pedum ejus*, consideremus: non enim ex usu hominum æstimare debemus scabellum, neque enim corporalis Deus, aut non immensus, ut tanquam fulcrum pedibus ejus scabellum subjectum putemus: neque adorandum quicquam præter Deum legimus, quia scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies*, quomodo ergo adversus legem Propheta præciperet, sub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæstio, & ideo diligentius consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi; *Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum*: sed neque terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Jesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt. Neque enim divisus Christus, sed unus, neque quum adoraretur tanquam Dei filius, natus ex Virgine negabatur. Quum igitur incarnationis adorandum sit sacramentum, incarnatio autem opus spiritus sit, sicut scriptum, *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi adumbrabit tibi, & quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*; haud dubiè etiam Sanctus Spiritus adorandus est, quando adoratur ille, qui secundum carnem natus ex Spiritu est. At ne quis hoc derivet ad Mariam Virginem, Maria erat templum Dei, non Deus templi, & ideo ille solus adorandus, qui operabatur in templo. Hæc *Ambrosius*, lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12. quibus verbis omnem adorationem religiosam soli Deo vindicat, eamque nec Mariæ Virgini, nec ulli meræ creaturæ communicari posse contendit.

Psal. 98: (seu 99) vers. 5.

Deut. 6: 13. & 10: 20. & Math. 4: 10.

Isai. 66: 1.

Luc. 1: 35.

XXV. Tertio, contra tertiam partem negativam primi præcepti peccatur à Romanensibus, adorando sacramentum Eucharistiæ. Sicut alibi prolixè ostendimus.

XXVI. Contra hanc præcepti partem peccant etiam hypocritæ illi idololatræ, de quibus Eze-

Vide Instruct. Historico-theolog. lib. 7. cap. 2. & lib. 12. cap 13.

Ezechiel. 14. qui posuerunt idola sua in cordibus suis, & offendiculum iniquitatis suæ ante faciem suam, atque ita consilium petunt à Domino.

XXVII. Contra eandem tertiam partem præcepti primi negativam peccant divinatores, seu Chaldæi, quos & Mathematicos & Genethliacos & Astrologos vocant, qui ex notatione siderum prædicere præsumunt, hominum nascentium mores, actus, eventa, qui magnus error & magna dementia est, (inquit *Augustinus* lib. 2. de doct. Christiana, cap. 23. Contra quam dementiam prolixè disserit *Origenes* in Philocalia, cap. 22.) Item præstigiatores, augures, malefici, incantatores, pythonici, & pythonissæ, quique eos consulunt. Item magi, & qui à mortuis responsa petunt, Deut. 18: 10, 11. huc referendi sunt professores & studiosi superstitiosarum artium, quæ ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta exstiterunt, ut docet *Augustinus*, lib. 2. de doctrina Christiana cap. 22. & 23. Et huc referenda est omnis superstitio in iis quæ instituta ab hominibus sunt ad facienda & colenda idola; pertinentia vel ad religiosè colendam creaturam, partemve ullam creaturæ, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, item, aruspicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis, atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes: item inanissimæ illæ observationes vulgi de calcando limine, de obviantibus, aut viam trajicientibus, &c. de quibus vide *Augustin.* lib. 2. de doctr. Christ. cap. 20. In quibus omnibus doctrinis societas dæmonum formidanda atque vitanda est, sive prædicatur id quod eventurum est, eventusque sequatur, sive non sequatur eventus. Deut. 13. *Augustin.* lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 23.

XXVIII. Contra eandem præcepti primi partem peccant avari, quos Scriptura idololatras vocat, Ephes. 5: 5. eò quod, vero Deo relicto, Mammonæ serviant, Matth. 6: 24. item luxuriosi, quorum Deus venter est, Philip. 3: 19. & in universum illi omnes, quorum pectora ita occupavit hujus seculi dilectio, ut inde Dei dilectionem expectoraverit, 1 Joan. 2: 15. quo in genere sunt illi qui Patrem aut matrem, uxorem aut liberos, propinquos aut amicos, domum aut opes; aut honores, aut voluptates, aut propriam ipsorum vitam, aut voluntatem, Christo anteponunt. Luc. 14: 26, 27. qui hominibus potius quam Deo parent. Act. 5: 29.

XXIX. Hujus præcepti officio comprehenditur etiam necessaria cautela in vitandis idololatriæ occasionibus; non ut omne cum idololatris commercium simpliciter fugiamus 1 Cor. 5: 10. neque ut à legendis gentilium libris prorsus abstineamus; sed ut à periculosa cum illis consuetudine, quoad ejus fieri potest, nobis caveamus. Deut. 7: 3, 4. & cap. 12: 20, 21. & 2 Cor. 6: 14. Prov. 14: 7. & 1 Cor. 15: 13. & 1 Thess. 5: 22. atque ut lectioni accedat pia vigilantia, ut, implorato Dei auxilio, phaleratis τῆς ψευδωνύμου γνώσεως non seducamur præstigiis, sed ut verum, ubicunque repertum, approbemus, falsa autem rejiciamus.

Vide supra cap. 5. §. 5.

XXX. Contra primum præceptum peccant superbi: qui *vel* divinos sibi honores poscunt, aut deferri sinunt, ut olim ille princeps *Tyri*, Ezech. 28: 2. & *Herodes*, Act. 12: 22, 23. & *Domitianus*, Romanorum Imperator, qui se Dominum & Deum dici voluit, testibus *Suetonio*, & *Sexto Aurelio Victore*, & *Eutropio*. Et citerioribus seculis *Papa Romanus*, postquam in Dei Templo sese extulit supra omne quod dicitur Deus, & divinos admisit honores; *vel* Deo bellum indicunt, ut olim *Pharao*, & *Julianus Apostata*; *vel* Dei verbum contemptim rejiciunt, eique se subjicere non dignantur, & elata manu peccata committunt; de quo hominum genere loquitur Scriptura, Num. 15: 30, 31. & Deut. 29: 19. *vel* in afflictionibus aut in angustiis Deo obloquuntur, & recalcitrant, eique limitem ponunt, & eum tentant, Psalm. 78. *Non per omnia Deo gratias agere, quid est aliud, quam ex quadam eum parte reprehendere?* inquit *Leo* primus, Papa Rom. Serm. 1. de jejunio decimi mensis. Apostolus docet hanc esse erga nos voluntatem Dei in Christo Jesu, ut in omnibus gratias agamus. 1 Thess. 5: 18. adeo ut etiam quando affligimur, dicere debeamus cum beato Job, *sit nomen Domini benedictum*, Job. 1: 21. vide Psal. 145: 10, 17. & Rom. 8: 28. *vel* adversus Deum ingrati, dona Dei sibi ipsis accepta referunt, ac si ea non accepissent. Deut. 8: 17. Esai. 10: 13. Habak. 1: 16. Dan. 4: 27. 1 Cor. 4: 7. *vel* ita Deo gratias agunt, ut Dei beneficia vertant sibi in occasionem superbiæ, ut illi qui de monte sancto Domini superbiebant. Zeph. 3: 11. Jerem. 7: 4, 14. *vel* ita gratias Deo agunt, ut ad sua errata cæcutiant, & alios præ se despicatui habeant, Esai. 65: 5. Luc. 18: 11. De talibus dixit *Augustinus*; *Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit & sacer Psalmus; Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine, id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quærendo suum.* Hæc *Augustinus*, lib. 14. de Civitate Dei, cap. 13. Idem etiam alibi loquens de eis qui secundum Dei propositum vocati sunt; *Talibus* (inquit) *Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* *Augustin.* lib. de correptione & gratia, cap. 9. & alibi ait; *Vitiorum omnium humanorum causa superbia est.* *Aug.* lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 17. vide Ecclesiastic. cap. 10: 15. Vide etiam *Occam.* lib. 6. de hæreticis, quæst. 11.

Vide Institut. Histor. ecclesiast. lib. 14. cap. 6.

Rom. 8: 28.

XXXI. Dum prohibetur superbia, humilitas imperatur, quæ inter ornamenta electorum Dei connumeratur. Coloss. 3: 12. 1. Petr. 5: 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* Matth. 5: 3. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. Prov. 3: 34. LXX. Jacob. 4: 6. 1. Pet. 5: 5. *Nec aliam tibi* (ait *Augustinus*) *ad capessendam & obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab illo,* [videlicet Christo] *qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem,*

rem, non quo alia non sint præcepta quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia, quæcunque benefacimus, & præcesserit & comitetur & consequuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia: vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam in recte factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaque sicut rhetor Demosthenes. *ille nobilissimus, cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere, pronunciationem dicitur respondisse: cum quæreretur quid secundo, eandem pronunciationem: quid tertiò, nihil aliud quam pronunciationem dixisse: si interrogares & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret.* Hæc *Augustinus*, epist. 56. quæ de curiosis quæstionibus scripta est ad Dioscorum. *Humilitas magistra est omnium materque virtutum*, inquit *Gregorius* I. Papa Rom. lib. 23. Moralium, cap. 13. *Custos sanctitatis charitas, locus autem hujus custodis, humilitas*, inquit *Isidorus* Hispal. lib. 2. de Ecclesiasticis officiis, cap. 5. Recte monet autor illorum versuum:

Si tibi copia, si sapientia, formaque detur;
Sola superbia destruit omnia, si dominetur.

Et *Claudianus* in Panegyri in quartum consulatum *Honorii* Augusti,

Inquinat egregios adjuncta superbia mores.

Ante destructionem effert se animus viri, honorem verò anteit humilitas. Prov. 18: 12.

CAPUT XVI.

Quid denotetur nomine conscientia.

PRÆCEPTO primo Decalogi continetur fundamentalis ratio conscientiam obligans ad obsequendum etiam reliquis præceptis, nempe, quia sunt Domini præcepta, quem solum habere atque agnoscere & colere debemus ut verum Deum, adeoque omnibus ejus mandatis obedire. Quo spectat illa Jacobi ratiocinatio; *qui totam legem servaverit, offenderit vero in uno, factus est omnium reus; nam qui dixit, Non mœchaberis, dixit etiam, Non occides. Si verò non fueris mœchatus, occideris autem, factus es transgressor legis.* Jacob. 2: 10, 11. Propterea dixit Psaltes; *Tu præcepisti decreta tua, ad custodiendum valdè. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendum statuta tua. Tunc non afficiar pudore, cum respexero ad omnia præcepta tua.* Psal. 119: versib. 4, 5, 6. Hinc est quod leges divinæ, etiam de officiis erga proximum, obligant conscientiam, propter autoritatem legislatoris Dei, Rom. 13: 5. Vide supra cap. 3. §. 2. estque hæc nata lex, cordibus hominum incisa, testimonium perhibente ipsorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus, ut loquitur Apostolus, ad Rom. 2: 15. Ex hoc fonte legis naturæ promanarunt etiam apud Ethnicos, insignes illæ quæ in gentilium scriptis reperiuntur sententiæ, de colendo Deo, de honorandis parentibus, de colenda justitia, de fugiendo inprimis peccato, & de cura bonæ conscientiæ. *Tibi persuade*, (inquit Cicero) *præter culpam, ac peccatum, homini accidere nihil posse, quod sit horribile aut pertimescendum*, lib. 5. epistolarum familiarium, epist. 21. seu ult. L. Messinio. Idem etiam eodem libro 5. epist. 17. *P. Sextio*; *Et illud adjunges, homines sapientes turpitudine, non casu, & delicto suo, non aliorum injuria commoveri.* Et ad *Atticum*, lib. 13. epist. 20. *In omni* (inquit) *vita sua quemque à recta conscientia, transversum unguem non oportet discedere.* Hæc *Cicero*, docente natura, seu Deo per lumen judicii naturalis, & inditæ homini conscientiæ. Concordant illa cum doctrina in sacris scripturis nobis tradita. Scimus autem ex sacris literis, ut habeatur & custodiatur bona conscientia, necessariam nobis esse fidem, sine qua impossibile est placere Deo. Hebr. 11: 6. & sine qua quicquid fit, peccatum est. Rom. 14: 23. Rectè dixit *Innocentius* III. Papa Romanus; *Omne, quod non est ex fide, peccatum est: & quicquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.* Extra, De restitutione spoliatorum, cap. 13. *Literas.* Primo autem Decalogi præcepto jubemur *πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πολιτεύεσθαι τῷ Θεῷ*, ut verbis utar Apostoli Pauli apud Lucam; Act. 23: 1. omni conscientia bona conversari coram Deo. Propterea non erit à præsenti negotio alienum, si brevem tractatum de conscientia, hoc loci, lectori exhibeamus.

II. *Origenes*, paulo ante medium libri secundi in Epist. ad Romanos, & apud *Thomam* part. 1. qu. 79. art. 13. scribit conscientiam esse spiritum correctorem & Pædagogum, animæ sociatum, quo separatur à malis, & adhæret bonis.

III. *Hieronymus*, Comment. in cap. 1. Ezech. quaternas illas animalium facies, ex quorundam mente, symbolicè exponens, juxta *Platonicam* animæ partitionem; per faciem humanam designari scribit *τὸ λογικὸν* animæ nostræ; per Leoninam *τὸ θυμικόν*: per bovis faciem, *τὸ ἐπιθυμητικόν*. Deinde addit, quartum aliquid poni in anima, quod super hæc & extra hæc tria est, græcisque *συντήρησις* (id est, conservatio, vocatur. Quæ scintilla conscientiæ etiam in Cain ejecto non exstincta. Item spiritus ille hominis sciens ea quæ hominis sunt, & ipsa conscientia *Hieronymo* nuncupatur; hanc autem refert ad vultum aquilinum, non se miscentem cæteris, sed tria errantia corrigentem; hæc est, qua, victi voluptatibus vel furore, ipsaque rationis decepti similitudine, nos peccare sentimus. Hæc *Hieronymus*.

IV. *Thomas* tamen p. p. qu. 79. art. 12. & 13. & in 2dum sententiarum, dist. 24. qu. 2. conscientiam distinguit à synteresi, ut actum ab habitu. Sicut autem principia speculabilium per se nobis nota, neque ratiocinationis egentia, insunt animæ nostræ per habitum ejusmodi principiorum, qui habitus appellatur intellectus, distinguiturque à scientia, habitu conclusionum, & à ratiocinatione, quæ est actus per quem conclusio ex principiis deducitur. Ita etiam habitum nobis necesse est inesse principiorum operabilium, ex quibus ratio practica conclusionem inferat practicam; & hunc habitum Thomas dicit esse *συντήρησιν*, principia autem operabilium sunt, e. g. Deum esse colendum, malum fugiendum, &c.

V. Quamvis autem habitus iste conscientia appelletur, quia est habitus principiorum, quæ per conscientiam ad ea quæ agimus applicantur: propriè tamen conscientiam dicit esse ipsum actum seu ratiocinationem practicam, & scientiæ nostræ ad ea quæ agimus applicationem ex principiis syntereticis. Idem etiam conscientiam esse ait conclusionem quandam particularem, vel agendi, vel fugiendi; non affectivam,

ut

ut est electio, sed cognitivam. Conclusionem, inquam, syllogismi, cujus majorem suppeditat synteresis, minorem ratio superior vel inferior; conclusionis autem inde elicitæ consideratio est consideratio conscientiæ; verbi gratia, (*inquit Thomas*) synteresis hanc proponit; Omne malum est vitandum, ratio superior hanc assumit, adulterium est malum, quia lege Dei prohibitum; sive ratio inferior, quod ei est malum, quia injustum sive inhonestum: conclusio autem, quæ est, adulterium hoc esse vitandum, ad conscientiam pertinet, & indifferenter, sive sit de præsenti, vel de præterito, vel de futuro: quia conscientia & factis remurmurat, & faciendis contradicit.

VI. Idem etiam tres actus enumerat conscientiæ, pro triplici applicatione nostræ scientiæ ad ea quæ agimus; quæ quidem applicatio, (ait *Thomas*) fit tripliciter: uno modo, secundùm quod recognoscimus aliquid nos fecisse vel non fecisse; sic autem conscientia dicitur testificari: alio modo, cum judicamus secundum nostram conscientiam aliquid esse faciendum vel non faciendum; sic autem dicitur conscientia ligare vel instigare. Tertio modo, quando secundum conscientiam nostram judicamus aliquid bene vel male esse factum; & secundùm hoc conscientia dicitur excusare vel accusare seu remordere. Hæc *Thomas*.

VII. Nos sententiam nostram de conscientia, quam sacris literis consentaneam judicamus, hoc & tribus sequentibus capitibus aperiemus: idque hoc ordine. 1. Ostendemus quid nomine conscientiæ denotetur. 2. Discrimen indicabimus inter conscientiam & prudentiam. 3. Dicemus de actibus conscientiæ diversis, in quibus conscientia præcipue spectatur. 4. Quædam subjiciemus de conscientiæ multiplici statu, variisque ejus attributis.

1. VIII. Conscientia etsi præcipuè in actibus perspicitur, denotat tamen aliquando habitum syntereticum, qui est principiorum ejusmodi, ex quibus deducitur conclusio conscientiæ. Sic *Hieronymus* synteresin appellat ipsam conscientiam. Principia autem quæ per synteresin nobis infunt; sunt ipsa illa lex inscripta omnium mentibus, quam Apostolus intellexit, quando dixit, gentiles lege destitutos, sibi ipsis esse legem. Rom. 2: 14. scripto etiam aut vocali magisterio proposita eadem principia statim fidem inveniunt, sine investigatione rationis: ut Deum esse honorandum: malum & exitiale fugiendum, &c.

2. *Secundò*, Conscientia significat actum testificationis, vel citationis, vel ad tribunal adductionis, vel illationis conclusionis practicæ aut judicialis ex principiis syntereticis: seu illationem conclusionis ex præmissis à synteresi & ratione superiore suppeditatis. Majorem synteresis, minorem verò ratio superior ministrat. Ratio, inquam, superior, quia ratio inferior per se non obligat conscientiam. Exempli gratia: omne malum est fugiendum: hanc propositionem non admittit conscientia, nisi eam restringas, ita ut ei minor subjungatur ex ratione superiore, sic, quidquid Deo displicet est fugiendum; at fornicatio Deo displicet, est enim à Deo vetita; ergo fornicatio fugienda est. Hæc est conclusio conscientiæ. At si dicas, omne malum est fugiendum; & hanc propositionem sic intelligas, quicquid valetudini corporis officit, quicquid hominem ad paupertatem redigit, est fugiendum; at adulterium est tale malum, corporis valetudini officiens, & pauperiem adferens; ergo adulterium est fugiendum. Ista conclusio, ut sic illata, nec altiore suffulta adminiculo, medica quidem erit, & politica, at conscientiam non obligat: neque enim admittit conscientia, fugienda simpliciter esse omnia istiusmodi mala, imo monstrabit esse interdum eligenda istiusmodi mala, quæ corpori molesta sunt, pauperiemque adferunt: si nempe ita postulet Dei voluntas, dictetque recta ratio superior; quam solam respicit conscientia in actu legali, plerisque etiam judicialibus, ut postea apparebit ex ipsorum actuum explicatione. Idcirco Apostolus Paulus subjici nos oportere ait superioribus potestatibus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, Rom. 13: 5. id est, non solum propter respectum politicum, quem dictat nobis ratio inferior, ne scilicet principis iram experiamur; sed etiam, & quidem multo magis, propter respectum religiosum, quem nobis dictat ratio superior, ne videlicet iram Dei omnipotentis in nosmetipsos accersamus. Hanc ratiocinationem religiosam intelligit Paulus Apostolus, inquiens, opus legis scriptum esse in cordibus hominum, simul perhibente testimonium conscientia ipsorum, & accusantibus aut etiam excusantibus inter se ratiocinationibus, Rom. 2: 15.

Tertiò, Conscientia est ipse habitus istiusmodi conclusionum, etiam cessante actu: neque enim homo dormiens aut ebrius amittit penitus omnem scelerum suorum conscientiam, quamvis ea non se prodat in actu. Hoc sensu dicimus, hominem habere bonam vel malam conscientiam comitem indivisam, quæ semper quidem adsit, quamvis non semper operetur. Dicitur cor nostrum purgari à mala conscientia, Hebr. 10: 22. id est, non solum ab actibus, sed etiam ab ipso habitu malæ conscientiæ. Et hoc etiam sensu jubemur habere seu retinere fidem cum bona conscientia, sine qua fides non existit. 1 Tim. 1: 19. 3.

Quartò, ipsa mens practica, qua tali habitu induta, aut talem actum perficiens, appellatur conscientia. Quo sensu dicitur conscientia nostra purgari ab operibus mortuis. Hebr. 9: 14. & a Diaconis exigitur, ut habeant mysterium fidei in conscientia pura. 1 Tim. 3: 9. id est, in anima bene sibi conscia. Eodem sensu Joannes Apostolus conscientiæ opus tribuit cordi; *si*, inquit, *cor nostrum nos condemnaverit, major est Deus corde nostro*, &c. 1 Joan. 3: 20. 4.

Denique, moralis illa reverentia & cura tuendæ bonæ conscientiæ, conscientia dici solet; quo significatu dicimus, homini improbo nullam esse conscientiam; hominem verò pium habere conscientiam, seu, ut vulgo loquuntur, esse conscientiosum, id est, bonæ conscientiæ studiosum. Quo sensu etiam dici solet, multis hominibus inesse plus scientiæ, quam conscientiæ; nonnullis etiam plus conscientiæ, quam scientiæ.

CAPUT XVII.

Discrimen inter conscientiam, & prudentiam; interque synteresin, & intellectum practicum, pro habitu sumptum.

I. PRUDENTIA, largiore accepta significatu, est, per quam dispicit aliquis, quibus mediis, qua via facilè, caute, circumspectè, & tutò perficere possit quod intendit. Conscientia est, quæ coram Deo nos officii nostri commonet,

monet, atque edicit, addita sanctione severissima, ne quid vel animo designemus, vel ore loquamur, vel opere perficere studeamus, nisi quod Deo acceptum sit; neque ullis nisi Deo probatis mediis uti audeamus: comparendum enim nobis esse ad Dei Judicis tribunal, omniumque consiliorum dictorumque & factorum rationem Deo reddendam. Inde vocabulum *συνείδησις conscientia*, id est, cum alio, nempe cum Deo, scientia. Monet enim conscientia, ut scias & memineris te versari in conspectu Dei, cujus perspicacissimis oculis nihil ne in penitissimis quidem animæ recessibus latens occultum est. Intendit igitur oculum conscientia ad omniscii & omnipotentis judicis oculum omnia lustrantem & observantem, atque ad ipsius tribunal hominem trahit: exigitque sinceritatem & timorem Dei. Prudentia verò cautionem exigit peritiamque & dexteritatem in agendo eo quod moliris, sive illud conscientia approbet, sive non approbet. Conscientia monet, quid facere, quid omittere debeas ex officio, & jure servitutis Deo debitæ: at prudentia deliberat & judicat, utrum sequendum, an non sequendum sit dictamen conscientiæ, & quibus mediis quod eligis, effectum reddere possis. Sic conscientia dictat non esse furandum, aut mœchandum; at falsa prudentia, seu sibi mentiens imprudentia, sæpe judicat utrumque esse faciendum, insuper habito conscientiæ dictamine.

II. Sæpe contingit, ut inveniatur aliquis valde studiosus conscientiæ, qui tamen parum prudens sit, quales sunt multi *ἄκακοι* [minimè mali] Christiani, qui simplicitatem habent columbinam, sine prudentia serpentina; nec de grege tantùm Christiani, sed etiam nonnulli pastorali fungentes munere inveniuntur pii quidem, & Dei timentes viri, at non satis prudentes, non satis observantes idonea tempora, & diversos hominum mores atque ingenia. E contrario etiam reperire est prudentiam serpentinam, sine simplicitate columbina, id est, absque candore & sinceritate, sine cura bonæ conscientiæ, qualis fuit prudentia antiqui illius serpentis Diaboli, in decipiendis primis hominibus; & Pharaonis, in vexandis & supprimendis Israelitis; & Achitophelis, in consilio de persequendo Davide. Qualis etiam reperitur in multis Christianum nomen professis hypocritis, sive ii pastores sint, sive tantum auditores, qui ita se cautè & in speciem religiosè gerunt, ut sanctissimos putes, cum tamen intus lupi sint rapaces, putredine & illuvie intus squalidi sint.

III. At neque sine prudentia conservari illæsa potest conscientia, neque verò & *ἁπλῶς* prudens est, qui non ad servandum *ἀπρόσκοπον συνείδησιν* inoffensam conscientiam prudens est. Imò ea demum vera & summa hominis prudentia est, providere ne Deum & propriam conscientiam offendat. Ideo una eademque actio secundùm virtutem moralem, tum conscientiæ dictamen est, tum prudentiæ: Conscientiæ quidem, ut est pars officii hominis Deo debiti, quod ab homine exigit Deus, proposita morigeris mercede, & contumacibus pœna æterna; prudentiæ verò dictamen est illa actio, ut homini eam præstanti conveniens, & bona ac fructuosa. Hanc autem actionem ideo bonam esse, adeoque præstandam dictat prudentia, vel quia via est ad magistratum in civitate adeundum, ad opes, & famam consequendam, ad amicos conciliandos &c. & hæc non nisi inferior quædam prudentia est, quæ homini stulto convenire potest: vel quia bonum est homini, Deo placere, ejusque iram non provocare, & bonum est conscientiæ non contraire, &c. Per hanc autem actionem Deo placemus, iram ejus evitamus, conscientiam intemeratam custodimus, &c. Atque hæc demum vera, salutaris, & (ut ita loquar) prudens prudentia est: Est enim præcipua prudentia, quæ homini revera stulto non convenit. Omnis alia prudentia, sine hac, est imperfecta, & quæ hanc insuper habet, aut spernit, imprudens prudentia est, seu potius calliditas, astutia, versutia. Propterea ille solus Christo *ἀνὴρ φρόνιμος vir prudens* est, qui verbis Christi auditis obedientiam præstat: qui verò Christi monitis non paret, stultus est. Matth. 7: 24, 26. quod ut clarius elucescat, utamur sequenti distinctione prudentiæ hominis. *Vide lib. 3. cap. 5 §. 6.*

IV. Prudentia hominis in hac vita, triplex est, videlicet, Theologica, & Secularis sive humana, & Diabolica. Prudentia Theologica secularem jure gubernat, diabolicam oppugnat. Diabolica prudentia Theologicam oppugnat, & secularis prudentiæ regimen injustè deposcit. Prima simpliciter laudanda est, hominemque facit beatum; postrema simpliciter abominanda est, hominemque reddit Deo exosum & miserum: Media, videlicet secularis seu humana prudentia, neque per se facit hominem beatum, neque miserum simpliciter, sed tantum quatenus vel Theologicæ vel Diabolicæ imperio subjecta est. Duæ illæ, videlicet, Theologica & Diabolica in uno homine simul non consistunt: quia utraque vult imperare, neutra subjici; itaque certant de imperio: at secularis cum utralibet consistit, parere non recusans. Diabolicam appello cum Jacobo Apostolo, cap. 3: 15. non à subjecto, sed ab imitatione & similitudine, quia similis est sapientiæ practicæ seu prudentiæ Diaboli. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat.* 1. Joan. 3: 8.

V. Promiscuè autem utentes vocabulis sapientiæ & prudentiæ, intelligimus sophiam practicam, quæ *φρόνησις* est: nam non modo Philosophi dicti sunt ii, qui fuerunt prudentiæ studiosi, & studium prudentiæ Philosophia, sed etiam Sacra Scriptura sapientiam (practicam scilicet, id est, prudentiam) refert ad praxin, Job. 28: 28. Timor Domini sapientia est. & Jacob. 3: 13. *εἴ τις σοφὸς καὶ ἐπιστήμων ἐν ὑμῖν, δειξάτω ἐκ τῆς καλῆς ἀναστροφῆς τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν πραΰτητι σοφίας.* Item Ephes. 5: 15, 16, 17. *Βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι ἀλλ' ὡς σοφοί ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι· διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες τί τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου.*

VI. Prudentia secularis tripartita seu triplex est, videlicet, Ethica seu privata, domestica, politica. Harum quælibet multas sub se continet species vel partes prudentiæ. Alius prudens est ad ditescendum; alius ad amicos conciliandos; alius ad evitandum importunas & quieti inimicas interpellationes; alius ad principem quando, ubi, quo ritu, & qua oratione expedit, adeundum & compellandum; alius prudens est in conviviis apparandis & moderandis, alius novit se prudenter gerere in mensa, in convivio, in variis hominum cœtibus; alius prudens est in mercatura exercenda; alius in familia regenda; alius ad rempub. administrandam; alius ad bellum gerendum; alius ad fidem hominibus habendam, vel non habendam; alius ad fraudem detegendam, vel retundendam; alius ad matrimonia contrahenda, vel dissolvenda; alius ad concordiam inter partes foven-

dam,

dam, vel discordiam ferendam; alii ad alia. Reperies fortasse, qui omnimoda ista seculari prudentia instructi sint, rari tamen sunt istiusmodi homines: vix enim invenies, quibus non aliqua pars desit prudentiæ, imo in hominibus imperfectis, quales nos sumus, ea non postrema prudentiæ pars est, agnoscere suam ad multa imperitiam, & huic malo remedium prudenter quærere, vel consilium opemve implorando hominum in eo genere prudentium, vel abstinendo donec acquiratur aliqua etiam ad istas res gerendas peritia atque prudentia.

VII. Hæc prudentia secularis in se bona est, ad hanc scilicet vitam degendam, etiamsi ad perfectam æternamque illam beatitudinem obtinendam non sufficiat prudentia secularis. Sed accedat oportet prudentia Theologica, qua regatur prudentia secularis, & sine qua homo non est simpliciter *Φρόνιμος*, hoc est, prudens. Prudentia secularis respicit bona hujus vitæ, voluptates scilicet, honores, divitias, utilitates tum privatas tum publicas, item famam & splendorem nominis, nec non decorum illud quod juris humani præceptis commendatur, ut honeste vivamus, alterum non lædamus, suum cuique tribuamus; quia scilicet istis observatis vigent humanæ societates, & humana dignitas id postulat, hominumque interest in hac vita, ut legibus naturæ humanæ consentaneis unusquisque se subjiciat.

VIII. At sublimior illa prudentia, quam Theologicam appellamus, proponit homini bona spiritualia atque æterna, viamque investigat ad ea perveniendi. Pro regula autem huic prudentiæ proposita est non lex humana, sed lex divina: non tam hominis excellentia, quam officium & jus servitutis illius, quam homo Deo debet; non inferior ratio, sed superior; non tam ratio humana, quam autoritas divina, quam simpliciter sequendam dictat prudentia Theologica, etiamsi humana ratio illud plerumque non assequatur, quod autoritate divina fretus intrepide amplectitur homo Theologicè prudens. Proponit etiam prudentia Theologica terrorem iræ divinæ, neque curat hujus vitæ ærumnas, nisi quatenus in eis iræ divinæ vestigia impressa apparent. Ideo vir Theologicè prudens, (prout à seculari prudentia distinguitur prudentia Theologica) non quærit quid utile, quid jucundum, quid honestum seculari prudentiæ videatur, pro tuenda hac vita, bonisque mundanis, & dignitate hominis, sed quærit quid utile ad vitam æternam, quid tranquillet conscientiam, quid honestum coram Deo, quid Deo acceptum sit. Non contemnit quidem humanæ prudentiæ dictamen rectum, sed sublimiora intuens, principia iter altius tenet.

IX. Prudentiæ Theologicæ tres sunt gradus, necessarii omnes ad tuendam bonam conscientiam. Primus gradus est, ut quicquid agas, in consilium adhibeas conscientiam: Secundus gradus est, ut examines ipsam conscientiam, ejusque dictamen, an sit conscientia bene informata, nec ne; utrum ejus dictamen ex sufficiente illuminatione, an verò ex cæca præsumptione aut errore quolibet profectum sit: nec nisi bene informatæ conscientiæ dictamen sequendum judices. Tertius gradus est, ut quod conscientia bene informata dictat, illud prudenter exsequaris, ne caussam tam malè agendo perdas, ne sanctum negotium tua imprudentia contamines, ne laborem tuum infructuosum reddas tua imperitia & incogitantia: ut diligenter cogites, in conscientiæ dictamine quid proponatur ut necessarium, quid liberum relinquatur; & in liberis seu licitis, quid pro loco & tempore expediat, quid non expediat: item quousque necessaria tibi prudentia etiam secularis, non quidem ad assequendum finem mundanum propter se, sed ut secularis prudentia subserviat Theologicæ, ejusque famulatu utatur prudentia Theologica, ad assequendum finem Theologicum, & ne imprudentia secularis impediat à fine Theologico, ne illi quos ad Christum adducere satagimus, nimia morum nostrorum rusticitate, vel affectata aulicitate, vel contemnenda facilitate, vel intempestiva in negotiis etiam secularibus procurandis diligentia, vel indiligenti negligentia, vel alio aliquo secularis prudentiæ, quæ nobis inesse deberet, defectu offensi absterreantur: ne dum fideles nos ostendere properamus, parum prudentes inveniamur. Idcirco Christus œconomum in domo sua requirit *πιςόν καὶ Φρό-* Matth.
νιμον, tum fidum tum prudentem: talem futu- 24 45.
rum ipsum Christum prædixit Esaias 11: 3.

X. Quando dicimus necessariam esse prudentiam, ad hoc ut habeatur & conservetur bona & offendiculi expers [*ἀπρόσκοπος*] conscientia, intelligimus prudentiam Theologicam, non autem humanam, nisi in quantum ancillatur Theologicæ, ejusque ministerio utitur prudentia Theologica: multo minus Diabolicam prudentiam, seu potius *ἀπάτην* impostu ram, quæ simpliciter fugienda est, ut inimica Deo & nostræ conscientiæ oppugnatrix, contaminatrix, vastatrix.

XI. Prudentiam verò Diabolicam appello eam, quæ Theologicæ directè contraria est, neque illi subjici aut cum ea consistere potest, prudentiamque secularem à Theologicæ imperio subtrahere, & suo subdere jugo satagit; dictans, carni & concupiscentiis carnalibus serviendum esse magis, quam Deo & conscientiæ; hominibus potius, quam Deo parendum; peccato potius, quam justitiæ serviendum. Prudentia istâ diabolica quicunque ducitur, is Theologicè imprudens est, in Scriptura stultus appellatur: & vicissim ipse Theologicam prudentiam stultitiam judicat. Vide Rom. 8: 5, 6, 7, 8. & 1 Cor. 3: 18. Quicunque secularis prudentiæ regulis adhæret, contempta prudentia Theologica, is diabolicè prudens, & tantum secundùm carnem, non autem secundùm Deum prudens est, ut qui amandam & servandam judicat vitam suam, quando cam Christi & Evangelii caussa odisse & non servare debet. Et qui spreta conscientia, spreta lege divina, judicant peccandum, per fas & nefas ditescendum; regnandi caussa jus divinum violandum: qui omnem suam prudentiam eo censent conferendam, ut flagitia animo concepta opere exsequantur, qui (ut loquitur Dominus apud Jeremiam, cap. 24: vers. 22.) sapientes sunt ad male faciendum, bene facere autem non noverunt. Quos ibi Dominus appellat *insipientes*, seu stultos, & non intelligentes. Græci vertunt *ἄφρονές* Rom. 8: 6,
εἰσιν· καὶ ὐ συνετοί· σοφοί εἰσιν τῦ κακοποιῆσαι, 7.
τὸ δὲ καλῶς ποιῆσαι ὐκ ἐπέγνωσαν Hæc in scripturis prudentia carnis vocatur, ubi carnis nomine intelligenda est corrupta hominis natura, & Diaboli imagine jam insignita.

XIII. Quamvis autem omnis homo, quia diabolicè prudens est, sit Theologicè imprudens, non tamen omnis imprudentia Theologica Diabolica prudentia est. Nam ut postea apparebit, reperire est hominem conscientiæ non bene informatæ errore deceptum, quem tamen Diabolicè prudentem esse non dixeris, cum non eoutemnat, sed sequatur dictamen suæ conscientiæ, quod putat Deo placere.

XIII. Hæc dicta sufficiant de discrimine prudentiæ & conscientiæ. Ex quibus facile erit colligere discrimen synteresεos, & intellectus practici,

pro habitu principiorum sumpti. Nam latius patet intellectus practicus, complectens in se synteresin. Intellectus practicus, habitus est principiorum rationis practicæ, & conclusionum practicarum: Synteresis habitus est eorum principiorum, quorum usus est in ratiocinatione rationis superioris, & conclusionibus conscientiæ. Omnia principia operabilium pertinent ad intellectum practicum, adeoque etiam ipsa synteretica principia; at non omnia principia operabilium pertinent ad synteresin, sed ea tantum, ex quibus deducitur conclusio conscientiæ, ope rationis superioris.

CAPUT XVII.

De actibus Conscientiæ.

I. DIXIMUS conscientiam spectari præcipuè in ipsis actibus. Actus autem conscientiæ tres observavit Thomas, supra cap. 16. §. 6. Nos autem, perspicuitatis caussa, aliam proponemus actuum conscientiæ distributionem.

Prior actuum legalium conscientiæ.

II. Actus conscientiæ vel legalis est, vel judicialis. *Legalis* duplex est: unus hominem instruens, utrum quod proponitur sit lege imperatum, an vetitum, an libertati permissum; adeoque vel dictans esse omittendum ex officio, quod homo Deo debet, vel liberum relinquens. Et secundum hunc actum spectata conscientia appellatur *Pædagogus*, & actus iste appellatur *dictamen mentis*, & *dictamen conscientiæ*. Nam desumptis ex synteresi principiis, adhibitaque ratione superiore, & lege Dei, tum mentibus hominum incisa, tum etiam scripta, ex quibus superior ratio depromit argumentationis media, per quæ applicat principia synteretica ad id quod quæritur, hæc tandem efficitur conclusio; hoc est tibi ex officio divinitus injuncto faciendum, vel, hoc est omittendum; vel, hoc facere licet, licet omittere. e. g. Quod Deus jubet, hoc facere tenemur ex officio, quo Deo obstricti sumus; at parentes honorare Deus jubet; ergo parentes honorare tenemur ex officio, quo Deo obstricti sumus. Sic etiam de vetitis, & de adiaphoris, conclusio deducitur congruenter. Ubi propositionem majorem dat synteresis; minorem autem ex Dei lege, (sive mentibus insculpta, sive scripta) assumit ratio superior: & infert conscientia conclusionem, quæ est dictamen conscientiæ.

Quomodo differat dictamen conscientiæ à dictamine judicii practici ad quod se determinat liberum arbitrium. Vide lib. 10. cap. 8. §. 34.

III. Differt hoc dictamen conscientiæ à dictamine judicii practici, ad quod se determinat liberum arbitrium in eligendo; nam judicium practicum ejusque dictamen pertinet ad prudentiam, & imprudentiam, quæ aliquando dictat sequendum esse dictamen conscientiæ, aliquando verò dictat non esse dictamini conscientiæ auscultandum; unde fiunt peccata etiam contra conscientiam, judicio practico peccata ista approbanti occlamantem atque obluctantem: & contra notitiam recti cordi inhærentem, & contra consensum generalis æstimationis, ut docet Aristoteles, lib. 8. Nicom. cap. 3. Hinc illa *Medeæ* vox apud *Ovidium*, lib. 7. Metamorphoseon:

Sed trahit invitam nova vis: aliudque Cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora, proboque;
Deteriora sequor.

Item,

—— Nec me ignorantia veri
Decipiet, sed amor.

Et illa quæ commemorat *Clemens Alexandrinus* Strom. 2. sic enim *Laius* in tragœdia,

Λέληθε τῶν δὲ μ' ἐθὲν ὧν σὺ νȣθετεῖς,
Γνώμην δ' ἔχοντα μ' ἡ Φύσις βιάζεται.

Id est,

Latuit verò me nihil horum quæ admones,
At rectè sentientem me natura compellit.

Τȣτέςι (subjicit *Clemens*) τὸ ἔκδοτον γεγενῆσθαι τῷ πάθει. Hoc est planè deditum esse passioni. *Medea* similiter in scena clamat,

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακὰ,
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βȣλευμάτων.

Id est,

Et scio quidem quænam factura sim mala,
Ira autem potentior est meis consiliis.

Alter conscientiæ actus legalis.

IV. Alter conscientiæ actus *legalis* proponit homini sanctionem legis, & proposita contumaciæ pœna, atque obedientiæ fructu, hominem vel instigat atque allicit ad faciendum, vel à faciendo deterret. Quamvis neque huic actui semper assentiatur judicium practicum, ut patet exemplo illorum, *qui*, ut scribit Apostolus ad Rom. 1: 32. *Cognoscentes jus Dei, quod qui talia faciunt, digni sunt morte, non solum ea faciunt, sed etiam cum delectatione consentiunt facientibus.*

Actus conscientiæ judicialis Primus. Secundus conscientiæ actus judicialis. Sup. cap. 16. §. 1.

V. Actus *judicialis* est post factum, & est quintuplex. *Primus* conscientiæ actus *judicialis*, est citatio & adductio ad suum tribunal. *Secundus* est cognitio facti; & hoc actu testatur conscientia pro homine, vel contra hominem, aliquid ab eo factum esse, vel non esse. Hunc actum respiciens *Hieronymus* non immeritò dixit conscientiam esse spiritum illum hominis, qui novit quæ sunt in homine, 1. Cor. 2: 11. Vide etiam Rom. 8: 16. αὐτὸ τὸ πνεῦμα (id est Spiritus Sanctus) συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν [id est cum nostra conscientia, seu cum nostro corde, ut appellatur à Joanne, 1 Joan. 3: 20.] ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεȣ̃. Quæstio autem facti vel antecedit quæstionem juris, ut quando de jure facti ambigi posse videtur; vel juris evidentiam præsupponit, ut in manifestè nefariis, quæ nullo casu licet patrare, qualia sunt parricidia, adulteria, blasphemiæ in Deum, &c. In priore statu quæritur simpliciter, utrum hoc factum sit, nec ne: In posteriore quæritur, utrum peccatum hoc vel illud patratum sit, nec ne: vel bonum hoc vel illud sit factum, nec ne. Testimonium verò perhibet de facto conscientia, sumto argumento ab experientia, à sensu externo & interno, corporali, vel spirituali; à memoria & recordatione. Et secundum hunc testificandi actum conscientia ad res etiam non theologicè consideratas extenditur, quomodo dicimus aliquem sibi esse conscium certi facti, sive boni, sive mali, sive indifferentis; at prout in foro conscientiæ actus iste judicialis est, considerationis est theologicæ, estque actus theologicus ad Deum mentem attollens. *Tertius* conscientiæ actus *judicialis*, est applicatio legis δικαςικη ad factum: eaque vel simplex, vel gemina. Nam si de jure facti satis constabat ante ipsam quæstionem facti, relinquitur tertio conscientiæ actui sola applicatio promissionis vel sanctionis: sic; Omni facienti quod à te præstitum est, promissa est vita æterna. Item; Deus dixit, atque adeò verissimum est morte dignos esse, & morte æterna plectendos omnes adulteros, perjuros, &c. Qualis tu esse jam convictus es. Sin autem de jure facti ambigi posse videatur, conscientia prius suo actu judiciali inquirit & pronunciat prius de jure facti, deinde de mercede aut pœna; sic; qui quando adeunda erat 3.

mensa Dominica, profectus in agrum, se dedit operi rustico, (id quod à te factum est) ille mortaliter peccavit; hoc enim Deus ipse in Lege pronunciavit, vel hoc omnium mentibus insculpsit Deus mentiri nescius. Deinde applicat sanctionem; qui peccat mortaliter, quod tu fecisti, ille æternam mortem meritus est, certoque monetur, atque æternis ignibus eruciabitur.

4. *Quartus* conscientiæ actus judicialis, est definitiva sententiæ de persona pronunciatio, secundum legem legisque sanctionem: sic; Tu mortaliter peccasti, tu Deo exosus es, & infallibiliter morieris seu ignibus æternis cruciaberis. Vel, tu Deo fideliter servivisti, tu Deo charus, tu Dei filius es, & hæres. Hunc sequitur *Quintus*

5. & ultimus conscientiæ actus *judicialis*, nempe exhilaratio, vel vexatio, per continuam sententiæ latæ ingeminationem, & inculcationem.

Vide Lud. Vivis Commentarium in Aug. lib. 21. de Civitate Dei, cap 9.

VI. Postremis istis duobus actibus conscientia Caiuum & Judam in rabiem & desperationem egit. Invenies qui omnes reliquos actus conscientiæ admittant, & securè contemnant, at istos actus; *definitivum* & *inculcativum* semper refugiunt & exhorrent: ideo conscientiam silere jubent, & cessare ab istis actibus, & quoad possunt, compescere satagunt: donec tandem cohibitus diu fervor violentius erumpit, neque sedari potest conscientiæ condemnantis clamor, unde extrema desperatio, & miseriæ barathrum. Sicut è contrario, quando conscientia bene informata pronunciat constanterque testatur hominem esse Deo dilectum, vitamque æternam infallibiliter consequuturum, existit in homine gaudium ineffabile & gloriosum, bona spes, & pax superans omnem intellectum; quando scilicet ipse Dei spiritus testatur una cum nostro spiritu, seu cum conscientia nostra, nos esse Dei filios & hæredes, Christoque cohæredes. Rom. 8: 16, 17.

VII. Sententia autem ista definitiva, vel pronunciatur ut simpliciter irrevocabilis, vel ut revocabilis. Pronunciatur ut simpliciter irrevocabilis sententia decernens & promittens vitam æternam homini justo, & de sua perseverantia infallibiliter certo: Deus enim mentiri nescius creaturæ constanter justæ promisit vitam æternam, & promissis stabit, quia constans, verax, & beneficus est. Sententia autem damnationis æternæ interdum pronunciatur à conscientia, tanquam judice delegato, definitivè quidem atque ut irrevocabilis, ab ipsa conscientia, aut ab alio quovis inferiore judice, nisi nova accepta à Deo, judice supremo, potestate & mandato; non tamen ut simpliciter irrevocabilis. Videt enim conscientia, Deum & posse illam revocare, (patere enim viam, qua revocari possit, illæsâ justitiâ & veritate divinâ) necdum declaraffe quod eam revocare nolit. Itaque conscientia hominem ista sententia damnatum à se ablegat ad Deum judicem supremum, eique supplicare jubet, ut dignetur nova potestate & novo mandato sententiam latam revocandi instruere conscientiam. Hoc modo conscientia rectè informata condemnat hominem peccati reum, cum intuitu veniæ apud Deum resipiscenti paratæ.

VIII. Aliquando etiam condemnationis sententiam suspendit, & prospera ominatur, fallaci nixa fundamento & malè informata conscientia hominis in peccatis sibi blandientis, Deumque illi quamvis in peccatis perseveranti non ita irasci, quin gratis omnia condonaturus sit, somniantis. Hujus hominis conscientia fallitur & fallit.

IX. Interdum verò condemnationis sententiam pronunciat conscientia, ut simpliciter irrevocabilem: idque vel accepta à Deo potestate, per evidentem revelationem determinatæ voluntatis divinæ: quomodo sulphurei lacus exnimarumque tenebrarum incolas condemnat propria ipsorum conscientia: vel condemnationis sententiam, ut simpliciter irrevocabilem, pronunciat conscientia, & præcisa omni spe obtinendæ gratiæ ad desperationem adigit, sine mandato Dei, sine potestate à Deo accepta, sed ex temeraria & fallaci præsumptione, præstigiis diaboli, & perversæ rationis fallaciis, mentisque obtenebratæ atque amentis caligine atque insania occæcata, abrepta, in præcipitium acta. Hoc est illud peccatum, cujus rei tenentur omnes illi, qui sine peculiari revelatione desperare audent, seu spem omnem abjicere de obtinenda per resipiscentiam & fidem in Christum gratia & salute. Tales enim obstinata sua ἀπιςία Deum faciunt mendacem, quantum in ipsis est, derogantes fidem testimonio Dei, quod testatus est de suo Filio, omnem scilicet resipiscentem consequuturum in Christo misericordiam, quantiscunque antea peccatis se contaminaverit, Ezech. 18: 25, 26. & seqq. & cap. 33. versib. 10, 11, 12. & sequentibus. Matth. 11. 28. Act. 13: 39. & 1. Joan. 5. &c.

X. Pro concepta revocabilitate vel irrevocabilitate definitivæ sententiæ, quarto conscientiæ actu pronunciatæ, eo minus magisve vel exhilaratur vel excruciatur animus ultimo conscientiæ actu. Falsa tamen & temere præsumpta favoris divini persuasio non nisi evanidum & fallax parit gaudium, in tristitiam, experrecta tandem conscientia, convertendum.

XI. Homo contra conscientiam peccans, & propterea ab eadem condemnatus, experitur conscientiam, secundum actus istos omnes spectatam, *monitorem* esse, invitantem ad benefaciendum, proposita mercede, & deterrentem ac retrahentem à peccato faciendo, proposita ira Dei judiciorumque ipsius insequutura gravitate: item post admissum facinus, esse *citatorem* & *lictorem*, qui peccatorem ad suum Deique adeo ipsius tribunal (nam conscientia legatus Dei est) citat & pertrahit: esse *accusatorem*, esse *testem*, esse *cognitorem*, & *judicem* causæ, esse *condemnatorem*, esse denique *ultorem*, & *excruciatorem*. Omnia autem ista jussu supremi Judicis Dei, acceptaque ab eo potestate. Deus enim hunc suum legatum indidit hominum animis, qui nolentes volentes cogat divini judicii videre & agnoscere æquitatem.

XII. Est *monitor*, Pædagogus, Consiliarius, Præceptor, Promulgator legis & sanctionis, per actus legales ante factum, *Citator* & *Lictor* post factum, primo actu judiciali; (unde illud, *conscientia mille testes*) item *cognitor* & *judex* caussæ, secundo & tertio actibus judicialibus: *condemnator* actu judiciali quarto; *ultor* & *excruciator*, actu judiciali ultimo.

XIII. Actum autem hunc appello ultimum, respectu præsentis judicii & processus judicialis, secundum præsentem conscientiæ potestatem divinitus acceptam. Sin autem Deus Judex supremus jubeat conscientiam mutare sententiam suam definitivam, justè quidem ab ea latam, at misericorditer nec injustè à Deo in supremo foro mutatam, tum cessat actus ille ultimus prioris processus, seu exsequutio sententiæ definitivæ, pronunciaturque etiam in foro conscientiæ, jussu Dei, sententia clementiæ & misericordiæ Dei condonantis admissum peccatum, pœnamque remittentis. Atque hæc dicitur in scriptura conscientiæ purgatio ab operibus mortuis, per sanguinem

nem Jesu Christi, qui Deo satisfecit pro nostris operibus mortuis seu peccatis, quibus mortem promeriti sumus, Hebr. 9: 14. Item ablutio cordis à mala conscientia, Hebr. 10: 22. Quod ut clarius elucescat, dicendum videtur de vario statu, variisque attributis Conscientiarum humanarum, si prius monuero, actus illos non tribui conscientiæ, ut supposito agenti, sed tantum ut potentiæ, vel ut habitui, vel ut ipsi actui tribui solet, ut quando dicimus, oraculum talia dixisse, vel sic respondisse; arationem vertisse terram; revelationem nos instruxisse, &c. Nam suppositum agens, cujus sunt illi actus, homo est secundum conscientiam & per conscientiam seipsum officii sui commonens, vel accusans, vel absolvens, vel condemnans, vel gaudere jubens, vel dolere, &c. Unde hæretici illi obstinati Apostolo dicuntur αὐτοκατάκριτοι, suopte judicio condemnati. Tit. 3. 11. Nunc quod restat aggrediamur.

CAPUT XIX.

De multiplici distinctione Conscientiæ, secundum varios ejus status, & varia attributa.

Prima distinctio Conscientiæ. I. PRIMO distingui potest Conscientia συνείδησις, in συνείδησιν μετὰ γνώσεως, & συνείδησιν ἄνευ γνώσεως. ex 1. Cor. 8: 7. & Rom. 10: 2. & Joan. 16: 2. &c. Quando dico aliam esse Conscientiam cum scientia, aliam Conscientiam sine scientia; non abjungo omnem prorsus scientiam à conscientia, quod est impossibile, nam ubi nulla est scientia, ibi nulla esse potest Conscientia; sed, cum scriptura distinguo veracem scientiam à fallaci scientia, quæ Apostolo dicitur κενὴ ἀπάτη, Coloss. 2. 8. & ψευδώνυμος γνῶσις, ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι, περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν. 1. Tim. 6: 20, 21. Item certam scientiam ab incerta opinione. Et distinguo Conscientiam veræ scientiæ adhærescentem, à Conscientia scientiæ falso sic dictæ errore decepta. Item Conscientiam certa subnixam scientia, à Conscientia quæ incerta nititur opinione. Vulgò dicimus, Conscientiam bene informatam, & Conscientiam non bene informatam. Hæc igitur est prima Conscientiæ distributio; Conscientia est vel *bene informata*, vel *non bene informata*.

II. Cum appellamus *bene informatam Conscientiam*, quæ rationem superiorem, non ambiguam, non errantem, sed bene fundatam sequitur in actibus discursivis secundum eam rationem; & quæ certa apprehensione ac recordatione nititur in perhibitione testimonii de facto. Eam autem *non bene informatam* appellamus Conscientiam, quæ rationem superiorem non bene fundatam vel fluctuantem vel errantem sequitur; aut dubia falsave nititur apprehensione vel recordatione. *Unde error Conscientiæ.* Error enim qui est in conclusione, quam dictat Conscientia, non promanat ex falsitate majoris syntereticæ, quæ semper vera est; sed ex falsitate minoris, à ratione practica superiore errante suppeditatæ, vel ex errore apprehensionis aut recordationis. Ut patet hoc exemplo; quod Deus jubet, hoc ex officio Deo debito facere teneris; at istos homines, Petrum, Jacobum, & alios Christi Apostolos persequi jubet Deus, & hanc servitutem Deo debes; ergo istos persequi ex officio Deo debito teneris. Conclusio ista falsa conscientiæ errantis sequitur falsitatem assumptionis. Nam major simpliciter vera est; at in minore assumenda errat ratio superior, quia

nititur falso prosyllogismo; sic, qui pestifera
docent hæresin, eos jubet Deus occidi; at i
pestiferam docent hæresin: hæc assumptio fal
fallaci nititur fundamento, nempe traditionib
hominum, vel interpretatione falsa verbi De
itaque detecta assumptionis falsitate, ipsa tande
ratio suum agnoscet errorem, aliterque subs
met, & conscientia concludet, Apostolos n
fuisse persequendos hominemque persequutore
arguet damnabitque temerariæ cæcitatis, & sc
lestæ remeritatis. Cujus sententiæ seu conclusi
nis principium in ipsa synteresi semper reside
videlicet, quid Deus à nobis exigat, non ex h
manis conjecturis, sed ex irrefragabili Dei Leg
mentibus nostris incisa, aut verbo Dei revelat
discendum esse. Eodem modo inveniri potest
damnari error conscientiæ, sensum aut reco
dationem errantem sequutæ: ipsa etenim co
scientia hoc in synteresi cernit asservatum prin
pium; non nisi certa apprehensione & indubit
atque irrefutabili recordatione niti debere testim
nium conscientiæ, illorum mediorum aliq
subnixum. Unde existunt αὐτοκατάκριτοι, id e
suo ipsorum testimonio judicioque damnantu
non solum illi qui contra conscientiam pec
runt, sed etiam ii qui rationis errantis eamque
quutæ conscientiæ errore abducti sunt ad pecca
dum, istos enim servos nequam judicabit Dor
nus ex ore ipsorum, ut habetur in parabola tale
torum, Matth. 25: 26. & minarum, Luc.
20. Si igitur objicias, nullam esse male inform
tam conscientiam, eo quod conscientia uniusc
jusque testimonium de singulis perhibitura
sententiamque latura ultimo die. Responde
conscientiam nunquam esse ita prorsus occæ
tam, quin aliqua conservet principia synteresi
ex quibus inferri semper poterit accusatio &
mnatio peccatoris: quod autem inde illata
conclusio falsa, error fuit corruptæ ration
conscientiæque eam sequutæ; cujus erroris i
conscientia seipsam, & rationem, seu potius h
minem utraque utentem reum peraget, dete
tandem fallacia. Atque ita conscientia non pr
verum perhibet testimonium recteque judic
quam sit rectè informata, etiam quantum ad
sumptionem, à ratione superiore, aut à sen
aut à recordatione suppeditatam. sic, e.g. Qu
Lex Dei vetabat, mea autem errans ratio & m
lè informata conscientia præceptum à Deo mi
que faciendum esse dictabat, illud melius cogn
visse & non facere debui; at Apostolorum per
quutionem Lex Dei vetabat, etsi mea errans
tio & malè informata conscientia aliud dictab
ergò illos non persequendos scire, & non per
qui debui. Porro; Quod debui non facere, f
ex errore conscientiæ inexcusabili; ergo pecca
ergo meritus sum æternam condemnatione
&c. Error autem conscientiæ est inexcusabil
quia suppeditaverat homini Deus idonea inf
mationis adminicula, nempe principia synte
tica, seu legem naturæ incisam omnium me
bus, & legem scriptam, vel revelationes n
scriptas; quibus mediis ratio hominis corru
non rectè usa est ad sui conscientiæque infor
tionem, quamvis eis rectè uti debuerit, &
creationem potuerit.

III. Sed age, subdistinguamus *conscientiam*
bene informatam. Ea enim vel de rei propositæ
ritate dubitat, vel confidenter errat. Unde
stingui potest *conscientia non bene informata*,
ἀπορουμένην, id est, *dubitantem*, *hæsitante*
fluctuantem; & ἀντικειμένην, id est, *falsitati*
trepidè assentientem, *eique patrocinantem*, &
veritate aversam. Sic distinguitur conscien
i

iſta, *reſpectu diſpoſitionis*. Aliter etiam eadem, videlicet, non bene informata conſcientia, diſtinguitur *reſpectu objecti*, de cujus veritate & falſitate vel dubitat, vel temerè pronunciat, quod vel credendum factuque neceſſarium eſt ad ſalutem, neceſſitate medii, aut præcepti divini; aut eadem neceſſitate omittendum, quia illicitum; vel neque illicitum eſt, neque factu neceſſarium, neceſſitate medii præceptive divini, ſed libertati relictum, quod, etiam aliquando pro περιςάσεων diverſitate, vel omittere vel facere expediat. Etiamſi quantum ad neceſſitatem medii, aut præcepti divini, res ipſa in ſe, vel fieri, vel omitti poſſit, ſine peccato; imo non peccet eam faciens quando non expedit, neque peccet eam omittens quando facere expedit, modo abſit ſcandalum, à faciente vel omittente datum. Qualia ſunt illa in quibus ſcriptura teſtatur non eſſe impoſitum nobis jugum, non injectum laqueum: e. g. tempore anguſtiarum & perſequutionis præſtat non ducere uxorem, qui tamen ducit, non peccat, etſi intempeſtivi conjugii incommoda ſentiet, habebit enim afflictionem in carne: & id genus alia, de quibus non eſt conceſſum injicere laqueum conſcientiis. Vide 1 Cor. 7. & 8. Rom. 14. & 15. &c.

IV. Conſcientia ἀπορημένη, *dubitans* ſeu *hæſitans* eſt, quæ conſulta de hominis erga Deum officio in re aliqua, non habet quod determinatè reſpondeat. Dubitatio autem Conſcientiæ de rebus mediis periculoſa eſt, at dubitatio de neceſſariis etiam pernicioſa eſt; utraque, inquam, periculoſa eſt, quia periculum eſt, ne homo quid inceptet dubitante conſcientia, id eſt, ſine certo conſcientiæ dictamine: quod autem ſine certo dictamine conſcientiæ fit, illud fit ſine fide, & quod fit ſine fide, illud fit non ſine peccato, Rom. 14: 23. ſola autem de neceſſariis dubitatio in ſe pernicioſa eſt, ut ſi quis dubitet, ſitne orandus Deus, nec ne; ſitne adulterandum, nec ne: pernicioſam appello iſtiuſmodi dubitationem, non quod inevitabilem perniciem ſemper adferat dubitanti, multis enim nutantibus & luctantibus cum graviſſimis iſtiuſmodi tentationibus, ſuccurrit Deus, dubitationemque condonat, & eximit, atque à perpetrando ſcelere eos cuſtodit; ſed quia vitioſa eſt, neque peccato vacat hujuſmodi dubitatio: quamvis ea laborent interdum homines etiam Deo chari.

V. Sæpe autem animadvertere eſt in multis hominibus aliud malum ipſa dubitatione deterius; nempe neglectum vel etiam contemptum mediorum, quibus rectè informari poſſet Conſcientia. Quod malum eo gravius eſt, quo plus momenti eſt in objecto de quo exiſtit dubitatio.

VI. *Conſcientia intrepidè errans*, vel errat circa res neceſſarias, vel circa res medias. Gravior eſt Conſcientiæ error circa res neceſſarias. Error autem Conſcientiæ circa τὰ ἀδιάφορα ſeu circa res medias, quo eas accenſet rebus in ſe neceſſariò faciendis vel omittendis, morbus quidam eſt, & infirmitas ſpiritualis: cujuſmodi infirmitatem intelligit Apoſtolus, Rom. 14: 1. ubi jubet aſſumere infirmum fide, τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίςει. & alibi. Infirmitas iſta difficulter ſeparatur ab arrogantia audaciaque judicandi & condemnandi eos, qui Conſcientiam ſequuntur melius informatam; ſicuti conſcientiam bene informatam in hoc genere comitari ſolet deſpectio infirmorum, niſi prædominetur charitas. Quod non ignorans Apoſtolus, ſeriò monet, [cap. 14. ad
Rom.] ne vel infirmi robuſtos judicent, vel robuſti infirmos contemnant. *Rom. 14:3.*

VII. Sicut autem mens alia ſana eſt, alia debilis, alia inſana; prima ſapientum, altera plebejorum & mulierum & puerorum, tertia inſanientium; ita etiam *Conſcientia* alia eſt *ſana*, quæ de eo quod quæritur bene informata eſt; alia *infirma*, quæ non ſatis bene informata eſt; tertia *inſana*, quæ in neceſſariis pernicioſè & confidenter errat; qualis illorum Conſcientia, quos prædicit Dominus perſequuturos Apoſtolos, eamque perſequutionem Deo gratam judicaturos, Joan. 16. 2. talis Conſcientia eſt Judæorum, qui zelum Dei habent ſine cognitione, Rom. 10: 2. talis eſt Paganorum Conſcientia & Mahumetanorum, omniumque occæcatorum hæreticorum. Eadem *cæca Conſcientia* appellatur, quia veritatem non videt, quamvis falſò perſuadeat ſibi ſe eam videre.

Hactenus prima diſtinctio Conſcientiæ, in *ignaram*, & *bene informatam*.

Secunda diſtinctio conſcientiæ, in dormientem & vigilantem.

VIII. Altera ſecundum varios ſtatus diverſaque attributa Conſcientiæ diſtinctio ſit in *dormientem*, & *vigilantem*: ſeu in *deſidioſam*, & *diligentem*. Nam multorum Conſcientia, etiam non ignara, dormit, ceſſatque ab exercitio, quaſi mortua, quando ſcilicet neque dictat quid ſit faciendum, quid omittendum, neque de facto judicat; hoc eſt, neque actum edit legalem, neque judicialem. Sic multi, inconſulta & neque aſſentiente neque reluctante conſcientia, bruto impetu, ad illicita quæque rapiuntur, & in voluptatibus ſecurè deliciantur, non modo ex ignorantia & cæcitate Conſcientiæ, ſed etiam ex Conſcientiæ ſive ignaræ ſive non ignaræ lethargo quodam, & alto ſopore, quo veluti ſepulta jacet ad tempus, ceſſatque à ſuo munere Conſcientia, quæ poſtea expergiſcens, vel novam ſcientiam accipit, ſi nondum bene informata ſit, vel ſecundùm eam ſcientiam, quam in habitu otioſa poſſidebat, incipit agere, id eſt, & facienda monſtrare, & facta dijudicare, ſi non informatione, ſed vigilantia caruerit.

Diſcrimen errantis conſcientiæ & dormientis conſcientiæ.

IX. Differt conſcientia malè informata, à conſcientia ſopita. Sæpe enim qui habet conſcientiam non bene informatam, ille aliquid facturus conſulit conſcientiam, illique dictat conſcientia, quid ſit faciendum, licet erret conſcientia; & ſollicitus eſt ille homo ne à conſcientiæ ſuæ dictamine recedat: at homo ſopitam habens conſcientiam, neque conſulit conſcientiam, neque curat dictamen conſcientiæ, quód prorſus non audit, donec è ſomno excitata conſcientia rurſum loqui incipiat; & tunc non amplius dormiens eſt, ſed vigilans conſcientia, & actu videns dictanſque & judicans, vel ex nova ſcientia, ſi prius & cæca fuit & dormiens, vel ex ea ſcientia quam antea obtinebat, ſi prius ſopita quidem fuit, non tamen cæca aut exoculata, licet ad tempus otio torpuerit. Conſcientia ſopita ſeu dormiens eorum eſt, qui, ut loquitur Apoſtolus, Epheſ. 4: 19. ἀπηλγηκότες ἑαυτὲς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ, ἐις ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ. Conſcientia ſopita (ut diximus) eſt quæ non commonet hominem officii; item quæ hominem perpetrati ſceleris non arguit, neque condemnat, neque excruciat, quamdiu ſcilicet ſomno indiſcuſſo vincta & obruta ſtertit. Quam ἀναισθησίαν & ab exercitio judiciali ceſſationem diuturnam atque inveteratam reſpiciens Apoſtolus, appellat eos, quorum conſcientiæ hic ſtatus eſt, κεκαυτηριασμένες τὴν ἰδίαν συνείδησιν, cauterio inuſtos propriam conſcientiam. 1 Tim. 4: 2. Quales ſunt multi cervice dura & corde indurato, quorum conſcientia, conſuetudine tacendi & connivendi ad peccata, etiamſi forte non ceſſet ab actu legali, quin di-

dictet facienda, cessat tamen ab exercitio judiciali, præsertim quantum ad condemnationem & ultionem; adeo ut homo etiam sciens se multa mala facere aut fecisse, nullatenus tamen angatur, neque ulla afficiatur mœstitudine, obducto conscientiæ callo ex longa assuetudine ferendi illicita. Non enim omnis conscientia dormiens continuò cauteriata est; nam hominis alioqui pii conscientia (ut cernere est in exemplo Davidis) dormitare aliquando potest ad certum peccatum; quæ tamen neque ad omnia dormit, & ex eo ipso sopore monita mox expergiscitur, adeo ut callum non contrahat, qualem conscientiæ illæ cauterio inustæ: at callosa conscientia, etiam ad hortamenta, & minas, ad ipsum Dei verbum ingeminatum iterumque inculcatum, ad manifesta Dei judicia obsurduit atque obduruit. Qui status conscientiæ fuit Pharaonicæ, miserrimus & omnibus piis summo studio cavendus.

Conscientiæ vigilantis & conscientiæ bene informatæ discrimen.

X. *Dormienti* opponitur *vigilans*; *cauteriatæ* opponitur *tenera conscientia*. Hoc differt vigilans conscientia à bene informata conscientia, quod *conscientia bene informata* possit interdum dormire, & interdum vigilare. Sicuti homo oculis non captus modo dormit, modo vigilat; modo incogitanter, modo caute se gerit; conscientia etiam malè informata vigilare potest quodammodo, licet vigilans æque cæcutiat ad veritatem, atque dormiens; quando tamen dormit, nihil dictat faciendum, nullam fert de facto sententiam; at quando suo more vigilat, dictat falsitatem, & falsò judicat.

Conscientia tenera differt ab infirma.

XI. *Conscientia tenera* differt ab *infirma*: nam *infirma* opponitur *bene informatæ*; at *teneræ* opponitur *cauteriatæ* & *callosæ*. Infirma conscientia vel dubitat, vel falsam induit persuasionem, ut ostendimus in prima distinctione; at tenera conscientia esse potest, quæ neque dubitat, neque falsam persuasionem induit, sed satis bene informata, quid agendum sit, advigilat, diligenterque omnia examinat, neque quicquam, quo ullatenus gravari posset conscientia, Deusque offendi, inexploratum relinquit. Exempli grat. homo *κεκαυτηριασμένος τὴν ἰδίαν συνείδησιν*, callo per longam impavidè sine lucta & sine sensu peccandi consuetudinem contracto, dat se omni flagitiorum generi, illicitasque & nefarias libidines avide & obstinate haurit, neque se malè facere judicat, vel si videat se malè facere, vindicem tamen Dei manum nec cogitat, nec reformidat; at verò teneræ conscientiæ homo, à levissima cogitatione immunda, ab otioso verbulo, ab omni mali specie judicat abstinendum, & diligenter cavendum; dictante hoc tenella ipsius conscientia, cujus acies ne minimum quidem ferre potest pulvisculum, nedum ut trabes immota & tacita perferat; & levissimi cujusque peccati, quantum assequi potest, seipsum in foro conscientiæ reum peragit, ut ad Deum supplex veniam oraturus adeat, & in posterum cautius incedere discat. Sicuti tenellus puer, aut mulier non assueta frigori, & pluviæ, levissimam quamque auram aut guttulam statim animadvertit, & studiosè vitandam judicat, tanquam corpori molestam; at rudis fossarius, vel piscator, vel nauta, istiusmodi guttulas & leves auras, imo tempestates & fluctus non attendit, longa enim assuetudine occaluit ad procellas & inundationes. Item, qui immunditiei innutritus est, aut longo tempore assuetus, ille immunditiem videns, non videt, id est, non advertit, non observat, sed *παρορᾷ*, leviter præterit, neque eam ut odiosam & malam fugiendam judicat: at qui munditiei assuevit, immunditiemque solitus est omnem reprehendere, & fugiendam atque amoliendam dictare, is leviculam immunditiem in domo, in veste, in supellectile, in cibo, in corpore, statim observat, & amovendam dictat. Hic ad munditiei à munditie discretionem vigilat; ad quam alter ille quodammodo dormit. Item, qui hortis & pratis bene fragrantibus assuetus est, is fœtorem & graveolentiam cloacæ occurrentem statim observat, & abominatur; at verò qui in cloacis locisve graveolentibus maximam vitæ suæ partem transegit, is fœtorem naribus incursantem non observat, non cogitat, non dictat esse malum, aut fugiendum; est enim imparatus ejus sensus, & tœtori ferendo assuetus; quamvis eum initio observaverit, & cavendum duxerit; longa tamen assuetudo illi quodammodo in naturam versa est. Item, qui cataractæ seu aquæ ex alto ruina præcipiti cadentis sonitum, vel illisorum scopulis fluctuum marinorum clamores audire solitus non est, ille miratur quenquam posse inter tantos sonitus quietem percipere, aut somnum capere; diligenterque murmur aquæ observat, & molestum esse judicat; at verò qui loca talia accolunt, non magis attendunt ingentes illos strepitus, quam si non adessent.

XII. In communi etiam vita nonnullos videas, quorum aures callum contraxerint & obduruerint ac veluti obdormierint ad blasphemias, perjuria, diras, & obscœnos sermones, neque ista observent, adeo ut audientes non audiant, neque audire se cogitent, & postea audita sibi esse vix moniti recordentur; aut si ea percipiant & observent, non tamen exhorrescant, neque istiusmodi sermones judicent non ferendos, neque cogitent quam impium sit, istis sermonibus non offendi, non eos abominari & fugere, nedum eos proferre.

XIII. Sic conscientia assueta otio & impuritati, longa ad peccata connivendi atque à suo munere cessandi consuetudine obtorpescit, obdormiscit, callum contrahit; adeo ut nefanda scelera videns, non videat, neque attendat, neque in scelerosos sententiam ferat. At verò vigilantiæ & munditiei assueta conscientia, percipit statim impuritatem, & ab ea abstinere jubet, sub pœna iræ divinæ, hominemque admissæ ejusmodi iniquitatis accusat & condemnat, neque in sorde peccati quietem illi concedit, dictans scil: rem illi esse cum Deo, cujus perspicacissimos oculos nihil fugit, ad cujus tribunal omnium reddenda ratio. *Conscientia tenera* est *cor molle*, seu *tenerum*, quale erat cor *Josiæ*, 2 Reg. 22: 19.

XIV. Quæres, quomodo possit ad testimonium perhibendum adhiberi conscientia, quæ tempore patrati sceleris dormiebat? *Dub.*

Resp. 1. Non ita dormit conscientia, ut nihil videat homo ille, cujus est sopita conscientia; sed ut quod videt non dijudicet; Videt facinus, at non judicat in foro conscientiæ de jure facinoris; quod monitus se debuisse facere agnoscit. 2. In judicio divino, sicuti conscientiæ non bene olim informatæ, ita etiam conscientiæ prius sopitæ, omnia præterita proponentur in clara luce, adeo ut quæ prius non vidit, tunc visura, quæ prius non observavit, neque dijudicavit, tunc animadversura *Solut.*

versura & judicatura sit; & quæ prius visa, observata, dijudicata exciderunt memoriæ, ea tunc in memoriam reditura sint; & conscientia tunc illuminata atque experrecta, & in rem præsentem adducta, justam de omnibus sententiam latura sit, divinæque sententiæ assensum calculumque additura. *Ista fecisti*, (ait Deus impium increpans, Psal. 50: 21. &c.) *& tacui, existimasti me esse similem tui, reprehendam te, ponam ordine ante oculos tuos; intelligite nunc hoc, qui obliviscimini Deum, ne discerpam, & non sit qui eripiat.* Hactenus secunda distinctio.

XV. Tertia conscientiæ distinctio secundùm varios ejus status diversaque attributa, est, qua distinguitur conscientia vigilans seu exercita actu judiciali, in *turbidam* seu *tumultuantem*, & *tranquillam*; item in *damnantem*, & *justificantem*, item in *vexantem* & *exhilarantem*. Nam commisso peccato conscientia, prius forte sopita, tandem expergiscitur, hominique molesta esse incipit; & per hos tres gradus gliscit inquietudo: 1. Conscientia, veluti veterno dilabente, & interrupto sopore, queritur confuso quodam murmure, non omnia rectè se habere, sed aliquid esse perperam admissum, cujus ratio Deo reddenda sit; neque hominem quiescere sinit, donec ad patrati mali inquisitionem & examen descendat. 2. Hominem certò iniquitatis jam compertum damnat. 3. Sententiæ latæ indesinente inculcatione, & indomito clamore, hominem vexat, angit, excruciat, omnique lætitia spoliat. Et ex opposito, conscientia hominis justi. 1. Tranquilla est, & sine strepitu, sine tumultu, amicè invitat suaviterque ducit hominem ad considerationem sui status. 2. Demonstrata & comperta hominis innocentia, (nempe per fidem in Christum, quæ per charitatem operatur) conscientia credentis, jam sanguine Christi purgata ab operibus mortuis, (Hebr. 9: 14.) hominem justificat, seu pronunciat justum esse, & gloriam æternam consequuturum. 3. Perpetua sententiæ hujus repetitione hominem credentem inenarrabili constantique gaudio perfundit. Si nempe conscientia sit bene informata, rationem superiorem perspicua veritate subnixam sequens, testimonium etiam perhibente ipso Dei Spiritu una cum spiritu nostro, nos esse Dei filios, ut loquitur Apostolus ad Rom. 8: 16. *Filioli mei* (inquit Apostolus Joannes) *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Et per hoc scimus nos ex veritate esse, & coram ipso persuadebimus cordibus nostris. Quoniam si cor nos condemnaverit, quia Deus major est corde nostro, & novit omnia. Dilecti, si cor nostrum non condemnaverit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petimus, accipimus ab ipso, quia mandata ejus servamus, & ea facimus quæ accepta sunt coram ipso. Et hoc est mandatum ejus, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, & diligamus nos invicem, sicut dedit mandatum nobis.* 1 Joan. 3: 18, 19, 20, 21, 22, 23. Instituitur autem talis argumentatio; quicunque credit in Christum*, ille justus est ex fide, & vivet: at ego credo in Christum: ergo ego justus sum ex fide, & vivam. Majorem discit spiritus noster ex verbo Dei, quod esse Dei verbum persuadet spiritui nostro Spiritus Dei: Minorem discit spiritus noster per sensum internum spiritualem, quo fidem suam percipit, & per experientiam fructuum fidei, tum internorum, tum externorum. Hanc autem probandi methodum sumit ex verbo Dei: Spiritus autem Dei & donator est sensus spiritualis, & fructuum autor, & methodi doctor. Conclusionem conscientia, jam clarè ex Dei verbo informata, & à Spiritu Sancto confirmata, pronunciat, ut certam & definitivam sententiam, à Deo ipso in supremo & secreto cæli foro jam ante pronunciatam. Atque hanc ipsam conscientiæ bonæ sententiam ratam habet Spiritus Dei, testimonium perhibens una cum nostro spiritu, nos esse Dei filios. Hinc illa pax Dei quæ exsuperat omnem intellectum [Philip. 4: 7.] & illa παῤῥησία πρὸς τὸν Θεόν. [1 Joan. 3: 21.] gaudiumque ineffabile & gloriosum. [1 Petr. 1: 8.] atque adeo regnum illud Dei in cordibus credentium, de quo loquitur Paulus ad Rom. 14: 17. ubi ait, regnum Dei esse justitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu Sancto.

*Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 8. c. 25.

XVI. Hæc generalis est & salutifera justificatio. Datur tamen particularis etiam justificatio in foro conscientiæ, respectu certi alicujus falsò objecti criminis, ut si quis certi adulterii accusatus, conscius sibi sit suæ in hac caussa innocentiæ, quamvis alioqui multorum scelerum, & inter alia etiam adulteriorum, reus & compertus in foro suæ conscientiæ. Talis justificatio parit aliquod gaudium, vel saltem tristari non sinit de eo crimine: quamvis fortasse aliorum flagitiorum conscientia hominem illum vehementer angat.

XVII. Conscientia autem malè informata hominem justificans non parit gaudium illud in Spiritu Sancto ineffabile & gloriosum, sed fallacem quandam atque evanidam gaudii umbram, quæ citò depellitur, discussa conscientiæ caligine. Non enim testimonium istud reddit conscientia per Spiritum Sanctum, ἐν πνεύματι ἁγίῳ, (ut loquitur Apostolus, Rom. 9: 1.) De isto errore conscientiæ justificantis, sicut etiam de alia conscientiæ condemnantis non minus exitiali temeritate, superius monebamus, cap. 18. §. 8. & §. 9.

Atque hæc de tertia conscientiæ distinctione dicta sufficiant.

XVIII. Ad has tres distinctiones revocari possunt omnes aliæ distinctiones conscientiæ. videlicet, in *conscientiam puram* & *conscientiam impuram* 1 Tim. 3: 9. Tit. 1: 15. Item in *conscientiam offensam* vel *impingentem*, & *conscientiam inoffensam* seu *quæ est sine offendiculo*, [ἀπρόσκοπον συνείδησιν] Act. 24: 16. item, in *conscientiam bonam*, & *conscientiam malam*, 1 Tim. 1: 5. Hebr. 10: 22.

Conscientia pura, impura.

XIX. *Pura Conscientia* est, quæ rectè informata, & vigilans, & tranquilla est. *Impura* autem quæ vel errat, vel dormit, vel impuritatis conscia est.

Conscientia pura & conscientia purgata.

XX. Conscientia pura duplex est: vel enim nunquam ulla immunditie attaminata fuit, qualis conscientia Mediatoris inter Deum & homines, hominis Jesu Christi; vel à contractis sordibus purgata, qualis credentium in Christum conscientia, quam ab operibus mortuis purgat sanguis Christi. Hebr. 9: 14. Quorum corda asperso Christi sanguine lavantur & purgantur à conscientia mala. Hebr. 10: 22. Unde fide justificati pacem habent cum Deo, per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem patefit nobis accessus ad gratiam hanc in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei. Rom. 5: 1, 2.

Conscientia offensa

XXI. Conscientia offensa vel impingens est, quæ vel peccanti obluctatur, aut iniquitatis hominem

vel impingens, & conscientia inoffensa seu offendiculi expers.

minem convincit & condemnat, vel ipsa præ ignorantia aut socordia in legem Dei impingit, judicans perperam, vel nequiter obdormiscens. *Conscientia ἀπρόσκοπος inoffensa* seu *sine offendiculo* est, quæ neque errat cæca, neque torpet sopita, neque offenditur aut impingit vigilans, sed quæ videns, vigilansque, & diligenter omnia observans, nullam invenit culpam, nullam offensam, nullam legis divinæ transgressionem, vel directè in Deum, vel in homines admissam. Talem ut haberet conscientiam, summopere se elaborasse profitetur *Paulus* Apostolus, inquiens; Ἐν τούτῳ αὐτὸς ἀσκῶ, ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους διαπαντός. Act. 24: 16.

Conscientia bona.

XXII. *Conscientia bona*, συνείδησις ἀγαθὴ, est, quæ bene informata diligenter advigilat, & vel semper se puram fuisse, atque etiamnum puram esse, vel purgatam esse animadvertit, adeo ut jam nullius culpæ irremissæ homini conscia sit, nullius eum iniquitatis arcessi posse declaret. *Conscientia bene informata, vigilans, tranquilla, justificans, exhilarans,* hæc *bona* est. Conscientia autem vel malè informata, vel sopita, vel turbulenta, vel condemnans, vel angens, non est bona. Conscientia experrecta, scelerumque conscia, appellatur *conscientia mala*, συνείδησις πονηρά; conscientia, inquam, scelerum illius hominis, cujus est illa conscientia. Nam si ego alteri conscius sim sceleris alicujus ab eo patrati, non propterea mala est mea conscientia, nisi & ego illius culpæ affinis sim.

Conscientia non bona.

Conscientia mala.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER SECUNDUS.

In quo explicatur Secundum Præceptum.

CAPUT PRIMUM.

Quid prohibeatur & quid jubeatur Secundo præcepto.

Verba secundi præcepti. I. *Non facies tibi sculptile, nec ullam similitudinem eorum quæ sunt in Cœlo sursum, neque quæ in terra deorsum, neque eorum quæ in aquis subter terram, non adorabis ea, neque coles ea: Ego enim Dominus Deus tuus, Deus Zelotes, visitans iniquitatem Patrum super filios in tertiam & quartam generationem odio habentibus me, & faciens misericordiam millibus diligentibus me & custodientibus præcepta mea.* Exod. 20.

II. Habemus hic ipsum præceptum; *Non facies tibi sculptile*, &c. præceptique rationem sive argumentum ad obsequium comparandum, sumptum à quadam descriptione Dei Legislatoris, *Ego enim Dominus Deus tuus*, &c. Præceptum hoc synecdochicè propositum est, & extendi debet ad generalem cultus divini regulam, ut constat ex particularibus hac de re præceptis, passim in Sacra Scriptura traditis, quæ omnia huc necessariò referenda sunt. Præterea cum negativo accipiendum est affirmativum de regula & modo cultus divini. Partis affirmativæ hæc summa est, *Colendum esse Deum ex proprio ipsius præscripto.* Negativæ partis summa est, *Non esse exhibendam Deo aliquam cultus speciem, quæ divina autoritate suffulta non est, sed aliunde tantummodo est excogitata.* *Vide Instituti. Historico-Theolog. lib. 7. cap. 6 §. 5 & §. 9.*

III. Ad affirmativam partem pertinent hæc & similia testimonia; *Vide ut facias omnia juxta similitudinem* (κατὰ τὸν τύπον) *quæ tibi ostensa est in monte.* Exod. 25: 40. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, ut ambules in omnibus viis ejus*, &c. *custodiendo præcepta Domini & statuta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut bene sit tibi.* Deut. 10: 12, 13. *Vos amici estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*, Joan. 15: 14.

IV. Ad partem negativam pertinent hæc & similia scripturæ dicta; *Cave tibi ne imiteris eas, postquam perierint à facie tua, ne inquiras de Diis earum, dicendo, quomodo colebant gentes illæ Deos suos? & faciam sic etiam ego; non facies sic Domino Deo tuo*, &c. *quicquid ego præcipio vobis, custodietis ut faciatis, non addes ad illud, neque diminues ex eo*, Deut. 12: 30, 31, 32. Vide eod. cap. vers. 13, 14. & cap. 4: vers. 2. *Exstruxerunt excelsa Baali ad comburendum filios ipsorum in sacrificia Baali, exstruxerunt Tophet in Valle filii Hinnom, ad comburendum filios & filias in igne, quod non præcepi, nec loquutus sum, nec ascendit in cor meum*, Jerem. 7: 31. & 19: 5. *Frustra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum*, Matth. 15: 9. *Timor eorum quo timuerunt me, mandatum hominum edoctum*, Isai. 29: 13. *Quæ omnia ipso usu pereunt, præscripta ex mandatis & doctrinis hominum, quæ opinionem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & submissione animi*, &c. Coloss. 2: 22, 23. atque hæc quidem faciunt ad illustrationem generalis sententiæ, tum affirmativæ, tum negativæ, præcepti hujus secundi.

V. Duo enim sunt idololatriæ genera: una idololatria, docendi caussa, dicatur *objectiva*: altera *modalis*; illa errat in objecto religiosi cultus: quando, scilicet, honor uni vero Deo debitus transfertur ad creaturas, vel ad inania figmenta: quam idololatriam prohibet præceptum primum, *Non erunt tibi Dii alieni præter me.* Ista, in modo, sive in cultu ipso, etiam qui vero Deo exhibetur, vel potius obtenditur, erronea est; quando scilicet non ex Dei præscripto, sed secundum commenta & mandata hominum, servire volunt Deo homines: quæ idololatria prohibetur præcepto secundo: atque hæc idololatriæ pars seu species appellationem sortitur à crassiore sui parte, (prophanis gentibus usitatissima, & ad quam imprimis proclivis est lapsus, teste seculorum omnium experientia, & communi hominum animalium ad eam conspiratione & consensu,) quæ synecdochicè expressa est in secundo decalogi præcepto, de non faciendo sculptili, sive *idolo*, ut verterunt Septuaginta interpretes. *Duplex idololatria.*

VI. Hoc præceptum sic interpretatur Moses, *Loquutus est Dominus ad vos è medio ignis, vocem verborum vos audiebatis, at imaginem ullam non videbatis, præter vocem; custodite igitur diligenter animas vestras, non enim vidistis ullam imaginem, die quo loquutus est Dominus ad vos in Horeb è medio ignis, ne forte corrumpatis vias vestras, & faciatis vobis sculptile, aut imaginem ullius similitudinis, effigiem masculi aut fœminæ, effigiem cujuscunque animalis, quod in terra degat, effigiem cujuscunque volucris alatæ, quæ volat per Cœlum, effigiem cujuscunque reptantis in terra, effigiem cujuscunque piscis qui in aquis degat sub terra*, &c. Deut. 4: 12, 15, 16, 17, 18. transgressi hujus mandati reos arguit & convincit Apostolus illos homines; *qui mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudine imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & reptilium.* Rom. 1: 23. Neque enim existimandum, auro & argento, aut lapidi sculpturæ artis aut cogitationis hominis Numen esse simile, ut docuit idem Apostolus, Act. 17: 29. & jam olim ipse

ipse Dominus, apud Esaiam cap. 40: 18. &c. & 41: 7, 29. & 45: 16. & 46: 5. Nec in saxo agnoscitur Deus, sed in spiritu, ut rectè monuit *Ambrosius*, Comm. in Evang. Luc. cap. 18. exponens illa verba; *Sinite pueros venire ad me*, &c. Non vult se Deus in lapidibus coli. ait idem *Ambrosius*, epist. 12. ad Valentinianum Imperatorem.

VII. Creaturæ ipsæ, sive intelligentes, sive non intelligentes, non sunt adorandæ & colendæ religioso cultu, adeoque etiam neque earum imagines, ut demonstravimus in expositione præcepti primi. Quamvis rerum creatarum facere imagines non sit per se illicitum, aut simpliciter prohibitum; est enim earum usus licitus, modo absit cultus religiosus, omnisque superstitio. Hoc autem præcepto secundo speciatim agitur de imaginibus Numinis, aut illius, quod religiosa adoratione colitur.

CAPUT II.

Cujus artificii imago intelligatur, & de Teraphim, & quo sensu imagines dicantur Dii.

I. NOn solum imago quæ sculpitur, sed etiam picta, aut ficta, aut quocunque formata artificio imagines fieri & coli prohibentur secundo præcepto. Exod. 20: 4. *Non facies tibi sculptile, nec ullam similitudinem*, &c. Quod autem in Hebræo est פסל, id Chaldæus Paraphrastes vertit *imaginem* צלם & Deut. 4: 16. צלמא Græc. Exod. 20: 4. εἴδωλον, & Deut. 4: 16. γλυπτὸν, sculptile, & Esai. 40: 20. εἰκόνα, Lat. Vulg. *simulacrum*.

II. Edicit Moses Israelitis, [Deut. 4: 16.] ne Deo faciant פסל תמונת כל־סמל תבנית *Pesel temunat col-samel tabnith*. Græc. γλυπτὸν ὁμοίωμα, πᾶσαν εἰκόνα, ὁμοίωμα. Lat. Vulg. *sculptam similitudinem, aut imaginem masculi aut fœminæ*, &c. Pagnin. *Sculptile, aut imaginem ullius simulacri, effigiem masculi aut fœminæ*, &c.

III. Cum prohibuerit Deus omnem similitudinem, Exod. 20: 4. & Deut. 4: 16. certum ac evidens est, prohiberi non solum sculptas imagines, sed etiam pictas, aut fictas, aut fusas, aut quocunque formatas artificio. Hoc ipsum clarissimè etiam evincit ratio illa à Mose allata, Deut. 4: 12. *Vocem* (inquit) *verborum audiebatis, at imaginem nullam videbatis, præter vocem*. Caput facta est idololatriæ (inquit *Tertullianus*) ars omnis, quæ idolum quoquo modo edit: Neque enim interest, an plastes effingat, an cælator exsculpat, an phrygio detexat; quia neque materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. Hæc *Tertullianus*, lib. de idololatria cap. 3.

IV. Dicuntur etiam תרפים *Teraphim*, Genes. 31: 19. ubi *Targum Chald.* צלמניא [id est, *imagines*,] Græc. εἴδωλα. Lat. Vulg. *idola*. Pagn. *idola*. In margine autem, *Imagines* (inquit) *ad hominis similitudinem factas, ad quas oraturus se verterat Laban*; hæc *Pagninus*. Idem vocabulum *Teraphim* legitur 1 Sam. 19: 13. ubi manifestum videtur, intelligi imaginem humana specie factam; item Jud. 18: 14. retineturque in Græco Θεράφιμ, & in Latino *Teraphim*, & Hos. 3: 4. Hebr. תרפים Græc. δήλωσις [id est, *manifestatio*]. Septuaginta, δήλους, id est, *manifestationes*, interpretati sunt: & *Aquila* & *Theodotion*, Φωτισμὰς transtulerunt, teste *Hieronymo* in Commentario. Lat. Vulg. & Pagnin. *Teraphim*. *Targum* מחוי *declarantes*, seu *imagines occulta denunciantes*, ut exponit *R. Salomon Jarchi*, צלמים מגידים נעלמות. *Rabbi Aben Ezra* exponit de idolis factis לעץ, id est, *ad cultum exoticum*; eodem modo interpretatur *Rabbi David Kimchi*, in Commentariis in Hoseam. *Hieronymus in* Commentario in Hos. 3. *Theraphim* (inquit) proprie appellantur μορφώματα, id est, figuræ & simulacra. Hæc ille. Interpretatur autem, apud Hoseam, de Cherubim & Seraphim, aliisque templi ornamentis, quæ fieri jussa sunt, item de instrumentis sacerdotalis habitus, videlicet, Urim & Thummim. Meminit etiam historiæ de *Theraphim*, Jud. 18: 14. ubi certè non intelliguntur legitima, sed illicita instrumenta cultus, ut patet ex historia capitis illius, collata cum lege, & cum exemplo Jacobi Patriarchæ, qui Labanis *Theraphim*, tanquam idola, sepelivit, Gen. 35: 4. & ex Commentario ipsius etiam *Hieronymi* in Hos. cap. 10. Commentariorum illorum, lib. 3. *Nicolaus de Lyra*, in Hos. 3. ait, *Teraphim* esse imagines, in quibus dæmones solebant dare responsa.

V. Imagines appellantur אלהים *Dii*, Gen. 35: 3. Exod. 20: 23. & 32: 4. Dan. 3: 14. ubi monet *Hieronymus* in Commentario in Danielem, observaram esse ab aliis hanc scripturæ consuetudinem, ut unum idolum appellet pluraliter, ut est illud in Exodo, de vitulo, *isti sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt è terra Ægypti*: & in Exod. 32: 4. 1 Reg. 12: 34.
Regum volumine, Hieroboam ponens aureum vitulum in Bethel, idola fecisse narratur. Sicut è contrario multa dæmonia singulari numero appellantur, ut Esai. 44: 12. Inclinat se & adorat illud, & vovem faciens, dicit, Deus meus es tu. Hæc ille. Et *Nicolaus de Lyra* in sua postilla seu glossa in Dan. cap. 3. vers. 12. *Deos tuos non colunt*: scribit (ait) hoc Daniel more Judæorum, qui unum idolum vocant Deos in plurali, ut habetur Exodi 32. de vitulo aureo, *hi sunt Dii tui Israel, qui eduxerunt te è terra Ægypti*. Dicuntur autem hi Dii Nabuchodonosoris, non quia ipsam statuam adoraret, sed quod illam fecerat, ut in ipsa adoraretur. Hactenus *Lyranus*.

VI. Quemadmodum hominum imagines appellationem accipiunt prototyporum, per metonymiam, & figuræ quibus exprimebantur Cherubini, appellationem acceperunt Cherubinorum, & figuræ palmarum palmæ dicebantur, & figuræ taurorum tauri, leonumque leones nuncupabantur; 1 Reg. 7: 25, 36. & 10: 19, 20. ita etiam imago ad repræsentandum Numen facta, appellationem accipit ipsius Numinis, sive veri, sive fictitii, cui collocata est imago. Sic imago Dagonis, Dagon dicitur, 1 Sam. 5: 2, 3, 4. *Hi sunt Dii tui Israël*. Exod. 32: 4 id est, hæc est imago Deum tuum repræsentans. Item, *cras festum Jehovæ, & multo mane surrexerunt obtuleruntque holocausta*, &c. versib. 5, 6. At Psaltes docet, adorationem illam exhibitam esse vitulo, quem Aaron ex metallo fuderat, Psal. 106. 19. item Stephanus, qui dicit illos fecisse vitulum, & obtulisse sacrificium idolo, seu simulacro, Act. 7: 41. sic Laban simulacra vocat Deos suos, Genes. 31: 30. quia scilicet ea colebat ut imagines Dei Patrii, quem solum pro Deo habebat, vers. 53.

Exod. 25: 18. 1 Reg. 6: 32, 35. & 7: 36.

VII. Non tam rudis erat *Laban*, ut imagines illas, quas abstulerat *Rachel*, crederet esse Deos aut Deum propriè dictum, ut constat ex vers. 53. ubi judicem compellat Deum Abrahami, & Nahoris, Patrisque ipsorum. Neque Ethnici ignorabant, imaginum posse fieri variationem, haud variato prototypo; unde novas imagines Diis suis vovebant: *Virgil*. Eclog. 7.

Si

Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

Item,

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

Sic Israëlitæ a *Jeroboamo*, & aliis seducti, ut colerent vitulos, existimant se colere Jehovam Deum suum, qui illos eduxerat ex Ægypto, 2 Reg. 17: 28. & Jeroboamo auscultant atque assentiuntur dicenti de vitulis, quos fecerat, *Ecce Dii tui Israel, qui te eduxerunt è terra Ægypti.* 1 Reg. 12: 28. quum intelligeret, & deliraret, imagines illas esse Dei Israëlis, in quibus & per quas colendus esset Deus Israëlis. Vitulum tamen non esse Deum, probat Deus ipse apud *Hoseam*, hoc argumento; Artifex illum fecit, ergo non est Deus Hos. 8: 6., ne eo quidem sensu, quo illum Deum appellabant Israëlitæ, id est, non est idonea Dei imago, in qua Deus colatur, & quæ tanquam Deus typicus adoretur in honorem prototypi. Nullum enim agnoscit scriptura Deum typicum, sed ait istiusmodi Deos non esse Deos, sed muta & inania duntaxat simulacra. Ideo cultum typis illis præstitum Deus negat sibi præstari, sed ipsis idolis, Hos. 8. Act. 7. Psal. 106. & diabolis, 1 Cor. 10: 20. atque ita modalis idololatria secum adfert idololatriam etiam objectivam. Propterea imagines numinis, seu ejus quod colitur, manufactas, quas religiose colunt homines, sive illæ vero Deo factæ dicantur, sive falso, appellat scriptura Deos peregrinos Genes. 35., & Deos alienos אֱלֹהִים אֲחֵרִים, Deos aureos & argenteos, ligna, lapides, & idola muta אֱלִילִים אִלְּמִים *εἴδωλα κωφὰ*, Exod. 20: 23. Hab. 2: 18, 19. eosque sic deridet, *os habent & non loquuntur*, *oculos habent & non vident* &c., eorumque cultores, ut stupidos, idolis suis similes, Psal. 115: 5. Esai. 44: 19, 20. Jer. 10: 14, 15. Appellat etiam imagines שֶׁקֶר *mendacium*, Esai. 44: 20. Jerem. 10: 14. & מוּסַר הֲבָלִים *διδασκαλίαν ματαίων*, *doctrinam vanitatis*, Jer. 10: 8. item מוֹרֶה שֶׁקֶר *doctorem mendacii*, in Græco legimus *Φαντασίαν ψευδῆ*, Vulg. Lat. *imaginem falsam*, *Pagnin.* ex Hebr. *quod docet mendacium*, (& in margine, *docentem mendacium*) Hab. 2: 18. quas appellationes imago ad Numen exprimendum facta sortitur, propter inutilitatem, & propter falsitatem imitationis & expressionis, opinionisque erroneæ de imaginum istiusmodi sanctitate, & adoratione, &c.

CAPUT III.

Num imagines in templis recte collocentur.

Instruct. Historico-Theolog. lib. 7.

I. **N**On esse adorandas imagines, prolixè alibi demonstravimus; quæres nunc, an eas in templis collocare aut habere liceat vel expediat.

Resp. Usus imaginum in templis vel religiosus est, vel civilis, quamvis propter religionem: religiosum appello, tum illum idololatricum, quo coluntur imagines; (& certum est, quum non liceat imagines adorare, vel in templis, vel extra templa, nec licere eas adorandum collocare aut habere in templis, vel extra templa, & sicubi adorentur, tollendas esse, exemplo Ezechiæ Regis, & mandato Dei prohibentis colere simulacra, & ab iis abstinere præcipientis;) tum etiam Ethicum atque Historicum usum imaginum, quem respexerunt olim *Paulinus* & *Severus* & *Gregorius*, uti constat ex *Paulini* Epistola 12. quæ est ad *Severum*, & ex *Gregorii* libro 7. epist. 109. ad *Serenum*, & lib. 9. epist. 9. ad eundem. Quo pertinet illa ratio *Gregorii*, propter quam suadet non esse tollendum usum imaginum, idiotis enim literas nescientibus pro libris esse imagines.

II. Usum imaginum civilem appello eum, qui ornamento duntaxat ædificii inservit, qualis erat usus imaginum palmarum, malogranatorum &c. in templo Salomonis: quamvis, si quis mysticam ornamentis illis templi Salomonis subfuisse dicat significationem, non contenderim: nos ornatum civilem duntaxat intuemur, quia mysticæ & typicæ significationes sub lege locum habebant frequentissimæ, non ita sub Novo Testamento, in quo signa mystica paucissima, eaque divinitus instituta, per sacras literas nobis commendata habemus, factu facilia, & significatione augustissima, nempe Sacramentum Baptismi, & celebrationem Cœnæ Dominicæ.

III. Usum imaginum in templis religiosum, historicum & Ethicum, fatemur habere suam quandam utilitatem, modo castus & sobrius sit & veritati consentaneus; hanc utilitatem respexerunt *Paulinus* & *Severus* & *Gregorius.* Sic admonent intuentes, ac si quis gestu & nutibus alicui loqueretur, muta quadam & inarticulata loquela. Sed talis utilitas longè certius ac luculentius ac tutius habetur ex verbo Dei prædicato, atque audito, per quod nobis loqui se profitetur Deus perspicua atque articulata loquela. Ideo necesse non est propter istam qualemcunque conceptam utilitatem imagines habere in templis; deinde expedit potius, ut non habeantur illæ imagines in templis quarum prototypa sive exemplaria religiosè coli debent, aut solent, aut facilè possunt: idque ob has quæ sequuntur rationes.

IV. *Prima ratio* est; propter periculum iconolatriæ vel iconoduliæ; quum enim locantur honorabili sublimitate, ut à precantibus attenduntur, imagines, ipsa similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis sensu & anima careant, facilè afficiunt infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur: & propter relationem ad prototypum, & loci dedicati consecrationisque reverentiam, facilè impelluntur infirmiores ad imagines sic collocatas, primò reverenter suspiciendas, tanquam aliquid in se sanctitatis aut numinis habentes, deinde ad honorem religiosum iis exhibendum, atque adeo ad eas adorandas, invocandas, timendas. Præsertim considerata humani ingenii ad istiusmodi cultum proclivitate.

Vide similia apud Augustin. epist. 49. ad quæst. 3iam.

V. Inanis autem est argutiola quorundam, dicentium, periculum esse, ne adorent homines Solem & Lunam & Stellas; nam dispar ratio est; Sol enim & Luna & minora sidera creata à Deo sunt ad usus necessarios & communes omnium gentium & hominum sub Cœlo habitantium, & Creatoris sui gloriam suo modo prædicant, atque ad cum solum colendum omnes invitant. Neque si quorundam ea fuit insania, ut istas vel alias creaturas, ut elementa, ventos, &c. loco Creatoris colerent, propterea erant amovendæ Dei creaturæ, & mundus hic in nihilum redigendus, sed monendi illi homines, ut ad Creatorem animos attollant: at verò simulacra sunt opera manuum hominum, neque ita communia, neque necessaria, ut retineri debeant, si vel à paucis religiosè colantur, etiamsi Dei jussu facta sint, sicut æneus serpens; quanto magis ea, quæ sine Dei mandato fiunt.

 VI. Se-

VI. *Secunda ratio*; quia imagines istiusmodi in templis impediunt plus, quam adjuvant, quantum ad illam ipsam utilitatem Historicam & Ethicam. Nam quando audiendum est Dei verbum prædicatum, imagines illæ facile hominum oculos ad se convertunt, animosque ab auditu verbi avocant, & quando animus ad Cœlestia attollendus, & cogitandum de Deo in Spiritu ac veritate adorando, imagines in templis prostantes facilè animos intuentium à Cœlestibus ad terrena cogitanda detorquent, religionemque humi detrahunt: sicuti & observatunt aliqui pa- *Instruct. Hist. lib. 7.* tres, quorum verba alibi nobis recitata sunt, & ante illos admonuit Deus per Prophetas, & Apostolos, Deut. 4. Isai. 40. Act. 17. &c.

VII. *Tertia ratio* est; propter scandalum, tum infirmorum Christianorum, tum exterorum, puta Judæorum, & Muhammedanorum, & aliorum. Christiani infirmi duum sunt generum; alii ad superstitionem & imaginum cultum prochviores, nondum scilicet plenè & planè perspecta ejus abominatione; & his, aliqua ex parte adhuc cæcutientibus, lapidem in quem ambulantes impingant, ante pedes projicere, importunum est, & à charitate Christiana alienum; alii sunt infirmi Christiani, qui iconolatriam toto animo aversantur, ut vehementer doleant, asservari istiusmodi impietatis monimenta & illectamenta, & fratres suos ea tolerantes suspectos habeant; hi non sunt propter muta simulacra, humana præsumptione usurpata, contristandi. Accedunt & hæretici iconolatræ, qui hac consuetudine obdurantur in suo errore. Judæi & Muhammedani his imaginum larvis & humanorum figmentorum offendiculis deterrentur, atque arcentur ab amplectenda religione Christiana: habent enim Christianos imaginum cultores pro idololatris; quod & fatetur *Bellarminus*, lib. de imag. cap. 6. Unde *Paulus Ricius*, doctissimus Hebræus, qui Papiæ Christo nomen dedit, expedire plurimum dicebat (referente *Petro Martyre*,) ut imagines è templis amoverentur, quod multi Hebræorum ea de causa revocentur à Christi confessione. Alii exteri, etiam simulacrorum cultores, non tam facilè abhorrebunt aut abducentur ab eorum cultu, dum vident similia inter Christianos: atque si quando ad Christi fidem convertantur, periculum est ne Paganismum cum Christianismo retineant; neque tantam vim habebunt contra istiusmodi Paganos, simulacrorum cultores, argumenta ea quibus utitur sacra scriptura, & quæ à Patribus primitivæ Ecclesiæ Christianæ repetita atque inculcata sunt contra gentilium simulacra; *sunt materia mortua, ut lignum, lapis, aurum, æs*, &c. *sunt opera manuum hominum, os habent, & non loquuntur; oculos, & non vident*, &c. *neque benefacere neque malefacere possunt*, &c.

VIII. *Quarta ratio*; quia sumptibus illis, qui in imaginibus ad historicum atque Ethicum usum faciendis, collocandis atque ornandis profunduntur, utilius esset populo, & gratius Deo, quippe divinæ institutioni congruentius, si ministrum Evangelii, vel saltem publicum lectorem sacrarum literarum, vel Catechistam alerent, qui populum multò certius, evidentius, & fructuosius de fundamentis Christianæ religionis, de sacrarum literarum historiis, de Christiani hominis officiis, qua privatim, qua publicè, edoceret.

IX. *Quinta ratio*; Christus ejusque discipuli, & veteres etiam Prophetæ, nunquam leguntur misisse homines, pro salutari cognitione adipiscenda, ad manufactas imagines & simulacra humanitus instituta, sed ad legem & testimonium, Esai. 8. ad Prophetarum voces & libros, Deut. 18. 2 Petr. 1. ad scripturas, Joan. 5. ad sacras literas, 2 Tim. 3. ad audiendum verbum prædicatum, Matth. 10: 14, 40. Item Rom. 10. ad Mosen & Prophetas, Luc. 16. ad dicta Prophetarum & Apostolorum Christi, 2 Petr. 3: 2.

X. *Sexta ratio*; Denique accedit consensus & praxis primitivæ Ecclesiæ Christianæ, per primos trecentos annos, & multorum postea sanctorum Patrum, sicut alibi fusè demonstratum est. *Instruct. Hist. Theolog. lib. 7.*

XI. Quod attinet usum civilem, qui ornamenti est, non debet cum scandalo vel animarum periculo ornari templum: & sane rectè Patres Francofurtenses responderunt, verum ornatum templi Christiani non in imaginibus materialibus & manufactis, sed in virtutibus spiritualibus consistere & refulgere. Neque eo fine instituta sunt Christianorum oratoria & templa, ut ingredientes inani simulacrorum spectaculo & pompa oculos pascerent, sed ut in unum convenientes, adorent Deum in spiritu & veritate, ejusque verba meditentur & audiant.

XII. Fratres nostri, quos *Lutheranos* vocant, retinent quidem in templis imagines, sed sine opinione necessitatis, ideo eas tolerant potius; sive de imaginibus tollendis, (tanquam de re adiaphora, quamdiu non adorantur, neque superstitionis aut scandali periculum esse existimant,) parum solliciti sunt: uti patet ex verbis *Chemnitii*, in quarta parte Exam. Concilii Tridentini; *Lutherus* verò, (inquit *Chemnitius*) juxta regulam Scripturæ, imagines repræsentantes veras atque utiles historias, inter adiaphora posuit, quæ ornatus, memoriæ, sive historiæ gratia, sine superstitione haberi possint; & tamen si non habeantur, religioni & pietati nihil decedat: cultum vero imaginum, verbo Dei prohibitum & damnatum esse ostendit: superstitiosas igitur opiniones de imaginibus, per doctrinam verbi divini animis hominum esse eximendas, & si quæ imagines ad cultum prostent, eas publica autoritate esse tollendas: ac, si ex imaginibus periculum idololatriæ timendum sit, eas potius abolendas esse docuit: sicut Christus nullum mandatum dedit de adhibendis imaginibus, seu statuis, ad ministerium Ecclesiæ, ita etiam Apostoli emissi ad prædicandum Evangelium, & ad docendas omnes gentes, non leguntur imagines seu statuas ad declarandam doctrinam Cœlestem, ne quidem quando barbaris gentibus Evangelium annunciabant, adhibuisse; Cumque jactis alicubi fidei fundamentis ad alia loca transirent, repetitiones & commonefactiones doctrinæ non statuis commendarunt, sed hominibus fidelibus, qui idonei essent ad docendos alios, & in hunc usum doctrinam traditam in scripta retulerunt; Organum enim per quod Spiritus Sanctus efficax est, vocans, illuminans, convertens, sanctificans homines, non docuerunt esse imagines seu statuas, sed verbum Dei scriptum, prædicatum, auditum, cogitatum, Rom. 1. & 2 Cor. 3. & 2 Tim. 3. & 1 Petr. 1. Psal. 119. Cumque cultum idolorum, qui ad statuas exercebatur, abolerent, & veri Dei cultum instituerent, non leguntur vel statuas illas ad verum cultum veri Dei transtulisse, vel alias imagines aut statuas, in quibus, per quas, seu ad quas veri Dei cultus exerceretur, substituisse; sed verum Deum in spiritu & juxta præscriptum verbi colendum docuerunt; Idem verò

verò etiam Apostolorum discipulos & successores fecisse nullum est dubium. —— Ad præcidendam omnem idololatriæ occasionem, ne Christiana religio eum Paganismo, qui simulacrorum cultu constabat, ullam haberet affinitatem, & ne Ethnicæ superstitionis seminaria, occasione simulacrorum, vel in Ecclesia irreperent, vel in animis conversorum permanerent, primitiva Ecclesia ne in oratoria quidem voluit Christi vel sanctorum imagines recipere. —— Utilis verò & multa monens observatio est, quod illis ipsis temporibus, quando etiam in ipsa templa Christianorum Historicum imaginum usum recipere & admittere cœptum fuit, non pauci eruditi & pii Episcopi, partim contradixeriot, metuentes sequuturam adorationem picturarum, & magis probantes morem primitivæ Ecclesiæ, quæ religionem absque simulacris habuit & exercuit; cultum verò & adorationem imaginum simpliciter omnes tunc damnarunt. —— Nunc hoc ostendere volui, illo ipso seculo, quando historicus imaginum usus à Politicis statuis & picturis in ipsas etiam Ecclesias à quibusdam transferri cœpit, reliquos Patres partim novo huic ritui, opposita primitivæ Ecclesiæ traditione & consuetudine, contradixisse; partim, licet non damnarint historicum imaginum usum, non tamen valde magni fecisse, scripturæ verò nequaquam adæquasse, nedum prætulisse, cultum verò & adorationem simpliciter reprobasse & damnasse. Hæc *Chemnitius*. Unde patet, neque illi admodum placuisse usum imaginum in templis Christianorum.

XIII. *Bellarminus* collocandas esse in templo imagines probare nititur aliquot argumentis.

1. Quia in Testamento Veteri fuerunt in templo imagines Cherubim. Exod. 25. & 1 Reg. 6.

Resp. Imagines illæ, quarum fit mentio Exod. 25. Dei jussu factæ sunt ad mysteria quædam figuranda, & extra populi conspectum, in Sancto Sanctorum collocatæ, ubi eas populus neque cernebat, neque colebat; solus autem Summus Sacerdos semel in anno ad eas videndas admittebatur, non adorandas, sed ad adorandum Deum, neque unquam legimus directam esse adorationem vel invocationem ad Cherubinos, sed ad illum solum qui supra Cherubinos habitabat, nempe unum verum invisibilem Deum. Psal. 80. Illæ autem imagines, de quibus legimus 1 Reg. 6., ornatus causa, vel potius propter mysticam quandam significationem, valvis ostiorum, jussu Solomonis, insculptæ sunt, sed citra adorationis periculum: nam Cherubinorum imaginibus adjunctæ erant in templo Solomonis imagines palmarum, & florum cælaturæ, quibus accedebant & aliæ imagines malogranatorum, taurorum, &c. ut omnibus constaret, non esse ad cultum institutas illas Cherubinorum cælaturas, neque usquam legimus eas à quoquam vel superstitiosissimo adoratas. Præterea non sunt super altare collocatæ imagines, neque ulla in parte templi fuisse leguntur hominum imagines, quales in templis suis habent Pontificii: adde quod non statim in exemplum ordinarium trahendum, & temerè imitandum, tempore Novi Testamenti, quod à Solomone olim in Veteri Testamento, ex certa cognitione divinæ voluntatis, factum est. Quamvis id genus ornamenta, qualia adhibuit Solomon, in rebus nunc mediis censeamus, neque ea nunc vel necesse est, vel ita expediat habere, sublato templo illo typico, & regni illius figuralis terreno splendore nunc amoto, umbrisque legalibus & pædagogia illa symbolica per veritatis adventum jam abrogata in Novo Testamento, in quo in spiritu & veritate, sine umbris legalibus, colendus nobis proponitur Deus. Joan. 4. adhibitis paucissimis signis, nempe duobus sacramentis.

XIV. Secundum argumentum sumit *Bellarminus* ex consuetudine Ecclesiæ per primos quingentos annos.

Respondeo, imprudentiam *Bellarmini*, & infirmitatem imò falsitatem hujus argumenti cernere est ex historia nostra de imaginibus. *Instruct. Historico-Theolog. lib. 7.*

XV. Tertium argumentum sumit ab autoritate Conciliorum, de quibus abunde diximus in eadem historia.

XVI. Quartum argumentum sumit à ratione; nam signa (inquit) sacra nusquam melius, quam in sacris locis poni possunt: deinde nullum est in templo ornamentum melius, quam sacrarum imaginum. præterea templum est imago quædam cœli; ideo decet ut in templo fiot imagines eorum qui in cœlo sunt, id est, Christi & sanctorum: denique nullibi melius ponentur imagines sanctorum quam in domibus ipsorum, id est, in basilicis sanctorum, ubi reliquiæ eorum quiescunt.

Respondeo: 1. Imagines hominum arbitrio factæ, & magno cum animarum periculo, à Pontificiis quidem non sine sacrilega impietate dedicatæ, sacræ non sunt, nisi æquivocè, quo sensu sacra dicuntur idola, sacri ritus omnes cujuscunque superstitionis, sacra omnis ἐθελοθρησκεία, quæ tamen abjicienda, non retinenda. 2. Optimum templorum ornamentum est prædicatio verbi Dei, & sacramentorum administratio, cum reliquis divini cultus partibus, à Deo imperatis; non autem manufacta & muta simulacra, quæ plus impediunt quam adjuvant, uti supra monuimus. 3. Nos quidem in Dei Ecclesia militante, quæ templum ejus dicitur, imitatores esse debemus Christi, & sanctorum quatenus illi Christum imitati sunt, Philip. 2: 5. 1 Cor. 11: 1. at de imaginibus manufactis, in manufactis oratoriis, habendis, nihil hinc colligi potest. 4. In multis templis Pontificiorum habentur imagines sanctorum, ubi eorum non quiescunt reliquiæ: sed neque ubi quiescunt alicujus sancti hominis reliquiæ, proponenda est illius imago manufacta, populo adoranda, aut, cum scandalo & periculo manifesto idololatriæ, habenda.

XVII. Quintum argumentum sumit *Bellarminus* ab utilitatibus imaginum, etiam sine notatione historiæ. Prima utilitas est instructio & eruditio; melius enim docet pictura, quam scriptura (inquit *Bellarminus*) Sic olim Jesuitæ & *Andradius* ex natura & ratione signorum philosophabantur, picturam magis & fortius movere animum ad devotionem, quam vocem verbi divini auditam & cogitatam; quos apta responsione excipiens *Chemnitius*, in suo examine Concilii Tridentini, Non enim (inquit) ex physica signorum ratione, sed ex ordinatione & promissione Dei, hæc æstimanda sunt, & non de statuis & imaginibus, sed de voce Evangelii lecta, prædicata, & audita, habemus expressam ordinationem & promissionem Dei, 1 Cor. 1. Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Rom. 15. ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. & 2 Tim. 3. sacræ literæ possunt te instituere ad salutem, Scriptura enim utilis est ad *1 Cor. 1: 21. Rom. 15: 4. 2 Tim. 3: 15, 16, 17.*

Psal. 119. 130. Rom. 10. 17. Rom. 1. 16. 2 Corinth. 3. 8.

ad docendum, arguendum, corrigendum, erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus instructus. Psal. 119. Meditatio tuorum sermonum illuminat. Rom. 10. fides ex auditu verbi Dei, Rom. 1. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, 2 Cor. 3. Est ministerium spiritus. Tales verò promissiones efficaciæ divinæ de imaginibus & statuis non habemus. Hactenus *Chemnitius*. Addi possunt multa alia scripturæ testimonia, ut, Beatus qui meditatur in lege Dei dies & noctes, Psal. 1: 2. Verbum tuum lucerna pedibus meis, & lux semitæ meæ, Psal. 119: 105. Lex Domini integra, convertens animam, testimonium Domini fidele, sapientem efficiens parvulum; præcepta Domini recta, lætificantia cor; præceptum Domini purum, illuminans oculos; Psal. 19: 8, 9. In quo mundabit puer semitam suam? si custodiat eam juxta verbum tuum, Psal. 119: vers. 9. In corde meo abscondi eloquium tuum, ne peccem tibi vers. 11. Testimonia tua sunt delectationes meæ, & viri consilii mei, vers. 24. Omni perfectioni vidi finem, latum præceptum tuum valde. Quam dilexi legem tuam? Omni die est meditatio mea: præ inimicis meis sapientem effecisti me præceptis tuis, quia in seculum sunt mihi: præ omnibus docentibus me intellexi, quia Testimonia tua meditatio mea sunt: præ senibus intellexi, quia præcepta tua custodio, vers. 95, 96. &c. Ex præceptis tuis intelligentiam mihi comparavi, propterea odi omnem semitam mendacii, vers. 103. Scrutamini scripturas, Joan. 5. Qui vos recipit, me recipit, Matth. 10: 40. Vos testabimini, quia ab initio mecum estis, Joan. 15: 17. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, Isai. 52: 7. Rom. 10: 17. Quis vos fascinavit, ne obsequeremini veritati, quibus ob oculos Jesus Christus prius fuerit depictus, inter vos crucifixus Gal. 3: 1. Filioli mei, quos iterum parturio, usque quo formetur Christus in vobis, Gal. 4: 19. Adhæc, consideranda sunt ipsius Christi verba; confert vobis ut ego abeam; nam nisi abiero, consolator ille non veniet ad vos, sin autem abiero, mittam eum ad vos, Joan. 16: 7. Item, ne me tangas, nondum enim ascendi ad Patrem meum, Joan. 20: 17. Unde colligimus, (cum *Augustino* in Evangelium Joan. & lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 32.) ab oculis discipulorum auferendum fuisse illud, quod corporalibus oculis præsens intuebantur, ut spiritualiter cor ipsorum invisibilia credendo proficeret. Quanto minus utilis est simulacrorum manufactorum, & humana sponte assumptorum, ad instructionem salutarem præsentia? Accedunt Apostoli Pauli verba; nos posthac neminem novimus secundùm carnem, quod si etiam cognovimus Christum secundùm carnem, nunc tamen non amplius novimus: itaque si quis est in Christo, nova creatura est, 2 Cor. 5: 16, 17.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 7. cap. 11.

Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando iis peccata ipsorum, posuitque in nobis (*in nobis, inquit, non in imaginibus*) sermonem reconciliationis: itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo exhortante per nos. vers. 19, 20.

XVIII. Secundo, (inquit *Bellarminus*,) utiles sunt imagines, quamvis solitariæ, ad charitatem erga Deum & sanctos fovendam, & augendam. Qui enim diligit, libenter aspicit imaginem absentis amici, & inspiciendo magis inardescit.

Respondeo. Non est utilis imago æquè ac scriptura: deinde invisibili Deo imaginem fabricare, & figurare velle quod divinum est, summæ insipientiæ est, & impietatis, adeoque prorsus inutile: Christum habemus semper præsentem, secundùm suam divinitatem: carne autem pro nobis passum, clarius cernimus in Evangelio, quam in omnibus simulacris, in quorum stoliditate facile est, ut contemnatur Christus potius, quam ut in eorum similitudine ardentius ametur: finis præcepti est charitas, neque ad hunc finem instituit Deus simulacra. Si Christum amamus, cor illi per fidem hospitium præbeamus, Ephes. 3: 17. Conversatio nostra sit in cœlis, unde Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, Philip. 3: 10. Si resurreximus cum Christo, quæramus ea quæ supra sunt, ubi Christus est ad dextram Dei sedens: quæ sursùm sunt sapiamus, non autem ea quæ sunt in terra, Coloss. 3: 1. Non in manufactis simulacris defixi hæreamus, neque ad terrena hominum figmenta animorum nostrorum oculos detorqueamus.

XIX. Tertia utilitas (inquit *Bellarm.*) est excitatio ad imitandum.

Resp. Diximus supra, nonnullam esse istiusmodi in picturis Ethicam utilitatem, sed quæ ex sacris literis longè uberius percipitur, & quidem sine scandalo & erroris atque idololatriæ periculo, quibus non carent simulacra.

XX. Quarto (inquit *Bellarm.*) imagines conservant in nobis memoriam Christi, & sanctorum, & simul in angustiis docent nos habere patronos, quos invocemus.

Resp. Ad memoriam longè utilior & multò tutior est verbi divini lectio, auditio, & assidua meditatio: patronum nobis esse Christum docet scriptura, Joan. 16. Rom. 8. 1 Joan. 2. non pictura: alios quos invocemus patronos apud Deum, neque in Angelis, neque in sanctis, nos habere docet Scriptura. Quod si hoc dictet pictura, jam doctor est mendacii; quippe discedens à scriptura eique repugnans.

XXI. Quinta utilitas est confessio fidei, inquit *Bellarminus*.

Resp. Optimam fidei nostræ declarationem ostendit sacra Scriptura, per oris scilicet confessionem, Rom. 10: 9. & bona opera, Jac. 2: 18. ad hoc necessariæ non sunt imagines, neque tantum secum ferunt utilitatis, quantum scandali & periculi.

XXII. Sexta est (inquit) honor Dei & sanctorum.

Resp. Deus sic se honorari prohibet: sancti ad honorem suum nullam poscunt imaginem; sed ad honorem Dei postulant, ut ipsos imitemur, quatenus ipsi Christum. 1 Cor. 11: 1.

CAPUT IV.

An facienda sint Imagines.

I. AD usum politicum, in principum palatiis, in foro, in privatorum ædibus, & alibi, fieri posse imagines certum est. Ars pingendi, sculpendi, imagines faciendi, Dei donum est, & Dei jussu aliquando exercitum; uti patet in *Bezeliele* & *Aboliabo*, Exod. 31. *Hiram* artifex etiam imagines in templo *Solomonis* fecit, malogranatorum, leonum, taurorum, cherubinorum, 1 Reg. 7. approbante Deo 1 Reg. 8., dedit Deus pictores, sculptores, & id genus alios artifices, in usus humanos, quamvis

quamvis iis hoc muneris non dederit, ut deos faciant, vel imagines cultu religioso honorandas; id enim bonæ artis malus abusus est: neque artes illæ in donis esse leguntur, quæ in altum ascendens Christus impetravit deditque hominibus, ad Ecclesiæ suæ ædificationem; ascendens in altum, dedit alios quidem Apostolos; alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores ac Doctores ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, donec evadamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram staturæ plenitudinis Christi; ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ, in versutia hominum, in astutia, ad insidias erroris, sed veritatem sectantes in charitate adolescamus in illum per omnia, Ephes. 4: 11, & sequentibus. Non dicitur, hunc in usum dedisse alios pictores, alios statuarios, &c. Nec istorum meminit Apostolus, in illo copiosiori catalogo, alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, 1 Cor. 12: 28. Neque solum peccant imaginum adoratores, sed & fabricatores imaginum, quando eas vel eo animo faciunt, ut adorentur, vel ut adoraturis divendant, uti prolixè demonstrat *Tertullianus*, lib. de idololatria. Et manifestum est Dei interdictum, de non faciendis imaginibus, nempe ut colantur, vel colendæ tradantur.

II. Sacrarum etiam historiarum imagines pictæ, vel cælatæ, haberi possunt in usum Historicum, & Ethicum, & Politicum, & ad honestam delectationem & ornatum, modo absit scandalum, & superstitionis periculum, propter quas causas in templis eas habere minus expedit, quia illic, ut nunc res se habent, incommoda ista difficilius vitantur.

III. Hæc omnia intelligi volumus de imaginibus rerum visibilium, aut etiam de symbolis quibusdam metaphoricis creatorum spirituum, præterea & de signis imaginariis virtutum, & vitiorum. Imo etiam & non entium: quamvis in omnibus sobrietas & castitas omninoque honestas servanda sit: & cavenda in imaginibus efformandis luxuries, lascivia, & quicquid est indecorum.

IV. Trinitatis sanctissimæ vel Deitatis efformare velle imaginem, nefas est. Nam non solùm Physicè impossibile est Deum assimilare, vel exprimere in imagine, sed etiam id experiri est moraliter nefarium. *Impossibile est*, quia Deus est Spiritus simplicissimus, simplicitatis incomprehensibilis, perfectissimus, infinitus, quod de nulla creatura dici potest, ne spirituali quidem. *Nefas est*, quia Deus prohibuit, Exod. 20. Deut. 4. Isai. 40. & alibi in sacris literis. Id ipsum agnoverunt quidam etiam iconolatræ, in secunda Nicæna Synodo, Act. 4. *Joan. Damascenus*, lib. 4. orthod. fid. c. 15. Thom. part. 3. qu. 25. art. 3. ad 1.

V. Quamvis autem aliquando præsentiæ suæ effigiata quædam symbola hominibus spectanda præbuerit Deus, tum ante, tum post legem in Sina monte latam; non tamen inanis est & contemnenda illa ratio quam adfert Moses, Deut.
Deut. 4: 9, 10, 11, 12, 13. 4. *Custodi temetipsum & animam tuam solicitè, ne obliviscaris rerum quas viderunt oculi tui, & ne excidant è corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ, docebis ea filios ac nepotes tuos; die quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus loquutus est mihi, dicens, congrega ad me populum, ut recenseam verba mea, quæ discent, ut timeant me omnibus diebus, quibus vixerint supra terram, & filios suos doceant; ita accessistis & stetistis sub monte, qui ardebat igne usque ad Cœlum, erantque tenebræ, nubes & caligo, loquutusque est Dominus ad vos è medio ignis; vocem verborum vos audiebatis, at imaginem ullam non videbatis, præter vocem, & renunciavit pactum suum quod præcepit ut faceretis.* Non enim propter alias visiones & apparitiones quascunque recedendum erat à mandato Dei, aut obliviscendum earum rerum quas viderant Israëlitæ tempore legislationis in monte Horeb, ubi vocem quidem è medio ignis sonantem, sed nullam viderunt imaginem; ut scirent Israëlitæ illud à Deo consultò factum esse, ut nullum effigiatum suæ præsentiæ symbolum exhiberet illo tempore, quo legem de modo sui cultus ferebat, scirentque respiciendum esse, in quæstione de cultu Dei, ad illam apparitionem in monte Horeb, & vocem quam viderunt, id est, perspicuè audiverunt. Et signanter imagini opponitur vox Dei, *ne obliviscaris rerum, quas viderunt oculi tui. — Loquutus est Dominus ad vos è medio ignis, vocem verborum vos audiebatis, at imaginem ullam non videbatis, præter vocem*, ut scirent non ex imaginibus, sed ex verbo Dei discendum esse Deum, & cultus divini regulam.

VI. Est autem aliud, si quis typi alicujus aut symboli creati format imaginem, aliud verò si quis imaginem ipsi Deo, tanquam proprio ejus exemplari, facere vel collocare ausus fuerit. Aliud est columbæ pingere imaginem, aliud facere imaginem Spiritui Sancto. Nam si quis per picturam repræsentet historiam baptismi Christi, pinget ille formam columbæ, quasi devolantis in imaginem hominis, neque tamen pingit Spiritum Sanctum, nec habebit similitudinem aut imaginem Spiritus Sancti, sed symboli tantùm illius creati, quo suam præsentiam Spiritus Sanctus illo tempore testatus est, cui symbolo similior est viva columba actu volans, quam muta & immobilis pictura. Jam autem si quis arte cicuratam columbam devolare faciat ex alto in hominem aliquem infra ex composito stantem, ut hoc modo adumbret ac velut in dramate repræsentet historiam illam quæ habetur Matth. 3. certè multo magis vivam & accuratam habebit rei gestæ repræsentationem, quam per picturam habere possit: neque tamen fas cuiquam dicere, columbam illam, animal rationis expers, imaginem esse Spiritus Sancti, aut eam in templo aliquo dedicare, & honore prosequi religioso; vel etiam hominem illum, propterea quod in ista actione Christum quodammodo repræsentet, religioso cultu honorare, vel ut rem sacram in templo dedicare. Eadem ratio de visionibus *Abrahami*, *Jacobi*, *Esaiæ*, *Ezechielis*, *Danielis*, *Joannis* in Pathmo, & aliorum: Item parabolarum Evangelicarum, & Propheticarum. Loqui de Deo, secundùm scripturam, metaphoricè, licet: at imaginem Deo facere, prohibente scriptura, non licet.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 7. cap. 9. §. 13.

VII. Sed objicitur; Pinguntur ea quæ minus videntur posse pingi quam Deus, nimirum virtutes, quæ accidentia sunt, cur ergo non poterit pingi Deus?

Respondeo: I. Quia accidentium istorum qualescunque picturæ non facile adorantur, quando scitur nullum esse subsistens earum exemplar. II. Quia, ut loquitur *Augustinus*, facile est, ut Dei majestas in simulachrorum stolidi-

liditate contemnatur. 3. Quia non idem de Deo licet hominibus, atque de accidente aliquo. 4. Quia virtutes pinguntur sine erroris periculo, saltem inter Christianos, non ita Deus. 5. Quia Deus sibi fieri imaginem prohibuit, at non prohibuit pingi symbola virtutum, aut vitiorum.

VIII. Homo (inquit *Bellarminus*) est vera imago Dei, sed hominis potest pingi imago; ergo & Dei. Nam quæ est imago imaginis, est etiam exemplaris. Quæ enim sunt similia uni tertio, sunt etiam inter se similia. Dicunt hominem non esse imaginem Dei qua parte pingitur, id est, corpore, sed qua parte non potest pingi, id est, anima. Respondeo (inquit), si ita esset, sequeretur hominem non posse pingi: nam homo non est homo ratione figuræ & colorum, quæ sola exprimuntur in imagine, sed est homo ratione substantiæ, præcipue ratione animæ, quæ pingi non possunt: dicitur tamen homo verè & propriè posse depingi: si autem totus homo est imago Dei, & totus homo verè pingitur; ergo imago Dei verè pingitur. Illud tamen verum est, quod sicut homo est imago Dei valdè imperfecta, obscura, & dissimilis, ita etiam homo pictus est imago Dei valdè imperfecta, obscura, & dissimilis. Hæc ille.

Respondeo 1. Rectè responsum est à Francofurdianis patribus, hominem ad imaginem Dei factum esse secundum animam, quod & fatetur *Bellarminus*; & quamvis homo totus sit imago Dei, non tamen secundùm totum sui, aut ex toto sui, sed ex anima, cujus excellentia relucet in corporis statura, tanquam idoneo tam excellentis hospitis domicilio terreno; non ergo sequitur, si totus homo pingi potest secundum figuram & colores, propterea pingi posse imaginem Dei, etiam illam quæ est in homine. Nam ad hoc necesse esset pingi hominem secundum eam partem qua est imago Dei; quemadmodum tabula cedrina tota appellatur imago Regis, si in illa depicta sit Regis imago: jam verò si quis tabulæ illius imaginem rursum depingat, non qua parte imago Regis est, sed quantum ad limbum argenteum, vel appicta sceptra, diademata, aliaque insignia, vel secundum aliam tabulæ partem, in qua non esset imago Regis, vel secundùm speciem ligni cedrini, &c., non propterea dicendus est pingere imaginem Regis, sed tantum imaginem limbi, sceptri, cedri, &c. 2. Ludit per homonymiam, neque enim eodem sensu homo imago Dei dicitur, atque pictura imago hominis. Homo enim imago Dei est, seu ad imaginem Dei, non quia figuram & colorem Dei imitatur, vel etiam quia est conceptus quidam de Deo, sed quia perfectionum divinarum invisibilium quodammodo particeps est, præditus scilicet spiritu intelligente & volente, sapiente & justo. At picta imago non imitatur humanas perfectiones, neque enim intelligit, neque vult, neque sapiens neque justa est, ac ne sentit quidem, neque vivit, neque se movet, sed externi duntaxat corporis umbra inanis est, ut meritò ineptum vocaverit *Lactantius* eum, qui putat aliquid esse in simulacro Dei, in quo ne hominis quidem quicquam est præter umbram. 3. Certè Dei in æternum viventis, uti rectè monet *Lactantius*, vivum & sensibile debet esse simulacrum, non est autem illud Dei simulacrum, quod digitis hominis ex lapide aut ære aliave materia fabricatur, sed ipse homo, propter rationes memoratas, & testatur Scriptura Deum fecisse hominem ad similitudinem suam, Gen. 1: 26, 27. non posse autem humano artificio fieri ullam idoneam Dei similitudinem patet, Esai. 40: 18. 4. Cadaver hominis mortui non est imago Dei, sed cadaver hominis, qui, dum viveret, imago Dei erat secundùm animam, qua jam separata, non potest dici exanime corpus vel imago vel ad imaginem Dei: quanto minus inane corporis simulacrum, quod neque fuit neque est neque futurum est animæ humanæ domicilium, aut pars hominis facti ad imaginem Dei? 5. Alienum est, quod adfert *Bellarminus* de similibus uni tertio, nisi secundum idem similia sint: alioqui possunt esse dissimillima; e. g. rudis lapis imagini lapideæ similis est ut lapis lapidi: imago verò lapidea similis est homini, ut imago exemplari, non tamen inde sequitur, rudem lapidem esse homini similem.

IX. Ultimum argumentum sumit *Bellarminus* ab usu Ecclesiæ.

Resp. Non valet argumentum ab usu Ecclesiæ citeriorum temporum, contra scripturas, & usum primitivæ Ecclesiæ Christianæ, quæ istiusmodi imagines neque habuit, neque toleravit; quamvis postea tolerari, deinde sensim, crescente superstitione, approbari cœperint, tandemque adorari, uti ostendimus in deductione historica. *Lib. 7. Instruct. Historicarum.*

Quia alibi prolixius de imaginibus, & de religiosi cultus objecto disseruimus, eo lectorem amandamus, & accedimus ad sanctionem adjectam secundo præcepto.

CAPUT V.

De sanctione addita secundo præcepto.

I. DEUS profitetur se Zelotem esse, nec multam præteritorum idolorum adorationem, quæ est spiritualis scortatio à Deo, cui soli ut Deo maritoque nostro spirituali religiosum cultum debemus, & quidem secundum regulam ab ipso præscriptam. Visitare se dicit iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt illum; & facere misericordiam in millia eis qui diligunt illum, & custodiunt mandata ipsius. Ubi misericordiæ modus amplior, quam vindictæ; est enim Deus tardus ad irascendum, promptus ad ignoscendum. Exod. 34. Psalm. 86. & 103. Non illum delectat mors pereuntis, sed ut convertatur, & vivat. Ezech. 18. & 33. diligit Deus misericordiam, Mich. 7: 18. Pater est misericordiarum, 2 Cor. 1: 3. vult pacem servi sui, Psal. 35: 27.

II. Sciendum autem non intelligi hoc loco peccatum originale, cujus contagione ab Adamo infecti sunt omnes posteri, virtute seminali progeniti, sed peccata hominum actualia; ut patet, tum ex oppositione eorum qui oderunt, & eorum qui diligunt Deum; utrique autem concepti & nati sunt in peccato, quod de se fatetur David, Psal. 51. quem tamen in amicorum suorum numero habuit Deus, ejusque posteris benefecit propter amicitiam cum Davide; tum etiam ex termino vindictæ, in quarta generatione. Neque enim assentiri possumus doctissimo *Augustino*, ut per tertiam & quartam generationem intelligamus universitatem, sive omnes generationes, nam istam conjecturam refellit oppositio millenorum amantium Deum.

Quia

Quia autem Deus in lege ſua, Deut 24:16, edixit, ne morte mulctentur Patres propter filios, neque filii propter patres, & apud Prophetam Ezechielem, cap. 18: 4, 20. Deus idem ſe facturum profitetur; *Anima*, inquit, *quæ peccaverit, morietur, filius non portabit iniquitatem Patris*, &c. ſe tamen eum eſſe profitetur Deus, qui viſitet iniquitatem patrum ſuper filios & filiorum filios in tertiam & quartam generationem, Exod. 20: 5. & 34: 7. quod & repetit *Moſes*, Num. 14: 18. in argumentum clementiæ, ut videtur; hinc oritur moleſtiſſima quæſtio, ſicut eam vocavit *Auguſtinus*, lib. 6. contra *Julianum* cap. 12. *Solebant in hoc loco hæretici* (inquit *Hieronymus* in Ezech. cap. 18.) *qui vetus non recipiunt inſtrumentum, contra Creatorem dicere, quam bonus & juſtus Deus legis & prophetarum, qui quieſcens & ſilens ad peccata patrum, reddit his qui non peccaverunt? Imo quanta in eo crudelitas, ut iram ſuam uſque ad tertiam & quartam generationem extendat? quibus nos reſpondebimus, in hoc Dei Creatoris clementiam demonſtrari, non enim truculentiæ eſt & ſeveritatis, iram tenere uſque ad tertiam & quartam generationem; ſed ſignum miſericordiæ, pœnam differre peccati.* Hanc ſuam reſponſionem confirmat *Hieronymus* verbis Moſis, Num. 14: 18.

III. Pelagiani etiam loco Ezechielis abutebantur, ut negarent originale peccatum in infantibus, uti patet ex *Auguſtini* libro 6. contra *Julianum*, cap. 12. Nos autem jam oſtendimus non eſſe intelligendam iſtam ſecundo præcepto additam comminationem, de peccato originali: reſpondet autem *Juliano Auguſtinus*, multa eſſe teſtimonia divinarum literarum, quæ parentum peccatis obligant filios, peccaſſe enim *Cham*, & in ejus filium *Chanaan* vindictam prolatam eſſe; Item, pro peccato *Solomonis*, filium diminutione regni eſſe punitum; & peccatorum Regis *Achab* in ejus poſteris pœnam eſſe dilatam; ſic autem conciliare nititur locum Ezechielis cum Locis Moſaicis; ait Teſtamentum Vetus, quod in ſervitute generabat, parentum peccatis obligaſſe filios; In Novo autem Teſtamento hominem ſpiritualiter regenitum, renaſcendo deſinere paternis obnoxium eſſe debitis, quibus naſcendo fuerat obligatus, quam reſponſionem confirmat teſtimonio *Hieremiæ*, cap. 31: verſ. 29, 30. Sed expeditior reſponſio eſt, originale peccatum à nemine qui in peccato conceptus ſit, ita eſſe alienum, quin ſuam unuſquiſque habeat inhærentem labem, ex communi illa primi parentis tranſgreſſione contractam & propagatam. Sic Apoſtolus; *Per unum*, inquit, *peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſit, in quo* [ſeu *quoniam*, ſive *in quantum*, ἐφ᾽ ᾧ] *omnes peccaverunt*, Rom. 5: 12. & David, *In peccato* (inquit) *formatus ſum, & in peccato concepit me mater*, Pſal. 51. Unde nos omnes Apoſtolus vocat per naturam filios iræ, ad Epheſ. 2: 3. dictum autem Hieremiæ, cap. 31. ſimplicius intelligimus de cognitionis & gratiæ in Novo Teſtamento exundantia, per quam futurum erat, ut importuno illo proverbio, de filiorum dentibus obſtupeſcentibus propter uvam acerbam à patribus manducatam, non amplius in tanta luce homines uterentur, ſed Dei æquitatem clarius haberent perſpectam. Qua tamen non obſtante perdurat illa Dei deſcriptio, Exod. 20: & 34. Num. 14. una cum legis moralis & aliorum divinorum mihi titulorum perpetuitate; quin & experientia quotidiana compertum habemus, in filios etiamnum exerceri divinæ viſitationis judicia, propter patrum peccata.

IV. Pro moleſtiſſimæ hujus quæſtionis enodatione, obſervanda nobis triplex diſtinctio. 1. Peccatorum. 2. Perſonarum. 3. Pœnarum ſeu viſitationum.

V. Peccatum parentis vel eſt originale, vel proprium: non intelligitur hic peccatum originale; illud enim omnibus hominibus commune eſt, cum odio habentibus, tum diligentibus Deum, propagatis ex commixtione ſexuum; ſed intelliguntur ſola peccata parentum perſonalia; quæ duum ſunt generum; vel enim committuntur ante filiorum generationem, vel poſt filiorum è parentum lumbis egreſſum; utrumque genus hic intelligitur; Novimus enim viſitatos eſſe filios animadverſione divina, propter peccata parentum etiam admiſſa poſt filiorum generationem, ut filios *Achan*, Joſ. 7. filium *Cham*, Gen. 9. filium *Solomonis*, & filios *Achabi*, in hiſtoriis Regum. Neque tamen rei ſunt filii peccatorum paternorum, vel ante ipſorum genituram admiſſorum, vel poſt eam: de peccatis prioribus nullum eſt dubium, ſi non conſentiant filii: de poſterioribus major eſt difficultas. Certum eſt tamen, filium patris improbiſſimi, nullius peccati actualis à majoribus admiſſi, reum in divino judicio teneri, niſi illius quo contaminata & Deo inimica reddita eſt ſtirps humana, nempe primi peccati Adami; in quo omnes peccavimus, unde omnes per naturam filii iræ æqualiter naſcimur: quamvis enim in proximis noſtris parentibus ebulliverit fortaſſe naturalis pravitas in plures magiſque horrendos actus externos, tanquam amaræ radicis amaros fructus, nobis tamen omnis mali ſeminarium cum natura communicatur per ipſos, à primo homine; parentes autem noſtri proximi peccatis ſuis actualibus perſonas ſuas proprias magis contaminant, non communem naturam, quæ jam inde à primi parentis lapſu ita eſt inquinata, ut nullius nequitiæ ſemen, quod à poſteris adjiciatur, illi deſit; quamvis pro paterno temperamento, & certo quodam peccandi habitu in hoc vel illo genere, radicalis illa perverſitas filiis interdum communicetur cum majore ad hunc vel illum amarum fructum propenſione, quam ad alios. Quamvis omnium ſcelerum ſemen in ſe habeat, adeoque omnimodæ pravitatis in origine ſit reus filius. Proinde dicimus, non minus originaliter reum fuiſſe *Cain*, *Adami* filium, quam *Davidem*, multis poſt ſeculis natum, quam *Joſephum*, Mariæ Virginis maritum, aut ipſam *Mariam* Virginem, aut etiam hodiernos infantes; omnium enim infantium interitus non alium aſſignat Apoſtolus cauſam, quam quod omnes in Adamo peccaverint, id eſt, primo illo Adami peccato à Deo averſi ſint, & penitus contaminati, Rom. 5: 12. Neque magis adulteri, homicidæ, avari, idololatræ, ſacrilegi, à Deo averſi, Deoque exoſi naſcuntur nunc, infantes, quam olim ante diluvium; quamvis infantium nunc naſcentium majores plura perpetraverint homicidia, adulteria, aliaque flagitia, quia plures habuerunt majores, & multos etiam fortaſſe nequiores. Nullum facit Apoſtolus inter infantes diſcrimen per naturam, ſed omnes pariter natura filios iræ pronunciat; *Eramus*, inquit, *per naturam filii iræ, ſicut & cæteri*. Epheſ. 2: 3.

VI. Personæ in quas aliena visitat peccata Deus, sunt non solum filii in peccantium lumbis existentes, sed & antegeniti, uti patet ex allatis exemplis: nec filii solum, sed & domestici, & vicini, & populares, ut patet ex historia *Achan*. Jos. 7. & ex historia *Davidis*, 2 Sam. 24. & ex verbis Domini apud Ezechielem, cap. 21: 3. *Gladium meum educam è vagina, & exscindam justum & impium.* Præterea filii vel oderunt Deum, sicut ipsorum patres; vel parentum vestigiis non insistunt, ut *Jonathan*, Filius Sauli regis, & alii pii impiorum patrum filii: ad utrosque comminatio ista pertinet, sed diversimodè, uti patebit ex distinctione pœnarum, & dubii hujus determinatione.

VII. Visitationes pœnales vel sunt seculares, vel spirituales, id est, vel vitam hanc animalem & civilem, vel spiritualem respiciunt. Prioris generis visitationes sunt, orbitas, paupertas, ignominia, ægritudo, mors ipsa. Posterioris generis sunt partim in hoc seculo, ut amotio candelabri, desertio spiritualis, & induratio, occæcatio, &c. partim in futuro, ut æterna damnatio, æternusque cruciatus.

VIII. Filii Deum pertinaci odio habentes æternis mancipantur suppliciis, non propter parentum suorum, sed propter propria sua peccata: secundùm hæc dicta; *qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo*, Exod. 32: 33. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, Ezech. 18. *Omnes nos sisti oportet coram tribunali Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, secundùm ea quæ fecit, sive bonum, sive malum*, 2 Cor. 5: 10. *Unusquisque proprium suum onus portabit.* Gal. 6: 5.

IX. Pravorum parentum pravi filii visitantur visitationibus spiritualibus in hoc seculo, propter sua quidem propria peccata, ita tamen ut eadem visitatio inserviat etiam ad manifestandam iram Dei contra majorum peccata: Deus enim longanimis non nisi diuturna & pertinaci impietate provocatus amovet candelabrum, & veibi sui facem aliò transfert, & vineam suam aliis agricolis elocat, ut est in parabola, Matth. 21. soporis spiritui gentem aliquam & erroris efficacitati tradit. Isai. 29. Rom. 11. & 2 Thess. 2. quò pertinet illa *Hieronymi* observatio, de clementia Dei in dilatione pœnæ, & de justitia Dei in puniendis filiis patrum suorum æmulatoribus.

X. Filii mali secularibus puniuntur suppliciis, vitam hanc animalem & civilem respicientibus, cum propter propria peccata, tum etiam propter peccata parentum: propriis ipsorum peccatis supplicia illa merentibus, majorum verò peccatis & hæreditariis peccandi pertinacia moram omnem exsequutioni divini judicii amputante. Quo pertinent hæc scripturæ dicta; *Repleta est terra iniquitate à facie eorum, itaque ego sum paratus disperdere eos.* Gen. 6: 13. *Nec dum completa est iniquitas Amoreorum usque adhuc.* Gen. 15: 16. *Ambulaverunt filii Israël in peccatu Jeroboami quæ fecerat, neque inde recesserunt, donec Israëlem Dominus à conspectu suo removit, quemadmodum dixerat per omnes servos suos prophetas*, 2 Reg. 17: 22, 23. Dominus Deus populi sui & habitaculi sui misertus prophetas ad rebelles misit, multo manè surgens, & mittens, sed illis spreta divina legatione, peccatis suis obstinate adhæserunt, unde factum est, ut tandem Deus ita in iram contra eos exarserit, ut Chaldæis opprimendos tradiderit. 2 Paralip. 36: 15, 16. Jer. 25: 3, 4. &c. & 35: 15. &c. Quum dixerint tibi, propter quid loquutus est Dominus super nos omne malum hoc grande? quæ est iniquitas nostra, & quod peccatum nostrum? &c. dices ad eos: *quia dereliquerunt me Patres vestri, ait Dominus —— & vos pejus fecistis quam patres vestri*, Jerem. 16: 10, 11, 12. *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.* Matth. 23: 32. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus effusus super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ*, ibidem, vers. 35. *& in ipsa sanguis Prophetarum atque sanctorum inventus est, & omnium qui interfecti sunt in terra*, Apocal. 18: 24. Huc pertinet illud *Hieronymi* dictum, Comment. in Ezech. 18. *Ideo*, inquit, *puniuntur, quia patrum extiterunt æmulatores, & oderunt Deum hæreditario malo, & impietate in ramos quoque de radice crescente.*

XI. Filii etiam à parentum peccatis alieni, temporalibus visitationibus subjiciuntur propter peccata parentum: quando, scilicet, judicii divini dilationem ulteriorem non admittit causa divinæ gloriæ, & instructionis hominum. Neque ad filios solum, uti supra monuimus, sed etiam ad vicinos extendi solet istiusmodi animadversio: propter peccata *Sauli*, regnum à *Jonathane* translatum est: propter peccata *Manassis* & populi, *Daniel* & *Ezechiel* in captivitatem sunt abducti: propter peccatum *Davidis*, infans ex *Bethsabe* natus moritur: propter peccatum *Achan*, occisi sunt non solum filii ejus, sed etiam ex populo viri triginta sex. Jos. 7. & propter peccatum *Core*, *Dathan*, & *Abiram*, omnes eorum domestici absorpti sunt; & recedere jussi sunt vicini, ne supplicii fierent participes, Num. 16. Hoc autem neque injustum est ex parte Dei, neque inutile hominibus: injustum non est ut moriantur quandoque morituri, cum quibus si strictò jure ageret Deus, posset eos ob propria ipsorum peccata disperdere; & quibus, etiamsi peccata ipsorum non spectes, adimere posset Deus vel addere ista temporalia, prout ipse expedire judicaret ad suam gloriam, & bonum hominum publicum. Inutile non est, sive ipsos qui castigantur, sive alios intueamur. Deus enim temporales pœnas, seu castigationes & exercitia pœnalia, inservire facit utilitati piorum qui per ea exercentur; nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum Rom. 8: 28. Alii verò inde discunt, quam tutum sit Deo adhærescere, & quam Deo exosa sit omnis iniquitas; ut unusquisque non sui solius, sed & proximi, ac totius corporis, cujus membrum est, curam gerat, ne ipse etiam alienorum peccatorum pœnis involvatur. Debemus autem libenter etiam vitam ponere pro fratribus. 1 Joan. 3: 16. Huc pertinent illa *Augustini* verba, quæst. 8. super Josuam; *Hominibus* (inquit) *præceptum est, ne quenquam pro alio puniant; at Dei judicia non sunt hujusmodi; quia alto & invisibili consilio suo novit, quatenus extendat etiam temporalem hominum pœnam salubremque terrorem; non enim aliquid durum, quantum attinet ad universi mundi administrationem, contingit mortalibus, cum moriuntur quandoque morituri, & tamen apud eos, qui talia metuunt, disciplina sancivit, ut non se solum quisque curet in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam unius corporis & hominis alia pro aliis sint membra sollicita: nec tamen credendum est, etiam pœnis quæ post mortem irrogantur alium pro alio posse damnari*, &c.

XII. Jam quæritur an homini liceat alium pro alio punire.

Resp.

Resp. Pœna inter homines vel est civilis, vel Ecclesiastica. Pœnam Ecclesiasticam voco excommunicationem, vel abstentionem, vel interdictum, quo prohibetur, vel subtrahitur, vel denegatur prædicatio Verbi Dei, & publica rei sacræ peractio seu celebratio, &c. Nemo excommunicari debet vel abstineri propter alienum peccatum, cujus ille non est particeps. Et verior est sententia *Augustini*, qui negat anathematizandum esse filium pro peccato Patris, aut familiam pro peccato Domini, &c. epist. 75. ad *Auxilium* Episcopum. Verba *Augustini* citantur etiam à *Gratiano* cauf. 24. quæst. 3. *Si habes*; Verior, inquam, est hæc *Augustini* sententia, quam eorum, qui diversam tuentur sententiam: non enim scripturæ autoritate eam confirmant, neque certa ratione. Audisti fortasse, (inquit *Augustinus*) aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathematizasse peccantium, sed forte si essent interrogati, reperirentur idonei reddere inde rationem; Ego autem, quoniam si quis ex me quætat, utrum rectè fiat, quid ei respondeam non invenio; nunquam hæc facere ausus sum, quum de quorundam facinoribus inaniter adversus Ecclesiam perpetratis gravissimè permoverer; sed si tibi quam justè fiat Dominus revelavit, paratus sum discere quomodo vel Deo vel hominibus justam possimus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno ——— spirituali supplicio puniamus ———, si autem non potes, quid tibi est inconsulta commotione animi facere, unde si fueris interrogatus, rectam rationem non vales invenire? Hæc *Augustinus*, epist. 75. ad *Auxilium*. Eadem ratio militat contra iniquitatem interdicti, quo universæ familiæ aut Parochiæ aut civitati aut genti subtrahitur publica Verbi Dei prædicatio, & sacri cultus celebratio, ptopter unius vel paucorum peccatum.

XIII. Pœna civilis est vel capitalis pœna, vel pecuniaria mulcta, ad quam referimus alias non capitales punitiones. *Arcadius* & *Honorius* Imperatores, In Codice *Justiniani*, ad legem *Juliam* Majestatis, Lege 5. *Quisquis*. Filios ejus qui reus sit Majestatis ajunt Paterno debere perire supplicio, eo quod Paterni in iis, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuantur: lenitate tamen Imperatoria specialiter vitam se illis concedere. Statuunt tamen, ut bona omnia Paterna fisco Imperatorio addicantur, & Filii isti à materna, vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate & successione habeantur alieni; testamentis extraneorum nihil capiant; sint perpetuò egentes & pauperes; infamia eos Paterna semper comitetur; ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant; sint postremò tales ut his perpetua egestate sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium. Mediocrem tamen filiabus ex bonis matris concedunt alimoniam, eas enim pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidunt.

XIV. Certum est tamen, non esse fas homini innocentem filium pro peccato Paterno morte punire, expressa enim Dei lex est, Deut. 24: 16. *Non interficientur Patres pro Filiis, neque Filii interficientur pro Patribus: quisque pro peccato suo morietur.* Propterea Rex *Amazias* ipsos quidem Patris sui percussores interfecit, filios autem percussorum non occidit, cujus ratio redditur, quia scilicet vetuit Deus in lege Mosis. 2 Reg. 14: 5, 6. ubi repetitur eadem Dei lex ex libro Mosis.

XV. De pœnis non capitalibus non agit expresse scriptura; quamvis si rationem illam legis intueamur, ut unusquisque scilicet pro peccato suo moriatur, certum sit, ubique cavendam esse erga filios in foro nimiam severitatem. Nam ut puniatur Pater morte, & bonorum confiscatione, in iis tamen quæ Pater non possidebat, neque per Patrem habiturus erat filius, puniri innocens & à Patris scelere manifestè alienus filius qua ratione debeat, difficile est comprehendere: ut scilicet arceatur ab acquisitione per testamenta proximorum innocentium, aut extraneorum: ut eum, quamvis hominem probum, Paterna semper comitetur infamia; ut vitam morte deteriorem habere cogatur.

XVI. De eo autem quod non possit capite plecti aliquis pro alterius scelere; sic scribit *Augustinus*, quæst. 8. super Josuam; At verò (inquit) si Achan ab aliquo inventus, atque comprehensus, & illius criminis reus, ad judicium Jesu fuisset adductus, nequaquam putandum est hominem judicem vel pro illo vel cum illo quenquam alium, qui societate facti ejus minime teneretur, fuisse puniturum: neque enim ei mandatum legis licebat excedere, quod datum est hominibus. ——— Longe autem secretiore justitia judicat Deus, qui potens est etiam post mortem, quod homo non potest, liberare vel perdere: visibiles igitur afflictiones hominum, sive mortes, quoniam his quibus ingeruntur & obesse & prodesse possunt, novit Dominus in occulto providentiæ suæ, quemadmodum juste quibusque dispenset, etiam quum aliorum peccata videtur in aliis ulcisci. Pœnas verò invisibiles, quæ non nisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus Deo Judice pro alienis peccatis luit, sicuti homine judice luere nullus nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Hoc enim præcepit homini judici Deus in his quæ ad humanum judicium pertinent judicanda, quod in suo judicio facit ipse, quò potestas non aspirat humana. (*Et postea quæst.* 9.) Quo ergo judicio Dei, vel misericordiâ, fuerit irrogata [mors] sive filiis ejus, sive illis triginta sex viris, quum omnes ab ejus peccato alieni fuerint, latet apud Deum, apud quem non est iniquitas: verum illud in promptu est, quod & populum terribiliter oportebat quærere quod admissum est, & tanto vehementius timuerint cæteri factum ejus imitari, quanto magis humana exhorret infirmitas & in tam magnum tamque justum populi odium dari, & iis quos ad spem propagandi generis se relicturum putabat, peccato suo secum consumptis suis posteris emori. Hæc *Augustinus*.

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER TERTIUS.

De Tertio Præcepto Decalogi.

Caput Primum.

Transitio, & verborum Tertii Præcepti compendiaria expositio.

I. Non malè *Philo* seriem & connexionem hic observat. Semper (inquit) nomen rem, tanquam umbra corpus, sequitur; ergo postquam dixit de essentia & honore ejus qui semper est, *περὶ τῆς ὑπάρξεως καὶ τιμῆς τȢ ἀεὶ ὑπάρχοντος*, secutus rerum seriem, præcepit mox ea quæ decent de usu nominis, *τὰ πρέποντα περὶ τῆς κλήσεως*.

II. Verba Tertii præcepti sunt, *Non assumes nomen Dei tui in vanum, nam non insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen ejus in vanum.* Est hic præceptum, & comminatio.

III. Præceptum prohibitivè proponitur: unde colligenda est præceptio affirmativa; seriò & reverenter de Deo & Dei nomine loquendum. Prohibitio verò est, non esse vel contumeliosè vel temerè usurpandum Dei nomen.

IV. Nomen Dei est descriptio Dei per omnia illa, quibus se nobis noscendum revelavit.

V. Sensus igitur præcepti est, ut non nisi cum summa reverentia, & quando, & quomodo, & ubi decet, loquamur de Deo, de verbo Dei, de ejus operibus ad illum relatis. Quo in genere multipliciter ab hominibus peccatur, sive, ut *Philonis* verbis utar, *πολύτροποι καὶ πολυειδεῖς αἱ περὶ τȢτο τὸ μέρος τῶν ἀνθρώπων ἁμαρτίαι.*

VI. Inter alios abusus, de illo monendi sunt studiosi, quem inconsideratis quibusdam Theologis nimis usitatum esse deprehendimus; est autem, quando audacter nimis & irreverenter de oraculorum divinorum sensu audent pronunciare. Sic *Bellarminus*, lib. de sanctorum beatitudine, cap. 18. disserens de verbis Dei apud *Jeremiam*, cap. 15. *Dixit Dominus ad me, si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo (inquit *Bellarminus*) Moses & Samuel mortui solebant orare pro populo Judæorum, (intelligo, prout exigebant singulares eorum conditiones, & vicissitudines.) Significatur (inquit ille) eos aliàs orare consuevisse, quando se impetrare posse putabant; alioqui inepta esset hæc Dei locutio, &c. Hæc ille. Sed quid si hanc Scripturam non intelligat iste censor? annon tutius est, suam potius suspectam habere tarditatem, quam divino oraculo ineptitudinis dicam impingere, cui illius præsumpto faveat glossemati?

VII. Nomen Dei vel legitimè, vel illegitimè usurpatur frequenter in juramento. Teterrima ejus profanatio est blasphemia, quâ in apertam adversus Deum contumeliam prorumpitur. Quale fuit peccatum illius, de quo legimus, Levit. 24: vers. 11. & seqq. & blasphemiarum atrocissima est illa irremissibilis, quæ est in Spiritum Sanctum. Marc. 3: 29.

Caput II.

De blasphemia in Spiritum Sanctum.

I. Hæc etiam blasphemia Spiritus [ἡ τȢ Πνεύματος βλασφημία] dicitur, Matth. 12: 31. quamvis enim ea, de qua ibi sermo est, blasphemia, etiam contra Christum prolata fuerit; dicitur tamen blasphemia Spiritus, quia qui hoc peccatum peccant, ii contra dictamen conscientiæ à Spiritu Sancto illuminatæ & de veritate quam oppugnant convictæ, bellum indicunt cognitæ veritati, in eamque ejusdemque autorem Deum, hostili animo, & obstinato odio, & desperata malitia jaciunt convitia, atque adeo Spiritum Dei non solum contristant, sed etiam contumelia afficiunt, & Filium Dei conculcant, Hebr. 10: 29. & sanguinem fœderis communem reputant, quo sanctificati sunt. [ibidem.] id est, quo factum est, ut semel illuminati sint, & gustaverint donum cæleste, & participes facti sint Spiritus Sancti, & bonum gustaverint Dei verbum, virtutesque futuri seculi. Hebr. 6: 4, 5.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 8. cap. 15. & 16.

II. Non igitur ex ignorantia, neque ex humana infirmitate per inadvertentiam, neque ex infirmitate per vehementiam perturbationis, adeoque ex metu, vel cupiditate, &c. neque solum ex superbo contemtu, & elata manu peccant, sicut illi de quibus lex loquitur, Num. 15: 30, 31. Sed ex mera malitia, & irreconciliabili odio, blasphemant Dei veritatem, ipsis cognitam, ejusque autorem Spiritum Sanctum, qui eam veritatem ipsis notam fecit, contumelia afficiunt, [ἐνυβρίζȢσι, Hebr. 10: 29.] voluntariè peccantes post acceptam agnitionem veritatis, [ἑκȢσίως ἁμαρτάνοντες, μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας,] Hebr. 10: 26. id est, plena voluntate & toto animo veritatem ipsis notam hostiliter blasphemantes. Quamvis molliore significatu dicatur in ea liturgia, quæ S. Jacobo tribuitur, *Condona nobis peccata nostra, voluntaria & involuntaria*, *τὰ παραπτώματα ἡμῶν, τὰ ἑκȢσια, τὰ ἀκȢσια*; & sensu adhuc largiore, omne peccatum sit ἑκȢσιον, voluntarium: ideo dixit *Clemens Alexandrinus*, lib. 2.

Stro-

Stromatum, ante medium; ἡ ἁμαρτία, ἑκούσιος ἀδικία· ἀδικία δὲ, ἑκούσιος κακία. Et plura ibi in hanc sententiam.

III. In Spiritum Sanctum peccatur, non ex infirmitate, sed ex malitia: quamvis à peccato ex infirmitate sumatur exordium, & in eo perseverantes incidant tandem in peccatum istud irremissibile: quando infirmitatem superat malitia, adeo ut etiamsi illa infirmitatis, (puta, avaritiæ, vel metus, &c.) tentatio cessaret, duraret tamen hostile illud odium, quemadmodum in diabolo. Quocirca sedulo advigilandum est, ne ulli peccato, quantumvis in speciem exiguo, indulgeamus. *ὁ ἐξουδενῶν τὰ ὀλίγα, κατὰ μικρὸν πεσεῖται. Qui modica spernit, paulatim decidet.* inquit Siracides, in Ecclesiastico, cap. 19: vers. 1.

IV. Autor libri de communi essentia Patris & Filii & Spiritus Sancti, qui Athanasio tribuitur; Observandum est (inquit) non dixisse Christum, blasphemanti & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti, sive in blasphemia manenti. Quandoquidem non est ullum peccatum irremissibile [ἀσυγχώρητος] apud Deum, in illis qui verè ex animo, & ut par est, pœnitentiam agunt. [τοῖς γνησίως καὶ κατ' ἀξίαν μετανοοῦσι.] Hæc ille. At certè neque manenti in blasphemia adversus Filium datur remissio. Necesse est igitur rationem irremissibilitatis blasphemiæ Spiritus ulterius investigare; & hanc invenimus in sacris literis; quia eo usque prolapsos impossibile est renovari per pœnitentiam, ἀδύνατον πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν. Hebr. 6: 4, 6. derelicti enim à Deo & traditi sunt cordi impœnitenti.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 12. cap. 5. §. 4.

V. Legitur quidem de proditore *Juda*, quod habuerit quandam μεταμέλειαν, pœnitentiam, Matth. 27: 3. sed infructuosa erat ea pœnitentia, habens stimulum pœnitudinis, absque correctione voluntatis.

CAPUT III.

An Liceat jurare, & an Liceat exigere juramentum.

I. TRIA nobis capita tractanda sunt de juramento. 1. An liceat jurare. 2. De natura juramenti. 3. De perjurio.

II. Non hic quærimus de juramento quod ab ipso Deo præstatur, jurante per seipsum, per dextram suam, per nomen suum magnum, quia non habet majorem per quem juret: sed de juramento quod jurant homines, quibus lex ista lata est.

III. Ad primam igitur quæstionem dicimus, non esse nefas jurare, sed licere & interdum necesse esse fidem dictis facere interposito juramento. Deus enim non solum jurandi legem præscripsit, Deut. 6: 13. & 10: 20. Jerem. 4. &c. sed & interdum jurandi necessitatem imposuit, Exod. 22: 10, 11. *Si dederit quis proximo suo asinum vel bovem*, &c. *juramentum Jehovæ erit inter utrumque*, &c. Item vers. 7, & 8. *Si quis custodiendum dederit proximo argentum*, &c. *adducetur ad Judices, an miserit manum suam in substantiam proximi sui*, (juramento scilicet explorandus, uti patet Exod. 22: 10, 11. quod & indicant interpretes Græci & Latini:) neque solum exigente judice, sed etiam re aliter postulante, licitum est juramentum; uti patet, Exod. 22: 11. & exemplo *Labanis* & *Jacobi*, Gen. 31: 53. Item *Jacobi* & *Esaui*, Gen. 25: 33. Nam etsi peccavit Esau contemnens jus primogenituræ, ejusque venditionem juramento confirmans, peccatum tamen non in eo erat quod juravit, sed quod primogenituræ jus vendidit, Hebr. 12. Præterea exemplo *Jonathanis*, & *Davidis*, 1 Sam. 20: vers. 3, 12, 13, 16, 17, 21, 23. & multis Pauli Apostoli, nemine mortalium exigente, juramentis, Rom. 1: 9. & 2 Cor. 1: 23. & 11: 31. Galat. 1; 20. Idem Apostolus docet omnis humanæ controversiæ terminum ad confirmationem esse juramentum, Hebr. 6: 16.

IV. Non obstant verba Domini, Matth. 5: 34. *Ego dico vobis, ne juretis omnino*, &c. & Jacobi 5: 12. *Ante omnia fratres mei ne juretis*, Non enim prohibetur illis locis usus juramenti licitus & laudabilis, sed illaudabilis atque illicitus. Neque enim Domino propositum fuit legem solvere, aut unum ejus iota irritum reddere; sed genuinum ejus sensum ostendere, depulsa Pharisaicorum glossematum caligine. *Audistis* (inquit) *quod dictum fuerit antiquis, non pejerabis, sed reddes Domino juramenta tua: Ego verò dico vobis, ne juretis omnino, neque per Cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolymam; quia urbs est magni Regis; neque per caput tuum jurabis, quia non potes unum capillum album aut nigrum facere: Esto autem sermo vester, Est, Est; Non, Non; quod autem supra hæc redundat, à malo est.* Sic Jacobus Apostolus; *Ante omnia* (inquit) *fratres mei ne juretis, neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud ullum jusjurandum: sit autem vestrum Est, Est; & Non, Non: ne in condemnationem incidatis.* Non prohibet Dominus simpliciter omne juramentum Deo præstitum, sed prohibet temeraria & profana juramenta: amotis enim injustitia, temeritate, & falsitate, non modo non illicitum, sed & Deo gratum est juramentum. Refellit autem Dominus errorem populi Judaici, qui sciebant, non esse vel temerè vel falsò jurandum per nomen Dei, sed evadere se perjurii periculum existimabant, si creaturam aliquam, sive seriò, sive per ludibrium, testem sermonis sui invocarent: hanc refutat inutilem argutiam Dominus, & ostendit, ad Deum ipsum redire contumeliam ex istiusmodi juramentis temerariis, aut falsis: ideoque in quibus sciunt abstinendum esse ab usurpatione nominis Dei, illic neque per creaturam ullam esse jurandum, sed simplici utendum esse sermone, sive affirmativo, *Est, Est*; sive negativo, *Non, Non*: à malo autem esse si quis ulterius progrediatur, id est, ab erronea persuasione, quod sine peccato vel temerè vel falsò jurare possint per creaturas, & à pravo habitu temerè vel falsò jurandi. Vel (si *Augustinum* audimus) à necessitate ex infirmitate eorum quibus aliquid suademus. Porro idem *Augustinus*; quæri autem potest, (inquit) quum diceretur, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, cur additum sit, *neque per Cœlum, quia thronus Dei est*, &c. usque ad id quod dictum est, *neque per caput tuum*: credo propterea, quia non putabant Judæi se teneri jurejurando si per ista jurassent; & quoniam audierant, *Reddes Domino jusjurandum tuum*, non putabant se Domino debere jusjurandum, si per Cœlum, aut terram, aut per Hierosolymam, aut per caput suum jurarent; quod non vitio præcipientis, sed illis malè intelligentibus factum est. Itaque Dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quisque perjurandum arbitretur: quando à

Exod. 20: 7. & Levit. 19: 12. & Jerem. 4. 2. &c.

summis usque ad infima, divina providentia creata regerentur, incipiens à throno Dei usque ad capillum album aut nigrum, *neque per cœlum*, inquit, *quia thronus Dei est*, *neque per terram*, *quia scabellum pedum ejus est*, id est, cum jures per cœlum, aut terram, non arbitreris te non debere Domino jusjurandum tuum, quia per eum jurare convinceris, cujus cœlum thronus est, & cujus scabellum terra est. Hæc *Augustinus*, lib. 1. de sermone Domini in monte.

V. Rectè autem *Philo*, in libro de decalogo, *κάλλιςον καὶ βιωφελέςατον καὶ ἁρμότατον λογικῇ φύσει, τὸ ἀνώμοτον, ὅτως ἀληθεύειν ἐφ' ἑκάςε δεδιδαγμένῃ, ὡς τὰς λόγες ὅρκες εἶναι νομίζεσθαι*, Pulcherrimum & utilissimum (inquit) fuerit, & rationali naturæ convenientissimum, omnino abstinere à jurejurando, & sic veritati assuescere, ut simplex sermo vim juramenti habeat. Secundaria verò, juxta proverbium, navigatio est, rectè jurare, (*δεύτερος δὲ φασὶ πλᾶς τὸ εὐορκεῖν*). Jam enim qui jurat, suspectus est de perfidia: *μελλητὴς ἂν ἔςαι καὶ βραδὺς*, sit igitur cunctator & procrastinator, si forte differendo possit evitare ne juret. Quod si qua incumbat necessitas, dispicienda sunt curiosè [*ἐ παρέργως*] singula de quibus sit controversia: est enim jusjurandum non exiguum negotium, tametsi contemnitur propter consuetudinem: nam juramentum est attestatio Dei de rebus dubiis: Deum autem citare testem mendacii, scelus est nefarium. —— Et sunt qui etiam lucro nullo proposito subinde jurant temere ob malam consuetudinem, de quibuslibet rebus, dubitante prorsus nemine, jurejurando supplentes orationem; quasi non satius esset illam dimidiatam mutilamvè relinquere, imo prorsus obmutescere: quandoquidem ex frequenti juramento nascitur perjurium, & impietas, (*φύεται γὰρ ἐκ πολυορκίας ψευδορκία καὶ ἀσέβεια*). Quapropter juraturus debet omnes rei circumstantias diligenter circumspicere, (*ἐπιμελῶς ἐξετακέναι, καὶ σφόδρα περιττῶς,*) quanta sit, quam vera, quam bene à se percepta: tum seipsum considerare, num purus sit anima, corpore, lingua; illa ab iniquitatibus, hoc à piaculis, hæc à maledicentia, [*τὴν μὲν παρανομίας, τὸ δε μιασμάτων, τὴν δὲ βλασφημιῶν,*] nefas est enim per illud os, quo profertur nomen illud sanctissimum, quicquam turpe progredi. [*ἐ γὰρ ὅσιον δι' ἐ ςόματος τὸ ἱερώτατον ὄνομα προσφέρεταί τις, διὰ τέτε φθέγγεσθαί τι τῶν αἰσχρῶν.*] Hæc appositè & eruditè *Philo*, licet nesciens antiquatam esse legem de puritate corporis illa figurali.

VI. Non aliter de juramento disserit *Augustinus*; Sed tamen (inquit) quoniam jurat qui adhibet testem Deum, diligenter considerandum est hoc capitulum, ne contra præceptum Domini Apostolus fecisse videatur, qui sæpe hoc modo juravit. Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum, ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis sed in necessariis jurationem esse habendam, refrænet se quantum potest, ut ea non utatur, nisi necessitate, quum videt pigros esse homines ad credendum quod iis utile est credere, nisi juratione firmetur. —— tu autem non malè facis qui bene uteris juratione, &c. Hæc ille, libro 1. de sermone Domini in monte. Ubi cavendum, ne existimemus, juramentum *Augustino* videri malum necessarium: sed hoc tantum vult,

1 Cor. 15: 31. 2 Cor. 11:31. Gal. 1:20. Rom. 1 9. 2 Cor. 1: 23.

ut non affectemus, sed potius, quoad ejus fieri potest, vitemus jurationem: non propter juramenti ullam malitiam in se, sed propter perjurii & temeritatis periculum, ut patet ex ipsius verbis; Nemo (inquit) novit, nisi qui expertus est, quam sit difficile & consuetudinem jurandi extinguere, & nunquam temere facere, quod nonnunquam facere necessitas cogit. Idem etiam *Augustinus*, serm. 28. de verbis Apostoli; Perjurium (inquit) præcipitium est. Qui jurat, juxta est; qui non jurat longè est; peccat, & graviter, qui falsum jurat: non peccat qui verum jurat; sed nec ille peccat qui omnino non jurat. Sed qui non jurat, & non peccat, longè est à peccato: qui autem verum jurat, non peccat, sed proprior est ad peccatum. ——— Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. Vide ibi plura de hoc argumento. Aliud est (inquit *Gratianus*) ad juramentum sponte accedere, aliud vel ad asserendam innocentiam suam, vel ad fœdera pacis conservanda, vel ad persuadendum auditoribus, quando pigri sunt credere, quod iis utile est, juramentum offerre: primum prohibetur; secundum conceditur. Hæc ille. Causa 22. qu. 1. can. *quod juramentum*. Necessariam hanc in suscipiendis juramentis, cavendisque perjuriis, sollicitudinem respexerunt veteres, quando statuerunt, ut, quoad ejus fieri posset, accederent jejuni ad præstandum juramentum, uti ex Concilio Aurelianensi docet *Lombardus*, lib. 3. sent. dist. 39. & *Gratianus*, ex *Cornelio* Papa; causa 22. qu. 5. can. *Honestum*.

VII. Quæritur etiam, an liceat exigere juramentum. Nam si quod ulterius est, à malo est, à non credentis scilicet malo, ut *Augustinus* interpretatur, dubitari posset, an non malè faciat, qui exigit juramentum.

Respondeo, non illum malè facere; neque enim male fecit *Abraham* exigens juramentum, aut *Jacob*, aut *Jonathan*, &c. Et lex interdum imperat jurationem, Exod. 22. sed observanda est distinctio *Augustini*; Ille (inquit) qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum juraturum esse, vincit homicidam, quod homicida corpus occisurus est, ille animam: imo duas animas, & ejus animam quem jurare provocavit, & suam. Scis verum esse quod dicis, & falsum quod ille dicit, & jurare compellis, ecce jurat, ecce pejerat, tu quid invenisti? imo & tu periisti, qui de illius morte satiari voluisti. Hæc *Augustinus*, in sermone de decollatione sancti Joannis, & apud *Gratianum*, causa 22. qu. 5. can. *ille*. Idem etiam *Augustinus*, qui (inquit) exigit jurationem, multum interest si nescit illum juraturum falsum, an scit; si enim nescit, & ideo dicit, jura mihi, ut fides ei sit, non est peccatum, tamen humana tentatio est &c. Hæc ille in sermone de perjuriis, & apud *Lombardum*, 3. sent. dist. 39. & apud *Gratianum*, causa 22. qu. 5. can. *qui exigit*. Ubi autor glossæ rectè exponit illa verba, *tamen humana tentatio est*, *id est*, (inquit) *de humana infirmitate procedit*. Non est autem hæc infirmitas peccatum, sed tantummodo peccati pœna, ut sunt aliæ infirmitates non damnabiles, sed miserabiles.

Caput IV.

De natura juramenti.

I. Nunc de juramenti natura paucis dicamus. *Jurat* (inquit *Auguſtinus*) *qui teſtem Deum adhibet*, lib. 1. de ſerm. Dom. in monte. *Jurare eſt aliquid Deo teſte dicere*, inquit autor gloſſæ ad Can. *quod juramentum*, cauſ. 22. quæſt. 1. *μαρτυρία ἐςὶ Θεȣ̃ περὶ πραγμάτων ἀμφισβητημένων ὅρκος· μάρτυρα δὲ καλεῖν ἐπὶ ψεύδει θεὸν ἀνοσιώτατον. Jusjurandum eſt atteſtatio Dei de rebus dubiis, Deum autem citare teſtem mendacii, ſcelus eſt nefarium*, inquit *Philo* Judæus, in expoſitione tertii præcepti. Nos plenius & clarius definire poterimus juramentum, obſervatis verbis præcepti tertii, & illis jurandi formulis quæ in ſcriptura reperiuntur, quæ etiam nos ducunt ad objectum jurationis, nempe Deum, per quem ſolum jurandum eſt.

II. Formulæ ſunt, *Deus inter nos judicet*, Gen. 3: 35. *Vivit Dominus*, 1 Sam. 20: 35. *Sic faciat Dominus & amplius Jonathani, niſi indicavero Davidi*, ibidem verſ. 12, 13. *Requirat Dominus ex manibus inimicorum Davidis*, ibidem verſ. 16. *Teſtis eſt mihi Deus*, Rom. 1: 9. *Per veſtram gloriationem quam habeo in Chriſto.* Græc. νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριςῷ, 1 Cor. 15: 31. quod non niſi à jurante dicitur, inquit *Auguſtinus*, lib. 1. de ſerm. Dom. in monte. Item, *Ego teſtem Deum invoco in animam meam*, 2 Cor. 1: 23. *Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti novit, qui eſt benedictus in ſecula, quod non mentior.* 2 Cor. 11. 31. *Ecce coram Deo, quod non mentior.* Gal 1: 20. &c. hinc colligimus quid ſit juramentum.

Definitio juramenti. III. *Juramentum eſt atteſtatio Dei, pro dicti noſtri confirmatione, conjunctam habens execrationem, vel tacitam vel expreſſam, in eum qui jurat, ſi pejeret.* Sive brevius; *Eſt invocatio Dei in ſermonis noſtri teſtem, & judicem, & vindicem.* Unde in ſacris literis non ſolum appellatur Hebraice שֶׁבַע & שְׁבֻעָה & שְׁבוּעָה juramentum, ſed etiam אָלָה, quæ vox propriè execrationem ſonat, Gen. 24: 41. Ezech. 17: 13, 16, 18, 19. Hoſ. 4: 2. vide Jerem. 23: 10. *Vide cap. 7. §. 4.*

IV. *David Pareus*, Comm. in Apocal. 10: 6. Eſt autem (inquit) jurare per Jehovam, ſeu Deum viventem, hunc Deum invocare ac petere, ut is tanquam unicus cordium inſpector teſtimonium det veritati, & jurantem puniat, ſi ſciens fallat. Hæc *D. Pareus*.

V. *Auguſtinus*; Non vos fallunt, qui neſcio quomodo volentes ipſas jurationes diſcernere vel potius non intelligere, dicunt non eſſe jurationem, quando dicit homo, Scit Deus, teſtis eſt Deus, invoco Deum ſuper animam meam verum me dicere. Invocavit, inquit, Deum, teſtem fecit Deum. Numquid juravit? qui hæc dicunt, nihil aliud volunt, niſi invocato Deo teſte mentiri. Itane verò quiſquis es pravi cordis & perverſi cordis, ſi dicas, per Deum, juras, ſi dicas, teſtis eſt Deus, non juras? quid eſt enim, per Deum, niſi teſtis eſt Deus? aut quid eſt, teſtis eſt Deus, niſi per Deum? Quid eſt autem jurare, niſi jus reddere Deo, quando per Deum juras; jus ſaluti tuæ reddere, quando per ſalutem tuam juras; jus filiis tuis reddere, quando per filios tuos juras? Quod autem jus debemus ſaluti noſtræ, filiis noſtris, Deo noſtro, niſi charitatis, veritatis, & non falſitatis? Hæc *Auguſtinus*, ſerm. 28. de verbis Apoſtoli.

VI. Diximus juramentum eſſe atteſtationem Dei: ſolus enim Deus idoneus eſt teſtis per quem jurandum eſt, Deut. 6: 13. & 10: 20. Jer. 4: 2. Ideo hoc pro crimine objicitur Judæis, & pro ſceleſta defectione à vero Deo, quod jurarent per eos qui non ſunt Dii, Jerem. 5: 7. quid eſt jurare, niſi ejus, quem teſteris fidei tuæ præſulem, divinam potentiam confiteri? inquit *Ambroſius*, epiſt. 11. ad *Valentinianum* Imperatorem.

VII. Non ſunt uſurpandæ pro arbitrio formulæ. Quamvis enim Deum ipſum legimus aliquando juraſſe per dextram ſuam, & per robuſtum brachium ſuum, Iſai. 62: 8. per ſanctitatem ſuam, Pſal. 89: 35. &c. accommodantem ſcilicet & variantem juramenti ſui formulam ad rationem præſentis negotii; homines tamen qui de Deo rectè loqui neſciunt, niſi docente Deo, abſtinere debent ab illiusmodi formulis, quas neque homini imperatas, neque in homine approbatas inveniunt in ſacris literis, quantum ad nominationem ipſius Dei. Propterea meritò *Juſtinianus* Imperator, novella conſtit. 77. ut non luxurientur, cap. 1. decrevit, *ut ſi quis juraret per capillos & caput Dei: & his proxima verba uſurparet*, capite plecteretur, *ſive ultimis ſubjiceretur ſuppliciis*, ut ſunt verba illius legis. Item *Pius* Papa, apud *Gratianum*, cauſ. 22. quæſt. 1. Can. *ſi quis*. Si quis per capillum Dei vel caput juraverit, vel alio modo blaſphemia contra Deum uſus fuerit, ſi in Eccleſiaſtico ordine eſt, deponatur; ſi Laïcus, anathematizetur. Hæc ille. Idem etiam ibidem; Si quis (inquit) per creaturas juraverit, acerrimè caſtigetur, & juxta id quod Synodus dijudicaverit, pœniteat.

VIII. Qui jurat per creaturam, vel eam reſpicit, ut aliquid in ſe divinitatis habentem, ſive Numen aliquod, & ſic idololatra eſt, honorem ſoli Deo proprium aliò transferens; vel eam reſpicit ut Dei creaturam, & ſic quoad obligationem per Deum ipſum juraſſe judicatur, ut patet ex ſermone Domini in monte, Matth. 5. Unde & perjuri ſunt qui per creaturam falſum jurant, uti patet ex ſermone Domini in monte: & rectè *Ambroſius*, apud *Lombardum*, 3. ſent. diſt. 39. Ecce, inquit, dico charitati veſtræ, & qui per lapidem jurat falſum, perjurus eſt, quod non lapidem qui non audit, ſed ejus Creatorem adhibet teſtem. Jam autem reſpectus iſte vel in ſimplici relatione eſt, vel in gemina; ſimplex relatio eſt quando creatura ſpectatur tantummodo ut opus Dei, ut quum quis jurat per lapidem, per animal aliquod, &c. gemina autem relatio eſt, quando ſpectatur creatura non ſolum ut opus Dei, ſed etiam ut aliquid juranti charum, vel utile, & ſic jurans rem illam, quantum ad ſe, oppignerat Deo; unde ait *Auguſtinus*, quum dicit quiſquam per ſalutem meam, ſalutem ſuam Deo obligat: quando dicit, per filios meos, oppignerat Deo filios ſuos, ut hoc veniat in caput eorum quod exit de ore ipſius, ſi verum verum, ſi falſum falſum. Hæc *Auguſtinus*, ſerm. 28. de verbis Apoſtoli. Similiter illi qui jurant per animam ſuam, per fidem ſuam, per vitam ſuam, per Solem quem intuentur, per lumen quo vident, per cibum, per potum, &c. iſtæ omnes formulæ cum Dei atteſtationem, tum etiam in eum qui jurat hypotheticam continent execrationem, ſi nempe falſum juret.

IX.

IX. Hæc quum ita se habeant, cum non effugiat juramenti periculum homo per creaturam jurans, præceperit verò Deus jurare per ipsum, & quidem solum Deum, tutius est & ad reverentiam debitam convenientius, & divino præcepto congruentius, ut jurent homines non nisi per ipsius Dei nomen, quemadmodum docet Sacra Scriptura. Unde rectè decreverunt Patres Carthaginenses, in Concilio Carthaginensi quarto, Can. 61. Clericum, per creaturas jurantem, acerrimè objurgandum; si perstiterit in vitio, excommunicandum. Sic etiam *Pius* Papa, uti jam monuimus. Quo in genere frequentissimè peccatur ab iis, quibus solemne est & usitatissimum jurare per sanctos defunctos, aut per alias meras creaturas.

X. Ad rationem & formam juramenti pertinet quod monet *Ulpianus*, apud *Justinianum*, lege 3. ff. de jurejurando: *jurari* scilicet *oportere, ut delatum est jusjurandum*. Hac in parte duplex est cautio adhibenda contra duplicem fallaciam. 1. Ut per eum specialiter jures, per quem detuli ut jurares, unde queritur *Ulpianus*, loco citato, Ego, inquit, detuli ut per Deum jurares, tu per caput tuum jurasti. Et idem *Ulpianus*, lege 33. eodem; Qui (inquit) per salutem suam jurat, licet per Deum jurare videtur, (respectu enim divini Numinis ita jurat) attamen si non ita specialiter jusjurandum ei delatum est, jurasse non videtur, & ideo ex integro solemniter jurandum est. 2. Ut de re ipsa de qua juratur, & in forma juramenti, nulla adhibeatur verborum fraus: unde *Isidorus* Hispal. lib. 2. sent. cap. 31. & apud *Gratianum*, caus. 22. quæst. 5. Can. *Quacunque*, & *Lombardus* 3. sent. dist. 39. Quacunque (inquiunt) arte verborum quis jurat, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit sicut ille, cui juratur, intelligit: dupliciter autem reus fit qui & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit. Hæc ille. Ubi intelligunt jurantem eum dolo, quando nullus intervenit dolus ex parte deferentis sive postulantis juramentum. Si verò dolus fit ex parte postulantis, & sincerè alter juret, intelligenda sint verba, prout jurator intelligit, hoc est, prout intelligere debet. Atque huc pertinet quod ait *Gregorius*, lib. 26. Moralium, cap. 7. Humanæ (inquit) aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde. Hæc ibi *Gregorius*. Si verò uterque sincerè agat, tunc interpretatio verborum accipienda est secundùm utriusque mentem, si verba possint intellectui utriusque adaptari: at si ab utroque interponitur dolus, tunc intelligere oportet secundùm communem significationem verborum, uti rectè monet autor glossæ ad can. *hoc videtur*. §. *queritur*. causa 22. & quæst. 5. & egregiè, in eadem quæstione; *Gratianus*, can. *qui pejerare*. §. *Ex his*. Deus (inquit) duplicitatis aspernator simplicem intentionem utriusque considerat, & tam ex parte recipientis, quàm ex parte præstantis, verborum artem aspernatur & odit. Et *Augustinus*, Enchirid. cap. 22. Utique (inquit) verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Hactenus *Augustinus*. Atque hæc contra æquivocatores impræsentiarum dicta sufficiant. Plura contra eosdem invenies infra in expositione præcepti noni, sect. 6. & sect. 7.

Vide etiam contra æquivocationem lib. 3. Instruct. Historico-Theolog. cap. 20. § 17. & § 38.

XI. *Publicola* proposuit *Augustino* quæstionem, an uti liceat fide eorum qui nobis jurant per dæmones vel falsos Deos. Respondit *Augustinus*, epist. 154. id licere; qui enim utitur fide illius quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malam rem, sed ad licitam & bonam, non peccato ejus se sociat, quo per dæmonia juravit, sed bono facto ejus quod fidem servavit. Hæc *Augustinus*.

XII. Aliam proponit ibidem *Augustinus* quæstionem difficiliorem, utrum peccet qui per falsos Deos sibi jurare facit? Ad hanc quæstionem nihil certi respondit *Augustinus*. Nos autem respondemus, peccare illum: neque enim adigere licet quenquam ad actum idololatricum, Deut. 13. Act. 26: 11. Quomodo igitur (inquies) fœdera pacisci poterimus cum infidelibus? Respondeo; postulandum ut jurent nobis per Deum summum dominatorem, rectorem Cœli & terræ, datorem nobis omnium bonorum, quemadmodum milites suos *Paganos* instruxit *Constantinus*, ut hunc Deum adorarent. *Euseb.* lib. 4. de vita *Constant.* cap. 19. esse autem hunc Deum, nulla est tam barbara, tam efferata natio quæ nesciat.

XIII. Observa autem, si fidem nobis servare tenentur idololatræ, quamvis jurent per falsos Deos, multo magis Christianos obligari ad servandam fidem idololatris, quibus juraverunt per nomen veri Dei. Ideo procul facessat Antichristiana illa doctrina, fidem non esse servandam hæreticis vel excommunicatis. Vide Caus. 15. quæst. 6. *Nos sanctorum*, & Concil. Constant. sess. 15. cap. *Præsens sancta synodus*. Constantienses præ se ferunt sess. 15. odium violationis juramenti præstiti tyranno, sed hactenus tantum eam damnant, si violetur juramentum & à subdito aut vasallo occidatur tyrannus, non exspectata sententia vel mandato judicis cujuscunque. Et sess. 19. contra salvum conductum ab Imperatore promissum, declarant, licere judici competenti Ecclesiastico procedere & punire eos, qui de salvo conductu confisi ad locum judicii venerunt, alias non venturi. Vide Ezech. 17. ubi Deus ultorem se profitetur violationis juramenti quod homini infideli præstitum erat. Aliud exemplum cernere est in illa infelici pugna *Varnensi*, & cæde *Uladislai* Hungariæ Regis, anno Domini, 1444. Sabellic. Ennead. 10. lib. 4. & lib. 5.

De clade Varnensi vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 4. cap. 22. §. 9.

Caput V.

De Perjurio.

I. Animadvertendum (inquit *Hieronymus*, Comment. in Jerem. cap. 4.) quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium atque justitiam, si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. Hæc ille.

II. Verba autem Prophetæ sunt; *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia*. Veritatem intelligo etiam quantum ad jurantis conscientiam, neque enim sufficit veritas rei, nisi adsit veritas conscientiæ, uti rectè observat autor glossæ ad Can. *Animadvertendum*. Caus. 22. quæst. 2. Idem etiam *judicium* exponit discretionem; *Justitiam* verò, ut justum sit & licitum quod juratur. Quæ quidem rectè ab illo dicta sunt: nam & falsa, & temeraria sive inconsiderata, & nefaria sive de rebus illicitis præ-

præstita juramenta, aversatur Deus, tanquam nominis sui profanationes.

III. Usus tamen loquendi obtinuit, ut de perjurio sermo plerumque ita habeatur, ac si omne perjurium ad primum ordinem pertineret. Sic etiam alicubi loquitur ipsa scriptura, *Non jurabis falsum per nomen meum, neque profanabis nomen Dei tui.* Levit. 19: 12. Et tamen alibi in sacris literis, inconsiderata & nefaria damnantur juramenta, uti patet ex
Jer. 4: 2. loco citato Jeremiæ: item ex sermone Domini in monte: & ex historia Herodis Antipæ, in Evangelio Matth. 14: 9. &c. & ideo *Thomas* illum dicit esse perjurum ipso facto, qui jurat quod non licebat jurare. In 3. sent. distinct. 39. quæst. 3. Etsi disserunt Theologi de perjurio, ut plurimum, primi generis, ad quod referunt omne perjurium; Unde *Lombardus* sic definit; *Perjurium* (inquit) *est mendacium juramento firmatum.* 3. sent. dist. 39. Et huc reducit Thomas omne perjurium, ibidem, quæst. 4. in responsione ad 4. *Juramentum* (inquit) *promissorium in quo deest justitia, vel judicium, aliquo modo continet mendacium, quantum ad id quod fieri debet: quia unusquisque tenetur abstinere ab eo quod est illicitum; & bonis & perfectionibus non contra niti: unde ex hoc quod jurat aliquid illicitum, obligatus remanet quodammodo ad mentiendum.* Hæc ille. Utut sit, scimus omne juramentum sive falsum, sive temerarium, sive nefarium, quod vel cum veritate, vel cum judicio, vel cum justitia pugnat, esse sumptionem divini nominis in vanum; ideoque reum esse qui sic jurat violati tertii præcepti. Loquimur autem de juramentis per Dei nomen conceptis, sive directè, sive indirectè: nam per aliud aliquid sine Dei intuitu jurare idololatria est, uti supra docuimus.

IV. *Philo* Judæus perjurium sive juramentum falsum non malè definit, ut pejerare sit Deum citare testem mendacii, *μάρτυρα καλεῖν ἐπὶ ψεύδει θεόν.* lib. de decalogo.

V. Juramentum rectè distinguunt Scholastici, in 3. sent. dist. 39. in *assertorium*, quod fit ad confirmationem veritatis; & *promissorium*, quod fit de eo quod in futurum à jurante faciendum, expectatur, vel per se, vel per alium. In juramento assertorio, inquit *Thomas*, est una tantum obligatio, scilicet qua quis obligatur ad peccatum, si veritas suo juramento desit: in juramento autem promissorio est duplex obligatio: una qua quis obligatur ad hoc faciendum, quod juramento promisit, alia qua obligatur ad peccatum, si non fecerit. Hæc ille.

VI. Clarius & plenius diceres de juramento assertorio, postulari in eo tantum veritatem verborum, congruentem rei, & conscientiæ jurantis: atque ut non juretur nisi expediat. De juramento autem promissorio, postulari in eo intentionis sinceritatem, quæ ad veritatem pertinet, & possibilitatis diligentem perpensionem, quæ ad judicium refertur; & curam atque custodiam æquitatis, ubi refulget justitia; atque ut rem in veritate, judicio, & justitia juramento promissam præstet pro viribus qui juravit.

VII. Perjurium assertorium multiplex est, uti observavit *Augustinus*, in Enchirid. & sermone 28. de verbis Apostoli, & ex *Augustino Gratianus*, causa 22. quæst. 2. Can. *Homines.* Et Can. *Is autem.* Et *Lombardus*, lib. 3. sent. dist. 39. Vel enim putat homo verum esse quod falsum est, & jurat esse verum; & hoc est *perjurium temeritatis*; Vel scit, aut putat falsum esse, & jurat esse verum, & hoc est *perjurium pravitatis.* Quod duplex est, vel contra opinionem, vel contra scientiam jurantis. De *perjurio pravitatis contra scientiam*, sic scribit *Augustinus*, serm. 28. de verbis Apostoli; da (inquit) alium, scit falsum esse & dicit verum esse, & jurat tanquam verum sit, quod scit falsum esse, videns quam illa detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda. De perjurio pravitatis contra opinionem jurantis, ait; fac alium, putat esse falsum, & jurat tanquam verum sit, fortè verum est, sed ille perjurus est: interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Reum linguam De concilio
non facit nisi rea mens: Omnis autem qui juramento
mentitur (inquit idem *Augustinus*, Enchirid. vide Concil
cap. 22.) contra id quod animo sentit lo- 4
quitur, voluntate fallendi. Ideo homo non Tolet.
solum quando scit ipse quid verum sit, sed Can. 56.
etiam quando errat & fallitur sicut homo, seu 57.
hoc debet loqui quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur & non sit. Hæc *Augustinus.* Ideo minus peccat qui deceptus falsum jurat, neque enim ille ex animo pejerat, sed ex errore, quo putat se verum jurare. Peccat tamen, quia non sine certa scientia jurandum est: neque verba menti respondent; Nam in mente non nisi opinionem habet, in verbis autem præ se fert certam scientiam. Ideo peccat quicunque ex sola opinione quicquam jurat esse verum, sive verum illud sit in re, sive falsum: gravius tamen ab illis peccatur, qui cum intentione fallendi pejerant, sive contra scientiam suam, sive contra opinionem. Refert *A. Gellius*, lib. 1. Noctium Atticarum, cap. 3. *Periclem* Atheniensem, cum amicus eum rogaret, ut pro re causaque ejus falsum dejeraret, his ad eum verbis usum esse, *δεῖ μὲ συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν*, id est, oportet me amicis opitulari, sed usque ad Deos.

VIII. Perjurus est ex juramento promissorio, qui vel jurat, quod non intendit præstare; quod Scoto perjurium dolosum dicitur: vel juramento promittit se facturum, quod ei non licet facere, aut quod non potest facere: & est incautum ac temerarium perjurium: vel quod juramento facturum se promisit, & facere sine peccato potest, non præstat pro viribus: & hoc fallax & injustum est perjurium, nam veracitatis justitiæque lex tali perjurio directè violatur. Jusjurandum (ait *Cicero*) est affirmatio religiosa. Quod autem affirmatè, quasi Deo teste promiseris, id tenendum est. ———— Nullum vinculum ad adstringendam fidem, jurejurando majores arctius esse voluerunt. Indicant id leges XII. tabularum, indicant sacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notationes, animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant. ———— ———— Ut laudandus Regulus in conservando jurejurando; sic decem illi, quos post Cannensem pugnam juratos ad senatum misit Annibal, se in castra redituros ea quorum erant potiti Pœni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis, scribit ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse, à senatu re non impetrata: unum ex decem, qui paullò post, quam egressus erat è castris, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romæ remansisse. Reditu enim in

castra, liberatum se esse jurejurando interpretabatur: non rectè. Fraus enim adstringit, non dissolvit perjurium. Fuit igitur stulta calliditas, perversè imitata prudentiam. Itaque decrevit senatus, ut ille veterator & callidus vinctus ad Annibalem duceretur. —— Attilius autem ille qui Græcè scripsit historiam, plures ait fuisse, qui in castra revertissent, eadem fraude, ut jurejurando liberarentur: eosque à censoribus omnibus ignominiis notatos. Hæc *Cicero*, lib. 3. Officiorum, paullò ante finem libri. Et in eandem sententiam *A. Gellius*, in Noctibus Atticis, lib. 7. cap. 18. Jusjurandum (inquit) apud Romanos inviolatè sanctèque habitum servatumque est. Id & moribus legibusque multis ostenditur, & hoc quod dicemus, ei rei non tenue argumentum esse potest. Prælio Cannensi Annibal Carthaginensium Imperator, ex captivis nostris electos decem Romam misit, mandavitque eis, pactusque est, ut, si populo Romano videretur, permutatio fieret captivorum: & pro iis, quos alteri plures acciperent, darent argenti pondo, libram scilicet & selibram. Hos, priusquam proficiscerentur, jurejurando adegit, redituros esse in Castra Punica, si Romani captivos non permutarent. Veniunt Romam decem captivi: mandatum Pœni Imperatoris in Senatu exponunt. Permutatio Senatui non placita. Parentes, cognati, affinesque captivorum amplexi eos postliminio in patriam rediisse dicebant, statumque eorum integrum incolumemque esse: ac ne ad hostes adire vellent, orabant. Cum octo ex iis, postliminium justum non esse sibi, responderunt, quoniam dejurio vincti forent: statimque, uti jurati erant, ad Annibalem profecti sunt: duo reliqui Romæ manserunt, solutosque esse sese, ac liberatos religione dicebant: quoniam cum egressi castra hostium fuissent, commentitio consilio regressi eodem die, tanquam si ob aliam fortuitam causam issent, atque ita jurejurando satisfacto, rursum injurati abissent. Hæc eorum fraudulenta calliditas, tam esse turpis æstimata est, ut contempti vulgo discerptique sint: censoresque eos postea & damnis & ignominiis affecerunt: quoniam quod se facturos dictitaverant, non fecissent. Cornelius autem Nepos in libro exemplorum V. id quoque literis mandavit; multis in Senatu placuisse, ut ii qui redire nollent, datis custodibus, ad Annibalem deducerentur. Sed eam sententiam numero plurium, quibus id non videretur, superatam. Eos tamen, qui ad Annibalem non redissent, usque adeo intestabiles invisosque fuisse, ut tædium vitæ ceperint, necemque sibi consciverint. Hæc *A. Gellius*, lib. 7. cap. 18. Quod si etiam apud Gentiles infamis & odio digna habebatur fraus illa & stulta calliditas, perversè imitata prudentiam; quanto magis detestanda est in homine Christianismum profitente, nedum Episcopo, fraudulenta istiusmodi perfidia? Narrat autem *Marianus* Scotus in suo Chronico, in *Ludovico* 4. Imperatore, ad annum Domini, 908. deceptum esse *Adelbertum* Comitem istiusmodi perfidia *Hattonis* Moguntini Episcopi. Verba *Mariani* sunt; Adelbertus Comes perfidia Hattonis Moguntini Episcopi & cujusdam Lupoldi deceptus, & Ludovico Imperatore jubente, decollatur, hoc modo. Quum bellum esset inter Conradum, Conradi Regis Patrem, & Adelbertum, Henrici Regis Patrem, primum interfectus est Frater Adelberti. Postea in ultionem Fratris Conradus quoque occisus est ab Adelberto: nec ullus Regum tam ingens bellum inter eminentes viros sedare potuit. Postremò Episcopus Hatto mittitur à Rege ad sedandam tam ingentem discordiam, qui ingressus civitatem Adelberti, sub jurejurando spopondit, aut ei pacem cum Rege facturum, aut incolumem cum loco suo restituturum. His pactis consentiens Adelbertus fidei gratia & amicitiæ, rogavit Pontificem, ut dignaretur aliquid gustare. Quo negante illicò egressus est urbem. Quum pertransisset oppidum cum omni comitatu, fertur Episcopus dixisse, Sæpius petit, quod oblata spernit: tædet me longioris viæ, tardiorisque horæ: jam jejuni tota die non possumus ambulare. Lætus Adelbertus inclinatur ad genua Episcopi, ut gustandi gratia reverterentur in urbem, deposcit. Pontifex in urbem reversus cum Adelberto, liberatur à lege juramenti; (ut sibi videbatur,) eo quod incolumem loco suo restituisset. Deinde Regi Ludovico à Pontifice præsentatus, accepit capitalem sententiam. Hæc *Marianus Scotus*, loco citato. Id ipsum breviter commemorant in suis Chronicis, *Hermannus Contractus*, & *Sigebertus* Gemblacensis, & *Siffridus* Presbyter Misnensis. Incautum verò & planè temerarium erat illud *Pompeii* juramentum atque perjurium, quod à *Cæsare* commemoratur in tertio Commentario de bello civili; Ante pugnam Pharsalicam *Pompeius* juravit, se, nisi victorem, in castra non reversurum. Et tamen victus in castra revertit.

IX. *Scotus*, in 3. sent. dist. 39. dicit perjurium promissorium posse esse quadruplex, videlicet. 1. dolosum, 2. Incautum. 3. Coactum. 4. Carens etiam istis conditionibus indebitis. *Dolosum* est (inquit) quando jurans aliquid esse facturum, in ipso actu jurandi intendit oppositum, & non intendit se obligare ad illud, quod juratur: & talis in ipso actu jurandi peccat mortaliter; quia adducit Deum tanquam testem sui propositi de aliquo implendo, cum tamen intendat oppositum, sive quod juratur, sit licitum aliquid, sive illicitum. *Juramentum incautum* potest esse triplex, vel enim transit super materiam omninò illicitam, ut cum quis jurat se occisurum vel adulteraturum: qui autem tale aliquid jurat, si, quando jurat, non habeat intentionem implendi illud, peccat mortaliter, quia adducit Deum in testimonium falsi; si verò habeat intentionem implendi, peccat etiam mortaliter, quia velle peccare mortaliter, est peccare mortaliter: talis igitur in ipso actu jurandi omni modo peccat mortaliter. Post juramentum tamen debet actum illum non implere, quia non debet addere peccatum peccato, non enim quia juravit illicitè, fit ei licitum quod prius fuit illicitum. Vel alio modo est *juramentum incautum*, quod transit super aliquam materiam quæ de se esset licita, sed non est materia juramenti licita. [Exemplum affert Scotus, si quis abjiciet opera perfectionis; sed alia nos exempla infernus adferemus, §. 22.] isto modo jurans non manet obligatus ad implendum quod juratur, sed in actu jurandi peccat mortaliter. Potest poni aliud *juramentum incautum*, quando aliquis jurat se facturum quod non potest facere, licet, cum jurat, putet se posse illud facere. De juramento *coacto*, coactione quæ potest cade-

cadere in virum constantem, inquirendum relinquit *Scotus*.

Juramentum promissorium, carens istis tribus conditionibus indebitis, dolo, in cautela, & coactione obligat jurantem ad nunquam habendum oppositam voluntatem ei quod juravit. Et licet differat implere illud propter circumstantias, propter quas videtur rationabiliter differendum, non peccat: sed tunc est primò perjurus, quando habet voluntatem non implendi illud quod juravit: quia tunc vult Deum primò fuisse testem falsi. Hæc *Scotus*. Quamvis autem de juramento *coacto* lectorem dimittat *Scotus* sine solutione quæstionis: *Gregorius* tamen, lib. 9. epist. 39. ad *Theotistam* Patriciam, ait, Christianum non esse illum, qui fentit se anathematis vinculo nullo modo teneri, si compulsus aliquid de quo reprehendebatur anathematizare se dicat. Et tales anathematizat *Gregorius*.

X. Qui autem illicitum aliquid promisit, & religione juramenti illud perficit, is, uti jam dictum est, bis peccat, tum jurando sine judicio, & justitia, tum facinus illicitum perpetrando: sicuti factum ab Herode, Matth. 14. Ideo rectè *Ambrosius*, lib. 1. de officiis, cap. 50. Est etiam (inquit) contra officium nonnunquam solvere promissum, sacramentum custodire, ut Herodes qui juravit, quoniam quicquid petitus esset, daret filiæ Herodiadis; & necem Joannis præstitit, ne promissum negaret. Item *Augustinus*, sermone de decollatione Sancti Joannis Baptistæ, & apud *Gratianum*, Caus. 22. quæst. 4. Can. *Quod David*. Quod (inquit) David juramentum per sanguinis effusionem non implevit, major pietas fuit. Video David pium hominem & sanctum in jurationem temerariam incidisse, & maluisse non facere quod juraverat, quam jurationem suam hominis fuso sanguine adimplere. Item *Isidorus* Hispal. lib. 2. Synonymorum, cap. 10. & apud Gratianum, 22. quæst. 4. Can. *In malis*. *In malis* (inquit) *promissis rescindatur fides, in turpi voto muta decretum, quod incautè vovisti, non facias; impia est promissio, quæ scelere impletur*. Hæc ille. In turpi quidem voto muta decretum: in jurando tamen peccasti mortaliter: uti rectè monet *Scotus* in 3. sent. dist. 39. Patres Concilii Elibertani, cap. 1. apud *Gratianum*, caus. 22. quæst. 4. Can. *Definitio*. *Definitio*, inquiunt, *incauta laudabiliter solvenda est, nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio*. Et *Isidorus* Hispal. eadem quæst. Can. *Si quis*. *Si quis*, inquit, *præventus fuerit, ut diffiniat agere aliquid eorum, quæ non placent Deo, pœnitentiam agat, & quod contra mandatum Domini statutum est, irritum revocetur*.

XI. *Philo* Judæus, libro de specialibus legibus, quæ ad tria præcepta decalogi, nempe, tertium & quartum & quintum referuntur; Quisquis (*inquit*) juratus jura violat, sciat se non pejerare quidem, sed quod multam custodiam & curam postulat juramentum pervertere, quo honesta & justa obsignantur, [φ τὰ καλὰ καὶ δίκαια ἐπισφραγίζεται,] addit enim culpæ culpam, dum sacramento abutitur, [ἐν ῷ δέοντι γινομένοις ὅρκοις,] cum debuisset potius abstinere à maleficiis. Abstineat igitur ab iniqua actione, [τῦ ἀδικοπραγεῖν,] & supplicet Deo ut pro sua clementia ignoscat inconsultæ temeritati, qua ad jurandum præceps actus est. Nam duplicare noxam, cum te possis exonerare dimidio, maxima est insania, vix unquam curabilis. [διπλάσια γὰρ αἱρεῖσθαι κακὰ, δυνάμενον τὴν ἡμίσειαν αὐτῶν ἀποφορτίζεσθαι, μανία καὶ φρενοβλάβεια δυσίατος.] Hactenus *Philo*. Vide caus. 22. quæst. 4. Can. *Non solum*. Et Concil. Toler. 8. cap. 2.

XII. *Hieronymus*, apud Gratianum, caus. 22. quæst. 4. Can. *Si quis*. *Tribus* (inquit) *modis juramenta contracta solvenda* (seu deserenda & non adimplenda) *sunt*. 1. *Quum quis malè jurat*. (nempe *scienter*, ut est in glossa.) 2. *Quum quis incautè jurat, non putans hoc esse peccatum*. 3. *Si pueri vel puellæ in domo parentum se juramento constrinxerint, parentibus postquam audierint contradicentibus*. Et rectè *Bernardus*, apud *Thomam*, in 3. sent. dist. 39. quæst. 3. Quod (inquit) pro charitate institutum est, contra charitatem non militat; sed juramentum (subjicit *Thomas*) pro charitate institutum est; quum ergo per juramentum incautum charitas impugnetur, quia est de aliquo malo faciendo, vel de aliquo bono omittendo, sequitur tale juramentum non esse obligatorium.

XIII. Vera est illa regula *Bonifacii* octavi, in *Sexto*, de regulis juris, cap. 58. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Ubi autor glossæ, debemus, inquit, rebus uti eo modo ad quem sunt institutæ: sed juramentum non est puto omissi ad institutum ut sit iniquitatis vinculum, ergo ad iniquitatem non vinculat vel obligat. Hæc ille. Neque repudianda illa Pontificum *Nicolai* & *Bonifacii* & Canonistrarum sententia; Extra de consuetudine. In *Sexto*. cap. 1. & ibidem de jurejurando, cap. 1. Nempe, si quis se Ecclesiæ alicujus consuetudines observaturum juret, qualicunque verborum forma, juramentum ejus ad licita, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ non obviantia, quæ de facto & jure servari poterunt, tantum extendi; ipsumque jurantem ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non teneri: cum juramentum iniquitatis vinculum non existat. Ideoque jurantem, nisi ad ista sola dirigatur ejus intentio, peccare jurando: & de temeritate agendam illi pœnitentiam: non esse autem standum incauto & temerario juramento: sed servanda ea tantum quæ licita, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ haudquaquam repugnantia inventa fuerint.

XIV. Nullum hominis juramentum præjudicat legi divinæ, aut hominem solvit à necessitate obediendi Deo, aut potestatem acquirit homini rebellandi adversus Deum, vel transgrediendi minimum ex Dei præceptis: & Deo ingrata est ea juramentorum adimpletio, quæ scelere peragitur, quemadmodum odit Deus oblationem ex rapinis, Esai. 61: 8. oblationem canini capitis, & sanguinis suilli. Esai. 66: 3. Contumeliosus in Deum est qui peccata illi obtrudit obtentu religionis: uti faciunt fanatici illi familistæ, qnos ajunt obtentu charitatis Christianæ promiscuos habere concubitus; qui furor olim erat etiam Carpocratianorum, teste Clemente Alexandrino, lib. 3. Stromat.

XV. Quamvis autem prævaricatio non sit, sed temeritatis emendatio, incautum deserere juramentum; in eo tamen peccat jurator, quod in vanum assumat nomen Dei, nempe ad illicitæ promissionis confirmationem. Ideo rectè dicitur; Necesse esse, ut malè jurans dignam agat pœnitentiam, eo quod nomen Domini contra præceptum illius sumpsit in vanum, quia in Exodo scriptum est, Neque enim insontem habebit Dominus eum, qui sumpsit nomen Domini Dei sui frustra. causs. 22. quæst. 4. Can. *Necesse*. *Exod. 20: 7.*

XVI. Hic oritur quæstio ex historia quam legimus, *Josue* cap. 9. de *Gibeonitis*, quibus, licet ex præcepto Dei delendis, promiserunt tamen juramento interposito incolumitatem *Israëlitæ*, fraude Gibeonitarum decepti, & postea comperto dolo fidem illis datam nihilominus servaverunt, saltem quoad vitæ conservationem, eamque juramenti adimpletionem approbavit ipse Deus, uti constat ex historia Regum, lib. 2. Sam. cap. 21. succensuit enim Deus *Saulo* propter illatam Gibeonitis injuriam, eo quod arma contra illos movisset Saulus.

Vide Irenic. lib. 1. cap. 9. §. 2.

XVII. Autor glossæ ad Can. *Inter cætera*, causs. 22. quæst. 4. has profert rationes, cur non debuerint Israëlitæ servare tale juramentum; tum quia ibi erat error personæ, tum quia dolus dedit causam juramento, tum quia non poterant se obligare contra præceptum Domini. Et *Augustinus* quæst. 13. super Josuam. Possent (inquit) utique dicere, se tantum illis jurasse, quos eos esse crediderint, id est, à longinquo venientes; quum verò aliud cognoverunt, præceptum circa eos Domini implendum erat, ut, sicuti cæteri, expugnarentur; sed parcere maluerunt jurationis causa. Deus autem hoc approbavit, nec parentibus succensuit, quamvis eum non interrogassent quinam illi essent, & ideo eos illi fallere valuissent. Juramentum illud Gibeonitis juratum esse contra Dei mandatum, scribunt etiam *Theodoretus* quæst. 12. in Jesum Filium Nave. Et *Calvin*. Com in cap. 9. Josuæ. Exstat Dei mandatum de gentibus illis penitus delendis, Exod. 23: 33. Deut. 7: 2. & cap. 20. versib. 16, 17.

XVIII. Ad tollendam hanc difficultatem observandum est cum *Thoma Aquinate*, juramentum Josuæ & principum Israëlitorum non fuisse de re per se illicita, sed tantum illicita propter præceptum, adeoque interfectionem devoti illius populi non fuisse rem Israëlitis simpliciter necessariam, sed tantum necessariam necessitate præcepti positivi, quo in genere sæpe dispensat Deus: ideo rectè responsum ab illis quos autor glossæ ad Can. *Inter Cætera*. causs. 22. quæst. 4. dixisse refert, quod divinitus iis fuerit Israëlitis inspiratum, ut Gibeonitis quibus juraverant parcerent, quamvis illicitum fuerit juramentum, nempe propter mandatum Dei, de occidendis illis populis, & temeritatem Israëlitarum qui Deo inconsulto jurarunt. Dispensasse Deum quantum ad mandatum suum, quoad Gibeonitas, docet eventus: Deus enim Israëlitarum clementiam erga illos approbavit, & suo patrocinio confirmavit, uti ostendimus ex historia Regum.

XIX. Dispensavit, inquam, quantum ad occisionem & internecionem; aliquo tamen mortis genere eos mulctari voluit, ut ex *Ambrosio* de officiis, observat *Thomas*, in 3. sent. dist. 39. quæst. 3. nempe obsequio ministerii divini, ut non prorsus tolleretur, sed mitigaretur sententia: & sic quodammodo occisi sunt servitute, quæ est mors interpretativa secundum leges.

XX. Dispensationis hujus sufficiens nobis ratio est voluntas Dei, effecto comperta; ille enim liberè potest in legibus suis dispensare, quantum ad ea quæ ex parte rei non pugnant cum Dei natura. Modestè tamen inquiri & colligi posse videntur dispensationis hujus etiam istæ rationes. 1. Ratio colligitur ex textu Josuæ, cap. 9. Non percusserunt eos Israëlitæ eo quod principes congregationis jurassent illis per Dominum Deum Israëlis: ne scilicet blasphemaretur inter gentes Nomen Dei, & fœdera sub illius nomine pacta, ac per ipsius nomen jurata apud exteras vilescerent, ne perfidiæ patronus & fœdifragorum amicus videretur. 2. Ratio adfertur ab *Augustino*, quæst. 13. super Josuam; quoniam scilicet juratio sic servata est, quamvis in hominibus qui mentiti sunt, ut flecteretur sententia ad clementiam, idcirco Deo summè clementi non displicuit. 3. Ratio, apud eundem *Augustinum* ibidem, & quæst. 14. quia scilicet non importunè utique credendi sunt, etsi fallere homines pro sua salute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuisse in populo ejus: propterea nec succensuit Dominus parentibus, ut postea Gabaonitas ipsos tanquam populi sui homines de domo Sauli vindicaverit, sicut regnotum ostendit historia: crederant enim Deo, quem audierant suo populo promisisse, quod gentes illas subverteret, eorumque terram obtineret, & hanc eorum fidem, eos non perdendo, remuneravit quodammodo: inquit *Augustinus*. Nempe ea est divinarum denunciationum conditio, ut resipiscentibus & supplicibus parata apud Deum sit venia. Jerem. 18: 7, 8.

XXI. Sed rationes contra Dei legem pondus non habent. Et certum est, factum illud Israëlitarum non esse trahendum in exemplum. Nostrarum enim actionum suprema regula est præceptum Dei in iis rebus, de quibus præcepta dedit Deus, cujus generis fuit deletio illius populi, quem etiam delere necesse habuissent, (sicut Saulus Rex tenebatur delere Amalekitas. 1 Sam. 15.) nisi Deus in præcepto suo dispensasset, supplices Gibeonitas ad ipsius Domini Dei Israëlis fidem & clientelam confugientes venia vitaque donans.

XXII. In iis rebus quas medias reliquit Deus, non licet perpetuam nobis ipsis assumere regulam, à qua juramento promittamus nos nunquam discessuros, si ea regula pugnet cum rerum ipsarum natura, cum statu Ecclesiæ militantis, cum charitate fraterna, cum officio nostro lege divina necessario, & per consequens cum verbo Dei; e. g. jurat aliquis se studio Theologico operam non daturum, & secularibus occupationibus nunquam renunciaturum; hic sumit nomen Dei in vanum; jurat enim sine judicio, & sine justitia: quamvis enim non sit unicuique necesse, ut se studiis dedicet Theologicis, & mundanis renunciet impedimentis, non tamen licet obicem Spiritui Sancto ponere; & ideo non oportet religione istiusmodi juramenti obstringere animum in tali proposito. Sic etiam quamvis prælaturam fugere, possit quandoque ex bono procedere, tamen pertinaciter resistere malum est, Deo enim vocanti obedire necesse est, ut patet exemplo Mosis, Jeremiæ, & Apostolorum. Unde hujusmodi juramentum, quo quis jurat se Episcopatum nunquam suscepturum, in nullo Ecclesiastico ordine unquam futurum, incautum est & illicitum, quia iste jurator, quantum in se est, providentiæ divinæ præjudicat, & obedientiam erga superiores excludit, quibus in hoc obedire tenetur, ut rectè ait Thomas in 3. sent. dist. 32. quæst. 3. Quædam sunt de se licita, quæ non sunt materia juramenti licita. Ut monet Scotus in 3. sent. dist. 39.

Nemo potest sibi ipsi jus dicere, per. in 1 Cor. 10: 15.

XXIII. Quando juratur aliquod indifferens, (inquit *Vincentius*,) quod ex circumstantia possit esse veniale vel mortale, non debet servari, nec est obligatorium juramentum, existente illo casu vel circumstantia. Unde si quis juraverit quod nunquam erit negotiator, aut miles, aut quod

non

non tenebit feudum ab illo domino, aut quod non serviet illi vel illi, vel locabit operas, aut accipiet donum aut mutuum; non tenetur illud servare, si alter non possit vivere nisi contra istud faciat; quia jam res venit ad illum casum, de quo si cogitasset ab initio & jurasset, illicitum esset juramentum. Hæc *Vincentius Bellouacensis*, in speculo doctrinali, lib. 9. cap. 105. cujus capitis inscriptio est; *Utrum juramentum quod in deteriorem exitum vergit, obliget.* Proximo autem capite, nempe cap. 106. enumerat sex modos, quibus juramentum vergit in pejorem exitum, ideoque non est obligatorium: in quibus ponit modum istum jam memoratum. Reliquos ibi lector inveniet. Summa huc redit; nullum juramentum esse obligatorium ad peccandum; nullum esse obligatorium contra pietatem, charitatem, officium Christiani, aut cum inevitabili ratione scandali conjunctum.

XXIV. Concilium Cabilonense secundum, celebratum anno Dom. 813. Caroli magni Imperatoris tempore, juramentum prohibet periculosum; Dictum est (inquiunt) interea de quibusdam fratribus, quod eos, quos ordinaturi sunt, jurare cogant, quod digni sint, & contra canones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos ordinat, & Ecclesiæ, in qua ordinantur: quod juramentum quia periculosum est, omnes una inhibendum statuimus. Hæc Episcopi & abbates totius Galliæ Lugdunensis, in illo suo Concilio Cabilon cap. 13.

XXV. Juramentum (inquit *Thomas*) potest vergere in deteriorem exitum dupliciter. Uno modo, quia ab ipso principio habet pejorem exitum; vel quia est secundum se malum, sicut cum aliquis jurat se perpetraturum adulterium: sive quia est majoris boni impeditivum; puta cum aliquis jurat se non intraturum religionem, vel quod non fiet clericus, aut quod non accipiet prælationem in casu in quo expedit eum accipere, vel si quid aliud est hujusmodi. Hujusmodi enim juramentum à principio est illicitum; differenter tamen: quia si quis juret se facturum aliquod peccatum, & peccavit jurando, & peccat juramentum servando. Si quis autem jurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur; peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator: non tamen peccat juramentum servando, sed multò melius facit, si non servet. Alio modo vergit in deteriorem exitum propter aliquid, quod de novo emerserat, quod fuit impræmeditatum: sicut patet in juramento Herodis, qui juravit puellæ saltanti se daturum quod petisset. Hoc enim juramentum poterat esse à principe licitum, intellecta debita conditione, scilicet si peteret quod dare deceret. Sed impletio juramenti fuit illicita. Hæc Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 2.

Vide 1 Reg. 2: 10, 21, 22.

XXVI. In rebus hujus seculi quæ christianam non attingunt libertatem, & haberi vel non haberi possunt sine præjudicio legis divinæ; aut libertatis christianæ, servandum est juramentum etiam incautum. Puta si quis juramento promiserit alicui certam pecuniæ summam, & solvendo sit, dare tenetur, alioqui perjurus erit. nisi scilicet in ejusmodi aliquem deteriorem exitum vergat, ex casu aliquo, vel circumstantia, quo vel qua existente, peccatum sit quod juratur. Sicuti monuimus supe-rius, ex *Vincentio Bellovacensi*, §. 23. Si quis à Latronibus deprehensus, metu mortis juramento promiserit daturum se illis aliquam pecuniæ summam, sitque solvendo: non excusat coactio à perjurio si summam promissam non exsolvat: non enim coactio est simpliciter dicta, sive absoluta violentia; sed est mixta violentia, & non physica, sed moralis seu suasiva coactio, ubi coactus concurrit actu suæ voluntatis. Seu (ut Canonistæ loquuntur, 15. qu. 6. *Si quandoque.* & alibi.) non est hæc coactio absoluta, sed est coactio conditionalis, quæ neminem excusat à toto, licet excuset à tanto. Certè metu cogi nemo debet ad promittendum quod præstare nefas est: Si autem præstare fas est, & juravit, tenetur præstare, ad evitandum perjurium: nec est incommodum seculare perjurio redimendum. Ideo is demum habitaturus in monte sancto Domini dicitur, qui etiam in damnum suum jurans, promissum non mutat. psal. 15: 4.

XXVII. Si coactus seu metu adductus jurasti, standum est promissis, sicuti dictum est, nisi natura rei promissæ voluntarium consensum necessariò requirat, ita ut de ea per metum præstitum juramentum non obliget: quemadmodum se habet in sponsalibus juramento firmatis. Extra, de sponsalibus, cap. 14. *Cum locum.* Ideo inter impedimenta matrimonii jure ponitur *vis.*

XXVIII. Quamvis autem coactio obligationem juramenti tollat in foro contentioso; coactio, inquam, sufficiens quæ in virum constantem cadere possit: unde ei qui vim intulit non competit actio ex obligatione illius juramenti, (quia, *quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Extra, de his quæ vi metusve causa fiunt, cap. 2. *Abbas.*) in foro tamen conscientiæ, juramentum illud est obligatorium, (nempe nisi obstet rei natura, ut in sponsalibus, &, in juramentis vergentibus in deteriorem exitum, &c.) quia magis debet homo subire temporale damnum (ut inquit Thomas) quam fidem frangere; habet tamen remedium ut in judicio ab eo repetat; quod si juraverat se non repetiturum, potest Judici denunciare, qui ex officio suo debet raptorem ad restituendum cogere: si autem juraverat se non denunciaturum, contra correptionem fraternam juravit, & non tenetur observare. Hæc *Thomas* in 3. sent. dist. 39. quæst. 3. Sic etiam *Vincentius* Bellouacensis, in speculo doctrinali, lib. 9. cap. 104. Et auctor glossæ caus. 15. quæst. 6. *auctoritatem.*

XXIX. Si non tenetur observare, juravit illicitum juramentum; ut monent memorati scriptores: quæritur igitur, an non peccet ille qui præsentissimo mortis periculo perterritus tale juramentum jurat. Respondeo; una est constans & certa regula, *quod fas non est perficere, illud neque fas est juramento promittere, Deus enim non vult se testem appellari illius, quod vetat præstari.* Attamen quemadmodum Davidi Regi licuit ultionem seu punitionem homicidiorum Joabi differre, & suo tempore non exsequi, & Joabum in officio summi ducis sive Imperatoris retinere, quamvis alioqui ex officio deberet Joabum munere vitaque privare, nisi obstitisset rerum status, In quo videbat sibi tutum non esse, statuere aliquid severius in filios Zeruja; cur non etiam incidere possit casus, in quo silendum potius, & non evulgandum prædonum peccatum, idque juramento promittendum; quam præsentissima mors op-

petenda; si, scilicet, majus malum impendeat ex mea morte, & necessario morientis silentio, quam ex voluntaria viventis taciturnitate? sin autem nefas sit juratum tenere silentium, haud dubiè peccavit jurando. Jam autem nullum est admittendum peccatum pro vitando aliquo periculo. De istiusmodi tentationibus orandus est Deus, ut nos non inducat in tentationem, sed liberet nos à malo, neque nos tentari sinat supra quam ferre possumus, sed faciat cum tentatione etiam exitum, ut possimus sustinere.

Matth. 6: 13. 1. Cor. 10. 13.

XXX. Perjurum dixi eum, qui quod licitum est jurat, & non præstat pro viribus; nam si major vis impediat, & adsit constans voluntas, ac debita diligentia, liber est à perjurio: puta si quis aliquo venturum se juraverit, si interea vel mors eum intercipiat, vel morbus lecto affigat; vel si in vincula conjiciatur, vel adversis ventis & tempestatibus distineatur, ut non possit ad diem dictum se sistere, non est propterea perjurii arcessendus. Interea meminisse debemus, quod supra monebat Scotus, juramentum esse incautum, quando aliquis jurat se facturum, quod non potest facere, licet cum jurat, putet se posse illud facere. Scotus in 3. sent. dist. 39. quo pertinet illud *Isidori* Hispalensis, lib. 2. Synonymorum, cap. 10. Coram Deo facilè aliquid non promittas, sine consideratione virium nihil voveas, quod non potes facere non pollicearis. Hæc ille. Attamen, ut dixi, vis major excusat eum qui rem licitam cum judicio juravit.

XXXI. Rectè etiam *Chrysostomus*; qui (inquit) pejerare paratus est, antequam pejeret, jam perjurus esse videtur, quia Deus non ex operibus judicat, sed ex cogitationibus & ex corde. Hæc ille apud *Gratianum*, causs. 22. quæst. 5. can. *qui pejeraret*. Nam & cor pravum odit Deus, Prov. 6: 18. Et benignus est Israëli, iis qui mundo corde sunt. Psal. 73: 1. Et qui mulierem lascivo oculo adspicit, eam concupiscit, accensetur mœchis. Matth. 5: 28.

XXXII. Pejerantis etiam peccato se sociat, *qui audierit vocem jurationis, & ipse testis fuerit, aut viderit, aut conscius fuerit, si non nunciaverit*, Levit. 5: 1. Id est, (inquit *Isychius*, lib. 1. in Leviticum) si aliquo furtum aut dolum faciente, & jusjurandum pro eis dante, videns aliquis furtum aut dolum quem fecit, vel aliter conscius quod falsè juret, non prodiderit, portabit iniquitatem. Et rectè: nam cui licuit arguere peccatum, & texit, adjutor ejus proculdubio factus est. Qui vero auxiliatus est, in semetipsum peccatum trahit. Hæc *Isychius*. Eundem sacri textus locum *Augustinus*, quæst. prima super Leviticum, sic interpretatur: peccare hominem, quo audiente jurat aliquis falsum, & scit eum falsum jurare, & tacet: tunc autem scit, si ei rei de qua juratur testis fuerit, aut vidit, aut conscius fuit, id est, aliquo modo cognovit, aut oculis suis conspexit, aut ipse qui jurat illi indicavit; ita enim potuit esse conscius. Sed (inquit *Augustinus*) inter timorem hujus peccati & timorem proditionis hominum non parva existit plerumque tentatio: possumus enim paratum ad perjurium admonendo vel prohibendo à tam gravi peccato revocare: sed si non audierit, & coram nobis de re, quam novimus, falsum juraverit, utrum prodendus fit, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est; sed quia non expressit cui hoc indicandum sit, utrum illi cui juratur, an sacerdoti, vel cuipiam qui non solum eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest, videtur mihi, quod se homo solvat à peccati vinculo, etiamsi indicet talibus qui magis possunt prodesse quam obesse perjuro, sive ad corrigendum eum, sive ad Deum pro illo placandum, si & ipse confessionis adhibeat medicinam. Hactenus *Augustinus*. Officium nostrum hac in parte videtur esse vel erga perjurum, quem monere & reprehendere debemus; ex regula charitatis, Levit. 19: 17. & nisi nos audiat adhibendi sunt moneæ nostræ testes, tandemque durante pertinacia, deferendus est ad judicium Ecclesiæ, Matth. 18. vel erga eum, qui ex alieno perjurio damnum patitur, in quo casu cogitanda unicuique sua vocatio est, & facultas, & indiciæ utilitas. *Solomon* ait, *Qui cum fure participat, odit animam suam: adjurantem* [seu *maledictionem*] *audit, & non indicat*. Prov. 29: 24. in quæ verba *Beda* in commentario, *Non enim* (inquit) *fur solummodo, sed etiam ille reus tenetur, qui conscius furti, quærenti possessori pecuniam qui perdidit, non vult indicare cum valet*. Hæc *Beda*. Rectè autem colligit *Gratianus*, si iste qui audit falsum jurare & tacet, delinquit, multò magis illum esse reum, qui ad dejerandum aliquem compellit. causs. 22. qu. 5. can. *hoc videtur*. Simile judicium de eo, qui aliquem ad falsum testimonium vel perjurium attraxit, vel quacunque corruptione sollicitavit. caus. 22. quæst. 5. can. *Si quis convictus*.

Vide Vincent. Bellovac Spec. Doctrina. lib. 9. cap. 103.

CAPUT VI.

De votis.

I. ETSI votum εὐχὴ significat aliquando optationem seu animi desiderium, unde illud,

Si mea cum vestris valuissent vota pelasgi. Ovid. Metamorph. 13.

& illud,

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Quandoque etiam religiosam precationem, ut ibi, ——— *Vocabitur hic quoque votis*. Et utriusque istius acceptionis intuitu dicitur aliquis fieri *voti compos*; hoc tamen loco votum, de quo nunc disserimus, est promissio facta Deo: & est species quædam juramenti promissorii, nam qui votum nuncupat, is Deo teste aliquid ipsi Deo promittit. Et post emissum votum, si illud Deo gratum sit, jam promissor ille *reus est voti*, id est, lege divina obligatur ad reddendum seu persolvendum Deo, quod ei promisit: sive de re ab ipso Deo imperata, ut erat pars illa voti *Jacobi* Patriarchæ, qua promisit se Dominum pro Deo suo habiturum. Genes. 28: 21. & illud *Davidis* votum, *Juravi, & præstabo; me servaturum judicia justitiæ tuæ*. Psal. 119. vers. 106. Sive de re alioqui libera; cujusmodi erant olim Israëlitarum spontaneæ quædam, rerum quarundam oblationes, & votum illud *Ananiæ* ac *Sapphiræ* Act. 5. 4. Nam etiamsi vovere necesse non erat, postquam tamen voveris, præstandum est quod vovisti, si sit res licita & non inidonea materia voti. Psal. 56: 13. & Psal. 76: 12. Prov. 20: 25. Eccles. 5: 3, 4.

Virgil. Æneid. 1.

II. Ista rei alioqui liberæ voto promissæ redditio non est res libera, sed lege Dei imperata. Neque vovendo & reddendo supererogat aliquid homo Deo, cui non nisi de suis dari quidpiam potest. 1. Paralip. 29: 14, 15, 16. & ipsa pietas & charitas, quæ dationem commendant,

dant, imperatæ sunt; neque est ista ἐθελοθρησκεία.

III. Nam ἐθελοθρησκεία est, quando sub umbra devotionis erga Deum, vel exhibetur Dei servis, ut Angelis, religiosus cultus, Coloss. 2: 18. vel ipsi Deo obtruditur cultus ingratus, secundum mandata & doctrinas hominum, Esai. 29: 13. Matth. 15: 8, 9. Coloss. 2: 22. Neutrum istorum in voto legitimo, ejusque debita redditione, invenitur.

IV. Votum Deo gratum est, quod fit secundum ejus voluntatem in Dei verbo revelatam: sive id de materia sit necessaria, sive libera. At ingratum Deo, atque adeo illicitum est omne votum, quod Dei voluntati seu verbo repugnat. Votum (inquit *Bonaventura*) debet habere comites, quos habet juramentum, scilicet veritatem, judicium, & justitiam. Primò namque necesse est, ut in eo sit justitia, scilicet, ut illud quod vovetur, spectet ad salutem: & sic bonum est & honestum. Secundò, necesse est in eo esse judicium, ut vovens deliberatè voveat, non præcipitanter. Tertiò, ut sit in eo veritas, ut quod discretè & justè vovit, hoc persolvat. Si ergo id vovetur, quod ad detrimentum justitiæ facit, non est ibi lex voti, nec obligatio; sed ipsi voto fit injuria: nec est obligatio ad servandum, sed potius ad pœnitendum; sicut de conscientia erronea judicatur. Secundum hanc regulam communem judicandum est de his, quæ quæruntur in speciali. —— Ad illud, quod quæritur de indifferenti, dicendum; quod indifferens est dupliciter; unum, quod informabile est motu & circumstantia virtutis; sicut comedere, & abstinere: & hoc potest voveri. Aliud, quod nihil facit quantum est de se; ut levare festucam, vel ire ad prata: & de tali propriè non est votum: & si quis tale quid voveat, judicio caret; quia nihil vovendum est, nisi quod creditur rationabiliter esse acceptum Deo: unde si tale votum voveat quis, non est tenendum, sed commutandum. —— Sic votum erroneum, quod vergit in malum, est dimittendum; quia, non obligat ad faciendum. Hæc *Bonaventura*, in 4. sent. dist. 38. Art. 1. quæst. 2.

V. *Isidorus*, Hispalensis Episcopus, ait, Coram Deo facilè aliquid non promittas; sine consideratione virium nihil voveas; quod non potes facere, non pollicearis. —— In malis autem promissis rescindatur fides, in turpi voto muta decretum; quod incaute vovisti, non facias. Impia est promissio, quæ scelere impletur. Hæc *Isidorus* Hispal. lib. 2. Synonymorum, Cap. 10.

VI. Votum est (ait *Petrus Lombardus*) testificatio quædam promissionis spontaneæ: quæ Deo, & de his quæ Dei sunt, propriè fieri debet. Sunt tamen & vota stultorum, quæ frangenda sunt. Hæc *P. Lombard.* 4. sent. dist. 38. In eam distinctionem *Thomas*, quæst. 1. art. 1. Votum (inquit) non potest esse, nisi de aliquo bono ad cultum Dei pertinente quocunque modo. Et ibidem; Mulieres solent vovere, quod non pertinent caput tali vel tali die. Talia vota sunt sortilegia magis, quam vota: sunt enim reliquiæ quædam idololatriæ, secundum quam observabantur dies & menses: & ideo pro nonvotis habenda sunt: & peccant talia voventes. Item; Votum si sit de Deo, quod est simpliciter malum, non est votum, nisi æquivocè: & ideo nullo modò obligat. Si autem est de eo, quod uno casu contingente potest esse bonum, & alio malum; si fit in omnem eventum, est indiscretum: si autem fit in bonum eventum, per intentionem voventis, est discretum: & in malo eventu non obligat. Votum igitur Jephthæ fuit de eo, quod in aliquo eventu poterat esse bonum, scilicet, si obviaret animal immolatitium; & in aliquo eventu non bonum, scilicet si obviaret animal non immolatitium; & quia vovit in omnem eventum, votum indiscretum fuit. Ergo in voto ejus, quantum ad emissionem voti, est aliquid laudabile, scilicet, devotio & fides, qua sperabat à Deo victoriam: & sic dicitur esse motus à Spiritu sancto: sed determinatio voti est indiscreta: quantum autem ad executionem, ipsum factum est crudele: sed figura est ibi laudabilis: & ideo, quamvis votum ejus fuerit aliquo modo laudabile, ipse tamen non excusatur à peccato: quia fuit in vovendo stultus, & in reddendo impius; ut Hieronymus dicit. Et in eandem dist. quæst. 1. art. 3. Illud quod votum faciendum impediret, si præsens esset, etiam voto facto obligationem aufert. —— Sicut juramentum, quod vergit in deteriorem exitum, non est servandum; ita nec votum. Hæc *Thomas*, in 4. sent. dist. 31. Recitat P. *Lombardus* hæc *Bedæ* verba; si quid nos incautius jurare contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, libere illud salubriori consilio mutandum noverimus. Hæc *Beda*, apud P. *Lomb.* 3. sent. dist. 39.

VII. Scotus, in 3. sent. dist. 39. Speciem quandam assignat juramenti incauti, quando juramentum transit super aliquam materiam, quæ de se esset licita, sed non est materia juramenti licita. Id ipsum de materia voti docet *Johannes Major*, in 4. sent. dist. 38. quæst. 1. ubi ait; aliquid est licitum, quod non est licita materia voti. Exemplum dant *Scotus* & *Major*, non profiteri religionem, seu abjurare opera perfectionis. Sed quia votà monastica, quæ religionis (ut vocant) professione includuntur, nobis meritò improbantur, ut mox patebit,

Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit. *Horat. Lib. 2. Satyr. 3.*

Nos dilucidiora damus; fas quibusdam est studiis operam non dare, Pastores non esse, magistratum non gerere, uxorem non ducere, quibus tamen fas non est ad abstinendum ab istis juramento aut voto se obstringere: fieri enim potest, ut juramentum, vel votum istud vergat in deteriorem exitum, adeo ut sine peccato servari non possit. His adde exempla ex *Vincentio* superius commemorata. In eis enim rebus, quas medias reliquit Deus, fas non est perpetuam nobis ipsis juramento aut voto assumere ejusmodi aliquam regulam, quæ pugnet cum rerum ipsarum natura, cum statu viatorum & Ecclesiæ militantis, cum charitate fraterna, cum officio nostro lege divina necessario, & per consequens, cum verbo Dei. *Sup. cap. 5. § 23.*

VIII. Votum illicitum est, si vel careat justitia, vel judicio: & illud vel pietati repugnet, vel charitati. Impii autem voti duæ sunt species; vel enim alteri quam vero Deo nuncupatur, & est *idololatricum*: vel eo promittitur aliquid contrarium veræ erga Deum pietati, estque *Sacrilegum*. Charitati erga proximum contrarium est votum *inofficiosum*, seu *injuriosum*. Carens autem judicio, vel est rei ineptæ & ridiculæ, & est *fatuum* seu *ridiculum* votum: vel est rei cujusdam non necessariæ absque debita consideratione vocationis & virium voventis, & est *inconsideratum* seu *temerarium* votum. *Illiciti voti quinque species.*

IX. *Ido-*

IX. *Idololatrica* sunt illa Romanensium vota, quæ beatæ virgini Mariæ aliisque sanctis vovent, ut docuimus Instruct. Historico-Theolog. lib. 7. cap. 2. §. 13. & §. 14. & §. 15.

X. *Sacrilega* sunt ea vota, quibus Deo vovetur observatio mandatorum hominum, cum opinione cultus & sanctimoniæ. *Frustra me colunt*, (ait Dominus) *docentes doctrinas, mandata hominum*, Matth. 15. 9. Sacrilegum est illud votum obedientiæ, quam vovent Jesuitæ se præstituros suo Præposito generali, quem, teste *Johanne Petro Maffæo*, Jesuita, è suo corpore electum, cæteris ampla cum potestate præesse voluerunt, *Cui omnes in terris* [Maffeii hæc verba sunt] *tanquam Christo parerent; cujus in verba jurarent; denique cujus sibi nutum ac voluntatem instar divini cujusdam oraculi ducerent.* Hæc Maffeius, lib. 2. vitæ *Ignatii Lojolæ*, cap. 9. Vide typum illum obedientiæ, in Annot. in cap. 9. Apocal. §. 4. pag. 84. *Pretio empti estis*, (ait Apostolus) *nolite fieri servi hominum.* 1. Cor. 7: 23. in quem locum auctor Commentarii, qui *Ambrosio* tribuitur, ait; *A Deo ergo empti, id est, à Christo, servi hominum esse non debent. Servi autem hominum hi sunt, qui humanis se subjiciunt superstitionibus.* Hæc ille. *Non ad hominis nomen ambulo, Christi nomen teneo.* inquit *Augustinus*, in psal. 30. *Quia aliquem hominem amare pro Christo, adulterium est.* Ait idem *Augustinus*, Tractat. 13. in Evang. Johannis. Vide in hanc sententiam plura ex *Augustino* recitata in Irenico nostro, lib. 2. cap. 20. part. 2. §. 5.

XI. *Inofficiosum*, & cum aliorum injuria conjunctum votum, Deus aversatur, inquiens, se odisse *rapinam in holocaustum.* Esai. 61: 8. Hujusmodi votum reprehendit Dominus, dicens Scribis & Pharisæis; *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus mandavit, dicens; Honora Patrem tuum, & Matrem: & qui maledixerit Patri, aut Matri, morte moriatur. Vos autem dicitis; Quicunque dixerit Patri, vel Matri, Corban (id est, donum) est, quocumque ex me juvaberis: & non amplius sinitis eum quicquam facere Patri suo, aut Matri suæ. Irritum facientes verbum Dei, traditione vestra, quam tradidistis.* Matth. 15: 3, 4, 5, 6. Marc. 7: 9, 10, 11, 12, 13. Hujusmodi est illud paupertatis votum, quod sub prætextu Religionis quidam vovent, cum injuria propinquorum: hujusmodi etiam est omnium illorum votum, qui, sub umbra devotionis, abalienatis suis rebus, oneri sunt aliis, sive mendicando, quod faciunt monachi mendicantes; sive alienis patrimoniis insidiantes, & domos viduarum aliorumque, sub specie longarum precum, absorbentes. Religiosi, seu monachi mendicantes (ut monet *Johannes Major*) sunt quatuor religionum, ab Ecclesia Romana approbati, videlicet: *Prædicatores seu Dominicani, & Minores seu Franciscani, & Augustinenses sive Eremitani, & Carmelitæ.* Quamvis autem non audeat istud institutum simpliciter damnare, quippe à Papa approbatum; ait tamen: *Eorum verò importunitatem in petendo, & nimiam inutilium multiplicationem laudat nemo. Scitè August. lib. de operibus monachorum, Tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis, circumeuntes provincias: omnes petunt; omnes exigunt, aut sumtus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. Hic fige pedem. Porrò, si videret hunc numerum multiplicatum, qui a trecentis annis præteritis initium sumpsit, plura diceret.* Hæc *Johannes Major*, in 4. sent. dist. 38. qu. 11. ubi etiam in eandem sententiam, plura lector inveniet. Olim autem labore manuum suarum monachi se sustentabant: ut patet ex *Basilii* Cæsariensis sermone 1. ascetico, sive de institutionibus monachorum; & ejusdem libro regularum fusius disputatarum, cap. 37. & duobus seqq. capp. prolixè ea de re disserit cap. 37. & id omnino fieri debere multis contendit argumentis, & objectiones dissolvit. & sermone illo Ascetico, ait; ἐπίνοια δὲ τροφῆς πρέπει τοῖς ἐν τῷ τοιούτῳ βίῳ διάγουσιν, ἣν ὁ Ἀπόστολος ὑποτίθεται, ἵνα ἐργαζόμενοι ταῖς χερσὶν, εὐσχημόνως τὸν ἑαυτῶν ἄρτον ἐσθίωσι. id est, *Ratio autem quærendi victus in hoc vitæ genere degentes ea decet, quam Apostolus præscribit, ut manibus laborantes, honestè suum panem comedant.* Vide etiam *Hieronymi* epistolam ad *Rusticum* monachum, quæ incipit; *Nihil Christiano fœlicius.* Et ejusdem *Hieronymi* epistolam ad *Heliodorum*; quæ incipit; *Grandes materias.* Non exigit Deus, si quis ex alieno aliquid voverit: sed potius vetat usurpare alienum, caus. 33. quæst. 5. can. *Una sola.*

Vide lib. 8. part. 1. Cap. 10. §. 2. & cap. 17. § 5.

XII. *Ridiculi* seu *fatui* voti exemplum adfert magnus *Basilius* Cæsariensis, in sua epistola Canonica ad *Amphilochium*, can. 28. Cujus canonis hæc sunt verba; Ἐκεινόγε μὴν γελοῖόν μοι κατεφάνη, τὸ εὔξασθαί τινα ὑείων ἀπέχεσθαι κρεῶν. ὥστε καταξίωσον διδάξαι αὐτοὺς τῶν ἀπαιδεύτων προσευχῶν καὶ ἐπαγγελιῶν ἀπέχεσθαι. τὴν μέντοι χρῆσιν ἀδιάφορον εἶναι συγχώρησον. οὐδὲν γὰρ κτίσμα Θεοῦ ἀπόβλητον, μετ' εὐχαριστίας λαμβανόμενον. ὥστε ἡ εὐχὴ καταγέλαστος, οὐχ ἡ ἀποχὴ ἀναγκαία, id est; *Illud profectò ridiculum visum est, vovere aliquem à suillis abstinere carnibus. Quamobrem dignare eos docere, ut ab ineptis votis & promissis abstineant: usum igitur esse indifferentem permitte. Nulla enim Dei creatura est rejicienda, quæ cum gratiarum actione accipitur. Quare votum est ridiculum, non abstinentia necessaria.* His verbis *Basilius* ridicula atque inepta vota tum fieri prohibet, tum facta nullam habere observationis necessitatem declarat. Tale est votum quorundam à carne abstinentium; & alia non minus lauta sumentium: instar cultorum Isidis & Cybeles, qui gulosa abstinentia phasides aves, ac fumantes turtures vorabant, frumento abstinentes, ut scribit *Hieronymus*, epist. ad *Lætam*, quæ incipit, *Apostolus Paulus*; Vide lib. de cura & resident. pastor. cap. 33.

XIII. *Temerarium* est votum perpetui cælibatus, seu continentiæ cælibis, in eis qui vel non habent, vel perseveranter habituros se non sciunt donum hujusmodi continentiæ; neque illud ex fide absolutè petere, petentibusque sibi à Deo polliceri possunt, quippe destituti mandato & promissione Dei. Melius est cælibem vivere sine voto, & ita studere continentiæ, ut tibi laqueum non injicias. nam etsi Apostolus commendat vitam cælibem, tanquam curis matrimonialibus liberam, profitetur tamen se nolle hac in parte cuiquam laqueum injicere. 1 Cor. 7: 35. *Scias* (inquit *Cyprianus*) *nos ab Evangelicis & Apostolicis traditionibus non recedere. Quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent; ita fortes & stabiles præmium virginitatis exspectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant.* Hæc *Cyprianus*, cum collegis, epist. 62, (seu lib. 1. epist. 11.) ad Pomponium. *Tuius faciemus* (inquit *Cyril-*

Cyrillus) non voventes, quam ea voventes, quæ reddere potestatis nostræ non est. Hæc Cyrillus Alex. in Evang. Johannis, lib. 9. cap. 28. μὴ θέλε ὑπὲρ τὸ μέτρον ἀνηβῆναι, ἵνα μὴ ὑπὲρ τὸ μέτρον καταβῇς. Ait *Chrysostomus*, Homil. 1. in Psal. 50. Lex divina est, de innuptis, & viduis, *si se non continent, nubant: melius est enim nubere, quam uri.* 1 Cor. 7: 9. Nullum hominis votum, nulla hominum consuetudo vel constitutio, potest præscribere contra hanc Dei legem. Propterea monet Apostolus, ut vitentur juniores viduæ, eisque nuptias commendat: neque eligi suit viduam minorem sexaginta annis. 1 Tim. 5: 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15. Ex quo loco manifestum est, facere eos contra Dei voluntatem, qui in juvenili ætate voto se obligant cælibatus. Unde autor Commentarii, qui *Ambrosio* tribuitur, in illum locum; *Ne facile* (inquit) *audeant, quod implere difficile est: aut si animus est huic devotioni deditus, apud se interim teneat; quia dicit* [Apostolus] *temerarium esse profiteri, quod adhuc juvenili ætati credi non debet.* Hæc ille. Et *Gregorius* I. Papa Rom. scribens ad Maximianum Episc. Syracus. *Nullam* (inquit) *fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cujus ætas hoc atque mores exegerint, velari permittat.* lib. 3. epist. ex Registro, epist. 11.

XIV. Vota illicita non obligant, nisi ad pœnitentiam. *Definitio incauta laudabiliter solvenda est; nec est prævaricatio, sed temeritati emendatio.* caus. 22. qu. 4. can. *Definitio.* Ubi glossa ait; *Non enim peccavit frangendo tale votum: sed in hoc peccat, quod temere juravit.* Multa in hanc sententiam, in ea quæstione, *Gratianus*, accumulavit. Quando eò res deducta est, ut qui vovit perpetuum cælibatum, se non contineat, sed illi necesse sit vel matrimonium contrahere, vel uri; tunc votum illud deprehenditur fuisse temerarium, atque adeo illicitum, & audiendus est Apostolus, dicens, melius esse nubere, quam uri. *Augustinus*, scribens de viduis illis, quarum fit mentio, 1 Tim. 5. *Melius* (inquit) *nuberent, quam urerentur, id est, occulta flamma concupiscentiæ, in ipsa concupiscentia vastarentur, quas pœnitet professionis, & piget confessionis.* Hæc *Augustinus*, lib. de sancta virginitate, cap. 34. Adhæc, illa viduarum illarum vota seu pacta, ante Apostolicam prohibitionem habent conditionem à votis eorum, qui post eam prohibitionem non verentur talia vota in se suscipere. Deus per Apostolum legem promulgavit, qua sibi displicere ostendit talia vota: [1 Tim. 5: 11, 14. & 1 Cor. 7: 9, 35.] Ergo quod dicit Apostolus, viduas illas *damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt*, [1 Tim. 5: 12.] non pertinet ad eas, quæ nunc, lege prohibente, votum hujusmodi emiserunt: quæ se damnationis reas constituunt ex præsumptione vovendi; non autem ex eo, quod comperto postmodum suo errore, malint nubere, quam uri. Constitutum est à *Theodosio* & *Valentiniano* Imperatoribus, *ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est.* Cod. de legibus & constitutionibus Principum. Leg. 5. *Non dubium est.* Constitutio ista pro fundamento habet communem æquitatem, & rationem generalem, per divina atque humana jura longè lateque diffusam.

CAPUT VII.

De exsecratione per Diabolum.

I. QUIBUSDAM hominibus frequens in ore est exsecratio per Diabolum; dum his aut similibus utuntur imprecationum formulis, quibus sibi aut aliis imprecantur, ut Diabolus recipiat eorum animam, vel eos capiat, vel eis molestus sit, vel eos suspendio aliovè mortis genere enecet, &c. Neque corripi sustinent; dicunt enim istiusmodi formulas esse extra noxam, non enim per eas sumi nomen Dei in vanum, nusquam autem lege divina prohibitam esse sumptionem nominis Diaboli in vanum. Verum enimverò tali utentes sermone impingere in Dei legem, adeoque in Deum peccare, manifestum faciunt sequentia argumenta. Nam primò, testatur Scriptura, reddituros homines in die judicii rationem de omni otioso verbo quod loquuti fuerint, Matth. 12: 36. tales autem formulæ, quotidiano sermoni interspersæ, verba sunt otiosa.

II. Præterea, væ homini illi, per quem venit scandalum, Matth. 18: 7. infirmi autem & ad diabolicas diras proclives, audita talium formularum usurpatione ac defensione, ædificantur ad malum: & pii firmiores contristantur.

III. Adhæc, lex divina præcipit ut bene precemur, seu benedicamus; & istiusmodi exsecrationes seu maledictiones damnat ac prohibet. *Benedicite eis qui exsecrantur vos.* Matth. 5: 44. *Benedicite eis qui persequuntur vos, benedicite, & ne maledixeritis.* Rom. 12: 14. *Non reddentes malum pro malo, aut convitium pro convitio; sed è contrario benedicentes: ut qui sciatis vos ad hoc vocatos esse, ut benedictionem hæreditate consequamini.* 1 Pet. 3: 9. In descriptione sceleratorum hominum, dicit Scriptura, *os eorum plenum esse maledictione & amarulentia.* Rom. 3: 14. Et Psalmus ait; *Dilexit maledictionem, & eveniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Psal. 109: 17.

IV. Istiusmodi formulæ speciem habere videntur tacitæ cujusdam jurationis per Diabolum, aut invocationis ejusdem. Quomodo *Goliath maledixit Davidi per Deos suos.* 1 Sam. 17: 43. & regina *Jezabel* juravit per Deos suos, inquiens, *sic faciant Dii, & sic addant.* 1 Reg. 19: 2. (qua formula etiam jurabant olim pii per verum Deum, dicentes, *sic faciat mihi Dominus, & sic addat*, Ruth 1: 17. 1 Sam. 20: 13.) Vide cap. 4. §. 2. & §. 3. & Romani idololatræ, per falsos suos deos, ut *Tiberius Cæsar*, initio suæ epistolæ, quam pro *Cotta Messalino* ad Senatum scripsit, inquiens, *Quid scribam vobis P. C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, dii me deæque pejus perdant quam perire quotidie sentio, si scio.* Hæc *Tiberius*, apud *Cornelium Tacitum*, lib. 6. Annalium. Et usitata Paganis illis imprecatio erat, dii te perdant, dii te deæque omnes malè perdant. *C. Plinius Secundus*, junior, in Panegyrico, loquens de jurejurando *Trajani* Imperatoris, adeuntis tertium consulatum; *Ille* (inquit) *juravit, expressit, explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, deorum iræ consecraret.* Hæc ibi.

V. Quamvis autem per publicam Ecclesiasticæ excommunicationis censuram homo tradatur Satanæ; non tamen concessum est, ut homines in quotidiano sermone seipsos aut alios tradant Satanæ. Neque in censuris Ecclesiasti-

cis usurpantur istæ formulæ, de quibus nunc disserimus: sed lege & auctoritate Domini nostri Jesu Christi pronunciatur sententia judiciaria, qua homo eam sententiam meritus traditur Satanæ, ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu. 1 Cor. 5: 4, 5. Latum igitur discrimen est inter Ecclesiasticam hanc censuram, & impias istas execrationes, imprecationes, maledictiones, quas palam est verbo Dei prohibitas esse, & Deo exosas. Neque habent quicquam patrocinii, ex imprecationibus illis Propheticis, quas non privato affectu, sed à Spiritu Sancto acti, pronunciarunt sancti homines Dei, Psal. 69. & 109. 2 Reg. 1: 10. & cap. 2: vers. 24. Jerem. 11: 20. Thren. 1: 21, 22. & cap. 3. versib. 64, 65, 66. &c. Cum autem Eliæ illam imprecationem, quæ legitur, 2 Reg. 1. imitari, pio quidem sed inconsiderato zelo, cuperent filii Zebedæi, increpavit eos Dominus, & dixit, *οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς. Nescitis, qualis spiritus sitis vos.* Luc. 9: 54, 55.

CAPUT VIII.

De comminatione annexa tertio Præcepto.

I. HACTENUS ipsum præceptum. Sequitur comminatio; Deus insontem non habebit eum, qui sumpserit nomen ejus in vanum. Hinc apparet peccati gravitas: nullius enim præcepti transgressorem pro insonte habet Deus. Exod. 34: 7. Sed his verbis significatur, specialem quandam & gravissimam pœnam exspectandam esse profanatoribus divini nominis. Nam (ut rectè observavit *Philo* Judæus, lib. de decalogo,) qui pejerat, vel non agnoscit Dei providentiam, adeoque atheus est, *πηγὴ δὲ πάντων ἀδικημάτων ἀθεότης*, vel ejus agnoscit providentiam, & sic nihil ad summam impietatem sibi facit reliquum, dum corde saltem & reipsa Deum sic compellat, dic pro me falsum testimonium, esto mihi sceleris & maleficii adjutor, &c.

II. *Justinianus* Imperator, novella constit. 77. decrevit, ut blasphematores divini nominis & jurantes per Dei capillos, caput, &c. ultimis subderentur suppliciis; si enim (inquit) contra homines factæ blasphemiæ impunitæ non relinquuntur, multo magis qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere.

III. *Donaldus*, hujus nominis sextus Scotorum Rex, qui regnum iniit ad annum Christi 898., legem sanxit, ut blasphemis & perjuris labrum candenti ferro inureretur, ut refert *Joannes Leslæus*, historiæ suæ Scoticæ libro 5.

IV. Statutum est in Concilio Moguntinensi, referente *Gratiano*, caus. 22. qu. 5. can. *Si quis:* ut illi qui alios ad falsa testimonia vel perjuria attraxisse convincerentur, vel quacunque corruptione sollicitasse, non communicarent usque ad exitum vitæ, id est, non nisi extremo necessitatis casu ad sacramentum cœnæ admitterentur; ii verò qui in perjurio consentisse probarentur, removerentur postea ab omni testimonio, & notarentur infamia.

V. *Pius* Papa Rom. eodem referente *Gratiano*, caus. 22. qu. 1. can. *Si quis.* statuit, ut, si quis per capillum Dei vel caput juraret, vel alio modo contra Deum blasphemia uteretur, si in Ecclesiastico ordine esset, deponeretur, si autem laïcus esset, anathematizaretur.

VI. Deus in verbo suo se profitetur perjurii esse osorem. Zachar. 8: 17. & vindicem, Ezechiel. 17: 15, 16, 18, 19. & denunciat se futurum testem velocem contra perjuros. Malach. 3: 5.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER QUARTUS.

De Quarto Præcepto Decalogi.

CAPUT PRIMUM.

Quid in hoc Præcepto ceremoniale sit, & quid morale.

Verba quarti præcepti. I. **R**Ecordare diei Sabbathi ut sanctifices illum, sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum, at die septimo Sabbathum erit Domino Deo tuo. Non facies ullum opus, neque tu, neque filius tuus, neque filia tua, neque servus tuus, neque ancilla tua, neque jumentum tuum, neque peregrinus tuus qui est in portis tuis. Nam sex diebus fecit Deus Cœlum & terram, mare & quæcunque in iis sunt, & requievit die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificavit eum.

Isychius, lib. 7. in Leviticum, in cap. 26. de isto Sabbati mandato ait; Etsi decem mandatis *Vide supra lib. 1. cap. 13. §. 7.* insertum est, non tamen ex eis est. Si ergo mandatum speciale ponamus, [Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis,] perfectum decem mandatorum numerum inveniemus. Hæc *Isychius*. Sed quum hoc præceptum sit moralibus insertum, & tabulis legis moralis inscriptum, neque præteritura sit lex moralis, etiam quoad obligationem & perpetuam vivendi regulam, usque ad consummationem mundi, ut ostendimus supra, in collatione Veteris & Novæ legis, necesse habemus in verbis Domini, de Sabbathi sanctificatione, moralem aliquam, & quidem perpetui vigoris, quæ etiam nos Christianos obliget, agnoscere præceptionem.

II. Aliquid tamen esse in hoc præcepto cæremoniale, quod cum reliquis umbris legalibus evacuatum sit, & de medio sublatum per Christum, constat ex verbis illis Apostoli, ad Coloss. cap. 2: vers. 16, 17. *Ne quis igitur vos judicet* [vel damnet] *in cibo, aut in potu aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum: quæ sunt umbra futurorum; corpus autem est Christi.* Et ad Galat. 4: 10, 11. *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Metuo vobis ne aliquo modo frustra laboraverim erga vos.* Quamvis ista ad Galatas verba quidam interpretes generalius exponant, ita ut eis prohibeatur tum Judaïcarum festivitatum & dierum observatio, tum etiam illa apud Gentiles usitata temporum illicita observatio, quæ etiam in Veteris Testamenti Scripturis prohibetur ac damnatur Deut. 18: 10, 14. & 2 Reg. 21:6. cujus interpretationis pars utraque consentanea est verbis Apostoli, eodem cap. 4. ad Galatas, versib. 8, 9, 10, 11. cum versu 21. *Ambrosius*, serm. 11. de tempore, verba illa Apostoli ad Galat. 4. ita exponit, ut nec gentilium, nec Judæorum observentur festivitates; sed solæ Christianorum solemnitates. *Sedulius* Comm. in epist. ad Galat. & *Augustinus* epist. 119. cap. 7. & Enchirid. cap. 79. ajunt damnari illis Apostoli verbis superstitiosam illam gentilium distinctionem inter dies faustos & infaustos, seu nominales, ut loquitur *A. Gellius*, lib. 5. Noct. Attic. cap. 17.

III. Si dicas, Deum ante hominis lapsum sanctificasse diem Sabbathi, & cultui suo dicasse, & significandis mysteriis observationem ejus instituisse, non tamen propterea quicquid de Sabbati sanctificatione præcipitur, erit morale. Nam & statui integro sua erant cæremonialia & typica: ipse Paradisus, & arbor vitæ, & arbor scientiæ boni & mali, typicam habebant significationem, quæ alibi haberet suum complementum: sic & illa cessatio Dei ab operibus creationis in die Sabbathi, hoc nobis commendat mysterium, ut sciamus requiem piis apud Deum paratam esse, post exantlatos labores, & qua requie cessabimus ab operibus nostris, sicut Deus die septimo cessavit à suis: ut nos docet Apostolus, ad Hebræos cap. 4. Verisimile est ab antiquis etiam patribus, ante Mosen, aliquam fuisse illius diei observationem, in memoriam creationis, & in spem quietis; quamvis Mosis tempore prima fiat Sabbathi mentio, & observationis ejusdem, Exod. 16: 23, 25, 26, 29. ubi ait *Moses*, Deum dedisse Israëlitis Sabbatum, *sive* illis primum ejus observationem injunxerit, ut existimarunt *Tertullianus*, lib. adversus Judæos, cap. 4. & *Athanasius*, in Synopsi Sacræ Scripturæ, in Exodo; & *Joannes Damascenus*, lib. 4 orthodoxæ fidei, cap. 24. & alii celebres Theologi; & allegantur in favorem istius sententiæ, verba sacri textus, Exod. 16: 23, 29. & cap. 31. versib. 13, 14. & seqq. Deut. 5: 21. Ezech. 20: 12. *Sive* jam inde à mundi conditu institutum, & Adamo ejusque posteris injunctum diem, commendaverit Deus Israëlitis porrò observandum: additis quibusdam rigidioris observationis regulis: quæ aliorum est insignium Theologorum sententia, quam colligunt ex verbis Mosis, Genes. 2: 3. cum verbis quarti præcepti, & ex Apostoli dissertatione de requie Domini, ad Hebr. 4: 3, 4. &c.

IV. Deus die septimo *quievisse* dicitur, id est, cessasse à creando, Gen. 2: 2, 3. sive à creatione novarum specierum; & *respiravisse*, Exod. 31: 17. id est, complacuisse sibi in omni suo opere quod fecerat, eoque delectatum esse. Nec aliena est quorundam meditatio, qui ajunt,

Deum in primo illo Sabbato hominem, quem fecerat, accuratius instituisse de causa & origine mundi, de fine creati hominis, de ejus erga Deum officio, &c. nec insuavis eorum est meditatio, qui ordinem creationis & quietis intuentes, observant, omnia quæ ante hominem facta sunt, propter hominem facta esse, ipsum vero hominem, cujus creationi non creaturæ alterius productio, sed ab universi operis creatione cessatio, & diei septimi sanctificatio successit, factum esse propter Deum, id est, ad cognoscendum & colendum Deum, eoque fruendum, per viam justitiæ & obedientiæ.

V. Septimo quoque die recurrente, avocari voluit Deus cultorum suorum animos à quotidianis curis & negotiis, & ad Deum attolli, & sanctis meditationibus, atque exercitamentis occupari, in recolendis Dei beneficiis, & gratiis Deo agendis, & meditanda sperata requie, & via ad eam ducente.

VI. Cæremoniæ legales, in quibus erat diei septimi Sabbatismus, postquam obligare desierunt, toleratæ aliquamdiu, & quandoque etiam usurpatæ sunt olim ab Apostolis aliisque Christianis, donec sepeliretur Synagoga cum honore. Christiani autem Æthiopes, quos Abyssinos vocant, hodieque observant diem Sabbati, & post etiam diem Dominicum: Sabbati autem diem servare se profitentur non ad imitationem Judæorum, sed jussu Domini, ex libris legis, cujus finis est Evangelium, in memoriam creationis, & ab eadem cessationis in primo illo Sabbato. Diem autem Dominicum, ut cæteri Christiani, in memoriam resurrectionis Christi, ajunt se celebrare. Teste *Zaga Zabo*, Episcopo Æthiopico, in declaratione sua fidei & religionis Æthiopum, ad *Damianum à Goës* scripta, anno Domini 1534.

VII. Certum est tamen, observationem Sabbati fuisse cæremonialem ex parte, ideoque abrogatam esse, teste Apostolo: sicut etiam certum est manere, quod in eo fuit morale, & perpetui vigoris quantum ad obligationem.

VIII. Moralis fuit recordatio beneficiorum Dei, & gratiarum actio, & meditatio beneficiorum speratorum. Sic & nos meditari tenemur, & cum gratiarum actione recordari Dei erga nos præterita beneficia, præsentia grato animo agnoscere & commemorare, & futura bona cogitare, atque cum gaudio certa spe præcipere: morale est etiam, ut istiusmodi sacris exercitamentis vacemus, non solum in parte aliqua cujusque diei, sed ut aliquem diem, huic negotio proprium dedicemus.

IX. Certum aliquem diem sacris exercitamentis dandum & sanctificandum esse, ex vi hujus præcepti, consentiunt omnes Christiani Catholici; & hanc esse præcepti hujus mentem, hinc patet, quia alioqui nihil novi præciperet in quarto præcepto; nam divini nominis invocationem, operum divinorum & testimoniorum Dei meditationem, laudum divinarum celebrationem, quolibet & omni die præstandam, nobis præscribunt tria prima præcepta: adeo ut, nisi aliquis dies sacris conventibus & religiosis exercitiis dandus imperetur præcepto quarto, nihil morale supersit, quod peculiariter ex quarti præcepti præscripto facere tenearur.

X. Unum verò ex septem diebus, sive ex hebdomadico circulo diem unum, vi hujus præcepti, quatenus morale est, à nobis Christianis, necessariò dandum esse sacris exercitamentis, sunt inter doctores Catholicos quidam summi Viri qui negant. Admittunt quidem id esse congruum, & huic, quæ apud omnes Christianos obtinet, observationi unius è septem diebus, rationes aiunt constare idoneas. At non agnoscunt hoc esse de jure divino necessarium; neque enim esse naturale; nec ostendi posse legem aliquam ea de re positivam divinam latam Christianis: & oppositam sententiam pugnare aiunt cum Christiana libertate; & alio etiam urgeri incommodo, nimirum, si quis mandato innitatur, illud ad amussim observari debere; itaque pro septimo à creatione, alium diem non esse substituendum. Quæ argumenta profitentur se ita velle expendi, ut tamen nemini credendi aut sentiendi legem imponant, nec dicam eis scribant qui aliter sentiunt. Salvo igitur honore qui tantis viris debetur, & summota contentione, subjiciam, quod pro diversa sententia dici, eamque favorabiliorem reddere posse videatur. Non videtur lædi Christiana libertas, sed infirmitati potius nostræ clementer subveniri, si, cum aliquis nobis dies ad divina exercitamenta sit jure divino necessarius, determinandi diem hunc labore Deus nos liberaverit, vel ex parte, determinando numerum septenarium; vel ex toto, designando certum diem in illo circulo. Neque hinc sequetur, manere adhuc obligationem ipsius à creatione septimi diei, quia hanc Deus ipse sustulisse se testatur in sacris literis, Galat. 4: 10, 11. Coloss. 2: 16, 17.

XI. Præcepta naturæ non sunt omnia unius ordinis, sed diversi sunt eorum gradus, sicut ostendimus, lib. 1. cap. 7. §. 5. Mens hominum peccato labefactata, multisque errorum ambagibus delusa, longaque veri oblivione impedita, non assequitur plerumque naturæ dictamina, nisi interveniente rationis discursu, & auxilio novæ revelationis. Inde tot Philosophorum, de Deo, & de religione ei exhibenda, dissensiones. Præceptum naturæ est, ut creatura rationalis agnoscat suum Creatorem, & ut homo serviat conditori cœli & terræ, eumque fateatur solum verum Deum. At Epicuræi & Peripatetici, negant, Deum aliquem condidisse cœlum & terram, & Plinius naturæ diligens indagator immortalitatem negavit animarum, & ipsum mundum dixit esse Deum: Tales non possunt adduci ut fateantur colendum esse Deum conditorem universi. Et quamvis Platonici mundum dicerent esse à Deo conditum, verum tamen Deum conditorem ignorabant. Et Israelitæ, tempore Eliæ, fatebantur quidem colendum esse Deum; at ut convincerentur, non Baalem, sed Jehovam esse Deum, novæ revelationis auxilio indigebant. Quem tamen jure naturæ & nosse & colere debebant. Omnes gentes ambulaverunt viis suis, vana sectantes, & sine veri Dei cognitione & cultu, quem tamen jure naturæ agnoscere, eique soli servire tenebantur. Juris naturæ est monogamia; & contra naturæ legem est conjugis innocentis divortium; quæ tamen ut credantur, revocat nos per supernam revelationem Scriptura ad primam conjugii institutionem. Malach. 2: 15. Matth. 19: 4, 8. Sic, de die religiosis exercitiis dedicando si consulatur natura, dispelli oportet primò illam ignorantiæ caliginem, quæ menti humanæ abstulit cognitionem illius numeri dierum, qui jam inde ab ipsa naturæ constitutione est numerus universi, nempe numeri dierum septenarii: qua cognitione per novam revelationem recuperata, in hunc modum responsura videtur natura, discursu utens rationis;

nis; cum Deus naturæ autor, cui cultus exhibendus eſt, numerum dierum ſeptenarium voluerit eſſe univerſi numerum; & quamvis mundi fabricam ſpatio ſex dierum abſolviſſet, unum tamen adjicere voluerit diem, ante reſumptionem calculi; cumque diem, etſi abſoluti mundi primum à ſuo ortu, voluerit tamen præcedentibus accenſeri, ad complendam hebdomadam; atque ita per circulos dierum hebdomadicos tempus omne deinceps voluerit circumvolvi, & computari; & cum ipſe tunc unum diem ex unoquoque ſeptenario, (addita licet quadam pro tempore cæremonia, poſtmodum deſitura,) voluerit cultui ſuo dicari; & cum hoc inter præcepta naturalia, à ſolo ſapiente Deo, in monte Sina, promulgatum, tabulisque legis moralis inſcriptum ſit; hæc omnia cum ita ſe habeant, ab hominum iſta cognoſcentium officio morali alienum eſt, obtentu ſublati cæremonialis Sabbatiſmi, totum dierum ſeptenarium, qui eſt univerſi numerus, transmittere, nullo die ex illo numero ſacris exercitiis dicato: neque neceſſe eſt anguſtiore gyro diem ejusmodi ordinarium coarctare. Hæc, originem temporum legemque intuens, reſponſura videtur natura bene informata, & recta naturalis ratio. Et hac deinceps hypotheſi utemur: ſine contentione tamen, & abſque melioris ſententiæ præjudicio. *Vide cap. 1. §. 1.*

XII. Numeri ſeptenarii veſtigia impreſſit Deus plurimis naturæ partibus. Septem ſunt planetæ, & ſeptem diſcrimina vocum, ſeptimo die in utero incipit ſanguificatio, ſeptimo menſe vitalis primùm eſt partus, ſeptimo anno denteſcit, & ſingulis fere annorum hebdomadibus (ut eſt in *Solonis* ea de re verſibus) ad novæ mutationis terminum in humanæ vitæ ſtadio venitur. Plura etiam de ſeptenario numero legi poſſunt apud *A. Gellium*, lib. 3. Noct. Attic. cap. 10. & *Macrob.* lib. 1. Somnii Scipionis. & *Cenſorinum*, de die natali. In ſacris autem literis ſeptenarius pro perfectionis numero frequenter uſurpatur, ut notum eſt. *Hſychius*, lib. 7. in Levitic. in cap. 26. ait; Septenarius numerus, totius præſentis vitæ figura eſt, & ſignum eſt, quæ per ſeptenarium numerum volvitur. Hæc ille. Septimum etiam diem ſacrum habuerunt olim Gentiles, ut ex *Homero*, & *Callimacho*, oſtendit *Clemens Alexandrinus*, Stromatum lib. 5. in poſtremo quadrante illius libri. Et idipſum docet *Ariſtobulus* peripateticus, apud *Euſebium*, lib. 13. præparationis Evangelicæ, cap. 12. Quamvis autem inde colligat, cum *Ariſtobulo*, *Euſebius*, Græcos ex Hebræorum philoſophia multa hauſiſſe, non inde tamen efficitur, ſeptenarium dierum numerum non ita eſſe univerſi numerum, ut omnes quibus id innotuit teneantur unum aliquem (licet non præciſè ipſum ſeptimum) ex hebdomadico circulo diem, publicæ religioni dedicare. Hinc eſt quod tam facilè fidem apud Gentes invenerit doctrina de die ſeptimo. Vide D. *Andreæ Riveti* diſſertationem de origine Sabbati, cap. 5.

XIII. *Chryſoſtomus*, homil. 10. in Geneſ. diſſerens de ſanctificatione Sabbati, inde ait à principio nos inſtrui à Domino myſticè, & doceri, unum in omni circulo hebdomadico diem ſequeſtrandum eſſe ſpiritualium operationi: *ἐντεῦθεν ἐκ προοιμίων αἰνιγματωδῶς διδασκαλίαν ἡμῖν ὁ Θεὸς παρέχεται, παιδεύων τὴν μίαν ἡμέραν ἐν τῷ κύκλῳ τῆς ἑβδόμαδος ἅπασαν ἀνατιθέναι καὶ ἀφορίζειν τῇ τῶν πνευματικῶν ἐργασίᾳ.*

XIX. Licet quidem tertio quolibet aut quarto die ſacros habere conventus, & rerum divinarum meditationibus ſolenniter incumbere, at unus ex ſeptem neceſſario obſervandus videtur: reliqui ſex occupationibus ſecularibus conceduntur.

XV. In obſervatione diei Sabbathi, cærimonialis erat taxatio (ut loquuntur) recurrentis illius diei, qui ab initio creationis eſt ſeptimus. Item cæremonialis erat illa ab opere omni ſervili præciſa feriatio, in tantum, ut capite plectendus eſſet qui opus aliquod ſervile illo die faceret: proinde lapidibus ad mortem obrutus eſt qui ligna in die Sabbati colligere deprehenſus eſt, Num. 15: 32. &c. & generalis lex fiat; *Cuſtodietis Sabbatum, quia ſanctum eſt vobis, qui profanaverit illud, morte morietur. Nam quicunque fecerit opus in illo, excidetur anima illa è medio populi ſui.* Exod. 31. 14. Utriusque hujus cæremoniæ ſignificatio, partim reſpiciebat præterita, puta creationem operum τῆς ἑξαημέρου, & Dei ab eiſdem operibus ceſſationem, & tunc cum lex Sabbati per Moſem daretur Iſraëlitis, liberationem Iſraelitici populi è ſervitute Ægyptiaca, Deut. 5: 21. partim reſpiciebat futura. Recordationis autem Dei operum & ceſſationis, & benignitatis erga ſuum Iſraëlem, & gratitudinis officium morale incumbit etiam Chriſtianis, jam ſublatis illius diei & feriationis cæremoniis.

XVI. Res futura, quæ cæremoniali illa Sabbati obſervatione figurabatur, eſt requies ſanctis à Deo danda; Videte, inquit Dominus, ut Sabbatum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & inter vos, in generationibus veſtris, ut ſciatis quod ego ſim Dominus, ſanctificans vos. Exod. 31: 13. Ezech. 20: 12. Hoc myſterium indicat Apoſtolus ad Hebr. 4. quando ait, *Hebr. 4: 10.* hanc eſſe requiem populi Dei, ut quieſcant ab operibus ſuis, quemadmodum Deus à ſuis requievit operibus die ſeptimo. Hanc autem requiem, quam & indicavit Propheta Eſaias, cap. 58: 13. ut, ſcilicet, noſtris placitis & viis abdicatis, in ſolius Dei voluntate hilares tranquillisque animis acquieſcamus, hanc, inquam, requiem, ſeu libertatem à peccati moleſto jugo, acquiſivit nobis Chriſtus, umbratilem illam ſeptimi diei obſervationem adimplens ſua quiete in ſepulchro, per totum diem Sabbati, ubi conſepultus jacuit vetus noſter homo, ſive nos cum illo, quoad veterem hominem, conſepulti ſumus, Rom. 6. Coloſſ. 2. &c. ut deinceps ambularemus in novitate vitæ, una cum Chriſto reſuſcitati, Rom. 6. Epheſ. 2. Coloſſ. 2. & Deo ſerviremus in novitate ſpiritus, non in vetuſtate literæ, Rom. 7. 6. deleto jam illo dogmatum chirographo, adeoque Sabbaticæ obſervationis ſublata cæremonia. Coloſſ. 2. Itaque quantum ad quietem illam Sabbaticam, in ſe nunc ſpectatam, verum eſt illud *Hſychii*, *à malis abſtinere, Sabbati eſt impletio. Hſych.* lib. 7. in Levit. in cap. 26. Et hunc quidem Sabbatiſmum debemus habere perpetuum. Vide cap. 3. §. 5. *Eſai. 66: 23.*

XVII. Commemorat *Origenes* ſpecimen pugnantium inter ſe opinionum, quibus diſtrahebantur ſuperſtitioſi quidam Judæi, dum ſenſum quærerent & inveniſſe ſe putarent illorum verborum, *Sedebitis domi veſtræ ſinguli, nemo veſtrum exeat è loco ſuo, die ſeptimo*, Exod. 16: 29. Quidam locum unicuique bis mille cubitis definitum eſſe dicunt. Alii, in quibus eſt *Doſitheus* Samaritanus, tali damnata expoſitione, arbitrantur, quo in ſtatu ſituque corporis aliquis à die Sabbati fuerit interceptus, in eo ad veſperum manendum, (ἐπὶ τοῦ σχήματος, οὗ ἂν καταληφθῇ

 καταληφθῇ

ταλνιΦθῆ τις ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῦ σαββάτυ, μένειν μέχρις ἑσπέρας.] Et de non tollendo onere die Sabbati, ad infinitas (inquit) nugas [*εἰς ἀπεραντολογίαν*] delapsi sunt Judæorum doctores, dicentes, onus esse talem calceum, sed non talem; puta sandalium clavis suffixum, non autem sine clavis; & sic quod uno humero gestatur, non quod utroque, pro onere habendum. Hæc *Origenes*, in Philocalia, cap. 1. post medium.

CAPUT II.

De die Dominico.

Sup. cap. 1. §. 11. I. OBSERVATIO unius ex septem diebus, quatenus lege morali (secundum superiorem hypothesin) incumbit Christianis, moralis est, & de jure naturæ, sublatis jam legalibus cæremoniis; si verò certo cuidam diei, nempe Dominico, alligata sit hæc observatio, ex præscripto Evangelico, id positivum est, sicut est institutio sacramentorum in Evangelio.

II. *Ignatius*, Joannis Apostoli discipulus, epist. ad Magnesios, ait; *μετὰ τὸ σαββατίσαι, ἑορταζέτω πᾶς Φιλόχριστος τὴν κυριακὴν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὕπατον πάσων τῶν ἡμέρων, ἣν περιμένων ὁ προΦήτης ἔλεγεν, εἰς τὸ τέλος, ὑπὲρ τῆς ὀγδόης.* Post Sabbatum, omnis Christianus celebret diem Dominicum, diem resurrectionis, reginam & principem omnium dierum, quam expectans Propheta dicebat, *In finem, pro octava.* Hæc *Ignatius.* Psal. 6.

III. Nos quietem illam diei septimi, quæ vetus erat cæremonia, quam Christus sua in sepulchro quiete adimplevit, & terminavit, intelligendam, non etiam per otium corporale celebrandam suscepimus. Ut rectè monuit *Augustinus*, epist. 119. ad *Januarium*, cap. 12. quo sensu dixit *Cyrillus Hierosolymitanus*, prope finem quartæ Catecheseos, *πάσης σαββάτων παρατηρήσεως ἀπόσχυθι*, *rejice omnem Sabbatorum observationem.* Cujus ratio longè antè allata est ab *Ignatio*, illis verbis suæ epistolæ ad Magnesios, *εἰ γὰρ μέχρι νῦν κατὰ νόμον Ἰυδαϊκὸν ζῶμεν, ὁμολογῦμεν χάριν μὴ εἰληΦέναι.* *Si enim usque nunc secundùm Judaismum vivimus, confitemur gratiam non recepisse.*

IV. Dies Dominicus (inquit *Augustinus*, epist. 119.) non Judæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus, & ex illo cœpit habere festivitatem suam. Animæ quippe omnium sanctorum ante resurrectionem corporis sunt quidem in requie, sed in ea non sunt actione qua corpora recepta vegetantur, talem quippe actionem significat dies octavus, qui & primus, quia non aufert illam requiem, sed glorificat, non enim redit cum corpore difficultas ex corpore, quia nec corruptio. Oportet 1 Cor. 15: 53. enim corruptibile hoc indui incorruptionem, & mortale hoc indui immortalitatem: quapropter ante resurrectionem Domini, quamvis sanctos patres plenos spiritu prophetico octavæ sacramentum nequaquam lateret, quo significatur resurrectio, nam pro octava Psalmus inscribitur, & octavo die circumcidebantur Psal. 6. infantes, & in Ecclesiaste, ad duorum testamentorum significationem, dicitur, illis septem & Eccles. 11: 2. illis octo reservatam est. Tamen illis est occultatum, & solum celebrandum Sabbatum traditum est. Quia erat antea requies mortuorum: resurrectio autem nullius erat, donec veniret Christus, qui resurgens ex mortuis, jam non moreretur, & mors illi ultra non dominaretur: sed postquam facta est talis resurrectio in corpore Dominico, ut præiret in capite Ecclesiæ, quod corpus Ecclesiæ speraret in fine, jam etiam dies Dominicus, id est, octavus, qui & primus, inciperet celebrari. ——— Attende igitur sacratissimum triduum, crucifixi, sepulti, suscitati: horum trium quod significat crux, in præsenti agimus vita, quod autem significat sepultura & resurrectio, fide ac spe gerimus, nunc enim dicitur homini, tolle crucem tuam, & sequere me. ——— Quod, inquit, cupio dissolvi, & esse cum Christo, inde incipit Philip. 1: 23. requies, quæ non interrumpitur resurrectione, sed clarificatur. ——— Nova ergo vita in fide nunc inchoatur, & spe geritur. Nam tunc perfectè erit, quum absorbebitur mortale à vita, 1 Cor. 15: 54. quum mors absorbebitur in victoriam. ——— Ambulamus ergo in re laboris, sed in spe quietis; in carne vetustatis, sed in fide novitatis. *Item*: nec jam nunc in ista vita nos beatos fieri debere arbitremur, & ab omnibus difficultatibus liberos, ac sic in angustiis rerum temporalium adversus Deum ore sacrilego murmuremus, quasi non exhibeat quod promisit. Promisit quidem etiam hunc vitæ necessaria, sed aliа sunt solaria miserorum, alia gaudia beatorum, &c. Domine, inquit, secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, exhortationes tuæ jucundaverunt animam meam: Psal. 94: 19. non ergo murmuremus in difficultatibus, ne perdamus latitudinem hilaritatis, de qua dicitur, spe gaudentes; quia sequitur, in tribulatione Rom. 12: 12. patientes. Hactenus *Augustinus*, epist. 119. capp. 13. & 14.

V. Quum unum ex septem diebus exercitiis debeamus spiritualibus, si stet illa præmissa hypothesis; à Veteris autem Sabbati religione per Evangelium exsoluti simus; hinc oritur dubitatio, quemnam ex septem diebus sanctum habere teneamur, id est, sacris dicare exercitamentis; vel an liberum sit, quemlibet ex septem in hunc usum assumere? Ad hanc dubitationem simplex nec inepta videtur responsio, si dicatur, exemplum Christi & Apostolorum hic legis vigorem habere. Joan. 20: 19, 26. Quamvis postea Dominus citius ad discipulos redire, & scrupulum Thomæ dubitanti eximere, distulit tamen conventum illum & negotium illud in proximam Dominicam, commendans, scilicet, ejus diei hebdomadicam festivitatem: sic quamvis plures dies Troade commoratus esset cum discipulis Apostolus Paulus, hoc tamen die, nempe primo Sabbati, congregatis discipulis ad frangendum panem, solennem habuit concionem, Act. 20: 6, 7. Quæ sacra & solennia exercitamenta illo die exsequuturus, atque ita diei illius ordinariam & perpetuam celebrationem suo exemplo commendaturus, dies aliquot præcedentes Troade mansit, in quibus publicæ ejusmodi celebrationis non fit mentio. Et, 1 Cor. 16. Scribens de collectis in usum sanctorum faciendis, monet, ut primo quoque die hebdomadis (qui dies Dominicus est) quisque apud se reponat quod in promptu sit, ad Apostoli adventum. Quia autem hunc diem observamus in memoriam victoriosæ resurrectionis Domini, & exemplo ipsius Domini, ut ostensum est, & in spem resurrectionis nostræ, virtute Domini nostri resuscitati, & viventis in secula, ideo dies hic *Dominicus* appellatur. Apocal. 1: 10. Neque de nihilo est, quod Dominus diem notari voluit, & scripto

ſcripto conſignari, quo Joanni ſervo ſuo, meditationibus illi diei congruis intento, divina illa myſteria revelavit. Exinde hunc diem omnes Eccleſiæ Chriſti perpetuò atque unanimiter celebrant.

Vide verba Auguſtini ſupra §. 4. *Vide etiam Concil. Pariſienſ. ſub Ludovico Pio Imper. anno Dom.* 829. *lib.* 1. *illius Concilii, cap.* 50.

VI. *Athanaſius*, in ſermone de ſemente, εἰς τὸν σπόρον, ſtatim poſt initium, dicit, Dominum tranſtuliſſe diem Sabbati in Dominicum, πάλαι μὲν γὰρ ἦν ἐν τοῖς ἀρχαίοις τὸ τίμιον σάββατον· μετέθηκε δὲ ὁ κύριος τὴν τοῦ σαββάτου ἡμέραν, εἰς κυριακήν. Et hoc ſenſu accipi poſſunt quorundam Patrum teſtimonia, qui diei Dominici obſervationem ajunt traditam eſſe ab Apoſtolis, ut *Auguſtin.* de tempore, ſerm. 251. *Iſychius* lib. 2. in Levitic. in cap. 9. *Iſidorus Hiſpal.* lib. 1. de Eccleſiaſticis officiis, cap. 24. & *Albinus Flaccus Alcuinus*, lib. de divinis officiis, cap. de die ſancto.

VII. Adverſus iſtam de diei Dominici inſtitutione divina ſententiam, argumentum omnium ſpecioſiſſimum eſt, quod Apoſtolus non damnat eos, qui dies omnes ex æquo æſtimabant, Rom. 14: 5. quis autem credat, id non facturum fuiſſe eo loci Apoſtolum, ſi ex inſtitutione divina, aliquis dies inter Chriſtianos, aliis eſſet præferendus? Et quod doceat idem Apoſtolus omne dierum ſublatum eſſe diſcrimen: Gal. 4: 10. Huic argumento ſi fiat ſatis ſequente reſponſione, facilior futura videtur conſenſio. Cogitetur id quod res eſt, ſermonem eſſe loco citato epiſtolæ ad Romanos de eis diebus, quos æſtimabant infirmi Chriſtiani, ſed qui firmiores erant Chriſtiani eos dies non æſtimabant; & loco illo ad Galatas Apoſtolum ſeverè interdicere Galatis obſervatione illorum dierum, de quibus ibi loquitur: neutrum verò iſtorum dici poſſe de die Dominico, quem ipſi Apoſtoli, aliique omnes Chriſtiani, unanimiter ſanctificabant, eo nimirum ſanctificationis modo, quem proximo capite inveſtigatum imus.

Vide ſupra cap. 1. §. 2. *Vide etiam Irenic. lib.* 1. *cap.* 7. §. 4.

Caput III.

De modo ſanctificationis diei Dominici.

I. Dicendum reſtat de modo ſanctificationis diei Dominici. Modus ſanctificationis Sabbati proponitur in quarto præcepto, partim affirmativè, in verbo *ſanctificare*, partim negativè, prohibitione operum ſecularium, ita ut ne jumenta quidem illo die liceret adhibere operi faciendo.

II. Ratio illius imperatæ ceſſationis, partim moralis fuit, partim myſtica. Moralis, cum propter humanitatem & clementiam erga ſubditos, & erga ipſas etiam beſtias nobis ſubjectas, debitam ac neceſſariam; ut ſcilicet illis idoneum aliquod interſpirandi tempus concederetur, Deut. 5: 14. Exod. 23: 12. tum etiam propter religionis officium, ut, ſcilicet, liberiori animo divina oracula & ſuum erga Deum officium meditarentur, vias ſuas ad legis divinæ normam exigerent, erratorum veniam orarent, majorem Dei Zelum & ſacræ ſapientiæ ſtudium promitterent, atque ita in pietatis ſtudio & ſtadio proficerent: quæ vera erat Sabbati ſanctificatio. Eſai. 58: verſ. 13.

III. Duplex hæc moralis ratio etiam ad Dominici diei celebrationem pertinet. Nobis enim non minus quam Veteri Eccleſiæ Judaicæ, neceſſaria eſt erga ſubditos humanitas, & divinorum eloquiorum atque operum ſolennis commemoratio, & ſedula meditatio, noſtrique erga Deum officii ſeria cogitatio, & ſacri conventus ad publicum Dei cultum. Quæ omnia, licet nullo die aliena eſſe poſſint, diem tamen Dominicum ſibi proprium vendicant.

IV. Myſtica feriationis Judaicæ ratio in ſuperioribus oſtenſa eſt, nempe partim præteritæ quietis commemoratio, partim futuræ præfiguratio. Hæc myſtica ratio, ad antiqui Sabbati religionem nos haudquaquam obligat, teſte Apoſtolo, ad Coloſſ. 2: 16, 17. Cæremonia illa Sabbatica legalis, quietem ſignificabat, & in ceſſatione poſita erat ab operibus ſecularibus. Celebratio autem diei Dominici animos attollit ad cogitandam reſurrectionem, & vitam, & actionem: ut non tam in feriatione, quam in operatione conſiſtat diei Dominici ſanctificatio. *Cap.* 1. §. 13. &c.

V. Ceſſandum tamen ab operibus ſecularibus, propter rationes illas morales, §. 3. commemoratas. Etſi rigor ille præciſæ feriationis, qui Iſraelitis propter myſterium memoratum incumbebat, jam per Evangelium ſublatus ſit, evacuatis ſeu potius adimpletis illis umbris legalibus. *Tertullianus* lib. adverſus Judæos, cap. 4. docet, præceptum de Sabbato, quantum ad corporalem feriationem, fuiſſe temporale, & jam ceſſaſſe; nos autem Chriſtianos ſabbatizare ab omni opere ſervili ſemper debere, ſecundum mandatum ſpirituale, & non tantum ſeptimo quoque die, ſed per omne tempus. Et *Epiphanius*, hæreſi 30. (quæ Ebionis eſt, ejusque ſectatorum Ebionæorum,) num. 32. edit. Græco-Lat. Pariſ. ann. Dom. 1622. Refellitur etiam (inquit) ineptiſſimi hominis Sabbatiſmus, & circumciſio, & quotidianus baptiſmi uſus. ἐν γὰρ σαββάτῳ φιλοτιμεῖται τὰ πλεῖστα θεραπεύειν Ἰησοῦς. [ſtudioſè operam dat, ut curet infirmos die Sabbati,] καὶ οὐ μόνον ὅτι θεραπεύει, ἀλλὰ καὶ κατὰ δύο τρόπους ἰᾶται· παραγγέλλει γὰρ τοῖς ἰατρευθεῖσιν ἐν τῷ σαββάτῳ, αἴρειν τὸν κράββατον, καὶ βαδίζειν· ἀλλὰ καὶ ἐν σαββάτῳ πηλὸν φυράσας, [lutum macerans] ἐπέθηκε τοῖς τοῦ τυφλοῦ ὀφθαλμοῖς. ἔργον δέ ἐστι πηλὸν φυρᾶσαι. Unde Apoſtoli ex ejus convictu & doctrina ſcientes abrogatum eſſe Sabbatum, [ὅτι λέλυται τὸ σάββατον,] vellunt ſpicas Sabbato, & atterunt, & comedunt, ——— καὶ ἔτιλλον στάχυας, καὶ ἔψωχον, καὶ ἤσθιον, δεικνύντες, ὅτι λέλυται ὁ δεσμὸς ὁ ἐν τῷ σαββάτῳ ὁριζόμενος, ἐλθόντος τοῦ μεγάλου σαββάτου, τουτέστι Χριστοῦ, τοῦ ἀναπαύσαντος ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, οὗ τύπος ἦν ὁ Νῶε. ——— οὗτος [Chriſtus] ἐστι τὸ μέγα σάββατον καὶ ἀΐδιον, οὗ τύπος ἦν τὸ μικρὸν σάββατον ἐξυπηρετούμενον ἄχρι τῆς αὐτοῦ παρουσίας, προσαχθὲν ὑπ' αὐτοῦ κατὰ τὸν νόμον, καὶ ἐν αὐτῷ λυθὲν, καὶ πληρωθὲν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ. Ita enim dixit; Filius hominis eſt etiam Dominus Sabbati. Unde diſcipuli audacter [θαρσαλέως] Sabbatum ſolvunt: quandoquidem & Sacerdotes, Sabbatum ante eos ſolvebant, ſacrificantes, & Deo victimas offerentes, ne juge illud quotidianumque ſacrificium intermitteretur. Sed & circumciſio ipſa ſolvebat Sabbatum. Atque ita duabus illis rebus ſolutio Sabbati divinitus prænunciabatur. [προεθεσπίζετο.] Hæc *Epiphanius*. *Matth.* 12: 8.

VI. Feriamur igitur die Dominico ab operibus ſecularibus, non ritu aut cæremonia Judaica, ac ſi quicquam vel ſanctitatis vel myſterii in ipſa nuda feriatione collocaremus, aut Deo nos gratiores exiſtimaremus per ipſam feriationem, ac ſi ipſa per ſe vel propter aliquod myſterium nunc Deo accepta eſſet: ſed feriationis noſtræ ratio tantummodo moralis eſt; tum propter pietatis officia, ut & eos, qui nobis ſubjecti

jecti sunt, clementer habeamus, & omnes expeditiores simus ac liberiores ad spiritualia exercitia. Melior est autem operatio corporalis, spirituali inserviens officio, quam otiosa aut lasciva feriatio. Unde non tenemur præciso sabbati itinere; neque equum ad iter faciendum assumere nefas est, modo iter illud dici Dominici muneri inserviat, aut ei saltem non adversetur. Nec obstat lex debitæ humanitatis & clementiæ erga subjectas nobis creaturas; si ita earum opera utamur, easque ita clementer habeamus, ut ratio seu anima legis servetur, quæ non tam segmenta temporum spectat, quam ipsum humanitatis officium.

VII. Opera charitatis & beneficentiæ erga proximum, & opera præsentis necessitatis, etiam largius sumptæ, fiunt convenienter die Dominico. Charitatis officium est, curare ægrotum, exemplo Christi, in Evangelio passim: de beneficentia erga egenos, vide Nehem. 8: 11: & 1 Cor. 16. 2. & Jacob. 1: 27. Necessitatem autem latiore significatu accipiendam esse, quam ut ad ea solum opera referatur, quæ pro tuenda hominis vita sunt absolutè necessaria, manifestum est ex illa spicarum vulsione & frictione, Luc. 6: 1. quod factum Dominus approbavit, atque defendit his rationibus; quia Deus dicit, se velle misericordiam, & non sacrificium, Matth. 12: 6. Et sabbatum factum est propter hominem, non homo propter sabbatum, Marc. 2: 27. & Filius hominis est Dominus etiam sabbati. Matth. 12: 8. Marc. 2: 28. Luc. 6: 5. idipsum quoque liquet ex eo quod jussu Domini, homo ab ipso sanatus, grabatum suum sustulit, & asportavit, Joan. 5: 8, 9.

Hos. 6. 6.

VIII. Hæc intuens, additis etiam verbis Domini, quæ leguntur Luc. 13: 15, 16. Vir doctissimus, *Antonius Walæus*, SS. Theolog. in Academia Lugduno-Batava, Professor, in sua Dissertatione de Sabbatho, cap. 6. ait; *Atque ideo etiam non audemus improbare, quod post Concilium Arelatense Constantinus in suis constitutionibus tempore pluvio, aut alio necessitatis casu, permittit, ut messes aut vindemiæ etiam die Dominico colligantur: quia, si ad famis propriæ solatium, licuit discipulis Sabbatho aristas vellere; non video causam, cur non liceat in tali casu ad pulsionem & præventionem famis communis, terram conserere, & messem aut vindemiam salvare. Si etiam licuit, ut Christus testatus est, locis jam adductis, Sabbato educere pecudem aut asinam è puteo, ne pereret, quomodo non magis integras messes aut vindemias servare, ne homini inutiles fiant? Et sane huc omnino facit, quod supra quoque adductum est, Homo non est propter Sabbatum, sed Sabbatum est propter hominem.* Hæc ibi *Walæus*. Prohibitionem autem illam, quæ legitur, Exod. 34: 21. refert *Walæus* ad peculiarem statum Judaici populi, & singulares promissiones eisdem factas; quales erant illæ promissiones quæ commemorantur, Exod. 16: 6. Levit. 25: 21. Exod. 34: 24. Eos autem magistratus easque Ecclesias laudat, qui non cuivis privato ex suo arbitrio eam licentiam eo die concedunt, sed de pluviæ aut tempestatis inidoneæ constitutione, in ejusmodi casu, judicium publicum hic expectandum decernunt: id quod dicit in Palatinatu ac in reformatis Helvetiæ rebuspublicis laudabiliter observari. Extat ea *Constantini* Magni Constitutio, in Codice *Justiniani*, de feriis, lege 3. *Omnes* (inquit) *judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi, agrorum culturæ liberè licenterque inserviant; quoniam frequenter evenit,*

De bolecum captura vide, Extra, de feriis cap. 3.

Marc. 2: 27.

ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur: ne occasione momenti, pereat commoditas cælesti provisione concessa. Postea tamen ista *Constantini* lex antiquata est alia lege Imperiali, quæ exstat in constitutionibus *Leonis* Imp. Constit. 54. Fuit autem ille *Leo* Imp. hujus nominis sextus, *Basilii* Macedonis filius, qui regnare cœpit anno Dom. 886. eodemque anno fratrem suum *Stephanum* fecit Patriarcham, ad quem diriguntur Constitutiones, 2, 3, 4. & aliquot sequentes. Hic *Leo* Imp. vocabatur *Leo* Philippus, al. Philosophus In supplemento Chronologiæ *Nicephori* Patriarchæ Constantinop. exstat quidem in *Justiniani* Codice, titulo, de feriis, lege undecima, lex *Leonis* primi & *Anthemii* Augustorum, de observatione diei Dominici; at in ea lege non fit mentio culturæ agrorum, & abrogationis legis illius qua dicebatur, *Ruri tamen positi, agrorum culturæ liberè licenterque inserviant*; quarum rerum diserta fit mentio in illa 54. Constitutione, quæ invenitur in libro Constitutionum *Leonis* Augusti, hujus nominis sexti. Marciano autem in Imperio successit *Leo* Thrax, hujus nominis primus, anno Domini 457.

IX. Celebratum est Concilium in Palatio *Vernis*, jussu *Pipini* Francorum Regis anno Christi 756. ab universis fere Galliarum Episcopis. Concilii illius capitulum 14. sic habet; *De die Dominico, quia persuasum est populis, de die Dominico agi cum caballis sicut bobus & vehiculis per itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparari, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem ullatenus exerceri, quæ res ad Judaicam magis quam ad Christianam observationem pertinere probatur, id statuimus, ut die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat: de opere tamen rurali, aratione, aut vineæ sectione, excussione, vel* *sepe cæsuimus abstinendum, quo facilius ad Ecclesiam venientes orationis gratia vacent. Quod si inventus fuerit quis in operibus supra scriptis quæ interdicta sunt exercere, qualiter emendari debeat, non in laicorum districtione, sed in sacerdotis castigatione consistat.* Hactenus verba decimiquarti capituli Concilii illius, in Palatio *Vernis* habiti, sub Rege *Pipino*, Patre *Caroli* Magni. Et in quarto *Arelatensi* Concilio, (tempore *Caroli* Magni, anno Domini 813.) verba Capituli 16. sunt; *Ne in Dominicis diebus publica mercata, neque causationes, disceptationesque exerceantur, & penitus à rurali & servili opere cessetur, his solummodo peractis quæ ad Dei cultum & servitium pertinere noscuntur.* Hæc ibi. Vide in Conciliis, eodem anno, & ejusdem *Caroli* jussu, habitis, Concil. Turonens. 3. cap. 40. & Concil. Cabilon. 2. cap. 50. & Concil. Mogunt. cap. 37. & Concil. Rhemens. 1. cap. 35. Vide etiam Concil. Parisiens. (sub *Ludovico* Imperatore, Caroli Magni Filio, anno Dom. 829.) lib. 1. cap. 50.

* *Sepe faciendo*

X. Eousque autem ab operibus servilibus & negotiis secularibus abstinendum est die Dominico, quousque id necessarium est ad exercitia pietatis & officia humanitatis, superius memorata; & ad evitationem scandali: quibus secretis, inanis erit & inutilis feriatio, nisi quantum ad convenientem à laboribus respirationem & spiritus refocillationem ea conducit. Quædam etiam honestæ recreationis opera admittit hic dies; Quæ divinum cultum non impediant, nec pias cogitationes expectorent, nec spirituali ædificationi adversentur, nec infirmis scandalum præbeant; sed animos ad lætandum in Domino reddant alacriores. Vide Exod. 23: 12.

12. Levit. 23. 40. Deut. 16: 11. Nehem. 8: 11, 12, 13. ubi de recreatione, & lætitia in Domino. Et Luc. 14: 1, 7. ubi videmus, Dominum nostrum Jesum Christum interesse convivio, die Sabbati.

CAPUT IV.

De aliis diebus festis, & temporibus quibusdam sacri cultus.

I. Aliis etiam quibusdam diebus eximia nobis collata sunt à Deo dona, quales sunt dies Nativitatis Domini, item passionis, & resurrectionis, nec non ascensionis ejusdem, & dies quo missus in Apostolos Spiritus Sanctus. Et est vetusta & pia Ecclesiæ consuetudo, ut anniversariæ statis diebus habeantur tantorum beneficiorum commemorationes. *Ea quippe* (ut loquitur *Augustinus*) *anniversariè in Ecclesia celebrantur, quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt, ut eorum necessariam salubremque memoriam festivitas celebrata custodiat.* Hæc ille, lib. 32. contra *Faustum*, cap. 12. *Martinus Bucerus* ait; Elaborandum iis eum primis erit, qui Christi regnum cupiunt apud se restitutum, ut Dominici diei religio solidè revocetur & obtineat. Consentaneum tamen est nostræ pietati, & alias certas ferias memoriis sanctificare præcipuorum operum Domini, quibus nostram perfecit redemptionem: ut diem incarnationis ejus, nativitatis, Epiphaniarum, supplicii, resurrectionis, ascensionis, & Pentecostes. Hæc *Martinus Bucerus*, lib. 1. de Regno Christi, cap. 11. Eatamen tenenda est moderatio, ut non tanto pondere prohibeantur homines facere licita, quamvis etiam minus expediant, quanto pondere sunt prohibenda illicita: uti rectè monuit *Augustinus*, lib. 1. ad *Pollentium*, cap. 20. Neque tanto pondere præscribantur humana, quamvis utilia, instituta, quanto divina mandata: neque onerosa nimis festorum multitudine gravetur, ac veluti Judaïca prematur servitute populus Christianus, sicut apud Romanenses fieri cernimus. De istis autem diebus, secundum regulas decori, pacis, charitatis, atque ædificationis, in Verbo Dei positas, statuendum est: quemadmodum de aliis rebus mediis: ut est à nobis in Irenico fusius explicatum.

II. Sunt etiam in Ecclesiis, præter diem Dominicum, alia quædam tempora laudabiliter constituta, quibus hebdomadatim recurrentibus, ad audiendum Dei Verbum & ad publicas preces, populus conveniat. Unde in primo libro disciplinæ Ecclesiæ Scoticanæ Reformatæ, cap. 9. (ubi de Ecclesiæ politia) decernitur vel requiritur, ut in oppidis insignioribus dies quidam, præter Dominicum constituatur, in quo publica habeatur concio, & preces: & ut iste dies, durante concione, immunis ab exercitiis ordinarii laboris, tum à Dominis, tum etiam à servis, custodiatur. Publicum etiam jejunium, & de recenti aliquo beneficio solemnis gratiarum actio, alio ut plurimum die, præter diem Dominicum, celebratur. *Vide Irenic. lib. 2. cap. 21. de dieje-junii.*

III. Horæ etiam quædam singulis diebus, lectionibus & precibus publicis, in Ecclesia Scoticana Reformata, laudabiliter tributæ sunt, quod & in Veteri Ecclesia factitatum. Celebratum est primum Bracarense Concilium anno Domini, 563. In eo Concilio, cap. 18. communi omnium consensu statutum est, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis, vel vespertinis officiis teneatur, & non diversæ ac privatæ, neque monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtæ. Et in eodem Concilio, cap. 20. ut per solemnium dierum vigilias vel missas, omnes easdem, & non diversas lectiones in Ecclesia legant. Vide etiam Isidor. Hispal. lib. 1. de officiis Ecclesiasticis, capp. 20. & 23. Et Concil. Aquisgran. sub Ludovico Pio Imperatore, anno Domini, 816. capp. 127. & 129.

IV. De ministris Ecclesiæ, eorumque ordinatione, & de legitima sacramentorum administratione, & de clavium potestate & usu, atque adeo de Ecclesiastica disciplina, prolixè alibi disseruimus *. Et librum scripsimus singularem de cura & residentia pastorali. * *In Irenic o, & Instruct. Historico-Theolog. Vide libro 5. hujusce tit, cap. 5.*

CAPUT V.

De jejunio.

I. *Hieronymus*, epist. ad *Lucinium*, quæ incipit, Nec opinanti. *Ego* (inquit) *illud te breviter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas* (*præsertim quæ fidei non officiant*) *ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt. Nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subverti. Atque utinam omni tempore jejunare possimus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes & die Dominico, Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus. Nec tamen Manichææ hæreseos accusandi sunt, cum carnalis cibus præferri non debuerit spirituali. Nec hoc dico, quod Dominicis diebus jejunandum putem, & contextas sexaginta diebus ferias auferam: sed unaquæque provincia abundet in sensu suo, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Hæc ibi. Hine patet sensus verborum ejusdem *Hieronymi*, in alia epistola dicentis; *Nos unam quadragesimam, secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus.* Hieronym. epist. ad Marcellam, quæ incipit, *Testimonia.* Nempe traditionem majorum vocat traditionem Apostolorum. *Vide Irenic. lib. 2. cap. 16. part. 4. & cap. 21.*

II. Idem, epist. ad Demetriadem, quæ incipit, *Inter omnes. Jejunium* (inquit) *non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est.* Hæc Hieronymus. Qui pro eo quod dixit *fundamentum*, si dixisset instrumentum, magis propriè ac perspicuè locutus esset.

III. Exstat apud Eusebium, initio libri quinti Historiæ Ecclesiasticæ, Epistola Ecclesiarum Viennæ & Lugduni, de martyribus qui in Gallia passi sunt, sub Marco Aurelio Antonino Philosopho Imperatore, quam epistolam repetit in sua Ecclesiastica Historia, Nicephorus Callisti, lib. 4. in quo libro, cap. 18. repetitur ex illa epistola hæc narratio; *Alcibiades* quidam martyrum choro adscriptus, squalidam planè & duram agebat vitam, & solo pane & aqua victitans, à cæteris cibis omnibus abstinebat. Quem morem cum in carcere quoque servare pergeret; cum *Attalus* [martyr, tunc etiam in carcere existens,] admonuit, non rectè illum facere, qui creaturis Dei non uteretur, & multis exemplum scandali atque offendiculi fieret. Proinde *Alcibiades* posthac nullo discrimine, omne genus cibi, citra satietatem tamen, cepit: & gratias Deo egit, qui quod ei defuisset, ita explevisset. Hæc ibi.

IV. Quod igitur *Hieronymus* aquam & panem com-

commendare videtur, tanquam fortissimum jejunium, epist. ad *Nepotianum*. Id ita accipiendum est, ut non nisi tempore congruo, & sine scandalo, tale jejunium usurpare liceat. Est autem ibi propositum Hieronymo, eorum reprehendere vanam superstitionem, qui abstinentiæ famam quærebant in quodam ciborum delectu, cum tamen lautè ac delicatè viverent. Ejus verba sunt; *Tantum tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa jejunia. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesque ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacium*? Tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane, & dum delicias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam, contra rerum hominumque naturam, aquam non bibere, nec vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas & contrita olera, betarumque succum, non calice sorbere, sed concha. Proh pudor, non erubescimus istiusmodi ineptiis, nec tædet superstitionis? Insuper etiam famam abstinentiæ in deliciis quærimus. Fortissimum jejunium est aqua & panis.* Hæc ibi Hieronymus, epist. ad Nepotianum, quæ incipit, *Petis à me*. Alibi etiam idem Hieronymus ait; *Displicent mihi, in teneris maximè ætatibus, longa & immoderata jejunia, in quibus junguntur hebdomades, oleum in cibo, ac poma vetantur. Experimento didici, asellum in via cum lassus fuerit, diverticula quærere. Faciant hoc cultores Isidis & Cybeles, qui gulosa abstinentia Phasides aves, ac fumantes turtures vorant, ne scilicet Cerealia dona contaminent.* Hæc Hieronymus, epist. ad *Letam*, quæ incipit; *Apostolus Paulus.*

* *Pastinaca.*

V. *Basilius* Cæsariensis, in regulis fusius disputatis: ad interrogationem decimam octavam, quæ est, ὅτι δεῖ πάντων τῶν παρατιθεμένων ἡμῖν ἀπογεύεσθαι. *Quod nihil non convenit degustare eorum quæ in mensa nobis apponuntur*: hanc dat responsionem; Atque illud etiam necessariò statuendum est, ad hoc ut corpus in subjectione & officio contineatur, [πρὸς τὸν ὑπωπιασμὸν τοῦ σώματος,] iis qui in curriculo pietatis decertant continentiam apprimè necessariam esse. Omnis qui in agone contendit, in omnibus abstinens
1 Cor. 9: 25. est. Verumenimvero ne similes efficiamur inimicorum Dei, qui cauteriatam habent conscientiam suam, ac propterea abstinent à cibis, quos Deus creavit ad sumendum cum gratiarum a-
1 Tim. 4: 2, 3. ctione fidelibus; singula quidem, si quando tempus inciderit, attingenda sunt, quatenus eis, qui
Tit. 1: 15. 1 Tim. 4: 4, 5. nos cernunt, ostendamus, omnia esse munda mundis, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipiatur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Videndum est tamen, ut in ea re scopum continentiæ observemus, ut videlicet, de eis quæ viliora sunt & necessaria, sumamus quæ vitæ sustinendæ usus postulat, atque in his ipsis saturitatis malum [τοῦ κόρου τὸ βλαβερὸν] declinemus: ab eis autem quæ voluptuaria sunt [τῶν πρὸς ἡδονὴν] penitus abstineamus. Hoc enim modo & voluptuariorum hominum libidinem excidemus, [τῶν φιληδόνων τὸ πάθος ἐκκόψομεν,] & eos qui cauteriatam habent conscientiam suam, quantum in nobis erit, curabimus, atque à nobis suspicionem illam, quæ in utramque partem posset existere, amovebimus. [καὶ ἑαυτοὺς δὲ τῆς ἐν ἑκατέρᾳ ὑπονοίας ἐλευθερώσομεν.]. Hæc ibi *Basilius* Magnus, Cæsariæ Cappadociæ Episcopus.

VI. A nuptiis olim & à quibusdam cibis, tanquam abominandis, abhorrebant hæretici, Marcionitæ, & Encratitæ seu Tatianistæ, & Manichæi. Sed & aliud erat genus hæreticorum, qui tametsi nuptias & cibos non simpliciter rejiciebant, secundas tamen damnabant nuptias, & leges ferebant de jejuniis, cum opinione cultus, & necessitatis, novas, imperiosas, & superstitiosas. Hi erant Montanistæ seu Cataphryges, quos propterea Catholica antiquitas accensuit dæmoniacis illis doctoribus, quos Apostolus Paulus prædixit prohibituros conjugia, & imperaturos abstinentiam à cibis. 1 Tim. 1 Tim. 4: 1, 2, 3.
4: 1, 2, 3. Et pro Montanistis suis respondens *Tertullianus*, jam tum Montanista, eisdem utitur defensionibus, quibus hodie imperiosam suam de jejuniis superstitionem tuentur Romanenses, & eadem in Catholicos jacit convitia, vocans eos *Psychicos*, eisque exprobrans *multivorantiam* & *multinubentiam*. lib. de jejuniis, cap. 1. Et Vide Institut. Historico-Theolog. lib. 12. cap. 10. §. 1.
objectionem illam Catholicorum commemorat ac proponit cap. 2. illius libri de jejuniis, & ad eandem cap. 14. ejusdem libri, sic respondet; *Reprobat* [Apostolus] *illos qui jubebant cibis abstinere, sed de providentia, Spiritus Sanctus prædamnans jam hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda & despicienda opera Creatoris: quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Jovem hodiernum de Pythagora hæreticum, non apud Paracletum. Quantula enim est apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis solis Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab eis quæ non rejicimus, sed differimus.* Hæc *Tertullianus*, lib. de jejuniis, cap. 15. Viderint igitur ii, qui tanto pondere jejuniorum leges, sine Scripturæ autoritate, conscientiis hominum imponunt, & ulteriorem quandam earum observationi perfectionem tribuunt, quam simplici custodiæ mandatorum Christi; viderint, inquam, isti legumlatores, ne forte Montanistico morbo necopinantes langueant.

VII. *Polycarpus*, Smyrnæ Episcopus, auditor Johannis Apostoli, & cum eo alii minoris Asiæ Episcopi, de jejunio & Paschatis celebratione sententiam & praxin habentes diversam à consuetudine aliarum Ecclesiarum, pacem nihilominus & concordiam cum aliis Ecclesiis habuerunt, teste *Irenæo*, in sua ad *Victorem* Episcopum Romanum epistola, apud *Eusebium*, lib. 5. hist. Eccles. κεφ. κς. cap. 24. & apud *Nicephorum* Callisti, lib. 4. cap. 39. ubi inter alia *Irenæus* ait, ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. *Jejunii diversitas consensum fidei commendat seu confirmat.*

VIII. *Ego* (ait Augustinus) *in Evangelicis & Apostolicis literis, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium, quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Hæc *Augustinus*, epist. 86. ad Casulanum. Ubi etiam plura eodem spectantia. Vide eundem *Augustinum*, lib. 30. contra Faustum, cap. 5. & epist. 119. capp. 15. & 17.

IX. *Theodoretus*, in Epitome divinorum decretorum, cap. ult. quod est de Abstinentia; *A vino* (inquit) *& ab esu carnium, & ab aliis ejusmodi abstinentiam, non similiter ac hæretici, amplectitur Ecclesia. Illi enim eis, tanquam abominandis, abstinendum esse censent. Ecclesia autem nihil horum decernit, neque enim eorum prohibet participationem, & ideo alii quidem per-*

permissis à lege bonis & voluptatibus securi fruuntur, alii vero ab eis abstinent: nullus autem qui sapit, & rectè sentit, condemnat eum qui comedit: Nam & abstinentia, & ejus participatio, sunt in mentis potestate. Hæc ibi. Idem etiam *Theodoretus*, in epistolam ad Rom. exponens verba illa Apostoli, *ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω*, Lat. Vulg. *unusquisque in suo sensu abundet.* Rom. 14: 5. *De cibis* (inquit) *uniuscujusque sententiæ potestatem dedit. Hæc enim consuetudo in hodiernum usque diem mansit in Ecclesiis. Et hic quidem abstinentiam amplectitur: ille vero omnibus esculentis absque ullo scrupulo vescitur: Et nec hic illum judicat, nec ille alterum reprehendit: sed eos claros & insignes reddit lex concordiæ.* Hæc *Theodoretus*.

X. *Socrates*, lib. 5. hist. Eccles. cap. 22. & *Nicephorus*, lib. 12. cap. 34. diversas commemorant eorum consuetudines, qui eandem tenebant fidem, ita ut ea diversitas veræ pietati detrimento non fuerit: aliis ante Pascha tres hebdomadas, aliis sex hebdomadas jejunantibus, aliis dies plures, paucioresve. Et quibusdam animata prorsus non attingentibus: aliis verò animata sumentibus, sed solos pisces: aliis autem animata quoque cum piscibus volatilia degustantibus; ex aquis ea quoque progenita esse, ut Moses inquit, dicentibus. Nonnullis ab ovis & nucibus sive baccis abstinentibus: quibusdam verò arborum fructus comedentibus: nonnullis pane sicco tantum vescentibus: quibusdam autem ne hanc quidem attingentibus. Et quoad cibi capiendi tempus; aliis hora nona, aliis post solis occasum, aliis verò post diem unum sequente die cibum capientibus; nonnullis autem ad tres, ad quatuor, ad quinque, & ad septem usque dies cibo abstinentibus, pro eo atque cibo quisque carere vel vellet, vel posset. Et inde atque ex aliis id genus diversitatibus ibi infertur, de istiusmodi observationibus, de quibus nullum exstat scriptum mandatum, Apostolos eas liberas reliquisse, neque de eis legem aliquam tulisse vel tradidisse.

Volatilia ex aquis, Genes. 1: 20. & ex terra, cap. 2: 19.

XI. In suscipiendis vel indicendis jejuniis cavenda superstitio est, vitanda sunt scandala, & hic etiam modus tenendus est, ut jejunii observatio attemperetur viribus jejunantis, ne, si supra vires jejunetur, non inde acuatur, sed hebetetur & languescat devotio. Propterea à communi jejunii observatione, rigidiorisque lege abstinentiæ, Patres Toletani exemptos esse declarant *parvulos, senes, & languidos.* Concil. 4. Toletan. can. 7. Nec æqualia omnibus etiam vegetis conveniunt spatia abstinentiæ. *Philo* Judæus, lib. de vita contemplativa, scribit in more positum fuisse therapeutis in Ægypto, ut non ante solis occasum cibum aut potum sumerent; & quosdam ex eis tridui spatio alimento abstinere solitos; quosdam etiam, duplicato hoc spatio, vix sexto die degustasse necessariam alimoniam, [*μόλις δι' ἓξ ἡμερῶν ἀπογεύεσθαι τροφῆς ἀναγκαίας.*] Et *Theodoretus*, in sua religiosa historia, quæ *θεοφιλὴς* inscribitur, cap. 26. refert de *Symeone Stylita*, quod semel tantum in hebdomade alimentum sumeret, idque exiguum, quantum est divinorum sacramentorum participatio. *Sunt* (inquit Hieronymus) *qui humore cellarum immoderatisque jejuniis, tædio solitudinis ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus suis personant, vertuntur in melancholiam, & Hippocratis magis fomentis, quam nostris monitis indigent.* Hæc *Hieronymus*, epist. ad *Rusticum*, quæ incipit, *Nihil Christiano fœlicius.* Scribit lib. 10. in Leviticum, sive *Origenes*, sive *Cyrillus* Alex. Christiano libertatem esse per omne tempus jejunandi, *non observantiæ superstitione, sed virtute continentiæ.* Hæc ibi.

XII. *Basilius* Magnus, in sermone *ἀσκητικῷ*, seu de institutionibus monachorum, ait; *ἐγκρατείας ὁ κάλλιστος ὅρος καὶ κανὼν οὗτος ἔστω, τὸ μήτε πρὸς τρυφὴν, μήτε πρὸς κακοπάθειαν τῆς σαρκὸς βλέπειν, ἀλλὰ φεύγειν ἐν ἑκατέρῳ τὴν ἀμετρίαν, ἵνα μήτε πολυσαρκοῦσα ταράσσηται, μήτε νοσώδης γενομένη ἀδυνατῇ πρὸς τὴν τῶν ἐντολῶν ἐργασίαν· ἴση γὰρ ἐξ ἑκατέρων ἡ βλάβη τῇ ψυχῇ προσγίνεται, τὸ ἀνυπότακτον εἶναι τὴν σάρκα, καὶ δι' εὐεξίας ἀποσκιρτῶσαν εἰς ἀτόπους ὁρμὰς, καὶ ὅταν πάρετός τε καὶ ἐκλελυμένη καὶ ἀκίνητος ὑπὸ ἀλγηδόνων συνέχηται· οὐ γὰρ ἄγει σχολὴν ἡ ψυχὴ, ἐν τῇ τοιαύτῃ τοῦ σώματος καταστάσει, πρὸς ἄνω βλέπειν ἐλευθερίως: ἀλλὰ κατὰ πᾶσαν ἀνάγκην, πρὸς τὴν τῆς ὀδύνης αἴσθησιν ἀσχολεῖται καὶ ἐπικλίνεται, συνταπεινουμένη τῇ κακοπαθείᾳ τοῦ σώματος· ἔστω τοίνυν ἡ χρῆσις τῇ χρείᾳ σύμμετρος, καὶ οἶνος μήτε βδελυκτὸς ἔστω, εἰ πρὸς θεραπείαν παραλαμβάνοιτο, μήτε σπουδαζέσθω χωρὶς ἀνάγκης, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὡσαύτως ταῖς χρείαις, μὴ ταῖς ἐπιθυμίαις ὑπηρετείτω τῶν ἀσκουμένων.* Id est, Continentiæ autem hic modus optimus & hæc regula esto, ut corpus neque diffluat deliciis, neque maceratione nimia atteratur, sed in utramque partem quod nimis est fugiatur, ne videlicet, si carnis obesitate gravetur, variis perturbationibus afficiatur, neque si morbidum effectum fuerit, non possit exsequi mandata. Par enim utrinque detrimentum capit anima, & cum corpus ex bona habitudine luxurians animæ non subjicitur, sed ad absurdas cupiditates cum impetu prosilit, & cum item languidum ac dissolutum & doloribus oppressum moveri loco nequit. Non enim in ejusmodi corporis constitutione potest anima per otii temperiem liberè se erigere ad rerum sublimium contemplationem, sed premente necessitate, sensu doloris exercetur, & deprimitur, compassione simul degravata per corporis afflictionem. Sit igitur usus indigentiæ congruus: & vinum neque omnino rejiciatur, si valetudinis causa sumendum sit, neque studiosè, ubi necesse non erit quæratur: ac reliqua omnia similiter inserviant necessariis usibus, non autem cupiditatibus eorum qui vitam agunt religiosam. Hæc Basilius, in sermone illo Ascetico, qui incipit; *Homo ad imaginem Dei factus est.* Idem etiam, in regulis fusius disputatis, in responsione ad interrogationem 19. diversam esse docet rationem habendam in cibis aliisque rebus pro cujusque ætate, & studiis, & corporis habitudine, neque posse omnes in exercitatione pietatis uni subjici regulæ. Neque igitur omnibus idem sumendi cibi tempus, neque modum eundem, neque eandem posse præscribi mensuram. Et subjungit ibidem; *ἀνακόλουθον γὰρ διὰ μὲν τὴν σύστασιν τοῦ σώματος τὰς τροφὰς αἱρεῖσθαι, δι' αὐτῶν δὲ πάλιν τῶν τροφῶν προσπολεμεῖν τῷ σώματι, καὶ ἐμποδίζειν αὐτῷ πρὸς τὴν τῆς ἐντολῆς ὑπηρεσίαν.* Neque enim cohæret hoc, ut cum tuendi corporis caussa escas assumamus, per easdem ipsas ei rursum bellum inferamus, impedimentoque simus, quo minus præcepta exequi possit. Hæc *Basilius*, Cæsariæ Cappad. Episcopus.

XIII. Usus jejunii est corporis castigatio, & animæ coram Deo humiliatio, ut hoc utentes adminiculo Deum ardentius invocemus, cum seria ad Deum conversione, morumque adeo emendatione, sine qua externum jeju-

nium & nihil prodeſt. Dicebant Iſraëlitæ; *Quare jejunavimus, & non adſpexiſti, affl
iximus animas noſtras, & neſciſti?* Reſpondit eis Dominus; *Ecce in die jejunii veſtri inveniτis quod vultis, & omnes facultates veſtras exigitis. Ecce ad litem & contentionem jejunatis, & ut percutiatis pugno impio. Nolite jejunare poſthac ſicut hodie,* &c. Eſai. 58: 3, 4, 5. & mox ibidem dicit Dominus, *Nonne hoc eſt jejunium quod elegi, ut diſſolvas colligationes impietatis, ſolvas faſciculos graves, & dimittas confractos liberos, atque omne jugum diſrumpatis? Nonne ut frangas eſurienti panem tuum, & pauperes vagos introducas in domum? Cum videris nudum operias eum, & à carne tua ne abſcondas.* Eſai. 58: 6, 7. Quo reſpiciens *Baſilius* Cæſarienſis, orat. 1. de jejunio, paulo ante finem, ait, *μὴ μέντοι ἐν τῇ ἀποχῇ μόνῃ τῶν βρωμάτων τὸ ἐκ τῆς νηϛείας ἀγαθὸν ὁρίζε· νηϛεία γὰρ ἀληθὴς, ἡ τῶν κακῶν ἀλλοτρίωσις.* Id eſt, Ne tamen jejunii utilitatem ſola eſcorum abſtinenentia metiaris. Verum enim jejunium eſt, ab omnibus vitiis eſſe alienum. Et *Hieronymus*, Comment. in cap. 58, Eſaiæ: Qui (inquit) jejunat ab omnibus malis, & vult ſuum jejunium reſpici, non ſolum declinet à malo, ſed & faciat bonum. Hæc *Hieronymus.*

Vide Levit. 16: 29. & cap. 23. verſ. 27, 29. & Joël. 2: 12, 13.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER QUINTUS.

De Quinto Præcepto Decalogi.

Caput Primum.

De superiorum & inferiorum inter se officiis.

I. HONORA *Patrem tuum, & matrem tuam, ut prolongentur dies tui super terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.* Hoc præcepto præscribuntur officia charitatis hominibus inter se, pro statuum diversitate, id est, inter superiores & inferiores; & pro humanis necessitudinibus, id est, propinquos, cognatos, affines, commilitones, &c. Nam in vocabulis manifesta est synecdoche, ut patet ex aliis Scripturæ locis, præceptum istud interpretantibus.

II. Diserta fit mentio illius necessitudinis, quam ipsa natura clarissimè dictat magnum apud omnes pondus habere debere; & illa nominatur autoritas, quæ invidiæ minus obnoxia est, & quam omnes fatentur non sine scelere contemni posse; nisi fortè apud Triballos, & id genus prodigia.

III. *Patris* & *Matris* nominatio & suaviter invitat ad officium præstandum, & officii necessitatem demonstrat.

IV. *Honoris* vocabulo intelligitur, 1. *reverentia*, Levit. 19: 32. Exod. 21: 17. & Levit. 20: 9. 1 Thess. 5: 13. deinde *obedientia*, Levit. 21: 18, 19, 20, 21. Rom. 13: 1. & sequentib. Ephes. 6: 1. Hebr. 13: 17. &c. Denique etiam *gratitudo*, Matth. 15, 4, 5, 6. Marc. 7: 10, 11, 12, 13. Rom. 13: 5. & 1 Tim. 5: 4. 1 Cor. 9: 14. Galat. 6: 6. Atque hæc sunt inferiorum erga superiores officia charitatis.

V. Superiorum verò erga inferiores officia charitatis sunt, 1. Honor congruus, tum in æstimatione, tum in moribus externis. Deut. 17: 20. & 25: 3. & 1 Pet. 3: 7. Deinde æquitas & mansuetudo imperii & præfecturæ. Deut. 7: 20. Ephes. 5: 29. & 6: 4. & vers. 9. 1 Pet. 3: 7. Conjungo cum mansuetudine æquitatem & justitiam; sicut enim nimia severitas fugienda est, & vitandus fastus atque morositas; ita etiam è diverso cavendum, ne importuna indulgentia & inepta atque iniqua lenitatis ostentatio fenestram aperiat petulanti licentiæ; quod fuit peccatum sacerdotis *Eli*, 1 Sam. 2. & *Saulis* Regis, qui præpostera clementia se perdidit. 1 Sam. 15. sic etiam *Achab*. 1 Reg 20. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Proverb. 17: 15. *Equita super verbum veritatis & mansuetudinis justitiæ.* Psal. 45: 5. Sit igitur mitis severitas, & non dissoluta clementia. Præterea superioribus incumbit cura conveniens de inferiorum illis commissorum institutione, rebusque ad vitam illorum tuendam necessariis. Genes. 18: 19. Rom. 13: 3. Ephes. 6: 4. Coloss. 4: 1. Jacob. 5: 4. & 1 Tim. 5: 8. Denique, quoad agendi modum, hoc etiam pertinet ad officium superiorum, & potestatem habentium, ut non semper exspectent delatores & accusatores, atque adeo ut non negligant compertam nequitiam, aut violentiam, præsertim publicam, nequitiæ suspicionem: sed aliis aut nolentibus, aut non audentibus conqueri, ipsi pro suo officio cognitionem de rebus instituant, & secundum æquitatem decernant. Hoc enim pastorum, hoc excubitorum, hoc custodum, hoc defensorum, hoc paternum, hoc tutoris officium est. Vide Job 40: 11, 12. & Psal. 101. & Psal. 78: 71, 72. & Prov. 31: 9. & Job 30: 25. Ezech. 34: 2, 3, 4, 5, 6. & 2 Paralip. 19: 4.

VI. Æqualium necessitudine aliqua propinquiore conjunctorum officium est, ut eo majorem curam unusquisque gerat proximi sui, quo pluribus eos necessitudinum vinculis Dominus colligavit. 1 Tim. 5: 8. ad Philem. 16. Rom. 16: 7, 11, 21.

VII. Omnia tamen ista officia præstanda sunt *in Domino*, Ephes. 6: 1. Christi enim discipulum odisse oportet Patrem suum, & matrem suam, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, præterea verò & suam ipsius vitam. Luc. 14: 26. id est, omnia ista mandato & gloriæ Dei posthabere. Atque si quando mandata aut placita hominum repugnent præcepto Dei, tenenda est illa Apostolica regula, *Morem gerere oportet Deo potius, quam hominibus.* Act. 5: 29.

VIII. Illa verò cautio, ut officia ista erga homines necessitudine aliqua nobis conjunctos præstemus *in Domino*, non solum prohibitionem, sed & affirmativam continet præceptionem, ut, scilicet, propter Deum præstemus officia erga homines debita: sic enim verè obedimus præceptis secundæ tabulæ, si à primæ tabulæ observatione promanet illa, quam exhibemus præceptis secundæ tabulæ, obedientia, ut charitas erga homines sinceræ erga Deum pietatis fructus sit.

IX. Gradus hominum, partim domestici sunt, ut inter parentes & liberos, inter maritos & uxores, & inter dominos & servos: partim verò politici, qualis est differentia inter principem & subditos, inter judicem & reum, inter præfectum & præfecturæ subjectos; Item inter magistrum & discipulos, nec non inter Imperatorem & exercitum, inter duces & milites; Item inter navigiorum gubernatores seu navarchos & navales

navales socios, &c. Partim etiam gradus sunt Ecclesiastici, & sic distantia gradus est inter pastorem Ecclesiasticum & oves gregis, inter concilium & unum aliquem pastorem, &c.

X. Certum est, licitam esse etiam inter Christianos servitutem; quamvis non appetendam: neque enim Apostoli servitutem prohibuerunt, aut herilem potestatem damnaverunt, sed heris & servis officia præscripserunt, manente illorum servitute, & illorum potestate.

XI. Neque existimandum est, mulierem ante lapsum viro non fuisse inferiorem: obstant enim rationes, quas pro viri prærogativa, & obsequiosa mulieris subjectione, adfert Apostolus. 1 Cor. 11: 8, 9. *Non est vir ex muliere, sed mulier ex viro. Etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Et 1 Tim. 2: 12, 13, 14. *Mulieri docere non permitto, neque exercere autoritatem in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, postea Eva. Et Adam non est deceptus, mulier autem decepta in transgressione exstitit.* Hæc Apostolus. Qui subjectionis mulieris tres adfert rationes; duas à creatione, tertiam à lapsu petitam. Prior à creatione ratio sumitur ab origine; non enim Vir ex muliere, sed mulier ex viro: ut honorandus mulieri vir fuerit, tanquam principium ortus sui, ejusdem speciei cum ipsa muliere. 2. Ratio à creationis fine sumitur, non enim vir propter mulierem, sed mulier propter virum formata est. Ideo viro tradita est non solum ut os ex ossibus ejus & caro ex carne ejus, sed etiam ut adjutorium illi subordinatum.

Genes. 2: 18, 23.

3. Quidem ratio à lapsu petitur, sed quæ eandem infestat subjectionem, cum majore timore conjunctam, Ephes. 5: 33. eoque magis, quod experta sit mulier, quam periculosum sit proprio niti judicio, & fetium aliquod magnique momenti negotium viro inconsulto suscipere; non tamen servilis est, sed uxoria subjectio, quam viri ab iis exspectare debent, neque præesse debent viri uxoribus dominatione herili, sed maritali præfectura, ut constat ex officiis conjugum. Ephes. 5. Coloss. 3. 1 Petr. 3.

XII. Domestica patrum jura cedunt ordini publico, sive Politico, sive Ecclesiastico: uti patet ex historia Josephi Patriarchæ, & ex historiis Moysis & Davidis, & Solomonis; &c. ratio est, quia patet filium suum in honore publico constitutum suspicere debet propter muneris publici dignitatem, cui cedunt privata jura. Quamvis honos aliquis illis semper sit habendus, sed is per quem publici muneris dignitati nihil decedat. *Taurus* Philosophus, referente *A. Gellio*, lib. 2. Noct. Attic. cap. 2. Hoc censuit adhibendum non inidoneum temperamentum, videl: in publicis locis, atque muneribus, atque actionibus, patrum jura, cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus collata, interquiescere paululum & connivere; sed cum extra remp. in domestica re atque vita sedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari discumbatur, tum inter filium magistratum & patrem privatum publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri. Hæc ille. Sed hæc vicissitudo pro regionum & reiumpub. varietate, vel locum habet, vel non habet. Nam inter filium Monarcham Regemque perpetuum, & inter patrem jam inde ab ortu privatum, non habet locum ista vicissitudo. Necessariis tamen filiorum erga parentes officiis, per nullos honores, per nullam professionem, debet fieri præjudicium: qualia sunt, patrem reverenter habere, neque cum contumelia afficere, neque despicatui habere, neque egentem Patrem negligere, sed pro virili illi subvenire, &c. Itaque reprehendit Dominus illos qui per religiosum votum filios exemptos esse dicebant à necessitate subveniendi parentibus. Matth. 15: 4, 5, 6. Marc. 7: 9, 10, 11, 12, 13. Nam status aut ordinis diversitas non tollit legem naturæ, & legem Dei.

XIII. Potestates politicæ, quia variantur, pro diversis populorum moribus, & consuetudinibus, & per homines constituuntur, propterea qui in potestate politica est, appellatur *humana creatura*. 1 Petr. 2: 13. Huic tamen subjici oportet propter Dominum: ibidem. nempe quia sic est potestas illa ab homine, & per hominem, ut à Deo sit, Deique sit ordinatio, Θεῦ διαταγή. Rom. 13: 1, 2. Ideo qui illam potestatem gerit, minister Dei dicitur, ibidem, vers. 4. Propterea, necesse est subjici, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. vs. 5. sic tamen ut in Domino: est enim universalis illa regula, *Deo parere oportet potius quam hominibus.* Act. 5: 29. Hominibus, inquam, sive principibus, sive subditis, sive pastoribus, sive de grege, sive doctis, sive indoctis, denique quibuscunque.

Caput II.

Collatio potestatis politicæ & potestatis Ecclesiasticæ.

I. Subjici potestatibus superioribus à Deo ordinatis debet omnis anima. Rom. 13: 1. Rectè enim *Chrysostomus*, in concione περὶ ἀρχῆς, qui præfectis & principibus τοῖς ἄρχουσι se subjicit, non illis imperantibus se submittit, sed Deo, qui hoc ita constituit, obtemperat; sed qui illis morem non gerit, is contra Deum belligerat, τῷ θεῷ πολεμεῖ. Idem etiam *Chrysostomus* in Commentar. in cap. 13. ad Rom. dicit, non tolli per Evangelium leges politicas, ideoque eis non solùm laïcos, sed & sacerdotes, & monachos debere esse subjectos. Verba Chrysostomi sunt; δεικνὺς, ὅτι πᾶσι ταῦτα διατάττεται, καὶ ἱερεῦσι, καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον, ἐκ προοιμίων αὐτὸ δῆλον ἐποίησεν, οὕτω λέγων· πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. κἂν ἀπόστολος ᾖς, κἂν εὐαγγελιστὴς, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν, id est, Ostendens quod omnibus hæc injungat, tum sacerdotibus, tum Monachis, non solis secularibus, id à principio manifestum fecit, sic inquiens; omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta sit. etiamsi Apostolus sis, etiamsi Evangelista, etiamsi propheta, & quisquis tandem sis. Hæc *Joannes Chrysostomus*, serm. 23. in epist. ad Rom. in cap. 13. vers. 1.

II. *Ambrosius*, Mediolanensis Episcopus, in concione de basilicis non tradendis, & hoc (*inquit*) ad calumniam sibi accessit impietas, ut imperiale nomen obtendat. ——— Nos quæ nos Dominus & auctor noster docuit, respondeamus. ——— Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & quæ Dei sunt Deo. ——— Quid igitur? Nun humiliter responsum à nobis est? si tributum petit, non negamus, agri Ecclesiæ solvunt tributum; si agnos desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrum intervenit. ——— Solvimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; tributum Cæsaris est, non negatur; Ecclesia Dei est, Cæsari utique non debet addici. Hæc ibi.

Idem

Idem etiam *Ambrosius*, apud *Gratianum*, caus. 11. qu. 1. can. *Magnum*. Magnum quidem est & speciale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur esse subjecti, ne quis constitutionem terreni Regis putet esse solvendam. Si enim censum Filius Dei solvit, quis tu tantus es, qui putas esse non solvendum? Item Apostolus, omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Item Petrus Apostolus, generaliter omnibus fidelibus scribit; Estote subditi dominis vestris, sive Regi, quasi praecellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Hæc *Ambrosius*.

III. Similia legimus de veterum Episcoporum praxi in epistola *Valentiniani* & *Valentis* Imperatorum ad Asianos Episcopos, apud *Theodoretum*, lib. 4. Hist. Eccles. cap. 7. ubi testantur, non recusare pios Episcopos vectigalia solvere, uti leges postulabant, neque eos potestati Imperatoriæ refragari, sed sanctè & sincerè tum mandatum præpotentis Regis Dei observare, tum Imperatorum legibus obsequi, eo quod Dominus jusserit, reddere quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo.

IV. *Gregorius* Episcop. Rom. hujus nominis primus, lib. 2. epist. ex registro, epist. 61. scribens ad *Mauricium* Imperatorem, ejus se famulum agnoscit jure reipublicæ: & Imperatori obedientiam ut Domino suo se debere fatetur. Et eodem lib. epist. 64. scribit, Deum tribuisse Imperatori omnia, eique concessisse dominari non solum militibus, sed etiam sacerdotibus.

V. Quamvis tamen secundùm ordinem publicum jurisdictionis exterioris, clerici subditi sint principibus & potestatibus politicis, quia scilicet pars sunt reipublicæ, cui præest princeps; debent tamen principes honore congruo prosequi pastores Ecclesiæ, iisque salubria monentibus obedire & morem gerere, ut qui illis instituendis & ducendis in via æternæ salutis à Domino præpositi sunt. Act. 20: 27, 28. & 1 Thess. 5: 12, 13. Hebr. 13: 17. Propterea rectè *Gregorius* primus Papa Rom. lib. 4. epist. 31. ad *Mauricium* Imperatorem; Sacerdotibus (*inquit*) non ex terrena potestate Dominus noster citiùs indignetur: sed excellenti consideratione, propter eum cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Hæc ille. Quæ etiam transscripsit *Gratianus*, caus. 11. qu. 1. can. *Sacerdotibus*. Idem etiam *Gregor*. lib. 2. epist. 61. ostendit, ita debere Episcopum obedire Imperatori, ut interim pro Deo dicenda minimè taceat. Vide Ezech. 3: 17. &c. Vide *Ambrosii* epist. lib. 2. epist. 15. & 17. & lib. 7. epist. 59.

VI. *Nicolaus* primus Papa Rom. in epistola ad *Michaëlem* Imperatorem, apud *Gratianum*, dist. 96. can. *Cum ad verum*. Nec (*inquit*) Imperator jura Pontificatus arripuit; nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit, quoniam idem Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit propria, volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, & ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & Deo militans minimè se negotiis secularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset secularibus negotiis implicatus. Hæc ille.

VII. Item *Joannes* Papa; Si, inquit, Imperator Catholicus est, (quod salva pace ipsius dicimus) filius est, non præsul Ecclesiæ; quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere: habet privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis divinitus consequutus est. Et ejus beneficiis non ingratus, contra dispositionem cælestis ordinis nil usurpet; ad sacerdotes enim Deus voluit quæ Ecclesiæ disponenda sunt pertinere, non ad seculi potestates. Hæc *Joannes* Papa, apud *Gratianum* dist. 96. can. *Si Imperator*. Non male ista *Joanni* dicta sunt, si rectè intelligantur: ut nempe in iis quæ Regis sunt, subjectus sit Regi, Episcopus, in iis autem quæ Episcoporum propria sunt, Rex Episcoporum jura non usurpet. Rectè enim eodem canone dicitur, non legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à pontificibus & sacerdotibus, (id est, ab Episcopis & pastoribus Ecclesiarum) omnipotens Deus Christianæ religionis clericos & sacerdotes voluit ordinari, discuti, & recipi de errore remeantes. Rectè, inquam, istud dicitur, si discussionem intelligas, depositionem ab officio Ecclesiastico, vel etiam excommunicationem. Nam Regum non est, sed Pastorum Ecclesiæ spiritualium, ordinare Episcopos & Presbyteros, aut ab ordine deponere: item communione privare, aut pœnitentes ad communionem recipere: item sacramenta administrare, aut alia Episcopalis seu pastoralis officii munera propria obire. Ideo laudatur *Valentinianus* senior, qui publico rescripto sanxit, in caussa fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare, ut monet *Ambrosius*, lib. 2. epist. 13. Sicut è converso, non Episcoporum est, sed Regum & Principum, gladium gerere temporalem, & politicum; secularibus & civilibus suppliciis in delinquentes animadvertere, secularia exercere judicia, & causas atque controversias seculares ad se trahere, & ea quæ Regibus & principibus Deus propria esse voluit, usurpare. Quicunque Regem aliquem aut principem docet scientiam aliquam aut artem humanam, superior est Rege, vel Principe, quantum ad munus vel præfecturam illam, atque institutionem, quamvis illum sibi magistrum Rex sponte sua constituerit, neque sit de jure divino, ut talem habeat magistrum: absurdum igitur non est, si dicatur superior Rege Pastor, quem animæ ejus dedit Christus excubitorem atque monitorem: etiamsi utrisque tum Episcopis, tum liberalium artium atque scientiarum professoribus, præsit & imperet Rex in iis quæ ad principem spectant, ejusque regimen politicum, etiam in caussis Ecclesiasticis, & Scholasticis, jure principis. Sic etiam Rex æger aut saucius se submittit medico, aut chirurgo, in iis quæ ad officium medici pertinent; & navigans gubernatori navis cedit in re nautica, quamvis in iis quæ sunt Regii imperii (cui & medici & nautæ subsunt, etiam in causis medicis & nauticis) utroque sit superior, & utrique imperet. Atque hoc sensu verum est illud *Nicolai* Papæ; Imperium vestrum suis publicæ rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare quæ sacerdotibus Domini solum conveniunt. Hæc ille. Dist. 10. can. *Imperium*.

VIII. Quis est qui abnuat (inquit *Ambrosius*) in

in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus, non Imperatores de Episcopis judicare? Ambrof. epist. lib. 2. epist. 13.

IX. Neque constitutionibus Ecclesiasticis injuste contraire debet Princeps, neque legibus Principum obedientiam negare debent Episcopi, ut non immeritò professus fuerit *Leo* quartus, scribens *Lothario* Augusto, se præceptis imperialibus semper obsequuturum, dist. 10. can. *de Capitulis*. Constantem verò obsequelam istam intellige in *Domino*; ut, scilicet, in eis pareamus Regi, in quibus sine peccato jussa regia facere possimus; nam si nos peccare jubeat Rex, vel rectores Ecclesiastici, sive id facere, quod sine peccato non possumus facere, tenenda est regula illa Apostolica, *Parendum Deo potius, quam hominibus*, Act. 5: 29. *Ambrosius*, lib. 2. epist. 14. Mandatur, inquit, trade basilicam, hoc est, dic aliquod verbum in Deum, & morere. Nec solùm dic adversus Deum, sed etiam fac adversus Deum. Mandatur, trade altaria Dei. Urgemur præceptis Regalibus, sed confirmamur scripturæ sermonibus, quæ res-
Job 2. 10. pondit, *tanquam una ex insipientibus loquuta es.* Non me, sed Ecclesiam persequuntur. Mandatur, trade basilicam. Respondeo: nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei existimas auferendam? Tradere basilicam non possum, sed repugnare non debeo. Hæc *Ambrosius*.

X. Potestate Ecclesiastica nihil esse excellentius, adeoque excellentiorem esse dignitatem Episcopalem principatu Regali, scribit *Chrysostomus*, in concione περὶ ἀρχῆς, id est, de principatu. Idem *Chrysostomus*, sub finem homil. 82. in Evang. Matth. monet ministrantes clericos, ut à mensa Domini arceant omnem notoriè indignum, etiamsi Rex sit; majorem enim regia esse potestatem ministrantis sacramentum. Sed intelligenda hæc sunt secundum illam Christi sententiam, *Regnum meum non est de hoc mundo*, Joan. 18: 36. Qui se Regem professus ibidem, vers. 37. non tamen diffitetur cælitus datam esse *Pilato* de ipso judicandi potestatem. Joan. 19: 21. Ergo quoad hoc seculum major Episcopo est Princeps, quippe potestatem habens de eo judicandi; & leges publicas exsequendi, aliaque omnia faciendi erga Episcopum, quæ Regi licent erga subditum in hoc mundo. At verò quoad regnum Christi illud spirituale & cæleste, major est qui potestatem habet benedicendi, quam qui benedicitur. Hebr. 7: 7. Atque adeo superior Rege est Pastor Ecclesiæ, non ut Regi imperet ritu Principis secularis, hoc est, in vitam, in dignitatem, in bona ejus dominetur, & de iis sua auctoritate disponat; hæc enim regalia privilegia sunt, pastoribus non usurpanda: neque ut prohibente Rege subditos ejus palam convocet, aut arma capessat, vel etiam Regem irreverenter increpet, vel anathemate feriat, sed ut illum doceat in omni sapientia, & admoneat. Coloss. 1: 28. salva semper illa, quam principi debet, reverentia.

XI. *Seniorem ne increpes, sed hortare ut patrem:* inquit Apost. Paul. 1 Tim. 5: 1. Quanto magis reverenter agendum cum Principibus? quibus omnem animam subjecit Deus, Rom. 13: 1. & quos prædixit nutricios fore Ecclesiæ suæ, Isai. 49: 23. nempe si Christiani & fideles essent. Nam & infidelibus Principibus & impiis præstandum obsequium: Sic David Saulo se subjecit, & Jeremias non solum ipse impiis Judæorum regibus subjectus fuit, sed etiam monuit Judæos, ut Regi Babylonio se submitterent, eique servirent, Jerem. 27: 12. Atque ut civitatis illius in quam deportati erant pacem quærerent, Jerem. 29: 7. Christus Cæsari Tiberio, quamvis flagitioso homini, reddi jubet quæ Cæsaris sunt, nempe tributum, Matth. 22: 21. Paulus Apostolus jubet obedire Neroni, Principi sceleratissimo, Rom. 13. 1. & pro principibus etiam Ethnicis preces ad Deum concipi, 1 Tim. 2: 2. Petrus jubet omni humanæ creaturæ Christianos esse subjectos, sive Regi, sive præfectis ab eo missis, 1 Pet. 2: 13, 14. Et hæc duo conjungit præcepta, ut *Deum timeant, & Regem honorent.* ibidem, vers. 17.

XII. Quemadmodum Christiani filii parentibus etiam paganis, & fideles servi dominis etiam infidelibus reverentiam debent atque obsequium, sic etiam subditi, quamvis fideles & pii, subjectionem debent atque obsequium Principi suo, quamvis infideli & impio, obsequium, inquam, *in Domino*, id est, in eis quæ non pugnant cum lege Dei, Regis Regum: quo pertinet canon, *Julianus*, causs. 11. qu. 1. ex *Ambrosio*. Verba canonis sunt, *Julianus* Imperator quamvis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites: quibus cum dicebat, producite aciem cum defensione reipubl., obediebant ei; cum autem diceret eis; producite arma in Christianos; tunc cognoscebant Imperatorem cœli. Hæc ibi. Vide in eandem sententiam, verba *Augustini*, in Commentario *Augustini*, in Psal. 124. Dicit etiam alibi *Augustinus*; Cum ergo vir justus, si forte sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans: cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. Quanto magis &c. Hæc *Augustinus*, lib. 22. contra *Faustum*, cap. 75. Quæ repetit *Gratianus*, caus. 23. qu. 1. can. *Quid culpatur*.

XIII. *Chrysostomus* in concione περὶ ἀρχῆς, id est, de Principatu, proponit sex prærogativas potestatis sacerdotalis, quibus eam probet excellentiorem esse potestate regali; excellentiorem, inquam, quantum ad regnum illud Christi spirituale, quod non est de hoc mundo, etiamsi quoad partem ejus militantem sit in hoc mundo, & in quo regno civem esse, melius est & optabilius, quam omnibus hujus seculi regnis dominari. *Prima prærogativa*; Regi (inquit *Chrysostomus*) commissa sunt corpora, sacerdoti autem animæ. ὁ μὲν βασιλεὺς σώματα ἐμπεπίςευται, ὁ δὲ ἱερεὺς ψυχάς. Hoc discrimen sic est intelligendum; ea quæ propriè pertinent ad officium sacerdotale respicere futurum seculum, & interiorem hominem; ea autem quæ propriè Regii muneris sunt, ad præsens hoc seculum & exteriorem hominem pertinere: sic tamen, ut Episcopus, qua civis terrenæ reipublicæ, deesse non debeat Regi, aut reipublicæ, in quibus opera ipsius utilis esse potest, sine desertione officii Episcopalis; & è converso, Rex, qua Christianus, imo qua Rex, adesse debeat Ecclesiæ; in quibus ejus auxilio opus est. Sic *Jonathan* & *Abimaaz* sacerdotes *Davidi* Regi utiles erant, 2 Sam. 17. & 18. sic *Jehojada* sacerdos utilem operam præstitit reipublicæ, 2 Reg. 11. Reges etiam *Ezechias* & *Josias*, 2 Reg. 18. & 23: 23. religionem collapsam

psam sua auctoritate restituerunt, seque Ecclesiæ nutricios & fidei defensores edictis armisque regiis demonstrarunt. Quorum exempla sequuti sunt *Constantinus* & *Theodosius* Imperatores, & alii pii principes, qui promulgatis edictis, & convocatis Conciliis, aliisque auctoritatis Regiæ pro religionis tuenda puritate interpositionibus, veros Ecclesiæ nutricios & legis Divinæ custodes ac vindices se exhibuerunt. Nam etsi Regis non est exercere munus Episcopale, debet tamen suam interponere auctoritatem, & providere, ut Deus in regno suo colatur, & Episcopi suum faciant officium; quemadmodum de *Ezechia* & *Josia* legimus 2 Paralip. 29. & 30. & 34. & 35. Estque hæc maxima Regum laus, ut & ipsi Deum sincere colant, & à subditis ut sincere Deus colatur, dent operam: hoc enim scriptura testatur rectum esse in oculis Domini; nam hoc elogio commendantur pii Judæorum Reges, *Jehosaphat*, *Uzias*, *Jotham*, *Ezechias*, *Josias*, &c. Atque huc pertinet illud quod dici solet, Regem supremum esse in regno suo rectorem & judicem super omnes personas, in omnibus caussis, ab ipso Deo constitutum; nam etsi Rex non habeat potestatem Ecclesiasticam, neque præfecturam gerat spiritualem in regno Christi Spirituali, quod non est de hoc mundo, & cui administrando Christus dedit non Dominos, sed servos, non Reges, sed ministros; non principes politicos, sed Pastores & Doctores Ecclesiasticos, qui ipsis etiam præsint Regibus, in rebus spiritualibus; habet tamen Rex potestatem civilem *αὐτοκρατορικὴν*, ac velut architectonicam, super omnes personas, & in omnibus caussis, seu circa omnes caussas, *οἷά τις κοινὸς ἐπίσκοπος ἐκ Θεοῦ καθεσταμένος*. ut de *Constantino* magno loquitur *Eusebius*, lib. 1. de vita *Constantini*, cap. 37. Ideo quamvis non possit per se spiritualem illam potestatem quæ pastoribus peculiariter data est, usurpare, potest tamen & debet omnes homines ad officium faciendum cogere, potest Concilia convocare & pastoribus ut sententiam dicant, eamque verbo Dei consentaneam esse doceant, imperare; potest politicas ferre leges, & pœnas statuere seculares, pro custodia mandatorum divinorum; & pro sanorum canonum Ecclesiasticorum conservatione, vel non sanorum rejectione, *adhibito diligenti examine*, ut loquitur *Constantinus Magnus* Imp. in sua epistola ad Vicarium Africæ, quæ extat in gestis purgationis *Cæciliani* & *Felicis*. ut & cognitæ veritatis tutelam suscipiat, & manifestos errores terrore civili reprimat atque exterminet; & regimen suum terrenum servire faciat propagationi regni illius spiritualis Christi, quod non est de hoc mundo, quamvis ex parte sit adhuc in hoc mundo, & cujus non princeps, sed civis spiritualis est Rex politicus, & politicus defensor, ac nutricius, Esai. 49: 23. nutricius, inquam, ubera sua regalia præbens sugenda Ecclesiæ, Esai. 60: 16. id est, huc conferens suam potestatem, ut subditi tranquillam & quietam vitam degant in vera pietate & honestate, 1 Tim. 2: 2. Quamvis lac verbi divini & spirituale *σιτομέτριον* non Reges, sed Ecclesiastici Pastores acceperint dispensandum, ex officio, familiæ Christi, adeoque etiam ipsis Regibus. Attamen Regi ex officio incumbit, tanquam præfecto & vindici publici ordinis, & *νομοφύλακι* utriusque tabulæ, præcipere & providere, ut Ecclesiastici sanam doctrinam doceant, neque potestate ipsis concessa abutantur, & delinquentes coërcere. Sicut olim à *Solomone* & aliis piis Judæorum regibus, posteaque à Christianis Imperatoribus laudabiliter factum est.

Aristot. 6. Nicom. cap. 8. τῆς δὲ περὶ πόλιν, ἡ μὲν ὡς ἀρχιτεκτονικὴ φρόνησις, νομοθετική.

Gesta purgationis Cæciliani & Felicis circumferuntur cum operibus Optati Milevitani.

XIV. *Secundum discrimen*, quod observat *Chrysostomus* inter dignitatem Episcopalem, & regium principatum, est, quod rex pecuniarum reliquias remittit, sacerdos verò reliquias peccatorum. Nempe pastoribus Ecclesiæ dictum est; *Quæcunque solveritis in terra, soluta erunt in cœlo.* Matth. 18: 18. Quod interpretatur *Chrysostomus*, de solutione peccatorum, non de solutione æris alieni, & aliorum vinculorum per quæ hominibus obligamur: non enim sacerdotis est subditos solvere à juramento fidelitatis principibus præstito; aut æs alienum, invito creditore, condonare; aut matrimonia consummata, extra casum scortationis, aut obstinatæ desertionis, dirimere; aut id genus alios contractus licitos infirmare.

XV. *Tertium discrimen*, à *Chrysostomo* assignatum, inter Regem & sacerdotem est, quod Rex cogat, sacerdos hortetur, *ἐκεῖνος ἀναγκάζει, οὗτος παρακαλεῖ*. Sacerdotis enim est non cogere, sed hortari; Rex autem potestatem habet etiam coactivam, qua contumaces compellat ad officium faciendum, & ad obedientiam, saltem externam, sicut fecerunt *Ezechias*, & *Josias*, & alii pii Reges.

XVI. *Quartum discrimen*; Rex arma habet quæ sub sensus cadunt, sacerdos verò arma habet spiritualia: *ἐκεῖνος ὅπλα ἔχει αἰσθητά, οὗτος ὅπλα πνευματικά*. Nempe Rex gladium gestat, Rom. 13: 4. Sacerdotum autem arma non sunt carnalia, sed per Deum valida ad demolitionem propugnaculorum, &c. 2 Cor. 10: 4. Sicut igitur Regis non est arma tractare illa spiritualia, quæ solis tradita sunt sacerdotibus, puta auctoritate clavium ligare, vel solvere, &c. ita neque sacerdotis est arma adhibere carnalia, id est, vel capitis diminutione, vel bonorum confiscatione in rebelles animadvertere: hæc enim regia sunt, non Episcopalia arma: atque si quando, re ita postulante, carnalia arma à sacerdotibus in subsidium adhibentur, sciendum est hoc ab illis fieri non auctoritate Episcopali, sed regali, & accepta à Rege potestate, quam exercent, non ut Episcopi, sed ut cives, mandato Regis instructi: neque enim est hoc ab homine Episcopo prorsus alienum, licet Episcopalis muneris non sit pars: quemadmodum & propriæ familiæ de victu necessario providere, & boni civis munere fungi, non est quidem pars muneris Episcopalis, sed Episcopo conveniens. Unde rectè *Augustinus* apud *Gratian.* dist. 10. can. *Si in adjutorium.* Si (*inquit*) in adjutorium vestrum terreni Imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus: nam fecit hoc Paulus cum adversus injuriosos Romanum civem se esse testatur. Hæc ille. Neque nunc quæritur, an idem homo & Episcopali auctoritate & civili potestate instructus esse possit: hoc enim aliquando fieri posse, neque esse rem per se & toto genere absonam, docent exempla *Melchisedecis*, & *Mosis*, & *Eli*, & *Samuelis*, & *Assamonæorum*, &c. Providendum tamen Pastori Ecclesiastico, ne sepultura mortuorum, alioqui licita & pia, impediat eum à necessaria prædicatione Euangelii. Luc. 9: 59, 60. & quamvis negotia secularia, sive privata, sive publica, promovere possit & debeat pro virili, cavendum tamen ne eis implicetur. 2 Tim. 2: 4. Christus præit suo exemplo. Luc. 12: 14. Sed hic quæritur, quænam sint regalia, & quænam Episcopalia arma

XVII. *Quintum discrimen*; Rex adversus Bar-

baros bellum gerit; antistites contra dæmonas. ἐκεῖνος πολεμεῖ πρὸς βαρβάρους, οὗτος πρὸς δαίμονας. Huc pertinent illa *Augustini* verba, epist. 1. ad *Bonifacium* comitem, sub finem tomi secundi operum *Augustini*; alii (*inquit*) pro vobis orando pugnant contra invisibiles inimicos: vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles Barbaros. Hæc ille. Ideirco memores Episcopi, quos habeant debellandos adversarios, debent, quoad ejus fieri potest, à curis & negotiis secularibus abstinere, ut orationi, & ministerio verbi incumbant, exemplo Apostolorum, Act. 6: 4. Quo pertinet præceptum illud Apostolicum; *Hæc meditare, in his esto*, &c. 1 Tim. 4: 15. 16.

XVIII. *Sextum*; Rex ab antistite benedicitur: minor autem benedicitur à majore. Heb. 7: 7. & propter hanc causam dicit *Chrysostomus*, consuevisse ungi Reges à sacerdotibus; nempe ut cum benedictione sacerdotali regnum, non à sacerdote, sed à Deo illis donatum, auspicarentur. Porro axioma illud, de excellentia benedicentis supra benedictum, intelligendum est de benedictione, qua homo autoritate publica benedicendi à Deo instructus, homini vel hominibus, secundum illam auctoritatem, in Dei nomine, benedicit: sicut olim jussi sunt sacerdotes Aaronici benedicere populo Israelitico Num. 6: 22, 23. &c.

Recapitulatio collationis potestatis politicæ & potestatis Ecclesiasticæ.

XIX. Quæ diximus de potestate Politica, & potestate Ecclesiastica, ad pauca hæc capita revocari possunt.

Utraque potestas à Deo est, sed neutra alteri proprie loquendo, subordinatur. Neque enim ejusdem sunt ordinis, neque secundum eundem ordinem dici potest una major, altera minor; sed omnis prærogativa potestatis Ecclesiasticæ præ politica potestate, dependet ab excellentia spiritualis regni Christi, supra terrena hujus seculi regna: nam vel janitoris munere fungi in domo Dei melius est atque optabilius est, quam extra hanc domum, in terreno solio sedere, & omnibus hujus mundi regnis dominati. Psal. 84: 11. Propterea si Rex Christianus sit, est Christianitate quam regno fælicior, & quilibet de plebe Christianus, qui verè Israelita sit, beatior est potentissimis atque opulentissimis Regibus ab Israelis republica alienis. Sed hæc beatitudo non in hujus mundi pompa & splendore posita est, neque de hoc mundo est hoc Christi regnum. Potestatis verò Regiæ, supra Ecclesiasticam, prærogativa secularis est & hujus mundi, nempe splendor & potentia mundana, quæ si conferantur cum spirituali sacerdotum beatitate, ad ejus claritatem obfuscantur; nihilominus quoniam Ecclesia hic militans eget hospitio & opera principum terrenorum, iisque subjecti sunt Christiani in hoc stadio, & quidem de jure divino, & Regi incumbit ex officio esse nutritium Ecclesiæ, non est contemnenda, sed ex Dei præcepto agnoscenda & submisse à subditis etiam Ecclesiasticis honoranda regalis ὑπεροχή. 1 Pet. 2: 13, 17. & 1 Tim. 2: 2. &c.

XX. Quemadmodum Christus, qua universi Dominus, dat Reges & Principes quos vult, perque eum Reges regnant, & principes dominantur; (Prov. 18: 15, 16.) & quibus vult adimit imperia; neque hoc ulli meræ competit creaturæ; solius enim omnipotentis regnum est, & cui vult tradit illud; (Daniel. 4. &c.) Sic etiam quos vult Christus dat familiæ suæ œconomos, & quos vult emittit in vineam suam operarios. Neque habet Rex à sacerdote politicam, neque sacerdos à Rege Ecclesiasticam potestatem: sed uterque suam à Deo immediatè respectu istorum duorum ordinum, licet plerumque mediatè in utrovis ordine; hoc est, neque ab Ecclesiastico ordine, qua tali, fluit potestas Regia; neque à principibus aut hominibus politicis, qua talibus, potestas Ecclesiastica derivatur: quamvis plerumque Deus potestatem, sive politicam, sive Ecclesiasticam, conferat interveniente ministerio hominum ejusdem ordinis. Sic in Principatibus electivis consensus hominum politicorum, sive civium, qua tales sunt, facit Regem, quamvis accedat benedictio sacerdotalis in solenni unctione aut coronatione: & in ordinario Ecclesiæ statu, legitima electio, & ordinatio pastoralis, cum consensu Ecclesiæ, constituunt pastorem, qui potestatem suam Ecclesiasticam accipit à Christo, & quidem per homines, sed non qua cives sunt seu partes reipublicæ terrenæ, at qua Christiani sunt, & quidem potestate illa spirituali instructi. Hæc quum ita se habeant, Reges & Principes sic uti debent auctoritate sua politica erga Pastores Ecclesiæ, quippe cives, & politico principatui subjectos, ut interim meminerint, eosdem homines, quantum ad cælestem rempublicam & spirituale Christi regnum, ipsis Regibus esse præpositos, & deberi iis ab ipsis Regibus honorem atque obedientiam, & è converso Pastores Ecclesiarum sic exercere debent potestatem suam Ecclesiasticam erga Reges & Principes, quippe oves de grege Christi, & partem familiæ quam alendam acceperunt, ut interea cogitent sibi tem esse cum illis hominibus, quos Deus in terreni regni administratione ipsis præfecit, & quibus ut Dei in illa administratione ministris atque vicariis honorem debent atque obsequium; quos etiam Ecclesiæ suæ constituit nutritios, & quibus ut ex officio nutritiis Deus Ecclesiam suam commendavit.

XXI. Principibus politicis data à Deo potestas est coactiva, cum dominio & imperio; Præfectis verò Ecclesiasticis data est potestas & προστασία œconomica & ministerialis, sine Dominio, & sine tali imperio, quale datum principibus terrenis; potestas, inquam, non coactiva, sed directiva, & valdè etiam activa. Nam eorum arma, etsi coactiva non sunt, valida tamen per Deum sunt ad demolitionem propugnaculorum, ad eversionem ratiocinationum, omnisque sublimitatis, quæ adversus cognitionem Dei extollitur, & ad captivum ducendum omnem intellectum in obsequium Christi, & ad ultionem promptè exercendam in omnem contumaciam. 2 Cor. 10: 4. & sequentibus. Dominium & regia potestas in Christi regno spirituali non communicatur Vicariis, sed residet in solo Rege Christo; licet in administratione regnorum terrenorum, & appellationem & potestatem regalem hominibus impertiat Deus; Ideo Christus est Rex Regum & Dominus dominantium, Politicorum, non Ecclesiasticorum. Si quis autem de clero in aliquos Dominium obtineat, id non habet ex potestate Ecclesiastica, sed ex potestate politica, puta si regionis alicujus sit dominus; vel œconomica, si nempe servos habeat mancipiorum nexu illi adstrictos, sicut olim *Philemon*, & alii. Quamvis alio sensu, nempe intuitu regni interni atque æterni, omnibus Christianis communis sit honor regalis. Luc. 12: 32. 2 Tim. 2: 12. 1 Pet. 2: 9. Apocal. 2: 26. & 3: 21. & 5: 10.

CAPUT

CAPUT III.

De potestate Diaboli, & Antichristi, & Tyranni, &c.

Rom. 13: 1. I. NON est potestas nisi à Deo, inquit Apostolus, atque hinc colligit necessitatem subjectionis; quid igitur dicemus de potestate Diaboli, & Antichristi, &c. Respondeo, certum est loqui Apostolum illo capite ad Rom. 13. de potestatibus politicis: & alibi, quando subjici jubemur ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις Tit. 3: 1. intelliguntur politicæ potestates, non autem potestas diabolorum, quos tamen Scriptura appellat ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας, Ephes. 6: 12. Illa igitur ratio, Rom. 13. eodem recidit cum verbis illis apud Danielem, cap. 4. Dan. 4: 14, 22, 29. *Dominatur Excelsus super regnum hominum & cui vult, dat illud.* Nempe ut subditi simus etiam impiis principibus hominibus, quoniam Deo visum est eos in regali solio collocare. Eadem ratio valet etiam pro obedientia debita potestatibus Ecclesiasticis legitimis: non autem pro illegitima potestate. Vide 2. sent. dist. 44.

II. Potestas Regia, & potestas pastoralis, divinitus institutæ sunt; ideo sive probus sit, sive improbus, potestate instructus legitima, ei subjectio debetur. Potestas verò illegitima non est à Deo instituta, quamvis Deo permittente existat, neque ei subjici jubemur. Potestas Regia legitima est, & à Deo; quamvis Rex potestate sua abutatur ad tyrannidem: neque propter tyrannicam administrationem deneganda est Regi legitimo subjectio & innocua obedientia. At verò tyrannica usurpatio, sive injusta alieni regni aut liberæ reipublicæ invasio, non est potestas legitima, licet Deo permittente fiat invasio, neque tenentur cives obedire tali tyranno, sed è contrario debent ei usque ad sanguinem resistere, pro libertate patriæ, quamdiu retinendæ libertatis spes superest; ne infami proditionis crimine se commaculent. At verò quando eo ventum est, ut retinendæ libertatis spes omnis adempta sit, & necessariò subeundum sit invasoris jugum, & ille jam populi subacti consensu regnare cœperit; non est illi deneganda subjectio & obedientia in eis quæ sine peccato præstare possis; quia illegitima potestas jam mutata est in potestatem legitimam, tyrannica usurpatio in titulum regium. Hinc illa Hispanorum synodalia decreta, pro salute & incolumitate Regum suorum Gothicorum, & exhibenda eis subjectione & obedientia legitimis debita Regibus: in Concilio Toletano quarto, cap. 75. anno Dom. 633. & Concil. Tolet. 5. cap. 2. & aliquot seqq. capp. anno Dom. 636. & Concil. Tolet. 6. cap. 18. anno Dom. 638.

IV. In Ecclesiasticis autem & religiosis quædam sunt potestates legitimæ; quibus parendum est; quædam illegitimæ. Dicitur autem illegitima potestas, vel personæ vitio, vel rei. Illegitima per defectum personalem erat potestas eorum, qui se dicebant Apostolos, nec erant tamen, Apocal. 2: 2. Quo etiam modo eorum omnium illegitima est potestas, qui idonea vocatione destituti currunt non missi, usurpantque in Ecclesia Dei munus pastorale. Potestas autem illegitima est vitio rei, seu propter naturam ipsius potestatis, quando ea est ipsius potestatis natura, ut in meta ἀνομία fundetur, & impietatem pro basi habeat, ejusque propria ratio formalis sit mera impietas, adeo ut reformari & à vitiis repurgari nequeat, sed penitus tollenda sit atque abolenda: qualis est potestas ea Papalis, qua se hodiè jactat Papa Romanus: tametsi enim repurgari & reformata retineri potest potestas Episcopalis Episcopi Romani, & innoxio sensu retineri posset vocabulum Papa; potestas tamen qua se jactat Vicarium Christi in terris, caput sponsumque universalis Ecclesiæ, supremum in terris & infallibilem (fallere in cathedra Papali fallive nescium) omnium de religione controversiarum judicem, nulli hominum judicio obnoxium, Reges & principes se posse regnis, principatibus, & vita ipsa privare, eorumque subditos à juramento fidelitatis absolvere; hæc, inquam, Ecclesiastica potestas reformari nequit, sed tolli debet, est enim Antichristiana, ex mera impietate conflata. Talis etiam est potestas Muphti, & Calipharum inter Muhammedanos. Imperium quidem Regis Turcici Politicum legitima est potestas, cui subjici debent subditi; & quamvis Christianus fieret, retineret tamen regalem suam potestatem: at Muphti & Caliphæ non possent retinere suam potestatem, quia eam obtinent ut antistites certæ cujusdam religionis, quæ pestifera est superstitio: itaque eis ut talibus qui se submittit, participem se facit superstitiosæ illius impietatis.

IV. Meminisse porro semper oportet, etiam legitimam habenti potestatem obediendum non esse in eis, quæ contra Deum aut Dei legem fieri jusserit. Neque in hoc Dei ordinationi resistimus, sed obtemperamus. Nam Deus præcepit, ut in malis, (quæ sunt moraliter mala, seu lege Dei prohibita,) nulli potestati obediamus. Quod cum *Augustino* repetit *Lombardus* 2. sent. dist. 44. C. Act 5: 29.

CAPUT IV.

De jure Regis, & Regni.

I. NON hic disputamus, utrum liceat Christiano regnare super Christianos; nam etsi à fanaticis quibusdam lis ea de re mota sit, sani tamen omnes agnoscunt, potestatem & authoritatem magistratus esse ex ordinatione Dei, principesque esse ministros Dei, constitutos in terrorem eorum qui faciunt mala, & ad tutelam, laudemque rectè se gerentium; omnesque subditos superioribus hisce potestatibus subjectionem, honorem, & reverentiam debere, etiam propter conscientiam, Rom. 13. & 1 Pet. 2. &c. Necessitatem regiminis ipsa natura docet, exemplo familiarum, omniumque aliarum societatum rectè ordinatarum. Quam dolenda Israëlitarum conditio illo tempore, de quo dicitur, In diebus illis non fuisse Regem in Israële, fecisse autem unumquemque id quod rectum videbatur in oculis suis? Jud. 17: 6. & 18: 1. & 21: 25. Populus sine regente, est similis gregi sine pastore, nam rectores populorum assimilantur pastoribus. Psal. 78: 71, 72. & luci matutinæ, 2 Sam. 23: 4. & spiritui narium populi, Thren. 4: 20. Deus opera sua condidit & disposuit decoro ordine; jubet in Ecclesia sua omnia fieri ordine & decenter; & in omnibus decorum ordinem diligit, non enim est confusionis Deus, sed pacis, 1 Cor. 14: 33. 1 Cor. 14: 40.

II. Neque hîc quærimus de optimo reipublicæ statu, sitne in populari authoritate, an in potestate optimatum, an in principatu mistus. Neque de monarchis disserimus, præstetne habere successivos, an electivos. Nobis Scotis dedit Deus Reges successivos, qualis erat olim status reipublicæ Israëliticæ, temporibus illis quibus maxime florebat ea respublica.

III. De potestate principis politici circa *Sup.cap.2.* res Ecclesiasticas jam in superioribus disseruimus.

IV. Nunc autem disquisitionem instituimus de potestate Regis politici etiam in rebus politicis. Huic quæstioni occasionem præbet ambiguitas Hebraici vocabuli *Mischpat* מִשְׁפָּט 1 Sam. 8: 9, 11. ubi Deus jubens Samuelem auscultare populo Israëlitico Regem petenti, simul imperat, ut contestetur contra rebellem illum populum, & indicet eis מִשְׁפָּט *Mischpat* Regis regnaturi super eos; Samuel *1 Sam. 8: 11. & seq.* de verbis Domini populum reddit certiorem, & ait; *Hoc erit* מִשְׁפָּט Mischpat *Regis qui regnaturus est super vos; filios vestros tollet, & ponet eos sibi in curribus suis, & equitibus suis, & curreat ante currum ejus, ponet quoque sibi tribunos, & quinquagenarios, & ad arandum arationem suam, & ad metendum messem suam, & ad faciendum vasa bellica sua, & instrumenta curruum suorum. Filias præterea vestras tollet pro unguentariis & coquinaria & panificis. Agros insuper vestros & vineas vestras, & oliveta vestra optima accipiet, dabitque servis suis. Et de seminibus vestris & vineis vestris, capiet decimas, & dabit Eunuchis suis, atque servis suis. Servosque vestros & ancillas vestras, juvenesque vestros optimos, & asinos vestros tollet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros decimabit, & eritis ei servi. Et clamabitis die illa à conspectu Regis vestri, quem elegeritis vobis, & non exaudiet vos Dominus die illa.* 1 Sam. 8. Et postea eodem libro legitur; *Et loquutus est Samuel ad populum* æth mischpat אֶת מִשְׁפַּט *regni, scripsitque in libro, & reposuit coram Domino*, cap. 10. vers. 25.

V. Quæritur de interpretatione vocabuli מִשְׁפָּט *Mischpat*, quidnam hoc loco significet, utrum jus legitimum hac voce, an tyrannica atque injusta licentia seu legitimæ potestatis injustus abusus, intelligi debeat.

V. Interpretes Græci verterunt, *τὸ δικαίωμα τοῦ βασιλέως*. 1 Sam. 8. & *τὸ δικαίωμα τῆς βασιλείας*, cap. 10. Lat. vulg. & *Luther.* & *Pagnin.* & alii *jus Regis*, *jus regni*. *Tremellius* autem & *Junius* verterunt *rationem Regis*. 1 Sam. 8. & remittunt lectorem ad 1 Sam. 2: 13. ubi in Hebraico textu legitur וּמִשְׁפַּט הַכֹּהֲנִים *Trem.* & *Jun. ratio autem sacerdotum.* & in notis, id est, *forma quam servabant, non lege, sed nefaria usurpatione & præsidentia auctoritatis suæ; Sic 1 Schem.* 8, 9. & 11. & 1 *Reg.* 18: 28. Hæc *Tremellius* & *Junius*. Græci autem locum illum, 1 Sam. 2: 13. verterunt, *τὸ δικαίωμα τοῦ ἱερέως*, Vulg. lat. *Officium sacerdotum.* Pagn. *Consuetudo sacerdotum cum populo.* Luth. *Jus sacerdotum.* Non existimans, jure fecisse filios *Eli*, sed ait eos non curasse jus sacerdotum. *Junius* autem & *Tremellius*, 1 Sam. 10: 25. verterunt, *jus regni*. Interpretes nostri Angli, in nupera illa Jacobæa versione, verterunt. 1 Sam. 8. *The manner of the King.* & cap. 10. *The manner of the Kingdome;* id est, *morem Regis*, & *regni*: q. d. hac forma & in hunc modum dominabitur vobis Rex vester; sic utetur potestate sua regia. Et 1 Sam. 2: 13. verterunt, *And the priests custome with the people was*, id est, *& consuetudo sacerdotum cum populo erat.* Sicut vertit *Pagninus*: quæ haud dubie simplicissima est & textui illi congruentissima versio. In loco autem altero illo, quem citarunt *Tremellius* & *Junius*, 1 Reg. 18: 28. sermo est de sacerdotibus Baalis idoli, de quibus dicitur, quod in illa contra Eliam concertatione, invocantes idolum suum, clamaverint voce magna, & inciderint se cultris & lanceolis, usque ad sanguinis effusionem, כְּמִשְׁפָּטָם *Kemischpatam*, Græcè; *κατὰ τὸν ἐθισμὸν αὐτῶν*, Lat. Vul. *Juxta ritum suum.* Pagn. *Juxta morem suum.* Luther; *Nach ihrer weise*, id est, *Juxta morem suum.* Angli, *Efter their manner*, id est, *Juxta morem suum.* Hanc enim esse significationem vocabuli, eo in loco manifestum est. His adde alium locum, etiam clarissimum, 1 Sam. 27: 11. ubi scribitur, quod David, dum in terra Philistinorum commoraretur, excursiones fecerit in Gessuritam & Girzitam & Amalekitam, nemini parcens, ac ne fœminas quidem relinquens vivas, ne fortè nunciarent Philistinis, & dicerent, sic fecit David וְכֹה מִשְׁפָּטוֹ Gr. *τοῦτο τὸ δικαίωμα αὐτοῦ.* Lat. vulg. *Hoc erat decretum illi*; Pagn. *Et sic fuit consuetudo ejus.* Luther. *Und das war seine weise*, id est, *& hic erat mos ejus.* Angli; *And so will be his manner*, id est, *& sic erit mos ejus.* Item alium locum æque manifestum; *Joseph* in carcere ait pincernæ Pharaonis; dabis calicem Pharaoni in manum ejus, כַּמִּשְׁפָּט הָרִאשׁוֹן אֲשֶׁר הָיִיתָ מַשְׁקֵהוּ, Pagn. Luther. Angl. *Secundum consuetudinem priorem, quando eras pincerna ejus.* Genes. 40: 13. Est & alius apertus locus in libro Judicum, cap. 18: vers. 7. ubi dicitur populus in oppido *Lais* habitasse confidenter, absque ullo timore, כְּמִשְׁפַּט צִדֹנִים, Lat. vulg. Luther. Pagn. Angl. *Juxta consuetudinem Sidoniorum*, sive, *more Sidoniorum.* Item 2 Reg. 1: vers. 7. ait Rex Achazias, interrogans servos suos de Elia, מֶה מִשְׁפַּט הָאִישׁ, Græc. *τίς ἡ κρίσις*, Lat. vulg. *cujus figuræ & habitus est vir ille qui occurrit vobis?* Pagn. &; Luth. & Angl. *Qualis forma est viri?* Vide Jerem. 30. vers. 18. &c.

VII. Ex locis citatis, eorumque collatione manifestum est, nos non cogi vi vocabuli מִשְׁפָּט *Mischpat*, ad intelligendum jus legitimum 1 Sam. 8. cum constet significari sæpe hac voce morem & consuetudinem, & interdum etiam illicitum nefariumque morem, ut 1 Sam. 2: 13. & 1 Reg. 18: 28. & violentam grassationem 1 Sam. 27: 11.

VIII. Ad rem ipsam igitur, de qua, 1 Sam. 8. agitur, propius accedamus. *Tremellius* & *Junius* videntur intellexisse cap. 10. aliud *mishpat* regni, diversum ab eo, quod cap. 8. appellatur *mishpat* Regis. Nam cap. 10. verterunt *jus regni.* Sed ad præsentem quæstionem nihil interest, sive idem utrobique intelligatur *mishpat*, sive diversum. Manet enim adhuc eadem dubitatio., quodnam & quale sit illud *mishpat* quod describitur cap. 8.

IX. Audio quosdam contendentes, describi illic jus licitum, hoc argumento, quia, inquiunt, casus incidere possunt, in quibus liceat Regi ista omnia facere, nempe erga sontes & convictos criminum; tales enim potest ad servitutem damnare, agris privare, omnibusque iis modis coërcere, qui à Samuele enumerantur. At istud argumentum invalidum est, & à proposito alienum; Non enim nunc quæritur quo supplicio posset Rex punire sontes, hoc enim lege judiciali

ciali per Moysem lata jam ante constitutum erat; ubi etiam morti adjudicantur quidam fontes. Eosque puniendi potestas datur judicibus, sive esset Rex aliquis, sive nullus eo titulo præesset. Judicibus, inquam, non modo extraordinariis, ut Senatui 70. seniorum, item præfectis tribuum, & oppidorum, & pagorum, judicibusque oppidatim constituendis, Exod. 18: 25, 26. & cap. 22: 9, 18, 19, 28. & cap. 23: versib. 3, 6, 7, 8, 9. Levit 24: 16, 17, 18, 19. Num. 11: 16, 17. Deut. 16: 18, 19, 20. & cap. 17. vers. 8, 9, 10, 11, 12, 13. Atque si quando Rex regnaret in Israele, eadem lex Regi ponitur, quæ posita est judicibus, Deut. 17. vers. 14. & seqq. Samuel anniversario facto circuitu, diversis in locis judicabat Israëlem, 1 Sam. 7: 16. judicavit autem rectum judicium, non pervertit judicium, sicut postea fecerunt filii ejus, sed sincerè & justè secundùm Dei legem jus administrabat. Justæque administrationis testimonium dedit ei populus, coram Deo, & coram Rege Saulo, 1 Sam. 12. Absit ut credamus concessam esse à Samuele aliisque piis judicibus impunitatem scelerum: aut Samuelem in spe impunitatis ac licentiæ collocare fœlicem populi statum: aut miserum illum pronunciare statum populi, quando secundùm æquissimas leges coërcentur mali, ut tranquillius vivant boni. Præterea quædam hic ponuntur, quæ Rex facturus sit contra legem, nam agros Israëlitis adimere non licebat, nisi forte ad tempus: neque eos in servitutem redigere, ut mox clarius demonstrabo. Adhæc nulla in textu fit mentio fontis, sed universo populo, sine discrimine nocentium vel innocentium, neque sub conditione, si delinquant, sed absolutè dicitur, Regem ad hunc modum illis dominaturum. Distinctio igitur ista gratis adinventa est, nullo nixa fundamento in textu Samuelis; neque ei congruens. Porro ait Samuel, clamaturum populum ad Dominum à conspectu Regis sui; absurdum vero esset, ut populus clamaret ad Dominum, propterea quod Rex ipsorum jus administraret secundùm legem Dei. Clamoris hujus caussam haud dubiè intelligit calamitatem & oppressionem. Nam alioqui, vigente & obtinente justitia secundùm Dei legem, populus lætatur, sicut evenit in diebus Davidis, & Salomonis. Facere justitiam & judicium, magis est gratum Domino, quàm sacrificium, Prov. 21: 3. Rex in judicio stabiliet terram; Vir autem qui suscipit dona, diruet eam. Prov. 29: 4. Regis, qui judicat in veritate pauperes, thronus in æternum firmabitur. Prov. 29: 14. Beata tu terra, quando Rex tuus filius est nobilium, & Principes tui in ipso tempore comedunt, propter robur & non propter potationem, Eccles. 10: 17. Rex justus Pastor est populi, est lux populi, & spiritus narium ipsorum. Psal. 78: 71, 72. & 2 Sam. 21: 17. & cap. 23. vers. 3, 4. Thren. 4: 20.

X. Dico igitur, hic intelligi violentum Regis morem, quo injustè usurus erat. Quod sic
1. probo; Samuel exemplum in se præbens boni rectoris, docet, iniquum esse, nec fas esse Principi, tollere bovem cujuspiam subditorum, aut asinum ejus, aut vim cuiquam inferre, 1 Sam. 12. ergo multò magis iniquum est tollere eorum filios & filias, eosque per vim abducere, & operi adhibere. Exceptio fontium hic aliena est, nec idonea, uti jam ostendimus. Nam fontes puniendi erant secundùm leges, non autem in Regis servitio vivere debebant. Et boni Regis erat non pati in suo famulitio homines improbos. Psal. 101. Samuel hoc loco sine discrimine ostendit modum regiminis, quo usurus erat Rex erga populum universum: hoc ipso fretus, quod eos haberet sibi subditos, eisque ipse præesset cum legitima potestate Regia; qua injustè abusurus erat, & populum vexaturus injustis gravaminibus. In quibus & hoc gravamen ponit Samuel, quod filios filiasque, item servos & ancillas, & asinos eorum sumpturus erat; imperiosè scilicet arbitratu suo, & operi suo adhibiturus, nil curans, neque exspectans consensum parentum, aut dominorum. Nam clamor ad Deum ostendit violentam invitorum spoliationem.

XI. Lege Dei cautum erat, ut unicuique tribui, & quoad ejus fieri posset, etiam unicuique familiæ, & unicuique homini in singulis tribubus, maneret sua sors, seu portio terræ, quæ majoribus forte contigerat: ac ne paupertate ad venditionem compulsi Israëlitæ, perpetuò excluderentur à fundo suo, sed eum recuperarent sine pretio, ad annum Jubilæum. Levit. 25: 23. & seqq. Num. 27: 8, 9, 10, 11. & cap. 36: 6, 7, 8, 9. Unde constat, non iniquè nec inciviliter fecisse *Nabothum*, Jezreelitam, retinendo sibi vineam suam, quam Rex *Achab* sibi vendi postulabat, Iniquissimè autem fecisse *Achabum* Regem, non solum in eo quod injustè occiderit *Nabothum*, sed etiam in eo quod ejus vineam sibi vendicaverit. Nam utroque nomine reprehenditur à Domino, 1 Reg. 21: 19. *Occidisti & etiam possedisti*. Addo, etiamsi nocens fuisset *Naboth*, & jure occisus, non tamen licuisse Regi *Achabo* vineam ab hæredibus Nabothi intercipere. Nam lege illa impediebatur, quæ lata erat de perpetuitate fundorum patrimonialium in ea Republ. locis jam citatis. Quando igitur ait Samuel, de Rege regnaturo super Israëlitas, sumpturum illum agros eorum, & vineas eorum, & oliveta eorum optima, eaque daturum servis suis, haud dubiè tyrannicum intelligit & injustum potestatis regiæ abusum. Perpetua & universalis est illa lex, quæ exstat apud Ezechielem, per quam exponitur lex olim per Moysen lata, Deut. 17. Verba Domini apud Ezechielem sunt; *Non accipiet princeps de hæreditate populi, opprimendo eos de possessione ipsorum, sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis, ut non dispergatur populus meus, quisque à possessione sua*, Ezech. 46: 18. Nunc quidem, fateor licere principibus Christianis, subditos suos perduellionis compertos etiam agris mulctare: manet tamen moralis æquitas veteris illius legis, ut est per Ezechielem exposita. Et Samuel non alloquitur perduelles in Regem illum regnaturum, sed alloquitur universum populum, quibus etiamsi officiosissimi forent subditi, hanc tamen prænuntiat obventuram calamitatem, ut Rex, calcato jure, eos avitis exuat patrimoniis, per tyrannicam & iniquam licentiam, ut gratificetur suis assectis.

XII. Ejusdem farinæ est, quod subjungitur; 3.
Et de seminibus vestris & vineis vestris capiet decimas, & dabit Eunuchis suis atque servis suis. Ex ista parte clarè evincitur, *mishpat* istud, de quo loquitur Samuel, non restringi ad punitionem facinorosorum, sed promiscuè intelligendum esse erga universum populum, aut quemlibet de populo, pro arbitrio Regis. Posita Regi à Deo lex erat, ut neque argentum neque aurum multiplicaret sibi valde, Deut. 17: 17. ubi non est prohibita necessaria illa & laudanda cura ærarii publici; sed avaræ exactiones & inhonesta lucri cupido: ne scilicet appeteret Rex

 di-

ditescere subditorum damno, sed populi potius, quem pascendum ac tutandum acceperat, commodis studeret: non autem ad explendam vel suam vel aulicorum suorum avaritiam, aut ad sufflamminandam pompæ aulicæ superbam vanitatem, subditos iniquis exactionibus, & injustis oneribus gravaret, & expilaret. Tale autem gravamen hic intelligit Samuel, ut patet cum ex decimationis hujus cùm reliquis *τῦ mishpat* partibus collatione; tum etiam ex populi lamentabili clamore ad Dominum, propter hoc *mishpat* Regis: item ex decimationis hujus examine ad legem Dei. Decimatio enim ista non magis est licita ex verbis Samuelis, quam agrorum ademptio; clamor autem populi docet esse violentam: neque eam admittit lex Dei; nam præter rationem jam allatam, ex cap. 17. Deut. constat etiam decimas Levitis & sacro cultui lege Dei adjudicatas esse, & primitias sacerdotibus. Jam quis non videt, gravamen esse importabile, si præter primitias, & decimas sacras, Rex etiam exigat adhuc alias decimas, idque non ex aliqua tutandæ Reipubl. necessitate, tempore aliquo calamitatis aut periculi insolentis & extraordinarii, sed pro sua libidine, ut Eunuchos suos ditet, & mancipia aulica saginet? Etsi negare non possumus præbenda esse Principi à subditis ea ex agris aliisque bonis suis subsidia, quæ & Principis dignitas, & populi utilitas, & communis æquitas postulant.

4. XIII. *Et eritis ei servi:* inquit Samuel. Hoc etiam haud dubiè tyrannicum est. Nam hic intelligitur misera & dura servitus, extorquens servientibus miserabilem clamorem: nam ait; *Et clamabitis die illa à conspectu Regis vestri, quem elegeritis.* Sicut olim Israëlitæ Ægyptiaca servitute pressi, dicuntur suspirasse & vociferati esse. Exod. 2: 23 Legem tulit Deus per Mosem, ut Israëlitæ non venderentur venditione servili, eo quod Dei servi essent, qui eos eduxerat de terra Ægypti. Ideo si quis Israëlita paupertate compulsus venderet se fratri suo, præcipitur emptori, ut fratris illius opera non utatur, tanquam opera servi; sed servire eum sinat tanquam mercenarium, & tanquam incolam seu advenam, usque ad annum Jubilæum, & eo anno liberum dimittat, ut revertatur ad familiam suam, & ad possessionem Patrum suorum. Et tempore servitii ejus prohibetur emptor dominari ei durè, quemadmodum licebat dominari in servos & ancillas gentiles. Levit. 25: 39. & seqq. Septimus autem quisque annus erat instar Jubilæi quoad hoc negotium: nam peracto sex annorum servitio, Israëlita dimittendus erat, secundùm legem, Exod. 21: 2. Deut. 15: 12. Et speciatim Regi præcipitur, *Ne elevetur cor ejus supra fratres ipsius, neque declinet à præcepto, ad dextram, aut ad sinistram.* Deut. 17: 20. Et lex illa de servis Hebræis septimo anno dimittendis, reperitur à Propheta *Jeremia*, ostenditurque ad omnes etiam Principes Regemque ipsum pertinere, Jerem. cap. 34.

XIV. Tria erant Israëlitis concessa genera servientium. 1. Mancipia ex gentibus. 2. Fratres venditi. 3. Liberi mercenarii; In quo ordine censentur etiam ministri illi & satellites aulici, qui honorum & opum (præmiorum aulicorum) dulcedine allecti, appetunt libenterque obeunt ministeria aulica. Tertio isti ordini non durum, sed gratum erat servitium. Secundo ordini non durum erat, sed neque expetendum servitium. Primo ordini durum erat servire. Primi ordinis hominum erant verè Domini, qui tamen eos clementer habere tenebantur, ut constat ex quarto præcepto; & lege illa, Exod. 21: 20. Per *mishpat* Regis, Israëlitas sibi servos facientis, non intelligitur tertium genus servium: nam lætantur mercenarii, quando inveniant qui eorum utatur opera, mercedemque solvat: non autem præ dolore clamant. Non secundum genus, nam hoc genus in usu erat etiam ante Samuelis tempora, & erat hoc *mishpat* cujuscunque civis, cui se frater aliquis venderet, non minusquam Regis: Neque erat populus se vendiditurus Regi: Neque erat, cur aliquis sui venditor exclamaret à conspectu emptoris, nisi emptor ei injustè ac asperè dominaretur contra legem, aut ultra præscriptum tempus in servitute detineret. Non primum, quia loquitur Samuel, non de gentilibus, sed de Israëlitis: quos Rex non empturus, sed pro imperio sumpturus erat in servos, contra jus, ac si essent gentiles; à qua tamen tyrannide pii Reges abstinuerunt.

XV. Satietas quidem cepit populum & tædium continuorum subsidiorum, ad tot tamque magnificas ædificationes, tempore Salomonis; seu potius sub extrema sua tempora Salomon delubra idolis ædificans, iniquis oneribus populum gravavit. 1 Reg. 11: 7, 8. & 12: 4. initio tamen regni sui Salomon, ipsum Dei templum exstructurus, adhibuit ministeriis servilibus, non Israëlitas, sed alienigenas, qui erant in terra Israëlis numero centies & quinquagies mille, & ter mille, & ter centum. Idque fecit consilio & exemplo Patris sui Davidis, 1 Paralip. 22: 2. & 2 Paralip. 2: 17, 18. Etsi liberalioribus negotiis & præfecturis adhibuit etiam quosdam ex Israëlitis, 1 Reg. 5: 13. Atque hinc colligere possumus quintum genus servientium: nam in negotio domus Dei seu religionis, & in negotio Reipublicæ, omnis civis operam debet, quando eam Ecclesiæ aut Reipublicæ necessitas vel utilitas exposcit. Ideo jure potest Rex subditos suos cogere ad subveniendum laboranti Ecclesiæ, aut Reipublicæ. Idemque poterant olim judices ante Saulum Regem, eademque potestas cernitur in congregatione tribuum, tempore belli Benjamitici, Judic. 21: 8. & seqq. Neque hoc officium quisquam civium pro sua statione defugere, aut à se alienum existimare debet. Unde patet, neque istud genus servientium intelligi in hoc *mishpat* Regis apud Samuelem, cap. 8. sed iniquam oppressionem; quomodo Rex *Asa* legitur oppressisse quosdam de populo, 2 Paralip. 16: 10. Et *Achab* Rex oppressit *Nabothum*, 1 Reg. 19. aliique Reges & Principes Israëlitarum eos iniquissimè afflixerunt, eisque asperè dominati sunt, tanquam leones rugientes, & ursi esurientes, & tanquam lupi vespertini, Prov. 28: 15. Ezechiel. 22: 27. Zephan. 3: 3. Mich. 3: 1, 2, 3, 4.

XVI. Perpetua erat lex posita Regibus, ut attenderent legi per *Mosem* latæ, ut librum Moysis apud se haberent, & statuta ibi conscripta diligenter & præcisè observarent, non declinantes vel ad dextram, vel ad sinistram, Deut. 17: 18, 19, 20. à qua lege neque *Samuel*, neque alius quispiam Prophetarum concessit Regibus exemptionem. Ideo *David* Rex ait, Dominum præcepisse statuta sua ut custodiantur valde, oratque ut firmentur viæ ejus ad custodiendum statuta Domini: tunc enim se pudore non affectum iri, quum respexerit ad omnia præcepta Dei. Psal. 119. *Aleph.* Et filio suo *Salomoni* dixit, *Tunc prosperè ages, quum custodieris & feceris præcepta & judicia quæ præcepit Dominus ipsi Moysi ad Israelem,* 1 Paralip. 22: 13.

XVII.

XVII. At, dices, quum eadem æquitatis lege obligentur Reges & alii judices, eamque legem transgredi possint etiam alii judices, & ipso opere transgressi jam essent Filii *Samuelis*, cur denunciat Deus speciatim oppressionem per iniquitatem Regum? Resp. 1. quia lubricus magis locus est, & proclivior lapsus ad fastum & injustitiam, difficiliusque est homini infirmo & peccatori modum servare in tam excelso dignitatis fastigio, cum tanta eminentia potestatis, & constantia autoritatis, & potentia Majestatis. 2. Quia Deus prævidebat, quosdam Reges abusuros sua potestate, & injustè oppressuros populum illum; eratque id ipsum Deus justo judicio permissurus, ad castigandum præcipitem illum & ingratum populum; Ideo dicit Samuel populo, *Clamabitis die illa à conspectu Regis vestri, quem elegeritis vobis, & non exaudiet vos Dominus die illa*, 1 Sam. 8. Vide Job. 34: 29, 30. Esai 3: 4, 5. Primus Rex *Saulus* tyrannicè abusus est sua potestate, contra jus & fas, neci dedens sacerdotes, omnesque incolas civitatis *Nob*, sine ullo sexus aut ætatis discrimine immanissimè trucidans; & Davidem truculentissimè persequens, usque adeo ut non solum ipse David cum suis sociis, sed & grandævi ejus parentes coacti sint solum vertere, 1 Sam. 22: 3. *Manasses* Rex crudelissimè aliquot annos grassatus est, & alii Reges Judæ, & Reges Israelis multum sanguinis innocui effuderunt.

XVIII. Dicebam culmen regum esse locum valde lubricum, nam certè magna est ad superbiam & licentiam tentatio, posse facere quod
Eccles. 8. 3, 4. velis, nemine audente repugnare: ideo pro Re-
1 Tim. 2:2. gibus diligentissimè orandum est. Ipse pientissimus David aliquando expertus est loci hujus lubricitatem in negotio Uriæ. Vide quæ annotavi in Commentar. Patris mei, in Apocalypsin. cap. 18. sect. 10.

XIX. Quamvis easdem communis justitiæ leges teneantur observare Reges, aliique præfecti; Regum tamen sublimior est dignitas, eminentior potestas, constantior autoritas, & potentior Majestas, etsi omnia ista non eximunt Reges à communi illa æquitatis lege: nam cum multa possint, nihil tamen juste faciunt, nisi quod est consentaneum æquitati, & legi Dei.

XX. Optimus quidem Reipublicæ status est in Monarchia, si Rex Deum timeat, neque à mandatis Dei deflectat ad dextram vel ad sinistram; nec efferatur tyrannico fastu, & despicatui non habeat fratres suos; sed meminerit se hominem esse, servumque Dei, cui rationem redditurus est suæ administrationis. At propter excellentem loci illius sublimitatem opus habent Reges excellenti vigilantia, ne potestate sua abutantur. Liberi enim & supremi Regis tam sublimis est dignitas, ut ultra eam humani honores non habeant quo progrediantur. Neminem habet in toto Regno parem; uni omnes subjecti sunt, unum omnes reverentur & adorant, uni omnes obediunt. Magna est potestatis regiæ eminentia, nam in uno Rege potestas publica unita residet, leges ferendi, easque exsequutioni mandandi, & in eis dispensandi, &c. uni homini potestas est in omnium civium capita & fortunas. Constans est Regis autoritas: nam non solum ad posteros suos hæreditario jure transmittit jura regia, sed ipse quoque etiamsi impius sit, & injustus, suaque potestate scelerate abutatur, sicut fecerunt *Manasses* & *Nero*, non tamen desinit esse Rex, neque cadit potestate regia; sed subditi debent ei constantem subjectionem & reverentiam, Rom. 13. & 2 Tim. 2. & Tit. 3. &c. David Saulum Regem persecutorem suum, multisque sceleribus contaminatum, agnovit constanter pro Rege Israelis. Impiis Judæorum & Israelitarum Regibus pii cives non denegabant honorem, & jura regia. Denique magna est *Prov.* 16
Majestatis regiæ potentia, tanta enim hominum 14, 15. &
animos Majestatis reverentia ipsa devinxit re- *cap.* 19
ligio, sensusque communis mortalium, ut mul- *vers.* 12.
titudini civium unius Regis nomen formidabile & *cap.* 20:
sit, si irascatur: potentiam etiam habet cum po- *vers.* 8,
testate conjunctam, id est, Majestatem habet 26. &
legibus armatam, & armis decoratam, ut ei *cap.* 30:
nemo audeat aut possit resistere. Non mirum *vers.* 31.
igitur si infirmi homines, tantis subvecti præro- *Eccles.* 8.
gativis, se difficulter intra limites contineant. 2, 3, 4.
Dixit *Agamemnon*, apud *Sophoclem*, in Ajace Mastigophoro,

Τόν τοι τύραννον εὐσεβεῖν οὐ ῥᾴδιον.

Id est,

Regem certè colere pietatem, haud facile est.

Sed magis est pulchrum, quam difficile, Christiano & pio Principi, officium facere, semperque meminisse, se Dei esse ministrum, ejusque legi & æquitati subjectum, ne potestate sua abutatur.

XXI. Magna erat Apostolorum potestas Ecclesiastica, *Paulus* tamen Apostolus profitetur, potestatem illam sibi à Domino datam esse, ad ædificationem, non autem ad subversionem Christianorum. 2 Cor. 10: 8. & 13: 10. Item, se non posse quicquam contra veritatem, sed pro veritate. 2 Cor. 13: 8. Ita etiam Rex agnoscat, potestatem sibi datam esse à Domino, non in subversionem, sed ad ædificationem; non ad oppressionem, sed ad protectionem subditorum; omnia quidem se posse pro æquitate, sed nihil contra æquitatem. Bene *Ulysses*, *Agamemnoni*, apud *Sophoclem*, in Ajace Mastig.

Μηδ' ἡ βία σε μηδαμῶς νικησάτω
Τοσόνδε μισεῖν, ὥστε τὴν δίκην πατεῖν.

Id est,

Neque vis te ullo modo exsuperet
Atque ita accendat odio, ut jus calces.

XXII. Rescriptum est *Theodosii* & *Valentiniani* Imperatorum; Digna vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. Adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas, & revera majus imperio est submittere legibus Principatum. Et oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. Dat. 3. Idus Jun. Ravennæ, *Florentino* & *Dionysio* Consulibus. Hæc illi lege 4. Cod. de legibus & constitutionibus Principum & edictis.

XXIII. *Ambrosius* Episcopus Mediolanensis, ad *Valentinianum* Augustum scribens, de lege quadam ab illo lata; Quod, inquit, cum præscripsisti, aliis præscripsisti & tibi; leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat. *Ambros.* lib. 2. epist. 13.

XXIV. Et *Claudianus* Poëta, in Panegyri de quarto consulatu *Honorii* Augusti, qui filius erat *Theodosii* senioris Augusti, sic introducit *Theodosium* Patrem monentem filium suum,

——— ——— *tunc omnia jure tenebis,*
Quum poteris Rex esse tui: proclivior usus
In pejora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrena favet; tunc vivere castè
Asperum, quum prompta Venus: tunc durior ira

Con-

Consulimus, quum pœna patet. Sed comprime motus:
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat; mentemque domet respectus honesti.

Et paulo post ibidem;

Qui terret, plus ipse timet: sors ista tyrannis
Convenit: invideant claris; fortesque trucident;
Muniti gladiis vivant, septique venenis
Ancipites habeant arces, trepidique minentur:
Tu civem Patremque geras; tu consule cunctis,
Nec tibi; nec tua te moveant sed publica vota.
In commune jubes si quid censesque tenendum,
Primus jussa subi: tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, quum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.
His tamen effectis, nec fastidire minores,
Neu pete præscriptos homini transcendere fines.
Inquinat egregios adjuncta superbia mores.

Item,

—— Annales veterum delicta loquuntur,
Hærebunt maculæ. Quis non per sæcula damnat
Cæsareæ portenta domus? Quem dira Neronis
Funera? Quem rupes Caprearum tetra latebit
Incesto possessa seni? victura feretur
Gloria Trajani, non tam quod Tigride victo,
Nostra triumphati fuerat Provincia Parthi,
Alta quod invectus stratis capitolia Dacis,
Quam Patriæ quod mitis erat. Ne desine tales
Nate sequi.

Hæc apud *Claudianum Theodosius.*

XXV. Nullum Reipublicæ interituræ majus argumentum *Platoni* visum est, quam si Magistratus legi, non Magistratui lex imperet. Hanc *Platonis* sententiam refert *Joannes Bodinus* in Methodo historiæ, cap. 6. *Regnantis est gloria, subjectorum otiosa tranquillitas.* Inquit *Theodoricus*, Ostrogothus, Italiæ Rex, apud *Cassiodorum*, lib. 2. Variarum. cap. 29.

XXVI. Hanc dissertationem divinis aliquot claudam oraculis, quæ nobis tradita sunt per duos sapientissimos & potentissimos Monarchas.

Hæc sunt verba Davidis novissima. Dixit David Filius Jesse, dixit inquam vir qui constitutus est excelsus, unctus Dei Jacob, & dulcis in carminibus Israëlis, Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Israëlis mihi, loquutus est fortis Israëlis; Qui cum potestate regit in hominibus, sit justus, gubernans in timore Domini. Et sicut lux manè quum exortus est Sol, manè absque nubibus; sicut herba de terra à splendore, & à pluvia, 2 Sam. 23: 1, 2, 3, 4.

Divinatio (*inquit Salomon*) est in labiis Regis in judicio, non prævaricatur os ejus. Statera & bilances judicis, sunt Domini, opus ejus omnes lapides marsupii. Abominatio Regibus est facere impietatem, quia per justitiam confirmabitur solium. Beneplacitum Regis labia justa, & loquentem recta diligunt. Prov. 16: 10, 11, 12, 13.

Leo rugiens & ursus esuriens est princeps impius super populum pauperem. Dux carens intelligentiis multiplicat rapinas; qui autem odio habet avaritiam, prolongavit dies. Homo oppressor in sanguine animæ, usque ad foveam fugiet, nec fulcient eum. Qui ambulat integrè, salvus erit; perversus autem viis, cadet semel. Prov. 28: 15, 16, 17, 18.

CAPUT V.

De Senatu Ecclesiastico.

I. HIeronymus, Comment. in cap. 3. Esaiæ; *Et nos* (inquit) *habemus in Ecclesia Senatum nostrum, cœtum Presbyterorum.* Et postea ibidem; *Inter senes autem & Principes hoc fuisse reor in veteri populo, quod nunc est inter Presbyteros & Episcopos.* Hæc ibi.

II. Presbyteros autem *Hieronymus*, cum universa veteri Ecclesia, vocat eos solos, de quibus in epistola ad *Evagrium* dicit, quod *ad eorum preces Christi corpus sanguisque conficiatur.* Et de quibus in eadem epistola *; *quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* De quibus etiam scribit *Joannes Chrysostomus*, quod eis etiam ex officio incumbat docere, & Ecclesiæ præesse: *καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀποδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας. Chrysost.* serm. xi. in priorem Epistolam Pauli Apostoli ad Timotheum. Hi in sacris literis dicuntur etiam *προϊστάμενοι.* Rom. 12:8. 1 Thessal. 5:12. & *ἡγούμενοι.* Hebr. 13: 7: 17.

III. Autor libri de septem ordinibus Ecclesiæ, qui *Hieronymo* tribuitur, cap. de sexto gradu Ecclesiæ, qui sacerdotum ordo est. *Sextus* (inquit) *seniorum ordo est, qui sacerdotibus datur, qui Presbyteri dicuntur, qui præsunt Ecclesiæ Dei, & Christi sacramenta conficiunt.* —— *Et quia* 1 Tim. 5:17.
scriptum est, Presbyteri duplici honore honorentur, maximè qui laborant in verbo Domini: prædicare eos decet, utile est benedicere, congruum confirmare, convenit reddere communionem, necesse est visitare infirmos, orare pro invalidis, atque omnia Dei sacramenta complere. Hæc ibi. Quæ verba *Hieronymo* etiam tribuit *Gratianus*, 95. dist. Can. *Ecce ego dico.* Vide autem de illis Apostoli verbis, 1 Tim. 5: 17. quæ monuimus Instruct. Historico-Theol. lib. 16. cap. 1. §. 17.

IV. Vocabulum illud, *κυβερνήσεις, gubernationes*, 1 Cor. 12: 28. ex usu linguarum Græcæ & Latinæ significat propriè gubernationem navis, in qua navalibus qui sociis præest, & ex officio clavum tenet, appellatur gubernator, *κυβερνήτης.* Act. 27: 11. Apocal. 18: 17. *Dion.* orat. 38. ait, *καὶ περὶ δὲ τῆς νεὼς, πάντες οἱ πλέοντες ἐπιστάμενοι, διότι μία αὐτῇ ἐστὶ σωτηρία, τὸ τοὺς ναύτας ὁμονοεῖν, καὶ τῷ κυβερνήτῃ πείθεσθαι.* Id est; Et de navi quidem, omnes qui navigant sciunt, quod una illius salus est, ut nautæ consentiant, & gubernatori obediant. *Singuli* (inquit Hieronymus) *Ecclesiarum Episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In navi unus gubernator: in domo unus Dominus: in quamvis grandi exercitu, unius signum exspectatur.* Hæc *Hieronymus*, epist. ad *Rusticum*, quæ incipit, *Nihil Christiano Fœlicius.* Virgil. 5. Æneid.

Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta.

Ambrosius, epist. 19. ad *Constantium* Fratrem, Episcopum Arausicorum; *Suscepisti munus sacerdotii, & in puppi Ecclesiæ sedens navim ad-*

versus fluctus gubernat. Hæc *Ambrosius*. Cum igitur charisma illud, de quo ibi loquitur Apostolus, eorum spectet officium, quibus Ecclesiarum credita sunt gubernacula, simplicior & tutior expositio est, si vocabulum *gubernationes*, referamus ad Episcopos & Presbyteros seu Pastores Ecclesiarum, & quidem ἐξαιρέτως ad Episcopos, qui in ipsis etiam præsident Presbyteris.

V. Presbyterium Constantinopolitanum, vocat πρεσβυτέρων συνέδριον, *Gregorius Nazianzenus*, orat. 32. quam habuit coram 150. Episcopis, in secunda OEcumenica Synodo. Plura de Presbyterio monuimus Instruct. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 1. Vocabulum istud, πρεσβυτέριον *Presbyterium* conventum seu collegium significans Ecclesiasticum Novi Testamenti, non nisi semel legitur in Sacra Scriptura, nempe 1 Tim. 4: 14. ubi solos verbi ministros comprehendi docent *Calvinus*, in commentario, & *Beza*, in notis, quamvis alioqui fautores seniorum quorundam non prædicantium.

VI. Certè seniores istos laicos, quibus gubernationis Ecclesiasticæ jus quidam nuper tribuere cœperunt, tanquam jure divino eis concessum, quamvis verbum prædicandi & sacramenta administrandi potestatem non habentibus, fateor me nusquam in sacris literis invenire. Ignoscant mihi viri docti & reverendi fratres, qui aliter sentiunt, nec mihi succenseant potiores desideranti rationes quàm quæ circumferuntur. Neque verò hinc adversus reformatam nostram religionem calumniam struant adversarii: nam de istiusmodi quæstionibus modestam esse posse inter Catholicos sententiarum diversitatem, salva fidei & charitatis compage, nemo non indoctus negabit.

VII. Qui tamen in populo Christiano prudentia aliis præstant, vel autoritate pollent, ii ab Ecclesiæ rectoribus seu pastoribus adhiberi possunt in consilium de rebus Ecclesiasticis, vel in auxilium tuendæ disciplinæ: quamvis non habeant, ex aliqua institutione divina, potestatem clavium regni cœlorum, neque jus suffragii definitivi in Presbyterio aut concilio Ecclesiastico.

VIII. Propterea non vetamus eos politicis fungi muneribus, & negotia administrare secularia. Id quod viris Ecclesiasticis interdictum est, sicuti prolixè demonstravimus, lib. de cura & residentia pastorali. Nec incongruum existimamus, si, ubi copia suppetit, missis prioribus, alii similem posœnti Ecclesiæ operam præstent. Tametsi ordinariis Ecclesiæ gubernatoribus, à Domino institutis, ea cura sit perpetua. Ideo levitatem hac in parte atque inconstantiam quibusdam hæreticis haud immeritò exprobrat *Tertullianus*, lib. de præscriptionibus adversus hæreticos, cap. 41. ubi ait; *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes: nunc Neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia non veritate possunt. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia munera injungunt.* Hæc ibi *Tertullianus*.

IX. Longe vero alia ratio est principiæ seu magistratus politici, qui est à Deo constitutus Ecclesiæ nutritius & ex officio divinitus accepto potestatem habet reformandi religionem, & convocandi Synodos, & in eis sedendi ac etiam præsidendi, præsidentia politica per se vel per suos delegatos, & sua autoritate præcipiendi Synodicis, ut officium faciant, & eorum decreta, ubi ea adhibito diligenti examine recta & justa esse perspexerit, edicto publico confirmandi, inqua autem rejiciendi, & delinquentes in ordinem redigendi. Quemadmodum à piis Israelis & Judæ regibus & à Christianis Imperatoribus aliisque Orthodoxis principibus ac rerum publicarum rectoribus laudabiliter ex officio factitatum esse constat. *Vide supra cap. 2 §. 13.*

CAPUT VI.

De promissione adjuncta quinto Præcepto.

I. APOSTOLUS PAULUS in epistola ad Ephes. cap. 6. vers. 1, 2, 3. repetens hoc mandatum, cum adnexa promissione, *Filii* (inquit) *obedite parentibus vestris, in Domino, hoc enim est justum, honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est præceptum primum cum promissione, ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.*

II. Quærunt *Hieronymus*, in suo Commentario in Epist. ad Ephes. & autor Commentarii in epist. ad Ephes. qui *Ambrosio* tribuitur, quomodo intelligi debeat hoc esse primum mandatum, quum sit ordine quintum. Respondet *Ambrosius*, esse primum secundæ tabulæ, de officiis erga homines. *Hieronymus* autem sic respondet; forsitan (inquit) quia Decalogus exeunti ex Ægypto populo prima lex data est, unumquodque mandatum Decalogi primum mandatum est appellandum, ad comparationem eorum præceptorum, quæ postea in lege conscripta sunt. Hæc ille. Idem etiam aliam ponit ibidem responsionem; Nonnulli (*inquit*) ita legunt, quod est mandatum primum in promissione; quasi quatuor alia mandata, quæ ante hæc dicta sunt, non habeant promissiones, & in hoc solo pollicitatio feratur adjuncta, *ut bene sit tibi, & sis longævus*, &c. Contra hanc responsionem ipse *Hieronymus* dubitationem ibidem movet, esse enim & in secundo mandato repromissionem sociatam, per verba illa quæ sponsionis sunt, *faciens misericordiam in millibus qui me diligunt & custodiunt mandata mea.* Deinde hanc dubitationem tollens, qui (*inquit*) expositionem superiorem tenere conabitur in eo quod distinxerat, quod est mandatum in repromissione; dicet separatim esse mandatum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*: & postea repromissionem suo loco positam; *Ut sis longævus super terram; quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, in hoc vero mandato, id est, *non facies tibi idolum, neque omnem similitudinem*: non seorsum, sed sub uno textu atque sermone non tam promissionem datam, quam sententiam in laudes Dei esse finitam, *faciens misericordiam in millia his qui eum diligunt, & custodiunt mandata ejus.* Hæc *Hieronymus*; sed & dicere possumus huic soli particulari præcepto additam esse peculiarem promissionem: verba enim secundo præcepto adnexa, non unius alicujus particularis præcepti, sed universæ legis observationem respicere. Non enim promitti misericordiam peculiariter aversantibus sculptilia, sed generaliter custodientibus mandata Dei.

III. Idem etiam *Hieronymus*, loco citato, de ipsa promissione disserens, ait non esse carnale promissum; multos enim fuisse qui & parentibus obsequentes citò mortui sint, & in parentes impii usque ad extremam venerint senectutem; quærendam esse igitur terram, quam Dominus

minus repromittit & tribuit his qui spiritualem Ægyptum reliquerunt, ut possideant terram illam quæ mansuetis est præparata: beati quippe
Matth. 5: 5. mites quoniam ipsi possidebunt terram. Quæ
verè est terra viventium; Psalmista quoque di-
Psal. 27: 13. cente, credo videre bona Domini in regione
viventium. Hujus vitæ longitudinem & sapi-
Prov. 3: 16. entia habet in manu dextra, in sinistra tenens divitias & gloriam. Hactenus *Hieronymus*, comm. in cap. 6. epist. ad Ephes.

IV. Hæc conjunge cum verbis Apostoli, 1 Tim. 4:8. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ præsentis ac futuræ. Item ad Rom. 8:28. Scimus autem, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum; & vers. 32. qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum ipso omnia nobis gratificabitur? & vers. 35. & sequentibus, quis nos separabit à charitate Christi? num oppressio, num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? Sicut scriptum est, causa tua occidimur totum diem, habiti sumus velut oves destinati mactationi; imo in his omnibus plusquam victores sumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque sublimitas, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Cum istis observa Apostoli verba, Ephes. 6: 3. *Ut bene sit tibi, & sis longævus*, &c. Nam impio benè non erit, etiamsi multos annos vixerit, neque propter multos annos impiè transactos dici poterit prolongasse dies suos, & particeps factus hujus promissionis. Eccles. 8: 12, 13. Et quamvis in speciem externam videatur contingere impiis secundum opus justorum, & piis evenire videatur quasi egerint opera impiorum; ibidem vers. 14 certum est tamen, quod erit bonum timentibus Deum, non autem impio vers. 12, 13.

V. Quamvis igitur præcipuè intelligenda sit beatitudo illa æterna in terra viventium, in cælesti illa patria, quam & veteres Patriarchæ expetebant atque exspectabant, Hebr. 11: 15. piis tamen & omnia hujus vitæ bona promissa sunt, & dantur quousque ipsis bona sunt: nam homini pio si contingat longa in terris vita, ea illi cedit in bonum, & benedictio hæc illi est divinitus concessa, ut arrha quædam terrena ac temporalis sempiternæ illius & cælestis vitæ: sin autem abbrevietur vita hominis justi super terram, sive ad illustrandam Dei gloriam per ejus mortem pro nomine Dei; adeoque ad cumulum beatitudinis ipsi homini pro Dei nomine morienti, sicut & *Stephano*, & aliis sanctis martyribus, sive ideo acceleretur hominis pii ex hac vita profectio, ut non videat mala superstitibus obventura, Esai. 57: 1. Vel ut cito quiescant justi à laboribus suis, Apocal. 14: 13. & præsentes sint cum Domino, à quo peregrinabantur, 2 Cor. 5: 6, 7, 8. sive quocunque alio fine, tunc ipsa mors accelerata piis lucrosa est, Philip. 1: 20, 21, 23. adeo ut omnia iis cedant & cooperentur in bonum.

VI. Quod de vita ac morte diximus, idem intelligendum de commodis vel incommodis hujus vitæ, de opibus & paupertate; de honore, & obscuritate, &c. Omnia enim hujus vitæ bona & commoda obveniunt piis quantum expedit ad gloriam Dei, & ipsorum fœlicitatem. Nam vel bona temporalia affatim consequuntur, in arrham æternorum bonorum; vel si temporalibus destituantur, ille ipse defectus ipsorum inservit profectui ad æterna bona, præ quorum inæstimabili pondere omnia terrena ista fl[illegible] faciunt. 2 Cor. 4: vers. 16, 17, 18.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER SEXTUS.

De Sexto Præcepto Decalogi.

Caput Primum.

Brevis expositio præcepti sexti, cum propositione quarundam quæstionum.

I. ON OCCIDES. Injustæ cædis ipsa radix hoc præcepto tollitur, interprete Mose, *non odio habebis fratrem tuum in corde tuo*, Lev. 19: 17. & Domino nostro, qui verba etiam contumeliosa, & iram temerariam, (quam *Chrysostomus* cædis radicem appellat, in homilia, de mansuetudine,) prohibet, in expositione hujus præcepti, Matth. 5. Joannes etiam Apostolus docet, omnem fratris sui osorem homicidam esse. 1 Joan. 3: 15. Prohibetur etiam acceptæ injuriæ retaliatio aut ultio privata, Prov. 20: 22. & 24: 29. Matth. 5: 39. Rom. 12: 17, 19. & 1 Thess. 5: 15. Præcipitur etiam, ut vitæ sustentandæ necessarium subsidium proximo egenti non denegemus, sed ei subveniamus, pro facultatibus. 1 Joan. 3: 17. Et summatim, ut neminem lædamus in vita, vel persona.

Matth. 5: 21, 22.

II. Hinc colligenda est præceptio affirmativa, ut nobis curæ sit vita proximi, ut omnibus benefaciamus, præsertim fidelibus, Gal. 6: 10. ut non resistamus malo, Matth. 5: 39. ut benefaciamus iis qui oderunt nos, Matth. 5: 44. & inimicis nostris, Prov. 25: 21. ut malum bono vincamus, Rom. 12: 21. ut proximum, quamvis odio nos habentem, ex angustiis & periculis vitæ, quoad ejus fieri potest, liberemus, & ab eo injuriam propulsemus. Nam si asinus inimici onere pressus sublevandus est, Exod. 23: 5. quanto magis subvenire oportet in ipso vitæ humanæ discrimine? Habenda tamen ratio vocationis nostræ, & facultatis, Exod. 2: 13. Act. 7: 25. &c. Huc faciunt illa *Ambrosii* verba, quæ ex ejus libro primo de officiis, citavit *Gratianus*, Can. *Non in inferenda*, Causs. 23. quæst. 3. *Non in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est, qui enim non repellit à socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Unde sanctus Moses hinc prius orsus est tentamenta imbecillis fortitudinis: Nam quum vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit, ita ut Ægyptium prosterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait, Eripe eum qui ducitur ad mortem.* Hæc ibi. Salomon autem docet non profuturam inanem ignorantiæ excusationem ei qui periculum & calamitatem se nescisse simulat, quum tamen reverà non ignoraverit, *Erue eos* (inquit) *qui raptantur ad mortem, & eos qui divertunt ad occisionem, num continebis te? Si dixeris, profectò ignoravimus istud: nonne qui ponderat corda, ipse intelliget, & qui custodit animam tuam, ipse cognoscet, reddetque homini secundùm opus suum.* Prov. 24: 11, 12.

Prov. 24: 11.

III. Hoc etiam præcepto prohibetur occisio sui ipsius. Neque (ut verbis utar *Augustini*,) in sanctis Canonicis libris usquam nobis divinitus præceptum permissumvè reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendivè mali causa, nobismetipsis necem inferamus. *Aug.* lib. 1. de civitate Dei, cap. 20. Ideo fœminas illas Christianas, quæ, cum Roma à barbaris esset capta, ut militum vitarent libidinem, seipsas occiderunt, non rectè fecisse docet *Augustinus*, eodem lib. 1. de Civit. Dei capp. 16. & 17. & seqq. [Vide præc. pag.] *Hoc dicimus*, (ait idem Pater, eod. lib. cap. 26.) *hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, vel fugiendo molestias temporales, vel propter aliena peccata, vel propter sua præterita, vel desiderio vitæ melioris, vel etiam ne ipse in posterum peccet seu ne ipse in peccatum irruat.* Et de ista postrema causa rursus dicit, cap. 27. ejusdem libri primi de Civitate Dei; *Si se sponte occidendi ulla causa justa esse posset, procul dubio justior quàm ista non esset. Quia verò nec ista est; ergo nulla est.* Hæc *Augustinus*. Qui eodem libro istas quinque quæ prætexi possent causas firmissimis refellit argumentis. Non est autem *Samson* accensendus eis qui sibi mortem inferunt; sed strenui bellatoris more, qui in confertissimos hostes, intercluso omni alio exitu, jam moriendi certus, strenuè irruit, fortiter dimicat, & ingentes inter hostium acervos cadit; ita mortuus est *Samson*, suæ vitæ incuriosus, ut de hostibus vindictam sumeret. Id quod, præter peculiarem aliquem Spiritus Sancti impulsum, officii ratio ab illo exigebat; erat enim populi sui Judex, defensor, & vindex legitimus, constitutus à Deo, qui precanti adfuit, & vires sufficit. Unde *Ambrosius*; Samsoni (inquit) triumphus quæsitus perempto, supra omnes superiores victorias haud quaquam degenere aut decolore exitu. Nam etsi inviolabilis ad id locorum & deinceps, atque incomparabilis in hac vita expertis belli fuerit viris; tamen in morte seipsum vicit & insuperabilem gessit animum, ut contemneret & quasi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit, quod victoriarum numero diem clausit, nec captivum exitum, sed triumphalem invenit. —— Cadaveribus hostium pressus humatus est, proprio tectus triumpho, clarum insigne relinquens

Vide lib. 9. cap 7 §. 2. & cap. 8. Theorem. 2, & 3, & 4, & 9. Vide etiam Instruct. Historico-Theolog. lib. 14. cap. 4. §. 4.

Judic. 16: 28, 29, 30. Hebr. 11: 32.

quens posteris, eo quod populum suum quem captivum invenerat, viginti annis in libertate judicio suo rexit, & sepultus in patrio solo libertatis hæredem dimisit. Hæc *Ambrosius*, Episcopus Mediolanensis, epist. 24. ad *Vigilium*, Episcopum *Tridentinum*. *Si rationem diligentius consulas*, (inquit *Augustinus*,) *nec ipsa quidem animi magnitudo rectè nominatur, ubi quisque non valendo tolerare vel quæque aspera, vel aliena peccata, seipse interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest vel duram sui corporis servitutem, vel stultam vulgi opinionem. Majorque animus meritò dicendus est, qui vitam ærumnosam magis potest ferre, quam fugere; & humanum judicium, maximeque vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur, præ conscientiæ luce ac puritate contemnere.* Hæc *Augustinus*, lib. 1. de Civitate Dei, cap. 22. ubi etiam eandem dicit *Platonis* fuisse sententiam. Nempe in *Phædone*. Quo pertinent etiam illa *Aristotelis* verba, lib. 3. Ethic. Nicom. cap. 7. *τὸ δ' ἀποθνήσκειν, φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, ἐκ ἀνδρείε, ἀλλὰ μᾶλλον δειλȣ̃· μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα· καὶ ἐχ ὅτι καλὸν, ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν.* Id est, mori autem, ut fugiat paupertatem, vel amorem, vel aliquid triste, non fortis est, sed potius meticulosi: mollities enim est fugere laboriosa: & non quia pulchrum est, sustinet, sed fugiens malum.

IV. Restat, ut expediamus quæstiones aliquas, quarum agitatio intelligendo huic præcepto inservit. Nam quæri potest de jure magistratus. Item de jure privatæ defensionis, quæ etiam interdum cum cæde adversarii est conjuncta. Jus magistratus vel in pace spectatur, vel in bello; hinc oriuntur tres quæstiones. 1. De jure magistratus in pace, quantum ad occisionem hominis. 2. De jure magistratus in bello vel indicendo, vel gerendo. 3. De jure privatæ defensionis, & propter eam occisionis.

V. Prima quæstio trimembris est. 1. An liceat magistratui occidere. 2. An sanctiones pœnarum capitalium constituere possit in iis criminibus compescendis, contra quæ non est in lege Mosaïca constituta pœna capitis, & an illa peccata possit mitius ulcisci, quæ capite luenda esse decrevit Deus in lege Mosaïca, & quænam sit in hoc genere Principum politicorum divinitus concessa potestas. 3. An liceat Principi hominem flagitii compertum, & secundum leges morti debitum, interventu pretii vel etiam sine redemptura dimittere impunitum, sive remittere illi capitis pœnam, legibus justè constitutam. Hujus membri appendix est quæstiuncula illa; An liceat viro bono, præsertim Pastori Ecclesiastico intercedere pro reo, ut ut meritus est moriatur.

CAPUT II.

An liceat magistratui occidere.

I. AUgustinus quæst. 71. super Exod. Quod dictum est, (inquit) *Non occides*, non putandum est fieri contra hoc præceptum, quando lex occidit, vel occidi aliquem Deus jubet, ille enim facit qui jubet quando ministerium negare non licet. Hæc ibi *Augustinus*. Nempe homicida non est, qui Deo occidere jubenti paret, sed rebellis est, qui Deo occidere jubente, parcit, ut patet exemplo Sauli Regis, 1 Sam. 15: 23.

II. Potestatibus politicis ab ipso Deo traditus est gladius, quem, ut Dei ministri, non frustra gerunt, sed ad exercendam ultricem iram erga malefacientes, & ad laudem bonorum, Rom. 13:3.4. 1 Petr. 2: 14. unde *Augustinus*, epist. 54. ad Macedonium; Nec sanè (inquit) frustra instituta sunt potestas Regis, vis gladii cognitoris, ungulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni Patris; habent ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates: hæc quum timentur, & coërcentur mali, & quietius inter malos vivunt boni. —— Non inutiliter metu legum humana coërcetur audacia, ut & tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, dum formidato supplicio frænatur facultas, invocato Deo, sanetur voluntas. —— Prodest ergo severitas vestra, cujus ministerio quies adjuvatur & nostra. —— Hominum iniquitatem Apostolus Paulus non tantum de judicio futuro, verum etiam de potestatibus vestris secularibus terruit, asserens & ipsas ad dispensationem divinæ providentiæ pertinere: Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Ideircò, in eadem epistola *Augustinus*, judices, ait, non ira propria concitari, sed legum esse ministros, nempe qui justi sunt judices. Rom.13:1.

CAPUT III.

De legum civilium sanctionibus.

I. QUæstio superius proposita est, cap. 1. §. 4. An possit magistratus constituere sanctiones pœnarum capitalium in eis criminibus compescendis, contra quæ non est in lege Mosaïca constituta pœna capitis; & an illa peccata possit mitius ulcisci quæ capite luenda erant ex lege Mosaïca: & quænam sit in hoc genere Principum politicorum divinitus concessa potestas. Ad hanc quæstionem peti potest responsio ex eis quæ lib. 1. hujus operis, cap. 10. §. 6. & aliquot seqq. diximus, De legum politicarum abrogatione. Ubi ostendimus, manere earum æquitatem, quæ omnibus hominibus communis est, sublata necessitate particularium determinationum, sive sanctionum, quæ Reipublicæ illi veterum Israëlitarum peculiares erant, neque alios obligant, nisi quantum ad communem æquitatem, & rationem animam legis.

II. Æquitas exigit, ut Reges ac Principes idoneo terrore scelera coërceant, ne ostentata impunitas, det insolenti fræna licentiæ. Jam autem pro varietate regionum, populorum, temporum, consuetudinum, aliarumque circumstantiarum, hic facilius, illic difficilius, interdum mitiore pœna, interdum vix atrocissimis suppliciorum generibus cohibentur flagitia. Propterea qui in magistratu sunt, meminisse debent, quem in finem à Deo constituti sint, nempe in ultionem terroremque malorum, & laudem bonorum, Rom. 13. & 1 Pet. 2. & Psal. 101. ut subditi sub eorum regimine tranquillam & quietam vitam degant, cum omni pietate & honestate. 1 Tim. 2: 2. Ad hunc finem tendere debent eique inservire omnes politicæ constitutiones. Quando igitur & ubi hic finis obtineri potest mediocri terrore, cavenda est non necessaria austeritas: ubi verò & quando leviores pœnæ non sufficiunt, utendum asperioribus.

III.

III. Leges Mosaicæ, quibus Deus præceptorum prioris tabulæ Decalogi transgressores coërceri voluit, proposita mortis pœna, præcipuæ hæ sunt. Jubentur morte puniri,

I. Alienis diis sacrificans. Exod. 22: 20. & Levit. 20: 2.

II. Seductor aut sollicitator ad serviendum alienis diis. Deut 13.

III. Propheta loquens verbum in nomine Domini quod non præcepisset ei Dominus. Deut. 18: 20.

IV. Propheta loquens in nomine alienorum deorum. ibidem.

V. Malefici, pythonici, harioli, &c. Exod. 22: 18. Levit. 20: 17. Qui autem eos consulunt, denunciat Deus se eos exterminaturum, Levit. 20: 6.

VI. Blasphemans nomen Dei, aut maledicens Deo. Levit. 24.

VII. Violator diei Sabbati. Exod. 31: 14.

IV. Harum legum postrema populo illi peculiaris, nempe pro custodia cæremoniæ Sabbaticæ: cui successit observatio diei Dominici, quæ licet in corporali otio sita non sit, postulat tamen communis æquitas, ut aliquo legum præsidio congrua diei Dominici sanctificatio muniatur.

V. De aliis modo memoratis criminibus, sanctiones illæ legales apud Mosem, in ipsa naturali & communi æquitate evidenter fundatæ sunt, ac propterea apud omnes vigere debent. Sic tamen, ut cogitemus latitudinem illorum generum, neque omnes gradus capitali supplicio putemus esse coërcendos, sed quemadmodum in obstinatos demum stringi solet Ecclesiastica excommunicatio, sic etiam adversus profanos contemptores, & obstinatos derisores supplicium capitis constituatur: cum temere lapsis vero, & flagitia sua deflentibus, mitius agatur: in quibus tamen ipsis hoc attendendum est discrimen; consulto ne peccaverint, an veluti ex improviso obrepserit illis transgressio; cum istis mitius, cum illis autem asperius agendum est; dummodo observetur & alia necessaria distinctio graduum; quædam enim ita sunt abominanda flagitia, ut etiam non obstante reorum pœnitentia postulent capitis supplicium: ne scilicet impunitatis spe relaxetur peccandi licentia, & ne facilitas veniæ incentivum aliis tribuat delinquendi; ac ne remissio severitatis alios armet in crimina, & leviora existimentur peccata, quando levis aut nulla subsequitur pœna. Alii sunt gradus idololatriæ, aliarumque transgressionum contra primam tabulam, qui leniore castigatione coërceri possunt. Gradus autem prioris illius ordinis expressi sunt in legibus supra commemoratis, quamvis & eorundem latitudinem meminisse debeamus.

CAPUT IV.

De vi coërcendis hæreticis.

I. IN lege illa tertia (superius memorata, cap. 3. §. 3.) capite plecti jubentur Prophetæ ementientes nomen Domini, & alienum verbum tanquam divinum proferentes. Tales autem erant non solum ii, qui contra conscientiam mentiebantur, sed & illi, quos decipiebat spiritus mendax, ut patet exemplo Prophetarum, qui Achabo persuaserunt, ut in bellum iret adversus Syros, 1 Reg. 22. Hinc sequitur, terrore aliquo civili coërcendos esse hæreticos, dolosos operarios, qui se simulant Christi Apostolos, quum sint ministri Satanæ, 2 Cor. 11: 13, 14, 15. αὐτοκατακρίτους, suopte judicio condemnatos, Tit. 10: 11. malos etiam homines impostores, seducentes & seductos, 2 Tim. 3: 13. Officium est Regis Christiani, ut se nutritium præbeat Ecclesiæ Christi, omnesque suos subditos adigat ad honorem Deo exhibendum.

II. *Augustinus*, epist. 48. ad *Vincentium Rogatistam*, & epist. 50. ad *Bonifacium* comitem, fatetur se in ea aliquando fuisse sententia, ut existimaret, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, non esse petendum ab Imperatoribus, ut ipsam hæresin juberent omnino non esse, pœnam constituendo iis qui in illa esse voluissent, sed hoc potius constituerent, ut eorum furiosas violentias non paterentur Catholici. Ita enim existimabat, iis terroris, & nihil tale facere audentibus, posse libere doceri & teneri catholicam veritatem; ut ad eam cogeretur nemo, sed verbo ageretur, disputatione pugnaretur, ratione vinceretur, & veritatem qui vellet sine formidine sequeretur, ne ficti & simulatores evaderent Catholici, qui antea fuissent aperti hæretici: hæc, inquam, erat aliquando sententia *Augustini*: quamvis aliis fratribus aliud videretur, jam ætate gravioribus; quibus tandem ipse consensit; per ordinatas scilicet à Deo potestates cohibendos esse & corrigendos hæreticos, & servire debere Reges terræ Christo etiam leges ferendo pro Christo, quarum terror & quædam medicinalis molestia, multorum pravis & frigidis animis necessaria, eos cogeret ad abnegandam hæresin, quorum duritia verbis emendari non poterat, sed tamen aliquantula severitate disciplinæ frangi posse comperiebatur. Fatetur quidem *Augustinus*, satius esse pudore & libertate liberos retinere, quam metu, uti dixit Comicus, sed addit, meliores quidem esse quos dirigit amor, plures tamen esse quos corrigit timor, quibus profuisse compertum est prius timore vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari. Præterea objicit; at quibusdam ista non prosunt: & respondet; nunquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insanabilis est pestilentia? *& addit*; putas neminem debere cogi ad justitiam, cum legas patremfamilias dixisse servis, quoscunque inveneritis, cogite intrare? cum legas etiam ipsum primo *Saulum*, postea *Paulum*, ad cognoscendam & tenendam veritatem magna violentia Christi cogentis esse compulsum, nisi forte chariorem hominibus putas esse pecuniam, vel quamlibet possessionem, quam lucem istam quæ oculis carpitur. ——— Cum ipsum Deum, quo nemo nos utilius diligit, certissimis exemplis hoc facere videas? ——— Et noveris, aliquando furem avertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquando pastorem flagello ad gregem pecora revocare? Luc. 14: 23. Act 9: 3. & seqq.

III. Respondet etiam *Augustinus* aliis duabus objectionibus, (in epistolis illis, 48. & 50.) quarum prior objectio est; beatum esse potius pati persecutionem, quam alios persequi. Respondet, beatos esse qui persecutionem patiuntur propter justitiam: neque martyrem ex pœna, sed ex causa æstimari. Præterea, non semper culpabile esse facere persecutionem; si (*inquit*) semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis libris, detrahentem proximo suo occulte, hunc persequar. Aliquando ergo & qui eam patitur injustus Matth. 5. 10. Ps l.101: 5.

justus est, & qui eam facit injustus est. Sed planè semper & mali persequuti sunt bonos, & boni persequuti sunt malos. Illi nocendo per injustitiam, illi consulendo per disciplinam, illi immaniter, illi temperanter; illi servientes cupiditati, illi charitati. Nam qui trucidat, non considerat quemadmodum laniet, qui autem curat, considerat quemadmodum secet? ille enim persequitur sanitatem, ille putredinem.
1 Sam. 15: Occiderunt impii prophetas, occiderunt im-
33. pios & Prophetæ. flagellaverunt Judæi Chris-
3 Reg. 18: tum, Judæos flagellavit & Christus: traditi
40. sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ,
Joan. 2: tradiderunt & Apostoli homines potestati Sata-
15. næ: in his omnibus attenditur, nisi quis eorum
1 Tim. 1: pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi
20. caussa, quis emendandi? *Item*, si Ecclesia vera ipsa est quæ persecutionem patitur, non quæ facit; quærant ab Apostolo, quam Ecclesiam
Gal. 4. 24. significabat Sara, quando persecutionem facie-
&c. bat ancillæ; liberam quippe matrem nostram cælestem Hierusalem, id est, veram Dei Ecclesiam, in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ abigebat ancillam: si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quam illam Sara coërcendo; illa enim Dominæ faciebat injuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro, si boni & sancti nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur, cujus putant esse in Psal-
Psal. 18. mo vocem, ubi legitur, persequar inimicos
37. meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant? si ergo verum dicere, vel agnoscere volumus, est persecutio injusta, quam faciunt impii Ecclesiæ Christi; & est justa persecutio, quam faciunt impiis Ecclesiæ Christi. Ista itaque beata est, quæ persecutionem patitur propter justitiam; illi verò miseri, qui persecutionem patiuntur propter injustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sæviendo; ista ut corrigat, illi ut evertant; ista ut revocet ab errore, illi ut præcipitent in errorem. *Item*; vides itaque jam, (ut opinor) non esse considerandum quod quisque cogitur, sed quale sit illud quò cogitur: utrum bonum an malum; non quo quisque bonus possit esse invitus, sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur agnoscere veritatem, ut timens vel respuat falsum de quo contendebat, vel quærat verum quod nesciebat, & volens teneat jam quod nolebat. Superfluò hoc fortasse diceretur quibuslibet verbis, si non tam multis ostenderetur exemplis: non illos aut illos homines, sed multas civitates vidimus fuisse Donatistas, nunc esse Catholicas; detestari vehementer Diabolicam separationem, diligere ardenter unitatem, quæ tamen timoris hujus, qui tibi displicet, occasionibus Catholicæ factæ sunt, per leges Imperatorum. *Monet autem adhibendam esse doctrinam*, Si enim (*inquit*) terrentur, & non docentur, improba quasi dominatio videretur; sed rursus, si docerentur, & non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati, ad capessendam viam salutis pigriùs moverentur. ——— Cum verò terrori utili doctrina salutaris adjungitur, ut non solùm tenebras erroris lux veritatis expellat, verum etiam malæ consuetudinis vincula vis timoris abrumpat, de multorum, sicut dixi, salute lætamur. Hæc & similia multa *Augustinus*, ad objectionem memoratam.

IV. Ait etiam, non bonam de ea negligentia reddi posse rationem, si quis in Ecclesiæ angustiis per hæreticos, existimet omnia potius sustinenda, quam Dei auxilium ut per Christianos principes feratur esse poscendum.

V. Altera objectio est, Dicunt (*inquit*) qui contra suas impietates leges justas constitui nolunt, non petisse à regibus terræ Apostolos talia, nec inveniri exemplum in Evangelicis & Apostolicis literis, aliquid petitum esse à regibus terræ pro Ecclesia, & contra inimicos Ecclesiæ.

Respondet *Augustinus*; tunc nullum Imperatorem in Christum credidisse, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret: sed
impletum tunc fuisse illud propheticum, quare Psal. 2. 1, 2.
fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus: nondum autem agi cœp-
tum, quod paulo post, in eodem Psalmo di- Psal. 2. 10;
citur; & nunc reges intelligite, erudimini qui 11.
judicatis terram, servite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore. Aliter autem servit quia homo est, aliter quia etiam & rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia vero etiam Rex est, servit, leges justa præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo, sicut servivit Ezechias, lucos & templa idolorum & illa excelsa quæ contra præcepta Dei fuerant constructa destruendo, sicut servivit Josias, talia & ipse faciendo, sicut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad supplicandum Deo compellendo. Temporibus Apostolorum & martyrum, quum nondum Reges Domino servirent, sed adhuc meditarentur inania, non utique tunc possent impietates legibus prohiberi, sed potius exerce-
ri; sic enim ordo temporum volvebatur: post-
ea verò, quum cœpit impleri quod scriptum Psal. 71.
est, & adorabunt eum omnes Reges terræ, o- 11.
mnes gentes servient illi: quis mente sobrius Regibus dicat, nolite curare in regno vestro, à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus: quibus dici non potest, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse pudicus, quis impudicus? Cur enim cum datum sit homini divinitus liberum arbitrium, ut adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? an fidem non servare levius, & animam Deo, quam fœminam viro? ut si ea quæ non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, numquid ideo negligenda sunt? Si facta præterita in Propheticis libris figuræ fuerunt futurorum, in Rege illo qui appellabatur Nabuchodonozor utrumque tempus figuratum est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia: prius illius Regis tempus, quo pios & justos cogebat adorare simulacra, & recusantes in flammas mittebat, significabat priora tempora Regum infidelium, quos passi sunt Christiani, pro impiis; posterius verò tempus, quo ad honorandum Deum verum conversus, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibuit, significavit tempora posteriorum Regum jam fidelium, quos patiuntur impii pro Christianis. In hoc ergo inserviunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, quum ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges. Hæc *Augustinus*, ad posteriorem objectionem.

VI. Plura in eandem sententiam legere est apud *Gratianum*, ex ipso *Augustino* & aliis deprompta, causs. 23. qu. 4. & qu. 5. & qu. 6. & in

in epistolis illis *Augustini*, supra citatis, nempe 48. & 50. Item, lib. 3. contra Cresconium cap. 51. ubi ait *Augustinus*; In hoc enim Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad divinam religionem. Hæc *Aug.* lib. 3. contra Cresconium, cap. 51.

VII. Moses duo commemorat genera pseudoprophetarum, in quos capitis pœna statuitur, Deut. 18. Unum genus eorum est qui prophetant in nomine alienorum deorum: tales autem manifestos Christiani nominis & professo adversarios, sana quidem doctrina instituendos, sed, nisi idololatriam suam jam moniti & infitiati deserant; capite etiam plectendos esse, consentiebant olim tum Catholici, tum etiam hæretici Donatistæ & Rogatistæ. Sic enim *Augustinus*, epist. 48. ad Vincentium Rogatistam; Quis (inquit) nostrum, quis vestrum non laudat leges ab Imperatoribus datas adversus sacrificia Paganorum? Et certè longè ibi pœna severior constituta est; illius quippe impietatis capitale supplicium est: de vobis autem corripiendis atque coërcendis habita ratio est, qua potius admoneremini ab errore discedere, quam pro scelere puniremini.

De Judæis. VIII. De Paganis loquitur ibi *Augustinus*: Judæorum autem peculiaris quædam habetur ratio. Eos in terris Christianorum tolerandos esse, docet *Augustinus*, lib. 4. de Civit. Dei. & lib. 18. & in Psal. 58. Tolerandos esse Judæos, sed non concedendum esse, ut novas condant Synagogas, scribit *Gregorius*, 1. PP. Rom. lib. 7. epistolarum ex registro, epist. 5. Vide etiam lib. 4. ejusdem operis, cap. 50. seu epist. 6. Judæorum Synagogam *Ambrosius* vocat perfidiæ locum, impietatis domum, amentiæ receptaculum, locum in quo Christus negabatur. *Ambrof.* epist. 17. ad *Theodosium* Augustum. Constituerunt *Honorius* & *Theodosius* [junior] Augusti, *ut Judæi ritus suos, citra contemptum Christianæ legis, retineant, amissuri sine dubio permissa beneficia, nisi ab illicitis temperaverint.* Cod. de Judæis & Cœlicolis, lege undecima, *Judæos quosdam.* Eorundem Imperatorum lex est; *Judæi & bonorum proscriptione & perpetuo exilio damnabuntur, si nostræ fidei hominem circumcidisse eos, vel circumcidendum mandasse constiterit.* Cod. de Judæis & Cœlicolis, lege 16. Ab eisdem Imperatoribus *Honorio* & juniore *Theodosio* lata est

Vide lib. 7. cap. 11. § 2. lex, *ne Judæus servum habeat Christianum.* Cod. Ne Christianum Mancipium &c. Ejusdem junioris *Theodosii* & *Valentiniani* Augustorum lex est, qua Judæis omnes administrationes & dignitates interdicuntur. Et sancitur, *ne qua Judaica Synagoga in novam fabricam surgat: fulciendi veteres permissa licentia, quæ ruinam minantur.* Cod. de Judæis & Cœlicolis, lege 18. *Hac valitura.* Concilii Aurelianensis secundi Canon. 19. est; *Placuit, ut nullus Christianus Judæam, neque Judæus Christianam in matrimonio ducat uxorem: quia inter hujusmodi personas, illicitas nuptias esse censemus. Qui si commoniti à consortio hoc se separare distulerint, à communionis gratia sunt sine dubio submovendi.* Hæc Patres illi Aurelianenses anno Domini 536. Celebratum est Tertium Toletanum Concilium, anno Christi, 589 In eo de Judæis, cap. 14. hæc facta est constitutio, *Ut Judæis non liceat Christianas habere uxores, vel concubinas,* &c. Et Concil. Tolet. 4. an. Dom. 633. cap. 56. *De Judæis præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Qui verò jampridem ad Christianitatem venire coacti sunt, quia jam constat, eos sacramentis divinis sociatos, oportet ut fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.* Hactenus verba Concilii Toletani quarti, cap. 56. Et in indice in appendicem Concilii Lateran 3. sub. *Alex.* PP. 3. anno Dom. 1179. [tom. 7. Concil. edit. Paris. ann. Dom. 1636. pag. 674. Col. 1. E.] leguntur hæc verba; *Nec debet aliquis Judæis servire, nec nutrices Christianas eis licet habere aut obstetrices.* Hæc ibi *Theodosii* & *Valentiniani* Imperatorum lex est; *Si Judæus pertrahere Christianum ad religionem suam ausus fuerit, proscribitur, & sanguinis pœnam sustinet.* Cod. de Judæis & Cœlicolis, lege 17. Legi etiam possunt quæ de Judæis decreta inveniuntur in Concilio Tolet. 12. (quod celebratum est anno Dom. 681.) cap. 9. Et in Concilio Meldensi (celebrato anno Dom. 845.) cap. 73.

IX. Alterum genus Pseudoprophetarum est, qui suis aut alienis commentis divinam prætexunt autoritatem: quales sunt qui propriè hæretici appellantur: de quorum coërcitione duo quæruntur: 1. An vi coërcendi sunt; quod superius ostendit *Augustinus* fieri debere. Mirantur autem (inquit idem *Augustinus*) quod commoventur potestates Christianæ contra dissipatores Ecclesiæ detestandos: si non commoverentur, quomodo redderent Deo rationem de Imperio suo? Hæc ille, apud *Gratianum*, causs. 23. quæst. 4. Can. *Quando vult.*

X. Deinde quæritur, quo genere pœnæ coërcendi sint hæretici: *Augustinus*, loco proximè citato, innuere videtur, sibi non adeo displicuisse, quod hæretici etiam capite plecterentur; Nam videte (inquit) qualia faciunt, & qualia patiuntur: occidunt animas, affliguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur. Hæc ibi.

XI. Alibi tamen, sibi magis placere ostendit, ut mitius cum iis agatur; corrigi eos cupimus, (inquit) non necari: nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis quibus digni sunt coërceri. Sic ergo eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccasse. Hæc ille, de quibusdam hæreticis qui Christianam Catholicorum societatem molestiis atque injuriis affecissent, pro quibus intercedit *Augustinus*, ne secundum delictorum gravitatem, & legum rigorem, morti tradantur. Epist. 127. & apud *Gratianum*, causs. 23. qu. 5. can. *Unum.* Idem etiam *Augustinus*, epist. 48. & epist 50. ait sibi probari potius, ut exilio, & bonorum atque possessionum amissione potius, quam mortis supplicio compescantur hæretici: propter servandam scilicet etiam circa indignos mansuetudinem Christianam. Idem etiam epist. 60. ad *Cæcilianum* præsidem scribens de coërcendis hæreticis Donatistis, *Procul dubio* (inquit) *providebis, ut timor sacrilegæ vanitatis terrendo saneetur potius, quam ulciscendo resecetur.* Hæc ibi. Idem etiam *Augustinus*, ad *Donatum* epist. 127. & apud *Gratianum*, causs. 23. qu. 5. can. *Unum*: intercedens pro quibusdam hæreticis ne capitis supplicio quod meriti erant punirentur; *Si* (inquit) *occidendos in his viros putatis, & deterrebitis nos, ne per operam nostram judicium tale perveniat: Quo comperto, in nostram perniciem licentiore audacia grassabuntur: necessitate nobis impacta, ut etiam occidi ab iis eligamus potius, quam eos occidendos vestris judiciis inferamus.* Hæc. *Augustinus.*

XII.

XII. Legimus etiam apud *Sulpitium Severum* Bituricensem Episcopum, lib. 2. histor. sacræ, *Martinum* Turonensem Episcopum *Maximo* Imperatori suasisse, ut *Priscillianum* hæreticum ejusque sectatores, Imperatori delatos, capitis supplicio non plecteret, sed à sanguine infœlicium abstineret. Eadem & aliorum multorum Episcoporum sententia: ac propterea, occiso Priscilliano, *Ithacius* Episcopus *Priscilliani* Episcopi hæretici accusator, Ecclesiæ communione privatus est, ut ex *Prospero* in Chronico, anno Christi, 389. Et *Isidoro*, lib. de viris illustribus, refert *Sigonius*, Sulpitii commentator, loco citato.

XIII. Istius in *Ithacium* censuræ duplicem caussam colligere est ex narratione Sulpicii. 1. *Sulpicius* refert illum nihil penti, nihil sancti habuisse, fuisse enim audacem, loquacem, impudentem, sumptuosum, ventri & gulæ plurimum impertientem; atque eousque processisse stultitiæ, ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam *Priscilliani* socios, in crimen arcesseret. Ausus etiam miser est (inquit *Sulpicius*) ea tempestate *Martino* Episcopo, viro planè Apostolis conferendo, palam objectare hæresis infamiam. Namque tum *Martinus* apud Treviros constitutus, (*ubi pro tempore agebat Maximus Imperator*) non desinebat increpare *Ithacium*, ut ab accusatione desisteret; *Maximum* orare, ut sanguine infœlicium abstineret. Hanc ob caussam ait *Sulpicius* sibi tam reos quàm accusatores displicere; etsi profitetur, se accusatorum studium in expugnandis hæreticis non fuisse reprehensurum, si non studio vincendi plus quam oportuit, certassent. 2. Hoc argumento usus est *Martinus* ad Imperatorem, ut sanguine infœlicium abstineret, satis superque sufficere, ut Episcopali sententia hæretici judicati Ecclesiis pellerentur: novum esse & inauditum nefas, ut caussam Ecclesiæ judex sæculi judicaret.

XIV. Jam autem ista Martini sententia etsi aliquibus etiam aliis placuit, non defuerunt tamen qui aliter sentirent: nam ut taceam *Magnum* & *Rufum*, aliosque Episcopos, quibus placuit illa hæreticorum pœna, *Augustinus* etiam istam *Martini* & aliorum quorundam sententiam diu sequutus, tandem eam deseruit, videns rectè implorari civilis potestatis opem contra hæreticorum animositatem. Expertus enim erat *Augustinus* utilitatem legum pœnarumque secularium, in conversione multorum, quos Ecclesiasticam potestatem nihil morantes compescuit salubris terror, & dociles fecit medicinalis severitas.

XV. Occidi quidem eos non vult *Augustinus*; contendit tamen hæreticos severitate congrua coërcendos esse per potestates seculares: neque posse Reges, neglecta hac officii sui parte, rationem Deo reddere de sua administratione; neque Episcopos de sua negligentia reddere posse rationem, si in Ecclesiæ angustiis per hæreticos, omnia potius existimaverint sustinenda, quam auxilium Dei, ut per Christianos Principes feratur, implorandum. Uti supra ostendimus.

XVI. Præterea, epist. 48. Istos (inquit) atroces inimicos nostros, pacem & quietem nostram variis violentiarum & insidiarum generibus graviter infestantes, si sic contemneremus & toleraremus, ut nihil omnino quod ad eos terrendos ac corrigendos valere posset, excogitaretur & ageretur à nobis, verè malum pro malo redderemus, nempe sinendo illos currere in præcipitium. Item, epist. 50. de *Maximiano* Episcopo Catholico, qui Imperatoris auxilium contra Donatistarum violentiam imploravit, sic scribit *Augustinus*; auxilium ergo petivit ab Imperatore Christiano, non tam sui ulciscendi caussa, quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ: quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia meritò culpanda: neque enim & Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei, quando contra illos qui eum occidere conspiraverant, consilium illorum Tribuno ut proderetur effecit, &c. Propterea, etsi minatur *Augustinus*, se suosque collegas extrema quæque passuros potius ab hæreticis, quàm ut eos occidendos deferant; hoc tamen dicit ad deterrendum judicem, atque avertendum ab eorum cæde; non autem quod sentiret omnia potius sustinenda ab hæreticis, quam implorandum, secularis potestatis auxilium, quo hæretici compescantur severitate congrua, id est, quæ eorum refrænando furori sufficiat. *Act. 23. 17.*

XVII. Ad demonstrandum autem lenitatem Christianam, quæ hominum emendationem quærebant, non autem perditionem, intercedebant Episcopi pro hominibus facinorosis, mortem commeritis, quos etiam non negabant jure occidi posse, uti docet *Augustinus*, epist. 54. ad *Macedonium*. Sic etiam mallent mitius agi cum eis hæreticis, quos morte dignos esse non diffitebantur. Unde in illa sua intercessione, qua minatur *Augustinus*, se non imploraturum opem judicis secularis, si hæretici, qui ab orthodoxis delati erant, occiderentur, fatetur, si de hæreticis illis statuatur immanitate facinorum, jure occidi posse. Epist. 127. ad *Donatum*. Et apud *Gratianum*, causs. 23. qu. 5. Canon. *Unum*.

XVIII. Quum lex illa de capitis supplicio, Deut. 18. feratur contra Pseudoprophetam, in nomine Domini falsum loquentem: nusquam autem legimus, morte puniendos esse credulos illos, qui talibus Pseudoprophetis simpliciter fidem habuerint, quamvis etiam peccent, & pœnam mereantur; tenenda est necessaria distinctio, inter hæreticum seductorem, & seductum. Item alia est observanda distinctio ipsarum hæreseon, quarum aliæ crassiores sunt, & citra fucum blasphemæ; quales erant hæreses Valentinianorum, Manichæorum, & id genus aliorum monstrorum, cum quibus severius agendum: aliæ sunt inferioris notæ hæreses quorundam hæreticorum, qui interea orthodoxam fidem tenent de Trinitate, & de Mediatore, & de auctoritate Verbi Dei, & in aliis etiam multis rectè sentiunt. Cum his lenius ac lentius agendum, quo disciplinæ æquitas manifestior agnoscatur. Porro diligenter discernendi sunt hæretici contumaces, & inquieti turbatores, à modestioribus, & corrigibilibus & quietis; cum illis enim in quacunque hæresi perniciosa veritati adversa severius atque asperius, cum istis verò mitius agendum est. *Vid. Cod. de hæreticis, & Manichæis, & Samaritis.*

XIX. Præterea considerandus est errantium numerus, lenius enim agendum esse cum multitudine peccantium, severitatem verò exercendam esse in peccata paucorum, monet *Augustinus*, epist. 64. sic tamen exercenda est lenitas erga multitudinem, ut severitate congrua terror ad multos perveniat, etiam per paucorum asperius supplicium, si ita necesse sit; neque enim multitudinis negligenda aut desperanda correctio est: quamvis magna sit adhibenda prudentia, & semper charitas custodienda.

XX.

XX. Denique diligenter observentur illa *Augustini* verba de coërcendis hæreticis, epist. 48. *Donatistæ* (inquit) *nimium inquieti sunt, quos per ordinatas à Deo potestates cohiberi atque corrigi mihi non videtur inutile.* Hæc ille. Nempe illis gladius datus est, & legitimè eo uti debent. Procul igitur à Christianis mentibus & manibus abesse debent turbulentæ in conciones irruptiones, laniènæ, latrocinia, nocturnæ aggressiones, domorum deprædationes, incendia, &c. Hæc enim assassinorum sunt, aut tabiosorum hæreticorum; non autem Catholicorum, & rectè sentientium Christianorum. Sic olim grassati circumcelliones Donatistæ hæretici in Catholicos, non autem sic Catholici in hæreticos, teste *Augustino*, epist. 50. & lib. 3. contra Cresconium, cap. 12. Præterea fugiendæ Christiano sunt sanguinariæ artes sicariorum, & veneficorum. Factum illud *Ehud*, in nece *Eglonis*, [Jud. 3.] præterquam quòd principis fuit, Deus enim illum dedit populo suo liberatorem, fuit etiam extraordinarium, neque trahendum in exemplum; sicut etiam illud *Jaëlis* mulieris facinus, tantopere laudatum, in nece *Sisaræ*, [Jud. 4. & 5.] neque inde quicquam habent patrocinii piaculares homicidæ, quo cruentas sicas & occulta veneficia aliasque funestas artes suas tueantur.

Caput V.

Leges politicæ, apud Mosen, de capite plectendis transgressoribus secundæ tabulæ.

I. De trangressoribus quinti præcepti sunt hæ leges.

Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Exod. 21: 17. Levit. 20: 9.

Qui percusserit patrem aut matrem, morte moriatur. Exod. 21: 15.

Item statuitur de obstinato helluone, & ebrioso, qui omnia abliguriens, contemnit salubria monita patris sui, aut matris suæ. Deut. 21: 18, 19, 20, 21.

Hæ leges ex ipsa naturali æquitate rationem habent perpetuam. Tertia tamen lex de immorigero, magnam habet latitudinem; quæ sapienter spectanda est. Nam inobedientia etiam injusta erga patrem aut matrem habet eam latitudinem, ut non in omni gradu pœnam capitis postulet, aut mereatur in foro politico.

II. Contra transgressores Sexti præcepti, decernitur mors homicidis, Gen. 9: 6. Exod. 21: 12, 14, 18, 19, 20, 21, 22, 29, 30. & Num. cap. 35. Deut. 19.

Hæc lex naturalem etiam habet & perpetuam æquitatem, in immota ratione fundata est; quia scilicet homo in imagine Dei factus est, propterea Deus illum occidi impunè non patitur, neque ab homine, neque à bestia, Gen. 9: 5, 6. Hanc legem confirmat Dominus noster, Matth. 26: 52. Jesus Christus, dicens Petro; *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt:* ille autem accipit gladium, inquit *Augustinus*, qui nulla superiori ac legitima potestate vel jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur. causs. 23. qu. 4. can. *Ille*. Ubi auctor glossæ monet, intelligi illum qui gladium accipit injustè.

III. Homicidium triplex est; videlicet, 1. Homicidium casuale, & prorsus involuntarium: quando scilicet non est insidiatus aliquis proximo suo, sed Deus causa fuit, ut veniret ad manum ejus, & occisor sine ulla inimicitia proximum ictu vel jactu vel quovis alio modo inopinato nesciens interemerit, e. g. si quis cum proximo suo abierit in sylvam, ad cædendum ligna, & inter cædendum elabatur à capulo ferrum, & in hominem inciderit, ita ut homo ille moriatur, talis homicida, vel potius occisor hominis pronunciatur insons. Exod. 21: 13. Num. 35: 11, 22, 23, 24, 25. Deut. 19: 4, 5, 6.

IV. Alterum genus homicidii malitiosum est, & simpliciter voluntarium; habens tamen latitudinem, ut in hoc ipso genere aliud sit magis, aliud minus voluntarium. Nam qui deliberatò insidias struit, & quærit vitam proximi, nocentior est, & majoris malitiæ reus, quam qui subita orta rixa, in proximum insurgit: uterque tamen per fastuosam præsumptionem occidisse judicatur. Exod. 21: 12, 14, 18, 20, 22, 23. Num. 35: 16, 17, 18, 19, 20. In hunc, qui voluntarium commiserit homicidium, sancitur capitis pœna, & quidem absque redemptura, aut asyli tutela, Exod. 21: 14. Num. 35: 31, 32, 33. Hæc lex, & illa præcedens de homicidio casuali, naturalem habent rationem, & æquitatem perpetuam, quantum ad constitutionem pœnæ contra homicidas voluntarios, (de jure autem redempturæ infra dicemus,) & quantum ad absolutionem illius, qui involuntarium commiserit homicidium. *cap.* 7. 8. 10 & 11.

V. Tertium genus homicidii mistum est, seu medium: nam partim est voluntarium, partim involuntarium: idque duum ordinum; vel enim nesciens aliquis sit homicida per inexcusabilem negligentiam; e. g. si bos alicujus cornupeta fuit, & admonitus fuerit dominus ejus, & non custodierit eum, occiderit autem bos ille hominem; jam dominus bovis tenetur homicidii, & in illum statuitur capitis pœna. Exod. 21: 29, 31. permittitur tamen redemptura, ut possit ex judicum sententia, pretium impositum persolvere, pro vitæ suæ redemptione. ibidem, vers. 30. Vel sciens aliquis, licet invitus, hominem occidit, necessitate tutelæ, de quo genere homicidii infra suo loco dicemus.

VI. Sanctiones capitales contra transgressores Septimi præcepti sunt, de occidendis incestuosis, & cynædis. Levit. 20. & Exod. 22. determinatio illa naturalem habet & perpetuam æquitatem. Item, de occidendis viro & muliere, si misceantur tempore menstruorum muliebrium Levit. 20: 18. Lex hæc aliquid habet cæremoniale, quo jam sublato, cessat etiam rigor sanctionis; habet tamen etiam aliquid naturale & morale, quod omnes homines obligat, ideoque ejus transgressores reos facit peccati, adeoque pœnæ obnoxios, in judicio saltem divino. Porro de occidendis adulteris, quando scilicet vir commisit adulterium cum uxore alterius, decernitur, ut ambo moriantur, tum adulter tum adultera. Levit. 20: 10. Hæc etiam sanctio naturalem habet & perpetuam æquitatem. De diversis autem adulterii generibus, & plura etiam de hujus legis ratione infra dicemus in expositione Septimi præcepti.

VII. Contra transgressores octavi præcepti, qui hominem furati fuerint & vendiderint, sancitur pœna capitis. Exod. 21: 16. Item contra furem effossorem nocturnum lex constituta est, ut impunè occidatur, Exod. 22: 2. Quarum sanctionum naturalis est æquitas. Fur autem nocturnus potius apprehendi debet, si id tuto fieri possit, ut recte in gloss. 23. qu. 5. can. *Homo*. Neque illum quisquam occidere debet nocendi cupiditate, sed inculpatæ tutelæ ne-

necessitate. Unde *Ulpianus* furem nocturnum, ait, si quis occiderit, ita demum impunè fieri, si parcere ei sine periculo suo non potuit. Lege 9. *furem. ff.* ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficiis. At verò contra furem diurnum, vel etiam nocturnum in effossione non deprehensum, qui bovem, vel ovem, vel id genus alia bona furatus fuerit, non decernitur capitis supplicium, sed civilis quædam mulcta, in bonorum vel libertatis ademptione, seu privatione. Exod. 22: 1, 3, 4. intelligitur ergo (inquit *Augustinus*) tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur; si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim, quod ait, si orietur Sol super eum. Poterat quippe discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis fecularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur; impunè occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se cum telo defenderit; jam enim plus est quam fur. Hæc ille, quæst. 84. Super Exodum.

VIII. Hic quæri solet, an liceat principibus pœnam capitis statuere in rerum brutarum fures, etiam diurnos, se cum telo minimè defendentes, & in nocturnos in effractione non deprehensos.

Vide supra lib. 1. cap. 10. §. 6. & seqq. Respondeo; quum sublata sit Mosaicarum determinationum politica necessitas, & sola nos obliget communis & constans æquitas, omnisque æquitati conformis determinatio licita sit, quæ præcipuo fini optimè inservit, id est, per quam efficitur, ut mali coërceantur, & tuta inter malos sit innocentia, vitamque degant homines quietam & tranquillam, cum omni pietate atque honestate; & quum finis iste non ita facilè ubique & inter omnes obtineri possit, certum est, accommodandas communi æquitati, atque utilitati, legum determinationes, & quidem variè, pro gentium, locorum, & temporum varietate: unde licet, imò aliquando necesse est, pœnam capitis constituere in id genus transgressores uno in regno, qui alio in regno, vel republica, pœnis minoribus facilè cohibentur: acceperunt enim principes divinitus traditum illis gladium, id est, legitimam vitæ & necis potestatem, ut ea ad publicam utilitatem atque honestatem utantur.

IX. Quod autem de intensione, idem & de remissione seu diminutione pœnarum dicimus, ubi eam admittit naturalis æquitas. Exempli gratia, potest loco mortis constitui pœna alia, fortasse non minus efficax ad coërcendam petulantiam, proposita scilicet transgressoribus compensativa quadam morte, quæ morte ipsa gravior sit; qualis pœna est perpetua infamia, & deportatio, &c. talis pœna interdum statui potest contra nonnulla crimina, quæ ex stricto jure mortem merentur; si tamen non sufficiunt aliæ pœnæ ad cohibenda vitia, constituendum est ipsum capitis supplicium.

X. Ad sanctiones capitales reducuntur & leges de talione, Exod. 21: 24, 25. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. & Levit. 24: 19, 20. *Sicut fecit, sic fiet ei, fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente, sicut dederit maculam in homine, sic dabitur in eo.* Eadem est pœna falsorum testium, qui scilicet transgrediuntur nonum præceptum, nempe ut fiat ei quemadmodum cogitavit facere fratri suo; *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* Dent. 19: 16. & sequentibus. Dominus noster hanc legem repetens, Matth. 5: *Matth. 5: 38, 39, &c.* privatam prohibet ulciscendi ac retaliandi libidinem, cui lex non patrocinatur, sed quæ etiam in Veteri Testamento prohibita est, Prov. 24: 29. & 20: 22: Sed non tollit judiciariam magistratus potestatem. Jam autem de ista talionis lege idem dicendum quod de aliis determinationibus politicis ut nempe ex regula communis æquitatis consulatur tranquillitati, pietati, atque honestati societatis humanæ. In ipsa etiam Veteri lege non fuisse prorsus exclusam redempturam quandam compensatricem in hoc genere, patet ex lege de manumittendis servis, quibus per injuriam dominorum erutus esset oculus, aut dens excussus, Exod. 21: 26, 27.

CAPUT VI.

De exsequutione legum.

I. ACCEDIMUS nunc ad eam quæstionem, qua quæritur, an principi liceat hominem flagitii manifestum, & morti secundùm leges debitum, interventu pretii, vel etiam sine redemptura, dimittere impunitum, sive remittere illi capitis pœnam legibus justè constitutam.

II. *Augustinus*, epist. 54. ad *Macedonium*, loquens de officio judicis Christiani, in executione legum erga reos, & repetens auctoritatem potestatum secularium ex epistola Pauli ad Rom. cap. 13. ubi ait Apost. Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Hæc verba Apostoli, (inquir) utilitatem vestræ severitatis ostendunt: proinde sicut dilectionem jussi sunt terrentibus debere qui timent, ita dilectionem jussi sunt timentibus debere qui terrent; nihil nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi charitate; & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Ita formidetur ultio cognitoris, ut nec intercessoris religio contemnatur; quia & plectendo, & ignoscendo, hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur. Quodsi tanta est perversitas & impietas, ut ei corrigendæ nec disciplina possit prodesse, nec venia, à bonis tamen intentione atque conscientia, quam Deus cernit, sive severitate, sive lenitate, non nisi officium dilectionis impleatur. Hæc *Augustinus*. *Rom. 13: 7, 8.*

III. Supra etiam ostendimus, tum plectendi tum parcendi regulam esse humanæ societatis piam atque honestam tranquillitatem, qua salva, Christiano homini semper est sectanda clementia, ut etiam pœnas alioqui debitas remittat. Nec ob aliud, quantum sapio, (inquit *Augustinus* epist. 54. jam citata,) in Veteri Testamento, antiquorum temporibus Prophetarum, severior legis vindicta fervebat, nisi ut ostenderetur, rectè iniquis pœnas constitutas, ut quod iis parcere Novi Testamenti indulgentia commonemur, aut remedium sit salutis, quo peccatis parcatur & nostris, aut commendatio mansuetudinis, ut per eos, qui parcunt, veritas prædicata non tantum timeatur, verum etiam diligatur. Plurimum autem interest, quo animo quisque parcat; sicuti enim est aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens. Hæc ibi. *cap. 5. §. 1.*

IV. Idem autem *Augustinus*, lib. 2. contra epistolam Parmeniani, & apud *Gratianum*, caus. 23. qu. 4. cap. *Non potest*; Præcepta (in-

Matth. 5. 44. Luc. 6. 27. &c. (inquit Evangelica de dilectione inimicorum, & misericordia impendenda proximis, exhortationes quoque Apostoli, de cibandis vel potandis inimicis, non eatenus intelligenda sunt, ut peccandi relaxetur impunitas, sed ut delinquenti correctio, & naturæ ministretur subsidium, donec per sententiam judicis, adempta spe correctionis, malorum tollatur exercitium. In hoc ergo jubemur diligere inimicos, & misereri eorum, ut eorum perditionem doleamus, eorum salutem desideremus, & pro eorum correctione quotidie laboremus, & oremus, pœnitentibus solatia impendamus; alter alterius onera portantes; non ut pertinaces & in malo perlistentes impunitati donemus.

V. Item, epist. 54. ad Macedonium; Illud vero (*inquit*) fidentissimè dixerim, cum qui pro homine ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis, & criminis. Nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quam impendimus. Hæc *Augustinus*.

VI. *Ambrosii* sententia est, quam citat *Gratianus*; can. *Est injusta*. causs. 23. qu. 4. Injustam esse misericordiam, si quis latronem, filiis deprecantibus motus, & lachrymis conjugis ejus inflexus, absolvendum putat, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus: Nonne (*inquit*) innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? ——— In ipsa Ecclesia ubi maximè quis misereri debet, teneri quam maximè debet forma justitiæ. ——— Nonne etiam quum uni indulget indigno, ad prolapsionis contagium provocat universos? facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Hæc ibi.

VII. *Hieronymus*, apud *Gratianum*, causs. 23. qu. 5. can. *Non est* (inquit) crudelis qui crudeles jugulat; sed crudelis ideo vocatur, quia crudelis patientibus esse videtur: nam latro suspensus patibulo crudelem judicem putat. *Item*, can. *Qui malos*, in eadem quæstione. Qui malos percutit in eo quod mali sunt, & habet vasa interfectionis ut occidat pessimos, minister est Dei. *Item*, in eadem quæstione, can. *Homicidas*; Homicidas, (inquit) sacrilegos & temerarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

VIII. In eadem quæstione, can. *Non est*: ex *Augustino* citantur hæc verba; Non est innocentiæ, parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur: pertinet ergo ad innocentiæ officium, nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse qui prius odio habetur, corrigatur experimento, ut alii terreantur exemplo.

IX. Consonant ista verbis Scripturæ sacræ, Prov. 17: 15. *Qui justificat impium, & condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum*. Item, apud Esaiam, væ dicitur illis, qui justificant impium propter munera, Esai. 5: 23. David etiam Psal. 101. ait, se succisurum sive interfecturum omnes impios terræ, & disperditurum de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. Item, in lege Mosaica, *Non miserebitur oculus tuus, neque parces*, Deut. 13: 8. prohibetur etiam redemptura pro homicidio voluntario, & pro illo homicida, qui quamvis casu hominem occiderit, asylum tamen suum deserendum existimaverit, Num. 35: 31, 32. & sequentibus. Præterea hominis non est remittere quæ Dei sunt, judicium autem Dei est, 2 Paral. 19: 6. Vindicta Dei est; Deut. 32: 35. in eaque exercenda judex terrenus minister Dei est, Rom. 13: 4.

X. Ecce circumstant nos (ut *Leonis* verbis utamur) hinc mansuetudo misericordiæ, hinc censura judicii. Judicium enim sine misericordia erit ei, qui non fecerit misericordiam, Jacob. 2: 13. & prohibemur esse nimis justi, Eccles. 7: 16. E converso autem, væ illi qui justificat impium, qui pervertit judicium, locis supra citatis, & Psal. 58. & 82. & 94. & alibi passim. Et Solomon videtur prohibere omnem intercessionem pro homicida, Prov. 28: 17. ubi ait; *Homo qui opprimit in sanguine animæ, usque ad sepulcrum fugiet, nec retinebunt eum.* Vide cap. 7. §. 9.

XI. Respondet *Augustinus*, apud *Grat*. caus. 23. qu. 4. can. *Non potest*. Sicut erga pœnitentes non severi, sed misericordes esse monemur, sic impœnitentibus & obstinatis in malo misericordiam impendere prohibemur. Et can. *Duo ista*. Nulli, inquit, homini claudenda est misericordia; sicut nulli peccatori impunitas relaxanda est. Hæc ibi.

XII. Adhæc meminisse debemus finis & modi; *Finis* potestatis atque administrationis politicæ est pia atque honesta societatis humanæ tranquillitas. *Modus* est, ut nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter, nihil nocendi cupiditate, sed omnia consulendi charitate; & sive parcendo, sive plectendo, non nisi officium charitatis impleatur. Judex qui ista duo observat, facit suum officium, neque judicium, quod Dei est, pervertit: non enim aliud ab illo exigit Deus. Cavere igitur debet judex, tum ne facilitas veniæ noceat publicæ tranquillitati, aut pietati, aut honestati, sitque injusta & crudelis misericordia; tum etiam ne judicii asperitas modum humanitatis excedat; ne magis nocere satagat reo, quam prodesse publico; ne inexorabilis immanitas homines in odium & vituperium regiminis inflammet, atque ad quidvis audendum efferatos reddat: ne obliviscatur judex clementiæ Christianæ, & *mansuetudinis justitiæ*, ut loquitur Psaltes, Psal. 45: 5. ne charitatem negligat. Atque ut verbo dicam; semper debet judex propendere ad clementiam, atque ad parcendum promptus esse, quoad ejus fieri potest, sine malo publico, id est, salva tranquillitate societatis humanæ, cum pietate, atque honestate.

XIII. Pulchrè *Macedonius* judex, in sua epist. ad *Augustinum*, quæ exstat inter epistolas *Augustini*, numero 53. Pleraque (*inquit*) quæ sponte facere videri nolo, ne remissio severitatis alios armet in crimina, opto bonis intercessoribus relaxare; ut quod libens concedo, salva severitate judicii, alterius merito videatur indultum. Hæc ille.

CAPUT VII.

De intercessione pro criminosis: & de redemptura.

I. MACEDONIUS Judex, in sua epistola ad *Augustinum*, quæ in epistolis *Augustini* est epist. 53. proponit *Augustino* quæstionem, quam dissolvi cupit; quia *Augustinus* officii sacerdotii sui esse dixerat, intervenire pro reis; ambigere se ait *Macedonius*, utrum illud ex religione descendat: si enim constat, non minus autorem, quam probatorem, tene in omnibus quæ peccantur; certum est, (inquit) nos culpæ societate vinciri, quoties enim

impunitum esse cupimus, qui culpæ tenetur obnoxius; crimen enim quod impunitum volumus, probamus. Hæc *Macedonius*, ut alterum taceam ejus argumentum, à consuetudine pœnitentiæ Ecclesiasticæ petitum.

Respondet *Augustinus*, epist. 54. est multiplex responsio. 1. Ideo (inquit *Augustinus*) quantum facultas datur, pro peccatis omnibus intercedimus, quia omnia peccata videntur veniabiliora, cùm is qui reus est, correctionem promittit; Hæc tua est, hæc & nostra sententia. Nullo modo ergo culpas, quas corrigi volumus, approbamus; nec quod perperam committitur, ideo volumus inpunitum esse quia placet; sed hominem miserantes, facinus autem seu flagitium detestantes, quanto magis nobis displicet vitium, tanto minus volumus inemendarum interire vitiosum. ——— Morum porro corrigendorum nullus alius quàm in hac vita locus. ——— Ideo compellimur, humani generis charitate, intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire supplicium. Noli ergo dubitare hoc officium nostrum ex religione descendere. Hæc prima est *Augustini* responsio.

II. *Secunda responsio* continet occupationem. Nam objici potest, eo esse multos ingenio, ut abutantur indulgentia, nec per eam emendentur, sed ad similia & graviora scelera revolvantur; adeoque accidere aliquando, ut vel immanius impunita grassetur audacia, subdita cupiditati, ingrata lenitati; atque unus morti per intercessionem Episcopalem ereptus, plurimos necet; vel ipso per acceptum beneficium in melius commutato, moribusque correcto, alius malè vivendo pereat, sibique hujus impunitate proposita, talia vel graviora committat. Respondens autem *Augustinus*; Non omnis (ait) qui caussa alienæ mortis est, reus est. Quid si enim quisquam stuprum petat, seseque si non impetraverit, interimat? Quid si filius timens patris pia verbera, præcipitio pereat? Quid si alius homine liberato, vel ne alius liberetur, sibi ipsi mortem inferat? Num propter istas alienarum mortium caussas, aut sceleri consentiendum est; aut vindicta peccati, quæ non fit nocendi sed corrigendi studio, etiam paterna tollenda, aut opera misericordiæ cohibenda sunt? Hæc cum accidunt, debemus eis humanum dolorem; non propter illa, ne accidant, rectè factorum reprimere voluntatem. Sic etiam cum intercedimus pro peccatore damnando, sequuntur aliquando quæ nolumus, sive in ipso qui nostra intercessione liberatur, sive in alio; non, ut opinor, hæc mala imputanda sunt nobis, cum intercedimus vobis, sed potius illa bona, quæ, cum id facimus, intuemur & volumus, id est, commendatio mansuetudinis, ad conciliandam dilectionem verbo veritatis, & ut qui liberantur à temporali morte, sic vivant, ne in æternam, unde nunquam liberentur, incurrant. Præterea; Deus apud quem nulla est iniquitas, cujus summa potestas est, qui novit etiam qualis quisque futurus sit, Solem suum oriri facit super

Matth. 5. 45. justos & injustos, pluit super bonos & malos; hac indulgentia & lenitate divina multos abuti ad perniciem suam, & divitias benignitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnere quis

Rom. 2. 4. 5. 6. nesciat? Quos increpat Apostolus, ignorantes scilicet quod benignitas Dei ad pœnitentiam illos ducat, & nihilominus, secundùm duritiem cordis ipsorum, & cor impœnitens, thesaurizantes sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus. Numquid quoniam isti in sua nequitia perseverant, ideo Deus in sua patientia non perseverat? Quod si iniquis & sceleslis ille parcendo, eisque vitam salutemque largiendo, etiam plerisque eorum quos novit non acturos pœnitentiam, tamen exhibet patientiam; quanto magis nos in eos qui correctionem promittunt, & utrum faciant quod promittunt incerti sumus, misericordes esse debemus, ut rigorem vestrum pro eis intercedendo flectamus? Hæc secunda est *Augustini* responsio: quæ non sic est accipienda, ac si liceret judici dimittere impunitum flagitiosum, quem videret adhuc flagitia spirantem, & quem ferret nova veteribus additurum: hoc enim Deus potest, qui (ut ibidem loquitur *Augustinus*) perpauca in hoc seculo punit, ne divina providentia non esse credatur; & multa servat ultimo examini, ut futurum judicium commendetur; quique nihil non justissimè agit, & sapientissimè: sed homo, minister Dei, certis alligatur mandatis, & revelatis regulis, ut nulli sonti parcat in perniciem certam insontium, in casu autem incerto amet lenitatem, & ubique inserviat charitati.

III. *Tertia responsio* sumitur à mandato Dei, qui jubet nos orare Deum pro impiis; (inimicis scilicet, & persequutoribus piorum, Matth. 5: 44.) Num igitur (inquit *Augustinus*) diligendi sunt impii? Num impiis benefaciendum est? Num pro impiis etiam orandum est? ita planè. Qui enim hoc præcepit Deus est: nec tamen nos hoc pacto societati adjungit impiorum; quibus & ipse parcendo, & vitam salutemque largiendo non utique sociatur. Hæc tertia est *Augustini* responsio, quæ sic intelligenda est; rectè facimus intercedentes apud Deum pro peccatoribus, ut illis clemens sit, nempe sine læsione justitiæ divinæ; ergo rectè facimus intercedentes pro eis apud homines ὁμοιοπαθεῖς ἡμῖν, ut fratrum suorum misereantur, eisque parcant, quoad possint, illæsa æquitate. Quid autem sit parcere illæsa æquitate, diximus præcedente capite. Matth. 5. 44.

IV. Quarta *Augustini* responsio ab exemplo Christi, qui si judicasset non posse parci iniquis, etiam in foro humano, sine injustitia, & hanc esse mentem Dei legislatoris, ut in quos ipse capitis pœnam sanxisset, ii semper præciso rigore plecterentur, non absterruisset Judæos à plectenda adultera: nam etsi regnum suum professus est non esse de hoc mundo, neque voluit secularis judicis officium in se suscipere, quum tamen civis esset, & doctor veritatis, venissetque non ad solvendam sed ad implendam legem, si ea esset legislatoris mens, ut nulli peccatori morti ex rigore legis debito parcerent judices, statim adulteram ad ordinarios judices amandasset, neque sua intercessione exsequutionem sententiæ legalis impedivisset: intercessit autem Dominus apud homines, ne lapidaretur adultera; & eo modo (inquit *Augustinus*) nobis intercessionis commendavit officium: nisi quia ille terrendo fecit, quod nos petendo: ille enim Dominus, nos servi sumus. Veruntamen ille sic terruit, ut omnes timere deberamus. Quis enim est nostrum sine peccato? ipsos etiam criminum ultores, atque in hoc officio non ira propria concitatos, sed legum ministros, nec suarum sed alienarum examinatarum injuriarum vindices, quales judices esse debent, terruit censura divina, ut cogitarent sibi propter sua peccata Dei misericordiam necessariam, nec putarent ad culpam sui officii pertinere, si quid erga eos misericorditer agerent,

Joan. 8. 7. Joan. 18. 36. Luc. 12. 14. Joan. 6. 15.

rent, quorum vitæ necisque haberent legitimam potestatem. Nam respondit eis, *qui sine peccato est vestrum, prior in eam lapidem jaciat.* Ita nec legem improbavit, quæ hujusmodi ream jussit occidi, & illos terrendo ad misericordiam revocavit, quorum judicio hæc possset occidi. Et ad mulierem, *Nec ego te*, inquit, *damnabo*, q. d. si malitia tibi parcere potuit, quid metuis innocentiam? Et ne delictorum non donator, sed ne approbator videretur, *Vade*, ait, *jam deinceps noli peccare.* Ut se homini pepercisse, non hominis culpam sibi placuisse monstraret. Hæc quarta est responsio.

Joan. 8. 7. Ibidem, vers. 11.

V. *Quintam responsionem* docit *Augustinus* ab exemplo *Josephi*, mariti *Mariæ* Virginis. Joseph cui Virgo Maria Domini mater fuerat desponsata, cum eam comperisset esse prægnantem, cui se noverat non esse commixtum, & ob hoc nihil aliud quam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit: nam hæc voluntas ejus etiam justitiæ deputatur. Ita quippe de illo scriptum est, *Et cum esset homo justus, & nollet eam divulgare, statuit eam occultè dimittere.*

Matth. 1: 19.

VI. *Sexta responsio*, à communi humanitatis officio, & ex collatione intercessoris cum defensore: Si ergo (*inquit*) cogitata infirmitate communi, & accusatorius & judicatorius rigor frangitur, quod tandem censes pro reis esse debere, vel defensoris vel intercessoris officium? Quandoquidem & vos viri boni, qui nunc judices estis, & in foro aliquando versati, caussas hominum suscepistis, scitis quàm libentiùs defendere, quàm accusare soleatis: Et tamen defensor ab intercessore plurimùm distat: nam ille diluendis vel obtegendis criminibus operam maximè impendit, intercessor autem, etiam cum de culpa constat, pro pœna removenda vel temperanda curam gerit. Hoc sunt apud Deum pro peccatoribus justi; hoc pro se ipsi peccantes invicem ut faciant admonentur; Nam scriptum est, Confitemini invicem peccata vestra, & orate pro vobis. Has sibi partes humanitatis, ubi potest, omnis homo apud hominem vendicat. Nam quod ipse quisque domi suæ punire admissum, in alterius domo vult impunitum: sive enim adhibeatur apud amicum, sive illecuiquam, in quem potestas ulciscendi est, se præsente succenseat, sive irascenti fortuitò superveniat, nón justissimus sed inhumanissimus judicatur, si non interveniat.

Jacob. 5. 16.

VII. *Septima responsio est ad hominem*: Scio ego, teipsum, (ait *Augustinus Macedonio*) cum aliis amicis tuis, in Ecclesia Carthaginensi, intercessisse pro clerico, cui merito succensebat Episcopus: & utique nullum ibi discrimen sanguinis, sed incruenta disciplina timebatur. Nec enim id, quod etiam vobis displicebat, cum inultum esse velletis, tanquam delicti approbatores vos iudicabamus, sed tanquam humanissimos intercessores audiebamus. Si ergo vobis fas est Ecclesiasticam correptionem intercedendo mitigare, quomodo Episcopus vestro gladio non debet intercedere, cum illa exeratur, ut in quem exeritur bene vivat, iste ne vivat? Hæc septima est responsio.

VIII. Deinde solvit objectionem quandam; cui bono igitur potestas Regis, & gladius cognitoris, &c. Respondet; habent ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates: hæc cum timentur, & coërcentur mali, & quietius inter malos vivunt boni: sed huic ordinationi rerum humanarum, contrariæ non sunt intercessiones Episcoporum; imo verò nec causa nec locus intercedendi ullus esset, si ista non essent. Tanto enim sunt intercedentium & parcentium beneficia gratiora, quanto peccantium justiora supplicia.

IX. Posthæc subnectit & alterius dubii solutionem; In Veteri Testamento præcipitur, ut non parcat oculus noster, neque misereamur. Respondet *Augustinus*; Veteri illa severitate ostensum est, rectè iniquis pœnas constitutas; Novi autem Testamenti indulgentia nos commoneri propriæ nostræ indignitatis, & quàm nobis ipsis necessaria sit misericordia divina; aut commendari mansuetudinem, ut per eos qui parcunt, veritas prædicata non tantum timeatur, verum etiam diligatur; Porro addit, plurimum interesse quo animo quisque pareat. Et verè quidem, nam & in Veteri & in Novo Testamento prohibetur carnalis prævaricatio, iofraudem legis; item personarum acceptio; Idcirco neque in Novo Testamento quicquam in fraudem legis, & contra mentem Dei legislatoris, per prævaricationem, aut prosopolepsiam faciendum. Ast æquitatis necessitas non excludit mansuetudinem justitiæ. Eodem modo respondendum, ad objectionem petitam ex verbis Salomonis, Proverb. 28: 17. *Paulinus*, in vita *Ambrosii* Episcopi Mediolanensis, scribit, post *Theodosii* Imp. victoriam de *Eugenio* Imperii usurpatore reportatam, exstinctumque à suis satellitibus *Eugenium*, cum *Ambrosius* scripta acciperet *Theodosii* Imperatoris, non illi aliam curam majorem fuisse quàm ut pro eis interveniret quos reatus involveret: eisque veniam impetrasse. Et idem *Ambrosius*, epist. 29. ad *Florianum*, ait, in judicio nunquam misericordiam deseras. Impia justitia est humanæ fragilitati non ignoscere. Hæc *Ambrosius*.

Deut. 13: 8. Vide supra, cap. 6 § 9.

Supra cap. 6. §. 10.

X. Huc pertinet quæstio de *redemptura*; Nam prohibetur redemptio homicidæ maliiosi, Num. 35: 31. & tamen pro alio genere homicidii, contra quod pœna itidem capitis constituta erat, permissa est redemptura, Exod. 21: 30.

Respondeo; potest adhuc incidere casus, in quo non liceat admittere redempturam, occurrentibus tamen aliis in quibus liceat, pro varietate & latitudine criminum atque incommodorum inde sequentium aut timendorum.

XI. Admittitur autem *redemptura*, tripliciter. *Primò*, per avaritiam; Hæc verò redempturæ admissio nefaria; Væ illi, qui justificat impium propter mercedem, Esai. 5: 23. *Secundò*, admittitur redemptura per iniquam indulgentiam, & acceptionem personarum, nulla habita ratione officii judicis, aut tranquillitatis publicæ; talis etiam redempturæ admissio injusta est; procul enim abesse debet judex ab acceptione personarum, Exod. 23: 3. & 2 Paralip. 19: 7. *Tertiò*, admittitur redemptura per *mansuetudinem justitiæ*, ut loquitur Psaltes, id est, amore clementiæ, illæsa justitia: Atque hæc sola laudabilis est admissio redempturæ.

Psal. 45: 5.

Hactenus de potestate publica occidendi hominem in pace.

CAPUT VIII.

De potestate publica occidendi, quantum ad bellum.

I. DE Bello quatuor capitula attingemus. 1. An bellum Christianis sit licitum. 2. Quale sit licitum. 3. Penes quem sit potestas indicendi aut suscipiendi belli. 4. Quod sit officium bellatorum. Licita esse Christianis bella ostendit *Augustinus*, in epistola illa 1. ad *Bonifacium* comitem, sub finem tomi secundi operum *Augustini*, & lib. 22. contra *Faustum* Manichæum, capp. 74. 75. 76. Noli (inquit) existimare neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium: in his etiam plurimi illius temporis justi. In his erat & ille centurio, qui Domino dixit, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus; nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit; & alii, veni, & venit; & servo meo, fac hoc, & facit: de quo & Dominus, Amen, dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. Fidem laudavit, non illius militiæ desertionem imperavit. In his erat & Cornelius Centurio, vir pius & timens Deum, cujus acceptas esse eleemosynas & exauditas orationes testatur Angelus ad eum missus, qui etiam ad Apostolum Petrum misit religiosum militem. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut domimentur in pace victuri? Hæc reprehendere timidorum est, non religiosorum: Joannes baptista militibus illi dicentibus, & nos quid faciemus? non respondit, arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem; sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis, Neminem concusseritis, nemini calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Non eos utique sub armis militare prohibuit, quibus suum stipendium sufficere debere præcepit. Reddite, inquit Dominus noster, Cæsari quæ Cæsaris sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessaria militi stipendium præbeatur.

1. *Matth. 8. 8, 9, 10.* *Act. 10. 2, 3. &c.* *Ibid. vers. 7.* *Luc. 3. 14.* *Matth. 22. 21.*

2. II. Sola illa bella quæ justa sunt, licita sunt Christianis: justa autem bella definiri solent (inquit *Augustinus*, quæst. 10. super Josue.) quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione justum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas. Hæc ille de justo bello quod infertur. Justum verò bellum sustinetur contra injustum invasorem. Prætetea addit *Augustinus* lib. 22. contra Faustum, cap. 75. rectè posse virum justum, sub Rege etiam homine sacrilego militantem, illo jubente, bellare, servantem civicæ pacis ordinem, quando ei quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.

3. III. Idem *Augustinus*, eodem capite, Ordo (inquit) naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poscit, ut suscipiendi belli autoritas atque consilium penes Principem sit, exsequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi. Hæc ille. Nempe Principibus gladius à Domino traditus pro tuenda tranquillitate publica. *Psal. 89. 20. Rom. 13. 4.*

IV. Officium in bello suscipiendo describit *Augustinus*, in epistola illa prima ad *Bonifacium* comitem, istis verbis: Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Non enim pax quæritur ut bellum excitetur, sed bellum geritur ut pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas. Item lib. 22. contra Faustum cap. 74. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur. Ista non solum in suscipiendo, sed etiam in gerendo bello culpantur. In bello autem, dum geritur, officia militis ostendit Joannes Baptista, Luc. 3. ut neminem milites concutiant, nemini calumniam faciant, & suis contenti sint stipendiis. Ista autem tribus complectitur *Augustinus*, epist. citata ad *Bonifacium*. 1. Ut bellator sit etiam bellando pacificus, ita ut hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas; & meminerit miles, sicut rebellanti & resistenti hosti violentia redditur, ita victo & capto misericordiam jam deberi; maximè in quo pacis perturbatio non timetur. 2. Ut tum suis, tum hostibus fidem servet. Fides enim (*inquit*) quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico, pro quo pugnatur? 3. Ut meminerit miles, sibi non minus necessariam esse pietatem, quam inermibus; hoc (*inquit*) cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam ipsa corporalis donum Dei est; sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Deum; Item, ornet mores tuos pudicitia conjugalis, ornet sobrietas & frugalitas; Valde enim turpe est, ut quem non vincit homo, vincat libido, & obruatur vino qui non vincitur ferro: divitiæ seculares si desunt, non per mala opera quærantur in mundo; si autem adsunt, per bona opera serventur in Cælo; animum virilem & Christianum nec debent si accedunt extollere, nec debent frangere si recedunt; illud potius cogitemus quod Dominus ait; ubi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum; & utique cum audimus ut cor sursum habeamus, non mendaciter respondere debemus, quod nosti, quia respondemus. 4. *Luc. 3. 14.* *Matth. 6. 21.*

V. Quæres, an liceat bellatori uti insidiis contra hostem. Respondeo, indicto justo bello, licet; sic Joshua usus est insidiis, jubente Domino, contra incolas *Ai*. Josh. 8. unde colligit *Augustinus*, quæst. 10. super Joshua, quum justum bellum susceptum fuerit, utrum aperta pugna, an insidiis vincas, nihil ad justitiam interesse. Sic Israelitæ tali stratagemate Benjamitas fuderunt. Judic. 20. *Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 11. cap. 8. § 19. Vide lib. 9.*

CAPUT IX.

De privata tutela.

I. CICERO, in oratione pro *Milone*, ait, justam & necessariam esse cædem, cum vi vis illa defenditur, & hanc ex natura ipsa haustam esse legem, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut

aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis; silere enim leges inter arma, nec se exspectari jubere, cum ei, qui exspectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa repetenda.

II. *Florentinus* etiam jureconsultus, apud *Justinianum*, ff. de justitia & jure. L. 3. ad jus gentium, quod hominibus inter se commune est, refert, ut vim atque injuriam propulsemus. Nam jure (inquit) hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. Et cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. Hæc ibi.

III. In jure Canonico, dist. 1. Can. *Jus naturale*. Dicitur, violentiæ per vim repulsionem esse juris naturalis communis omnium nationum, quod ubique instinctu naturæ, non constitutione habetur aliqua. Item, extra, de homicidio, cap. *Significasti*. & de sententia excommunicationis, cap. *Si vero*. Vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittunt. Licitam esse defensionem sui, & cædem necessitate defensionis patratam, doceri potest etiam ex divinis literis; Nam furem nocturnum permittunt impune occidi, non autem diurnum. Exod. 22. cujus differentiæ quæ alia reddi potest ratio, præter illam, quam observat *Augustinus*, quæst. 84. super Exodum, quia videlicet de nocturno incertum est, utrum ad furandum duntaxat, an etiam ad occidendum veniat; quod de diurno facile dignosci potest? Ideo si se telo defenderit tempore diurno, jam plus est quam fur, ut monet *Augustinus*, quæst. 84. super Exodum. Ubi approbat *Augustinus* antiquam illam legem Romanorum, quæ furem diurnum se cum telo defendentem permittit impunè occidi: nempe ut latronem & insidiatorem vel violentum invasorem. Neque in universa lege Mosaica, aut usquam in sacris literis, constituta est pœna pro hoc genere homicidii. Quod autem jubet Dominus non resistere malo, hoc intelligendum est secundum cordis præparationem, & de resistentia privatæ ultionis, non de resistentia justæ defensionis.

Exod. 22: 2, 3.

Matth. 5: 39.

IV. Observandæ tamen sunt hæ tres necessariæ cautiones, quas rectè notant Canonistæ, in glossis, caus. 23. quæst. 1. *Quod militare*. Et extra de homicidio. cap. *Significasti*.

Prima cautio est, ut repulsio violentiæ per vim, fiat causa defensionis, & non ulciscendi.

Secunda cautio est, ut fiat in continenti, non ex intervallo: alioquin ultio censetur, non defensio.

Tertio cautio est, ut fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, ut illud tantum fiat, quo omisso violenta repelli non posset. Ideo si invasorem aut insidiatorem illæsum redigere potes in tuam potestatem, vel etiam vulnere non lethali compescere, abstinendum est à nece. Sed si nulla alia relicta ratio est expediendæ salutis, impunè occidi poterit, etiam antequam te ille feriat.

CAPUT X.

De homicidii consultore, vel procuratore, & de remittenda injuria.

I. QUI consultor, qui procurator est homicidii, homicida est, quamvis ipse propria manu illud non patret; ut patet ex historia occisi *Uriæ*. Verè etiam dicitur, Can. *Cum minister*. Caus. 23. quæst. 5. Cum minister judicis occidit eum, quem judex jussit occidi, profectò si id sponte facit, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit à judice debuisse occidi. *2 Sam. 12. 9.*

II. Injuriam remittere nos jubet Dominus, in sermone in monte, Matth. 5: 39. & 6: 14, 15. sed sic est privata remittenda injuria, ut publica res nihil inde capiat detrimenti. Ideo ait auctor glossæ in Can. *Si is qui*. caus. 23. quæst. 84. & in can. *Si quis contristatus*, dist. 90. tenemur dimittere injuriam, id est, rancorem, sed injuriam, id est, satisfactionem non tenemur dimittere: imo benè facit qui prosequitur injuriam sibi factam, quia Reip. interest pœnas non facile dimitti: sic ergo per pactum possumus remittere, in quantum nostrum privatum commodum tangit; in quantum verò aliorum commodum tangit, non possumus: sic nec filius potest remittere id quod debetur Patri, nec tutor debitum pupilli, nec præses debitum civitatis. Hæc ibi. Certè injuriam nostram potius sustinere debemus, ipsamque satisfactionem dimittere sine reparatione damni, potius quam satisfactionem cum scandalo quæramus. 1 Cor. 6: 7. aut contra regulas Christianæ charitatis, misericordiæ, & æquanimitatis. Vitato tamen scandalo, & observatis charitatis, misericordiæ, & ἐπιεικείας Christianæ regulis, possumus ac debemus consulere in publicum, etiam agendo injuriarum, ubi opus est.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER SEPTIMUS.

De Septimo Præcepto, Non mœchaberis.

Caput Primum.

De variis hujus præcepti transgressionibus.

I. Nomine mœchiæ omnis intelligitur prohiberi impuritas libidinis carnalis, & intemperantiæ. Prohibetur igitur omnis fornicatio, & omnis libidinosa pollutio; item crapula, & lasciviæ comessationes. Omnes etiam gradus cujusque impietatis prohibentur, ut absit lascivia & impuritas ab ipso animo: Matth. 5: 28. à gestu, ibidem & 2 Petr. 2: 14. à sermone, Ephes. 4: 29. & cap. 5: vers. 3, 4. & ab universis vitæ partibus: ibidem, & 1 Thess. 4: 3, 4. Levit. 20. Deut. 22. & alibi passim. Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur: inquit *Paulus* jureconsultus, apud *Justinianum ff.* de extraordinariis criminibus. Lege 1.

II. Qui voluptatibus indulgent, (inquit *Lactantius*,) qui libidini obsequuntur, ii animam suam corpori mancipant, ad mortemque condemnant, quia se corpori addixerunt, in quo habet mors potestatem. Unusquisque igitur, quantum potest, formet se ad verecundiam, pudoremque colat, castitatem conscientia & mente tueatur. Nec tantum legibus publicis pareat, sed sit supra omnes leges, qui legem Dei sequitur. Quibus bonis si assueverit, jam pudebit eum in deteriorem descendere, modo placeant recta & honesta, quæ melioribus jucundiora sunt, quam prava & inhonesta pejoribus. Hæc ille, lib. 6. divinarum institutionum, cap. 23.

III. *Fornicatio*, est soluti viri cum muliere soluta, sed prostitutæ & publicatæ pudicitiæ. Accipi tamen solet latius, unde ipsum adulterium fornicatio appellatur, πορνεία, Matth. 19: 9. distinguitur tamen in strictiore acceptione ab adulterio: ut fornicatio sit illicita conjunctio masculi soluti cum fœmina soluta, sive illa publicum sit prostibulum, sive quocunque alio nomine appelletur. Item, sive libera sit, sive serva. Item, sive virgo, sive vidua, sive alterius cujusque ordinis.

IV. Ea fornicatio quæ in virginem committitur, *stuprum* dici solet; quod quidem vocabulum extendit *Papinianus* jurisconsultus etiam ad viduarum corruptionem, ff. ad legem Juliam de adulteriis coërcendis, lege, 6. §. *Lex stuprum.* Sed *Gelasius* Papa restringit ad illicitam virginum deflorationem, causs. 36. qu. 1. can. *Lex illa.* Quo sensu & à nobis, docendi causa, impræsentiarum accipiatur. De diversis ejus generibus mox dicemus. *Adulterium* est mistio personæ conjugatæ cum alia persona matrimonio illi non juncta. In personis conjugatis apud Mosen habetur & sponsa, Deut. 22: 24. Sic etiam in jure civili, ff. ad legem Juliam de adulteriis coërcendis, lege 13 §. *Divi.* ubi ait lex, non permitti neque ut matrimonium qualecunque, nec spes matrimonii violetur. Et in jure canonico, causs. 27. qu. 2. ubi etiam annotatur in glossa, ad can. *Si quis.* intelligendam esse sponsam de præsenti: nam sponsam de futuro non esse uxorem.

V. *Raptus* est, quando aliquis honestæ famæ fœminam abducit, ut corrumpat, vel in uxorem ducat invitam cum consensu parentum, aut eorum quorum interest, vel etiam volentem, invitis parentibus, vel invitam atque invitis parentibus. C. de raptu virginum, seu viduarum, nec non sanctimonialium. Et in novella constitutione 143. ubi in raptores eorumque adjutores, qui iis auxilium tempore invasionis præbuerunt, sancitur capitis pœna. Quam etiam extendit *Justinianus* ad eum qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit, id est, non solum violenter abducere, sed & pudicitiam rapere. Nam raptor est etiam qui per vim se miscet mulieri, etiamsi eam non abducat: vis enim illata pudicitiæ reum facit rapinæ, Deut. 22: 25, 26. Item causs. 36. qu. 1. can. *De raptoribus.* Leges civiles non permittunt conjugium inter raptorem & raptam, ne consentientibus quidem partibus, & parentibus. Locis citatis, apud *Justinianum*: at vero jus Canonicum permittit inter eos conjugium, si prior dissensio partium & parentum transeat in consensum, & rapta prius parentibus legaliter restituatur, ut liberè contrahi possint nuptiæ, peracta raptoris pœnitentia, causs. 36. qu. 2. Item extra de raptoribus, cap. *Cum causa.* & cap. *Accedens.* Præterea statuitur in canonibus, ut is tantum pro raptore habeatur, qui fœminam abducit vel violenter comprimit, de cujus ante nuptias nihil actum fuerat, non autem qui sponsam suam abducit, causs. 36. qu. 1. can. *Lex illa.* & in glossa ibidem. In lege etiam Mosaica permittitur conjugium raptoris & raptæ, quæ antea nulli desponsata erat, modo accedat consensus partium & patris puellæ. Deut. 22: 28, 29. Sic interpretantur *Hieronymus* & *Ambrosius*, causs. 36. qu. 2. can. *Tria.* & can. *Denique.* Quum etiam inchoatum sit per sponsa-

lia

lia matrimonium, non debet raptus pœnæ subjici, qui sponsam suam abducit volentem, quamvis de vi patentibus illata pœnitentiam agere debeant. Si autem etiam sponsæ suæ, cum qua contraxit tantummodo per verba de futuro, rapiat renitentis pudorem, tenetur rapinæ, si raptus naturam intueamur; quia multa incidere possent ad impediendam matrimonii consummationem: minor quidem est, non tamen nulla rapina est.

IV. *Stuprum* vel manifestum est, vel non manifestum. Si manifestum erat, statuit lex Mosaica ut stuprator eam virginem cui stuprum intulit, duceret in uxorem; sin autem dissentiret puellæ Pater, eam dotaret stuprator. Exod. 22: 16, 17. cujus legis æquitas perpetua est: quamvis determinatio pœnæ mutari possit, pro gentium & temporum varietate, & injuriæ atrocitate: unde aliquando etiam capitis supplicio juste puniuntur stupratores virginum. *Stuprum* non manifestum appello, quod ita latebat, ut stuprata puella alii viro, stupri illius fraudisque ignaro, pro virgine nuberet: qua comperta fallacia, si maritus apud Judices quereretur, fraudemque probaret, puella illa jam stupri admissi manifesta, lapidibus ad mortem obrui jubebatur. Deut. 22: 20, 21. quæ lex universalem habet atque perpetuam æquitatem, ut scilicet viris probis caveatur, & impudicæ improbitati obviam eatur: quamvis in determinatione supplicii videndum, quid compescendæ petulantiæ & fraudi sufficiat. Marito etiam non querente, sed per charitatem præterita conjugis suæ peccata obtegente, cessat omnis publica animadversio.

VII. Si alicujus sponsa desponsata per verba de futuro, se cum alio polluat, ita ut sponsalibus renuntiet, & ad illius nuptias animum adjiciat, non videtur nunc adulterii rea esse, quum possit etiam line interveniente copula mulier sponsalibus renuntiare, & quidem justas ob caussas, quæ tamen contractum per verba de præsenti matrimonium non dirimunt. Quamvis post sponsalia per verba de futuro, si sponsa pudicitiam suam alteri prostituat tacite prælibandam, &, dissimulato scelere, nuptias cum sponso, fraudis inscio, contrahat & confirmet, eam adulterii ream esse colligi possit ex Deut. cap. 22.

VIII. De conjugatis, quorum consummatum est matrimonium, quæritur, annon ille adulter sit, qui uxorem habens cum pellice rem habet; quemadmodum adultera est mulier, quæ virum habens alii miscetur: & an non pellex adultera sit, sive mulier soluta cum uxorato se polluens, quemadmodum adulter est, qui quamvis matrimonio solutus alienum torum polluit. Lex civilis Romana adulterium ait propriè in muliere nupta committi. ff. ad legem Juliam de adulteriis, lege sexta. *Inter liberos.* §. *Lex stuprum.* Lex etiam Mosaica illos solos adulterum & adulteram morti adjudicat, quando cum maritata vel desponsata muliere committitur adulterium. Levit. 20: 10. Deut. 22: 22.

IX. Quamvis omnis fidei conjugalis violatio adulterium sit, severius tamen animadversum in adulteros, ubi mulier maritata erat, propter naturales & politicas rationes. Magis enim abhorret natura à pluralitate maritorum. Et ex violatione seu pollutione alieni tori multa sequuntur incommoda; nempe implacabilis ira mariti, Prov. 6: 34, 35. indelebilis contumelia adulteri, ibidem, vers. 33. & trium familiarum dedecus, ut rectè observavit *Philo* Judæus. Nam & mariti familia afficitur contumelia, & quamvis uxor nubendo in mariti transierit familiam; redit tamen dedecus ex mulieris adulterio etiam ad ejus agnatos & propinquos, & familia ipsius adulteri afficitur ignomina: porro proles incerta redditur, & vel innocentes pueri, matris delictum luunt, sive ex marito sive ex adultero nati sint, propter incertitudinem exhæredes facti, vel familiæ nomen & patrimonium latentes spurii furantur: hine tam severè animadversum est in adulteros hujus ordinis: quos etiam leges civiles gentium morti addixerunt, ff. de adulteriis coercendis. Et C. eodem. Habent enim istæ rationes universalem & perpetuam vigorem. Nec immerito *Philo* censuit, tales adulteros, ut publicos hostes humani generis, esse capite plectendos, lib. de legibus specialibus pertinentibus ad sextum & septimum præceptum.

X. Adulterium tamen committi etiam à viro uxorato cum muliere soluta, certum est jam inde à lata lege Mosaica, saltem à temporibus Malachiæ Prophetæ, à quo plurimum fœminarum simul viventium usus apertè damnatus est. Quamvis veteribus quibusdam patribus, ut *Elcanæ*, *Davidi*, &c. per quandam pro tempore tolerantiam permissa fuerit polygamia; quæ illis in adulterii crimen non cessit; postea verò revocata ad originem matrimonii ratione, officium castitatis conjugalis unius præscripto lectuli terminatum est: ut quum quis habeat uxorem, neque servam neque liberam insuper velit, sed matrimonio fidem servet. Non enim (ut rectè ait *Lactantius*) sicut juris publici (nempe civilis Romani) ratio est, sola mulier adultera est quæ habet alium, maritus autem etiamsi plures habeat, à crimine adulterii solutus, sed divina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit. ——— Servanda igitur fides ab utroque alteri est, imo exemplo continentiæ docenda uxor, ut castè se gerat. Hæc ille, lib. 6. divinarum institutionum, cap. 26. Et *Ulpianus* jureconsultus vult judicem adulterii ante oculos habere & inquirere, an maritus pudicè vivens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit: periniquum enim videri, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. Quæ res (inquit) potest & virum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter utrosque communicare. Hæc ille, ff. ad legem Juliam, de adulteriis, lege 13. *Si uxor.* §. *Judex adulterii.* Efficitur plerumque, ut virorum incontinentia fœminas provocet, quamvis hinc non excusentur. De tali viro loquens *Quintilianus*, apud Lactantium loco superius citato; homo (inquit) neque alieni matrimonii abstinens, neque sui custos. *Augustinus* etiam quæst. 71. super Exodum, si (inquit) fœmina mœchata est habens virum, concumbendo cum eo qui vir ejus non est, etiamsi ille non habeat uxorem, etiam vir mœchatus habens uxorem, concumbendo cum ea quæ uxor ejus non est, etjamsi illa non habeat virum.

Matth. 19: 9. 1 Cor. 7: 2, 4.

XI. Idem etiam lib. 2. de adulterinis conjugiis, cap. 8. adversus illos scribens, qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam; & queruntur si pares cum mulieribus peccantibus pœnas sustineant; quasi (inquit) non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viri-

viriliter frænare, quia viri sunt; quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis huius exemplum se probare, quia viri sunt; quasi non propterea minus debeant libidine superari, quia viri sunt; quasi non propterea minus debeant lasciuienti carni seruire, quia viri sunt? & tamen indignantur si audiant, adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, quum tantò grauius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere & exemplo regere fœminas. *Et paulo post*; quæ quum ita sint, nunc, ideo minor est ac non potius major & pejor virorum impudicitia, quia inest illis superba & licentiosa jactantia? Item cap. 20. quando autem lex prohibet adulteria, si obtentu incontinentiæ carnalis infirmitatis admittatur excusatio, multis sub nomine falsæ impunitatis percundi aperitur occasio: neque enim carnem non habent fœminæ, quibus viri aliquid tale nolunt licere: quasi iis qui viri sunt liceat: sed absit hoc à melioribus sexu, ut tanquam honori debeatur quod pudori detrahitur: quum honor justus virtuti, non vitio debeatur. Hæc ille, adversus illos viros qui propterea se fœminis superiores esse arbitrantur, ne pudicitia pares esse dignentur, in qua etiam præire debuerunt, ut eos illæ tanquam sua capita sequerentur. Ut ibidem loquitur *Augustinus*.

XII. Est etiam Canon, quem ex *Augustino* citat *Gratianus*, causs. 32. quæst. 6. Can. *Nihil*. de repellendo marito adultero ab accusatione uxoris; verba Canonis sunt; Nihil iniquius est, quam causa fornicationis dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari; Occurrit enim illud, in quo alterum judicas, te ipsum condemnas, eadem enim agis quæ tu judicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem suam, prior debet esse à fornicatione purgatus & immunis, quod similiter etiam de fœmina. Hæc ibi. *Rom. 2: 1.*

XIII. Rectè tamen utrumque ferit censura Ecclesiastica, & pœna civilis, quamvis non concedatur divortium. Neque auditur vir ad obtinendum divortium, qui uxori suæ occasionem dedit fornicandi, tradendo eam invitam alteri opprimendam, sicuti rectè statutum est in jure Canonico, extra. de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, cap. *discretionem*.

XIV. Præterea vis physica & excusabilis ignorantia repellunt maritum ab accusatione adulterii, si, scilicet, uxor vi fuerit oppressa, libido enim non sua, sed tantummodo aliena neminem polluit, ut monet *Augustinus*, & ex illo *Gratianus*, causs. 32. quæst. 5. Can. *Itane*; & sequentibus. Et omnino coactio physica excludit reatum peccati; quo pertinet illud quod de *Lucia* legimus; *Si invitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam*. Ubi loquitur *Lucia* de violento simpliciter, in quo patiens nihil confert agenti, uti rectè observavit *Thomas*, in 3. sent. dist. 39. quæst. 3. art. 2. ad 3. Vel si credebat uxor maritum esse mortuum, causs. 34. quæst. 2. Can. *Quum per bellicam*. Nempe si tempus idoneum præstolata est. Item, si alter sub specie mariti eam cognovit, causs. 34. quæst. 2. Can. *Si virgo*. & Can. *In lectum*. Addit autor glossæ in causs. 32. quæst. 6. *Ecce*. Si maritus post adulterium toleravit eam, nempe post cognitum & compertum adulterium, si maritus officium præstat uxori conjugale, neque postea uxor ad adulterium redeat.

XV. Servos etiam & ancillas puberes, deficientibus aliis documentis, si crimen adulterii vel majestatis ingereretur, tam viri quam mulieris, ad examinandam causam repudii quæstionibus subdendos decreverunt *Theodosius* & *Valentinianus* Augusti: super plagis etiam ab alterutro illatis easdem probationes voluerunt observari: quoniam (*inquiunt*) non facile, quæ domi geruntur, per alienos poterunt confiteri. Cod. de repudiis & jud. ero de moribus sublato. Lege 8. *Consensu*. §. 6. *Servis etiam seu ancillis puberibus*. Idem prius constituerant *Severus* & *Antoninus* AA. Cod. de quæstionibus, lege 1. *Quæstionem*. quam legem inseruit juri Canonico *Gratianus*, causs. 12. quæst. 2. Can. *Quæstionem*.

Contra hoc præceptum est permissio meretricum, de qua vide lib. 6. part. 4. cap. 8. §. 2.

CAPUT II.

Utrum adulteram maritus retinere, vel dimissam reducere possit, nec ne.

I. QUÆRITUR, an possit maritus uxorem adulteram retinere, vel dimissam reducere. Lex civilis illum lenocinii damnat, qui uxorem suam adulterii compertam retinet & delinquere patitur. ff. ad legem Juliam de adulteriis. Lege 2. & lege 11. §. 13. *ream*. In jure etiam Canonico statuitur, ut non retineatur uxor adulterii manifesta, & in eodem perseverans: sicut enim crudelis & iniquus est (inquit Chrysostomus) qui castam dimittit uxorem, sic fatuus est & injustus qui retinet meretricem. Causs. 32. quæst. 1. Can. *Sicut*. & Can. *Si quis*.

II. Permittitur divortium propter semel admissum adulterium, quamvis non iteretur: ut patet ex lege divina, quæ vetat dimitti uxorem, nisi caussa fornicationis, Matth. 19. 9. Cogit (inquit Augustinus) retineri uxorem si caussa fornicationis non fuerit; non cogit dimittere, sed permittit: sicut dicitur, Non licet mulieri nubere alteri viro, nisi viro suo mortuo; si ante viri mortem nupserit, rea est; si post viri mortem non nupserit, non est rea; non enim jussa est nubere, sed permissa. Hæc ille. lib. 1. de sermone Domini in monte.

III. Non solum vir mulierem, sed & uxor virum adulterum dimittere potest, ut rectè ibidem colligit *Augustinus*. Si enim par sermo est (inquit) in isto jure conjugii inter virum & mulierem, usque adeo ut non tantum de fœmina Apostolus dixerit, mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, sed etiam de illo non tacuerit, dicens, similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Si ergo similis forma est, oportet intelligi non licere mulieri virum dimittere, nisi caussa fornicationis, sicut & viro. *1 Cor. 7. 4.*

IV. Dimissam verò & jam resipiscentem, peracta pœnitentia, recipere potest maritus, ex Christiana clementia, uti monet *Augustinus* lib. 2. de adulterinis conjugiis, cap. 9. & apud *Gratianum*, Causs. 32. quæst. 1. Can. *Quod autem*. & Can. *Non erit*. Non ut post viri divortium adultera revocetur, (inquit ille) sed ut post Christi consortium adultera non vocetur. Olim quidem in populo Israelitico prohibebatur receptio dimissæ ob turpitudinem, si alii viro dimissa nupsisset, quamvis alius ille vir jam mortuus esset. Deuter. 24. sed determinatio illa neque universalis est, sed Reipublicæ illi *Deut. 24. 4. Jerem. 3: 1.*

illi peculiaris; neque in illa ipsa Republica prorsus illicita erat dimissæ adulteræ receptio, ut patet ex historia illius Levitæ, Judicum 19. & exemplo Davidis, qui Saulis Filiam, alteri datam, & cum illo diu commoratam, recepit, 2 Sam. 3. Unde *Augustinus*, lib. 2. de adulterinis conjugiis, cap. 6. ait Davidem in hoc præfiguratorem esse Novi Testamenti, in quo adultera jam dicenda non est, cujus pœnitentis crimen divina miseratione deletum est.

V. Observandum tamen, ne in Novo quidem Testamento teneri virum ad recipiendum adulteram dimissam, quamvis pœnitentem: semel enim soluto jure matrimonii, nemo cogitur de novo legibus conjugalibus se submittere. Charitas quidem Christiana exigit ut eam odio non habeat, & in communibus charitatis officiis illi non desit, ut quæ non solum Christiana & pœnitens jam sit, sed & quæ aliquando conjugalis tori cum eo consors fuerit; at vero ad redintegranda omnium officiorum conjugalium fœdera non obligatur. Sicuti ex opposito, hoc facere nulla jam lege prohibetur, nisi forte impediat ea quæ vocatur justitia publicæ honestatis, cui tamen non importune responderi posset per clementiam Christianæ charitatis, ex qua tamen ipsa nulli laqueus injiciatur.

Plura autem de divortiis inferius subjiciemus post dissertationem de conjugio.

CAPUT III.

Conjugii institutio ac definitio.

I. CONJUGIUM primorum parentum describitur Genes. 2. à versu 18. ad finem capitis; *Dixit Dominus Deus, non est bonum, hominem esse solum, faciam ei adjutorium quod sit coram eo* (seu *ipsi conveniens.*) &c. Postea ostendit Moses, in brutis non esse inventum idoneum homini adjutorium; Deum igitur ex Adami costa, sopito exempta, condidisse mulierem, eamque ad virum adduxisse, Adamum verò conspectam agnovisse, quod caro ex carne ejus & os ex osse ejus, & in conjugem ei data esset, legemque effatum esse conjugii perpetuam futuram, ut vir Patrem suum & matrem suam relinqueret, uxorique suæ adhæreret futurosque duos in carnem unam. Addit etiam Moses, utrumque fuisse nudum, Adamum videlicet & uxorem ejus neque tamen ullo pudore confusos.

II. Conjugium, nuptiæ, matrimonium, definitur à *Justiniano*, viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. §. *Nuptiæ*. Inst. de patria potestate. A *Modestino* autem apud eundem *Justinianum*, definiuntur Nuptiæ conjunctio maris & fœminæ, & consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio. ff. de ritu nuptiarum. L. *Nuptiæ sunt*. Plenior erit definitio magisque Theologica, si sic definias humanum conjugium; Conjugium est legitimi ac maritalis viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem jurisque communionem continens, ab ipso Deo ante Adami lapsum instituta, ad viri adjutorium in humano genere propagando, aliisque negotiis administrandis; & post lapsum ab eodem approbata, atque in remedium etiam contra ustionem concupiscentiæ, omni hominum ordini, ustioni obnoxio, concessa & commendata. Hic habes omnes quatuor caussas conjugii.

CAPUT IV.

In quibus gradibus consanguinitatis vel affinitatis concessa vel prohibita sint conjugia.

I. ETSI olim eogente hominum paucitate, neque illicita neque turpis erat uterinorum conjugum consociatio; & propter certæ familiæ à reliquo humano genere separationem, amitam ducere, vel patruo nubere, aliquantisper fas erat; quin & post legem latam, tenebatur frater proximusve agnatus relictam fratris agnati sine prole defuncti in uxorem ducere, ex constitutione quadam peculiari umbratili & typica, Deut. 25: 5. quæ postea cum cæteris figuralibus per Evangelium evacuata est, ut recte monet ex *Augustino*, *Gratianus*, 35. quæst. 1. *Cum igitur*. Isto casu excepto, qui nunc non habet locum, nefas erat post legem per Moysen latam consociari in gradibus lege illa prohibitis, Levit. 18. & 20. Præcepta autem legis servanda esse, quæ nec Evangeliis nec Apostolicis institutis evacuata probantur, rectè monet *Augustinus*, apud *Gratianum*, 35. qu. 1. *Cum igitur*.

II. De gradibus illis apud Mosem vetitis, hæ tres regulæ sunt observandæ. *Prima regula est*; De quibus personis par ratio est, illæ eadem lege tenentur; exempli gratia; frater prohibetur accipere uxorem fratris, propter propinquitatem fraternam; eodem ergo jure soror sororis marito nubere non debet; propter propinquitatem sororiam. Sic; non est ducenda in uxorem amita, ergo neque fratris filia; eadem enim utrobique propinquitas. Tredecim personas divina hac lege prohibitas auctor glossæ extra, de restitutione spoliatorum, cap. *Literas*. hoc tetrasticho recenset;

Regulæ de personis inter quas prohibentur nuptiæ. Levit. 18. Prima regula.

Nata, soror, neptis, matertera, fratris & uxor,
Et Patrui conjux, mater, privigna, noverca,
Uxorisque soror, privigni nata, nurusque,
Atque soror Patris, conjungi lege vetantur.

Secunda regula est; cujus filiam ducere non potes in uxorem, propter consanguinitatem, nullam ducere potes ex ejus posteris in linea recta: nisi ille vel illa, de cujus filia quæritur, sit te superior duobus gradibus in linea recta. Ideo neptem aut proneptem aut abneptem &c. suam vel fratris vel sororis suæ, nemini fas ducere in uxorem. Quamvis ducere possit neptem avi sui id est, filiam patrui sui. Istis duabus regulis observatis, plures inveniemus personas prohibitas, nempe filiam fratris, filiam sororis, eorumque neptes, proneptes, abneptes, &c. Adde & hanc *tertiam regulam*, quæ est de prohibitione propter affinitatem; Eodem gradu distat vir à consanguineis mulieris quam carnaliter cognovit, sive in conjugio legitimo, sive extra conjugium, quo distat ipsa mulier; & similiter mulier eodem distat gradu à consanguineis viri, quo ipse vir. Unde patet, virum istum non posse in uxorem ducere mulieris istius carnaliter illi cognitæ, matrem, aut sororem, aut filiam, aut neptem ex filia, vel ex forore, vel ex fratre. Neque mulierem istam nubere posse Patri istius viri, aut ejus fratri, &c. Eodem, inquam, distant gradu, sed non in eodem genere; Vir enim consanguineis suis est consanguineus, mulier eisdem affinis; Eadem suis consanguineis est consanguinea, vir eisdem affinis, & illi affines viro. Unde versiculus,

Secunda regula.

Tertia regula.

Mutat nupta genus, sed generata gradum. Extra, de consang. & affin. cap. *Non debet.* in glossa, quia scilicet in eodem gradu est cum viro, sed non in eodem genere attinentiæ, ut loquuntur.

III. Regula autem ista intelligenda est, ut verba sonant, de partium consanguineis, non etiam de earum affinibus; solum enim primum affinitatis genus nunc prohibet nuptias, non autem adjecta affinitati affinitas: primum autem affinitatis genus est, quo vir mulieris carnaliter illi cognitæ consanguineis eadem propinquitate conjunctus est affinitatis, qua mulier ipsa consanguinitatis; & vice versa. Itaque etiamsi non possit aliquis ducere relictam fratris sui, propter primum genus affinitatis, potest tamen hodie de jure Canonico, ducere relictam illius qui sorori ipsius erat maritus eaque mortua aliam duxit secundam uxorem, hanc jam defuncto marito ducere potest prioris uxoris frater, quia neque mulieri isti neque ejus defuncto marito consanguineus est in aliquo gradu prohibente matrimonium. Hanc regulam hoc ipso exemplo illustratam inveniet lector, 35. quæst. 5. in glossa ad arborem affinitatis. Et extra. eod. Olim quidem Ecclesiasticis constitutionibus prohibebantur istiusmodi nuptiæ; sed eas constitutiones *Innocentius* Papa III. cum approbatione Concilii revocavit, extra, de consanguinitate & affinitate, cap. 8. *Non debet.* hoc argumento, quod prohibitiones illæ & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum: cessante autem prohibitione cesset effectus. Istiusmodi tamen matrimonio obstat justitia publicæ honestatis, quam respexit antiquitas. Præterea sciendum est, primo isto affinitatis genere conjunctum esse mulieris consanguineis solum virum qui mulierem cognovit, non etiam consanguineos viri, quibus sola ista mulier à consanguineo ipsorum carnaliter cognita evasit per istam conjunctionem affinis in primo genere affinitatis, impediente & dirimente matrimonium, non etiam mulieris consanguinei. Idcirco etsi maritus mortua uxore non potest uxoris defunctæ sororem, vel matrem, vel filium ex alio viro, ducere, frater tamen mariti potest quamlibet ex istis ducere, etiam viventе fratris sui uxore. Vide cap. *quod super his.* Extra de consanguinitate & affinitate. Affinitas autem non minus quam consanguinitas, est perpetuum impedimentum, quod durat etiam mortua persona, qua mediante contrahitur. 35. qu. 10. *Fraternitatis.*, & glossator ad arborem affinitatis, 35. quæst. 5. monet, inter virum & mulierem ipsi carnaliter cognitam non contrahi affinitatem, sed ipsos esse affinitatis causam.

IV. Quæritur igitur, inter quos consanguineos licita vel illicita sint matrimonia? nam regulam consanguinitatis sequitur affinitas illa quæ prohibet matrimonium. Ut clarè respondeamus, dicendum potius videtur de lineis & gradibus. Consanguinei vel sunt in linea recta, ut Pater, filius, nepos, mater, filia, neptis, &c. vel in linea transversa seu collaterali, ut frater, soror, patruus, amita, patruelis, &c.

V. Gradus in linea recta eodem modo numerantur apud omnes, ut: quot sunt personæ, de quorum distantia quæritur, numeratis intermediis, una dempta, tot sunt gradus, e. g. *Levi* distat tertio gradu ab *Abrahamo*, personæ enim sunt quatuor, *Abraham*, *Levi*, cum duabus intermediis, *Isaac*, *Jaacob*. Conjugia autem in linea recta nunquam sunt licita, ne in centesimo quidem gradu. Quæstio igitur tota est de personis in lineis transversis, quoto gradu inter eas legitimæ sint nuptiæ Sed prius dicamus de computatione graduum in collateralibus.

IV. Aliter istos gradus computant Jureconsulti, aliter Canonistæ. Nam Jureconsulti eodem modo in collateralibus numerant gradus, quo in linea recta; numerando scilicet personas, unamque demendo; sive personæ, de quibus quæritur, in lineis sint æqualibus, sive in lineis inæqualibus. At Canonistæ gradus tantum numerant à communi stipite; Unde secundùm Canones sunt hæ duæ regulæ, 35. quæst. 5. in glossa. & extra de consanguinitate & affinitate, cap. *Vir qui.* 1. *Collateralium in linea æquali, quoto gradu quis distat à communi stipite, toto distant inter se, vel sibi attinent.* e. g. fratrum duorum nepotes distant inter se tertio gradu, quia à communi proavo quilibet eorum distat tertio gradu. 2. *Collateralium in linea inæquali, quoto gradu remotior distat à communi stipite, toto distant inter se*, e. g. fratris unius pronepos ab alterius fratris filia vel nepte distat quarto gradu, quamvis alterius fratris filia non distet à stipite nisi secundo gradu; quia pronepos ille distat à communi stipite seu communi parente gradu quarto.

VII. At verò secundùm computationem Legistarum, hæ sunt regulæ. 1. *Collateralium in linea æquali, quoto gradu quis distat à communi stipite, toto duplicato distant inter se.* e. g. fratrum duorum nepotes distant inter se gradu sexto, quia quilibet eorum à communi proavo distat tertio gradu. 2. *Collateralium in linea inæquali quot sunt personæ, stipite dempto, tot sunt gradus.* Eadem regula tenet etiam in linea æquali. E. g. in linea inæquali; unius fratris nepos & alterius fratris filius distant inter se quinto gradu, tot enim sunt personæ, numeratis eis de quibus quæritur, & intermediis, una dempta, sic, *Phares*, *Judas*, *Jacobus*, *Isaacus* communis parens, *Esavus*, *Eliphaz*, *Esavi* filius, sex sunt personæ, gradus ergo quinque; si addas *Temanem*, *Eliphazi* filium, septem erunt personæ, & sex gradus in linea æquali.

His prænotatis, ad quæstionem propositam respondeo, paucis propositionibus.

VIII. *Prima propositio*; Persona uno tantum gradu distans à communi stipite, non potest matrimonium contrahere cum ulla persona ab eodem stipite oriunda. Secundum communem in omni jure regulam, supra memoratam; cujus filiam ducere non potes propter consanguinitatem, neque neptem, neque ullam illius prolem potes ducere. Et cujus filio propter consanguinitatem prohibeus nubere, neque nepoti ejus nubere potes, neque pronepoti, &c. §. 4. *fratris verò.* Inst. de nuptiis. Hæc regula tenet, ut supra monuimus, nisi ille vel illa, de cujus filia quæritur, sit te superior duobus aut pluribus gradibus in linea recta, nam etsi avi tui filiam ducere non potes propter consanguinitatem, ejus tamen neptem, nempe Patrui tui filiam ducere potes.

IX. *Secunda propositio*; In collateralibus æqualis lineæ verè dicitur; Ego & tu sumus consanguinei, ego autem possum ducere filiam tuam, ergo tu meam; & è converso, tu potes ducere filiam meam, ergo ego tuam possum ducere: item negativè, Ego non possum ducere tuam filiam, ergo neque tu meam. Affirmativa tenet in patruelibus secundum leges; negativa in fratribus. At verò in collateralibus inæqualis lineæ, non licet isto modo argumentari, neque affir-

affirmativè, neque negativè; ut patet exemplo patrui, & nepotis ex fratre seu sibi fratris; hic enim illius filiam ducere potest secundum leges, non ille hujus. Eadem ratio est in gradibus canonicis, 35. qu. 5. in glossa ad arborem consanguinitatis.

X. *Tertia propositio*; ex lege divina, Levit. 18. & jure civili Romanorum, Inst. de nuptiis, intra quartum gradum civilem non sunt justæ nuptiæ; in ipso autem quarto gradu non sunt injustæ aut incestæ. Servatis scilicet prioribus regulis. Licet enim patruelibus, aut sobrinis, aut consobrinis, contrahere inter se matrimonium.

XI, *Quarta propositio*; Olim secundùm statuta paterna & canones Ecclesiasticos, non erant licita matrimonia consanguineorum in sexto gradu canonico, sed in septimo demum concedebantur, 35. qu. 2. & 3. Postea indulta sunt jure canonico matrimonia in sexto gradu, si scilicet uterque conjungendorum distaret à stipite sexto gradu; extra de consang. & affin. *Quod dilectio*. Denique ad quartum gradum canonicum reducta est prohibitio, concessaque in ulterioribus gradibus conjugia, extra, de consang. & affin. cap. *Non debet*. Quod juris hodieque apud Pontificios observatur. Adeo ut secundùm canones, non possint fratrum duorum pronepotes contrahere matrimonium, pronepotum verò istorum liberi possint contrahere: & secundum nonnullos sufficit, si altera pars contrahentium sit in quinto gradu, etiamsi altera sit in gradu citeriore, quia quoto remotior distat à stipite, toto distant inter se. Unde inferunt, posse contrahere personas quarum una sit in quinto gradu, altera in primo gradu, ut inter ejusdem hominis fratrem & abneptem, ac si *Ismaël* in uxorem duceret filiam *Pharezi*, abneptem *Isaaci*. At hæc absurda est sententia, ut patet ex superioribus. Certum est autem, neque prohiberi secundum canones, neque ullo jure vetari conjugia inter unam partem in quinto gradu, & alteram in secundo gradu canonico, aut in tertio, & deinceps. Juxta regulam memoratam, quoto gradu remotior &c. Extra de consang. & affin. cap. *Vir qui*.

XII. *Quinta propositio*; Ex jure canonico sedes Apostolica in gradibus divina lege prohibitis dispensare non potest, at in eis qui constitutione interdicuntur humana dispensare potest; ut monet *Innocentius* III. Papa, extrà, de restitutione spoliatorum, cap. *literas*. & *Bellarminus* ait; non potest inferior dispensare in lege superioris, proinde nec homo in lege Dei. lib. de matrimonio, cap. 11. §. *Prima propositio*. Tridentini autem anathema denunciant, si quis dixerit, non posse Ecclesiam dispensare in nonnullis eorum gradnum, qui Levitico exprimuntur, Sess. 24. can. 3.

XIII. *Sexta propositio*; Etsi nullius conscientiæ jugum imponendum est, tanquam ex indispensabili necessitate legis divinæ, ultra gradus à Deo vetitos; quia tamen in contrahendis matrimoniis intueri debemus non tantum quid liceat, sed etiam quid expediat, & quid deceat, ideo dicimus eum qui consanguineam vel affinem suam in quarto vel quinto gradu civili (nulla lege publica prohibitus) ducit, non peccare quidem, melius tamen facere illum qui remotiorem quærit uxorem. Id quod ostendi potest ex prohibitionis finibus. Prohibita enim sunt propinquorum matrimonia duas præsertim ob caussas; utramque insinuat *Augustinus*, lib. 15. de Civitate Dei, cap. 16. *Prior caussa est*; ad ampliandam charitatem, ut homines etiam diversarum familiarum quibus esset utilis atque honestissima concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur: nec unus in uno multas haberet necessitudines, sed singulæ spargerentur in singulos, atque ita numerosius se charitas extenderet. *Altera ratio est*, pro tuenda justitia publicæ honestatis & custodia castitatis; ne scilicet fratrum sororumque necessaria & laudabilis familiaritas alio affectu quam fraterno & fororia charitate uteretur, aut carnali lubricitati esset opportuna. Ob has rationes suadendum hominibus, ne ad consanguinearum aut affinium etiam in gradibus non vetitis lege divina, nuptias animum appellant, sed ut suas agnatas cognatasque & affines omnes fraterno affectu diligant, affectum verò conjugalem remotioribus reservent.

XIV. *Septima propositio*; Non est Christianis negligenda *publicæ honestatis justitia*, propter quam à quarundam nuptiis non immeritò censetur abstinendum; puta à muliere fratri desponsata, à sorore mulieris tibi aliquando desponsatæ, aut in infantia tibi nuptæ, &c. Vide 27. qu. 2. *Si quis desponsaverit*. & 35. qu. 3. *Porro*. & extra de sponsalibus & matrimoniis, capp. 3. & 4. In condendis autem legibus nuptialibus meminisse debent legumlatores, non tanto pondere prohibendos esse homines facere licita, quamvis non expediant, quanto pondere prohibentur illicita. ut monet *Augustinus*, lib. 1. ad *Pollentium*, de adulterinis conjugiis, cap. 20. Ideo in humanis legibus quandoque bene dispensatur, licet non in divinis.

XV. Quæres quid sentiendum de nuptiis viri cum fratris sui defuncti conjuge, adhuc virgine. Tales nuptias Imperator *Zeno* & prohibuit fieri, & factas jussit pro nullis haberi. Lege 8. C. de incestis & inutilibus nuptiis. Licet Ægyptiorum quidam idcirco mortuorum fratrum sibi conjuges matrimonio copulaverint, quod post illorum mortem mansisse virgines dicebantur, arbitrati scilicet, quod certis legum conditoribus placuit, cum corpore non convenerint, nuptias non videri re esse contractas, & ejusmodi connubia tunc temporis celebrata, firmata sunt. Ut refert ibidem Imperator. Nos ab ejusmodi nuptiis abstinendum ducimus, propter publicæ honestatis justitiam. Etsi contractæ consummatæque, incestis qua ratione accenseri debeant, non videmus: cum affinitas fit personarum proximitas ex coitu proveniens, 35. qu. 5. in glossa ad arborem affinitatis. Et extra de eo qui cogn. consang. uxoris suæ, cap. *Discretionem*. Leges quidem Romanorum civiles non agnoscebant affinitatem, nisi ex justis nuptiis, ff. de gradibus. Lege 4. *Non facile*. §. *Sciendum*. At Apostolus docet, etiam fornicatorem fieri unum corpus cum meretrice, cui adhæret, 1 Cor. 6: 16.

Caput V.

De cognatione & affinitate spirituali, & legali.

I. Secundum canones & leges non solum carnalis, sed etiam spiritualis, & legalis cognationes statuuntur impedimenta matrimonii, de illis etiam cognationibus pauca adtexam.

II. *Cognatio spiritualis* secundùm canones est quæ inter tingentem sacro baptismatis lavacro &

& tinctum vel tinctam intercedit; item inter confirmantem & confirmatum vel confirmatam; nec non inter illum qui confessionem peccatorum audit, & confitentem confessione illa privata & accurata quam auricularem vocant. Porro inter eum vel eam qui vel quæ ex sacro fonte suscipitur, & suscipientes: præterca inter suscipientes, & parentes carnales; id est, inter compatres & commatres: adhæc, inter susceptum & suscipientium liberos post susceptionem natos. 30. qu. 1. & 3. & 4. & extra de cognatione spirituali.

III. Est etiam propinquitas quædam spiritualis instar affinitatis, per uxorem ad maritum pertingens, si modo uxorem suam antequam illa commater fieret cognovit carnaliter; quo casu, quibus uxor fit commater, suscipiendo eorum prolem, eorundem affinis spiritualis fit maritus. cauff. 30. qu. 4. *Relictam.* in glossa. & ibid. can. *Sciscitatur.* Similis oritur affinitas, inter patrem baptisati, & uxorem levantis. Extra, de cognatione spirituali. *Martinus.* Etsi non conceditur utrique conjugum simul, ut vir cum uxore sua eundem vel eandem in baptismo suscipiant. 30. qu. 4. *Quod autem.* Maritus tamen non fit compater illis qui uxoris filium ex alio viro natum suscipiunt, eod. *Relictam.* in glossa. & extra de cognatione spirituali, *Martinus.* in glossa. Unde versus ibidem,

Quæ mihi, vel cujus mea natum fonte levavit,
Hæc mea commater fieri, mea non valet uxor.
Si qua meæ natum non ex me fonte levavit,
Hanc post fata meæ non inde vetabor habere.

IV. Omnes memoratæ sive cognationes sive affinitates spirituales ex jure canonico matrimonium & impediunt contrahendum, & dirimunt contractum. 30. qu. 1. & 3. & 4. Et extra de cognatione spirituali. Si nempe post factam cognationem spiritualem contractæ sint nuptiæ. Conjuges enim propter contractam in matrimonio cognationem spiritualem, (puta si quis suum & uxoris suæ filium, vel suum filiastrum, id est, uxoris ex alio viro filium baptisaverit, vel susceperit,) pœnitentiæ quidem subjiciuntur, atque si obtineri ab eis possit, ad perpetuam abstinentiam hortamentis incitantur, sed non separantur, neque abstinere compelluntur. 30. qu. 1. *ad limina.* & extra de cognatione spirituali, cap. *Si vir & mulier.* Spiritualis cognatio non est dicenda consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. inquit *Nicolaus* Papa, 30. qu. 3. *Ita diligere.*

V. *Cognatio legalis* est quæ fit vel per *adoptionem* strictè sumptam, quæ est illius qui quæve in potestate parentis est, vel per adoptionem illius qui sui juris est, quæ *adrogatio* dicta est. Utraque adoptio impedit matrimonium inter filium adoptantis naturalem & filiam adoptivam, item inter filium adoptivum & filiam naturalem; quamdiu durat adoptio, & potestas patria in utrumque: alterutro autem emancipato, licitè contrahunt matrimonium, secundùm leges, & canones, §. *Inter eas quoque.* Inst. de nuptiis, ff. de ritu nuptiarum. L. *per adoptionem.* cauff. 30. qu. 3. *Ita diligere.* Extra, de cognatione legali.

VI. Inter ascendentes verò & descendentes, id est, inter adoptantem & adoptatum vel adoptatam, semper impeditur matrimonium, etiam soluta adoptione; adeo ut neque adoptato liceat ducere relictam illius qui illum adoptaverat, quia novercæ locum habuit, neque adoptanti liceat ducere relictam filii sui adoptivi, etiamsi illum ante mortem emancipaverit, quia aliquando nurus illi fuit, nedum ut liceat adoptanti ducere adoptatam. ff. de ritu nupt. L. *adoptivus filius.* An verò, si quis durante adoptione, sororem suam adoptivam duxerit, vel si qua fratri suo adoptivo nupserit, dissolvendum sit illud matrimonium, nec ne, dissentiunt canonistæ, aliis asserentibus dissolvendum, aliis negantibus. Extra, de cognatione legali, *Si qua per.* in glossa. Duo autem adoptivi, filius & filia, inter se contrahere non prohibentur. ibidem.

VII. Quantum ad istas spectat cognationes, spiritualem, & civilem, etiamsi fortasse inde duci interdum possem argumenta qualiacunque, consideratis illis supra memoratis finibus prohibitionis, ad avertendum si fieri possit animum amici à matrimonio aliquo minus commodo; in quibusdam etiam obstet justitia publicæ honestatis, nempe inter ascendentes & descendentes in cognatione legali; matrimonia tamen inter cognatos aut affines spirituales vel contrahenda violenter impediri, vel contracta & consummata dissolvi posse propter solam cognationem spiritualem, & pro adulteriis habenda esse, (si naturam rei intueamur) non concedo; utar argumento, quo *Joannes* Papa Romanus, *Anselmo* Lemóvinæ Ecclesiæ Episcopo scribens, ostendit, apud *Gratianum*. 30. qu. 1. *ad limina:* virum illum qui filium proprium necessitate cogente baptizavit, non esse ab uxore sua separandum, quia nimirum docet scriptura, à Domino junctam esse viro uxorem, & quos Deus conjunxit, homo non separat. Unde & Dominus in Evangelio non dimittere posse uxorem suam nisi caussa fornicationis apertissimè jubet. Hæc *Joannes.* Item *Alexander* Papa tertius, extra de cognatione spirituali, cap. *Si vir & mulier.* decernit non esse separandos conjuges, qui vel scienter vel ignoranter, sive ex ignorantia sive ex malitia filium suum de sacro fonte susceperint. Hinc patet, cognationem spiritualem non esse per se ἀσύστατον cum vero matrimonio, sed posse cognatos spirituales carnaliter commisceri incontaminato officio conjugali. Secus ac se habet in gradibus divina lege prohibitis cognationis carnalis; in his enim nullo jam casu posse sedem Apostolicam dispensare, neque consanguineos in gradibus istis sine mortali peccato commisceri posse, rectè judicavit *Innocentius* III. Papa Romanus, extra, de rest. spol. C. *Literas.* sup. cap. 4. §. 13.

Caput VI.

De aliis quibusdam contrahentium conditionibus.

I. Dicemus in conjugii descriptione, conjugium in remedium contra ustionem concupiscentiæ, omni hominum ordini, ustioni obnoxio, concessum esse & commendatum. Nullus enim hominum ordo excludit matrimonium, nisi qui excludit etiam ætatem concupiscentiæ obnoxiam: cujusmodi est ordo viduarum illarum, de quibus loquitur Paulus Apostolus, 1 Tim. 5: 9. Quas quia non vult nubere, ideo jubet eligi non minores annis sexaginta, qua in ætate, jam sponte naturæ, deferbuit æstus libidinis, ut non sit pertimescenda petulantia, præsertim in mulieribus probatæ compertæque modestiæ. Unde *Gregorius* I. Papa Romanus scribit *Maximiano* Episcopo sup. cap. 3. §. 2.

copo Syracusano; *Nullam fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cujus aetas hoc atque mores exegerint, velari permittat.* lib. 3. epistolarum ex Registro, epist. 11. Nullus alius hominum ordo à nuptiis in Evangelio arcetur. Generalis est regula; *melius est nubere, quam uri.* 1 Cor. 7: 9. Controversiam autem quae movetur de coelibatu sacerdotum, prolixè explicavimus, lib. de cura & residentia pastorali, cap. 33. & de coelibis continentiae voto supra disseruimus, lib. 3. hujus operis, cap. 6. §. 13. & §. 14.

Vide etiam hujus libri cap. 21.

II. Quaerunt nonnulli, utrum liceat uni plures habere simul conjuges nec ne? Respondet *Augustinus*, lib. de bono conjugali, cap. 13. & 15. item lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 8. & 9. & cum illo nos respondemus, concessum priscis aliquando patribus, ut unus vir plures uxores duceret: ubi ratio fuit prolis multiplicandae, non variandae appetitio voluptatis. Plures autem uxores castius olim viri sancti habebant, quam nunc unam illi qui eos vituperant. Postea verò quàm ratio illa multiplicandae sobolis locum habere desiit, amputata licentia est, & ad primam institutionem revocata conjugia: nam in principio Deus non uni plures sociavit uxores, quamvis non inops spiritus & potentiae, sed uni unam conjunxit, ut inde connubia sumerent initium, ubi honestius attenderetur exemplum; ideo huc revocat conjugii rationem Malachias, capite 2. quem sequitur Apostolus Paulus, 1 Cor. 7. & 1 Tim. 3. Quemadmodum & à prima institutione refellit Dominus noster errorem Pharisaeorum de divortio, *Non fuit sic à principio.* Matth. 19: 8. & diserte ait, vers. 9. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur.* Ecce Dominus apertè prohibet ducere aliam uxorem, durante priore matrimonio, & cum altera consortium vocat adulterium. Quod etiam commemorant, Marcus 10: 11. & Lucas 16: 18. adeo ut multum afferat opportunitatis ad aliquid juste agendum sive non agendum, temporum secreta distinctio, uti rectè monuit *Augustinus* lib. de bono conjug. cap. 15. Ex his etiam patet, personam quae unius matrimonii vinculo manet illigata, non esse idoneam novo matrimonio, durante vinculo prioris matrimonii. Esset enim polygamica illa conjunctio, & illegitima.

III. Praeterea ad matrimonium requiritur, ut persona contrahens, sit justae aetatis, hoc est, pubes: item ad coeundum potens. Nam infra justam aetatem non potest esse consensus; & citra coeundi potentiam non est verum perfectumque matrimonium, uti ex sequentibus patebit. Has autem duas in contrahente necessarias conditiones, cum tertia, nempe consensu, observat author glossae, causs. 30. qu. 2. Sponsalia.

Atque haec de materia conjugii.

CAPUT VII.

De forma conjugii essentiali.

I. FORMAM essentialem conjugii designant illa verba in definitione, ubi conjugium dicitur *legitima & maritalis conjunctio, individuam vitae consuetudinem jurisque communionem continens.* 1. Est *conjunctio* (nempe viri & mulieris,) 2. Est *maritalis & legitima conjunctio.* 3. *Individuam vitae consuetudinem & juris communionem continet.* Conjunctio est, unde illud, *quod Deus conjunxit*, Matth. 19: 6. Est maritalis conjunctio, neque enim omnis conjunctio facit conjugium, nam & fratres ac sorores conjuncti sunt consanguinitate, item contubernio; impuri etiam cynaedi & paederastae conjunguntur, sed praeter naturam, non autem conjunctione maritali; debet etiam legitima esse conjunctio, tum materialiter, nempe personarum quarum conjunctionem approbat lex divina, tum formaliter, per consensum. Denique consensus iste esse debet non in πρόσκαιρον quandam usuram, sed in perpetuam vitae consuetudinem, & communionem. Ad *formam* igitur *matrimonii*, ad hoc scilicet, ut verum & perfectum sit matrimonium, requiritur conjunctio indissolubilis.

II. Dicemus prius de ipsa conjunctione matrimoniali, deinde de ejus perpetua firmitate.

III. Conjunctionis matrimonialis duae sunt partes, consensus, graec. συμφώνησις, vocabulo Apostolico, 1 Cor. 6: 15. & concubitus, graec. κοίτη, vocabulo itidem Apostolico, Hebr. 13: 4. Hic tres occurrunt quaestiones. 1. Quorum consensus sit necessarius. 2. Qualis consensus; utrum scilicet expressus, an tacitus; verbo, an re; item in quid consentiatur, &c. 3. An solus consensus faciat matrimonium, an verò etiam concubitus sit necessarius ad hoc, ut verum sit matrimonium.

Quorum consensus sit necessarius.

IV. Partim contrahentium consensus absolutè necessarius est; hoc enim ipsa docet natura: nam conjugium in amore casto fundatur, & sine consensu nullus amor. Ideo in matrimonio animus debet gaudere plena libertate; ut rectè dicitur, Extra, de sponsalibus. *Cum locum.* Hoc docet etiam scriptura, exemplo *Rebeccae*, Genes. 24: 57, 58. Certum est etiam, Deum fecisse ut veniret ad virum *Eva* non invita, sed lubens: quod & ex ipso verbo Hebraico ויביאה nonnulli colligunt: certum est etiam *Adamum* non invitum, sed lubenti animo accepisse *Evam*, uxorem suam, ut ex ipsius verbis liquido apparet. Et rectè sanè *Hormisdas* Papa Rom. statuit, renitentem non debere conjugio copulari, quorum enim unum corpus est, (inquit ille,) unus debet esse & animus; ne forte virgo cum fuerit alicui invita copulata, contra Domini Apostolique praeceptum aut reatum dissidii, aut crimen fornicationis incurrat; cujus videlicet peccati malum in eum redundare constat qui eam conjunxit invitam. Quod pari tenore de viro etiam est sciendum. caus. 31. qu. 2. *De neptis.* Et verè etiam in eo quidem *Nicolaus* Papa affirmat, si solus eorum de quorum conjunctione agitur, consensus defuerit, caetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrari. 27. qu. 2. *Sufficiat.* Si quis autem libera voluntate desponsavit sibi aliquam, & postea sponsam suam nubere illi, volentem in uxorem ducere recusaverit, illum cogendum statuit *Alexander* Papa tertius, ut stet promissis, eamque in sententia permanentem in uxorem ducat, nisi rationabilis causa obstiterit, id est, idoneum aliquod impedimentum. Extra de sponsalibus. *Ex literis.*

V. Parentum etiam consensus, & quasi parentum, hoc est, eorum in quorum potestate sunt contrahentes, habendus est: nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet. ut rectè monet *Justinianus*, §. *Justas autem.* Instit. de

de nuptiis. Hoc etiam scriptura docet, dum parentibus curam committit nuptiarum liberorum suorum, Genes. 28: 1. Deut. 7: 3. & honos parentibus debitus hoc ipsum officium postulat. Potest quidem parentis furiosi, aut iniquè dissentientis filius aut filia contrahere sine parentis consensu, salvo etiam honore parentibus debito, quia supra parentes sunt leges, ipsaque ratio, & principes patres patriæ, quorum consensus est nobis instar paterni consensus. At verò sani & æqui parentis filius aut filia sine parentis consensu contrahere non potest. Ratum tamen est filii matrimonium, etiam sine parentis assensu contractum, nisi obstet salutaris aliqua constitutio, & certa lex à potestatem habente lata, non solum prohibens, sed & irritas denuncians tales nuptias; alioqui ratæ manent, ut videre est in matrimonio *Esaui* cum Chettæis mulieribus, Genes. 26: 34, 35. cui defuisse videtur consensus *Isaaci*, quia etiam talibus nuptiis ipse *Isaac* postea interdixit filio suo *Jacobo*. Genes. 28: 1. filiæ tamen corruptæ, stupratori nubere volentis nuptias permittit scriptura patris arbitrio, adeo ut quamvis eam stuprator in uxorem velit ducere, & illa velit nubere stupratori, possit tamen pater puellæ nuptias illas suo jure inhibere. Genes. 34: 17. Exod. 22: 16, 17. non idem juris habet pater de nuptiis filii; nam si filius liberam stupraverit, velitque eam uxorem ducere, non potest intercedere pater: quin & ipse stuprator jam nolit velit cogitur stare pacto cum puella inito, sive consentiat ipsius pater, sive dissentiat, modo non dissentiat pater puellæ, suamque dissensionem debito tempore & loco notam faciat, eamque rationibus idoneis communiat. Nam si vel taceat, vel si intempestivè queratur pater, puta, e. g. non ante solennitates & benedictiones Ecclesiasticas, aut etiam non ante matrimonii consummationem, quamvis illi priùs innotuerit contrahentium propositum, vel si nullam dissensionis suæ idoneam proferat rationem; non impediuntur nuptiæ propter dissensionem patris puellæ, sive integræ, sive corruptæ.

Qualis consensus sit necessarius.

VI. Requiritur consensus expressus; per verba, quæ sunt necessaria quantum ad Ecclesiam. Extra, de sponsalibus & matrimoniis, *Tuæ fraternitati*. Vel exprimendus est consensus signis æquipollentibus, puta nutu, aut subarratione, aut alio aliquo facto consensum sufficienter exprimente: neque suum consensum aliter possunt exprimere muti. Nec refert an verbo an facto declaret quis voluntatem suam, inquit auctor glossæ, 27. qu. 2. *Si quis uxorem*. Dixi quantum ad Ecclesiam verba esse necessaria, nam quum conjugium honorabilis sit divinitusque institutа nec erubescenda consociatio, debet ejus celebratio esse publica; & sine scandalo, quod apud Christianos incurritur, si clam Ecclesia, spretaque benedictione Ecclesiastica, se conjungant. Vide *Grat.* caus. 30. qu. 5. & Concil. Trident. Sess. 24. Etsi inter gentiles benedictione Ecclesiastica destitutos matrimonium verum est, caus. 28. qu. 1.

VII. Debet etiam consensus esse voluntarius, & non coactus: nam locum non habet consensus, ubi metus vel coactio intercedit. Extra de sponsalibus. *Cum locum*. Metus, inquam, qui cadere posset in virum constantem. Extra: eodem. *Veniens*. Minor tamen metus magis excusat fœminam, quam virum; ut monet auctor glossæ, extra, de sponsalibus. *Cum locum*.

VIII. Debet esse consensus in perpetuam & conjugalem vitæ consuetudinem, ne ipso quidem coïtu excepto; uti fatentur etiam illi, qui solo consensu constare ajunt matrimonium. Nam consensus debet esse matrimonialis, qui cum exceptione coïtus esse non potest. Ideo quamvis fortasse nunquam coëant, consensus tamen in coïtum per verba de præsenti expressus facit conjuges. Consensus verò in contubernium, cum exceptione coïtus, non facit matrimonium: talis enim esse potest inter fratrem & sororem, & inter alias multas personas, ad contrahendum inter se matrimonium prorsus inhabiles. caus. 27. qu. 2. can. *Sufficiat*. & can. *Beata Maria*.

IX. Observandum autem, ex jure Canonico, consensum de præsenti excludere omnem conditionem appositam. Sponsalia etiam per verba de futuro contracta sub conditione licita, (puta, e. g. Ego te in uxorem accipiam, si tantum mihi donaveris,) transire in verum matrimonium si consensus de præsenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subsequuta; quamvis conditio illa non sit impleta, quia sic recessisse censetur à conditione. Extra, de conditionibus appositis, cap. 3. *De illis*. & cap. 6. *Per tuas*. Alioqui contrahentes matrimonium sub conditione licita, non compelluntur matrimonium consummare ante conditionis eventum, extra. eod. cap. 3. *De illis*. & cap. 5. *Super eo*. Si verò conditiones contra substantiam conjugii inserantur; puta, si alter dicat alteri; contraho tecum si generationem prolis evites; vel donec inveniam aliam honore aut facultatibus digniorem; aut si pro quæstu adulterandam te tradas; matrimonialis contractus quantumcunque sit favorabilis, caret effectu: nec tenet matrimonium. Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, (si turpes aut impossibiles fuerint) debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi, ratumque fit matrimonium. Extra de conditionibus appositis, cap. 7. *Si conditiones*. Vide glossam ibidem.

An solus consensus faciat matrimonium, an verò etiam concubitus sit necessarius ad hoc, ut sit verum matrimonium.

X. Hanc quæstionem invenies agitatam in utramque partem, caus. 27. qu. 2. Lex divina [Deut. 22.] mortis supplicio adjudicat corruptorem alienæ sponsæ; quæ pœna erat adulterii; ipsamque sponsam eadem pœna plecti jubet si consenserit in illud flagitium. Alibi verò docet scriptura divina, virum & mulierem fieri unam carnem per concubitum; sic enim verba illa exponit Apostolus Paulus, 1 Cor. 6: 16. *An nescitis quod qui adhæret meretrici, unum corpus est? Erunt enim, inquit, qui duo erant, in carnem unam.* Deut. 22: 24. Genes. 2: 24. Matth. 19: 5.

XI. Sponsalia vel contrahuntur per verba de futuro, & spondentes obligant ad contrahendum postea matrimonium per verba de præsenti; vel per verba de præsenti contrahuntur sponsalia, & faciunt matrimonium. Ideo hæc sola sponsam constituunt uxorem: illa verò non nisi obligant ad futuras nuptias, nec uxorem constituunt, nec faciunt matrimonium, nisi sequatur commixtio carnalis, quo casu verum firmumque est matrimonium, novo deinceps cum alia muliere contractu per verba de præsenti

non

non dissolvendum. Extra, de sponsalibus & matrimoniis, cap. *Veniens ad nos.* & cap. *Is qui fidem.* At absque copula prævalent sponsalia de præsenti, ibidem. Quæ etiam ante copulam efficiunt verum matrimonium, nullo novo contractu dissolvendum. Extra, de sponsa duorum, cap. *Licet.* & cap. *Tuas.* Ratio autem cur sponsalia de futuro, sine copula, solvantur per subsequentia sponsalia de præsenti cum alia persona, hæc est, quia fortius vinculum superveniens præjudicat primo, ut notatur in glossa, ad cap. *Veniens.* Extra de sponsalibus & matrimoniis. Hinc patet, atrociùs puniendos esse eos qui post contracta per verba de præsenti sponsalia illicitè commiscentur.

XII. Quamvis autem uxorem constituant sponsalia per verba de præsenti, sive (quod idem est) contractio matrimonii per verba de præsenti, ad perfectam tamen & naturalem affinitatem requiritur commixtio carnalis. Ideo vir frigidus non habetur pro marito, re comperta & judicata. Et quamvis postea coëant vir & mulier, non tamen ante coitum fuit inter virum & mulieris cognatos affinitas naturalis, quæ sine carnis unitate non est, sed tantummodo affinitas legalis. Neque erat uxor adhuc naturalis, quia nondum una caro, sed tantummodo legalis; lege enim censetur adultera si se alteri prostituat, obligatur enim jam viro ad omnia legitimæ uxoris officia.

XIII. Itaque si ante congressum carnalem moriatur vir, fratrem defuncti à nuptiis relictæ nulla arcet affinitas sanguinis, sed sola justitia publicæ honestatis. neque propriè loquendo, sunt incestæ tales nuptiæ, sed potius indecoræ.

XIV. Josephus & Maria virgo, conjuges fuerunt legales, non naturales. Liceat enim docendi caussa hic uti illa distinctione quæ usurpari solet ad discernendos filios naturales ab adoptivis.

XV. Atque hoc sensu accipienda sunt verba *Augustini*, lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, capp. 11, 12. ubi contendit verum esse posse conjugium, firmum vinculum conjugale, verè conjuges, sine carnis commixtione: idque probat exemplo *Josephi* qui *Mariæ* vir dicitur, Matth. 1:16. & Christi pater, Luc. 2:28. nempe legalis. Et è diverso, verba illa ejusdem *Augustini*, à *Gratiano* citata: non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse. caus. 27. qu. 2. *Non est.* Item *Leonis* Papæ, apud *Gratianum*, can. *Cum societas.* eodem. Non dubium est (inquit *Leo*) illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse nuptiale ministerium, id est, ait auctor glossæ, carnis commercium. Non enim naturale & consummatum, sed tantum legale & initiatum matrimonium est, sine ministerio nuptiali; quo sensu Eva adhuc Virgo in Paradiso uxor viri appellatur, *erant ambo nudi vir & uxor ejus, & non confundebantur*, Genes. 2: 25. Prius enim è Paradiso ejici meruerunt, quam in opere ferendæ propaginis convenirent, ut monet *Augustinus*, lib. 14. de civit. cap. 26. Non enim accendebat libido, quæ nunc ad commixtionem præcipites effrænato quodam impetu propellit.

Caput VIII.

De conjunctionis matrimonialis firmitate & perpetuitate: & de impedimentis sponsalia dirimentibus.

I. Conjunctio matrimonialis perpetuam continet vitæ consuetudinem, & communionem; Perpetua illa consuetudo in jure magis quam in usu, in obligatione quàm in usurpatione consistit. Nam etsi conjugem defraudare usu corporis non licet, perpetuus tamen & nunquam interruptus usus esse neque debet, neque potest: sed vinculum manet perpetuò firmum, & irruptum jus matrimoniale. Atque is demum honorabilis hujus societatis legitimus usus est, qui finibus ab ipso Deo homini commendatis inservit. Communio etiam, per quam omnia habent communia vir & uxor, perpetui juris est, durante vinculo consuetudinis. Durat autem vinculum irruptum, quamdiu non intervenit impedimentum dirimens, durat inquam, vinculum veri matrimonii.

II. Interdum in lucem prodeunt obstacula quæ demonstrant non esse contrahendum matrimonium; quædam etiam quæ nullum esse declarant, quod contractum esse videtur.

III. Dirimentia vel sponsalia dirimunt vel ipsum conjugium. Impedimenta decem dirimentia repromissionem futurarum nuptiarum, sive sponsalia contracta per verba de futuro, proponuntur in glossa, caus. 27. quæst. 2. ad Can. *Sic quippe.* eaque auctor glossæ comprehendit his versibus,

1. *Lepra superveniens*, 2. *furor*, 3. *ordo*, 4. *sanguis*, & 5. *absens*,
6. *Læsaque virginitas*, 7. *membri damnum*, 8. *minor ætas*,
* 9. *Ac hæresis lapsus*, 10. *fideique remissio*, *prorsus* — **Hæresios lapsus.*
Sponsos dissociant & vota futura retractant.

IV. *Lepræ* nomine intelligitur synecdochicè quælibet corporis fœda deformitas, & morbus incurabilis, puta si sponsa deveniat paralytica, si oculos vel nasum amittat, &c. Nam sponsalia per verba de futuro contracta includebant tacitè istam conditionem, & exceptionem *lepræ*, &c. quamvis talis deformitas ante sponsionem existens, & innotescens alteri parti, non dirimat post contracta sponsalia. Extra, de jurejurando, cap. 25. quemadmodum. — *Lepra.*

V. Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur, inquit *Fabianus* Papa, caus. 32. quæst. 7. Can. *Neque furiosus.* ubi author glossæ furiosos non posse contrahere ait, quia non possunt consentire. Arg. 15. quæst. 1. *Aliquos.* Possunt tamen (inquit) si habeant dilucida intervalla; ut extra de spon. *dilectus.* Arg. 12. qu. 1. *quamvis.* alias non valet; 27. qu. 2. *sufficiat.* 17. qu. 2. *Gonsaldus.* Hæc ibi, de furore. — *Furor.*

VI. Per *sanguinem* intelligitur superveniens affinitas carnalis, puta si sponsus cognoscat sororem vel amitam sponsæ suæ, hoc enim casu dirimuntur sponsalia; neque sinendus ille est cum sua sponsa contrahere & consummare matrimonium. Uxor tamen jam cognita suo marito, non excidit jure suo propter tale facinus mariti. Affinitas, inquam, ex illicita copula superveniens rumpit sponsalia de futuro, sed non dissolvit matrimonium, invita parte innocente. Extra, de eo qui cognovit consanguineam uxo-

ris suæ. cap. *Ex literis.* & cap. *Tuæ fraternitatis.*

Absens. VII. *Absens* significat talem sponsum qui præstito juramento propuit se aliquam mulierem ducturum, & postea muliere illa incognita, dimittit terram, se ad alias partes transferens; mulieri illi post certum aliquod tempus liberum est ad alia vota transire; uti rectè statuit *Alexander* III. Extra, de sponsalibus & matrimon. cap. *De illis.*

Læsa virginitas. VIII. Per *læsam virginitatem* intelligitur non solum voluntaria fornicatio, quæ etiam consummatum dirimit matrimonium, sed etiam virginitas per vim læsa, nam sponsam de futuro, vim ab alio post sponsalia passam, & à sponso suo non cognitam, non cogendus est sponsus accipere in uxorem, caus. 27. qu. 2. can. *Raptor.* & can. *Statutum.* & ita sponsa illa punitur sine culpa, sed non sine causa, ut annotavit autor glossæ, extra, de jurejurando. cap. *Quemadmodum.* At sponsam de præsenti sive uxorem de præsenti non licet dimittere ob talem violentiam, ut monet glossator, caus. 27. qu. 2. ad can. *Raptor.* & *Ulpianus* Jureconsultus, apud *Justinianum* ff. ad legem Juliam de adulteriis. Lege 13. *Si uxor.* §. 7. *Si quis plane.* Præterea si quam putabat virginem, compererit fuisse etiam ante sponsalia violatam, non obligatur sponsus, ut patet ex sacris literis, Math. 1: 19.

Punitio sine culpa, sed non sine causa.

Membri damnum. IX. *Membri damnum* ante consummationem matrimonii, impedit, ita ut alteri parti ad conjugale ministerium aptæ liceat ad nova transire vota nuptialia: at verò consummatum matrimonium non dirimit superveniens impotentia.

Minor ætas. X. Sine justa *ætate* nullus consensus, nisi vel malitia supplente sequatur commistio carnalis, vel postea in ætate idonea consensum testentur. Sponsalia contrahi possunt inter septennes, sed idonea ad matrimonium ætas, in qua testari debent consensum, est in muliere 12. annorum, in viro 14. ann. ff. de sponsalibus. Lege 14. *In sponsalibus.* & ff. de ritu nuptiarum, l. 4. *Minorem.* & Extra, de desponsatione impuberum, cap. 2. *Ubi non.* in glossa. item lib. 4. sent. dist 36. cap. *Hoc etiam.* At *Leo* Imperator constituit legitimum matrimonii tempus in maribus decimumquintum, in fœminis decimumtertium annum. Constit. 74. Imper. *Leonis.*

Hæresis. XI. *Hæresis* meritò impedit matrimonium contrahendum, & sponsalia de futuro dirimit; quia non debent Christiani se sub jugum mittere cum infidelibus. 2 Cor. 6: 14. Sed debent matrimonium contrahere in Domino, 1 Cor. 7: 39. idem multo magis dicendum de apostatis illis qui Christianum nomen prorsus ejurant.

Fidei remissio. XII. Præterea *si sponsus & sponsa se mutuò absolvant*, dirimuntur sponsalia de futuro, ubi nulla accessit copula carnalis; nam ne deterius quid contingat, si cogantur inviti contrahere, potest talis dissolutio in patientia tolerari. Novell. 22. cap. 4. & extra, de sponsalibus, cap. 2. *Præterea hi.* Lex civilis permittit etiam nuncium mittere si pars una consilium mutare velit. C. de repudiis & judicio &c. Lege 2. *Liberum.* Et *Lucius* Papa statuit, eam, quæ jurisjurandi religione neglecta, nubere renuit cui se nupturam interposito juramento firmavit, monendam esse potius, quam cogendam, cum libera debeant esse matrimonia, & coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. Extra, de sponsalibus, cap. 17. *Requisivit.* licet compellendam sentiat, & ita *Lucii* verba accipi velit auctor glossæ, ibidem. & compellendam nisi rationabilis causa obstiterit, decreverit *Alexander* Papa III. Extra, de sponsalibus, cap. 10. *Ex literis.* Ex causa autem quandoque detrahitur severitati, ut ibidem monet glossator. Et qui juravit uni, per verba de futuro, si postea contrahat cum alia per verba de præsenti, tenet contractus. in glossa, ad cap. 10. *Ex literis.* Extra, de sponsalibus & matrimoniis.

De *Ordine Ecclesiastico* alibi ostendimus, nullum inde existere necessarium sponsalium aut matrimonii impedimentum, neque laqueum esse injiciendum cuiquam propter ordinem. Atque hæc de impedimentis dirimentibus sponsalia de futuro. Sunt autem novem, dempto ordine. Cujus loco, substitue fortius vinculum subsequens, de quo vide supra, cap. 7. §. 11. *Ordo. lib. de cura & resid. pastorali, cap. 33.*

CAPUT IX.

Impedimenta matrimonii.

I. IMPEDIMENTA ipsius matrimonii proponuntur in glossa ad præfationem caussæ 27. his verbis; *Impedimenta* (inquit) *matrimonii sunt 15. Votum, ordo, habitus, dispar cultus, error personæ, error conditionis, cognatio, ligatio, publicæ honestatis justitia, enormitas delicti, impossibilitas coeundi, tempus feriarum, interdictum Ecclesiæ, coactio, ætas, furor. Veruntamen quædam ex his impediunt contrahendum, sed non contractum dirimunt. Impedimenta prædicta his versibus sunt collecta:* *Impedimenta matrimonii*

Votum, conditio, violentia, spirituales
Proximitas, error, dissimilisque fides,
Culpa, dies vetitus, honor, ordo, ligatio, sanguis,
Qui sit & affinis, quique coire nequit,
Additur his ætas, habitum conjunge furori,
His interdictum subditur Ecclesiæ.
Hæc (si canonico vis consentire rigori)
Te de jure vetant jura subire thori.

Hæc ibi.

II. Alii dirimentia matrimonium contractum comprehendunt his sequentibus versibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Reliqua hoc disticho:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

III. Synodus autem Tridentina, sess. 24. in decreto de reformatione matrimonii, cap. 1. contractus matrimoniales contra Ecclesiæ interdictum factos, irritos & nullos esse decrevit. Ita ut, admisso illo decreto, solum tempus feriatum relinquatur in secundo ordine, reliquis omnibus & contrahenda impedientibus matrimonia, & contracta dirimentibus, vel nulla esse demonstrantibus.

IV. In universum hic enumerantur quatuordecim, voto autem & habitus hic comprehenditur, quibus distinctè positis erunt quindecim.

CAPUT X.

De errore, conditione, voto, cognatione, & crimine.

Error. I. ERROR proponitur quadruplex à *Gratiano*, caus. 29. qu. 1. videl. 1. *Error personæ*, qualis fuit error *Jacobi* Patriarchæ,

qui

qui putabat *Rachelem* esse quæ erat *Lea*. 2. *Error conditionis*, quando putatur liber esse qui servus est. 3. *Error fortunæ*, quando putatur dives esse qui pauper est, vel è converso. 4. *Error qualitatis*, quando putatur esse bonus qui malus est, putatur esse taciturna quæ garrula est, putatur esse temperaus quæ ebriosa est. *Error fortunæ & qualitatis* (inquit ille) *conjugii consensum non excludit: Error vero personæ & conditionis conjugii consensum non admittit.* Quid igitur dicendum (inquies) de *Jacobo* & *Lea*. Respondet *Gratianus*, conjuges esse factos per consensum subsequentem.

II. In eo autem aberrare videtur *Gratianus*, quod ad errorem qualitatis referat etiam exemplum mulieris corruptæ, quam qui ducit putat esse castam; tale enim matrimonium vult manere firmum. Sicut etiam *Innocentius* III. extra, de jurejurando, cap. 25. *Quemadmodum*. & *Ulpianus* JC. ff. ad legem Juliam de adulteriis. l. 13. *Si uxor*. §. 6. Si quis uxorem. & §. ult. Et *Alexander* Augustus, C. ad legem Juliam, de adulteriis, lege 7. *Propter violatam*. Hoc quintum genus erroris est, & dici potest *error pudicitiæ*, & accensendus videtur illis erroribus qui conjugii consensum non admittunt, ut patet ex perpetua æquitate legis illius divinæ, quæ exstat Deut. 22: vers. 13, 14, 21, 26. Consensum inquam non admittunt durante errore; at re comperta, si consentiat vir cum ea cohabitare, firmum est matrimonium. Idem etiam dicendum de errore conditionis, quando serva putatur esse libera; nam si re intellecta consentiant, verum est ratumque matrimonium: pro consensu autem habetur, si post veritatem compertam carnaliter misceantur. Extra, de conjugio servorum. cap. 2. *Proposuit*.

Conditio. III. Ex lege quidem Augusta, cum ancillis non est connubium, hoc est, non stat matrimonium liberi cum ancilla; at contrarium statuitur in jure canonico, nisi error consensum excludat; nam si quis sciens volens ancillam in uxorem duxerit, ratum habetur matrimonium. caus. 29. qu. 2. *Si quis liber*. & rationem reddit *Gratianus*, in præfatione illius quæstionis, quia sicut in Christo Jesu non est discrimen servi & liberi, sic etiam indifferenter ab Apostolo dicitur omnibus, ut cui vult, nubat mulier in Domino.

Votum. IV. *Votum* distinguunt canonistæ in simplex & solenne: & quamvis simplex votum apud Deum non minus obliget quam solenne, decernitur tamen in jure canonico, ut votum simplex continentiæ impediat contrahendum matrimonium, non autem dirimat contractum; solenne verò votum etiam dirimat matrimonium contractum. Extra. Qui clerici vel voventes. cap. *Meminimus*. & cap. *Consuluit*. & cap. *Rursus*. & cap. *Insinuante*. Discrimen autem voti simplicis, & voti solennis declarat ibi author glossæ, ad cap. *Rursus*. Votum autem solenne vel nuncupatum est ante contractum matrimonium per verba de præsenti, & sic ex jure canonico impedit contrahendum, & dirimit contractum, quamvis accesserit commistio carnalis. cap. *Meminimus*. Qui clerici vel voventes. & cap. *Insinuante*. eod; vel post contractum matrimonium per verba de præsenti, sed ante ejusdem consummationem per copulam carnalem, & hujusmodi voto si cum transitu ad aliquam religionem conjunctum sit, ita ut vovens amplectatur vitam monasticam, dissolvitur matrimonium contractum, nec dum consummatum; ex decreto *Alexandri* Papæ tertii. Extra de conversione conjugatorum. cap. *Ex publico*. ubi etiam respondet objectioni; quod enim Dominus in Evangelio dicit, non licere viro nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, ait Papa intelligendum esse de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum. Et hanc responsionem communem esse ait canonistarum *Bellarminus*, lib. de monachis, cap. 38. Verum enimvero annon eos conjungit Deus, quos fœdere matrimoniali per verba de præsenti, juramento firmata, constrinxit, & ad consummandum matrimonium obligavit? nisi scilicet interveniat impedimentum aliquod idoneum impediens consummationem, quale est interveniens affinitas carnalis in gradu vetito; non autem votum. ut patebit legenti ea quæ alibi diximus de voto, & quæ hic etiam adjiciemus. Alii dicunt, matrimonio rato & nondum consummato conjunctos quidem esse conjuges ab ipso Deo, sicuti conjunxit Deus *Adamum* & *Evam* ante lapsum; sed quando dissolvitur tale matrimonium per professionem monasticam, tunc dissolvi non ab homine, sed à Deo qui hominem vocat ad religionem. Hanc responsionem ait *Bellarminus* communem esse Theologorum. Quid si quis neget talem vocationem ordinariam? Unde illam adstruent? Sed missa hac quæstione, si professio monastica etiam sine consensu conjugis matrimonium contractum & ratum, licet nondum consummatum, dissolvit propter vocationem divinam, sequetur, nec violari legem illam Domini, de non dimittenda uxore, etiamsi quis post consummatum matrimonium religionem ingrediatur, relicta uxore, quam carnaliter cognovit. Dici enim poterit, non ab homine, sed à Deo ipso separari quos Deus conjunxit. Et tamen per canones non licet marito, sine consensu uxoris, post consummatum matrimonium ingredi religionem; imo si ingressus fuerit, quamvis etiam tonsuratus sit, reddendus est uxori, cui maritale officium per omnia præstare tenetur. caus. 27. qu. 2. can. *Agathosa*. & can. *Si quis*. & can. *Scribit*. & Extra, de conversione conjugatorum, cap. *Verum*. & cap. *Ex parte tua*. Ubi etiam conceditur personæ desponsatæ per verba de præsenti, quam pars altera religionem ingrediens reliquit, novum contrahere cum alio vel alia matrimonium. Respondet *Bellarminus* loco superius citato, Deum quidem posse omnia dirimere, & revera dirimere matrimonia rata, non autem dirimere matrimonia consummata, per vocationem ad religionem. Quæris, unde id habeatur? Respondet *Bellarminus*, scimus ex Ecclesiæ declaratione. Præclarè: quia scilicet Ecclesia (id est, Papa,) errare non potest. Quod delirium alibi à nobis explosum est.

Matth. 5: 32.

supra lib. 3. cap. 6.

V. *Augustinus*, lib. de bono viduitatis capp. 9, 10, 11. cujus verba citantur etiam caus. 27. qu. 1. *Nuptiarum*. docet firma esse etiam eorum conjugia, qui post votum solenne contrahunt; votum enim solenne illic intelligi docent ipsa *Augustini* verba, loquitur enim de virginibus & viduis, quæ suscepto voto continentiæ postea nubere volunt, & eorum sententiam rejicit, qui talia matrimonia pro adulteriis habebant, ideoque dirimenda dictabant. Item lib. de sancta virginitate, cap. 34. ait, mulieres continentiam professas, quas postea pœnitet professionis, peccare quidem, dum nu-

nubere volunt, melius tamen facturas si nubant quam urantur. Hinc collige sensum verborum *Augustini*, lib. de bono viduitatis, cap. 9. & apud *Gratianum*, caus. 27. qu. 1. *Nuptiarum.* Ubi loquens de viduis illis, de quibus legimus 1 Tim. 5. Damnantur tales, (inquit *Augustinus*) non quia conjugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ fidem primam irritam fecerunt. Hæc ille. Nempe in eo peccarunt quod temerè voverint illud ad quod præstandum se impares sentiunt, at non peccant nubendo, comperta sua impotentia; sed bene faciunt nubendo potius quam ut urantur, id est, occulta flamma concupiscentiæ vastentur. De temeritate igitur debent agere pœnitentiam, ut veniam ex Dei misericordia consequantur; non autem initum connubii fœdus rumpere.

1 Tim. 5: 11, 12.

VI. Plura de voto diximus supra, lib. 3. hujus operis, cap. 6. Apostolus etiam de viduis illis loquens, 1 Tim. 5: 11. ait eas nubere velle, [γαμεῖν θέλουσιν,] non vocat adulteria, sed nuptias: neque in eis damnat nuptias, sed propositi prioris fraudem, ut loquitur *Augustinus.*

VII. Idem dicendum de habitu seu veste monachali. Ex jure quidem canonico, sicut simplex votum, ita etiam habitus sine professione susceptus, impedit, ne contrahatur matrimonium, sed contractum nequaquam dirimit. Extra, qui clerici vel voventes. cap. *Consuluit.* Si autem solenniter suscipiatur habitus qui dari profitentibus consuevit, habetur pro voto solenni, dirimitque post contractum matrimonium. Extra, de regularibus & transeuntibus ad religionem. cap. *Statuimus.* Idem judicium de hoc impedimento, quod de hoc voto. Diximus autem habitum voti nomine etiam intelligi, ubi expressè inter impedimenta non recensetur; nam ad votum reducitur. Vide glossam ad cap. *Rursus.* Extra, qui clerici vel voventes.

De cognatione supra diximus, cap. 4.

Crimen.

VIII. *Crimen* intelligitur ante conjugium illud de quo dirimendo agitur; nempe tempore prioris alicujus conjugii admissum. Tale crimen impediens sequentes nuptias, & contractas dirimens, est vel adulterium, vel homicidium, vel utrumque. Jure canonico impeditur contrahendum, & dirimitur contractum conjugium inter virum & mulierem, quam vivente legitima sua uxore, vel vivente legitimo mulieris marito, polluit adulterio. caus. 31. qu. 1. & extra, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. Ex *Augustini* sententia est, *mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit.* lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 10. Hanc *Augustini* sententiam in contrarium sensum citant *Gratianus*, caus. 31. qu. 1. & *P. Lombardus*, 4. Sent. Dist. 35. omisso negativo adverbio, *Non.* Ibidem tamen citant *Leonis* Papæ sententiam in hæc verba, *Nullus ducat in matrimonium quam prius polluit adulterio.* Generalis autem ista sententia in jure canonico, locis citatis, & *P. Lombardo*, ejusque commentatoribus, 4. sent. dist. 35. ad duos casus restringitur. 1. Si vivente marito mulieris, vel uxore sua, fidem adulter dederit, vel juramento promiserit adulteræ, se eam mortua sua uxore, vel mortuo mulieris marito, in uxorem ducturum, si supervixerint, aut etiam de præsenti contraxerint inter se, utroque conscio alterius matrimonii; nam si altera pars nescia dolo fallatur ab altera, non dirimitur inter eos post prioris conjugis mortem contractum matrimonium: non tenet quidem pactum vivente priore conjuge factum, sed conjugium novo jam consensu contractum tenet; nisi pars nescia cognito postea adulterio, petat divortium; ante novum consensum. Tunc enim concedendum est divortium. Extra. de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. cap. 1. *Propositum.* 2. Si adulter vel adultera priorem alterutrius conjugem hoc animo occiderit; vel occidendum curaverit, ut ipsi adulteri inter se postea conjugium contraherent. Quod si neuter istorum casuum intervenerit, permittunt canones & ratum habent conjugium viri cum ea, quam vivente priore conjuge polluit adulterio. Indicunt tamen pœnitentiam de adulterio.

IX. Contra secundum casum objicitur conjugium *Davidis* Regis cum *Bethsabe.* Respondent, multa in Veteri Testamento tolerata esse, quæ in Novo Testamento non sunt licita, ut polygamia, divortium, &c. Respondendum etiam videtur, legem Dei latam esse de impedimentis conjugii inter eos, quos lex non adjudicabat morti; & de casibus ordinariis ac frequenter occurrentibus, non autem de extraordinariis & raro contingentibus, de quibus aut exspectandum speciale oraculum, quale Davidi datum esse verisimile est: vel ex æquo & bono decernendum: modo in hanc modo in illam partem. Nam qui ex lege morti debentur, si vivere sinantur, vel tolerari posse inter eos matrimonium, sicuti speciali quadam indulgentia toleratum est conjugium *Davidis* & *Bethsabe*, vel impediri conjugium, ipsosque separari posse Ecclesiæ autoritate, aut à magistratu Christiano, prout moribus & saluti civium consultissimum esse viderint: relictam enim esse illis hac de re decernendi libertatem, quandoquidem nihil de ea in lege Dei determinatum est. Neque existimandi sunt illi contrahere in Domino, qui tantum absunt à prioris flagitii sui odio, ut insuper cum publico scandalo contra salubres Ecclesiæ aut magistratus constitutiones, & cum periclitatione morum salutisque civium, se rursus conjungere non verecundentur: quod & de simplici adulterio, etiam citra duos illos casus, generaliter intelligi volumus. Constitutio est *Justiniani* Imperatoris, ut si quis de adulterio accusatus pœnas legibus constitutas effugerit, & post hoc inveniatur cum muliere de qua accusatus est, turpiter conversatus, aut in matrimonium accipere eam, & hoc fiat vivente marito, aut post ejus mortem, ut, inquam, neque tale matrimonium valeat, & is qui hoc delinquere præsumpserit, comprehendatur à judice, & post tormenta ultimis suppliciis subjiciatur. Auth. coll. 9. tit. 17. Novella const. 134. cap. 12. Si sic coërcebantur accusati, quid de manifestis adulteriis statuendum censemus?

X. Consonat ille canon quadragesimus concilii Triburiensis (quod celebratum est Triburiæ in Germania, anno Dom. 895.) Canonis illius 40. hæc sunt verba; audivimus rem execrabilem & catholicis omnibus detestandam; quendam nefando fornicationis opere alicujus uxorem, vivente eo, commaculasse: & in augmentum iniquitatis, juramento confirmasse, si ejus legitimum supervixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam, sibi associaret toro & legitimo matrimonio, si hoc jure dici matrimonium potest, per quod oriuntur quæ Apostolus enumerat mala, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, &c. ad ultimum verò, veneficia & homicidia; quia

quia pro tam illicito amore, alii veneno, alii gladio, vel aliis diversis sunt perempti maleficiis. Idcirco acutissimo ferro, & totius generis artificio resecanda, per quæ Cælestia regna sunt *Gal. 5:21.* occludenda. Quoniam ut idem Apostolus ait; qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Tale igitur connubium anathematizamus, & Christianis omnibus obsecramus. Non licet ergo, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio. Hactenus verba Concilii Triburiensis, can. 40.

XI. Idem judicium de crimine homicidii, si scilicet vir aut mulier in prioris mariti vel uxoris mortem cum effectu machinatus vel machinata sit, id est, eum vel eam occiderit, eo animo ut superstites inter se postea nuptias contrahant; quamvis adulterium non committant tempore prioris conjugii; At verò si non eo animo, sed in bello hostis hostem occiderit, nihil cogitans de nuptiis cum uxore ejus; & postea eveniat, ut occisor in uxorem ducat relictam occisi, non dirimunt Canones istud matrimonium. Extra, de conversione infidelium. cap. *Laudabilem.* Et rectè quidem, non enim sine gravi causa dirimenda sunt matrimonia. Hic tamen providere debent legumlatores, & judices, ut publicæ honestatis justitia non negligatur, secundùm quam ex variis facti personarumque circumstantiis vel permittere poterunt vel prohibere istiusmodi nuptias.

CAPUT XI.

De cultus disparitate.

I. CULTUS disparitatem vocant dissensionem & repugnantiam in negotio religionis & cultus divini. De quo impedimento agitur, lib. 4. sentent. dist. 39. & caus. 28. quæst. 1. Can. *Cave.* & Can. *Non oportet.* & Can. *Si quis.* & extra, de divortiis, cap. *Quanto.* De hoc impedimento *Tertullianus* librum scripsit ad uxorem, qui inscribitur, secundus ad uxorem, ubi ait, cap. 1. De nubendo verò in Domino, cum dicit, *tantum in Domino*, jam non suadet, sed exertè jubet, & cap. 2. *tantum in Domino*, id est, in nomine Domini, quod est indubitatè, Christiano. *1 Cor. 7:39.* *Cyprianus* etiam, in sermone de lapsis, in gravibus peccatis constituit, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse dicit, prostituere gentilibus membra Christi. De eodem scribens *Epist. 24.* *Ambrosius*, epist. 24. ad *Vigilium* Episcopum Tridentinum, multis argumentis docet non licere Christiano copulari gentili, sive alienigenæ quoad fidem, ubi (*inquit*) & libidinis & discordiæ incentiva, & sacrilegii flagitia conflantur. Nam cum ipsum conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia? Cum oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares devotione potest esse conjugii communis charitas? Sæpe plerique capti amore fœminarum fidem suam prodiderunt, ut Patrum, populus in Beelphegot. Hæc *Ambrosius.* Idem etiam alibi, non satis esse ait, si Christiani sint, nisi ambo etiam baptisati sint; ejus verba recitat *Gratianus*, caus. 28. quæst. 1. can. *Cave.* Sequens autem Canon, *Non oportet.* quem citat ex Concilio Agathensi, idem statuit de hæreticis, nempe non esse cum illis contrahenda connubia. *Concil. Agathens. Can. 67. Anno Dom. 506.* *Hieronymus* etiam, lib. 1. adversus *Julianum*, acriter disputat contra quarundam Christianarum suo seculo cum Ethnicis nuptias, & ait mulieres illas quæ Christianam religionem profitentes, sponte nubunt Ethnicis, non esse justitiæ, sed iniquitatis, non lucis, sed tenebrarum: non Christi sed Belial; non templa Dei viventis, sed fana & idola mortuorum. Hanc autem observat distinctionem ex Apostolo; His (*inquit*) quos in matrimonio deprehendisset fides, hoc est, si unus credidisset è duobus, præcipit [*Apostolus*] ne credens repudiet non credentem; caussisque expositis, quod candidatus fidei sit infidelis, si nolit à credente discedere; E contrario jubet, si infidelis repudiet fidelem, propter fidem Christi, discedere debere credentem, ne conjugem præferat Christo, cui etiam anima postponenda est: at nunc pleræque contemnentes Apostoli jussionem junguntur gentilibus, & templa Christi idolis prostituunt. Ignoscit Apostolus infidelium conjunctioni, quæ habentes maritos in Christum postea crediderunt, non his quæ cum Christianæ essent, nupserunt gentilibus; ad quos alibi loquitur, Nolite jugum ducere cum infidelibus, *2 Cor. 6. 14, 16, 17.* quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi. [Item]. Vis apertius discere, quod Christianæ omnino non liceat Ethnico nubere? Audi eundem Apostolum; Mulier, inquit, alligata est viro, *1 Cor. 7: 39.* quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino, id est, Christiano. Qui secundas tertiasque nuptias concedit in Domino, primas cum Ethnico prohibet. Unde & Abraham adjurat servum suum in femore suo, id est, in Christo, qui de ejus semine erat nasciturus, ut *Genes. 24: 2. 3, 9.* filio suo Isaac alienigenam non adducat uxorem. Et Esdras offensam Dei hujusmodi uxorum repudiatione compescit. *Esdr. 10: 3 &c.* Et Malachias Propheta, prævaricatus est, inquit, Judas & abominationem fecit in Israël & in Hierusalem; *Malach. 2: 11, 12.* polluit enim sanctum Domini, & dilexit & habuit filiam Dei alieni, disperdat Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculis Jacob, & offerentem munera Domino virtutum. Hactenus *Hieronymus.*

II. In jure civili exstat lex *Theodosii & Valentiniani & Arcadii* AAA. nequis Christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, *Vide supra lib. 6. cap. 4. §. 8.* neque Judææ Christianus conjugium sortiatur. Nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujusmodi crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoque vocibus laxata. Hæc illi. C. de Judæis & Cælicolis. lege 6. *Ne quis.*

III. De hoc etiam impedimento conditus est Canon in Concilio Universali quinisexto, can. 72. cujus hæc sunt verba; *μὴ ἐξέστω ὀρθόδοξον ἄνδρα αἱρετικῇ συνάπτεσθαι γυναικὶ, μήτε μὲν αἱρετικῷ ἀνδρὶ γυναῖκα ὀρθόδοξον ζεύγνυσθαι· ἀλλ' εἰ καὶ φανῇ τι τοιοῦτον ὑπό τινος τῶν ἁπάντων γινόμενον, ἄκυρον ἡγεῖσθαι τὸν γάμον, καὶ τὸ ἄθεσμον διαλύεσθαι συνοικέσιον· οὐ γὰρ χρὴ τὰ ἄμικτα μιγνύναι*, &c. id est; Non liceat virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque verò orthodoxam mulierem cum viro hæretico copulari. Sed & si quid hujusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimare, & nefarium conjugium dissolvi [*præcipimus*]. Neque enim ea quæ non sunt miscenda misceri, &c. subjungunt autem eodem

Canone Patres illi, non esse separandos illos conjuges, qui ambo dum essent infideles verum conjugium habebant, si pars una postea ad fidem convertatur, & placeat parti adhuc infideli cum conjuge jam fideli habitare. Et adhibent authoritatem Apostoli. 1 Cor. 7: 12, 13. Celebratum est Concilium Quinisextum Constantinopoli in Trullo, anno Domini 691. vel 692.

IV. Horum summa est; verum quidem esse inter duos infideles matrimonium: & utriusque aut alterius conversione non dissolvi; nisi infidelis deserat fidelem: at non licere fideli contrahere matrimonium cum infideli, id est, neque cum Pagano, neque cum Judæo, neque cum hæretico: & quia excommunicatus habendus est eo loco, quo Ethnicus & Publicanus, hinc sequitur, neque cum eis contrahenda esse matrimonia, quamvis excommunicatio superveniens non dissolvat præcedens matrimonium, sicut neque superveniens defectio à vera fide ad infidelitatem, aut hæresim, dirimit matrimonium quo juncti erant, dum essent ambo Christiani Catholici seu orthodoxi.

V. Legis olim per Mosem latæ, de non jungenda affinitate cum infidelibus, ratio est moralis, perpetua, & universalis quoad omnes veri Dei cultores. Verba legis sunt; *Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo; quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut serviant diis alienis, propterea irascetur furor Domini in vos, & disperdet te citò.* Deut. 7: 3, 4.

VI. Decretum est in generali Chalcedonensi Concilio, Can. 14. μήτε μὴν συνάπτειν πρὸς γάμον αἱρετικῷ, ἢ Ἰουδαίῳ, ἢ ἕλληνι εἰ μὴ ἄρα ἐπαγγέλλοιτο μετατίθεσθαι εἰς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν τὸ συναπτόμενον πρόσωπον τῷ ὀρθοδόξῳ. id est, *Neque quidem in matrimonium conjungere cum hæretico, vel Judæo, vel Pagano; etsi forte persona orthodoxæ copulanda promittat se transferre ad orthodoxam fidem.*

VII. Ea quæstio plus habet difficultatis, an cultus disparitas dirimat matrimonium contractum, quod contractum est & consummatum ipso tempore illius disparitatis. Nam quos in matrimonio deprehendit fides, hoc est, si ex duobus in infidelitate conjunctis unus convertatur & credat, his præcipit Apostolus, ne credens repudiet non credentem, quamvis liberetur credens si à non credente deseratur. Qua de re scribens *Tertullianus*, lib. 2. ad uxorem, cap. 2. ait, Dominum prohibere divortium nisi stupri causa, & propterea illum quem in matrimonio gentilis invenit fides, habere jam perseverandi necessitatem. Et ejusdem libri cap. 7. Si ergo (inquit) ratum est apud Deum matrimonium hujusmodi, cur non prosperè cedat, ut & à pressuris & angustiis & impedimentis & inquinamentis non ita lacessatur, jam habens ex parte divinæ gratiæ patrocinium? Cæterum aliud est ultro & sponte in prohibita descendere. Et cap. 3. ejusdem libri; fideles (inquit) gentilium matrimonia subeuntes, stupri reos esse constat, & arcendos ab omni communicatione fraternitatis, ex literis Apostoli dicentis, cum ejusmodi ne cibum sumendum. At nunquid tabulas nuptiales de illo apud tribunal Domini proferemus? Et matrimonium ritè contractum allegabimus quod vetuit ipse? Non adulterium est quod prohibetur? non stuprum est extranei hominis admissio? Hæc *Tertullianus*.

1 Cor. 7: 12, 13, 14, 15.

1 Cor. 5: 11.

VIII. *Augustinus*, lib. 1. de adulterinis conjugiis, cap. 18. ait de dimissione illa uxorum alienigenarum, de qua, Ezr. cap. 10. Jusserat Dominus per sanctum Moysen ne quis uxorem alienigenam duceret, merito ergo quas duxerant Domino prohibente, Domino jubente dimiserunt. Hæc quidem rectè *Augustinus*. Etsi quod eodem libro, cap. 19. scribit, de eis quos in conjugio fides invenit, non videmus qua idonea ratione probari queat; nimirum, infidelem à fideli ad fidem converso vel conversa dimitti vel non dimitti pariter licitum esse per justitiam quæ coram Domino est, licet non utrumque expediat propter infirmitates hominum, & ideo id quod non expedit Apostolum prohibere. *Gratiani* autem glossator, ad can. *Judæi*. caus. 28. quæst. 1. excogitato commento, aliud est (inquit) si vir convertitur ad fidem, & aliud, si mulier: nam si mulier convertitur, ipsa debet recedere à viro, ne vir eam revocet ad priorem errorem: secus est si vir convertitur; quia facilius possunt viri revocare mulieres, quam è converso; nam vir caput ejus est. Hæc ibi autor glossæ, immemor verborum Apostoli, *Et uxor quæ habet virum infidelem, & ipse consentit habitare cum ea, non dimittat eam.* Neque satis memor verborum Domini per Mosem, *Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non accipies filio tuo; quia seducet filium tuum, ne sequatur me.* Oblitus etiam exempli *Solomonis*, quod tanti fit à *Nehemia*.

1 Cor. 7: 12, 13.

1 Cor. 7: 13.

Deut. 7: 3, 4.

Nehem. 13: 26.

IX. A Magistro sententiarum, lib. 4. dist. 39. cap. *Hinc autem.* & à *Gratiano*, 28. quæst. 1. *Omnes.* citatur illud *Ambrosii* dictum: *Non est putandum matrimonium, quod extra decretum Dei factum est, sed cum cognoscitur, est emendandum.* Hactenus *Ambrosius*. Subjungit verò *Lombardus*, ut quando (inquit) fidelis infideli copulatur. *Gratianus* vero, illud *Ambrosii* (inquit) *Non est putandum* &c. non ostendit conjugium non esse inter infideles; nullo enim Domini præcepto gentiles prohibentur conjungi gentilibus; nec ergo eorum conjugium extra, id est, contra Dei decretum fit. Illa itaque auctoritate jubentur separari ab invicem qui contra Dei vel Ecclesiæ decretum copulati sunt, utpote infideles cum fidelibus, vel consanguinei cum consanguineis, vel affines cum affinibus; Hi omnes si sibi invicem copulati fuerint, separandi sunt. Hæc *Gratianus*. Vide supra, §. 3.

X. *Thomas* Aquinas, in 4. sent. dist. 39. qu. 1. ad 5. & quæst. 6. ad 5. ait, crimen hæresis semper quidem impedire matrimonium contrahendum, sed non dirimere contractum, nisi sit talis hæretica persona, quæ baptismi sacramentum non acceperit, aut non in forma Ecclesiæ fuerit baptisata. Alias, si baptisata fuerit in forma Ecclesiæ, verum esse quod cum ea contrahitur matrimonium, quamvis peccet fidelis cum ea contrahendo. Et *Bellarminus*, lib. de matrimonio, cap. 23. & lib. 2. de Concil. cap. 8. idem tradit, estque hæc communis sententia Scholasticorum Theologorum, & Canonistarum. Sed ratione infirma nititur ista sententia, quia scilicet matrimonium apud Christianos sacramentum est, omnium vero sacramentorum janua est baptismus. Unde *Thomas* non solum matrimonium fidelis cum infideli non baptisato, ait esse non verum seu irritum matrimonium; sed etiamsi aliquis catechumenus habens rectam fidem, sed nondum baptisatus, cum aliqua fideli baptisata contrahat, affirmat non esse illud verum matrimonium; si verò aliquis fidelis cum hæretica baptisata contrahat, verum esse

esse istud matrimonium, & inde ait hoc impedimentum appellari disparitatem cultus, non autem disparitatem fidei, quia matrimonium sacramentum est, & ideo quantum pertinet ad necessitatem sacramente, requirit paritatem quantum ad sacramentum fidei, scilicet baptismum, magis quam quantum ad interiorem fidem? Hæc *Thomas*. At cur omisit paritatem quoad confessionem fidei? matrimonium autem non esse propriè dictum sacramentum, quale est baptismus, alibi ostendimus.

Instruct. Historico-Theol. lib. 9. cap. 8.

XI. Idem *Thomas* ait in 4. sent. dist. 40. qu. 4. ad 1. Deus non conjungit illos qui conjunguntur contra divinum præceptum. Hæc *Thomæ* verba sunt; unde sequetur, personam fidelem cum infideli non conjungi à Deo. Hic tamen necessariæ sunt observationes tres.

I. *Observatio*: Semper intueri oportet præcepti illius rationem, nempe ne avertantur fideles à veritate. Ideo non ob quamlibet dissensionem irrita sunt matrimonia. Si simul orent, simul eundem Deum colant, eandem recitent confessionem, neque de aliis in quibus dissensio est, magnopere certet pars errans, & consentiat ad habitandum cum fideli, sine blasphemia veritatis, & sine contumelia Christi, neque satagat orthodoxam partem in suum errorem pertrahere. Si in præcipuis & necessariis fidei dogmatibus idem reipsa sentiant, & ad quod pervenerunt, eadem incedant regula, & idem sapiant; in quo autem aliter sapit pars errans, si modestè exspectet revelationem divinam, & interea sit inter eos ad piè pacificéque cohabitandum pia concordia. His positis non erunt dirimenda talia matrimonia, etsi laudanda non sunt, sed potius prohibenda, antequam contrahantur. Nemo enim se sponte conjicere debet in tentationem periculosam ac minimè necessariam.

Philipp. 3.

II. *Altera observatio.* Aliquando ab Ecclesia propter humanorum cordium duritiem tolerantur matrimonia, quæ fideles contraxerunt cum infidelibus, quæ tamen dirimeret potius, si commodiora nancisceretur tempora: in ista autem toleratione, & recepta, licet non approbata, cum infidelibus contrahendi consuetudine, accidere potest, ut fidelis contrahat cum infideli, & in eo matrimonio perseveret, putans se nihil absurdi facere, unde etiam quodammodo excusabiliores existunt illæ nuptiæ. Quale fuit conjugium *Monicæ* matris Augustini cum Augustini Patre infideli, & aliarum multarum illis temporibus nuptarum cum infidelibus, quas tamen improbarunt doctiores & meliores.

III. *Observatio.* Si convertatur ad fidem pars infidelis, & post conversionem consentiat in vinculum matrimonii; eo casu non separantur. Atque huc accommodari potest illud quod dicit *Augustinus*, lib. de bono conjugali cap. 14. posse sane (inquit *Augustinus*) fieri nuptias ex malè conjunctis, honesto postea placito consequente, manifestum est.

Lib. de bono conjug. cap. 14.

Caput XII.

De vi, ordine, ligamine, honestate, affinitate, impotentia, & clandestinis nuptiis.

I. In matrimonio debet animus gaudere plena libertate, uti supra docuimus, cap. 7. in dissertatione de consensu ad nuptias requisito: ubi etiam pluribus ostendimus libertatis necessitatem. Nam sine libertate non est consensus, & sine consensu non est matrimonium. *Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus.* Lege 116, ff. de diversis regulis juris. Unde patet *Vim* esse idoneum impedimentum, non tantum impediens contrahendum matrimonium, sed etiam dirimens contractum.

Vis.

II. Est autem *Vis* duplex, una suasiva, altera compulsiva: illa moralis dicatur, ista physica vis. Illa terret, ista compellit. Illâ qui cogitur, ipse agit, licet invitus, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ; at quem ista compellit, nihil ipse agit, sed violenter compellitur, nihil de suo contribuens, nisi quatenus physicè actus agit, ac si quis manu unius hominis tanquam fuste caput alterius percutiat, violenter allidendo unius manum capiti alterius.

III. Vis physica omnem excludit consensum, omnemque consensus significationem; Ideo ubi Vis physica est, ibi non potest esse matrimonium, quamvis carnaliter misceantur per istam violentiam, est enim raptus, non matrimonium.

III. Vis autem moralis est quando persona aliqua metu adducta vel mortis vel atrocis cruciatus, &c. contrahit cum aliquo, vel aliqua, per verba de præsenti, aut etiam contractum consuminat matrimonium.

V. Matrimonium expresso consensu contractum & consummatum non dirimit exceptio metus: nemo enim quovis terrore cogi censendus ad stuprum, ideo non cogi sed consensisse merito censetur. (*Vani timoris justa excusatio non est.* inquit *Celsus* Jureconsultus, lege 184. ff. de diversis regulis juris.) Talis enim metus non cadit in hominem constantem, ut dicitur, extra de sponsalibus & matr. cap. 28. *Consultationi.* & in glossa ibid. & tit. qui matrim. accus. poss. cap. *Insuper*. Præsertim si ad certum tempus accedat voluntaria cohabitatio, nec fugerit pars se coactam conquerens, quando fugere potuit. Extra de spons. & matr. cap. 21. *Ad id quod.* & in glossâ ibid. Vide etiam glossam ad cap. *Abbas*. Extra, de his quæ vi metusve causa fiunt. Ubi inter alia dicitur, debere aliquem potius quælibet mala pati quàm malo consentire. Quamvis si vir aut mulier queratur se metu illato coactum aut coactam verba consensum testantia protulisse, sed nunquam animo consentisse, non est illis audientia deneganda, & causa diligentissimè examinata, si evidenter constiterit de metu illato, qui non fuerit vanus timor, sed talis qui cadere potuerit in hominem constantem, persona conquerens liberanda erit. Extra de sponsal. cap. 15. *Veniens* & cap. 28. *Consultationi.* quia scilicet libertatem habere debet qui consentit. Consummatum autem matrimonium declaratur irritum propter exceptionem physicæ violentiæ: non necessariò, sed tantum si persona coacta nolit consentire. Nam si post vim, sponte communi consensu cohabitent, fit verum matrimonium. Nam etiam invita desponsata, postea verò sponte cognita, contra matrimonium non est audienda. Uti rectè statutum à *Clemente* III. Papa. Extra. Qui matrimon. accus. poss. cap. *Insuper*. Hæc de *Vi*.

VI. De *Ordine* supra monuimus, cap. 6. non esse istud idoneum impedimentum. *Ordo. vide cap. 21.*

VII. *Ligamen* est idoneum impedimentum impediens, & dirimens. Quia scilicet illicita est polygamia, seu plurium simul viventium conjugum cum uno vel una conjuge consociatio carnalis. Dissensio tamen est, an per justum divortium semper solvatur etiam vinculum matrimo- *Ligamen.*

moniale; quod nos asserimus, negantibus Canonistis. De qua quæstione plura, infra, Domino donante, ubi ventum fuerit ad divortia. In Concilio Arelatensi primo, sub *Constantino* Magno celebrato, verba Canonis decimi sunt; De his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere; placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne, viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant. Hactenus verba Canonis. Esto sanè, detur consilium, in quantum *potest*; sed non ponatur mandatum.

Honestas. VIII. *Honestas*, quæ & *justitia publicæ honestatis* nuncupatur, haudquaquam negligenda est: præcipit enim Apostolus Philip. 4. ut cogitemus & faciamus quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, si qua virtus, si qua laus; hæc, inquam, ut cogitemus & faciamus, si Deum pacis nobiscum esse cupimus. Item, 1 Cor. 10. Ut sive edamus, sive bibamus, sive quid faciamus, omnia faciamus in gloriam Dei, & sine offendiculo simus tum Judæis, tum Græcis, & Ecclesiæ Dei. Hæc autem *justitia publicæ honestatis* impedit ea matrimonia, de quibus non exstat in scripturis determinata lex, sed quæ judicio Ecclesiæ, & Christianorum Principum prudenti discretioni permittuntur, more rerum mediarum, determinanda, prout morum publica honestas, & humanæ societatis tranquillitas postularint. De hoc impedimento monebamus supra, cap. 4. §. 14. & §. 15. & cap. 10. §. 9. & seqq. Ubi quædam invenies exempla hujus impedimenti. Quo etiam reduci poterit interdictum Ecclesiæ, de quo inferius. Tunc autem cogit exceptio publicæ honestatis, quando naturali rationi & decoro accessit legitima constitutio seu lex à potestatem habente lata. Et tunc valet humana aliqua lex justitiam prætendens publicæ honestatis, quando naturali æquitate evidenter fulcita, & legi divinæ non repugnans, sed pulchrè consentanea, & ad legis divinæ observationem quodammodo necessaria invenitur; atque ad legem quandam generalem divinam de honestate, decoro, & ædificatione, sine ulla difficultate reducitur.

Philip. 4. 8 9.

1 Cor. 10. 31, 32.

IX. Multa enim ad causas matrimoniales spectantia reliquit Deus hominibus determinanda, secundùm naturalem æquitatem, & honestatem, & secundùm illas regulas in scriptura positas, ut omnia fiant decenter, & sine scandalo, habita interim ratione & discretione locorum, & personarum, &c.

X. Vetat scriptura separari illos qui matrimonialiter conjuncti sunt, nisi intervenіat adulterium; at quid sit matrimonialiter conjungi, & quæ ad matrimonialem conjunctionem sint in singulis locis & ætatibus casibusque necessaria, non ita determinatè proponit, relinquens scilicet decernendi libertatem ex æquo & bono, legumlatoribus hominibus. Ipsa quidem natura docet consensum esse necessarium in perpetuam vitæ consuetudinem, sed & alia multa diligenter observanda sunt, quædam omnibus communia, quædam verò pro locis & temporibus & casibus varia.

XI. Memores autem esse decet legumlatores æquissimæ illius regulæ, quam supra allegabamus ex *Augustino* ad *Pollentium*; Non tanto pondere prohibenda esse licita, quamvis non expediant, quanto prohibenda sunt ea quæ prorsus sunt illicita. Ideo in rebus mediis, certa lege divina non prohibitis, non est laqueus conscientiis injiciendus, sed tantum externæ rerum tranquillitati morumque honestati, res alioqui in se non illicitæ, attemperandæ sunt.

Supra cap. 4. § 14.

De *affinitate* supra diximus, cap. 4.

XII. Sequitur *Impotentia* coeundi, de quo impedimento agitur, caus. 33. quæst. 1. Item extra de frigidis & maleficiatis. Et alibi. Summa est; impotentiam viri, qui uxorem suam nunquam cognoscere potuisse probatur sufficienter, vel per mulieris virginitatem, vel per septimam amicorum manum; impotentiam, inquam, viri immedicabilem, aut mulieris nunquam à viro cognitæ ineptitudinem, nullo honesto remedio sanabilem; idoneum esse impedimentum, declarans non veras esse illorum nuptias, ideoque separari posse, concessa parti ad matrimonium idoneæ novi matrimonii libertate. Quæ sanè æquissima lex est; nam in unam carnem qui convenire nequeunt, non possunt perfectum habere matrimonium, aut perfectam facere affinitatem.

XIII. Superveniens tamen impotentia, aut ineptitudo, consummatum non dirimit matrimonium: quod solo adulterio, aut infideli defectione, dissolvitur.

XIV. Quod verò decernitur, contrahentem scienter cum impotenti non separari, etiamsi postea petat, nimis durum est, & legi divinæ minimè consentaneum; quamvis temeritatis quandam castigationem mereatur. Lex enim divina solos conjuges, in unam carnem sociatos, aut sociabiles, separari vetat, extra causam adulterii: aliis verò propter fornicationis periculum concedit nuptias cum persona potenti & idonea ad officium conjugale.

XV. Ultimum impedimentum etiam dirimens ex jure Canonico est *Ecclesiæ interdictum*. De quo caus. 30. quæst. 5. & extra. De clandestina desponsatione. Item tit. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

XVI. Author glossæ in cap. *Cum inhibitio.* De clandest. desp. ait clandestinum matrimonium tribus modis dici. 1. Quando non habentur testes. 2. Cum non fit cum solemnitate. 3. Quod fit non præmissâ denunciatione. Adde quartum, quando sine parentum consensu contrahitur.

XVII. De consensu parentum supra diximus, cap. 7. reliqua tria genera clandestini matrimonii, gradibus distinguuntur. Nam testes magis sunt necessarii, quam solemnitas; & necessaria magis est solemnitas, quam prævia denunciatio.

XVIII. Matrimonium sine testibus, juramento & consummatione firmatum, etsi verum est coram Deo, non tamen pro vero haberi potest coram Ecclesia, quæ non judicat de occultis, uti rectè dicitur in glossa, ad cap. *Quod nobis.* de clandest. desp. & in Concil. Trident. sess. 24. de reformatione matrimonii, cap. 1. decrevit tamen *Alexander* III. Papa Rom. cap. citato, extr. de cland. desp. recipienda esse atque approbanda ab Ecclesia matrimonia ejusmodi, si contrahentes ea publicaverint: nempe quia publicatio adquirit testes consensionis. Prohibentur tamen illiusmodi clandestina conjugia, duas præsertim ob causas, ut habetur in glossa, caus. 30. quæst. 5. in principio. 1. Ne sub spe matrimonii fiat fornicatio. 2. Ne matrimonialiter conjuncti separentur. Et sanè propter istas causas meritò hodiè prohibentur, & pro nullis habenda denunciantur ejusmodi matrimonia. Rationes enim istæ in ipsa naturali æquitate fundatæ sunt.

XIX.

XIX. Olim pro veris matrimoniis habebantur etiam clandestina sine testibus, aut absque solemnitate Ecclesiastica contracta, postquam innotescerent; at Synodus Tridentina prorsus irrita declaravit matrimonia sine testibus, & solemnitate Ecclesiastica contracta. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. quantum ad denunciationem verò, liberum relinquit Episcopis dispensare, propter idoneas causas. Originem autem prævia trinæ denunciationis repetunt Tridentini à Canone Concilii Lateranensis sub *Innocentio* III. celebrati, qui etiam insertus est juri Canonico, extra de clandestina desp. cap. *Inhibitio*.

XX. Quantum ad solemnitatem Ecclesiasticam, quamvis ea non sit de essentia matrimonii, Christianæ tamen pietatis est, eam susque deque non habere. Cum primos conjuges conjunxerit Deus, nuptiasque celebraverit, adducendo Evam ad Adamum, eisque benedicendo; & nuptiali solemnitati interfuerit Christus; & cum matrimonio natura ipsa & honestas publica dictet necessariam esse solemnitatem autoritatemque publicam, quo facilius stuprum à matrimonio discernatur; eaque apud Christianos obtinuerit jam inde ab ultima veterum memoria laudabilis consuetudo, ut cum Ecclesiastica solemnitate nuptiæ celebrentur.

XXI. Hunc morem fuisse veteris Ecclesiæ, ut sponsus & sponsa publicè à sacerdote benedictionem acciperent, & sine illa pro Christiano matrimonio non haberetur, testantur verba illa quæ *Euaristo* Episcopo Romano tribuit *Gratianus*, caus. 30. quæst. 5. *Aliter*. & *Ormisda*, *Nicolaus*, *Leo*, Romani Episcopi; verba à *Gratiano* recitantur, cauf. 30. quæst. 5. & in eandem sententiam citat ibidem Canonem Concilii Carthaginiensis quarti, & Canonem Concilii Arelatensis. *Tertullianus* hoc nititur argumento contra nuptias fidelis cum infideli; quia non contrahuntur conciliante Ecclesia. lib. 2. ad uxorem. cap. 9. Unde sufficiam (inquit) ad enarrandam fœlicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater rato habet? Eodem etiam argumento utitur *Ambrosius*, epist. 23. quæ est ad *Virgilium*. Cum ipsum conjugium (ait *Ambrosius*) velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia?

XXII. Observanda est tamen natura hujus impedimenti: non enim cogit ab illius nuptiis in perpetuum abstinere quam clam duxisti: nam in foro conscientiæ eoram Deo jam illi obligatus es, sed cogit consuetam adhibere solemnitatem, ut eam in pace & sine scandalo retineas. *Hormisda* Papa, Nullus (inquit) fidelis, cujuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione accepta à sacerdote publicè nubat in Domino. cauf. 30. quæst. 5. *Nullus*. *Gratianus* cauf. 28. quæst. 1. *Si quis Judaicè*. Conjugium illorum qui contemptis hujusmodi solemnitatibus sociantur, dicit *ratum* quidem esse, at non *legitimum*.

Caput XIII.

Divortii definitio, & divisio, cum septem quæstionibus de divortiis.

I. Divortium est veri perfectique matrimonii dissolutio, ambobus viventibus.

II. Dissolutio legitima vel activa est, vel passiva, respectu personæ innocentis. Activa, quando vir innocens uxorem dimittit adulteram, vel uxor innocens virum linquit adulterum, eodem enim jure nititur vir & mulier in hac causa, uti rectè monet & docet *Augustinus*, lib. 1. de sermone Domini in monte; & *Lombardus* 4. sent. dist. 35. cap. *Hoc etiam*. & *Gratianus*, causa 32. quæst. 5. *Christiana*. Dissolutio passiva est, quando conjugem fidelem deserit obstinatè conjunx infidelis, tunc liberum est parti relictæ novas contrahere nuptias.

III. Hic se offerunt septem quæstiones.

Prima quæstio est; An utroque genere divortii, jam memorato, solvatur vinculum matrimoniale, ita ut parti innocenti liceat, vivente parte altera, novas contrahere nuptias.

Secunda quæstio est, Per quam desertionem, & qua de causa factam, liberetur à vinculo persona deserta.

Tertia quæstio est; Utrum tantummodo ob fornicationem, an verò etiam propter alias causas, liceat dimittere conjugem.

Quarta quæstio est; Utrum possit vir uxorem adulteram, & uxor virum adulterum dimittere proprio judicio; An verò exspectare debeat judicium publicum.

Quinto quæstio est; Ad quod judicium publicum pertineat causa divortii, atque omnino causæ matrimoniales.

Sexta quæstio est; Num partem quæ deliquit, jam resipiscentem, recipere teneatur pars læsa.

Septima quæstio est; An parti nocenti, sive adulteræ, sive desertrici, postea resipiscenti, quam pars læsa non recipit, concedendæ sint novæ nuptiæ.

Ad has septem quæstiones proxima septem capita exhibent responsiones.

Caput XIV.

An utrovis genere divortii, nimirum sive activo, sive passivo divortio, solvatur vinculum matrimoniale, ita ut parti innocenti liceat, vivente parte altera, novas contrahere nuptias.

I. Canonistæ, omnesque Pontificii, duplex faciunt divortium, unum quoad thorum, & cohabitationem, aliud quoad vinculum: illi soli locum concedunt in dissolutione matrimonii eorum qui Christiani existentes contraxerunt. In qua opinione fuit etiam *Augustinus*, in libris ad *Pollentium*, de adulterinis conjugiis. Illud verò *quoad vinculum*, ita ut liceat novas nuptias contrahere, vivente altera parte, locum habere ajunt tantummodo, si eorum qui infideles contraxerunt unus vel una in ipso conjugio ad fidem Christianam convertatur, partemque conversam jam fidelem deserat pars infidelis. cauf. 28. quæst. 2. *Si infidelis*. & extra de

de divortiis. *Quanto.* nempe quia matrimonium Christianorum sacramentum est, non autem infidelium. Ideo matrimonium inter non baptisatos contractum, ajunt verum esse, at non ratum: inter baptisatos verò ratum esse matrimonium, id est, simpliciter indissolubile quoad vinculum, nisi per mortem, quia jam sacramentum est.

II. Huic doctrinæ opponimus has duas propositiones, quas etiam confirmabimus; 1. Matrimonium priscorum Judæorum, aut Catechumenorum baptismo carentium, aut infidelium, non minus ratum est, & indissolubile, quam eorum qui post baptismum contraxerunt in Ecclesia Christiana. 2. Divortio propter adulterium aut desertionem legitimè facto, solvitur etiam vinculum matrimoniale, ita ut parti læsæ & innocenti liceat, vivente parte nocente, ad alia vota nuptialia transire, sive ante sive post baptismum contraxerint prius illud matrimonium, divortio nunc dissolutum.

III. Antequam ad prioris propositionis probationem accedam, præmittendæ sunt istæ quatuor observationes.

Prima observatio; Pontificii solum Christianorum sub Evangelio baptisatorum matrimonium contendunt esse sacramentum propriè dictum; matrimonium verò priscorum Israelitarum sub lege, & Patrum ante legem latam, infidelium etiam, item Catechumenorum matrimonium negant esse sacramentum, quia scilicet baptismus janua est sacramentorum. In glossa ad can. *Cave.* caus. 28. quæst. 1. & extra, de divortiis, *Quanto.* Thom. in 4. sent. dist. 26. quæst. 2. art. 2. & 3. *Bellarm.* lib. de matrim. capp. 2, 3, 4, 5. qui etiam secundas Christianorum nuptias ait omnium judicio vera esse sacramenta, quamvis negetur illis publica in templo benedictio sacerdotalis, cap. 8. §. *Si de priore.*

Secunda observatio; Pontificii conjugia contracta sine baptismo, ideo appellant vera, at non rata; quæ verò contrahuntur post baptismum, ideo appellant vera & rata conjugia, quia priora illa, etsi rata sint & firma ex natura sua, tamen sacramenta non sunt, & ideo deest illis potissima ratio indissolubilitatis; At posteriora sacramenta sunt, & proinde duplicem habent rationem insolubilitatis. [*Bellarm.* lib. de matrim. cap. 12.] Rursus matrimonium Christianorum sacramentum esse probant hac ratione, quia matrimonium Christianorum est unius tantum cum una, & omnino insolubile; igitur (*inquit Bellarm.*) est sacramentum conferens gratiam, ac propriè dictum. lib. de matrim. cap. 4. Omnimodam autem hanc matrimonii inter Christianos baptisatos contracti & consummati insolubilitatem quoad vinculum, viventibus ambobus, probat *Bellarminus* [lib. de matrim. cap. 16.] his scripturæ testimoniis, Matth. 5. 32. Marc. 10: 10, 11, 12. Luc. 16: 18. Rom. 7: 1, 2, 3. & 1 Cor. 7: 39. quibus tamen locis clarum est, loqui Dominum, ejusque Apostolum, de communi & prima ac naturali lege omnis justi conjugii, cui non debet præjudicare sequuta illa temporaria toleratio Polygamiæ, & repudii. Quibus amotis, Dominus legem primam veluti postliminio reducit, & omnibus servandam proponit: quemadmodum proposita est Adamo, ejusque posteris, diu ante introductum repudium. Unde locis citatis, non magis sequitur Christianorum, quam priscorum illorum Patrum matrimonia esse sacramenta. Neque lex illa conjuges obligans usque ad alterius mortem, impedit justum divortium, aut partis innocentis tollit libertatem. Nam justo divortio liberatus non jam est conjunx; lex autem illa usque ad mortem excludit tantum injustum repudium conjugis, & Polygamiam, seu nuptias novas vivente conjuge nullo justo divortio separata.

Tertia observatio; Pontificii locum illum Pauli, 1 Cor. 7: 12. & seqq. de conjuge infideli, quem vel quam habet fidelis cohabitare volentem, non dimittendo vel dimittenda, à cujus tamen fidelem deserentis vinculo & lege libera est pars fidelis deserta; interpretantur per modum consilii, non præcepti: cui opinioni favet *Augustinus*, in libris ad Pollentium: illic tamen præcipere Apostolum, docent *Tertullianus*, lib. 2. ad uxorem. Et *Hieronymus* lib 1. adversus Jovinianum: & *Ambrosius*, in Com. in 1 Cor. 7. vel quicunque author fuit illorum Comm. & ipsa series textus Apostolici: nam quando ait sanctificari fidelem per infidelem, & inde infert, non dimitti debere infidelem cohabitare volentem, ostendit non infirmari conjugium aut solvi vinculum per cultus disparitatem in hoc casu. Item, quando in casu desertionis; hanc soluti vinculi reddit rationem, quia non est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi: An non apertè ostendit, hic demum liberari fidelem à jugo infidelis, si nimirum infidelis discedat? Subjungit tamen nos à Deo ad pacem vocatos esse, neque temere desperandum esse de conversione infidelis: unde inferre promptum est, non solum non licere dimittere cohabitare volentem, sed etiam operam dandam esse, ut si fieri possit discedere volentes dimoveamus à proposito, tum desertionis, tum infidelitatis: & discedentes si fieri possit ad conjugium reducamus, si spes sit conversionis ad Christum. Præterea idipsum patet ex illa generali regula & constitutione Apostolica, ut sicut unumquemque vocavit Dominus, ita incedat; sic enim ait se in omnibus Ecclesiis constituere, διατάσσομαι. His consonant quæ scripsit *Innocentius*, Ruffo & Eusebio & cæteris Episcopis Macedonibus, quæ refert *Gratianus*, dist. 26. can. *Deinde.* Conjugium etiam ante baptismum Deo autore & secundum institutionem divinam conciliari, ideoque per alterius partis baptismum non solvi posse, neque aboleri posse prioris nomen conjugis: in baptismo enim crimina tantum dimitti, non autem illa quæ secundùm Dei præcepta ac Dei instituta complentur, quo in genere est matrimonium etiam ante baptismum completum. Sic *Innocentius*. Item *Ambrosius*, lib. de officiis cap. 50. [cujus verba citantur etiam dist. 26. can. *Una tantum.*] Intelligere debemus, (*inquit*,) quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In conjugio non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismate relaxatur, quod legis est, in conjugio non solvitur. Porro locum illum Apostolicum interpretantur Romanenses de conjugibus cultu disparibus matrimonio conjunctis ante baptismum, non autem de iis etiam qui post utrinque baptismum matrimonio conjuncti sunt, & quorum pars una deficit à fide ad hæresin, vel paganismum. At verò de utroque genere disparium intelligendum esse textum Apostolicum docent ipsius Apostoli verba, *Si quis* (inquit) *frater habet uxorem infidelem*, &c. *& uxor quæ habet virum infidelem*, &c. Quos igitur in vero ac legitimo matrimonio deprehendit cultus disparitas, iis præcipit

Apo-

Marginal notes: 1 Cor. 7: 15, 16. — Ibidem, vers. 17. — 1 Cor. 7: 12, 13.

Apostolus, ut fidelis infidelem cohabitare volentem non dimittat, cujus rationem adfert *Tertullianus*, [lib. 2. ad uxorem]: quia scilicet legitimo matrimonio conjunctam uxorem non licet dimittere, extra casum fornicationis; quo pertinent etiam verba illa *Innocentii*, apud *Gratianum*, dist. 26. can. *Deinde*. Ubi refutat *Innocentius* eorum errorem qui putant non esse legitimum matrimonium, nisi illud quod post baptismum assumitur; ipse Deus (inquit) quum interrogaretur à Judæis, si liceret uxorem dimittere, atque exponeret, fieri non debere, addidit, *quos Deus conjunxerat, homo ne separet*; anne de his loquutus esse credatur qui post baptismum sortiuntur: meminerint & hoc à Judæis interrogatum, & etiam Judæis esse responsum. Hæc ille. De omnibus igitur legitimo matrimonio ante cultus disparitatem conjunctis, accipienda sunt verba Apostoli, ut scilicet, fidelis infidelem cohabitare volentem nón dimittat. Ratio enim necessitatis in omnibus cadem est.

Quarta observatio; Non æstimanda nunc est conjugii firmitas & nexus ex permissivo illo præcepto Mosaïco, de libello repudii pro duritia cordium veteris populi concesso, neque ex tolerata olim inter Israëlitas polygamia, per dispensationem quandam & conniventiam divinam, pro tempore; multo minus ex corruptis moribus quarundam gentium; sed ex prima institutione divina in Paradiso, sicut nos docuit Dominus, Matth. 19. & Propheta Malach. cap. 2. *Matth. 19. 4. 5, 6, 8. Malach. 2: 15.*

IV. His præmissis, accedo ad probationem prioris propositionis; 1. arg. Cui conjugio adest potissima ratio insolubilitatis, illud non minus ratum & indissolubile est, quam eorum qui in Ecclesia Christiana post baptismum contraxerunt; atqui veterum Patrum, item Catechumenorum, nec non alienigenarum à fide legitimis & veris matrimoniis adest præcipua ratio indissolubilitatis. Ergo.

Major est indubitata. Minorem sic probo;

Cui adest illud, in quo Dominus noster Jesus Christus potissimam constituit rationem insolubilitatis, illi conjugio adest potissima ratio insolubilitatis: atqui conjugio legitimo etiam non baptisatorum adest illud, in quo Dominus &c. ergo.

Major est extra controversiam. Minor probatur sic;

Quos Deus matrimonio conjunxit, illorum matrimonio adest illud in quo Dominus &c. at homines etiam non baptisatos matrimonio conjunxit Deus: Ergo. Major patet ex ipso textu Evangelico, Matth. 19. ubi hanc potissimam & unicam insolubilitatis rationem proponit Dominus: à principio Creator fecit eos marem & fœminam, & dixit, propterea relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, eruntque duo illi in carnem unam, quare non amplius duo sunt, sed una caro, quod igitur Deus conjunxit, homo non separet. Neque loquitur illic Dominus de solis Christianorum conjugiis, sed de omni legitimo conjugio unius cum una, juxta primam conjugii institutionem. *Matth 19. 4, 5, 6.*

Minor etiam manifesta est; Nam etiam prisci Patres ante & post latam legem monogami, & postea catechumeni, multique infideles, contraxerunt consummaveruntque justum matrimonium secundùm primam institutionem divinam legemque conjugii, uti rectè etiam observavit *Innocentius*, dist. 26. can. *Deinde*. & *Ambrosius* lib. 1. de officiis cap. 50. & *Gratianus*, caus. 28. quæst. 1. Ergo illos conjunxit Deus.

Dixi *monogamos*, ubi nimirum est conjugium unius tantum cum una simul: nam & hinc argumentatur *Bellarminus*, lib. de matr. cap. 4. Perinde ac si simplicitas matrimonii unius viri cum una tantum muliere simul, prærogativa esset propria matrimonio à Christianis baptisatis contracto; at certè hanc esse primam & communem perpetuamque justi matrimonii legem, docuit Malachias, cap. 2. ex qua lege æstimandam docet omnis conjugii, etiam inter sui sæculi Judæos contracti, æquitatem, non autem ex temporaria illa cum nonnullis veteribus dispensatione, & conniventia. Et ideo nos nunc non nisi ex monogamorum matrimoniis argumentamur, conformibus originali institutioni & doctrinæ Prophetæ Malachiæ. *Malach. 2: 15.* Qua de re etiam *Innocentius* III. Papa, extra de divortiis, capit. *Gaudemus*. Cum ab initio (*inquit*) una costa in unam fœminam sit conversa, & scriptura divina testetur, quia propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una; non dixit tres, vel plures, sed duo. Nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori. Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum, quæ * mos quandoque, interdum etiam fas censetur; per quem sicut Jacob à mendacio, Israëlitæ à furto, & Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur. Hæc *Innocentius*.

** Gloss. quæ scilicet divina revelatio censetur quandoque mos &c.*

VI. Deinde sic argumentor; Insolubilitas vinculi matrimonii, quod unus Israëlita cum una Israëlitide, & quod unus Catechumenus cum una Catechumena contraxit, est necessaria ex lege naturæ, & lege Dei positiva, eaque communi & perpetua, cessavitque jampridem dispensatio, explosis polygamia & repudio. Ergo Israëlitarum & Catechumenorum legitima matrimonia sunt prorsus insolubilia quoad vinculum, extra casum fornicationis, aut perfidiosæ desertionis, vivente utroque conjuge, estque eorum insolubilitas jam simpliciter indispensabilis sine nova revelatione divina. Consequentia per se clara est. Sic autem nec erit difficilis probatio antecedentis. Legem naturæ agnoscit *Thomas*, in 4. sent. dist. 33. quæst. 2. art. 1. eamque ostendit his argumentis. 1. Illud (inquit) præcipuè est de lege naturæ, quod natura bene instituta accepit in suo principio; sed inseparabilitas matrimonii est hujusmodi, ut patet Matth. 19. ergo est de lege naturæ. 2. De lege naturæ est quod homo Deo non contrarietur; sed homo quodammodo Deo contrarius esset, si separaret, quos Deus conjunxit, ex hoc autem habetur inseparabilitas matrimonii, Matth. 19. ergo. 3. Idem ait esse à natura ordinatum ad bonum prolis. Lex Dei positiva manifesta est, Genes. 2. Matth. 19. Ubi etiam repudii tollitur permissio. Neque fas cuiquam mortalium ab illa lege conjugii, & abrogatione repudii, vendicare immunitatem, non enim novam & solis Christianis peculiarem legem fecit Dominus, Matth. 19. sed primam illam & omnibus hominibus communiter impositam legem interpretatur, & pristino nitori restituit, & quid ab omnibus exigat docet, redditque rationem permissi ad tempus repudii, ipsumque in posterum abrogat. Jam pergo argumentari.

VII. Conjugia quæ extra casum fornicationis, aut perfidæ desertionis, vivente utroque conjuge,

sunt prorsus insolubilia, quoad vinculum, ita ut eorum insolubilitas jam extra illos casus sit simpliciter indispensabilis, sine nova revelatione divina; non minus rata sunt atque indissolubilia, quam eorum qui accepto baptismo Christiano contraxerunt; atqui legitima Judæorum, item Catechumenorum conjugia, extra casum fornicationis, &c. Ergo.

Minorem probavimus.

Major patet; Nam in istis duobus casibus solubilia sunt etiam Christianorum matrimonia.

Si dicas Christianorum matrimonia in istis duobus casibus solvi quoad thorum & cohabitationem, non autem quoad vinculum, sicut matrimonia non baptisatorum. Respondeo, matrimonium non baptisatorum æquè firmum est, ac matrimonium baptisatorum, uti ostendimus. Matrimonium autem non baptisatorum justo divortio solvi quoad vinculum, consentiunt nobiscum Pontificii; at negant matrimonium à baptisatis contractum solubile esse quoad vinculum ullo casu, ideo non sinunt Christianum, à quo Christiana uxor justo divortio separata est, novas contrahere nuptias, vivente illa uxore justè dimissa, aut quæ illum perfidè deseruit, per quam desertionem maritus relictus liberatur à lege uxoris. Extra de divortiis cap. *Quanto*. Et exstat rescriptum *Alexandri* III. Papæ, extra, de divortiis, cap. *Ex literis*. Ubi jubet compelli virum, ut redeat ad uxorem, justo divortio propter adulterium separatam, quoniam post divortium sponsalia & nuptias cum alia celebravit.

VIII. Accedimus igitur ad probationem x. nostræ propositionis; Divortio, scilicet, legitimè facto propter adulterium, aut desertionem, solvi etiam vinculum matrimoniale, ita ut parti læsæ & innocenti liceat, vivente parte nocente, ad alia vota nuptialia transire, sive ante sive post baptismum contractæ fuerint priores illæ nuptiæ, divortio nunc dissolutæ.

Probo de utroque genere divortii.

IX. De divortio activo propter adulterium, Dominus interrogatus de dimittenda uxore,
Matth. 19: 4, 5, 6. Matth. 19. nempe ita ut alia duceretur, ea enim erat consuetudo Judæorum. Deut. 24: x. de tali dimissione interrogant, & de tali respondit Dominus, in hæc verba: Annon legistis, quod qui eos fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo illi in carnem unam: quare non amplius duo sunt, sed una caro, quod igitur Deus conjunxit, homo non separet. Objiciunt præceptum Mosaïcum de dando libello repudii;
Ibidem vers. 7. Respondet; quia Moses ad cordis vestri duritiem permisit vobis dimittere uxores vestras, ab
Ibidem vers. 8, 9. initio verò non fuit sic; dico autem vobis, quod qui dimiserit uxorem suam non ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Ecce apertè excipit casum fornicationis. Neque obstat, quod Marc. 10. & Luc. 16. non facit expressam mentionem hujus exceptionis; nam sæpius invenimus unam eandemque doctrinam Domini ab uno Evangelista plenius & specialius, ab alio autem brevius & generalius proponi, atque ita scriptura una ad alterius sensum nos ducit, ne falsum sensum & cum aliis scripturis pugnantem affingamus ulli particulari scripturæ, quæ leviter intuentibus videri fortasse posset prima fronte sensum habere longè alium ab illo, quem nos docet alia scriptura cum ea collata. Sic apud Lucam, cap. 6. *Beati pauperes, & væ vobis divitibus.* Quorum verborum ne falsum sensum concipias, confer Matth. 5. *Beati pauperes spiritu.* Item Luc. *Beati qui esuritis nunc*; Matth. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Sic Luc. 18: 24. *quam difficulter illi qui habent divitias intrabunt in regnum Dei?* & similiter Matth. 19. & Marc. 10: 24. *Filii, quam difficile est eos qui confidunt in divitiis, intrare in regnum Dei?* Neque tamen illi Evangelistæ qui generalius & brevius scripserunt, decipiebant homines, ut ineptè loquitur *Bellarminus*, lib. de matr. cap. 16. sed eam singuli tenuerunt scribendi rationem, quam unicuique præscripsit atque inspiravit Spiritus Sanctus, sapientissimè prospiciens suæ Ecclesiæ de idonea instructione, quomodo illi libuit.

X. Eandem nobiscum veritatem agnoverunt *Cajetanus*, Comm. in Matth. 19. & *Catharinus*, lib. 5. annot. in Commentaria Cajetani, & *Erasmus*, annot. in 1. Cor. 7. contra quos infœlici conatu disputat *Bellarminus*, lib. de matrimonio, cap. 16: 17. *Augustinus* ait; Et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur: Hæc *Augustinus*, lib. de fide & operibus, cap. 19. Si consuetam diligentiam huic dissolvendæ quæstioni adhibuisset, clarius determinasset. *Ambrosius* autem Comm. in 1 Cor. 7. ait, viro licere ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem; sed non idem jus concedit mulieri quæ virum fornicantem dimiserit. At certè communis ratio rupti vinculi, & libertas innocentis mulieris, quæ fornicantem virum dimisit, ostendit utrumque sexum hac in causa ad paria judicari debere. Nam pares causæ paria jura postulant.

XI. Objicitur nobis locus. 1 Cor. 7: 10, 11. *Objectio.* *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Nos cum *Chrysostomo* & *Theodoreto*, & *Oecumenio*, utrobique hic discessionem intelligimus sine justa causa factam. *Augustinus*, lib. 1. de adulterinis conjugiis, (quem & in hoc sequuntur Pontificii,) sensit prohiberi quidem discessionem sine justa causa divortii; Verbis autem prohibitionem sequentibus. [*Si discesserit*,] intelligendam esse discessionem ea utique causa, qua discedere licitum est, ut etiam sic discedentem oporteat manere innuptam, aut viro suo reconciliari: Nam mœchari quidem illum gravius qui præter causam fornicationis, uxore dimissa, alteram duxerit; sed etiam illum qui uxore fornicante dimissa, sibi aliam copulavit, non ideo non mœchari quia fornicantem reliquit. Et ait non posse sic intelligi verba Apostoli, ut mulieres à viris sine justa divortii causa discedentes jubeantur manere innuptæ, aut viro reconciliari: nam si isto modo intelligantur, omnes quibus placuerit continentia, etiam non consentientibus viris, existimabunt sibi licere discedere. Quod procul dubio permittere non debemus.

Respondeo; Nostri simplicius unum idemque genus discessionis per totam illam sententiam intelligunt, ut prohibeatur mulier discedere à viro non fornicante; atque si neglecto hoc dominico præcepto virum sine justa causa uxor reliquerit, hæc illi sit interim pœna, ut novi conjugii spes illi adimatur, quo facilius reduci possit ad virum. Discedenti enim à viro innocente fas non est ad alias nuptias confugere. Hoc ei si durum videatur, & importabile, reconcilietur viro

cum

cum quo honestum & pium habere poterit usum matrimonii. Fateor autem posse non incommodè sic accipi illa verba [*quod si discedat*] ut non solum injustè discedentes coerceantur, sed etiam ut illæ personæ quæ propter intolerabilem impietatem conjugum aut ad evitandum vitæ discrimen se justè pro tempore subducunt, ut, inquam, intelligant non esse tamen propter ejusmodi causas prorsus renunciandum prioribus nuptiis, sed tentandam & patienter exspectandam reconciliationem. Verbis autem illis, *maneat innupta* [1 Cor. 7: 11.] arcetur ab aliis nuptiis ea quæ virum suum sine justa causa reliquit, non autem ei libertas conceditur emanendi in sua injusta separatione à proprio viro. ut patet ex ejusdem capitis versibus 3. & 4.

XII. Idem probo de divortio passivo; fatentur canonistæ & Pontificii, solvi vinculum matrimonii ante baptismum contracti, si una parte baptismum postea suscipiente recuset pars altera cum parte baptisata cohabitare. tum demum ajunt licere parti relictæ novas contrahere nuptias, vivente parte deserente. Idque probant ex verbis Apostoli, 1 Cor. 7. Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi. Sic argumentatur *Gratianus* caus. 28. qu. 2. *Si infidelis.* & *Innocentius* III. extra, de divortiis. *Quanto.* & *Bellarm.* lib. de matrimonio cap. 12. At verò id ibidem negant de matrimonio inter fideles contracto, quamvis pars una postea deficiat à fide, ad hæresin, vel ad idololatriam. Nos autem verba Apostoli ita intelligi debere docuimus, ut ad quoscunque cultu dispares conjuges pertineant, sive ante baptismum, sive post utriusque baptismum contractum sit matrimonium, dummodo non impares contraxerint; nam de eis alia est ratio, uti supra ostensum. At cur non idem de illis sentiendum qui in cultus disparitate contrahunt? respondet *Tertullianus*, quia Apostolus dicit, *si quis frater uxorem habet infidelem*, &c. non ait, si quis *ducit*, sed, si quis *habet*, ita ut matrimonio supervenerit cultus disparitas; matrimonio autem legitimé contracto & consummato prohibetur divortium, nisi stupri causa, ac propterea ille quem in matrimonio gentilis invenit fides, habet jam perseverandi necessitatem, nam ratum est apud Deum matrimonium hujusmodi: inquit *Tertullianus.* Hæc autem ratio æquè ad omnia pertinet matrimonia ante cultus disparitatem, sive in infidelitate, sive in Christiana fide, contracta. Et hæc ratio probat non minus apud Deum rata esse matrimonia in infidelitate, quàm in fide, contracta, utrobique enim divortium activum prohibitum est, nisi stupri caussa. Cum igitur pariter sint insolubilia, sequitur etiam ea pariter esse solubilia, etiam quoad vinculum; nempe divortio quidem activo propter adulterium, passivo autem propter obstinatam desertionem fidelis ab infideli.

1 Cor. 7: 15.

Supra hoc ipso capite & cap. undecimo.

Tertullian. lib. 2. ad uxorem, cap. 2. & cap. 7.

XIII. Præterea verba Apostoli generalia sunt, nulla addita restrictione, *si quis frater habet uxorem infidelem, & uxor quæ habet virum infidelem.* Non addit, quam duxit, vel cui nupsit, ambobus adhuc alienis à fide, vel etiam qui ambo fideles contraxerunt, postea que una pars ad infidelitatem revoluta est, sed generaliter, *si quis frater habet uxorem*, legitimo scilicet matrimonio junctam, ne dimittat. Ratio etiam communis est, *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.* Item, *Ecquid enim nosti mulier, an virum sis servatura? aut ecquid nosti vir, an uxorem salvam facturus sis?* Verba etiam illa generalia sunt, *quod si infidelis discedit, discedat.* Non excipit infideles apostatas, sed generaliter, *Si* (inquit) *infidelis:* Est autem infidelis, sive nunquam conversus aut conversa fuerit ad fidei professionem, sive post fidei professionem susceptumque baptismum defecerit postea à fide, cum Simone Mago, aliisque Apostatis. Ratio etiam illa communis est, *Non est servituti subjectus frater, aut soror, in hujusmodi.* nempe frater aut soror fidelis, habens conjugem infidelem, qui vel quæ conjunx infidelis non vult cohabitare cum fideli. Sed si discedit infidelis, discedat sane, liberatur in hoc casu pars fidelis deserta à lege conjugis infidelis, ita ut alias contrahere possit nuptias in Domino, etiam vivente infideli. Si infidelis noluerit esse cum conjuge fideli; hic cognoscat fidelis libertatem suam, nec ita se subjectum putet servituti, ut ipsum dimittat fidem, ne conjugem dimittat infidelem, inquit *Ambrosius*, apud *Gratianum*, caus. 28. qu. 1. *Si infidelis.* Contumelia quippe Creatoris solvit jus matrimonii, circa eum qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus: infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium peccare dignoscitur: nec ei jam fides debetur conjugii, quia ideo recessit, ne audiret Christianorum Deum autorem esse conjugii, inquit autor comm. in 1 Cor. 7. qui *Ambrosio* tribuitur. Eadem ferè à *Gratiano* citantur sub nomine *Gregorii*, caus. 28. qu. 2. *Si infidelis.*

1 Cor. 7: 12, 13.

ibidem, vers. 14.

ibidem, vers. 16.

ibidem, vers. 15.

XIV. Quis non videt desertorem Apostatam non minus esse aut etiam magis contumeliosum in Deum, quam sit desertor nunquam professus fidem? quod & agnoscit *Innocentius* III, Papa Romanus; qui tamen, si alter fidelium conjugum vel labatur in hæresin, vel transeat ad gentilitatis errorem, non sinit partem fidelem, quæ relinquitur, vivente altera ad secundas nuptias confugere. Extra, de divortiis. *Quanto.* Quam verò adfert ibi *Innocentius* rationem discriminis? nempe, quia matrimonium inter fideles contractum sacramentum est, quod nunquam amittitur. At matrimonium non esse sacramentum propriè dictum, alibi ostendimus. Præterea, fac esse sacramentum, (quod tamen concedendum non est,) quæ ratio cur debeat frater aut soror majori servituti subjacere propter hoc sacramentum, ut deterior sit conditio fidelis qui cum fideli contraxit, quam fidelis conversi ab infidelitate in qua contraxit cum infideli? aut ubi reperiemus discrimen istud in sacris literis? Christus ab Ecclesia nunquam ne morte quidem separatur, neque transit unquam pars altera ad secundas nuptias; si igitur cum istis magistris argumentari liceat ab inseparabilitate spiritualis illius matrimonii Christi & Ecclesiæ, ut inde concludant non solvi carnalia Christianorum matrimonia, quoad vinculum, utroque vivente; cur non etiam à perpetuitate & unitate vinculi matrimonialis inter Christum & Ecclesiam argumentari poterunt Montanistæ contra secundas nuptias? Hoc ideo moneo, ut ostendam, quam sit periculosum, relicto Dei viventis verbo, ad conjecturas ratiocinationesque incertas mortalium confugere.

Instruct. Historico-Theolog. lib. 9. cap. 8.

CAPUT XV.

Per quam desertionem, & qua de causa factam, liberetur à vinculo persona deserta.

I. AD hanc quæstionem respondet *Gregorius*, si infidelis odio Christianæ fidei discedat, caus. 28. qu. 2. *Si infidelis.* discedat, inquam, hoc est, si eum fideli esse noluerit, *Amb.* 28. qu. 1. *Si infidelis.* At quid si Christianus Christianam, aut infidelis fidelem deserat, non odio Christianæ fidei, sed odio conjugis, aut quodam fastidio, aut aliarum nuptiarum cupiditate, annon liberatur persona deserta, cum Apostolus causam non exprimat, sed tantum dicat, *Quod si discedit, discedat, non est servitute subjectus frater aut soror, in hujusmodi?* Respondeo: tria hic intueri oportet. 1. Quid discessionis vocabulo intelligatur. 2. Quis discedat. 3. Quam ob causam.

II. Quid autem sit discessio, facilius intelligitur ex oppositione Apostolica; opponit Apostolus discessioni habitationem, libenti animo, cum conjuge fideli; *Si quis* (inquit) *frater habet uxorem infidelem, & ipsi complacet habitare cum eo*, συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ' αὐτῆ, *ne dimittat eam; & uxor quæ habet virum infidelem, & ipsi complacet habitare cum ea*, καὶ αὐτὸς συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ' αὐτῆς, *ne dimittat eum.* Postea opponit; *Quod si infidelis discedit*, [seu separat se,] *discedat* [separet se,] εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωριζέσθω, *non est servituti subjectus frater, aut soror, in hujusmodi.* Hinc collige, quid intelligat Apostolus, verbo *discedendi*: nempe ille *discedit* à conjuge fideli, qui non συνευδοκεῖ οἰκεῖν cui non complacet habitare, seu qui non consentit ad habitandum cum conjuge fideli; vel affirmativè, cui complacitum est discedere à conjuge fideli, sine justa causa.

III. Officium conjugis est. 1. οἰκεῖν habitare cum sua conjuge; οἴκησις autem, id est, habitatio includit victus, amictus, thorique conjugalis communicationem conjugi, pro facultatibus, & secundum decorum. Exod. 21: 10, 11. *Secundo*; officium conjugis est, ista præstare μετ' εὐδοκίας, cum conjugali complacentia, ut ea omnia faciat amico ac lubenti animo, conjugali, non alieno affectu. *Tertia officii pars*, illi incumbens qui vel quæ fidelem habet conjugem, est, ut complaceat ei habitare μετ' αὐτῆ *cum ipso*, vel μετ' αὐτῆς, *cum ipsa*, hoc est, eo modo quo necesse est cum conjuge Christiano, vel Christiana; habenti autem conjugem Christianum vel Christianam necesse non est ad retinendum conjugem, ut fidem amplectatur Christianam, nam etiam infidelem conjugem cohabitare volentem retinere jubetur fidelis, sed necessarium est, ut suam fidem & religionem profiteri liberè sinat Christianum aut Christianam: item ut Christianorum Deum aut religionem blasphemiis non incessat; nam cui bene complacitum est, habitare cum conjuge fideli, is neque conjugem abducere à fide aut sanctitate satagit, & à blasphemiis in Christum sermonibus abstinebit, quamvis ipse illum non colat, alioqui quomodo dici poterit συνευδοκεῖν οἰκεῖν μετ' αὐτῆς, velle cum complacentia habitare cum ipsa, nempe etiam hoc perpenso, quod Christiana sit?

IV. Deserit igitur infidelis fidelem. 1. Si victum aut amictum aut thorum conjugalem illi deneget, & quidem μετ' εὐδοκίας, id est, cum determinata & firma complacentia denegandi, neque enim desertio censetur si ob subitam aliquam dissentionem conjunx per iram conjugem relinquat, aut domo extrudat, pro tempore, uti nonnunquam usu venit, subsequente postea honesta reconciliatione, & non intempestiva pœnitentia. In hoc enim differt divortium passivum ab activo; nam vel unus actus adulterii causa est satis idonea divortii activi; at verò desertio, causa divortii passivi, non est unus aliquis simplex & brevis actus; (alioqui essent quotidianæ desertiones & divortia etiam inter fideles) Apostolus etiam jubet sic discedentes tentare & exspectare reconciliationem, & negat illis licere statim ad alias convolare nuptias. 1 Cor. 7: 10, 11. Sed est deliberata & pertinax recusatio reditus ad conjugem fidelem, quem vel quam illi complacet deserere, & jubere ut res suas sibi habeat, neque mutat sententiam. 2. Desertor est, qui tria quidem prædicta, nempe victum, amictum, & thorum impertit, sed ἄνευ εὐδοκίας, sine complacentia maritali. Non jam loquor de levioribus rixis, & jurgiis, quæ etiam inter amantissimos quandoque conjuges fortasse exoriri poterunt, moxque sedari, sed de eis conjugibus loquor, qui quamvis victum, amictum, thorumque communem habeant, ista tamen alter alteri præstat non conjugali, sed perverso animo, vitæ conjugis veneno aut gladio aut alio quovis simili modo insidians; aut etiam pudicitiæ conjugis insidians, aliis eam adulterandam tradere tentans, aut insidiantibus consentiens. Quid est enim discedere à fide conjugali, extra casum adulterii carnalis, si hoc non est? aut quis dicat istum συνευδοκεῖν οἰκεῖν consentire ad habitandum cum conjuge? Dices, multos etiam fideles habitare cum conjugibus ἄνευ εὐδοκίας, sine complacentia, imino cum ingenti displicentia, ob conjugum intemperiem. Respondeo; istorum displicentia nihil est aliud, quam dolor de connubii sui incommodis, sed intra eos fines se continens, ut non erumpat in diabolicum propositum interficiendi conjuges, neque impellat ad insidiandum vitæ aut pudicitiæ conjugis: verum cum ista displicentia conjuncta est etiam Christiana complacentia, & patientia, qua statuerunt conjuges non deserere. Statutum in Concilio Eliberitino, apud Vermerias, refert *Gratianus*, ut liceat viro uxorem, quam ream esse consilii in mortem mariti sui probaverit, dimittere, & aliam ducere, si voluerit. caus. 31. qu. 1. *Si qua mulier.* 3. Desertor est, qui quamvis conjugi fideli præstet victum, amictum, & thorum, neque ejus vitæ huic caducæ insidietur, non tamen consentit habitare cum Christiana, ut cum Christiana, sed vel procaciter & pertinaciter blasphemat præclarum illud nomen, à quo cognominati sumus Christiani, quemadmodum impii illi divites, Jacob 2: 7. vel improba importunitate satagit fidelem avertere à fide Christiana, & ad apostasiam aut aliud aliquod flagitium pertrahere. Hoc enim non est συνευδοκεῖν οἰκεῖν consentire ad habitandum μετ' αὐτῆς, etiam cum Christiana. Huc pertinent versiculi illi in glossa ad cap. *Quanto.* Extra de divortiis;

Desere spernentem, vel blasphemare volentem,
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem,
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

Adde, aut vitæ insidiantem, aut pudicitiæ, jubet glossa

glossa deserere: sensus autem est, ut te desertam esse & à lege desertoris illius jam liberatam esse intelligas. Hos versiculos isto sensu suscepimus. Atque hæc de ipsa discessione.

V. Persona discedens est *infidelis*, ideo si conjunx fidelis queratur apud Ecclesiam de Christiano vel Christiana conjuge, innocentem deserente, resque certa & comperta fuerit, erit persona illa desertrix monenda, ut ad conjugem redeat sub pœna excommunicationis; non enim in numero fidelium censendum esse illum vel illam, qui vel quæ suorum, præsertim domesticorum, curam abjicit. 1 Tim. 5: 8. Voci autem monentis Ecclesiæ si pertinaciter immorigeram se præbeat, Ethnicis quodammodo ac publicanis accensetur. Matth. 18: 17. Atque ita pars deserta, declarabitur libera à deserentis jugo: sive ante baptismum, sive à baptisatis contractum & consummatum sit matrimonium. Etenim non liberetur conjunx à lege conjugis excommunicati propter causam minimè matrimonialem.

VI. *Causam desertionis* non exprimit Apostolus, sed generaliter pronunciat, si infidelis discedat, liberari fidelem ab impari jugo. Præterea quicunque spretis Christianæ disciplinæ regulis, fidelem suam conjugem immerentem obstinatè deserit, is fidei Christianæ inimicus haud immerito censetur, & in Deum legislatorem contumeliosus.

De longa absentia conjugis. VII. Hic occurrit etiam difficultas de longa absentia conjugis, quem non constat esse desertorem, quamdiu exspectanda sit pars absens; & an tandem, & quando liceat parti alteri novum contrahere matrimonium? Et hæc quidem quæstio de eis præcipuè proponitur, qui pro juvenili ætate seu fragilitate carnis causantur se non posse continere. Hæc quæstio tractatur in jure civili, ff. de divortiis & repudiis, Lege 6. *Uxores.* & Cod. de repudiis. Lege 7. *Uxor.* & in authenticis constit. Novella 117. cap. 11. *Quod autem.* Item in jure canonico, Extra de sponsalibus & matrimoniis. cap. 19. *In præsentia.* Et extra de secundis nuptiis cap. 2. *Dominus.* Summa huc redit; viro absente, captivitatis aut peregrinationis causa, *vel certum est uxori eum vivere*; quamdiu autem certum est eum vivere, nullam habet licentiam uxor ejus migrare ad aliud matrimonium. Addit *Julianus* JC. nisi mallent ipsæ mulieres causam repudii præstare, (quod fœdum & abominandum est.) *vel in incerto est, utrum vivat maritus, alicubi detentus, an morte jam præventus sit*; & in hoc casu, quantoscunque annos in expeditione manserit, jubetur uxor ejus sustinere, & ad alias nuptias prohibetur convolare. [Additur in glossa, Extra, de spons. & matrim. cap. 19. ubi tamen verisimiliter præsumitur de morte, si mulier nubat excusatur. At *Panormitanus*, ibidem, negat excusari, nisi adsit certitudo; nam (inquit) cum mulier hoc casu contrahat lege resistente, non præsumitur esse in bona fide, sed præsumitur dolus.] *Vel denique mulier certum accepit nuncium de morte viri*, & hoc quidem casu conceduntur ei secundæ nuptiæ. *Justinianus* tamen Imp. etiam post diligentem inquisitionem, & solennem probationem publicis monumentorum gestis insertam, testimoniumque ex his gestis acceptum, (quæ omnia fieri mandat,) jubet mulierem manere adhuc per unius anni spatium, ut etiam post hunc decursum liceat legitimas contrahere nuptias. Si verò postea compertum fuerit testes falsum jurasse, & constiterit adhuc vivere hominem, quem illi mortuum esse jurarunt, mulctabuntur decem auri libris, quas exsolvent ei quem mentiti sunt mortuum esse. [Novella 117. cap. 11.] ipse verò prior maritus licentiam habeat, si voluerit, suam uxorem recipere. Interea mulier quamprimum audiverit vivere adhuc priorem virum, à secundi viri amplexibus abstineat. Eodem jure tenetur vir, absente uxore. Hæc concorditer habentur in utroque jure, locis citatis.

VIII. At, inquies, quid si nolit prior conjunx recipere conjugem, alteri jam conjugio implicatam? Respondeo, liberum est ei vel recipere, vel non recipere. Pars autem non recepta, si bona fide & honesto proposito secundas contraxit nuptias, potest in eis perdurare, interposito ad hoc publico decreto. Nam etsi non recipiens desertionis reus peragi non potest, pars tamen non recepta quasi deserta est, neque simpliciter nocens sive adultera dici potest.

CAPUT XVI.

Num extra fornicationem sit aliqua alia idonea causa divortii activi.

I. QUÆRITUR de activo divortio, an conjugi conjugem dimittere liceat tantummodo ob fornicationem, an verò etiam propter alias causas.

II. *Augustinus* lib. 1. ad *Pollentium*, scribit licere dimittere conjugem idololatram, hanc enim esse abominandam fornicationem. & lib. 1. de sermone Domini in monte, ait licere dimittere propter quaslibet illicitas concupiscentias quæ animam corpore male utentem à Lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè turpiterque corrumpunt, quomodo corrumpitur non solum per stuprum cum alienis viris, aut fœminis, sed etiam per idololatriam, per avaritiam, &c. At idem *Augustinus*, lib. 1. retract. cap. 19. ait hanc esse latebrosissimam quæstionem, & prohibet lectorem acquiescere in eis quæ scripsit lib. 1. de sermone Domini in monte, sed legere jubet & alia sive ipsius *Augustini* postea scripta, sive aliorum melius considerata atque tractata. Scripsit verò postea libros ad *Pollentium* de adulterinis conjugiis, ubi licere contendit dimittere conjugem infidelem. Nam (inquit lib. 1. cap. 17.) si propter causam fornicationis permittitur homo à conjuge separari, quanto magis in conjuge mentis fornicatio detestanda est, id est, infidelitas? de qua scriptum est, quoniam ecce qui longè se faciunt à te, peribunt, perdidisti omnem qui fornicatur abs te. *Psal. 73: 27.* Videatur can. *Non solum.* 28. qu. 1. ubi alia ejus verba in eandem sententiam citantur.

III. Rectè tamen agnoscit *Bellarminus*, lib. de matrim. cap. 14. Dominum loqui de sola fornicatione carnali, quando ait non licere dimittere uxorem sine causa fornicationis. Matth. 5. & 19. & merito rejicit hanc interpretationem *Augustini*, de universali & largo sensu accepta fornicatione.

IV. At nihilominus, cap. 13. illius libri, *Bellarminus* assentitur *Augustino*, quantum ad conjugia ab infidelibus contracta & consummata; ait enim licere parti conversæ dimittere partem adhuc infidelem, etiamsi infidelis cum fideli cohabitare velit; licere, inquam, non tamen expedire. Sed non licere, patet ex verbis Domini, qui divortium prohibet, nisi stupri causa;

uti,

Tertullian. lib. 2. ad uxorem. uti rectè argumentatur *Tertullianus*. Stuprum spirituale justa causa est divortii spiritualis, si cum hominibus Deus strictè ageret; & stuprum carnale causa est divortii carnalis, si stricto jure homo cum homine agat.

V. Præterea addit *Bellarminus*, lib. de matrim. cap. 14. sententiam esse Theologorum & Ecclesiæ totius, posse matrimonium consummatum inter fideles solvi quoad torum & cohabitationem, duabus de causis; 1. Ex consensu; si uterque conjugum continentiam perpetuam voveat, & ad religionem transeat; & citat verba Christi, Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel agrum, vel uxorem*, &c. at fallitur *Bellarminus* si inde putat probari posse, Apostolos uxoratos eorumque uxores perpetuam vovisse continentiam, ut religionem ingrederentur. Nam ut taceam, Apostolos religionem nullam esse ingressos, nisi unicam & communem Christianam, neque enim illa communicatio de qua legimus Act. 4. quicquam commune habuit cum hodiernorum cœnobitarum vita cœnobitica, quæ voto triplici fundata est, sine fide, sine exemplo Apostolorum, temere nuncupato & exacto. Cum constet inter veteres illos Christianos fuisse tantum voluntariam quandam contributionem pro sublevatione egentium, ne quis esset inter eos egenus, non autem ut omnes egestatem appeterent, profiterentur, & voverent. Item ex historiis Ananiæ & Sapphiræ, & Philippi Evangelistæ, constat, non esse susceptum à priscis illis aut exactum votum absolutæ continentiæ. Unde evanescunt ineptiæ illæ Bellarminianæ, lib. de monachis, cap. 5. Sed redeamus ad sensum verborum Domini Matth. 19. *Omnis qui reliquerit*, &c. tantum loquitur illic Dominus de illa relictione rerum quæ fit causa sequendi Christum, uti observavit etiam ipse *Bellarminus*: jam vero illa omnia, de quibus illic fit mentio, relinquit aliquis causa sequendi Christum, non quando ea penitus abjicit, sed quando ea postponit officio hominis Christiani, neque per ea avocatur à sequendo Christo; sed paratus est, si id Christus postulet, omnibus potius renunciare, quam ut Christi voci immorigerum se præbeat, sicuti se inobedientem præbuit opulentus ille juvenis, de quo eodem capite Matthæi 19. vers. 22. non tamen propterea exemptos se putabant Apostoli ab officii piorum filiorum parentibus, aut piorum parentum liberis præstandi necessitate: id enim non prohibet, sed imperat Dominus, ipsis etiam Episcopis, 1 Tim. 3. & omnibus Christianis, 1 Tim. 5. & 1 Cor. 7. & hoc nomine reprehendit Pharisæos quod honorem parentibus jure divino debitum exhiberi non permitterent, Matth. 15. Marc. 7. quando igitur ait Dominus, neminem posse ejus esse discipulum nisi renunciaverit omnibus quæ habet, imo nisi odio habeat patrem & matrem, uxorem & liberos, & suam ipsius vitam; Luc. 14: 26, 33. non avocat omnes Christianos à præstatione officiorum lege Dei imperatorum, non enim venit ut legem solveret, sed, ut adimpleret, neque rerum tollit inter Christianos proprietatem, *Matth. 5: 17.* sed tantum interpretatur legem Dei, de recto rerum illarum usu, & de recta ac vera ratione officii; nempe omnia esse facienda in nomine Domini, ad gloriam Dei, cui omnia posthabere debemus, & imitari mercatorem illum qui omnia vendidit, ut unionem illum inæstimabilem mercaretur. Matth. 13. Hæc de sensu illius loci, Matth. 19. Continentiam tamen mutuo consensu servari non prohibemus, etsi tutius existimamus, cum Apostolo, 1 Cor. 7. ut ad tempus tantummodo suscipiatur, ne nos tentet Satanas, quam ut perpetuo voto nos temerè illigemus. Vide lib. 3. cap. 6. Ubi ostendimus votum continentiæ ab hominibus donum continentiæ non adeptis & sine promissione divina, adeoque sine fide nuncupatum, temerarium esse Deoque ingratum. Neque obligare nisi ad agendam de temeritate pœnitentiam. Ideo iniqua & tyrannica est illa constitutio Papalis, ut si ambo conjuges mutuo consensu voverint continentiam, & pars una religionem ingrediatur, postea que alterum pœniteat, non tamen reddatur illi conjunx in usum thori conjugalis. Extra de conversione conjugatorum. cap. *Dudum*. Sed nunc audiamus porro *Bellarminum*.

VI. Deinde sine consensu (inquit *Bellarminus*) matrimonium inter fideles consummatum solvitur, quoad thorum & cohabitationem, ob crimen, idque triplex. Primum est adulterium alterius conjugis: hanc causam nos etiam agnoscimus; facto autem propter adulterium divortio, solvitur etiam vinculum. Secundum crimen est, si alter conjugum à fide catholica recedat, & de hoc habemus (*inquit ille*) Apostolicum præceptum, ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam correctionem devita*. Ubi Apostolus de omnibus generatim loquitur, neque conjuges aut parentes excipit. Et de his etiam intelliguntur verba Domini, Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem & uxorem*, &c. Sic *Bellarminus*. *Tit. 3: 10.* *Luc. 14: 26.*

VII. At verò non solvi propter istam causam quoad vinculum fatentur ipsi Pontificii. Est autem vinculum matrimoniale, mutua quædam obligatio, non solum privativa, (sicut imperfectè definit *Bellarminus*) qua vir ita efficitur maritus unius fœminæ, ut non possit esse alterius, illa vivente, aut justo divortio non separata, hoc est durante vinculo; sed etiam positiva, qua vir accipit potestatem in corpus mulieris, & mulier in corpus viri, ut non liceat viro mulierem, aut mulieri virum defraudare, durante scilicet vinculo, aut se à conjuge, cohabitare volente, quoad thorum, sine ejus consensu, separare. 1 Cor. 7. salva nuptiali honestate. Atque hinc illa necessitas reddendi debiti, de qua *Lombardus* ejusque Commentatores, 4. sent. dist. 32. Sciendum est (*inquit Petrus Lombardus*) quod cum in omnibus aliis vir præsit mulieri, ut caput corpori, est enim vir caput mulieris; in solvendo tamen carnis debito pares sunt. Ideo Apostolus utrique pariter præcipit in hac causa sibi invicem subjici; inquiens, vir debitum reddat uxori, similiter & uxor viro; quia mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: quia nec mulier ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem potestatem sui corporis habet: nec vir ad continendum nec mulier potestatem habet sine mutuo consensu; sed alter alterius potestatem habet corporis, ut poscenti alteri non liceat alteri negare debitum. In hoc enim pares sunt; quia nec viro nec mulieri corpus suum licet alii tradere. Sed sibi invicem debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio. Hæc ibi. Tunc autem consensisse censetur conjunx ad abstinendum, si alterum conjugem necessitas communis utilitatis & rei familiaris, aut etiam vis major detineat in locis remotioribus, aut morbus vel infirmitas superveniens obstet mistioni, dummodo neuter officii maritalis sit culpabiliter negligens. Hinc efficitur, non sol- *Quid sit vinculum matrimoniale.*

vi

vi matrimonium quoad thorum & cohabitationem propter alterius conjugis, cohabitare volentis, defectionem à fide Catholica. Nam ipsum vinculum includit atque importat cohabitationis ipsiusque adeo thori necessitatem. Fateor quidem interquiescere quandoque necessitatem conveniendi, & certas ob causas posse etiam salvo vinculo conjugem se à conjuge ad tempus subducere, donec fiat reconciliatio; sed non solvitur propterea matrimonium quoad thorum, quamvis interquiescat ejus usus pro tempore. Deinde argumentor ex verbis Apostoli, 1 Cor. 7: 12, 13. *Si quis frater habet uxorem infidelem; mulier quæ habet virum infidelem; non dimittat.* Generaliter loquitur, neque excipit eos qui contraxerunt fideles. Idque deducit ex generali illa regula Dominica, ut uxor à viro non discedat; quod si discedat, ut maneat innupta, aut viro reconcilietur: & vir uxorem non dimittat. Nempe nisi ob causam fornicationis. Matth. 5: 32. & 19: 9.

Object. VIII. At hoc Apostolicum consilium est, inquiunt, non autem præceptum Dominicum, sic enim ipse præfatur Apostolus, *Reliquis verò ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem*, &c. Respondeo; Verba ista Apostoli, [*Ego dico, non Dominus,*] non ita esse accipienda, ac si non præciperet, sed tantummodo consuleret Apostolus, pater ex eis quæ supra disputata sunt, cap. 14. §. 3. in tertia observatione, ubi multis argumentis ostendimus, præcipere illic Apostolum, & præcepta non humana, sed divina tradere. Cum autem per modum simplicis consilii verba illa interpretari non sinant rationes ibi allatæ, verissimam & menti Apostoli congruentissimam esse judicamus illam interpretationem, quam legimus in eo Commentario qui *Ambrosio* tribuitur, in 1 Cor. 7. [*Cæteris ego dico, non Dominus,*] hoc dixit, ut ostendat quid proprio ore Dominus jussit, & quid hujus auctoritati concessit, quia & per istum Dominus loquitur; ait enim an experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? Hæc ibi. Ibidem autem paulo post, quia (inquit) horrebant perfidi culturam Dei, similiter & credentes contaminationem præteriti erroris, ideo præcepit, ut si contenti essent habitare cum immutatis, contenti essent & fideles cum illis. Hæc ille. Hæc autem præcepit *Paulus* non humano judicio, sed impulsu divino, secundum donatam illi sapientiam, de qua loquitur Petrus Apostolus. 2 Pet. 3: 15.

Resp. *Ego dico, non Dominus.* *1 Cor. 7: 12.* *2 Cor. 13. 3.*

IX. Diligenter etiam attendenda verborum connexio, in textu Pauli Apostoli, 1 Cor. 7. Nam hæc præfatio, [*Ego dico, non Dominus,*] referri debet (quantum judico) non ad proximè sequentem monelæ partem, [*Non dimittat,*] vers. 12. Hoc enim Dominus præceperat, ut vir uxorem sine causa fornicationis, (corporalis scilicet,) non dimitteret, quod hic repetit Apostolus, & novæ suæ revelationi præmittit; ut ostendat se nihil contrarium doctrinæ jam antea per ipsum Dominum traditæ afferre: sed referenda est ea præfatio ad subsequentem doctrinam de libertate personæ fidelis, desertæ ab infideli, vers. 15. Infidelem quidem à fideli invitam, sine causa fornicationis corporalis, dimitti non posse agnoscit; at subjungit, liberari tamen fidelem à lege & jugo infidelis, si pars infidelis discedat. De quo genere divortii & solutionis matrimonii, quod jam Apostolo revelatum est, Apostolus monitos vult Corinthios, ut noscant suam in tali casu libertatem: quamvis de hac re Dominus antehac nihil expresserit.

X. Porro ex ista præfatione Apostolica, de hoc divortio passivo, patet, verba illa Domini, quibus ait mœchari illum qui dimissam duxerit, [Matth. 5: 32. & 19: 9.] non esse extendenda etiam ad illas personas quæ ab infidelibus deseruntur, sed referri oportere ad consuetudinem Judæorum, qui uxores levi de causa repudiabant, neque propterea declarabantur infideles, desertores, & nihilominus uxores illæ sic repudiatæ aliis statim pro recepto tunc more licitè nubebant. Hanc permissionem abrogat Dominus: Ideo etiam Apostolus congruenter monet, ut non liceat sic discedenti novum contrahere matrimonium. 1 Cor. 7: 11. nempe vivente parte altera.

XI. Ex his etiam patet, non esse verba Apostoli accipienda de conjugii divortio, quando præcipit ut hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devitemus: Tit. 3: 10. Nam infidelis maritus (sine ulla exceptione hæreseos, quam certum est esse speciem quandam infidelitatis,) sanctificatus est per uxorem fidelem, & uxor infidelis sanctificata est per virum fidelem, 1 Cor. 7: 14. quantum scilicet ad jus usumque conjugii immaculatum: neque licet fideli dimittere infidelem, cohabitare volentem. Et quamvis Apostolus ad Tit. 3. generaliter loquatur, neque conjuges aut parentes expressè excipiat illo in loco; alibi tamen in sacris literis manifesta est exceptio officii conjugalis, Matth. 19: 9. & 1 Cor. 7: 12, 13. & 1 Petr. 3: 1, 2. Officia etiam mutua parentum & liberorum perpetuam habent moralemque æquitatem: quamvis in multis sæpe casibus & ipsa interquiescant, in quibus tamen non cessat inter conjuges obligatio conjugalis reddendi debiti; nam etiam patrem & matrem relinquere oportet ut adhæreas uxori tuæ.

XII. Quin & parentum filiorumque mutua officia, lege Dei præscripta sunt, ut neque hæretico patri filius honorem civilem & naturæ jure debitum negare, neque filium hæreticum pater provocare & prorsus negligere debeat, sed quousque patitur vocatio partis Christianæ, mutua præstanda sunt officia. Accidere autem potest, ut necessitas vocationis hominem fidelem pro tempore avocet etiam à licita alioqui & debita sollicitudine pro patre etiam fideli, imo & pro sua ipsius vita, juxta illud, *qui non odit patrem, & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, præterea autem & suam ipsius vitam, non potest meus esse discipulus.* (Neque enim ad infideles parentes aut conjuges restringendus ille locus.) non tamen hinc sequitur, hominem fidelem, qui Christum sequi vult, debere se statim eximere à legibus naturalibus ac moralibus officiorum, parentibus, liberis, conjugi, fratribus, sororibus sibique ipsi pro suæ vitæ & valetudinis debita cura, præstandorum. *Luc. 14: 26.*

XIII. Tertium crimen, propter quod matrimonium consummatum inter fideles posse etiam sine consensu solvi, quoad thorum & cohabitationem, contendit *Bellarminus*, est, si alter conjugum impellat alterum ad peccatum, ita ut non possit alter cum eo cohabitare sine periculo Deum offendendi; & dicit de hoc loqui Dominum, cum ait, *si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Matth. 18. in quem locum scribentem *Hieronymum* docere ait *Bellarminus*, sententiam Domini esse, ut si ii qui nobis conjuncti sunt, & chari instar oculorum, ut parentes, filii, uxor *Matth. 18: 9.*

uxor, causa sint ruinarum, ab ipsis recedamus. Hæc *Bellarminus*. Certè sensus verborum Domini perspicuus est, ut omnia etiam charissima posthabeamus officiò pietatis, & custodiæ legis divinæ, atque adeò ut si nolit tecum habitare conjunx, nisi peccati cum illo particeps esse velis, abire potius sinas eoque careas, quam Deum offendas. Immo potius quam vel ad flagitium induci nos, aut cogi patiamur, vel gravi periculo, nimia virium præfidentia, subjaceamus, fas pro tempore secedere; ita tamen ut exspectetur atque expetatur honesta reconciliatio: quæ si sæpe & seriò ad lucrandum conjugem tentata, non succedit, res deferri poterit ad Ecclesiam, cujus si monita insuper habeat impius ille & pertinax mali magister, ejiciendus erit & infidelibus desertoribus accensendus; ac tum demum libera erit pars reliqua, perpetua libertate, ab ipso etiam vinculo illius conjugii, & a lege illius desertoris. Libet autem & ipsa *Hieronymi* verba, eis quæ nobis dicta sunt consentanea, hîc inserere. Sic igitur *Hieronymus*, Comm. in Matth. cap. 18. Si, inquit, ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est utilis atque sollicitus & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum, te pertrahit in gehennam, melius est ut & propinquitate ejus & emolumentis carnalibus careas; ne dum vis lucrifacere cognatos, & necessarios, causam habeas ruinarum; itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus qui nos excludere potest à regno cœlorum, amori Domini præponatur. Novit unusquisque credentium, quid sibi noceat, vel in quo sollicitetur animus ac sæpe tentetur; melius est vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere. Hactenus *Hieronymus*.

XIV. Imperatores Christiani *Theodosius* & *Valentinianus* multas alias, præter adulterium, caussas constituerunt divortii activi. C. de repudiis & judicio de moribus sublato. Lege 8. Causas autem repudii (inquiunt) hac saluberrima lege apertius designamus; sicut enim sine justa caussa dissolvi matrimonia justo limite prohibemus, ita adversa necessitate pressum vel pressam, quamvis infausto, attamen necessario auxilio cupimus liberari. Si qua igitur maritum suum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certè contra nostrum imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit, si sepulchorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem vel latronum susceptorem, vel abactorem, aut plagiarium, vel ad contemptum sui domusve suæ ipsa inspiciente eum impudicis mulieribus (quod maximè etiam castas exasperat) cœtum ineuntem, si suæ vitæ veneno aut gladio aut alio simili modo insidiantem, si se verberibus (quæ ingenuis aliena sunt) afficientem probaverit; tunc repudii auxilio uti necessario ei permittimus libertatem, & caussas dissidii legibus comprobare. Vir quoque pari fine claudatur, nec licebit ei sine causis apertius designatis propriam repudiare jugalem. Nec ullo modo expellat nisi adulteram, vel veneficam, aut homicidam, aut plagiariam, aut sepulchrorum dissolutricem, aut ex sacris ædibus aliquid subtrahentem, aut latronum fautricem, aut extraneorum virorum, se ignorante vel nolente, convivia appetentem; aut ipso invito sine justa & probabili causa foris scilicet pernoctantem; vel circensibus vel theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis, in ipsis locis, in quibus hæc adsolent celebrari, se prohibente, gaudentem; vel sibi veneno, vel gladio, aut alio simili modo insidiatricem; vel contra nostrum imperium aliquid machinantibus consciam, seu falsitatis se crimini immiscentem invenerit, aut manus audaces sibi probaverit ingerentem. Tunc enim necessariò ei discedendi permittimus facultatem, & causas dissidii legibus comprobare. Hactenus *Theodosius* & *Valentinianus* Augusti, C. de repud. lib. 8.

XV. *Justinianus* verò Imperator, leg. 11. §. *Inter culpas*. C. eod. Inter culpas (*inquit*) viri & mulieris, constitutionibus enumeratas, & has adjicimus, si forte uxor sua ope vel industria abortum fecerit; Vel ita luxuriosa est, ut commune lavacrum cum viris libidinis causa habere audeat; vel dum est in matrimonio, alium maritum sibi fieri conata fuerit. Hæc ibi.

XVI. Postea tamen idem *Justinianus* Augustus, Novella 117. & cap. 8. & 9. cæteris resectis, sex tantum causas marito, & quinque concessit mulieri, mittendi repudium conjugi. Ma-
rito quidem (cap. 8.) 1. Si contra imperium co- 1.
gitantibus aliquibus conscia est mulier, aut et-
iam viro suo non indicet. 2. Si de adulterio uxor 2.
convincatur. 3. Si quolibet modo mulier vitæ viri 3.
fuerit insidiata, aut aliis hoc facientibus consen-
tiens, viro non indicaverit. 4. Si cum viris ex- 4.
traneis nolente marito convivatur, aut cum eis
lavatur. 5. Si nolente viro foris domum man- 5.
serit, seu foris habitet nocte; nisi forsan apud
proprios parentes. 6. Si Circensibus aut theatris 6.
aut amphitheatris interfuerit ad spectandum,
ignorante aut prohibente viro. Mulieri verò
permittit repudiare maritum (cap. 9.) has ob
causas; 1. Si contra imperium aut ipse cogita- 1.
verit aliquid, aut cogitantibus conscius non in-
dicaverit imperio, aut per se, aut per quamcun-
que personam. 2. Si quolibet modo vir insidiatus 2.
fuerit vitæ mulieris, aut aliis hoc volentibus sciens
non manifestaverit uxori, & studuerit secundum
leges ulcisci. 3. Si maritus uxoris castitati insi- 3.
diatus, aliis etiam eam adulterandam tentaverit
tradere. 4. Si vir de adulterio inscripserit uxo- 4.
rem & adulterium non probaverit. 5. Si quis 5.
in sua domo, in qua cum sua conjuge commanet, contemnens eam, cum aliis inveniatur in ea domo manens; aut in eadem civitate degens in alia domo, cum alia muliere frequenter manere convincatur, & semel & secundò culpatus, aut per suos parentes aut per mulieris, aut per alias aliquas fide dignas personas, hujusmodi luxuria non abstinuerit. Hæc ibi. Adjicit postea cap. 12. ibidem, tres alias causas, nempe. 1. Impotentiam ab initio: At hæc non solvit consummatum matrimonium, sed declarat nullum fuisse matrimonium. 2. Si viri & fœminæ, consistente matrimonio, sanctimonialem conversationem, & monasterii conversationem elegerint. At sic non solvitur jus matrimoniale simpliciter, uti supra docuimus. 3. Si conjunx in captivitate aliquanto tempore detineatur. Certè quamdiu vivere intelligitur, immo nisi mortem obiisse constet, aut saltem ex testimoniis non contemnendis id colligi non immeritò possit, non licet parti alteri ad novas confugere nuptias.

Supra cap. 10. §. 4. & 5. & 6. & 7. Vide supra cap. 15. §. 7.

XVII. In eadem Novella, 117. cap. 14. vir uxorem, quæ repudiari non meretur, fustibus aut flagellis cædens, mulctandus decernitur mulcta pecuniaria; sed matrimonii solutionem ex hoc fieri non vult Imperator.

Supra § 18. XVIII. Sed quid dicendum (*inquies*) de sex istis repudii caussis concessis viro, & quinque concessis fœminæ?

Respondeo; Prima utrobique causa, quamvis non sit propriè matrimonialis, sed politica, & cessante judicio politico, aut persona rea jam pœnitente, & vivere permissa, videatur non dirimi debere matrimonium, cum neutra pars hic sit adultera, aut desertrix conjugis: durante tamen crimine læsæ majestatis, yeluti desertor conjugii est, qui tanti criminis reus esse comperitur, & pars innocens non est servituti subjecta in talibus. Secunda causa quæ viro conceditur, justa est causa divortii activi. Tertia viro concessa, item secunda & tertia mulieri concessæ, ad desertionem reducuntur, suntque non idoneæ causæ divortii passivi, si scilicet assit pertinacia, uti supra docuimus. Quarta quæ mulieri *Supra cap. 15. § 4.* conceditur non est justa causa repudii, quamvis justa causa sit mulctæ civilis, ut patet, Deut. 22: vers. 13. & seqq. 4ta. 5ta. & 6ta concessæ viro, & quinta mulieri concessa, non sunt directè & per se justæ caussæ repudii; sunt tamen idoneæ per aliud ad quod interpretativè reducuntur: quia enim qui ita se gerunt censentur rei adulterii, ideo tanquam adulteri repudiantur: nam talis tamque impudica atque impudens conversatio habetur pro adulterii probatione. Idcirco *Thomas* Aquinas, loquens de probatione adulterii, in 4. sent. dist. 35. quæst. 3. ad 4. Si (*inquit*) de facto isto non constat, possunt esse violentæ suspiciones fornicationis, quibus probatis videtur fornicatio esse probata; ut si inveniatur solus cum sola, horis & locis suspectis: & nudus cum nuda. Hæc *Thomas*. Et *Hieronymus*, Comm. in Matth. 19. ubicunque (*inquit*) est fornicatio, & fornicationis suspicio, liberè uxor dimittitur. Hæc ille. Suspicionem *De suspicione.* intellige non temerariam, & inani nixam fundamento, sed valde probabilem, & violentam hoc est, talibus subnixam argumentis, quæ cogant præsumere reatum adulterii. Ad punitionem quidem criminis adulterii in judicio seculari requirit lex Mosaïca, ut inveniantur vir cubans cum uxore proximi sui, Deut. 22: 22. Quod sic intellexisse videntur Judæi, ut in ipso actu adulterii deprehenderentur: Hæc deprehensa est (inquiunt) ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη in ipso actu adulterium committens, in lege autem nostra Moses præcepit tales τὰς τοιαύτας lapidari. Joan. 8: 4, 5. De adulterii verò probatione, pro repudio mittendo, nihil dicit Sacra Scriptura, nisi illud ad culpam adulterii extendas quod legimus. Deut. 24: 1. Si accidat ut non inveniat mulier gratiam in oculis viri, quod invenerit in ea turpitudinem aliquam. Quæ tamen verba non ad solum adulterium restringenda esse patet ex colloquio Christi & Pharisæorum, Matth. 19: 8. Dicit quidem Dominus, Matth. 5: 32. & 19: 9. licere dimittere uxorem propter fornicationem; sed de probationis modo nihil dicit. Quin & ipsa lex Mosaïca, prout describitur, Levit. 20: 10. statuit, adulteros morte plectendos, neque ibi fit ulla mentio inventionis. Quod autem additur in repetitione, Deut. 22: 22. [*Si inventus fuerit*,] eo pertinet, ut excludatur temeritas & injustitia in hominibus capite plectendis; hic enim si qua ulla alia in causa circumspectè se gerere debent judices; Ideo inventio seu deprehensio hic accipi poterit, & videtur quidem accipi debere, in significatione forensi, pro legitima atque idonea probatione judiciaria: quo sensu accipitur etiam 1 Reg. 1: 52. Luc. 23: 14. & alibi. Neque enim privata inventio seu deprehensio semper est sufficiens ad morte mulctandos adulteros, puta si ab uno tantum teste conspiciantur in ipso actu, non propterea poterunt publico judicio interfici; sed ad justum processum judiciarium necessaria est probatio seu inventio sive deprehensio judiciaria, ut scilicet, judex de causa cognoscens, eos inveniat adulteros, sive comperiat adulterii reos, & ex justa atque idonea probatione convincat. Jam verò cum Christus adulterum pronunciet etiam illum qui impudico aspectu mulierem appetiverit, & cum in foro conscientiæ, ubi de vera castitate agitur, omnis etiam species mali dijudicetur; quid vetat pro adulteris haberi, & tanquam adulteros à conjugibus publico judicio separari non solum eos qui in ipso adulterii actu ab idoneo testium numero deprehensi sunt, sed etiam eos qui adulterinis moribus pertinaciter, quamvis aliquoties moniti, utuntur, & qui impudica sua obstinatione non solum excitant, sed etiam alunt in hominum animis violentas ipsius actus adulterii suspiciones? Hoc enim interesse judico inter ipsum adulterii actum, & violentas ejus præsumptiones ex causis supra memoratis in lege Augusta, quod uno comperto actu adulterii, & directa probatione manifestato, liberetur conjunx partis adulteræ ab ejus lege per justum divortium; At verò violentæ suspiciones, quæ tantum indirectè & per quandam discursivam collectionem probant adulterium, tum demum sint justa atque idonea causa divortii, si pars delinquens non tantum semel sed sæpius occasiones justas præbuerit illarum suspicionum, præsertim si monita non desistat, sed impudenter atque pertinaciter inhonestos mores retineat, quibus glissat scandalum, & violentæ suspiciones augescant. Quis enim neget, talem quasi impudenti professione, si mores intuearis, reatum criminis revera in se suscipere, licet verbis neget; & fidem rumpere ac deserere conjugalem: adeoque innocenti & læsæ parti libertatem minimè esse denegandam?

XIX. Lex est *Justiniani* Augusti, Novell. 117. cap. 15. His quoque (*inquit*) etiam illud adjicimus, ut si quis forsan suspicatur aliquem velle suæ uxoris illudere castitati, & contestationes ei ex scripto tres destinaverit, habentes testimonia trium virorum fide dignorum, & post has tres ex scripto contestationes, invenerit eum convenientem suæ uxori; siquidem in sua domo, aut ipsius uxoris, aut adulteri, aut in popinis, aut in suburbanis: esse licentiam marito propriis manibus talem perimere, nullum periculum ex hoc formidanti. Si verò in alio loco talem invenerit cum sua uxore loquentem; non minus tribus testibus hic dignis convocatis, per quos probare possit quod eum cum sua uxore comperit, judici tradere crimina examinanti. Illum verò pro veritate cognoscentem post tres ex scripto contestationes cum tali muliere eum inventum; talem quidem tanquam ex hoc solo adulterii crimini subjacentem, nulla alia ratione quæsita punire. Hæc *Justinianus*, Auth. coll. 8. Tit. 18. Novella constitutione 117. cap. 15.

CAPUT XVII.

Utrum possit vir uxorem adulteram, & uxor virum adulterum dimittere proprio judicio; an verò exspectare debeat judicium publicum.

I. RESPONDET ad istam quæstionem *Thomas*, in 4. sent. dist. 35. quæst. 3. posse privato judicio dimitti quoad thorum tantum, ita ut conjugi adulteranti non teneatur pars innocens reddere debitum; At verò quoad thorum simul & habitationem dimitti non debere nisi judicio publico.

II. Istam Thomæ responsionem accipio hac lege, & conditione gemina: 1. Ut provideant judices, tum ne pars innocens cogatur se miscere parti quam novit esse de facto adulteram, aut etiam de qua violentas & justas habet suspiciones, nisi dilutis illis suspicionibus; tum etiam ne cuiquam liceat iniquo obtentu fornicationis, conjugem defraudare immerentem. 2. Ut non censeatur injuriam facere quoad habitationem, qui uxori adulteræ præbet interim necessaria ad victum & amictum pro facultatibus, eique prospicit de loco idoneo, in quo commoretur, quamvis in eisdem cum ea ædibus habitare non sustineat: eo quod futura illa esset quotidiana animi exulceratio atque exacerbatio. Paratus tamen sit judici publico facti sui reddere rationem, & ostendere æquitatem. Idem judicium de muliere virum dimittente.

CAPUT XVIII.

Ad quod judicium publicum pertineat causa divortii, atque omnino causæ matrimoniales.

I. IN matrimonialibus caussis multa sunt civilia, quæ propriè pertinent ad judices seculares; ut de dotibus, de donationibus propter nuptias, de successionibus, de interdicto matrimonio inter tutorem & pupillam, &c. quædam verò ita pertinent ad magistratum politicum, ut tamen magis sit Ecclesiasticorum respondere de jure inter Christianos; ut de institutione & primæva lege matrimonii, item quid sit adulterium, quid incestæ nuptiæ, quæ Christianorum conjugum officia, quo casu liceat dimittere conjugem, & quando per desertionem liberetur pars deserta, &c. de impedimentis autem matrimonii, etiam de quorundam jure, possunt ferri leges politicæ, sicut & Ecclesiasticæ, uti supra docuimus: contractus etiam sponsalitius, item nuptialis, partim est politicus, partim verò Ecclesiasticus; quatenus & rempubl. concernit, & conscientiam. *Sup. capp. 8. 9. 10, 11, 12.*

II. Distinctio illa Bellarminiana partim recipienda est, partimque repudianda; ait ille, [lib. de matrim. cap. 32.] caussas de gradibus cognationis, de divortiis, de impedimentis, & aliis, quæ ad contractum matrimonialem pertinent, esse politica, quatenus contractus ille est naturalis: quod neque nos inficiamur. At contractum eundem, cum eis quæ ad illum pertinent, quatenus fundamentum est sacramenti, & res conscientiæ, dicit spiritualem esse; Hanc partem sic recipimus, ut fateamur contractum matrimonialem cum eis quæ ad illum pertinent esse rem conscientiæ; fundamentum verò sacramenti propriè dicti esse negamus. Negationis autem nostræ rationes idoneas alibi in medium attulimus. Fatetur autem nobiscum *Bellarminus*, caussas de dotibus, de successionibus, de hæreditatibus, &c. esse omnino politicas, & ad politicum magistratum simpliciter pertinere. *Instruct. Historico-Theolog. lib. 9. cap. 8.*

III. Quando autem caussas illas quas agnovit partim esse politicas, partim verò Ecclesiasticas, dicit pertinere quidem posse ad politicum magistratum, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum; simpliciter autem ad Principem Ecclesiasticum pertinere: imperitè confundit distincta judiciorum genera, quæ non sunt propriè subordinata, sed disparata, & quodammodo coordinata; ut politicus faciat quod suum est, illæso jure judicis Ecclesiastici; & Ecclesiasticus quod sui est officii faciat, sine imminutione politicæ potestatis; & eminentiæ illius architectonicæ, de qua monebamus, lib. 5. hujus operis, cap. 2.

CAPUT XIX.

Utrum partem quæ deliquit, jam resipiscentem, recipere teneatur pars læsa, nec ne.

I. EX Jure Canonico, ad eam quæ ex hæresi vel infidelitate revertitur, quamvis judicio Ecclesiæ separata fuerit, redire cogitur is qui permansit in fide, nisi velit ingredi religionem; quo casu ad eam redire non cogitur. Extra de conversione conjugatorum, cap. *Mulier.* Item, de divortiis, cap. *De illa.* & cap. *Quanto.*

II. Loquuntur autem Canones illi de separatione propter hæresin, etiamsi non accedat desertio voluntaria & obstinata: qualem separationem perpetuam fieri non debere, supra ostendimus. Sed fac deseri fidelem ab infideli, & publico judicio liberam declarari fidelem quæ deserta est; postea autem infidelem tum ad conjugem reverti, tum fidem amplecti Christianam; annon sanatus est jam per istam pœnitentiam & conversionem, ita ut eum recipere teneatur uxor quam reliquerat? Certè si interea ad novas nuptias ante ejus reditum non confugit relicta, æquissimum videtur ut revertentem & conversum recipiat; & ex ultimo etiam recipi debere. Etsi enim liberata erat à desertoris lege, jam tamen per istam sanationem restitui videtur quasi jure postliminii obligatio matrimonialis; nempe si pars liberata se liberam conservaverit ab omni novo jugo: neque decreverit in posterum cælebs vivere. Sin autem novis se nuptiis implicuerit, cum sint legitimæ istæ novæ nuptiæ, uti supra ostendimus, cap. 14. certum est non esse dirimendas istas novas ac legitimas nuptias, propter conversionem desertoris. *Supra cap. 16.*

III. Adulteram resipiscentem, quæ vivere finitur, maritus adhuc liber recipere quidem potest, at nulla lege ad recipiendum eam obligatur; si verò aliam interea acceperit uxorem, non potest jam relinquere uxorem legitimam innocentem, ut adhæreat adulteræ resipiscenti. *Vide supra cap. 2.*

IV. Ratio autem discriminis, cur infidelem desertricem revertentem, fidemque amplectentem, recipere teneatur desertus adhuc liber; adulteram vero resipiscentem recipere non teneatur, hæc est; Quia omnis injuria conjugis quoad matri-

matrimonium sanabilis est & penitus abolerur per pœnitentiam, excepto adulterio; quod etsi quoad conscientiam coram Deo aboletur per pœnitentiam, non tamen abolerur quoad jus conjugii. Quatenus quidem pollutio est animæ & conscientiæ, cum reliquis peccatis animam & conscientiam polluentibus tollitur per pœnitentiam; at quatenus carnis adulteratio est, & corporis, quod uni marito in solidum debebatur, in diversa distractio, aboleri non potest quoad jus matrimonii per pœnitentiam. Quia hoc solùm peccatum directè contrarium est matrimonio, & unicus ejus actus rumpit vinculum conjugale. Neque tenetur maritus tentare reconciliationem, aut eam quamvis pœnitentem retinere, comperto & probato uno tantum adulterii actu; neque necessaria est pertinax in adulterio perseverantia, ad libertatem partis innocentis; sicut se habet in aliis criminibus; quæ non directè & per unicum sui actum liberant personam innocentem; uti supra ostensum, cap. 15.

V. Propterea, quemadmodum hæreticam aut paganam, cohabitare volentem cum Christiano, tenetur Christianus retinere; imo etsi subito discesserit, si blasphema verba semel aut bis loquuta est, si conjugem à fide abducere conata est, & statim monita resipiscat, non potest eam dimittere maritus fidelis; adulteram verò vel unico actu pollutam, quamvis statim resipiscat, potest jure dimittere: sic existimo, matrimonium, propter culpam pœnitentia sanabilem dissolutum, redintegrari jure postliminii per pœnitentiam delinquentis, nisi obstet novum vinculum: quamvis vinculum per culpam immedicabilem ruptum, non redintegretur per pœnitentiam adulteri, vel adulteræ.

VI. Interea, non inficior, eum, quem publica sententia, à desertricis lege liberum pronunciavit, etiamsi revertatur, fidemque Christianam amplectatur desertrix, liberiorem tamen manere illo qui cum conjugis impietate adhuc luctatur, nondum ab ejus lege liberatus. Etsi enim neutri jam hoc tempore concedendas esse judico novas cum alia conjuge nuptias, puto tamen conjugem semel vinculo exsolutum, non obligari ad subeundum rursus jugum matrimoniale; modò fixam habeat sententiam & propositum non fucatum continendi in posterum ab omni concubitu, propter honestas rationes; idcirco nec teneri ad recipiendum desertricem conversam & revertentem. Quamvis eum postea pœnituerit; & aliam uxorem duxerit, priore illa vel mortua, vel jam alteri nupta. At verò si adhuc quidem liber est ab omni novo conjugio, constituit tamen apud se etiam post desertricis conversionem & reditum, illâ prætericâ aliam uxorem ducere, cogendum existimo ut recipiat conversam ac revertentem, nisi eam carnaliter alteri mistam esse compererit, aut saltem violentas ea de re & justas habeat suspiciones. Nam licet jam non sit inter eos perfectum matrimonium; tamen eam recipere compellitur ex consequentia prioris matrimonii, in favorem fidei, ut loquitur author glossæ, ad cap. *Gaudemus*. Extra, de divortiis.

VII. Adulteram quidem recipere potest maritus, virtute sive ex consequentia prioris matrimonii; si velit. At non cogitur eam recipere. De adulteræ autem receptione plura nobis dicta sunt, cap. 2. hujus libri.

Caput XX.

An concedendæ sint novæ nuptiæ parti nocenti.

I. Quamvis constituerit *Justinianus* Imp. Nuvell. 134. cap. 10. eumque sequutus *Gregorius* VIII, Papa Romanus, Extra, de convers. conjug. cap. *Gaudemus*. Adulteras, etiam ad frugem melioris vitæ conversas, in monasterium mittendas, ut ibi perpetuam pœnitentiam toto vitæ suæ tempore agerent, amputata omni spe conjugii, nisi eas mariti earum intra biennium vellent recipere. Alibi tamen, in jure canonico, conceduntur adulteris novæ nuptiæ, nempe mortua parte læsa; caus. 31. qu. 1. & Extra, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. Arcent autem canones adulteram à novis nuptiis, vivente priore marito, quia statuunt, non solvi vinculum inter viventes, qui dum essent Christiani contraxerunt: hujus autem hypotheseos falsitatem ostendimus, supra, cap. 14.

II. Sic igitur argumentor; adulteræ vinculo prioris matrimonii exsolutæ, si jam ad frugem melioris vitæ conversa sit, & diuturnum non fucatæ resipiscentiæ & exploratæ probitatis specimen dederit, quæ priore conjuge rursum potiri nequit, concedi potest & denegari non potest novum cum alio honestæ famæ viro conjugium. Idemque de viro adultero dicendum, quem prior uxor non vult recipere. Majorem hanc suppeditant canones, locis citatis. Addidimus autem compertæ probitatis evidentiam, & honestam illius famam cum quo, vel cum qua, contrahuntur novæ nuptiæ, propter illa quæ supra monuimus, in impedimentis, de *crimine*, & de *justitia publicæ honestatis*;

Subsumo minorem; Atqui adultera publico judicio declarata, & separata, quam prior maritus recipere constanter recusat, exsoluta est vinculo prioris conjugii, etiam vivente priore marito; adulterio enim solvitur ipsum etiam vinculum ante mortem, uti supra ostendimus, cap. 14. Neque priore conjuge potiri jam potest &c. idemque de adultero dicendum. Ergo adulteræ publico judicio declaratæ, & separatæ, quam prior maritus recipere constanter recusat, si jam ad frugem melioris vitæ conversa sit, ac diuturnum non fucatæ resipiscentiæ & spectatæ probitatis specimen dedit, concedi potest & denegari non debet novum cum alio honestæ famæ viro conjugium, etiam vivente priore marito. Idemque de adultero viro dicendum, quem resipiscentem prior uxor non vult recipere.

III. Dominus ait, Matth. 19: 8, 9. *Moses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic: Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Hinc ostendimus, in superioribus, non mœchari illum qui, dimissa uxore adultera, aliam ea vivente ducit. Ibidem sequitur, neque mœchari illum qui duxerit dimissam ob fornicationem, observatis scilicet illis cautionibus quas in syllogismo proximè formato commemoravimus. Neque tamen hinc colligas, mœchari eum qui injustè desertam duxerit in uxorem, nam licere deserto vel desertæ ab infideli, ad novas transire nuptias docet Apostolus, 1 Cor. 7: 15. ubi supra, cap. 14.

ne contrarium quicquam doctrinæ Dominicæ tradere videatur, opportunè admonet, [vers. 12.] nihil de hoc genere divortii antehac à Domino dictum esse, sed ipsi nunc Apostolo hoc revelatum; ideoque non esse accipienda verba Domini de illa discessione propter quam liberatur pars deserta, sed tantummodo de repudio Judaico; sicut etiam supra monuimus, cap. 16. in explicatione verborum Apostoli [*Ego dico, non Dominus.*]

IV. Præterea conclusio illa superioris syllogismi confirmatur ex verbis Apostoli, 1 Cor. 7: 8, 9. *Dico autem non nuptis & viduis; bonum est illis, si sic permaneant: sicut & ego. Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Non excipit hîc Apostolus desertas, aut dimissas, sed omnino omnibus nullius jam vinculo conjugii illigatis [τοῖς ἀγάμοις.] commendat quidem cælibatum, si c[illegible]ti possint, si verò se non continent, permitti[illegible] imo imperat nuptias, ut talibus haudquaquam negligendas.

V. Nos dimissum vel dimissam, desertum vel desertam, ad nuptias non invitamus, si se continere possint; quin & suaderemus eis, præsertim dimissis adulteris, ut si possint, in casto cælibatu permaneant. Potius tamen quàm urantur, nuptias illis honestas concedendas dicimus, & commendandas: tales autem personas in non nuptarum sive nuptiali vinculo non ligatarum numero censendas esse supra docuimus.

supra cap. 14.

VI. Denique ipse Dominus, remissa adulterii culpa, aut adulteræ, *Vade, & ne amplius pecces.* Joan. 8: 11. non injungit cælibatum, sed prohibet peccatum. Persona autem matrimoniali vinculo exsoluta non peccat nubendo, sed fornicando, neque fornicari ullo casu licet; at *nubere melius est, quam uri.*

1 Cor. 7: 9.

VII. Fatetur *Bellarminus*, (lib. de matrim. cap. 16.) si soluta sit pars innocens à vinculo matrimonii, solvi etiam partem nocentem: ideoque si liceat parti innocenti contrahere novas nuptias vivente parte nocente, idem licere concludit parti nocenti, neque fieri per hoc matrimonium injuriam ulli. Cur (inquit) prohiberet lex conjugari hominem solutum, & proclivem ad vitia, quando nulla restat amplius spes reconciliationis cum conjuge priore? Sed hinc probare nititur *Bellarminus*, non solvi à vinculo ipsam personam innocentem; absurdum enim esse concedere personæ nocenti novas nuptias, vivente innocente, quæ tamen negari illi non possent, quippe solutæ, si soluta esset persona innocens. Absurditatem verò illam probat ab hoc incommodo; si liceret (inquit) parti nocenti aliud inire matrimonium, ergo commodum ex peccato suo adulter reportaret, & sæpe etiam viri dedita opera adulterium committerent, ut possent ab uxore liberari, & aliam uxorem ducere. Hæc *Bellarminus.*

VIII. Respondeo. Ad posteriorem partem incommodi dicimus; non concedi divortium ad postulationem partis adulteræ, neque enim adultera innocentem, sed innocens adulteram accusare & dimittere potest. Ad priorem partem dicimus, neminem propriè reportare commodum ex peccato, nam plus est in peccato ipso incommodi, quam ut ullo commodo mundano pensari queat. Sin autem regerat, adulterum reportare illud quod ipsi commodum videtur; Respondeo, hoc idem objici poterit etiamsi neutri parti concedantur novæ nuptiæ, nam huic commodum videtur facere conjugi suæ quod doleat, illi verò commodum videtur liberari & separari à conjuge quoad thorum & cohabitationem, ut possit scortari licentius, vel etiam cohabitationis illius quia illum pertædet.

IX. Denique observandum quod supra monuimus, tum demum concedendas esse nocenti novas nuptias, postquam ad frugem melioris vitæ conversa est, & idoneum non fucatæ resipiscentiæ spectatæque probitatis dederit experimentum. Neque enim prius ad communionem Ecclesiæ admitti debet persona quæ deliquit. Talis autem persona non existimabit se reportare commodum ex peccato suo, sed magnum potius incommodum: mallet enim & magno jam optaret emptum, non peccasse, & eo jam est animo, ut, si adhuc esset res integra, nollet universa hujus mundi commoda redimere peccando. Verum quia jam se lapsam videt, id solum restat, ut non amplius peccet, sed toto reliquæ vitæ suæ tempore castitatem diligenter colat, sive in cælibatu, sive in novo honestoque conjugio, si ad prius conjugium reditus illi prorsus intercludatur.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER OCTAVUS.

De Octavo Præcepto Decalogi

NON FURABERIS.

Octavi libri pars prima, sive Tractatus de furto in genere, ejusque variis speciebus, oppositoque officio.

PRIMÆ PARTIS

Caput Primum.

Quid sit furtum, octavo Præcepto prohibitum, & quid eodem præcepto imperetur.

I. FURTUM definitur in jure civili Rom. ff. de furtis, lege 1. quod sit, contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere.

II. Eandem definitionem repetit *Justinianus* Imp. inst. de oblig. quæ ex delicto nascuntur.

III. *Azoni* & *Lago*, Jureconsultis videtur restringenda furti definitio ad contrectationem rei alienæ mobilis & corporalis; ut videre est apud *Conradum Lagum*, in part. 3. *Methodi Juris*, cap. 30.

IV. Rationem reddit Imperator Inst. de obl. quæ ex del. nasc. cur contrectationem dixerit potius quam amotionem: Furtum (inquit) committitur, non solum cum quis intercipiendi causa rem alienam amovet; sed generaliter cum quis alienam rem invito Domino contrectat. Itaque sive creditor pignore, sive is, apud quem res deposita, ea re utatur; sive is qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quam cujus gratia ei data est, furtum committit. Si nempe se intelligat id invito Domino facere; eumque, si intellexisset, non permissurum. Si enim eum permissurum credat, furtum non committi; optima scilicet distinctione, quia furtum sine affectu furandi non committitur. Hæc ibi, §. 7. & §. 8. Mente captus non facit furtum; neque is qui errore ductus alienam rem prorsus abstulit: quia dolus abest, ut monet *Lagus*.

V. *Lombardus* ait furti nomine intelligi omnem illicitam usurpationem rei alienæ: lib. 3. sent. dist. 37. Et recte quidem objectum furti facit rem alienam, nam suam rem nemo furatur qua sua ipsius est, sed quatenus aliquo modo aliena, commissa scilicet alius custodiæ ita ut rem amissam restituere cogatur de suo, vel alii pignori data, ita ut sit quasi utrisque communis. Qui rem, quam ex aliqua probabili causa suam existimavit, abstulerit alteri, furti accusari non potest, inquit *Lagus*, in *Methodo juris*, part. 3. cap. 30.

VI. Certum est in hoc præcepto Decalogi octavo esse, ut in aliis præceptis, synecdochen, & sub una specie prohiberi omnem speciem injustitiæ circa opes externas: item ex negativo colligendum esse affirmativum. Ut hoc pacto omnia hujus ordinis præcepta moralia quæ in sacris literis reperiuntur, ad præceptum non furandi reducantur: sicuti monuimus supra in regulis quas præmisimus expositioni Decalogi.

VII. Facit autem more in aliis etiam præceptis consueto Deus, quando furti usurpat vocabulum, quo ab omni iniquitate in hoc genere homines facilius deterreantur, & ut iniquitatis istiusmodi fœditatem ejusque coram Cælesti Tribunali æstimationem ostendat. Notum est ignominiosam fuisse apud ipsos etiam Ethnicos appellationem furis: unde illud *Virgilii*, Ecl. 3.

Quid Domini facient, audent cum talia fures?
Non poterit præses provinciæ efficere, ut furti damnatum non sequatur infamia, inquit *Macer*. Leg. 63. *Non poterit.* ff. *De furtis.*

VIII. Furtum igitur in hoc octavo præcepto omnem complectitur iniquitatem & intemperiem, & uno verbo omnem ἀνομίαν in opum sive in rebus mobilibus, sive immobilibus consistentium appetitione, acquisitione, cura, usu, conservatione, vel perditione: &c.

IX. Quo pertinet & *plagium*, sive abductio hominis furtiva lucri causa, vel ut alius inde damnum in opibus consequatur: quando autem libidinis causa abducitur mulier, transgressio est septimi præcepti: at si vindictæ causa quisquam ad carcerem aut plagas rapitur, violatio est præcepti sexti.

X. Culpis autem præcepto octavo vetitis opposita officia eodem præcepto imperantur, de quibus vide infra capp. 2. & 20.

CAPUT II.

Divisio furti, & subdivisio furti in affectu, oppositique officii.

Furtum in affectu, sive internum.

I. FURTUM Octavo præcepto prohibitum, vel est in affectu, vel in effectu: sive vel internum est, vel externum, eodem sensu, non enim is solùm furari dicendus est qui externo actu furtum committit, sed quemadmodum uxorem proximi concupiscens, adulter est, ita & ille qui domum proximi, aut bovem, vel asinum ejus concupiscit, furatur, affectu scilicet, licet non externo effectu.

II. Culpa in affectu hic prohibetur quadruplex.

1. Amor pecuniæ.

1. Ne amemus pecuniam, omnium enim malorum radix est, Φιλαργυρία amor pecuniæ, 1 Tim. 6: 10. Ne velimus ditescere: qui enim volunt ditescere, (hoc est, nihil potius in votis habent, quam ut ditescant, sive qui effrænata cupiditate abripiuntur amore divitiarum,) incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas, stultas & noxias, quæ demergunt homines in exitum & perditionem. 1 Tim. 6: 10. Qui lucro inhiat, animam dominorum illius capiet. Prov. 1: 19. Qui diligit argentum, non saturatur argento: & qui amat multitudinem, est sine fructu: etiam hoc est vanitas. Ecclesiast. 5: 9. Vide Prov. 23: 4, 5. Ne labores ut diteris, sed à consideratione tua desine. Nam erigis oculos tuos ad illas quæ nullæ sunt: faciendo faciunt tibi alas similes aquilæ, & evolant in Cælum.

2. Fiducia in divitiis.

2. Ne habentes divitias fiduciam in illis collocemus 1 Tim. 6: 17. Psal. 62: 11. Marc. 10: 24. Luc. 12: 15. &c. qui confidit in divitiis suis, corruet. Prov. 11: 28. Neque de iis superbiamus aut gloriemur, Jer. 9: 22. Job. 31: 24, 25. Neque earum amissione frangamur, aut paupertate despondeamus animum, Job. 1: 21. Dominus dedit, & Dominus abstulit, benedictum sit nomen Domini; Philip. 4: 11, 12, 13. Marc. 10: 24.

3. Ethnica & anxia solicitudo.

3. Ne simus infideli & Ethnica solicitudine anxii de corradendis, vel retinendis, vel augendis divitiis, Matth. 6: 25. & sequentibus: & cap. 13: 22. Luc. 12: 22. & sequentibus.

4. Invidia, item contemptus pauperum, & admiratio & suspectio divitum. Invidiæ duplex antidotum.

4. Ne cuiquam divitias invideamus: nam qui bonis invidet malignus est, qualis ille peccator qui frendet dentibus adversus justum, Psal. 37: 12. Impiis verò si videamus abundare divitias, duplex animum subeat cogitatio: 1. Divitiarum ea est vanitas, ut non sit cur iis propter divitias invideamus: ne timueris quum ditatus fuerit vir, quum multiplicata fuerit gloria domus ejus, nam quum morietur non accipiet quicquam, neque descendit post eum gloria ejus, quoniam animæ suæ in vita sua benedicit, & laudabunt te quum benefeceris tibi, introibit usque in progeniem suorum Patrum, usque in seculum non videbunt lumen. Homo in honore, & non intelligit, similis est jumentis quæ intereunt, Psal. 49: 17. & sequentibus. Ne commoveare propter malignos, ne zelaveris facientes iniquitatem, quoniam veluti herba velociter succidentur, & sicut olus germinis decident. Tace Domino, & spera in eo, ne commoveare propter eum qui prosperatur in via sua, propter virum facientem abominationes, desine ab ira, & missum fac furorem, noli æmulari ad malefaciendum, quoniam maligni excidentur, at expectantes Dominum ipsi hæreditate accipient terram. Et adhuc paululum, & non erit impius, & contemplaberis locum ejus, & non erit, Psal. 37: 1, 2, 7, 8, 9, 10. Profectò in locis lubricis posuisti eos; corruere facis eos in desolationes, &c. Psal. 73: 18. & sequentibus. Vide Prov. 23: 5. faciunt sibi alas divitiæ sicut aquilæ, & evolant in Cælum. Quid igitur vel in illas oculos conjicimus, vel eas cuiquam invidemus. *Secundo loco* meditemur Patris nostri Cælestis etiam erga ingratos illos & contumaces indulgentiam & benignitatem, qui solem suum oriri facit super malos & bonos, & pluit super justos & injustos: cujus nos clementem indulgentiam celebrare decet, atque imitari, Matth. 5: 45, 46. Et cavendum est, ne oculus noster malus sit, quod ille bonus sit, neve illius providentiæ & liberalitati obmurmuremus, Matth. 20: 11, 15. Festinat ad divitias vir mali oculi, nec cognoscit, quod inopia eveniet ei, Prov. 28: 22. Præterea præcipitur, Ne impium propter divitias suspiciamus, aut fœlicem putemus, quippe lubrico loco stantem, & brevi ruiturum, Psal. 73. Luc. 12. & 16. Neve justum & pium hominem propter pauperiem despicatui habeamus, Prov. 22: 22, 23. Matth. 18: 10. & cap. 25. vers. 40, 45. Jacob. 2: 1, 2, 3, 4, 5, 6. Qui subsannat pauperem, (inquit Salomon) probris afficit factorem ejus: qui lætatur in punitione alterius, non erit impunitus, Prov. 17: 5. vide etiam, Prov. 24: 17, 18.

Oppositum officium in affectu.

III. Multiplici huic culpæ, quæ vetatur, opponitur officium quadripartitum, quod octavo hoc præcepto imperatur.

1. Αὐτάρκεια.

1. Officii hujus prima pars est αὐτάρκεια, id est, animus præsentibus contentus, 1 Tim. 6: 6, 8. Philip. 4: 11. Hebr. 13: 5. Item, ut nos, mundo opes poscente, attollamus altius animos, & fœliciori voto quæramus regnum Dei, & justitiam ejus Matth. 6: 35. Luc. 12: 31. Et cum Davide dicamus, multi dicunt, quis videre faciet nos bonum? Eleva super nos lucem vultus tui, Domine, &c. Psalm. 4: 7. &c.

2. Fiducia in solo Deo & constans animus.

2. Liberalis animus, & divitiis quas possidet major, neque in iis, sed in solo Deo collocans fiduciam, 1 Tim. 6: 17. Constantia animi, neque prosperis intumescentis, neque adversis rebus fatiscentis, sed fixa in Deo fiducia æquabilitatem utrobique servantis, Job. 31: 24, 25. & cap. 1: 21. Hebr. 10: 34. Philip. 4: 12, 13. Psal. 20: 8. Jerem. 9: 23. &c.

3. Tranquillitas, ut simus ἀμέριμνοι.

3. Spes fixa, & mens tranquilla, in uno Deo, ut scilicet in illum solicitudinem omnem nostram conjiciamus, scientes nos illi curæ esse, 1 Petr. 5: 7. ita ut nec anxiè soliciti simus de conquirendis vel augendis divitiis, nec earum jacturam pertimescamus: ab auditione mala non timeamus, sed paratum & confirmatum cor nostrum fidat Domino, (Psal. 112.) qui dat omnia ad usum. (1 Tim. 6: 17.) sine cujus voluntate ne passerculus quidem in terram cadit, neque pilus de capite nostro decidet, (Matth. 10.) Cujus oculus super timentes eum, sperantes in misericordia ejus, ut eruat à morte animam eorum, & vivificet eos in fame, (Ps. 33: 18, 19.) Ideo quamvis ficus non floreat, nec fructus sit in vitibus, mentiatur opus olivæ, & arva non faciant cibum, abscindatur ab ovili pecus, nec sit bos in stabulis, nos tamen, qui spem in Domino collocavimus, & speramus in misericordia

dia ejus, exultemus constanter in Domino, & lætemur in Deo salute nostra, Habac. 3: 17, 18. Non enim est penuria timentibus eum, Psalm. 34: 1. Non è solo pane vivet homo, sed ex omni verbo exeunte per os Dei, Matth. 4: 4. Neque quum bona cuipiam redundant, vita ipsi constat ex his quæ possidet, Luc. 12: 15. Melius est parum cum timore Domini, quam thesaurus magnus cum divexatione, Prov. 15: 16. Benedictio Domini divitem facit, nec apponit ei [benedictioni] dolorem, Prov. 10: 22. Hæc autem tranquillitas, & cælestis conversatio, (Philip. 3.) & ἀμεριμνία, non solum auxiam expellit sollicitudinem, sed etiam ingratum abigit contemptum donorum Dei: agnoscimus enim dona Dei esse, nosque eis opus habere: sed & hujus nostræ indigentiæ scimus non esse ignarum, neque immemorem, neque incuriosum Patrem nostrum Cælestem, Luc. 12. Matth. 6. illum esse scimus qui ditat, quique pauperem facit, 1 Sam. 2: 7. & honestam diligentiam nobis scimus esse necessariam, Prov. 27: 23. neque vel micam ullam panis esse ingrato contemptu abjiciendam, aut negligendam, Joan. 6: 12. neque tentandum esse Deum, Matth. 4: 7. non tamen vel rebus ipsis, vel nostræ vigilantiæ, sed Cælestis Patris nostri paternæ fidimus providentiæ, & in illum sollicitudinem nostram omnem conjicimus, ideoque ab anxia Ethnicaque sollicitudine procul absumus.

1 Petr. 5: 7. Matth. 6: 25. Philip 4: 6.

4 Ἀθῳωΐα, & æqua æstimatio.

4. Officii hujus pars est, ut piorum prosperitate delectemur, exemplo Patris nostri Cælestis, qui vult pacem servi sui, Psalm. 33: 27. quamvis aliquando suos paterno affectu, & optimo fine sapientissimè castiget: ut gaudeamus cum gaudentibus, & fleamus cum flentibus, Rom 12: 15. divinam etiam erga impios indulgentiam læti celebremus, atque imitemur, Matth. 5: 45. & inde argumentum invictum sumamus pro spei nostræ confirmatione; nam si ita liberalis est in impios & rebelles, quanto major ejus benignitas erga pios, quos sibi elegit propriamque sortem quos dici voluit suam, quos suo sanguine redemit? neque ipsorum hostium & impiorum calamitate lætemur, sed illis potius resipiscentiam & pacem apprecemur, Proverb. 24: 17, 18. Psalm. 35: 13, 14. Job. 31: 29, 40. quamvis justa Dei judicia in puniendis & compescendis impiis agnoscamus, lætique deprædicemus, Psal. 52: 7, 8. Psalm. 58: 11, 12. Apocal. 11: 17, 18. & cap. 15: 3, 4. & cap. 18: 20. & cap. 19: 1, 2. &c. Ut impium quamvis opulentum contemnamus, eos autem qui Deum timent honoremus, Psalm. 15: 4. id est, illum reputemus miserum & honorifica æstimatione indignum, istos verò fœlices & honorifica æstimatione dignissimos, qui non obstante paupertie mundana divites sunt fide & hæredes regni illius quod Deus promisit diligentibus eum, Jacob. 2: 5. Non proderunt thesauri impietatis, justitia autem eruet à morte, Prov. 10: 2.

IV. Hæc de officio in affectu, quod octavo præcepto imperatur; eique opposito vitio, quod vetatur; quod & uno vocabulo avaritia, πλεονεξία nuncupatur. Omnem autem avarum esse idololatram; & avaritiam esse idololatriam, testatur Apostolus Paulus, Ephes. 5: 5. Coloss. 3: 5. Et quia nihil magis tenaciter hominum animos detinet, & impedit à veri Dei amore & cultu, propterea ex omnibus vitiis hoc elegit Dominus quod opponeret cultui Dei & amori Dei, utpote eum illo maximè ἀσύςατον, Non potestis servire Deo & Mammonæ. Matth. 6: 24. Omnium enim difficillimè exuitur hoc vitium, neque aliud est quod magis exulare faciat ex hominum animis dilectionem Dei, nam etsi mundum hunc simul & Deum nemo diligere potest, 1 Joan. 2: 15, 16. nulla tamen in hoc mundo concupiscentia est quæ fortius impediat resipiscentiam. Propterea dixit Dominus, facilius esse ut camelus transeat per foramen acus, quam ut dives fidens divitiis ingrediatur regnum Cælorum, Matth. 19: 24. Marc. 10: 24, 25. Sed plena sunt sacra, plena Ecclesiastica, plena etiam prophanorum hominum volumina argumentis & declamationibus in detestationem hujus tam abominandi, tamque immedicabilis mali.

Progredior igitur ab interno vitio ad ipsa mala externa; rivos scilicet ab impura ista scaturigine emanantes.

CAPUT III.

Proponuntur species furti externi, cum quibusdam distinctionibus, rerum & personarum, & modorum furandi.

I. FURTUM autem externum, vel est in acquisitione, vel in neglectu, vel in abusu, vel in malitiosa, aut petulanti perditione, sive destructione, vel in participatione criminis.

II. Observanda autem est quadruplex distinctio: 1. Rerum: 2. Personarum furantium: 3. Personarum læsarum: & 4. Modorum furandi.

III. Res sunt vel publicæ, vel sacræ, vel privatæ, ut trita illa Jureconsultorum utamur distinctione, quam usurpant in distinctione juris. 1

Furtum rerum publicarum *peculatus est.* &c.

Rerum sacrarum, puta usibus Ecclesiasticis, aut Scholasticis, aut Xenodochiis, aut Nosocomiis, aliisve id genus Collegiis consecratarum furtum est *Sacrilegium*, &c.

Rerum privatarum furtum commune nomen *furti* retinet.

IV. Personæ furantes, vel in bello sunt, vel in pace; & rursus, vel in officio publico, sive politico, sive Ecclesiastico, (ad quod refero Scholarum, Xenodochiorum, Nosocomiorum, Ptochotrophiorum, &c. præfecturam & curam) constitutæ, vel privatæ sunt. 2.

V. Personæ læsæ, vel sunt opulentæ ac potentes, vel egenæ & imbecilles, quales sunt advenæ, viduæ, orphani, omnesque pauperculi. 3.

VI. Atrocius est furtum, & majori pœna dignum, quod in rebus publicis vel Sacris, quam quod in privatis committitur: ad plures enim personas pertingit injuria peculatus, aut sacrilegii, quam privati furti. Gravius peccant personæ in officiis publicis constitutæ si furentur, quam personæ privatæ: illis enim ut major peccandi licentia, qua plus nocere possunt, quam privati, & altior concessa est dignitas, ita major etiam de administratione ratio reddenda: ut qui maleficiorum ultores, non autores esse debebant, aliisque exemplo æquitatis præire, & aliorum bona tueri, non furari; Prov. 28: 15, 16. Mich. 3: 9, 10, 11.

VII. Et atrocius crimen est, pauperum, & viduarum, orphanorum, & advenarum bona furari, aut deprædari, quam potentum atque opulentorum: illorum enim, cum omni mundano destituti sint præsidio, Deus ipse specialiter se

se susceptorum patrocinium pollicetur, Exod. 22: 21, 22, 23, 24. Deut. 24: 14, 15. Prov. 22: 22, 23. Psal. 146: 7, 9. Psal. 68: 6.

4. VIII. Modi furandi sunt quinque; furatur enim aliquis: 1. Acquisitione: 2. Neglectu: 3. Abusu: 4. Datione damni: 5. Participatione criminis.

CAPUT IV.

Generalis distinctio modorum furandi in acquisitione, & de furtis militaribus.

I. HÆREDITAS (inquit *Solomon*) festinanter acquiritur in principio, cujus tamen novissimum benedictione carebit, Prov. 20: 21. Nil proderunt thesauri impietatis, Prov. 10: 2. Suavis est viro panis mendacii, postea implebitur os ejus arena, (vel scrupulo,) Prov. 20: 17. Melius parum cum timore Domini, quam thesaurus magnus, & vexatio in eo, Prov. 15: 16. Melius est paululum justo, quam divitiæ impiorum multæ, Psal. 37: 16. Vir fidelis multiplicabit benedictiones, at qui festinat ditari non erit innocens, Prov. 28; 20. festinat ad divitias vir mali oculi, nec cognoscit quod inopia eveniet ei, Prov. 28: 22.

Furtivæ acquisitionis modi in militia. II. Modos autem furandi in acquisitione intueri possumus tum in militia, tum extra militiam. In militia quidem tribus modis committitur furtum: *Primo*, Si quis cuiquam injustè bellum inferat, Judic. 11: 27. *Secundo*, Si milites stipendiis suis non contenti, cives concutiant, Luc. 3: 14. *Tertio*, Si ductores, vel Principes, vel quæstores idonea militibus stipendia non præbeant, aut de constituto stipendio inique aliquid demant, aut milites suos injusta procrastinatione frustrentur: hoc ipso enim quod jubentur milites contenti esse suis stipendiis, manifestum est obligati eos quibus militant ad tempestivè præbendum idonea militibus stipendia; quis enim militat propriis stipendiis? inquit Apost. 1 Cor. 9: 7. Vide Deut. 24: 14, 15. Prov. 3: 28. Perinde verò erit sive in pecunia numerata, sive in aliis necessariis, aut etiam in agrorum possessione nanciscantur stipendia, prout scilicet inter eos convenerit.

Fures extra militiam. III. Extra militiam furtum committitur in acquisitione, vel à personis publicis politicis, vel à personis publicis Ecclesiasticis, quibus accensemus Scholarum, Xenodochiorum, Nosocomiorum, Ptochotrophiorum, Orphanotrophiorum, aliarumque venerabilium domorum ordinatores & œconomos, quod factum etiam à *Justiniano* Imperat. constit. Novella centes. vigesima; ubi res domorum illiusmodi pro Ecclesiasticis habentur: vel denique à quibuslibet in communi vita.

CAPUT V.

Species furti quod committunt personæ publicæ politicæ, extra militiam.

I. PERSONÆ publicæ Politicæ, id est, Principes, Judices, Magistratus, & omnes qui aliis autoritate politica præsunt, furantur acquisitione furtiva, extra militiam, tum in aditione muneris, tum in ejusdem administratione.

Furtum in aditione muneris. II. Furantur in aditione, qui suffragia hominum clancularis largitionibus ementes, publica munera & dignitates, non ipsorum merito, sed interventu pecuniæ consequuntur: hi lege civili *Romanorum* dicebantur *rei ambitus*; de quo crimine habetur in pandectis titulus: nempe, *de lege Julia ambitus.* Propterea *Justinianus* Novella constit. 8. statuit, Judices creandos esse, ita, ut administrationes gratis sumerent, neque pro administratione quamlibet donationem, neque judici ulli, neque horum qui circa administrationem sunt alicui, neque alteri per occasionem patrocinii facerent. Rationem autem hujus suæ constitutionis hanc reddit; Quia qui administrationem emit, & donationes ejusmodi fecit, computat apud se quod conveniat cum tantum ex provincia percipere, quantum in emptione & donationibus expenderit, unde fit, ut reos dimittant, vendentes iis delictum, & subjectum populum furtis suis gravent atque expilent. In sacris etiam literis probatur consilium illud *Jethronis*, qui præsides & Judices constituendos monuit, viros timentes Deum, veritatis studiosos, & ab omni avaritia alienos, Exod. 18: 21. *Rei ambitus. Judices creandi sine interventu pecuniæ.*

In administratione. 1. Acceptione munerum. III. Personæ politicæ publicæ furtum committunt acquirendo, in administratione, tribus modis: 1. Acceptione munerum, & propter pecuniam sententiam ferendo, aut suffragium dicendo, aut se corrumpi muneribus patiendo, quo magis aut minus quid ex suo officio faciant: tales in lege civili apud Romanos *repetundarum rei* habebantur. Lege Julia repetundarum (ait *Macer*) tenetur qui quum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob judicandum decernendumve acceperit; *Lege* 3. *ff. de lege Julia repetundarum.* Addit *Venulejus Saturninus*, vel quo magis aut minus quid ex officio suo faceret. Leg. 4. ff. eod. In sacris autem literis simpliciter edicitur, ut Judices non capiant munus, (a reo scilicet, vel actore, aut in eorum favorem, vel præjudicium,) quocunque prætextu, quia nimirum munus excæcat mentes sapientum, & pervertit verba justorum, Exod. 23: 8. Deut. 16: 19. Inde accusantur Judices Israelitæ per Prophetam; Principes (inquit) munere judicabant, Mich. 3: 11. Et apud Esaiam, Principes tui declinantes, & socii furum; omnes diligunt munera & sequuntur retributiones, Esai. 1: 23. Non ideo (ait *Augustinus*) debet judex vendere justum judicium, aut testis verum testimonium, quia advocatus vendit justum patrocinium, & jurisperitus verum consilium: illi enim inter utramque partem ad examina adhibentur, isti ex una parte consistunt. Quum autem judicia & testimonia, quæ nec justa, nec vera, vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamvis à volentibus datur. Hæc *Augustinus*, epist. 4. *Repetundarum.*

2. Retentione fraudulosa pecuniæ residuæ. IV. Secundus modus quo furantur personæ publicæ acquirendo in administratione, est, quando quis pecuniam publicam delegatam in usum aliquem, retinuit, neque in eum consumpsit; hunc teneri *lege Julia*, *de residuis*, ait *Paulus Jureconsultus*, lege 2. ff. *Ad legem Juliam peculatus*, & *de Sacrilegiis*, & *de residuis*. Hac lege teneri, ait *Marcianus*, & illum qui in tabulis publicis minorem pecuniam quam quid venierit aut locaverit scripserit, aliudve simile commiserit. Lege 19. ff. eod.

3. Oppressione, & rapacitate, & inquitexactionibus. V. Tertius modus est, quando qui præsunt expilant atque exhauriunt subditos, eorumque bona ad se trahunt, vel aperta rapina, vel iniquo juris obtentu; quo pertinet illud dictum *Solomonis*; ut leo rugiens, & ursus esuriens est

est princeps impius super populum pauperem : dux carens intelligentia multiplicat rapinas, sed qui odio habet avaritiam, prolongabit dies, Proverb. 28: 15, 16. Principes ejus (ait Propheta) in medio ejus tanquam lupi rapientes, effundendo sanguinem ad perdendas animas, ut avarè sectentur avaritiam, Ezechiel. 22: 27. Et *Sophonias*, Principes ejus in medio ejus tanquam leones rugientes, judices ejus ut lupi vespertini, ne ossa quidem reservant in mane, Sophon. 3: 3. *Michæas* autem exclamat; Audite, quæso, capita *Jacob*, & duces domus *Israël*; nonne vestrum erat scire judicium? qui odio habent bonum, & deligunt malum, quia rapiunt pellem eorum ab ipsis, & carnem eorum ab ossibus ipsorum; & qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum ab eis detraxerunt, ossa quoque illorum confregerunt & conciderunt, sicut [injicienda] in lebetem, & velut carnes intra ollam: tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, Mich. 3: 1, 2, 3, 4. Sic autem opprimunt deprædanturque Principes & Judices, non solum quando aperta tyrannide grassantur, sed etiam quando iniquo legis & æquitatis obtentu bona subditorum ad se trahunt: puta vel confictò crimine, quomodo *Achab* & *Jezabel* vineam *Nabothi* acquisiverunt, 1 Reg. 21. vel injusta lege aut consuetudine, qualis hodie illa est, cujus obtentu Judices criminum, & illi quibus maris præfectura commissa est, hominum innocentium bona vel furto ablata, vel naufragio ejecta, tanquam fisco jam debita sibi vendicant, cum è contrario, si legem Dei naturalem & positivam spectes, restitutio facienda sit illis quorum bona furto ablata sunt; & in lege *Mosaica* præcipitur dupli ad minimum restitutio facienda illi cujus res furto ablata est; & Judicibus ea cura demandatur ut furem cogant ad restituendum illi cujus bona furatus est, Exod. 22. vide Levit. 5: 6. Quod si capite plectitur fur, cesset sane duplicatio aut quadruplicatio, at pœna furis non tollit jus innocentis ad rem suam. Propterea æquissimè provisum est in jure civili *Rom.* ut rem furto ablatam, Dominus ejus auferre possit, aut vindicando, aut condicendo. Rei *vindicatio* quidem adversus possessorem est, sive fur ipse possideat, sive alius quilibet; *condictio* autem adversus furem ipsum, hæredemve ejus, licet non possideat, competit, inquit *Justinianus*, §. *Furti actio*, Inst. De obligationibus quæ ex delicto nascuntur. *Ulpianus* autem rei furtivæ duplum aut etiam quadruplum censuit restituendum. Lege 50. *in furti*, ff. de furtis. Et *Paulus* Jureconsultus ait, rem furtivam usucapi non posse, nisi ad Dominum redierit, lege 84 *Quamvis* ff. de furtis. Juxta illud, *Res furtivæ æterna authoritas esto*: in legibus duodecim tabularum. Hinc laudanda illa lex *Severi* & *Antonini* Impp., qui constituerunt, ut agnita res furtiva restituatur Domino citra pretium, lege 2. *Incivilem*. C. de furtis. Naufragis autem, aut naufragio damnum passis deberi solatium, & auxilium, dictat ipsa communis ratio, & naturalis æquitas: unde illa lex *Constantini* Imperatoris, si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad Dominos pertineat; Fiscus meus sese non interponat, quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur? Cod. de naufragiis, lege 1.

Res furto ablata restituenda est Domino ejus: Sic etiam res naufragio ejecta, vel Deo. Num. 5: 7, 8.

Rei furtivæ æterna autoritas.

Fiscus non debet ditescere calamitatibus miserorum.

Et hinc rectè colligit glossator *Gratiani*, male facere Reges *Hispaniæ*, qui naves fractas occupant. Caus. 1. quæstio 7. *Dispensationes.*

VI. Hinc etiam illa *Friderici* Imperatoris, pro naufragis constitutio, cap. 10. De statutis & consuetudinibus, contra Ecclesiæ libertatem editis, tollendis: quæ inserta est codici *Justiniani*, inter legem 18. *In eum*: & legem 19. *Falsas*, C. *de furtis*. Constitutionis illius hæc sunt verba: Navigia quocunque locorum pervenerint, si quo casu contingente rupta fuerint, vel alias ad terram pervenerint; tam ipsa navigia quam navigantium bona illis integra reserventur, ad quos spectabant antequam navigia hujusmodi periculum incurrissent: sublata penitus omnium locorum consuetudine, quæ huic adversatur sanctioni. Nisi talia sint navigia, quæ piraticam exerceant pravitatem, &c. Hanc constitutionem, quoad humanitatem naufragis exhibendam, æquissimam esse constat. Quanta igitur inhumanitas est non permittere aut ipsi viro naufrago, si vivus enatet, aut etiam viduæ & orphanis pueris aliisve propinquis, ut bona sua quæ mariti aut patris, aut amici fluctibus absorpti naufragio ejecta sunt, recuperent & sibi habeant?

VII. Mitiganda autem videtur & consuetudo illa, qua innocentes liberi & uxor furis, omnibus etiam bene partis bonis penitus exuuntur propter furtum ipsis insciis commissum.

VIII. Denique lupis rapacibus non immeritò assimilantur & ii Principes, qui publicos privatosque suos reditus per luxum aut vanitatem profundentes, exactionibus injustis subditos gravant, quorum bona tueri, non deprædari debebant. Neque tamen justas somum pœnas, aut justa Principibusque debita tributa & subsidia improbatum imus.

Sacrilegium genus furti est commune Principibus, & aliis personis sacrilegis. *Vide part. 3.*

Caput VI.

Furtum triplex quod committitur à personis publicis in officio Ecclesiastico, aut Scholastico, &c.

I. Personæ publicæ in officio Ecclesiastico aut Scholastico &c., furantur acquirendo, vel in adeptione, vel in administratione: Adeo ut hæc sint furti genera in hoc ordine: 1. Simoniacus ingressus, Actor. 8: 20. Nam qui non ingreditur per ostium, sed intepit per fenestram, fur est, Joan. 10: 1. Vel etiam sacrilegus ingressus, quando aliquis functionem suscipit, ad quam administrandam dona à Deo non accepit, quales sunt multi muti canes qui latrare non norunt. *1. Simoniacus ingressus. Esai. 56: 10.*

II. Deinde administratio cauponaria, à quo se procul esse testatus est Apost. *Paulus*, 2 Cor. 2: 17. Non enim sumus sicuti cæteri, cauponantes [καπηλεύοντες] verbum Dei, sed tanquam ex sinceritate, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur. Rei sunt in hoc genere quicunque Evangelium prædicant αἰσχροκερδῶς, 1 Petr. 5: 2. id est, qui falsum docent, vel doctrinam & administrationem suam inflectunt ad audientium appetitum, turpis lucri causa, Rom. 16: 18. Tit. 1: 11. Quales olim multi Pseudoprophetæ: vel ipsam etiam prædicant veritatem *2. Cauponaria administratio.*

 non

non ipsius amore veritatis, οὐχ ἁγνῶς, οὐ προθύμως, ἀλλὰ αἰσχροκερδῶς cupiditate lucri, Philip. 1: 16. & 3: 19. & 1 Petr. 5: 2. Caupones isti Simoniacis accensentur in jure Canonico, caus. 1. quæst 1. can. *Quicunque.*

3. Sacrilega administratio. III. Tertio est administratio Sacrilega, eaque triplex; nempe si quis res sacris & publicis usibus destinatas ad privatam invertat utilitatem aut voluptatem: Item, si quis reditus percipiat Ecclesiasticos, & negligat officium propter quod obtinet beneficium. *Væ pastoribus Israël* (ait Propheta) *qui paverunt semetipsos: an non gregem pascent pastores? adipem comedistis, & lana induistis vos, crassum jugulastis, oves autem non pavistis, infirmas non consolidastis, & ægrotam non sanastis, & confractam non obligastis, & abjectam non reduxistis, & perditam non quæsistis,* &c. Ezechiel. 34: 2, 3, 4. &c. Denique, qui bona Ecclesiastica aut sacra perire Ecclesiæ sinit sua culpa, aut etiam perdit: idemque intelligendum de bonis scholarum, nosocomiorum, &c. Quo pertinet redituum, rerumque sacris usibus dicatarum nundinatio, sive agrorum, domorum, redituum aliarumque rerum Ecclesiasticarum alienatio, &c.

Part. 2. & part. 4. IV. De Simonia & cauponatione & Sacrilegio plura inferius scorsim, Domino donante, dicentur, videlicet in Tractatu de Simonia, & in Tractatu de Sacrilegio.

CAPUT VII.

Prima classis furum acquirentium in vita communi; ubi de variis speciebus furtivæ falsitatis, & furum falsariorum; videl. de falsis testibus, de falsæ causa patronis, de adulatoribus, de falsis creditoribus, de diversis mensuris, de monetariis, de prævaricatoribus, &c.

I. FURTUM à quibuslibet in communi vita committitur acquirendo multis modis: primus modus est *falsitas*; à quo

Quid sit furtum falsitatis: Modi ejus. furti genere *Falsarii* cognominati. Furtum verò falsitatis est quando quis verum imitatur, ut fallat, lucrandi causa. Hoc autem fit multis modis, nempe vel verbo, vel scripto, vel alio opere.

Falsarii verbo. II. Verbo falsarii sunt omnes qui per linguam mendacem, quæstum faciunt. *Acquisitio thesaurorum* (inquit Solomon) *per linguam mendacem vanitas est huc illuc agitata, & quærentium mortem*, Prov. 21: 6. *Præstantior est pauper mendace*, Prov. 19: 22. *Præstantior est pauper qui incedit in sinceritate, quam dives pervertens vias suas.* Prov. 28: 6.

1. Fures pseudomartyres. III. Falsarii verbo sunt, 1. *pseudomartyres*, qui pecuniam accipiunt pro dicendo testimonio, uti rectè observavit *Marianus*, Leg. 1: §. 2. ff. de lege *Cornelia* de falsis.

2. Fures advocati qui causam malam scientes volentes defendunt. 2. Advocati qui malam causam scientes volentes defendunt lucri causa: nemo enim furanti consilium, vel opem, vel ministerium ad res subripiendas præbet sine dolo malo, uti rectè observavit *Ulpianus*, Leg. 50. *In furti.* ff. *De furtis.* Tales autem advocati fucatæ eloquentiæ præstigiis contra conscientiam opem ferunt, & præbent ministerium ad hoc ut aliena invito domino rapiantur, & hac sua falsitate quæstum faciunt.

Causa dubia. Aio contra conscientiam illos opem ferre, ut excipiam causas dubias, quarum patrocinium suscipere, quasque modestè & bona fide tueri, quamdiu manent dubiæ, nefas non est. *Si justitia sincerius consulatur,* (inquit *Augustinus*) *justius dicitur advocato; redde quod accepisti quando contra veritatem stetisti, iniquitati affuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti. Quod vides multos honestissimos & disertissimos viros non solum impunè, verum etiam gloriosè videri sibi committere.* —— *Sed illud cur advocato non dicatur in promptu est, quia scil. non vult homo repetere quod patrono ut malè vinceret dedit, sicut non vult reddere quod ab adversario, quum malè vicisset, accepit. Quis tandem advocatus & ex advocato ita vir optimus facilè reperitur, qui suscepto suo dicat: recipe quod mihi quum tibi male adessem dedisti, & redde adversario tuo quod me agente iniquè abstulisti? & tamen quem prioris non rectæ vitæ rectissimè pœnitet, etiam hoc facere debet: ut si ille qui iniquè litigavit non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem: nisi fortè restituendum est alienum quod per furtum clanculum aufertur, & restituendum non est alienum quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur, decepto judice & circumventis legibus obtinetur.* Hæc *Augustin.* Ep. 54. ad *Macedonium.*

IV. Tertiò fur falsarius verbo est qui inanibus nugis, aut susurrationibus, aut fallacibus blanditiis & adulationum aucupiis pecunias vel res alias simplicioribus, aut inanis gloriæ cupidis, eliciunt: ut parasiti, palpones, atque omnes adulatores. Vir qui blanditur amico suo, rete expandit ante gressus ejus, Prov. 29: 5. Adulatores ut inimicos cave (inquit ille) quorum sermones super oleum molles, & ipsi sunt jacula: corrumpunt fictis laudibus leves animas, & malecredulis mentibus blandum vulnus infigunt, in Ep. ad *Demetriadem virginem*, Cap. 21. Quæ extat inter Epistolas *Augustini*, Epist. 142. *3. Parasiti & adulatores.*

V. Huc refer & inertes illos ac validos mendicos, qui nulla debilitate miserandi, otio & luxui dediti, eleemosynas infirmioribus debitas, partim fictis querimoniis, partim improba importunitate, intercipiunt. De quibus vide Lib. 11. Cod. Dit. 25. De mendicantibus validis. *Et mendicantes validi.*

VI. *Fures falsarii scripto*, sunt, 1. qui alienum chirographum lucri causa per fraudem imitantur, aut libellum aut rationes intercidunt vel describunt: ut rectè observavit *Paulus* Jureconsultus, Leg. 23. *Quid sit falsum. ff. De lege Cornelia de falsis.* 2. Qui testimonium aut testamentum falsum scripserit, vel qui falsò sibi legatum adscripserit, qui testamentum interleverit, Leg. 2. & Leg. 6. & Leg. 9. & Leg. 27. ff. eod. 3. Qui in rationibus, tabulis, literis, aliave re aliqua falsum fecerint, vel scripti imitatione, vel erasione, vel additione, vel immutatione. Ut habetur, ff. titulo citato. Leg. 16. &c. *Fures falsarii scripto.*

VII. *Fur falsarius alio aliquo opere*, est. 1. Falsus creditor, id est, qui se simulat esse creditoris hæredem, & à debitore nummos hoc nomine accipit: Leg. 43. *Falsus.* & Leg. 80. §. 6. ff. *De furtis.* Item falsus procurator: ibidem, & Leg. 19. Cod. *de Furtis. Papinianus* ait; falsus procurator, ita demum furtum pecuniæ faciet, si nomine quoque veri procuratoris, quem creditor habuit, adsumpto, debitorem alienum circumvenit. Leg. 80. *Si vendidero.* §. 6. *falsus autem.* ff. *de furtis.* *Fures falsarii alio aliquo opere. Falsus creditor, aut procurator.*

2. Qui ponderibus & mensuris diversis ad imposituram utuntur: contra legem illam divinam, *Furantes per diver-*

statera ponderum & mensurarum.

num, *non facietis iniquitatem in judicio, in mensura magna, in pondere, & in mensura parva: statera justa, pondera justa, epha justum, & hin justum erit vobis.* Levit. 19: 35, 36. item; *Non erit tibi in sacculo tuo pondus & pondus, majus & minus, non erit tibi in domo tua modius & modius, major & minor: pondus perfectum & justum erit tibi, modius perfectus & justus erit tibi, ut proroges dies tuos super terram quam Dominus Deus tuus dat tibi, quia abominatio Domino Deo tuo est quicunque facit hæc, omnis faciens iniquitatem.* Deut. 25: 13, 14, 15, 16. & Prov. 20: 10, 23. Hi falsariis accensentur, lege penult. ff. de lege *Cornelia* de falsis.

Per adulterinum signum, aut claves adulterinas.

3. Qui signum adulterinum fecerit, sculpserit. Lege 30. ff. De lege *Cornelia* de falsis. Idem dicendum de clavium adulterinarum fabricatoribus & usurpatoribus.

Monetarii.

4. Fur falsarius opere est, qui monetam publicam vel tingit, vel fingit, vel radit. Ut habetur, Leg. 8. ff. *De lege Cornelia de falsis.* Item qui falsis nummis sciens utitur, ut observavit *Lagus*, in methodo juris, part 3. cap. 36. Atque omnino omnes qui à falsitate *Monetarii* dicuntur. Quo pertinet & illa turpitudo, cum æs pignori datur, & aurum esse dicitur. Lege 20. *Cum æs.* ff. *De furtis.*

Qui rationes &c.

5. Fur falsarius opere est, qui rationes, tabulas, vel testamentum dolose amoverit, celaverit, eripuerit, resignaverit vel signaverit dolo malo signarive curaverit. Ut habetur L. 2. ff. *De Lege Cornelia de falsis.*

Qui falsis &c.

6. Qui falsis instrumentis aut testibus sciens nititur.

Proditor & prævaricator.

7. Qui proba instrumenta apud se deposita communicaverit adversario deponentis, L. 1. §. 6. ff. *De lege Corn. de falsis.* Et apud *Lagum*, loco supra citato. Item advocatus prævaricator, sive colludens cum adversario, in damnum clientis, cujus causam prævaricatione aut collusione prodidit. Leg. 1. ff. *De Prævaricatione.* Qui in judicio publico calumniæ prævaricationisve causa quid fecisse judicatus erit, infamia notatur. Leg. 1. ff. *De his qui notatur infamia.* Prævaricator autem est, (inquit *Ulpianus*) quasi varicator, qui diversam partem adjuvat, prodita causa sua. Quod nomen *Labeo* à varia certatione tractum ait: nam qui prævaricatur, ex utraque parte consistit, quin immo ex adversa. Leg. 4. §. 5. ff. eodem.

8. Qui eandem rem duobus in solidum diversis contractibus vendidit. Lege 21. *Qui duobus.* ff. *De lege Cornelia de falsis.*

9. Qui partum supposuerit aut supponi curaverit ad suffurandam alienam hæreditatem. Leg. 19. ff. eodem.

10. Qui se pro milite gessit, vel illicitis insignibus usus est, vel falso diplomate vias commeavit: Leg. 27. eodem. Nempe, qui fallendi & per fraudem lucrandi causa conditionem, aut genus nomenve, isto, aut simili aliquo modo mentitur.

11. Falsi pœna coërcentur (inquit *Hermogenianus*) & qui ad litem instruendam advocatione, testibus, pecuniam acceperunt: obligationem, pactionem fecerunt: societatem inierunt: ut aliquid eorum fieret, curaverunt. Lege 20. *Falsi pœna*, ff. *De lege Cornelia, de falsis.*

12. Denique, falsariis furibus accenseri possunt omnes calumniatores & Sycophantæ, qui non justo errore aut justitiæ amore ducti, sed per meram calumniam aliquem accusant, aut actionem adversus eum intendunt injustam, scientes, volentes, lucri causa: quique ex actione quam injustam esse sciunt, lucrum faciunt, aut accipiunt pecuniam ut aliquem deferant.

CAPUT VIII.

Secunda classis furum acquirentium in vita communi; ubi de injustis commodatariis, depositariis, mandatariis, tutoribus, quæstoribus, œconomis, debitoribus, inventoribus, & de ingratis.

I. IN secundo ordine furum acquirentium in vita communi, sunt commodatarii, & depositarii, & mandatarii, & tutores, & quæstores, atque œconomi, & debitores, & inventores, & sequestri injusti; *Qui rem fidei ipsorum creditam aut commendatam furantur.* Nam, ut rectè observavit *Justinianus*, Institut. De obligationibus quæ ex delicto nascuntur, sive creditor pignore, sive is apud quem res deposita est ea re utatur, sive is qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quam cujus gratia ei data est, furtum committit. Nempe (ut ibidem monet Imp.) si se intelligat id invito domino facere, neque dominum si sciret permissurum.

II. Commodatarius est qui rem utendam ad aliquem specialem usum ad certum tempus accepit, unde res ipsa commodatum appellatur, quod differt à precario, quia precarium non in specialem usum, & in præfinitum tempus, sed tamdiu liberè utendum conceditur, quamdiu is qui concessit, patitur. *Discrimen commodati & precarii.*

III. Depositarius est cui aliquid custodiendum datum est. Depositionis autem quædam species est sequestratio, id est, rei litigiosæ depositio, quæ à pluribus fit consensu partium litigantium; ut victori restituatur à sequestro.

IV. Mandatarius est qui pecuniam, vel rem aliquam accepit aliquo perferendam, aut alicui tradendam, aut in usum aliquem expendendam.

V. De Tutore rectè *Ulpianus*; Tutor (inquit) administrationem quidem rerum pupillarium habet; intercipiendi autem potestas ei non datur, & ideo si quid furandi animo amoveat, furtum facit; nec usucapi res potest. Quod in Tutore scriptum est, idem erit & in curatore adolescentis, cæterisque curatoribus. Lege 33. *Tutor.* ff. *De furtis.* Vide etiam Leg. 34. *Si in emptione*, §. *Tutor*, ff. *De contrahenda emptione.* Vide infra, cap. 9. De furto emptoris. *Tutor.*

VI. Quæstor sive publicus, sive privatus tunc furatur, quando vel de commissa pecunia aliquid ad suam utilitatem dolosè invertit, vel alios subjectos injussis & injustis oneribus gravat, iniquo obtentu suæ administrationis. Idem dicendum de œconomo sive dispensatore. Vide Luc. 16. 1. Matth. 24: 45. 1. Cor. 4: 2. *Quæstor.*

VII. Debitor injustus est, qui alienam rem mutuo accipit, animo nunquam solvendi: item, qui cum possit non solvit, Prov. 3: 27. & quidem debito tempore. Ne dicas amico tuo, vade, & revertere, & cras dabo, cum sit penes te, Prov. 3: 28. Et qui ære alieno obligatus operam fidelem non dedit ut esse posset solvendo. Nam longè dispar ratio est illius debitoris qui naufragio, aut incendio, aut qualibet vi majore, quæ Græcis Θεοῦ βία vocatur, rem creditam amiserit, ac illius qui luxu aut inertia vel in- *Debitor.*

curia rem perdidit. Iste enim fidelem operam non dedit ut solvendo esse possit, ac propterea affectum censetur habuisse furandi, quo alter ille caruit.

Inventor rei alienæ. VIII. Furti tenetur qui rem alienam perditam invenerit, & inficias iverit, Levit. 6: 3. Qui rem alienam invenit, debet eam domino restituere, sin autem dominum nescit, debet publico præconio indicare rem esse inventam, dominoque agnito redditum iri: vide Deut. 22: 1, 2, 3. Alioqui si eam furandi affectu retineat, furti reus est. Unde *Ulpianus*, qui (inquit) alienum quid jacens, lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur; sive scit cujus sit, sive ignoravit, nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus sit ignoret, Leg. 43. *Falsus.* ff. *De furtis.* Nempe, nisi res illa à domino derelicta sit, (statim enim nostra esse desinit res quam derelinquimus,) vel derelictam esse putavit ille qui sustulit. Pro derelicto autem habetur illud, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoque statim dominus ejus esse desinit. §. 49. Instit. *De rerum divisione.*

IX. Sed si neque fuit derelictum, neque qui illud sustulit derelictum esse putavit, jacens tamen tulit, non ut lucretur, sed redditurus ei, cujus fuit, non tenetur furti. Ac neque ille furti obligatur qui nescit, cujus esset, sic tamen tulit quasi redditurus ei qui desideraslet, vel qui ostendisset rem suam, L. 43. ff. *De furtis.*

X. Solent plerique etiam hoc facere ut libellum proponant continentem, invenisse, & redditurum ei qui desideraverit. Hi ergo ostendunt non furandi animo se fecisse. Quid ergo

εὕρετρα non probe petuntur. si εὕρετρα, (id est, inventionis præmia) quæ dicunt, petat? Nec hic videtur furtum facere, etsi non probè petat aliquid. Leg. 43. *Falsus.* ff. *De furtis.*

XI. Oblatum præmium accipi potest, licet non peti. Quamvis autem in foro civili, furtum non sit omnis non proba acquisitio, ut videre est in exemplo inventoris petentis εὕρετρα, & pluribus aliis exemplis, *Lege* citata, §. 3. *Siquis.* & Leg. 20. *Cum æs.* ff. eodem. in foro tamen conscientiæ omnis injusta acquisitio, aut etiam alienæ rei appetitio pro furto habetur; est enim transgressio octavi præcepti, *Non furaberis.* Idem dicendum de abductione errantis pecoris; qui enim ovem, aut bovem errantem reperit, restituere debet domino, si sciat cujus sit; vel si nescit, debet publico præconio declarare rem esse inventam, & domino comperto, restitutum iri. Exod. 23. 4. Deut. 22: 1, 2, 3.

XII. Lapilli autem, & gemmæ, & cætera quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali statim inventoris fiunt, §. 19. *item, lapilli.* Institut. de rerum divisione. Intellige res quas ipsa suppeditat natura, quarum dominium ad neminem pertinet. Nam alia sanè causa est (inquit *Justinianus*) earum rerum quæ in tempestate, levandæ navis causa, ejiciuntur; hæ enim dominorum permanent: quia palam est eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Nec longè videntur discedere ab his quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt. §. 50. *alia, sane.* Institut. *De rerum divisione.*

Thesauri. XIII. Thesaurus (inquit *Paulus Jureconsultus*) est vetus quædam dispositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat, sic enim fit ejus qui invenerit, quod non alterius sit; alioquin si quis aliquid vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ condiderit sub terra, non est *thesaurus*: cujus etiam furtum fit. Lege 31. *Nunquam.* ff. *de adquirendo rerum dominio.*

XIV. Huc pertinet & illud genus furti, de quo Paulus I. C. Si datum est aurum pignori, deinde dator pignoris, cum dixisset se ponderare aut obsignare velle, æs subjecerit, furtum fecit, rem enim pignori datam intervertit. Leg. 20. *Cum æs.* ff. *de furtis.*

XV. Huc etiam artificum furtum pertinet, qui rem poliendam aut farciendam, aut quamcunque materiam efformandam acceperunt, eamque partemve ejus ad suum usum & utilitatem intervertunt. *Artificum furtum.*

XVI. Ad hanc classem referri possunt injusti donatarii & beneficio affecti, qui donis vel beneficiis acceptis ingrati sunt: nam quemadmodum debitor injustus est, qui creditam pecuniam non reddit creditori; sic etiam *donatarius* injustus est, qui gratiam debitam non refert *donatori*, unde *Ambrosius* ait, *Negare tibi pecuniam numeratam non licet, quomodo licet acceptam non referre gratiam? Amb.* lib. 1. de offic. cap. 31. furti igitur se obligat ingratus. Difficultatem & molestiam novissimorum temporum describens Apostolus, ait, futuros homines ingratos ἀχαρίστους. 2 Tim. 3: 2. Est autem insignis illa sententia *Ambrosii*, lib. 1. de offic. cap. 32. *Alius* (inquit) *fructum accepti beneficii, ut aurum auro, argentum argento rependit: alius laborem, alius haud scio an etiam locupletius, solum restituit affectum; quid enim si reddendi nulla facultas suppetit? In beneficio reddendo plus animus quam census operatur; magisque præponderat benevolentia, quam possibilitas referendi muneris. Gratia enim in eo ipso quod habetur, refertur.* Hæc ille. *Ingrati.*

CAPUT IX.

Tertia classis furum acquirentium in vita communi, ubi de furto in emptione, venditione, locatione, conductione, aliisque id genus contractibus, & commerciis; Ubi etiam de Dardanariis, & annonæ vexatoribus, de monopoliis, de mercede operarii, &c.

I. TERTIUM genus furti ab acquirentibus in vita communi committitur in venditione, & emptione, item in locatione, conductione, aliisque id genus contractibus, & commerciis.

II. Ad justam venditionem requiritur mercium bonitas, aut saltem vitii sincera indicatio: juxta legem divinam, quodcunque vultis ut faciant vobis homines, sic & vos facite ipsis similiter, Matth. 7: 12. Luc. 6: 31. Item, quæ non vultis vobis ipsis fieri, aliis ne facite, Act. 15: 29. Item, ne quis supergrediatur & circumveniat in negotio fratrem suum, nam ultor est Dominus omnium istorum, 1 Thess. 4: 6. *Indicari debet venditor vitium mercis.*

III. *Julianus*, I. C. differentiam facit inter eum qui sciens quid vendidit, & eum qui ignorabat: affirmat autem cum venditorem qui vitium mercis ignorabat, si res deprehendatur vitiosa, neque vitium indicaverit emptori, quippe illud ignorans, obligari actione ex empto ad præstandum quanto minoris rem eam empturus esset *Distinctio.* *Actio ex empto.*

eſſem

esse si id ita esse scissem. Si verò venditor vinum mercis sciens reticuit, & emptorem decepit, præstare tenebitur omnia detrimenta quæ ex ea emptione emptor traxerit: puta si ædes vitio tigni corruerint, si pecora contagione morbosi pecoris perierint, si servus, quem venditor furem esse aut fugitivum sciebat, fugiat ab emptore, & alios secum sollicitaverit ut fugiant, & res quasdam abstulerit &c., præstabit dolosus venditor æstimationem ædium, pecorum, servorum fugitivorum, omniumque rerum quas abstulerint, &c. Hanc distinctionem & differentiam refert ex *Juliano Ulpianus*, lege 13. *Julianus*. ff. *de actionibus empti & venditi*.

Debent res vendi tolerabili pretio. IV. Porro requiritur tolerabile pretium, nam pretia rerum non ex affectu neque utilitate singulorum, sed communiter fingenda sunt: ut rectè monet *Paulus Jureconsultus*, lege 63. *pretia rerum*. ff. *ad legem Falcidiam*.

V. Denique rerum vendendarum necesse est eam esse conditionem, ut eas natura, leges, moresque patiantur esse in commercio hominum. Nam irrita habetur venditio vel emptio rei quæ haberi non potest in patrimonio nostro. *Quædam res sunt commercio exutæ.* Omnium rerum ait *Paulus* J. C. quas quis habere vel possidere vel persequi potest venditio rectè fit: quas verò natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exuerunt, earum nulla venditio est, lege 34. *Si in emptione*. §. *Omnium rerum*. ff. *de contrahenda emptione*. Ad emptionem verò requiritur bona fides, & honesta intentio, tum quoad mercium & pecuniæ sinceritatem, tum quoad pretii proportionem, tum quoad rerum traditionem, tum quoad hominum commercium.

Venditor furatur tribus modis. VI. Furatur igitur venditor. 1. Qui falsas merces vanis sermonibus & falsis commendationibus extrudendo, proximum circumvenit, & rei vitium celat, aut negat, quod si emptor sciret, rem non emeret. ideo *Gajus* J.C. dixit, Si quis in vendendo prædio confinem celaverit, quem emptor si audisset, empturus non esset, teneri venditorem. lege 35. *Quod sæpe*. §. 8. *si quis in vendendo*. ff. *de contrahenda emptione*.

2. Qui merces iniquo & inæquali pretio vendit: nam etsi nonnullam pretio varietatem loca temporaque afferunt, qui tamen diversis diversimodè uno eodemque loco & tempore parem mercem vendens, uni scilicet pretio idoneo, alteri autem pretio supra modum injusto, lucrum immodicum captat ex simplicitate hominis justa rerum pretia ignorantis, aut ex emptoris necessitate, is haud dubie supergreditur & circumvenit seu avarè tractat [ὑπερβαίνει καὶ πλεονεκτεῖ] in negotio fratrem suum, neque facit ex charitate, sed bona proximi avarè concupiscit, & sine compensatione ad se trahit per fraudem. *1 Thess. 4:6.*

3. Qui rem proximo vendit quam proximus retinere non potest: quippe si rem alienam sine mandato vendat, res enim illa emptori auferri potest, ut notat *Ulpianus*, lege 28. *Rem alienam*. ff. *de contrahenda emptione*. vel rem furtivam, rei enim furtivæ æternam autoritatem esse rectè statuerunt legum latores in legibus duodecim tabularum. Rectè etiam *Severus & Antoninus* Impp. constituerunt, ut agnita res furtiva restituatur domino citra pretium. leg. 2. *incivilem*, Cod. *de furtis*.

Item qui rem sacram aut religiosam, quam necessitas vel honesta lex commercio eximit, ita ut earum nulla sit venditio, qui, inquam, eam vendit, fraudem facit emptori, quum eam emptam retinere non possit.

VII. Tribus etiam modis furatur emptor. 1. Si adulterinam mercem, sciens, volens, hoc animo emerit, ut aliis imponat; vel qui pecuniam adulterinam dat venditori, sciens scilicet & volens, fallendi animo. *Tribus etiam modis furatur emptor.*

2. Si ex venditoris vel simplicitate, vel necessitate, injustè lucrum captet, defraudans venditorem, & de justo rei pretio plusquam dimidiam partem detrahens, quo casu actionem dandam decepto adversus decipientem, & rescindendam esse venditionem rescripserunt *Diocletianus & Maximianus Augusti*, lege 2. *Rem majoris*. Cod. *de rescindenda venditione*. *Alexander* autem Imperator sanxit, absolutè, emptionem malæ fidei irritam esse, lege 1. *si pater*. Cod. *eodem*. Si verò naturalem æquitatem, & charitatis ac justitiæ normam divinitus nobis traditam intueamur, non licet proximum defraudare aut circumvenire, sive cum illo avarè agere in negotio, ullam partem idonei pretii detrahendo per deceptionem hominis simplicis, æstimationem rerum nescientis, aut etiam propter necessitatem illius qui per vim aut necessitatem aliquam inevitabilem compulsus rem suam vendere cogitur quolibet quamvis iniquo pretio. Alia autem est ratio extra istos duos casus; nempe si venditor neque ignoret justam rerum æstimationem, neque necessitate prematur, & tamen sciens volens, rem vili pretio, sive infra justam rei æstimationem vendat.

3. Qui rem commercio exutam sciens emit, lucri causa: ut qui emit rem furtivam; vel tutor qui emit rem pupilli, quod non immeritò prohibetur in jure civili, lege 34. *Si in emptione*. §. 7. *Tutor*. ff. *de contrahenda emptione*. Ubi idem porrigendum esse dicitur ad similia, id est, ad curatores, & qui negotia aliena gerunt. Item, qui emit rem sacram aut publicam, quam nemo in patrimonio habere potest.

VIII. Porro ad furtum in venditione & emptione reduci potent iniquitas eorum qui contra annonam faciunt, societatemve coëunt quo annona carior fiat: contra quos olim erat lex Julia de annona; qua lege etiam continebatur, ne quis navem nautamve retineat, aut dolo malo faciat quo magis retineatur. teste *Ulpiano*, lege, 2. ff. *de lege Julia de annona*. Annonam adtemperare & vexare (ait idem *Ulp.*) vel maximè *Dardanarii* solent; quorum avaritiæ obviam itum est tam mandatis, quam constitutionibus. *Dardanarii.* Mandatis denique ita cavetur; præterea debebis custodire ne *Dardanarii* ullius mercis sint, ne aut ab his qui coëmptas merces supprimunt, aut à locupletioribus, qui fructus suos æquis pretiis vendere nollent, dum minus uberes proventus exspectant, (ne) annona oneretur. Hæc ille, lege 6. *Annonam*, ff. *de extraordinariis criminibus*. Faciunt igitur contra annonam, societatemve coëunt quo annona carior fiat, duo hominum ordines. 1. Ipsi proventuum domini, qui fructus suos æquis pretiis vendere nolunt indigentibus ad usus suos necessarios; sed ad iniquiora tempora reservant, spe penuriæ. *Onerato-res annonæ.* 2. *Dardanarii*, id est, qui annonam aliasve merces coëmptas supprimunt, ut carius vendant, uti patet ex verbis *Ulpiani* jam citatis: quique falso mensurarum modo utuntur, ut docet *Paulus* Jureconsultus, lege 37. *in Dardanarios*. ff. *de pœnis*. Hoc est, qui majore mensura & justa coemptas merces vendunt minore & injusta. Sunt autem intelligendi *Dardanarii* frumentarii quando de annona sermo est: Etsi in universum cujusvis mercis *Dardanarii* furibus accensendi sunt. Dictos autem esse

Dar-

Unde dicti Dardanarii.

Dardanarios à *Dardano* quodam impoſtore ait *Conradus Heresbachius* J. C. in Epitome Chriſtianæ juriſprudentiæ, edicto octavo, num. 51. Huc pertinet dictum illud Salomonis, *prohibenti frumentum maledicet populus, benedictio autem ſuper caput vendentis frumentum*, Prov. 11. 26.

Monopolia & conjurationes negotiatorum item artificum.

IX. Præterea ad tertiam hanc claſſem reduci etiam poſſunt *Monopolia* mercium, & illicita pacta ut conventiones inter negotiatores, conjurantes & paciſcentes, ut ſpecies diverſorum corporum negotiationis, non minoris quam inter ſe conſtituerint, venundentur: & illicitæ conventiones inter ædificiorum artifices, vel ergolabos, aliorumve operum profeſſores, & balneatores, pacta inter ſe componentes ut ne quis, quod alteri commiſſum ſit opus impleat; aut injunctam alteri ſolicitudinem alter intercipiat. Quæ omnia, ut illicita facinora, & pœnis publicis coërcenda, meritò damnavit & ſeverè prohibuit *Zeno* Imperator. Cod. *De monopoliis & conventu negotiatorum illicito, vel artificio ergolaborum, nec non balneatorum prohibitis & illicitis pactionibus.* Et certè clarum eſt, per iſta violari divinam illam legem juſtitiæ, ut ſic aliis faciamus uti nobis ipſis fieri optamus; Matth. 7. Luc. 6. Act. 15. & legem charitatis, quæ nôn quærit ſua. 1 Cor. 13: 5. Ideo Apoſtolus *Paulus* poſtquam dixiſſet ſe non quærere ſuam ipſius utilitatem, ſed multorum, 1. Cor. 10. ult. (quæ ſententia generaliter extendenda eſt quam latè patet lex illa charitatis) ſtatim ſubjunxit, imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti, 1. Cor. 11: 1. Hanc regulam, hoc exemplum deſerit, quiſquis ita animatus eſt, ut privato ſuo lucro ſtudeat per aliorum diſpendium, neque quicquam penſi habet quanta æquitate vel iniquitate cum aliis agat, dummodo ipſe interea diteſcat, aut lucretur. Propterea pronunciat futurum *Salomon*, non inſontem illum qui feſtinat ditari. Prov. 28: 20.

Lex juſtitiæ.

Lex charitatis.

X. Neque neceſſe erat ut ſinguli caſus, omneſque furandi artes, ſingulatim exprimerentur in ſacris literis; ſatis erat ſi quædam expreſsè & ſpeciatim prohiberentur, & generales proponerentur regulæ de eis doli mali generibus ad quæ omnes ſpeciales fallendi artes & fraudum caſus reduci poſſunt. Quod ideo moneo, ne quenquam offendat, quod multas furti ſpecies colligamus ex legibus & ſcriptis humanis; quæ etſi non omnes expreſſis verbis & ſpeciatim prohibitæ reperiuntur in ſacris literis, reduci tamen omnes poterunt ad ea genera quæ in ſcripturis expreſsè prohibentur; adeo ut per bonam conſequentiam etiam prohibitiones ſingularum ſpecierum, ſingulorumque generum inveniantur in ipſis ſacris literis: æquitas autem & naturalis ratio regularum generalium in ſcripturis expreſſarum animam tribuit & vigorem omnibus etiam hominum legibus ſpecialibus, quibus ſingulis ſpecies ſpeciatim prohibentur, & actus etiam ſingulares interdum notantur & damnantur.

Nota. De uſu citationum quos hic facimus ex legibus & ſcriptis humanis.

Reddenda merces operariis, & tempeſtivè.

XI. Ad tertiam hanc claſſem furtorum referimus etiam defraudationem mercenarii vel operarii, aut etiam iniquam procraſtinationem. *Non opprimes proximum tuum, neque rapies, non morabitur opus mercenarii apud te uſque mane*, Levit. 19: 13. *Non opprimes mercenarium pauperem & egenum è fratribus tuis, & ex peregrinis tuis qui ſunt in terra tua, intra portas tuas: die ſuo reddes mercedem ejus, neque occumbet ſuper eum Sol, quia pauper eſt, & ea ſuſtentat animam ſuam, ne clamet contra te ad Dominum, & ſit in te peccatum*, Deut. 24: 14, 15. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, a vobis intercepta* [ſive qua vos eos defraudatis] *clamat; & clamores eorum qui meſſuerunt, in aures Domini Sabaoth introierant*; Jacob. 5: 4.

Adeoque omnibus in officio publico conſtitutis.

XII. Huc pertinet defraudatio cujuſcumque operarii, ſive operantis in agro, ſive in vinea, ſive in oppido, ſive in opere domeſtico, ſive in opere publico, ſive etiam in opere terreſtri, ſive in opere navali; item, ſive in opere mechanico aut manuali, ſive in opere adminiſtrationis politicæ aut Eccleſiaſticæ, aut Scholaſticæ, &c. Quicunque eos debita mercede fraudat, furtum facit. Unde illa dicta; *Non obligabis os bovi trituranti. Propter nos enim hoc ſcriptum eſt, nam ſub ſpe debet is qui arat, arare, & qui triturat, ſub ſpe ſpei ſuæ particeps eſſe; ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus?* Deut. 25: 4. & 1. Cor. 9: 9, 10, 11. *Communicet autem is qui inſtituitur in ſermone, ei qui ipſum inſtituit, in omnibus bonis*, Gal. 6: 6. *Nam dignus eſt operarius alimento ſuo*, Matth. 10: 10. *Reddite igitur omnibus quod debetis, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal, &c.* Rom. 13: 7.

Servi deſidioſi.

XIII. E diverſo etiam furatur & ille, qui operam fideliter non præſtat, propter quam accipit mercedem; hoc enim eſt non fideliter ſervire, quomodo ſervire neceſſe eſt omnes ſervientes qui bonæ fidei ſtudioſi ſunt. Epheſ. 6. 5. & Coloſſ. 3: 22. Et iniquitas in hoc genere adverſatur regulæ Apoſtolicæ, quæ jubet, ut ſi quis noluerit operari, is neque comedat. 2 Theſſ. 3: 10. Merces enim operam reſpicit, qua ſublata non jam mercedem accipit fraudator ille, ſed furtum facit. De hac autem ſpecie furti plura inferius, Domino donante, ubi de Sacrilegio.

Otioſi ventres.

XIV. Huc referri poſſunt omnes otioſi ventres, qui bonis divinitus conceſſis ventrem ſaginant, neque tamen in ulla honeſta vocatione Deo ſerviunt; ſed tanquam inutilia terræ pondera, fruges conſumere nata, ignavo in otio opibus quas poſſident brutorum more ſe paſcunt, neque alium finem alimenti norunt niſi ut corpore valeant, & voluptates ſequantur, neque alium finem norunt valetudinis ac roboris, niſi ut eo avidius carnales hauriant voluptates. Hæc menſura voti. Vide infra, de furto in abuſu.

Locator & Conductor.

XV. Item ad hanc tertiam claſſem referenda ſunt omnia furta quæ fiunt in locationibus & conductionibus, in emphyteuſi, &c. Nam furti ſpecies eſt, ſi locator vel injuſtas imponat conditiones conductori; vel juſtas non ſervet; Item, ſi conductor vel emphyteuta fidem fallat, neque locationis canonem ſive pactam penſionem ſolvat, & quidem debito tempore, niſi impedimento fuerit vis major, quæ Græcis Θεῦ βία dicitur. Nam ex tempeſtatibus, aut pecoris morte, aut hoſtium latronumve furore, aut alia ſimili vi divina, ſi magno afflictus eſt detrimento colonus, quis eſt ab homine tam alienus, qui neget clementem ejus habendam eſſe rationem? Rectè autem *Celſus* J. C. ait; furtum fieri, ſi colonus poſt luſtrum conductionis, anno amplius fructus invito domino perceperit. lege 67. *inficiando*, §. 5. *Si colonus*, ff. *de furtis*. Dominus autem ſi finito locationis tempore colonum patitur in fundo eſſe; neque abire jubet, cenſetur ex integro locare, ideo furti accuſari colonus non poteſt, quamvis neque verba neque ſcriptura acceſſerit, nam hujuſmodi taciti contractus neque verba neque ſcripturam ùtique deſiderant, ſed nudo conſen-

ſu

ſu convaleſcunt: uti bene monet *Ulpianus*, leg. 14. *Qui ad certum.* ff. *locati & conducti.*

Malo fides contrah. aut promit.

XVI. Denique ad hanc tertiam claſſem refertur omnis mala fides contrahentis aut promittentis. Nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præſtare quod inter contrahentes actum eſt; inquit *Ulpianus*, lege 11. *ex empto.* §. 1. *& in primis.* ff. *de actionibus empti & venditi.* Nempe ſi ſine culpa præſtari poſſit. Exigit hoc Deus a filiis & filiabus ſuis, quamvis ipſis detrimentoſum ſit in rebus hujus ſeculi quod juraverunt, ut tamen ſtent promiſſis. Sic enim deſcribitur juſtus in tabernaculo Dei commoraturus, & in monte ejus ſancto habitaturus, qui jurat in detrimentum & non mutat. Pſalm. 15: 4. *Pollicitatio* eſt promiſſio quæ fit hominibus, *Votum* verò eſt promiſſum Deo factum. Utroque ſtandum eſt, tum pollicitatione, Pſalm. 15: 4. tum voto legitimo, nam laqueus eſt homini deglutire ſanctificatum; & poſt vota quærere, Proverb. 20: 25. videatur exemplum Ananiæ & Sapphiræ, Actor. 5. melius eſt enim non vovere, quam vovere & non reddere. Eccleſiaſt. 5: 5.

Pollicitatio, Votum.

Vide lib. 3. cap. 6. ubi de votis.

XVII. Obſervandæ tamen hæ duæ conditiones. *Primo*, ut quod voves Deo, ſit res Deo accepta, eamque voveas in uſum aliquem Deo gratum. Alioqui non obligat votum, niſi ad agendam de temeritate pœnitentiam. Vide *Cor. Lagum* method. juris, part. 3. cap. 15. *Secundo*, licet rem, quam tali voto legitimo promiſiſti, interdum redimere, ſed ampliato pretio, Levit. 27. Nam etſi legis illius particulares determinationes nunc non obligant, generalis tamen æquitas perpetua eſt.

Caput X.

Quarta claſſis furum acquirentium in vita communi, ubi de aleatoribus, & contentioſis pignorum poſitoribus, lucri cauſa, & fucis ac bruchis edacibus.

Vide tit. de aleatoribus Cod. lib. 3. tit. 43.

I. Quartum genus furum acquirentium conſtituunt aleatores, omneſque luſores qui ex ludo artem factitant quæſtuariam; non animi gratia ludentes ad fallendum tempus animumque relaxandum, aut corpus exercendum, quo alacriores & vegetiores ad ſeria redeant, ſed lucri cauſa & alieni appetentia, ut aliis damnum dent, quo ipſi ex aliorum damno diteſcant. Neque enim hæc via eſt legitima acquirendi rem alienam, quæ extra juſtum bellum, juſtè & bona fide acquiri non poteſt, niſi aut honeſta compenſatione, aut libera donatione, aut dotis nomine, aut hæreditate, aut legatione. Præſcriptio etiam & vacui occupatio, item alluvio locum habent, quando neſcitur alius rei dominus: in ludo autem nihil eſt horum, ubi ſola rei alienæ (cujus dominium vides) cupiditate luditur. Idemque dicendum de eis qui poſitis pignoribus, de re nihili, vel ad illos nihil attinente, vel etiam de quacunque re, ſolo lucri amore certant: puta craſtinum diem ſerenum futurum, aut nubiloſum: hunc vel illum in certamine ſuperiorem evaſurum, &c. Non tamen improbamus brabeia quæ ab agonothetis liberè proponuntur, ad extimulandos eorum animos qui propoſitis induſtriæ præmiis invitati ſe honeſto aliquo Gymnaſmate exercent. At neque exiguum aliquod utrinque pignus ab ipſis ludentibus, aut honeſto exercitio certantibus, poni prohibemus, quod ſit præmium victoris, ſeu potius monimentum victoriæ. Hac tamen lege, ut neque lucri cauſa id fiat, neque id ponatur quod amitti non poteſt ſine detrimento, & de quo amiſſo doleas, vel acquiſito læteris magis quam ipſa victoria, aliena vel tua, tunc enim ad quæſtum prolabitur animus, non eſt autem hæc honeſta ars quæſtuaria. Vide Can. Apoſtol. Can. 42. & Concil. Elibertin. Can. 79. Item Leonis Imperatoris conſtitutionem 87. quæ eſt de Eccleſiaſticorum alea ludentium pœna.

Vide lib. 3. cap. 6. §. 11.

II. Huc referri poſſunt & omnes illæ malæ beſtiæ, edaces bruchi, qui tanquam ignavi fuci alienis vivunt ſudoribus, & vel amicitiæ, vel familiaritatis, vel jucunditatis, aut quocunque alio inani prætextu, alienis inhiant cœnis, & adhæreſcunt menſis vegeti ac valentes, poſthabita & proculcata omni verecundia, & abjecto virtutis ſtudio.

III. Ad hoc quartum genus furum accommodentur ſequentia Scripturæ dicta: *Divitiæ ex vanitate provenientes minuentur, & qui congregat manu, multiplicabit opes,* Proverb. 13: 11. *Sicut abſcondit ſe, qui emittit ſcintillas, ſagittas, & mortem, ſic vir qui fraudat amicum ſuum, & dicit; Nonne ludo ego?* Proverb. 18: 19. *Si quis non vult operari, nec manducet; audivimus enim quoſdam verſantes inter vos inordinatè, nihil operis facientes, ſed curioſè agentes: iis autem qui ſunt iſtiuſmodi denunciamus, & eos obſecramus per Dominum Jeſum Chriſtum, ut cum quiete operantes, ſuo pane veſcantur.* 2 Theſſ. 3: 10. &c. *Non concupiſces ullam rem quæ eſt proximi tui.* Exod. 20: 17. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſque quod alterius eſt:* id eſt, quod alteri utile eſt. 1 Cor. 10: 24: 33. *Charitas non quærit ſua,* 1 Cor. 13: 5. hoc eſt, non negligit commoda proximi, ſibi ſoli ſtudens; neque aliis damnum dat, ut ſibi acquirat.

Caput XI.

Quinta claſſis: ubi de furto quod committunt depoſitores, & creditores, & de aſperitate commiſſoriæ pignorum legis.

Depoſitores furantes.

Iniquus debitor fur rei ſuæ.

I. Quinti generis furtum in acquirendo faciunt iniqui depoſitores, & debitores & creditores. Depoſitorum iniquitas triplex eſt: 1. Si æs deponentes dicant eſſe aurum. Quale eſt illud genus furti, de quo ſupra in quarta ſpecie falſitatis in opere. 2. Si rem depoſitam furetur ipſe qui depoſuit, deinde agat cum depoſitario pro reſtitutione depoſiti. Quale etiam eſt illud furtum iniqui debitoris qui rem ſuam quam creditori pignoris cauſa dedit, ſubtrahit. §. 11. *Aliquando.* inſtit. de oblig. quæ ex delicto naſc. 3. Si plusquam depoſuit recipiat, & ſciens retineat: neſciente depoſitario: exemplum ſumianus ex *Ulpiano*; Si is qui viginti nummorum ſaccum depoſuit, alium ſaccum in quo ſcit triginta eſſe, errante eo qui dabat, acceperit, putavit autem illic ſua viginti eſſe, tenetur furti decem nomine: leg. 21. *Volgaris.* §. 1. *Si is.* ff. de furtis. Si rem meam (inquit *Pomponius*) quaſi tuam tibi tradidero, ſcienti meam eſſe, magis eſt furtum te facere, ſi lucrandi animo id feceris. Leg. 44. *Si juſſu.* §. 4. *Si rem.* ff. de furtis.

II. Hæc autem furti species invenitur etiam in aliis multis, sive illi depositores sint, aut depositarii, sive creditores sint, aut debitores, sive mandatarii, &c. quibus aliquando plus traditur quam cogitant tradentes, aut res melior pro deteriore. Est igitur viri boni officium, comperto tradentis errore, statim illi reddere quod suum est: juxta illam regulam justitiæ, *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite iis similiter.* Matth. 7: 12. Luc. 6: 31. Et huic regulæ congruit præceptum illud juris, *Suum cuique tribuere.* instit. de justitia & jure §. 4. *Juris præcepta.*

III. Creditorum iniquitas, ex qua furti tenentur, triplex est.

De creditoribus qui mutuas dant pecunias iis qui adhuc sunt in potestate parentum. Primo, Si insciis aut invitis patentibus, mutuas pecunias iis dent qui adhuc sunt in potestate parentum; talibus creditoribus jure denegatur actio, ex Senatusconsulto *Macedoniano*, tam adversus ipsum filium filiamve, nepotem neptemve, (sive adhuc in potestate sint, sive morte parentis vel emancipatione suæ potestatis esse cœperint,) quam adversus patrem avumve: sive eos habeat adhuc in potestate, sive emancipaverit. Quæ ideo Senatus prospexit, quia sæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur: ait *Justinianus*, instit. *Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur.* §. penult. *Illud proprie.* Hoc si faciant creditores lucri causa, furtum est acquisitionis, saltem in affectu & molimine: alioqui furtum erit vel neglectus, vel abusus, vel dationis damni.

Usura. IV. Secundò, In usura injusta, quæ multis scripturæ locis prohibita est. De ea autem peculiaris nobis erit & prolixior, Domino donante, dissertatio, in quarta parte hujus libri.

Circa pignus iniquitas creditorum. V. Tertiò, *Circa pignus*: ubi iniquitas creditorum triplex est.

1. In pignoris acceptione, si scilicet rem pignori capit creditor, quam pignori capere non licet. Exempli gratia: *Non accipiet* (inquit Moyses, Deuter. 24: 6.) *pro pignore metam & catillum* (sive inferiorem & superiorem molam) *quoniam animam ipse acciperet pro pignore.* Et vers. 17. *Non capies in pignus vestimentum viduæ.* Pari ratione, non licet pignori capere ab aratore vomerem; à fabro incudem; ab Ecclesiastico Biblia quæ sola habet; à quoquam rem aliquam sine qua victum parare, aut officio fungi nequit: item clementius agendum cum viduis & calamitosis personis, erga quas peculiaris præcipitur humanitas. Huc pertinet & illud præceptum, Deuter. 24: 10, 11. *Non ingredieris domum ejus, ut capias pignus ejus, foris subsistes, & vir, cui mutuabis, afferet ad te pignus foras.* Nempe ne supellectilem debitoris creditor avarè excutiat, ut pignus suo arbitratu inde eligat.

VI. Deinde, *In pignoris diuturna nimis retentione*: quædam enim & quorundam pignora citius reddenda sunt, etiamsi non interveniat debiti solutio. *Si in pignus acceperis vestimentum proximi tui, antequam occubuerit Sol, restitues illud ei, quia ipsum solum est operimentum ejus, illud vestimentum ejus est cuti suæ in quo dormiat, & erit cum clamaverit ad me, tunc exandiam, sum enim misericors* Exod. 22: 26, 27. Item, *Quodsi vir pauper fuerit, non dormies cum pignore ejus: restituendo restitues ei pignus ejus, dum Sol occumbit, ut dormiat in vestimento suo, & benedicat tibi: eritque tibi in justitiam coram Domino Deo tuo*, Deuter. 24: 12, 13.

VII. Furti etiam tenetur creditor ex retentione pignoris cujuscunque post solutam pecuniam. Eum creditorem qui post solutam pecuniam pignus non reddat, teneri furti, *Mela* ait, si celandi animo retineat; quod verum esse arbitror, inquit *Ulpianus*. Leg. 52. *Si quis uxori suæ.* §. 7. *Eum creditorem*, ff. de furtis.

VIII. Tertio, *In pignoris usu, alienatione, venditione acquisitione.* Nam si creditor pignus in alienum usum transferat, quam cujus gratia ei datum est, furtum committit. instit. de oblig. quæ ex delicto nasc. §. 7. *Furtum autem.* Exempli gratia; si vestem quam in pignus accepit, induat, eaque utatur, &c. Perinde verò est sive pignore ipse creditor utatur, sive alteri utendum commodet. Item, si is qui pignori rem accepit, cum de vendendo pignore nihil convenisset, vendidit; aut, antequam dies solutionis veniret, pecunia non soluta, id fecit, furti se obligat, inquit *Javolenus*, lege 73. *Si is qui pignori* ff. de furtis. Quanto magis furti se obligat, si nullo accepto pretio, cujus pars aliqua ad pignoris dominum rediret, pignus abalienaverit?

De commissoria pignorum lege. IX. Præterea inter alias captiones (inquit *Constantinus* Imperator) præcipuè commissoriæ pignorum legis crescit asperitas, placet infirmari eam, & in posterum omnem ejus memoriam aboleri. ———— Creditores enim re amissa jubemus recuperare quod dederunt. Lege 3. quoniam C. *De pactis pignorum & de lege commissoria in pignoribus rescindenda.*

X. Lex autem commissoria in pignore erat, ut si debitor intra præfinitum tempus non solveret pecuniam, pignus maneret creditoris, idque in perpetuum, sine ulterioris pretii adjectione, acquisitum censeretur. Hanc legem ut captiosam & asperam abolevit *Constantinus* Imperator, jussitque ut re amissa, id est, vel debitori redimere valenti reddita, vel post factam debitori denunciationem legitimam, alicui venundata, creditor recuperaret quantum debitori suo mutuum dedisset: reliqua scilicet parte pretii cedenti debitori, qui pignoris dominus erat. Nempe si, pignore absque fraude, fideliter ex publici juris æstimatione vendito, plus sit in pretio quam in debito, tunc quod superfluum est, servandum est debitori, ut rectè constituit *Justinianus*, leg. 3. *Vetustissimam.* Cod. *de jure dominii impetrando.* Et sane quis neget inhumanam esse asperitatem, rem pignori acceptam, quæ fortasse multum excedit pretio rem mutuatam, nullo soluto ampliore pretio, in perpetuum, tanquam jure acquisitam, retinere, propter inopiam pignerantis cui potius de nostro dandum erat aliquid, quam ut sua ab illo rapereinus?

CAPUT XII.

Sexta Classis, ubi de sæcularis, & incantatoribus, & per ejusmodi artes victum quærentibus.

I. In sexto furum in vita communi acquirentium ordine sunt *Sacrilegi*, id est, qui vetitas in sæco artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt: uti describuntur ab

ab *Ulpiano*, leg. 7. *Saecularis*, ff. *de extraordinariis criminibus*. Item, incantatores, Astrologi, omnesque Pseudoprophetæ, & præstigiatores, lenones, scorta, assassini, & quicunque ex maleficio aut impiè curiosis & illicitis artibus aut ex impia & turpi negotiatione vel exercitatione quæstum faciunt. Quales erant *Simon Magus*, Act. 8: 9, 10, 11. & *Elymas*, Act. 13: 6, 8. & illi Philippenses, Act. 16: 16, 19. & Ephesii, de quibus fit mentio, Act. 19: 19, 24. & Prophetæ olim sacerdotesque Baalitæ, & sacerdotes vitulorum in Dan & Bethel, qui ex Idololatrico cultu ac ministerio victum obtinebant.

CAPUT XIII.

Septima Classis; ubi de furto avarorum per nimiam tenacitatem, & de multifaria hominum inter se conjunctione, multiplicem obligationem fundante ad officium communicationis.

I. SEPTIMUM locum assignamus illis furibus qui nimium parcendo acquirere & ditescere satagunt, & opibus incumbunt. *Est qui dispergit, & additur ei amplius; & est qui parcit plus æquo, sed ad inopiam*, ait Salomon, Prov. 11: 24. Hujus generis furtum est duplex.

1. *Furatur à seipso*, qui opibus, quas habet, non sustinet uti ad sanitatem suam & honestam jucunditatem, *fraudat animam suam bono*, Ecclesiast. 4: 8. Divitiæ illi conservatæ in malum sunt: cunctis diebus vitæ suæ in tenebris comedit, & ira multa & infirmitas ei & furor, Ecclesiast. 5: 13, 17. *Omni homini* (inquit Ecclesiastes) *cui dedit Deus divitias & opes, & potestatem fecit ei ut comedat ex eis, & sumat portionem suam, & lætetur de labore suo, hoc donum Dei est*. Ecclesf. 5: 19. Deinde huic dono opponit istam vanitatem, cap. 6: 1, 2. *Est malum quod vidi sub Sole, & frequens hominibus; Vir cui dedit Deus divitias, & opes, & gloriam, nec deficit animæ ejus quicquam, ex omnibus quæ desiderat, at non facit ei potestatem Deus comedendi ex eis*. Nisi fortè hæc duo proximè citata dicta ex cap. 5: 19. & cap. 6: 1, 2. respiciant magis afflictiones impedientes usum rerum, quam avaritiam, de qua supra dixerat, cap. 4: 8. & cap. 5: 13. &c. Sed & ipsa avaritia, ut ex prioribus testimoniis patet, afflictionum & cruciatuum plena est. Avari enim seipsos transfigunt doloribus multis. 1 Tim. 6: 10. Defraudat verò seipsum avarus non solum hujus vitæ commodis, sed etiam bonis spiritualibus, quibus libentius caret, quam parte aliqua opum mundanarum. Ideo, si jubeatur, relictis rebus mundanis, Christum sequi, abibit tristis, cum juvene illo, Matth. 19: 22. Non recipit ministros Evangelii, quamvis Christus dixerit; Qui vos recipit, me recipit, Matth. 10: 40. Veritatem vendere vellet, quam emere non sustinet: contra præceptum illud, quo jubemur, emere veritatem, et eam vendere prohibemur, Prov. 23: 23, *Veritatem eme & ne vendas*, &c. Dissimilis est homini illi, qui universa quæ habet vendit, ut compararet sibi thesaurum & pretiosam margaritam regni Cælorum, Matth. 13: 44, 45, 48.

Avaritia cruciabile malum.

II. Secundò, *Furatur ab aliis*, quibus etiamsi nullo civili contractu se adstrinxerit, divino tamen jure est obligatus. Hoc autem furtum committit, tum adversus ipsum Deum, tum adversus homines.

III. *Furatur à Deo*, per ingratitudinem, non cogitans Deum esse divitiarum datorem, neque illi gratias agens, aut ad ipsius gloriam iis utens. Ingratitudinem verò esse furti speciem ostendimus supra in secundo ordine furum acquirentium in vita communi, in fine octavi capitis.

IV. Deinde *furatur ab hominibus*, qui illi variè conjuncti sunt. Conjunctio autem hominum inter se, vel naturalis est, vel moralis, vel politica, vel domestica seu œconomica, vel supernaturalis.

Hominum inter se conjunctio.

V. Conjunctio naturalis vel est in propinquitate sanguinis per cognationem, aut affinitatem, vel in communione naturæ, quomodo non solum cognatis & affinibus, sed omnibus hominibus unusquisque conjunctus est. Hanc conjunctionem reliquæ omnes præsupponunt inter homines; Conjunctio moralis in amicitia est Conjunctio politica, inter concives est. Conjunctio domestica, domesticorum est, sive in eadem domo degentium. Conjunctio supernaturalis est inter Christianos, sive domesticos fidei. Hæc maximè obligat, & post hanc aliæ conjunctiones; videlicet, propinquitas sanguinis, & amicitia, item domestica conjunctio, & politica, ac denique naturalis illa communis conjunctio, sive naturæ humanæ communio.

Naturalis. *Moralis.* *Politica.* *Domestica.* *Supernaturalis.*

VI. Ab omnibus, quocunque horum modorum sibi conjunctis, furatur avarus, nimia retentione, neglectis & spretis illis obligationibus, quas ex conjunctionibus istis imponunt nobis sacræ literæ.

VII. Parentes debent filiis thesaurizare, 2 Cor. 12: 14. & filii debent parentibus vicem rependere, 1 Tim. 5: 4. fraterna verò charitas passim præcipitur. 1.

Obligationes ex memoratis conjunctionibus.

VIII. Pro obligatione ex conjunctione morali est illud *Salomonis* dictum; *Amicum tuum, & amicum patris tui, ne derelinquas*, Prov. 27: 10. Item; *Vir amicorum ut præstet se amicum*, Proverb. 18: 24. 2.

IX. De obligatione domestica, *Si quis* (inquit Apost. Paulus) *suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegavit, & est infideli deterior*. 2 Tim. 5: 8. 3.

X. Ad obligationem politicam pertinet illud *Jeremiæ* hortamentum ad captivos: Sic dicit Dominus, *Quærite pacem civitatis ad quam demigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quoniam in pace illius erit vobis pax*, Jerem. 29: 7. 4.

XI. Ad obligationem ex communione naturæ, pertinent sequentia dicta, quibus tum Eleemosyna, tum hospitalitas, nec non beneficentia, commendatur atque imperatur erga proximos, & quidem fine illa acceptione personarum: *Si fuerit apud te mendicus quispiam è fratribus tuis* (sive indigus) *in una è portis tuis, quam Dominus Deus tuus dat tibi, non indurabis cor tuum, neque claudes manum tuam à fratre tuo mendico*, &c. Deut. 15: 7. &c. *Mutuat Domino qui largitur pauperi, & retributionem suam reddet ei*, Prov. 19: 17. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in perpetuum*, Psal. 112: 9. *Qui claudit aurem suam ad clamorem pauperis, ipse etiam clamabit, & non exaudietur*, Prov. 21: 13. *Benignus oculus ipse benedicetur, quia dedit de pane suo pauperi*, Prov. 22: 9. *Ei qui dat pauperi non erit inopia, & avertentis oculos suos, erit multitudo maledictionum*, Proverb. 28: 27. *Frangas esurienti panem tuum, & pauperes vagos introducas in domum, quum videris nudum, operias eum*, 5.

Eleemosynæ, hospitalitatis, & beneficentiæ erga omnes homines necessitas demonstratur ex sacris literis.

& à carne tua ne abscondes te. Si protuleris famelico animam tuam, & animam afflictam saturaveris, orietur in tenebris lux tua, Esai. 58: 7, 10. *Vendite bona vestra, & date Eleemosynam, facite vobis marsupia quæ non veterascunt, thesaurum in Cælis*, Luc. 12: 33. *Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti, & qui habet escas, similiter faciat*, Luc. 3: 11. *Ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquo*, &c. Luc. 16: 9. *Iis qui divites sunt in hoc seculo, denuncia, ne efferantur animo, neque spem ponant in divitiis incertis, sed in Deo vivo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum, ut benefaciant, ut divites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impartiendum, & prompti ad communicandum* (vel facilis convictus;) *recondentes sibi ipsis fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant æternam vitam*, 1 Tim. 6: 17, 18, 19. *Hospitalitatem sectantes*, Rom. 12: 13. *Hospitalitatis ne sitis immemores, per hanc enim quidam in cii acceperunt hospitio Angelos*, Hebr. 13: 2. *Beneficentiæ & communicationis ne obliviscamini, talibus enim victimis delectatur Deus*, Hebr. 13: 16. *Qui verò habuerit mundanas facultates, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua ab illo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei ne diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*, 1 Joan. 3: 17, 18.

XII. Hæc autem officia quibuscunque, citra nllius exceptionem, præstanda esse, patet ex illo Salomonis dicto, quod à Paulo Apost. repetitur, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum pane, & si sitiverit, da ei aquam bibendam*, Proverb. 25: 21. Rom. 12: 20, Item ex illo dicto Apostoli Pauli, *Nempe igitur dum tempus habemus, simus benefici erga omnes*, Gal. 6: 10. & ex phrasi Esaiæ Prophetæ, ne scilicet abscondamus nos à carne nostra, Esai. 58: 7. & ex responsione Domini nostri ad legisperitum illum, Luc. 10: 30. & seqq. Ubi Samaritani exemplo, monet benefaciendum calamitosis quibuscunque. Porro necessitatem horum officiorum *Eleemosynæ, hospitalitatis*, & *beneficentiæ*, ostendit parabola Divitis & Lazari, Luc. 16. Item illa descriptio processus ultimi judicii, Matth. 25. & dissertatio illa Pauli Apostoli de hoc argumento, 2 Cor. 8. & cap. 9. cum multis aliis scripturæ locis.

Obligatio ex conjunctione supernaturali. XIII. Denique obligationem ex conjunctione supernaturali ostendit illa præceptio Apostolica, *Dum tempus habemus, simus benefici ergo omnes, maximè verò erga domesticos fidei*. Galat. 6: 10. Quo pertinet illud ejusdem Apostoli, *Necessitatibus Sanctorum communicantes*, Rom. 12: 13. Item, quod ait Dominus noster, *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui misit me. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: & quicunque potum dederit uni ex his parvis poculum frigidæ solum, nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdiderit mercedem suam*, Matth. 10: 40, 41, 42. *Quisquis enim potum dederit vobis poculum aquæ in nomine meo quod sitis Christi, Amen dico vobis, nequaquam perdet mercedem suam*, Marc. 9: 41. *Dilecte fideliter agis quicquid facis ergo fratres, & erga peregrinos, qui testimonio suo ornarint charitatem tuam in conspectu Ecclesiæ, quos rectè facies si prosequutus fueris ut Deo dignum est: nam pro nomine ejus profecti sunt nihil accipientes à gentibus: nos ergo debemus recipere hujusmodi, ut adminiftri simus veritati*, 3 Joan. 5, 6, 7, 8. *Communicet autem qui instituitur in sermone & qui instituit ipsum in omnibus bonis: ne seducamini, Deus non irridetur, quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet: nam qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam*, Gal. 6: 6, 7, 8. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos vestra carnalia messuerimus?* &c. 1 Cor. 9: 11. &c.

XIV. Avarus autem ab istis furatur, quando nimia sua tenacitate cessat à præstando erga eos necessario officio; & siccis oculis, atque immiti animo inclementer spectat propinquorum inopiam, vel amicorum egestatem, vel domesticorum penuriam, vel concivium indigentiam, vel hominum quorumcunque calamitatem, vel Christianorum, sive clericorum sive laicorum necessitates, seque ab iis abscondit, & sua viscera ab iis claudit, neque eorum necessitatibus, pro facultate, & conjunctionis obligatione, subvenit. *Avari furtum contra has obligationes.*

XV. Non jam loquimur de illo furti genere, quod in retentione rei pollicitatione aut voto promissæ committitur, de hoc enim furti genere diximus in tertia classe, in fine capitis noni, ubi de mala fide contrahentium & promittentium: at nunc de eo agimus furto per retentionem, quod committitur defectu promissionis aut voti, vel saltem dationis aut communicationis, etiamsi neque pollicitatio neque votum intervenerit: quia hic intuemur non promissionis aut voti vinculum, quo carere quis possit si non promittat aut voveat; sed intuemur illas obligationes ex conjunctionibus memoratis existentes, & ita homini incumbentes, ut ab ejus voto aut pollicitatione non dependeant, sed hominem nolentem volentem lege immutabili & necessitate inevitabili constrictum teneant. *Distinctio furti per retentionem.*

CAPUT XIV.

Octava Classis furum acquirentium in vita communi; Ubi de directariis, aliisque clancularariis furibus, de effractoribus, expilatoribus, raptoribus ex incendio, &c. de abigeis, violatoribus sepulchrorum, motoribus terminorum, alieni graminis aut segetis surreptoribus, hortorum & arborum vastatoribus, alienæ creta aut glebæ ablatoribus, de Plagiariis.

I. IN Octava furum acquirentium Classe sunt illi qui aliena, quæ ipsis credita non sunt, sed in dominorum aut aliorum possessione aut custodia existentia, capiunt sibi, invitis aut nescientibus dominis, nullo juris obtentu, sed per metam injuriam. In hac Classe sunt:

1. Qui *Directarii* appellantur, & omnes clancularii fures sive diurni sive nocturni, de quibus Exod. 22. &c. De Directariis, ait *Ulpianus*; Qui Directarii appellantur, hoc est, hi, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo, plusquam fures puniendi sunt. Ideirco aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fustibus castigantur, & dimittuntur; aut ad tempus relegantur. Leg. 7. *Saecularis*. ff. de extraordinariis criminibus.

2. *Effractores*, qui effracto perfractoque pariete, aut valva, pecuniam aut suppellectilem auferunt. De quibus leg. 1. §. 2. ff. de effractoribus & expilatoribus. Atrociores habebantur nocturni effractores, ideo gravius puniebantur apud

apud Israëlitas, quam effractores diurni, Exod. 22: 2, 3. Et apud Romanos, leg. 2. ff. de effractoribus & expilatoribus.

Unde dicti expilatores, quibus accensendi pirata.

3. *Expilatores*, qui sunt atrociores fures, ita ut quodammodo ne pilum quidem relinquant spoliatis. De quibus ff. eod. Hi sunt violenti raptores & latrocinando furantes, terra marive viatoribus aut navigantibus infesti. His accensendi sunt omnes potentiores qui per meram injustitiam, tantum quia plus possunt, rapiunt à tenuioribus aut debilioribus. Nam qui sic alios opprimunt & expilant, meritò *expilatores* dicentur, sive *atrociores fures. Non opprimes proximum tuum*, neque rapies. Levit. 19. 13.

4. Qui *ex incendio*, hoc est, propter tumultum incendii vel trepidationem incendii, *aliquid rapuerit*; vel *ex ruina*, id est, si vel ex his quæ ruerunt tulerit quis, sive ex adjacentibus; vel *ex naufragio*, id est, eo tempore & loco quo naufragium fit: qui autem rem in littore jacentem, postquam naufragium factum est, abstulit, magis fur est (seu fur potius censendus est) quam raptor ex naufragio, Leg. 1: 2. 3. ff. *De incendio, ruina, naufragio*, &c. Vide verò quæ de inventoribus diximus supra, cap. 8.

5. *Abigei*, sive abactores, id est, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigeatum sive abigendi studium quasi artem exercent: equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes, aut integros ovium greges vel tota armenta. ff. *de abigeis.* Atque omnes omnino prædones, qui agmine facto alienas possessiones iniquè infestant, & per vim depopulantur. De abigis eorumque pœna, vide plura, ff. *de abigeis.*

6. *Sepulchrorum violatores* lucri causa, & cadavera spoliantes, aut de sepulchris rapientes. Leg. *de sepulchro violato.*

7. Justorum *terminorum* clancularii aut violenti *motores* sine legali & judiciario processu. Nam qui per injustam actionem, & processum judiciarium, limites furandi affectu movet, fur est falsarius; qui verò id facit, clam palamve, sine legali processu, accensendus est furibus octavæ hujus classis. *Non transferes terminum proximi tui quem finierunt majores in hæreditate tua*, Deut. 19: 14. *Ne transferas* (inquit Salomon) *terminum antiquum, quem fecerunt patres tui*, Prov. 22: 28. *Ne transferas terminum antiquum, & in agrum pupillorum ne introëas, quia redemtor illorum fortis est, ipse judicabit causam eorum contra te*, Prov. 23: 10, 11. Contra hoc genus furti latæ fuerunt olim apud Romanos leges *Agrariæ* ad compescendos eos qui terminos statutos extra suum gradum finesve moverunt dolo malo: leg. 3. *Lege agraria. ff. de termino moto.* Illi etiam tanquam motores terminorum meritò plectebantur, qui finalium quæstionum obscurandarum causa faciem locorum convertebant, ut ex arbore arbustum, aut ex sylva novale, aut aliquid ejusmodi faciebant: quod rectè monet *Callistratus*, leg. 3. §. 2. ff. eod.

Leges Agrariæ.

Vastatores pascuorum, aut segetum, aut hortorum, &c.

8. Qui jumenta sua aut quascunque bestias suas immittunt ad depascendum alienum agrum aut vineam, Exod. 22: 5. Item, qui ingressus vineam proximi sui, non contentus uvas ad satietatem comedere, etiam in vase ponit, (nempe invito domino) & qui segetem proximi ingressus, non contentus spicas manu decerpere, falcem immittit. Deut. 23: 24, 25.

Ad hanc speciem pertinet furtum illorum qui alienos hortos ingressi, non contenti de horti fructibus comedere, etiam secum auferunt, invito aut nesciente domino, quamvis existiment dominum horti id non permissurum si sciret. Quis enim hic neget esse alienæ rei contrectationem & amotionem cum affectu furandi? Quod genus furti *Augustinus* à se adolescentulo, cum aliis quos secum vocat nequissimos adolescentulos, commissum esse gemebundus confitetur Deo, & hanc fœditatem morum suorum plangit. Lib. 2. Confess. cap. 4. Quod si etiam non admissi violenter irrumpant, sive clam, sive palam, sive noctu, sive interdiu, diruendo & scandendo super aggeres, vel ostia vel sepimenta perrumpendo, jam non solum in hac octava specie fures sunt, sed etiam in secunda speciè effractores sunt, ideoque propter atrocitatem sceleris severius puniendi. Si verò adhæc, etiam arbores cædant, ramosve defraugant, vel radicitus evellant, addunt & aliam furti speciem, de qua jam dicturi sumus.

9. *Qui arbores alienas furtim cædunt*, sciendum est (inquit *Gaius*) eos qui arbores & maximè vites ceciderint, etiam tanquam latrones puniri, leg. 2. *Sciendum.* ff. *Arborum, furtim cæsarum.* Item, ut monet *Paulus*, J. C. qui arbores cingunt, id est, deglabrant, vel qui feriunt cædendi causa; vel qui subsecuerunt, leg. 5. *Cædere.* ff. eod. Etiamsi non tota arbor cæsa sit, rectè tamen agetur, quasi cæsa. *Ulp.* leg. 7. *Furtum.* §. 3. ff. eodem. Si quis radicitus arborem evellerit, vel exstirpaverit, tenetur lege Aquilia, quasi ruperit. *Ulp.* leg. 7. *Furtim.* §. 2. *Si quis.* ff. *eod.* Si lucri causa quis in hac specie peccet, furtum est in acquisitione: Si non aufert quicquam, facit furtum datione damni.

10. Si cretæ fodiendæ causa, specum quis fecisset, & cretam abstulisset; fur est, non quia fodisset, sed quia abstulisset, ait *Alfenus*, leg. 57. *Secretæ.* ff. *de furtu.* Certè nisi terram, aut cretam, aut cespites, aut glebas, &c. abstulerit ex alieno fundo, invito aut nesciente domino, non erit fur acquisitione; si tamen ipsa fossio sit fundo detrimentosa, & domino fundi damnosa, tunc ex ipsa fossione, etiamsi nihil auferat, furti se obligar, illius, inquam, furti quod damni datione committitur.

Qui cretam, aut cespites, aut glebas furantur.

11. *Plagiarii*, id est, qui hominem furantur lucri causa. Qui furatus fuerit hominem & vendiderit illum, & inventus fuerit in manu ejus, moriendo moriatur, Exod. 22: 16. vide ff. de lege Fabia, de plagiariis.

CAPUT XV.

Nona classis furum acquirentium in vita communi, ubi de crimine Stellionatus.

I. IN Nona classe furum acquirentium in vita communi ponimus reos *Stellionatus.*

Stellionatum autem (inquit *Ulpianus*) objici posse his qui dolo malo quid fecerunt, sciendum est; scilicet si aliud crimen non sit, quod objiciatur: quod enim in privatis judiciis, de dolo actio, hoc in criminibus, Stellionatus prosequutio. Ubicunque igitur titulus criminis deficit, illic stellionatum objiciemus. Maximè autem in his locum habet, si quis forte rem alii obligatam, dissimulata obligatione, per calliditatem, alii distraxerit, vel permutaverit, vel in solutum dederit: nam hæ omnes species stellionatum continent. Sed etsi quis merces supposuerit, vel obligatas averterit, vel si corruperit, æquè stellionatus reus. Item, si quis impostu-

ſturam fecerit, vel colluſionem in necem alterius, Stellionatus poterit poſtulari. Et ut generaliter dixerim, deficiente titulo criminis, hoc crimen locum habet, nec eſt opus ſpecies enumerare. Leg. 3. §. 1. ff. *Stellionatus.* Nos hic ſtellionatum intuemur in violatione octavi præcepti, quamvis alioqui latius extendatur hoc crimen: quia verò tanta eſt varietas delictorum, ut nec diſtingui ſpecialibus nominibus inter ſe per omnia exquiſitè poſſint, ſtatutum eſt (inquit *Conradus Lagus* Juriſconſultus) ut generali appellatione criminis Stellionatus accuſentur delinquentes, ubicumque ſpecialis titulus criminis deficiat; non tamen quolibet modo delinquentes poſtulari ſtellionatus poſſunt, ſed illi ſolum qui dolo aliquid dignum animadverſione, in contractu vel extra deſignaverunt. Nam, ut apparet, ideo huic crimini inditum nomen eſt Stellionatus, ut ſignificaretur eos in illud incidere qui variis coloribus impoſturarum homines deciperent, aut rebus vel etiam vitæ eorum callidè inſidiarentur: Eſt enim ſtellio, unde hujus criminis appellatio derivata eſſe videtur, animal lucentibus guttis depictum ſicut lacerta. Hæc *Lagus*, in Methodo Juris, part. 3. cap. 56. De crimine Stellionatus. Qui merces ſuppreſſit, ſpecialiter hoc crimine poſtulari poteſt, ait *Ulpianus*, leg. 3. §. 3. ff. *Stellionatus.* De perjurio, ſi ſua pignora eſſe quis inſtrumento juravit, crimen ſtellionatus fit, inquit *Modeſtinus*, leg. 4. de perjurio. ff. *Stellionatus.*

II. Huc igitur haud ineptè referemus omnes illas decipiendi furtivas artes, quæ ad aliam aliquam claſſem commodius referri nequeunt. Exemplum ſumamus ex *Paulo* Jureconſulto, qui ait, eum qui mulionem dolo malo in jus vocaſſet; ſi interea mulæ periſſent, furti teneri: & hoc veteres reſpondiſſe. leg. 66. *Si is qui rem.* §. 2. *Eum qui.* ff. *De furtis.* Vide aliud exemplum ex *Ulpiano.* leg. 43. Falſus creditor. §. 3. Si quis. ff. *De furtis.* Si verbis fraudem adhibuit, ut puta, ſi dixit ſe locupletem, ſi in mercem ſe collocaturum quod accepit, fidejuſſores idoneos daturum, vel pecuniam confeſtim ſe ſoluturum. Aliud etiam exemplum ex eodem *Ulpiano* huc referimus, videlicet, ſi piſcatores nocte lumine oſtenſo, fallant navigantes, quaſi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum naves, & qui in eis ſunt, deducant, ſibique execrandam prædam parent. leg. 10. *Ne piſcatores.* ff. *De incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata.*

Atque hactenus primum genus furti in effectu, quod in vita communi à quibuslibet committitur: nempe, furtum in acquiſitione.

CAPUT XVI.

De furto in neglectu: ubi de otioſis, negligentibus, ludo nimium deditis, alienorum plus æquo curioſis, ſuorum incurioſis, debitam proximo operam non præſtantibus, in nulla ſe honeſta functione exercentibus, &c.

I. SECUNDUM genus furti in effectu committitur *Neglectu*, non ſolum à privatis in communi vita, ſed etiam à publicis perſonis in adminiſtratione publica, ſi nempe per eorum negligentiam Eccleſia vel reſpublica detrimentum capiat. De hoc genere furti in perſonis publicis, præſertim Eccleſiaſticis, infra, Domino donante dicturi ſumus: nunc illud intueamur in vita communi, & in ejuſmodi furto quod ad publicos privatoſque fures communiter extendatur.

In tractatibus de Simonia & de Sacrilegio.

Contra hujus generis furtum eſt illud *Diocletiani* & *Maximiani* Imperatorum reſcriptum. Quicquid (inquiunt) tutoris dolo vel lata culpa aut levi, ſeu curatoris, minores amiſerint; vel, cum poſſent, non acquiſierint, hoc in tutelæ ſeu negotiorum geſtorum utile judicium venire non eſt incerti juris. leg. 7. Quicquid. Cod. *Arbitrium tutelæ.* Item, illud *Alexandri* Imperatoris. Certum eſt (inquit) non ſolum eos qui geſſerunt, ſed etiam qui gerere debuerunt, tutelæ teneri, etiam in ea quæ à contutoribus ſervari non potuerunt, ſi modo cum eos ſuſpectos facere deberent, id officium omiſerunt leg. 1. Certum eſt. Cod. *Si tutor vel curator non geſſerit.*

Huc pertinet illa parabola talentorum, Matth. 25. ubi nequam ille ſervus & piger propterea talento, quod habebat privatur, & in exteriores tenebras ejicitur, quod ſervus eſſet inutilis, neque negotiatus eſſet ut acceptum talentem Domino redderet cum fœnore.

Plurimæ etiam huc pertinent Salomonis ſententiæ, diligentiam commendantes atque imperantes, ſegnitiem verò prohibentes. *Vade ad formicam, piger; vide vias ejus, & ſapiens eſto, cui cum non ſit dux, nec præfectus, nec dominus, parat tamen in æſtate cibum ſuum, congregat in meſſe eſcam ſuam. Uſque quo piger dormies? quando ſurges à ſomno tuo? parum ſomniorum, parum dormitationum, parum complicationis manuum ad dormiendum, & veniet tanquam viator egeſtas tua, & paupertas tua tanquam vir clypeatus.* Prov. 6: 6, 7, 8, 9, 10, 11. *Pauperem facit manus fraudulenta,* (vel remiſſa) *& manus ſedulorum ditat. Qui congregat in æſtate, filius intelligens eſt, qui vero dormit in meſſe, filius eſt confundens.* Prov. 10: 4. 5. *Qui remiſſus eſt in opere ſuo, frater eſt domino diſſipantis,* Prov. 18: 9. *Ne diligas ſomnum, ne forte efficiaris pauper, aperi oculos tuos, & ſaturaberis pane,* Prov. 20: 13. *Deſiderium pigri interficit eum, quia renuerunt manus ejus facere quicquam, tota die concupiſcit concupiſcentiam, juſtus autem tribuit, nec parcit,* Prov. 21: 25, 26. *Cogitationes ſeduli profecto tendunt ad abundantiam,* Prov. 21: 5. *Vidiſti virum ſedulum* (vel velocem מָהִיר *mahir,* ὀξὺν) *in opere ſuo, coram Regibus ſtabit: non ſtabit coram obſcuris,* Prov. 22: 29. *Pigredo cadere facit ſoporem, & anima remiſſa eſuriet,* Prov. 19. 15. *Propter hyemem piger non arabit, idcirco mendicabit æſtate, & non habebit.* Prov. 20. 4. *Juxta agrum hominis pigri tranſivi, & juxta vineam hominis carentis corde, & ecce aſcenderant per totum ipſum ſpinæ, operuerant ſuperficiem ejus urticæ, & clauſura lapidum ejus deſtructa erat, & vidi ego, & poſui cor meum, vidi & accepi eruditionem; puſillum ſomni, puſillum dormitationum, puſillum complicationis manuum ad dormiendum, & veniet tanquam viator paupertas tua, & penuria tua tanquam vir ſcutatus,* Prov. 24: 30, 31, 32. 33, 34. *Dicit piger, leo eſt in via, leo eſt in plateis: ſicut fores vertuntur in cardine ſuo, & piger in lectulo ſuo. Abſcondit piger manum ſuam in ſinu, fatigatur eam reducere ad os ſuum: ſapientior eſt piger in oculis ſuis ſeptem reſpondentibus conſilium,* Prov. 26: 13, 14, 15, 16. *Diligenter conſidera vultum pecoris tui, pone cor tuum ad greges, quia non in ſeculum divitiæ, & num corona erit in generatione & generatione? prodit gramen, & apparet herba, & colliguntur herbæ montium, ovium lanæ pro indumen-*

Sententiæ quædam Scripturæ imperantes diligentiam & damnantes pigritiem.

mentis tuis, & pretium agri sunt hirci, & sufficientia lactis caprarum in cibum tuum, & in cibum domus tuæ, & ad victum puellarum tuarum, Prov. 27: 23, 24, 25, 26, 27. *Qui colit terram suam, saturabitur pane, sed qui sectatur otiosos, saturabitur egestate*, Prov. 28: 19. *Qui sequitur vacuos, deficiens est corde*, Prov. 12: 11. Huc pertinet & illa descriptio sedulæ mulieris, Prov. cap. ultimo.

II. Hoc furti genere furantur homines non solum penitus otiosi, sed & illi qui nimium ludo aut delitiis dediti, seria negligunt negotia: propterea ait Salomon; *vir egenus erit, qui diligit lætitiam, qui diligit vinum & pinguia, non ditabitur*, Prov. 21: 17.

III. Item illi, qui per negligentiam, vel suam vel proximi quamvis inimici rem perire sinunt: præcipit enim Deus per *Moysem*, *Si occurreris bovi ejus qui est inimicus tibi, aut asino ejus erranti, reducendo reduces eum illi. Si videris asinum odio habentis te decumbentem sub onere suo, & desines auxiliari ei? auxiliando auxiliaberis una cum illo*, Exod. 23. 4. 5. Non videbis bovem fratris tui, aut agnum ejus aberrantes, & abscondes te ab iis, sed reducendo reduces eos ad fratrem tuum, etiamsi non fuerit propinquus frater tuus tibi, neque noveris illum, colliges tamen illos in domum tuam, & erunt tecum donec requirat frater tuus illos, & restitues eos illi: & sic facies de asino ejus, sic facies & de vestimento ejus; sic item facies de omni re amissa fratris tui quæ perierit ab eo, & inveneris illam, non occultabis te: non videbis asinum fratris tui aut bovem ejus jacentes (sive cadentes) in via, & abscondes te ab iis, erigendo eriges cum eo. Deut. 22: 1, 2, 3, 4. Huc pertinent & leges illæ de damno per neglectum, Exod. 21: 33, 34, 36. & apud *Justinianum*, inst. de lege Aquilia: quo pertinet & culpa eorum qui canes alunt cum pecoris vicini pernicie.

IV. Adhæc & illi in hoc genere furantur qui quamvis penitus non cessent ab opere, segniter tamen illud exsequuntur, contra illud præceptum, studio minimè cunctantes, Rom. 12: 11.

V. Præterea, omnes illi qui suæ vocationis munia negligunt, sive otiosi sint, sive in alienis præpostere curiosi, ἀλλοτριοεπίσκοποι, 1. Pet. 4: 15. περιεργαζόμενοι, 2. Thess. 3: 11. ἀργοὶ καὶ περίεργοι otiosi & curiosi, 1. Tim. 5. 13. πολυπράγμονες, quibus tantum ab re sua otii est ut aliena curent, quæque ad eos nihil attinent, ut loquitur Comicus. Non quod humani quicquam à nobis prorsus alienum putandum sit, sed quia unumquemque sua vocatio maximè obligat; & quod scribit Apostolus ad *Coloss.* de *Archippo*, *vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas*, Coloss. 4: 17. Idem unusquisque sibi dictum existimare debet, (neque enim propter solum *Archippum* hoc scriptum est, ut scilicet fuæ vocationis munera unusquisque diligenter obeat, neque alienis avocamentis se impediri sinat; quo pertinet & illud Apostoli *Pauli* dictum ad *Timotheum*, *Nemo qui militat, implicatur vitæ negotiis, ut ei, qui illum in militiam elegit, placeat*, 2. *Tim.* 2: 4. Item illud; *hæc meditare, in his esto, ut tuus profectus manifestus sit inter omnes: attende tibi ipsi & doctrinæ*, 1. Tim. 4: 15, 16. Et illud; *Quemadmodum in uno corpore membra multa habemus, membra verò omnia non eandem habent actionem: sic multi unum sumus corpus in Christo, membra autem mutuo alter alterius, habentes dona secundum gratiam nobis datam, differentia, sive prophetiam, secundum analogiam fidei; sive ministerium, in ministerio; sive qui docet, in doctrina; sive qui exhortatur, in exhortatione; sive qui largitur, in simplicitate; sive qui præest, in studio; sive qui miseretur, in hilaritate*, Rom. 12: 4, 5, 6, 7, 8. Non permittit cuiquam derelicta sua statione in alienum munus se ingerere: quod solent illi quibus quadrat illud *Agathonis* poëtæ:

Τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Vide in constitutionibus *Leonis* Imperatoris, constitutionem 86. quæ est, de pœna Episcoporum, sacerdotum, & clericorum, qui se advocationibus, sponsionibus, & redemptioris, aliisve similibus dedunt. Item, vide in authent. constit. novel. 123. cap. 6. ubi statuitur ut clerici à muneribus personalibus & negotiis secularibus abstineant. De quo pluribus disseruimus in Tractatu de cura & residentia pastorali.

VI. Illi etiam in hoc genere fures censendi qui otio se dedunt, nullam amplectentes honestam functionem, in qua se exerceant. Sed pecudum more, ventri & voluptatibus obediunt, aut ignavo torpescunt otio, aut inanibus ludis vel etiam maleficiis tempus transigunt, sive egeni sint, sive opulenti. Nemo enim, quamlibet opulentus, non possit prodesse vel sibi vel aliis honesta industria: unde sequitur non solum egena illa mendicabula, sed & divites, qui nullo alio fine se vivere existimant, nisi ut in otio voluptatibus indulgeant, aut animo obsequantur suo, furti se obligare per neglectum debitæ industriæ. Atque huc etiam rectè accommodabitur parabola talentorum, Matth. 25. Item, dictum illud *Pauli*, *dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes*, Galat. 6: 10. Item illud; *studio non segnes*, Rom. 12: 11. Et illud, *Redimentes tempus*, Ephes. 5: 16. Et illud; *in omnibus ostendi vobis, quod sic laborantes oportet subvenire invalidis* (vel suscipere infirmos) *ac meminisse verborum Domini Jesu, quoniam ipse dixit, Beatum est dare potius quam accipere*, Act. 20: 35. Quando igitur per segnitiem, aut vanitatis studium, abstinet quis ab omni honesta functione, in qua se exercens, tum tempus melius transigeret, de quo reddenda est ratio, tum etiam vel sibi vel aliis prodesse posset, furti tenetur ex neglectu. Tales non sunt solum parasiti, & alii omnes otiosi ventres, qui alienis sudoribus, fucorum more, victitant, nihil de suo habentes, sed & opulenti illi quibus tanquam procis *Penelopes* convenit illud:

Nos homines sumus, & fruges consumere nati.

VII. Porro & illi omnes in hoc genere furantur, qui suorum curam negligunt: *Qui enim suis & maximè domesticis non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior*, 1. Tim. 5: 8. Dives suis non impertiens, fur est nimia retentione: quicunque autem suos defraudat per otium & segnitiem aut negligentiam, fur est ex neglectu; tales sunt qui ludo, peregrinationibus, luxui aut ignavo otio se dedunt; omissa eorum cura quos iis commisit Deus.

VIII. Denique ex neglectu furantur omnes illi, qui debitam proximo operam non præstant: ut prævaricatores qui sua prævaricatione rem justo domino perire sinunt. Item, custodes & judices qui per neglectum custodiæ vel judicii res ipsorum custodiæ atque tutelæ commissas perire sinunt justis dominis. Atque omnino omnes, qui, sive mercede accepta, sive non accepta, operam proximo debent, nec præstant tamen: sic enim per eorum neglectum damno afficitur proximus. Talis erat servus ille nequam in parabola talentorum. Qui autem mercede accepta o-

peram debitam non præstat, furatur mercedem furtiva acquisitione, rem verò proximi quam neglexit, furatur neglectu.

Neglectus furtivus nautarum, cauponum, stabulariorum.

Hoc furti genere se obligant nautæ, caupones, stabularii, si per eorum negligentiam res ipsis commissa pereat: videlicet, si in caupona, vel in nave, vel in stabulo, furtum factum sit à quoquam eorum qui in nave, in stabulo, vel in caupona exercendi ministerii causa morantur, aut habitant, ex autoritate nautæ, stabularii, vel cauponis: viatorum enim factum non præstant: namque viatorem sibi eligere caupo vel stabularius non videtur, nec repellere potest iter agentes: in nave quoque vectorum factum non præstatur: nempe nisi receperit salvam rem fore caupo, vel nauta, vel stabularius. *Ulp.* ff. *Furti adversus nautas*, &c.

Non intelligimus neglectum officii propter quod obtinetur beneficium, sed neglectum officii in cura rei, & circa rem, sive neglectum rei. Cavendum tamen, nequis è diverso irrequietæ avaritiæ suæ prætendat nomen diligentiæ.

CAPUT XVII.

De furto in abusu: ubi de furto idololatrarum, & eorum qui ludo aut luxu rem abliguriunt, aut in usus quoscunque nefarios opes impendunt; item de immodicis mortificationibus & eleemosynis, de fidejussoribus, &c.

TERTIUM genus furti in effectu, committitur *abusu. Expedit reipublicæ ne sua re quis male utatur*, dixit *Justinianus*, §. *Sed hoc.* Instit. *De his qui sui vel alieni juris sunt.* Et certè rerum nostrarum non sumus absoluti domini, sed œconomi, reddendis rationibus obnoxii Domino Deo nostro, a quo omnis bona donatio & omne donum perfectum supernè descendit. Jacob. 1. 17. *Honora Dominum* (inquit Salomon) *de divitiis tuis, & de primitiis omnium proventuum tuorum, & implebuntur horrea tua*, &c. Prov. 3:9. Propterea queritur Deus de Israëlitis, qui abusi erant rebus à Domino acceptis, Hos. 2. *Hoc certè alienum non est* (ait Augustinus) *quod jure possidetur: hoc autem jure, quod justè; hoc justè, quod benè: omne igitur quod malè possidetur, alienum est: malè autem possidet, qui malè utitur.* Hæc Aug. Epist. 54. Ad *Macedonium*, prope finem epistolæ.

I. In hoc genere furti furantur illi qui accepta à Deo dona impendunt in cultum idololatricum. *Et ipse nesciebat* (inquit Dominus) *quod ego dedissem ei frumentum, & vinum & oleum, imo argentum multiplicaveram ei, & aurum, quibus fecerunt Baal; idcirco convertar, & sumam frumentum meum tempore suo, auferamque lanam meam & linum meum*, &c. Hos. 2: 8. 9.

II. Illi etiam qui meliores in usus acceptas opes profundunt in ludo, aut vanis spectaculis, aut compotationibus, aut conviviis, aut vestimentis, aut quocunque apparatu immodico, & supra modum, supra facultates, supra conditionem, supra decorum sumptuoso. Qui propter ludum vel convivium seria sua negligit negotia, ludens & convivans nullo aut exiguo sumptu, furatur neglectu; qui verò immodicos sumptus facit, furatur abusu: quo pertinent sequentia dicta: *vir egenus erit qui diligit lætitiam, qui diligit vinum & pinguia non ditabitur*, Prov. 21: 17. *Ne sis cum potatoribus vini, neque cum voratoribus carnis, quia bibax & epulo pauperes efficientur*, Prov. 23: 20, 21.

III. Item, qui in usus quoscunque nefarios opes impendit: quo pertinet illud Salomonis; *qui pascit scorta, perdit substantiam*, Prov. 29: 3.

Nihil aliud est habentibus dare, quam perdere. Prosper. lib. 2. de vita contempl. cap. 9.

IV. Præterea quemadmodum furantur acquisitione qui à pauperibus injustè capiunt, ita etiam furantur abusu qui divitibus stultè donant; ait enim Salomon, *Qui vi aufert à paupere, ut augeat sua, & qui dat diviti, profectò ad egestatem* [perveniet. Prov. 20: 16.]

De immodicis mortificationibus & Eleemosynis.

V. Adhæc abusu furantur & illi prodigi, qui vel superstitione, vel popularis favoris gratia, res suas, obtentu piorum usuum, exinaniunt. Adeo ut non supersit eis unde sibi aut aliis necessaria subministrent: quam superstitionem, sive inanis gloriæ aucupium reprehendit Christus in eis, qui, abjecta parentum suorum cura, bona sua donabant in *corbanum*, Matth. 15: 5, 6. *Non enim ut aliis relaxatio sit, vobis autem tribulatio, sed æqualitate*, &c. 2 Cor. 8: 13. Præceptum illud juveni illi datum peculiare erat & extraordinarium, Matth. 19: 21. ordinariam verò regulam monstrat Joannes Baptista, *Qui habet* (inquit) *duas tunicas, impertiat non habenti, & qui habet escas, similiter faciat*, Luc. 3: 11. & Paulus Apost. cap. illo octavo posterioris epist. ad Corinth. *Quandoquidem etiam* (inquit Ambrosius) *bonorum operum sumptibus immoderatum esse non decet. Pulchra liberalitas, erga ipsos quoque pauperes mensuram tenere, ut abundes pluribus, nec conciliandi favoris gratia ultra modum fluere. Quicquid ex affectu puro ac sincero promittur, hoc est decorum, non superfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere necessarias. Et maximè sacerdoti hoc convenit*, &c. Hæc Ambros. lib. 2. de offic. cap. 21.

Vide lib. 3. cap. 6. §. 11.

Fidejussores.

VI. Rei sunt etiam in hoc genere inconsiderati fidejussores, qui scilicet pro alieno debito suam fidem interponunt, quod tamen solvere vel non cogitant, vel sine magno suo detrimento non possunt. Peccant enim contra illud præceptum, *Ne sis inter percutientes manu, neque inter fidejubentes pro debitis: si enim non habes unde restituas, ut quid tollet lectum tuum qui est subter te?* Prov. 22: 26, 27. Et alibi ait Salomon; Contritione conteretur qui fidejusserit pro extraneo, & qui odit stipulantes, securus est, Prov. 11: 15. Jure autem exigi à fidejussoribus debitum pro quo fidejusserunt, docet idem *Salomon*, inquiens; *Tolle vestimentum ejus quia fidejussit pro extraneo, & pro extranea pignus ab eo accipe*, Proverb. 20: 16. Propterea monet sapiens filium suum; *Fili mi* (inquit) *si spoponderis pro amico tuo, percussisti alieno manum tua, illaqueatus es verbis oris tui, captus es eloquiis oris tui; fac ergo hoc nunc, fili mi, & erue te postquam incidisti in manum amici tui, vade, prosterne te, & robora amicos tuos, ne des somnum oculis tuis, & dormitationem palpebris tuis, erue te tanquam caprea de manu venatoris, & sicut avis de manu aucupis.* Prov. 6: 1, 2, 3, 4. Fidejussor fidejubens & solvens ultra quam donaturus erat, aut donare potest sine suo magno incommodo, suorumque gravi & inexcusabili læsione, aut etiam se in hoc periculum fidejussione conjiciens, tenetur furti in abusu, & datione damni: qui verò statuit non solvere, vel creditori non solvit, fur est in defraudatione & datione damni, & quodammodo etiam acquisitione.

VII. His adde civiles illas leges; qui jumenta sibi commodata longius duxerit, alienave re, invito domino, usus sit, furtum facit, inquit *Paulus* J. C. leg. 40. *Qui jumenta.* ff. *De furtis.* Si pignore creditor utatur, furti tenetur.

Eum

Eum qui, quod utendum accepit, ipse alii commodaverit, furti obligari responsum est, ex quo satis apparet furtum fieri, si quis usum alienæ rei in suum lucrum convertat: nec movere quem debet, quasi nihil lucri sui gratia faciat, species enim lucri est ex alieno largiri, & beneficii debitorem sibi adquirere: unde & is furti tenetur qui ideo rem amovet, ut eam alii donet, inquit *Gajus*. Leg. 54. *Si pignore*. ff. *De furtis*. Sed leges istæ magis pertinere videntur ad furtum in acquisitione.

CAPUT XVIII.

De furto in datione damni per injuriam: ubi de lege Aquilia, & de incendiariis, &c. Item, de jure dationis damni in bello.

I. DE hoc furti genere agitur in jure civili, inst. de lege Aquilia, & ff. ad legem Aquiliam. Est autem datio damni duplex; una per injuriam; altera per culpam, sive neglectum, aut imperitiam. Istam referimus ad furtum ex neglectu: illam hic intuemur, de qua cavetur lege Aquilia. cap. 1. *Qui servum servamve, alienum alienamve, quadrupedem vel pecudem injuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas esto.* Hic pecudum appellatione oves, capræ, boves, equi, muli, asini, sues etiam continentur; sed canis inter pecudes non est; longè magis bestiæ (feræ scilicet) in eo numero non sunt, veluti ursi, leones, panthera; Elephanti autem, & Cameli quasi mixti sunt, nam & jumentorum operam præstant, & natura eorum fera est, & ideo primo capite eas contineri oporter, inquit *Gajus* leg. 2. ff. ad legem Aquiliam. *Injuria* occisum esse meritò adjicitur (inquit *Ulpianus*) leg. 3. Si servus ff. ad legem Aquiliam. Itaque si servum tuum latronem insidiantem mihi occidero, securus ero: nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere, ait *Gajus*. Leg. 4. *Itaque* ff. Eodem. Si tamen ex canis occisione damno afficiatur dominus, sitque canis injuria occisus, non est dubium hic esse dationem damni. Lex autem Aquilia plebiscitum est, cum eam Aquilius tribunus plebis à plebe rogaverit. ff. ad legem Aquiliam. Leg. 1.

Duplex datio damni.

ff. ad legem Aquiliam. Leg. 1. Lege Aquilia.

II. Hoc genere furti tenentur & incendiarii, qui injuria ignem immittunt in alienas ædes, vel segetem vel frumentum, vel qui alicujus vestimenta, aut suppellectilem, aut rem quamlibet combustibilem injuria conjicit in ignem. *Gajus* ait; qui ædes, acervumve frumenti juxta domum positum combusserit, vinctus, verberatus, igni necari jubetur, si modo sciens prudensque id commiserit; si verò casu, id est, negligentia, aut noxam sarcire jubetur, aut si minus idoneus sit, levius castigatur, leg. 9. *Qui ædes*. ff. de incendio, ruina, &c.

III. Non solum qui rapuit, sed etiam qui damnum dedit, tenetur. Ait *Ulpianus* leg. 3. *Quo naufragium*. §. 4. ff. *de incendio, ruina*, &c. quod ait prætor de damno dato, ita demum locum habet, si dolo malo damnum datum sit. Leg. eadem. ff. eodem §. 7.

IV. Huc pertinet lex illa, de non disperdendis arboribus fructiferis in urbis obsidione, Deuter. 20: 19. De charitate Apostolus ait, *Charitas proximum non afficit malo*, Rom. 13: 10. *Non gaudet de injustitia, congaudet autem veritati*, 1 Corinth. 13: 6. Certè si tenemur asinum, aut bovem proximi, quamvis nobis inimici, errantem reducere, dominoque restituere, item sub onere decumbentem erigere, multo magis debemus ab omni istiusmodi injuria, & datione damni abstinere. Item; Si rem proximi concupiscere non licet, haud dubiè nec licet eam per injuriam perdere. Loquimur jam de communi vita, non autem de justo bello, in quo licita aliquando sunt incendia, & filvarum demersiones; aliæque species dationis damni quo non injustè hostis hostem afficit, 2 Reg. 3: 19. furtum autem committitur datione damni, etiam in bello, quando per injuriam aut insolentiam res perditur, sive in bello, sive in pace, neque enim adversus quenquam insolenter grassari licet, sed habenda utilitatis & æquitatis ratio, ut patet ex lege citata de obsidione urbium, Deuter. 20: 19.

CAPUT XIX.

De furto per participationem criminis: Ubi de variis ejus modis, & de receptoribus.

I. QUi participat cum fure, odio habet animam suam, inquit *Salomon*, Prov. 29: 24. Talis est ille qui exosus disciplinam, si vidit furem, currit cum eo, Psal. 50: 18. Tales erant injusti illi Judæorum principes, quos *socios furum* appellat, Esai. 1: 23.

II. Participat aliquis cum fure tribus modis, nempe vel *consilio*, vel *auxilio*, vel *receptione*. Rectè *Pedius* ait, *sicut nemo furtum facit sine dolo malo, ita nec consilium vel opem ferre sine dolo malo posse*. Leg. 50. *in furti*. §. 2. ff. *de furtis*. Christianorum officium est, ut observent alii alios, provocentque ad charitatem & bona opera, Hebr. 10: 24. Et osor proximi habetur, qui proximum videns delinquentem non corripit, Lev. 19: 17. Et quod Apostolus de mulieribus ætate provectioribus scribit, id etiam omnibus ad aliquid docendum aptis incumbit, ut scilicet sint καλοδιδάσκαλοι, hoc est, honesta doceant, Tit. 2: 3. *Ibunt populi multi* (inquit Esaias) *& dicent, Venite & ascendamus in montem Domini, ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus*, Esai. 2: 3. Ex quibus patet peccare eos qui vel consilio, vel auxilio, vel receptione, participant cum peccantibus, animantque eos ad peccandum.

Tres modi participationis cum fure.

III. *Consilio* participat qui consilium dat: consilium autem dare videtur qui persuadet & impellit atque instruit consilio ad furtum faciendum, ut rectè monet *Ulpianus*. Leg. 50. *in furti*. §. 2. ff. de furtis. *Auxilium* sive opem fert qui ministerium atque adjutorium ad subripiendas res præbet. Leg. 50. §. 3. ff. eodem. Adjutorium autem fert. 1. Judex facinorosis fenestram aperiens ad peccandum, per impunitatem & crudelem indulgentiam: quomodo peccant non solum ii qui acceptis muneribus injustè pronunciant, Esai. 1: 23. sed etiam qui vel per negligentiam, vel quocunque iniquo prætextu, cessant ab administratione justitiæ, Habac. 1: 4. Psal. 82. Deinde quicunque in furto faciendo vel ad furtum faciendum opem tulerit vel per se, vel per alium, quem summittit, vel per instrumentum quod hoc fine commodat, vel per quamcunque fraudem: unde participat cum fure opem ferendo, qui fugam persuaserit alieno servo, hoc fine scilicet ut ab alio subripiatur. Leg. 36. *Qui servo*. ff.

ff. *de furtis*. Item, si quis de manu alicujus nummos aureos vel argenteos, vel etiam rem excusserit ut alius tollat; isque auferat. Leg. 52. *Si quis uxori*. §. 13. ff. *de furtis*. Item, *qui tibi obstiterit, ut alius rem tuam exciperet: aut oves tuas, vel boves fugaverit, ut alius eas acciperet. Et hoc veteres scripserunt de eo, qui panno rubro fugavit armentum, nempe data opera, ut furtum admitteretur. Ope & consilio ejus quoque furtum admitti videtur, qui scalas forte fenestris supponit, aut ipsas fenestras vel ostium effringit, ut alius furtum faceret: quive ferramenta ad effringendum, aut scalas, ut fenestris supponerentur, commodaverit, sciens cujus rei gratia commodaverit*, §. 12. *Interdum* instit. *De obligationibus quæ ex delicto nascuntur*. Quamvis autem ibidem dicat *Justinianus*, furti non teneri (nempe in foro civili) eum qui tantum consilium dedit, atque hortatus est ad furtum faciendum; Theologicè tamen, in foro conscientiæ participat cum fure, & reus est violati octavi præcepti, de non furando, etiam is qui furantem non corripit, aut furari statuenti non dissuadet furtum, si nempe innotescat ei ipsius propositum, & non desit dissuadendi vel corripiendi opportunitas: ut patet ex testimoniis sacrarum Scripturarum supra citatis; quanto magis reus est qui alium ad furandum hortatur? Cum eo (inquit *Ulpianus*) qui pannum rubrum ostendit, fugavitque pecus, ut in fures incideret, siquidem dolo malo fecit, furti actio est. Sed etsi furti non faciendi causa hoc fecit, non debet impunitus esse lusus tam perniciosus. Idcirco *Labeo* scribit, in factum dandam actionem. Hæc *Ulpianus* leg. 50. §. 4. ff. *De furtis*.

IV. Furtum non committit qui fugitivo iter monstravit, ait *Marcianus* J. C. Leg. 62. ff. *de furtis*.

V. Non tantum qui rapuit, ait *Ulpianus*, verum is quoque qui dolo malo recepit tenetur, quia receptores non minus delinquunt quam *adgressores*. Leg. 3. quo naufragium. §. 3. ff. *de incendio, ruina*, &c. Pessimum genus est receptatorum (inquit *Marcianus*) sine quibus nemo latere diu potest. Et præcipitur ut perinde puniantur atque latrones. In pari causa habendi sunt, quia cum apprehendere latrones possent, pecunia accepta, vel subreptorum parte, dimiserunt. Leg. *pessimum*. ff. *de receptatoribus*. Eos (ait Paulus J. C.) apud quos adfinis vel cognatus latro conservatus est, neque absolvendos, neque severe admodum puniendos. Non enim par est eorum delictum, & eorum qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt. Leg. *Eos* ff. Eodem.

VI. In jure Canonico is etiam *furti reus* per participationem censetur, *qui furti conscius, quærenti possessori non indicat*. Extra de furtis, cap. 4. *qui cum fure*. Quæ verba citantur ex Commentariis illis in Proverbia qui *Hieronymo* tribuuntur, sed putantur esse *Bedæ*. Extant verba in Comment. in cap. 29. prope finem capitis.

Caput XX.

Officium memoratis furtorum generibus oppositum, & Octavo Præcepto imperatum.

I. Ex commemoratis furtorum prohibitorum generibus, facile est colligere affirmativam præceptionem officii imperati; nempe, ut sint mores nostri alieni ab avaritia, Heb. 13: 5. ut Deo, non autem Mammonæ serviamus, Matth 6: 24. ut cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei conversemur in hoc mundo, 2 Corinth. 1: 12. ut fidem seu fidelitatem præstemus in omnibus, & ergo omnes, quam Dominus noster posuit in gravioribus legis, Matth. 23: 23. ut sive in paucis, sive in multis; sive in parvis, sive in magnis, sive in nostro, sive in alieno, simus ubique & semper fideles. Matth. 24: 45. & 25: 21. Luc. 16: 10, 11, 12. ut honesto labore ac diligentia acquirere & conservare studeamus, Prov. 27. & 31. Actor. 20: 35. 2 Thess. 3: 12. ut benigni simus & liberales, Prov. 22: 9. & 19: 17. Matth. 5: 42. Gal. 6: 9, 10. Rom. 12 & hospitales sine murmuratione. 1 Petr. 3: 9. Hebr. 13: 1, 2, 3. ut tenuiores contenti vivant præsentibus, Deoque fidant, Hebr. 13: 5, 6. ut divites etiam in solo Deo confidant, ipsumque honorent de divitiis suis, ut benefaciant, ut divites sint bonis operibus, prompti ad impertiendum, prompti ad communicaudum (seu facilis convictus) recondentes sibi ipsis fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant æternam vitam, ut faciant sibi amicos ex Mammona iniquitatis, ut quando defecerint, recipiant eos in æterna tabernacula: id est, divitias, quæ malis sunt irritamenta malorum & laquei, convertant in bonos usus æternum profuturos, Proverb. 3: 5, 9. 1 Timoth. 6: 17, 18, 19. Luc. 16: 9. Philip. 4: 17. ut in omnibus grati simus Deo, & convenientem etiam erga homines gratitudinem ostendamus. 1 Thess. 5: 18. Coloss. 3: 15. ut semper quod bonum est sectemur erga omnes; 1 Thess. 5: 15. Gal. 6: 10. & observemus alii alios ut provocemus ad charitatem & bona opera, Hebr. 10: 24. Denique ut restituamus si quid injuste à quoquam abstulimus, si nempe habeamus in bonis; nisi pars læsa liberaliter remittat, Exod. 21. & 22. Lev. 6: 4, 5. Luc. 19: 8. Prov. 3: 27. Si enim res aliena (inquit *Augustinus*) propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur, si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum: sed ut dixi, cum restitui potest. *Aug.* ep. 54. ad *Macedonium*: quod *Augustinus* dictum repetitur in jure Can. caus. 14. qu. 6. Can. *Si res*. Et in *Sexto*, de regulis juris, cap. 4. *Peccatum*. Pro eodem dicto est manifesta Dei lex, Levit. 6: 4, 5, 6. & Num. 5: 6, 7, 8. Vide plura de officio hic imperato, supra, cap. 2. hujus Tractatus.

Caput XXI.

Corollarium de rerum proprietate, & de rebus proprietate exemptis.

I. Porro ex hoc præcepto, quo furtum prohibetur, patet, distinctionem possessionum & dominiorum, seu proprietatem rerum, esse juris divini. Quamvis debeat unusquisque sic esse animo affectus, ut paratus sit, exigente Ecclesiæ aut fratrum egenorum statu, proprias suas res illis communicare, sive communes facere, ut fit inter amicos spontanea liberalitate, non ulla coactione: sicut factum legimus à priscis illis Christianis, Actor. 4: 32, 34, 35. quo pertinent præcepta illa particularia de communicatione & benignitate, in superioribus citata, Prov. 19: 17. Luc. 3: 11. & 1 Tim. 6: 18. Hebr. 13: 16. &c. Sed & ipsæ illæ præceptiones, de officio communicationis & bene-

beneficentiæ, doctrinam de proprietate & distinctis rerum dominiis constabiliunt.

II. Non tamen res omnis privati cujusdam domini propria est, sed (uti rectè observarunt Jureconsulti, qui *Justiniani* institutiones composuerunt) *Quædam naturali jure communia sunt*
1. *omnium*, ut aër, aqua profluens, & mare, ac littora maris, &c. Est autem littus maris quatenus hybernus fluctus maximus excurrit. *Quæ-*
2. *dam sunt publica*, ut flumina & portus, riparumque usus in appellendis ad eas navibus, & funibus ad arbores in ripa natas religandis, aut onere in ripa reponendo, &c. *Quædam universi-*
3. *tatis*, ut quæ in civitatibus sunt, theatra, stadia, forum, &c. *Quædam nullius sunt, ut res*
4. *sacræ, & religiosæ, & sanctæ: quod enim divini juris est, id nullius in bonis est. Sacræ* res appellantur quæ ritè per Pontifices Deo consecratæ sunt, veluti ædes sacræ, & donaria quæ ritè ad ministerium Dei dedicata sunt. Si quis autem auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit, non est sacrum, sed profanum. Locus autem in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, sacer adhuc manet, ut & *Papinianus* scripsit. *Religiosum* locum appellant quem unusquisque etiam sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. In communem autem locum purum invito socio inferre non licet. In commune verò sepulchrum, etiam invitis cæteris, licet inferre: in alienum locum consentiente domino licet inferre: & licet postea ratum non habuerit quam illatus est mortuus, tamen locus religiosus fit. *Sanctæ* quoque res, veluti muri & portæ civitatis, quodammodo divini juris sunt, & ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus (inquit) quia pœna capitis constituta est in eos qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes quibus pœnas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, Sanctiones vocamus. *Pleraque autem singulorum sunt*, quæ ex variis causis cuique adquiruntur. Instit. *De rerum divisione & adquirendo ipsarum dominio.* *Sanctiones.* 5.

III. Superest, ut ad illas furti species redeamus, de quibus seorsum & pluribus nos dicturos promisimus: quæ sunt *Simonia*, *Sacrilegium*, & *Usura*; Hæ reliquas tres hujus libri partes, (Domino donante) implebunt. Interea huic primæ parti terminum figimus.

SECUNDA PARS LIBRI OCTAVI

THEOLOGIÆ MORALIS,

Sive Tractatus de Simonia. Ubi etiam de jure Patronatus.

SECUNDÆ PARTIS

CAPUT PRIMUM.

De significatione Simoniæ in hoc Tractatu: discrimen Sacrilegii & Simoniæ: & de tractationis ordine.

I. BIFARIAM se exerit Simoniaca pravitas, nempe vel mercenario ingressu, Act. 8:19, 20. Joan. 10:1. vel cauponaria administratione, à qua se procul esse testatur Apostolus, 2. Cor. 2. 17. Caupones isti Simoniacis accensentur, caus. 1. qu. 1. Can. *Quicunque*. Quamvis autem Simonia à cauponatione distingui videatur, ut illud ementis sit vitium, à *Simone Mago* denominatum, hoc vendentis; quia tamen *Magus* ille eo animo emere voluisse videtur, ut postea cauponaretur, sive (verbis nunc utar *Gregorii*) *ut deterius venderet quod malè comparasset*, & quia accipiens pecuniam à Simoniaco datore consentire videtur Simoniacæ dationi; propterea veteres Simoniam appellabant, tum ementis, tum vendentis delictum: & Simoniacam hæresin esse dicebant, si quis sacros ordines, aut sacra officia, eisve cohærentia beneficia emeret aut venderet. Caus. 1. quæst. 1. Can. *Quicunque*. Et aliis pluribus canonibus.

II. Sic etiam P. *Lombardus*, lib. 4. sent. dist. 25. D. *Licet* (inquit) *Simoniaci propriè dicantur, qui, instar Simonis Magi, impretiabilem gratiam pretio conducere volunt; & qui pro ministerio sacro pretium recipiunt in modum Giezi, Gezitæ vocandi sunt; omnes tamen & dantes & accipientes, Simoniaci dicuntur, & utrique eadem sententia percelluntur.* Hæc ille.

III. Unde non immerito utrumque hominum genus criminis hujus reos peragit *Theodorus Beza*, in *Notis* in cap. 8. Act. vers. 20. *Simonis* (inquit) *non Petri, sed Magi successores sunt, qui res sacras aut emunt aut vendunt.* Idcirco non solum *Simonis Magi*, qui emere voluit, sed etiam *Gehasi*, & *Judæ Iscariotæ*, qui venditores erant, successores veteribus dicuntur, qui hoc se crimine commaculant; ut in progressu patebit. Hoc igitur significatu nunc accipimus *Simoniam*.

IV. Res autem sacra, aliter accipitur in objecto *Simoniæ*, aliter verò in objecto *Sacrilegii*. Nam in objecto *Sacrilegii* res sacræ sunt fundi, ædificia, reditus, donaria, ornamenta, vasa Ecclesiarum, aut Scholarum, aut Xenodochiorum, aliarumve domorum venerabilium; quæ per Sacrilegium à sacro usu cui dicata sunt auferuntur. In objecto autem Simoniæ per rem sacram sive (ut Canonistæ loquuntur) spiritualem, intelligitur officium aut beneficium Ecclesiasticum aut sacrum, ut nulla pars temporalium bonorum abalienatur ab Ecclesia aut domo venerabili, sed indigno aut etiam digno res illa sacra Simoniacè confertur, vel *Simoniacè* ambitur aut acquiritur, vel etiam Simoniacè negatur aut eripitur. *Discrimen objectivum Sacrilegii & Simoniæ.*

V. Dicemus autem, Deo donante, de *Simonia*, hoc ordine. 1. Quid sit *Simonia*, & de jure patronatus. 2. Varias Simoniæ divisiones & species indicabimus. 3. Differemus de atrocitate hujus criminis. 4. De inutilitate commercii *Simoniaci*. 5. Quam sit necessaria *Simoniaco* verè pœnitenti resignatio. 6. Censuram proponemus

 san-

sancitam in *Simoniacos*, cujuscunque ii dignitatis, etiamsi papalis, existant. 6. Proferemus exempla quædam *Simoniæ* in sede *Romana*. 8. De dispensatione cum *Simoniacis* brevis dissertatio Tractatum hunc claudet.

CAPUT II.

Quid sit Simonia. Proponitur & explicatur definitio Simoniæ.

I. SIMONIA definitur à *Bonaventura*, *studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale*, in 4. sent. dist. 25. art. 1. quæst. 3. §. *Quæritur*. Similiter *Thomas*, 2a. 2æ. quæst. 100. art. 1. Ubi objectum *Simoniæ* in definitione vocat aliquid *spirituale vel spirituali annexum*: eodem tamen sensu cum *Bonaventura*. Eandem definitionem dedit utriusque magister *Alexander Alensis*, part. 2. quæst. 169. memb. 2. quam postea repetit *Thomas* loco citato.

II. Verum cum reperiatur *Simonia* etiam in externo conatu, & in effectu, angustè nimis definiri videtur per voluntatem. Nos igitur ut una definitione omnes definiti species comprehendamus, *Simoniam* sic definimus; *Simonia est mercatura rerum spiritualium, id est, officii vel beneficii sacri, & spiritualis.*

III. Vocem mercaturæ sive negotiationis accipimus hic deteriore sensu (utpote cadentem super indebitam materiam, ut rectè monet *Thomas*, 2a. 2æ. quæst. 100. art. 1. in corpore articuli) quo sensu accipitur, *Joan.* 2. 16.

IV. Tunc autem exercetur rei sacræ *Simoniaca* mercatura, quando pro re sacra seu spirituali indebita datur, vel pro re sacra sive debita sive indebita accipitur per modum pretii res temporalis, vel etiam spiritualis, indebita. At quid si res debita detur? Detur sane eo nomine quo debetur, nempe ut honorarium, nam qui bene præsunt Presbyteri, censeantur duplo honore digni, 1 Tim. 5: 17. Dignus est operarius alimento suo, Matth. 10: 10. Debet qui instituitur in verbo communicare omnia sua bona instituenti, Galat. 6: 6. Videantur plura in hanc sententiam, 1 Cor. 9. & alibi. At non reddatur debitum intentione Simoniaca, id est, ut solutione debiti, tanquam munere, allicias aliquem ad dandum rem sacram indebitam. Accipiatur etiam eo nomine quo debetur, non autem ut propter eam solutionem conferas rem spiritualem indebitam: aut etiam affectu mercenario conferas rem debitam.

V. Quid verò si res spiritualis sit debita, aut saltem dignus sit qui eam petit, potestne hoc casu, dare rem temporalem etiam indebitam pro re spirituali? Respondeo: Recurrendum hic ad illam regulam, *furtum sine affectu furandi non committitur*. Extra, de *Simonia*, cap. 20. *Extuæ*. in glossa. Si quis ordinanti, aut baptizanti, aut Eucharistiam ministranti, aut rem quamlibet spiritualem exhibenti pecuniam porrigat, ut pretium rei spiritualis, ita donum Dei inæstimabile sub pretio ponens, facit contumeliam Spiritui Sancto, ut monet *Bonaventura*, in 4. sent. dist. 25. art. 1. quæst. 4. in resolutione. Et in tali casu docet *Thomas* carendum potius sacramento baptismi & absque eo de hac vita decendum, quam ut det aliquis pro eo pretium. Nullo modo enim fas esse peccare. Suppletum autem iri ait adulto (quidni etiam infanti?) ex baptismo Flaminis, quod ei ex sacramento defuit. 2a. 2æ. quæst. 100. art. 2. ad 1m.

Regula.

Vide Instruct. Historico.

Idem docet *Scotus*, in 4. sent. dist. 5. quæst. 2. ad 3m. Ubi hanc reddit rationem; quia non obligatur aliquis ad recipiendum sacramentum, quando non potest recipere sine peccato mortali: nec sunt facienda mala ut veniant bona.

Theolog. lib. 10. capp. 6 & 7. &c.
Rom 3: 8.

VI. Rectè tamen docet *Thomas*, accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, non esse *Simoniam*, neque peccatum. *Non enim sumi tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis.* Modò desit intentio *emptionis aut venditionis*: & ab invitis non exigatur *per subtractionem spiritualium*, quæ ex obligatione officii sunt exhibenda. *Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licitè posse statutas & consuetas oblationes & quoscunque alios proventus exigi à volentibus & valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente.*

2a. 2æ. quæst 100. art. 2. &c.

VII. In eandem sententiam Scotus; *Si autem* (inquit) *sacerdos nitatur vendere actum baptizationis, potest ille qui offert parvulum, emere, non intendens actum illum emere; in quantum est sacramentale, sed laborem sacerdotis in illo actu: sicut conducuntur hodie sacerdotes ad celebrandum missas, non ut ipsi vendant, & alii emant actum celebrationis, in quantum est sacramentale: quod absit: sed ipsi vendunt laborem, & alii emunt eum: quia oportet unumquemque de suo labore taliter qualiter vivere, & victum acquirere.* Hæc Scotus.

In 4. sent. dist. 5. quæst. 2. ad 3.

VIII. Non tamen sacerdoti obliviscendum quod superius monuit *Thomas*, non esse propter temporalem mercedem subtrahenda spiritualia, quæ ex officii obligatione exhibere tenetur. Quamvis si prorsus non recipiatur, fas ei sit aliò commigrare, ex ipsius Domini præcepto. Honestius igitur est, ut clericis, stati reditus constituantur. Audi *Thomam*: *Ille cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad usum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispensatione: & etiam pro sua sustentatione statuta stipendia habet ex reditibus Ecclesiæ. Et ideo si aliquid acciperet pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito suscepti officii deberet impendere, sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ usum. Et propter hoc non licet pro quacunque dispensatione aliquid accipere. Nec etiam pro hoc quod vices suas committant, nec etiam pro hoc quod subditos suos corrigant, vel à corrigendo desistant. Licet tamen eis accipere procurationes, quando subditos visitant: non quasi pretium correctionis, sed quasi debitum stipendium.* Hæc *Thomas*.

Matth. 10: 14.
2a. 2æ. qu. 100. art. 3. ad 3m.

IX. Nec contemnenda videtur distinctio illa apud Canonistas, inter juris acquisitionem, & juris antea acquisiti retentionem aut redemptionem, *Indignum est* (inquit *Lucius* 3. PP.) & *Ecclesiasticæ rationi contrarium, ut absolutionis beneficium redimatur.* Extra, de *Simonia*, cap. 24. *Ad aures.* Distinguit autem Autor glossæ, in cap. 28. *Dilectus filius.* R. Extra eodem. inter excommunicationem injustam, & justam. Ab illa ait redimere se posse aliquem sine commissione *Simoniæ*: ab ista autem non posse. Idipsum quoque dicit de beneficio vel officio injustè interdicto. *Non committit* (inquit) *Simoniam qui dat pro sua restitutione officii vel beneficii, vel absolutione excommunicationis vel interdicti* (nempe injusti, ut jam ex ipso monuimus) *sed ille qui recipit* (pretium) *Simoniam committit. Qui dat, nullum jus acquirit; sed dat, ut jus acquisitum retineat, vel redimat: quod licitum est*, Arg. caus. 1. quæst. 3. *Quæsitum est. Et extra, de usuris,*

furis, *cap.* 1. *Si verò justè sit suspensus vel excommunicatus, si pretium dat ut restituatur vel absolvatur, Simonia ex utraque parte committitur.* Extra, de *Simonia. Nemo.* Et 1. quæst. 3. *Nullus Episcopus*, &c. Hæc autor glossæ.

X. At quid si aliquis idoneus injustè repellatur ab obtinendo beneficio vel officio? Respondetur ex ista glossa; Non licet jus aliquod in spiritualibus pretio acquirere. Idem docet *Thomas*, 2ª. 2æ. quæst. 100. art. 2. ad 5m.

XI. Neque infirmatum imus illos Canones, caus. 1. quæst. 2. *placuit.* &, *quam pio.* & *sicut Episcopus.* Quibus etiamsi prohibeatur omnis inhonesta pactio, tamen post adeptionem beneficii, si quis, *ex suo voto*, aut, *quasi subsidii gratia*, &, *gratiæ tantummodo causa*, aliquid sponrancè, neque exactum, neque petitum offerat, hoc accipi permittitur. Locus autem hic lubricus est, ideo

2 Cor. 2:7. *tanquam inspectante Deo*, cautè hic & candidè incedendum est. Illud etiam à ratione haud alienum videtur, quod in secundo Concilio *Bracarensi*, can. 5. constitutum. anno Dom. 572. Et repetit *Gratianus* Canone illo, *Placuit. Attamen* (inquiunt) *unusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius dedicet Ecclesiam, nisi antea dotem Basilicæ & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatam, accipiat. Nam non levis culpa est ista temeritas, ut sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata consecretur Ecclesia.* Hæc ibi.

XII. Dixi *Simoniam* committi etiam in datione vel acceptione rei spiritualis pro spirituali: e. g. si quis Episcopatum ambiens, electoris alicujus suffragium emat promissione sacri beneficii vel officii. Ad *Simoniacam* verò emptionem referenda est quæcunque fraus & dolus in acquirendo beneficio vel officio sacro: & ad venditionem omnis cauponatio, & fraudulenta & carnalis collatio vel administratio, ut infra clarius elucebit.

XIII. In definitione conjunxi hæc duo epitheta, *sacrum & spirituale*, quæ etiamsi promiscuè accipiantur, hic tamen docendi causa ita distinguo, ut beneficium etiam ex rebus temporalibus constitutum, tum demum fit objectum *Simoniæ*, si non modo *sacrum* fit, id est, sacro usui dicatum ac debitum, sed etiam *spirituale*, id est, cohæreat cum officio sacro, & in ordine ad ipsum ematur aut vendatur. Secus ac se habet in *Sacrilegio*, ubi beneficium ab officio divellitur.

XIV. *In objecto Simoniæ*, *officium sacrum* denotat quamlibet præfecturam, potestatem, administrationem vel functionem sacram non solum in Ecclesiis, verum etiam in scholis, cænobiis, Ptochotrophiis, Xenodochiis, Nosocomiis, & aliis ejusmodi venerabilibus domibus.

XV. *Beneficium* verò *sacrum* duplex est: vel enim in rebus consistit temporalibus; qualia sunt quæ vocantur beneficia Episcopatuum, abbatiarum, præbendarum, &c. & omnino omne illud temporale quod percipit aliquis, quodque illi debetur, intuitu officii sacri: vel beneficium in rebus positum est spiritualibus; quale beneficium est absolutio quæ datur pœnitenti, item instructio in verbo, & sacramentorum collatio, &c. Nam & in istis mercaturam exercere *Simoniacum* est.

XVI. *Petrus* Apostolus *Simoniam* esse docet, si quis donum Dei putet pecunia comparandum, Act. 8: 20. id est, quod peculiari Dei donatione datur, quod propterea in hominum commercio esse non vult Deus, quodque commercio eximit ipsa rei natura & publica honestas: hoc si quis pecunia se emere posse aut vendere existimet, incidit in hæresin *Simoniacam*. *Gratis accepistis, gratis date*, ait Dominus discipulis, Matth. 10: 8. quos tamen non arcet ab accipiendo alimento ab eis quibus prædicant Evangelium, vers. 16. *Constituit* enim ipse Dominus, *ut qui Evangelium prædicant, ex Evangelio vivant*, 1 Cor. 9: 14. Interea quamvis ex Evangelio vivant, & eorum carnalia jure suo metant quibus seminaverunt spiritualia [1. Cor. 9: 11.] dant tamen *gratis*, quia non *cauponantur* verbum Dei, 2. Cor. 2: 17. & ex inæstimabili thesauro quod in vasis testaceis circumferunt, [2. Cor. 4: 7.] quem multos ditant, [2. Cor. 6: 10.] non quærunt quæstum pecuniæ, sed homines Deo lucrari student. (1. Cor. 9: 19. 2. Cor. 12: 14.) Neque αἰσχροκερδῶς turpis lucri amore, sed προθύμως ex prompto ac liberali animo, amore Christi, & cæsto timore Dei, pascunt Domini gregem, exspectantes immarcescibilem illum gloriæ coronam, fideliter gregem pascentibus promissam (1. Pet. 5: 2, 3, 5. Joan. 20: 16, &c. 2. Cor. 5: 11, 14.) Gratis date.

XVII. *Unde ergo vivitur* (inquit *Augustinus*) *necessitatis est accipere, charitatis est præbere: non tanquam venale sit Evangelium, ut istud sit pretium ejus, quod sumunt qui annuntiant, unde vivant: si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis qui sibi in charitate Evangelii serviunt: non exspectent mercedem, nisi unde & isti salutem. Aug. lib. de pastoribus*, cap. 2.

XVIII. Officia sacra, in donis Dei non vendibilibus censenda esse, clarum est ex verbis Apostoli, ad Rom. 12: 6, 7, 8. & 1. Cor. 12: 28. & seqq. & ad Ephes. 4: 8, 11, &c. Ubi pastoris, doctoris, gubernatoris, miseratoris, interpretis, & id genus officia, ponuntur in sacris illis Dei *donis* quæ Christus conscenso cælo dedit hominibus per Spiritum Sanctum: & ex multis aliis Scripturæ locis, in quibus vocatio & missio divina exspectanda proponitur anhelantibus ad functionem aliquam sacram, & væ denunciatur currentibus sine legatione Divina, & sibi honorem hunc assumentibus absque divina vocatione, Jerem. 14. & 23. Hebr. 5. 4.

XIX. Ad donum etiam Dei non vendibile haud immeritò referuntur beneficia, etiam temporalia, non quidem antecedenter, sed per consequentiam, quatenus scilicet cohærent sacris officiis, quibus adjudicata sunt. Ideo exertè sacra Dei dona vocantur, peculiari Dei donatione data sacerdotibus, aliisque Levitis, Levit. 21: 22. Num. 18. Ubi Deus se professus Aaronis portionem & patrimonium in medio filiorum *Israel*, ait se dedisse eis oblationes, & primitias, & decimas, intuitu sacri ministerii ipsis demandati. Sicut igitur beneficia ejusmodi sacra avellere à sacro usu *Sacrilegium* est, ita ea, intuitu assequendi officii, mercari, ut hac via nactus officium, annexo beneficio securè potiaris, *Simonia* est. Et hujusmodi mercium negotiatores sunt Θεέμποροι aut Θεοκάπηλοι, id est, Deum ipsum (quantum in eis est) nundinantur.

XX. Ad objectum *Simoniæ* pertinent etiam interna charismata. Quale fuit illud quod mercari volebat *Simon Magus*: qualia etiam sunt illa, quæ enumerat *Paulus* Apostolus, varia Spiritus Sancti dona, sive ordinaria sive extraordinaria, passim in suis epistolis. *Huic qui-*

dum per spiritum datur sermo sapientiæ, alii vero sermo cognitionis per eundem Spiritum, alii verò fides per eundem Spiritum, alii vero dona sanitatum per eundem Spiritum, alii vero operationes virtutum, alii vero prophetia, alii verò discretiones Spirituum, alii vero genera linguarum, alii verò interpretatio linguarum: hæc autem omnia operatur unus ille atque idem Spiritus, distribuens privatim singulis prout vult. 1. Cor. 12: 8. &c.

XXI. Hoc sensu non male *Urbanus* Tertius Papa *Romanus* dixit, *Simoniam esse circa spiritualia vel annexa spiritualibus.* Extra, de rerum permutatione, cap. 5. *Quæsitum est.* Et solent Canonistæ *Simoniam* definire, emptionem vel venditionem, in qua datur vel accipitur res temporalis pro spirituali, *caus.* 1. quæst. 1. & , Extra, de *Simonia.* Ubi etiam beneficia & possessiones Ecclesiasticæ rerumque administrandarum officia rebus spiritualibus accensentur.

XXII. Loquutionis istius, qua temporalia etiam Ecclesiæ bona, eorumque administrandorum officia, appellantur sacra & spiritualia, ratio peti potest ex ipsis sacris literis. Spirituale non hic sumitur prout opponitur carnali, (Rom. 7. Galat. 5. 1. Cor. 3.) aut animali (1. Cor. 2. & 15.) quando scilicet his oppositionibus distinguuntur diversi hominum status Sed spirituale hic denotat rem quamlibet spiritualem, non quidem substantialiter, quomodo Angelus & anima humana res sunt spirituales, sed alia quadam ratione, qua res spiritualis opponitur temporali vel seculari, vel interdum etiam naturali, & res sacra sacrove usui cohærens opponitur rei non sacræ aut à sacro usu remotæ.

Spiritualia principaliter. XXIII. Res autem triplici ratione dicuntur spirituales in hoc argumento. 1. Quædam sunt spirituales *principaliter*, & natura; ut accidentia illa spiritualia quæ à Spiritu Dei infusa & collata sunt hominibus. Tales res spirituales sunt fides, spes, charitas, & reliqua illa superius nobis enumerata charismata: item interna vocatio & autoritas functionis spiritualis, qualis est functio Apostolica, vel pastoralis, &c. Et dona perficiendo muneri idonea. Posteriorum duarum classium res appellantur spirituales *minus principaliter*, & quasi analogicè, quatenus scilicet ad res primæ classis quodammodo per modum instrumenti aut ministerii referuntur.

XXIV. Dicuntur autem in secundo ordine res spirituales, *instrumentaliter*, ex institutione

2. Spiritualia instrumentaliter. Divina: quomodo spiritualia sunt verbum & sacramenta & externa Ecclesiæ politia, & externa potestas Ecclesiastica prædicandi Evangelium, administrandi sacramenta, &c. Item actualis prædicatio & administratio. Hoc sensu lex spiritualis dicitur, Rom. 7: 14. quia docet, approbat, exigit charitatem aliasque virtutes spirituales, earumque operationes. Et hoc sensu spiritualibus accensentur officia illa sacra Pastorum & aliorum, ad Rom. 12. & 1. Cor. 12. Ephes. 4. &c.

3. Spiritualia ministerialiter. XXV. Tertio spiritualia appellantur *ministerialiter*, non peculiari in sacris organico ministerio, sicut res illæ quas instrumentaliter spirituales vocabamus, sed communi quodam ministerio connexa & subservientia spiritualibus secundi ordinis. Sic res temporales evadunt spirituales, quando vel ab ipso Deo vel ab hominibus legitimè separantur & consecrantur usibus sacris, ut ministerium illud suum commune, quod etiam multis aliis usibus per se aptum est, præstent jam usibus sacris, per connexionem cum rebus spiritualibus secundi ordinis, ex qua connexione jam res istæ spirituales dicuntur, & apud *Mosen* passim *sanctæ*: quemadmodum res secundi ordinis, ex connexione cum rebus primi ordinis, appellationem spiritualium sortiuntur. In hoc autem tertio ordine rerum sacrarum & spiritualium sunt templa Deo consecrata, eorumque vasa, ipsique homines ministri, vel auritui, vel administratores rerum sacrarum; item oblationes, primitiæ, decimæ, beneficia ac reditus sacri, eleemosynæ, res votivæ, &c. Res hujus ordinis ita sunt per connexionem spirituales, ut in ratione formali naturæ suæ permaneant temporales.

XXVI. Utamur hac similitudine. 1. Ipsa ars & operatio fabrilis res est fabrilis principaliter & ratione formali intrinseca. 2. Incus, malleus, & reliquus instrumentorum apparatus, fabrilis est instrumentaliter. 3. Domus, fundus, alimenta fabri, fabrilia sunt ministerialiter, inserviunt enim sustentando fabro & comparandis ad artis exercitationem necessariis: quod tamen commune est ministerium, si res ipsas intueamur, quæ æque in se aptæ sunt ad alendum nautam, aut textorem: quia tamen hoc aptitudine commune ministerium, determinatione quadam, quamvis libera, appropriatum est fabro, ideo res istæ fabriles dicuntur. *Petrus* homo piscator idemque Apostolus, respectu Apostolici muneris homo jam est spiritualis, piscator tamen ut adhuc homo temporalis, & magistratui seculari seu politico subjectus manet, ut civis sive homo temporalis. De exterioribus suis Ecclesia tributum reddit Imperatoribus. 23. quod qu. 8. *Tributum.* Ubi glossa; est ergo arg. *Episcopi subsunt Regi quia tributum est signum subjectionis.* Reditus Ecclesiæ & oblationes & Eleemosynæ manent quidem in natura sua res temporales, & usum propinquè præstant temporalem, nempe victum & amictum, &c. Hic tamen usus cum ipsis rebus ad finem dirigitur spiritualem, ut nempe vegetiores & paratiores atque expeditiores accedant homines spirituales ad exequenda munia spiritualia; vel etiam ut liberalitate & providentia Ecclesiastica circa egentes provocentur, tum ipsi qui eleemosynis & subsidiis adjuvantur, tum alii etiam spectatores, ad laudandum Deum, & amplectendam fidem Christianam.

XXVII. Unde non solum ipsa τὰ ἱερατικὰ in hoc genere, sed etiam eorum curandorum & administrandorum provincia in spiritualibus censetur & functionibus Ecclesiasticis jure merito adnumeratur: qualis est administratio diaconorum, quorum institutionem describit *Lucas*, Act. 6. *Jus Patronatus.*

XXVIII. Talibus officiis accensetur in jure canonico *jus patronatus*, extra, de judiciis, cap. *Quanto.* Et extra, de jure patronatus. Distinguunt autem Canonistæ inter jus patronatus competens alicui *ratione Ecclesiæ*, (ut cum Episcopus aliquis aut prælatus habet Ecclesiæ alicujus patronatum annexum suæ prælaturæ,) & jus patronatus competens alicui *ratione patrimonii*, quia dotavit Ecclesiam. Hanc distinctionem invenies, in glossa, extra, de jure patronatus, cap. 28. *Cum dilectus.* Jus quod habetur ratione Ecclesiæ non est vendibile. Quod autem habetur ratione patrimonii, ad hæredes cum fundo transit, & vendi etiam cum fundis potest, & etiam obligari, ex jure canonico, extra, de jure patronatus, cap. 7. *Ex literis*, & cap. 13. *Cum seculum.* & cap. 16. *De jure.* Præsentatio tamen etiam à laïco patrono, cum sit via & adjumentum ad beneficium spirituale, & ad officium ipsum, neque emi neque vendi potest absque

Si-

Simonia. Rectè *Paschalis* & *Urbanus*; *quisquis* (inquiunt) *horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Cauf. 1. quæst. 3. can. *Si quis objecerit.* & can. *Salvator.* Et autor glossæ in can. *Si quis objecerit*, observat, *idem juris esse in uno connexorum, quod in reliquo.* Idque ex utroque jure confirmat. Vide ibidem, can. *Ex multis.* Propterea hanc patroni opem & operam adjuticem non immerito in merce *Simoniæ* ponemus, infra, cap. 6. De ipso autem jure patronatus plura dicemus, cap. 3.

XXIX. Simonia directè respicit res spirituales primi & secundi ordinis, res autem tertii ordinis pro objecto habet per connexionem cum rebus secundi ordinis, e. g. qui internum aliquod charisma vel externum officium spirituale comparare studet per pecuniam, is directè *Simoniacus* est: qui verò beneficium spirituale tertii ordinis (aut præsentationem ad hujusmodi beneficium) emit, intuitu officii, hoc est, animo assequendi tituli, & sacri ordinis aut officii, cui titulus annexus est, is per beneficii officio connexi emptionem *Simoniacus* est indirectè, per officii verò ipsius emptionem *Simoniacus* est directè. Sin autem beneficium sibi acquirat vel acquirere conetur sine intuitu officii, puta, si quis Episcopale beneficium, vel præbendam comparaverit aut occupaverit, nil cogitans de suscipiendo aut exequendo officio sacro cui connexum est illud beneficium; iste propter separationem beneficii ab officio, *Sacrilegus* dicendus est potius, quam *Simoniacus.*

CAPUT III.

De jure patronatus. Et primo de ejus origine, fundamento, & quomodo acquiratur. Deinde quid juris in Ecclesiis habeant Patroni. Denique explicantur tres partes juris patronatus, nimirum, præsentatio, defensio, utilitas.

I. ACCENSUIMUS superiore capite jus patronatus officiis invendibilibus: sed adhibita distinctione; quamvis præsentatio ad sacrum beneficium sit commercio penitus exempta. Locus hic esse videtur enucleatius differendi de jure patronatus, nisi me accelerandi hujus opusculi impediret intentio. Pauca tamen cursim suggerere non pigebit. Hoc servato ordine, 1. De origine, & fundamento & acquisitione patronatus. 2. de jure ipso seu potestate patroni. *Cap. 2. §. 28.*

II. *Scias* (inquit *Panormitanus*, in rubricam, de jure patronatus, lib. 9. decretalium) *quod patronus multipliciter sumitur in jure. Nam dicitur patronus advocatus respectu causæ quam promovendam assumit patrocinio suo, ut in lege*, Rem non novam, §. patroni. c. de judiciis. 15. qu. 2. c. 1. *Item dicitur patronus dominus respectu sui liberti, ut patet in toto titulo.* ff. de jure patronatus. *Et de istis patronis seu patronalibus non tractatur hic. Tertiò dicitur patronus qui construxit, vel dotavit, seu fundavit Ecclesiam. Et dicitur patronus, quia sicut pater ducit filium de non esse ad esse, ita & patronus Ecclesiam deducit ad esse. Et de isto patronatu tractatur hic.* Hæc ille. Dicitur etiam patronus à defensione quam debet Ecclesiæ, unde & advocatus dicitur, cauf. 17. qu. 2. *Consaldus.* Et extra de jure patron. cap. 24. *Cum autem advocatus.* Et patronatus dicitur advocatio Ecclesiæ. Extra de jure patronatus, cap. 6. *Quia clerici.* Ubi hoc ipsum agnoscit etiam *Panormitanus.*

III. Reges ac principes constituit Deus Ecclesiæ suæ nutritores ex officio ac defensores, uti prolixius docemus in tractatu de *Sacrilegio.* Omnibus etiam Christianis incumbit, pro cujusque statione, hoc pietatis officium, ut Dei Ecclesiam, quantum in ipsis est, foveant ac meantur. At verò ut cuiquam infra principem peculiaris aliqua in rebus Ecclesiæ potestas, qualem nunc patronis tribuimus, concedatur, id merè positivi est ac humani juris. Nam olim sub Veteri Testamento nihil hujusmodi ex voluntariis dedicationibus redundabat: In Ecclesia autem Apostolica, dedicatores, nihil hujus generis sperantes vel optantes, res suas votivas deponebant ad pedes Apostolorum, sicut in Actis legimus. Eorumque exemplo primævis aliquot seculis Christiani donaria sua tradebant absolutè in potestatem Episcoporum. Vide cauf. 10. quæst. 1. Refrigescente autem postmodum vera pietate, postulabat Ecclesiæ necessitas atque utilitas, ut hac in parte aliquid infirmitati hominum indulgeretur, quo magis accenderetur, aut saltem ne retardaretur, sed propensior in pios usus redderetur residua illa in hominum mentibus quantulacumque devotio. Ideo non immeritò ait autor glossæ, jus hoc esse *ad utilitatem & favorem inductum Ecclesiæ:* cauf. 16. quæst. 7. can. *Considerandum.* Et *Innocentius* tertius, *ad defensionum subsidium esse inventum*, ideoque *ad depressionis dispendium non esse retorquendum.* Extra de pœnis, cap. 12. *In quibusdam.* Et *Panormitanus*, *Patroni* (inquit) *consequuntur jus patronatus ex gratia, ex quadam permissione & tolerantia Ecclesiæ. Nam de jure communi ex sola fundatione non posset patronus acquirere jus patronatus. Cum illud sit annexum spiritualibus*, Extra cap. *quanto de judiciis.* Hæc *Panormitanus*, in cap. *quoniam.* Extra de jure patronatus. Idem ibidem ait, patronatus initiitur gratiæ; electio verò juri communi. Glossator, in cap. 3. *Quanto.* Extra, de judiciis, monet, jus patronatus, etiamsi non dicatur propriè spirituale, sed spirituali annexum, quia tamen ejus causa annexa est spiritualibus causis, spirituale censeri *propter connexitatem*: quæ enim religiosis adhærent religiosa esse, ff. de rei vindicatione. L. 43. *Quæ religiosis.* Et ex tali cohærentia sumere suam naturam. Haud injuria igitur *Alexander* tertius, eodem cap. *Quanto*, causam jurispatronatus censet Ecclesiastico judicio definiendam. Si quæras qui fiat, ut tale jus possideat laicus: respondet autor glossæ, ibidem, posse laicum tale jus possidere, cum non sit merè spirituale, sed ei annexum, quamvis alia jura spiritualia merè possidere non possit. Intellige, posse laicum jus hoc possidere non de jure communi, sed ex quadam permissione & tolerantia Ecclesiæ: sicuti modò monebamus ex *Panormitano.* Hanc autem possessionem cur laicis permittat & ratam habeat Ecclesia, superius indicavimus, & innuit glossa in cap. 25. *Nobis.* Extra, de jure *patronatus.* Nempe *ut per hoc laici invitentur ad constructionem Ecclesiarum: sicut per contrarium, à provisione Ecclesiarum revocarentur.* Et in cap. 28. *Cum dilectus.* Extra, de jure patronatus. *Ne, si præventur hoc jure, subtrahantur & ipsi & alii à fundatione Ecclesiarum.* Rectè autem monet *Alexander* tertius, non debere patronos abuti hac potestate in qua eos Ecclesia sustinet. Extra, de jure patron. cap. 3. *Quoniam.* Jus patronatus est quædam servitus ipsi Ecclesiæ, inquit *Panormitanus*, in hoc cap. *Quoniam.* *Esai. 49. 23.* *Act. 4. 35.*

IV. *Efficitur autem* (inquit glossa, in cauf. 16. quæst. 7. *piæ mentis.*) *quis patronus tribus de*

de causis; dotatione, constructione, & fundatione, unde versus:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Si quis autem post consecrationem dat aliquid Ecclesiæ, per hoc non fit patronus: sed qui ante consecrationem dat aliquid Ecclesiæ, fit patronus. Hoc ideo quia ille producit rem de non esse ad esse. Item alia ratione, quia si post consecrationem fieret aliquis patronus, jam videretur imponi servitus rei sacræ, quod esse non debet, ut ff. de servitutibus, L. 14. Servitutes. §. ult. *Et quod humani juris esse desiit, servitutem non recipit.* ff. Communia prædiorum, &c. L. 4. Caveri.

V. Non tamen propter quamlibet rem modicam datam ante consecrationem efficitur quis patronus, nisi tantum dederit quantum sufficit ad necessaria ministrorum & ad luminaria. ait glossa, in can. *Quicunque*. eodem.

VI. Ut per ædificationem Ecclesiæ efficiatur aliquis patronus, requiritur ut ædificetur cum consensu Episcopi, & ab Episcopo consecretur. De consecratione, dist. 1. *Nemo Ecclesiam.* Et extra, de jure patronatus. cap. 25. *Nobis fuit.* Episcopus autem non consentiet, de jure, nec consecrabit domum in basilicam, nisi ante dotem basilicæ & obsequium ipsius, id est, stipendia ministrantium aliaque necessaria per donationem chartulæ confirmata accipiat. Concil. Bracarens. 2. can. 5. & caus. 1. qu. 2. *Placuit.* &. De consecratione, dist. 1. *Nemo Ecclesiam.*

VII. Præterea quamvis ex fundatione Ecclesiæ acquiratur jus patronatus, non tamen acquiritur, ex refectione vel reparatione. Extra, de jure patronatus, cap. 3. *quoniam.* in glossa. Ea videlicet ratione, (ut ibidem annotatur) quia *quod humani juris esse desiit, servitutem non recipit.* ff. Communia prædiorum, &c. lege. 4. *Caveri.* quod se intelligere ait glossator in citatum *cap. quoniam.* cum omnino non est destructum monasterium vel Ecclesia. Sed si funditus destructum sit, & de consensu Episcopi aliquis vellet reædificare Ecclesiam, putat eum acquirere jus patronatus.

VIII. *Panormitanus* in rubricam, de jure patronatus, lib. 3. decretalium: *Jus* (inquit) *patronatus acquiritur alicui tribus modis: Aut quia construxit Ecclesiam, ut c. monasterium, 16. quæst. 7. aut quia eam dotavit, ut in dicto Can. filiis. aut quia eam fundavit, id est, assignavit fundum ubi deberet Ecclesia construi, ut in c. Nobis. Extra de jure patronatus. Et in c. Abbatem. 18. qu. 2. possunt ergo concurrere tres patroni in eadem Ecclesia; ut, quia unus dedit dotem, alius fecit illam construi, alius dedit fundum ubi construeretur. Dicit etiam quod in dote conferenda possunt plures concurrere, nam simul dant dotem, omnes sunt patroni, etiamsi unus minus conferat quam alius, ut voluit Innocentius, hic, & habes glossam*, 63. *dist. In summa. Et sic limita glossam in dicto c. quicunque. Quæ dicit, quod si quis modicum dedit pro dote, non efficitur patronus, quam glossam singulariter nota, sed eam intellige, quando unus solus dedit dotem; secus, si plures dederunt dotem sufficientem: Nam jura indistinctè dicunt, quod ex dotatione quis efficitur patronus: nec distinguunt si sit unus vel plures dotantes. Idem consimili ratione licere in pluribus construentibus vel fundantibus. Dixi postremo* (in definitione jurispatronatus) *vel is à quo causam habuit. Nam satis est quod patronatus à principio acquisitus aliquo ex modis prææallegatis. Nam transmittitur ad hæredes, vel alio modo, in progressu tituli. Et ad prædicta, vide glossam notabilem*, 16. quæst. 7. in can. *piæ mentis.* Hæc *Panormitanus.* Docens postremo loco, non desinere patronatum in morte fundatoris, sed ad hæredes & assignatos idem jus transferri.

IX. *Transfertur autem jus patronatus* (inquit glossa illa in c. *piæ mentis.* 16. qu. 7.) *quatuor modis in alium; Primo successione, ut in eodem.* Considerandum. *Secundo donatione, ut extra de jure patronatus;* Ex insinuatione. & c. Consultationibus. *Tertio permutatione, ut in eodem;* Nemini. *Transit etiam quarto cum Universitate, ut extra, eodem,* Cum seculum. Adjicitur ad ejusdem glossæ marginem distichon, quod & invenitur in alia glossa ad allegatum caput, *Seculum.*

Jura patronatus transire facit novus hæres,
Res permutata, donatio, venditioque.

Vendi enim per se tantum non potest jus patronatus, sed cum universitate rerum temporalium vendi potest, in *glossa*, ad cap. 16. *De jure.* Extra de jure patronatus. Nec donari alicui potest, sine consensu Episcopi, c. *quod autem:* eodem, & in glossa, in cap. *Illud.* eodem, & in c. *Nullus*, eodem.

CAPUT III. PARS II.

Quid juris in Ecclesiis habeant patroni.

Quo clarius pateat quid juris habeant; quasdam prius adferam instantias eorum quæ patronis non sunt licita.

I. Res sacro usui dicatas non possunt retinere vel auferre. Vide exemplum Ananiæ & Saphiræ, Actor. 5. Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores, excommunicentur. Concil. 4. Carthag. can. 95. Hanc instantiam prolixè confirmo in tractatu, de *Sacrilegio.* Concil. Carthag. 4. A. D. 398.

II. Non habent jus utendi rebus Deo dicatis tanquam propriis, neque in eis ullum jam obtinent jus proprietatis, neque possunt sibi quicquam vendicare, aut Ecclesias domosve venerabiles ab ipsis eorumve prædecessoribus fundatas gravare, aut ullam quasi proprii juris potestatem proferre. Caus. 16. quæst. 7. *Piæ mentis.* & can. *Frigentius.* & can. *Ecclesias.* & can. *Quicunque.* & can. *Filiis.* Huc pertinet regula illa, quam etiam Imperatoria majestas & jura civilia venerantur; *Nullius sunt res sacræ, & religiosæ, & sanctæ. Quod enim Divini juris est, id nullius in bonis est.* Instit. de rerum divisione, §. 8. *Nullius autem.*

III. Patroni non habent potestatem vendendi vel donandi alicui quicquam de rebus Ecclesiarum quarum sunt patroni, vel Ecclesiam aliquam seu beneficium Ecclesiasticum cuiquam conferendi, aut res Ecclesiasticas administrandi vel dispensandi. *Putet* (inquit Panormitanus) *quod super bonis Ecclesiæ nullam potestatem habet patronus.* in C. *Præterea.* Extra, de jure patronatus.

IV. Huc pertinent sequentes canones: *Sic quidam, contra canonum autoritatem, Ecclesias quas ædificaverunt, postulant consecrari, ut dotem, quam eidem Ecclesiæ contulerint, censeant ad Episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum taliter in præterito, corrigatur, ut & in futuro ne fiat, prohibeatur; & omnia, secundum constitutionem antiquam, ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.* Concil. Toletan. 3. can. 19. an. Dom. 593.

Noverint tamen conditores basilicarum, in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullum in se po- Concil. Tolet. 4. can.

Il. anno Dom. 633. *potestatem habere, sed, juxta canonum instituta, sicut Ecclesia, ita & dos ejus ad ordinationem Episcopi pertineat.*

V. His accedunt multi alii Canones, qui in jure Canonico citantur, cauf. 10. quæst. 1. & cauf. 16. quæst. 7. & extra, de jure patronatus. *Ex jure patronatus patronus non consequitur jus instituendi, nec destituendi, nec bona Ecclesiæ administrandi, sed solum jus præsentandi:* inquit *Panormitanus* in cap. *Præterea.* Extra, de jure patronatus. Ubi docet nec Episcopum aliquem plus juris in aliena diœcesi consequi ex patronatu alicujus Ecclesiæ in diœcesi alterius Episcopi.

VI. Supersedeo recitatione aliorum inconcessorum, studio brevitatis. Ad ea me confero in quibus patroni jus consistit.

In quibus consistat jus patroni. De his est glossa, in Can. *Piæ mentis.* 16. quæst. 7. Ubi dicitur. *Sunt autem tria quæ consequitur patronus; honorem, onus, & utilitatem. Honorem habet in præsentando: Onus habet in defendendo Ecclesiam, ne quis dilapidet eam,* ut in eod. Filiis. *Utilitatem habet, quia si vergit ad inopiam, providebit ei Ecclesia,* ut in eodem. Quocunque. *Et licet omnibus pauperibus teneatur providere, tamen ei abundantius quam alii;* ut extra, de testamentis. Cum in officiis. Hæc ibi. Hinc illi versiculi quos legimus in glossa, ad cap. *Nobis fuit.* Extra, de jure patronatus.

Patrono debetur honos, onus, utilitasque.
Præsens ut præsit, defendat, alatur egenus.

VII. Nec dissentiunt *Joannes Andreas & Panormitanus:* Hic super rubrica de jure patronatus; *Quid autem* (inquit) *sit jus patronatus, ut sic habeatur substantia rei de qua tractatur sumus, dic, post Joannem Andream, quod est jus honorificum, onerosum, & utile, alicui competens in Ecclesiam pro eo quod diœcesani consensu Ecclesiam construxit, fundavit, vel dotavit ipse, vel is à quo causam habuit. Et declara hoc modo: Est enim jus honorificum, quia patronus habet honorem in præsentando rectorem. Non enim potest Episcopus vel alius prælatus instituere rectorem in beneficiis sine præsentatione patroni, ut in Can. decernimus. 16. quæst. 7. & [tit. de jure patr.] per totum. Item est honorificum, quia debet honorari in Ecclesia patronata, ut in eodem. Nobis. Item dicitur jus onerosum, quia patronus tenetur defendere Ecclesiam, ne bona indebitè dilapidentur. 16. quæst. 7. in Can. Filiis. Dicitur jus utile, quia consequitur utilitatem ex patronatu; quia si devenire ad inopiam, teneretur Ecclesia de reditibus ultra necessaria remanentibus alimentare patronum, pinguius quam alios pauperes, ut in C. Quicunque,* &c. Hæc ille. Reliquarum definitionis hujus partium explicationem invenies in priore parte hujus capitis. Huc accommoda illam distinctionem à *Gratiano* observatam: *Hic autem* (inquit) *distinguendum est, quid juris fundatores Ecclesiarum in his habeant, vel quid non: habent jus providendi & consulendi & sacerdotem inveniendi: sed non habent jus vendendi, vel donandi, vel utendi tanquam propriis.* Cauf. 16. quæst. 7. *Quicunque.*

Definitio juris patronatus, secundùm Joannem Andream & Nicolaum Panormitanum.

Caput III. Pars III.

In qua explicantur tres illæ partes juris patronatus modo propositæ, videlicet, præsentatio, defensio, utilitas.

De præsentatione.

I. **P**OTESTATEM præsentandi vocant etiam processionis aditum 16. quæst. 7. *Piæ mentis.* & c. *Frigentius.* Et honorem processionis, extra de jure patronatus, cap. 25. *Nobis. Quia* (ut explicat ibi *Panormit.* ex glossa in Can. *Piæ mentis.*) *is quem præsentare vult, & ipse simul procedunt ad Episcopum, pro institutione habenda.* Proponam autem de præsentatione regulas quasdam notatu haud indignas.

1. Regula, Præsentatio locum non habet in Ecclesia conventuali seu collegiata, sed in ea libera debet fieri prælati electio per collegium, & post factam electionem postulandus est patroni assensus. Potestatem autem præsentandi habet patronus in capella, in qua unus Presbyter à patrono eligitur, & pro institutione habenda loci Episcopo præsentatur, extra, de jure patronatus, cap. 24. *Nobis fuit.* Ecclesiæ Cathedrales & regulares de jure communi sunt collegiatæ, & omnis Ecclesia quæ instituta fuit ut ibi essent plures collegiati, & jura exercerent pertinentia ad solum collegium, cujusmodi sunt actorem sive syndicum facere, per quem tanquam in republica, quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, fiat. Leg. 1. *Neque societas*, ff. Quod cujuscunque Universitatis. Item, habere sigillum commune; & prælatum eligere, &c. His cessantibus, non sufficit quod in Ecclesia sint plures clerici beneficiati, ut per hoc dicatur quod faciant collegium, quia possunt esse singulares. Ut monet *Panormitanus*, in citatum C. *Nobis fuit.* Extra, de jure patronatus. Ubi etiam docet in quibus Ecclesiis patronus jus præsentandi obtineat. *Nota* (inquit) *quod in capella patronus habet præsentare rectorem: & dic in capella, id est, in qualibet Ecclesia non collegiata, etiamsi sit parochialis. Quia jura non excludunt patronum à præsentatione rectoris, nisi in Ecclesia collegiata. —— Si Ecclesia est collegiata, nunquid saltem patronus habebit præsentare ad præbendas? & sentit Joannes Andreas quod sic: quod satis placet, ar. c. fi. de concess. præben. &c. dilectus De præb. Item, jura solum excludunt patronum ab electione in conventuali Ecclesia, secus ergo in præsentatione canonicorum, quod notandum. Et idem sentit Hostiensis, extra, eodem, Suggestum.* Hæc *Panormitanus.*

Septem regulæ de præsentatione.

Ecclesiæ collegiatæ.

2. Regula. *Antequam præsentatio per diœcesanum Episcopum approbetur, ratum non est quod à patrono fuerit inchoatum.* Extra, de jure patronatus, cap. 5. *Quod autem.* In quod caput *Panormitanus; præsentatus* (inquit) *per patronum non consequitur jus in Ecclesia ex sola præsentatione: est enim præsentatio quoddam inchoamentum & præambulum ad obtinendam institutionem Episcopi.* (Etsi per electionem acquiritur jus electo. Per electi autem confirmationem acquiritur exercitium. *Panormitanus* in C. 25. *Nobis.* Extra, de jure patronatus.) *Ex sola institutione institutus consequitur plenum jus in beneficio.* Quamvis

possessionem nondum nactus sit. Panormitanus in cap. 5. *Quod autem*. Extra, de jure patronatus. Et hæc ratio est, cur præsentato uno idoneo, nec dum tamen admisso ab Episcopo, si patronus laicus postmodum pœnitens, alium præsentet idoneum, & Episcopus instituat posterius præsentatum, solus ille qui ab Episcopo prius institutus est, jus habeat in beneficio. Eodem cap. 5. *Quod autem*. & cap. 10. *Cum laicis*. Potest autem Episcopus cui vult ex præsentatis idoneis conferre beneficium, suo judicio & arbitratu, cap. 24. *Cum autem*. Extra, eodem. Si tamen præsentatum idoneum malitiosè recusaverit admittere, & patronum coëgerit alium præsentare, tenetur providere priori in competenti beneficio, ut sic puniatur Episcopus in eo quo deliquerit. cap. 29. *Pastoralis*. eodem. Si autem collegium aut Ecclesiastica persona jus præsentandi habeat, non licet ei variare in præsentando, sed præsentatus idoneus prior tempore est potior jure, & admittendus est, nec admittendus est alius rogatu talis patroni. cap. 24. *Cum autem*. eodem.

3. Regula. Si quis sine patroni præsentatione institutus fuerit in Ecclesia patronata, *ejus secundum rigorem juris est institutio irritanda*, cap. 8. *Illud*. eodem. *Et nota bene hoc verbum*, (inquit Panormitanus) *nam ideo dicit, de rigore juris, quia de æquitate non esset, cum jus patronatus pendeat ex gratia*. Hæc Panormitanus in eum locum.

4. Regula. Clericus patronus nullus se potest ad personatum aut quodcunque beneficium alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studiis & meritis adjuvetur. Nullus enim se ingerere debet Ecclesiasticæ prælationis officiis: & differentia debet esse inter præsentatum & præsentantem. cap. 26. *Per nostrus*. Extra, de jure patronatus.

5. Regula. Si collegium aut persona Ecclesiastica patronatum habens præsentet indignum, privatur potestate præsentandi, ea vice. Sin autem laicus patronus præsentet indignum, potest alium idoneum præsentare, modo non effluxerint ab initio vacationis illius Ecclesiæ quatuor, aut ad summum, sex menses, quo exacto tempore si nondum sit à patrono sive Ecclesiastico sive laico præsentatus aliquis idoneus, cadit patronus potestate præsentandi, ea vice: Episcopus autem ordinabit Ecclesiam, personam idoneam in ea instituenda, non exspectata patroni præsentatione, & stabit ordinatio illa & institutio. Sive autem sit aliquis indubitatus patronus, sive inter aliquos agitetur de patronatu controversia, currit æquali jure tempus, & Episcopus quam post elapsum memoratum tempus invenerit vacantem Ecclesiam, suo judicio ordinabit. Extra, de jure patronatus. cap. 3. *Quoniam*. & cap. 22. *Cum te*. & cap. 27. *Cum propter*. Imperator in jure civili etiam laico patrono vicem illam præsentandi abscindit, si indignum eligat. Novel. 123. cap. 18. *Si quis oratorii*.

6. Regula. Vacante Ecclesia, vel si contentio sit inter Episcopum & patronum, Episcopo dicente præsentatum esse indignum, patrono idoneum, non debet patronus se intromittere de rebus Ecclesiæ, nisi quoad defensionem, Episcopus autem, ad quem pertinet institutio, debet habere curam illius Ecclesiæ vacantis, & in ea ponere œconomum, qui fructus percipiat, & eos aut in Ecclesiæ utilitatem expendat, aut futuræ personæ, id est, successori fideliter reservet. Extra, de officio judicis ordinarii, cap. 4. *Cum vos*. & de jure patronatus, cap. 12. *Cum te*. in glossa. Œconomum autem in sacris proventibus non hominem laicum, sed clericum debet Episcopus constituere. *Concil. Chalced. & Concil. Hispalens. apud Gratianum*, caus. 16. quæst. 7. *Quoniam in quibusdam*. & can. *In nona actione*. Sic etiam, ipsius Episcopatus vacantis reditus integri reservandi sunt apud œconomos ejusdem Ecclesiæ, donec alius ordinetur Episcopus: debetque ordinari alius intra tres menses, nisi fortè inexcusabilis necessitas coëgerit ordinationis tempus ulterius prorogari. *Concil. Chalced*. can. 24. & apud *Gratianum* 75. dist. *Quoniam quidam*.

7. Regula. *Qui emit jus patronatus, ut possit præsentare filium vel nepotem, seu quem vult, eo privari debet*. Extra, de jure patronatus, cap. 6. *Quia clerici*. In proponenda autem hac regula usi sumus verbis *Panormitani*, in illud capitulum.

De Defensione.

VIII. JUS patronatus dicitur jus onerosum, respectu defensionis quam patronus debet Ecclesiæ: *quia* (ut loquitur *Panormit*. super rubrica de jure patronatus,) *patronus tenetur defendere Ecclesiam, ne bona indebitè dilapidentur*. Modus autem hujus defensionis describitur, caus. 16. quæst. 7. Can. *Filiis*. *Filiis vel nepotibus, ac honestioribus propinquis ejus qui construxit vel dotavit Ecclesiam, licitum sit hanc habere solertiam; ut si sacerdotem aliquid ex collatis rebus defraudare prævideriut, aut honesta conventione compescant, aut Episcopo vel judici corrigenda denuncient. Quod si talia Episcopus agere tentet, metropolitano ejus hæc insinuari procurent. Si autem metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant. Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat quasi proprii juris potestatem præferre: non rapinam & fraudem ingerere: non violentiam quamcunque præsumere*. Hæc ibi.

De Utilitate.

IX. JUS patronatus dicitur etiam jus utile, quia ut supra monebamus, si patronus ad inopiam redigatur, tenetur cum Ecclesia alere pro facultatibus, & quidem abundantius quam alios pauperes. Sic *Panormitanus* & alii Canonistæ hanc partem de utilitate interpretantur. Vide glossam, in Can. *Piæ mentis*, 16. quæst. 7. & in cap. *Nobis*. Extra de jure patronatus. Et *Panorm*. super rubrica de jure patronatus. Huc pertinet 37. *Canon. Concilii Toletani* quarti; *Quicunque fidelium de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid devotione propria contulerint, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. Si enim clericis, vel monachis, seu peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo religionis intuitu, in usum res Ecclesiæ largiuntur, quanto magis consulendum est, quibus retributio justa debetur?* Canonem hunc citat etiam *Gratianus*, caus. 16. quæst. 7. *Quicunque*.

X. *Pro fundatione quoque Ecclesiæ*, (ait Clem. III.) *honor processionis fundatori servatur: & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè succurritur, sicut est in sacris Canonibus institutum*.

Ex-

Extra de jure patronatus, cap. 25. *Nobis fuit.* Ubi autor glossæ, vocem illam, *modestè*, sic exponit, *habito respectu ad facultates Ecclesiæ, & qualitatem personæ.* Sic in glossa in can. *Quicunque* 16. quæst. 7. patronis suis ad inopiam redactis subvenient Ecclesiæ abundantius quam aliis. Extra, de testam. Cum in officiis. *Et melius providebit ei qui quandoque fuit dives, quam pauper.* Ut 41. dist. Non cogantur. *Istud autem intelligas, quando patronus in summam egestatem deductus est, & quando Ecclesiæ supercsl.* 25. quæst. 2. §. ult. ad fin. *In eo enim casu libertus tenetur alere suum patronum*; ut ff. de agnoscendis & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis. Leg. 5. Si quis à liberis. §. 16. parens. & §. penult. De alimentis. Hæc ibi.

XI. *Circa tertium jus, quæritur* (inquit *Panormitanus*) *numquid indistinctè vergens ad inopiam patronus debet alimentari ab Ecclesia? dico, quod non: sed quando supereſt Ecclesiæ, detractis expensis necessariis. Nam primo subveniendum est servitoribus, & cultui divino, ac reparationi ipsius Ecclesiæ: & de his quæ supersunt, subveniendum patrono: sicut in similis servatur in liberto, qui habet alere patronum egentem, ut in Leg. Si quis à liberis. §. De alimentis. ff. de agnoscendis liberis. Et ad hoc allego textum cum bona glossa, in Can. quicunque.* 16. *quæst.* 7. *Sed dices tu, quale privilegium est id? nam Ecclesia de superfluis tenetur subvenire omnibus pauperibus, ut in Can. quoniam.* 16. *quæst.* 1. *Solutio, abundantius & melius providebitur patrono quam aliis pauperibus. Item pauperes non habent actionem contra Ecclesiam, ut notatur in Can. sicut hi.* 47. *dist. & Can. exigunt. quæst.* 7. *sed patronus habet actionem per hæc jura canonica.* Hæc *Panormitanus*, in cap. *Nobis.* Extra, de jure patronatus. Sic communiter exponitur utilitas juris patronatus.

XII. De cætero, antiquis canonibus solvere cautum est, ut patronus nihil in Ecclesia præter processionis aditum sibi vendicet, nihil se proprii juris habere agnoscat. Ut supra docuimus.

XIII. Unam tamen in decretalibus admissam postea exceptionem invenio. *Præsenti decreto statuimus* (inquit *Lucius* PP. 3.) *eos sive advocati sive patroni, vel vicedomini, sive custodes vel guardias habentes, seu quocunque alio nomine censeantur, à gravaminibus Ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis, præter antiquos & moderatos reditus, à locorum Episcopis institutos, exigere: aut si aliud exegerint, excommunicationi subdantur.* Extra, de jure patronatus, cap. 23. *Præterea quoniam.* Ubi infert autor glossæ, statui posse reditus patrono vice tributi sive pensionis: & hoc ante consecrationem Ecclesiæ, & non post. Posse etiam statui vice beneficii & ante & post. Amplius vero eos habere non debere, quam reperiatur in jure permissum: quod si præsumpserint, puniendos. Hæc ibi.

Quatuor regulæ de utilitate. XIV. *Panormitanus* in idem capitulum, has nobis commendat regulas mente tenendas: 1. *Nota* (inquit) *regulam, & tene mente, quod patronus non potest exigere aliquod servitium ab Ecclesia patronata, vel aliquod aliud gravamen inferre, nisi reperiatur jure cautum, vel fuerit reservatum per Episcopum, tempore fundationis Ecclesiæ.*

2. *Ex hoc etiam textu nota, quod patronus non potest propria autoritate reservare aliquod servitium sibi vel temporale in Ecclesia, sed hoc debet facere Episcopus, ad petitionem patroni. Quod nota, & pro hoc allego tex. in C. Cum dilectus, de consue. & vide 'lnno. in C. quoniam, ne præ. vices suas. Per hoc infero; quod si patronus Ecclesiam mandavit in testamento construi, & reservavit aliquam pensionem annuatim filiis reservandam, quod nisi Episcopus illud reservet patronis per statutum suum, non poterunt filii illam pensionem exigere. Facit quod legitur & notatur in C. significatum. de præten.*

3. *Et ex prædictis & ex tex. nota, non improbatum à jure, ut perceptio alicujus temporalitatis reservetur patrono tempore fundationis, auctoritate Episcopi.*

Nota ultimò, ibi, Et moderatos, quod gravamen impositum per Episcopum debet esse moderatum. Ideo sentiunt doctores, & bene, quod si Episcopus pensionem statuit patrono quæ est immoderata respectu aliorum redituum Ecclesiæ, vel ex post facto incipit multum gravari, quod poterit reduci ad moderationem. facit. C. 1. de consue. quod nota. Hæc omnia *Panormitanus.*

XV. Ex prima & secunda istarum regularum patet, capitulo illo non convelli antiquos Canones, qui declarant patronum, qua talem, nihil proprii juris habere in Ecclesia patronata.

XVI. Si quis autem basilicam, non pro devotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis, ædificat; prohibetur eam Episcopus consecrare. Concil. Bracarens. 2. Can. 6. anno Domini 572.

CAPUT IV.

Distinctiones & species Simoniæ, à modo.

I. SIMONIÆ species tripliciter distinguuntur, videlicet, 1. Modo. 2. Pretio. 3. Merce, sive illo, quod emitur vel venditur.

Modalis quadruplex est distinctio.

1. *Simonia* vel in emptione est, vel in venditione. Vendentes enim pariter & ementes eliminavit Christus, Matth. 21: 12. Infelix est qui vendit, infelix est qui emit. Gratia enim Christi auro & argento non potest comparari. inquit *Chrysostomus, homil.* 13. in *Marc.* Item *Gregorius*; *quicunque* (inquit) *sacros ordines emunt vel vendunt, sacerdotes esse non possunt*: unde scriptum est, Anathema danti, Anathema accipienti: Hæc est *Simoniaca* hæresis, caus. 1. quæst. 1. Can. quicunque. Dantem pariter & accipientem damnatio *Simonis*, quam sacra lectio testatur, involvit. inquit *Gelasius* Papa Rom. caus. 1. quæst. 1. can. *Quos constiterit.* De ordinatione clericorum (inquiunt *Bracarenses* Patres) Episcopi munera nulla accipiant: sed (sicut scriptum est) quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent: non aliquo pretio Dei gratia & impositio manuum vendatur: quia antiqua definitio patrum ita de Ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens, Anathema sit danti, & accipienti. *Concil. Bracar.* 2. *Can.* 3. *& apud Gratianum caus.* 1. *quæst.* 1. *Can. placuit.*

Chrysost. Gregor. Anathema danti, Anathema accipienti. Ait. 8: 20. Concil. Bracarens. anno Dom. 572.

II. Huc pertinet & mutatio stationis, turpis lucri amore. Aio, autem, turpis lucri amore; nam Simoniacus non est qui civitatem aliquam relinquit in qua non recipitur, ubi non invenit unde honestè ac sobriè vivere possit, -ad-

Stationis mutatio Simoniaca.

adeo ut necessitate ac penuria compulsus abeat. Hoc enim ipse Dominus concessit & jussit, Matth. 10: 14. Sed *Simonia* est, turpis lucri amore deserere assignatam tibi à Domino stationem, in qua tibi necessaria suppetunt, ut aliam occupes, propter opimum magis beneficium: non contentus honestè & sobriè vivere, ni opiparè cuticulam cures. Justa tamen Ecclesiæ, & sincero divinæ gloriæ & salutis populi promovendæ studio, à tenuiore conditione ad opimiorem transire nefas non est: imò ut plurimum necesse est: sic ex diacono Presbyter, ex Presbytero fit Episcopus, Episcopatui autem affluentius annexum est plerumque beneficium, quam Presbyteratui, aut Diaconatui. Imo ab una Ecclesia ad aliam transire licet jussu Ecclesiæ, & sincero studio, etiam sine diversitate graduum. Sed de translatione pastorum prolixe disseruimus, lib. de cura & residentia.

III. Ad *Simoniacum* commercium referenda est omnis πανουργία, calliditas in acquisitione vel administratione officii vel beneficii spiritualis. Nam si quis ineptus alieno labore larvatus prodeat, & exploratoribus imponat, beneficiumque aut officium indignus, hac arte aut quacunque simili vafritie, consequatur, hic procul dubio, non minus quam ille qui interveniente pretio vel precibus vel obsequio ordinatur, fur est & latro, non per ostium ingrediens in ovile, sed ascendens aliunde, ut loquitur Dominus apud *Joannem* 10: 1. Omnes etiam περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ καὶ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, incedentes in astutia & falsantes sermonem Dei (2 Corinth. 4: 2.) Omnes illi πανοῦργοι astuti qui dolo capiunt auditores suos (2 Corinth. 12: 16.) *Simoniacæ* cauponariæ se obligant.

Venditor sine emptore. IV. Observandum autem reperiri interdum *Simoniacum* venditorem, ubi nullus est alius *Simoniacus* emptor: ut patet ex historia *Gehasi*, 2 Reg. 5. Sic, quando qui præest arcet vel extrudit insontem, solo impulsus odio, odium illud, vel saltem obsequela illa quam animo suo præstat osor, pro pretio est, sed sine emptore alio præter ipsum osorem, qui sibi ipse quodammodo & emptor & venditor est. Tales etiam sunt omnes illi qui turpis lucri causa prædicant Evangelium hominibus non *Simoniacis*. Item, *Emptor sine venditore.* reperiri emptorem aut saltem acquisitorem *Simoniacum*, ubi non est venditor *Simoniacus*, quando scilicet dolo aliquis adipiscitur & suffuratur beneficium vel officium, deceptis iis qui præsunt.

Proverb. 23. 23. V. *Salomon* emere nos jubet veritatem, non quidem emptione *Simoniaca*, sed Christiana emptione, de qua legimus Esai. 55: 1. Matth. 13: 44, 45. Luc. 14: 33. vendere verò prohibens, prohibet *Simoniam*: item apostasiam *Demæ* 2 Timoth. 4: 10. Et avaritiam divitis illius, quem à sequendo Christo retraxit amor possessionum, Matth. 19: 22.

2. Dist. à modo. Simonia in affectu. VI. Secundò, Simonia vel in affectu committitur, quomodo peccant ventricolæ illi, qui legitimo quidem ordine officium cum beneficio consequuti, amant tamen beneficium plusquam officium, & se exercent in officio, non amore Christi, sed amore lucri, μὴ προθύμως, ἀλλ' αἰσχροκερδῶς, 1 Petr. 5: 2. qui officio renunciare mallent quàm beneficio: qui officium appetiverunt propter beneficium, non autem beneficium propter officium: qui terrena sapiunt, Philip. 3: 19. qui quæ ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi, Philip. 2: 21. Et omnino quicunque non ἁγνῶς, sed carnali affectu officium vel appetunt vel exsequuntur, sive per invidiam, sive inanis gloriæ studio id faciant, Philip. 1: 16. & 2 Corinth. 4; 5. & 1 Thessal. 2: 5, 6. qui enim terrena ista sapiunt in appetendo vel exsequendo officio sacro, sive in Ecclesiis, sive in scholis, sive in aliis venerabilibus domibus, cauponantur suam operam, & mercenario affectu magis mercedem curant quam officium.

VII. Vel committitur *Simonia* in conatu exprimente affectum: quale crimen erat *Simonis* illius *Magi*, cui dixit Petrus: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniis acquiri, non est tibi pars neque sors in sermone hoc, cor enim tuum non est rectum coram Deo, resipisce igitur ab illa malitia tua, & deprecare Deum, si forte remittatur tibi ista cogitatio cordis tui, ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου, Act. 8: 20, 21, 22. Hunc autem affectum patefecerat Simon externa pecuniarum oblatione, vers. 18, 19. Vel committitur etiam in ulteriore effectu, puta si quis emat vel vendat aliquid spirituale pretio *Simoniaco*. *Simonia in conatu.* *Simonia in effectu.*

VIII. Tertiò, *Simonia* fit vel cum pactione, ut quando inter nundinatores *Simoniacos* de pretio prius & merce convenit; vel sine pactione, ut quando quis insidioso obsequio, vel fraudulento munusculo, animum alterius præoccupat, spe consequendi beneficii; sive quando propter favorem vel consanguinitatem confert aliquis beneficium indigno: vel quando quis fraude aliquem circumvenit, &c. *Tertia dist. à modo.*

IX. Quartò vel perpetratione sceleris, ut in exemplis memoratis; vel participatione. Participem verò se reddit alienæ *Simoniæ* quisquis contra *Simoniacam* & *Neophytorum* hæresin pro officii sui loco vehementer non exarserit: is autem cum eo se non dubitet habiturum portionem qui prius commisit piaculare hoc flagitium: inquit *Gregorius*, apud *Gratianum*, caus. 1. quæst. 1. can. *Quisquis per pecuniam*. Et hæc est participatio ex neglectu. Præterea effectu positivo participem se reddit *Simoniæ* qui mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis exstiterit: talem si clericus esset, à proprio gradu deturbandum, si verò laicus, anathematizandum decreverunt patres in Concilio Chalcedonensi, can. 2. & apud *Gratianum* causa 1. quæst. 1. can. *Si quis Episcopus*. Et rectè *Innocentius* secundus talem interventorem nota infamiæ statuit percellendum, simul cum emptore & venditore, caus. 1. quæst. 3. can. *Si quis præbendas*. Huc refer, si quis consilio vel auxilio opem ferat. Præterea & illi *Simoniæ* participes se reddunt per consensum, quorum parentes vel amici, ipsis consciis, emunt ipsis beneficia. caus. 1. quæst. 4. & quæst. 5. & extra, de *Simonia*, cap. *Matthæus*. Vide Concil. Meldens. 1. cap. 43. ubi hoc illud accommodatur illud ex Apostolo, ad Rom. 1: 32. Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni esse morte. *Quarta dist. à modo.* *Simonia per participationem criminis. Interventor infamis.* *Concil. Meldens. anno Christi 845.*

X. Quando Episcopus, aut quilibet rerum spiritualium administrator concedit indigno aut inexplorato beneficium vel officium, in gratiam alicujus tertii qui à petitore pecuniam accipit, tunc *Simoniæ* crimine Episcopus vel administrator ille se obligat dupliciter, videlicet. 1. Patratione, concedendo spirituale officium vel beneficium propter gratiam humanam. 2. Participatione, nam sua nimia vel facilitate vel incuria vel etiam æquitatis contemptu, se participem reddit turpis illius commercii, quod est inter petitorem & intercessorem. Unde *Ambrosius* Com-

Comment. in *Lucæ* cap. 4. verf. 27. loquens de *Elisæo* propheta, ejufque miniftro *Giezi*, in quem propter avaritiam tranflata eft *Naamanis Syri* lepra; Difce (inquit) utroque dictorum factorumque magifterio, quod fequaris. Habes Domini præceptum, vatis exemplum, *gratis accipere, gratis dare*; nec vendere myfterium, fed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia: nec in Sacramentis lucrum quæritur, fed obfequium facerdotis. Non tamen fatis eft, fi lucrum ipfe non quæras: familiæ quoque tuæ cohibendæ funt manus. Nec hoc folum expofcitur, ut te folum caftum immaculatumque cuftodias: non enim dixit Apoftolus, te folum,
1 Tim. 5. 22. fed *teipfum caftum cuftodi*. Quæritur ergo non folum tua ab hujufmodi nundinis, fed etiam domus tuæ caftitas. Oportet enim irreprehenfibilem effe facerdotem, fuæ domui bene propofitum, filios habentem fubditos, cum omni caftitate. Si quis autem domui fuæ præeffe nefcit, quomodo Ecclefiæ Dei diligentiam habe-
1 Tim. 3. 5. bit? Inftrue ergo familiam tuam, hortare, cuftodi: &, fi te fefellerit fervulus, (humanam enim non excipio facultatem,) prophetico deprehenfus detrudetur exemplo. Citò turpem fequitur lepra mercedem, &c. Hæc *Ambrofius*.

CAPUT V.

Simoniæ fpecies à pretio.

I. SECUNDO diftinguuntur *Simoniæ* fpecies pretio.

Sunt nonnulli (inquit *Gregorius*. I. *Romanus* Epifcopus) qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen facros ordines *pro humana gratia* largiuntur, atque de largitate eadem, laudis folummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceptum eft, gratis non retribuunt, quia de *impenfo officio fanctitatis, nummum expetunt favoris*: unde bene, quum virum juftum Propheta
Ifai. 33. 15. defcriberet, ait, Beatus qui excutit manus fuas *ab omni munere*. Neque enim dicit, qui excutit manus fuas *à munere*, fed adjunxit, *ab omni*. Quia aliud eft munus ab obfequio, aliud munus à manu, alind munus à lingua. Munus quippe ab obfequio eft fubjectio indebitè impenfa, munus à manu pecunia eft: munus à lingua, favor. Qui ergo facros ordines tribuit, tune ab omni munere manus excutit, quando in Divinis rebus non folum pecuniam nullam, fed nec etiam humanam gratiam requirit. Hæc *Gregorius*, *homil.* 4. in Evangelia. Quæ fententia citatur etiam à *Gratiano* cauf. 1. quæft. 1. can. *Sunt nonnulli*.

II. Item, Si quis neque fanctis pollens moribus, vel neque à clero populoque vocatus, vel pulfatione coactus, impudenter, Chrifti facerdotium, jam quolibet facinore pollutus, *injufto cordis amore, vel fordidis precibus oris; five commiffatu, five manuali fervitio, five fraudulento munufculo*, Epifcopalem feu facerdotalem, non lucro animarum, fed inanis gloriæ avaritia fultus, dignitatem acceperit; & in vita fua non fponte reliquerit: eumque infperata mors pœnitentem non invenerit; procul dubio in æternum peribit. *cauf.* 1. *quæft.* 1. *can. fi quis neque fanctis*. Oportet ergo, (ait idem *Gregorius*) *ut neque per donum, neque per gratiam, neque per quorundam fupplicationem* aliquos ad facros ordines confentias vel permittas adduci. can. *De ordinationibus*. Eodem. Idem *Gregorius*, oportet, inquit, avaritiam de domo Dei projicere fynodali definitione. Nihil in dandis Ecclefiafticis ordinibus auri fæva fames inveniat, nil blandimenta furripiant, nil gratia conferat: honoris præmium vitæ fit provectus, fapientiæ incrementum, modeftia morum: ut obtinente hujufmodi obfervantia, & indignus, qui præmiis quærit afcendere, judicetur, & digne, cui bonum teftimonium actio prohibet, honoretur. lib. 9. ex regiftro epift. 50. ad *Etherium* Epifcopum Galliæ.

III. Simile eft quod ex eodem *Gregorio* citat *Gratianus*; Eorum, qui in facro funt ordine collocandi, prius *vitam morefque difcutite*, & ut dignos huic officio adhibere poffitis, *aut vobis potentia aut fupplicatio quarumlibet fubrepat perfonarum*, *cauf.* 1. *quæft.* 1. *can. eftote*. Item; nulla fit in ordinatione venalitas, potentia aut fupplicatio perfonarum nihil adverfus hæc quæ prohibemus obtineat. Nam procul dubio Deus offenditur, fi ad facros ordines quifquam non ex merito, fed ex favore (quod abfit) aut venalitate provehitur. *Canone, pari.* Eodem. Obfervat autem *Gratianus*, can. *Filium*. Eodem. *Obferv.* Non quorumlibet precibus factas ordinationes pro falfis haberi, fed eas demum, quæ precibus hominis ordinandi, vel ejus amici, non fpirituali fed carnali affectu porrectæ fuerint, cum alias futuræ non effent, quas non charitas interveniens, fed ambitio fupplicans extorquet. Obfervat etiam auctor *Gloffæ* ad can. *Quibufdam*. *Alia obferv.* eodem titulo: preces etiam carnales pro digno porrectas, non facere *Simoniam*: licet pro indigno porrectæ faciant *Simoniam*; pecuniam verò vel obfequium, quæ loco pretii intercedere folent, five pro digno five pro indigno, facere *Simoniam*.

IV. Certum eft tamen preces carnales quando pretii locum obtinent, five pro digno five pro indigno fufæ fint, facere *Simoniam*: quando fcilicet non fpectatis hominis digni meritis, fed interpellantis precibus, admittitur etiam homo dignus ad facros ordines: rectè enim *Gregorius*; in facerdotibus (inquit) ordinandis finceritas vigeat, fit fimplex fine venalitate confenfus, *pura præfertur electio, ut ad fumma facerdotii non fuffragio venditorum provectus, fed Dei credatur effe judicio*. lib. 7. ex regiftro. epift. 110. ad *Betherium*, &c. *Simonia* tamen non eft, five quis fe ipfe modefte offerat, modo non importunè fe ingerat miniflerio Ecclefiaftico, qui enim appetit Epifcopatum, is bonum opus appetit, (1 Tim. 3: 1.) five alius hominem dignum piè commendet, fic *Timotheum Paulo* Apoftolo commendarunt difcipuli, Act. 16: 2. Fratres etiam *Ephefii* commendaverunt *Apollo* per epiftolam fratribus *Corinthiis*, Act. 18: 27. Et officium populi Chriftiani eft commendare præpofitis Ecclefiafticis viros quos viderint plenos fpiritu ac fapientia: ut fcilicet adhibeantur iis in Ecclefia minifteriis, ad quæ divinitus aptati funt. Act. 6: 3, 5. Sive denique, aliquis hominem dignum, confanguinitate fibi vel amicitia conjunctum, pro affectu commendet, nihil deferri poftulans per modum venalitatis fuis precibus, fed tantum hominis aptitudinem explorari cupiens, ut pro aptitudine ipfius hominis ad congruum officium admittatur. Dixi hoc *pio affectu* fieri debere, quia ubique primas obtinere debet divinæ gloriæ zelus, cum ftudio ædificationis populi Chriftiani, & fedulò cavendum, ne defectum hominis, quem commendamus, noftra interceffione, tanquam velo aut fupplemento, obtegere aut compenfare annitamur: five, ne noftram interceffionem illud pondus habere cupiamus, ut propter eam ad-

 mit-

mittatur ad officium is qui alioqui admitti per sacros canones non potest.

V. His autem observatis cautionibus poterit aliquis, absque *Simonia*, amicum suum dignum commendare, & hoc ipso ad ejus curam habendam exstimulare, quod non solum in Domino, sed etiam in carne conjunctus illi & dilectus sit, ut loquitur *Paulus* de *Onesimo*, ad Philem. verf. 16. Neque hoc argumentum in suis salutationibus prætereundum censuit Apost. *Paulus*, ad Rom. 16. Salutate, inquit, *Andronicum* & *Juniam* cognatos meos, v. 7. salutate *Herodionem* cognatum meum, v. 11. salutate *Ampliam* dilectum mihi in Domino, v. 8. Et *Stachyn* dilectum mihi, v. 9. Item ad Coloss. salutat vos *Marcus* consobrinus *Barnabæ*, de quo accepistis mandata, si venerit ad vos, excipite eum, cap. 4. v. 10. Neque enim Christianismus facit ἀστόργους, sed tales aversatur, Rom. 1. verf. 31. & 2 Tim. 2. 3.

VI. Neque favor solum, sed etiam odium vel saltem obsequela, quam animo suo præstat osor, loco pretii est in *Simonia*, ut si quis odio alicujus carnali privet innocentem suo beneficio, vel ab Eucharistia arceat. Vide aliud exemplum de hoc pretio, extra, de *Simonia*. cap. *Nemo presbyterorum*.

VII. Pretium in *Simonia* potest etiam esse res spiritualis; si nempe Episcopatum quis ambiens, emat suffragia promissionibus beneficiorum aut officiorum Ecclesiasticorum. Dolus etiam & impostura locum pretii obtinet, quando aliquis πανῦργος acquirit sibi per imposturam beneficium aut officium.

VIII. Ex his patet, in adeundis vel conferendis officiis vel beneficiis sacris *Simoniam* committi posse multiplici intercedente pretio; nempe, vel pecunia, vel obsequio, vel comitatu, vel blandimentis, vel insidioso munusculo, aut quocunque fraudulento officio, vel intercessione potentum vel amicorum, vel importunitate & impudentia, vel ostentatione terroris, vel promissione beneficii aut officii, &c. quæ pretia ab adeuntibus aut ambientibus aut pro eis porriguntur. Item si quis per imposturam nanciscatur beneficium vel officium, illum *Simoniæ* crimine teneri haud dubium est.

ἀνακεφαλαίωσις hujus capitis.

IX. Conferentes verò *Simoniæ* se obligant, si vel acceptâ pecuniâ, vel ob præstitum obsequium, aut comitatum, aut propter blandimenta, aut obtentu gratitudinis propter præstitum officium, vel acceptum munusculum, vel metu potentum, vel propter hominum gratiam vel propter consanguinitatem, amicitiam, aut familiaritatem, aut sodalitatem, vel propter alicujus importunitatem, aut quocunque carnali intuitu, hominem non idoneum ad sacrum admittant officium, vel conferant illi beneficium: vel etiam idoneum si admittant, non spectata hominis aptitudine, sed tantum intuitu pretii cujuscunque, sive pecuniæ, sive favoris, &c. vel hominem dignum extrudant & repellant ex carnali odio. Vel si quis elector suffragium suum vendat spe beneficii aut officii. Item, quando incuria sua sinit præpositus grassari hoc vitium, tunc ipsum illud otium, propter quod negligit officium, loco pretii est.

CAPUT VI.

Simoniæ species à merce.

I. TERTIA specierum *Simoniæ* distinctio sumitur à merce.

Mercem sive objectum *Simoniæ* supra diximus esse rem sacram, id est, beneficium vel officium sacrum. Quò referenda est omnis etiam opera *Simoniacè* præstita pro obtinendo, vel assequendo, vel conferendo, vel impediendo, vel auferendo, beneficio vel officio sacro.

II. Merx igitur in *Simonia* duplex est, nempe vel meta, id est, res sacra, sive officium sit, sive beneficium; vel via, id est, opera *Simoniacè* præstita circa rem. Nam præstatione operæ vendit aliquis, quantum in ipso est, ipsam rem sacram, pro qua aut circa quam opera adhibetur. *Merx duplex.*

III. Merx in meta, sive re sacra, officium est, in spiritualibus, aut annexis, vel beneficium. Officia, quæ *Simoniacè* conferuntur, quatuor sunt ordinum. 1. Ordo sacer Ecclesiasticus, sive Episcopalis sive presbyteralis sive diaconalis, &c. 2. Libertas prædicandi, aut legendi aut aliter in spiritualibus ministrandi etiam sine ordine. Quo pertinet etiam restitutio suspensi. 3. Officia docentium & regentium in scholis, item eorum qui pauperum aut ægrotantium aut peregrinantium, aut orphanorum, aut quorumcunque infirmorum curam vel præfecturam gerunt, atque omnino cujuscunque domus venerabilis regimen, sive illa schola sit, sive nosocomium, sive Xenodochium, sive orphanotrophium, &c. 4. Officia ædituorum, & vespillonum, & quæstorum, œconomorum, procuratorum, & defensorum, qui exercentur circa temporalia, nempe in cura vel dispensatione & administratione τῶν βιωτικῶν rerumque temporalium, & defensione privilegiorum spiritualibus connexorum. Atque huc referri debet jus patronatus ad Ecclesiam pertinens, & omnis præsentatio ad beneficium sacrum, ut supra monuimus. *Merx in meta.*

IV. Beneficium merx *Simoniæ* vel est in spiritualibus, vel in connexis.

V. Beneficium in spiritualibus triplex est. 1. Doctrina. 2. Administratio Sacramentorum. 3. Usus clavium, sive disciplina Ecclesiastica, aut etiam usus regiminis in scholis, aliisque venerabilibus domibus. Ad doctrinam referimus visitationem ægrotantium, aut quorumcunque afflictorum, incumbentem ministris verbi, pro eorum institutione, correptione, aut consolatione, item præparatione, & benedictione, &c.

VI. Cauponantur homines beneficia spiritualia dupliciter: vel enim *Simoniacè* extrudunt falsa pro veris, prava pro rectis; vel ipsa vera & recta habent venalia. *Cauponatio spiritualium duplex.*

VII. Falsatio duplex est; vel enim ad libitum auditorum inflectunt doctrinam, aut cultum, aut disciplinam, uti patebit ex verbis Scripturæ, mox infra citandis, Ezech. 13. & 2 Tim. 4. &c. Vel, suo ipsorum arbitratu, prava pro rectis, falsa pro veris, carnali affectu, docent aut faciunt. Gal. 6. Rom. 16. &c. Habent autem venalia ipsa vera & recta, 1. ea docendo aut faciendo affectu carnali, nempe vel odio alterius, vel vana ambitione, vel lucri cupiditate, &c. (*Philip.* 1.) 2. A debiti muneris executione cessando propter commoda temporalia, aut quia non porrigitur ipsis pretium

tium indebitum, aut etiam debitum, quamvis necessitate non premantur, vel etiam in otium proximi, vel per ignaviam, &c. Esai. 56: 6. Ezech. 36. &c. Hos *Theophylactus* vocat *Nummularios*, utpote qui talentum & nummum, id est, dogma & sermonem vendant, & fortassis, quum sint doctores, non annuncient verbum, nisi lucrum habeant. Horum mensam, id est, sedem doctrinæ subverti ait à Domino, *Theophylactus*, *Commentar. in Evangel. Joan. cap.* 2.

VIII. Merx *Simoniæ*, beneficium, in iis quæ spiritualibus connexa sunt, est titulus beneficii aut præbendæ, &c. Vel jus percipiendi fructus aut reditus sacros, per modum stipendii, aut pensionis aut eleemosynæ, (ut in *Xenodochiis*, orphanotrophiis, &c. & in executione muneris diaconi usuvenit,) vel quocunque alio nomine conferatur tale jus.

IX. Cauponatio operæ quæ *Simoniacè* præstatur, circa officium vel beneficium sacrum reducitur ad ipsam officii vel beneficii mercaturam; nam operam vendit aut emit aliquis non nisi intuitu beneficii aut officii; præterea divinus in superioribus objectum *Simoniæ* esse officium aut beneficium, nempe propriè, & per se, quo reductivè pertinet etiam opera, tanquam via ad metam.

X. Opera autem *Simoniacè* præstita circa rem sacram, vel pro aliquo præstatur, vel contra aliquem.

XI. Præstatur *Simoniacè* opera pro aliquo multis modis. 1. Præsentatione ad beneficium. 2. Collatione beneficii vel officii. 3. Suffragii datione. 4. Intercessione. 5. Collusione, connivendo scilicet aut consentiendo *Simoniacæ* mercaturæ. 6. Toleratione *Simoniaca*, quando scilicet hominem indignum repelli vel extrudi merentem tolerat aliquis *Simoniacè*, non judicio aut ratione aliqua idonea, sed propter pecuniam, vel gratiam humanam, vel metum, aut per ignaviam vel incuriam, &c. 7. Defensione *Simoniaca*, quando scilicet aliquis vel pecunia, vel gratia humana, vel odio alterius, vel quocunque pretio *Simoniaco* adductus, patrocinium hominis indigni suscipit, justamque censuram aut sententiam impedit, vel satagit impedire. 8. Restitutione *Simoniaca* suspensi aut depositi ab officio.

XII. Contra aliquem *Simoniacè* præstatur opera, vel intuitu boni quod appetit vel obtinet alius, vel intuitu mali. Priore intuitu præstatur *Simoniacè* opera contra aliquem tribus præsertim modis. 1. Impediendo aliquem ne perveniat ad beneficium vel officium. 2. Negando, id est, vel non admittendo, vel non restituendo, quando scilicet admissio aut restitutio negatur *Simoniacè*. 3. Expellendo, quando nempe *Simoniacè* suspenditur quispiam ab officio, vel extruditur è statione, vel privatur beneficio.

XIII. Intuitu mali præstatur opera contra aliquem *Simoniacè*, vexando, persequendo, & molestiam creando, sive verbo, sive opere, sive in judicio, sive extra judicium: huc pertinet & maligna quorundam protervitas, qui pastoribus debitos fructus aut reditus ideo negant, aut reddere differunt, aut impedimenta morasve illis sive in percipiendis rebus beneficii aut stipendii, sive in exsequutione officii injiciunt, hoc fine, ut illis molestiam immerentibus creent.

CAPUT VII.

Confirmatur superiorum Capitum doctrina autoritate sacrarum Scripturarum.

I. HUC pertinent sequentia Scripturæ dicta: quæ in duas classes distinximus, doctrinæ & memoriæ causa. In priore classe ponimus illa Scripturæ dicta, quæ spectant magis aditionem, aut collationem officii vel beneficii. In secunda classe locamus illa dicta quæ exsequutionem respiciunt. Quamvis in eis quædam communia reperiantur; In istis autem duabus classibus varias inveniemus species *Simoniæ*, per mercaturam utriusque mercis, id est, tum rei ipsius sacræ, tum etiam operæ circa rem sacram.

II. Ad primam classem referimus hæc dicta.

Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniis acquiri, Act. 8: 20. (Vide in hunc locum expositionem *Urbani* Papæ, apud *Gratianum* caus. 1. quæst. 3. can. salvator.) *Obtestor in conspectu Dei & Domini Jesu Christi & electorum angelorum ut hæc serves sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem inclinando: manus ne citò cui imponas, neque communices peccatis alienis: temetipsum purum serva.* 1 Tim. 5: 21, 22. *Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ reliqua sunt corrigas,* [*vel dirigas,*] *& constituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi injunxi. Si quis est inculpatus, unius uxoris vir, &c. Tit.* 1: 5, 6. *&c. Dispicite ergo fratres ex vobis viros septem testimonio idoneo ornatos, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos præficiamus huic negotio. Act.* 6: 3. *Vidua eligatur non minus annis sexaginta, quæ fuit unius viri uxor, in operibus bonis idoneo testimonio ornata, si liberos educavit, si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lavit, si afflictis subvenit, si in opere omni bono fuerit assidua*, 1 *Tim.* 5: 9, 10. *Si quis fidelis aut si qua fidelis habeat viduas, subveniat eis, & non oneretur Ecclesia, ut eis quæ verè viduæ sufficiat.* 1 *Tim.* 5: 16.

III. Ad posteriorem classem referimus sequentia dicta.

Speculatores ejus ——— dormitantes, jacentes, diligentes dormitare, canes fortes anima, non noverunt saturari, &c. Esai. 56: 10, 11. *Omnes avarè sectantur avaritiam, & à propheta usque ad sacerdotem omnes faciunt mendacium, & curabant contritionem filiæ populi mei levi sermone, dicentes, pax, pax, & non erat pax. Jerem.* 6: 13, 14. & 8: 10, 11. *Væ pastoribus qui perdunt & dispergunt oves pascuæ meæ. Et in prophetis Hierusalem vidi fœda: adulteria committunt, & ambulant in mendacio, & confortaverunt manus malorum, ita ut non convertantur unusquisque a malitia sua. Vanescere faciunt vos, visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini, dicunt dicendo spernentibus me, loquutus est Dominus, pax erit vobis: & omni ambulanti in duritia cordis sui, non veniet super vos malum. Jerem.* 23: 1, 14, 15, 16, 17. *Tanquam vulpes in desertis prophetæ tui, Israel, fuerunt. Et erit manus mea contra prophetas qui vident vanum & divinant mendacium, propterea, quod errare fecerunt populum meum, dicendo pax, & non fuit pax. Et ipse ædificabat parietem, & ecce ipsi complanabant eum luto infirmo. Væ iis qui consuunt pulvinaria omnibus axillis manuum, & faciunt vela super caput cujuscunque staturæ ad venandum animas. Numquid animas venabimini populi mei, & animas quæ sunt*

sunt vobis vivificabitis? & contaminabitis me in populo meo pro pugillis hordei & fragmentis panis, ut interficiatis animas quæ non morientur, & vivificetis animas quæ non vivent, mentientes populo meo audienti mendacia? Liberabo populum meum de manu vestra, & non erunt ultra in manu vestra in venationem, & scietis quod ego Dominus, propterea quod dolore affecistis cor justi, mendaciter, & ego non affeci illud dolore. Et roborastis manus impii, ut non avertatur à via sua mala, vivificando eum. Ezek. 13: 4, 9, 10, 18, 19, 21, 22. *Væ pastoribus Israël qui paverunt semet ipsos, an non gregem pascunt pastores? adipem comedistis, & lana induistis vos, crassum jugulastis, & tamen oves non pavistis, infirmas non consolidastis, &c. sed in duritia dominati estis eis & tyrannicè: eruam oves meas de ore eorum, nec erunt eis in escam.* Ezek. 34: 2, 3, 4, 10. *Si fuerit quispiam qui ambulet per viam venti, & mendacium mentitus fuerit, dicendo, stillabo tibi in vinum aut sechar (sive potum inebriantem) is erit stillator (sive propheta) populo isti.* Mich. 2: 11. *Sic dixit Dominus de prophetis qui errare faciunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem, & contra eum qui non dederit escam in os eorum præparant bellum; propterea nox erit vobis, &c. Capita ejus munere judicant, & sacerdotes ejus pretio docent, & prophetæ ejus argento divinant, &c.* Mich. 3: 5, 6, 11. *Precor autem vos, fratres, ut speculemini dissidiorum, aut scandalorum auctores præter doctrinam quam vos didicistis, & declinetis ab iis. Nam qui ejusmodi sunt, Domino nostro Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri: & per blandiloquentiam & assentationem corda simplicium seducunt.* Rom. 16: 17, 18.

Quicunque volunt speciosi apparere in carne, hi cogunt vos circumcidi: tantum ne ob crucem Christi persecutionem patiantur. Galat. 6: 12. *Nonnulli quidem per invidiam & contentionem. Nonnulli verò etiam propensa voluntate Christum prædicant: alii quidem ex contentione Christum annunciant, non purè, existimantes se afflictionem addere vinculis meis: alii rursus ex charitate,* Philip. 1: 15, 16, 17. *Nam multi incedunt, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis exitium, quorum Deus venter, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt,* Philip. 3: 18, 19.

Erit tempus, quum sanam doctrinam non tolerabunt: sed auribus prurientes, ipsi sibi pro suis cupiditatibus coacervabunt doctores. 2 Tim. 4: 3. *Sunt multi vaniloqui mentium seductores; docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Tit. 1: 10, 11.

Pascite gregem qui penes vos est, curam illius agentes non coactè, sed libenter, non turpe affectantes lucrum, sed prompto animo, neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis. 1 Pet. 5: 2, 3. Idem *Petrus* Apostolus de pseudodidascalis, pseudoprophetarum veterum successoribus, loquens, *cor* (inquit) *habentes avaritia exercitatum, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam, erraverunt, sequuti viam Balaam filii Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit,* 2 Pet. 4: 15. *Balaam* autem avare abusus suo munere prophetico, voluit in gratiam *Balaaci* Regis *Moabitarum*, & conatus est, maledicere populo Israëlitico contra interdictum divinum, Num. 22. & 23. & 24. Quum autem animadverteret se hac via non posse lucrari mercedem illam injustitiæ à *Balaaco* promissam, quam amabat; alia aggreditur via, & perniciosissimo *Balaacum* instruxit consilio contra Israëlitas, ut scilicet illis scandala objiceret, prostituendo mulieres, quæ Israëlitas traherent ad fornicationem & comestionem idolothytorum. Uti postea evenit. Num. 25. & 31. 16. Apoc. 2. 14.

Ne facite domum patris mei, domum negotiationis, inquit Dominus noster Jesus Christus, Joan. 2: 16. idem etiam quum ejiceret omnes vendentes & ementes è templo, dixit iis: Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur, vos autem ipsam fecistis speluncam latronum, Matth. 21: 12, 13. & Pharisæos hypocritas Simoniacos increpans ait, Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia devoratis domos viduarum, etiam prætextu longarum orationum: propter hoc auferetis gravius judicium, Matth. 23: 13.

CAPUT VIII.

Adferuntur pro eadem doctrina testimonia Patrum, & Conciliorum.

I. EODEM pertinent patrum dicta, & canones sequentes.

Bonis artibus (inquit Ambrosius) *& sincero proposito nitendum ad honorem arbitror, & maximè Ecclesiasticum: ut neque resupina arrogantia; vel remissa negligentia sit, neque turpis affectatio & indecora ambitio. Ad omnia abundat animi directa simplicitas, satisque se ipsa commendat.* Ambros. lib. 2. de officiis, cap. 24.

Ambros.

II. *Si quis Episcopus* (inquiunt Patres Chalcedonenses) *per pecuniam ordinationem fecerit, & pretio redemerit spiritus sancti gratiam, quæ vendi non potest, ordinaveritque per pecuniam presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet de his qui cognominantur in Clero, promoverit, & dispensatorem aut defensorem; vel quemlibet qui subjectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri commodo, is qui hoc attentare probatus fuerit, proprii gradus periculo subjacebit. Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est pro negotiatione facta, proficiat, sed sit alienus à dignitate vel solicitudine quam pecunia acquisivit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis exstiterit, si quidem clericus fuerit, à proprio gradu decidat, si vero laicus, anathematizetur.* Concil. Chalcedonense. can. 2.

Concil. Chalced. an. Dom. 451. Vide leg. 31. Si quenquam. Cod. De episcopis & clericis. Et novell. 123. cap. 1.

III. In secundo Concilio *Aurelianensi* decernitur; ne quis Episcopus de quibuslibet causis, vel Episcoporum ordinationibus, cæterorumque clericorum, aliquid præsumat accipere: quia *sacerdotem nefas est cupiditatis venalitate corrumpi* Concil. Aurel. 2. can. 3.

Concil. Aurel. an. Dom. 536.

IV. *Verus quisque prædicator* (inquit Gregorius) *non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem accipiat, sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis nempe ideo prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede se privat; quisquis verò vel ea quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, ut dum placet quod dicitur, per eadem dicta non ipse sed Dominus ametur; vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam lassetur, huic procul dubio in recipienda mercede nil obstat in patria, quia sumptus sumsit in via.* Gregor. 1. Episcop. Rom. homil. 13. in Evangelia.

Gregor.

V. *Quisquis res Ecclesiasticas* (inquit Papa) *& Dei dona, quæ a Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæque ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent, propter sua lucra vendit vel emit, cum Simone donum Dei possideri pecunia existimat, ideo qui eas non ad hoc*

ad

ad quod instituta sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebito obsequii, vel pecuniæ, largitur vel adipiscitur, Simoniacus est. Cum principalis intentio fuerit Simonis sola pecuniæ causa, avaritia videlicet, id est, idololatria, ut ait Apostolus Paulus. Alioqui, cur sancta Synodus Chalcedonensis sexcentorum triginta Episcoporum, procuratorem vel defensorem Ecclesiæ vel quemquam regulæ subjectum à Deo, per pecuniam ordinari prohibet, ut interventores quoque tanti sceleris anathematizet; nisi quod eosdem Simoniacos judicet? &c. Hæc Urbanus. Causa 1. quæstione 3. Canone *Salvator.*

Concil. Tolet. 4. anno Domini 633. VI. In Concilio *Toletano quarto*, Can. 18. Inter eos qui notantur indigni ad honorem sacerdotii, quos jus irregulares vocat, ponuntur primo loco, *qui muneribus honorem obtinere moliuntur.*

Concil. quinisext. anno Dom. 692. VII. Decretum in quinisexta Synodo, Can. 23. Ut nullus Episcopus, sivo Presbyter, sive diaconus, purissimam præbens communionem, pretium aliquod exigeret à percipiente gratiam communionis: *Non enim est venalis gratia*, (inquiunt patres illi,) *nec pecuniis spiritus sanctificationem impertimur.* Hunc canonem leges etiam apud *Gratianum*, Cauf. 1. quæst. 1. *Nullus Episcopus.*

VIII. Citat etiam *Gratianus* Canonem ex Concilio *Toletano*, ubi prohibetur ne pro baptizandis consignandisque fidelibus, pro chrismate, vel promotionibus graduum, pretia quælibet vel præmia (nisi voluntariè oblata) suscipiantur. Cauf. 1. quæst. 1. *Quicquid invisibilis.* Extat in hanc sententiam Canon octavus Concilii *Toletani* undecimi, anno Domini 675. Idem prohibet *Gelasius*. Can. *Baptizandis.* Cauf. 1. quæstione 1. Idem etiam patres Concilii Carthaginensis quarti, quorum verba citat idem *Gratianus*, Causa 1. quæstione 1. Canon. *Placuit.* ubi & hanc reddunt rationem, quia scilicet multi pauperes exactionem muneris timentes, ideo à baptismo suos trahunt. Idem prohibitum olim in Concilio Elibertino, Canone 46. Idem statuerunt patres in Concilio Triburiensi, ubi Simoniacam & detestandam hæresin esse declarant, & anathematizant, si pro sacramentis pecunia exigatur. *Dictum est solere* (inquiunt) *in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari, similiter pro baptismo & communione, hoc Simoniacæ hæresis esse detestata est sancta Synodus & anathematizavit: & ut de cætero nec pro ordinatione, nec pro chrismate, vel baptismo, vel balsamo, nec pro sepultura, quicquam exigatur, statuit: sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.* Cauf. 1. quæstione 1. Canone *Dictum est.* Similia citat Gratianus ex Concilio Cabilonensi, Can. *statuimus.* eodem.

Gelasius Papa creatus. An. Dom. 492. Concil. Cart. 4. celebratum, anno Domini 398. Concil. Elibert. Anno Domini 305. Concil. Tribur. Anno Domini 895. Heresis. Concil. Cabil.

Beda. IX. *Non solum venditores sunt columbarum* (inquit Beda) *& domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines, largiendo pretium pecuniæ, vel laudis, vel etiam honoris, inquirunt: verum hi quoque qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Domino largiente perceperunt, non simplici intentione, sed cujuslibet humanæ causa retributionis exercent. Contra illud Petri Apostoli: Qui loquitur, quasi sermones Dei: qui ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus; ut in omnibus honorificetur Deus. Quicunque ergo tales sunt, qui nolunt veniente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de actibus suis, ne faciant domum Dei, domum negotiationis*, Cauf. 1. quæst. 4. Can. *Non solum.*

1 Petr. 4. 11.

Gregorius. X. *Vendentes* (ait Gregorius) *& ementes è templo eliminavit Christus, quia vel eos qui pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum Dei emere nituntur damnat. Item in templo vendentes sunt, qui hoc quod jure competit, quibusdam ad præmium largiuntur.* Vendentes. *Justitiam enim vendere, est hanc pro præmii acceptione servare: ementes vero in templo sunt, qui dum hoc quod justum est proximo persolvere nolunt, dumque rem jure debitam facere contemnunt, dato patronis pretio emitur peccatum.* Ementes. Cauf. 1. quæst. 3. Vendentes.

XI. Idem Gregorius mercenarium sic describit, hom. 14. in Evangelio. *Non pastor* (inquit) *sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo, oves dominicas, sed ad temporales mercedes, pascit. Mercenarius quippe est qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur. Istæ sunt etenim mercedes mercenarii, ut pro eo ipso quod in regimine laborat, hic quod quærit inveniat, & ab hæreditate Regis in posterum alienus existat.* Hæc ibi. Descriptio mercenarii.

Concil. Mogunt. XII. Statutum in Concilio Moguntinensi, ut qui alium in Ecclesia ordinatum, per pecuniam expelleret, eamque taliter vendicaret, omnimodo deponeretur, extra de Simonia. cap. *Qui alium.* Prohibitum est in Concilio Turonensi, sub Alexandro tertio, ne pecunia requireretur pro ingressu religionis, pro prioratu, vel capellania concedenda, &c. Extra de Simonia, cap. *Non satis.* Similiter in Concilio Lateranensi: *Horribile nimis est*, (inquiunt) *quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscunque personis Ecclesiasticis, ponendis in sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, nec non & pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis, aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quod legem mortis è longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infœlicem animam tenuerunt alligatam; Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, vel sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis sacramentis conferendis, seu collatis, aliquid exigatur, districtius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum.* Extra de Simonia. cap. *Cum in Ecclesia.*

Concil. Turon. Concil. Lateran. Contra pravam consuetudinem, & vetus malum. Nota multiplicem mercem.

XIII. Item, *Nemo Presbyterorum emolumentum quodlibet temporale, imò spirituale detrimentum, à quocunque publicè peccante accipiat, ut Episcopo vel ministris ejus peccatum illius celet, nec pro respectu cujusquam personæ, consanguinitatis, aut familiaritatis alicuis communicans peccatis, hoc Episcopo innotescere detrectet: nec quenquam pœnitentem, vel minus dignè pœnitentem, gratia vel favore ad reconciliationem adducat, & testimonium reconciliationis ferat eidem: vel quocunque livore, dignè pœnitentem à reconciliatione removeat: quia Simoniacum est utrumque.* Cap. *Nemo.* Extra, eodem. Et Lu-

Nota hic multiplex pretium.

Lucius tertius Papa. Lucius tertius Papa. *Indignum est* (inquit) *& Ecclesiasticæ rationi contrarium, ut absolutionis beneficium redimatur.* cap. *ad aures.* Extra, eodem. Vide supra, cap. 2. hujus Tractatus. §. 8. *Nec contemnenda.*

Honestas nominis non palliat malitiam criminis. XIV. Prohibet verò Innocentius Simoniacam pretii acceptionem quocumque nomine: commemorat enim quosdam qui variato denariorum nomine, denarios quos prius *Chrismales*, postea *paschales*, dicebant, & consuetudinem mediæ quadragesimæ nuncupabant: atque se ita evasuros pœnam sperabant constitutam in eos qui denarios chrismales acciperent. cap. *in tantum.* Extra. Eodem. ubi rectè auctor glossæ, *honestas*, ait, *nominis non palliat malitiam criminis.* *Auct. gloss.*

Nota. XV. Allegamus autem etiam citeriorum pontificum, & conciliorum, corruptioribus sæculis habitorum, testimonia: Non ut ab iis autoritatem dogmatis arcessamus, sed partim, ut bene ab illis dicta & veritati congruentia ad famulatum veritati præbendum adhibeamus, partim verò, ut ostendamus ipsorum etiam contra hanc Simoniacam hæresin nobiscum & cum antiquitate consonantiam: ut pateat scilicet de hoc dogmate nunquam dubitatum esse ne ab illis quidem pontificibus, qui in aliis multis erraverunt: Atque insuper ut non solum ipsa veritatis luce, sed domestico etiam ipsorum testimonio arguantur & convincantur, qui vel in ipso papatu, vel alio quolibet officio vel beneficio sacro ambiendo, aut adeundo, aut administrando, Simoniaci in ipsa Romana Ecclesia fuisse aut esse deprehenduntur.

Caput IX.

De atrocitate criminis Simoniaci.

I. Atrocitatem criminis demonstrant verba prophetæ *Elizæi*, quibus denunciat adhæsuram *Gehasi* & semini ejus in seculum lepram *Naamanis*, quæ illum statim invasit: nempe propter crimen illud expetitorum & acceptorum per avaritiam Simoniacam munerum à *Naamane* Syro, 2 Reg. cap. 5. quem locum considerans *Ambrosius*, lib. 4. Comment. in Luc. in cap. 4. 27. Citò turpem (inquit) sequitur lepra mercedem, & pecunia corpus animumque male quæsita commaculat: accepisti, inquit, pecuniam & possidebis ex ea agrum, & vineas, & oliveta, & greges, & lepra *Naaman* adhærebit tibi & semini tuo usque in æternum. Vides quia facto autoris successio damnatur hæredis: *inexpiabilis est enim venditi culpa mysterii*, & gratiæ vindicta cœlestis transit ad posteros. Denique Moabitæ & cæteri non intrabant in Ecclesiam usque ad tertiam & quartam generationem, tam diu videlicet (ut simplicius interpretemur) donec culpam aut dolum, multiplicis successio generationis aboleret. Sed quum illi, qui in Deum idololatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse mulctati, profectò durior videtur esse sententia, qua Gebasi semen usque in æternum, pro cupiditate habendi, prophetica auctoritate damnatur: præsertim quum Dominus noster Jesus Christus per lavacri regenerationem omnibus remissionem dederit peccatorum: nisi ut vitiorum magis quam generis semen intelligas. Sicut enim qui filii promissionis sunt, æstimantur in semen bonum; ita etiam qui filii erroris sunt, æstimantur in semen malum. Nam & Judæi ex patre diabolo sunt, non utique carnis successione, sed criminis: ergo, omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram cum divitiis suis possident: & malè quæsita mercede non tam patrimonium facultatum, quam thesaurum criminum congregarunt, æterno supplicio & brevi fructu. Nam quum divitiæ sint caducæ, pœna perpetua est; quia neque avarus, neque ebriosus, neque idolis serviens regnum Dei possidebunt. Hæc *Ambrosius.*

2 Reg. 5. 27. *Deut. 23: 3, 7, 8.* *Joan. 8: 44.* *1 Cor. 6: 9, 10.*

II. Ejusdem criminis atrocitas patescit ex verbis Petri Apostoli, ad Simonem Magum pecunias Apostolis offerentem, pro obtinenda potestate ut cuicumque manus imponeret, is acciperet Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum. 1. Argentum tuum tecum sit in perditionem, quoniam. 2. Donum Dei existimasti pecuniis acquiri. 3. Non est tibi pars neque sors in sermone hoc. 4. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Resipisce igitur ab ista. 5. Malitia tua, & deprecare Deum si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. 6. In felle enim amaritudinis & nexu iniquitatis video te esse. Actor. 8. *Act. 8: 20, 21, 22, 23.*

III. Inde etiam patescit atrocitas, quod Deus apud prophetam queratur se in populo suo contaminari per Simoniam prophetarum. Ezech. 13. 19.

IV. Scriptum est (inquit Dominus) *domus mea domus orationis vocabitur*, *vos autem eam fecistis speluncam latronum.* Matth. 21. 13. ubi mercatura in domo Dei habetur pro latrocinio. Eadem atrocitas manifesta est ex Apostoli Pauli testimoniis; qui ait, Simoniacos istos Domino nostro Jesu Christo non servire, sed suo ipsorum ventri, Rom. 16. 18. quæ teterrima est idololatria. (avaros omnes idololatras vocat idem Apostolus Ephes. 5: 5.) & alibi de Simoniacis conquerens, *omnes* inquit, *quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Jesu*, Philipp. 2: 21. Criminis etiam hujus atrocitatem demonstrat planctus Apostolicus, cum detestandi hujus vitii Simoniaci descriptione, *Multi*, inquit, *ambulant, quod sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos esse crucis Christi: quorum finis est interitus, quorum Deus venter, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, Philipp. 3: 18, 19. Idem Apostolus, Simoniacos describens, vocat cos homines mente corruptos, & veritate destitutos, qui quæstui habent pietatem, (sive existimant quæstum esse pietatem,) & monet Timotheum, ut ab ejusmodi secedat. 1. Timoth. 6: 5. Accedat testimonium illud Joannis Apostoli; *Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est dilectio patris in eo.* 1. Joan. 2. 15. Criminis etiam hujus atrocitatem ostendit vehemens illa obtestatio Paulina ad Timotheum, 1 Tim. 5: 21, 22.

V. Addamus quædam ex patribus & ex jure testimonia.

Ambrosius ait; *Quum ordinaretur Episcopus, quod dedit, aurum fuit; quod perdidit, anima fuit: quum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit; quod dedit, lepra fuit.* *Ambros.*

Am-

Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali, cap. 5. Quæ verba citat etiam Gratianus, caus. 1. quæst. 1. Can. *Quum ordinaretur.* Ubi auctor glossæ, *lepram* exponit vulnus peccati. Idem *Ambrosius*, condemnatum Apostolica auctoritate ait *Simonem Magum*, magica vanitate blasphemantem, & eo magis, quia *puram conscientiam fidei non habebat.* Lib. 1. de pœnitentia. Et apud Gratianum, caus. 1. quæst. 1. Can. *Petrus.* Idem nundinationem Simoniacam vocat *vulnus cancerosum*, caus. 1. quæst. 1. Can. *Reperiuntur.*

Gregorius Nazianzenus.

VI. *Spiritus Sancti donu pretio comparare* (ait Gregorius Nazianzenus, citante Gratiano,) *quid aliud est quam capitale crimen* (id est, mortale vel dignum depositione, inquit Author glossæ,) *&* Simoniaca *hæresis? quod quam detestabiliter in utroque Testamento vindicatum sit, multorum exemplis facile apparet.* Giezi *enim gratiam sanitatis* Naaman Syro *vendidit: eandem gratiam sanitatis*, Elizeo *vindicante, leprosus factus dimisit. Judas omnium redemptorem vendidit: mox laqueo suspensus eandem redemptoris gratiam non obtinuit, & merito, quia nemo potest retinere quod vendidit.* Simon *etiam Magus quum eandem Spiritus Sancti gratiam emere vellet, damnationis sententiam à Petro audivit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei pecuniis existimasti possideri. Dominus etiam ut vendentes & ementes hujus gratiæ expertes ostenderet, cunctos alios peccatores per gratiam in templo dimisit, singulariter vendentes & ementes increpans & flagellans è templo ejecit. In quo venditores & emptores gratia Spiritus Sancti constat destitutos esse & vacuos, quos enim Christus ejecit è templo, nunquam Spiritus Christi sibi faciet templum.* Caus. 1. quæst. 1. Can. Qui studet.

Hieronymus.

VII. *Doctor Ecclesiæ* (inquit Hieronymus) *qui spiritualem conficit panem, & eum populis dividit: si vel propter humanam gloriam, vel lucra seculi quæ gloriam consequuntur, loquatur in populis, & divitibus blandiatur, & honoret peccatores, & juxta* Jacobum, *suscipiat eos qui cum annulis aureis ad se veniunt, & pauperes sanctos repellat; nomen Dei despicit, & panem polluit doctrinarum, & in ipsum Deum jacit contumelias: mensam Scripturarum ejus, mensis idolorum secularisque doctrinæ putans esse communem.* Hæc Hieronymus, Comment. in Malach. cap. 1.

Jacob. 2: 2.

Gregorius.

VIII. *Gregorius*, hujus nominis primus Episcopus Romanus, de hoc argumento multa disserit. Is hom. 17. in Evangelia, ita loquitur: *Vobis*, inquit, *sacerdotibus lugens loquor, quia nonnullos vestrum cum præmiis facere ordinationes agnovimus, spiritualem gratiam vendere, & de alienis iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam vestram non redit, quod vox dominica præcipiens dicit, Gratis accepistis, gratis date? Cur non ante mentis oculos revocatis, quod templum Redemptor noster ingressus cathedras vendentium columbas evertit, & nummulariorum effudit æs? qui namque sunt in templo Dei hodie qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt? per quam videlicet impositionem Spiritus Sanctus cælitus datur. Columba ergo venditur quia manus impositio, per quam Spiritus Sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed Redemptor noster cathedras ementium columbas evertit*, &c. Hæc ibi.

Matth. 10: 8. Matth. 21: 12. Joan. 2: 15, 16. Columbarum venditores in templo Dei.

IX. Idem *Gregorius*, Virgilio Episcopo Arelatensi scribens; *Quibusdam*, inquit, *narrantibus agnovi, quod in Galliarum & Germaniæ partibus, nullus ad sacrum ordinem, sine commodi datione, perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuncio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras ementium columbas evertit. Columbas enim vendere, est de Spiritu Sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur quid sequatur. Quia in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum, Deo judice, cathedræ ceciderunt, qui videlicet error in subditos cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui pretio ad sacrum ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus paratior est aliis venundare quod emit. Ubi est quod scriptum est, Gratis accepistis, gratis date? Et quum primum Simoniaca hæresis sit contra sanctam Ecclesiam exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum, quem quis pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat?* Gregorius lib. 4. ex registro, epist. 91.

Matth. 21: 12.

Matth. 10: 8.

X. Item; *Fraternitatem vestram institutis Apostolicis commonemus, ut patrum regulis & præceptis dominicis innitentes, de templo fidei avaritiam; quæ idolorum est servitus, excludamus: ut in domo Domini nil noxium, nilque debeat esse confusum. Nuncio siquidem apud nos olim discurrente vulgatum est, quod in Galliarum partibus sacri ordines per Simoniacam hæresin conferantur, & vehementi tædio mœroris afficimur, si in Ecclesiasticis officiis quemquam habeat locum pecunia, & fit seculare quod sacrum est.* ——— ——— *Quid scilicet, quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio: sed ille solummodo dignus, qui dare pretium sufficerit, æstimetur? ex qua re, si rectè libraminis examinatione pensetur, dum improbè ad inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis, quod honorem quærit, indignus est.* ——— ——— ——— *Nam quia grave omnino sit facinus, Dei donum velle pretio comparare vel vendere, Evangelica est testis auctoritas: templum enim Dominus & redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas evertit: quid est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione percipere; & Sanctum Spiritum, quem Omnipotens Deus hominibus tribuit, venundare? quorum sacerdotium ante oculos Dei cadere, cathedrarum utique patenter eversione signatum est. Et tamen exerit adhuc nequitiæ pravitas vires suas: nam cogit vendere quos decipit ut emerent, & dum non attenditur quod divina voce præcipitur: Gratis accepistis, gratis date, agitur ut crescat & geminata fiat in uno eodemque delicti contagio, ementis scilicet & vendentis. Et quum liqueat hanc hæresin ante omnes radice pestifera surrepsisse, atque in ipsa sua origine, Apostolica esse detestatione damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui, ad hoc ut fiat hæreticus, promovetur?* Gregorius lib. 7. epist. 110.

XI. Item; *Omnino execrabile & esse gravissimum detestamur, quod sacri illic ordines per Simoniacam hæresin, quæ prima contra Ecclesiam*

orta,

orta, & districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc igitur agitur, ut sacerdotii dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit utique reverentia, adimitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit: & nefaria ambitione honorabilis sacerdotii ducitur in depravatione censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur? aut quis non vile putet esse quod emitur? Unde valde contristor, & terræ illi condoleo, quia dum sanctum Spiritum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur; sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam ubi dona supernæ gratiæ venalia judicantur; ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Quia igitur tantum facinus, &c. Gregor. lib. 7. epist. 113. Similia habentur, epist. 114.

XII. Idem, talem nundinationem hæresin esse, nullum fidelium ait ignorare. Cauf. 1. quæst. 1. *Presbyter si.* Nec obstat quod Simoniacus tenere fidem verbis, quam negat facto, videatur, ut monet idem Pater. 1. quæst. 1. *Cum omnis.* Idem Gregorius *Eulogium* Patriarcham Alexandrinum seriò hortatur, ut pro absolutione animæ suæ, proque augmento mercedis, ut ante tremendi oculos Judicis in omnibus perfecta sint ejus opera, festinet, Simoniacam hæresin à sede sua Alexandrina, *funditus evellere atque eradicare.* Gregorius lib. 11. ex registro, epistola 46.

Tarasius. XIII. *Tarasius*, Episcopus Constantinopolitanus, in epist. ad *Hadrianum* primum, Papam Romanum, quæ & *Gratiano* citatur, cauf. 1. quæst. 1. Canone, *Eos qui.* Hanc Simoniacam hæresin Macedoniana hæresi, de Spiritu sancto, minus esse tolerabilem asserit, eo quod Macedoniani Spiritum Sanctum servum esse Patris & Filii delirantes dicant; Simoniaci verò Spiritum Sanctum, quantum in ipsis est, studeant efficere suum servum, & tanquam mancipium vendere vel emere conentur. Propterea Tarasius eos æqualiter peccare ait illis qui blasphemaverunt, dicentes, Christum in Belzebub ejicere Dæmonia: *Atque ut verius dicam* (inquit Tarasius) *Judæ comparantur proditori, qui Judæis occisoribus Christum vendidit. Quum ergo Spiritus Sanctus consubstantialis sit Christo, ejusdem ipsi portionis erunt; & procul dubio in iis non est gratia Spiritus Sancti, &c.* Hæc ibi.

XIV. *Paschalis*, Papa Romanus; *Patet* (inquit) *Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos: & si commoniti non resipuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimendos. Omnia etiam crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur.* Cauf. 1. quæst. 7. Can. *Patet Simoniacos.*

CAPUT X.

De Simoniaci commercii inutilitate.

Ambros. I. G*Ratiam* (inquit Ambrosius) *quum ordinareris, non suscepisti, qui gratuito eam non meruisti.* Ambros. lib. de dignitate sacerdotali, cap. 5. Eodem etiam capite ait, *Oculis quidem carnalibus videtur quasi Episcopus magnus, sed divinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniam acquisivit indebitum ordinem, & Deum perdidit in interiore homine.* Hæc Ambrosius.

II. Similia ex Ivonis Carnotensis epist. 20. citat Illyricus in catalogo testium veritatis, lib. 12. *Nulla ratio sinit* (inquit Ivo) *ut inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti.* Item, *Quicunque sacerdotium studet pretii datione mercari, non officium, sed nomen attendit: non esse, sed dici tantum sacerdos concupiscit.* Item, *Oculis carnalibus videtur Episcopus quasi magnus, sed divinis obtutibus est leprosus, qui per pecuniam acquisivit indebitum ordinem.* Hæc Ivo.

III. Non est Simoniacis pars neque fors in sermone hoc, Actor. 8: 21. nempe quoad Dei gratiam ordinatio necessariam, & licitam suscepti muneris executionem; quibus carent Simoniaci, licet ipsum habeant ordinem male acquisitum.

IV. Huc refer ex canonibus Apostolorum, Canonem illum 75. *Non oportet Episcopum fratri, aut filio, aut alteri cognato, humano gratificari affectu: nec enim Ecclesiam Dei conferre debet in hæredes. Enimvero si quis id fecerit, irrita permaneto ordinatio: ipse autem excommunicatione percellatur.*

Vide secundum Canonem Concilii Chalcedonensis, cujus verba invenies superius recitata, cap. 8. §. 2.

V. *Gratia* (inquit Leo Papa) *si non gratis datur, vel accipitur, gratia non est: Simoniaci autem non gratis accipiunt: igitur gratiam, quæ maximè in Ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent, si autem non habent, nec gratis nec non gratis cuiquam dare possunt. Quid ergo dant? Profectò quod habent. Quid habent? Spiritum utique mendacii. Quomodo hoc probamus? Quia si spiritus veritatis (testante ipsa veritate de qua procedit) gratis accipitur, procul dubio spiritus esse mendacii convincitur, qui non gratis accipitur, vel datur.* Hæc ex Leone citat Gratianus, Cauf. 1. quæst. 1. Can. *Gratia.*

VI. *Quicunque sacros ordines vendunt & emunt, sacerdotes esse non possunt: unde scriptum est, Anathema danti, Anatema accipienti: hæc est Simoniaca hæresis. Quomodo ergo si Anathema sunt, & sancti non sunt, sanctificare alios possunt? & cum in Christi corpore non sint, quomodo Christi corpus tradere vel accipere possunt? Qui maledictus est, benedicere quomodo potest?* Ait Gregorius, apud Gratianum, cauf. 1. qu. 1. can. *Quicunque sacros.* Idem ait sacrum ordinem intus cecidisse; foris quoque diu stare non posse, ubi ad eum commodi datione pervenitur. lib. 4. ex registro, epist. 95.

VII. Idem alibi; *Quicunque* (inquit) *officium Ecclesiasticum pretii studet datione mercari, dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit.—— —— Quid est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione percipere, & Spiritum sanctum, quem Omnipotens Deus hominibus tribuit, venundare? Quorum sacerdotium ante oculos Dei cadere, cathedrarum utique patenter eversione signatum est.* —— Benedictio illi in maledictionem *convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur.* lib. 7. ex registro, epist. 110. *Matth. 21: 12.* Item: *Eorum, Deo Judice, cathedræ ceciderunt.* lib. 4. ex registro, epist. 95. Similia scribit *Theophylactus*, Comment. in Evang. Matth. 21. Marc. 11. & Joan. 2. ejus verba inferius recitabimus, cap. 12.

VIII. Rursum Gregorius; *Major* (inquit) *metuenda est loco illis fore calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam provocant, quem per semet-*

m:tipsos populis placare debuerant. lib. 7. ex registro, epist. 113.

Adeodatus, Episcop. Rom. A. D. 670.

IX. *Accusatum Simoniacum necesse habuimus probibere, nc missarum solennia celebraret, donec quid esset, verius constitisset*, ait Adeodatus, extra de Simonia, cap. *Accusatum.* Uti auctor Glossæ observat, Simoniacum in ordine, quantumcunque occultus sit, esse *ipso jure suspensum*, nec posse missam cantare, quoniam *ipsum characterem habet vitiosum*, ut loquitur ille.

Tarasius, Episcop. an. Dom. 787.

X. *Tarasius* de Simoniacis loquens, *procul dubio* (inquit) *in iis non est gratia Spiritus Sancti, id est, sacerdotii sanctitas, nam quod non acceperunt, non habent: ait enim Petrus Simoni, Non est tibi pars neque sors in sermone isto*, &c. caus. 1. quæst. 1. can. *Eos qui.*

Gregor. 4. an. Dom. 830.

XI. *Ordinationes* (ait Gregorius Papa Romanus, ejus nominis quartus) *quæ interveniente pretio vel precibus, vel obsequio alicui personæ ea intentione impenso, vel quæ non communi consensu cleri & populi, secundum Canonicas sanctiones fiunt, & ab his, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, falsas esse judicamus. Quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est, per Christum intrant, sed (ut ipsa veritas testatur) fures sunt, & latrones.* caus. 1. quæst. 1. can. *Ordinationes.* (Joan. 10. 1.)

CAPUT XI.

Quam sit necessaria Simoniaco verè pœnitenti resignatio.

I. RATIONIS *vigore cogitur Simoniacus, sive dator sive acceptor, restituere quod injustè receperit, & quicquid turpis lucri gratia receperat, non tenere*, inquit Gregorius, apud Gratianum, caus. 1. quæst. 3. can. *Si quis dator.*

II. Idem de homine dignitatem Episcopalem, seu sacerdotalem, Simoniacè consequuto loquens, ait; *Nisi in vita sua dignitatem illam sponte reliquerit*, cumque insperata mors pœnitentem non invenerit, procul dubio in æternum periturum. caus. 1. quæst. 1. can. *Si quis neque.* Ubi hanc observat distinctionem auctor Glossæ, quod de omnibus aliis criminibus possit quis agere pœnitentiam *ordine retento*, Simoniacum verò non rectè pœnitere, *nisi renunciet ordini.*

III. Nempe, si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur, ut monet *Augustinus*, epist. 54. ad Macedonium.

IV. Cui convenit illud *Adeodati* papæ, omnis peccator missam cantare potest, præter Simoniacum. Extra, de Simonia, cap. Tanta. Nempe post peractam pœnitentiam, nisi scilicet dispensetur cum eo, ut ibidem observat auctor glossæ.

V. Simile est illud *Innocentii* tertii, qui ait tale esse crimen Simoniæ, ut *ordinis executionem suscepti, aut retentionem beneficii, etiam post peractam pœnitentiam, impediat.* Extra, de accusationibus. cap. *Inquisitionis.*

VI. *Clemens* Papa tertius, *De regularibus* (inquit) *canonicis seu monachis nos consulere voluistis, qui per Simoniam ingressum ipsis scientibus habuerunt. Unde, quum super hoc auctoritates multæ reperiantur expressæ, non aliud, quam statutum est, respondemus: ut locum, quem taliter adepti sunt, omnino dimittant: & solitudines seu alia monasteria districtiora adeant, in quibus tam execrabilem excessum, sine intermissione deplorent; Si autem ignorantibus illis pecunia data fuerit, coges eos ad renunciandum loco eidem: & postmodum in idipsum reducere, si ibi absque scandalo potuerint remanere, vel in alio, qui sit de ordine ipso, ad serviendum Deo, poteris collocare.* Extra de Simonia cap. *de regularibus.*

VII. *Gregorius* ingentem monet esse in hoc casu difficultatem. Supra audivimus necessitatem renunciandi ex sententia ipsius Gregorii, qui alioqui certum interitum expectandum denunciat: alibi autem scopulos, utrinque monstrat, nempe lib. 32. Moralium, cap. 19. *Perplexi* (inquit) *nervi sunt, cum sic nos argumenta hostis alligant, ut culparum nodi, quo quæruntur solvi, durius adstringunt. Alius pensare pondus honoris Ecclesiastici negligens, ad locum regiminis præmiis ascendit, sed quia omne quod hic eminet, plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet, dum cor tribulationibus premitur, ad memoriam culpa revocatur, doletque se ad laborem, cum culpa pervenisse, & quam sit iniquum quod admiserit, ex ipsa fructus difficultate agnoscit. Reum igitur se cum impensis præmiis agnoscens, vult adeptæ sublimitatis locum deserere. Sed timet ne gravius delictum sit suscepti gregis custodiam reliquisse: vult suscepti gregis curam gerere: sed formidat ne deterior culpa sit regiminis pastoralis gratiæ empta possidere: per honoris ergo ambitum ligatum culpa hinc inde se conspicit: esse quippe sine reatu criminis neutrum videt: si aut susceptus semel grex relinquatur, aut rursum sacra actio seculariter empta teneatur: Undique metuit, & suspectus latus omne pertimescit, ne aut stans in empto regimine non digne lugeat, quod non etiam deserens, dum aliud emendat, aut certe regimen deserens, flere nititur, rursus aliud de ipsa gregis destitutione committat.* Hæc ibi. Deinde, cap. 20. *Si* (inquit) *omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur.* Hæc ille.

VIII. Veritas in sacris literis, nunquam jubet eligi ullum peccatum. Canonistæ, aiunt, *Simoniacum* non posse agere pœnitentiam de *Simoniaca* acquisitione, nisi renunciet beneficio & executioni, ut habetur in glossa, ad can. *Si quis neque.* caus. 1. quæst. 1. & ad cap. *Tanta est*, Extra de *Simonia.* Ita ut in aliis (innocuis scilicet) crimen sit abdicare se officio, & renunciare executioni; in *Simoniaco* verò non sit crimen, sed fructus pœnitentiæ necessarius. Concedunt tamen ibidem illis dispensationem; de qua infra dicemus. Sic Alexander Alensis, part. 2. quæst. 120. memb. 4. art. 2. *Perplexus est* (inquit) *utram teneat, vel deserat. Ad quod dicendum, quod illam partem convenit eligere, ut deserat officium susceptum Simoniacè:* sicut habetur, 14. quæst. 6. Hæc Alensis.

IX. Quibusdam autem videtur renunciatione de facto non semper esse opus, etiamsi affectu sit semper necessaria; ita ut paratus sit renunciare, neque obstet illi opum aut honorum mundanorum cupiditas; quamvis fortassis ex dispensatione vel expressa vel tacita remaneat in officio: quando scilicet minus scandalum, pro circumstantiarum varietate, minusque Ecclesiæ detrimentum hinc quam illinc metuitur. Nam etsi furtivum est beneficium, quod *Simoniacè* acquisitum est, furti autem non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, unde necessitatem dimissionis seu renunciationis *Simoniaco* incumbere colligit auctor glossæ, ad cap. *De regularibus* Extra de *Simonia.* Quum tamen vitium furti purgari possit etiam re apud furem manente, ff. de usurpationibus & usucapio. leg. 32. *Si fur.*

Ubi dicit Pomponius J. C. *Si fur rem furtivam à domino emerit, & pro tradita habuerit; desinet eam pro furtiva possidere: (& incipiet pro suo possidere.)* Hæc ibi. Hinc colligit auctor glossæ ad can. *Ordinationes.* cauf. 1. quæst. 1. posse dispensari cum *Simoniaco*, etiamsi ille non renunciet. Nempe de facto. Licet glossator ad cap. *tanta.* Extra. de *Simonia.* tum demum dispensationi locum concedat, postquam *Simoniacus* renunciaverit, & pœnitentiam egerit: tum enim posse cum ex nova concessione permanere in officio & possessione beneficii cui renunciaverit. Verum, uti supra monui, diligenter attendendæ sunt circumstantiæ, & cum vitatione scandali, diligentissime cavendum, ne quid Ecclesia detrimenti capiat ex utravis parte.

Plura de dispensatione, Domino donante, dicemus cap. ultimo hujus Tractatus.

CAPUT XII.

Censura sancita in Simoniacos, cujuscumque si dignitatis, etiamsi papalis, existant.

I. PRIUSQUAM ipsam proponamus censuram, haud alienum erit distinctionem illam *Simoniacorum* præmittere, quæ legitur apud *Gratianum*, cauf. 1. quæst. 1. can. *Statuimus decretum.* Ubi *Nicolaus* Papa tria commemorat *Simoniacorum* genera. Alii enim *Simoniacè* ordinantur à *Simoniacis*: alii *Simoniacè* ordinantur à non *Simoniacis*: alii ordinantur non *Simoniacè* à *Simoniacis*, quando scilicet ordinatus, quo tempore ordinatur, nescit suum ordinatorem esse *Simoniacum*, quem videt pro Catholico haberi in Ecclesia; ut explicat *Urbanus Papa*, cauf. 1. quæst. 1. cauf. *Si qui à Simoniacis.* Hos enim *facit Simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio Simoniaci.* ait *Gratianus*, can. *statuimus.* Eodem. *Simoniacè* verò posse aliquem ordinari à non *Simoniaco*, patet ex iis quæ supra diximus ad speciem *Simoniæ* distinctionem modalem primam, ubi ostendimus reperiri *Simoniacum* aliquem acquisitorem ubi non est *Simoniacus* venditor. Hæc quidem distinctio *Simoniacorum* ad ordinatores pertinet & ad ordinatos. Huc tamen reduci poterunt & alii *Simoniaci*, nempe intercessores, suffragatores, &c. Et omnino omnes *Simoniaci* administratores, & quicunque beneficium quodlibet aut officium in spiritualibus vel annexis vendunt vel emunt, quovis pretio *Simoniaco*, sive affectu, sive conatu, sive ulteriori effectu. In omnibus his vel uterque agit *Simoniacè*, vel tantum pars altera. De iis qui *Simoniacè* agunt, severior est sententia. Cum illis verò quos *Simoniacos* facit non reatus criminis ex parte sua, sed culpa partis alterius *Simoniacè* ordinantis, aut vendentis &c., clementius agendum decernitur, & sunt de jure ad executionem admittendi, quia sola voce, non reatu, *Simoniaci* dicuntur; cauf. 1. quæst. 1. *Statuimus.* in glossa. Ubi commemoratur H. opimo, quod scilicet, si occultum sit cum ordinatorem esse *Simoniacum*, quia toleratur, ordinatus suscipiat executionem. Glossator tamen, utcunque fateatur talem ordinatum admittendum de jure esse ad executionem, ait nihilominus eum indigere dispensatione, & hoc in detestationem criminis. Quibus collatis opinionibus, videtur, cum ab Ecclesia, per ipsam tolerationem occulti illius *Simoniaci* & ratihabitionem ordinationis ab illo peractæ, accepisse executionem. Quæ tamen in detestationem *Simoniæ* sunt piè constituta, adversus *Simoniacos*, non damno. Hac præmissa distinctione accedo nunc ad censuram ipsam.

Suprà, cap. 4. §. 4.

II. Censuræ in *Simoniacos* constitutæ tres sunt partes. 1. *Infamia*, cum permissione ut eos etiam criminosi accusent. 2. *Suspensio* à beneficio & executione officii, & *depositio* ab officio & beneficio. 3. Excommunicatio & anathematismus. Ad istas partes pertinent sequentes sententiæ.

III. *Emptor atque venditor & interventor, nota infamiæ percellantur*, ait *Innocentius* secundus Papa. Cauf. 1. quæst. 3. can. *Si quis præbenda.* Scilicet *in perpetuum percellantur*; inquit auctor glossæ. Ibidem. Idem, tanta est labes hujus criminis, quod etiam servi adversus dominos, & quilibet criminosi admittantur ad accusationem. Omnis peccator missam cantare potest præter *Simoniacum, quem quilibet ut ab ordine malè acceptio removeatur, accusare potest, vel etiam meretrix.* ait *Adeodatus* Papa, extra de *Simonia*; cap. *Tanta.* Meretrix inquam, quæ tamen alias non est admittenda ad accusationem, vel ad testimonium, propter vilitatem ejus, ut ibidem annotat autor glossæ, ex Cod. *de adult.* L. *qui adulterium.* & ff. *de test.* L. 3. §. *lege Julia.* Eadem ratione nec ad alium legitimum actum.

IV. Deponi jubentur *Simoniaci*, in *Canonib. Apost.* can. 28. Verba inferius recitabimus in tertia parte censuræ. II.

V. Decreverunt Chalcedonenses patres in œcumenico Concilio, can. 2. ut Simoniacus ordinator, qui vel Episcopum vel presbyterum, vel diaconum, vel dispensatorem Simoniacè ordinaret, is proprii gradus sui periculo subjaceret. Et qui ordinatus est, *nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est pro negotiatione* κατ' ἐμπορίαν facta, *proficiat*; sed sit alienus à dignitate [τῦ φροντίσματος] quam pecuniis acquisivit. Si quis verò mediator [μεσιτέυων] tam turpibus & nefandis datis [λήμμασιν] extiterit; si quidem clericus fuerit, à proprio gradu decidat: [τῦ οἰκείυ ἐκπιπτέτω βαθμῦ,] si vero laicus aut monachus, anathematizetur. Hunc canonem inseruit etiam decreto *Gratianus*, cauf. 1. quæst. 1. can. *Si quis Episcopus.* Vide suprà, cap. 10.

VI. *Qui per pecuniam quenquam consecraverit, vel ab alio consecratus est, alienus à sacerdotio fiat.* Hæc verba citat, ex octava synodo *Gratianus.* cauf. 1. quæst. 1. can. *Qui per pecuniam.* Videatur glossa ibidem.

VII. Si quis in Ecclesia ordinationem vel promotionem per pecuniam acquisierit, *acquisita prorsus careat dignitate.* ait *Calixtus* Papa, cauf. 1. quæst. 1. can. *Sanctorum.*

VIII. Presbyter si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit, non solum *Ecclesia privetur*, sed etiam *sacerdotis honore spolietur* &c., ait *Gregorius* primus, apud *Gratianum.* cauf. 1. quæst. 1. can. *Presbyter si.*

IX. Simile ex *Ambrosio* citatur, can. *Reperiuntur*, eodem. Verba Ambrosii invenies in tertia parte censuræ.

X. *Simoniaci Simoniacè ordinati vel ordinatores, secundum Ecclesiasticos Canones proprio à gradu decidant. Simoniaci quoque Simoniacè à non Simoniacis ordinati, simpliciter ab officio malè accepto removeantur. Simoniacos autem non Simoniacè à Simoniacis ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere.* inquit *Nicolaus* Papa, cauf. 1. quæst. 1. can. *Statuimus decretum.*

XI. Sed hoc intelligendum est (inquit *Gratianus*) de his qui ordinantur à Simoniacis, quos igno-

ignorabant esse Simoniacos: hos facit Simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio Simoniaci. De quibus Urbanus Papa,

XII. *Si qui* (inquit) *à Simoniacis non Simoniacè ordinati sunt, siquidem probare poterint, se, cum ordinarentur, nescisse eos Simoniacos esse, & quod tunc pro catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus: si tamen eos laudabilis vita commendat. Qui verò scienter se à Simoniacis consecrari (imo exsecrari) permiserint, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus*, caus. 1. quæst. 1. *Si qui a Simoniacis*.

XIII. Item, *Nicolaus* Junior. Hoc idem etiam *Alexander* secundus; *De cætero statuimus, ut si quis in posterum ab eo quem Simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit: & consecrator & consecratus non disparem damnationis sententiam subeant, sed uterque depositus, pœnitentiam agat, & privatus propria dignitate persistat.* caus. 1. quæst. 1. can. *De cætero.*

XIV. Idem: *Erga Simoniacos* (inquit) *nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decrevimus*, sed juxta canonum sanctionem & sanctorum patrum decreta eos omnino damnamus: ac deponendos auctoritate Apostolica sancimus. caus. 1. quæst. 1. can. *Erga Simoniacos.* Subaudiendum est (inquit *Gratianus*) nisi violenter attracti fuerint, & inviti repugnantesque ab hæreticis ordinati, de quibus subjungit ex *Innocentio* canonem, qui incipit, *Constat multos.* Excipit etiam illos quos excusat ignorantia, canonibus supra citatis: & can. *Statuimus ut sicut.* Ubi docet, Simoniacos vulneratum habere caput per Simoniacæ manus pravam impositionem.

Gregor. XV. *Ea quæ a sanctis patribus de Simoniacis statuta sunt, nos quoque* (inquit Gregorius Papa) *& judicio & Apostolica auctoritate firmamus. Quicquid ergo in sacris ordinibus vel in Ecclesiasticis rebus vel data vel promissa pecunia acquisitum, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus.* caus. 1. quæst. 3. can. *Ea quæ.*

Alexander Papa. XVI. *Alexander* Papa sequutus decretum concilii Chalcedonensis, ejusque inexpugnabilem (ut vocat) authoritatem, constituit, ut emptor, item venditor Simoniacus *periculo gradus sui subjaceat, nec ministrare possit* Ecclesiæ quam pecunia venalem fieri concupivit. *Et insuper* terribilis anathematis mucrone perfossus (nisi resipuerit) ab Ecclesia Dei quam læsit, modis omnibus abscindatur. caus. 1. quæst. 1. can. *Ex multis.*

Anath.

Innocentius secundus. XVII. Innocentius secundus, constituit, ut Simoniacus honore per pecuniam malè acquisito careat. caus. 1. quæst. 3. can. *Si quis prœbenda.*

2. Nicena synodus. XVIII. Ex secunda Nicæna Synodo, quam septimam œcumenicam vocant pontificii, hæc citantur à Gratiano. Omnis Episcopus vel presbyter aut diaconus convictus quod pro muneribus ordinationem dederit, vel acceperit, *à sacerdotio cadat.* [*Quia*, inquit Gratiani glossator, *legitimè factum superveniente delicto irritatur.*] ——— Item: Sequens sanctos Apostolos & venerabiles patres cum omni fiducia clamo; qui per Simoniam ordinatus est, sive Episcopus, sive presbyter, sive diaconus, *alienus est à sacerdotio.* Neque enim venalis est gratia Spiritus Sancti. *Caiphæ traditio, & adinventio Simonis* à sancto sacerdotio est aliena. ——— Item; qui per pecuniam ordinaverit aliquem, vel ordinatus est, *ab omni sacerdotio alienus sit.* [Hic autor glossæ monet vocabulum sacerdotium extendi ut significetur in universum cleritatus.] Item, Tharasius patriarcha dixit, *Quicunque per pecuniam vel ordinant, vel ordinaverunt, vel ordinati sunt Episcopi, vel presbyteri, vel diaconi, vel quilibet de numero sacerdotali; repellantur omnino à sacerdotali honore, sicut Simon Magus à Petro. Quicunque per pecuniam dispensationem vel curam sortiti sunt monasteriorum, vel Ecclesiarum, vel religiosarum domorum, Hierocomorum, Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, cum depositione expellantur à dispensatione illa & cura.* caus. 1. quæst. 1. can. *Si quis omnem.* *Sacerd.*

XIX. Etsi idololatricum de imaginibus dogma illius synodi abominamur, quæ tamen rectè à quoquam dicta sunt, non repudiamus. Præterea aliam ostendimus rationem suprà in fine octavi capitis, cur talibus utantur testimoniis.

XX. Theophylactus, Comm. in Evangelium Matth. cap. 11. *Vendunt columbas* (inquit) *& hi qui in Ecclesiis gradus vendunt; spiritus enim gratiam, qui est columba, vendunt: unde ejiciuntur ex superno & inferno templo. Indigni enim sunt sacerdotio fungi.* & Comm. in Evang. Marci cap. 11. *Sunt autem qui & multas mensas nummorum habent, qui administrant & dispensant Ecclesiastica, & omnia propter avaritiam faciunt. Et sellæ vendentium columbas subvertuntur, hoc est, pontifices vendentes spiritualia dona. Columba enim donum Spiritus Sancti. Quod qui vendunt, à Domino, à sacerdotio repelluntur. Nam qui propter datum aurum ordinatur, depositus est.* Item, Comm. in Evang. Joannis, cap. 2. *Multi ex pontificibus in Ecclesia columbus, hoc est, spiritualia dona vendunt, & majores dignitates conferunt his qui plura dant; quos Dominus ejicit templo, indignos judicans sacerdotio. Adhæc si quis talentum & nummum, hoc est sermonem & dogma vendat, & fortassis quum sit doctor, non annunciet verbum nisi lucrum habeat; etiam ejus mensam subvertit Dominus, sedem dico doctrinæ; & sermonem quem ille cohibet propter malitiam, non dans illum omnibus, Dominus Jesus per misericordiam effundit, populisque dat: illum quidem à principatu dejiciens, & alium in doctrinæ sedem collocans.* Hæc Theophylactus, archiepiscopus Bulgariæ; circa annum Dom. 1071. *Theophylact. columbarum venditores & nummularii indigni sunt sacerdotio fungi.*

XXI. *Nobis fuit* (inquit Cælestinus Papa tertius) *ex parte tua intimatum, quod cum quatuor essent à capitulo constituti, qui deberent quendam eligere in plebanum, amici ejus, de cujus electione spes erat, uni vel omnibus eligentium promiserunt se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus: quia igitur super hoc consulere nos voluisti, consultationi tuæ breviter respondemus, quod, nisi constaret illos qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius qui eligendus erat, id malitiosè fecisse: quamvis ipse tempore promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio tanquam Simoniaca pravitate præsumpta, est penitus reprobanda.* Extra de Simonia, cap. 27. *Nobis fuit.* *Cælestinus tertius de Simoniaca promotione per alios, inscio eo qui promovetur.*

XXII. Rationem reddit *Thomas*, quia etsi pœna debetur tantum peccato, quod est voluntarium; privatur tamen aliquis eo quod accepit, si fuerit injusta acquisitio, puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non potest; ita ut necessitas restitutionis incumbat possidenti, ut effectus injustæ acquisitionis, etiamsi eo nec sciente nec volente, atque adeo nulla ipsius culpa commissa sit ea injustitia. Unde, quoad restitutionem, infert hoc discrimen inter eum qui sciens intrat Simoniacè, & eum cujus pro- *Thomas.*

promotio, ipso nec sciente nec volente, fuit Simoniaca. *Et ideo* (inquit) *si aliqui scienter & propria sponte Simoniacè accipiat ordinem, vel Ecclesiasticum beneficium, non solum privatur eo quod accepit, ut scilicet careat executione ordinis, & beneficium resignet cum fructibus inde perceptis, sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia. Et tenetur ad restituendos fructus, non solum perceptos, sed etiam eos qui percipi potuerunt à possessore diligenti, quod tamen intelligendum est de fructibus qui supersunt, deductis expensis factis causa fructuum; exceptis fructibus illis qui alias expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ. Si verò, eo nec volente nec sciente, per alios alicujus promotio Simoniacè procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur resignare beneficium quod est consequutus, cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit. Nisi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione: vel nisi ipse expressè contradixerit. Tunc enim non tenetur ad abrenunciandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum.* Hæc ille. Secunda Secundæ, quæst. 100. art. 6. ad 3.

Dist. suspensus ipso jure quoad se & alios: vel quoad se tantum. XXIII. Idem etiam eodem articulo, ad primum, etiam eos Simoniacos, quos verè ac propriè Simoniacos facit reatus proprii criminis & spontanea ipsorum culpa, hac subdivisione distinguit, quod censuram suspensionis ipso jure; quod eorum alii sint ipso jure suspensi tum quoad se, ut scilicet executionem suscepti ordinis non attingant, tum quoad alios, ut scilicet nullus eis communicet in ordinis executione: alii vero suspensi sint ipso jure quoad se tantum, non autem quoad alios. *Dicendum* (inquit) *quod ille qui Simoniace recepit sacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam sacramenti, non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem, eo quod quasi furtivè susceperit characterem contra principalis domini voluntatem. Et ideo est ipso jure suspensus, & quoad se, ut scilicet de executione sui ordinis se non intromittat; & quoad alios, ut scilicet nullus ei communicet in ordinis executione, sive sit peccatum ejus publicum, sive occultum. Nec potest repetere pecuniam quam turpiter dedit, licet alius injustè detineat. Si verò fit Simoniacus, quia contulit ordinem Simoniacè, vel quia dedit, vel recepit beneficium Simoniacè, vel fuit mediator Simoniæ: si est publicum, est ipso jure suspensus, & quoad se, & quoad alios. Si autem est occultum, est suspensus ipso jure quoad se tantum, non autem quoad alios.* Hæc ibi.

Non licet ordinem recipere à suspenso quoad se & alios. XXIV. Hinc infert eodem art. ad 2., nec propter præceptum ejus, nec propter excommunicationem, debere aliquem recipere ordinationem ab Episcopo, *quem scit Simoniacè promotum.* Illum enim qui est ipso jure suspensus, & quoad se, & quoad alios, illicitè conferre ordinem: nec fas obedire alicui ad communicandum ei in facto illicito, quacunque ex causa. *Si autem* (inquit) *ei non constat, non debet peccatum credere alterius, & ita cum bona conscientia debet ab eo ordinem recipere.* Hinc collige, distinguenda inter se esse occultum, & incognitum.

Dist. inter occultum, & incognitum. Nam *occultum* est alicujus peccatum quod non est publicè notorium, quamvis tibi forsan privatim notum & compertum. *Incognitum* verò, quoad te, est illud cujus tu nullam habes certam notitiam. A Simoniaco occulto, qui ordinem suscepit Simoniacè, non licet ordinationem recipere. At ab illo, quem tibi non constat esse Simoniacè promotum, quamvis adhibita sedula inquisitione, potes ordinem recipere, nec fas tibi eum rejicere propter incertas & à charitate abhorrentes suspiciones; nam in rebus incertis ex charitatis lege, *non debes peccatum credere alterius. Si autem* (inquit Thomas) *Episcopus fit Simoniacus aliquo alio modo, quam per promotionem suam Simoniacè factam; potest ab eo ordinem recipere, si sit occultum, quia non est suspensus quoad alios, sed solum quoad seipsum, ut dictum est.* Hæc Thomas. *Fas ordinem recipere à suspenso quoad se tantum.*

XXV. In Concilio Moguntinensi decretum est, qui alium in Ecclesia ordinatum per pecuniam expulerit, eamque taliter vindicaverit, omnimodo deponatur. Extra de Simonia, cap. 2. *Qui alium.* *Concil. Mogunt.*

XXVI. Autor Glossæ ad cap. 11. *De hoc.* Extra de Simonia, Episcopus (inquit) Exoniensis ante suam electionem promisit Archidiacono quoddam beneficium, & cuidam clerico quendam prioratum, ut uterque electioni consentirent; item Rex & alii principes pecuniam receperunt, ut electioni consentirent. Quæsivit Archiepiscopus quid esset sibi agendum super prædictis. Resp. Papa, quod si manifestum est, dictum Archidiaconum vel clericum recepisse promissa ob causam illam, vel exinde confessi fuerint, vel convicti, *sunt deponendi.* Si verò non est notorium, nec convicti sunt, vel confessi, sed *publica laborant infamia; indicenda est illis purgatio*, in qua si defecerint, sunt puniendi. Rex autem & principes inducendi sunt, ut si qua receperint à dicto Episcopo, ut electioni præstarent assensum, Ecclesiæ restituant Exoniensi, quum illa sine periculo animæ non possint retinere. Nota, quod *deponendi sint qui Simoniam committunt.* Item, *pecunia recepta restituenda est Ecclesiæ, in cujus injuriam data est.* Hæc Glossator. Capituli illius inscriptio hæc est, *Convictus de Simonia deponendus est. Idem de infamato, qui se purgare non potest.* Vide etiam cap. *Cum super.* Extra de confessis. & cap. *Insinuatum est.* Extra de Simonia. *Autor Glossæ.* *De infamatis qui se purgare non possunt.*

XXVII. *Victor*, Papa Romanus, ejus nominis secundus, anno Dom. circiter 1055. Synodum habuit Florentiæ, in qua multos Simoniæ causa Episcopatu privavit: ut refert *Platina*, in ejus vita. *Victor, Papa secundus.*

XXVIII. In canonibus, qui Apostolorum dicuntur, statuitur, ut Simoniacus non solum *deponatur*, sed etiam *excommunicetur.* can. 30. Ejus canonis hæc sunt verba; *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut Diaconus, pecuniæ interventu hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor tam ipse, quam qui illum ordinavit; & omnino à communione abscinditor, quemadmodum Simon Magus à me Petro.* *III. Simoniacos excommunicandos.*

XXIX. Item can. 31. *Si quis Episcopus secularium magistratuum familiaritate usus, per ipsos Ecclesiam nactus fuerit, deponatur, & segregentur à communione, quicunque cum ipso communionem habent.* Et can. 75. cujus verba citavimus initio capitis 10. *Can. Apost.*

XXX. *Antiqua definitio patrum ita de Ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens, Anathema sit danti & accipienti*, (inquiunt patres Bracarenses, in secundo Concilio Bracarensi, can. 3. anno Dom. 572.) *Concil. Bracar.*

XXXI. *Qui studet donum Dei pretio mereri, in sacro ordine nulla ratione de cætero permanere aut revocari posse dubium non est: talis à communione omnibus modis abscindatur*, ait Gregorius Nazianzenus, apud Gratianum, caus. 1. quæst. 1. can. *Qui studet.* *Gregor. Nazianzen.*

XXXII. Citatur etiam canon nomine Ambrosii, *Ambros.*

fii, in hæc verba, *Reperiuntur quamplurimi negotiatione muneris mercari velle gratiam Spiritus Sancti, dum illi pretium donant, ut pontificalis ordinis sublimitatem accipiunt: obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem, pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possidere: propterea, quia ufitatum est tantum malum, & majorum exstat frequenter mucrone succisum; nos quoque huic vulneri cauceroso ignitum, quod superest adhuc, injicimus ferrum: decernentes omnino ut quicunque deinceps pro accipienda divini dignitate doni, quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore se noverit Anathematis opprobrio condemnatum atque à participatione corporis & sanguinis Christi alienum: ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quod si aliquis ejus accusator exstiterit, ille qui hunc ordinem munerum fuerit donatione lucratus, & surrepto honoris gradu privetur, & in monasterio sub perenni pœnitentia retrudatur. Illi verò qui hac causa munerum acceptores exstiterint, si clerici fuerint, honoris sui amissione mulctentur. Si vero laici perpetuo Anathemate condamnentur.* Cauf. 1. quæst. 1. Can. *Reperiuntur.*

Ambrof. XXXIII. Ambrosius etiam Comment. in Evang. Luc. cap. 19. ait, In Ecclesia Dei consortium eos habere non posse, qui Sancti Spiritus gratiam nundinantur.

Concil. Aurel. II. XXXIV. Patres Concilii Aurelianensis secundi, anno Dom. 536. hunc Canonem condiderunt: *Si quis sacerdotium per pecuniæ nundinum exsecrabili ambitione quæsierit, abjiciatur ut reprobus, quia Apostolica sententia donum Dei esse præcipit pecuniæ trutina minimè comparandum.* Concil. Aurel. 2. can. 4.

Gregor. XXXV. *Justè uterque corripiendus est* (inquit Gregorius) *& sanctæ liminibus Ecclesiæ submovendus, & qui pro Ecclesiæ ambitu munera largitur, & qui, ut Ecclesiam adeat, quicquam præsumit accipere. Iste quippe, donum Dei emere, hic autem præsumit vendere: à sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim; cum id quod sponte & sacro deliberationis arbitrio fieri debuit, sub pecuniæ pactione causatur.* Cauf. 1. quæst. 3. can. *Audivimus.* *A sacrilegio non dispar.*

Innocens. III. XXXVI. *Quicunque vicedominatum* (inquit Innocentius tertius) *vel aliam Ecclesiasticarum rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes quam vendentes cum Simone procellantur, & ab illa Ecclesia, in cujus contumeliam dare pecuniam vel accipere voluerunt, justè excludantur.* Extra de Simonia, cap. 38. *Consulere.*

Caput XII. Pars II.

In qua docetur etiam Romanos Pontifices memorata censura feriri, si Simoniaci sint.

I. Hæc quæ in superioribus allegantur, generalia sunt, & communibus subnixa rationibus, ita ut ad omnes pertineant, etiam Rom. Pontifices: quibus non licet domum Dei facere domum negotiationis, & speluncam latronum; quibus, si donum Dei existimaverint per pecuniam acquirendum, dicitur verbis Petri Apostoli, *pecunia tua tecum sit in perditionem, non est tibi sors neque pars in sermone hoc,* &c. qui etiam, si Simoniaci sint, sunt ipso jure à sacerdotio alieni, sunt hæretici, habent, dantque spiritum mendacii, & renunciare tenentur si salvi esse volunt: sunt ipso jure infames, depositi, & excommunicati: neque fas cuiquam est ab illis ordinationem accipere; qui enim à Simoniaco se ordinari patitur, accipit vulneratum caput, accipit lepram, maledictionem, & damnationem, &c. Testimonia supra citavimus. *Actor. 8. 20.*

Nicol. Papa II. II. *Nicolaus* Papa hujus nominis secundus, Concilio centum & tredecim Episcoporum apud Lateranum habito an. D. 1059. canonem condidit, ex consensu Concilii, pro excludenda Simonia ab electione Rom. Pontificis, & decreti illius transgressores anathemate perpetuo condemnavit. Canon ille habetur in decreto Grat. 23. distt. can. *In nomine.* & in prima parte tomi septimi Conciliorum, pag. 275. edit. Parif. an. Dom. 1636. Sic autem exorditur orationem suam *Nicolaus* Papa ad præsentes Episc. Abbates, &c. *Novit beatitudo vestra, dilectissimi fratres, & coepiscopi, inferiora quoque membra non latuit, defuncto bonæ memoriæ domino Stephano, prædecessore nostro, hæc Apostolica sedes; cui Auctore Deo servio, quot adversa pertulerit; quot denique per Simoniacæ hæresis trapezitas repetitis malleis crebrisque tunsionibus subjacuit, adeo ut columna Dei viventis jam pene videretur nutare, & sagena summi piscatoris procellis intumescentibus cogeretur in naufragii profunda submergi. Unde, si placet fraternitati vestræ, debemus, auxiliante Deo, futuris casibus prudenter occurrere, & Ecclesiastico statui ne recidiva (quod absit) mala prævaleant, præcavere.*

III. Hæc præfatio est, occasionem & necessitatem monstrans ferendæ legis, quam subjungit Papa ibidem, in hæc verba;

*Quapropter instructi prædecessorum nostrorum, aliorumque sanctorum Patrum auctoritate decernimus, atque statuimus, ut obeunte hujus Romanæ Ecclesiæ universalis Pontifice imprimis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox * Christi clericos Cardinales adhibeant: sicque reliquus clerus & populus ad consensum novæ electionis accedant: nimium præcaventes ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. Et ideo religiosissimi viri præduces sint, in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces. Certus verò atque legitimus hinc electionis ordo perpenditur, si perspectis diversorum patrum regulis sive gestis, etiam illa beati Leonis prædecessoris nostri sententia recolatur:* Nulla (*inquit*) ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. *Sed quia sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis; atque ideo supra se Metropolitanum habere non potest; Cardinales Episcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet Antistitem ad Apostolici culminis apicem provehant consecrandum. Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio si reperitur idoneus. Vel si de ipsa non invenitur, ex alia sumatur. Salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici qui impræsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur. Quod si pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera atque gratuita fieri in urbe non possit electio; Cardinales Episcopi, cum religiosis Clericis, Catholicisque laicis licet paucis, jus potestatis obtineant eligendi Apostolicæ sedis Pontificem, ubi * congruerit.* Hæc Nicolaus PP. * *Ipsi.* *Leo I. PP. Rom. epist. 91. cap. 1.* *Henric. III.* * *congruere viderint.*

IV. Ecce electionem Romani Pontificis eisdem subdit regulis, quibus subjacet electio aliorum Episcoporum, nisi quod Metropolitani vice funguntur Cardinales Episcopi in consecrando illo qui Pontifex eligitur: jubet recordari patrum regulas & gesta, & nominatim illam *Leonis* sententiam de quolibet Episcopo: jubet eligi non nisi idoneum: jubet electionem fieri

puram, sinceram, gratuitam, sine venalitatis morbo, &c.

V. Sed audiamus sanctionem quam ibidem addit Nicolaus Papa in hæc verba.

Perpet. Anathema.

Simoniacus Papa est Antichristus

Quod si quis (inquit) *contra hoc decretum nostrum Synodali sententia promulgatum, quasi per seditionem, vel præsumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus seu inthronizatus fuerit: auctoritate divina, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, perpetuo anathemate cum suis auctoribus, & fautoribus & sequacibus; à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus abjiciatur, sicut Antichristus & invasor, & destructor totius Christianitatis: nec aliqua super hoc ei reservetur audientia, sed ab omni Ecclesiastico gradu in quocunque fuerat prius, sine retractatione deponatur. Cui quisquis adhæserit, vel qualemcunque tanquam Pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumpserit, pari sententia sit mancipatus. Quod si quis hujus nostræ sanctæ decretalis sententiæ temerator exstiterit, & Romanam Ecclesiam sua præsumptione confundere & perturbare contra hoc statutum tentaverit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non consurgent in judicio reputetur: omnipotentis iram contra se sentiat*, &c. Hæc ibi, Nicolaus II. Papa Rom.

VI. Quicunque igitur per venalitatis morbum ad pontificatum ascendit, ille ut Antichristus, & invasor, & destructor totius Christianitatis, perpetuo subjacet anathemati, ipso jure, & ab omnibus fidelibus deserendus est; si *Nicolaum* illum audiamus, cum Concilio illo Lateranensi. Neque dicenda est consecratio quæ ab illo illiusve complicibus celebratur. *Quam rem* (inquit Gregor.) *nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quia ab excommunicatis est hominibus celebrata*, lib. 3. ex registro, epist. 20. quod à Gregor. dicitur, non ut existimemus verum ordinem ab excommunicatis conferri non posse, (de quo vide in Irenico nostro, lib. 2. cap. 11.) sed ut meminerimus deesse tali ordinationi gratiam Dei & licentiam exercitii.

VII. Illud autem Nicolai secundi decretum Lateranense refert in eandem etiam sententiam *Platina* in vita Nicolai secundi. *Apud Lateranum Concilio habito* (inquit Platina de Nicolao secundo) *legem tulit, ut in decretis legitur, Romanæ Ecclesiæ admodum salubrem, quæ talis est. Si quis pecunia vel gratia humana aut populari militarive tumultu sine concordi & canonica electione in throno Petri collocatus, is non Apostolicus sed Apostaticus, id est, oratione deficiens, merito vocetur: liceatque Cardinalibus, Clericis, & laicis Deum colentibus, illum ut prædonem anathematizare & quovis humano auxilio à sede Apostolica propellere: atque quovis in loco, si in urbe non liceat, catholicos hujusce rei causa congregare.* Hæc ille.

Non Apostolicus, sed Apostaticus, & prædo.

Alexander III.

VIII. Postea quidem *Alexander* tertius (quem tamen pro Antipapa habuerunt Episcopi illi in Concilio Papiensi, qui *Victorem* quartum, Alexandri adversarium, judicarunt legitimum esse Papam: Item illi qui in Concilio Herbipolensi *Paschalem* tertium, Victoris quarti successorem, & ejusdem Alexandri adversarium, Papam legitimum esse decreverunt, ut refert *Calvisius* in sua Chronologia, ad annum Dom. 1159. & 1160. & 1164. & 1166.) *Alexander*, inquam, constituit, ut duabus partibus Collegii Cardinalium electorum concordantibus, quamvis parte tertia renitente, ille absque ulla exceptione verus Pontifex habeatur qui à duabus partibus electus fuerit & receptus. Extra, de electione & electi potestate. Cap. *Licet de.*

IX. Non volebat *Alexander* tollere necessitatem *sinceræ, puræ, & gratuitæ electionis*, aut prædecessorum suorum & ipsius etiam Alexandri (vide cap. 8. *Non satis.* cum sequentibus aliquot capitulis. Extra, de Simonia) consentientibus decretis damnatum & anathematizatum venalitatis morbum, & cancerosum Simoniacæ pravitatis vulnus, in Ecclesiam introducere: sed numerum duntaxat definit suffragiorum, ut scilicet nemo recipiatur & habeatur pro vero Pontifice Romano; qui tertia solum parte, aut etiam majore duntaxat parte suffragiorum, aut à paucioribus quam à duabus tertiis partibus electus fuerit: ut ibidem docet *Alexander*. Etiamsi in aliis Ecclesiis majoris & sanioris partis debeat sententia prævalere: ut habetur eod. cap. Non igitur excluditur illo Alexandri decreto exceptio Simoniæ, aut contumaciæ, aut cujuscunque damnatæ hæreseos.

Accus. potest Papa Rom. de crimine Simoniæ.

X. Exstat Canon. dist. 40. *Si Papa.* Ubi dicitur Papam à nemine judicari posse, nisi deprehendatur à fide devius. Ubi observat Author Glossæ, non posse Papam statuere ut non accusetur Papa de hæresi. Idemque ostendit Author Glossæ ad cap. *Licet.* Extra de electione & electi potestate. Præterea Glossator Gratiani, ad Can. *Si Papa*, dist. 40. ait posse accusari Papam de Simoniæ crimine, vel de quocunque alio crimine, si notorium sit vel per facti evidentiam, vel per confessionem, & inde scandalizetur Ecclesia, & incorrigibilis sit Papa; contumaciam enim dici hæresin, 81. dist. *Nullus.* Et dicit specialiter fieri mentionem de hæresi, Can. *Si Papa.* 40. dist. Ideo quia etsi occulta esset hæresis, de illa posset accusari: licet de alio occulto crimine non posset. Hæc ibi.

XI. Decernitur ut sacerdotio careat quicunque ex electoribus Romani pontificis captus promissione, non recto judicio de electione decreverit. 79. dist. Can. *Si transitus.*

Simoniaci Pontificis elogia.

XII. Ex superioribus habemus, quemlibet reum criminis *Simoniæ*, qui *Simoniacè* promotus est, etiam ad Papatum Rom., esse in sui radice vitiatum, esse leprosum in oculis Dei; sacerdotem non esse, sed inaniter tantum dici: esse ipso jure à sacerdotio alienum; esse Antichristum, invasorem, Apostaticum, prædonem; ipso jure ab executione officii suspensum, & depositum; atque anathematis opprobrio condemnatum: & teneri illum ad renunciandum, ideoque fugiendum esse, & relinquendum. Unde *Onufrius*, ad vitam *Benedicti* decimi, ait eum legitimum pontificem non fuisse, eo quod *Simoniacè* per vim & metum contra canones & juramenta pontificatum occupasset: ideoque meritò alio subrogato exactum esse.

Onuphrius.

Platina.

XIII. Et *Platina* ait, *Silvestrum* Papam tertium qui largitione pontificatum adeptus erat (anno Dom. 1144.) merito pulsum esse; quum non per ostium, sed per posticum intrasset, ut fur & latro. Sic *Platina*, in vita Sylvestri tertii.

Salvianus anno Dom. 460.

XIV. *Ubi sublimior est prærogativa, major est culpa*, ait *Salvianus* Massiliensis Episcopus, lib. 9. de gubernatione Dei, num. 118.

Nicolaus II. PP.

XV. *Nicolaus* Papa junior, easdem in electione pontificis Romani atque in electionibus aliorum pontificum sive Episcoporum observari regulas ju-

jnbet, addito in transgressores anathemate, ut supra vidimus.

Gregor. PP. 10. & Concil. Lugd. anno Dom. 1274. Bonif. PP. 8. anno Dom. 1294.

XVI. *Gregorius* Papa, ejus nominis decimus, anno Christi 1274. (ut refert *Onuphrius* ad ejus vitam in Platina) maximo Christianorum Concilio Lugduni in Galliis habito, tulit leges sive Canones condidit de Romani Pontificis electione; quos Canones ratos habuit *Bonifacius* Papa octavus, & inseruit lib. 6. Decretalium, cum confirmatione etiam eorum quæ de electione Romani Pontificis constituta sunt ab antegressis pontificibus pro vitanda discordia, & præcipuè ab *Alexandro* Papa tertio, Titulo sexto, de electione, in *Sexto*. Et *Clemens* Papa quintus, in Concilio Viennensi, cujus decretum insertum est etiam Juri Canonico, lib. 1. Clementinarum, Tit. 3. de electione & electi potestate, cap. 2. *Ne Romani*. Inter cætera constitutum, ut in Comitiis pro eligendo Pontifice Romano habendis sub anathematis pœna nulli fas sit, aut largitione uti, aut quicquam polliceri, aut prensare, sive ambiendo animos Cardinalium sibi in nova creatione devincire. Ecce ex authoritate Gregorii Papæ & generalis Concilii Lugdnnensis, & confirmatione Bonifacii & Clementis & Concilii Viennensis, est ipso jure anathematizatus quicunque pro consequendo Pontificatu utitur largitione, &c.

Clemens V. & Concil. Viennense anno Dom. 1311.

XVII. Præterea ejus ordinatio in Papam est Ipso jure nulla, nec agnoscendus est pro vero Pontifice, sed relinquendus, & pellendus, ex decreto *Nicolai* Papæ in Concilio Lateranensi, anno Dom. 1059. Item ex decreto *Martini* Papæ ejus nominis quinti, in Concilio Constantiensi, (quod etiam universale dicitur,) quod decretum exstat in actis Concilii Constantiensis, sessione 43. *Multæ* (inquit Martinus) *contra Simoniacam pravitatem ab olim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit competenter exstirpari; nos volentes de cætero, ut possumus, attentius providere, sacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati Simoniacè ab executione suorum ordinum sint eo ipso suspensi. Electiones autem, postulationes, confirmationes, & quævis provisiones Simoniacæ Ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personarum, officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque deinceps factæ, nullæ sint ipso jure, nullumque per illas jus cuiquam acquiratur; nec promoti, confirmati, aut provisi faciant fructus suos; sed ad illorum restitutionem tanquam iniquè ablatorum percipientes teneantur. Statuentes insuper, quod dantes & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiamsi Pontificali aut Cardinalatus præfulgeant dignitate.* Hæc Martinius cum Concilio Constantiensi.

Martinus PP. 5. & Concil. Constantiense an. Dom. 1417. vel 1418.

Nulla ipso jure.

Ipso facto excommunicati.

CAPUT XIII.

Exempla quadam Simonia in Sede Romana.

Felix II.

I. EXEMPLA autem Simoniaci ingressus, vel Simoniacæ administrationis, in Romanis Episcopis pauca quædam ad gustum præbendum adnotabimus.

Sub annum Domini 353. *Felix*, *Liberii* Canonicè electi Pontificis Archidiaconus, contra sacramenti fidem (vivente *Liberio*) Episc. ordinatus in schismate Romanum invasit sacerdotium: ideo quum schismaticus fuerit *Felix* ille hujus nominis secundus, nulla ratione inter legitimos Romanos Pontifices enumerandus esset, duo enim simul Papæ esse non possunt. Hæc *Onuphrius*, ad vitam *Felicis* secundi. Mortuis autem *Liberio* legitimo Episcopo, & *Felice* schismatico, clerici Romani Liberianæ partis statim *Ursicinum* diaconum Pontificem constituunt, & à Paulo Episcopo Tiburtino ordinari faciunt. Hi verò qui *Felici* adhæserunt, *Damasum* in schismate etiam ipsi Romanum Pontificem renunciant. Unde ortum schisma, & civilis seditio, cujus tollendæ causa Imperator *Valentinianus*, Damaso in Pontificatu confirmato, Ursicinum urbe expulit, anno 1. & mense 2. ordinationis ejus; atque ita solus *Damasus* præsul Apostolicæ sedis permansit: ut ibidem refert *Onuphrius*, ex antiquo Romanæ Ecclesiæ registro. Addit verò *Platina*, in vita Damasi primi, sacerdotum ac populi consensu Damasum Episcopum confirmatum esse, traducto ad Neapolitanam Ecclesiam Ursicino. Hinc unum ex tribus colligimus: nempe vel hoc tempore interruptam esse legitimæ successionis seriem in Episcopatu Romano, cum *Damasus* schismatico *Felici*, non autem *Liberio* legitimo Pontifici successerit, & renunciatus fuerit Pontifex in schismate à potestatem non habentibus, & in suo pontificatu etiam confirmatus ab iis qui potestatem confirmandi eum non habebant: vel si hoc negetur, tum sequitur posse esse simul viventes duos legitimos Pontifices, quod negat Autor glossæ, caus. 7. quæst. 1. can. *Non autem*. Et Onuphrius loco citato: vel denique Pontificem Romanum Canonicè à potestatem habentibus electum, & ordinatum, (ut erat *Ursicinus*,) deponi posse authoritate Imperatoris, cum sacerdotum & populi consensu, & recipi illo vivente competitorem ejus schismaticum, in schismate à schismaticis electum, & ordinatum, (ut erat *Damasus*) & confirmari in pontificatu absque resignatione. Quicquid horum elegerint Papistæ, suis laqneis irretiti tenebuntur. Non est autem nunc disceptatio de vita aut meritis *Ursicini*, aut *Damasi*, sed de legitima vocatione, ordinatione, & successione. Quamvis etiam ab *Ursicino* nihil admissum esse legamus, quod depositionem meruerit: *Damasi* verò, licet viri cætera laudandi, schismaticus & factiosus reperiatur introitus. Nisi *Liberium* repudies, utpote Arianum, & laudes Felicianos Damasi electores, quia *Felicem*, verum & orthodoxum pontificem sequuti sunt, spreto *Liberio* hæretico.

Damasus I.

II. De *Vigilio* constat, illegitimum fuisse & planè nefarium ejus ingressum ad Pontificatum. Nam vivente adhuc & injustè ejus opera expulso prædecessore ejus *Silverio*, Pontificatum per calumniam & vim invasit, auxilio *Theodoræ* Augustæ cui promiserat se *Anthemio* hæretico assensurum, si Pontifex crearetur & Silverius interea in magna inopia exul usurpatorem Vigilium excommunicat, (nec ita multo post moritur,) persistente nihilominus *Vigilio* in usurpatione, & tempore illins septimi schismatis ordinationes faciente Episcoporum 81. & Presbyterorum 46. & diaconorum 16. Contradixit idem *Vigilius* quinto Concilio Oecumenico, ideoque à *Justiniano* Imperatore in exilium actus est, tandemque assentiens determinationi quinti Concilii, & sua in contrarium scripta revocans, Romam remittitur, sed in itinere obiit in Sicilia, anno Dom. 556. Hæc ex *Liberati* diaconi breviario. Item ex vitis Pontificum *Silverii* & *Vigilii*, per *Anastasium* Bibliothecarium scriptis; & ex actis quinti Concilii

Vigilius. PP. Rom. de quo vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 2. cap. 23.

Oecumenici, Tom. 2. Conciliorum. Item ex *Platina* in Silverio & Vigilio, & ex Chronico *Onuphrii* ad an. Domini 535. & 537. ejusdemque Onuphrii annotatione ad vitam Vigilii, à Platina scriptam.

Joanna Papissa.

III. Ad fraudem etiam *Simoniacam* cum immani sacrilegio conjunctam referenda est impostura mulieris illius, quæ sexum mentita virilem, doctrinæ ac morum præstantia cunctis Romæ admirationi fuisse fertur, & pontificatum consequuta anno Domini 854.; prius quidem *Gilberta*, in papatu autem, quem ultra biennium tenuit, *Joannes* dicebatur. Puerperio tandem, in ipsa via publica, detecta & mortua est. Successit *Leoni* IV. & successorem habuit *Benedictum* III. De hujus historiæ veritate alibi monuimus.

Instruct. Historico-Theolog. lib. 7. cap. 12. §. 15.

Joannes XIII. alii 12. vocant.

IV. *Joannes* XIII. (teste Platina in ejus vita) qui prius *Octavianus* vocabatur, homo ab adolescentia omnibus probris & turpitudine contaminatus, patris potentia fretus pontificium munus, humeris suis nequaquam conveniens, sibi desumit, & pontificatum occupat, circa an. Domini 956. homo sceleratissimus vel monstrum potius, uti de eo loquitur *Platina*. Hunc tamen in veris & legitimis pontificibus censent. Unde *Bellarminus* in Chronologia ait, *Leonem* VIII. initio non fuisse legitimum pontificem, quia creatus fuit ab Imperatore, *Joanne* illo adhuc vivente, (quem 12. vocat) & mortuo demum Joanne cœpisse esse legitimum.

Leo VIII.

Joannes XVI.

V. Alius *Joannes*, hujus nominis 16. secundum Platinam, pontificatum adeptus, circa an. Domini 984. ab ipsis clericis odio habitus est, maxime ob eam caussam, *quod divina humanaque omnia cognatis & affinibus suis elargiebatur, posthabito Dei honore, & Romanæ sedis dignitate. Quem certè errorem* (inquit Platina) *ita posteris tradidit, ut ad nostram usque ætatem pervenerit. Qua quidem consuetudine nil certè dici perniciosius potest, quum non ob Dei cultum & religionem appetere pontificatum nostri sacerdotes videantur, sed ut fratrum vel nepotum vel familiarum ingluviem & avaritiam expleant.* Hæc Platina, qui mortuus est sedente Sixto pontifice 4. anno Domini 1481. teste *Tritemio*, Abbate.

Platina mors.

Silvester II.

VI. *Silvester II. factus est Papa auxilio diaboli, cui homagium fecit, ut cuncta ei ad votum succederent:* inquit Auctor fasciculi temporum. Idem de hoc *Silvestro* scribunt *Platina* in ejus vita, & *Sabellicus*, lib. 2. Enneadis nonæ historiarum. Et *Vincentius Bellovacens.* Specul. histor. lib. 24. capitibus 98, 99, 100, 101. Sedebat hic pontifex, anno Domini millesimo.

Benedictus IX.

VII. Benedictus IX., quem etiam inter legitimos pontifices numerant, *Pontificatum vendidit*, ut scribit *Platina* in ejus vita, & vita *Gregorii* VI., qui à *Benedicto* adhuc vivente Pontificatum accepit, circa an. Domini 1044. sed ante illam venditionem è sede dejecto *Benedicto* alium substituerunt, quem appellarunt Romani *Silvestrum* III.: quo post novem & quadraginta dies pulso, *Benedictus* rursum factione suorum restitutus est. *Eo enim tum, Pontificatus devenerat* (inquit Platina in vita Silvestri III.,) *ut qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vitæ & doctrina valeret, is tantummodo dignitatis gradum bonis oppressis & rejectis obtineret. Quem morem utinam aliquando non retinuissent nostra tempora.* Hæc ille.

VIII. Similia scribit in vita *Clementis* II: quem ait Pontificem creatum esse *annuente Imperatore Henrico II., vel imperante & cogente potius. Eo enim licentia factiosum quemque & potentem, quamvis ignobilem, devenisse, ut corruptis suffragiis tantam dignitatem consequeretur.* Et ideo Imperatorem autoritate sua necessario usum esse. Suffectus est autem *Clemens* II. in locum *Gregorii* VI. qui ob Simoniam depositus est, in Concilio Sutrino, præsente Henrico II. Imperatore, quam Gregorii depositionem *Bellarminus* & *Baronius* Cardinales referunt ad an. Domini 1046. *Damasum* etiam secundum accenset Bellarminus legitimis pontificibus; de quo tamen sic scribit *Platina* in ejus vita, *Damasus secundus, natione Bavarus, &c. Pontificatum per vim occupat, nullo cleri populique consensu. Adeo enim inoleverat hic mos, ut jam cuique ambitioso liceret Petri sedem invadere.*

Gregorius VI.

Damasus II.

Benedictus X.

IX. *Benedictum* X. ab omnibus fere clericis electum & creatum pontificem pepulit *Hildebrandus* subdiaconus; *Quod non per ostium, ut dicebat, sed per vim & largitionem intrasset.* Platin.

X. *Cælestino* quinto persuasit Benedictus Cajetanus ut Pontificatu se abdicaret: quo facto ipse Benedictus creatus est Pontifex, & vocari voluit *Bonifacius* VIII., de quo sic scribit Platina in Vita Cœlestini quinti; *Constat* (inquit) *hominem ipsum* (Bonifacium VIII.) *magnæ ingratitudinis & calliditatis fuisse: quippe qui ambitionis causa, & virum sanctum deceperit, dum eum magistratu se abdicare compulit; & captum, vitam Eremiticam appetentem, in arce Fumonis dolore animi ante tempus mori coëgerit, anno* 1. *mense* 5. *post initum Pontificatum* (circa annum Dom. 1292.) Item in vita ipsius *Bonifacii* VIII. *ad Pontificatum*, (inquit) *non tamen sine ambitionis crimine, pervenerat. Nam dum esset S. Martini in montibus Presbyter Cardinalis, adeo dignitatem pontificatus exoptavit, ut nil ambitione & fraude prætermiserit, quod ad eam rem consequendam pertinere arbitraretur.* Hic est, de quo dicitur, quod *intravit ut vulpes, vixit ut Leo, mortuus est ut canis*, inquit Paulus Langius in Chronico Citizensi. Vide plura apud Paulum Langium in Chronico Citiz. ubi de fistula per parietem missa &c.

Bonifacius VIII.

XI. Mortuo *Gregorio* XI., anno Dom. 1378. sequutum est gravissimum illud schisma, (quod archischisma dictum,) quod in quinquaginta annos productum est, duobus initio Pontificibus, *Urbano* VI. & *Clemente* VII. electis, dum caussarentur Cardinales Galli, electores Clementis, se in electionem Urbani metu adactos consensisse, eamque electionem fraudibus & metu extortam, instantibus Romanis, vi & armis, ut Italus aliquis crearetur. *Urbano* Itali & Germani; *Clementi* adhæserunt Galli, Angli, Hispani, Scoti. Postea suffecti sunt *Urbano* Bonifacius IX., eoque mortuo Innocentius VII. & post hunc Gregorius XII. *Clementi* verò (quem adulterinum Pontificem vocat Platina in vita Bonifacii IX.,) successit Benedictus XIII. eoque mortuo Clemens dictus VIII. qui, ut scribit Platina, & Cardinales statim creavit, & fecit quæ à Pontificibus fieri consueverunt. *Gregorius* autem XII. & *Benedictus* XIII. ambo in Concilio universali Pisano pronunciati sunt *notorii schismatici, & notorii hæretici, & à fide devii, & notoriè perjuri:* ideoque exauctorati sunt decreto ejusdem Concilii, sessione 14. anno Dom. 1409. suffecto in eorum locum *Alexandro* Papa V. cui successit *Joannes* 23. vel ut alii 24. Sententiam istam Pisani Concilii ratam habuit Synodus Constantiensis, & ipsa Romana Ecclesia in hunc usque diem.

Archischisma 50. annorum.

Urbanus VI.

Clemens VII.

Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Benedictus XIII. Clemens VIII.

Ubi nunc illa Papalis infallibilitas?

XII.

Nota, de pluribus simul pontificibus Romanis se invicem anathematizantibus. Quare hic ex papistis nostratibus, quid de majoribus suis judicent toto hoc tempore Antichristos sequentibus. XII. Hic observandum, initio duos, deinde tres uno tempore fuisse pontifices, nempe *Gregorium* XII. *Benedictum* XIII. & *Alexandrum* V. & hoc mortuo, *Joannem* XXIV. quorum singuli suas habebant (ut vocant) *obedientias*, id est, regiones, & Ecclesias, ipsos pro veris pontificibus agnoscentes: Cumque hoc schisma annos multos duraverit, neque possint duo simul esse veri pontifices, necesse habent papistæ fateri, unum ex duobus & duos ex illis tribus fuisse *Apostaticos & Antichristos, atque ipso jure anathematizatos cum ipsorum sequacibus*, & in magna parte regni pontificii concidisse eo tempore legitimam vocationem, & ordinationem sacerdotum.

Joannes 23. alias 24. *Eugenius 4.* XIII. *Joannes* Papa 23. (quem Platina vocat 24.) depositus est in Concilio Constantiensi, sessione 12. anno Dom. 1415. Ubi inter alia crimina, deponi dicitur, eo quod esset *Simoniacus notorius, bonorumque & jurium sacrorum dilapidator notorius*. Et in ejus locum electus est *Martinus* quintus, cujus successorem *Eugenium* Papam quartum synodus generalis Basiliensis, sessione 34. pronunciat *notorium Simoniacum, perjurum, incorrigibilem, schismaticum, à fide devium, pertinacem hæreticum*, &c. ac propterea eum à Papatu & Romano Pontificio deponit, anno Dom. 1439.

Bonifacius 9. XIV. Præterea de *Bonifacio* nono, quem pro vero & legitimo Pontifice habent Romanenses, sic scribit Platina; *Huic Pontifici ad summam gloriam nil certe defuisset, nisi affinium & cognatorum affinitatibus obtemperans aliquam notam contraxisset. Multa enim criminum per Simoniacam pravitatem committebantur, petentibus contra jus fasque omnia tum fratribus, cum cognatis, quorum magna multitudo quæstus gratia Romam venerat.* *Venales indulgentiæ.* *Indulgentiæ verò, & quidem plenariæ ita passim vendebantur, ut jam vilesceret clavium & literarum Apostolicarum autoritas. Revocare hæc omnia Bonifacius conatus, cognatorum precibus eo identidem redire cogebatur. Unde melius actum cum Ecclesia Dei censerem, si pontifices rejectis affinibus & cognatis, vel saltem in mediocri fortuna collocatis, pontificiæ dignitati potius quam carni & sanguini consulerent.* Hæc ille, in vita Bonifacii noni.

Joannes 23. alias 24. XV. Idem Platina in vita *Joannis* 24. qui antea *Baltazar Cossa* vocabatur, scribit, eum *largitione usum* pervenisse ad pontificatum.

Paulus 2. XVI. *Paulus* 2. Papa, sacerdotio illaudabiliter procurato, sexto anno, mense 10. suæ assumptionis, solus in cubiculo, nemine vidente, secunda hora noctis apoplexia moritur. Suo tempore omnia officia Romæ venalia erant, & ferè semper beneficia & episcopatus his committebat qui officium aliquod venale haberent, unde elici munus posset. inquit *Barthol. Carranza*, in Summa Conciliorum, modico intervallo post summam Concilii Florentini. Mortuus est hic pontifex anno Domini 1471. testibus Platina & Onuphrio.

Leo 10. XVII. *Leo* Papa 10. pecuniæ quærendæ causa, pretio Cardinales aliquot legit, & officia quædam venalia excogitavit, ut cubicularios, scutiferos milites, Sancti Petri & Regis portionarios, teste *Onuphrio*, in ejus vita.

XVIII. Post obitum *Hadriani* Papæ sexti, duo simul ad pontificatum magna contentione adspirabant: *Julius Medices*, & *Pompeius Columna*: inter quos tandem ita convenit, ut in odium tertii, nempe *Ursini*, qui familiæ *Columnæ* professus hostis erat, & cui *Julius* ad consequendum pontificatum se suffragaturum minabatur si *Pompeius* Julio obstantius obniteretur, ut, inquam, in hujus *Ursini* odium *Pompeius* autor fuerit atque hortator ad Cardinales omnes, ut *Julium* salutarent pontificem, anno Domini 1525. qui in pontificatu Clemens septimus vocatus est. *Clemens 7.* Navatæ autem operæ *Pompeius* præmium tulit, magnificentissimas ædes, item Cancellariatus officium, teste Onuphrio, in vita Clementis septimi.

XIX. *Paulus* Papa hujus nominis tertius, pontifex factus est anno Domini 1534., is Alexandrum Farnesium nepotem tenerum adhuc puerum lubrica ætate in Diaconorum Cardinalium numerum allegit; teste *Onuphrio* in vita Marcelli 2. Papæ. *Paulus 3.*

XX. De *Julio tertio* subjiciam verba Jacobi Augusti Thuani. *Julius 3.* *Julius tertius solutı ad omnem licentiam animi homo, statim adepta potestate pontificali [anno Domini 1550.] qualis esset, omnibus manifestum fecit. Nam cum antiquæ consuetudinis sit, ut novus pontifex galerum [Cardinalitium] cui velit suum largiatur; enim juveni cuidam, cui Innocentio nomen, quique quod in familia simiæ curam gereret, simiæ etiam post adeptam dignitatem nomen retinuit, cognomine etiam suo atque insignibus attributis, donavit. Querentibus verò Cardinalibus quod indignum hominem ad tantum fastigium evexisset; non inurbanè respondit: & vos quid tandem in me meritorum comperistis, quem Christianæ reipubl. præcipem constitueritis.* Hæc Thuanus, Historiarum lib. sexto. Idem etiam *Julius* Papa erat ad scurrilitatem usque festivus, ut scribit *Thuanus*, Historiarum lib. 14.

CAPUT XIV.

De Dispensatione.

I. PAUCA supersunt dicenda de Dispensatione cum Simoniacis. De qua agitur in jure Canonico, caus. 7. quæst. 3. *Ex multis*. In Glossa. & caus. 1. quæst. 7. *Necessaria*. & seq. canonibus. Item extra, de Simonia, cap. 22. *De Simoniacè*. & cap. 25. *De regularibus*. & cap. 27. *Nobis fuit*. &c.

II. Simoniaci dupliciter dicuntur; vel culpa propria & reatu criminis, ut omnes committentes Simoniam; vel culpa aliena duntaxat, puta si aut ipsis insciis pecunia ab alio pro ipsorum ordinatione data fit, aut ordinari se passi sint, non inviti, à Simoniaco, quem tamen Simoniacum esse nesciebant, sed eum putabant esse Catholicum. Cum istis ex jure Canonico possunt Episcopi dispensare; cum illis verò solus Papa dispensat, ex plenitudine potestatis, quamvis utrique de jure renunciare teneantur, etiam ignorantes; postquam scilicet ad eorum notitiam pervenerit irregularitas. caus. 1. quæst. 3. *Ex multis*, in glossa, & quæst. 5. per totum, & extra, de Simonia, cap. 22. & 27.

III. Nos impræsentiarum non disputamus de prærogativa Papali, cum de jure divino idem cuilibet Episcopo in sua Diœcesi, & cuilibet Primati in sua provincia, licere existimemus, quod Papæ in Diœcesi Romana. Sed quærimus an & quousque liceat Ecclesiæ ejusque rectoribus dispensare cum Simoniaco.

IV. Circa leges Divinas vel humanas tria hæc locum habent; videlicet, 1. Abrogatio sive mutatio. 2. Dispensatio. 3. Toleratio, quæ sæpe & dispensationis accipit appellationem, ut duplex fit dispensatio, nempe una juridica, quæ *Abrogatio. Dispensatio. Toleratio.*

magis proprie dispensatio dicitur, alia tolerativa, quam tolerationem vocamus, distinctionis ergo. Abrogatio vel mutatio facit commune jus; dispensatio facit jus particulare, est enim quædam legalis exceptio à jure communi, ejusque relaxatio specialis, sed sine præjudicio communis legis: toleratio nullum facit jus, neque liberat conscientiam tolerati, nisi talis sit toleratio quæ non obscuram, licet tacitam, importet dispensationem.

Lib. 1. cap. 3. V. Suprà, in collatione Divinarum & humanarum legum, ostendimus, utrasque, aut saltem ex utrisque quasdam, abrogari aut mutari posse. Nam quasdam leges suas abrogat & mutat Deus, quippe in tempus latas; hominum verò ea est infirmitas, rerumque humanarum ea vicissitudo est, ut quod etiam consultè statutum est, idipsum aliquando sanioris inspectione judicii expediat revocare, imò interdum necesse sit mutare.

VI. In legibus suis dispensat Deus, Levit. 10: 19, 20. Matth. 12: 4, 5. Exod. 3: 22. Joan. 7: 23.

Dispensationis definitio, ex Glossa. VII. In Legibus autem humanis aliquando necessaria est dispensatio: dispensationem autem definit author Glossæ ad appendicem Canonis, *Requirita*, cauf. 1. quæst. 7. *Dispensatio* (inquit) *est juris communis relaxatio facta cum causæ cognitione ab eo qui jus habet dispensandi.* Hæc ibi. Observanda autem est illa regula perpetui vigoris, quam agnoscit Innocentius Papa tertius, cap. *Litteras.* Extra de restitutione spoliatorum: & Bellarm. Cardinalis, Lib. de matrimonio cap. 11. Nempe, inferiorem non posse dispensare in lege superioris, adeoque neque hominem in lege Dei. Dispensationem intellige legalem. Nam dispensatione tolerativa, quæ sit mera toleratio, etiam homini fas est uti aliquando erga transgressores legis divinæ, quemadmodum David toleravit Joabum; sed talis dispensatio sive toleratio non liberat conscientiam tolerati, uti dictum est. At verò legaliter dispensare non potest homo in lege Dei; habet tamen homo jus dispensandi in lege humana, atque adeo Ecclesia in lege Ecclesiastica.

VIII. Licitam verò esse tolerationem prudentem, imò interdum necessariam, nulli dubium est: quin & ipsa legalis dispensatio in humanis legibus aliquando necessaria est. Lege olim Ecclesiastica cautum est, & usu receptum, ut nullus ex laico statim fieret Episcopus, omissis inferiorum ordinum & temporum interstitiis. Distinctione 77. & mos etiam hic obtinebat ante *Ambrosium*, (ut patet ex Concil. Sardicens. can. 10.) cum quo tamen dispensavit Ecclesia, illum ex laico assumens in Episcopum, hujus dispensationis ratio fuit utilitas Ecclesiæ. Item, *Gelasius* Papa circa eandem legem dispensavit, necessitate temporis adductus, cum videret Italicam Ecclesiam, per belli famisque incursionem, omnium fere clericorum officio destitutam, ut loquitur *Gratianus*, subjungens deinde ipsius verba Gelasii: *Necessaria* (inquit Gelasius) *rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, ut ea quæ præsentium necessitas temporum in restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, diligenti consideratione, (quantum potest fieri) temperemus.* cauf. 1. quæst. 7. can. *Necessaria.* Et in eadem lege dispensavit *Leo* Papa, can. *Exiguus*, cauf. 1. quæst. 7.

IX. Lex erat Ecclesiastica, aut consuetudo saltem vim legis obtinens, ut Clerici ab hæreticis venientes non reciperentur in suis ordinibus; in hac lege dispensatum est à patribus Concilii Nicæni primi, cauf. 1. quæst. 7. can. *Si qui voluerunt*; & à Leone Papa, can. *Donatum*, eodem. & can. Saluberrimum. eodem.

X. Tolerare non est legem relaxare, aut de ejus rigore quicquam remittere, sed tantum ab ejus exequutione cessare, sive ad evitanda majora incommoda, sive propter communem utilitatem, sive ob respectum personæ, aut temporis, aliarumve circumstantiarum. Sic David toleravit Joab & Simei, Christus toleravit Judam proditorem. Gregorius Papa primus, auditis multis Episcopi cujusdam transgressionibus parabat illum excommunicare: *Sed quoniam* (inquit Gregor.) *simplicitatem tuam cum senectute cognovimus, interim tacemus*, cauf. 1. quæst. 7. can. *Tanta nequitia.* Sicut autem in tempestate navigantes quædam projiciunt ad exonerandam navem, ut minore jactura majus evitetur dispendium; ita etiam usu venit nonnunquam in tractandis & administrandis negotiis, ut minora interdum damna dissimulare expediat, aut etiam oporteat, ne accersantur majora.

XI. *Ecclesia Dei* (inquit Augustinus) *inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat; & tamen, quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* Aug. Ep. 119. cap. 19. *Ipsa est Ecclesia quæ intra sagenam dominicam cum malis piscibus natat ——— corrigens quos potest, tolerans quos corrigere non valet*, ait idem, Ep. 48. & de ebrietate Afrorum in conviviis quæ diebus solemnibus in honorem martyrum agitabantur, *Augustinus* scribens ad Aurelium Episcopum Carthag. *Non aspere* (inquit) *quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo quam jubendo, magis monendo, quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine peccantium, severitas autem exercenda est in peccata paucorum.* Hactenus Aug. Ep. 64.

Toleratio Ecclesiast.

Nota prudentiam Ecclesiasticam.

XII. *Gregorius* etiam, hujus nominis primus, Episcopus Romanus, in responsione septima ad interrogationes *Augustini* Archiepiscopi Cantuariensis, *In hoc* (inquit) *tempore sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat: atque ita portat & dissimulat, ut sæpe malum quod aversatur, portando aut dissimulando compescat.* Hæc Gregorii responsio invenitur in calce operum Gregorii, & apud *Bedam*, Hist. Eccl. gentis Anglorum, lib. 1. cap. 27.

XIII. *Etsi illa* (inquit Gelasius Papa) *nonnunquam sinenda sunt, quæ (si cæterorum constet integritas) nocere sola non valeat: illa tamen magnopere præcavenda sunt, quæ recipi sine manifesta decoloratione non possunt*: can. Etsi. illa. 1. quæst. 7.

XIV. His præmissis, ad quæstionem propositam, de dispensatione cum Simoniacis, respondemus: multa quidem de Simoniacis statuta sunt: in quibus quod divini juris est, illud non patitur dispensationem humanam: quod verò humani juris est, admittit dispensationem: toleratio verò in utroque ordine locum habet.

XV. Divini juris est, 1. Ut non fit commercium Simoniacum. 2. Ut Simoniacus pœnitentiam agat: adeoque ea omnia faciat sine quibus pœnitentia non agitur, sed simulatur. 3. Ut notorius & contumax Simoniacus, qui se à crimine Simoniæ per pœnitentiam purgare detrectat, & in felle amaritudinis perseverat, habeatur alienus à parte aut forte in sermone Dei, adeoque alienus à sacerdotio, & non ordinetur, vel si ordinatus sit, deponatur. Hæc manife-

manifesta sunt ex Apostoli Petri verbis, Act. 8: 12. aliisque Scripturæ testimoniis supra allegatis. In hisce igitur tribus non licet homini aut Ecclesiæ dispensare.

XVI. Ecclesiastici & humani juris est, ut Simoniacus, etiam post peractam pœnitentiam, non modo non remaneat in suscepto officio aut beneficio, sed etiam, ut non revocetur; sed ut absque misericordia privatus dignitate subsistat. Hac in parte dispensari potest ab Ecclesia, nempe ut post peractam pœnitentiam concedatur jam reconciliato exercere officium, & fructus percipere beneficii, cui in sua pœnitentia renunciavit, ita ut jam cum bona conscientia habere possit illa, per novam & legitimam concessionem, quæ antea Simoniacè possidebat.

XVII. At quoniam pœnitentia de furto non agitur, sed simulatur, nisi res furtiva quæ restitui potest restituatur, aut nisi fur illi cujus rem furatus est ita satisfaciat, ut ex consensu partis læsæ, re in ipsius possessione manente, furtum purgetur; *Quæritur*, an Simoniacus de jure divino teneatur renunciare beneficio aut officio Simoniacè suscepto, aut saltem an necesse habeat in Ecclesiæ arbitrio ponere, velintne actualem rei ipsius restitutionem, an verò cis placeat concedere illi ut imposterum exsequatur illud officium, fructusque percipiat beneficii, purgato jam furto ex consensu eorum, in quorum potestate erat rem furtivam ab illo recuperare.

Quæstio.

Responsio.

Resp. Ad alterutrum horum obligatur jure divino, quod postulat restitutionem actualem, aut quasi restitutionem actuali restitutioni æquipollentem, qua fur domino aut procuratori rei restituit rem furtivam quoad jus, licet non *quoad possessionem*: paratus, scilicet integram facere restitutionem domino aut procuratori eam expetenti, quum sciat se rem illam retinere justè non posse sine consensu partis læsæ. Post renunciationem verò dispensari eum illo potest, uti dictum est.

Concil. Tolet. 11. ca. Dom. 675. Juramentum ab ordinandis exigendum quo se purgant de Simonia. Restitutio Simoniaci post biennalem pœnitentiam.

XVIII. Huc pertinet Concilii Toletani undecimi, canon nonus; Quisquis pontificale culmen ante Domini altare peccaturus accesserit, sacramenti exactione astringatur, quod pro conferenda sibi consecratione honoris, nulli personæ cujuslibet præmii collationem vel aliquando dedisset, vel aliquando in futurum dare procuret. Sicque aut mundus accedat, aut publicato hoc scelere, denudatus coram Ecclesia, ad talem honorem non accedat. Quos autem post prælationem per pretium ordinatos fuisse patuerit, ut verè Simoniaci ab Ecclesia separentur; & duorum annorum spacio ex illo relegentur, ut lachrymis & pœnitentia honorem conquirere & reparare intendant, quem præmiis emerant. Unde si digna eas satisfactio commendaverit, peracto indictæ pœnitentiæ tempore, non tantum communioni, sed & loco & totius ordinis officiis, à quibus separati fuerant restaurandi sunt.

XIX. Quatuor dispensationis Episcopalis gradus cum Simoniacis, vide apud Thomam, Secunda Secundæ, quæst. 100. art. 6. ad 7.

XX. Dicebamus duplicem esse dispensationem, quia & toleratio appellationem accipit dispensationis. Innuebamus etiam ipsam tolerationem duobus modis fieri; vel enim nuda ac mera est toleratio, nihil juris tribuens, neque legem communem relaxans: sed tantummodo legem non exsequens: vel veram etiam & realem, licet tacitam, includit dispensationem, jus etiam tribuentem, E.g. qui præsunt, tolerant hominem Simoniacum impœnitentem & indignum, propter certam aliquam causam, inviti & gementes; ea mera est toleratio, & quidem fortasse justa, ex parte tolerantis; at inutilis toleratio, quod ejus conscientiam ista non liberat. E diverso Simoniacum occultum tolerant judices pœnitentem & Simoniam suam perosum, jamque virum bonum, Ecclesiæque utilem, quem plena voluntate cum gaudio tolerant, & tacitè approbant, imo externis suæ voluntatis significationibus non obscuris, ubi se obtulerit occasio, illi officium illud & beneficium ratum habent, seu potius de novo concedunt, licet non verbis formalibus processus judiciarii. Talis toleratio vim obtinet dispensationis conscientiam liberantis, jusque tribuentis: ita tamen ut caveatur omne scandalum: quod & in qualibet dispensatione attendendum est.

Toleratio mera.

Toleratio dispensativa.

Renunciatio alia de facto, alia in affectu.

XXI. Renunciatio etiam alia est de facto, alia in affectu & haud obscurè prodente per vitæ sanctitatem, & in officio sedulitatem ac fidelitatem, & manifestam sceleris detestationem, promptique ad remunerandum animi apertam protestionem, ubi hominem ab actuali & plenaria renunciatione non retrahit opum honorumve cupiditas, sed deterret conscientiæ duntaxat stimulus: hinc quidem metuentem ne peccet retinendo quæ male adeptus est; inde verò desertæ administrationis crimen, majusque fortasse ex renunciatione solemni (seu potius de criminis sui occulti propalatione) scandalum & detrimentum Ecclesiæ reformidantem. Talibus tutissimum est, ut conscientiæ suæ sarcinam in Dei & Ecclesiæ sinum prudenter deponant, ut deinceps potestate legitimæ autoritate roborati in munere suo inoffensa conscientia progrediantur.

XXII. Sicut autem modus animadversus est quo furtum purgetur, re furtiva apud furem remanente nempe si fur rem furtivam à domino emerit, & pro tradita habuerit. ff. de usurpat. & usucap. leg. 32. *Si fur.* ita etiam potest cum Simoniaco pœnitente, & ad functionem idoneo, & Ecclesiæ satisfaciente, dispensari, ut maneat in officio & beneficio, id quod etiam notavit Gloss. in can. *Ordinationes.* 1. quæst. 1.

XXIII. Sed quæri potest, cum Simoniacorum ordinatio ipso jure inanis & nulla sit, num de novo ordinandi sint Simoniaci pœnitentes, cum quibus dispensatur.

Respondeo; quando inanis & nulla dicitur eorum ordinatio, intelligere debes, eam, utcunque realiter sit veri ordinis susceptio, esse tamen maledictam & gratiæ inanem, neque per eam ordinis potestatem competere ordinato jus liciti exercitii, donec resipuerit & bene habere inceperit eum ordinem quem antea male habebat. Vide *Aug.* lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 13. Sufficit igitur in hoc casu voluntas Ecclesiæ, priorem illam, quoquo modo in forma tamen Ecclesiæ factam ordinationem externa declaratione & reconciliatoria manuum impositione ratam habentis. Vide caus. 1. quæst. 7. can. *Maximum*, & can. *Donatum.* & can. *Saluberrimum.* & can. *Etsi illa.* & extra de Simonia, cap. 7. *Tanta.* in glossa.

XXIV. Postremò & illud coronidis loco adjiciendum est; dispensationem liberare quidem hominis digni seu idonei conscientiam; sed non sufficere ad liberandam conscientiam hominis indigni seu non idonei: etsi enim homo indignus accepta legitima ordinatione externa, aut dispensatione, jus consequitur externum, exsequendi officium & percipiendi fructus beneficii, ita

ita ut rata sunt in foro externo humano, quæ ab illo in officio aut beneficio secundum formam juris geruntur; quomodo Judas Iscariotes jus habebat Apostolatus; quia tamen à Domino non est intus ad hocopus sanctificatus & consignatus, sed mente fur est & latro, pollutaque est ejus mens & conscientia, propterea illi nihil est mundum, quamvis mundis omnia munda sint, Joan. 6: 70. & cap. 10: 1. Tit. 1: 15, 16. Addita est hæc clausula propter Simoniacos in affectu.

OCTAVI LIBRI PARS TERTIA

THEOLOGIÆ MORALIS,

Sive Tractatus de Sacrilegio.

TERTIÆ PARTIS

CAPUT PRIMUM.

Qua significatione hic accipiatur Sacrilegium.

SACRILEGIUM, apud scriptores Ecclesiasticos, triplici dicitur significatu: omnesque ad hanc unam reducuntur notionem, ut Sacrilegium in genere sit temeratio aliqua rei sacræ.

I. Sacrilegium pro hæresi accipitur & perfidia erga Deum: quo sensu ab *Augustino* accipitur, epist. 50. ubi loquens de vi coercendis hæreticis, *ait non esse permittenda Sacrilegia, ubi puniuntur legibus adulteria: animam enim Deo non minus teneri servare fidem, ac fœminam viro.*

II. Sacrilegium est alia quælibet violatio aut temeratio cujuscunque rei sacræ. Unde ait *Stephanus* Papa; *Quicquid in sacratis Dei rebus & Episcopis injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur. Quia sacra sunt, & à quodam violari non debent.* Extra, de regulis juris, cap. 7. quo sensu *Augustinus* ebrietatem die solemni in honorem Martyrum vocat fœditatem sacrilegam, epist. 64. Et cum personæ principum sacræ sint, Sacrilegium est necem illis aut læsionem inferre. Sic Sacrilegus est quisquis in loco sacro aut tempore cultus sacri quicquam agit iniquum aut indecorum. Hujusmodi Sacrilegium transgressio est *juris publici*, quod jus *in sacris, in sacerdotibus, in Magistratibus consistit.* L. 1. §. 2. ff. de justitia & jure.

III. Sacrilegium est quædam species furti. Quo sensu hoc vocabulum impræsentiarunt accipimus.

IV. De Sacrilegio in hac tertia significatione agitur in jure civili, Instit. de rerum divisione, §. 8, 9, 10, 11, 12. ff. ad legem Juliam Peculatus, & de Sacrilegiis, & de residuis. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis, leg. 14. *Jubemus*. & Cod. de sepulchro violato, & Cod. de crimine Sacrilegii. Auth. Coll. 2. Novell. 7. & Auth. 9. Novell. 120. Item in canonibus qui Apostolorum dicuntur. Et in multis Conciliis, ut in progressu patebit. Et in jure Canonico, Caus. 2. quæst. 2. Caus. 12. quæst. 1. quæst. 2. quæst. 3. quæst. 4. quæst. 5. Caus. 13. quæst. 2. Can. *Qui oblationes*, & Can. *Clerici*. Caus. 16. quæst. 1. & quæst. 7. Caus. 17. quæst. 4. Extra, de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. & titulo, *De rerum permutatione*. & tit. *De pignoribus*. & tit. *De peculio clericorum*. & tit. *De Testamentis*, &c. Extra de regulis juris, in *Sexto*, cap. 51. & alibi, & in sententiis *P. Lombardi*, lib. 3. dist. 37.

V. De eo hoc ordine dicere instituimus, ut 1. Ejus definitionem proponamus, atque explicemus. 2. Varias ejus species investigemus. 3. De rerum sacrarum natura & stabilitate, Divina humanaque jura scrutemur. Denique de restitutione quædam subjiciamus.

CAPUT II.

Quid sit Sacrilegium, & de rebus sacris, ac jure decimarum.

I. APUD Prophetam *Malachiam* vocatur *spoliatio* Dei. Mal. 3: 8, 9.

II. Alexander Halensis part. 2. quæst. 168. membro 1. definit Sacrilegium, quod sit, sacræ rei violatio vel ejusdem usurpatio.

III. *Sacrilegium* (inquit Lombardus, 3. sent. dist. 37.) *tribus modis committitur; quando scilicet vel sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro vel sacrum de non sacro aufertur. Sacrum verò dicitur quicquid mancipatum est cultui Divino, ut Ecclesia, vel res Ecclesiæ.* Hæc ille.

Eodem modo definitur Sacrilegium Caus. 17. quæst. 4. Can. *Quisquis*.

IV. At in jure civili Sacrilegium reputatur solius rei sacræ furtum, non item rei non sacræ, quamvis è loco sacro: ff. ad legem Juliam Peculatus, &c. Leg. 5. *Divi*. Quamvis hanc vetustam legem commemoret *Cicero*, lib. 2. de legibus, *Sacrum sacrùve commendatum qui clepserit rapseritque, parricida esto.*

V. Nos hic Sacrilegium accipimus cum jureconsultis, pro furto rei sacræ. Nam furtum rei non sacræ è loco sacro referimus ad secundam acceptionem hujus vocabuli superius assignatam. Sacrilegium igitur in præsenti dissertatione sic definimus.

Sacrilegium est ablatio furtiva rei sacræ à sacro usu cui legitimè dicata est.

VI. *Ablationem* dicimus rei sacræ à sacro usu, ut distinguatur à Simonia, quamvis reperiatur etiam Simonia quædam cum tali Sacrilegio indivulsè conjuncta, quando scilicet acquirit aliquis Simoniacè titulum beneficii cum officio, cui præstando ineptus est, aut quod negligit; sic enim divellitur beneficium à sacro usu cui erat dicatum. 1.

VII. *Usum* dicimus cui res illa dicata erat: nam Sacrilegium committi potest translatione rei sacræ ab uno usu sacro, ad alium usum sacrum: puta 2.

puta si quis pastoris stipendium auferat ad alendum pauperes, aut ad reparanda ædificia, aut ad alendum studiosum; Vel unius Ecclesiæ domusve venerabilis reditus rapiat ad aliam Ecclesiam vel domum, in fraudem prioris. Dominus enim diligit judicium, & odio habet rapinam in holocaustum. Esai 61: vers. 8:

3. VIII. *Furtivam* dicimus ablationem, ut ab ea translatione aut ablatione distinguatur quæ fit legitimè per legitimam autoritatem.

4. IX. *Rei sacræ*, dicimus, ut distinguatur Sacrilegium à furtis communibus. Hæc pars communis est Sacrilegio cum Simonia, quæ tamen non solum separatione rei à sacro usu, sed ipsis etiam distinguuntur objectis, sicut initio tractatus nostri de Simonia monebamus. Nam Simoniæ objectum est officium, aut beneficium sacrum: at objectum Sacrilegii non est officium, aut beneficium in spiritualibus, ut officio scilicet cohæret; sed est res aliqua temporalis sacro usui dicata, sive cum titulo, sive sine titulo, ut domus, fundi, vasa, reditus, &c.

5. X. *Legitimè dicatam*, intellige, vel præcepto divino, vel autoritate & consecratione publica; vel legitimo voto, vel per illationem mortui. Si quis autem privata sua autoritate, *quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed prophanum*, inquit Justinianus, instit. de rerum divisione. §. 9. *Sacræ sunt*. Puta si quis sine autoritate aut approbatione publica sibi templum condat, vel domum aliquam in templum consecret, domus illa non erit propter hoc sacra. Deinde, si votum temerarium sit & illegitimum, non obligat, nisi ad pœnitentiam, ut alibi docuimus. *Religiosum* autem *locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum*, inquit Justinianus, Inst. de rerum divisione, §. 11. *Religiosum*. Ubi religiosus locus dicitur locus sepulturæ.

Lib. 3. cap. 6.

XI. Quæri solet, an sint certæ aliquæ res ipsa jure divino sacræ & sacris usibus debitæ jam tempore Novi Testamenti. Agitatur hæc quæstio præsertim de decimis.

De jure decimarum.

Respondent nonnulli, præcisum & absolutum decimarum jus non esse legem Novi Testamenti: quia etiamsi indefinitè præcipiatur in Novo Testamento ut præbeamus & subministremus pastoribus & rectoribus nostris, pauperibusque & in omnes pios usus, idonea subsidia; nusquam tamen certa aliqua portio definitè imperatur in Novo Testamento. Præceptum verò illud de Decimis in Veteri Testamento fuisse ajunt politicum, & illi Reipublicæ peculiare: ubi in dividenda terra non admittebantur Levitæ ad sortiendum cum reliquis, sed decimæ illis dari jubebantur, una cum certis oppidis ex aliis tribubus. Quædam etiam ante Mosen fuisse cæremonialia & temporaria, ut sacrificia pecudum, &c.

Vide cap. 8.

XII. Alii verò, iique gravissimi Theologi, affirmant decimas etiamnum esse sacras jure divino. Tum quia olim in Ecclesia Israelitica sacræ erant; neque doceri potest eam constitutionem fuisse cæremonialem, cum necessitatem habeat perpetuam ejus ratio, puta cultus divinus, cui enucleatè in perpetuum prospexisse Deum videtur sine magna absurditate negari non posse. Tum etiam quia & ante Mosen obtinuit, tanquam jure divino debita, decimatio; adeo ut neque politiæ Israeliticæ terminis circumscribi possit. Ideo Abraham Melchisedecho, alterius supra Aaronem ordinis sacerdoti, & Jacob Deo dedit decimas. In hac sententia fuerunt *Ambrosius*, *Augustinus*, *Gregorius*, aliique multi, & fortasse omnes veteres; adeo ut non solventi decimas, & ablatas non restituenti divinam ultionem & gehennam fidenter denunciarint. *Ambros.* serm. 33. & 34. & 58. *Aug.* de rectitudine Catholicæ conversationis. Et, de tempore, serm. 216. & 219. *Gregor.* homil. 16. in Evangelia. *Concil. Mogunt.* Can. 38. *Cyprianus* queritur non dari de patrimonio decimas. Prope finem libri de unitate Ecclesiæ. Vide infra, cap. 4. & 5. Vide etiam *Hieronymum* in cap. 3. Malachiæ, & *Gratianum*, Caus. 16. quæst. 1. Can. *Revertimini*. & aliquot sequentibus Canonibus. Et eadem Causa, quæst. 7. *Decimas*. & seqq. Et, extra, de decimis.

XIII. Accipio quod utrinque omnes agnoscunt; quia jubet Dominus ut communicemus & impendamus in usus sacros, tum demum proculdubio res esse sacras, postquam per homines legitimè sacratæ seu sacris usibus dicatæ fuerint. Nam mihi disceptatio illa de absoluto decimarum jure non videtur hoc tempore apud nos usque adeo necessaria: siquidem eæ ex hypothesi legitimi voti & voluntariæ dedicationis jam haud dubiè pertinent ad Ecclesiam jure divino: sicut olim pretium agri Ananiæ & Sapphiræ, Act. 5. quorum formidabili supplicio admonemur post ejusmodi vota non quærere, nec devorare quod sanctum est. Laqueus enim est, Proverb. 20: 25.

XIV. Præterea quodammodo sacræ, id est, sacris usibus debitæ sunt res nondum dicatæ illius hominis qui eas à sacro usu injusta tenacitate retinet, nec communicat prout à Domino præceptum est. *Esurivi enim & non dedistis mihi quo vescerer*, &c. Matth. 25: 42.

Vide part. 1. cap. 13.

CAPUT III.

De variis divisionibus & speciebus Sacrilegii.

In specierum investigatione recurrendum est ad divisionum fontes, qui in Sacrilegii definitione inveniuntur. Sunt autem fontes numero quatuor.

I. *A sacro usu*. Triplex est sacer usus: 1. Ecclesiasticus strictè dictus; cui usui dicata sunt Templa, Sacella, Vasa, Ædificia, Decimæ, & prædia Ecclesiastica. Quicquam ex his à sacro usu, cui dicatum est, furtiva ablatione avellere, Sacrilegium est. 2. Committitur etiam Sacrilegium per furtivam ablationem rerum dicatarum usibus scholarum & aliarum domorum venerabilium, & alimoniæ pauperum: pauperes enim non vagari, sed in ptochotrophiis habitare ibique ali debent. Idcirco (ut legere est Novell. 7. in præfatione, & cap. 2. & Caus. 10. quæst. 2. Can. *Ea enim*. §. *Hoc jus*.) lex de non usurpandis, auferendis, aut alienandis rebus sacris, non solum in omni Ecclesia valet, sed etiam in omni monasterio, & Nosocomio, Xenodochio, & Brephotrophio, & Asceterio, & Gerontocomio, & omni absolutè Collegio quod actio pia constituit. Cujus extensionis æquitas manifesta est; nam à piis & necessariis usibus Deo acceptis rem auferre ablatione furtiva est furari ab ipso Deo. 3. Rebus sacris accensemus res dicatas sepulturæ mortuorum. Violatores autem & expilatores sepulchrorum Sacrilegii crimine obligari ipsa dictat ratio naturalis. Nisi, scilicet, effodiantur sepulchra autoritate legitima, & justam

ob causam: rectè enim *Josiæ* Regis jussu effossa sunt ossa è sepulchris, & super altare *Bethelis* cremata. 2 Reg. 23. Locum sepulturæ *Justinianus* vocat *religiosum*, *instit. de rerum divisione*, §. 11. His additur quartum genus rerum, quas *sanctas* appellat *Imperator*, à sanctionibus in transgressores constitutis. Tales res sunt muri & portæ civitatis, quæ quodammodo divini juris sunt, ac propterea nullius in bonis sunt. *Instit. de rerum divisione*: §. 12. *Sanctæ.* Alias monuimus, quod in rebus sacris

Discrimen peculatus & Sacrilegii.

est Sacrilegium, illud in Reipublicæ civilis rebus, præsertim pecunia publica & fisco, *Peculatum dici.* Quamvis peculatus tenetur (ex jure civili) etiam qui pecuniam sacram, religiosam abstulerit, intercéperit: item, qui donatum Deo immortali abstulerit, ff. *ad legem Juliam Peculatus.* Lege quarta adeo ut late sumendo vocabulum *Peculatus*, Sacrilegium sit quædam ejus species.

II. Secundus divisionum fons habetur illis verbis; *Cui dicata est.* Quatuor modis res sacris usibus dicatæ sunt. 1. Præcepto divino: quomodo olim & lege per *Mosen* lata dicatæ sunt primitiæ ac decimæ. Et nunc sub Evangelio, pars aliqua bonorum nostrorum dicata est sustentationi pastorum, & alimoniæ pauperum, aliisque piis ac necessariis usibus. Testaturque Deus illum qui parcè serit, parcè etiam messurum, benignum verò satorem copiosa etiam messe gavisurum. Est igitur Sacrilegus qui debita pastoribus & pauperibus aliisque piis usibus non præstat, aut donata intercipit, vel eripit.

1 Cor. 9: 11, 15. Gal. 6. 6. 2 Corinth. 9. 6.

2. Sacris usibus res dicatæ sunt consecratione Ecclesiastica, vel publica, de qua supra diximus. Est autem consecratio Ecclesiastica, aut publica, ratione objecti & usus, duplex. Vel enim consecrantur res ut ipsi piæ actioni usu quodam propinquiore inserviant, quomodo consecrantur Basilicæ, Sacella, Collegia, Campanæ, vasa sacra, &c. Vel ut remotius actioni piæ famulentur; præbendo scilicet sumptus & necessaria pro acquisitione, & conservatione, & reparatione rerum propinquè inservientium, & pro honesta sustentatione hominum in sacro aliquo officio ministrantium; quomodo dicata sunt sacris usibus, prædia, habitacula, decimæ, aliique reditus sacri. Harum rerum dicatio in sacris literis *sanctificatio*, seu *consecratio* dicitur; Vulgo nunc appellatur *mortificatio*, quæ vox perpetuam & irrevocabilem denotat rei consecratæ veluti damnationem ad sacros usus. Tametsi autem dicatio sit Ecclesiastica vel humana, divino tamen jure prohibetur rerum sic dicatarum furtiva ablatio.

Cap. 2.

Levit. 27: 14, 15, 16.

3. Fit consecratio voto, Levit. 27. Nam rem votivam retinere sacrilegium est: loquor de voto licito & quod Deo gratum sit. Tale enim votum requirit Deus, estque fideliter reddendum, Levit. 27. Deut. 23: 21, 22, 23. Eccles. 5: 3, 4, 5. *Laqueus est homini deglutire sanctificatum, & post vota quærere.* Prov. 20: 25. Nempe laqueus Sacrilegii. Hoc fundamento nititur quartus Canon Concilii Agathensis, (celebrati anno Dom. 506.) cujus hæc sunt verba; *Clerici etiam vel seculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere persistiterint, aut id quod ipsi donaverunt Ecclesiis, vel monasteriis, crediderunt auferendum, sicut Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, excludantur Ecclesiis.* Hæc ibi. Præterea mortui illatio est quædam loci dicatio, adeo ut à *dicationis* fonte promanent quatuor species Sacrilegii: sicuti quatuor erant à fonte *sacri usus* derivatæ.

Excommunicandi Sacrilegi donec reddant.

III. Tertius fons invenitur in illis verbis, *rei sacræ.* Rem sacram intellige quæ per consecrationem seu dicationem sacra facta sit, memoratorum modorum aliquo. Res hujusmodi sacræ, vel sunt mobiles, ut vasa, thesauri, &c. vel immobiles, ut ædificia, eorumque ruinæ, item horti, & fundi. Vide Novell. 7. cap. 3. §. 2. Rursum res sacræ vel necessariæ sunt ad piam illam actionem cui dicatæ sunt, vel non sunt simpliciter necessariæ, quamvis utiles sint, & ad ornatum & opes faciant. Quomodo olim Levitarum quædam erant possessiones perpetuæ, & nullo pacto vendibiles, (quia erant magis necessariæ) quædam verò vendi poterant in annum Jubilæum, (non igitur ita necessariæ, ut priores) Levit. 25: 33, 34. Horum omnium, aut cujuslibet horum furtiva ablatio Sacrilegium est. Omnia enim hæc rerum genera Deus sibi vendicat, & ad pios usus donat.

IV. Quartus divisionum fons in illis est verbis, *ablatio furtiva.* Priores illi tres fontes, in Sacrilegii objecto, ultimus hic in ipsa culpa circa objectum sive in modo criminis invenitur. Hinc tot oriuntur Sacrilegii species, quot modis fit ablatio furtiva rei sacræ à sacro usu, cui legitimè dicata est. Fit autem talis ablatio quinque modis, qui sunt etiam modi furti in genere, quod effectu committitur. Accommodari potest eadem distinctio etiam ad furta in affectu, vel conatu. Nos igitur impræsentiarum missâ illa trimembri distinctione sumpta ab affectu, conatu, effectu, hos quinque modos intueamur, quibus fit ablatio sacrilega. Nam fit, vel acquisitione, vel neglectu, vel abusu, vel datione damni, vel participatione criminis. De singulis in progressu aliquid dicemus.

CAPUT IV.

De Sacrilegio quod acquirendo committitur, seu de acquisitione Sacrilega.

UT acquisitionis Sacrilegæ species facilius inveniamus, attendenda distinctio est personarum acquirentium. Nam Sacrilegi acquisitores in aliquo trium sunt ordinum. Vel enim 1. sunt ambientes aut adeuntes beneficium sacrum, sive cum officio, sive absque officio: Vel 2. sunt in officio aut beneficio sacro constituti: Vel 3. sunt alius cujuscunque conditionis homines.

I. Qui ambit aut adit beneficium sine officio, est manifestè Sacrilegus: avellit enim rem sacram à sacro usu, ablatione furtiva. Perditque & tollit aut vehementer impedit, quantum in illo est, usum illum sacrum, nempe executionem officii sacri, cui dicatum est illud beneficium. Committit & ille Sacrilegium, qui amore beneficii aut ambitione impulsus, aut quocunque carnali intuitu illectus, ambit vel adit officium ad quod præstandum ineptus est. Si aptus sit, solo Simoniæ scelere se inquinavit; sin autem ineptus Simoniam suam Sacrilegio cumulat; dum beneficium sacrum divellit ab exsequutione sacri muneris. Neque enim dicatum est beneficium umbræ muneris, seu inani vocabulo, ut scilicet obtineat aliquis beneficium pastorale aut doctorale, &c. qui se vocet aut etiam ab aliis constitutus sit, & vocetur pastor, aut Doctor, &c. sed dicatum est beneficium exsequutioni officii,

que

quæ exsequutio est usus ille sacer cui res illa sacra dicata est. Quem usum qui præstare nequit, alienus esse debet à beneficio; quod si ambit vel adit, Sacrilegii laqueo se innectit.

II. Secundus ordo, eorum est, qui beneficium possident, aut in officio sacro constituti sunt. Si obtineant beneficium absque officio, tenetur Sacrilegii, ut ex eis patet quæ modo dicta sunt. Qui verò in sacro officio sunt constituti, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Moderatores, & Oeconomi domorum venerabilium, aut Collegiorum quæ actio pia constituit, omnes Nosocomi, Ptochotrophi, Gerontocomi, Scholarum, & Gymnasiorum Præfecti, Procuratores, &c. incidunt in crimen Sacrilegii per modum acquisitionis tripliciter. 1. *Neglectu officii, propter quod obtinent beneficium.* Nam qui rei sacræ fructus percipit, nec præstat usum sacrum cui est res illa dicata, aut fructus illi dicati, is injusto divortio separat rem sacram à sacro usu, adeoque Sacrilegus est. Væ pastoribus qui seipsos pascunt, gregem autem non pascunt, Ezech. 34: 1. Sermo mihi est de cæcis illis excubitoribus, canibus mutis, & ignavis dormitatoribus, Esai. 56: 10. de mercenariis, qui gregis incuriosi, seipsos discrimini subducunt, Joan. 10: 12. de infidelibus œconomis, Matth. 24: 48, 49. Non me fugit viros quosdam cæteroquin idoneos & fideles à solita muneris exequutione senecta vel ægritudine retardari. Quibus certè ex rebus sacris honestè prospectum oportuit, ne cogerentur præ extrema inopia consuetis subjacere oneribus, quibus jam ferendis pares esse desierunt. Contra otiosos ventricolas, & gementi sub pondere Ecclesiæ, aut domui alicui venerabili, *Ephialtæ* ritu, incubantes *malas bestias*, mihi negotium est. *Dignus est operarius alimento suo*, ait Dominus Matth. 10: 10. At, *si quis non vult operari, is neque comedat*, inquit Apost. 2 Thessal. 3: 10. vide de hoc genere Sacrilegii multa apud *Gregorium* Papam Roman. hujus nominis primum, homil. 17. in Evangelia. *Pensemus* (inquit) *cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris*, &c. Videatur locus, ubi plurima dicuntur in hanc sententiam. Vide etiam Concil. Valent. cap. 22. celebrat. anno Dom. 855. 2. Incidunt, per modum acquisitionis, in crimen Sacrilegii, *appropriatione*, sive *vendicatione*, vel, ut jura loquuntur, *usurpatione*, & in usus suos atque emolumentum privatum conversione earum rerum quæ ipsis non sunt datæ nec debitæ, sed quarum administratio tantummodo eis demandata est. Quemadmodum *Judas Iscariotes* commissam sibi à Christo pecuniam furabatur, quam tamen in solatium pauperum, aliosque pios usus asservandam atque erogandam acceperat. 3. *Alienatione rerum sacrarum ipsis commendatarum.* Sic iniquus ille œconomus triticum & oleum heri sui injustè abalienavit. Luc. 16: 6, 7. qualis etiam culpa est injusti tutoris rem pupilli sui abalienantis. *Episcopus & quilibet prælatus Ecclesiasticarum rerum procurator est, non dominus.* Rectè hoc *Alexander* Papa tertius, extra, de donationibus. cap. 2. *Fraternitatem. Episcopus rebus Ecclesiæ, tanquam commendatis, non tanquam propriis, utatur*, inquit *Leo* PP. apud *Gratianum*, Caus. 12. quæstione 2. Can. *Sine exceptione.* Idem statutum in Concilio *Turonensi* tertio, Can. 10. (tempore *Caroli Magni*, anno Domini 813.) verba Canonis sunt; *Episcopi rebus Ecclesiasticis utantur non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.* Hæc ibi. Eadem incumbit lex Scholarum & Gymnasiorum, aliarumque venerabilium domorum ordinatoribus, procuratoribus, œconomis, &c. Intelligimus hoc loco alienationem lucrosam alienanti: nam si ei lucrosa non sit, & tamen Ecclesiæ, aut domui venerabili, aut pio usui detrimentosa, referenda erit ad dationem damni, qui modus quartus est Sacrilegii. *Alienationis* autem nomine prohibetur & venditio, & donatio; & commutatio, & sub conditione traditio, & oppigneratio, & in perpetuum, (id est, ultra personam accipientis emphyteuma, & duos ejusdem personæ hæredes) extensa emphyteusis. Novell. 7. in præfatione, & capitibus 1, 2, 3, 5. ubi pignorum datio prohibetur in rebus immobilibus. Et, extra, de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non, cap. 5. *Nulli liceat.* *Alienatio.*

III. Tertius ordo hominum Sacrilega ablatione acquirentium complectitur omnes alios cujuscunque conditionis, qui vel vi vel fraude, sive manifesta injuria, sive obtentu juris, rem sacram à sacro usu ablatam sibi acquirunt, & ad suos privatos usus convertunt, sive ex dono administrantium, sive largitione principum, sive emptione, &c. Constitutum est in Synodo illa centum & amplius Episcoporum, quæ sexta *Romana* præsidente *Symmacho* PP. celebrata est anno Domini circiter 504. *ut & hi qui res Ecclesiæ, jussu vel largitione principum, vel quorundam potentum aut quadam invasione, aut tyrannica potestate retinuerint, & filiis vel hæredibus suis quasi hæreditarias reliquerint, nisi citò res Dei, admoniti à Pontifice, agnita veritate reddiderint, perpetuo Anathemate feriantur.* Postea eodem approbante Concilio, *Symmachus* dicit, *Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra mandata divina præsumere, nec quicquam quod Evangelicis, propheticisque & Apostolicis regulis obviat, agere. Injustum enim judicium & definitio injusta, regio metu vel jussu à judicibus ordinata, non valet.* Hæc ibi. Celebratum est Concilium Aurelianense primum, jussu *Clodovei* Francorum Regis, anno Dom. 507. à triginta quinque Episcopis. Ejus Concilii Can. 25. sic se habet; *Si Episcopus, humanitatis intuitu, vineolas vel terrulas clericis vel monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamsi longa transisse annorum spatia comprobentur, nullum Ecclesia præjudicium patiatur; nec secularis legis præscriptio, quæ Ecclesiæ quid impediat, opponatur.*

Anathema denunciatur Sacrilegis.

In foro conscientiæ nihil habet ponderis lex humana divinæ repugnans.

Annorum præscriptio contra Ecclesiam non admittitur.

CAPUT V.

Proponuntur rationes, propter quas rerum sacrarum alienatio & acquisitio prohibetur. Explicatur regula illa, Semel Deo dicatum, &c. *Tuitionis rerum sacrarum, & dicationis in usus sacros necessitas exemplis aliquot & constitutionibus illustratur.*

I. HUJUS prohibitionis, qua rerum sacrarum alienatio & acquisitio vetatur, rationes duæ in jure adferuntur. Prior sumitur ab officio & potestate administrantium res sacras, sunt enim earum non domini, sed œconomi, sicut ostensum præce-

Regula.

dente capite. Posterior ratio elicitur ex conditione rerum sacrarum; quia *semel Deo dicatum, non est ad humanos usus alterius transferendum.* Extra de rerum permutatione, cap. 3. *Mancipia.* Item, in *Sexto*, de regulis juris, cap. 51. *Semel.* Ubi Autor glossæ notandum dicit esse vocabulum, *dicatum* : quia, *bona Ecclesiæ non dicata vel consecrata bene transeunt ad humanos usus*, inquit ille. Citato autem capite in Decretalibus *Gregorii* noni, & apud *Gratianum*, Caus. 10. quæst. 2. *Precariæ.* & in Jure civili, Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis, Leg. 14. *Jubemus.* & Novell. 7. & 120. regula ista; *De rebus semel Deo dicatis ad humanos usus non ulterius transferendis, ad fundos etiam & habitationes, & omnia Ecclesiarum domorumque venerabilium bona extenditur.* Et de omnibus leges & Canones exstant, quibus eorum prohibetur alienatio. *Ea enim quæ ad beatissimæ Ecclesiæ jura pertinent, vel posthac forte pervenerint, tanquam ipsam Sacrosanctam & religiosam Ecclesiam, intacta convenit venerabiliter custodiri : ut, sicut ipsa religionis & fidei mater perpetua est, ita ejus patrimonium jugiter servetur illæsum*, inquit *Leo* Imperator, Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis, lege 14. *Jubemus.* Quam legem *Justinianus* Imperator repetitam extendit ad omnes venerabiles domos : Novell. 7. eamque *Gratianus* inseruit Decreto, Caus. 10. quæst. 2. Can. *Ea enim.* Laudatur eadem lex in decretalibus, tit. de rebus Ecclesiæ alienandis vel non. cap. 5. *Nulli liceat.*

Τὸ ἅπαξ ἀνατεθὲν τῷ Θεῷ εἰς κοινὴν καὶ ἀνθρωπίνην χρῆσιν ἕλκειν, ἀσεβὲς, καὶ ἀτόλμητον. Basil. Cæsariens. in Regulis brevioribus, Resp. ad interrogationem 53.

II. In eandem sententiam Concilium *Arelatense* quartum, jussu *Caroli Magni* celebratum, anno Dom. 813. Canonem promulgavit; *Ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec ulla alia possessione priventur.* Can. 20. Eodem anno, ejusdem Imperatoris *Caroli* jussu, celebratum Concilium *Moguntiacum* similem condidit Canonem, cujus hæc sunt verba; *Admonemus vel præcipimus ut decima de omnibus dari non negligatur, quia Deus ipse sibi dari constituit. Quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.* Concil. Mogunt. Can. 38. Hos Canones ratos habuit *Carolus Magnus.*

Nota de jure decimarum. Denunciatio in sacrilegos.

III. Sic *Theodoricus* Ostrogothus, Italiæ, &c. Rex (licet Arianus) sedulò & laudabiliter prospexit indemnitati & commodis Ecclesiarum, etiam illarum quæ à Catholicis tenebantur. Regalis hujus solicitudinis proferens rationem, *Quamvis* (inquit) *nullos velimus gravamen aliquod sustinere, quos videtur pietas nostra protegere, (quia regnantis est gloria, subjectorum otiosa tranquillitas) tamen specialiter Ecclesias ab omni injuria reddi cupimus alienas : quibus dum æquabilia præstantur, misericordia Divinitatis acquiritur. Et ideo beatissimi Viri Eustorgii Episcopi sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ petitione permoti, præsentibus te affatibus admonemus, ut prædiis vel hominibus illius Ecclesiæ, intra Siciliam constitutis, tuitionem studeas, salva civilitate, præstare, nec à quoquam cujuslibet nationis homine contra fas patiaris opprimi, quos decet Divinitatis intuitu sublevari.* Hæc *Theodoricus* Rex, in epistola ad *Adilam* Comitem, quæ exstat apud *Aurelium Cassidorum*, lib. 2. Variarum. epist. 29. Idem etiam in epistola ad *Ibam* Ducem, apud *Cassiodorum*, lib. 4. Variarum. epist. 17. Præcipimus (inquit) ut possessiones Narbonensis Ecclesiæ secundum præcelsæ recordationis *Alarici* præcepta, à quibuslibet pervasoribus occupatæ teneantur, æquitatis facias contemplatione restitui. Quoniam versari nolumus in Ecclesiæ dispendio præsumptiones illicitas; dum nostra deceat tempora, sedare confusa. Esto contra talia omnino solicitus, &c. Ubi habes duorum Gothicorum Regum, licet Ariana lue infectorum, laudabilem in defendendo Ecclesiæ jure consensum.

Regale est defendere Ecclesiam.

IV. De publicis autem bonarum literarum studiis honesto præmio fovendis, scribit *Athalaricus* Gothorum in Italia Rex Senatui urbis Romæ, apud *Cassiodorum*, lib. 9. Variarum. epist. 21. Memorabile est illud *Caroli Magni* mandatum, & Episcoporum atque Abbatum Lugdunensis Galliæ super eadem re decretum, in secundo *Cabilonensi* Concilio, cap. 3. anno Dom. 813. *Oportet* (inquiunt illi patres) *ut sicut Dominus Imperator Carolus, vir singularis mansuetudinis, prudentiæ, justitiæ, & temperantiæ, præcepit, scholas constituant Episcopi, in quibus & literaria solertia disciplinæ, & S. Scripturæ documenta discantur : & tales ibi erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino, vos estis sal terræ : & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non solum diversis hæresibus, verum etiam Antichristi monitis & ipsi Antichristo resistatur : ut meritò de illo in laude Ecclesiæ dicatur; Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Hæc ibi.

Matth. 5: 13.

Cant. 4:4.

V. De veterum Christianorum pietate in hujusmodi officiis promptè ac liberaliter præstandis, habemus etiam hominis inimici testimonium. *Julianus* Apostata (sicut de eo scribit *Sozomenus*, lib. 5. Hist. Eccles. cap. 15.) *Cum existimaret religionem Christianam, maximam, ex vita & moribus eorum qui eam sequebantur, commendationem consequutam, instituit animo, delubra gentilium tum apparatu, tum ordine religionis Christianæ adornare : subselliis præterea & primariis sedibus, doctoribus lectoribusque gentilis doctrinæ & exhortationum, quin etiam precibus in certas horas diesque præscriptis, monasteriis item* [*Φροντιςηρίοις τε*] *virorum & mulierum, qui sapientiæ studio se dicaverant, collegiis etiam* [*καὶ καταγωγίοις*] *peregrinorum & pauperum, reliqua denique in egentes benignitate, religionem gentilem nobilitare.* Subjicit ibidem *Sozomenus* epistolam ejusdem *Juliani* Imperatoris ad *Arsacium* Pontificem *Galatiæ*, in qua *Julianus. Quid est* (inquit) *causæ, cur in hisce, perinde ac si nihil amplius opus esset, conquiescamus; ac non potius convertamus oculos ad ea quibus impia Christianorum religio creverit, id est, ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam, & ad sanctimoniam vitæ quam simulant? quorum singula à nobis verè exequenda esse censeo. ——— Porro Xenodochia multa in singulis civitatibus extruito, ut peregrini nostra benignitate fruantur; neque solum hi qui nostram colant religionem, sed alii quoque si qui pecuniarum indigeant. At ratio, qua res tibi ad hoc institutum necessariæ abundè suppetant, à me interim excogitata est. Nam triginta millia modiorum tritici in tota Galatia, & sexaginta millia sextariorum vini in singulos annos dari jussi : quorum quintam partem in pauperes, qui sacerdotibus inserviunt, insumendam esse mando : quod reliquum est, peregrinis & mendicantibus sublevandis distribuendum à nobis. Nam turpe profectò est, cum nemo ex Judæis mendicet; & impii Galilæi * non suos modo, sed nostros quoque alant; ut nostri auxilio, quod à nobis ferri ipsis debeat, destituti videantur.* Hæc ille. Metuant Sacrilegi illi, qui se Christianos vocant, ne in terribili judicio exurgat contra eos hic impius Apostata.

** Christianos intelligit.*

VI.

VI. *Prædia divinis usibus tradita* (inquit pius Papa, citante Gratiano) *quidam humanis usibus applicant, & Deo nostro cui tradita sunt ea subtrahunt, ut sibi inserviant: quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus secretorum cælestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit; ut Sacrilegus judicetur.* cauf. 12. quæst. 2. *Prædia.*

Denunciatur Anathema danti, assentienti, accipienti. Nota de restitutione.

VII. *Non liceat Papæ prædia Ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate, nec in usufructu rura dare: nisi tantummodo domos quæ in quibuslibet urbibus non modico impensu sustentantur. Qua lege omnes custodes adstringantur; ut donator, assensator, venditor, honorem perdat: & qui subscripserit, Anathema sit, cum eo qui dedit, vel qui recepit; nisi restituatur. Liceat etiam quibuslibet Ecclesiasticis personis contradicere & cum fructibus alienata reposcere, quod non solummodo in Apostolica conservandum est Ecclesia: verum etiam universis Ecclesiis per provincias quidem dicitur id convenire.* ait *Symmachus* Papa apud *Gratianum*, cauf. 12. quæst. 2. can. *Non liceat.* Ubi vides, ex decreto *Symmachi* Papæ, ipsum Papam honore cadere, & in anathematis sententiam ipso jure incidere, si alienaverit prædia Ecclesiastica.

Alienantes depositio & excommunicatio, & damni illati per restitutionem compensatio.

VIII. Citat etiam *Gratianus* in eadem quæstione Canonem ex Concilio *Agathensi* (qui est illius Concilii canon 49.) in hæc verba; *Diaconi vel presbyteri in parochiis constituti de rebus Ecclesiæ sibi creditis nihil audeant commutare, vendere, vel donare: quia res Ecclesiæ sacratæ Deo esse noscuntur. Similiter & sacerdotes nihil de rebus Ecclesiæ sibi commissæ alienare præsumant. Quod si fecerint, convicti in Concilio, & honore depositi, de suo proprio aliud tantum restituant, quantum visi fuerint præsumpsisse.* Hæc ibi. can. *Diaconi.* In eodem Agathensi Concilio (quod celebratum est anno Dom. 506.) canon. 22. Statuitur, ut si qui vendant rem Ecclesiæ, *facta venditio non valeat, & [venditores] de facultatibus (si quæ habent propria) indemnem Ecclesiam reddant, & communione priventur.* Hunc canonem citat etiam *Gratianus*, cauf. 12. quæst. 2. can. *Statuimus.* præterea in eodem Concilio, can. 33. statutum est, ut Ecclesia etiam possit convenire hæredes defuncti Episcopi, ut *de bonis, quæ reliquit, indemnitatibus Ecclesiæ consulatur.*

IX. Idem statuitur in lege *Leonis* & *Anthemii*, Impp. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis, leg. 14. *Jubemus.* Ex qua lege, quamvis pauca superius excerpserimus, quia tamen insignem in tantis Imperatoribus pietatem spirat, qua aliis contemporaneis & postea regnaturis principibus Christianis præclaro exemplo viam honestissimam præeunt, visum est eam hic lectori plenius exhibere.

Impp. Leo & Anthemius AA. Armasio Præfecto prætorio.

JUbemus, *nulli posthac Archiepiscopo in hac urbe regia sacrosanctæ orthodoxæ Ecclesiæ præsidenti; nulli œconomo cui res Ecclesiastica gubernanda mandatur, esse facultatem fundos, vel prædia, sive urbana, sive rustica, res postremò immobiles, aut in his prædiis colonos, vel mancipia constituta, aut annonas civiles cujuscunque suprema vel superstitis voluntate ad religiosas Ecclesias devolutas, sub cujuscunque alienationis specie, ad quamcunque transferre personam. Sed ea etiam prædia dividere quidem, colere, augere, & ampliare: nec illi iisdem prædiis audere cedere. Verum sive testamento quocunque jure facto, seu Codicillo, vel sola nuncupatione, legato, seu fidei commisso, aut mortis causa donatione, aut alio quocunque ultimo arbitrio, aut certè inter viventes habita largitate, sive contractu venditionis, sive donationis, aut alio quocunque titulo quisquam ad præfatam venerabilem Ecclesiam patrimonium suum partemve certam patrimonii in fundis, prædiis, sive domibus vel annonis, mancipiis, & colonis, eorumque peculiis voluerit pertinere: inconcussa ea omnia sine ulla penitus immutatione conserventur. Scientes nulla sibi occasione vel tempore, ad vicissitudinem beneficii collocati, aut gratiæ referendæ, donandi, vel certè hominibus volentibus emere, alienandi aliquam facultatem permissam: nec si omnes cum religioso Episcopo & œconomo clerici in earum possessionum alienationem consentiant. Ea enim, quæ ad beatissimæ Ecclesiæ jura pertinent, vel post hac forte pervenerint tanquam ipsam sacrosanctam & religiosam Ecclesiam intacta convenit venerabiliter custodiri: ut sicut ipsa religionis & fidei mater perpetua est, ita ejus patrimonium jugiter servetur illæsum. 1. Sanè si hæc nostræ perennitatis statuta audaci spiritu & mente sacrilega quisquam œconomorum, vel hominum temeranda crediderit: ipse quidem, qui protervo ausu Ecclesiastica prædia donationis vel emptionis seu commutationis titulo, vel cujuscunque contractus ulterius nomine (nisi eo modo, quo nunc statuimus) acquirere vel habere tentarit, omnem hujusmodi fructum propriæ temeritatis amittat, & pretia quidem & munera, quæ ejus rei gratia data fuerint œconomo, sive aliis quibuscunque personis, Ecclesiæ lucris & commodis acquirantur, prædia autem, & in his omnibus constituta, ab ipsis clericis & temporalibus œconomis cum fructibus seu pensionibus vel accessionibus totius medii temporis vindicentur, ut, tanquam penitus à nullo empta vel vendita, teneantur: quia ea, quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt. 2. Oeconomus autem, qui hoc fecerit, immo fieri passus fuerit, vel quacunque prorsus hujusmodi venditione, seu donatione vel commutatione (nisi ea, quæ præsenti lege concedimus), postremò in quacunque alienatione consenserit: commissa sibi œconomatus administratione privetur, deque ejus bonis, quodcumque exinde incommodum Ecclesiæ contigerit, reformetur: hæredesque ejus, & successores, ac posteri super hoc facto sive consensu, competenti ab Ecclesiasticis personis actione pulsentur. 3. His tabellionibus, qui hujusmodi contractuum vetitorum ausi fuerint instrumenta conscribere, irrevocabilis exilii animadversione plectendis. 4. His quoque judicibus, vel jus gestorum habentibus qui hujuscemodi donationum vel contractuum vetitorum gesta confecerint, dignitatis propriæ & honorum omnium spoliatione damnandis.*

X. Postea eadem lege concedunt Imperatores, ut si comperiatur expedire Ecclesiæ, desideranti cuiquam, certarum possessionum atque prædiorum ad jus Ecclesiasticum pertinentium temporalis usus fructus possessio pro ipsius petitione præstetur, ad certum præfinitum tempus, sive in diem vitæ personæ accipientis, pactis super ea re conscriptis, recurrente firmiter post statutum tempus proprietate ipsorum redituum ad dominium & jus Ecclesiasticum; *ita scilicet, ut sive completo spatio, quod fuerit inter eos constitutum, sive mortis suæ tempore (si hoc quoque convenerit) is, qui possessionem Ecclesiasticam & certorum redituum usum fructum habendi gratia interveniente pacto susceperit, non mi-*

nus quam alterius tantæ quantitatis, quanta acceperit reditus, cum ipsorum prædiorum dominio & rebus immobilibus, eorumque colonis & mancipiis Ecclesiæ derelinquat. Nisi enim hac conditione pacta inita fuerint, ea quoque decernimus (inquiunt Impp.) *non valere, sed possessionem Ecclesiasticam, tanquam nullo jure transcriptam, in jure ipsius, atque dominio permanere, & ab Ecclesiasticis œconomis vindicari.* Edictum hoc Leo Thrax & Anthemius, Imperatores conscripserunt, Jordane & Severo Coss., quorum consulatus incidit in annum Christi quadringentesimum septuagesimum.

XI. Hoc jus à *Justiniano* Imperatore porrectum est ad omnem venerabilem domum, & ad omne collegium quod actio pia constituit, ut ibidem annotatur in codice, & caus. 10. qu. 2. can. *Ea enim.*

XII. Cautum est in Concilio *Bracarensi*, ut si quis res Ecclesiæ neglexerit, aut diminuerit, aut perdiderit, studens suis commodis, & suas adaugens opes, ille restituat quicquid in rebus Ecclesiæ minuit. Et vice versa, si quis pro utilitatibus Ecclesiæ passus sit in rebus propriis dispendium, totum illi à rebus Ecclesiæ ejusdem reformetur, pro cujus utilitate id expendisse probatur. caus. 12. quæst. 4. *Quicunque.* *Restitutio.*

Caput VI.

De prisca dispensatione rerum Ecclesiasticarum.

I. In Canonibus qui Apostolorum dicuntur, cura omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopo demandatur, ut eas dispenset, *quasi inspectante Deo*; & ex eis ipse, (si modo indiget) percipiat quantum ad suos necessarios usus, & hospitio exceptorum fratrum usus opus habet: ordinavisse enim legem Dei, ut qui altari inserviunt de altari nutriantur, neque milites unquam suis stipendiis arma hostibus inferre. Prospicitur etiam ipsi Episcopo & Ecclesiæ cui præest, ne pars altera prætextu alterius oblædatur, sed, ut manifestæ sint res privatæ Episcopi, (si modo & privatas habeat,) & manifestæ etiam res dominicæ, ut privatas ejusdem res Episcopus, cum moritur, quibus vult & quomodo vult relinquendi facultatem habeat: neque occasione Ecclesiasticarum intercidant res Episcopi, *qui nonnunquam uxorem & liberos, aut cognatos, aut servos habet*, justum enim esse apud Deum pariter & homines, simul ne Ecclesia per ignorationem rerum Episcopi, damni aliquid sustineat, simul ne Episcopus aut cognati ejus prætextu Ecclesiæ oblædantur, aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia, ejusque mors implicetur diffamationibus. Prohibetur verò Episcopus res Ecclesiæ vel sibi tanquam proprias assumere, vel cognatis suis elargiri, *quod si pauperes illi sint, ut pauperibus subministrato, non tamen horum prætextu res Ecclesiæ venundato.* Præcipitur etiam presbyteris & diaconis, ut Episcopi arbitratu pecunias sacras cum timore Dei summaque sollicitudine erogent in pauperes. Hæc habentur in canonibus Apostol. can. 37. & can. 39. & can. 40.

II. Observandum etiam quod ex *Gelasio*, *Simplicio*, & *Gregorio*, ostendit *Gratianus*, caus. 12. quæst. 2. can. *Vobis enim.* Et sequentibus aliquot canonibus; res Ecclesiæ olim communes fuisse, non distinctas, ut nunc, in præbendas, & localia stipendia, & speciales titulos: sed omnia bona, omnes agrorum Ecclesiasticorum proventus, omnes oblationes, & decimas, omnesque omnino Ecclesiasticos reditus per universam diœcesin colligi solitos esse à quibusdam, queis ea cura ab Episcopo demandata esset. Per quos etiam collectorum summa ad Episcopum deferebatur: qui facta prius sequestratione sumptuum in collectione factorum, totam reliquam summam seu massam in quatuor portiones dividere tenebatur: quarum unam ipse perciperet Episcopus, ad usus suos & familiæ suæ necessarios, & ad exercendam in peregrinos hospitalitatem: alia erogaretur in pauperes, ex ordinatione Episcopi: tertia inserviret Ecclesiasticis fabricis, ut scilicet inde suppeterent sumptus ad exstruenda, ad reparanda, ad sarta tecta conservanda ædificia sacra, & ad vasa acquirenda & renovanda; aliaque sacris usibus necessaria comparanda & perficienda: quartam verò partem Episcopus clericis pro suo judicio & electione distribueret; unicuique scilicet pro muneris gravitate & in munere sive officio obeundo fidelitate. Quia igitur Episcopis cura omnium rerum Ecclesiasticarum committebatur, ideo dicitur Episcopis, in canonibus illis qui Apostolis adscribuntur, ut eam curam gerant, resque Ecclesiasticas dispensent, *quasi inspectante Deo.* Et in Concilio *Martini* Papæ, ut id faciant *cum omni reverentia & timore Dei.* caus. 10. quæst. 2. can. *Episcopus.*

Caput VII.

Adferuntur ex utroque Jure & patribus, exceptiones quædam à lege alienationem rerum sacrarum prohibente: præmissis quibusdam conditionibus Legitimæ alienationis.

I. Ergone (inquies) immota est illa regula, & universaliter vera, *Semel Deo dicatum, non posse ad humanos usus transferri*: item; *nullo pacto fas esse alienare rem sacram?*

Respondeo: Ne nos hujus regulæ rigor offendat: subjiciam quasdam (à lege alienationem rerum sacrarum prohibente) exceptiones, ex jure Civili & Canonico depromptas. Deinde etiam, quid autoritatis, & quousque, obtinere eadem regula debeat, ex sacris literis, & eis congrua ratione, investigabo.

II. Antequam verò exceptiones proponam; tenenda est illa generalis conditio, quæ in omnibus fere observanda est; ut nempe nihil alienetur absque consensu majoris partis clericorum, aut saltem capituli in quacunque Ecclesia, vel majoris partis ordinantium seu deservientium in quacunque domo venerabili. Novell. 120. cap. 6. & cap. 7. caus. 10. quæst. 2. can. *Ea enim.* §. *Perpetua.* & caus. 12. quæst. 2. can. *Alienationes.* & can. *Placuit.* & extra de his quæ fiunt à prælato, sine consensu capituli. *Quædam conditiones alienationis legitimæ.*

III. Dixi, *fere*, propter canonem, *Terrulas*; caus. 12. quæst. 2. Cujus hæc sunt verba; *Terrulas aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus utiles, aut longè positas parvas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem.* Est hic Concilii *Agathensis* canon 48. Porro majoris partis autoritatem tum demum intellige prævalituram de jure, quando etiam *sanior* ea pars est, hoc est, nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationaliter objectum fuerit & ostensum. Ubi rectè est statutum in Con- *Major & sanior pars prævalent.*

Concilio Lateranensi, Extra, de his quæ fiunt à majore parte capituli. cap. 1. *Cum in cunctis.* præterea majorem partem ita intellige; ut interim nulla fiat alienatio absque consensu & subscriptione Episcopi: nam aliter facta alienatio habetur ipso jure nulla, adeoque eam Episcopus revocabit. Sicut statutum esse in Concilio Aurelianensi, refert *Gratianus*, caus. 12. qu. 2. can. *Abbatibus.* Et in Concilio Anchiritano, eadem quæstione, can. *Si qua de rebus.* Et in Concilio Carthaginensi, can. *Placuit.* eodem.

Non valet alienatio facta, sine consensu & subscriptione Episcopi.

IV. Adhæc jurare debent alienatores & consentientes alienationem illam non esse Ecclesiæ, aut domui venerabili damnosam. Novell. 120. cap. 6. & cap. 7. & caus. 10. quæst. 2. can. *Ea enim.* §. *perpetua.* Quibus in locis, permittitur, sub hac conditione, etiam perpetua Emphytheusis.

Jurandum de Ecclesiæ aut domus venerabilis indemnitate.

V. Alia etiam conditio proponitur illis verbis; œconomis verò & ordinatoribus clericorum, & chartulariis ubicunque venerabilium domorum constitutarum, aut parentibus eorum, & filiis, & quibus secundum genus aut secundum matrimonii jura conjunguntur, locationes, aut emphyteuseis, aut emptiones, aut hypothecas rerum immobilium, ipsis venerabilibus domibus competentium, subire, aut per se, aut per interpositam personam, secundum quod & iis qui Regia civitate sunt, prohibemus. Novell. 120. cap. 7.

Ipsi œconomi & ordinatores rerum sacrarum non eas sibi accipiant, neque propinquis suis dent in emphyteusin, &c. Hanc conditionem vulgo nunc clausulam vocitantem vocant.

VI. Adjicitur eadem constitutione & hæc conditio, ut si locator aut emphyteuta alicujus rei competentis Ecclesiæ vel domui venerabili, aut deteriorem faciat rem quam accepit, aut per biennium non intulerit quod ab eo promissum est emphyteuticum, aut locationis canonem, liceat Ecclesiæ aut venerabili domui, ex qua locatio aut emphyteusis facta est, & quæ pro præterito tempore debentur exigere, & locatorem illum aut emphyteutam ejicere de locatione aut emphyteusi. Novell. 120. cap. 8.

VII. Vide tractatus hujus caput quartum, ubi de alienatione. Et cap. quintum, prope finem capitis, ex lege Leonis Thracis & Anthemii Imperatorum. ubi etiam quasdam invenies conditiones licitæ alienationis.

VIII. Nunc accedo ad exceptiones ab illa regula, *Semel Deo dicatum*, &c. quas ex utroque jure collegi.

1. IX. Prima exceptio. *Sinimus imperio* (inquit Justinianus Imp.) *si qua communis commoditas est, & ad utilitatem reipublicæ respiciens, & possessionem exigens talis alicujus immobilis rei, qualem proposuimus: hoc et à sanctissimis Ecclesiis & reliquis venerabilibus domibus & collegiis percipere licere, undique sacris domibus indemnitate servata; & recompensanda re eis ab eo qui percipit, æqua aut etiam majore quam data est. Quid enim caufetur Imperator, ne meliora det? cui plurima dedit Deus habere, & multorum dominum esse, & facile dare, & maximè in sanctissimis Ecclesiis, in quibus optima mensura est donatarum eis rerum immensitas.* Novell. 7. cap. 2.

Observa cautelam pro indemnitate Ecclesiæ & domus venerabilis, aut Collegii, & recompensatione.

2. X. *Secunda exceptio:* Ex consensu mutuo, cum approbatione Episcopali, potest fieri possessionum inter Ecclesias commutatio. Exempli gratia, si utraque possessionem habeat magis alteri quam sibi vicinam. Extra, de rerum permutatione, cap. 6. *Ad quæstiones.* Item, De rebus Ecclesiæ alienandis vel non. cap. 1. *Non licet.*

3. XI. *Tertia exceptio.* Possessiones steriles, aut minus utiles, licet alienare, salva indemnitate Ecclesiæ, aut domus venerabilis, ad quam pertinent illæ possessiones. caus. 10. quæst. 2. can. *Ea enim.* §. *Si quas.* caus. 12. quæst. 2. *Non liceat Papæ.* & can. *Terrulas.* & Extra, de rebus Ecclesiæ alienandis vel non. cap. 8. *Ut super.* §. *possessiones.* & Novell. 120. cap. 1. §. *Si verò quædam.* & cap. 7. & cap. 9. Fundi autem minus utiles sunt vel ob sterilitatem; vel ob longinquitatem situs, [12. quæst. 2. *Terrulas.*] Vel propter multa fiscalia tributa, quibus gravatur ille ager. Novell. 120. cap. 7. & caus. 10. quæst. 2. can. *Ea enim.* §. *Item prædium.* Neque sola prædia propter inutilitatis rationem alienari possunt; sed etiam habitationes; idque triplici casu. 1. Si longè dissitæ sint. [Novell. 120. cap. 9.] 2. Si non modica impensa sustentantur, [caus. 12. quæst. 2. *Non liceat Papæ.*] 3. Si quas habitationum ruinas ad se pertinentes habeat Ecclesia, aut aliqua venerabilis domus, ex quibus nullus præbetur reditus, quas ipsa reædificare non valet, licet præfectis & ordinatoribus illius Ecclesiæ, domusve venerabilis, loca ipsa cum ruinis tradere in emphyteusin perpetuam: emphyteuta etiam uti poterit illic inventa de depositis habitationibus materia: ita ut emphyteusis procedat in tertia parte pensionum, quæ ex habitationibus illis adhuc stantibus colligebantur. Aut si emphyteuta maluerit, magis sub isto pacto accipiat loca, ut primitus ædificet, & ex adjectis illic, per æstimationem, pensionibus medietatem det venerabili domui, à qua ipsa loca accepit. Novell. 120. cap. 1. §. *Si verò quædam.* & caus. 10. quæst. 2. can. *Ea enim.* §. *Si quas verò.*

XII. *Quarta exceptio.* Licet possessionem Ecclesiæ aut domus alicujus venerabilis alienare, ut melior acquiratur. caus. 12. quæst. 2. *Sine exceptione.* & Extra, de rebus Eccl. alien. cap. 8. §. *possessiones.* & Novell. 120. cap. 9. 4.

XIII. *Quinta exceptio.* Si convenit Episcopo cum clericis, ut ex eorum consensu quicquam de rebus Ecclesiæ alienet vel Episcopus vel aliquis ex clericis, hac conditione, ut alienator de suo proprio tantum Ecclesiæ conferat, quantum videtur abstulisse; & hanc conditionem reipsa præstet; evadet alienator pœnam depositionis: & firma stabit alienatio. caus. 12. quæst. 2. *Si quis qualibet.* 5.

XIV. *Sexta exceptio.* In remunerationem impensi obsequii res Ecclesiasticæ utiliter possunt donari. caus. 12. quæst. 2. *Quicunque suffragio.* Nam, *Ecclesiasticis utilitatibus desudantes Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere*: ait Gregorius, can. *Ecclesiasticis.* eodem. 6.

XV. *Septima exceptio.* Necessitate æris alieni, vendi justo pretio, aut in solutionem dari potest etiam rei immobilis possessio, ad Ecclesiæ aut domus venerabilis debitricis jura pertinens: quando alia commodior solutionis via non invenitur. Novell. 120. cap. 6. & caus. 10. quæst. 2. can. *Ea enim.* §. *Hoc jus.* Si autem habeat Ecclesia vel domus venerabilis superflua quædam vasa, nullum necessarium usum facientia, si debitis aggravetur Ecclesia vel domus illa, nec sint aliæ manifestæ res de quibus debeant debita reddi; superflua illa vasa aut aliis venerabilibus locis, necessaria non habentibus, vendantur, aut conflentur & similiter vendantur, & eorum pretium indebitum præbeatur: ut res immobiles non alienentur, Novell. 120. cap. 10. & caus. 10. quæst. 2. *Ea enim.* §. *Hoc jus.* Non datur autem creditori actio contra Ecclesiam aut venerabilem domum, nisi prius ostenderit, pecunias, quas credidit, in utilitates Ecclesiæ aut domus venerabilis profecisse. Quod si non ostenderit, conceditur ei actio tan- 7.

tantummodo contra illum qui mutuas pecunias accepit, ejusque hæredes; sive ille Episcopus sit, sive œconomus aut ordinator cujuslibet venerabilis domus, &c. Novell. 120. cap. 6. §. 3. *Si verò.* & Caus. 10. quæst. 2. can. *Ea enim.* §. *Hoc jus.* ubi consule etiam glossam.

8. XVI. *Octava exceptio.* Res Ecclesiæ alienare licet intuitu pietatis & religionis. Qui intuitus multiplex est.

Concilii. 1. Fas Episcopo, de consensu consilii sui, unam de parochianis suis Ecclesiis in monasterium dedicare, eique loco de rebus Ecclesiæ aliquid, quod detrimentum Ecclesiæ non exhibeat, donare. Caus. 12. quæst. 2. can. *Si Episcopus unam.* & can. *Religiosam.* Quod autem hic dicitur de monasterio, idipsum, ex communis rationis regula porrigi intelligitur ad omne collegium quod actio pia constituit. Neque obstat, quod lib. de cura & residentia pastorali, in dissertatione de pluralitate titulorum, ostendimus, æquum esse, ut qui Ecclesiæ alicujus titulum habet, ei deserviat in propria persona. Nam, modo populus interim Evangelio & pastorali custodia debitisque ministeriis non fraudetur, major utilitas accrescit Ecclesiæ, ex uberiore usu publico, cui jam inserviunt illius Ecclesiæ reditus dicati domui alicui venerabili, cui honestè prospici interest universæ Ecclesiæ & reipublicæ. Adeo ut hæc non tam alienatio, quam ad utiliores & necessarios ipsius Ecclesiæ usus atque utilitates applicatio censeri debeat. Id quod eodem libro, in eadem illa dissertatione de plural. titul. ad quintam exceptionem, differens de scholis & collegiis studentium, non dissimulavi. Propter necessitatem autem vel utilitatem in talibus derogatur juri communi. 78. dist. *Si quis.* in glossa.

2. Fas miserationis intuitu mancipia Ecclesiæ manumittere. Caus. 12. qu. 2. *Cum Redemptor.*

3. Æquum est ut alienentur potius res Ecclesiæ, quam negligatur sepultura mortuorum Christianorum. Caus. 12. quæst. 2. *Aurum.*

4. Oportet ipsa vendere vasa sacra pro alimonia pauperum. ibidem.

5. Idem faciendum pro redemptione captivorum. ibid. & can. *Et Sacrorum.* & can. *Sacrorum canonum.* & can. *Sicut omnino.* & Novell. 7. cap. 8. & Novell. 120. cap. 10.

XVII. *Ambrosius* Episcopus Mediolanensis quintum hunc intuitum, simul cum tertio & quarto proponit, lib. 2. de officiis. cap. 28. *Hoc maximum* (inquit) *incentivum misericordiæ, ut compatiamur alienis calamitatibus; necessitates aliorum, quantum possumus juvemus, & plus interdum quam possumus. Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel invidiam perpeti; quam prætendere inclementiam: ut nos aliquando in invidiam incidimus, quia confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus: quod Arianis displicere poterat; nec tam factum displicere, quam ut esset, quod in nobis reprehenderent. Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quod homo redimitur à morte; fœmina ab impuritatibus barbarorum, quæ graviores morte sunt; adolescentulæ, pueruli, & infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? Quam causam nos etsi non sine ratione aliqua gessimus, tamen ita in populo prosecuti sumus, ut confiteremur multoque fuisse commodius adstruceremus, ut animas Domino quam aurum servaremus. Qui enim sine auro misit Apostolos, Ecclesiam sine auro congregavit. Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid opus custodire quod nihil adjuvat? an ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Assyrii sustulerint? nonne melius conflat sacerdos pro alimonia pauperum, si alia subsidia desint, quam ut sacrilegus contaminet, asportet hostis? non dicturus est Dominus; cur passus es tot inopes fame mori? certe habebas aurum unde ministrasses alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercium, nec redempti, ab hoste occisi sunt? melius fuerat ut vasa viventium servares quam metallorum. His non potest responsum afferri. Quid enim dices? timui ne templo Dei ornatus deesset? Respondebit: aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum, redemptio captivorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte.* ——— *Cum à sancto martyre Laurentio quærerentur thesauri Ecclesiæ; promisit demonstraturum se: sequenti die pauperes duxit:* ——— *dicens, hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et verè thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est, in quibus Christus se esse dixit; sic enim scriptum est; Esurivi & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me. Et infra; quod enim uni horum fecistis mihi fecistis. Quos meliores Jesus habet thesauros, quam eos in quibus amat videri? hos thesauros demonstravit Laurentius, & vicit; quod eos nec persecutor potuit auferre. Itaque Joachim qui aurum in obsidione servabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ; & aurum vidit diripi, & se in captivitatem deduci. Laurentius qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus, pro singulari sua interpretationis vivacitate, sacram martyrii accepit coronam. Nunquam dictum est sancto Laurentio, non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ, vasa sacramentorum vendere. Opus est ut quis fide sincera & perspicaci providentia munus hoc impleat. Sanè si in sua quis derivat emolumenta, crimen est: sin verò pauperibus erogat, captivos redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, cur pauper vivit? Nemo potest queri, quia captivi redempti sunt: nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est: nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata refringere, conflare, vendere licet. Opus est ut de Ecclesia mysticus poculi forma non exeat, ne ad usus nefarios sacri calicis ministerium transferatur. Ideo intra Ecclesiam primum quæsita sunt vasa quæ initiata non essent; deinde comminuta, postremò conflata per minutas erogationes dispensata egentibus, captivorumque pretiis profecerunt. Quod si desunt nova & quæ nequaquam initiata videantur; in hujusmodi usus, quos supra diximus, arbitror omnia piè posse converti.* Hactenus *Ambrosius*. Item *Gregorius* ait culpam esse, si, imminente necessitate, res maximè desolatæ Ecclesiæ captivis præponantur: apud *Gratianum*. Caus. 12. quæst. 2. can. *Sicut omnino.*

Matth. 25. 35. 40.

CAPUT VIII.

Investigantur sacræ literæ, de jure divino rerum sacrarum: Item de illa regula, Semel Deo dicatum, *&c.*

I. In Veteri Testamento constituit Deus ut sacerdotes & Levitæ excluderentur in divisione terræ sanctæ, neque illis portio, ut reliquis tribubus, in hæreditatem tribueretur; cujus præcepti hanc ostendit rationem ipse Dominus, sic alloquens Aaronem: *De terra eorum*

rum hæreditatem non habebis, nec portio erit tibi in medio eorum: ego portio tua & hæreditas tua in medio filiorum Israël, &c. Num. 18: 20. Ministris autem suis, quos aleudos suscepit, assignavit Deus in hæreditatem sufficientia media. Sacerdotibus quidem oblationes ex sacrificiis; item primitias non solum plantarum & animalium brutorum, sed ipsorum etiam hominum; res etiam votivas, & res devotas; adhæc decimas minores, sive decimarum Leviticarum decimas. Reliquis autem Levitis decimas majores sive priores, hoc est, omnium proventuum decimas ex frugibus, ex arborum fructibus, nec non ex armentis, & gregibus. Num. 18. & cap. 27.

II. De quatuor generibus decimarum sacrarum apud Israëlitas, scribit *Hieronymus*, lib. 14. Comment. in Ezechielem, paulo post initium illius libri, ubi ait; δεκάδα, hoc est, decimam partem omnium frugum, Leviticæ tribui populus ex lege debebat. Rursum ex ipsis decimis, Levitæ, hoc est, inferior ministrorum gradus decimas dabat sacerdotibus: & hæc est quæ appellatur δευτεροδεκάδη. Erant quoque & aliæ decimæ, quas unusquisque de populo Israël in suis horreis separabat, ut comederet cum iret ad Templum in urbe Hierusalem, & in vestibulo Templi: & sacerdotes ac Levitas invitarent, ad convivia. Erant autem & aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant: quæ Græco sermone appellantur πτωχοδεκάδαι. Hæc ibi *Hieronymus*. Erant etiam decimæ politiæ, quas pendebant principi, 1 Sam. 8: 15, 17. Decimas duum generum ex præda Persica sumptas; post devictos Persas apud Plateas, refert *Herodotus*, In Calliope, unas diis sacratas, alteras *Pausaniæ* ductori ac victori datas.

III. Præterea sacerdotibus cæterisque Levitis data sunt, Dei jussu, ex omnium aliarum tribuum portionibus oppida quædam ad habitandum, numero quadraginta octo, cum suburbanis prædiis, in circuitu oppidorum, mille cubitos unde quaque à muro cujusque oppidi patentibus, ita ut ager ille suburbanus pateret in longitudine duo millia passuum aut cubitorum, & totidem in latitudine, oppido centrum occupante. Tribus autem illa quæ plura habebat oppida, plura etiam Levitis tribuere jubebatur; & cui pauciora erant, ab illa etiam pauciora oppidorum contributio exigebatur. Num. 35.

IV. Ex illis verò reditibus, quidam ad secularium hominum usus transferri poterant per redemptionem, factam ab illo qui reditus debebat: ut primitiæ hominum & homines votivi, quorum redemptio non solum licita erat, sed etiam necessaria, Levit. 27. Num. 18. Item redimi poterant primitiæ animalium immundorum. ibid. Item animalia immunda votiva; domus etiam votiva, & ager votivus: nec non decimæ frugum & fructuum. Levit. 27. Redemptor autem tenebatur dare justum pretium, addita quinta parte æstimationis, Levit. 27: 13, 15, 19, 31. Alii redimi non poterant, ut primitiæ boum, ovium, & caprarum, Num. 18: 17. Item animal votivum ex eo genere unde sacrificium Domino offerri solebat, Levit. 27: 9, 10. Et ager votivus quem redimere non vult prior ejus dominus qui eum agrum Deo sanctificavit; aut quem sanctificator agri vendit alteri, ibid. vers. 20, 21. possessio talis agri firma adjudicatur sacerdotibus. Neque redimi poterant decimæ boum & ovium & similium animalium transeuntium sub virga. Levit. 27: 32, 33.

V. Usus autem oppidorum & prædiorum suburbanorum sacerdotibus cæterisque Levitis in possessionem assignatorum describitur, Num. 35: vers. 3. Nempe ut urbes illis essent ad habitandum, suburbana verò earum essent pecoribus eorum, & substantiæ eorum, & omnibus bestiis eorum.

VI. Si quis de alia quavis tribu domum in oppido murato vendidisset, concedebatur ei redemptio domus, currente primo anno: si verò anno circumacto domus nondum esset redempta, manebat emptoris in perpetuum, neque ad priorem dominum redibat anno Jubilæo. Quamvis agri rustici & domus in pagis non muratis redirent anno Jubilæo ad venditorem. Si autem è tribu Levitica quisquam vendidisset domum oppidanam in urbe mœnibus cincta, libera erat ejus redemptio usque ad annum Jubilæum, quo anno redibat ad venditorem, si prius redempta non esset. Prædia verò Levitarum suburbana, & in illis sita habitacula, commercio penitus exempta sunt, neque vendi poterant: cujus exemptionis hæc invenitur ratio, quia scilicet possessio perpetua hæc erat illis. Levit. 25. Hinc colligimus hanc possessionum Leviticarum distinctionem; aliæ erant perpetuæ & non vendibiles, ut suburbana prædia, cum domibus rusticanis. Aliæ non perpetuæ, & vendibiles, ut domus urbanæ: ita tamen ut habitationum urbanarum perpetua esset redemptio, & non redemptæ redirent anno Jubilæo, quamvis de domibus aliarum tribuum non idem juris. Unde patet tutiores fuisse possessiones tribus Leviticæ, quam aliarum tribuum. Sic etiam aliarum rerum Levitis assignatarum, ut primitiarum, decimarum, &c. aliæ redimi poterant, aliæ non poterant, ut ostensum. *Dist. poss. Levitic.*

VII. Jam videamus, quid in istis constitutionibus perpetuo etiamnum vigore nos obliget. Nam, ut quædam in eis politiæ illius populi concedamus, negari tamen non potest multas in eisdem reperiri morales regulas, quæ legis animam, rationem, penitus introspicientes fugere non possunt.

VIII. *Regula prima*; In agnitione moralis ac perpetuæ obligationis ad solvendas Deo primitias ac decimas, & reddenda vota, omnes gentes atque omnes ætates, quasi natura ipsa dictante, conspirasse videntur. *Ille verò bonus Christianus est* (inquit Ambrosius) *qui furtum non facit, falsum testimonium non dicit, qui non mentitur, qui adulterium non committit, qui ad Ecclesiam frequentius venit, qui de fructibus suis non gustat nisi prius ex ipsis Deo aliquid offerat, qui decimas Deo annis singulis erogandas pauperibus reddit, qui sacerdotibus suis honorem impendit*, &c. In eandem sententiam Augustinus; *O homines* (inquit) *stulti, quid mali imperat Deus, ut non mereatur audiri? primitias areæ tuæ & torcularis tui non tardabis offerre mihi. Si tardius dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse?* —— *Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas invasit*, &c. Recusantem solvere decimas vocat ibidem *Augustinus* ingratum fraudatorem ac perfidum. Etiam de spoliis bellicis decimas dedit *Abraham.* Ab Israëlitis autem in deserto, quamvis non decima pars, oblatio tamen de spoliis Midianiticis exacta est. Apostolus Paulus de communicatione loquens debita Evangelii ministris, jubet eam fieri ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, *in omnibus bonis.* Vide regulam 5. Deo autem reddenda esse vota, (ipsi haud ingrata) docent Salomon, & Apostolus Petrus, neque sanæ mentis quisquam est qui dubitet. *De decimis.* *Ambros. serm. 58. de tempore.* *August. serm. 219. de tempore. Exod. 22.* *Genes. 14. Num. 31. Galat. 6: 6.* *Eccles. 5. Act. 5.*

IX. *Secunda regula*; Quod excluduntur Levitæ à terræ fortitione, & quod Deum ut suum patrimonium intueri jubentur: inde monentur omnes ministri Ecclesiæ, non propriis studere commodis, (*a*) neque hujus seculi negotiis se implicare, (*b*) sed operam sedulò dare ut homines Deo lucrentur, (*c*) & cibum jucundissimum ducere, si faciant voluntatem Patris Cælestis, (*d*) expectantes immarcessibilem illam gloriæ coronam, in illa gloriosa manifestatione summi pastoris. (*e*)

(*a*) 1 *Cor.* 9. & 2 *Cor.* 12. (*b*) 2 *Tim.* 2: 4. (*c*) 1 *Cor.* 9. &c. (*d*) *Joan.* 4: 34. (*e*) 1 *Petr.* 5.

X. *Tertia regula*; Quod illis Deus habitationes & reditus idoneos assignaverit, hoc habet morale; *Dignus est operarius alimento suo*, (Matth. 10: 10.) Constituit Dominus ut qui prædicant Evangelium, vivant ex Evangelio, ita ut etiam familiæ alimenta subministrentur. 1 Corinth. 9: 5, 14.

XI. *Quarta regula*; Assignatio non unico in loco, sed sparsim per omnes tribus facta, docet prospiciendum esse ministris Evangelicis, ut habitationes & reditus habeant commodos pro exequutione ministerii sui. Erant enim Levitæ doctores populi, legisque Divinæ interpretes, ex officio, Deut. 33: 10. Nehem. 8. quia igitur necessariæ erant synagogæ & conventus sacri sparsim per omnes tribuum portiones, in quibus synagogis aut conventibus Levitæ erant necessarii ad legendum populo & interpretandum sacras Scripturas, uti ex Novi etiam Testamenti historia liquet, idcirco dispersi habitabant per omnium tribuum portiones. Dandæ etiam sunt illis in locis habitationes ministris Evangelicis, & ibi sunt assignandi illis reditus, ubi munus suum exequi tenentur, aut saltem ita ut à debita muneris sui exequutione non abstrahantur. (Ad locum autem sacrificiorum Levitæ, quando opus erat, accedebant.) Hac in parte peccatur ab eis, qui clericis stipendia assignant è longinquo petenda, quando suppetunt media propinquiora.

Matth. 4: 23. *Luc.* 4: 15, 16, 17. *Act.* 13. & 15. &c.

XII. *Quinta regula*; Ex accessione primitiarum & decimarum & oblationum ab universa gente Israëlitica, discimus curam alendæ familiæ Leviticæ à nemine alienam esse debere. Apostolus hoc officii exigit ab omni homine qui instruitur in verbo. Idcirco *Augustinus* ait; *Quod si decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola, quodcunque te pascit ingenium, Dei est, & inde decimas expetit unde vivis; de militia, de negotio, & de artificio redde decimas. Ambrosius* etiam *de venatione*, decimam ait Deo deberi, & *de omni substantia quam Deus hominis donat.*

Gal. 6: 6. *August. serm.* 219. *de tempore.* *Ambros. serm.* 34. *de tempore.*

XIII. *Sexta regula*; Quod præter decimas, oppida etiam Levitis attributa sunt, & prædia, & primitiæ, & oblationes, & res votivæ; inde docemur, non solis decimis circumscribi res sacras.

XIV. *Septima regula*; Lex illa de accipiendis in Levitarum usum pluribus urbibus, cum suburbanis, ab ea tribu quæ plura haberet oppida, & paucioribus ab ea cui essent pauciora, admonet nos æquitatis in servanda æquabili proportione, pro facultatibus eorum à quibus in usus sacros debita exiguntur.

XV. *Octava regula*; Definitio illa numeri 48. urbium Levitis tribuendarum, earundemque expressa designatio, & determinatio decimarum, &c. nos docet, distinctas esse debere res Ecclesiæ, & discretas à rebus aliorum: ut nusquam litigio, aut cujusquam detrimento locus relinquatur, ut Cæsari reddantur, quæ Cæsaris sunt, & quæ Dei sunt, Deo. *Sicut Ecclesia propria res amittere non debet; ita eam rapacitatis ardore invadere alienas non oportet* (inquit *Gregorius*,) & mortificationibus modum ponendum. Exod. 36: 5, 6, 7. lex erat apud veteres Romanos, referente *Cicerone*, lib. 2. de legibus. Sanctè vota reddunto. Pœna violati juris esto. Quocirca ne quis agrum consecrato. Auri, argenti, eboris sacrandi modus esto. Hæc ibi.

Matth. 22: 21. *Gregor. lib.* 2. *epist. ex registro, cap.* 82.

XVI. *Nona regula*; Quarundam rerum ad Levitas pertinentium permissa secularibus redemptio, & quarundam etiam emptio, vendentibus eas Levitis, docet regulam illam, *Semel Deo dicatum*, &c. non esse exceptionis prorsus expertem.

XVII. *Decima regula*; Lex illa redemptionis, qua præcipitur datio justi pretii, cum superaddita quinta parte æstimationis, ostendit res sacras non auferendas esse absque idonea & abundanti compensatione.

XVIII. *Undecima regula*; Venditio habitationum urbanarum ad Levitas pertinentium, ostendit, Ecclesiam Dei non esse speluncam latronum & asylum furum; sed æs alienum, nomine Ecclesiæ & in ejus utilitates contractum, dissolvendum esse ex rebus Ecclesiæ. Idemque dicendum de domibus venerabilibus collegiisque omnibus quæ actio pia constituit.

XIX. *Duodecima regula*; Permissa Levitis in perpetuum redemptio domorum suarum urbanarum, earumque regressus anno Jubilæo; quæ tamen de aliarum tribuum habitationibus urbanis concessa non sunt; docent, cavendum quidem securitati omnium civium, ut certa illis & firma maneant sua patrimonia; sed præcipuè patrimoniorum sacrorum certitudini præ aliis esse prospiciendum: & tutissimas esse debere res sacras.

XX. *Decimatertia regula*; Perpetuitas atque (ut ita loquar) invendibilitas possessionum Leviticarum suburbanarum, & quorundam redituum vetita permutatio, monent, quasdam esse debere res sacras commercio penitus exemptas: nempe sine quibus muneris sacri collabitur aut vehementer impeditur executio, quod tamen salvis charitatis privilegiis intelligendum est; ut sicut, in casu extraordinario, Davidi ejusque comitatui famelico dati sunt panes propositionis, & tempore extremæ necessitatis ad hostes populi Judaici missum est aurum Templi Hierosolymitani, ita redemptioni captivorum & alimoniæ pauperum, omnes res temporales ad Ecclesiam pertinentes postponantur: modo prudenter caveatur, ne temere & in majus Ecclesiæ detrimentum erogentur aut alienentur. Unde non solum thesauros Ecclesiæ *Laurentius* pro alimonia pauperum, & vasa etiam initiata *Ambrosius* alienavit pro redemptione captivorum; & cuncta *Paulinus*, Nolanæ urbis Episcopus, quæ ad Episcopii usum habere potuit, captivis indigentibusque largitus est: sed seipsum etiam idem *Paulinus* pro filii pauperculæ cujusdam viduæ redemptione, Vandalorum Regis genero, ex Italia in Africam profectus, in servitutem tradidisse fertur. Ex qua postea, Divina favente providentia, cum honorificè dimisit ille Regis Vandalorum gener, donatis illi & multis aliis captivis; quorum libertatem impetravit *Paulinus*, postquam jam hortulanum in servitute aliquandiu egisset.

Ambros. lib. 2. *de officiis, cap.* 28. *In Dialogis qui Gregorio tribuuntur, lib.* 3. *cap.* 1.

XXI. *Decimaquarta regula*; Moralia etiam sunt illa perpetua præcepta de cura pauperum, &

& orphanorum, & viduarum, & peregrinorum: de pia educatione & disciplina: de ordine & decore, etiam in his.

XXII. *Decimaquinta regula*; Illud præterea morale est, quod de rebus sacris etiam Levitarum uxores, liberi, mancipia, & universæ familiæ honestè alebantur. Levit. 22. Num. 18: 31. Ideo ait Apostolus, fas sibi esse sumptus etiam uxorios exigere. 1 Cor. 9: 5. Addit oportere Episcopum esse κόσμιον, φιλόξενον, suæque domui bene præesse, liberos continere in subjectione, *cum omni honestate*. 1 Tim. 3: 2, 4.

XXIII. *Decimasexta regula*; Nec prætereundum, quod olim, post certum quendam ætatis annum, sacerdotes cæterique Levitæ consuetis ministeriis non adstringebantur: & tamen ex rebus sacris victitabant cum suis: sicut etiam ii qui ob infirmitatem aliquam aut labem corporis à sacri ministerii executione arcebantur. Sic etiam faciendum jam tempore Novi Testamenti; ut scilicet Ecclesiarum domorumque venerabilium rectoribus & ministris senio aut alia quavis ægritudine ita præpeditis, ut jam inutiles sint in illis functionibus, aliunde ex rebus sacris honestè prospiciatur: ut sine dolore aut dedecore cedere possint idoneis successoribus, qui & functiones illas strenuè obeant, & annexis beneficiis potiantur. Qua de re prolixè ex Ecclesiasticis Canonibus disseruimus lib. de cura & residentia pastorali.

XXIV. In Novo Testamento adjiciuntur harum regularum generales quædam seu communes rationes: *Dignus est operarius alimento suo*, Matth. 10: 10. *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes domo aut urbe illa, excutite pulverem pedum vestrorum.* ——— *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, &c.* vers. 14. ——— 40, 41, 42. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* 1 Corinth. 9: 11. *Dominus constituit eis qui Evangelium annunciant, ut ex Evangelio vivant*, vers. 14. *Communicet autem is qui instituitur in sermone, ei qui eum instituit, in omnibus bonis. Ne seducamini, Deus non irridetur: quicquid enim seminarit homo, hoc & metet*, &c. Galat. 6: 6, 7, 8. *Quatenus fecistis uni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis.* ——— *Quatenus non fecistis uni ex istis minimis, nec mihi fecistis.* Matth. 25: 40, 45 &c.

CAPUT IX.

De secunda Sacrilegii specie, quæ à modo sumitur, seu, de neglectu sacrilego.

I. NEGLECTUS Sacrilegus duplex est. 1. Quando aliquis executionem negligit officii sacri, propter quod percipit beneficium. Qui neglectus ad Sacrilegium in acquisitione pertinet. 2. Quando aliquis rem sacram, mobilem aut immobilem, curæ, custodiæ, & administrationi suæ commissam, perire, auferri, aut deteriorem fieri patitur sua negligentia: vel etiam ejus honestè ac piè ampliandæ aut stabiliendæ opportunitates per pigritiem aut incuriam aut inertiam prætermittit. Præcipit Apostolus, ut qui præest, præsit cum diligentia seu studiosè, ἐν σπουδῇ. Rom. 12: 8. Et postea omnibus ait, τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί; *studio non pigri*, vers. 11. Dominus servum illum talenti defossorem, qui utilitatibus Domini sui non invigilaverat neque studuerat, increpans, ait, πονηρὲ δοῦλε καὶ ὀκνηρέ, *serve male & piger*, Matth. 25: 26. qui verò heri sui commodis desudaverat, appellatur δοῦλος ἀγαθὸς καὶ πιστός *servus bonus & fidelis*. Vers. 21. & 23. Sacrilegium igitur istud perfidia committitur: neque simul consistunt fidelitas & pigrities vel ignavia. Statutum in Concilio *Bracarensi*, ut si quis administrator, suis rebus studens, res Ecclesiasticas negligeret, is de suo damnum inde eveniens Ecclesiæ resarciret. Caus. 12. qu. 4. Can. *Quicunque*. Sed etiamsi suis commodis non studeat, & tantummodo in suscepta administratione negligens deprehendatur, annumeratur in sacra Scriptura servis malis & inutilibus: & ob hoc ipsum, quod fuerit *inutilis servus ἀχρεῖος δοῦλος*, exterioribus tenebris adjudicatur. Matth. 25: 30. Hominem *in opere suo remissum*, Salomon vocat *fratrem dissipantis*. Proverb. 18: 9.

Plures species Sacrilegii in neglectu, colligere est ex generali nostra dissertatione de furto in neglectu. *Part. 1. cap. 16.*

CAPUT X.

De Sacrilegio in abusu.

I. DE variis speciebus furti in abusu diximus in generali nostra dissertatione de ejusmodi furto: unde huc nonnulla accommodari possunt. *Part. 1. cap. 17.* Sacrilegus fuit abusu sacrorum vasorum *Baltassar* Rex *Babylonis*, Dan. 5: 3. Jubet Apostolus in Ecclesia omnia fieri ordine & decenter, 1 Cor. 14: 40. Propterea, quamvis nunc in quolibet loco liceat Deum colere in spiritu & veritate, purasque ad Deum manus tollere, sintque jam omnia munda mundis; ordinis tamen & decori necessitate compulsi sunt Christiani certas quasdam domos publicas, in quibus Ecclesiastici conventus haberentur, exstruere, easque pio huic usui dedicare. Alias item in quibus peregrini, & orphani, & languidi, & quicunque egentes reciperentur: item alias pro educatione juniorum, &c. easque vasis aliaque idonea suppellectile instruere. *Act. 5: 4.* Ex quo fit, ut quæ prius, nondum sanctificata, manebant in potestate & arbitrio privatorum, ea nunc, Deo & piis usibus dedicata, desinant esse in cujusquam privati bonis; sed Divini juris sint, & sacris illis usibus mancipata, neque privatorum arbitrio quibuslibet usibus adhibenda sint. Unde abusu sacrilegus est, qui Ecclesiam Dei contemnit, (ut loquitur Apostolus, 1 Cor. 11: 22.) in sacro conventu, aut sacri conventus loco, ea faciens quæ conventui aut loco disconveniunt, e.g. *Non oportet* (inquiunt Patres Laodiceni, Can. 28.) *in locis Dominicis seu in Ecclesiis convivia, quæ vocantur Agapæ, facere, & in domo Dei comedere, & accubitus sternere.* Et Antisiodorenses; *Non licet* (inquiunt) *in Ecclesiis choros secularium, vel puellarum cantica exercere, nec convivia in Ecclesia præparare. Quia scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur.* Can. 9. Et Patres in Concilio *Moguntiaco*; *Præcipimus, ut in Ecclesiis, aut in domibus Ecclesiarum vel atriis placita secularia minime fiant.* Can. 4. Hoc etiam modo sacrilegus est qui domorum sacrarum vasis aut ornamentis abutitur ad privatam pompam. Item, qui rebus sibi ad exercendam hospitalitatem & beneficentiam concessis abutitur ad luxum & vanitatem, &c.

Concil. Laod. antiquius Niceno primo. Concil. Antis. anno Dom. 590. Concil. Mogunt. anno Dom. 813.

II. In rerum tamen facrarum ufu feculari interdum haud illicito, tria ifta attendenda funt: 1. Indemnitas Ecclefiæ, vel domus venerabilis: 3. Vitatio fcandali: 3. Cafus neceffitatis. Vide Matth. 12: 3, 4, 7.

CAPUT XI.

De Sacrilegio in datione damni.

Part. 1. cap. 18.

I. QUID fit Sacrilegium in datione damni, colligere facile eft ex eis quæ diximus in generali expofitione de Furto in datione damni. Unum tantummodo cafum, exempli caufa, hic proponam, ex Concilio *Agathenfi*, Can. 26. cujus Canonis hæc funt verba; *Si quis de clericis documenta quibus Ecclefiæ poffeffio firmatur, aut fupprimere, aut negare, aut adverfariis fortaffe tradere, damnabili & punienda obftinatione præfumpferit, quicquid, per abfentiam documentorum, damni Ecclefiæ illatum eft, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur. Hi etiam, qui in damno Ecclefiæ impie folicitati, à traditoribus aliquid acceperint, fuperiori fententia teneantur.* Hunc canonem ex Concil. *Agathenfi* citat etiam *Gratianus*, Cauf. 12. quæft. 2. Can. *Si quis de clericis.* Et rurfus ejusdem magnam partem, levicula variatione, ex Concilio *Aurelianenfi*, alio ejusdem quæftionis canone, *Si quis de clericis.*

Concil. Agathenf. anno Dom. 506.

CAPUT XII.

De Sacrilegio per participationem criminis.

I. QUi participat cum fure odio habet animam fuam: maledictionem audit, & non annunciat, ait *Salomon*, Proverb. 29: 24. Talis eft ille qui difciplinam exofus, fi videt furem, ftatim currit cum eo, Pfal. 50: 18. Tales erant injufti illi *Judæorum* principes, quos *focios furum* appellat *Efaias*, cap. 1: 23.

II. Participem Sacrilegii fe facit aliquis vel confilio, vel auxilio, vel receptione, vel affenfum præbendo, vel illud non impediendo pro officii ratione, vel jufto rerum domino debitum pro rei ablatæ recuperatione auxilium fubtrahendo. His enim modis furtum in genere committitur per participationem criminis.

Part. 1. cap. 19.

III. *Rectè Pedius ait, ficut nemo furtum facit, fine dolo malo, ita nec confilium vel opem ferre fine dolo malo poffe.* inquit *Ulpianus*, Leg. 50. §. 2. ff. de furtis. *Receptores non minus delinquunt, quam adgreffores.* Leg. 3. §. 3. ff. de incendio. *Non fur folum, fed ille reus tenetur, qui furti confcius, quærente poffeffore, non indicat.* Extra, de furtis, cap. 4. Hic Canon conformis eft verbis illis Salomonis, modo citatis. *Symmachus* Papa, apud *Gratianum* *Non liceat Papæ* (inquit) *prædium Ecclefiæ alienare*, —— *donator, affenfator, venditor honorem perdat, & qui fubfcripferit, Anathema fit; cum eo qui dedit, vel qui recepit; nifi reftituatur.* Cauf. 12. qu. 2. Can. *Non liceat Papæ.* Et *Lucius*, de facrilegis loquens; *Non folum* (inquit) *qui faciunt rei judicantur, fed etiam qui facientibus confentiunt. Par enim pœna & agentes & confentientes comprehendit.* Cauf. 17. quæft. 4. *Omnes Ecclefiæ.* Fundamentum habent inconcuffum hi Canones, in verbis illis Apoftoli; *Qui poft Dei jus cognitum, quod ii, qui talia faciunt, digni funt morte; non folum ea faciunt, fed etiam patrocinantur iis qui hæc faciunt.* ad Rom. 1: 32.

CAPUT XIII.

De reftitutione.

I. LEGEM de reftitutione tulit Deus, Exod. 22. & Levit 6: 5. & Num. 5: 7, 8. ejus æquitas & moralis neceffitas perpetua eft. Evangelicum habemus exemplum in *Zacchæo*, Luc. 19: 8. quamvis proportionem non femper neceffe fit effe eandem, ut patet ex loco *Exodi* citato, fi leges illas earumque rationem perpendas. Omnino tamen profpiciendum indemnitati eorum ad quos res jure pertinent. *Omnia igitur, quæ volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis. Ifta enim eft lex & Prophetæ*, ait Dominus nofter in Evangelio. Item; *Reddite ergo quæ funt Cæfaris, Cæfari: & quæ funt Dei, Deo.*

1. Pars capitis, de reftitutionis æquitate & neceffitate

Matth. 7: 12. & 22: 21.

II. *Juris præcepta funt hæc*; (inquit *Juftinianus* Imperat.) *honefte vivere, alterum non lædere, fuum cuique tribuere.* Inftit. de juftitia & jure. §. 4.

Juris præcepta.

III. *Ambrofius* ait; *Tibi Deus dedit novem partes, fibi vero refervavit decimam partem: & fi tu non dederis Deo decimam partem, Deus tollet à te novem partes. Item, fi quis recognofcit in fe, quod ab aliquo tulit aliquid injuftè, emendet, reddendo quod injufte tulit. Nam qui non vult Deo reddere decimas quas retinuit, & * homo non ftudet reddere quod injuftè ab eo abftulit, non timet adhuc Deum: & ignorat quid fit vera pœnitentia, veraque confeffio. Ifte talis homo non poteft bonam eelemofynam facere.* Hæc *Ambrofius*, ferm. 24. de tempore.

** Homini.*

IV. *Verum nunc* (inquit *Auguftinus*) *ut mores noftri funt, & fceleris pœnam cupiunt fibi homines relaxari, & id propter quod fcelus admiffum eft poffidere: peffimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodeft. Si enim res aliena, propter quam peccatum eft, cum reddi poffit, non redditur, non agitur pœnitentia, fed fingitur: fi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nifi reftituatur ablatum, fed, ut dixi, cum reftitui poteft. Plerumque enim qui aufert, amittit, five alios patiendo malos, five ipfe male vivendo, nec aliud habet, unde reftituat. Hinc certè non poffumus dicere, redde quod abftulifti, nifi cum habere credimus & negare.* —— *Illud verò fidentiffimè dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne malè ablata reftituat, & qui ad fe confugientem, quantum honeftè poteft, ad reftituendum non compellit, focium effe fraudis & criminis. Nam mifericordius opem noftram talibus fubtrahimus, quam impedimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adjuvat, ac non potius fubvertit atque opprimit.* —— *Qui verò contra jus focietatis humanæ, furtis, rapinis, calumniis, oppreffionibus, invafionibus, abftulerit, reddenda potius (eis à quibus accepta funt) quam donanda (pauperibus) cenfemus, Zacchæi publicani Evangelico exemplo, qui cum hofpitio Dominum fufcepiffet, in vitam fanctam repente mutatus, Dimidium, inquit, rerum mearum do pauperibus, & fi cui aliquid abftuli, quadruplum reddo.* —— *Quis tandem Advocatus, aut ex advocato ita vir optimus facilè reperitur, qui fufcepto fuo dicat; Recipe quod mihi, cum tibi malè adeffem, dedifti, & redde adverfario tuo, quod me agente iniquè abftulifti? Et tamen quem prioris non rectæ vitæ, rectiffimè pœnitet, etiam hoc facere debet: ut fi ille, qui iniquè litigavit, non vult admonitus corrigere iniqui-*

Luc. 19: 8.

Advocatus iniqui patrocinii mercedem reftituere debet.

quitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem. Nisi fortè restituendum est alienum, quod per furtum clanculo aufertur, & restituendum non est alienum, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur, decepto judice, & circumventis legibus obtinetur? Hæc omnia Augustinus, epist. 54. ad Macedonium.

V. Effatum illud *Augustini*, *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, invenies insertum juri canonico. Cauf. 14. quæst. 6. can. *Si res aliena*. Ubi monet autor glossæ, peccatum injustæ retentionis rei alienæ non minui diuturnitate temporis, sed augeri & aggravari. Vide ibi plura de præscriptione. Et extra, in *Sexto*, de regulis juris, cap. 4. *Peccatum*. Ubi de hac regulâ restitutionis prolixè differitur in glossâ. Unum inde casum, cum responsione quæ ibi redditur, eo quod cum nostro proposito affinitatem habeat, lectori exhibebo. *Ponamus* (inquit glossator) *quod Titius furatus fuit mihi rem meam: certum est, quod illam rem ipse non potest usucapere, duplici de causa: Primò, quia ipse Titius habet malam fidem. Secundo, quia res est furtiva & affecta vitio furti. Sed quia iste fur rem ipsam furtivam vendidit cuidam bonæ fidei emptori: qui emptor rem ipsam vendidit, & alteri tradidit bona fide: utrum iste secundus emptor possit rem usucapere, ita quod sit purgatum vitium furti, attento quod bona fides reperiatur in alienante, & in illo cui est alienata? Respondeo, quod non: quia furtum est vitium reale, quod afficit rem furtivam, & eam sequitur quocunque vadat, sicut lepra sequitur leprosum. Nec purgatur istud vitium nisi res fuerit restituta domino cui fuit subtracta: in tantum quòd ipsum vitium reddit rem furtivam insuscapabilem: quia donec fuerit purgatum vitium furti, non dimittitur peccatum, id est, vitium furti, donec restituatur ablatum, id est, donec res furtiva fuerit restituta domino cui fuerit subtracta.* Hæc ibi. Quæ proposito conveniunt, si exemplum ponatur in sacrilegio, quod species quædam furti teterrima est. *Rei furtivæ æterna autoritas esto*. Leg. 12. tabularum.

Furtum est vitium reale: nec purgatur nisi restitutione.

VI. *Usucapio* autem est adjectio sive acquisitio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. ff. de usurpationibus & usucapionibus, lege 3.

Caput XIII. Pars II.

In qua respondetur duabus objectionibus.

1. *Object.* VII. At objicitur non posse nunc ea sacris usibus restitui, quæ regio munere donata sunt viris nobilibus, quos in illustrium baronum & comitum ordinem sublimavit. Deridiculo enim fore, ademptis redditibus, paupertinos proceres. Respondeo, imò terribili tonitru respondet ipse Deus per sanctos suos prophetas; *Væ ei qui multiplicat non sua, usque quo, & aggravat super se densum lutum! Væ avarè sectanti avaritiam malam domuisuæ, ut ponat in excelso nidum suum, ut liberetur à manu mali. Consilium iniisti ad ignominiam domui tuæ, excidisti populos multos, & peccasti in animam tuam. Nam lapides è parietibus clamabunt, & tigna è structuris ligneis respondebunt illis. Væ ædificanti urbem sanguine, & ei qui stabilit civitatem iniquitate. Nonne ecce à Domino exercituum* [venier ultio.] *Laborabunt itaque populi in igne, & gentes frustra fatigabuntur.* Habacuc. 2: 6, 9, 10, 11, 12, 13. Peremerunt quidem sacrilegi *Babylonii* multos populos ferro; nostri autem sacrilegi pervasores multos orphanos, viduas, infantes, senes, infirmos, peregrinos, Ecclesias denique ipsas, & scholas, & debita instructione ac custodia fraudatas multorum animas perimunt furto. De quo loquens Dominus per *Malachiam*, ait: *Numquid spoliabit homo Deum, quod vos me spoliatis? Et dixistis; in quo spoliavimus te? In decimis & oblationibus. Maledictione maledicti estis, & me vos spoliatis, gens tota. Afferte omnem decimam in domum thesauri, sitque esca in domo mea, & probate me in hoc, dicit Dominus exercituum: si non aperuero vobis cataractas Cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.* Malach. 3: 8, 9, 10.

Respons.

Vox dignitatis plena, nec irrita
Unquam ad patrandum jussa potentiæ. *Psal.* 19.

VIII. Summa est; non esse sacrilegio aut quacunque iniquitate comparandas aut tuendas opes vel honoris apices. Compendiariam & necessariam ad non maledictam eopiam viam esse pietatem & justitiam; *Benedictio Domini ditat, nec apponit dolorem ei*, ait Rex sapiens. Cujus aliud etiam in eandem sententiam imbibe apophthegma, *Melius est parum cum justitia, quam multitudo proventuum absque jure.* Si de vita tua solicitus es, audi Regem regum, vitæ Dominum. *Videte* (inquit) *& cavete ab avaritia; quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex bonis suis.* Si te liberorum cura exercet, *Salomon* ait, *Ambulanti in perfectione sua justi, beati erunt filii ejus post eum.* Heu fuge sacrilegii laqueum. Si difficilis juveni illi in cælum ingressus, qui suas bene partas opes in usus pauperum Christo monente erogare detrectavit: si illis, qui de suis etiam non malè quæsitis bonis egenos non sublevant, certum æterni ignis supplicium denunciatur; quam atrox eos maneat damnatio, qui res alienas, easdemque sacras, prudentes & scientes invadunt, ut Dei spoliis ditescant?

Prov. 10: 22. & 16: 8.

Luc. 12: 15.

Prov. 20: 7.

Matth. 19: & 25.

IX. Neque eos edicti parlamentarii munire potest autoritas. Nam ut taceam inclytæ memoriæ Jacobo Rege adhuc puero fabricatum & promulgatum esse illud edictum, idque adulto vehementer displicuisse, quod & gesta ejus testantur, idemque religiosissimo ejus Filio, Regi nostro *Carolo*, revocatione sua ipsum antiquanti, palam improbari; certè ad tranquillandam coram Deo conscientiam nihil habent virium placita humana, reclamente jure divino. Non addendum aut demendum verbis Dei. Non potest inferior dispensare in lege superioris, non homo in lege Dei. Ut rectè agnovit *Innocentius* tertius, Papa *Romanus*, Extra, de restitutione spoliatorum, cap. 13. *Literas*. Vide supra in fine capitis 4. & cap. 5. Tolerant interdum pii principes, propter subditorum σκληροκαρδίαν, quæ potius sublata cuperent. Sed toleratio ista non liberat conscientiam hominis tolerati, dum transgreditur legem divinam. Sæpe sine culpa toleratur, quod non sine culpa geritur. Sicut docuimus in Tractatu nostro de Simonia, cap. 14. seu ultimo.

Deut. 42. & 12: 32. *Prov.* 30: 6.

X. Porro objiciunt harpyiæ quædam, non opus esse rerum ablatarum restitutione, eo quod existiment aut saltem dicere non verecundentur, satis adhuc superesse ad sacros usus, nec nisi superflua esse resecta. 2. *Object.*

Responsio. Quanto illa honestior juris, etiam civilis, vox? *In sanctissimis Ecclesiis optima mensura est donatarum ei rerum immensitas.* Heroica sanè & Christiano principe digna sententia. Providendum tamen omnino est, ne mortifica-

Responsio *Novell.* 7. *cap.* 2.

cationes modum excedant, ficuti fupra docuimus, cap. 8. §. 13. Quæro autem ex iftis vitilitigatoribus, quem magiftratum iftius objectionis fequantur? Educati mihi videntur irrifores illi in fchola Siculi illius Tyranni *Dionyfii*, qui fua facrilegia *jocofis* dictis profequi voluptatis loco duxit, ut refert *Valerius Maximus*, lib. 1. cap. 1. ubi commemoratis aliquot ejus facrilegiis & fcommatis, fubdit hæc verba; *Qui tametfi debita fupplicia non exfolvit, dedecore tamen filii mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam fui Divina procedit ira; tarditatemque fupplicii gravitate compenfat.* Hæc *Valerius*. Apud quem loco citato legere eft multa feveræ animadverfionis Divinæ in facrilegos exempla. Quæ ille quidem perperam tribuit fictitiis gentium numinibus; fuerunt autem unius veri Dei in facrilegos jufta judicia: ut apud omnes gentes teftatum faceret, quam fit Deo exofum hoc genus rapinæ. Hinc & vetus illud proverbium *Aurum Tolofanum. Nam cum oppidum Tolofanum, in terra Gallia, Q. Cepio Conful diripuiffet, multumque auri in ejus oppidi templis fuiffet, quifquis ex ea direptione aurum attigit, mifero cruciabilique exitu periit*: ut fcribit A. Gellius, lib. 3. Noctium Atticarum, cap. 9.

XI. Deinde & illud iniquum, ut quod de nullo cive, imo de nemine mortalium licet, id alicui contra Deum ejusque Ecclefiam fas cenfeatur. Neminis innocentis fas bona rapere, hoc folo nomine, quod tibi nimium opulentus videatur, & eis amiffis habiturus fit refiduam adhuc rerum copiam, faltem tantam, quantam tuo judicio eum convenit poffidere. Neque belli jufta hæc caufa eft, neque in ulla bene conftituta republica locum habet. Furum ifta & latronum eft ratiocinatio, à qua alieniffimos effe oportet cæleftis fapientiæ difcipulos, ut prolixè docet Rex fapiens initio Proverbiorum. Portam patefacit iftiufmodi argumentatio omni confufioni & injuftitiæ, neque cuiquam vel principi vel fubdito tutas effe finit res fuas. Scimus enim majorem mortalium partem effe oculo malo, qui fuo non contentus aliena appetit, tanquam fibi magis quam proximo neceffaria aut convenientia. Intereft quidem reipublicæ quomodo quifque utatur re fua; fed immerenti nec abutenti non aufertur res fua, quamvis inde tributa & vectigalia aliaque fubfidia publica pendantur. Hæ duæ refponfiones univerfaliter militant pro omni Ecclefia, etiam opulenta.

XII. Tertiam fubjiciam refponfionem, quæ fpecialiter refpicit præfentem conditionem Ecclefiæ *Scoticanæ*. Abunde, inquiunt, fupereft Ecclefiæ ad omnes ufus facros. Hæc verò infignis eft impudentia, peracerbo ac impio temperata farcafmo; poftquam Ecclefiam diripueris, eamque velut draco abforpferis, & ventrem tuum deliciis ejus repleveris, ei jam calamitofæ & pauperi copiam, & opes, fævo cum joco, exprobrare. *Jerem.* 51. 34.

XIII. Videte verò, quam copiam, quas Ecclefiæ reliqueritis facultates: Epifcopo opus eft convictoribus quibufdam vitis doctis & piis, item juvenibus acoluthis, qui eorum colloquiis, exemplis, & monitis ad altiora præformentur: nec noftra facra nec jura Apoftolica caftum refpuunt conjugium, & liberos: ficut & de *Hilario Pictavienfi*, cecinit Baptifta *Mantuanus*. *1 Cor.* 9. 5. *1 Tim.* 3: 4. *Can. Apoft.* 39 *Baptifta Mant. lib.* 1. *Faftorum.*

Non nocuit tibi progenies, non obftitit uxor
Legitimo conjuncta toro: non horruit illa
Tempeftate Deus thalamos, cunabula, tædas.

Et de *Gregorio Nazianzeno*

Præfule patre fatus, nam tunc id jura finebant.

Nec fas Epifcopo aut presbytero uxorem propriam obtentu religionis abjicere. can. Apoft. 5. Liberorum fuorum piam educationem & familiæ fuæ honeftam curam, unicuique imperant facræ literæ, 1 Tim. 3: 4, 5. & 5: 8. Oportet etiam Epifcopum effe hofpitalem, & τύπον καλῶν ἔργων. Adhæc multorum itinerum quæ ei neceffe erit, Ecclefiæ & reipublicæ caufa, fufcipere, fumptus fuftinendi funt: Bibliotheca etiam pontifice digna, comparanda, & indies locupletanda. *1 Tim.* 3. 2. *Tit.* 2: 7. Presbytero eadem, licet contractior, incumbit cura familiæ, & privatæ Bibliothecæ, honeftæque hofpitalitatis, aliorumque bonorum operum; & educationis liberorum, quos procul in oppida, ad capeffendam in fcholis & Academiis ingeniorum culturam, neceffe habet ablegare, cui foli oneri fuftinendo fæpe non fufficit ftipendiolum illud quod ei jam relictum eft. Præterea itinere ad presbyteria & fynodos facienda. Et quod initia illi reddit afperrima, non folum relictæ aut hæredibus deceffotis adjudicantia primi anni fructus, fed etiam plerifque in locis ipfum domicilium, in quo ad curam fuam refideat, magna ei fumma, ac fæpe mutuo fumpta, redimendum eft: quo fit, ut poftea vix toto vitæ fuæ fpacio ex alieni æris fervitute emergat; nifi aliunde quidpiam obvenerit. Diaconos, jure Divino debitos, nullos nunc habet Ecclefia *Scoticana*, deftituta præfidiis quibus eos honefte alat. In fingulis parochiis lector & catecheticus adjutor defideratur: nec apertæ funt paffim fcholæ, quæ effe deberent faltem ad inftruendos in vernaculæ linguæ lectione rufticorum pueros & puellas in fingulis parochiis, ubi & præceptores & omnes egeni pueri ac puellæ fumptibus publicis Ecclefiafticis alendi: quod dum negligitur, cernimus multò maximam populi noftri partem planè ἀγράμματον, atque adeo miferabili & invincibili ignorantia caligantem, dum fola eorum auris, eaque ut plurimum paftori aut doctori inacceffa, certè rariffimè arrecta, patet ad difcendum. Hinc ille ftupor & ad omnes cujufque fectæ novitates volubilis animus, & ipfius immortalitatis oblivio, & præceps in omne flagitium impetus. Hinc denique tam opportuna fiunt præda Satanæ, ut ei multa (cheu!) mifellarum animularum millia expreffum etiam facramentum dicant. ὢ περισπερχὲς πάθος. O pergravem calamitatem. Quid dicam de montanis *Marriæ*, *Strathaveniæ*, *Strathfperiæ*, *Atholiæ*, *Badenochæ*, & *Lochrabiæ*, aliarumque fimilium regionum incolis? quid de *Æbudanis*? quorum multi rariffimè, multi verò vix unquam de Chrifto quicquam inaudiunt: cum apud eos aut penitus nulli, aut imperitiffimi ac nequiffimi, aut longiffimè inter fe diffiti fint miniftri Evangelii. Alibi etiam quædam ita funt fpatiis amplæ ac populofæ parochiæ, ut tertiæ populi parti inftruendæ vix fufficerent duo quamvis valentiffimi ac vigilantiffimi præcones; nedum ut uni, ut fit, ea provincia relinquenda fit. Alibi parochiæ, olim tolerabiles, nunc, proh dolor, ftimulante avaritia, per combinationes, & contrinationes, ad fe invicem ita collifæ funt, ut earum unicus præfectus, dum multa agit, nihil peragat.

XIV. Academiæ & fcholæ publicæ fqualidæ ac fere defolatæ languent: mœrore & pudore evictæ, confpectum hominum ftudiosè vitant: fufpiriis & fingultibus intercifos atque interfractos quofdam modos privatim tentant, tantum ne penitus obmutefcere videantur. Publici SS.

Theologiæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ, professores pauci sunt, eisque aut nulla, aut exilia, & viris doctis haud quaquam digna relicta sunt præmia; philosophiæ autem & linguarum professores Academici ac regii, quos publico autoramento pulchrè victitare oportebat, coguntur, proh pudor! emendicata quadam ab egenis discipulis stipe, seu mavis, extorto tributo, famelicam & inglotiam vitam utcunque trahere. Quin & priscorum professorum imminutus est numerus, ereptis consuetis salariis. Adhæc quantulumcunque publicæ professionis alicubi adhuc spirat, brevi exspiraturum videtur, deficientibus auditoribus, nisi velint lucubrationes & meditationes suas vacuis atriis inani studio professores jactare. Ferax per Dei benignitatem, est *Scotia* nostra præstantium ingeniorum, quæ debita educatione excoli Ecclesiæ & reipublicæ interest. At harpagatis jam sacris proventibus, unde illis studiorum subsidia essent præbenda, fit, ut eos rei familiaris angustia vel domi inter pecudes & bubulcos inertes constringat, vel ad furta, & latrocinia, aliosque inconcessos acquirendi modos exstimulet, vel patria extorres procul in transmarinam militiam aut servitutem protrudat. Ita per Cyclopicam sacrilegorum gurgitum ingluviem usuvenit, ut maxima pars juventutis *Scoticæ* neglecta pereat, aut inutili otio marcescat.

XV. Adhæc, si publicas Ecclesiæ necessitates intueamur, haud dubiè & illud ei necessarium, ut de more veterum orthodoxarum Ecclesiarum, suos apud Regiam Majestatem, & apud vicinas imperii *Britannici* Ecclesias, aliasque etiam, ubi opus fuerit, (cum conscientia Regis) Ecclesias reformatas, habeat ἀποκρισιαρίους id est, *responsales* ordinarios, qui illic *Scoticanæ Ecclesiæ responsa faciant*, ut loquitur *Gregorius*. Subinde etiam opus erit extraordinariis legationibus. Quæ res non contemnendos sumptus postulant. Adhæc, sicut olim *Pantenum* virum doctissimum, *Demetrius Alexandriæ* Episcopus, rogantibus legatis Indis, in Indiam, ad prædicandum illic Evangelium misit; ita nostri præsules opus habent viris idoneis, quos ad instruendos *Brachmanas* nostros, in ipsa *Scotiæ* continente & circumpositis insulis degentes, mittant, cum idoneo viatico.

Greg. lib. 6. Epist. ex Reg. cap. 160. & alibi.

Testis Hieronym. epist. ad Magnum, & in catalogo script. Eccles.

XVI. Vix dum dimidiam sacrorum usuum partem attigi. Accelero gradum ad pauperes, & fabricas sacras.

Ubi sunt nostra, (opportunis passim locis necessaria) brephotrophia, orphanotrophia, gerotrophia, ptochotrophia, & distincta pro ægritudinum varietate nosocomia, ac separata pro sexu gerontocomia? ubi xenodochia? ubi emeritorum Ecclesiasticorum & scholasticorum asyla ἀναπαυστικά? ubi doctorum virorum, qui ad scribendum potius quam ad δημηγορίαν facti sunt, asceteria, & placidi secessus? ubi reliqua actioni piæ debita collegia? quæ à nobis lex Dei, exempla veteris orthodoxæ Ecclesiæ, & ipsa humanitatis ratio efflagitant. Quæ denique nobis curæ esse oportet, nisi in præstandis debitæ pietatis officiis à *Judæis*, & *Arianis*, & *Muhammedanis*, ipsisque *paganis*, anteverti (quod absit) non erubescamus. Harum domorum venerabilium singulæ suos habere debent ordinatores, œconomos, ministros, medicos, chirurgos, sacrorum mystas, aliarumque rerum necessariarum curatores. Porro harum omnium domorum, ut & scholarum ac templorum, ædificia idonea erigenda, sarta tecta conservanda, ampliandа, campanis, vasis, aliaque debita suppellectile instruenda: ornatus decens addendus, nec committendum ut præ privatorum domiciliis ædes sacræ & venerabiles domus viles casæ & sordida quædam tuguria esse videantur. Academiæ etiam singulæ suas habere debent luculentas Bibliothecas, & Bibliothecarios, & Typographos, & Bibliopolas, & id genus alia necessaria ministeria.

XVII. Cæmiteria sepeliendis mortuis publica, extra basilicas, habenda sunt: neque in templis seu basilicis esse decet ordinarium sepulturæ locum: neque pro sepultura * quicquam exigendum, aut accipiendum: sicut canonibus constitutum est. Vide Concil. † *Bracarens.* 1. can. 36. & Concil. ‡ *Antissiodorens.* can. 14. & Concil. ** Triburiens. can. 17. & caus. 13. quæst. 2. cau. *Questa est.* & cau. *Postquam* & can. *In Ecclesiastico.* & can. *Præcipiendum est.* Neque mortuum super mortuum mitti sinunt patres Concilii *Antissiodorensis*. can. 15. anno Domini 590. & patres Meldenses in Concilio Meldensi primo, can. 72. anno Dom. 845. quocirca humandis fidelium reliquiis spatia laxanda sunt; ut loquitur Ambrosius, lib. 2. de officiis. cap. 28.

XVIII. Postquam omnibus hisce usibus honestè ac decorè prospectum est; si qui adhuc residui sint proventus sacri, ii non privatorum dominio, neque fisco regio adjudicandi, sed gazophylacio Ecclesiastico inferendi sunt; ibique à quæstoribus Ecclesiasticis sub inspectione Episcopali, fideliter asservandi, in usus extraordinarios Ecclesiæ & Reipublicæ. Tunc non gravabuntur subditi tam crebris contributionibus, quæ & parcè præbentur: sed sive captivi ab hostibus redimendi, sive juvanda Virginum matrimonia, sive pontes fluminibus inponendi, sive viæ publicæ sternendæ, sive transmarinæ Ecclesiæ pecuniis sublevandæ sint, erit Ecclesiæ ad manum thesaurus sacer, de quo ad ista depromat. Accidit etiam quandoque, ut deficientibus regiæ domus thesauris, reges Judæ, in bellicis necessitatibus, sacro auro juventur.

** Sepultura hoc loco significat officium quod propriè ad sacerdotem pertinet, quod gratis impendi jubetur. Ut monet Alex. Halens. part. 2 qu. 167. memb. 6. art. 1. ubi etiam illicitum esse ait vendere terram benedictam ad sepeliendum mortuos debitam.*

† Concil. Brac. 1. an. Dom. circiter 563.

‡ Concil. Antis. an. Dom. 590.

*** Concil. Tribur. an. Dom. 895.*

XIX. Restituantur Ecclesiæ *Scoticanæ* erepta prædia, & decimæ, aliique proventus sacri, eousque saltem, ut habeat quod memoratis usibus, honesta quadam mediocritate, inserviat.

XX. Qui autem hæc omnia, surda aure & ἀμετανοήτῳ καρδίᾳ, contemnenda adhuc, suisque sacrilegiis securè indormiendum reutur, reformident (obsecro) terribilem illam Divinæ adversus sacrilegos militiæ tesseram; *ultio Domini hæc, ultio Templi ejus.*

Jerem. 15. 11.

CAPITIS XIII. PARS III.

Threnum exhibens lachrymantis Ecclesiæ.

ACCIDERE mihi ad aures videtur lamentabilis vox gementis ac de filiorum quorundam suorum ingratitudine & insipientia flebiliter querentis Ecclesiæ Scoticanæ: Ah, filii mei, quos sanctis nixibus edidi, quos Deo & Cælo solicitè educabam, hasne mihi ἀμοιβὰς rependitis, ut quos decebat esse mihi γηροβοσκοὺς, eos nunc, hem, experiar μητροφθόρους? heu mea proles, quæ te dementia cepit, ut, tanquam stygii canis morsu efferata, crudivoros rictus materno sanguine imbuas: & ejus, quæ te genuit, carnes sævo dente ossibus revulsas, lycanthropico quodam furore dilanies, & necessaria vitæ subsidia eripiendo, crudelem mihi intentes interitum?

Nescis, temeraria, nescis,
Quid facias, ideoque facis.

Apud Gentiles, qui matrem sceleratam, adulterii parricidiique manifestam, paternæ ultor ignominiæ & necis, interfecit, adeo postmodum conscientiæ horrore excruciatus est, ut proverbio locum fecerit,

Ille Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem & serpentibus atris
Æneid. 4. *Dum fugit, ultricesque sedent in limine diræ.*

Quid illis rere futurum, qui innocuam matrem suam, Dei conjugem, hostiliter invadunt, Deum ipsum spoliant, Ecclesias & scholas aliasque venerabiles domos diripiunt, pauperes necant, infantes & orphanos deglutiunt, animas trucidant? *Pingues hostias litat Diabolo, qui constri-* Ennod. lib. pro duabus synodis Symmachi Papæ. Exstat, tom 3. Concil. edit. Paris floruit Ennodius circa annum Dom. 500. *stat Ecclesiam:* inquit Ennodius. Quid qui, famelica periturarum opum rapacitate, violentas ei manus injiciunt, & inclementer eam trahunt, ut inexsaturabili suæ avaritiæ victimam mactent? Ah mea soboles, meis mihi oculis charior, saltem si ad te verum aliquod ex meis dispendiis & calamitatibus rediret emolumentum, esset adhuc quo has solarer miserias. Ab eheu, tua tua me infando cumulat dolore pernicies, in quam te incauta præcipitas. Tun' matrem auro vendis? sicut olim infamis ille proditor sponsum meum argento. *Suavis viro est panis mendacii, postea autem implebitur os ejus arena.* Prov. 20. 17.

Ah, tibi tempus erit, magno cum optaveris emptum
Intactam Genitricem, & cum spolia ista diemque
Oderis.

Tempestiva igitur & salutari resipiscentia exime te hoc Satanæ laqueo. Apud Deum paratam inveniet pia pœnitentia veniam. Credo Deo meo & sponso meo promittenti, quicunque caduca propter eum reliquerit, recepturum in hac vita centuplum, & postea, inæstimabilis mantissæ loco, vitam æternam. Reviviscet cor moribundæ matris, quando redivivos recuperabit liberos: hostium maledicentiæ os obturabitur: gratulabundæ sorores meæ, cum meis pastoribus, doctoribus, ministris, discipulis, viduis, orphanis, senibus, infantibus, pueris, virginibus, infirmis, pauperibus, peregrinis, laudes Deo concinent. Quanta verò erit in Cælo de tot peccatorum conversione lætitia? Vobis autem fructus redundabit uberrimus, tum in hoc brevis vitæ stadio, tum cumulatissimè in illa sempiterna genuinæ sobolis meæ patria. In quam vos Sancti Spiritus ductu perducat Cælestis Pater per Dominum nostrum Jesum Christum. Cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

CAPUT XIV.

Magistri Joannis Knoxi τοῦ μακαρίτου Cygnea cantio, sive Epistola quam in lecto doloris sui scripsit ad nationalem synodum Ecclesiæ Scoticanæ, quæ Sterlini celebrabatur, mense Augusto, Anno Domini 1571.

I. POTENS ille concordiæ, sapientiæ, & fortitudinis in Deo spiritus vobiscum maneat, fratres charissimi. Si per corporis valetudinem licuisset, non ego hoc meo impolito dictamine vobis essem molestus. Non immemor sum intentatæ adversus me accusationis in proxima synodo, per famosos quosdam libellos: quos, oro, patienter audite, & de me ferte judicium, prout Deo respond re volueritis. Vobis enim in eo negotio, me submitto, nullius mihi, in eis quæ hactenus mihi objecta sunt, offensæ, vel in Deum, vel in hominem, conscius. Nunc autem, fratres, quandoquidem quotidiana naturalium virium defectio certam mihi & propinquam ex hujus vitæ miseria migrationem denunciat, dilectione vestri & conscientia me impellente vos hortor, imo in timore Dei vobis mando atque præcipio, ut attendatis vobis, & gregi super quem vos Deus constituit pastores. De vestris quidem ipsorum moribus non meum nunc est disquirere; audeo tamen vobis fidelitatem erga gregem injungere. Perfidi in gregem & proditores comperiemini coram Domino Jesu Christo, si, vobis directè vel indirectè assensum præbentibus, indignum quempiam in Ecclesiasticum ministerium intrudi patiamini: quocunque id prætextu fiat. Cogitate Judicem illum, ad cujus tribunal vobis ratio reddenda est: & tyrannidi isti resistite, si gehennæ ignem effugere optatis. Durum, fateor, erit hoc prælium: durior tamen succedens conflictus, in quo vobis, pari animorum candore & in Deo fortitudine, adversus immanem sacrilegorum patrimonii Ecclesiastici helluonum ingluviem, erit strenue decertandum. Si hominibus stat sententia prædari, ipsi suo periculo & in æternam suam perniciem id faciant: vos autem eorum peccatis, cujuscunque tandem status ii sint aut conditionis, neque consensu, ac ne silentio quidem communicetis. Sed solenni protestatione mundo palam facite, vos esse insontes hujusmodi rapinæ, quæ in patratores ultionem Divinam propediem attrahet. Cujus & vos remedium ut inveniatis, Dei hominumque opem implorate. Deus vobis sapientiam, robur, & prudentiam, & in causa tam justa fortem invicti animi constantiam largiatur, & mihi fœlicem exitum. *Sanctandreupoli*, die 3. Aug. 1571.

Vester in Christo frater

JOANNES KNOX.

Ut autem suis oculis videant lectores, quam sit fideliter in latinum sermonem translata hæc epistola, ipsam, prout vulgari nostra lingua ab Autore olim scripta est, & adhuc in synodi illius archivis extat, exhibeo.

II SESSION.

Master John Knox Epistle.

THE mightie Spirit of concord, wisdome, and fortitude in God, remaine with yow, deare brethren; If abilitie of bodie would have suffered, I should not have troubled yow with this my rude indytement: I have not forgot that was layd to my charge, by famous Libells, the last Assemblie; which, I pray yow, patiently to heare, and judge of mee, as yow will answere to God: for unto yow, into that head, I submit my selfe; being assured, that I neither offended God, nor yet man, in any thing that hath beene hitherto layd to my charge. And now, brethren, because the daylie decay of naturall strength, threatens unto mee, certaine and suddaine departure from the miserie of this life; of love, and conscience, I exhorte youw; yea, in the feare of

of God I charge and command yow, that yee take heed to your selves, and to the flocke over the which God hath placed yow pastours. To discusse of the behaviour of your selves, I may not; but to command yow to bee faithfull to the flocke, I dare. Unfaithfull and traytours to the flocke shall yee bee before the Lord Jesus Christ, if that, with your consent, directlie or indirectlie, yee suffer unworthie men to bee thrust into the ministerie of the Kirke, under whatsoever pretence it be. Remember the Judge, before whome yee must give an account, and resist that tyrannie, as yee would avoyd hell fire. This battell, I grant, will be hard; but the second part will be harder: that is, that with the like uprightnesse, and strength in God, yee gain-stand the merciless devourers of the patrimonie of the Kirke. If men will spoyle, let them doe it to their owne perill and condemnation; but communicate yee not with their sinnes, of whatsoever estate that ever they bee, neither by consent, nor yet by silence; but with publique protestation, make this knowne to the world, that yee are innocent of such robberie: which will, ere it be long, provoke God's vengeance upon the committers therof; wherof ye will seeke redresse of God and man. God give yow wisdome, strength, and knowledge, and courage, in so just a cause; and mee an happie end.

Against Sacriledge.

Sanct-Andrewes, the 3. of August. 1571.

Your Brother in Christ Jesus,

JOHN KNOX.

OCTAVI LIBRI PARS QUARTA
THEOLOGIÆ MORALIS,
Sive Tractatus de Usura.

QUARTÆ PARTIS
CAPUT PRIMUM.

Distributio & ordo hujus Tractatus, cum Dissertatione de nomine Usuræ.

I. DICEMUS, Domino donante, de Usura hoc ordine.
1. De nomine Usuræ.
2. Quid sit Usura de qua quæritur.
3. Proponemus Scripturarum testimonia, in quibus agitur de Usura.
4. Pro assequendo Scripturæ sensu investigabimus jura Romana civilia de Usura.
5. Eodem fine scrutabimur jus Canonicum de hoc argumento.
6. Theologorum quorundam veterum sententias proferemus eodem fine.
7. Eundem etiam in finem opiniones citeriorum quorundam & scholasticorum in medium adferemus.
8. Recentiorum quorundam Romanensium judicia indicabimus.
9. Scriptores quosdam adducemus, reformatam profitentes religionem, qui damnant Usuram.
10. Reformatos quosdam scriptores adducemus, pro Usura.
11. Statum hujus controversiæ diligentius indagabimus, collatis partium sententiis & argumentis.
12. Sequetur, Domino donante, interpretatio locorum S. Scripturæ, cum conclusione quæ sacris literis & rectæ rationi congruentissima videbitur.

Ducat nos Spiritus ille veritatis in omnem veritatem. Amen.

II. Hebraica nomina quatuor invenio, 1. נֶשֶׁךְ *neshech*, Exod. 22: 25. Levit. 25. 36, 37. Deut. 23: 19. ubi congeneum reperitur verbum לֹא תַשִּׁיךְ לְאָחִיךָ נֶשֶׁךְ Non fœnerabis fratri tuo fœnus. & vers. 20. לַנָּכְרִי תַשִּׁיךְ Extraneo fœnerabis. Idem nomen reperitur Psalm. 15: 5. & Proverb. 28: 8. & Ezech. 18: 8. & cap. 22: 12. dicitur autem *neshech* quasi morsus, & *nashshech*, quasi mordere instar serpentis, & facultates debitoris arrodere & perdere, & quidem aspidum ritu, quæ ita mordent ut is qui ab aspide ictus est, in somnum paulatim reclinetur, & veluti dulcem soporem carpens, lenta morte intereat. Sic etiam debitor pro tempore sibi gratulatur de pecunia fœneratitia, sed lento veneno paulatim tabescunt ejus opes, tandemque ab usura perimuntur. Hoc autem verbo significatur morsus serpentis in historia serpentum illorum ignitorum, Num. 21: vers. 6, 8, 9. & alibi etiam in scripturis. 2. Nomen Hebraicum est, מַשָּׁא *massa*, onus, Nehem. 5: 10. à verbo נָשָׂא sustulit, tulit, portavit. Vel ut in quibusdam exemplaribus legitur מַשָּׁא debitum, sive exactio mutui, aut jus exigendi mutuum, à radice נָשָׁה mutuavit, unde מַשָּׁא cum א loco ה. Loquitur illic Nehemias, de fœnoris onere, & mutuatione usuraria, uti cuivis legenti manifestum est, adeo ut eodem redeat utravis lectio. 3. Vocabulum Hebraicum est תַרְבִּית *tarbith*, Num. 25: 36. item quartum ejusdem originis מַרְבִּית *marbith*. ibidem vers. 37. utroque significatur augmentum sive auctarium, aut multiplicatio aut incrementum, à radice רָבָה multiplicari, augescere, augeri. Invenitur autem hoc sensu *Tarbith* etiam Prov. 28: 8. & apud Ezechiel. cap. 18: 8. & cap. 22: vers. 12. prohibetur verò in sacris literis non solum *neschech*, sed etiam *tarbith* & *marbith*, uti patet locis citatis.

III. Græci semel pro *tarbith*, dicunt ἐπὶ πλήθει *ad multitudinem*. Levit. 25: 36. reliquis autem locis citatis, *Tarbith* vertunt πλεονασμὸν, *incrementum*. quomodo etiam verterunt *marbith*, Levit. 25: 37. *Neschech* autem vertunt ubique τόκον *fœtum*, ἀπὸ τοῦ τίκτειν, *parere*, quia fœnus pecuniam ampliorem facit, & in fœno-

re nummus nummum parit sibi similem, & nummus nummi partus seu fœtus est. *ὁ τόκος νόμισμα ποιεῖ πλέον, ὅθεν καὶ τοὔνομα τῦτ' εἴληφεν· ὅμοια γὰρ τὰ τικτόμενα τοῖς γεννῶσιν αὐτά ἐςιν· ὁ δὲ τόκος γίνεται νόμισμα νομίσματος.* inquit *Aristoteles* lib. 1. Polit. cap. 10. ubi ait, hunc pecuniæ quærendæ modum (nempe per fœnus) esse *ὀ κατὰ φύσιν*, non secundum naturam, seu naturæ consentaneum, sed esse omnium maximè à natura alienum & abhorrentem, *μάλιςα παρὰ φύσιν*. *Basilius* Magnus homil. 2. in Psal. 14. [seu 15.] & *Ambrosius*, lib. de Tobia, cap. 12. ajunt, usuras Græcis *τόκους* dici, eo quod dolores partus [*τὰς ὠδῖνας καὶ λύπας*] animæ debitoris excitare videantur.

IV. Latini *Augmentum* dicunt, quia augetur summa, accessione augmenti. Item *fœnus*, quasi fœtus, quia, uti loquitur *Ambrosius*, loco proximè citato, *usura est improbi seminis fœtura deterior*. Eadem scilicet ratione, qua Græcis *τόκον* dici ostensum est. Aliam insuper affert *Ambrosius* Latini hujus vocabuli notationem, *Nihil interest* (inquit) *inter funus & fœnus, inter mortem & sortem. Personat funebrem ululatum fœnoris usura*, lib. de Tobia, cap. 10. sic alii observant in aliis etiam quibusdam Latinis vocabulis poni, œ, pro, u, mœnia quasi munia dici à muniendo, & pomœria à muris dicta esse. Fœnus autem esse funus ait *Ambrosius* debitori usurario, quia usuram (*inquit*) imponere, usuram petere suffocare est, & allegat authoritatem Moysis, Exod. 22. dictumque illud Catonis, quid est fœnetare? Hominem occidere. Lib. de Tobia, cap. 14. funus etiam esse ajunt ipsi creditori seu fœneratori usurario, nam usurarum acceptio mala est accipienti, ejusque animæ damnosa, inquit *Basilius* Magnus, homil. 2. in Psal. 14. (seu 15.) prope finem. Quo pertinet illud *Leonis* primi, Papæ Romani, dictum, (serm. 6. de jejunio decimi mensis,) fœnus pecuniæ, funus est animæ. *Ambrosius* alia etiam utens allusione, Benè (inquit) fœnus appellatur quod datis, ita vile ac fœnum est. Sortem dicitis quod debetur, etenim velut urna ferali, misera sors volvitur, perituri debitoris luenda supplicio. *Ambrosius* lib. de Tobia, cap. 4. ubi *Ambrosius* fœnoris nomine intelligit ipsam sortem, quæ à creditore datur in usuram. Sicut etiam alibi de fœneratoribus loquens qui usuram centesimam sorti applicant, ejusque usuram ex debitore exigunt; Crevit (inquit) centesima, petitur nec solvitur, applicatur ad sortem. ——— Itaque non jam centesima incipit esse, sed summa; non fœnoris centesima, sed fœnus centesimæ. Lib. de Tobia, cap. 12. Fœnerare etiam accipiunt Theologi duplici significatu, 1. Fœnerare est dare in usuram. 2. Dare gratis mutuum indigenti, propter Deum; unde *Ambrosius*, malum (*inquit*) fœnus, quo quæruntur usuræ: sed non illud fœnus malum, de qua scriptum est, fœnera proximo tuo in tempore

Psal. 17: 21. necessitatis illius. Nam David ait, Justus miseretur & commodat. Aliud illud fœnus jure exsecrabile, dare in usuram pecuniam, quod lex prohibet. Hæc *Ambrosius*, lib. de Tobia, cap. 2. Latinis etiam *Usura* appellatur: quæ vox propriè ipsum rei usum denotat, quo sensu dicimus usuram vitæ, usuram lucis, id est, usum. Eam jureconsulti transtulerunt ad significandum augmentum illud, quod ultra sortem petit aut accipit creditor à debitore propter rem mutuatam seu propter rei mutuationem. Sic accipitur in utroque jure, locis infra citandis. Interdum etiam *Usura* ipsum contractum fœneratorium significat, quo sensu confertur usura tum emptione, venditione, locatione, commodatione, aliisque contractibus. Et isto sensu *Aristoteli* dicitur *τοκισμὸς*, lib. 1. Polit. cap. 11. ubi interpres vertit, *fœneratio*. Sic à plerisque hodie accipitur usura. Quia autem contractui indita est ista appellatio intuitu illius augmenti, de quo ultra sortem solvendo fit stipulatio, ideo Theologi hodierni & Jurisconsulti de usura disputantes, eam accipiunt utroque significatu, & quærunt utrum licita necne sit usura: accepto, sive præcesserit sive non præcesserit stipulatio. Item, quærunt sitne licita usura, pro contractu sumpta, sive sequatur sive non sequatur augmenti acceptio. Usuram (*inquit Ambrosius*) ab usu arbitror dictam, quod ut vestes usu, ita usuris patrimonia scindantur. Lib de Tobia, cap. 13. Latinis quidem nonnulli extendunt hæc duo vocabula, *Augmentum*, & *Usuram*, ut significent quicquid pro usu rei locatæ, aut commodatæ accipitur uti monet *Lagus* in Methodo juris, part. 3. cap. 6. Attamen usura fœneratitia in solo mutuo & contractu mutui locum habet, uti ostenditur ibidem. Sed tempus est, ut ad secundum dissertationis hujus caput transeamus.

CAPUT II.

Quid sit Usura de qua quæritur.

I. USURAM de qua nunc quærimus, & quæ in scripturis sanctis prohiberi videtur, de qua etiam disserunt Theologi, & Jureconsulti, in solo mutuo locum habere, patet ex ipsis scripturis sanctis; *Si pecuniam mutuam dederis populo meo, pauperi qui est tecum, non eris ei sicut usurarius, non impones ei usuram*. Exod. 22: 25. & alibi in eandem sententiam. *Locationem* permittit scriptura, capite citato, & alibi; item *emptionem*, venditionem, permutationem; in quibus contractibus id tantum postulatur, ut bona fide alii erga alios utamur, ne quis opprimat aut circumveniat in negotio aliquo fratrem suum. 1 Thess. 4: 6. quæ sententia generalis omnes etiam injustas explodit usuras. Est autem usura in scripturis augmentum supra sortem. Tale autem augmentum in locatione permittit Deus; & in solo mutuo prohibet augmentum; Usura igitur, de qua quærimus, in solo mutuo locum habet. Et sanè cum usura usum rei respiciat, & usus tempus requirat, clarum est, usuram ibi solum habere locum, ubi petitur merces intuitu usus & temporis; quod in simplici venditione aut emptione, aut permutatione non fit, nisi adhærescat contractuum istorum alicui contractus mutui, aut commodati. Nam e. g. qui rem carius vendit, eo quod sponte sua differat exactionem pretii in mensem, vel annum, aut quodlibet tempus, is perinde facit ac si pretium illud sive pecuniam illam mutuam daret emptori, & de mutuo usuram exigeret. Nisi fortasse tempore isto rem suam venditurus non erat, & incertum sit, quonam pretio res ea vendi possit tempore illo futuro, quod solutioni dicitur, uti infra pluribus ostendemus, aut dilatio solutionis sit venditori detrimentosa. Ex usu autem & tempore rei locatæ, seu propter mercedem commodatæ lucrum & augmentum percipere nul-

nulla vetat lex. Restat igitur, ut in solo mutuò reperiatur *Usura*, quando scilicet ultra sortem quæ mutuo data est, petitur aut accipitur additamentum.

II. Hæc ut facilius intelligantur; distinguamus mutuum & usuram à permutatione, emptione, venditione, cambio, societate, commodatione, & locatione. *Permutatio* est mercium seu rerum inter se: neque in ea locum habet pecunia, uti notum, nisi quod secundùm eam instituitur rei utriusque æstimatio, tanquam secundum communem mensuram. Requiritur enim ut secundum justam rei utriusque æstimationem fiat permutatio, nisi alicui libeat sponte aliquid remittere de jure suo. Vide Arist. lib. 5. Ethic. cap. 8., *Emptio* est rei comparatio datione pretii in pecunia cusa, vel etiam in certo pondere auri vel argenti, &c. *Venditio* est rei, seu mercis alienatio propter pretium quale diximus. Neque est propriè loquendo emptio aut venditio pecuniæ, quæ non est merx, sed mensura horum contractuum. Nihil autem esse potest sui ipsius mensura. Neque adinventus est nummus ut esset merx, sed ut commercio tanquam medium & mensura, inserviret. Uti monet Arist. lib. 5. Ethic. cap. 8. & lib. 1. Polit. cap. 10. *Cambium* est pecuniarum permutatio sine intuitu usus aut temporis. Fitque, vel gratis, vel certa mercede, quomodo mercedem accipiunt collybistæ & kermatistæ, intuitu diligentiæ & sumptuum suorum quos faciunt, ut hominum societatem permutatione pecuniarum adjuvare possint, sibique honesta illa diligentia prodesse: non dantes mutuum, sed permutationis præsentis mercedem exigentes. Sic etiam *trapezitæ*, qui vel accepta ab aliquo summa quadam pecuniæ in una regione, parem spondent se suo periculo curaturos numerandam in alia provincia ei, à quo summam eam acceperunt, ejusve delegatis; vel etiam credunt alicui in una provincia, certam pecuniæ summam, quam persolvat in alia provincia: isti, inquam, trapezitæ, quia periculum aut sumptus sustinent, jure censentur operæ suæ moderatam exigere mercedem, sine crimine usuræ, quum non vendant tempus, aut usum mutui, sed ex honesta sua diligentia, sumptu, & periculo licitum quærant emolumentum. Sumptum verò censentur facere in sustentandis aut conducendis negotiorum suorum in hoc genere per alias provincias procuratoribus, & in conquirendis nummis, quos in promptu ad istos necessarios usus habeant, permissu. & authoritate magistratus publici. Periculum verò est in locorum distantia, quo periculo in se suscepto liberat hominem cum quo contrahit. Hæc genera Cambii licita esse, & mercedem justè peti posse, fatentur etiam acerrimi usurarum oppugnatores. *Societas* est, quando unus pecuniam, alter operam confert. Cod. pro socio. Lege 1. *Societatem*. & in glossa: ad Can. *Plerique*. Cauf. 14. quæstione 3. Vide apud *Justinianum*, Instit. de societate. Potest etiam uterque pecuniam, aut etiam uterque operam conferre. In societate fit negotiatio communi utriusque periculo, & communi emolumento; ita tamen ut nihil pereat culpa negotiantis; cui culpa dolusque imputabitur, sed non eventus. Hunc contractum etiam licitum esse concedunt ii qui usuram aversantur; & ajunt hîc non esse usuram, eo quod pecuniæ proprietas non transferatur, & quod communi periculo fiat negotiatio: ita ut creditor non solum lucri, sed etiam damni (si eveniat) particeps esse cum debitore teneatur. Cum in simplici mutuo & in usura transferatur in accipientem proprietas rei mutuatæ, & solus accipiens periculum omne sustineat; nam mutuanti sive mutuo danti obligatur simpliciter ad restituendum integram summam quantam accepit, & fœneratori etiam cum sorte augmentum, sive res mutuata salva maneat, sive pereat accipienti.

Antequam autem discrimen *commodationis* & *mutuationis* adferam, prænittenda est quædam rerum distinctio.

III. Res aliæ sunt quarum est usus fructus & usus utilis; salva rerum substantia; quæ non censentur numero, pondere, & mensura, & quas alicui utendas concedere possumus, retinentes interim nobis ipsis earum rerum proprietatem & dominium; ut fundus, domus, servi, jumenta, & res cæteræ, exceptis eis quæ ipso usu consumuntur. Nam res hæ quæ usu ipso consumuntur, neque naturali ratione neque civili recipiunt usumfructum, quo in numero sunt vinum, oleum, frumentum, vestimenta; quibus proxima est pecunia numerata: namque ipso usu, assidua permutatione quodammodo extinguitur. Etsi utilitatis causa senatus olim Romanus censuit posse etiam earum rerum usumfructum constitui: tamen ut hæredi (e. g.) eo nomine utiliter caveatur. Itaque si pecuniæ ususfructus legatus sit: ita datur legatario ut ejus fiat, & legatarius satisdet hæredi, de tanta pecunia restituenda, si morietur aut capite minuetur. Cæteræ quoque res ita traduntur legatario, ut ejus fiant: sed æstimatis his, satisdatur, ut, si moriatur, aut capite minuatur, tanta pecunia restituatur quanti hæ fuerint æstimatæ. Ergo Senatus non fecit quidem earum rerum usumfructum, (nec enim poterat) sed per cautionem quasi usumfructum constituit, inquit *Justinianus*, Instit. de usufructu.

IV. Præterea distinguendi sunt contractus: Nam quando ita res aliqua cuiquam utenda traditur, ut accipientis fiat, neque eandem rem, sed æquivalentem restituere teneatur; non separatur usus à proprietate: neque conceditur usus ut concedi in hoc casu vel vendi potest usus seorsum à rei proprietate. Sic in cujuscunque rei venditione, quia res vendita ita traditur emptori ut ejus fiat, neque eandem rem, sed ejus pretium venditori reddere teneatur, ideo sola rei proprietas in æstimationem venit, neque æstimatur usus rei seorsum à proprietate; sed acquisitæ proprietati usus seu potestas utendi sponte adhæresit. Sic etiam in mutuatione pecuniæ, aut frumenti, aut rei cujuslibet quæ usu ipso consumitur, quando usus rei nullus est, salva rei proprietate, adeoque usum rei concedere, est proprietatem concedere, neque invenitur usus à proprietate separabilis; unde non obligatur debitor ad rem eandem reddendam quam accepit, sed aliam æquipollentem; non potest seorsum ab ipso usu æstimari proprietas, neque usus ab ipsa proprietate. Unde multi argumentum ducunt contra usuram. Hoc tamen interest inter venditionem & mutuationem, quod venditio præsentem aut quasi præsentem intueatur compensationem sive solutionem: at mutuatio dilationem *Duplex discrimen inter venditionem & mutuationem.*

 com-

compenſationis ſive ſolutionis ad certum tempus importet. Ideo quamvis venditio in ſe loco beneficii minimè habeatur; mutuatio tamen liberalis, quæ uſura careat, ſit beneficium. Eſt autem regula juris Canonici, quod ratio & uſus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem & rationem cogi de proprio facere beneficium. Cauſ. 10. quæſt. 2. *Precariæ*. Præterea etſi in mutuatione transfertur dominium quoad ſpeciem, manet tamen quoad genus, quia eadem res genere reſtituenda eſt, & ſufficiet etiam reſtitutio earundem ſpecierum. Et propter hanc obligationem ad reſtituendum, mutuatio non accenſetur alienationibus abſolutis & in perpetuum, qualis eſt venditio, ſed alienatiotubus ad tempus & conditionatis.

V. *Thomas* Aquinas, quodlibet. 3. articul. 19. veſtem annumerat eis rebus, quarum uſus non eſt ipſius rei conſumptio; Uſuram (*inquit*) accipere peccatum eſt, non ſolum quia prohibitum, ſed quia eſt contra rationem naturalem, ut etiam Philoſophus dicit in primo Polit. Ad cujus rei evidentiam, conſiderandum, quod rerum in uſum hominis venientium quædam ſunt quarum uſus non eſt ipſius rei conſumptio; & ſi contingat rem deteriorari vel conſumi per uſum, hoc eſt per accidens: ſicut domus, veſtis, liber, equus, & hujuſmodi. Non enim uti libro eſt delere ipſum; neque uti domo eſt deſtruere ipſam. Et in talibus aliud eſt dare uſum rei, & aliud eſt dare ſubſtantiam rei. Et propter hoc quando per accomodationem uſus talis rei alteri conceditur, non propter hoc dominium rei transfertur. Et propter hoc etiam poteſt vendi uſus rei, dominio rei remanente apud dominum. Sicut patet in conductione & locatione, qui ſunt contractus liciti. Quædam verò res ſunt, quarum uſus nihil eſt aliud quam conſumptio ipſarum rerum; ſicut pecunia, qua utimur in expendendo, vinum, quo utimur bibendo: & ſic de aliis hujuſmodi; in quibus uti re nihil eſt aliud quam conſumere ipſam. Et ideo in talibus, quando conceditur uſus rei per mutuum, transfertur etiam rei dominium. Quia ergo uſus rei non eſt ſeparabilis ab ipſa re; quicunque vendit uſum talium rerum, retinendo ſibi obligationem ad ſortem reddendam, manifeſtum eſt quod idem vendat bis: quod eſt contra naturalem juſtitiam: & ideo exigere uſuram eſt ſecundùm ſe injuſtum. Tenetur ergo aliquis id quod accepit ultra ſortem, reſtituere: quia injuſtè accepit: & per conſequens damna & intereſſe. &c. Hæc ibi *Thomas*.

VI. Recurrendum verò ad diſtinctionem ſupra poſitam; Nam ſi veſtis ita tradatur vel concedatur utenda, ut accipientis fiat, & obligetur accipiens ad reddendum non eandem, ſed aliam æquivalentem veſtem, aut veſtis pretium; hoc caſu veſtis accenſebitur eis rebus quæ ipſo uſu conſumuntur, quarum non eſt uſusfructus: ſin autem concedatur uſus veſtis ad breve aliquod tempus, cum pacto ut ipſa illa veſtis reſtituatur; annumeranda erit veſtis eis rebus quarum uſus non eſt ipſius rei conſumptio. Et hoc quidem ſenſu, veſtis erit materia commodationis, aut locationis; priore autem illo ſignificatu, erit materia mutuationis, aut venditionis.

His præmiſſis accedamus ad explicationem mutui & uſuræ; deque eorum à commodatione & locatione differentiis dicamus.

VII. Mutui datio (*inquit Juſtinianus*) in iis rebus conſiſtit, quæ pondere, numero, menſura conſtant; veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpondendo in hoc damus ut accipientium fiant. Et quoniam nobis non eædem res, ſed aliæ ejuſdem naturæ & qualitatis redduntur; inde etiam mutuum appellatum eſt, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat. Et ex eo contractu naſcitur actio quæ vocatur condictio. Inſtit. quibus modis re contrahitur obligatio. §. 1. Item; mutuum damus (ait *Paulus* J. C.) recepturi non eandem ſpeciem quam dedimus, (alioquin commodatum erit, aut depoſitum,) ſed idem genus. Nam ſi aliud genus, veluti, ut pro tritico vinum recipiamus; non erit mutuum. Leg. 2. *Mutuum*. ff. de rebus creditis, ſi certum petatur. Si ita inter nos conveniat, ut cum ego vinum tibi dederim, tu triticum mihi reſtituas, non erit mutuum, ſed contractus innominatus, *Do ut des*. Item ſi paciſcar, ut contrahens pretium rei datæ mihi det, emptio erit. inquit *Conradus Lagus* J. C. in methodo juris, part. 3. cap. 5. Iſtiuſmodi tamen contractibus adhæret interdum ratio mutui, adeoque uſuris locus invenitur, uti ſupra monuimus. §. 1.

Mutuum unde dictum. Condictio.

VIII. Jam proponamus diſcrimina mutui & commodati.

Mutui datio in eis rebus conſiſtit quæ ponde- 1.
re, numero, menſura conſtant, quæque ipſo uſu conſumuntur. At commodatio eſt earum rerum quæ corpore ipſo, non menſura, cenſentur, quæque ipſo uſu non conſumuntur, licet deteriores fieri poſſint.

Mutuatione res ita utenda traditur, ut etiam 2.
rei dominium in accipientem transferatur; At commodatione res ita utenda traditur, ut dominium rei maneat penes commodantem. Rei commodatæ & poſſeſſionem & proprietatem retinemus, ait *Pomponius*. ff. Commodati vel contra. Lege 8. *Rei commodatæ*. Nemo enim, commodando, rem facit ejus cui commodat, inquit *Ulpianus*, Lege 9. *Nemo*. ff. eodem.

Poſſeſſionem intellige civilem.

Mutuanti non tenetur debitor rem eandem 3.
reddere quam mutuo accepit, ſed aliam ejuſdem naturæ & qualitatis; At is cui res aliqua commodata eſt, de ea re ipſa reſtituenda tenetur. §. 3. Item is. Inſtit. quibus modis re contrahitur obligatio.

Is qui mutuum accepit, ſi quolibet fortuito 4.
caſu amiſerit quod accepit; veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum hoſtiumve incurſu; nihilominus obligatus remanet: at is qui utendum accepit, ſive cui res aliqua commodata eſt, ſanè quidem exactam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare jubetur; nec ſufficit ei tantam diligentiam adhibuiſſe, quantam ſuis rebus adhibere ſolitus eſt, ſi modò alius diligentior poterat eam rem cuſtodire; ſed propter majorem vim majoreſve caſus non tenetur, ſi modo non ipſius culpa is caſus intervenit. Alioqui ſi id, quod tibi commodum eſt domi, peregrè tecum ferre malueris, * & vel incurſu hoſtium, prædonumve; vel naufragio amiſeris, dubium non eſt quin de reſtituenda ea re tenearis. §. eod. Inſtit. eodem.

** Hoc eſt, Si ad alium uſum, ad quem tibi commodata non eſt, rem proximi applices.*

IX. Commodata autem res tunc propriè intelligitur, ſi, nulla mercede accepta vel conſtituta, res tibi utenda data eſt. Alioqui mercede interveniente, locatus tibi uſus rei videtur. Gratuitum enim debet eſſe commodatum. Inſtit. ibidem.

X. Quemadmodum autem commodatio & locatio mercede ſola diſtinguuntur, in reliquis autem omnibus conveniunt; ſic etiam ſe res habet in mutuo & uſura: nam ſolo incremento

ſive

five accessione ultra sortem mutuatam, distinguitur usuraria mutuatio, à mutuatione gratuita. Unde consequitur differentiis illis mutui & commodati, discerni etiam usuram à locatione.

XI. De minore autem periculo commodatarii, vel conductoris, legi potest divina illa constitutio, Exod. 22: 14, 15. ex qua patet commodatarium teneri ad præstandum non solum dolum, sed etiam culpam & diligentiam. Quod etiam postea Romanis legibus receptum est, lege 5. *Si ut certo.* §. 2. *Nunc videndum.* ff. *Commodati vel contra.* quamvis propter majorem vim majoresve casus non teneatur, ut dictum est, & patet etiam ex divina illa jam allegata lege.

Supra, §. 8. XII. Observandum porro, primam illam mutui & commodati differentiam, à rebus sumptam, non tam in rerum pondere, numero, mensura, aut in ipsa rerum natura, quam in consumptione aut consumendi potestate consistere. Idcirco fieri potest ut res numero, pondere, & mensura constans, & apta certo ac principali suo usu consumi, detur alicui non mutuo, sed commodato, si scilicet, dominus rei non transferat ejus dominium in accipientem, sed sibi retineat proprietatem; si utendam quidem concesserit, sed non tali usu quo res consumatur; si stipuletur eandem speciem sibi reddendam; si accipiens de majoribus casibus non obligetur, qui ipsius culpa non eveniunt. E. g. si quis pecuniam ad pompam vel ostentationem commodet, aut locet, cum conditionibus memoratis, non est mutuatio, aut usura, sed commodatio, aut locatio. lege 3. *Sed mihi.* §. 6. *Non potest.* ff. *Commodati vel contra.* Potest esse (ait *Thomas*) aliquis secundarius usus pecuniæ signatæ, ut si quis eam concedat ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris, & talem usum pecuniæ licitè homo vendere potest, 2a. 2æ. quæst. 78. art. 1. ad 6m. Sic è converso res quæ communiter ad commodationis aut locationis materiam referuntur; possunt esse materia mutuationis; si nempe ita utendæ dentur, ut etiam consumendi potestas concedatur; ut accipientis fiant, ut accipiens ad generis redditionem obligetur; & rei acceptæ omne periculum solus sustineat; E. g. si quis istis conditionibus togam coccineam alicui mutuam det, aut equum phaleratum, aut acinacem, aut librum, &c. Ne verò hîc contractum esse dicamus innominatum, *do ut des*, obstare videtur identitas generis. Conditiones autem mutui hîc manifestæ sunt. Adhæc si præter ipsam rem in suo genere tibi reddendam, stipularis etiam auctarium vel pecuniæ, vel cujuscunque rei, propter mutuationem, aut usum rei sic concessæ, usura hæc erit. Nam quicquid pro usu rei, translato ejus dominio, postulatur, usura est. Interea quia res illæ, quæ usu ipso consumuntur, magis adhibentur in contractu mutui, vel usuræ, & quia patefacta mutui aut usuræ ratione in isto genere, facile patescit ejus ratio etiam in aliis generibus, propterea differentes de usura afferre solent in isto præsertim rerum ordine exempla usurarum.

XIII. Quamvis autem dicamus, usuram esse in solo mutuo, meminisse tamen oportet, quod in superioribus monebamus, reperiri etiam mutuum aliis quibusdam contractibus adhærescens. Unde non solum in formali contractu mutuationis locum habet usura, sed etiam in aliis contractibus, quibus adhæret (quamvis occultè) mutuum. Unde nata illa in jure distinctio contractuum usurariorum; alii sunt apertè & formaliter usurarii, alii licet non sint formaliter fœneratorii, sed alterius cujusdam contractus formam præ se ferant, fiunt tamen in fraudem usurarum. leg. 16. *Cum non.* Cod. *de usuris.* & Extra, de emptione & venditione, cap. 5. *Ad nostram.* & Extra, de usuris, cap. 6. *in civitate.* in glossa. d. *Venditores.* In contractibus autem, rei veritas potius, quam scriptura, perspici debet. L. 1. C. plus valere quod agitur, quam quod simulatè concipitur. Sic obtentu emptionis, aut venditionis, item locationis, aut cambii, vel contractuum illorum innominatorum, *do ut des*, *do ut facias*; aut sub umbra societatis; vel sub specie mutuationis gratuitæ, exigitur usura. Modos istos occultæ usuræ illustremus exemplis. 1. Sub obtentu emptionis, quando emptor rem post aliquod tempus ipsi à venditore tradendam emens, diminuit de justo pretio propter præsentem pecuniæ numerationem, usura est, nisi forte de pretio detrahat propter justam exceptionem incertitudinis pretii, aut propter id quod interest. Sic etiam, uti habetur Extra, de empt. & vend. cap. *Ad nostram.* Quando fœnerator ut pignoris fructus pro usu pecuniæ percipiat, salva sua forte, fingit se rem non pignori accipere, sed emere. At emptione, pignoris causa facta, non quod scriptum, sed quod gestum est inspicitur. leg. 3. Cod. Plus valere quod agitur. 2. Sub venditionis obtentu; ut si quis pretium majus stipuletur, propter voluntariam concessionem certi temporis ante solutionem pretii, quamvis ea dilatio venditori nihil adferat incommodi. 3. Sub obtentu locationis, ut si quis se locare rem dicat, quam ita utendam dat, ut omne periculum faciat accipientis. Et interim mercedem locationis exigat non minus quam si ipse majores casus esset præstiturus. Item, si rem cujus proprietatem transfert, cujusque consumendæ potestatem concedit, & quam in eodem tantum genere reddi sibi postulat, dicat se locare, & obtentu locationis, exigat locationis canonem. 4. Sub obtentu cambii, quando præter considerationem laboris & periculi aut ejus quod interest, exigit creditor à debitore incrementum sola ratione temporis in quod concessa est illi sors. 5. Sub obtentu contractuum illorum innominatorum, [*do ut des*,] ut si quis pro modio tritici stipuletur reddendam sibi, ad finem sex mensium, tantam vini mensuram, quæ secundum communem alterutrius temporis æstimationem æquipolleat modio tritici & quadranti aut trienti aut semissi, aut sextanti, modii, aut etiam unciæ supra modium: [*do ut facias*] ut qui pecuniam indigenti opifici dat hac conditione, ut illi hanc vel illam præstet operam, sive in vestibus aut phaleris conficiendis, in domo exstruenda, &c. & istam pecuniam sibi habeat pro mercede: dum interea justam mercedem non exæquat. 6. Sub umbra societatis, quando creditor socium se præbet in spe lucri, sine ulla participatione periculi. 7. Sub specie mutuationis gratuitæ; quando scilicet creditor debitori indigenti sciens volens dat pecuniam pondere deficientem, vel quolibet modo vitiosam, ex qua scit debitorem passurum esse detrimentum, & nihilominus pro ea reddi sibi stipulatur pleni ponderis & omni modo sufficientem monetam. Item, si aliquis pecuniam det mutuam indigenti opifici, eandemque summam sine usura reddendam stipuletur in certum diem; interea tamen utatur aliquamdiu opera illius opificis sine mercede. Istis aliisque pluribus viis multa fiunt in fraudem usurarum. Propterea in utroque jure, & doctorum hominum

 dc

de usura diatribis, non solum aperta illa & formalis, sed etiam implicita ista usura examinatur.

XIV. Insuper, quod diximus, in mutuo formali requiri restitutionem ejusdem generis, id intelligendum est de sorte, ut scilicet qui pecuniam mutuam dedit, recipiat pecuniam; qui vinum dedit, recipiat vinum; qui triticum, triticum, &c. potest autem usura esse vel in eodem genere cum sorte, vel in alio quocunque genere: nam quicquid petitur ultra sortem pro re mutuata usura est. Unde *Ambrosius*, plerique (*inquit*) refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usuram emolumenta percipiunt; ideo audiant quid lex dicat; Neque usuram escarum accipies, neque omnium rerum quas fœneraveris fratri tuo. Fraus enim ista & circumscriptio legis est, non custodia. Et putas te piè facere, quia à negotiatore velut mutuum suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium pretio, unde tibi solvit usuram, Fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quicquid ille fraudaverit. Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcunque sorti accedit, usura est. Quod velis ei nomen imponas, usura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis? cur velamen obtexis? si illicitum est, cur incrementum requiris? quod pejus est, hoc vitium plurimorum est, & maximè divitum, quibus hoc nomine struuntur cellaria. Si quis instaurandum convivium putat, ad negotiatorem, ut absynthiaci cupellam sibi gratis deferat: ad cauponem dirigit, ut picenum vinum aut Tyriacum requirat; ad alium ut poma sibi adornet. Hæc *Ambrosius*, lib. de Tobia, cap. 14. Et *Hieronymus*, putant quidem (*inquit*) usuram tantum esse in pecunia; quod prævidens scriptura Divina omni rei aufert superabundantiam. ——— Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari & superabundantiam, quicquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint. Hactenus *Hieronymus*, Comm. in Ezech. cap. 18. Item *Augustinus*, si fœneraveris homini, id est, mutuam tuam pecuniam dederis, à quo aliquid plus, quam dedisti, exspectes accipere; non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud; si plus quam dedisti exspectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus. Hæc *Augustinus*, in psal. 36. alias 37. Ideo in jure, tum civili, tum canonico usura existimatur, si quis pignoris fructus percipiat pro usu rei mutuatæ.

Ambrosius.

Deut. 23. 19.

Hieronymus.

Augustinus.

XV. Ex his jam quæ præmissa sunt, patet, usuram de qua quærimus, esse incrementum propter rem mutuatam. Ideo rectè *Conradus Lagus* J.C. Sit (inquit) hæc generalis regula de usuris, quod, quicquid ultra sortem pro usu rei mutuatæ petatur, pro usuris habendum sit. Hæc ille in methodo juris, parte 3, cap. 6. idemque in utroque jure passim invenitur.

XVI. Distinguunt autem Jureconsulti usuras sive accessiones rerum, in naturales, & civiles.

XVII. Naturales eas vocant, quæ naturali obligatione debentur; quomodo affectus beneficio obligatur naturaliter ad ἀντίδωρα, id est, ad remunerationes, uti dicitur lege 25. *Sed etsi.* §. 11. *Consulunt.* ff. de hæreditatis petitione. & Extra, de testamentis, cap. 7. *Cum in officiis.* Qui igitur gratuito mutuo sublevatus est, is creditori naturaliter obligatur ad ἀντίδωρα, ut, scilicet, vel ipsi postea opus habenti mutuum det sine usura, vel sortem restituens adjiciat etiam liberalem quandam accessionem, in grati animi testimonium, vel quocunque honesto officio se gratum præbeat. Talis accessio ad sortem sine controversia accipi potest; si nempe debitor eam sponte offerat; & eas habeat facultates, unde eam facilè dare possit. Neque quisquam dissentit, quamvis eam condici & exigi; non posse nonnulli existiment.

Accessiones naturales.

Fœnus liberale.

XVIII. Præterea & illæ accessiones naturales dicuntur, ut monet *Lagus*, methodi parte 3. cap. 6. quæ propter moram, loco interesse, in bonæ fidei judiciis, in obligationem veniunt, ac petuntur. Tales etiam ex omnium consensu licitum est non solum accipere, sed etiam exigere: ut ibidem ostenditur. In bonæ fidei contractibus (inquit *Martianus*) ex mora usuræ debentur. lege 32. *Mora fieri.* §. 2. *In bonæ fidei.* ff. de usuris & fructibus & mora. Judicandum verò de eo quod interest, non respectu debitoris, quantum ille vel lucrum consequatur vel damnum evadat usu pecuniæ mutuatæ; sed respectu creditoris, si is damno propterea sit affectus.

Interesse.

XIX. *Interesse* autem vel existit ex redditione rei deterioris, vel ex eo quod quis careat re sua etiam sine mora debitoris, vel ex debitoris mora. Nulla autem istarum specierum *interesse* seu *illius quod interest*, censetur usura, quia hic creditor non quærit ex mutuatione lucrum; sed tantummodo cavet damnum: unicuique autem fas est prospicere suæ indemnitati, & agere ut reddatur indemnis, sicut rectè monet auctor glossæ ad can. *quoniam multi.* Caus. 14. qu. 4. & caus. 12. quæst. 2. can. *Si quis de clericis.* Et extra de fidejussoribus. cap. *Pervenit.* Neque quisquam repugnat.

XX. Prima species *interesse*, ex redditione rei deterioris, tum in commodato, tum in mutuo locum habet. Unde *Ulpianus*, de interesse in commodato loquens, *Si* (inquit) *reddita quidem sit res commodata, sed deterior reddita; non videbitur reddita, quæ deterior facta redditur, nisi, quod interest, præstetur. Propriè enim dicitur res non reddita, quæ deterior redditur.* leg. 3. *Sed mihi videtur.* §. 1. *si reddita.* ff. commodat. vel contra. Nempe si culpa aut negligentia commodatarii facta sit res deterior, uti supra docebamus in differentiis mutui & commodati. De non reddenda autem re deteriore pro re mutuo accepta, loquens *Pomponius*, *Cum quid* (inquit) *mutuum dederimus; etsi non cavimus, ut æquè bonum nobis redderetur; non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere; veluti vinum novum pro vetere: nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est. id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis & eadem bonitate solvatur, qua datum sit.* leg. 3. *Cum quid.* ff. de rebus creditis, si certum petatur. Similiter nec licet debitori pro pecunia pura & sufficientis ponderis reddere creditori pecuniam adulterinam, levem, nisi quod interest, suppleat, quemadmodum qui mutuum dedit vinum vetus, & recipit novum, petere jure potest, ut debitor illi, quod interest, suppleat, solvendo majorem vini novi mensuram, quam erat mensura vini illius veteris, quod mutuum acceperat. Ut sic fiat æqualis æstimatio. Neque hæc usura dicenda est, sed justa mutui solutio, in æqualitate valoris, sine incremento. Huc pertinet illa rerum diversa diversis temporibus æstimatio. E. g. quatuor modii tritici mense Junio, tanti ven-

vendi possunt, ut plurimum, quanti quinque vel sex modii mense Octobri, (inquit *Dunamus*, pag. 201.) itaque si quis triticum mense Junio det mutuum, & paciscatur ut recipiat mense Octobri æquipollens triticum, quamvis majorem recipiat mensuram, dum tamen æquetur valor; non est ista usura fœneratitia, neque enim est mutuatio cum stipulatione lucri ultra valorem sortis. Hæc ille. Eodem referri debet exceptio propter pretiorum incertitudinem, e. g. Nec volo nec teneor rem meam nunc vendere, quando exigua sunt pretia, sed eam reservo in aliud tempus quo probabile mihi est augenda esse rerum pretia; tu autem vis, me nunc tradere tibi rem meam, & hujus temporis pretium mihi promittis in tempus illud futurum; ego recuso tradere hac conditione, sed vendo tibi ea lege, ut ad illud futurum tempus mihi solvas amplius pretium, quam quo nunc vendi possit, quia incertum est annon longè amplius pretium tunc futurum sit, & ego sincerè puto majus fore. Non sum propterea usurarius, Extra, de usuris, cap. 6. *In civitate*. At si rem minore pretio in præsenti venditurus eram, & propter usum pretii exigam ab emptore incrementum, usura est. Extra, de usuris, cap. ult. Sic è diverso, si quis rem majoris nunc pretii emat minore pretio, quia illi in præsenti res non traditur, sed alio tempore tradenda promittitur, puta triticum, aut vinum, &c. & incertum sit, annon tempore traditionis rei, pretium ejus minus futurum sit; talis contractus non est vituperandus, tanquam usurarius, inquit *Dunamus* in expos. psal. 15. pag. 176. quia nempe emptor petit valorem suæ pecuniæ, quo tempore restituenda esset ipsa pecunia, si mutuò data foret. Et in istis exemplis quæritur æqualitas commercii, non autem lucrum ex mutuo. Hujus ordinis sunt duo illa exempla, Extra, de usuris, cap. ult seu 19. *Naviganti*. Ille qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur; non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excusatur qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem: si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. Hæc ibi.

XXI. Secunda species *interesse*, ex eo quod quis careat re sua, etiam sine mora debitoris; appellatur *interesse promiscuum* & *successivum*, pro ratione temporis quo creditor caret re sua, unde etiam *usurarium* & *interusurium* dicitur. *Dunamus.* De ista specie D. *Dunamus* in tractatu suo contra usuram io expositione psalmi 15. pag. 191. & 192. ita distinguit; ut neget tale interesse seu interusurium simpliciter admittendum esse, sic enim apertum iri aditum omni usuræ: In aliquo tamen casu licitum esse non dubitet; nempe quando creditor qui non potest sine suo detrimento, vel evidenti alicujus justi legitimique lucri impedimento, carere sua pecunia; nihilominus autoritate illius qui mutuam petit pecuniam, aut alia caussa urgente, quodammodo compellitur pecuniam suam dare mutuam illi cujus ea est conditio, ut melius possit creditorem reddere indemnem, quam creditor sua carere pecunia; si tamen verè aliquid intersit, vel intuitu certi damni emersuri, ex eo quod caritutus sit creditor sua pecunia, vel respectu evidentis impedimenti, quo impeditur à justo & legitimo lucro. Nam cum in hoc casu debitor efficacem caussam damni dederit, postsque ipse melius præstare id quod interest, quam creditor sua carere pecunia; nullus dubito, (inquit *Dunamus*) quin possit creditor, exactione ejus quod interest, suæ prospicere indemnitati. Hæc ille. Idem autem *Dunamus* loquens de tertia specie interesse, deque impedimento seu cessatione lucri creditoris, ex mora debitoris, ait non oportere lucrum illud incertum esse, sed certum, aut saltem valde probabile. Expositionis citatæ, pag. 166. Unde sequitur, ex sententia *Dunami*, exigi etiam posse interesse secundæ speciei, si damnum vel lucri impedimentum sit certum aut saltem valdè probabile. Quum eadem utrobique sit ratio; nempe indemnitas creditoris. Non autem si lucrum sit incertum. pag. 244. Huc facit illa analogia Exod. 21: 19. Ubi percussor proximi jubetur non solum medendi pretium solvere, sed etiam cessationem ejus dare, sive præstare interesse ex coacta illa cessatione à labore; ut indemnem reddat proximum: intuitu scilicet damni valde probabilis. Pari ratione (inquit *Dunamus*) quando creditor invitus caret sua pecunia, datque debitor efficacem caussam damni, aut cessationis lucri creditoris, tenetur ad compensationem creditori faciendam. pag. 308.

XXII. Huc pertinet regula illa ex Concilio Mediomatricis, quod ratio & usus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem & rationem cogi de proprio facere beneficium. Caus. 10. quæst. 2. *Precariæ*. Contra utilitatem, inquam, & rationem, nam ratio jubet dare pauperibus, posthabita utilitate, Luc. 3: 11. At non jubet dare divitibus, cum dantis damno, Prov. 22: 16. Quin etiam erga ipsos pauperes modus servandus est; neque eis dandum ultra *ἰσότητα*. Non enim hoc requiritur ut accipientibus sit relaxatio, dantibus autem tribulatio, sed ex æqualitate seu pari ratione, ut unius pro tempore abundantia suppleat alterius defectum, ut & hujus rursum abundantia suppleat illius inopiam, ὅπως γένηται ἰσότης. 2 Cor. 8: 13, 14. At quod sine nostro detrimento dari potest, id cuilibet tribuatur. Juxta illam charitatis & justitiæ regulam, *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, sic & vos facite eis. Hæc enim est lex & prophetæ*. Matt. 7: 12. Is autem intelligitur invitus & coactus carere sua pecunia, qui eam coactus mutuavit; non autem is qui liberrima voluntate mutuam dedit pecuniam in certum aliquem diem, quemque ante diei dicti adventum pœnitet mutuasse. Imo quamvis damnum interea incurrat, aut à lucro impediatur, non tenetur debitor præstare id quod interest, nam tale interesse *casuale* & *momentaneum* non respicitur nisi in tertia specie, nempe post moram, quia tunc solum efficax damni causa censetur debitor.

Regula.

Regula.

XXIII. Tertia species *interesse* est *ex mora*, quando scilicet debitor rem debitam ad diem non solvit, etiam interpellatus, aut post factam debiti denunciationem. Post illam moram tenebitur debitor ad præstandum creditori id quod interest. Tale autem interesse spectatur vel in damno emergente, puta, si ex illa mora coactus sit creditor aut pignus aliquod amittere, aut summam aliquam pecuniæ à se alteri debitam solvere, cum adjecta pœna, &c. Vel in lucro cessante, E. g. Si nundinarum opportunitatem prætermittere, si à licita & justa negotiatione desistere coactus sit. Si verò necessaria melioris generis viliori pretio comparaturus, cogatur eorum.

rum emptionem in aliud tempus differre, quo deteriora erunt, & carius vendentur; tunc conjunctum patitur damnum cum omissione lucri. Vel denique in ipsa æquitatis ratione, etiam sine damno emergente, aut lucro cessante; E.g. Usuras emptor, cui possessio rei tradita est, si pretium venditori non obtulerit; quamvis pecuniam obsignatam in depositi causam habuerit, æquitatis ratione præstare cogitur, leg. 2. *Usuras.* Cod. de usuris. Quod exemplum approbatur etiam à canonistis in glossa ad cap. *Conquestus.* Extra, de usuris. Cum vendo tibi prædium, (inquit auctor glossæ) & trado; & percipis fructus, nec solvis mihi pretium ad terminum, usuræ possunt peti, quia hujusmodi usuræ, non quasi usuræ, sed quasi interesse petuntur. Eodem spectat lex illa; fructus post perfectum jure contractum, emptoris spectare personam convenit, ad quem & functionum gravamen pertinet. Venditor quoque pretium tantum, ac, si mora intercessisse probetur, usuras officio judicis exigere potest. leg. 13. *Fructus.* C. De actionibus empti & venditi. Et in hoc quidem convenit Canonistis cum Legistis. Canonistæ autem damnum creditoris respicere magis videntur, uti patet ex memorata glossa, in qua citatur alia glossa in can. *Quoniam.* Caus. 14. quæst 4. Ubi agitur de indemnitate creditoris. Sed quid si venditor ita opulentus sit, abundans pecunia, & thesauros asservans otiosos, ut ex mora debitoris, nullum vel sustinuerit damnum, vel prætermiserit emolumentum; num propterea æquum censemus, ut emptor fructus fundi à venditore accepti gratis percipiat, tum fundum possidens, tum pretium retinens? nam si non est solvendo, cur emit fundum alienum, & emendo imposturam fecit? sin autem satis sit opulentus, cur ille augeat suas opes gratis ex fructibus fundi non aliter sui quam emptioni titulo, cum tamen pretium, uti convenerat, non solvat? poterit fortasse reduci hoc exemplum ad damnum emergens, quia venditor cum non nisi intuitu præsentis aut saltem ad certum diem præstandæ solutionis, fundum suum vendiderit; adeoque fructuum percipiendorum potestatem in alium à seipso transtulerit, videtur damnum pati, amissione fructuum unius fortasse aut etiam plurium annorum, quos percepisset ipse, si solutionis moram præscivisset. Et sic est damnum emergens, respectu fundi venditi. At respectu pecuniæ ex venditione illi debitæ fieri potest, ut nullum ex dilatione illa damnum patiatur, lucrumve omittat; & tamen annon ipsa æquitatis ratio docet non debere emptori lucrosam esse fraudem & injustam moram; neque cogendum esse venditorem ut utroque tum proventu tum pretio fundi, invitus, & quidem sine ulla compensatione, careat?

XXIV. Ex vendito actio (inquit *Ulpianus*) venditori competit ad ea consequenda quæ ei ab emptione præstari oportet. Veniunt autem in hoc judicium infra scripta; in primis pretium, quanti res venit: item usuræ pretii post diem traditionis. Nam cum re emptor fruatur, æquissimum est, eum usuras pretii pendere. Lege, *Julianus.* §.1: 9. & 20. ff. De actionibus empti & venditi. Quid igitur? recurrendum certè videtur ad dationem damni, & datum ex mora damnum reformare tenetur ille, per cujus negligentiam alter tamdiu frustratus caruit re sua. Quod autem imposturam attinet, ea quidem judicis autoritate punienda est; quamvis inde nullo damno affectus esset venditor; at interesse venditori præstandum videtur in solo damno emergente, vel lucro (per debentis moram) cessante; nisi aliter inter eos in ipso venditionis emptionisque contractu convenerit. Qua de re exstat lex in Codice *Justiniani*, Initio venditionis, si pactus es, ut is cui vendidisti possessionem, pretii tardius exsoluti tibi usuras pensitaret: non immeritò existimas etiam eas tibi, adito præside provinciæ, ab emptore præstari debere. Nam si initio contractus non es pactus; si cœperis experiri, deberi ex mora duntaxat usuras, tam ab ipso debitore, quam ab eo qui in omnem causam empti suam fidem adstrinxit, de jure postulabis. leg. 5. *Initio.* Cod. de pactis inter emptorem & venditorem compositis. Sed ista præcedens pactio facit *usuras civiles*, de quibus infra dicemus. Si tamen *usuras ex mora* stipuletur venditor, non excedentes possessionis venditæ fructus, debebuntur illæ usuræ tum *civiliter*, propter pactionem, tum etiam *naturaliter* propter venditoris interesse ex mora emptoris. Sunt etiam aliæ duæ pactiones civiles naturalem habentes æquitatem: prior est, cum venderem fundum convenit, ut, donec pecunia omnis persolveretur, certa mercede emptor fundum, conductum haberet. Bona fides exigit, ut quod convenit, fiat. L. 21. ff. locati. Altera pactio est; ea conditione rem vendidi, ut pretio non soluto, res inempta esset. Itaque si pretio non soluto, inempta res facta sit, tunc ex locato erit actio. L. 22. ff. Locati. Nam emptio sub conditione fieri potest, leg. 20. ff. eodem. Istæ autem duæ pactiones emptionem faciunt conditionatam, neque finunt absolutam esse emptionem, nisi præstitis conditionibus. Itaque in utraque pactione est tantummodo in præsenti locatio, cum futuræ venditionis absolutæ pactione continente venditionem in præsenti conditionalem, quæ præstita conditione transit in absolutam. In illis non est usura, sed æquitas commercii. Ad tertiam autem speciem interesse, quod est *ex mora*, pertinet illa regula juris, quæ exstat, L. 206. ff. de diversis regulis juris antiqui. Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem. Hæc ibi ex *Pomponio*. Exstant autem eod. tit. aliæ etiam regulæ de mora, videlicet; Qui sine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere; inquit *Julianus*, leg. 63. Item; Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est: inquit *Scævola*, leg. 88.

XXV. Pensionem autem sive accessionem quæ ex mora debetur, vocant *usuram compensatoriam*, item *punitoriam*, quando adjudicatur creditori accessio propter tergiversationem & negligentiam debitoris. Jam autem una eademque accessio interdum & *compensatoria* est & *punitoria*. Aliquando tamen, justè adjudicatur domino rei accessio *punitoria*, ex sola consideratione culpæ iniqui usurpatoris, & injuriæ sive contumeliæ proximo factæ; etiam si neque damnum domino rei interea intervenerit, neque lucrum ex rei illius absentia impeditum fuerit. Sic in judicio de furtis, qui convictus erat furti, reddere jubebatur proximo duplum rei furtivæ. Exod. 22: 4, 9. Pari ratione adjudicari poterit venditori accessio ad pretium punitoria, propter fraudem emptoris, quamvis neque damnum venditori emergens, neque lucrum per rei ad tempus absentiam cessans in rationem veniat. Legis enim illius æquitas naturalis id docet. Neque usura dicenda est talis accessio, si propriè loquamur, sed potius pœna peccantis, & solatium parti læsæ; impropriè autem incremen-

Fructus emptoris sunt.

mentum ejusmodi pœnale, quibusdam *usura punitoria* dicta. De istis accessionum generibus, quin licita sint, nulla est controversia.

XXVI. Sed de civilibus est dubitatio. *Civiles* autem vocantur *usuræ*, quæ non veniunt, nisi per stipulationem promissæ fuerint. L. 3. *Quamvis*. C. de usuris. Quid si exigantur, (inquies,) etiamsi nulla præcesserit stipulatio? Respondeo, usuræ erunt instar civilium, sed ex lege, usuræ. Ideo sive præcesserit stipulatio, sive postea tantummodo exigantur à creditore usuræ: de eis nunc quærimus utrum licitæ sint necne. Utrum scilicet liceat creditori usuras pro usu rei mutuatæ stipulari, vel exigere.

De qua quæstione subjungemus scripturæ testimonia, item leges civiles Romanorum, nec non Canones juris Ecclesiastici, præterea judicia Theologorum veterum, & citerioris antiquitatis & citimæ præsentisque ætatis: ut tandem collatis utriusque partis differentium argumentis, conclusio aliqua elici possit.

CAPUT III.

Sacræ Scripturæ testimonia de Usura.

I. DEUT. 15: 7. &c. imperatur mutuatio facienda fratri egenti.

Exod. 22: 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo, pauperi qui est tecum, non eris ei sicut usurarius, non imponetis ei usuram.*

Levit. 25: 35, 36, 37, 38. *Quum autem attenuatus fuerit frater tuus, & nutaverit manus apud te, apprehendes* [seu fulcies] *illum; peregrinum & advenam, ut vivat tecum. Ne accipias ab eo usuram & augmentum, sed timebis Deum tuum, vivetque frater apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, nec cum augmento dabis escam tuam. Ego Jehovah Deus vester qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Canaan, ut essem vobis in Deum.*

Deut. 23: 19, 20. *Non fænerabis fratri tuo fœnus pecuniæ, fœnus cibi, fœnus cujuscunque rei, quæ fœnori dari solet. Extraneo fœnerabis, at fratri tuo non fœnerabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni applicatione manus tuæ super terram, ad quam ingrederis, ut possideas eam.*

Psal. 15: 1, 5. *Domine quis commorabitur in tabernaculo tuo? & quis habitabit in monte sanctitatis tuæ? qui pecuniam suam non dat ad usuram.*

Prov. 28: 8. *Qui multiplicat divitias suas, usura & fœnore,* [benesheeh vetarbit *usura & augmento,*] *ad largiendum pauperibus congregat eas.* Græc. τῷ ἐλεοῦντι πτωχοὺς συνάγει αὐτόν.

Ezech. 18: 8, 9. *Qui in usuram non dederit, & amplius* [tarbith] *non acceperit, ab iniquitate retraxerit manum suam,* ——— *justus est, vivendo vivet, dixit Dominus Jehovah.* Et vers. 13. *Qui in usuram dederit, & amplius* [tarbith] *acceperit, & vivet? non vivet, moriendo morietur.* Item cap. 22: vers. 12. inter reliquas horrendas iniquitates Hierosolymæ, hanc ei objicit Deus, *Usuram & superabundantiam* [neschech vetarbith] *accepisti, fraudastique proximos tuos per oppressionem, & mei oblita es, dixit Dominus Jehovah.*

Ex Novo Testamento citari solent verba illa Domini nostri apud Lucam 6: vers. 35. δανείζετε, μηδὲν ἀπελπίζοντες. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Item verba illa in parabola talentorum, Matth. 25: 27. *Oportuit te committere pecuniam meam mensariis, & veniens ego recepissem meum cum fœnore,* σὺν τόκῳ.

Alia etiam à nonnullis allegantur testimonia, sed quia istis expositis, reliqua omnia facilè patebunt, ideo plurium recitatione supersedeo.

CAPUT IV.

Jus civile Romanorum, de Usura.

I. IN *Leonis* quidem Imperatoris constitutionibus damnantur usuræ, ut lege Dei prohibitæ, & tanquam malum aliquod tantummodo propter cordium duritiem necessariò tolerandum, permittuntur, cum antiquis restrictionibus. Constit. 83. quæ vocantur (*inquit Imp.*) pecuniæ creditæ usuræ, ubique à Spiritus decreto condemnantur; id sciens Pater noster æternæ memoriæ princeps, usurarum solutionem sanctione sua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res illa non in melius (quem tamen finem legislator proposuerat) sed contra in pejus vergit. Qui enim antea usurarum spe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, post latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possint, in eos qui pecuniis indigent, difficiles atque immites sunt. Quinetiam ad facile jurandum, quodque id ferè consequitur, ad jusjurandum abnegandum, id occasionem præbuit. Breviter, propter redundantem in humana vita perversitatem, non modo non profuit legis virtus, verum etiam obfuit. Quanquam igitur ex se legem culpare (quod quidem etiam absit) nequeamus; propterea tamen quod humana natura (quomodo diximus) ad illius sublimitatem non perveniat, egregium illud præscriptum abrogamus; ac in contrarium statuimus, ut æris alieni usus ad usuras procedat, idque quomodo veteribus legislatoribus placuit, ad trientes centesimæ, nempe, quæ quotannis in singulos solidos singulas fœneratoribus siliquas pariunt. Hæc ibi. Facta est autem ista à *Leone* constitutio multis annis post congestum & confirmatum à *Justiniano* Imperatore corpus juris civilis. In quo passim non solum permittuntur usuræ, sed & absque ulla ignominiæ nota approbantur, tanquam ex æquitate licitæ & debitæ. Id tantum cavetur, ne vetus illud fœnebre malum, quam seditionum discordiarumque creberrimam caussam fuisse scripsit *Cornelius Tacitus*, Annal. lib. 6. in posterum obtentu licitarum usurarum grassaretur. Itaque in jure Cæsareo positæ sunt quædam restrictiones usurarum, quibus servatis stipulatio & exactio usurarum non solum utilis, sed etiam humanitati ac pietati consentanea pronunciatur. *Justinianus* enim legem suam, qua modus usuris quibusdam præscribitur, & qua certas usuras accipiendas constituit, vocat saluberrimam legem, eamque ait humanitate & pietate gaudere: cum egenorum necessitati medeatur, & creditoribus mediocre solatium adferat. Novell. 32. & Nov. 34. Non inde solum legis suæ salubritatem, humanitatem, & pietatem commendat, quod egenis consulat; sed inde etiam quod mediocre creditoribus solatium adferat.

Hic fuit Leo Imp. hujus nominis sextus, Basilii Macedonis filius, qui regnare cœpit anno Domini 886. eodemque anno fratrem suum Stephanum fecit Patriarcham Constantinopolitanum, ad quem diriguntur Constitutiones 2, 3, 4, 5. &c. Hic autem Leo Imperator vocabatur Leo Philippus, ol. Philosophus, ut habetur in notis in cap. 13. Chronologia Nicephori Patriarcha, & in supplemento catalogi Episcoporum Byzantii, in eadem Chronologia. In Bibliotheca Patrum, tomo septimo, edit. 4: col 284. & col. 293.

II. Pro auro & argento & veste, facto chirographo licitas solvi vel promitti usuras jussimus. inquit *Constant.* Imp. Leg. 25. C. de usuris.

III. Decernitur etiam, ut qui negotia ad pupillos pertinentia gesserunt, eorumque pecuniam administrarunt, præstare compellantur ejus pecuniæ usuras; cum omnem diligentiam præstare debuerint. L. 24. *Si mater.* C. de usuris. & L. 1. *Tutorem.* C. de usuris pupillaribus. & L. 2. *Ejus quod.* C. eodem.

IV. Constituitur insuper, ut creditori liceat fructus pigneratitii fundi, vel ædificii percipere loco usuræ, sine deminutione debitæ sortis; usque dum jure saltem oblata sit creditori à debitore sors ipsa, eamque creditor vel receperit, vel sine idonea ratione recusaverit. Lege 11. *Ex prædiis.* C. de usuris. & Leg. 14. *Si ea pactione.* C. eodem. Prædiorum etiam urbanorum pensiones pro fructibus accipiuntur. Leg. 36. ff. de usuris & fructibus. Acceptam mutuò sortem, cum usuris licitis, creditoribus post contestationem offeras. At si non susciant, consignatum in publico depone; ut cursus legitimarum usurarum inhibeatur: quo subsequuto, etiam periculo debitor liberabitur, & jus pignoris tolletur. L. 19. *Acceptum.* C. de usuris. Idem responsum est à *Papiniano*, Leg. 7. *Debitor usurarius.* ff. de usuris & fructibus.

V. Ne tamen immani fœneratorum inclementiæ fræna laxa permitterentur, insertæ juris corpori sunt leges de usuris, cum certis restrictionibus, per quas distingui discernique possent usuræ licitæ, ab illicitis; & sine quibus restrictionibus, aut nullæ essent aut illicitæ haberentur usuræ. Collegi autem ex corpore juris civilis novem istiusmodi restrictiones, quas memoriæ caussa versiculis hisce conclusas exhibeo;

1. *Sit pactum:* 2. *Res congeneres:* 3. *Cum tempore tellus:*
4. *Sint personæ aptæ:* 5. *Detur sors integra:* 6. *Nec sit*
Usura usuræ: 7. *Geminata sorte quiesces:*
8. *Legitimæ usuræ:* 9. *Sit nemo exactor acerbus.*

Regula. Harum omnium restrictionum fundamentum est regula illa juris: *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.* Leg. 206. ff. de diversis regulis juris.

Singulas autem ostendamus ex ipsis legibus.

Sit pactum. VI. Prima restrictio, [*sit pactum*] Usuræ fœnebris pecuniæ citra vinculum stipulationis peti non possunt. Leg. 3. *Quamvis.* C. de usuris.

Res congeneres. VII. Secunda restrictio, [*res congeneres*,] Oleo quidem, vel quibuscunque fructibus mutuo datis, incerti pretii ratio additamenta usurarum ejusdem materiæ suasit admitti. Leg. 23. *Oleo.* C. de usuris. Similiter etiam Novell. 32. & 34. ubi præcipitur, ut creditores qui Agricolis triticum vel hordeum, vel quoscunque fructus aridos mutuò dederint, contenti sint octava parte modii in singulos modios per annum, loco usurarum. Si verò pecuniam dederint, ut nihil amplius quam siliquam unam pro singulo solido annuam exigant; id est, trientem centesimæ menstruam, ut patet ex constitutione 83. *Leonis* Imperatoris, quam supra recitavimus.

Cum tempore tellus. VIII. Tertia restrictio [*cum tempore tellus*], nempe de vini, aut olei, aut alterius cujuscunque generis, mutuò dati æstimatione est quæstio, cujusnam temporis, aut loci sequenda sit æstimatio. Nam etsi pacisci jubet lex ut reddatur sive sors sive usura in eodem genere, propter incertitudinem pretii, non tamen vetat reddere interdum sive sortis sive usuræ promissæ æstimationem justam in pecunia. Novimus autem & temporibus & locis diversis diversa esse ejusdem generis rerum pretia. De hac quæstione extat responsum *Sabini*, insertum Pandectis *Justiniani* Imperatoris, ex libris *Juliani*, in hæc verba: Vinum (inquit *Julianus*) quod mutuum datum erat, per judicem petitum est; quæsitum est, cujus temporis æstimatio fieret; ut cum datum esset, an cum litem contestatus fuisset, an cum res judicaretur. *Sabinus* respondit; si dictum esset, quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset: si non, quanti tunc cum petitum esset. Interrogavi, cujus loci pretium sequi oporteat: respondit; si convenisset, ut certo loco redderetur, quanti eo loco esset: si dictum non esset quanti, ubi esset petitum. Lege 22. *Vinum.* ff. de rebus creditis, si certum petatur.

IX. Quarta restrictio, [*sint personæ aptæ*], *Sint personæ aptæ.* De ista restrictione sunt hæ leges; principalibus constitutionibus cavetur, ne hi, qui provinciam regunt, quive circa eos sunt, negotientur, mutuamve pecuniam dent, fœnusve exerceant. Lege 33. *Principalibus.* ff. de rebus si certum petatur. Item; Eos, qui officia administrant, neque per se, neque per suppositas personas, tempore officii sui in provincia fœnus agitare posse, sæpe rescriptum est. Lege 3. *Eos qui*, Cod. si certum petatur. Pertinent autem istæ leges ad illos, quorum non est perpetua administratio. De aliis verò quorum est administratio perpetua, dicit *Paulus*, J. C. præsidis provinciæ officiales, quia perpetui sunt, mutuam pecuniam dare, & fœnebrem exercere possunt. Lege 34. *Præsidis.* ff. de reb. cred. si cert. pet. At ipse etiam præses provinciæ mutuam pecuniam fœnebrem sumere non prohibetur: ut ait idem *Paulus*, lege citata. Adhibenda tamen hic est distinctio; nam pecuniæ fœnebris mutuatione favorem judicis aucupari nulli permittebatur, neque licebat judici cum tali creditore habere istiusmodi commercium: sic enim *Honorius* & *Theodosius* Impp. rescripserunt: *Quisquis* (inquiunt) judici fœnebrem pecuniam mutuaverit, si in provincia fuerit versatus, quasi emptor legum atque provinciæ; vel si quis collectarius honoris pretium dederit ambienti; exilii pœna una cum ipso judice plectetur. L. 16. *Quisquis.* Cod. si certum petatur.

X. Quinta restrictio, [*detur sors integra*]. Si tibi dedero decem, sic, ut novem debeas: *Proculus* ait, & rectè, non amplius te ipso jure debere, quam novem. Sed si dedero, ut undecim debeas: putat *Proculus*, amplius quam decem condici non posse. Hæc *Ulpianus*, Leg. 11. *Rogasti.* ff. de rebus creditis si cert. petatur. Interdicta licentia creditoribus (inquit *Justinianus* Imp.) ex pecuniis fœnori dandis aliquid detrahere vel retinere siliquarum nomine, vel sportularum, vel alterius cujuscunque causæ gratia. Nam si quid hujusmodi factum fuerit; principale debitum ab initio ea quantitate minuetur, ut tam ipsa minuenda pars, quam usuræ ejus exigi prohibeantur. L. 26. *Eos qui.* C. de usuris. *Detur sors integra.*

XI. Sexta restrictio, [*nec sit usura usuræ*,]. *Nec sit usura usuræ.* Ut nullo modo (inquit idem *Justinianus*) usuræ usurarum à debitoribus exigantur, & veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissimè cautum. Si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum, & totius summæ usuras stipulari; quæ differentia erat debitoribus, à quibus revera usurarum usuræ exigebantur: hoc certè erat non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras præteriti temporis vel futuri in sortem redigere & earum iterum usuras stipulari. Sed & si hoc fuerit subsequutum: usuras quidem semper usuras manere, & nullum usurarum aliarum incrementum sentire: sorti autem antiquæ tantummodo incrementum usurarum accedere. Lege 28. *Ut nullo.* C. de usuris.

XII.

Geminata forte quiefces. XII. Septima restrictio, [*geminata forte quiefces*]. Cursum insuper usurarum (ait idem *Justinianus* Imperator) ultra duplum minimè procedere concedimus, nec si pignora quædam pro debito creditori data sint, quorum occasione quædam veteres leges & ultra duplum usuras exigi permittebant. Quod & in bonæ fidei judiciis, cæterisque omnibus casibus, in quibus usuræ exiguntur, servari censemus. L. 27. *De usuris.* C. de usuris. Hæc una emendatio veteris legis quoad duplicationem sortis. Ecce etiam aliam. Vetus lex erat; Usuræ per tempora solutæ non proficiunt reo ad dupli computationem. Tunc enim ultra sortis summam usuræ non exiguntur, quoties tempore solutionis summa usurarum excedit eam computationem. L. 10. *Usuræ.* Cod. de usuris. At *Justinianus* Imp. Legem istam veterem corrigens, constituit, ut usuræ minutim & per intervallum solutæ, cum duplo compensentur, ita ut usuræ etiam particulatim solutæ, duplum debitæ sortis non excedant, etiamsi non universæ simul solutæ fuerint. L. 29. *Usuræ.* C. de usuris. & Novell. 121. exceptionem verò ab ista emendatrice lege, aut potius ejus explicationem, quoad usuras seu potius annuum reditum pecuniæ municipalis, vide Novell. 160.

Legitima usura. XIII. Octava restrictio, [*legitimæ usuræ*]. Cum judicio bonæ fidei disceptatur, arbitrio judicis, usurarum modus ex more regionis, ubi contractum est, constituitur, ita tamen, ut legi non offendat. inquit *Papinianus*, L. 1. ff. de usuris & fructibus. Placuit, sive supra statutum modum quis usuras stipulatus fuerit, sive usurarum usuras; quod illicitè adjectum est, pro non adjecto haberi. ait *Marcianus*, L. 29. ff. de usuris & fructibus. Pœnam (inquit *Modestinus*) pro usuris stipulari nemo supra modum usurarum licitum potest. L. 44. ff. eodem. Super usurarum quantitate (inquit *Justinianus* Imp.) generalem sanctionem facere necessarium esse duximus, veterem duram & gravissimam earum molem ad mediocritatem deducentes. Ideoque jubemus illustribus quidem personis, sive eas

Tertia pars centesimæ. præcedentibus, minimè licere ultra tertiam partem centesimæ, usurarum nomine in quocunque contractu vili vel maximo stipulari. Illos verò qui ergasteriis præsunt, vel aliquam li-

Bes centesimæ. citam negotiationem gerunt, usque ad bessem centesimæ usurarum nomine in quocunque contractu suam stipulationem moderari. In trajectitiis autem contractibus, vel specierum fœnori

Centesima. dationibus, usque ad centesimam tantummodo licere stipulari, nec eam excedere, licet veteribus legibus hoc erat concessum. Cæteros au-

Dimidia centesimæ. tem omnes homines dimidiam tantummodo centesimæ usurarum nomine posse stipulari, & eam quantitatem usurarum etiam in aliis omnibus casibus nullo modo ampliari, in quibus citra stipulationem exigi usuræ solent. Nec liceat judici memoratam augere taxationem occasione consuetudinis in regione obtinentis. Si quis autem aliquid contra modum hujus fecerit constitutionis, nullam penitus de superfluo habeat actionem. Sed & si acceperit, in sortem hoc imputare compelletur. Lege 26. *Eos qui* Cod. de usuris.

XIV. Usuræ olim erant menstruæ, & exigebant fœneratores in mensem nomine usuræ quantum æquaret sortis partem centesimam, quæ usura centies multiplicata æquaret ipsam sortem; ut pro centum drachmis exigebant unam drachmam in mensem: uti patet ex illis *Ambrosii* verbis, libro de Tobia, Veniunt (inquit) calendæ, parit sors centesimam; veniunt menses singuli, generantur usuræ. Cap. 12. Idem manifestum erit ex verbis *Basilii*, hom. 2. in Psalm. 15. infra citandis. Hoc ipsum etiam prolixè ostendit *Budæus*, lib. 1. de asse: Ubi monet in solo terrestri fœnore locum fuisse menstruis usuris, non autem in nautico. Quo spectat illud *Horatii* de *Alphio*, lib. epod. Ode secunda.

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius,
Jamjam futurus rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam:
Quærit Calendis ponere.

Nam soliti videntur interdum fœneratores solutionis moram concedere debitoribus, cum augmento usuræ, usque ad proximas idus, si Calendis ad solvendum imparati essent debitores. Menstruæ igitur usuræ centesimæ faciebant in annum unum, duodecim nomine usurarum pro centum in sorte; etiam solis simplicibus computatis usuris, non autem superadjectis usurarum usuris. Hæc dicebatur etiam drachmalis usura, numerando centum drachmas in una mina, cum *Budæo*, lib. 1. de asse. Centesimam usuram permittit *Justinianus* in trajectitiis duntaxat contractibus, vel specierum fœnori dationibus, id est, in trajectitia pecunia, & fœnore nautico; quando scilicet creditor navigandi pecuniam fœnori dabat, ea conditione ut periculum esset creditoris, donec navis ad portum destinatum adpulisset. ff. de nautico fœnore. & C. eod. in tali pecunia nautica, concedebantur usuræ centesimæ, quæ in jure dicuntur majores usuræ. Suscipiebat verò in se periculum creditor vel totius navigationis, donec scilicet navis ad eum portum reverteretur, unde solverat, Græci ἀμφοτερόπλουν appellabant, e. g. donec navis quæ è portu Siracusano solverat, tendens Alexandriam, perveniret in portum Alexandrinum, & rursus è portu Alexandrino in Siracusanum: vel tantum pro dimidia navigationis parte subibat periculum creditor, puta, à portu Siracusano ad Alexandrinum; ἑτερόπλουν vocabant, uti docet *Budæus*, lib. 1. de asse. Ubi etiam observat, usuram nauticam olim non fuisse menstruam, sed una constitutione taxari solitam in maris commeatum remeatumque, aut in negotiationis exitum. *Dunamus*, pag. 164. & 165. affirmat licitam & justam esse usuram nauticam; Cum enim creditor rei mutuatæ periculum sustineat, posse illum optimo jure pro hoc suo periculo stipulari & exigere emolumentum à debitore. Et adnotat, cum *Hotomanno*, corruptum esse textum cap. *Naviganti*. Extra de usuris, & deesse [*non*] qua particula sublata, alioqui injustum esse illum Canonem; quo talis usura omnis damnari videtur. Quem Canonem postea subjiciemus, cap. 5. §. 14.

Centesima usura.

Fœnus nauticum.

XV. Jam facile intelligitur *triens centesimæ*, id est, tertia pars centesimæ in mensem unum, ita ut in tres menses centesima pars sortis pro usura penderetur: unde in annum solvebantur usurarum nomine quatuor pro centum. *Bes* autem *centesimæ* continet duos trientes, est enim triente minor quam ipsa centesima; ergo *bes centesimæ* in mensem, constituit in annum octo pro centum. Dimidia vero pars sive *semis centesimæ* facit in annum, sex pro centum, & *secupla* sive *sesquipla* sive *sesquicentesima usura*, de qua meminit *Budæus* facit in annum, octodecim pro centum. De qua etiam fit mentio, Caus. 14. quæst. 4. *Quoniam*.

XVI. Nona restrictio, [*sit nemo exactor acerbus*]. Si benè collocatæ sunt pecuniæ publicæ, in sortem inquietari debitores non debent, & maximè si pariunt usuras. Si non pariunt, prospicere Reipub. securitati debet præses provinciæ: dummodo non acerbum se exactorem, nec contumeliosum præbeat; sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum. Nam inter insolentiam incuriosam, & diligentiam non ambitiosam multum interest, ait *Ulpianus*, Leg. 33. *Si bene.* ff. de usuris & fructibus &c. Nemini permittitur, ne præsidi quidem provinciæ, aut curatori Reipub. quamvis pro pecunia publica, ut acerbum se præbeat exactorem. De acerbitate autem & truculentia fœneratorum veterum videatur *Ambrosius* lib. de Tobia.

Atque hæc de usuris collegimus ex corpore Juris civilis. Sequitur jus Canonicum.

Caput V.

De Usura, ex jure Canonico.

I. In Canonibus qui Apostolorum dicuntur, Canon est 43. in hæc verba; Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui usuras à mutuum accipientibus exigit, vel desinito, vel deponitor. Hunc Canonem inseruit *Gratianus* decreto, dist. 47. Can. *Episcopus.*

II. In eandem sententiam citantur à *Gratiano*, Conciliorum quorundam decreta, & Patrum dicta. Ex Concilio *Laodicensi* citat hunc Canonem; Non licet fœnerari ministris altaris vel in sacerdotali ordine constitutis, vel usuras, vel lucra, quæ sescupla dicuntur, accipere. dist. 46. Can. *Non licet.* Sescuplum autem, per s scriptum, quod & sesquiplum dicitur, numerum hemiolium significat, ut monet *Budæus*, lib. 1. de asse. Quo in libro etiam facit mentionem usuræ sesquidrachmalis sive sesquicentesimæ, quæ erat dimidio major parte centesima sortis; faciens in annum 18. pro 100. Verba Græca Canonis Laodiceni sunt, *μὴ δεῖν ἱερατικὼς δανείζειν, καὶ τόκυς καὶ τὰς λεγομένας ἡμιολίας λαμβάνειν.* Dionysius Exiguus *τὰς ἡμιολίας* vertit, *sesquialteras*; *Isidorus Mercator*, *sexcupla*; *Gentianus Hervetus* vertit, *sescupla*, & interpretatur, *summam capitis & dimidium summæ.* Similem etiam Canonem recitat *Gratianus*, ex Concilio *Nicæno*, dist. 47. Can. *Quoniam.* & Caus. 14. quæst. 4. Can. *Quoniam.* Ubi statuunt Nicæni Patres, ut, si quis clericus inventus fuerit post illam Concilii definitionem usuras accipere, vel species frumentorum ad sescuplum dare, * & ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, id est, si quodcunque novum pactum aut contractum invenerit in fraudem usurarum, is dejiciatur à clero, & alienus existat à regula. Et ex Concilio Elibertino, hunc citat Canonem: Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari, & abstinere. dist. 47. Can. *Si quis clericorum.* Item ex Concilio Arelatensi primo; Ministri qui fœnerantur, placuit juxta formam divinitus datam, eos à communione abstinere. Caus. 14. quæst. 4. Can. *Ministri.* Item ex Concilio Tarraconensi, Canonum statutis firmatum est, ut quicunque in clero esse voluerit, emendi vilius & vendendi carius studio non utatur. Quod si exercere voluerit, cohibeatur à clero. Usuras etiam refert clericis prohibitas esse in Concilio *Martini* Papæ, dist. 14. Can. *Si quis oblitus.* Et in Concilio Agathensi, Can. *Nullus.* eod.

Concil. Laodic. Can 4. vel in alia edit. C. 5.

Concil. Nicæn. Can. 17. anno Dom. 325

* *ἡ ἡμιολίας ἀπαιτῶν, aut hemiolia, id est, sescupla exigens.*

Concil. Llibert. anno Dom. 305. Can. 20. ubi etiam laici prohibentur accipere usuras.

Concil. Arelat. I. Can. 12.

III. Sicut non suo, ita non alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attentet. Indecens est enim, crimen suum commodis alienis impendere & exercere. Fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, ut quod hîc misericorditer tribuimus, à Domino, qui multipliciter & in perpetuum mansura tribuit, recipere valeamus. inquit *Leo* Papa, apud eundem *Gratianum*, dist. 46. Can. *Sicut non.*

IV. *Gregorius* etiam *Petrum* quendam, quem solidos ad usuram dedisse audiverat, prohibet ordinari, si de facti veritate constiterit. Nam nos (inquit) amatoribus usurarum nulla ratione manus imponimus. dist. 47. Can. *De Petro.*

V. *Leo* autem non solum clericos, sed etiam laicos, qui Christianos se dici cupiunt, arcet à quæstu usurario, & monet ut non velint fœnore ditescere. Caus. 14. quæst. 4. Can. *Nec hoc.*

Concil. Tarracon. Can. 2. anno Dom. 517.

Concil. Martin.

Concil. Agathens.

Leo I. Papa Rom. epist. 1 ad Episcopos per Companiam & Picenum, cap 4.

Gregor.

Leo I. serm 6 de jejunio decimi mensis.

VI. Adjicit *Gratianus*, ibidem, quædam in eandem sententiam ex *Ambrosio*, & ex *Augustino.* In quæstione autem sexta ejusdem causæ, contendit, restituendas esse usuras, ex illo *Augustini* dicto ad *Macedonium*, si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: si (ut dixi) restitui potest. Hæc ex *Decreto.*

Restitutio usur.

August. epist. 54.

VII. In *Decretalibus* etiam *Gregorii* Noni damnantur usuræ tanquam ipsa lege Dei prohibitæ: adeoque per hominem indispensabiles. *Alexander* Papa tertius, generalis Concilii Turonensis auctoritate decrevit, ut nullus constitutus in Clero ullum usuræ genus exerceat. Et (inquit) si quis alicujus possessionem data pecunia sub hac specie vel conditione in pignus acceperit; si sortem suam (deductis expensis) de fructibus jam percepit, absolutè possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet; eo recepto, possessio liberè ad dominum revertatur. Ibidem vocat detestanda usurarum lucra, & clericum iis insistentem, Ecclesiastici officii periculo subjicit. Extra de usuris, cap. 1. *Plures.*

Alexand. III. in Concil. Turon.

VIII. Idem Cantuariensi Archiepiscopo, quoniam (*inquit*) non solum viris Ecclesiasticis, sed etiam quibuslibet aliis periculosum est usurarum lucris intendere: Auctoritate præsentium duximus injungendum, ut eos qui de possessionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noscuntur, sortem (deductis expensis) receperunt, ad eadem pignora restituenda, sine usurarum exactione, Ecclesiastica districtione compellas. Cap. 2. *Quoniam.* Extra eod. deduci jubet expensas; Nam quod in fructus redigendos impensum est: non ambigitur ipsos fructus diminuere debere. ut ait *Ulpianus*, Leg. 4. ff. de usuris, &c.

Idem Alexand. III.

IX. Item, in Concilio Lateranensi: quia in omnibus fere locis ita crimen usurarum invaluit, ut multi (aliis negotiis prætermissis) quasi licitè usuras exerceant: & qualiter in utriusque Testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant: Ideo constituimus, quod usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris; nec Christianam (si in hoc peccato decesserint) accipiant sepulturam: sed nec oblationes eorum quisquam accipiat. Cap. 3. *Quia in omnibus.* Extra, de usuris. Hoc Concilii istius Lateranensis decretum ratum etiam habuerunt alii Pontifices, & Concilia, uti statim docebimus.

Idem in Concil. Lateran.

X.

Idem. Usura indispensabilis.

X. Idem *Alexander*, Panormitano Archiep. Respondemus (*inquit*) quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur; super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus. Quia cum scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri; multo magis prohibendus est quis ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. cap. 4. *Super eo.* Extra, eodem.

Ibid. Restituendæ usuræ: & quibus.

XI. Idem etiam, Salernitano Archiepiscopo scribens, ait, manifestos usurarios cogendos esse per pœnam illam in Concilio Lateranensi statutam, ad restituendum usuras his à quibus eas extorserunt, vel eorum hæredibus: vel (his non superstitibus) ad erogandum eas pauperibus: dummodo in facultatibus habeant, unde ipsis possint eas restituere. Et citat dictum illud *Augustini*, quod non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Illos autem qui non habent in facultatibus unde usuras valeant restituere, ait non debere ulla pœna mulctari: eum eos nota paupertas evidenter excuset. cap. 5. *Cum tu.* Extra eod.

Innocent. III. 3. Non audiatur usurarius repetens usuras, nisi ipse restituat. Idem. Contra hæredem usurarii.

XII Statuimus (inquit *Innocentius* PP. tertius) ut si quis usurarius à nobis literas impetraverit super restituendis usuris, vel fructibus computandis in sortem, nisi prius ipse restituerit usuras quas ab aliis noscitur recepisse, auctoritate literarum ipsarum nullatenus audiatur. cap. 14. *Quia frustra.* Extra, eodem.

XIII. Idem ab eodem *Innocentio* decernitur, de hærede usurarii, ut scilicet usuras ab aliis repetens non audiatur, nisi ipse restituat usuras, quas vel ipse vel ejus pater, cujus hæres extitit, extorsit. cap. 17. *Michaël.* Extra: eodem.

Gregor. 9. 3. Exceptiones.

XIV. Naviganti (inquit *Gregorius* PP. Nonus) vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Ille quoque qui dat decem solidos ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur; quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur: non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit; ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem: si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. Hæc *Gregorius*, cap. 19. Sive ult. *Naviganti.* Extra, de usuris. Ubi ipsa verborum Gregorii series manifestè declarat, corruptam esse primam partem

Vide supra, cap. 4. § 14.

canonis, & pro negatione [*usurarius non est censendus*,] perperam legi affirmationem, omissa negativa particula [*non*] sicut observavit *Hotomannus*, eumque sequutus *G. Dunamus.* Tres enim in hoc canone casus conjunguntur, in quibus invenitur incrementum sine usura. Et nisi negativè etiam pars canonis prima legatur, injusta erit lex; quia cum creditor sustineat periculum, non potest sine iniquitate excludi prorsus ab emolumento. Est enim hæc regula in u-

Regula.

troque jure, *ut ubi periculum, ibi & lucrum collocetur. Et cujus est emolumentum, ejus debeat esse periculum.* leg. ult. §. penult. C. de furtis. & Extra de usuris, in glossa. E. ad cap. 16. *Salubriter.*

Gregor. 10. in Concil. Lugd. & Bonifac. 8.

XV. *Bonifacius* PP. Octavus in *Sexto*, tit. De usuris, repetit, decretum *Gregorii* PP. Decimi, in generali Concilio Lugdunensi. Ibi Gregorius assentiente Concilio Lugdunensi constitutionem Concilii Lateranensis sub *Alexandro* III. contra usurarios factam præcipit inviolabiliter servari, sub divinæ maledictionis interminatione. Item prohibet, ne quis extraneis fœnebrem pecuniam manifestè exercentibus, aut exercere volentibus, ad fœnus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocunque concedat. Et hujusmodi manifestos usurarios expelli jubet per fundorum dominos. Præterea etiamsi usurarii manifesti de usuris quas receperunt satisfieri in ultima voluntate mandaverint; nihilominus tamen eis Ecclesiasticam sepulturam denegandam statuit, donec de usuris ipsis fuerit (prout patiuntur facultates eorum) plenariè satisfactum: aut de facienda restitutione sit cautum. Ubi observat auctor glossæ, sepulturam nec prodesse defuncto nec nocere apud Deum. Ideoque pœnam istam homini peccata sua confesso, quique restitutionem fieri mandaverit, imponi, non quod propter hoc de salute ipsius desperetur. *Nota obit. de sepulturæ.*

XVI. *Clemens* PP. V, in Concilio Viennensi, tripartitam fecit de usuris constitutionem. 1. Prohibet ne communitates faciant statuta, quibus impediatur usurarum repetitio à fœneratoribus qui eas extorserunt; & monet ut omnia istiusmodi statuta si qua habeant, deleant, sub pœna excommunicationis. 2. Constituit ut fœneratores ad exhibendum, cum de usuris agetur, suarum codices rationum, ne occultis contractibus fallere possint, censura Ecclesiastica compellantur. 3. Si quis pertinaciter affirmet exercere usuras non esse peccatum, eum *Clemens* decernit velut hæreticum puniendum. Et contra hujus erroris suspectos tanquam contra suspectos de hæresi procedi jubet. Hoc *Clementis* & Concilii Viennensis decretum insertum est corpori juris Canonici, in Clementinis, tit. de usuris. *Clem. 5. in Concil. Vienn.*

XVII. In ipso tamen jure Canonico observarunt Canonistæ quasdam exceptiones, sive casus quosdam, in quibus augmentum ultra sortem sine crimine usurario licitè accipi potest. Eas exceptiones inveniet lector, Caus. 14. quæst. 3. in glossa ad præfationem. Et in glossa, ad can. *Si fœneraveris.* & ad can. *Plerique.* & qu. 4. in glossa, ad can. *Quoniam multi.* Et Extra, de usuris, cap. 1. & in glossa, ibid. & cap. 8. *Conquestus*; & in glossa. ibid. & cap. 19. *Naviganti.* & Extravag. comm. De venditione & emptione, cap. 1. & alibi. Exceptiones ex istis locis collegimus duodecim numero, quibus si adjiciantur duæ ex *Thoma* & aliis eum eo sententibus, erunt exceptiones quatuordecim. quæ hoc tetrasticho includuntur. *Exceptiones.*

1. *Æs trajectitium.* 2. *Socii.* 3. *Deducito sumptus.*
4. *Sacra domus:* 5. *Conjunx.* 6. *Incertum est:*
7. *Empta revendam:*
8. *Pompa.* 9. *Fidejussor:* 10. *Gratus:* 11. *Pœna:* 12. *Inter & esse.*
13. *Spem lucri Thomistæ addunt;* 14. *Piasensque levamen.*

XVIII. Prima exceptio, *Æs trajectitium.* De hac exceptione, quæ est fœnoris nautici, diximus, cap. 4. §. 14. Secunda exceptio, *Socii.* Nam in societate communia sunt lucra & damna. Invenitur ista exceptio in glossa, ad can. *Plerique.* Caus. 14. quæst. 3. De qua etiam diximus supra, cap. 2. §. 2. Ratio exceptionis est, quia periculum spectat ad utrumque: uti monet autor glossæ, loco citato. Est autem societas alia expressa in contractu; alia tacita, in sola intentione: de hac tacita dissentiunt inter se utriusque partis theologi, ut infra fiet manifestum. Tertia exceptio, *Deducito sumptus.* De *Prima exceptio, Æs trajectitium: 2. Except. Socii. 3. Except: deducito sumptus.*

hac exceptione superius monebamus, §. 8. ex cap. 2. *quoniam*. Extra de usuris. & leg. 4. ff. de Usuris. Quarta exceptio, *Sacra domus*, id est, Ecclesia. Hanc exceptionem canonistæ vocant, *in favorem Ecclesiæ*. Nam possessionis pigneratitiæ fructus, deductis expensis, jubetur creditor computare in sortem, sed hac addita exceptione; nisi forte Ecclesiæ beneficium fuerit, quod redimendum hoc modo de manu laïci videatur. cap. 1. Extra, de usuris. Nisi terra ipsa de feudo sit Ecclesiæ, aut monasterii, &c. cap. 8. Extra eod. & cap. 1. Extra, de feudis. Exceptionis tamen partem illam quæ est cap. 1. De usuris, sic intelligendam monet auctor glossæ, ut tum demum locum habeat, quando laïcus aliquis injustè detinet possessionem aliquam, quæ fuerat clerico in beneficium assignata: licitum enim esse clerico in tali casu eam de manu laïci taliter redimere, ut Ecclesia vel ipse clericus fructus taliter perceptos retineat, nec in sortem computet. Neque esse hanc usuram, cum tantùm suum recipiat: quia sic fortè possessio ad Ecclesiam reverteretur hoc modo; quæ fortè aliàs non poterat recuperari. Idem intelligo (*inquit glossator*) de laïco, quia & hoc modo ei licet redimere possessionem de manu injusti detentoris; alienam tamen possessionem taliter retinere non posset, quia fructus illi non sunt sui. Unde si illos retineret, usura esset. Idem esset de clerico, si possessionem Ecclesiæ, quæ non fuit ei pro beneficio assignata, taliter in pignus reciperet; nisi de licentia Ecclesiæ hoc faceret, quasi percipiendo eos nomine Ecclesiæ. Hæc ibi.

4. Exc. Sacra domus.

Quinta exceptio *conjunx*, id est, *in favorem matrimonii*. Quo pertinet illud *Innocentii* III; Sanè (inquit) generum, ad fructus possessionum quæ ei à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ computandos in sortem, non credimus compellendum. Cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda; Extra de usuris, cap. 16. *Salubriter*. Nempe æquum non est, ut gener onera matrimonii sustinere cogatur de nihilo, id est, nec dotem habens, neque aliquid aliud, ex cujus fructibus oneri sustinendo par esse aliquo modo possit. Neque etiam præcisam adeo rationem iniri patitur favor matrimonii.

5 Except. conjunx.

Sexta exceptio, *incertum est*, id est, ratione incertitudinis pretii sive æstimationis, de qua exceptione diximus supra, cap. 2. §. 20.

6. Except. Incertum est.

Septima exceptio, *Empta revendam*. Si vendo tibi fundum justo pretio, ea lege, si tibi quandocumque vel intra certa tempora pretium quod mihi das solvero, vel legitimè obtulero, fundus ad me revertatur. leg. 2. *Si fundum*. Cod. de pactis inter emptorem & venditorem compositis. Et Extra, de usuris, cap. *Conquestus*. in glossa. In isto casu lucraberis fructus, donec legitimè obtulero tibi pretium. Dixi justum pretium, nam si modicum, id est, longe infra justum sit pretium, contractus habetur usurarius, factus in fraudem usurarum. cap. 5. *Ad nostram*. Extra, de emptione & venditione. Alioqui si justum sit & tolerabile pretium, fructus cedunt emptori, ex generali illa lege emptionis, qua emptor fit dominus rei emptæ, ejusque fructus percipit, post perfectum jure contractum, L. 13. *Fructus*. C. de actionibus empti & venditi. Et Extra de usuris, cap. *Conquestus*, in glossa. Ideo in Extrav. comm. De emptione & venditione, cap. 1. dicitur, contractum emptionis & venditionis annui census, cum conditione revenditionis non esse usurarium.

7. Except. Empta revendam.

In pacto autem legitimo de retro vendendo, ut habeatur vera emptio, & non pignus sumptum in fraudem usurarum, non solum mensura pretii inspicitur, sed hoc etiam de ratione talis pacti est, ut debitore seu venditore nolente, non liceat emptori repetere suam pecuniam: alioqui esset mutuum, non autem vera emptio. Ut rectè observavit *Lagus*, in methodo Juris, parte tertia, cap. 6.

Octava exceptio *Pompa*, ubi pecunia datur ad pompam, possum inde recipere mercedem, quia non est mutuum, sed potius commodatum, sive locatio. Extra de usuris, cap. 8. *Conquestus*, in glossa. Vide supra, cap. 2. §. 12. *8. Except. Pompa.*

Nona exceptio, *Fidejussor*. Ubi fidejussor solvit sortem & usuras, potest usuras cum sorte petere. In glossa, ad præf. caus. 14. qu. 3. *9. Except. Fidejussor.*

Decima exceptio *Gratus*. Auctor glossæ. caus. 14. quæst. 3. can. *Si fœneraveris*. Nonne (inquit) si creditor alicui gratis mutuat pecuniam: venditor tenetur ei ad antidora, ut Extra. De testamentis. cap. Cum in officiis. & ff. De petit. hæred. L. Sed etsi. §. Consuluit. Et naturaliter est ei obligatus ad aliam. Quare ergo illam naturalem obligationem non potest deducere in civilem, scilicet, ut pactum fiat pro illa danda ad quam tamen tenetur? cum etiam talia pacta interveniant in spiritualibus, ad quæ aliàs quis tenetur: Extra de præben. significatum. & Extra de elect. significasti. Hæc ibi in glossa, ad [*plusquam*.] Neque quicquam illic in contrarium asseritur. Quamvis in glossa sequente, ibidem, ad [*Expectes*.] quærat glossator, quid si quis mutuat, ex pacto, ut ipsi alter remutuet cum opus habuerit? & respondens dicat, non credo quod illud posset deducere in pactum. Et ita hic naturalis obligatio non potest deduci in pactum. Hæc ille. Oppositam tamen sententiam tuentur duo celebres inter pontificios Theologi, *Angelus* & *Hadrianus*, teste *Maldero* Episcopo Antuerpiensi, in disputatione de mutuo & usura. Licet ipse *Malderus*, cum aliis quibusdam, sentiat, obligationem hanc naturalem non posse deduci in civilem. Quod verò auctorem glossæ attinet, is fluctuare videtur, nam in glossa ad [*plusquam*] videtur favere illorum sententiæ qui putant obligationem naturalem hîc posse deduci in civilem. In glossa autem ad [*Expectes*] allato speciali exemplo, ait se non credere deductionem istam fieri posse. Et quamvis hinc magis inclinare videatur in partem negativam, proposita tamen utraque controversiæ parte, glossator, in neutram partem, pro vel contra, citat ullam legem, aut canonem; uti in aliis solet. Et reperti sunt viri quidam doctrinæ laude celebres qui affirmativam, alii autem inferiores qui negativam defenderunt. Hi rationibus suis glossam istam adjungunt; illi suas etiam rationes adferunt. Quibus favere videtur canon ille Concil. Later. Extra de testamentis. cap. 7. *Cum in officiis*.

10. Exc. Gratus. De obligationis naturalis deductione in civilem. De ista quæstione plura inferius in citandis testimoniis Theologorum, ab ann. Dom. 1000 ad ann. 1500. & deinceps.

Undecima exceptio, *Pœna*. Licet aliquid ultra sortem accipere, quando aliquid apponitur nomine pœnæ, dum tamen non in fraudem usurarum. Extra de usuris, cap. *Conquestus*. in glossa. & caus. 14. quæst. 3. in gloss. nemini autem licet stipulari pœnam immodicam, L. 44. *Pœnam*. ff. de usuris & fructibus &c. De accessione autem pœnali seu punitoria diximus supra, cap. 2. §. 25. *11. Exc. Pœna.*

Duodecima Exceptio, *inter & esse*. Id est, *interesse*: in glossa ad præf. caus. 14. quæst. 3. & ad can. *quoniam*. quæst. 4. & in glossa, ad cap. *12. Exc. Interesse.*

Con-

Conquestus. Extra de usuris. De eo autem quod interest, sive de interesse, ejusque speciebus, abundè diximus supra, cap. 2. §. 18. & 19. & aliquot sequentibus.

XIX. Atque hæc ex jure canonico impræsentiarum sufficiant. De hoc argumento convenit Scholasticis cum Canonistis, & utrique istas exceptiones sive casus agnoscuut. *Thomas* vero Aquinas ejusque sequaces addunt alias duas exceptiones: nempe 13. *Spem lucri.* & Except. 14. *Præsens levamen.* De quibus exceptionibus plura inferius ex *Thoma* & *Cajetano*, & *Maldero*. *12. & 13. except.*

CAPUT VI.

Veterum quorundam Patrum sententia de usura.

LACTANTIUS, de vero cultu lib. 6. cap. 18. Verus (inquit) ac justus viator, pecuniæ, si quam crediderit; non accipiat usuram: ut & beneficium sit incolume, quod succurrat necessitati, & abstineat se prorsus aliena. In hoc enim genere officii debet suo esse contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat. Plus autem accipere, quam dederit, injustum est. Quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate prædetur. At justus nunquam prætermittit, quo minus aliquid misericorditer faciat, nec inquinabit se hujusmodi quæstu: sed efficiet, ut sine ullo suo damno, idipsum quod commodat, inter bona opera numeretur. Hæc *Lactantius.*

II. *Basilius* magnus, homil. posteriore in Psal. 14. [alias 15.] exponens verba psalmi, *τὸ ἀργύριον αὐτοῦ οὐκ ἔδωκεν ἐπὶ τόκῳ*, *pecuniam suam non dedit ad usuram*; *καὶ νῦν δὲ* (*inquit*) *χαρακτηριστικὸν τῆς κατὰ τὸν ἄνθρωπον τελειώσεως τὸ αὐτὸ παρείληφεν ὁ προφήτης, λέγων, τὸ ἀργύριον αὐτοῦ οὐκ ἔδωκεν ἐπὶ τόκῳ. τῷ ὄντι γὰρ ἀπανθρωπίας ὑπερβολὴν ἔχει, τὸν μὲν τῶν ἀναγκαίων ἐνδεῶς ἔχοντα ζητεῖν δάνεισμα εἰς παραμυθίαν τοῦ βίου, τὸν δὲ μὴ ἀρκεῖσθαι τῷ κεφαλαίῳ, ἀλλὰ ἐπινοεῖν ἐκ τῶν συμφορῶν τοῦ πένητος προσόδους ἑαυτῷ καὶ εὐπορίας συνάγειν.* Id est, Nunc etiam notam certissimam humanæ perfectiouis hanc sumpsit propheta, inquiens, pecuniam suam non dedit in usuram. Revera enim inhumanitatis excessus est, hunc quidem necessariis indigentem petere mutuum in solatium vitæ: illum verò recepta summa ipsa non esse contentum, sed cogitare quomodo ex pauperis calamitatibus incrementa sibi ipsi & lucra accumulet. ——— *Χρήματα εἰπέ μοι* (fœneratorem alloquitur) *καὶ πόρους ἐπιζητεῖς παρὰ τοῦ ἀπόρου*; id est; pecunias, dic mihi, & lucra quæris ab egeno? ——— *δέον παραμυθεῖσθαι τοῦ ἀνδρὸς τὴν πτωχείαν, σὺ δὲ πολυπλασιάζεις τὴν ἔνδειαν.* Id est, oporteret solari hominis paupertatem, tu verò adauges egestatem. Et in eadem homilia, de fœneratoris ac debitoris occursu loquens, *ὁ μὲν* (*inquit*) *ὥσπερ κύων ἐπιτρέχει τῇ ἄγρᾳ, ὁ δὲ ὥσπερ ἕτοιμον θήραμα καταπτήσσει τὴν συντυχίαν.* Id est, ille quidem (*nempe fœnerator*) veluti canis cursu fertur in prædam, hic verò (*nempe debitor*) veluti bestia prædæ exposita occursum ejus reformidat.

III. Monet etiam *Basilius*, ex Salomone, ut unusquisque de suis vasis aquam bibat, neque se fœnori implicet: quærens malum malo sanare. Sumere (*inquit*) mutuo *τὸ δανείζεσθαι* est initium mendacii, ingratitudinis occasio, perfidiæ, & perjurii. ——— Sive igitur amicus sit *ὁ δανείζων* is qui tibi mutuum dat, cave ne amicitiam lædas; sive inimicus, ne fias hosti obnoxius. Quemadmodum pisces cum cibo hamum vorant, sic & debitores cum pecunia undique transfiguntur à fœnore. Nullam paupertas conciliat homini turpitudinem aut dedecus; quid ergo nobis ipsis opprobria ex ære alieno comparamus? nemo vulnus vulnere curat, nemo malis malo medetur, nec paupertas fœnore corrigitur. Dives es? noli mutuo sumere. Pauper es? noli item mutuò sumere. Nam si dives es, non eges fœnore vel mutuo; si verò nihil habes, non rependes mutuum, *τὸ δάνειον.* Non colligunt è spinis uvas, nec à tribulis ficus, neque item à fœnore benignitatem. *ἑκατοστολόγοι καὶ δεκατολόγοι* nomina vel ipso auditu incutientia horrorem: Exactores menstrui veluti dæmones Epilepsias facientes, qui pauperes ad lunæ periodos invadunt. Mala datio utrique, tum danti, tum accipienti: huic quidem in pecunias, illi verò in ipsam animam damnum adferens. ——— Et fœneratorem alloquens ait; *ἄνευ γῆς φυτεύεις, ἄνευ σπορᾶς θερίζεις. ἄδηλον τίνι συνάγεις*, id est, sine terra plantas, sine semente metis. Incertum cui colligas.

IV. Ex his *Basilii* dictis quæ recitata sunt, observemus quatuor summa capita. 1. Damnat usuram quæ à pauperibus exigitur. 2. Monet omnes, sive divites, sive pauperes, sive amicos sive inimicos, ut mutuam pecuniam non accipiant sub usuris. Describitque debitoris usurarii miseram conditionem, & fœneratoris truculentiam. 3. Dationem usurariam malam esse ait tum danti, tum accipienti: & fœneratorum iniquitatem ac vanitatem exagitat. 4. Monet, mutuum indigenti dandum gratis.

V. *Chrysostomus*, homil. 18. in Evang. Matthæi: exponens illa Domini verba, *τὸν θέλοντα ἀπό σου δανείζεσθαι, μὴ ἀποστραφῇς*, *volentem abs te mutuari ne averseris*, seu ne ab illo te avertas, Matth. 5:42. *δάνεισμα δὲ* (*inquit*) *ἐνταῦθα, οὐ τὸ μετὰ τῶν τόκων λέγει συμβόλαιον, ἀλλὰ τὴν χρῆσιν ἁπλῶς, ἀλλαχοῦ δὲ αὐτὸ καὶ ἐπιτείνει, λέγων, ἐκείνοις διδόναι παρ᾽ ὧν οὐ προσδοκῶμεν ἀπολαμβάνειν.* Id est, mutuum verò hîc ait non summam cum usuris, sed usum simpliciter seu mutuationem simplicem; alibi autem hoc etiam ipsum ulterius extendit, dicens, dandum esse illis à quibus non exspectamus recipere. Hæc ibi. Idem Chrysost. hom. 68. exponens verba illa Domini, *ἔδει σε* oportebat te tradere pecuniam meam trapezitis; *τοῦτ᾽ ἔστιν εἰπεῖν*, (ait *Chrysost.*) *ἔχρην παραινέσαι, συμβουλεῦσαι*, hoc est, ac si dixisset, oportebat te exhortari, consilio juvare. ——— *κἀγὼ μετὰ τόκου ἀπῄτησα, τόκον λέγων ἀκροάσεως, τὴν τῶν ἔργων ἐπίδειξιν.* Et ego cum usura exegissem, usuram dicens auditionis, ostensionem operum. Hactenus *Chrysostomus.* *Luc. 6: 35.* *Matth. 25: 27.*

VI. *Ambrosius*, lib. de Tobia, multa scribit contra usuram illis temporibus usitatam. Omnia autem ad illa quatuor in *Basilio* observata capita reduci possunt. 1. Damnat usuram quæ à pauperibus exigebatur, aut quæ pauperes ex divitibus faciebat, quæ turpis lucri amore, & rei alienæ cupiditate accipiebatur, & argumenta quædam opponi solita dissolvit, & quam intolerabiles fuerint tunc temporis usuræ, ostendit. 2. Dehortatur a sumptione mutui sub usura, neve fidejussores quisquam secum obliget, & miseriam debitorum, simul & truculentam fœneratorum vafritiem, immanemque eorundem truculentiam prolixè describit. 3. Fœnoris usuram

ram ostendit non solum debitori, sed etiam fœneratori ipsi nocivam & exitialem. 4. docet mutuum indigenti dandum esse gratis pro facultatibus. Non quidem hoc ordine quatuor ista persequitur *Ambrosius*, sed ad ista quatuor capita reduci potest tota ejus oratio : si adhuc addas quintum caput de fœneratore & fœnore laudabili, nempe quando propter Deum damus pauperibus, non sperantes ab illis recipere : & quando rectè utimur donis spiritualibus ad lucrandum homines Deo.

VII. *Hieronymus*, Comm. in Ezech. cap. 18. exponens verba illa, [*Et ad usuram mutuaverit.*] Quomodo (inquit) dicitur; fratri tuo non fœnerabis, alieno autem fœnerabis? Sed vide profectum: In principio legis, à fratribus tantum fœnus tollitur : in propheta, ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele, pecuniam suam non dedit ad usuram. Porro in Evangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino, fœneramini his à quibus non speratis recipere. Et in illa verba [*Et amplius non acceperit,*] putant quidam (inquit) usuram tantum esse in pecunia. Quod prævidens scriptura Divina omni rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, cæterarumque specierum usuræ exigi : sive, ut appellat sermo divinus, abundantiæ; verbi gratia; ut hiemis tempore demus decem modios : & in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius partem mediam. Qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem. Et solent argumentari ac dicere, dedi unum modium, qui satus, fecit decem modios, nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem & semis de meo habeat? noli errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti; si habenti, utique dare non debuerat : sed dedit quasi non habenti: ergo quare plus exigit, quasi ab habente? Quamvis autem utatur hoc dilemmate *Hieronymus*, alibi tamen videtur hoc solo nomine aversari usuram, quod sit afflictio pauperum, & injustum ex eorum necessitate lucrum : nam Comm. in Ezechiel. cap. 22. exponens illa verba [*usuram & superabundantiam accepisti.*] Necessitatem (inquit) pauperum verterunt in lucrum, ut usuram acciperent & superabundantiam. Hactenus *Hieronymus*.

Deut. 23: 20. *Ezech. 18: 8.* *Luc. 6: 35.* *Ezech. 18: 8.* *Deut. 23: 19, 20.* *Gal. 6. 7.* *Dilemma Hieron.* *Ezech. 22. 12.*

VIII. *Augustinus*, epist. 54. Quid dicam (*inquit*) de usuris, quas etiam ipsæ leges & judices reddi jubent? an crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atque hujusmodi malè utique possidentur, & vellem ut restituerentur; sed non est quo judice repetantur. ——— Sed inter hæc toleratur iniquitas male habentium, & quædam inter eos jura constituuntur, quæ appellantur civilia, non quod hinc fiat ut bene utentes sint, sed ut malè utentes minus molesti sint. *Idem*, homil. 35. De verbis Domini, exponens verba illa, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; refellit pravam quorundam interpretationem, & docet non esse rapiendas res alienas, & inde eleemosynas faciendas. Quod illustrat similitudine judicis, qui, fi justus sit, non patrocinabitur latroni propter partem prædæ. Et subjungit hoc exemplum, nolite (inquit) velle facere eleemosynam de fœnore & usura. Hæc *Augustinus*. Huc refer quod dicit Dominus, se odio habere rapinam in holocaustum. Esai. 61. 8.

Toleratio. *Luc. 16. 9.* *Esai. 61. 8.*

IX. Leo Episc. Rom. ejus nominis primus, serm. 6. De jejunio decimi mensis; Efficacissima (*inquit*) est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Quoniam qui sum ab inope non avertit animum, citò ad se Domini convertit auditum, dicente Domino; Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est : dimittite, & dimittetur vobis. Quid hac justitia benignius? quid hac retributione clementius, ubi sententia judicaturi in potestate ponitur judicandi? date, inquit, & dabitur vobis. Quam citò diffidentiæ sollicitudo, & avaritiæ est amputata cunctatio, ut quod reddituram se promittit Veritas, secura expendat humanitas. Constans esto Christiane largitor; da quod accipias; fere quod metas; sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare proventu. Substantia tua cum bene erogatur, augetur : & concupiscere justum misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari commercium. Munerator tuus vult te esse munificum; & qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens, date & dabitur vobis. Amplectenda est tibi promissionis istius gratulanda conditio. Quamvis enim non habeas, nisi quod acceperis, non potes tamen non habere, quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum fœnus exerceat, & hac usurarum arte ditescat, ut non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa officia in laqueos incidat insolubilium debitorum, sed illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit, date & dabitur vobis. ——— Si benignus esset animæ suæ, illi bona sua crederet, qui & idoneus fidejussor est pauperum, & largissimus redditor usurarum. Sed injustitia & impudens avaritia, quæ beneficium se dicit præstare, cùm decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè pacisecenti. Dumque certiora existimat præsentia quam futura, meritò in hoc frequenter incurrunt, ut ei cupiditas injusti lucri non injusti caussa sit damni. Unde quilibet sequatur eventus, mala semper est ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuisse & auxisse peccatum est; ut aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fœnoris, & lucrum quod omni caret humanitate, vitandum est. Multiplicatur quidem facultas injustis & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit : quoniam fœnus pecuniæ, funus est animæ. Quid enim de hujusmodi sentiat Deus, sacratissimus propheta David manifestat; qui cum diceret : Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? responso Divinæ vocis instruitur, & cum ad æternam requiem pertinere cognoscit, qui inter alias piæ conversationis regulas, pecuniam suam non dedit ad usuram. Et à tabernaculo Dei ostenditur alienus, & à sancto monte ejus extraneus, qui dolosum quæstum pecuniæ suæ captat usuris : & dum per aliena cupit damna ditari, æterna dignus est egestate puniri. Hæc *Leo* magnus.

Luc. 6. 36, 37. *Luc. 6. 38.* *Psal. 15.*

Caput VII.

De Usura sententiæ quorundam Theologorum per prima quinque secula secundi millenarii æræ Christianæ, videlicet ab anno Domini 1000. ad annum 1500.

I. Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus, quem floruisse perhibent circa an. Dom. 1071. exponens verba *Anno 1071.* illa Domini, Matth. 5: 42. [*Volentem abs te mutuum accipere, ne adverseris*] in Comment. in Matth. sive (*inquit*) amicus, sive inimicus, sive fidelis, sive infidelis; sive pecunias petat, sive auxilium aliud. Mutuum autem non cum fœnore dicit, sed simpliciter usum. Nam & in lege absque usura mutuum dabant. Item, Comment. in Matth. 25. loquens de usura spirituali, & de talento tradendo nummulariis; Oportebat (*ait*) facere discipulos à quibus debitum repeteres. Nummularios autem discipulos nominat, tanquam eos qui probent & reprobent sermones. Verùm usuram exigit à discipulis, operum scilicet exhibitionem. ——— Qui enim acceperit donum, accepit ut aliis prosit, &c. Hæc Theophylactus.

Anno 1118. II. *Joannes Zonaras*, Monachus Græcus, Comment. in Canones Apost. Can. 44. Et hic quidem (inquit) Canon jubet Episcopos & Presbyteros & Diaconos usuras non exigere. Pariter & quintus Synodi Carthaginensis Canon *Vide supra cap. 3.* omni clerico vetat usuras accipere. Nam si veteri lege vetitum fuerat hoc, dicente, fœnori non dabis argentum tuum fratri tuo: multo magis vetatur illis usuras capere qui secundùm Evangelium vivere jubentur. Propterea deponi præcepit ad usuram mutuantes nisi desinant. Et decimus septimus Canon primæ Synodi, & decimus in Trullo Synodi pariter hoc vetant. Hæc ille.

Anno 1191. III. *Theodorus Balsamon*, Patriarcha Antiochenus, in eundem Canonem, eadem habet.

Anno 1130. IV. *Bernardus Abbas Clarevallensis*, epist. 322. de Judæis fœneratoribus loquens; Taceo (inquit) quod sicubi desunt, pejus judaïzare dolemus Christianos, fœneratores: si tamen Christianos, & non magis baptizatos Judæos convenit appellari. Hæc ibi.

Anno 1145. V. *Petrus Lombardus*, Episcopus Parisiensis, lib. 3. sent. dist. 37. de præcepto furtum prohibente loquens; Hic etiam (inquit) usura prohibetur, quæ sub rapina continetur. Unde *Hieron.* usuras quærere, vel fraudare vel rapere nihil interest. Commoda fratri tuo, & accipe quod dedisti: & nihil superfluum quæras: quia superabundantia in usura computatur. &c. Hæc *Lombardus*.

Anno 1245. VI. *Hugo Cardinalis*, alias dictus *Hugo de sancto Caro*, Comment. in Psalm. 14. [sive, Hebr. 15.] ad illa Psalmi verba, [*qui pecuniam suam non dedit ad usuram*,] citat Luc. 6: 35. Mutuum date. & Ezech. 18: 8. Si ad usuram non commodaverit. & addit, Dominum detestari usuram propter multas causas. Prima est, (inquit) quia usura directè opponitur charitati. 1 Corinth. 13. Charitas patiens est, benigna est, non quærit quæ sua sunt. Secunda causa est, quia usura est homicidium, Eccles. 34: 24. panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinum est. Tertia est, quia est furtum licet curiale. Exod. 20: 15. Non facies furtum. *August.* ibi; furtum est attrectatio rei alienæ invito domino. Quarta causa est, quia fœnerator comparatur inferno, Abac. 2: 5. dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimplebitur. Immo pejores (ait *Hugo*) sunt inferno & diabolo, nam isti aliquid reddiderunt, at fœnerator, quando Dominus visitat eum per infirmitatem, vel prædicationem, vel hujusmodi, nihil vult reddere. Quinta est, quia nunquam dormit, sicut diabolus semper ad malum vigilat, 1 Petr. 5: 8. Job. 30: 17. qui me comedunt non dormiunt. Quod de usurario dictum esse in persona pauperis ait *Hugo*. Sexta est, quia fœnerator nunquam habet treugas, id est, inducias cum Domino; ideo eum similem ait esse *Antiocho*, qui prælio adortus est Judæos die Sabbati. 1 Maccab. 2. & crudeliorem Herode qui Dominum die nativitatis suæ non est persequutus, quum fœneratores ipsa hora nativitatis Domini eum persequantur. Septima est, quia usura est contraria omni juri; Divino juri, Luc. 6: 38. date & dabitur vobis: juri universali, de quo *August.* Judicium Divinæ pietatis est, quod quælibet creatura cogitur seipsam dare: juri naturali contraria est, de quo Matth. 7: 12. Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Octava est, quia fœnus interficit misericordiam: unde & fœnerator misericordiam non habebit. Nona ratio est, quia est sodomia naturæ; facit enim ut granum non seminatum crescat; non mortificatum reviviscat; dando duos modios frumenti pro tribus, vel hujusmodi; contra illud Joan. 12: 24. Nisi granum frumenti cadens in terram mortificatum fuerit, ipsum solum manet. Decima causa est; quia fœneratores sunt incantatores; faciunt enim transmutationes metallorum sine aliqua percussione mallei. Faciunt enim de Turonensi Parisiensem. Hi sunt Magi Pharaonis, Exod. 7: 15. qui virgas sive baculos in serpentes convertunt. Baculo sustentatur homo; ita mutuo sustentantur pauperes & pupilli: sed usurarii convertunt illud in serpentem usuræ, quæ eos devorat & interficit. Undecima ratio est; quia illas personas persequuntur, quæ Deo familiarius sunt adscriptæ scilicet pupillos, & viduas. Quia dicit Psalmus 145. (*Hebr.* 146.) pupillum & viduam suscipiet Dominus. Job. 22. dicitur fœneratori; Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti: propterea circumdatus es laqueis, & conturbabit te formido subita. Duodecima ratio est, quia fœnus contrarium est pœnitentiæ quam Dominus injunxit primo homini, Genes. 3: 19. In sudore vultus tui vesceere pane tuo; ipsi autem fœneratores non comedunt nisi de sudore alieno. Hæc ibi.

Appellat furtum curiale, quod in humani fori curia pro furto non habetur.

Abacuk Propheta loquitur ibi de injusto & avaro oppressore.

VII. Idem *Hugo* in Psal. 71. (Hebr. 72.) In usura (inquit) peccatur contra multa, quæ notantur in hoc versu.

Lex, natura, Deus, homo, virtus, tempora, vita.

Lex vetus & nova prohibet, Luc. 6: 35. Mutuum date, nihil inde sperantes. Natura miratur, quod aurum de auro nascitur. Deus merces vult esse mutui; sed avaro Deus non sufficit, Jerem. 2: 11. populus meus mutavit gloriam suam in idolum, id est, denarios præponit Deo. Homo damno afficitur. Virtus, pietas scilicet, violatur. Tempora venduntur.

Vita subtrahitur. Ecclef. 34: 24. panis egentium, vita pauperum est, &c. Hactenus *Hugo Cardinalis.*

Anno 1265. VIII. *Thomas Aquinas* scripsit de usura variis in locis suorum tractatuum; videlicet, Comment. in 3. sent. dist. 37. quæst. 6. Item, Quotlibet 3. art. 19. Item in Summa, in secunda secundæ, quæst. 78. &, citante ibidem Cajetano, in quæstionibus de malo, quæst. 13. ait Thomas, dare ad usuram, esse peccatum mortale. Cujus sententiæ tres adfert rationes. 1. In mutuo transfertur rei dominium, ideo non licet à mutuatario aliquid accipere pro usu rei propriæ. 2. Quia pecunia, vinum, oleum, frumentum, &c. quæ mutuò dantur, non habent usumfructum, sed earum rerum usus est ipsarum consumptio. Ideo pro usu seorsim accipere pretium est vendere illud quod non est, quia non est earum rerum usus separabilis à rerum proprietate & dominio; aut est idem bis vendere, nam pretium proprietatis rei æstimatur ex valore ipsius rei, in talibus autem rebus æstimatio proprietatis æstimationem usus includit, neque potest earum vendi dominium deducto usu, neque usus vendi seorsum potest retento dominio, sed venditio dominii est venditio usus, & vice versa venditio usus est venditio dominii. Quando igitur postulas mercedem pro usu rei mutuatæ, ultra justum valorem ipsius rei, idem bis vendis. Quæ injustitia est. 3. Quia, ut ostendit Philosophus, lib. 5. Ethic. cap. 5. & lib. 1. Polit. pecunia ex seipsa non habet aliquam utilitatem, sed est mensura utilitatis aliarum rerum, ideo (inquit *Thomas*) pecuniæ usus non habet mensuram utilitatis ex ipsa pecunia, sed ex rebus quæ per pecuniam mensurantur, secundùm differentiam ejus qui pecuniam ad res transmutat. Unde accipere majorem pro minore, nihil aliud esse videtur, quàm diversificare mensuram in accipiendo & dando. Quod manifestè iniquitatem continet. Hæc sunt ipsius Thomæ verba, in 3. sent. dist. 37. quæst. 6.

Responsiones ad istas rationes vide infra, cap. 11. §. 18. & aliquot seqq. paragraphis.

IX. Monet autem Thomas usuræ nomine intelligendum esse augmentum ultra rem mutuatam, sive in pecunia, sive in alia quacunque re per pecuniam æstimabili. Ideo quemadmodum injustum est (inquit) accipere pecuniam ultra sortem ex pacto tacito vel expresso, ita etiam rem quamlibet cujus pretium mensuratur per pecuniam. Et cum Aristotele omne illud pro pecunia habet, cujus pretium potest pecunia mensurari. Verba Philosophi docentis, liberalitatem eique opposita vitia circa pecunias exerceri, hæc sunt, *χρήματα δὲ λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται.* Id est, pecunias autem dicimus res illas omnes quarum valor nummo mensuratur. Lib. 4. Ethic. cap. 1. Idcirco secundùm doctrinam Thomæ, si quis rem à mutuatario accipiat aut exigat, cujus æstimationem non metitur nummus, non est dicendus accipere usuram. Nam usura est augmentum in re utili, cujus utilitas pecunia æstimatur, quod accipientis adaugeat facultates, & minuat dantis. Tale enim augmentum est objectum avaritiæ, & egenis mutuò accipientibus grave est.

Usura in pecunia.

X. Universam verò Thomæ Aquinatis de usura doctrinam facilè comprehendes, si ad præcedentes rationes adjungas istas sequentes distinctiones ex ipsius Thomæ dissertationibus collectas.

Prima distinctio; Qui mutuat pecuniam, transfert ejus dominium; non autem is qui pecuniam negotiatori aut opifici committit per modum societatis. Hujus etiam, non autem illius, exercetur pecunia; ideo hic qui committit, potest jure exigere partem lucri. Non autem ille fœnerator.

Distinctiones quædam ex doctrina Thomæ.

XI. *Secunda distinctio*; Hoc differt radix à pecunia usuraria; quia pecunia usuraria habet solum rationem materiæ in faciendo lucro, at radix etiam causæ effectivæ aliqualiter rationem habet, in quantum administrat nutrimentum. Hinc etiam habes discrimen inter agrum, & pecuniam usurariam secundùm doctrinam Thomæ; quamvis etiam ad percipiendos ex agro fructus requiratur humana industria. Unde quidam, ex mente Thomæ distinguunt inter quæstum ex re factum, tanquam ex materia, per industriam humanam, & fructum rei alicujus quæ etiam effectivè fructuosa est. Potest acquiri per pecuniam quæstus sive lucrum quod tamen non est fructus pecuniæ, sed fructus est humanæ industriæ, & sic de aliis rebus quæ ipso usu consumuntur. At ager humana industria cultus & excitatus fructum facit effectivè. Domus munimen & habitationis commoditatem ex se, quadam effectione virtuali, & virtute effectiva, præstat, ut vestis & aliæ res locabiles. Unde mutuatori debetur solius sortis mutuatæ justa compensatio; At locatori agri, vel domus, vel rei similis, debetur restitutio ipsius rei, & insuper lucrum aliquod ex fructu rei. Sume exemplum figuli, & agricolæ. Lutum figulo mutuatum, nunquam effectivè producet vas, sed sola figuli industria est causa vasis effectiva, non etiam ipsum lutum, quod solius causæ materialis rationem habet. Ideo quamvis ex vase figulus lucrum faciat, nihil tamen debetur mutuatori luti, nisi tantundem rudis luti: nam lucrum illud quod accessit, fructus est industriæ figuli, non autem fructus luti. At verò seges est etiam fructus agri, ab agricola culti, non autem solius industriæ cultoris; ideo sicut colono ob suam industriam, ita etiam domino agri, propter virtutem agri, debetur pars fructuum. Contra istam distinctionem, vide infra, cap. 11. §. 20.

Adnotatio.

Danæus in Ps. 15. p. 301.

XII. *Tertia distinctio*; Pignoris usus pecunia æstimabilis, id est, si pignus usum utilem præstet, pecunia æstimabilem, salva pignoris substantia, & separabilem à pignoris dominio, computandus est in solutionem sortis, nisi fortè talis sit res, cujus usus inter amicos sine pretio concedi soleat. Sicut patet de libro commodato.

XIII. *Quarta distinctio*; Compensatio beneficii dupliciter fieri potest; uno modo ex debito justitiæ; alio modo ex debito amicitiæ. Distinguit autem duos istos modos inter se duplici differentia. 1. Debitum justitiæ attenditur secundùm quantitatem beneficii quod quis accepit: sive ab amico quis acceperit, sive ab inimico, sive à Christiano, sive à Pagano. At in amicitiæ debito magis consideratur affectus ex quo aliquis beneficium contulit, quam quantitas ejus quod fecit. 2. Ad præstandam compensationem debitam ex debito justitiæ potest aliquis obligari ex certo pacto civili; tacito, vel expresso: ita ut etiam cogatur reddere debitum. At amicitiæ debito non competit civilis obligatio, per quam inducitur necessitas, ut non spontanea compensatio fiat. Fatetur quidem, illum

illum qui mutuum accepit, obligari naturaliter ad compenſationem faciendam, etiam ultra reſtitutionem ſortis, quia, ut monet *Ariſt.* lib. 5. Ethic. cap. 5. unusquisque tenetur ex quodam debito honeſtatis ſe gratum oſtendere, *ἀνθυπηρετῆσαι δεῖ τῷ χαρισαμένῳ, καὶ πάλιν αὐτὸν ἄρξαι χαριζόμενον, oportet viciſſim ut præſto ſis illi à quo beneficio affectus es, eumque alio beneficio prævenire.* At negat Thomas illam naturalem honeſtatis & amicitiæ obligationem deduci poſſe in obligationem juſtitiæ civilem & compulſivam. Vide ſupra cap. 5. §. 17. Except. 10. & infra, cap. 8. §. 6.

XIV. *Quinta diſtinctio*; Accipitur aliquid ultra ſortem, vel ut merè gratuitum donum; vel ex aliqua obligatione; eaque vel civili quæ eſt juſtitiæ ex pacto aliquo tacito aut expreſſo, vel naturali, quæ amicitiæ eſt, excludens pactum. Unde tres exiſtunt modi accipiendi. Primo modo accipitur aliquid, ſed exigi non poteſt: reliquis duobus modis etiam exigi poteſt aliquid.

XV. *Sexta diſtinctio*; Res quæ accipitur, vel eſt aliquid cujus pretium pecunia menſurari non poteſt, ut dilectio & benevolentia, & accipi, atque etiam exigi poteſt tertio modo, nempe ex obligatione amicitiæ, at abſque pacto civili; vel pecunia eſt, aut res pecunia æſtimabilis; & conſideratur quadrupliciter; aut enim compenſatio eſt damni, & accipi atque exigi poteſt ſecundo modo, nempe ex obligatione juſtitiæ, & in pactum duci. Damnum verò intelligit *Thomas* per quod ſubtrahitur creditori aliquid quod debet habere. At negat in pactum deduci poſſe compenſationem damni, quod conſideratur in hoc, quod pecunia non lucratur, quia (inquit) non debet aliquis vendere id quod nondum habet, & poteſt impediri multipliciter ab habendo. Aut eſt donum gratuitum, & rectè accipitur primo modo; aut eſt benevolentiæ debitæ fructus neceſſarius, hoc eſt, quem ſi præſtare neglexerit aut recuſaverit mutuatarius, accuſari meritò poteſt ingratitudinis; & hac vice non ſpectatur res ea ut eſt in ſe pecunia æſtimabilis, ſed ut fructus ex amicitiæ & honeſtatis obligatione neceſſarius benevolentiæ inæſtimabilis; & ſic accipi atque etiam exigi poteſt tertio modo. Aut denique tanquam merces pro re mutuata ex pacto tacito vel expreſſo accedens ultra ſortem conſideratur; & ſic, ex doctrina Thomæ, accipi nullo modo poteſt.

Cajetan. an. 1520. XVI. Hanc partem doctrinæ Thomiſticæ ſic explicat *Thomas de Vio* Cardinalis *Cajetanus*, Comment. in 2dam. 2dæ. quæſt. 78. art. 1. Deſiderare (inquit) aliquid ultra ſortem dupliciter contingit. Primo, ex mutuo, hoc eſt, propter mutuum. Secundo, non ex mutuo, ſed ex benevolentia amicabili ejus cui mutuatur. Et ſiquidem hoc ſecundo modo ſperetur aliquid ultra ſortem, conſtat non eſſe uſuræ peccatum: quoniam nihil inde, hoc eſt, ex mutuo ſperatur. Si verò primo modo, ſubdiſtinguendum (*Luc. 6. 35.*) eſt: quia aut ſperatur ex mutuo principaliter, aut ſecundariò; ſi principaliter, uſuræ vitium (*Luc. 6. 35.*) eſt, contra Domini præceptum, *nihil inde ſperantes*: ſi ſecundariò, uſuræ peccatum non eſt, ut Author dicit in quæſtionibus de malo, quæſt. 13. art. ult. quoniam licitum eſt ex beneficio quod confert proximo de ſuo, habere oculum ſiniſtrum ad utile. Contingit autem hic ſecundarius reſpectus, quando aliquis mutuat, nihil propter mutuum exſpectans, ſed exſpectans ex gratitudine illius cui mutuat, quod nón erit ingratus: ſed ſicut gratiam illi facit mutuando, ita ille gratus vel in remutuando vel inſerviendo, vel in munuſculo, juxta conditionem ſuam erit, non ut uſuram ſolvat, ſed ut gratis ſe gratum exhibeat. Debetur enim mutuanti, ratione mutui, & res quæ mutuò eſt conceſſa, propter ipſam rem mutuatam; & gratia propter affectum mutuantis gratis: Et propterea ſperans utrumque cum ſuis effectibus non peccat. *Item*, art. 2. Non ſolum licitum eſt ipſam benevolentiam ex mutuo exigere, ſed quodcunque ex benevolentia proveniens quantumcunque pretioſum munus, ut litera in reſponſione ad tertiam expreſsè dicit. Hæc *Cajetanus.*

XVII. Quærendum hîc ex *Thomiſtis*, quomodo iſta conveniant cum verbis Domini Luc. 6. (*Nota obiter Luc. 6.*) ubi etiam inimicos proponit & ingratos diligendos & mutuatione ſublevandos, ut filii ſimus illius altiſſimi qui benignus eſt erga ingratos ac ſceleratos, & ut peccatorum ſe invicem diligentium amicitias ſuperemus? Verſib. 32, 33, 34, 35. aut etiam eum illa verſus 35. interpretatione, ad quam confugit ipſe Thomas, 2a 2dæ. quæſt. 78. art. 1. ad quartum. Vel (*inquit*) ibi loquitur non de ſpe uſurarii lucri, ſed de ſpe quæ ponitur in homine. Non enim debemus mutuum dare, vel quodcunque bonum facere, propter ſpem hominis, ſed propter ſpem Dei. Hæc ibi. Reſpondent quidam, non teneri hominem ſemper & cuilibet mutuari, ſed tantummodo indigenti, quemadmodum non tenemur omnibus & ſemper dare. Ideo ſicuti quibusdam interdum dare tenemur, ita etiam quibusdam interdum mutuare tenemur, nihil inde ſperantes, ne gratiam quidem, aut compenſationem beneficii. Quando autem illis etiam mutuamus, quibus non tenebamur, nihil adhuc lucri ex ea mutuatione ſperare licet, ſed licet ſperare benevolentiam, & fructum benevolentiæ. Ideo *Cajetanus* [*nihil inde*] exponit [*nihil ex mutuo principaliter.*] Alii tamen utuntur memorata mutuationis diſtinctione, ut oſtendant illo in loco (Luc. 6.) non prohiberi uſuram.

Sed redeo ad diſtinctiones Thomiſticas.

XVIII. *Septima diſtinctio*; Licet ſimul mutuanti unum, aliquid mutuum recipere & exigere, quia præſens ſpontanea & benevola mutuatio non eſt pecunia æſtimabilis; at non licet mutuatarium civili pacto obligare ad mutuum imposterum faciendum: quia etiam talis obligatio pecunia æſtimari poſſet.

XIX. *Octava diſtinctio*; Sicut alia injuſtè acquiſita, ita etiam pecuniam aut rem quamlibet (*De reſtitutione uſurarum.*) pecunia æſtimabilem, quam per uſuram accepit homo, tenetur reſtituere. Quod autem per uſuram extortum eſt, debet reſtitui etiam cum fructibus, quos ex eo percepit fœnerator, ſi tale aliquid fuerit cujus uſus non eſt ipſius conſumptio. Sin autem res talis ſit cujus uſus ſit ipſius conſumptio, reſtituenda quidem res eſt, ſed non lucrum ex ea re factum, quia id quod ex hujusmodi re acquiſitum eſt, non eſt fructus hujusmodi rei, ſed humanæ induſtriæ; niſi forte per retentionem talis rei alter ſit damno affectus, amittendo aliquid de bonis ſuis, tunc enim tenetur ad compenſationem damni. Alioqui illud quod acquiritur de pecunia uſuraria debetur acquirenti, propter ſuam induſtriam, ut cauſam principalem; quamvis pecunia fuerit cauſſa inſtrumentalis ſive materialis.

Sequentes tres diſtinctiones pertinent ad mutuatarium.

XX. *Nona distinctio*; Mutuatarius fœneratorem non invitat ad peccandum, sed utitur ejus peccato ad bonum. Quod facere licet, uti docet *August.* epist. 154. ad *Publicolam.*

XXI. *Decima distinctio*; Non currit eum fure neque furti fœneratoris est particeps, qui necessitate adductus, hoc est, ut suæ vel proximi indigentiæ subveniat, accipit mutuo pecuniam sub usura, à fœneratore quem videt exercentem usuras aut exercere paratum. At furti particeps est qui sub usura mutuò accipit pecuniam sine necessitate, sine idonea causa, sed tantummodo avaritiæ, aut luxuriæ, aut fastus causa.

XXII. *Undecima distinctio*; Qui necessaria de causa utitur peccato fœneratoris ad bonum, non dat illi occasionem peccandi, id est, usuras accipiendi, sed tantummodo dat occasionem mutuandi: ipse autem fœnerator pro malitia cordis sui arripit ex proximi indigentia occasionem usuras capiendi. Ideo scandalum passivum est, non autem activum.

XXIII. Illæ omnes distinctiones sunt de usura seculari, quam damnabilem esse ait Thomas. & quidem simpliciter in sua natura, citra intuitum paupertatis, aut opulentiæ mutuatarii.

XXIV. *Duodecima distinctio*; Usura alia est secularis, de qua dictum; alia spiritualis, de qua agitur in parabola talentorum, Matth. 25.

Matth. 25: 27. Ex isto Matthæi loco opponit sibi *Thomas* objectionem; & aliam etiam ex Deut. 23. ubi ab

Deut. 23: 20. alienigenis accipere usuras permittitur Israëlitis: aliam etiam à legibus civilibus usuram permittentibus petitam. Ad quas objectiones, easdem tradit solutiones, quas *Vincentius Bellovacensis* in Speculo Morali. Itaque eas ex ipso *Vincentio* adscribam.

Prolixior autem fui in describenda *Thomæ* doctrina de usura, quia eam multi sequuti sunt.

Vixit an. XXV. *Vincentius Bellovacensis*, in Speculo Mo-

1250. rali, lib. 3. part. 7. dist. 11. Usura (*inquit*) dupliciter accipitur in Scriptura. Uno modo propriè, pro superexcrescentia, quam accipit aliquis ultra sortem in pretium pecuniæ mutuatæ: alio modo accipitur nomen usuræ, metaphoricè, pro superexcrescentia quam acquirit Deus à nobis pro bonis spiritualibus nobis collatis,

Matth. volens ut in bonis acceptis ab eo semper pro-

25: 27. ficiamus, vide Luc. 19. de seipso dicit, quare

Luc. 19: non dedisti pecuniam meam nummulariis, &

23. ego veniens cum usuris exegissem eam? Id est, de spiritualibus donis tibi collatis exigam rationem, non solum de collatis beneficiis, & gratiis, verum etiam de superexcrescentia, quam acquirere debuisti. Accipiendo usuram propriè, scilicet, pro eo quod ultra sortem accipitur pro pecunia mutuata, dicendum quod pecuniam accipere secundùm se simpliciter est injustum. Quia vendere id quod non est, nempe usum rei quæ ipso usu consumitur, per quod manifestè inæqualitas constituitur, quæ justitiæ contrariatur, peccatum est. ——— Et propter hoc secundùm se est illicitum pro usu pecuniæ mutuatæ accipere pretium quod dicitur usura. Et sicut alia injustè acquisita, tenetur homo restituere pecuniam quam per usuram accepit. Et nota, quod secundùm leges humanas conceduntur, vel potius permittuntur usuræ, quia leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus justæ utilitates impedirentur, si omnia peccata districtè prohiberentur pœnis adhibitis. ——— Usuraria acquisitio pecuniarum est præcipuè contra naturam. Secundùm legem verò divinam simpliciter prohibetur. Nam licet dicatur, Deut. 23. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, &c. sed alieno: intelligendum est simpliciter, quod iis sit prohibitum usuram accipere à fratribus suis, scilicet Judæis, per quod datur intelligi quod usuram accipere à quocunque homine est simpliciter malum. Debemus enim omnem hominem habere quasi proximum & fratrem, præcipuè in statu Evangelii, ad quod omnes vocantur. Unde absolutè in Psalmo dicitur, qui pecuniam suam non dedit ad usuram. & Ezechiel. 18. qui usuram non acceperit. Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit iis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, scilicet, ne à Judæis Deum colentibus usuras acciperent, propter avaritiam cui dediti erant, ut habetur Esai. 56. quod autem promittitur quasi in præmium pro lege servata, Deut. 18. fœnerabis multis gentibus, & ipse à nullo fœnus accipies: fœnus ibi largè accipitur pro mutuo; promittitur ergo iis abundantia divitiarum, ex quo contingit quòd possint aliis mutuare. ——— Nullo quidem modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris, quia non licet inducere hominem ad peccandum: cum tamen liceat uti peccato alterius ad bonum, licet ab eo, qui paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius, sicut etiam licet ei qui incidit in latrones, manifestare bona sua, quæ latrones diripiendo peccant. Hæc *Vincentius Bellovacensis.*

Deut. 23: 19, 20. *Psal.* 15: 5. *Ezech.* 18: 8. *Esai.* 56: 11. *Deut.* 28: 12.

XXVI. *Bonaventura* Albanensis Episcopus Cardinalis, in 3. sent. dist. 37. dub. 7. Prohibetur (inquit) usura pro eo quod in usura est quædam violentia, & quædam fraudulentia. Fraudulentia in hoc quod vendit homini rem suam: tenetur enim unusquisque subvenire proximo, ex divino mandato. Dum ergo vendit & illud quod tenetur ei facere, ipsum fraudat & decipit. Rursus dum ex pactione aliquid ab eo exigit, quodammodo ad id quod non debet ipsum compellit. Unde omni tempore usura fuit prohibita. ——— Usurarius contrectat rem alienam invito domino quantum ad voluntatem absolutam, quamvis voluntate conditionali malit debitor usuram solvere quam beneficium mutui perdere. ——— Si quis dat usuras præter necessitates non est immunis à culpa: cum verò ex necessitate usuras dat, non peccat, quia licitum est unicuique redimere juris sui vexationem. Unde sicut ille qui dat vestes suas latroni antequam permittat se interfici, non dicitur currere cum latrone, sic qui solvit usuram in necessitate, non dicitur currere cum fure. Hactenus *Bonaventura.* *An. Dom.* 1260.

XXVII. *Henricus à Gandavo*, Arebidiaconus Tornacensis. Quodlibet 6. quæst. 26. ait non peccare illum qui dat mutuum, non intendendo nec exspectando aliquid accipere pro ipso mutuo, sed pro benevolentia, qua etiam aliis eisdem existentibus ex parte ejus cui mutuat idem mutuasset, etiamsi non exspectasset se aliquid accepturum, aut forte si scivisset illum nihil ei esse collaturum. At verò peccare illum qui dat mutuum intendendo & exspectando pro mutuo & ex ipso mutuo aliquid recipere, alias nullo modo mutuaturus, nec benevolentiam aliquam exhibiturus. Hactenus *Henricus.* Ubi *Zuccolius* ejus Commentator, ait hoc esse pactum interpretativum, & damnat ac si esset pactum expressum. *Floruit circa An. Dom.* 1290.

XXVIII. *Durandus à S. Portiano*, Episcopus *Meldensis*, Comment. in 3. sent. dist. 37. quæst. *An. Dom.* 1320.

quæst. 2. & quæst. 3. & quæst. 4. Hæc scribit de usura.

1. Accipere usuram pro pecunia mutuata, hoc est, accipere aliquid in mutuis ultra sortem, tanquam pretium mutui vel rei mutuatæ, est secundum se injustum & nunquam licitum, quia in usura venditur unum ut duo, & pro eis quæ unum sunt, quod totum una venditione transfertur, recipitur pretium seu compensatio quasi pro duobus distinctis. In rebus enim quarum usus est ipsarum consumptio, res & usus, quoad translationem in alterum, non possunt seorsum computari: quia unum non potest sine altero transferri. Prohibetur etiam jure Divino in V. & N. Testamento.

2. De compensatione damni idem tenet quod Thomas, supra, §. 51. dist. 6.

3. Eisdem modis distinguit inter recompensationem ex debito justitiæ, & recompensationem ex debito æquitatis naturalis amicitiæ, quibus eas discriminavit Thomas, supra §. 13. dist. 4. Hæc considerat affectum præter quantitatem rei. Dare mutuum gratis & ad utilitatem recipientis procedit ex affectu benevolentiæ, & ideo ex debito amicitiæ tenetur recipiens aliquam ei facere compensationem, quæcunque illa sit; quamvis ad pecuniariam compensationem non obligetur. Quemadmodum autem mutuatoris benevolentia fuit spontanea & gratuita, ita proportionaliter recompensatio ex debito amicitiæ debet esse spontanea & gratuita. Nec potest cadere sub aliqua civili obligatione, per quam inducitur quædam necessitas. At recompensatio quæ fit ex debito justitiæ, attenditur secundum quantitatem beneficii quod quis accepit, & ad hanc potest aliquis certo pacto obligari.

4. Tradenti mutuum sub usura nihil ultra sortem debetur ex debito justitiæ, ut patet, quia debitum justitiæ attenditur secundum quantitatem beneficij quod quis accepit, nec ad plus tenetur aliquis ex debito justitiæ, quam mutuò accepit de pecunia, vel quacunque alia re cujus usus est consumptio. Et, si ad plus obligatur, fit contra justitiam commutativam, quæ consistit in æqualitate. Neque mutuatori usurario debetur quicquam ultra sortem ex debito amicitiæ, quia non processit mutuatio ex affectu benevolentiæ aut beneficentiæ, sed ex affectu avaritiæ, quo quærebat lucrum suum cum damno alterius.

5. Quamvis mutuator usurarius non repetat usuras, vel etiam acceptas restituat; non tamen propterea quicquam ei debet recipiens restitutionem usurarum, nam neque ex debito justitiæ quicquam ei debetur, quia recipiens nihil nisi suum accipit; & propterea non potest recipientem obligare pacto civili ad aliquam ei recompensationem faciendam. Neque ex debito amicitiæ, quia restituens non confert beneficium, sed reddit debitum, & potest restitutio illa cadere sub obligatione civili, quia danti usuras convenit restitutio in foro contentioso. Et restitutio non est actus amicitiæ, sed justitiæ, procedens non ex affectu benevolentiæ, sed debito justitiæ. Et ideo ex nulla parte debetur recompensatio restituenti usuras, quamvis possit commendari ut pœnitens & justus. Imo illi cujus pecuniam injustè detinuit tenetur etiam ad interesse secundum arbitrium boni viri.

6. Accipiens mutuò sub usura absque injusta necessitate, peccat. Ille etiam qui justa necessitate motus petit mutuum cum determinatione excrescentis usuræ, puta centum pro centum & viginti, credo (*inquit*) quod peccet, quia nullus potest absque peccato aliquid ab alio petere, quem scit absque peccato non posse illud dare. Forte tamen excusantur illi qui sic petunt ex ignorantia vel inadvertentia, vel qui firmiter tenent, quod alii absque pacto superexcrescentiæ mutuum non traderent. Si autem aliquis justa necessitate motus petat mutuum absolutè; sed usurarius non vult tradere nisi sub pacto superexcrescentiæ, tunc non peccat accipiens mutuum sub usura, quia tantummodo patitur injustum damnum, nec consentit injustum facienti; non enim consentit, ut tradens mutuum plus habeat, quam tradidit, ut pretium mutui traditi, quod justè fieri non potest, sed ut ipse evitet majus damnum quod credit se non posse evitare nisi accipiendo mutuum, quod habere non potest sine pluri. Itaque in hoc suum minus damnum consentit potius quam majus damnum sustineat. Sciendum autem, quædam esse mala de se ex suo genere, sicut adulterari vel fornicari, & in talibus nullus potest consentire quocunque metu, sine peccato: alia verò esse mala ex causa propter quam fiunt; & in talibus non est peccatum, nisi consensus sit non solum in factum, sed in causam faciendi propter quam in facto est peccatum. Et sic est in proposito; quod enim tradens alicui mutuo pecuniam, bladum, vel vinum, plus recipiat ab eodem quam tradiderat, non est de se malum, imo potest bene fieri, quia recipiens mutuum potest plus reddere, sicut ante mutuum, poterat gratis dare. Sed peccatum est quando plus exigitur & accipitur tanquam pretium rei mutuatæ, tunc enim est usura. Qui igitur memorato duntaxat modo, nempe tantummodo in minus suum damnum, consentit ut mutuator plus recipiat, consentit quidem in factum, sed non in causam propter quam, ibi est peccatum; & sic non consentit in peccatum formaliter, nec peccat per consequens, sed peccato alterius utitur ad id quod credit sibi utile. Et sic in unum factum quod de se non est malum consentiunt duo, scilicet usurarius, & ille qui accipit mutuum sub usura. Sed ex causa consensus quæ in usurario est illicita, & in alio licita, usurarius peccat, & alius non peccat. Simili modo peccat latro, sed non peccat viator consentiens ut pallium ejus habeat latro, quo vitet majus damnum. Consentiunt ambo in idem factum, sed non ambo in eandem causam.

7. Accipere aliquid in mutuis ultra sortem potest esse dupliciter: uno modo tanquam pretium mutui, vel rei mutuatæ, & sic nunquam est licitum, sed est usura. Alio modo tanquam stipendium laboris seu servitii ipsius mutuantis, & sic illud posset esse in casu licitum. Verbi gratia, si aliquis auctoritate illius qui præest reipublicæ ordinaretur seu statueretur ad tradendum mutuum indigentibus, & de hoc serviret reipublicæ, in qua sunt quamplures qui mutuis indigent, & nisi invenirent qui eis mutuum traderent, notabiliter damnificarentur, & per consequens respublica in eis; si talis, inquam, tradens gratis mutuum, reciperet, pro servitio quod communitati exhibet, aliquod certum salarium annuatim taxandum auctoritate illius qui præest reipublicæ, non videretur esse illicitum: quia quilibet serviens reipublicæ de servitio licito & reipublicæ necessario meretur mercedem seu remunerationem: sed talis de quo dictum est, serviret reipublicæ de servitio licito, ex quo gratis mutuum traderet nec ultra sortem aliquid peteret; servitium etiam tale est reipublicæ necessarium, quia sine mutuis multum deperiret de bono regi-

regimine & utilitate civitatis, quia non solum singulares personæ notabiles, sed etiam ipsa communitas in quampluribus partibus, indigent mutuis pro certis & arduis ac necessariis negotiis expediendis; ergo servientes & se ac sua exponentes pro tali servitio exhibendo reipublicæ, à singularibus personis merentur mercedem ex tali labore & servitio. Et si eis taxetur merces hujusmodi auctoritate reipublicæ, non videtur illicitum: quin potius justum & debitum. Sed istum modum non legi nec audivi alicubi statutum vel ordinatum. Hactenus *Durandus*.

An. Dom. 1310. XXIX. *Nicolaus de Lyra*, in illa Domini verba; Luc. 6: 35. [*Nihil inde sperantes*] non in hominem (*inquit*) spem mercedis figentes, qui sive reddat quod commodastis, reddet tamen Deus quo jubente fecistis; sive non reddat, hæreditas vestra in æternum erit. Hæc ille. Glossæ autem interlinearis author ibidem, *nihil inde sperantes*, gloss. *ultra sortem*. glossæ interlinearis auctorem *Anselmum* Laudunensem Scholasticum vixisse refert Bellarminus, anno Domini 1077.

XXX. *Tostatus*, Episcopus Abulensis, comm. in Matth. 25. quæst. 171. & 172. asserit, usuram non esse jure naturæ omnino prohibitam; & ideo posse eam in aliquo casu sine injustitia exerceri. Refert *Salon*. Comm. in 2m. 2æ. qu. 78. vixit *Tostatus* circa annum Dom. 1440.

CAPUT VIII.

De usura sententia quorundam recentiorum Romanensium.

I. RECENTIORES Romanenses nobis dicuntur illi qui religionis reformationi restiterunt jam inde ab an. Dom. 1517. In his fuit etiam *Thomas* de Vio Cardinalis Cajetanus, cujus sententiam supra retulimus cum doctrina Thomæ Aquinatis.

Dominicus Soto, lib. 6. de justitia & jure, quæst. 1. art. 1. Sic definit usuram; Usura est pretium usus mutuatæ rei. Deinde subdit has duas conclusiones. *Prima Conclusio*; Usuraria mutuatio, hoc est, pretium usus mutuatæ rei ex pacto suscipere, peccatum est genere suo mortale, justitiæ commutativæ contrarium. In propositionis hujus exegesi ait usuram juri naturali esse contrariam. Et contendit obligationem naturalem qua mutuatarius ad antidora obligatur non posse duci in pactum civile; quia ex honestate (inquit) debes mihi beneficium, sed tamen gratis, & ideo obligare te, si illud est æstimabile pecunia, injustitia est. *Secunda Conclusio*; Usurarum lucrum obnoxium est restitutioni, etiamsi non petatur, quippe cujus dominium minime fœnerator acquirit. In hujus

Matth. 25: 27. conclusionis exegesi, transtulit (*inquit*) Christus nomen usuræ à secularibus ad spiritualia. Interstat autem hoc discriminis, quod pecunia temporalis usu consumitur, & inde fit vitiosa usura; dona vero spiritualia usu crescunt, ob idque eorum usura commendatur apud Deum.

Deut. 23: 20. ——— Ibidem *alienigenas*, Deut. 23. interpretatur quoscunque Gentiles etiam ex remotissimis provinciis advenientes, & cum Judæis commercia ineuntes. Ait autem permissionem illam factam esse ad evitanda majora mala, scilicet latrocinia, quia erant Israëlitæ avaritiæ deditissimi, quemadmodum & meretrices (inquit) permittuntur ad vitanda adulteria.

II. Hoc ipsum tenet *Cajetanus*, in 2m. 2æ. qu. 78. art. 1. Licitum esse scilicet condere leges humanas permissivas meretricum, propter vitanda adulteria, nec hujusmodi leges esse injustas. *De permissione meretricum.* Quia autem hoc nimis crassum est, ideo obiter aliquid annotandum putavi. 1. Si per legem permissivam intelligatur dispensatio legalis; homo non potest dispensare in lege Dei. Uti supra ostendimus in tractatu de Simonia, cap. 14. Deinde etiam in simplici toleratione illa magnopere præcavenda sunt, quæ recipi sine manifesta decoloratione non possunt, ut ait *Gelasius*, vide supra, part. 2. cap. 14. Non alienam neque inutilem judico huic argumento distinctionem illam maiorum, & distinctionem consensionum, quam ex *Durando* retulimus supra in hoc ipso tractatu, de usura, cap. 7. §. 27. num. 6. Una cum eis quæ de dispensatione & toleratione tradidimus, in tractatu de Simonia, cap. 14. Lupanaria certè sine manifesta decoloratione recipi non possunt. Sunt enim in se & in suo genere mala: neque eadem est scortationum ratio, ut usurarum; uti rectè monuit *Durandus*. Ideo quamvis in usuras possit aliquis consentire sine peccato, eisque modum legibus præscribere, & pro earum solutione actionem in foro civili concedere; non tamen in scortationis factum consentire, eique pretium statuere, ac pro ejus solutione actionem in foro civili concedere fas cuiquam mortalium. Magis fortasse apposite *Cajetanus* & *Soto* exemplum permissionis petivissent ex Ipsa Scriptura sacra, Deut. 24: 1. Ubi de permissione repudii. Non enim de rebus lege Divina prohibitis, idem licet homini legislatori quod Deo. Permisit Deus olim non modo repudium, sed etiam polygamiam, quis ista nunc audeat permittere Christianus? non solum permisit, sed & imperavit Deus, in republ. Israëlitica, ut fratris sine prole defuncti viduam duceret frater superstes. Nemini tamen id nunc in sua ditione fas est concedere. Adhæc tanta tamque exosa Deo est fœditas scortationis, quæstusque meretricii, ut etiam illo tempore, quo permisit repudium & polygamiam, severissimas condiderit leges contra impuritatem meretriciam, Deut. 22: 21. & cap. 23. vers. 17, 18. De permissione autem civili usurarum, vide annotationem Theodori Bezæ in Evang. Matth. 19. vers. 8. quam etiam inferius subjiciemus. cap. 9. §. 1. Hæc obiter.

III. *Joannes Medina*, codice de restitutione rerum per usuram acquisitarum, quæst. 2. contendit usuram esse de se malam, ideoque esse prohibitam: non autem ideo esse duntaxat malam quia prohibita sit. Item esse contra jus Divinum vetus ac novum. Gentes autem interpretatur, Deut. 23. Deo exosas, quarum bona Judæis acquirere concessum esse ait per quandam dispensationem, quemadmodum Ægyptios olim expoliare. *Deut. 23: 20.* Ideo ait usuram illam non veram fuisse, sed similitudinariam, quam tunc Israëlitæ cum Gentibus exercebant, exigentes incrementum ultra sortem. In parabola verò talentorum, ait intelligendam esse usuram metaphoricam, de gratia Dei non sub modio aut in sudario reponenda, sed ad accipientis & proximorum salutem spiritualem exercenda. *Matth. 25: 27.* Hactenus *Medina*.

IV. *Cornelius Jansenius* Episcopus Gandavensis. Comm. in Concord. Evang. cap. 40. explicans verba illa Domini [Luc. 6.] *Mutuum date, nihil inde sperantes*. *Luc. 6: 35.* Hac (inquit) sententia Dominus non exigit, ut dum mutuum damus, ne speremus quidem id rursum nos acce-

puros

pteros quod mutuò dedimus. Nisi enim id sperarentus, jam non mutuum dicendum esset, sed donativum. Nec rursus Dominus his verbis usurarium quæstum directè interdicere voluit, qui etiam in veteri lege fuit prohibitus; sed verus hujus sententiæ sensus petendus est ex sententia præcedente, cui opponitur. Dixit enim prius; *Si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur*, id est, mutuum dant, *ut recipiant æqualia*, vel paria & similia. Ex qua posteriore parte patet, illud, *si mutuum dederitis à quibus speratis recipere*; sic debere accipi, a quibus speratis recipere similem vicem, videlicet ut & ipsi suo tempore vobis mutuum dent, aut aliud simile beneficium præstent. Quare quod postea ex opposito dicitur, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, intelligendum de spe similis vicis & beneficii. Vult enim mutuum dandum etiam his, à quibus; præter ipsam mutui redditionem, non speremus similem vicem aut quodvis aliud beneficium consequi. Non quod sperare aliquid tale sit peccatum, nisi speretur tanquam debitum, (sic enim incurretur peccatum usuræ mentalis,) sed quod nihil mereamur apud Deum, quum his tantum mutuamus, à quibus speramus recipere; sicut nec quum quovis modo cum tali intentione aliquibus benefacimus. Nam hæc pars, *Nihil inde sperantes*, non solum referenda est ad, *Mutuum date*, sed etiam ad verbum, *benefacite*. Vult enim nos benefacere etiam his, à quibus nullum beneficium exspectamus; similiter & mutuare: ut dum non accipimus hîc mercedem ab hominibus, accipiamus mercedem multam & magnam à Deo. Hæc *Jansenius*.

Luc. 6: 34.

Dist. de spe lucri.

V. *Joannes Malderus*, Episcopus Antuerpiensis, in Commentario de justitia & religione, tract. 5. cap. 3. dub. 2. sic definit usuram; Usura (*inquit*) quæ in acceptione est, definiri potest, intenta acceptio lucri pretio æstimabilis, ultra sortem, causa mutui principaliter. —— Dico (inquit) causa mutui principaliter, quia secundaria intentio lucri non facit usuram. Principaliter autem hic idem est quod primariò & proximè seu immediatè, ne putetur esse usura, quando non esses mutuaturus nisi mediante amicitia & gratitudine mutuatarii lucrum aliquod sperares; De quo bene scribit *Cajetanus*, in art. 1. quæst. 78. Principalitas ergo ista consideranda est in causa ob quam lucrum accipitur, non autem in causa ob quam mutuum datur. Hoc ita explicat dub. 5. Non fore quidem usuram etiamsi ex amicitia proveniens lucrum magis intendas, quam ipsam amicitiam, modo non ex mutuo immediatè, sed verè ex amicitia accipere velis, & posse hoc fieri sine peccato. Possum enim (inquit) mutuare, principaliter intendendo lucrum, sed proventurum solum occasionaliter ex meo mutuo, proprie autem & principaliter ex gratitudine alterius provocata per meum mutuum. Quando autem ex mutuo spero lucrum, sine titulo concupisco rem alienam, contra Dei præceptum; at quando ex amicitia spero, titulum simul spero, liberalem videlicet mutuatarii donationem. Idem, dub. 3. Fidei esse, ait, nullam usuram, uti ab illo definita est, esse licitam. Dico (inquit) nullam, contra eos, qui moderatas usuras licere volunt: neque enim magis moderatæ usuræ licent, quam moderata furta. Et contendit, usuras prohibitas esse non solum jure canonico, sed etiam jure Divino, tam in veteri quam in nova lege, atque etiam jure naturali. Per alienigenas verò Deut. 23: intelligit quosvis Gentiles, & ait esse permissionem, non autem approbationem. De parabola Matth. 25. Sicuti, inquit, sine vitio nos ad usuram damus Deo, quando proximi miseremur; ita & Deus quando nobis sua talenta partitur. Usura enim, quam à nobis Deus exigit, Deo reddita nos facit ditiores; ut bene *Chrysostomus* homil. 41. in Genesin. *Molina* notat posse intelligi hanc metaphoram de pecunia impensa legitimæ negotiationi, ut usuræ nomine justum lucrum intelligatur. Verum Chrysostomo satis conformis est D. *Thomas* hic ad. 1. Hæc ille.

Definit. usuræ.

Deut. 23. 20.

Matth. 25: 27.

Matth. 25.

Leonardus Lessius, Jesuita, Professor Lovaniensis, lib. 2. de justitia & jure, cap. 20. dub. 5. Utrum licitum sit sperare lucrum ex mutuo? quæstionem determinat his tribus conclusionibus. 1. Nec principaliter nec minus principaliter licet sperare lucrum quod detur tanquam ex obligatione justitiæ propter mutuum. 2. Non est iniquum etiam principaliter sperare lucrum ex mutuo, mediante amicitia vel gratitudine, ita ut non speretur immediatè ex ipso mutuo tanquam pretium ejus. Et hanc conclusionem tenere ait *Petrum Navarram*, lib. 3. de rest. C. 2. Nu. 193. 3. Licitum est ex mutuo sperare amicitiam tam principaliter quam minus principaliter, & ex amicitia lucrum. Idem, Dub. 8. quæstionem proponit, utrum liceat obligationem naturalem illam quæ antidoralis dicitur, deducere in civilem. Pro parte negativa citat *Thomam*, art. 2. ad. 4. *Antoninum* p. 2. tit. 1. cap. 7. §. 8. *Gabrielem*, in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 3. Dub. 1. *Sotum*, lib. 6. quæst. 1. art. 2. *Cajetanum* in summa. V. usura exterior, cas. 8. Et hanc sententiam tenendam esse ait in praxi. Negat etiam obligationem naturalem pecunia esse compensandam. Pro affirmativa sententia citat *Hadrianum*, in 4. tract. de restitut. §. sed contra. Ubi ait *Hadrianus* licere mutuando pacisci & inducere obligationem civilem, si per illud pactum ad nihil aliud obligatur quam ad quod prius fuit obligatus naturaliter. Et *Antoninum*, ubi sup. §. 10. Et apud Antonium, *Gregorium Ariminensem*. Affirmat autem debere esse onerum paritatem, ut justa sit conventio. Hæc ille.

Vide supra ex Durando & ex Dominico Sato, & infra, cap. 9. Num V. §. 6.

VII. *Michael Salon*; Valentinus Professor, Comm. in Thomæ Aquin. secundam, secundæ, qu. 78. Citat *Gasparum Caballinum*, qui quasdam usuras concedit esse licitas, cum *Molinæo*, nempe ut mutuator particeps fiat lucri ultra sortem; licitas, inquam, etiam in foro animæ. *Abulensis* etiam asseruit usuram jure naturæ non esse omnino prohibitam, ideoque posse in aliquo casu exerceri. Comm. in cap. 25. Matth. quæst. 171. & 172. *Abulensi* & *Caballino* se opponit *Salon*, & contendit, usuram in quacunque quantitate esse illicitam, & Divina lege in utroque Testamento prohibitam: & oppositum esse hæreticum. Item usuram jure naturali prohibitam esse, ut revera intrinsecè & natura sua malam, & iniquam. Utitur illa ratione *Thomæ*, quam ait esse efficacissimam, quia scilicet usuram accipere, aut est bis eandem rem vendere, aut accipere pretium pro re quæ ex se non habet pretium, nempe pro usu rei cujus usus est ipsa consumptio. Fatetur autem locum illum Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, ex quo communiter colligunt Doctores, prohibitam esse usuram lege Evangelii, aliter accipi à *Soto* & *Jansenio*, neque inde argumentari *Thomam*, quamvis ipse *Salon* com-

Luc 6:35.

communem sequatur sententiam. Præterea ait ex sententia *Conradi* & *Medinæ* concessum Judæis, usuras accipere à Gentibus, concessione dispensativa, non autem permissum tantum permissione simplicis tolerantiæ, sed concessum, quemadmodum concessit Deus egredientibus ex Ægypto vasa Ægyptiorum auferre. Hanc sententiam dicit esse probabilem; probabiliorem tamen illam *Thomæ* & *Alensis*, qui permissionem existimant rei malæ, non autem concessionem, qualem ajunt *Conradus* & *Medina*. Permissionem, inquam, ad vitandum majus malam, propter Israëlitarum sclerocardiam; qualis permissio erat etiam repudii, Deut. 24: 1.

VIII. *Bellarminus* Cardinalis, explicans psal. 14. (Hebr. 15.) Dare pecuniam ad usuram dicit esse contractum genere suo illicitum, & hoc peccatum distinguit à fraudibus illis quæ committuntur in contractibus alioqui licitis. Et ait ex psalmi illius vers. 4. aperte colligi, errare Judæos, qui usuram licitam esse existimant.

CAPUT IX.

Scriptores quidam reformatam profitentes religionem, qui usuram ut simpliciter malam prorsus condemnant.

I.

Luc. 6: 35. I. THEODORUS *Beza*, in annot. in Luc. 6: 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Jubemur (*inquit*) mutuum dare, non quia nos postea mutuum recepturos sciamus, sed solo juvandi proximi affectu impulsi. Falluntur enim qui hunc locum ad fœnoris prohibitionem detorquent, quasi prohibeat Christus quicquam supra sortem pacisci, vel exigere. Illud tamen certum est, si juvandus est proximus, etiam nulla recipiendæ sortis habita ratione, multo magis prohiberi fœneratorias pactiones. Item, Annot. in Matth. 19: 8. *Moses pro duritia cordis vestri permisit*, &c. Lex moralis, quam vocant, simpliciter præcipit bona, & prohibet mala, quoniam conscientiam spectat: leges autem civiles, si benè sunt constitutæ, nihil quidem præcipiunt quod Deus prohibuerit, & nihil prohibent, quod Deus præceperit, sed improbitate hominum coguntur, multa duntaxat moderari, quæ penitus tollere non possunt: & hæc sunt quæ permitti legibus dicuntur. Exempli causa, fœnerari prohibet Christiana charitas. Fœnus tamen propter hominum commercia, multi magistratus vident se simpliciter prohibere non posse. Itaque (quod unum reliquum est) fœnoris modum certum constituunt. An verò propterea fœnerari bona conscientia licet? minimè profectò. Neque enim à civilibus legibus, sed ex Dei verbo petenda est conscientiæ regula. Imò ne civiles quidem leges probant, sed damnant potius, quod duntaxat tolerant, cogente hominum improbitate. Sic etiam Dominus per Mosen leges civiles condens, non præcipit divortia, (neque enim sibi est contrarius,) sed iis à quibus impetrari non poterat ut uxores retinerent, præcepit ut uxoribus darent divortii libellum, nempe ut eis adversus maritorum sævitiam consuleretur. Nec tamen propterea desinebant adulteri esse coram Deo, qui uxores repudiabant. Hæc *Beza*.

II.

Martinus Chemnitius, Loc. Theol. tom. 2. Loco de paupertate, cap. 6. ubi de usura. 1. ait usuram esse actionem per se & suo genere malam, vitiosam & damnatam: non autem esse rem per se bonam, neque ita esse mediam, ut ex usu vel abusu judicetur, & moderatio quidem probetur, excessus verò tantum damnetur, sed sicut furtum, rapina, &c. per se mala sunt, nec possunt bene fieri, ita etiam esse usuram. Et quando quæritur de moderata usura, eandem esse quæstionem, ac an adulterium moderatum sit bonum. Et sicut magistratus officium est, rapinas, adulteria, homicidia, &c. punire, ita etiam debere eum usuras coërcere. Nullum esse casum, in quo scriptura usuram tanquam rem bonam, piam, & licitam probet in conscientia coram Deo. Sicut probat locationem, venditionem, aliosque honestos contractus. Quamvis in foro civili permiserit Deus tolerari usuram erga extraneos, propter duritiem cordium Israëlitarum, ne erga domesticos fidei usuram exercerent: permissionem tamen illam intelligendam esse politicè, non theologicè; in foro civili, non in foro conscientiæ; coram magistratu, non coram Deo, quasi ideo coram Deo non sit peccatum, quia à magistratu non punitur. Talem fuisse & illam permissionem politicam de servi sui percussore ita ut inde moreretur, Exod. 21. vers. 21. Etsi enim non puniebatur civiliter, ut homicida, non tamen ideo in conscientia coram Deo fuisse illum excusatum. Talem etiam fuisse permissionem repudii, Deut. 24. Ne verò Judæi forenses illas permissiones traherent in normam conscientiæ coram Deo, ideo Deum per Mosen & postea per prophetas in Veteri Testamento crebra repetitione explicationem tradidisse, intelligendas scilicet esse illas permissiones politicè, non Theologicè. Usuram verò expresse atrocibus verbis damnavisse in genere & simpliciter, omnemque superabundantiam, quæ in mutuo ultra sortem exigitur, sine discrimine, à quocunque accipiatur, idque in utroque Testamento, Psal. 15. Ezech. 18. Luc. 6. & loco illo Lucæ, item Matth. 5. Dominum discrimen illud politicum quod Judæi δευτερῶται theologicè interpretabantur, de mutuo & usura erga fratres, & erga extraneos, docuisse non valere in foro conscientiæ, sed dandum esse omni petenti, sive amicis, sive inimicis, sive quibuscunque, & quidem ita ut ex mutuo nihil speremus. Quod verò in quibusdam testimoniis pauperum fit mentio, eadem ratione id fieri ait, sicut in prohibitione homicidii & violentiæ nominantur plerumque viduæ, pupilli, pauperes, ne illis inferatur injuria. Non tamen inde sequi, non esse peccatum si injuria inferatur conjugatis, divitibus, adultis. Item officium (inquit) mutui præcipitur præcipuè propter pauperes; ideo eorum etiam fit mentio in testimoniis scripturæ.

(Deut. 23: 20.)

II. Quàndo (inquit *Chemnit.*) Christus dicit; *Nihil inde sperantes*; taxat pactum & intentionem; quod alias non esset mutuò daturus, nisi speraret aliquid ultra sortem se recepturum. Si vel pactum vel intentio præcedit, quod aliàs non erat mutuaturus, nisi ultra sortem, gratitudinis loco, aliquid acciperet; revera est usura, quocunque nomine appelletur. Luc. 6: 35.

III. Admittit legitimam compensationem ejus quod interest. Congruenter eis quæ supra disseruimus de interesse. Item obligationem naturalem ad antidora, compensationisque antidoralis honestam acceptionem, sine prætextu usuræ. (Suprà, cap. 1. §. 18, 19. &c.)

IV. Non solum prohibetur usura in sacris literis,

teris, sed gratuitum officium mutui & eleemosynarum erga egentes & facultatibus quibus acquirere & tueri possint vitæ necessaria destitutos, severè præcipitur; additis multis promissionibus, & comminationibus.

V. Ex rationibus autem quæ extra scripturam contra usuram adferri solent, quasdam ait esse eruditas; quasdam verò aliis rationibus labefactari. Ut quod dicitur: *Usum pecuniæ esse ipsam consumptionem*. Item, *pecuniam non esse rem fructificantem*. Nam (*inquit*) experientia ostendit, usum pecuniæ non esse eo modo consumptionem, sicut in vino; sed præter restitutionem sortis, ipsum usum pecuniæ habere utilitatem, usibus hominum accommodatam. Usus enim pecuniæ non consistit propriè in distractione vel in expensa; sed in usu rerum quæ inde vel comparantur vel acquiruntur, vel quæ hac ratione conservantur, alias distrahendæ. Item, quamvis pecunia per se non fructificet; tamen mediante hominis industria, manifestum est, afferre fructum. Hæc ideo recito (inquit *Chemnit.*) ut ostendam totissimam esse rationem, ex testimoniis scripturæ judicare de usura. Postea consideratio quarundam rationum non est inutilis.

VI. Ad definitionem & substantiam mutui pertinet, ut sit officium gratuitum: & quod recipiens obligatur, ut restituat tantùm idem in genere, seu quantitate. Ergo quando mutuans paciscitur aliquid ultra sortem, hoc fit contra naturam contractus mutui; igitur non valet. Vide infra, Num. 14. & 15.

VII. Quodcunque autem nomen ei imponatur, quando jus repetendæ sortis manet penes creditorem, est verum mutuum. Et quicquid in mutuo ultra sortem exigitur, est usura. Neque excusat usurarium obtentus antichreseos, vel contractus redemptionis. Usus enim pignoris sive hypothecæ ex contractu antichreseos mera est usura. Ut autem legitima sit ἀντίχρησις, oportet eam reduci ad contractum redemptionis, id est, emptionis cum pacto retrovendendi, servatis talis contractus conditionibus, sine quibus non est licitus. Quarum una est, ut abalienetur sors ita ut emptor non habeat jus repetendi pecuniam, nec venditor obligetur ad restitutionem sortis. Quamvis obligetur emptor ad retrovendendum, ut cogatur restituere rem emptam, quando venditor pretium obtulerit: tantum scilicet quantum accepit. Nam si adjiciatur emptioni tale pactum, ut in redemptione aliquid plus solvatur quam emptor dederit, contractus est usurarius in fraudem usurarum factus.

Contractus redempt. Vide supra exceptionem 7. ex jure Canonico. Empta revendam. Cap. 5. §. 18.

VIII. Præter istas, requiruntur & aliæ conditiones in contractu redemptionis, ut fiat legitimus. Debet enim esse æqualitas pretii; & quia manifestum est, esse differentiam, quando absolutè aliquid venditur, & quando additur obligatio, onus seu servitus de retrovendendo. Arbitrio igitur bonorum virorum æstimabitur pretium: e. g. de reditibus qui possunt redimi, in comitiis Germaniæ sancitum est, ut pro viginti ematur unus: in perpetuis igitur reditibus qui simpliciter in perpetuum venduntur atque emuntur, proportio potest esse, triginta pro uno. In Gallia vero, ubi majores sunt negotiationes, statutum est, 12. pro. uno, in redimibilibus; in perpetuis verò, 25. pro uno. Debet etiam haberi ratio personæ qua res emitur, ne denegemus gratuitum mutuum iis qui propter egestatem indigent hoc officio, ut eos ad contractum redemptionis compellamus quo exhauriantur, quum mutuatione gratuita essent sublevandi: ant etiam peremptoria rei emptione, per quam amplius illis pretium traderetur; quando scilicet spes non est eos posse redimere. Sed cum illis hominibus licitus est contractus redemptionis, qui gratuito mutuo non indigent, habentes Dei benedictione res & facultates quibus acquirere & tueri possunt vitæ necessaria; & volunt alieno ære uti ad sua lucra & commoda, quos spes est posse pretium redemptionis aliunde honestè acquirere, quo rem venditam redimant. Nam talibus hominibus non debentur eleemosynæ & gratuitæ communicationes, nec scriptura probat, ut tales cum alterius damno locupletentur. Quod igitur in illorum bonis emitur juxta leges; non est usura. Ad hæc requiritur & in contractu redemptionis, ut dominium & periculum possessionis venditæ pertineat ad emptorem, donec redimatur. Hoc est enim de natura omnis veræ emptionis. Alioqui non erit empta merx, sed pignus sive hypotheca. Usus autem pignoris computandus est in solutionem sortis, alioqui erit usura. Ista autem conditio locum habet in contractu redemptionis ubi emitur possessio aliqua. Quando autem soli reditus emuntur, tunc relinquitur apud venditorem dominium & ususfructus illius fundi ex quo reditus emuntur.

IX. His observatis conditionibus licitus est contractus redemptionis. Est enim vera emptio, ideo donec venditor restituerit pretium, habet emptor in possessionibus ita emptis dominium & usumfructum, vel acquirit jus percipiendi certos reditus ex possessionibus: quo utitur donec venditor redemerit. Neque tenetur rei emptæ fructus computare in solutionem pretii redemptionis, nam in omni emptione res ipsa emitur, transitque ejus dominium ad emptorem, ita ut fructus deinceps cedant emptori, sine deminutione pretii ipsius rei si eam retrovenditurus sit. Nec violatur emptio per adjectam conditionem de retrovendendo: sicut manifestum est, non tantum in jure civili, verum etiam sicut Deus ipse constituit, Lev. 25: 24. & hîc concurrunt omnes causæ veræ emptionis, videlicet materialis; fit enim de re, quæ potest vendi & emi: efficiens; quia fit ab illis qui possunt vendere & emere: formalis; intervenit enim pretium, merx, & consensus: finalis; quia fit communicatio mutuæ compensationis, id est, communicatio ejus quo uterque indigent. Nec pugnat contra charitatem si legitimè usurpetur. Pactum enim redemptionis adjicitur in gratiam venditoris, ut si nolit abalienare possessiones, constituat reditus: vel si nolit in perpetuum abalienare, retineat jus redimendi. Emptionis vero conditio deterior est, propter obligationem illam. Et quidem si possessiones, ut fundus, hoc pacto emantur, res manifesta est. De emptione vero redituum multi disputant; sed res ipsa, si rectè consideretur, ostendit, hunc contractum, si legitimè exerceatur, non pugnare cum charitate. Nam qui tantùm reditus in fundo aliquo vendit, retinet dominium & usumfructum & inde censum potest corradere, ut, juxta pactum, pretium redemptionis possit offerre. Quando verò fundus ipse hoc pacto venditur, tunc quia & dominium & ususfructus in emptorem transfertur, pretium redemptionis aliunde conquirendum est.

X. Porro pactum redemptionis adjicitur, vel in perpetuum, ita ut quandocunque vel venditor vel hæredes ejus obtulerint pretium, coga-

cogatur emptor restituere rem venditam: vel adjicitur hæc conditione, ut, si intra certum tempus emptori pretium obtulerit, &c. quod si intra tempus constitutum non redemerit, ut postea jus redimendi non habeat. Et ita non tantum leges politiæ sanciunt, sed Deus ipse, Levit. 25. vers. 23. & seqq. ostendit magistratum civilem posse constituere, quæ sint vendenda simpliciter, seu in perpetuum, & quæ sub redemptione. Item, quando conditio redimendi debeat perpetua esse, & quando ad certum tempus. Concedunt etiam leges hanc conditionem addi, ut ante certum tempus non possit redimi. Sed hæ conditiones de certo tempore, ut plurimum sunt prætextus usurarii, nisi subsit honesta & legitima causa. Cautè igitur hîc agendum, ne conscientia sauciatur.

Contractus igitur *redemptionis* per se non est vitiosus, si legitimè exerceatur, quamvis facillimè possit surrepere fraus usuraria, sicuti dictum est.

Contractus societatis. XI. Legitimus etiam est *Contractus societatis*, quo initur societas, ut alter pecuniam conferat, & alter operas: Nam leges dicunt, quod pecuniæ deest, per operam suppletur. In hoc autem contractu dominium pecuniæ non transfertur, sicut in mutuo; sed pericula, lucra, & damna communia sunt. Variæ autem sunt species societatis; ut, quando alter confert pecuniam, mercator verò vel artifex industriam suam circa talem pecuniam ponit, ut ex tali negotiatione vel artificio ambo lucrentur: vel, quando unus ponit pecuniam simul & operam, alter operam tantùm: vel quando uterque simul confert pecuniam & operas. Quando verò unus plus confert, vel ratione pecuniæ, vel operæ, & paciscitur, ut plus accipiat de lucro, non est usura, sed æqualitas. Quia unicuique debetur lucri portio proportionata contributioni.

Locat. oper. XII. Est etiam legitima conductio & locatio operarum, quando scilicet is qui operas confert, non vult pericula & damna communia esse, sed paciscitur certam partem lucri; aut etiam absolutè certam mercedem laboris: ubi servanda est æqualitas quæ requiritur in conductione & locatione.

XIII. Istis utatur contractibus, quicunque propter legitimam causam ipse non potest negotiari, & tamen usu pecuniæ suæ non potest carere: ut senes, pupilli, viduæ, studiosi, &c. Neque est quod quisquam à contractu redemptionis propterea abstineat, quod vel nolit vel non possit sortem prorsus abalienare, nam quando volet sortem recuperare, poterit alicui vendere syngrapham redemptionis. Aut si emptorem se non inventurum metuit, poterit omisso contractu redemptionis usurpare contractum societatis.

XIV. Quod si quis dixerit, nec contractus redemptionis, nec societatis placet; sed vellem potestatem repetendæ sortis retinere, & de lucro & sorte sine periculo ullius damni certus esse, sicut fit in usura: illi quia non vult secundum charitatem ambulare, quam Deus in communicatione rerum requirit, à qua alienum est ut unus tantùm commodum sentiat, reliqui labores & pericula sustineant; non possumus aliud consilium dare ex verbo Dei, quam, 1 Thess. 4: 6. *Vindex de his omnibus Dominus est.*

XV. Scriptura ideo generaliter prohibet usuram, quia in communicatione societatis politicæ non vult omnia esse venalia; sed vult quædam officia esse gratuita: quæ certè deformantur & depravantur, quando vel tanquam venalia venduntur, vel tanquam mercenaria locantur. Neque postulat justitia commutativa ut vendantur illa officia quæ Deus vult esse gratuita. Et, si scriptura concederet, in mutuo erga divites usuram exercere, citò & facilè gratuitum officium mutui aboleretur. Ne igitur liberalitas deficiat, frequenter scriptura simpliciter & in genere damnat usuram.

XVI. Contractus mutui includit obligationem ad redditionem sortis, & Psal. 36. (Hebr. Psal. 37.) vers. 21. dicitur, æquum esse, ut in mutuo sors reddatur. Christus etiam, Luc. 6. inter mutuum & eleemosynam differentiam facit; quæ nulla alia est quam restitutio sortis. Imo scriptura non improbat si certitudinis gratia pignora accipiantur, Deut. 24: 10. Prov. 20: 16. & cap. 27: vers. 13. sed si debitor ad paupertatem redactus fuerit, tunc lege charitatis mutuum transit in eleemosynam. Exod. 22. Deut. 24. Ezech. 18. Job. 22. Esai. 58. *De restit. sort. & de pign.*

XVII. Christus ait, Luc. 6. vers. 35. Non tantum illis mutuo dandum esse, qui creditores possunt vel pignore vel alia ratione certos reddere de restitutione sortis; sed si pauper petat mutuum, ubi periculum etiam de sorte sit, *Mutuum* (inquit) *date, nihil inde sperantes.* Et tamen talis mutuatio non est donatio, quia involvitur illa conditio, ut si sortem meliorem adeptus, commodè restituere possit, sortem solvat: sin minus, non urgebis eum quasi exactor, inquit lex, Exod. 22. *Luc. 6. 35.* *Exod. 22. 25.*

XVIII. De eo qui accepit mutuo sub usura, adfert ex *Gersone* eandem distinctionem quam nos supra ex *Thoma* & *Durando*. *Supra, cap. 7.*

XIX. Nemo est qui non mallet gratuito mutuo sublevari. Præterea quamvis aliquis simpliciter vellet aliquid illicitum ipsi fieri, non tamen ideo excusatur qui id fecerit. Nam ex voluntate per peccatum depravata, quando dissentit à manifesto verbo Dei, non est judicandum de lege charitatis. *Regula.*

XX. Quamvis autem nonnulli fortasse ex pecunia in usuram accepta ditescant; non est tamen dicendum beneficium vel opus charitatis, quod fit contra mandata Dei. *Gerson* rectè dicit; propter utilitates quæ per accidens possunt evenire, non sunt dicenda bona quæ per se & suo genere mala sunt, ut mendacium, fornicatio, &c. & Luc. 4: 6. *Hæc omnia tibi dabo.* *Regula.*

Hæc summa est doctrinæ *Chemnitii* de usura.

III.

Joannes Juellus Anglus, Episcopus Sarisburiensis. *Joannes Juellus* Anglus, Episcopus Sarisburiensis, brevem quandam collationem inter *Juellum* & alium virum doctum, de usura habitam, & in ipsius *Juelli* musæo post obitum repertam evulgavit *Laurentius Humfredus*, SS. Theolog. Doctor & Professor Oxoniensis. In illa disputatione *Juellus* eandem tuetur sententiam de usura quam *Chemnitius* & alii usurarum acerrimi oppugnatores.

I. Omnem scilicet usuram esse illicitam, & in suo genere malam, neque ulla moderatione fieri posse bonam, neque licere homini Christiano magis piè fœnerari quam piè furari; quia qui dixit, *Non furaberis*; idem dixit, *Non fœneraberis.* Virum bonum non dare pecuniam ad usuram, ut monet David in Psalmo, idque non tantum pauperi, sed prorsus nulli; & à Christo in universum dici, *Date mutuum, nihil inde sperantes.* Non rectè concludi ex negativa affirmativam, ac si liceret exigere usuras à divite, quia *Psal. 15.* *Luc. 6 35.*

quia non licet à paupere. Neque enim ideo fas esse affligere divitem in judicio, quia nefas est affligere in judicio pauperem.

II. Usuram omnibus legibus, divinis, humanis, Civilibus, Canonicis, Novis, Veteribus, Christianis, Ethnicis, disertè prohiberi: nulla autem lege aut hominum constitutione approbari.

III. Esse quidem usuram aliam alia acerbiorem, aliam mitiorem: minus enim lædi divitem mercatorem qui ex fœnebri pecunia lucrum facit, quam pauperem qui exeditur usuris, & ne sortem quidem potest reddere: in omni tamen etiam moderatissima usura inesse morsum.

IV. Eam vero, quæ damnatur, usuram esse, quando das proximo pecuniam mutuò ut quicquid acciderit, sive lucratus fuerit, sive jacturam fecerit, quocunque jure, quacunque injuria, sortem repetas cum usura.

V. Licitam autem societatem tum demum futuram, si idem sit utriusque partis periculum. Non enim satis esse ad justam societatem, quod alter materiam lucri, nempe pecuniam, præbeat, ab altero autem opera conferatur; nisi id ab utroque fiat eodem modo.

VI. Et cùm in societate commune debeat esse periculum, non videri esse licitam stipulationem, in qua non fiat mentio damni communis, æquè ac lucri. Imo quamvis paratus sit creditor damnum etiam ferre sortis, potius quam ut cum fratre acerbius agat quam Christiana charitas ferat; quum scilicet illi constiterit alterum sine sua culpa jacturam fecisse; non tamen licitam esse stipulationem in qua communis etiam damni mentio non fiat: Christiani enim hominis esse ita contrahere, sicut vivere tenetur; pacta enim & conventa quasi vincula quædam esse humanæ vitæ.

Hanc suam de usura opinionem *Juellus* alibi latiùs & plenius illustravit, cum librum Doctoris *Wilsoni*, ab eo de usura editum sua præfatione approbavit: inquit *Humfredus* in Prolegomenis in opera *Juelli*, ubi memorata legitur collatio.

IV.

I. *Henricus Smithus*, Anglus, in suis de usura homiliis, definit usuram, quod sit, lucrum ex stipulatione acceptum propter usum rei mutuatæ.

II. In omni usura ait inesse morsum, omnemque usuram esse illicitam: ut charitati, juri gentium, legi naturæ, ac legi Dei repugnantem. Usuram omnem esse furtum, & fœneratorem injustè percipere fructum alieni sudoris, sine suo labore. Contra sententiam illam divinam, qua dictum est, ut homo in sudore vultus sui panem comederet, Genes. 3. & contra illud Pauli dictum, qui non vult laborare, is neque comedat, 2 Thess. 3: 10.

III. Fœneratores omnes usuram accipientes excludi ait à sancto Dei monte, nisi tempestivè resipiscant, & restitutionem faciant, [si nempe habeant quod restituant.]

Deut. 23: 20. IV. Peregrinos, quibus ad usuram mutuare poterant Israëlitæ, interpretatur hostes illos Israëlitarum, quos jure occidere poterant. Unde colligit à nemine usuram posse licitè accipi nisi ab illo quem licitè possis occidere, & usuram esse supplicii speciem, qualis est interfectio.

Antidor. V. Negat in pactum civile deduci posse obligationem naturalem ad antidora. Quia pacto civili manifestatur mutuatoris avaritia.

VI. Ad illam objectionem, qua dicitur, usuram esse Reipublicæ necessariam saltem propter orphanos, viduas, peregrinos, &c. respondet, Deum ipsum exemplo Reipublicæ Israeliticæ ostendisse, non esse necessariam Reipublicæ usuram. [Ex hoc tamen exemplo id solum colligi potest, non esse ulli Reipublicæ necessariam usuram inter concives; nisi idonea ostendatur ratio diversitatis inter Rempubl. aliquam cui judicetur necessaria usura, & Rempubl. Israeliticam.]

VII. Accipere mutuum sub usura, necessitate urgente, dicit non esse peccatum; at non licere sub usura mutuum accipere sine justa necessitate, tantummodo ut magis ditescas, vel luxuriosius vivas, &c. Verba autem illa Jeremiæ Prophetæ, quibus ait se neque mutuum cuiquam ad usuram dedisse, neque à quoquam sub usura mutuum accepisse. [Jerem. 15: 10.] monet sic esse intelligenda, quod scilicet Jeremias non se immiscuerit negotiis & negotiationibus hominum secularibus, ideoque nullam fuisse caussam cur illi quisquam invideret. Et hanc esse ait mentem optimorum interpretum. [Rectè quidem. Sed illatio facienda erat juxta verba Jeremiæ, nempe nullam fuisse justam caussam, cur ei sic omnes maledicerent, & cum eo contenderent ac rixarentur.]

V.

Georgius Downamus, Anglus, SS. Theolog. Doctor librum scripsit in Psalmum 15. ubi prolixè disserit de usura. Præcipua inde capita excerpemus.

I. Usuræ definitio est; *Usura est mutuatio propter lucrum.* Mutuationis vocabulo intelligit non solum primam mutuationem, sed etiam relictionem voluntariam rei mutuatæ (sive ea pecunia sit, sive alia quævis res quæ ad consumendum mutuò datur,) in manu debitoris, ultra dictum solutioni diem: lucrum vocat pecuniam sive rem quamlibet pecunia æstimabilem. *Propter lucrum*, sic interpretatur, ut sive ex mutuo speres, sive insuper stipuleris, sive etiam absque prævia stipulatione exigas incrementum supra sortem propter mutuationem, sis usurarius. De stipulatione probat ex sacris literis, Exod. 22. Levit. 25. Deut. 23. Psalm. 15. de acceptione, Ezech. 18. de spe Luc. 6. spes sola facit usurarium, nempe si primariò propter spem lucri aliquis mutuet, ita ut aliter non esset mutuaturus. Non autem si ex charitate mutuans, habet secundariam aliquam spem & intentionem lucri: conjunctam cum sincera intentione participandi etiam in damno, si evenerit ut debitor absque sua culpa damno afficiatur. Nam etiamsi quoad externum actum sit hic contractus mutui; si tamen internam consideremus intentionem, societas est. Tunc autem licita est societas, quando non minus damna quàm lucra sunt communia. *Definit. usuræ.* *Spes lucri. Cum Chemn. contra Malderum & Cajetanum.*

II. Lege Dei jubemur gratuitò mutuare egentibus, id est, non solùm pauperculis & abjectis hominibus, sed etiam eis qui honestiore loco constituti egent necessariis, neque ad ea comparanda habent de suo: ut patet ex Nehem. 5: 3. &c. Nam si quis de suo habeat unde necessitati subveniat, non indiget mutuo. Neque talibus tenemur mutuare. Si tamen demus eis mutuò, dandum est sine usura. Nam etsi licet dare diviti mutuum gratuitum, nemini tamen, sive diviti, sive pauperi, sive concivi, sive extraneo, licet nobis mutuare ad usuram.

Lex prohibens usuram moralis est, inquit Downamus.
Ezech. 18.

III. Lex divina prohibens usuram moralis est. Nam quum lege morali imperetur mutuum gratuitum, necesse est prohibitionem usuræ quæ opponitur mutuo gratuito, esse moralem. Ideo usura gravissimis accensetur transgressionibus legis moralis, Ezech. 18. & 22. Adhuc certum est, lege morali prohiberi usuram mordentem, ut omnes consentiunt, at usura quæ lege Dei prohibetur, est usura mordens, omnibus etiam consentientibus: unde sequitur legem usuræ prohibitivam esse moralem. Omnis autem usura mordet, & Hebraicè *neshech* commune nomen est omnis usuræ, sine distinctione unius usuræ ab alia. Atque hinc etiam aliud deducitur consectarium, permissionem scilicet usuræ erga extraneos non esse moralem, sed judicialem. Nam eadem usura prohibetur erga fratres, quæ permittitur erga extraneos; quum igitur lex prohibitiva sit moralis, necesse est permissionem esse non moralem, sed tantummodo judicialem, qua permittitur Israëlitis accipere usuram ab eis quos occidere fas erat; nempe à reliquiis Cananæorum, & Amalekitarum, &c. quibus postea eradicatis, simpliciter prohibita est usura, sine ulla limitatione, Psalm. 15. Proverb. 28: 8. Ezech. 18. & 22. Nam apud Mosen, Deuter. 23. in Hebræo non est *lenochri*, *Extraneo*, sed *lannochri*, *Extraneo isti*. Sicut etiam verterunt *Tremellius* & *Junius*. Si tamen per extraneum (inquit *Downamus*) intelligatur quilibet alienigena, permissio civilis erit minoris mali ad evitandum majus malum; duabus præsertim de causis. 1. Propter duritiam cordium Israëlitarum, quorum ea erat avaritia, ut, nisi ab extraneis permissum esset accipere usuras, accepturi fuerint à fratribus Israëlitis. Qualis erat permissio repudii. 2. Propter injustitiam gentium, exigentium usuras ab Israëlitis; ne igitur hac inæqualitate commercii gentiles commercium cum Israëlitis exercentes, exhaurirent facultates Israëlitarum, permissum est Israëlitis etiam à gentilibus vicissim accipere usuras. Commodior tamen & aptior videtur *Downamo* prior interpretatio.

Deut. 23: 20.

IV. Gravius peccatum est (inquit *Downamus*) non mutuare indigenti, quam ad usuram mutuare. Idcirco in egentium utilitatem, & ad custodiendos fœneratores à majore malo, magistratus multi politici permiserunt usuram, certis limitatam restrictionibus. Quo jure autem & qua æquitate permittant leges civiles rem lege divina prohibitam, patere ait ex illa annotatione Bezæ in Matth. 19: 8. quam approbat & sequitur. Eam nos supra retulimus in principio hujus capitis.

V. Si mutuator paciscatur in eventum lucri, ut scilicet ipse à mutuatario ultra sortem, partem etiam accipiat lucri quod ex illa pecunia mutuata acquisitum fuerit; quamvis explicitè se non obliget ad participandum damnum; si tamen sincera intentione decrevit apud se non minus damni partem sustinere, quam particeps esse lucri; non putat *Downamus* talem contractum prorsus esse damnandum tanquam usurarium; cum sit revera societas, si internam respicias sinceramque mutuatoris intentionem: qua decrevit damna non minus quam lucra fore communia. Sæpenumero autem convenientius esse ait, ut mutuatarius ab humanitate mutuatoris, quam mutuator à fidelitate mutuatarii dependeat.

VI. Naturalem obligationem antidoralem negat redigi posse in pactum civile. Sæpe enim licitè accipi posse quæ voluntariè offeruntur, de quibus dandis prævium pactum prorsus esset illicitum. E. g. quamvis licitum sit privato, ut offerat judici aut magistratui munus aliquod in signum gratitudinis, post administratam à Judice justitiam, defensionemque privati hominis ab injuria; & liceat etiam Judici aut magistratui tale munus accipere; & quamvis liceat ministris Ecclesiasticis, gratuita patronorum præsentatione promotis, testari gratitudinem erga patronos munusculo aliquo; & liceat patrono tale munusculum accipere; si modo judices & patroni intenderint justitiam, & Ecclesiæ utilitatem, & non respexerint munera; non tamen fas est vel judici, vel patrono, in antecessum stipulari remunerationem. [At certè responsio hæc non videtur convenire consueto acumini D. *Downami*. Multa, inquit, licitè accipiuntur oblata voluntariè, de quibus non esset licitum prævium pactum. Quis nescit? At quæstio est de iis solum obligationibus voluntariis ad quas aliquis ipso naturæ jure obligatur; non autem de quacunque oblatione voluntaria. Neque idonea videntur exempla: nam quæri haud immeritò potest, utrum naturaliter obligentur privatus ille & Ecclesiasticus ad tales remunerationes privatas faciendas. Deinde fatetur *Downamus* mutuatorem posse per modum societatis pacisci in eventum lucri & damni; id non possunt Judices & patroni. Adhæc, fatetur *Downamo*, licet mutuatori spem lucri habere secundariam. Non ita Judici aut patrono.] *Vide supra cap.* 2. §. 6.

VII. Rationes illas ut bonas & firmas approbat. 1. Res mutuata usu consumitur. 2. Dominium ejus transfertur. 3. Periculum pertinet ad solum mutuatarium. Ex his colligit, non posse justè exigi usuram. Objicit sibi; pecunia manet inconsumpta. Respondet; manet quoad substantiam, at consumitur expendenti. Obj. Manet tamen apud eum res per pecuniam comparata. Resp. res illa non est mutuatoris, sed ad mutuatarium pertinet rei illius tum dominium, tum etiam periculum: & lucrum ex re mutuata quod acquirit mutuatarius non est pecuniæ, sed industriæ fructus. *Contra Chem.*

VIII. Ad objectiones à paupertate mutuatarii, & à mordente usura desumptas, respondet cum *Chemnitio*, & *Juello*.

IX. Object. Quid si aliquis me opulentior petat à me mutuam pecuniam, qua emat agrum, unde fructum est percepturus? Respondet *Downamus*; In tali casu non teneris mutuare. Aut si mutues, poteris hac conditione pecuniam tuam mutuare, ut quantum agri tua pecunia comparabitur, id totum tibi obligetur, & addicatur: sitque tua merx, ejusque reditus reddantur tibi, donec alter tibi summam tuam restituat. Omne interim agri periculum, sive quoad titulum, sive quoad incidentem aliquam calamitatem, ad te pertinebit.

X. Verba Domini apud Lucam, cap. 6: 35. [*nihil inde sperantes*,] sic aptissimè accipi ait, si intelligatur illic præceptum, ut mutuò demus non solum eis qui nos certos possunt reddere de sorte, hoc enim faciebant etiam peccatores, sed etiam pauperibus à quibus ne ipsam quidem sortem recuperandi spes sit. Quemadmodum eodem capite monet Dominus, ut non solum amicis, sicut peccatores, sed etiam inimicis benefaciamus. Alias quidem interpretationes refert *Downamus*, sed hanc præfert. *Luc.* 6: 35.

XI. Ad objectionem petitam à regula illa justitiæ, [*quæcunque vultis ut faciant vobis homines & vos facite eis similiter.* Matth. 7. Luc. 6.] respon- *Matth.* 7: 12. *Luc.* 6: 31.

respondet, neminem libera voluntate simpliciter velle ut exigantur ab illo usuræ: Præterea regulam intelligendam esse de eis duntaxat rebus quas fieri nobis volumus secundum æquitatem & cum bona conscientia.

XII. Usum pignoris pecunia æstimabilem computari vult in solutionem sortis. Alioqui ait esse illicitam usuram.

Contractus redemptionis.

XIII. De contractu redemptionis consentit *Chemnitio*, & morem Germanicum approbat, emendi unum pro viginti cum pacto retrovendendi. Videtur tamen strictior *Chemnitio*, in describenda æqualitate pretii quæ in ejusmodi contractu requiritur ad hoc ut non sit usurarius. Vult enim rem emi eo pretio quo communiter res talis æstimatur, vendique ac emi solet: ita ut venditor libertatem redimendi sibi concedi postulet, non propter inæqualitatem redituum & pretii, sed quia non vult fundos suos tali oneri obligatos manere. Ideo pactum retrovendendi *Downamus* nullo fere loco habet in mercis æstimatione. Quo tamen fatetur fieri deteriorem emptoris, & meliorem venditoris conditionem. Nam usuram esse ait per modum ἀντιχρήσεως, neque mercem, sed pignus potius existimari debere, quando propter inæqualitatem pretii ad reditus, paciscitur venditor ut potestatem habeat redimendi; quia neque redituum perpetuam alienationem venditor, neque pecuniæ alienationem perpetuam intendit emptor, sed tantummodo per modum antichreseos certus isque amplus reditus per modum hypothecæ assignatur emptori, certitudinis ergo, & pro usura pecuniæ imputatur. Aliter tamen *Chemnitius*, uti supra vidimus, nam æquitati consentaneum judicat *Chemnitius*, ut aliquid de plena rei æstimatione detrahatur propter obligationem ad retrovendendum. Ita ut æquale existimet esse pretium in contractu redemptionis, quod in emptione peremptoria non esset æquale, eo quod ex ipsa obligatione ad retrovendendum existat discrimen, cum ista obligatio sit pecunia æstimabilis.

Matth. 25:27.

XIV. Approbat *Downamus* fœnus nauticum, item usuram liberalem, & usuram compensatoriam damni, uti de eis supra disseruimus. Admittit etiam exceptionem incertitudinis, de qua diximus suprà, cap. 2. §. 20. & cap. 5. §. 18.

XV. Ad objectionem sumptam ex parabola talentorum, adfert quadruplicem responsionem. 1. Vocabulum usuræ hîc sumitur metaphoricè, & significat legitimum ac licitum incrementum, quomodo orator dixit agros fertiles quod acceperunt reddere cum fœnore. Et Deus dicitur quasi cum usura restituere alicui quod dederit pauperibus. Qui etiam sortem suam recipit à mutuatario cum adjecto gratuito dono, dicitur recipere suum cum usura. Et qui inito societatis contractu cum negotiatore vel trapezita aliquo tradit ei summam pecuniæ, si eveniat ut inde lucretur negotiator aut trapezita, restituatque, uti convenit, partem lucri ultra sortem, dicetur ille recipere suum cum fœnore sive usura. Hoc igitur sensu Deus postulat ut honesto cum incremento rationem ei reddamus acceptorum talentorum sive donorum, quod incrementum usura hîc appellatur. Est autem hæc usura spiritualis. 2. Fac voluisse herum istum pecuniam suam dari ad usuram, non tamen inde sequitur Christo probari usuram, loquitur enim de se herus ex ea opinione, quam de eo conceperat servus ille nequam & piger, ac si dixisset, si me sciebas durum esse & austerum herum, & tollere ubi non deposui, & metere, ubi non seminavi, debebas igitur vel honesta aliqua uti negotiatione, qualem tibi imperavi, (Luc. 19:13.) vel saltem, quod inertes & negotiationis pericula metuentes servi solent, pecuniam meam dare ad usuram, ut rediens meam pecuniam recipere possem cum usura. Ex hac autem oratione heri hujus Christum repræsentantis, non magis evincitur probari Christo usuram, quam quod Christus se agnoscat durum esse & austerum dominum, qui tollat ubi non deposuit, &c. 3. Adhæc etiamsi ipse Christus se assimilasset duro & austero hero, imperanti servis suis dationem pecuniæ suæ ad usuram: non tamen inde inveniretur ullum patrocinium vel duris atque austeris heris, vel servis usurariis: sicut neque fures nocturni excusantur ex eo quod Dominus adventum suum comparet inopinato adventui furis nocturni, (Matth. 24: 43. Apocal. 16:15.) Neque licet dicere bonam esse prudentiam furis, etiamsi malum sit furtum; & bonam fuisse prudentiam injusti illius œconomi, (Luc. 16.) quamvis mala fuerit defraudatio: nam testatur Apostolus *Jacobus* cap. 3. vers. 15. omnem istiusmodi sapientiam esse terrenam, carnalem, diabolicam. Neque laudat Dominus injusti illius œconomi prudentiam, tanquam in se bonam, sed eam proponit discipulis imitandam in rebus spiritualibus, ut ex injusto mammona faciant sibi amicos qui eos recipiant in æterna tabernacula: & se non minus prudentes ostendant filios lucis, quam filii hujus seculi prudentes sunt in sua generatione. Unde manifestè evincitur, dissimilem illis, quamvis aliquo modo etiam similem, commendari prudentiam. Has tres responsiones attulisse se ait *Downamus*, ut doceret non posse quicquam pro usuræ defensione inveniri ex hac parabola, etiamsi aliorsum trahatur præter scopum. Deinde subdit quartam responsionem, in qua monstrat scopum parabolæ. 4. Resp. Non est premenda similitudo aut trahenda parabola ad aliud quippiam probandum præter illud propter quod est proposita; alioqui ex similitudinibus & parabolis inferri possent multa absurda. Rectè igitur Scholastici, *Theologia* (inquiunt) *symbolica non est argumentativa.* Basilius etiam de hac parabola loquens (ascet. quæst. 254.) tradit hanc regulam, *αἱ παραβολαὶ ὐκ ἐπὶ εἴδυς τὰ θεωρήματα πληρῦσι, πρὸς δὲ τὴν ὑπόθεσιν τὸν νοῦν ὁδηγῦσι*, id est, parabolæ non in specie dogmata complent, sed ad hypothesin sive argumentum quod præ manibus est, mentem ducunt. ac si diceret, non esse extendendam parabolam ad genus vel speciem in dogmatibus, sed adhærendum esse præsenti hypotheli. Scopus igitur hujus parabolæ est, ut meminerint omnes venturum Dominum & rationes subducturum cum singulis, de usu talentorum sive donorum iis concessorum; & rectè utentes manere præmia, inertibus verò & infidelibus servis destinata esse supplicia. Item, dona Dei rectè utentibus multiplicari, pigris autem, justo Dei judicio, adimi etiam illud quod habebant, id est, quod videbantur ita habere ac si in perpetuum essent ea possessuri; sed quia habentes non habebant, id est, non rectè eis utebantur, ideo illis auferetur etiam illud quod habebant: habenti enim dabitur, at non habenti auferetur etiam illud quod habet. Matth. 13. vers. 12. & cap. 25. vers. 29. sive illud quod videtur habere. Luc. 8. vers. 18.

Regula de parabolis. (margin, beside "4. Resp. Non est premenda similitudo")

D. Wilsoni sententia de usura.

XVI. Citat *Downamus* ex libro D. *Wilsoni* de usura, dictum quoddam *Wilsoni*, ex quo solo manifestum est quid senserit *Wilsonus* de usura,

ait enim, nullum esse medium sive mediocritatem aut moderamen in hoc vitio, magis quam in homicidio, furto, aut adulterio. Et sicuti unius nummi furtiva surreptio furtum est, ita etiam usuram quantulamcunque, quamvis unius sit nummi, furtum esse. Hoc *Wilsoni* dictum approbat *Downamus*. Et addit, eandem sensisse sententiam in gentilibus Philosophos; & in Christianis, Patres, Concilia, & Scholasticos quamvis in aliis corruptos, item piorum & doctorum nostri seculi Theologorum præsertim verò Anglorum, partem majorem.

XVII. Denique paucos tantum esse dicit qui videntur usuræ patrocinari; eosque ipsos, si penitius introspiciantur eorum scripta, non tam re quam verbis ab oppugnatoribus usurarum dissentire. Probari enim illis non eam usuram quæ vulgo exercetur, sed alios honestos & licitos contractus, quibus imponunt nomen usuræ. Adeo ut præcipuus eorum error sit in ista nomenclatura. Cum satius esset usuram simpliciter rejicere & aversari. Honestis autem illis contractibus honestas etiam indere appellationes, exploso usuræ tum crimine, tum nomine.

Cap. 11. Nos de consensionibus & dissensionibus post hæc Domino donante dicemus. Hæc interim ex *Downamo*.

VI.

Robertus Hovæus, Scotus, S. Theol. Doctor, & ejusdem in Academia Sanctandreana publicus Professor, in Dissertatione de hoc argumento, habita in conventu presbyterii Sanctandreani,

I. Approbat fœnus nauticum, & fœnus liberale; item compensationem ejus quod interest: nec non societatem in qua communia sint damna & lucra: mutuationem etiam cum spe recipiendi sortem cum incremento, ita tamen ut si damnum sine culpa debitoris evenerit, paratus sit creditor non solum carere lucro, sed etiam ipsius sortis jacturam pati, ut commune sit detrimentum, sicuti commune sperabatur lucrum: talem enim mutuationem ad societatem reduci.

II. At pro sola mutuatione pacisci aut exigere lucrum, sine creditoris sumptu, sine periculo, sine labore, aut industria; hoc verò ait esse rectæ rationi & verbo Dei simpliciter repugnans: hanc esse illam usuram quam Deus toties prohibet: quia est contra regulas illas, *In sudore vultus tui comedes panem tuum*, Gen: 3. Et, *qui non vult laborare, is non manducet*, 2. Thess. 3. Quia tollit officia eleemosynæ & gratuitæ mutuationis pro sublevatione pauperum divinitus instituta: quia desidiæ, infidelitatis, & avaritiæ abominanda est soboles. quia cum timore Dei consistere nequit, Levit. 25: 36. quia denique justitiæ adversatur, & charitati.

Genes. 3: 19. 2. Thess. 3. 10.

III. Legem illam, qua prohibita est usura, apud Mosen, ait esse moralem & universalem, cum opposita officia omnibus semper incumbant. Ita ut non liceat cuiquam à quacunque persona ullam quantamcunque, magnam aut parvam, in ulla materia, sive in pecunia, sive in frumento, &c, usuram pacisci, aut exigere, aut accipere pro sola mutuatione. Licet esse possit in una usura minus malum; in alia majus malum.

IV. Extraneos illos, Deut. 23. interpretatur Cananæos, internecioni devotos. Alios enim peregrinos eodem jure quo Israëlitas censeri, quoad officium gratuitæ mutuationis. Levit. 25. 35.

Atque hæc ex variis scriptoribus contra usuram attulisse sufficiat.

Caput X.

Scriptores quidam reformatam religionem profitentes, qui usuram aliquam licitam esse existimant.

I.

Joannes Calvinus in sua harmoniaca expositione Legis Mosaïcæ, in octavum præceptum: & in Ezech. cap. 18. & Epist. 383. quæ incipit, *Nondum ipse quidem*. suam promit de usura sententiam.

I. Legem illam, qua usura apud Mosen prohibetur, politicam esse, partemque fuisse politiæ Judaicæ asserit *Calvinus*, idque inde liquere, quia permittitur gentibus fœnerari: quod discrimen (inquit ille) lex spiritualis non admittit. Cæterum ita abrogatum est jus forense, quod veteri populo Deus præscripsit, ut tamen maneat quod dictat charitas, non esse gravandos fratres qui nostra ope indigent. Porro quia diruta est maceria qua olim discernebantur Judæi à gentibus, ratio nostra hodie diversa est: ideoque tam in fœnore, quam in aliis expilationibus, parcendum est omnibus, sine exceptione, & erga extraneos quoque servanda æquitas. Primum quidem gradum obtinent domestici fidei (sicuti Paulus jubet peculiariter illis benefacere, Gal. 6: 10.) postulat tamen communis generis humani societas, ne ditescere appetamus ex alienorum dispendio. Quod autem ad jus forense spectat, nihil mirum si populo permiserit Deus fœnus ab extraneis exigere: quia alioqui servata non fuisset mutuæ æquabilitas, sine qua alteram partem gravari necesse est. Non enim exteras gentes obstrinxit Deus lege non fœnerandi. Ergo ut vigeat ratio analogica & jus reciprocum, idem libertatis populo suo concedit, quod gentes sibi sumpturæ erant; exigendo fœnus à Judæis. Utrum verò senserit *Calvinus* licuisse Israëlitis dare pecuniam ad usuram opulentis fratribus, non ita certum videtur. Nam etsi respondens ad objectionem à lege petitam, dicat, non nisi de pauperibus haberi sermonem in illa lege; ideoque si cum divitibus negotium sit, liberum jus fœnerandi permitti: Legislatorem enim rem unam notando, alteram de qua subticet, videri non damnare, Harm. in octavum præc. alibi tamen, nempe Comm. in Ezech. 18. ait, Deum permisisse olim populo suo fœnerari extraneis; tantum vetuisse fœnus exercere inter ipsos. *Item*; permisisse Deum suis exigere fœnus, sed non inter se; tantùm hoc valuisse quoad extraneos. Idque fuisse æquissimum propter analogiam reciproci juris.

Deut. 23. 20.

II. Consideranda res est, neque in verbis hærendum; nemo enim verborum fucis liberatur à culpa; ideo propheta dicit, (Ezech. 18.) etiamsi tollatur nomen fœnoris, nec veniat in rationem, sufficere tamen ad homines damnandos, si acceperint incrementum, hoc est, lucrum fecerint ex alieno damno. Ezech. 18: 8, 13.

III. Lex Dei complectitur summam & perfectam justitiam; ideo tenendum est, fœnus, nisi cum lege Dei pugnet, non esse prorsus damnabile: alioqui ignominia, ut apparet, irrogatur legi Dei, nisi præscribat nobis veram & integram justè vivendi regulam. Atqui in lege ea est

est perfectio, ad quam nihil possit accedere. Si ergo volumus statuere an fœnus sit illicitum, necesse est venire ad normam legis quæ fallere non potest. Neque aliunde quam ex communis æquitatis regula sumenda est definitio, ac præsertim ex Christi sententia, ex qua pendent Lex & Prophetæ, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Matth. 7. 12. Atqui non reperiemus, quodlibet fœnus esse legi contrarium. Hinc ergo sequitur, neque semper fœnus posse damnari. Hîc autem meminerimus, rem ipsam spectandam esse, non verba. Fuerunt autem Prophetæ interpretes Mosis, & ideo sæpe breviter attingunt, quod clarius exprimitur apud Mosen. Si igitur volumus utiliter versari in eorum lectione, debemus nobis statuere legem ipsam; deinde quod legimus in Prophetis accommodare ad doctrinam quæ illic continetur. Ideo sententiæ illæ Davidis & Ezechielis de usura, ad legem accommodandæ, ad normam charitatis exigendæ sunt, unde perspici potest; non damnari nisi improbas exactiones, quibus creditor, posthabita æquitate, debitorem suum onerat ac premit. Clarè quidem patet, veterem populum ab usuris fuisse prohibitum, sed hanc fuisse partem ordinis politici fateri necesse est. Neque aliud moraliter præceptum est Israëlitis, nisi ut alii alios humaniter sublevarent, unde sequitur, usuras hodie non esse illicitas, nisi quatenus cum æquitate & fraterna conjunctione pugnant. Ita se quisque ad Dei tribunal sistat, nec proximo suo faciat quod sibi fieri nollet: unde certa & quæ nunquam fallet definitio sumi poterit. Hæc est conditio ad usuram licitam necessaria, ut qui mutuò accipit, lucretur tantundem aut plus etiam ex ea pecunia, quam qui illi mutuo dat, sive industriam, sive operam conferat.

Psal. 15. Ezech. 18.

Conditio necessaria.

IV. Mos & usus continuus fœnerandi vitio non caret. Et in republica bene constituta nemo fœnerator tolerabilis est; neque ferri debet in Ecclesia Dei. Quisquis ergo ex professo fœneratur, ille omnino debet ab hominum consortio rejici. Nam si quædam artes illiberales onerant eos qui ipsis utuntur, fœnerari certè est quæstus & illiberalis, & indignus homine tam pio, quam honesto. Etiam hoc viderunt prophani homines. Ideo dicebat Cato, perinde esse fœnerari atque hominem occidere. Nam cum rogatus de agricultura, sententiam dixisset, excepit ille, quid autem est fœnerari? quid hominem occidere? inquit. Quo docere voluit, nihil honestius esse quæstum facere ex usuris, quam hominem jugulare. Hoc unius hominis privati fuit dictum, fumptum tamen ex omnium ferè gentium dictis, & hominum suffragiis. Et certè fœnerator semper erit latro; hoc est, qui quæstum faciet ex fœnore, ille prædo erit, & grassabitur ejus iniquitas perinde ac si nullæ essent leges, nulla æquitas, nullus denique mutuus amor inter homines.

V. Sed aliud est fœnerari, quam fœnus accipere. Cum enim quispiam mensam erexit, jam utitur ea arte, perinde atque agricola laborem suum ponit in agris suis colendis. Sed poterit quispiam fœnus accipere, qui tamen non fœnerabitur. Exempli gratia, erit quispiam nummatus, & si partem pecuniæ suæ det mutuò, poterit indè quæstum accipere. Id autem faciet semel, neque propterea dicendus erit fœnerator. Nunc videndum est, quando, & à quibus accipere fœnus liceat. Hîc autem valere debet sententia illa, *Neque passim, neque semper, neque omnia, neque ab omnibus.* Hoc quidem dictum fuit de muneribus, & lex illa imposita fuit præsidibus provinciarum; sed optimè quadrat huic causæ. *Non omnia*, igitur accipere convenit, quia si modum excedat quæstus, (quia id pugnat cum charitate,) etiam repudiandus est. Diximus quoque morem & usum continuum vitio non carere. Jam *neque passim*, quia fœnerator, ut dixi, locum habere non debet, neque ferri in Ecclesia Dei. Deinde *non ab omnibus*, quia à paupere semper fœnus accipere nefas erit. Verum si dives, qui est in ære suo; ut loquuntur, qui habet satis opimum proventum, vel satis amplum patrimonium, sumat pecuniam, à suo vicino; an vicinus ille peccabit si recipiat aliquid lucri ex sua pecunia: alter qui mutuatur, est ditior, & potest absque suo damno carere: sed vult emere fundum, unde fructum accipiet: cur fraudabitur creditor suo jure, si pecunia afferat lucrum alteri, & quidem ditiori? Videmus ergo, interdum posse contingere, ut qui fœnus accipit, non tamen ideo possit præcisè damnari: quia quod agit, non pugnat cum Dei lege. Sed quando & quousque usuram ex mutuo percipere liceat, melius præscribet lex æquitatis, quam longæ disputationes.

VI. Sed tenendum semper est, vix fieri posse, ut, qui fœnus accipit, non graver fratrem suum, & id optandum esset, nomen ipsum tam fœnoris quàm usuræ sepultum esse, & deletum ex hominum memoria.

VII. Nolim (*inquit*) meo patrocinio usuras fovere, atque utinam nomen ipsum abolitum esset è mundo: sed quia aliter non possunt inter se negotiari homines, semper videndum est quid liceat, & quatenus; neque audeo de re magni momenti plus pronunciare quam Dei verba sonant. Scio rem posse multò prolixius tractari: sed breviter dixi quod ad summam sufficit. Hactenus *Calvinus.*

VIII. Ex ea autem parte sententiæ Calvini, quam §. 4. referebamus, colligit *Downamus*, usuram esse contractum in se illicitum; neminem enim negare quin liceat ex contractu quolibet licito quæstum facere, & artem exercere. Corruet igitur altera illa pars sententiæ Calvini, quam commemoravimus, §. 4. nisi ostendatur posse res quasdam fieri sine culpa, si rarò fiant, continuum verò usum non carere vitio. Hoc quidem in vitiis moralibus locum non habet. Nam etsi plus peccat ebriosus frequenti intemperie, & scortator crebris pollutionibus; unico tamen ebrietatis aut scortationis actu homo contaminatur & peccat. Alia tamen inveniri posse videntur, quæ ex sola frequentia aliisque circumstantiis à *Calvino* commemoratis, labem attrahunt: ut oblata munera accipere; sumptuosa facere convivia; amicorum aut vicinorum domos intrare, eorumque mensis accumbere; ridere; magnificè vestiri; pro alieno debito fidejubere; ex aliquo honesto ludo sive pecuniam sive prandium lucrari, consuetudo conjugalis, &c.

IX. Sententiæ Calvini summa huc redit:

Neg. à paupere nunquam; à nullo homine cum detrimento datoris accipi posse usuram: neque ullo pacto tolerandum esse fœneratorem qui ex fœnore artem facitet. Neque patitur censeri patronus usurarum.

Summa sententiæ Calvini de usura.

Affirm. Licere interdum ab opulento debitore accipere moderatam usuram, quam dare possit absque suo damno, vel saltem, ipsa data, ipse adhuc sibi lucrum æquale aut aliquod retineat ex illius pecuniæ usu.

II.

II.

Societas. *Lambertus Danæus*, lib. 2. Ethicæ Christianæ, cap. 15. proposita quæstione de contractu societatis, ubi alter operam tantum confert, alter pecuniam; respondet, licitum esse talem contractum inter Christianos, modo uterque damnum & lucrum participet, vel æqualiter, vel etiam inæqualiter, prout ex justa operæ & pecuniæ collatæ vel æstimatione inter eos potest convenire. Hoc genus contractus videri commemorari 2. Chron. 9: 10. & 1. Reg. 22: 50. Idem quoque respondere jurisconsultos, in L. *Si non fuerint*. D. pro socio. Approbante *Philippo Melancthone* in Epitome moralis philosophiæ. Leoninam verò appellat illam societatem, in qua unus tantum lucrum sentiret, nunquam autem damnum. Alter autem solus damnum ferret & perciperet.

Emptio cum pacto revendendi. II. Quærit autem idem *Philippus Melancthon* (inquit *Danæus*;) utrum hoc genus contractus inter Christianos locum habere possit, ubi reditus fundi annuus emitur cum pacto de revendendo. Hoc genus triplex est, nam vel fundus ipse cum pacto revendendi emitur: vel certus tantum reditus in aliquo fundo: vel certus reditus in omnibus venditoris bonis, quam nos Galli solemus vocitare emptionem certi annui reditus, *rentes constituees*. Ac quidem de duabus primis contractus pactique de revendendo speciebus apertè respondet *Philippus* ipse, eas utrasque esse licitas & utiles, quia non sunt usurariæ, L. *Si fundum*. C. De pact. inter empt. & venditorem. Nam hoc genus contractus est, non pignus, sed emptio. L. *Ita quis*. §. *Ea lege*. D. De verborum obligat. Confirmatur verò hæc *Philippi* sententia argumento eorum quæ scripta sunt, Levit. 25. vers. 23. & seqq. Ubi dicitur, Terra non vendetur, distrahetúrque absolutè & in perpetuum: sed ad tempus. Sed de tertia contractus specie, major quæstio est, magisque vexata & mobilis. Disputant enim utrum sit pignus, vel mutuum, an potius vera emptio. Et certè quando reditus fundi emitur, nec jus pretii repetendi habet emptor, emptio est, non autem mutuum. Hoc sentit *Philippus*, & est scriptum in Extravag. *Regimini*. Titulo de emptione. & vendit. Quæ est *Martini* quinti. in Extravagantib. communibus. Item Novella authentica 160. in Authenticis, quæ jam hujusmodi genus contractus fieri solitum tempore *Justiniani* commemorat. Putat tamen, cum *Baldo*, *Philippus* summa ratione constituendum, ut si bona venditoris aliqua insigni calamitate vel damno affecta sint, emptor vicissim de reditu, pro damni dati proportione, remittere aliquid cogatur & teneatur.

III. De usura *Musculus* variè disputavit. Nempe licere pupillis, orphanis & aliis similibus usuras exigere. idque quidam etiam putant. Sed si res ista (inquit *Danæus*) per se damnata est, neque iis licet.

IV. Quando omnia ad charitatem sunt revocanda, estque ea legis finis, ut ait Paulus, 1 Tim. 1: 5. ex ea definiendum est, quid de usuris sentiendum sit, concedendumque homini Christiano, vel non; idque breviter, quoniam si quis plura requirat, videat Joan. Calvin. in Harmon. in Mosen, in cap. 22. Exod. vers. 25. aut igitur proximo & fratri egenti succurrimus, vel certanti de lucro faciendo. Si egenti succurrimus mutuumque damus, velut qui quærit, petitque à nobis unde se exhibeat, & suam familiam alat, contra naturam est, contraque Christianæ charitatis præcepta, si quis ab eo accessionem exigat ullam, cum sæpe etiam sors ipsa remittenda sit, & donanda: & hi casus incidere possunt, Luc. 6. vers. 35. Et sæpissimè quidem, ut respondet *Greg. Mag.* lib. 7. Epist. 37. Quo verò nomine, seu usuræ, seu ejus quod interest, ab egeno accessio auferatur, sive ea in pecunia; sive alia in re fiat, furtum est. Est enim piratica terrestris, hujusmodi mercatura. *Piratica terrestris.* Sin autem fratri certanti de lucro mutuum damus, vel rem suam augere volenti, fundos, villasque novas comparanti, vel suas exornanti, præter sortem licet exigere accessionem, quantum lege publica definitum est; & tam æquo jure, quam ab eodem licet partem reditus vel fundi emere salvâ bonaque conscientia. Nec Christiana charitas violatur in eo. Levit. 6. vers. 5.

V. Sin excipitur; at Dominus vetat ab eo qui frater est exigere omnino.

Respon. primum illam prohibitionem ex nostra distinctione esse intelligendam, quia accessio non damnatur quæ non mordet. Deinde dico politicum fuisse hoc præceptum; uti & illud, quo permisit ut ab extraneo liceat: nimirum ut æqualia essent inter Judæos & extraneos commercia: nam extranei ab eis usuras exigebant & stipulabantur: æqualitas autem, ut ait Aristot. lib. 5. Ethic. conservat commercia, & commercia tuentur hominum societatem inter se. *Lex prohibens usuram erga fratres politica est.* Quæ autem per se peccata sunt non permittit Dominus ἁπλῶς, sed omnino omnique loco, tempore, & omnibus vetat & fieri prohibet. *Deut. 23. 20.* Denique quod adfertur ex Concilii Nicæni primi can. 17. & 18. tantum prohibet usuras clericis, ac quidem immodicas, quales sescuplas de centesimis, non autem omnibus fidelibus, nec omnes, ut apparet ex epist. 1. *Leonis*. 1. Pontif. Rom.

VI. Cæterum alii vocem *Extraneos*, Deut. 23. aliter accipiunt; nimirum pro Chananæis relictis in terra, quos quia Dominus exterminari volebat, & eorum bona ad Judæos transferri, idcirco permisit ab eis usuras exigi. Appianus autem ait, lib. 1. De bellis civilibus, pag. 181. Fœnerari, Persis, Romanis & Græcis, visum δύσεργα καὶ ἐχθροποιόν.

VII. Fœnus nauticum à communi usurarum genere meritò distingui ait à jurisconsultis, quia in hoc pecuniæ & sortis ipsius periculum in se creditor recipit, nec tam mutuum est, quam societas. Unde peti potest, inquit Danæus. Videre jubet *Bullingeri* librum. 1. ea de re scriptum: & *Francisci Hotomanni* librum de usuris.

Hactenus *Danæus*, ex quo licet colligere, etiam quæ fuerit de usura sententia *Philippi* & *Musculi*, & *Bullingeri*, Theologorum, & *Hotomanni* J. C, quos tanquam idem sentientes pro sua sententia nominat *Danæus*.

III.

I. Anonymus ille vir doctus, cujus est à *Juello* oppugnata sententia, Contractum illum ait esse licitum, in quo unus faciendæ mercaturæ pecuniam ad emendas merces, alter verò suam operam in commune lucrum confert, ita concepta stipulatione, ut communis damni mentio non fiat, nempe ut qui alienam pecuniam utendam accipit, hoc veluti fræno coërceatur, ne eam audacius profundat, sed ut eâ parcius, tanquam suo unius periculo peritura utatur. Ita tamen ut alter lucrum non nisi ex lucro paratus sit accipere. Et hanc esse ait licitam quandam societatem. Neque iniquius esse, ut ego

ego ex alieno labore lucrum percipiam, quam ille ex mea pecunia fiat locupletior; sed alter alterum juvet, meritò quoque commune esse lucrum.

II. Considerandum (inquit) diligenter, ne vel avaritiæ, vel otii captandi causa, malimus pecuniam sic locare, quàm ipsam exercere, vel emendis fundis collocare. *Item*; ne hoc modo fiamus ad sublevandam pauperum inopiam minus idonei, ut si quis quicquid habet, alteri committat, ita ut non satis supersit quo fratrem juvet. *Porrò*, ut quæratur mercator non quam ditissimus, sed quam integerrimus, quique honestam faciat mercaturam.

III. Adhæc, moderandam esse ait pecuniæ pensionem, ita ut ipsius mercatoris ac bonorum adhibito judicio & arbitrio, nec publicæ leges violentur, nec justa cuiquam offendiculi occasio præbeatur.

IV Circumspiciendum diligenter, ut nostro jure utamur ex æquo & bono, sicut Christiana charitas jubet. Est enim (*inquit*) Christiani hominis tum in aliis omnibus obligationum speciebus, tum etiam in hoc contractu ita jure suo uti, ut eum ci constiterit alterum sine sua culpa jacturam fecisse, paratus sit ex æquo & bono, ipsius quoque sortis damnum ferre potius quam ut cum fratre acerbius agat quam Christiana charitas ferat; etiamsi concepta fuerit stipulatio communis lucri sine mentione communis damni. Idem quoque cernere est in mutuo, & in agri locatione; sæpe enim accidit, ut debitor non possit ad diem constitutum restituere summam creditori, idque sine ulla sua culpa; aut conductor locatori debitam pensionem. Cum fratribus in tali casu est Christianè & clementer agendum; neque tamen propterea damnanda est ipsa stipulatio de reddenda sorte, vel locationis canone ad certum diem; sine ullius exceptionis aut dilationis mentione.

V. Sic explicavit autor ille responsionem suam ad quæstionem à seipso propositam. Quæst. An quicquid ex pacto supra sortem accipitur ab eo qui mutuò dat pecuniam mercatori, illicitum fœnus sit, quamvis non quærat lucrum nisi ex lucro, idque animo mercatoris. Resp. Contractunt (inquit) de quo quæritur, licitum puto, quia nec primæ tabulæ repugnat, nec secundæ. Nam quod ad primam tabulam attinet, nullum Dei mandatum extare puto, quo prohibeantur homines ejusmodi contractum exercere, in quo unus materiam lucri, alter operam suam præstet, modò omnia honestis artibus fiant. Nec discrimen ponendum arbitror in materia, sive ager locetur, sive domus, sive denique pecunia ad mercaturam exercendam interveniat. Nam, ut mihi quidem videtur, materiæ diversitas non facit diversam contractus naturam: quamvis certis & quidem justis de causis jurisconsulti subtilius ista distinxerint, apud quos aliud est locatio quam societas, aut mutuum. Quod autem attinet ad secundam tabulam, ad quam etiam propriè ista respiciunt, mihi sanè videtur, ejusmodi contractu nôn modo non lædi quenquam, sed vehementer etiam juvari hominum societatem, si modo certis limitibus definiatur. Hæc ille. Limites verò jam monstravimus.

IV.

Hieronymus Zanchius, in explicatione capitis quarti Epistolæ Pauli Apostoli ad Ephesios, differit de usura in hanc sententiam:

I. Usura est lucrum quod supra sortem datam accipitur.

II. Alia est usura mordens & illicita; alia non mordens, quæ licita est. Sic etiam distinxit *Bucerus*.

III. Usura mordens & lege Dei damnata, est lucrum quod supra sortem, cum damno debitoris, propter mutuam pecuniam exigitur, aut accipitur. Dixi verò (inquit) quod exigitur, aut accipitur; quia sæpe, etiamsi non exigatur, accipitur tamen cum debitor nolit quippiam contra conventionem factam retinere. Usura mordens alia est simplex, quæ *nesbech* dicitur, alia conjuncta quæ *tarbith* Moysi, Jurisperitis autem usura usurarum appellatur.

IV. Usura non mordens, nec lege Dei naturæve prohibita, est lucrum, id est pars lucri, quæ supra sortem sine damno debitoris, ex lucro tua pecunia mutuata facto, à creditore percipitur. Frustra autem objicitur, detrahi debitori illam partem lucri, ideoque non sine ejus damno dari creditori; nam debitor dans partem lucri, nihil dat de suo, sed quod creditori jure æquitatis debetur, & gratitudinis. Quod enim fecit lucri debitor, id fecit non tam sua industria, quam beneficio pecuniæ creditoris, Deo utrique benedicente. Jam autem sicut particeps est mali facti, puta furti, qui opem ad illud faciendum attulit: sic benefacti esse debet, qui ope juvit: ad lucrum autem faciendum maximè juvit sua pecunia creditor sortis. Huc etiam pertinet illa Christi regula; *Quæcunque ergo vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* (Matth. 7.) Quis autem est qui nolit (& quidem non fine recto judicio) ejus lucri particeps fieri, quod ex suæ pecuniæ communicatione factum est, cum hoc sine damno debitoris fieri possit? Tenetur ergo lege naturæ & charitatis, qui ex mea pecunia lucrum fecit non parvum, me ejus lucri facere participem. Ac proinde & mihi licet accipere, atque etiam petere. In qua sententia fuerunt *Bucerus* & *Calvinus* Theologi præclarissimi, à quibus non dissensit *Petrus Martyr*, ut de aliis prope infinitis taceam. Matth. 7: 12.

V. Licet etiam pacisci cum mutuatario de certa quantitate lucri; sed adhibita semper conditione, vel expressa, vel tacita, atque in mente pii creditoris confirmata; nempe ut si certò compereris, cui tuam dedisti pecuniam, eum vel parum vel nihil lucri fecisse, idque non sua culpa aut negligentia, sed propter res adversas, & quia Dominus noluit ejus laboribus benedicere; tu quoque vel nihil, vel minus quàm erat in pactis, accipias. Nam alioqui lucrum quod accipies, fuerit fraudi ipsi debitori, & non fuerit ejus damno acceperis; ac proinde non fuerit amplius talis usura qualem definivimus, ac licitam esse defendimus, sed fuerit *nesbech*: imò hoc animo esse debes, o creditor, ut si debitor non solum non fecit lucrum, sed etiam accepit damnum, tu quoque damni aliquid cum illo patiaris; hoc enim postulat æquitas & charitas. Sic etiam *Bucerus*, in Psal. 15. postquam conclusit, neminem esse tam ignarum, qui ex centum non possit tantum lucrari, ut creditori possit saltem dare quinque, si adsit Dei benedictio; subdit; *Jam quod utrinque (inquit) rectè fieri potest, haud indignum bono viro fuerit, ab altero stipulari: modo suus τῇ ἐπιεικείᾳ omnium legum atque contractuum moderatrici servetur locus: nullæ aliqui leges, nullæ vivendi rationes tam justæ excogitari possunt, quantum quidem ad externa illa hominum negotia attinet, à quibus non sæpe aliquid remittendum sit Christiano, cujus est omnibus prodesse.* [Et paulò pòst,] *Christiano homini usuras pacisci licebit, dum animus modo*

sit,

sit, illas nunquam cum proximorum injuria exigere, aut etiam ultro oblatas recipere. Hæc *Bucerus*, cui consentit *Zanchius*.

VI. Quanta verò esse debeat illa summa, de qua pacisci liceat, sentit *Zanchius* servandas esse leges & honestas regionum consuetudines. Item, non omnibus dandam esse pecuniam ad fœnus, sed eis dumtaxat qui honestum quæstum faciunt. Et dandam esse cum commodo ejus qui mutuo accipit.

Deut. 23: 20. VII. Ait gentes illas, de quibus Deut. 23., damno fuisse afficiendas ab Israëlitis propter ipsarum peccata, ideoque permissam erga eas fuisse usuram etiam mordentem, *neshech*. Illis verò locis Exod. 22. & Levit. 25. quibus prohibetur usura erga fratres, haberi rationem pauperum, qui vitæ sustentandæ causa mutuum petunt. Non autem extendendam illam prohibitionem etiam ad divites, qui lucri faciendi augendique gratia petunt. Et in hunc sensum omnia quæ apud *Solomonem*, & in Psalmis & Prophetis leguntur, intelligenda esse, atque ad legem examinanda. *Exod. 22: 25 Levit. 25: 36, 37.*

Luc. 6: 35. VIII. Christum, Luc. 6: 35. non prohibere mutuationem etiam illis à quibus speramus *τὰ ἴσα*, paria, sed imperare ulteriorem gradum, ut ex mera charitate propter Deum mutuemus etiam eis à quibus nihil speramus. Sicuti Luc. 14. non damnat Christus convivia amicorum, sed plus exigit in Christiano, ut etiam eos vocet convivas qui non possunt paria rependere. *Luc. 14: 12, 13, 14.* Notandum (inquit *Zanchius*,) à tribus fontibus fluere, ut homines mutuum aliis dent: aut ab avaritia, aut à naturali humanitate cum æquitate conjuncta, aut à mera charitate & propter Deum. *3 Fontes mutuation.* *A primo* adducuntur homines impii; hoc verò semper improbavit Christus. *A secundo* viri civiliter boni; hoc autem nunquam damnavit Christus, imo probavit, illa lege naturali repetita; *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* *Regula. Matth. 7: 12 Luc. 6: 31.* *A tertio* adducuntur Christiani & verè pii, atque hoc est quod apud Lucam voluit Dominus, lociscitatis. Cum igitur humanitatis sit & æquitatis, beneficium pro beneficio rependere; beneficium autem sit non vulgare, quod tibi meam mutuam dederim pecuniam, unde magnum fecisti lucrum: Christus non damnat si tu è lucro facto detrahas partem, eamque benefactori, in testimonium grati animi & æquitatis communices: ac proinde neque damnat, si hanc lucri participationem à te exspectem & sperem.

IX. Nummus quidem in cista, item nummus in necessaria insumptus, non gignit nummum, uti rectè dictum ab Aristotele. Sed quin possint emi merces, & ita industria humana ex nummo possit fieri lucrum, quis neget? dicimus autem ex lucro posse accipi lucrum, non autem ex nudo nummo nummum.

Summa sententiæ Hier. Zanchii. Hactenus *Zanchius*. Cujus sententiæ hæc summa est. Potest mutuator, ex charitate aut humanitate mutuans, à mutuatario sperare, stipulari, petere, accipere ultra sortem partem lucri ex usu sortis facti. Ita tamen ut paratus sit non solum ab usura abstinere, ubi nullum factum fuerit lucrum; sed etiam partem sortis remittere si damnum sine culpa debitoris evenerit.

V.

Franciscus Junius, in Appendice ad explicationem Levitici, promit suam de usura sententiam, cujus præcipua capita adscribemus.

I. Usuram usurarum, ut apud omnes semper damnatam & infamem rejicit.

II. Usuram etiam simplicem in pauperes ait esse omnino damnatam atque intolerabilem.

III. Approbat usuram nauticam, & incrementum congruum, ubi est ex distantia loci major molestia majusque periculum ad numerandum pecuniam. Temporis etiam & moræ fœnus pro eo quod interest dari bona fides (*inquit*) inter homines præcipit, & bona fidei judicia imperant.

IV. Præterea dicit, non omnem usuram damnandam esse, & intolerandam, sed eam solam quæ pauperes egentes opprimit, aut pauperes facit. Hanc enim solam prohiberi lege Dei, Exod. 22: 25. & Lev. 25: 35. quibus in locis disertè fit mentio pauperis. Idemque Deut. 23. ex antecedentibus & consequentibus facile intelligi.

V. Ex isto autem loco Deut. 23. ait confici argumentum *βίαιον*, hoc modo; Extraneo dare licet in usuram; ergo quædam usura est licita. *Deut. 23: 20.* Item sic; turpitudinem & crudelitatem exerceri contra extraneos non permisit Deus; at permisit erga eos usuram; ergo non omnis usura turpis est & crudelis.

VI. Cur autem extraneo dare concessum? Non solum (*inquit*) quia extraneus, nam alioquin ipsum peregrinum & inquilinum eodem jure comprehendit Moyses, Lev. 25. sed partim quia opes habet extraneas, id est, ad terram promissam, quam non licuit usura premere, minimè pertinentes; *Levit. 25: 35.* partim quia *ἔμπορος* est propter commercia in Judæam veniens, non autem pauper. Cur non Judæo? 1. Quia frater est. 2. Quia possessiones in Cananæa habet, quæ regio symbolum erat piis aspectabile, cujus fructus usuræ subjici vetabat Deus cæremoniali signi significatione. 3. Quia pauper, à quo non sinebat usuram exigi, etiam extraneo, lata humanitatis & charitatis lege. Prophetarum locos dicit eandem habere interpretationem; & ubi conjunctim positæ inveniuntur hæ voces נֶשֶׁךְ וְתַרְבִּית exponi debere, *Usuram & multiplicationem*, scilicet *Usuræ*. De locis Matthæi & Lucæ in Novo Testamento ait, cum ex his judicium fieri oportere; tum etiam ex lege charitatis, quam ut finem respicere debet mutuator. Patres, *Basilium*, *Ambrosium*, *Chrysostomum*, &c. rationem habuisse aut illius fœnoris quod omnibus seculis plus satis obtinuit contra æquitatem, honestatem, charitatem, fidem; non tamen inde sequi omnem usuram patribus improbatam: ineptam enim esse argumentationem ab eo quod dicitur secundum quid ad dictum simpliciter. Porro quamvis charitati repugnare fateatur usuram hujus seculi, quam turpes fœneratores exigunt; id tamen negat simpliciter de usuris dici oportere, & sine distinctione: esse enim & usuram quandam charitatis, quam & is præstat qui mutuum dat, & qui accipit debet; licet condici de nomine non possit. *Usura charitatis sine condictione.*

Deberi aliquando usuram. VII. Diffidentis (inquit) est hominis & alieni à charitate atque honestate & ingrati, si is qui benedictionem Dei in laborem suum aliena ope, id est, alienæ pecuniæ subsidio est expertus, eam sibi totam avaro animo servare, ac non cum eo à quo beneficium accepit communicare studuerit. Hoc esse dicit argumentum *βίαιον* ex lege Dei & charitatis sumptum. Quo probat quandoque deberi aliquam usuram ultra sortem pecuniæ mutuatæ.

A quibus peti possint usuræ. VIII. A ditioribus (*inquit*) qui non levandæ egestatis, sed assequendæ voluptatis, commoditatis, emolumenti majoris, aut fidei liberandæ caussa pecuniam conducunt, peti & dari legitimè fœnus statuimus, secundùm quatuor illas leges sive cautiones quibus usura piè prudenterque contemperanda est; æquitatem, charitatem, honestatem, & fidem.

IX.

Cautiones seu leges circa usuras servandæ.

IX. *Æquitatem* ponit in modo. Nempe si creditor fœnus non imperat turpiter, aut præfractè, vel importunè exigit, sed debitor honestè offert. Idque non grave fœnus ex conditâ necessitate, sed leve ac tolerabile.

Spes lucri. Nota contra Mal. drum.

Charitatem in fine, finem enim pecuniam dantis mutuam non debere esse proprium ipsius commodum simpliciter; sed alterius adjumentum. Dantem oportere moveri charitate ad pecuniam mutuandam; & accipientem moveri æquitate atque honestate, ad agnoscendum beneficium, velut ad ἀντίδοσιν naturaliter obligatum.

Honestas ac *fides* (*inquit*) in compensatione æqua versatur, ex eventu benedictionis divinæ; ut scilicet debitor, qui ex aliena pecunia & labore suo utilitatem aliquam percepit, aliqua utilitatis illius parte aspergat creditorem suum, partemque sibi pro labore servet: sin autem utilitas ad ipsum nulla redierit, ut caveat creditor, ne ex labore inutili debitoris sui, aut etiam damno, suam ipsius utilitatem inhumanè captet. Habenda autem laboris major quàm pecuniæ ratio: quapropter ejus fructum aut nullum aut tenuem statuimus, neque cum ipsius laboris fructu comparandum. Hæc *Junius*. Cujus sententiæ hæc summa est; debitorem divitem, partem lucri ex aliena pecunia mutuò accepta facti debere communicare creditori. Creditorem etiam eam accipere, imo petere jure posse, moderatam tamen; sed neque præfractè imperare licere, neque inhonesto proprii commodi intuitu mutuam pecuniam dare, sed moveri debere charitate. Porro neque usuras usurarum fas esse, accipere à quoquam; neque ullam usuram à paupere.

Summa sententiæ Fr. Junii de usura.

VI.

Gulielmus Perkinsus, Anglus, in Catena aurea, cap. 27. ubi de octavo præcepto.

I. Usuram quidem ut simpliciter malam & Dei verbo ex diametro oppositam damnat, adductis testimoniis sacrarum literarum, Psalm. 15. Exod. 22. Ezech. 18. &c. Eamque sic definit; Usura est lucrum quod ex pacto exigitur, ultra sortem in præmium solius mutuationis. Hujusmodi usuram aptè dici posse ait usuram mordentem. Hanc legibus positivis limitari, at non probari.

II. At quærit; An non licet interdum accipere ultra sortem? Respondet; certè licet, servatis istis conditionibus. 1. Si creditor diligenter caveat, ne quid exigat, nisi quod debitor acquirere possit bonis & legitimis mediis. 2. Non licet ei accipere plus quam debitor lucratus sit, ac neque tantam lucri facti portionem quæ utentis pecunia facultates exhauriat. 3. Aliquando tantum abesse debet ab acceptione lucri, ut ne sortem quidem repetat, si debitor inevitabilibus casibus & justa necessitate damnum acceptæ sortis passus sit; & manifestum sit non potuisse illum, quamvis magna adhibita diligentia, quicquam lucri ex mutuata pecunia facere.

III. Rationes autem (*inquit*) cur liceat aliquando accipere ultra sortem, tres sunt, 1. Quod dare potest debitor, habens sibi residuum honestum lucrum, & unde nemo ullo afficitur detrimento, id tutò potest creditor accipere. 2. Æquum est, ut qui mutuam accepit pecuniam & ex ea lucrum facit, se gratum pro virili exhibeat ei per cujus bona ditatus est. 3. Sæpe utile esset creditori, penes se habere ea bona quæ mutuavit.

IV. Object. Pecunia non est fructuosa, ergo illicitum est accipere amplius quam dederimus mutuo.

Resp. Etiamsi pecunia in se non sit fructuosa, efficitur tamen valdè fructuosa utendo, si ea mutuatarius bene utatur. Quemadmodum se habet & fundus qui sine cultura non est fertilis. Hæc *Perkinsus*. Cujus sententiæ hæc summa est; licere creditori accipere atque etiam exigere partem aliquam honesti lucri, quantam debitor dare possit absque suo detrimento, & absque jactura residui honesti ac competentis lucri. Alioqui usuram omnem esse illicitam.

Summa sententiæ G. Perkinsi.

VII.

In *Catechesi Heidelbergensi*, ad octavum præceptum, leguntur quædam huc spectantia. 1. Emptio fit aliquando cum pacto de revendendo, & quidem licet. Huc pertinet *Emptio redituum*, quæ non magis est usura, quam elocatio fundi, pro certa pecunia quotannis reddenda.

II. Societas est contractus eorum, qui una negotiantur, in quo alius pecuniam, alius operam seu laborem confert ea conditione, ut unicuique pars lucri & damni cedat, & neuter vel solus lucrum capiat, vel solus damnum sentiat.

III. Furti species est usura, id est, lucrum quod accipitur solius mutuationis caussa.

IV. Excluduntur ab usura contractus justi, emptio, contractus de reddendis reditibus, compensatio damni justa, societas, &c.

V. Multæ sunt quæstiones de usuris, de quibus judicari debet ex dicto: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hæc ibi.

VIII.

Daniel Tilenus, Silesius in suis thesibus de octavo præcepto, in parte prima Syntagmatis, disserens de usura, insistit vestigiis *Francisci Junii*, ejusque sententiam suo etiam adjecto calculo comprobat. Quod etiam dixerat *Junius*, Deum fructus regionis Cananææ usuris subjici noluisse, cæremoniali significatione, eo quod regni Cælestis tessera & aspectabile symbolum esset Judæis ea regio; id sic illustrat *Tilenus*, quemadmodum (*inquit*) nec agros ejus lege mancipii vendi voluit. Levit. 25:23. Hæc ille.

IX.

Bartholomæus Keckermannus, Oper. tom. 2. in Cursu Philosophico, disp. 28. Problem. 46. Postquam auctores aliquot & constitutiones etiam quasdam nuperas in Imperio Germaniæ factas contra usuras citavit; suam tandem in quarundam usurarum favorem sententiam sic effert.

I. Quod ad jus Divinum & sacram Scripturam attinet, non improbatur ibi usura simpliciter, sed tantum respectu populi Judaici, propter caussas isti populo proprias. Quia enim illi ex agricultura tum magna parte vivebant, & magis quam ex mercatura, ideo facile fieri potuisset, ut dominia agrorum &c, transferrentur de familiis in familias, si usura fuisset inter eos concessa. Ut ergo ista alienatio dominiorum in hoc populo caveretur, prohibuit Deus usuras. Deinde non sustulit Deus usuram inter quosvis, ut inprimis patet, Deut. 23. vers. 20. sed inter egenos, Exod. 22. qui ad necessitatem vitæ suæ rem aliquam, cujuscunque sit generis, à nobis petunt. Nec omnem etiam usuram prohibuit, sed iniquam & proximi facultates mordicus attenuantem, ut ipsa vox hebræa *neschech*, à *naschach* momordit, clarè indicat, & ex omnibus scripturæ locis in quibus de usura agitur, cuivis rem exactè consideranti manifestum est.

II. Ita ut rectè concludat *Molinæus*, Canonistas in prohibendis simpliciter usuris graviter errasse, dum bonas literas legesque civiles ignorarunt,

rarunt, & jus etiam Divinum non rectè intellexerunt.

III. Idem etiam cum de justa moderatione usurarum dissernisset, propter crebras ac varias hominum necessitates, necessarium & omnino utilem esse æris alieni usum probat; atque ideo usuras non esse tollendas sive abrogandas, præsertim cum iis sublatis incommoda & fraudes infinitæ oriantur.

Luther. IX. D. *Lutherus* etsi in libello ad concionatores de abroganda usura, usuram tanquam peccatum contra conscientiam damnare videatur, tamen non omnem simpliciter usuram, sed excessivam detestatur, ut patet ex eodem libello. *Phil.* In eadem etiam sententia fuit *Philippus Melanchton.*

V. Respondemus itaque quod paterfamilias si pecuniam mutuò det, quatenus pecunia est absolutè & in se considerata, hoc est, quatenus est mensura rerum necessariarum, absurdè agat & contra jus naturæ ac divinum peccet, si tunc usura aliquem mordere velit, & opes suas injustè augere, præsertim cum etiam contra mutui naturam sit usuram capere earum rerum quæ usu ipso absumuntur, ut patet ex lib. 3. Instit. tit. 15. & Leg. 1. ibique gloss. Bart. & Bal. C. de Cond. indeb. Sin verò nummus consideretur, non respectu sui, & ut suppler necessitatem proximi, sed respectu lucri quod alter ex nummo habet, utique non absurdum esse putamus, nec contra naturam si compensatio postuletur; præsertim quum ita nummis suis ad tempus ipse creditor carere cogatur, & interdum quidem non sine periculo: qui etiam idem lucrum fortasse capere potuisset, quod debitor modo anticipat. Unde illam usuram Legistæ vocant lucratoriam & illicitam, hanc verò recompensatoriam. text. 5. *Molin.*

VI. Et hoc posteriori usuræ genere Patrem familias legitimè uti posse ad usum suum domesticum non inficias imus, quum hic nihil contra charitatem, sed ex mutua charitate fiat, ut exemplo mercatoris divitis ab alio pecuniam lucrandi causa mutuantis, perspicuè *Molinæus* text. 10. declarat.

VII. Ubi justæ usuræ requisita breviter enumerat, eamque etiam per conscienniam licitam
1. esse dicit. 1. Quæ fit sine damno & fraude pro-
2. ximi. 2. Quæ justum modum non excedit, aut
3. usuram ex usura facit. 3. Quæ usuras non frequentat, & velut artem liberalem aut negotia-
4. tionem fœneratoriam facit. 4. Quæ non exigi-
5. tur pro modica sorte. 5. Quæ non excedit metas legibus aut politieis ordinationibus speciali-
6. ter constitutas. 6. Quæ denique non ubique locorum, non à quibusvis sine discrimine, nec quovis tempore æquè magnas usuras capit, Hactenus cum *Molinæo Keckermannus.*

X.

Joannes Sharpius Scotus, in Cursu Theologico, explicans octavum mandatum, in loco de lege Dei, sic disserit de usura.

I. Licuit Israelitis. 1. Ab extraneis. 2. Divitibus etiam ex populo Dei. 3. Usuram non mordentem exigere.

II. Usuræ tres sunt species. 1. *Lucratoria*, quæ mordens dicitur, quæ ex mero mutuationis officio contra naturam contractus lucrum facit. Altera species est usura usurarum, quæ vel gentilium judicio infamis est: item omnis usura quæ pauperes facit, aut opprimit, hæc pro solo mutuationis officio à paupere proximo exacta, est illicita, & lege Dei prohibita, & charitati atque humanitati adversatur, pugnatque cum ipsa natura mutui, nec est legitimus acquirendi modus. Usura *Compensatoria*, quæ compensat justum interesse quod habet creditor eo quod pecunia careat. Potuisset enim creditor pecunia sua aliis in rebus lucrum legitimum quærere, & commodum percipere, quo privatus fuit quia alius pecuniæ illius usum habuit. Hæc interdicta non est, sed licita, & legi naturæ consentanea, eamque communis necessitas & utilitas negotiationum requirit. 3. Neque improbari potest usura *punitoria*, quæ non propter lucrum petentium, sed propter moram non solventium, pro pœna debitori infligitur. Hæc enim nullibi prohibita est: sarcit etiam damnum quod creditor sensit eo quod dicto die pecunia soluta non fuit. Præterea est justa pœna moræ quæ pro delicto reputatur, ideo meritò debitori infligitur.

III. Objectio; Christus ait, mutuò date, nihil inde sperantes. Luc. 6: 35. ergo. Resp. Negatur sequi, quia illo loco taxat tantum eos qui neglectis pauperibus, mutuò dabant iis qui facultates habebant, ut possent mutuò data restituere, & docet potius egenis quam divitibus succurrendum esse. Hactenus *Sharpius.*

XI.

Stephanus Fabritius, Ecclesiæ Bernensis Minister, Conc. 5. in Psal. 15. Sententiam *Zanchii* ejusque argumenta, ipsis *Zanchii* verbis usurpat, & *Zanchio* consentiens summam suæ sententiæ complectitur tribus distinctionibus.

I. Pecuniam in usuram dare { Peregrino sive gentili, licuit, fratri, non licuit.

II. Fratri, inquit { diviti, licuit, egeno, non licuit.

III. Ab opulento fratre accipere usuram { non mordentem licuit, mordentem, non licuit.

Unde concludit, etiam nobis Christianis fas esse à fratribus divitibus usuram non mordentem, id est, ut ipse *Zanchium* sequutus interpretatur, partem lucri ex mutuata pecunia facti, accipere, sine damno debitoris. Hæc ille.

XII.

Andreas Rivetus, Pictavus, SS. Theolog. Doctor, & ejusdem in Academia Lugdnno-Batava publicus Professor, in explicatione decalogi, tuendam suscipit *Calvini* sententiam. Summa eorum quæ tradit *Rivetus*, huc redit.

I. Loca omnia sacræ scripturæ quæ contra usuras afferuntur, agunt de incremento capto ex mutuo debito, cujusmodi mutuum est quod eis debemus qui non ut lucrentur, sed pro vitæ necessaria sustentatione petunt mutuum.

II. Qui autem opulentioribus mutuo dant, si solius otii causa & pigritia hoc faciant, quia ipsi negotiari vel honestam functionem exercere nolunt, illi non possunt excusari, quia finem malum & divinæ voluntati contrarium sibi proponunt.

III. At qui ex impotentia negotiandi, & necessitatis causa, ut viduæ, pupilli, senes, literati, & similes, qui alioqui otioli non sunt, sed aliis muneribus addicti, ad negotiationes exercendas minus sunt idonei, possunt sine peccato pacisci de censu annuo ipsis reddendo, à debitore, seu mutuatario divite, qui mutuo acci-

accipit non unde vivat, sed unde lucretur & res suas augeat, sive fundum suum oppigneratum redimat, sive novum fundum emat, si negotietur, &c. tali enim mutuò dare non tenemur.

IV. Augmentum quod accipitur, non pro ipsa pecunia accipitur, pro ea enim sufficit si eadem summa reddatur definito tempore, sed est compensatio pro indebito officio mutui, & pro facultate concessa non reddendi nisi post certum tempus, & pro lucro quod debitor sibi comparare potuit, vel comparavit, & creditor qui de sua pecunia nihil lucratur, sibi potuisset comparare. Hæc enim sunt pretio æstimabilia.

V. Augmentum non excedat modum lege publica definitum. Quod si lex ipsa modum excedat, impunitatem apud homines præstare potest, jus tamen apud Deum non potest dare, vel intus conscientiam quietam reddere.

VI. Cum charitas sit finis præcepti, quam qui præstat; legem implevit, lex quæ à Mose præscribitur, ut & aliæ omnes, juxta æquitatem est interpretanda. Quatenus ergo aliquis contractus mutui repugnaret charitati, & fratrem læderet, judicandum esset lege vetari. Sed contra, ubi æquitas servatur, nec frater per mutuum læditur, censendum est charitati non repugnare, nec legi, cujus finis est charitas.

VII. Æquitati sane consentaneum est, vel maximè, ut commodum & lucrum aliena pecunia paratum quasi dividatur, & præcipua parte debitori reservata, census annuus moderatus creditori persolvatur.

VIII. Si debitor, qui ditior est, aliquo casu citra suam culpam, notabile aliquod detrimentum in re familiari patiatur, ut per incendium, rapinas, naufragium, aut alia ratione, ita ut nihil lucretur, sed etiam grandem jacturam faciat, ab illo non solum exigendus non est annuus reditus; sed etiam de sortis restitutione facienda est ei aliqua gratia, donec res ejus in meliorem statum devenerint.

IX. Non sunt in bene constituta republica tolerandi, sed ab hominum consortio rejiciendi, qui ex professo fœneratores sunt, quales sunt ii qui publicas fœnori officinas aperiunt, sola lucri cupiditate dedentes se huic turpi negotiationi. Tria sunt enim in eis quæ excusari non possunt. 1. Quod fœneratoriam artem exercent ex professo, & in eum solum finem, ut inde ditescant. 2. Quod à quibusvis promiscuè accipiunt, etiam ab iis qui ostiatim panem quæritant, à servis, insciis dominis; à filiis familias, insciis parentibus, &c. 3. Quod immodicis sumptibus gravant mutuantes, & eorum extrema necessitate abutuntur. Accepto scilicet pignore, (fortean furtivo) quo non solùm de sorte securi sint, sed etiam de immodica usura. Tales sunt qui in Belgio *Longobardi* vocantur; & tales sunt in multis locis Judæi. Hæc D. *Andr. Rivetus.*

CAPUT XI.

Status, quæstionis diligentius investigatur, collatis partium sententiis, & argumentis.

I. PROPOSITIS dissentientium sententiis, & argumentis, tempus est ut statum quæstionis propius investigemus.

Veteres Patres usuram quidem abominantur, & gravissimis argumentis, omnem hominem ab ea tanquam à detestando & pestifero malo satagunt deterrere. Sed eorum argumenta sunt qualia inveniuntur in sacris literis, quæ ab utraque parte dissentientium reverenter suscipiuntur: nempe non esse ex aliena necessitate & inopia captandum lucrum & opes: oportere misereri pauperum, eorumque egestatem gratuita liberalitate sublevare; non autem avara rapacitate eam adaugere. Idcirco etiam ii qui aliquam usuram licitam esse judicant, nolunt videri contradicere Scripturæ sacræ, nec veteribus patribus qui in primo floruerunt millenario æræ Christianæ. Et sanè *Gregorius*, hujus nominis primus, Episc. Rom. videtur usuram quæ à divitibus sine ipsorum damno accipitur, ut rem non simpliciter malam, admittere, lib. 7. epist. 37. ubi *Fœlicem* hortatur, ut receptione sortis à *Mauro* debitore contentus, usuras remittat, eo quod in mercibus suis à Fœlice acceptis *Maurus* passus esset non leve dispendium, unde non poterat sine magno suo detrimento reddere *Fœlici* tum pretium mercium, tum etiam pretii dilati usuras de quibus inter eos convenerat. Ideo pro illo intercedit *Gregorius*, & serio hortatur *Fœlicem*, ut in hac re, sicut Christianum decet & nobilem, plus benignus sit quam rigidus, plus misericors quam districtus, & lucrum de damno alterius non exspectet: sed recepta pretii sit sorte contentus, sciens quicquid cesserit pauperi, id illi multiplicata restitutione compensaturum Deum; ut cælestis mercedis intuitu, pauperem ab afflictione obligationis exuat. Hactenus *Gregorius*. Idem tamen nullum usurarium admittebat in clerum: ut patet ex ejus verbis apud *Gratianum*, dist. 47. can. *de Petro*. citatis supra cap. 5. §. 4. *Hieronymi* autem dilemma quo omnem usuram videtur simpliciter damnare, retulimus ex ipso *Hieronymo* cap. 6. §. 7. Usuram etiam in fœnore improbate videtur *Lactantius*; generale etiam videtur argumentum *Basilii* adversus fœneratorem, ἄνευ γῆς φυτέυεις, ἄνευ σπορᾶς θερίζεις, id est, *absque solo plantas, absque semente metis.* Utut sit, missos parumper faciamus patres illos, & ad alios veniamus inter quos manifesta magis est dissonantia.

II. Contra usuram Canonistæ in Jure Canonico, unde supra citavimus contra usuram canonem Apostolorum, & undecim Conciliorum decreta, nempe Concilii Laod: Concil. Nicæn: Conc. Elibert. Conc. Arelat: Conc. Terrac: Concil. Martini Papæ: Conc. Agathens. Conc. Turon: Conc. Lateran: Conc. Lugdun: Conc. Vienn. & Pontificum quorundam sententias. Ex *Zonara* etiam ac *Balsamone* canones duorum porro Conciliorum, nempe Cartag. & Trull. Item; Scholastici Theologi, cum Magistro *Lombardo*, *Anselmus Laudunensis*: *Alexander Alesius*: *Hugo Card. Thom. Aq. Vincentius Belloacensis*: *Bonaventura*: *Henricus Gandavensis*: *Durandus à S. Portiano*, & alii.

Item recentiores Pontificii ab anno Domini 1500. Cardinalis Cajetanus: Dominicus Soto: Joannes Medina: Cornel. Jansenius: Johan. Malderus: Leonardus Lessius: Michaël Salon: Cardinalis Bellarminus, &c.

Item reformatæ Religionis professores, Th. Beza. Mart. Chemnitius: Joannes Juellus: D. Wilsonus: Henr. Smith: Georgius Downamus: Robertus Hovæus: &c.

III. Pro aliqua usura sunt leges civiles in corpore Juris Justinianeo. Et ex Scholasticis Theol. *Tostatus* Episc. Abulensis. Et ex recentioribus Pontificiis, *Gaspar Caballinus*. Et ex reformatæ religionis professoribus; *Joan. Calvinus*: *Martin. Bucerus*: *Danæus*: *Bullingerus*: *Melancthon*: *Zanchius*: *Ju-*

 nius:

nius: Perkinsus: Catech. Heidelb. Tilenus: Keckermannus: Charpius: Fabritius: Rivetus, Theologi. Et duo celebres Jureconsulti, *Carolus Molinæus: Franc. Hottomannus.*

IV. Oppugnatores omnis usuræ proponunt quasdam exceptiones; seu potius casus, in quibus sine crimine usurario, licitum est incrementum accipere ultra sortem datam. Quas exceptiones seu casus his versibus inclusimus, supra cap. 5. §. 17.

1. *Æs trajectitium*: 2. *Socii*: 3. *Deducito sumptus*:
4. *Sacra domus*: 5. *Conjunx*: 6. *Incertum est*: 7. *Empta revendam*:
8. *Pompa*: 9. *Fidejussor*: 10. *Gratus*: 11. *Pœna*: 12. *Inter & esse*:
13. *Spem lucri Thomistæ addunt*; 14. *Præsensque levamen.*

V. De primis duodecim exceptionibus conveniunt omnes eo sensu quo superius à nobis sunt explicatæ. Nonnulla tamen discrepantia est circa 2. & 7. & 10, uti ex collatione patet eorum quæ supra sparsim retulimus. Postremas duas adjiciunt Thomistæ. De rationibus etiam quæ contra usuram adseruntur nonnulla dissensio est inter *Chemnitium* & alios. Antequam igitur ad alteram pro usura sententiam progrediamur, perpendendæ sunt memoratæ exceptiones & dissensiones.

VI. De exceptionibus reliquis (præter 2. 7. 10., & duas Thomisticas) consentiunt omnes, tum oppugnatores usurarum, tum etiam ii qui usurarum videntur propugnatores: manifestam enim continent æquitatem, dummodo diligenter vitetur scandalum, præsertim in 4. & 5. De aliis utrobique sunt quædam dissensiones.

VII. Occurrunt igitur antequam ulterius progrediamur sex quæstiunculæ discutiendæ, etiam inter ipsos usurarum adversarios.

I. De præsenti reciproco levamine.
II. De spe lucri.
III. De societate tacita in sola intentione.
IV. De naturalis ad ἀντίδωρα obligationis deductione in obligationem civilem.
V. De contractu redemptionis.
VI. De rationibus contra usuram.

Includi poterunt huic districho:

1. *Subsidium præsens*: 2. *Spes lucri*: *Intentio.* 4. *Gratus*:
5. *Post redimes*: 6. *Fœnus qua ratione ruat.*

I.

VIII. De *præsenti reciproco levamine* doctrinam *Thomæ* posuimus supra, cap. 7. §. 17. dist. 7., quæritur nunc, si alter vel non possit vel nolit concedere in præsenti mutuum reciprocum, utrum liceat tibi denegare ei mutuationem rei tuæ qua indiget: Resp. distinguendo: nam vel rei tuæ conservatio est tibi necessaria, sive pro obtinenda re illa qua indiges, sive ad alium usum necessarium, & hoc casu poteris ei denegare mutuum; non enim postulat Deus ut alteri ex re tua sit relaxatio, & tibi interim sit tribulatio; sed æqualitatem tantummodo exigit, charitati congruam; 2 Cor. 8: 13, 14. Vel ea sine tuo detrimento aut periculo ad tempus carere potes, & velles eam aliis sine ulla compensatione mutuari sola commiseratione indigentiæ ipsorum; & sic etiam isti inopi non habenti aliunde suæ levamen indigentiæ, mutuari teneris, juxta mandatum Domini, & exemplum Patris cælestis, Luc. 6: 35, 36. nempe prout ferunt facultates, 2 Cor. 8: 12, 13. sine tuo intolerabili detrimento, aut periculo.

II.

IX. *Spem lucri* quomodo accipiant Thomistæ, patet ex eis quæ supra retulimus cap. 7. ex *Thoma Aq.* & *Card. Cajet.* & cap. 8. ex *Maldero*, & ex *Lessio*, ne scilicet putetur esse usura quando non esses mutuaturus, nisi mediante amicitia & gratitudine mutuatarii lucrum aliquod sperares, ut loquitur *Malderus*. Aliter tamen sentiunt, *Jansenius*, *Chemnitius*, *Calvinus*, *Zanchius*, *Junius*, *Downamus*, queis consentire videtur *Henricus Gandavensis*. Quid etiam contra istam Thomistarum opinionem objici posse videatur ex sacris literis, vide supra cap. 7. §. 16. Respondebant tamen Thomistæ, pauperibus quidem dandum esse mutuum sine spe lucri; at non teneri nos, ut mutuum demus opulentioribus, nisi lucri spes affulgeat.

III.

X. *Societas* vel expressa est in contractu, vel tacita est, neque in contractu exprimitur, sed habetur in sola intentione creditoris, qui stipulatur in eventum lucri certam accessionem ultra suam sortem à debitore, sine mentione communis damni, firmam tamen & sinceram habens intentionem firmumque propositum sustinendi etiam partem damni, si damnum absque culpa debitoris contigerit; quamvis hanc suam intentionem in contractu non exprimat, sed reticeat, ut hoc veluti fræno alter coërceatur, ne securius alienam pecuniam profundat, vel negligenter perdat, aut etiam honesti lucri occasiones per socordiam prætermittat. Talem contractum ut usurariam damnat *Juellus*. At verò *Downamus*, non minus infensus usurarum hostis acerque oppugnator, contractum qualem diximus, ait non esse pro usurario habendum, quum sit revera societas, si internam respicias sinceramque mutuatoris intentionem, qua apud se firmiter decrevit, damna non minus quam lucra fore communia: damna, inquam, quæ sine culpa debitoris evenerint. Nam, uti dixit *Pomponius*, J. C. *Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.* leg. 203. ff. de diversis regulis juris. Hac ratione satisfiet etiam illis quibus constitutio accessionis pœnalis, in antecessum facta, & quidem definitè atque explicitè in ipso contractu, ideo displicet, quia pœna non debetur nisi post culpam, sive ex mora, sive aliter admissam; Nam iniquitatem tollit sincera intentio mutuatoris non exigendi pœnam nisi pro ratione culpæ. De pœna autem diximus plura supra, cap. 5. in explicatione exceptionum Juris Canonici. *In contractibus rei veritas potius, quam scriptura, perspici debet.* L. 1. C. Plus valere quod agitur. Vide plura pro memorato contractu, supra, cap. 10. apud Anonymum illum virum doctum, & apud *Zanchium.* *De tacita societate.*

IV.

XI. Necessitatem gratitudinis & obligationem naturalem ad ἀντίδωρα agnoscunt omnes. At de hujus naturalis obligationis deductione in pactum seu obligationem civilem, dissensio est. *Negativam* tenent *Thomas*, *Durandus*, *Dominicus Soto*, *Downamus*, & alii. Et rationem hanc adferunt; quia ex debito justitiæ nihil creditori debetur nisi restitutio ipsius sortis, quum debitum justitiæ attendatur secundum quantitatem beneficii; at ex debito æquitatis naturalis amicitiæ debetur creditori ἀντιπόδομα ultra sortem, si ex amicitia mutuaverit, quum debitum amicitiæ

citiæ attendatur secundum affectum dantis, non autem secundum quantitatem beneficii: debet autem *ἀντίδοσις* esse spontanea, sine obligatione civili, sicuti erat mutuatoris benevolentia; quam obfuscat & perimit obligatio civilis, tollitque *ἀντιδόσεως* necessitatem naturalem.

XII. *Affirmativam* tamen partem tuentur apud *Malderum* & *Lessium* supra cap. 5. & cap. 8. *Angelus* & *Gregorius Ariminensis*, & *Hadrianus*. quorum hæc est præcipua ratio; quia per tale pactum seu obligationem civilem, ad nihil aliud obligatur debitor, quam ad quod prius fuit obligatus naturaliter. Pro qua parte videtur facere quod legimus, cap. 7. *Cum in officiis*: Extra, de testamentis, ubi dicitur, in officiis charitatis nos primo loco illis teneri obnoxios, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse.

XIII. Ad rationem autem à *Thoma*, & *Durando*, aliisque in contrarium allatam, dicent; non esse necesse, ut tam sit gratuita compensatio benevolentiæ, quam fuit ipsa benevolentia, pro qua debetur compensatio; magis enim obligari beneficiarium, quam benefactorem. Neque inductione pacti civilis obfuscari & perimi benevolentiam creditoris, satis enim spectatam esse ejus benevolentiam erga mutuatarium, quando illum mutuatione gratuita sublevat, nullam exigens beneficii mercedem civilem, non vendens illi beneficium, neque ulteriorem ei obligationem imponens quam ei imponit ipsa naturalis æquitas. Adhæc etiam dicent, ipsius beneficii quantitatem in mutuo non esse in sola materiæ mutuatæ mensura spectandam, sed insuper in ipsa mutuatione, sive sublevatione per mutuationem, atque adeo etiam ex debito justitiæ deberi creditori *ἀνταπόδομα* aliquod ultra restitutionem sortis. Neque enim ipse actus restitutionis habendus est loco beneficii, sicut actus mutuationis, neque mutuationis beneficium compensatur restitutione. In mercatura quidem, & permutatione, quantitas beneficii æstimatur ex sola materia; at non sic in mutuatione. Nam ipsa naturalis ratio docet non esse tantum beneficium rem alicui vendere, aut permutare, quantum est rem mutuare.

XIV. Fatendum tamen, cum *Chemnitio*, nolle Deum omnia in societatis politicæ communicatione esse venalia, sed velle quædam officia esse gratuita; eaque deformari & depravari, quando vel tanquam venalia venduntur, vel tanquam mercenaria locantur: neque postulare justitiam commutativam ut vendantur illa officia quæ Deus vult esse gratuita. Unde sequitur, quatenus mutuationem Deus vult esse gratuitam, non posse pro ea peti mercedem ex debito justitiæ commutativæ. Quia autem lex charitatis non tollit naturalem æquitatem qua affectus beneficio obligatur naturaliter ad gratitudinem, etiam pro officiis quæ Deus vult esse gratuita, debetur aliqua compensatio ex æquitate naturali. Si verò debitorem pacto insuper civili in antecessum obliges tibi ad faciendam eam compensationem, non est jam beneficium tuum æque gratuitum. Quamvis ille maneat interea naturaliter obligatus ad *ἀντίδωρα*. Et negativæ parti magis favere videtur Scriptura sacra, proponens nobis etiam ingratos mutuatione sublevandos, Luc. 6: 35.

XV. Dicendum igitur, non sic licere inducere pactum civile ad *ἀντίδωρα*, ut non esses absque tali pacto mutuaturus etiam egeno, quem gratuita mutuatione teneris sublevare; at verò non esse absurdum tale pactum, ubi intuitus gratitudinis locum tantummodo obtinet secundarium, primarium verò charitas, quæ si sincera sit, non desinit esse gratuita per inductionem pacti, quando etiamsi negaretur pactum, constituit tamen creditor gratis mutuare egeno fratri, pro facultatibus. Et quando per pactum illud ad nihil aliud obligatur debitor, quam ad quod est obligatus naturaliter; neque per pactum illud accipit creditor potestatem exigendi quicquam à debitore, nisi quod exigere posset ex æquitate naturali, etiamsi nullum intercessisset pactum. Fatetur autem *Thomas* & alii, qui negativam tenent de pacto, posse gratitudinem & benevolentiam, ejusque necessarium fructum, non solum accipi, sed etiam exigi à debitore, ex obligatione naturalis æquitatis amicitiæ. Vide pro determinatione ista quæstionis hujus insignem *Buceri* sententiam apud *Zanchium*, supra cap. 10. Num. IV. §. 5.

V.

XVI. De contractu redemptionis, sive de emptione cum pacto revendendi, dictum est supra, cap. 5. §. 18. In exceptione 7. ex jure Canonico, [*Empta revendam.*] item cap. 9. ex *Chemnitio*, & *Downamo*, & cap. 10. ex *Danæo*, quibus in locis adstruitur jus & æquitas hujusmodi contractus; ejusque conditiones necessariæ proponuntur: quarum una est æqualitas pretii, de qua dissensionem *Chemnitii* & *Downami* observavimus, cap. 9. Quos hac ratione facile conciliabis; si æqualitatem pretii in emptione cum pacto revendendi æstimes secundum *Chemnitii* verba, quando permittitur redemptio in perpetuum, ita ut quandocunque vel venditor vel ejus hæredes obtulerint pretium, cogatur emptor restituere rem venditam. Talis enim obligatio est pecunia æstimabilis majori quam si tantummodo in quoddam certum tempus concedatur potestas redimendi. Quando autem conditio adjicitur, ut si intra breve tempus, puta, annum unum, aut biennium, non redemerit, jus redimendi postea non habeat, æstimes æqualitatem pretii secundum *Downami* sententiam, quia obligatio in tam breve tempus aut nulla aut perexigua pecunia æstimari potest. Si verò plures anni concedantur ad redimendum, quo longius erit tempus obligationis ad revendendum, eo pluris æstimabitur obligatio, & quo brevius erit tempus, minoris æstimabitur obligatio; & plus minusve de pretio demetur.

Conciliatio Chemn. & Downami.

XVII. Eisdem in locis jam citatis ostenditur differentia inter pignus sive *ἀντίχρησιν*, & inter contractum redemptionis. Pignoris usum concedunt leges civiles, loco usuræ, absque diminutione debitæ sortis, quomodo etiam concedunt usuras civiles; uti docuimus supra, cap. 4. Certum est enim usum pignoris pecunia æstimabilem, nisi computetur in solutionem sortis, eodem loco habendum esse cum aliis usuris civilibus, quæ pro mutuatione accipiuntur: adeoque contractum illum *ἀντιχρήσεως* esse non minus usurarium, quam si creditor stipularetur usuras in pecunia, vel quacunque alia materia.

IV.

XVIII. *Rationes* contra usuram adferuntur à *Thoma*, & *Bonaventura*, & *Durando*, & aliis, quibus probent illicitam simpliciter & intrinsecè malam esse usuram quamlibet, sive ea à divite, sive à paupere, & quantulacunque accipiatur. Præcipuas rationes examinabimus; sunt

autem

autem decem numero, quas memoriæ causa inclusimus disticho.

1. *Consumo* : 2. *Sterile est* : 3. *Non merx* : 4. *mensura* : 5. *Necesse est* :
6. *Rei dominus* : 7. *Rei discrimen* : 8. *Fonti* : 9. *Otia* : 10. *Raro*.

XIX. *Consumo.*] quia usus rerum quæ mutuo dantur est ipsarum consumptio, ideoque non potest seorsim æstimari.

Sterile est.] Pecunia non est res fructificans, ergo contra naturam est, ut nummus nummum pariat.

Istas duas rationes rejecit ut invalidas, easque refellit aliis rationibus *Chemnitius*, usurarum inimicus, supra, cap. 9.

XX. Et cum *Chemnitio* respondent ii quibus non omnis usura videtur esse contra naturam. Ad 1. quando pecunia mutuò datur ad comparanda vitæ necessaria, tunc pecunia usu consumitur, neque seorsum æstimari potest utilitas pecuniæ ab ipsa pecunia, neque fas est exigere quicquam ultra restitutionem sortis: at verò quando pecunia datur mutuò non ut sit mensura rerum necessariarum, sed ut sit medium acquisitionis lucri, aut conservationis rerum alioqui distrahendarum, quibus etiam divenditis superesset venditori quod satis esset ad necessitatem; tunc pecuniæ usus non est consumptio, sed spectatur in ejus rei usu quæ vel acquiritur, vel conservatur; ideoque seorsum ab ipsa sorte æstimabilis est utilitas pecuniæ. Ad 2. pecunia physicè spectata, quatenùs metallum est, non est fructifera; & hoc sensu contra naturam est ut numus numum pariat; at verò si consideretur politicè, quatenus est pecunia sive instrumentum & medium commercii & acquisitionis mercium quarumcunque, non est contra naturam ut numus numum pariat; mediante industria humana, & utilitate rei sive acquisitæ sive conservatæ beneficio pecuniæ. Quemadmodum securis, aut incus, materialiter considerata, qua ferrum est, & res inanimis, ac sterilis, non potest parere securim, aut incudem; at considerata formaliter, secundùm formam artificialem, & respectu usus cui inservit, non est absurdum ut securis pariat securim, incus incudem, lebes lebetem, malleus malleum, domus domum, &c., mediante humana industria, vel locando, vel utendo.

XXI. Dicunt *Thomas* & alii, pecuniam habere solùm rationem materiæ in faciendo lucro, non autem rationem caussæ effectivæ, quemadmodum radix & fundus; ideo locatori deberi fructum ex agro, at mutuatori non deberi fructum ex pecunia, eo quod quæstus qui fit ex pecunia sit solius industriæ humanæ fructus, non etiam pecuniæ. Sicuti vasis fictilis & lucri ex eo facti caussa effectiva est sola figuli industria, lutum verò est tantummodo caussa materialis. Hanc opinionem referebamus supra, cap. 7. §. 11. Sed respondent alii; utilitatem sive lucrum ex recto usu pecuniæ comparatum, non esse solius industriæ, sed etiam pecuniæ fructum; & pecuniam habere etiam rationem caussæ quodammodo effectivæ; veluti si quis alicui vas fictile utendum concederet, aut securim, non præstat quidem vas aut securis utilitatem absque hominis, instrumento istiusmodi rectè utentis, industria, sed tamen mediante hominis industria utile erit instrumentum etiam per modum caussæ effectivæ. Ideo non quadrat similitudo informis luti, aut ferri, quod in effectione vasis, aut securis, rationem habet tantummodo caussæ materialis; nam non datur mutuo informis massa, ex qua procudatur pecunia, instrumentum futurum commerciorum, sed datur pecunia commerciis jam apta, adeo ut nullus alius requiratur labor circa pecuniam, nisi ut ea jam rectè utaris, sicuti circa securim, aut vas, aut aliud quodlibet instrumentum. Et quamvis in recto etiam usu pecuniæ non maneat pecunia quoad idem individuum, seu ut loquuntur Jureconsulti, in eadem specie, quomodo manet securis, aut vas fictile; manet tamen pecunia quoad valorem & æquipollentiam, in rebus beneficio pecuniæ vel acquisitis vel conservatis: ex quibus facilè poteris quando voles, acquirere tantam aut majorem pecuniæ summam. Nec refert sive in eadem specie, sive in eodem genere, recuperes pecuniam, si commoditatem aut lucrum aut usum de quo quærimus intuearis, neque si contingat ut eosdem singulares numos recipias quos expendisti, plus inde lucrari poteris, quam ex aliis numis ejusdem valoris & æstimationis.

XXII. Sciendum est autem quædam habere rationem caussæ effectivæ à natura, quomodo effectivè ignis urit, terra fructificat, &c. quædam verò habere rationem caussæ effectivæ ab arte, & quidem secundùm naturam communem, quomodo vas fictile effectivè continet, & securis secat beneficio artis, sed secundùm naturam communem, quia naturæ communi congruum est, ut corpora cava & capacia liquoris, & solidis lateribus, immissum liquorem cohibeant ne diffluat; & naturæ communi consentaneum est, ut acuta scindant: quædam denique habere rationem caussæ effectivæ κατὰ συνθήκην, uti de vocabulis loquitur *Aristoteles*, in libro περὶ ἑρμηνείας: nempe ex institutione, & quidem secundum naturam rationalem. Sic iris, ex institutione Divina, in mentibus hominum, institutionem non nescientium, efficit certam fiduciam quod non sit rediturum universale diluvium. Et ex institutione humana dictiones ab hominibus confictæ instruunt auditores. Literæ regiæ, quibus aliquis in jus vocatur, tradi jubentur manu præconis, aut publici tabellionis, vim aliter non habitura citatione, res repeti ab hostibus, & bella denunciari per feciales, &c. quum tamen naturaliter, secundùm naturam rebus etiam brutis communem non habeat vox manusve præconis aut fecialis plus virium, quam vox manusve alterius hominis. Et tamen plus valent ex instituto, & quidem secundùm solam naturam rationalem, quia hujusmodi rationem causæ effectivæ res aliqua consequitur inter homines, & congruenter rationi humanæ, non etiam inter res brutas, & congruenter naturæ brutæ. Hoc tertio modo pecunia habet rationem caussæ effectivæ lucri in commerciis humanis. Hæc ad primas duas rationes contra usuram adferri solitas dixisse sufficiat.

XXIII. *Tertia ratio*, quæ contra usuram adfertur; *pecunia non est merx*. Ergo vendi non debet, ut aliæ merces. Respond. pecunia non est merx; esto; satis est, si sit æquivalens merci, & instrumentum commercii lucrosi. Neque in mutuatione venditur pecunia ut merx, neque expetit creditor quicquam ultra sortem propter pecuniam tanquam mercem, pluris minorisve æstimabilem; sed postulat gratitudinem, ejusque necessarium fructum. Nempe partem lucri ex ea pecunia, tanquam instrumento facti, quam dare possit debitor absque suo damno. *Non merx.*

XXIV. *Quarta ratio*: pecunia ex se nullam habet utilitatem, sed est *mensura* utilitatis aliarum *Mensura.*

rum rerum, ergo in majori mensura repeti non debet quam est mutuò data, hoc enim esset, ut loquitur *Thomas*, diversificare mensuras. Hanc rationem elucidavimus supra, cap. 7. §. 8. & §. 9. Respond. duplex est consideratio pecuniæ; nam vel consideratur tantummodo ut est mensura, & sic neque sui ipsius esse potest mensura, neque amplior repeti potest quam tradita est: vel consideratur ut talis mensura quæ etiam effectivè sit instrumentum lucri faciendi, non tantum mensuratione, sed etiam acquisitione; aut conservatione rerum, beneficio pecuniæ, & sic quidem spectata pecunia repeti potest amplior quam data est, quatenus scilicet pecunia tradita instrumentum exiftit lucrationis acquisitivæ, aut conservativæ: nam lucratio compensat diversitatem mensuræ, eamque postulat: ideoque hîc nulla est mensurarum falsatio, sed compensationis cum beneficio honesta quædam æquatio. Secundum naturalem illam æquitatem, quæ debitorem obligat ad ἀντίδοσιν.

Necesse est. XXV. *Quinta ratio.* Mutuationis officium est debitum, ergo pro eo lucrum expetere injustia est, quia iniquum est rem debitam vendere tanquam indebitam. Hac ratione utitur *Bonaventura*. Resp. Observatum est à *Chemnitio*, usurarum oppugnatore, Scripturam distribuere genus humanum in aliquot ordines, & singulis attribuere certos contractus seu modos communicationum. 1. Quidam sunt mendici, qui nec pecuniam, nec res nec operas habent quarum commutatione aliquid possint acquirere, ut Luc. 16: 20. Actor. 3: 2. Luc. 18: 35. Joan. 9: 8. &c. cum his legitima communicatio non est si venditio offeratur, aut mutuatio; quamvis alioqui venditio & mutuatio sint contractus qui Deo probantur: talibus enim offerre rerum suarum communicationem per emptionem; aut per contractus innominatos, *Si dederis, aut feceris, dabo*; aut per mutuationem hoc modo, si stipulatus fueris sortis restitutionem; Hæc certè (inquit *Chemnitius*) non legitima communicatio esset, sed illusio: & contractus tales Deo non probantur: non enim instituit emptionem Deus ut cum mendicis exerceatur, sed talium inopiam vult sublevari largitione eleemosynarum. 2. Sunt quidam, qui nec res nec pecuniam habent, sed possunt operas præstare, laborare, negotiari, sicut Levit. 25: 35. textus inquit, si depressus fuerit frater, & manus ejus nutaverit, &c. Manum, inquit, habet, sed depressam & nutantem paupertate, ut non possit operas seu labores suæ vocationis exercere, illum, inquit textus, debes apprehendere & sustentare, priusquam ad extremam inopiam seu mendicitatem redigatur. Sed non emptione aut permutatione id fieri facilè potest, quia est attenuatus & nutans, nec eleemosynis id fieri necesse est, quia ait Paulus, 2 Thess. 3: 12. qui potest laborare, debet proprium panem manducare. &, 1 Thess. 4: 11, 12. propriis manibus operari, ut honestè se gerat erga extraneos, & nulla re indigeat. Huic igitur hominum ordini Deus præscribit duas formas & modos communicationis, ut vel opera ipsorum conducatur, Levit. 25: 39. vel ut officio mutuationis gratuito subleventur, Exod. 22. Levit. 25. &c. 3. Sunt qui Dei benedictione habent & res & facultates, quibus acquirere & tueri possunt vitæ necessaria. Quia verò etiam divitibus Deus non ira omnia contulit ut possint carere contractibus, vult igitur etiam illos consociatos esse reliquis hominibus, legitimis illis communicationibus & communicationibus in societate civili. Manifestum autem est, cum hoc ordine, si qua nostra vel re vel opera indigent, non faciendam esse communicationem per eleemosynas. Et quando Scriptura præcipit, ut egentes & attenuatos gratuita mutuatione sublevemus, ostendit non præscriptum esse hoc officium propter illos, qui per se abundant. Huic igitur ordini propositi sunt reliqui legitimi contractus, ut emptio, locatio, permutatio, &c. Hæc (inquit) adeo sunt manifesta, ut etiam ex lege naturæ intelligantur. Addendæ autem sunt duæ regulæ. 1. Quod eleemosyna & mutuatio habent peculiares & amplissimas promissiones in Scriptura: reliqui verò contractus non ita; sed includuntur in generales promissiones legitimi præcepti. 2. Regula est: quod illis omnibus, quæ hactenus de discrimine contractuum & personarum dicta sunt, charitas tanquam magistra & moderatrix proponitur. Fiunt enim in singulis ordinibus, etiam legitimæ formæ communicationum iniquæ & illicitæ, si exerceantur sine charitate proximi, vel contra eam pugnent. ——— Unde etiamsi mutuum des homini tertii ordinis, quando tamen contractus, etiam liciti, proximum exhauriunt & opprimunt, præcipit Scriptura de remissione debiti. Sicut Esai. 58: 6. loquitur de syngraphis, dissolvere colligationes impietatis, solvere fasciculos deprimentes, &c. Et per se quidem repetere debitum juxta syngraphas, non est peccatum; sed si pugnet contra charitatem, etiam legitimæ & justæ fiunt iniquæ. Hæc sunt simplicia, certa, firma, & perspicua fundamenta, quæ præbent luculentam dijudicationem multarum disputationum. ——— *Nota indigens.*

Nota. Christus inter mutuum & eleemosynam differentiam facit: quæ nulla alia est quam restitutio sortis. Sed si ad paupertatem debitor interea redactus fuerit, ut si cogatur ad restitutionem sortis, ad extremam mendicitatem redigatur, ut illis quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt privetur, ibi lege charitatis mutuum transit in eleemosynam, Exod. 22: 25. Deuter. 24: 12. Ezech. 18: 7. & 33: 15. Job. 22: 6. & 24: 3. Esai. 58: 6. & Christus Luc. 6: 35. dicit, non tantum illis esse mutuò dandum qui creditores possunt vel pignore vel alia ratione certos reddere de restitutione sortis; sed & illis à quibus nihil speratur, nisi quatenus sortem meliorem adepti commodè reddere possint. Ita, qui habet operas & possessiones, & vult uti gratuito mutuo quod pauperibus debetur, non rectè facit, sed illi propositi sunt reliqui contractus. Si dives diviti donet, vel gratuito vel mutuò, non quidem peccat, sicut nec ille qui amicos vel divites convivio excipit, sed tamen non præstat illud bonum opus quod Scriptura toties præcipit, quando de mutuo loquitur, cui tam præclaræ promissiones additæ sunt. Si verò præteritis tenuioribus qui indigent, tantùm divitibus gratificetur mutuò, talem Christus dicit non esse meliorem publicanis & peccatoribus. Hactenus *Chemnitius*. *Luc. 6: 35.*

XXVI. His ex Chemnitio præmissis, facilior erit responsio ad rationem proximè propositam contra usuram. Nam ad id quod dicitur, officium mutuationis esse debitum, ideoque debere esse gratuitum: respondetur; *1. Resp.* 1. Negando consequentiam; nam venditio seu datio mercis est aliquando debita, Proverb. 11: 26. neque tamen inde sequitur venditionem esse de-

debere fine pretio. Sin autem in hunc modum formetur argumentum, mutuatio gratuita eſt officium debitum, ergo &c. Reſp. 2.
2. Reſp. Diſtinguendo antecedens, nam etiamſi mutuatio gratuita ſit officium debitum erga homines ſecundi ordinis ſive egenos, non tamen eſt officium debitum erga homines tertii ordinis ſive divites aut habentes de ſuo unde ſufficienter provideant ſuis neceſſitatibus.

XXVII. Si adhuc inſtes & dicas, cum eodem Chemnitio. & aliis, mutuationem quidem gratuitam eſſe officium non niſi egenis debitum; ad definitionem tamen & eſſentiam mutui pertinere ut ſit gratuitum, cuicunque fiat mutuatio, ſive pauperi, ſive diviti: ideoque quamvis non obligemur ad dandum mutuum divitibus, non tamen fas eſſe à quoquam mutuatario paciſci aliquid ultra ſortem, aut exigere uſuram, ſed neceſſe eſſe ut, ſi alicui demus mutuum, id faciamus gratis, nihil exigentes præter reſtitutionem
3. Reſp. ſortis. Reſp. 3. Id quidem aſſeritur de natura & jure mutui, ſed adferenda eſſet idonea probatio: & oſtendendum diſcrimen, cur nequeat mutuatio aliqua eſſe lucratoria, ſi fiat ſine damno & injuria mutuatarii, ſicut eſſe poteſt commodatio lucratoria quæ locatio dicitur, & datio lucratoria in permutatione aut venditione.

XXVIII. Dices, probationem ſuppetere partim ex ſacra Scriptura; quæ in genere ac ſimpliciter damnat uſuram, omnemque ſuperabundantiam, quæ in mutuo ultra ſortem exigitur, ſine diſcrimine, à quocunque accipiatur, Pſalm. 15. Ezechiel. 18. Luc. 6. quod verò in quibusdam teſtimoniis pauperum fit mentio apud Moſen, id eadem ratione fieri, ſicut in ſexto & octavo præcepto plerumque nominantur viduæ, pupilli, pauperes, ne illis inferatur injuria, at inde non ſequi, ergo injuria quæ fit conjugatis, adultis, potentibus, divitibus, non eſt peccatum. Item officium mutui præcipi præcipuè propter pauperes & egenos, ideo eorum fieri mentionem in lege. Partim etiam ſuppetere aſſertionis memoratæ probationem ex ratione.

4. Reſp. Reſpondebunt, teſtimonia illa Prophetarum accipienda eſſe & redigenda ad ipſam legem per Moyſen latam, uti poſtea dicetur in expoſitione locorum ſcripturæ de uſura. Et ſicut ex eo quod non liceat accipere uſuram à paupere, non ſequitur licere accipere uſuram à divite: ita neque inde ſequi quod
Exod. 21: 26. non liceat à divite accipere uſuram: ſicut ex eo quod non liceat retinere per noctem pi-
Deut. 24: 12, 13. gnus pauperis, non ſequitur etiam pignus divitis non poſſe retineri ſine peccato. Neque convenire illam ſimilitudinem de injuria; quum injuria tum in genere & ſimpliciter erga quosvis, tum etiam explicitè erga divites prohibeatur, in officiis judicum, & ſubditorum, & ſervorum, & proximorum, uſura autem non ſic prohibeatur. Neque magis ſimpliciter absque perſonarum diſcrimine damnari uſu-
Ezech. 18: 7, 12, 16. ram apud Ezechielem, quam retentionem pignoris, & tamen non inde ſequi illicitam eſſe retentionem pignoris à divite accepti. Ad probationem autem ex ratione petitam, reſpondebunt; rationes hactenus allatas eſſe infirmas, ut oſtenſum eſt: & ad alias ſe reſponſuros ubi prolatæ fuerint. Audiamus igitur plures contra uſuram adferri ſolitas rationes, quibus probetur debere omnem mutuationem eſſe gratuitam.

XXIX. *Sexta ratio.* In mutuo transfertur rei dominium, unde mutuum dictum eſt; *Rei dominium.*
quod de meo fiat tuum; iniquum eſt autem ſi vendam tibi uſum rei tuæ, & pro uſu rei tuæ pretium exigam. *Septima ratio* eſt; In *Rei diſcrimen.*
mutuo transfertur rei mutuatæ omne periculum ad mutuatarium, una cum dominio; jam autem regula eſt in utroque jure, *ut ubi periculum, ibi & lucrum collocetur: & cujus eſt* emolumentum, ejus debeat eſſe periculum. Lege ult. §. penult. C. de furtis. & extra; de uſuris, in gloſſa ad cap. 16. *Salubriter.* Colligantur iſtæ duæ rationes ex diſcriminibus mutui & commodati quæ ex jure civili ſupra allata ſunt, cap. 2. §. 8.

XXX. Reſp. ad ſextam rationem dicent, non ita transferri dominium in mutuo, ſicut in donatione, aut venditione, &c. neque enim mutuatarium eſſe ita abſolutè dominum pecuniæ mutuò acceptæ, ſicut abſolutè eſt dominus pecuniæ illius quam vel dono accepit, vel emit, vel teſtamento ſibi legatam poſſidet. Neque emptor eſt æquè dominus pecuniæ in pretium alienatæ, ac mutuator dominus eſt pecuniæ mutuo datæ. Itaque quod dicitur, injuſtum eſſe ſi pro uſu rei exigatur pretium à domino illius rei, concedent de domino, illo qui ſit rei dominus ſimpliciter, qualis eſt emptor, aut donatarius, aut legatarius, &c. non autem de tali domino qui ſit rei dominus non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; non abſolutus dominus, ſed ad rem eam reſtituendam alteri tanquam abſoluto & ſimpliciter domino obligatus; qualis dominus eſt mutuatarius mutuatori obligatus. Abſolutum rei dominium non transfertur niſi alienatione in perpetuum facta, in quo ordine alienationum non eſt mutuatio, quæ accenſetur alienationibus quæ fiunt non niſi ad tempus. Si mutuator abſolutè transferret rei dominium, non haberet jus eam repetendi ut rem ſuam; at certè habet jus repetendi, & quando repetit, non repetit rem alienam, hæc enim eſſet petitio, non repetitio, ſed repetit rem ſuam; jam autem ille eſt propriè dominus rei, cujus res ſua eſt. Neque dominium impeditur mutuatione ſpeciei, nam dominium & utilitas iſtiusmodi rerum, & in talibus rebus divitiæ, non æſtimantur corpore, ſed menſura in eodem genere. Unde ſi quis famulo ſuo aut amico tradat pecuniam non quidem mutuam, ſed aſſervandam, quamvis depoſitarius mutet ſpecies, ſi tamen reſtituat eandem ſummam in eodem genere, dicimus, & vere quidem, depoſitorem recepiſſe ſuam pecuniam quam depoſuerat. Dixerunt autem Jureconſulti, dominium in mutuo transferri, quia mutuatario conceditur poteſtas conſumendi acceptam ſpeciem, unde efficicitur quodammodo, ſive ſecundum quid, aut quaſi, dominus rei mutuatæ; non tamen efficitur ſimpliciter ejus dominus, quia non eſt ei conceſſum, neque de jure poteſt ita conſumere acceptam ſpeciem, ut ad reſtitutionem generis ſe reddat ſua culpa invalidum, cum detrimento creditoris. Creditor tamen manet principaliter ac ſimpliciter dominus pecuniæ mutuò datæ, uti dictum eſt, eamque poteſt vel donare alicui, ut rem ſuam, vel in commercio loco pretii aſſignare debitori, quod fieri non poſſet ſi eſſet ſimpliciter tranſlatum ejus dominium ad debitorem actu mutuationis. Nam non minus injuſtum eſt, ſi tibi pro merce tua pecuniam tuam tibi aſſignem in pretium, &

pro

pro pecunia tua exigam aut capiam à te mercedem, aut lucri ex re tua facti particeps fieri expetam. Atque hæc quidem de sexta ratione.

XXXI. Ad septimam rationem respondent; non transferri omne periculum rei mutuatæ; Nam etsi statuant id leges civiles; legem tamen conscientiæ & charitatis Christianæ postulare, ut creditor partem sustineat damni quod nulla debitoris culpa evenerit. Ut patet ex eis quæ supra citavimus ex *Calvino*, *Danæo*, *Zanchio*, & aliis diversam sententiam sequentibus.

Fons. XXXII. *Octava ratio*; Quæ contra usuram adfertur, sumitur à fonte honestæ mutuationis. Hanc autem rationem colligit *Downamus* ex ipsius *Zanchii* verbis; *Zanchius* enim licet aliquam existimet esse licitam usuram, de fonte tamen mutuationis scribens, tres ponit fontes mutuationis inter homines. 1. Avaritiam, 2. Naturalem humanitatem cum æquitate conjunctam. 3. Meram charitatem. Et in ea mutuatione quæ à secundo fonte profluxit, locum habere sit participationem lucri, quam defendit. Primum verò fontem prorsus damnari ait, supra cap. 10. ex *Zanchio*, Num. 8. Hinc colligit *Downamus*, omnem mutuationem debere esse gratuitam, cum humanitas & charitas non possint esse venalia.

XXXIII. Respondetur: Attendenda est æquitas humanitati adjuncta. Præterea, est adhuc alius & quidem licitus fons unde honesta fluunt inter homines commercia; sumamus, exempli caussa, commercium mercaturæ aut permutationis, nullane igitur honesta erit mercatura aut permutatio nisi quæ ab humanitate profluxerit, vel à mera charitate? Quid igitur de artibus & commerciis lucri caussa susceptis, lucri, inquam, honesti, & honestè nec sine charitate faciendi? Certe clarum est etiam honestam esse posse lucri faciendi intentionem, moderatamque rei suæ ampliandæ curam; neque habendum esse pro avaro cum qui hoc fine ad artem aliquam honestam legitimumve commercium animum adpulerit. Quum igitur negotiari, permutare, societatem inire, aliquis licitè possit, rei suæ vel ampliandæ vel conservandæ caussa, tanquam propter finem principalem, sine quo non; neque talium commerciorum fons dici debeat avaritia; cur non etiam mutuatio esse poterit aliqua honesta ab eodem fonte promanans? Ut si quis mutuum petat cui mutuò dare neque humanitas imperet, neque charitas, possumne circumspicere an spes aliqua honesti lucri affulgeat, sine qua non sum illi mutuaturus? Neque hæc dicenda erit avaritia, sed œconomica prudentia, & honesta cura ac diligentia circa rem meam.

XXXIV. Dices; negotiationem quidem, & societatem, & similes contractus esse posse honestos, à lucri spe & moderato rei familiaris ampliandæ studio profluentes; at non posse esse honestam mutuationem à tali fonte promanantem: neque idoneam esse similitudinem fœnerationis cum artibus quæstuariis, ut patebit ex decima ratione. Respondebitur; Si talis mutuatio inhonesta sit, id erit ex aliqua trium caussarum. 1. Vel quia honestus esse non potest contractus aut commercium à tali fonte promanans. 2. Vel quia natura mutuationis talem originem respuit. 3. Vel quia lex Dei omnem mutuationem jubet esse gratuitam. Non ob primam caussam; nam ostensum est posse esse honestos contractus à tali fonte. Neque propter secundam caussam; nam talem originem respueret natura mutui, vel quia res mutuata ipso usu consumitur, vel quia est res infructuosa, vel ob aliquam aliam ex eis rationibus quæ supra propositæ sunt, aut insuper proponi solent: at istæ rationes supra propositæ non sunt satis validæ, uti ostensum est in earum examine. Aliæ igitur adferendæ erunt rationes, ut id evincatur. At neque propter tertiam caussam, nam lex Dei (*inquiunt*) non jubet omnem simpliciter mutuationem cuicunque factam, esse gratuitam, uti dicetur in explicatione locorum scripturæ.

XXXV. *Nona ratio* contra usuram est; Usuræ quæstus homines ad desidiam ducit, illectos dulcedine lucri percipiendi sine suo labore, aut periculo: & diffidentiæ filia est, τόκος ἀπιςίας ἔκγονος, dum homines nolunt negotiari qui Deo non fidunt. Respond. talem usuram desidiosam damnant etiam illi quibus aliqua videtur esse licita usura; hanc enim cautionem expressè adjiciunt, ut nihil captandi ignavi otii, aut inertiæ caussa fiat: & ajunt, cum Apostolo, (2 Thess. 3: 10.) unicuique esse laborandum in aliqua honesta vocatione; alioqui non debere illum comedere. Adhibendam ab unoquoque in sua vocatione esse diligentiam, eventum autem Deo commendandum, & permittendum. Vide supra, cap. 10. Num. XII. ex *Andrea Riveto*, §. 2. & §. 3.

XXXVI. *Decima ratio* contra usuram sit illa, quam colligit *Downamus* ex verbis *Calvini*, cujus etiam supra mentionem fecimus, cap. 10. Num. I. §. 8. *Calvinus* dixit licere fœnus accipere, sed *raro*: continuum enim morem non carere vitio; & turpe esse quæstum facere ex usuris, & ex professo fœnerari, & artem fœneratoriam exercere. Hinc *Downamus* sic argumentatur; ex quolibet contractu licito fas est quæstum facere & artem exercere: at ex usura fas non est quæstum facere & artem exercere: ergo usura non est contractus licitus, sed per se illicitus. Argumentatio ista nititur hoc fundamento, quod ea omnia quorum frequens usus vitiosus est, & in uno quolibet singulari actu sint etiam vitiosa: quemadmodum cernimus in malis moralibus, perjurio, homicidio, scortatione, furto, mendacio, &c. Nam etsi plus peccat ebriosus, quam qui semel est repertus ebrius, uterque tamen peccat, & unus etiam actus est in vitio. Raro.

XXXVII. Resp. Argumentum istud non satis firmo nititur fundamento. Uti patet ex exemplis quæ huic argumentationi opposuimus supra, cap. 10. At inquies, ex honesta societate fas est quæstum facere; usura autem illa, quam *Calvinus* & alii dicunt esse licitam, est revera societas; uti supra ostensum est: cur igitur non licebit ex tali usura quæstum facere seu artem exercere quæstuariam? Resp. 1. Quia etsi internam sinceram firmamque mutuatoris intentionem respiciendo societas est, externa tamen stipulatio concipitur non in forma societatis, sed in forma potius absolutæ fœnerationis: quod etsi nonnunquam honestè fieri possit, absurdè tamen in artem quæstuariam vertitur, perpetuo usu. 2. Quia metus est, ne mutuator, lucri frequentia allectus, tentationi avaritiæ succumbat, mentemque mutet erga fratrem, & secundùm externa pacta conventa,

posthabitis societatis legibus, usuras inclementer exigat. Ideo dicit *Calvinus*, fœneratorem semper fore latronem, hoc est, qui quæstum faciet ex fœnore, illum prædonem futurum. 3. Quia eodem monente *Calvino*, vix fieri potest, ut vel is qui fœnus accipit, non gravet fratrem suum, & ideo optandum ait, nomen ipsum tam fœnoris, quam usuræ, sepultum esse, & deletum ex hominum memoria. Ad majorem igitur propositionem illius syllogismi, responsio est, licere quæstum facere ex honesta societate expressa, at non ex tacita, cujusmodi est usura ista socialis: idque propter jam memoratas rationes.

XXXVIII. Atque hæc de sex illis quæstionibus, superius §. 7. propositis, prolixius in utramque partem nobis disputata, nos veluti manu jam ducunt ad facilius inveniendum statum controversiæ. Argumenta sex illarum quæstionum memoriæ juvandæ ergo, inclusa sunt disticho Elegiaco;

1. *Subsidium præsens*: 2. *Spes lucri*: 3. *Intentio*: 4. *Gratus*:
5. *Post redimes*: 6. *Fœnus qua ratione ruat.*

Rationes autem in tractatione sextæ quæstionis examinatæ, includuntur disticho epico, sic;

1. *Consumo*: 2. *Sterile est*: 3. *non merx*: 4. *Mensura*: 5. *Necesse est*:
6. *Rei dominus*: 7. *Res discrimen*: 8. *Fons*: 9. *Otia*: 10. *Raro.*

Pro usura aliqua, sunt leges civiles Romanorum, in corpore juris Justinianeo. Sed cum hisce restrictionibus.

1. *Sit pactum*: 2. *Res congeneres*: 3. *Cum tempore tellus*:
4. *Sint personæ aptæ*: 5. *Detur sors integra*: 6. *Nec sit*,
Usura usuræ: 7. *Geminata sorte quiesces*:
8. *Legitimæ usuræ*: 9. *Sit nemo exactor acerbus.*

Istarum restrictionum explicationem ex ipsis legibus sumtam dedimus supra, cap. 4.

Supra, cap. 10. At Theologi & Jure-consulti recentiores qui aliquam esse licitam dicunt usuram, non tam legibus civilibus permoventur, quam legibus conscientiæ, charitatis, & æquitatis. Et quam probant usuram sive accessionem ad sortem, circumscribunt hisce conditionibus.

1. *Desidiam fugita, nec habendi sæva cupido*
Fœnoris ad quæstum, nec diffidentia ducat,
Mens sit amica: 2. *Modum serva*: 3. *Ne turpiter urge*:
4. *Da totum*: 5. *Usuram differ*: 6. *Quæ prole carebit*:
7. *Nil modica pro sorte*: 8. *Vide loca*: 9. *Scandala vita*:
10. *Nunquam à paupere*: 11. *Raro à divite*: 12. *Sed sine damno*:
13. *Nec capies licitâ nisi debitor arte lucretur.*
14. *Sortis & amissæ ne sis exactor acerbus.*

XXXIX. Lucrum verò sive accessionem istis conditionibus vestitam, admittunt etiam illi qui omnem usuram, ut simpliciter malam, explodunt. Sicut manifestum est partim ex casibus exceptis quos supra inclusimus tetrasticho, cap. 5. §. 17. & cap. 11. §. 4.

Æs trajectitium, socij, &c.

Partim ex tractatione sex illarum quæstionum, quarum argumenta disticho illo indicantur.

Subsidium præsens, spes lucri, &c.

Status quæstionis, seu potius consensio omnium. Unde manifestum est, non adeo magnam esse inter utriusque partis doctores dissensionem in re. Omnes enim consentiunt de lucro illo quod describitur Octasticho,

Desidiam fugito, nec habendi, &c.

Sed qui se profitentur omnis usuræ adversarios, molestè ferunt quod lucro isti imponatur nomen usuræ; tum quia usura in sacris literis & apud Patres in malam partem plerumque dicitur; tum etiam quia avari fœneratores ac usurarii, ex hoc vocabulo, quando audiunt magnis viris usuram aliquam probari, arripiunt ansam perseverandi obstinatè in sua crudeli fœneratione seu usura, omnibus probis semper improbata. Neque hic vehementer repugnant doctores illi quibus aliqua videtur licita usura; Nam *Calvinus* monet non esse certandum de vocabulis, & optandum esse ait, ut nomen ipsum tam fœnoris quam usuræ sepultum esset & deletum ex hominum memoria. Et *Perkinsus* idem cum *Calvino*, *Danæo*, *Zanchio*, & aliis lucrum defendens, abstinet à vocabulo usuræ, & usuram damnat, ut simpliciter malam; accessionem tamen qualem descripsimus admittit, & licitam esse contendit.

XL. Dissensio est de interpretatione quorundam locorum sacræ Scripturæ, de qua non solum diversarum partium, sed etiam earundem partium doctores inter se dissentiunt. De locis autem illis sequenti capite dicendum erit. *De quo hic dissensio.*

CAPUT XII.

Interpretatio Locorum Scripturæ; cum Conclusione.

SACRÆ Scripturæ testimonia citata sunt supra cap. 3. ex Lege Mosaica, ex Prophetis, & Evangeliis.

Ex Lege Mosaïca sunt hæc testimonia;

Deut. 15: 17. &c. Si fuerit apud te pauper è fratribus tuis in aliqua portarum tuarum in terra tua quam Dominus Deus tuus dat tibi, non indurabis cor tuum neque claudes manum tuam à fratre tuo paupere, sed aperiendo aperies manum tuam illi & mutuando mutuabis ei ad sufficientiam id quo indiguerit, &c.

Exod. 22: 25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo, pauperi qui tecum est, non eris ei tanquam usurarius, non imponetis ei usuram.

Levit. 25: 35, 36, 37, 38. Quum autem attenuatus fuerit frater tuus, & nutaverit manus ejus apud te, apprehendes * illum; peregrinum & advenam, ut vivat tecum † ne accipias ab eo usuram & augmentum, sed timebis Deum tuum, vivetque frater apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, nec cum augmento dabis escam tuam. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Canaan, ac essem vobis in Deum.

** Seu fulcies.*
† Pagn. sicut peregrinus & advena vivet tecum. Angl. quamvis etiam peregrinus sit & advena.

Deuter. 23: 19, 20. Non fœnerabis fratri tuo fœnus pecuniæ, fœnus cibi, fœnus cujuscunque rei, quæ fœnori dari solet. Extraneo fœnerabis, at fratri tuo non fœnerabis; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni applicatione manus tuæ, super terram ad quam ingrederis ut possideas eam.

Pro interpretatione istorum locorum hæc quinque investiganda sunt;

I. Quis intelligatur pauper, cui est mutuandum, & quidem gratis.

II. Quis sit frater, à quo usuram capere prohibetur Israëlita, sitne solus pauper frater, an verò frater quilibet de gente Israëlitica, sive is pauper sit, sive dives.

III. Quis intelligatur extraneus, à quo capere usuras poterat Israëlita.

IV. Qualis intelligenda sit usura, utrobique.

V. Qualis sit ipsa lex seu constitutio: utrum sit moralis, an cæremonialis, vel politica.

Mosaicæ ut capias sensum de fœnore legis,
Quinque hæc, 1. Quis pauper, 2. Quis frater;
3. Quis peregrinus;
4. Quod genus usuræ; 5. Qualis lex ipsa, vi-dendo.

I. I. Quis *pauperis* nomine intelligatur, diximus in examine rationis quintæ contra usuram, supra cap. Undecimo, §. 24. &c. Nempe intelligi neque prorsus inopes, neque de suo abundè habentes, sed medium quendam hominum ordinem, de quo ibi dictum est.

II. II. *Fratris* nomine quidam solos pauperes fratres intellexerunt, eo quod in Exodo & Levitico, & cap. 15. Deuteronomii, expressa fiat pauperum mentio, & quod repugnet charitati accipere usuram ullam à paupere, quum tamen à divite aliquam usuram interdum accipere non vetet charitas. Alii per fratrem intelligunt quemlibet fratrem de gente Israëlitica, sive pauperem sive divitem. Cui interpretationi favent verba illa Mosis, Deut. 23: 19, 20. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem. Extraneo fœnerabis, at fratri tuo non fœnerabis.* Ubi à solis extraneis usuram capere sinuntur Israëlitæ; ergo à nullo sinebantur capere qui non esset extraneus. Hoc enim evincit ipsa oppositio. *Philo* Judæus *fratrem* hoc loco interpretatur οὐ μόνον τὸν ἐκ τῶν αὐτῶν φύντα γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν ἀστὸς ἢ ὁμόφυλος ᾖ. Non solum ex eisdem natam parentibus, verùm etiam qui civis sit aut tribulis. Phil. lib. De charitate, seu Philanthropia. Et *Josephus* commemorat in legibus Mosaïcis, hanc legem, Δανείζειν Ἑβραίων ἐπὶ τόκοις ἐξέστω μηδενί· Id est; mutuum dare ad usuram Hebræorum nemini liceat. Joseph. lib. 4. Antiquit. Judaic. cap. 8. seu ultimo. Judæis autem Græce loquentibus omnes Israëlitæ dicuntur ὁμόφυλοι, & extranei dicuntur ἀλλόφυλοι. ut cernere est apud Philonem & Josephum, passim.

III. III. *Extraneos* quidam interpretantur, Cananæos, Amorrhæos, Amalekitas, &c. populos internecioni devotos. Et ajunt, exstirpatis populis, simpliciter prohibitam esse usuram, absque ullâ limitatione, eo quod illa apud Mosen limitatio solos respexerit populos illos exitio devotos.

IV. Pro hac textus Mosaïci interpretatione nullam invenio à quoquam allatam rationem, præter unicam illam *Downami* argutiam grammaticam, quia scilicet apud Mosen Deut. 23: 20. in Hebræo non est *lenochri* לְנָכְרִי, sed *lannochri* לַנָּכְרִי, quod vocabulum interpretatur *Downamus*, extraneo isti, sicut etiam verterunt *Tremellius* & *Junius*. At non satis tuta est illa argutia. Solo enim articulo ה, differunt *lenochri* & *lannochri*, quod contractè dicitur quasi *lehannochri*, eodem enim discrimine distinguuntur inter se *lenochri* & *lannochri* quo *nochri* & *hannochri*; *ger* & *hagger*; &c. Atque articulus ה, in multis locis scripturæ invenitur absque tali restrictione qualem inde colligit *Downamus*, nam de quolibet extraneo, sive ille Syrus esset, sive Ægyptius, sive Græcus, aut quicunque alius, dicitur הַגֵּר *hagger*, Deut. 10: 18. item הַנֵּכָר *hannecar*, Esai. 56: 6. item הַנָּכְרִי *hannochri*, Deut. 15. 3. & 1. Regum. 8: 41, 43. ubi Salomon הַנָּכְרִי *hannochri* vocat omnem de quacunque extera gente hominem, qui non sit de populo Israëlitico, & *hannochri* Deut. 29: 22. *haggoim* הַגּוֹיִם gentes, Deut. 29: 24. Unde manifestum est, non esse ἀναντίρρητον illam *Downami* collectionem. *Junius* quidem in sua versione biblica, & in annotatione marginali id scripsit quod defendere conatur *Downamus*: At idem *Junius* illam suam interpretationem & annotationem evertit in dissertatione de usura, ubi quandam esse usuram ordinariè inter Christianos licitam probat ex hoc, quod licuerit *Israëlitis* dare extraneo in usuram, & hoc esse dicit argumentum βίαιον, supra cap. 10. At certè hujus argumenti nulla erit vis, nisi extranei intelligantur quilibet gentiles, quomodo intelligitur extraneus in illa Salomonis oratione, 1 Reg. 8. Consultius igitur fecissent *Tremellius* & *Junius*, si locum illum cum aliis Græcis, Latinis, aliarumque linguarum interpretibus, vertissent absolutè, *fœnerabis alieno vel extraneo*, τῷ ἀλλοτρίῳ.

V. Alii igitur rectius per *Extraneos* intelligunt quoslibet gentiles qui non essent de populo Israëlitico, exceptis advenis inquilinis; nam cum advena inquilino tanquam cum fratre agendum erat, uti præcipitur Levit. 19: 34. & cap. 25: 36. Quilibet etiam proselytus, quamvis non inquilinus, quales erant *Naaman* Syrus, & Reginæ Candaces Eunuchus, accensendus erat fratribus, nam participes fiebant proselyti fœderis & promissionum factarum *Abrahamo* ejusque semini. In hac sententia sunt *Alensis*; *Thomas Aq. Vincentius Bell. Dominicus Soto*, *Malderus*; *Salon*; *Chemnitius*, qui omnem usuram, ut intrinsecè ac simpliciter malam, damnant. Item *Calvinus*, *Danæus*, *Junius*, quibus aliqua licita videtur usura. Hanc interpretationem confirmat ipsa oppositio *fratris*, & *extranei*, quæ manifestè ostendit nomine extranei intelligendum esse quemlibet qui non sit frater de stirpe Israelis, aut saltem inquilinus, aut proselytus, uti dictum est.

VI. *Usura* Israëlitis inter se prohibita, & erga extraneos concessa, augmentum est seu accessio supra sortem, propter mutuationem sortis, etiamsi non esset utrique commune periculum. Nam ubi mutuator consentit in participationem periculi, & lucri, non est ea usura illa de qua quærimus, sed propriè loquendo est societas, quam nulla vetat lex.

VII. Quinto loco, videndum *cujusmodi sit illa lex*, *utrum moralis*, atque adeo universalis & perpetua; an *politica*, aut *cæremonialis*, adeoque populo illi peculiariter lata, & temporaria, pro tempore durantis illius status reip. Israëliticæ. Una pars legis est de non accipienda usura à fratribus, altera accipi sinit ab extraneis. Illa præceptiva est, hæc permissiva, non enim peccassent Israëlitæ dantes etiam extraneis mutuum sine stipulatione aut acceptione usuræ. Præceptio autem illa prohibitiva est, qua prohibentur accipere usuram à fratribus. Prohibitio ista, quatenus pauperes spectat, moralis est, atque adeo, quantum assequor, erga ipsos etiam extraneos pauperes servanda; nusquam enim opponitur extraneus pauperi fratri, neque excipiuntur extranei, dum prohibet lex sumere usuram à fratre paupere, sed permissio usuræ, in commerciis cum extraneis, proponitur cum prohibitione illa quâ, à fratribus, sine discrimine pauperis aut divitis, accipere usuras prohibentur. Deut. 23: 19, 20. Prohibitio autem illa, quatenus etiam ad fratres divites extenditur, pars politiæ est Israëliticæ, hoc etiam includens morale, quod inde monemur, *Vide Levit. 25: 35.*

Galat. 6: 10. agi debere inter fratres benignius. *Nempe igitur dum tempus habemus, simus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei.* Quamvis autem præferendi aliis sint domestici fidei, officia tamen eleemosynæ, & mutuationis gratuitæ erga indigentes, ita sunt debita fratribus & amicis, ut neque infidelibus neque inimicis nostris deneganda sint. Et hanc esse mentem legis docet Dominus, apud Matthæum, & Lucam.

Matth. 5: 42, 44. Luc. 6: 35. VIII. Qui per *extraneos* intelligunt quoslibet genriles, eorum aliqui ita interpretantur eam legis partem, ut doceant eâ non obstante partem prohibitivam esse moralem. Et hi dicunt, non esse hanc permissionem moralem, qua sit concessa res non mala, sed permissionem simplicis tolerantiæ politicam, qua civiliter permissam esse ajunt usuram, rem in se malam, ad evitandum majus malum, quemadmodum permissum est uxorum repudium. At ista interpretatio non tam tollit quam auget difficultatem. Nam 1. Repudium uxoris permittebatur ad evitandum majus malum erga eandem personam quæ repudiabatur; at dissimile est permittere rapinam bonorum unius hominis, ut abstineant à bonis alterius. 2. Datio libelli repudii erat bonum quid, præsupposito malo, nempe injusta uxoris dimissione, bonum istud imperabatur, & malum præsuppositum tolerabatur; utriusque autem tum præceptionis tum tolerationis finis erat ad evitandum aliud malum majus malo tolerato, at verò si usura erga extraneos sit permissa ut res in se mala, ut furtum, & hic sit sensus legis, furaberis furto usurario ab extraneis, hoc enim tibi permittitur, ut evitetur aliud pejus furtum, ne scilicet hoc furti genere fureris à fratribus; ecquid hîc boni invenitur imperatum pro evitatione mali, prout in præcepto illo epitreptico de libello repudii? 3. Denique majus malum est damnum justitiæ, quam damnum pecuniæ; si igitur permissum sit Israëlitis fœneratoriè furari ab extraneis, ne ipsorum Israëlitarum bona ad se traherent extranei per inæqualitatem commercii, (quod etiam asferitur ab hujus secundæ interpretationis autoribus, & fautoribus,) sequetur permissum esse damnum justitiæ, quod est majus malum, ad evitandum minus malum, nempe damnum pecuniæ: quod est prorsus absurdum, & contra illud fundamentum quo dicitur, permitti minus malum ad evitandum majus malum.

IX. Simplicior est eorum expositio, qui hanc legis partem ita interpretantur, ut inde inferant, partem prohibitivam, qua vetatur usura inter fratres, quamvis haud inopes, fuisse non moralem, sed politicam, partemque politiæ Israëliticæ. Cujusmodi etiam illæ prohibitiones, de

Deut. 15: 2. non exigendo debito à fratribus, anno sabbatico; & de fratre in servitutem nexu mancipii non deducendo; & de possessionibus venditione

Levit. 25: 23, 28 41, 54. internecina non vendendis, neque de tribu in tribum transferendis. &c. Quæ constitutiones populo illi & reipublicæ illi erant peculiares, & aliquid etiam in se habebant cæremoniale, sicut ipsa illa politia, ad quam constitutiones istæ

Num. 36: 7, 8, 9. pertinebant. Morales etiam includebant instructiones, de benignitate & clementia, &c. Sicut etiam illa inter fratres Israëlitas usuræ prohibitio continet aliquid morale, & perpetui juris: nimirum, ut prospiciant rectores & legumlatores, ne usuris graventur cives, & ut unicuique res sua salva esse possit, atque adeo omnia inter concives fiant in charitate fraterna, & eas usuras, quas necessarii commercii ratio prorsus excludi non patitur, ita legum autoritate moderentur, ne quid inde respublica detrimenti capiat, neque privatorum res exhauriantur, aut immodicè onerentur.

X. Sequuntur Novi Testamenti testimonia adferri solita.

Ea duorum sunt ordinum. In 1. ordine sunt ea testimonia quæ loquuntur de mutuo, Matth. 5: 42. & seqq. Petenti abs te dato, & volentem abs te mutuari ne repellas. Audivistis dictum esse, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c. & Luc. 6: 34, 35. Si mutuo dederitis eis à quibus vos recepturos speratis [παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν] qualis vobis gratia est? etenim peccatores peccatoribus dant mutuò, ut recipiant æqualia [ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα.] Verum diligite inimicos vestros, eisque benefacite; & mutuo date, nihil inde sperantes [μηδὲν ἀπελπίζοντες,] eritque merces vestra magna, & eritis filii altissimi; quia ipse benignus est erga ingratos & pravos. In secundo ordine est id quod in parabola talentorum dicitur, Matth. 25: 27. Et ego veniens recepissem meum cum fœnore, [seu usura.] [καὶ ἐλθὼν ἐγὼ ἐκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ.] De quo vide supra, cap. 9. Num. v. §. 15.

XI. Testimonia prioris ordinis quidam interpretantur de prohibitione usuræ, uti ex supra citatis doctorum testimoniis liquet. Alii rectius asserunt non agi illis locis de usura, sed de discrimine personarum quod Judæi δευτερῶται in exercendo beneficentiæ & humanitatis officio observandum dictabant. Cum tamen in lege præcipiatur ut etiam egenis, unde nihil certò restituendum sperari potest, dent mutuum gratuitum, Deut. 15: 8. ut inimici bovem aut asinum aberrantem reducant ad eum; ut asinum osoris sui sub onere decumbentem sublevent, Exod. 23: 4, 5. ut inimico esurienti dent cibum, & sitienti potum, Prov. 25: 21. Quanto magis ipse homo, licet inimicus, sublevandus? idcirco Christus genuinum legis sensum monstrans, duo explodit impedimenta benignæ communicationis, à duplici personarum discrimine perperam sumpta. 1. Benefaciebant & mutuum dabant Judæi eis qui satis essent solvendo, à quibus recipiendæ sortis certa spes affulgebat, non autem eis à quibus spes certa non erat recuperandæ sortis; hoc impedimentum benignæ communicationis amolitur Dominus, quando ait, etiam peccatores mutuum dare eis à quibus sperant se recepturos æqualia, sed plus requiri in hominibus Christianis qui se volent filios altissimi comprobare. 2. Benefaciebant Judæi & gratis mutuum dabant amico, non autem inimico: hoc discrimen amovet Dominus, dicens, diligite inimicos vestros, eisque benefacite, & date mutuum, nihil inde sperantes.

XII. Quod autem jubet Dominus dare mutuum omni petenti, & quidem etiamsi non affulgeat spes ἀντιδόσεως, neque etiam certa spes recuperandæ ipsius sortis mutuatæ; id non est absolutè, sed cum duabus restrictionibus intelligendum. 1. Non absolute cuilibet petenti dandum est, aut mutuandum, etiamsi de utroque tum dationis tum mutuationis officio dicatur; *Petenti abs te dato; & mutuari abs te volentem ne averseris*, Matth. 5: 42. Qui enim dat diviti, perveniet ad egestatem, inquit Salomon Prov. 22: 16. Dare igitur aut mutuare tenemur non cuilibet; sed egenti, Deut. 15: 7, 8. Esai. 58: 7. 2. Considerandæ sunt facultates illius à quo

quo petitur mutuum, nam fieri potest ut tam sint tenues, ut inde parum aut etiam nihil mutuare possit. Jam autem si adsit prompta voluntas, acceptus Deo est aliquis in officio communicationis, prout habet, non autem prout non habet, neque enim imperantur talia officia ut aliis sit relaxatio, & dantibus tribulatio; sed ex æqualitate ut præsens unius abundantia sublevet alterius egestatem; & vicissim ut illius sublevati abundantia, adjutoris sui (si eveniat postea ut ejus ope aliquando indigeat) egestati remedium adferat; ut sit æqualitas, 2 Corinth. 8: 13, 14. Utraque restrictio invenitur apud Lucam, in verbis Joannis Baptistæ, qui turbis eum interrogantibus quid facere deberent, respondit, *Qui habet duas tunicas, communicet cum non habente; & qui habet victum, similiter faciat*, Luc. 3: 11. similiter apud Joannem Apostolum, 1 Joan. 3: 17. ubi habenti rem hujus mundi imperatur communicatio erga fratrem indigentem.

Luc. 14: 12,13,14. XIII. Quemadmodum autem Dominus non damnat amicorum aut vicinorum divitum modesta convivia, quando monet hospitem suum ut epulas apparans non invitet amicos suos, aut fratres aut cognatos, aut vicinos divites, sed ut ad convivium vocet pauperes, mancos, &c. Luc. 14. Sed tantummodo docet, conviviorum illorum quæ civiliter propter homines fiunt exspectandam esse mercedem hic ab hominibus; eorum autem quæ propter Deum secundum cognitionem dantur, sine intuitu retributionis humanæ, retributionem ab ipso Deo in futuro seculo peramplam exspectandam: nam illa convivia sunt opera civilis amicitiæ, humanitatis, ac sodalitatis, Deo quidem non improbata, sed tamen per quæ non antecellimus peccatoribus hujus mundi, qui talibus officiis alii alios invicem excipiunt: ista verò, sunt opera Christianæ charitatis, per quam scimus nos in Deo esse, & Deum in nobis, 1. Joan. 4: 16. nosque transisse de morte in vitam, 1 Joan. 3: 14. per quam dignoscuntur discipuli Christi, Joan. 13: 35. Sic etiam mutuationem prudentem diviti factam non damnat Dominus, (Salomon enim solam illam communicationem erga divites explodit quæ supra facultates & inconsideratè fit, qualia etiam convivia Deo improbantur, uti ostendimus in dissertatione de furto in abusu,) *Supra part. 1. cap. 17.* sed docet, per tales communicationes nos haud præstare peccatoribus hujus seculi, quos Deus pro suis in Christo adoptatis filiis non agnoscit: ideoque ulteriore communicationis genere opus esse, ut nos filios esse altissimi palam comprobemus.

Conclusio.

XIV. In ea aliquando fui opinione, ut eorum sententia vero propior videretur, qui usuram propriè dictam, quemadmodum nobis superius descripta est, hoc ipso capite, §. 6. damnant, ut rem in se malam, & universali ac perpetua Dei lege morali prohibitam. Ab ea tamen opinione, ut nunc absistam, his moveor argumentis: 1. Quia concessio usuræ in commerciis Israëlitarum cum omnibus extraneis non erat concessio rei in se malæ: neque simile est exemplum illud de Ægyptiorum spoliatione, Exod. 3: 22. & cap. 11. vers. 2: 3. & cap. 12. vers. 35: 36. Nam petere & accipere mutuò aut commodatò, fas est, & quidem eo animo, ut, si Deus extraordinario quodam miraculo restitutionem impediat, verboque declaret in eo casu se nolle restitutionem fieri illis à quibus iniquè fraudatus fuerit debita laboris mercede, obsecuturus sis Divino mandato de non restituendo. Quod tamen non iteratò fieri permisit Deus erga Ægyptios; neque ut ita cum Ægyptiis aliisve extraneis ageretur lege perpetua sanxit. Sed fidem atque æquitatem servari voluit Deus in commerciis cum extraneis. Neque eorum vitia imitari concessit Israëlitis. 2. Prohibitio usuræ inter ipsos Israëlitas, etiam divites, locum habere potuit in illo populo, cui Deus & peculiaria quædam mandata dedit, & promissiones quasdam beneficiorum quorundam & privilegiorum temporalium quæ aliis populis etiam Christianis promissa non sunt, ut patet ex lege anni sabbatici, Levit. 25: 21. & similibus. At etiam ii qui usuram simpliciter damnant, fateri coguntur necessariam esse ejus permissionem legibus publicis, etiam inter Christianos. Durum autem videtur, si dicatur, omnes Christianorum respublicas usque adeo esse à Domino derelictas, ut malum aliquod morale non solum tolerare, sed etiam legibus publicis quodammodo fulcire necesse habeant, dum creditori usuram poscenti patrocinantur contra debitorem promissas usuras solvere recusantem. 3. Multæ sunt inter Christianos personæ tenues, & debiles, atque ad negotia inidoneæ, quibus etiam tuta nusquam se offert aliqua societas negotiatoria: quibus tamen occurrunt mutuatarii quidam haud inopes, qui eorum pecunias haud illibenter mutuò accipere, eisque usuras superaddere parati sunt. Cujusmodi personæ sunt viduæ, pupilli, senes, & studiosi, &c. quorum plerique in re usque adeo tenui constituti sunt, ut negatis usuris, fortem brevi fint absumpturi, & ita aliis majori oneri futuri. Talibus personis nullam tuendæ vitæ, nisi quæ injusta sit, monstratam aut relictam esse viam, non audeo dicere: aut dum moderatas ac legibus definitas accipiunt usuras, eas peccare, & quadam veluti peccandi necessitate constringi. 4. Qui legitimas seu legibus publicis definitas palam accipiunt usuras, ii in multis orthodoxis Ecclesiis, sine pœnitentia quoad istum actum, & sine reprehensione publica, recipiuntur ad sacram Domini mensam: neque judicant eæ Ecclesiæ istam usurarum acceptionem esse in se malam, seu peccatum. 5. Non audeo onera portatu difficilia imponere Christianorum conscientiis, absque manifesta S. Scripturæ autoritate. 6. Quando rationes, quæ contra usuram adferri solent, æqua lance, & κατ' ἀκρίβειαν, examinantur, *Supra, cap. 11. §. 11. & seqq.* non tanti ponderis esse deprehenduntur, ac primo intuitu esse videbantur. His adductus argumentis clementior sum erga eos, qui à debitore satis potente, modicas usuras clementer accipiunt, non se dedentes inertiæ, nec artem factitantes fœneratoriam, nec lucro suo inhiantes cum alterius damno, nec immemores Christianæ charitatis & beneficentiæ. Quod autem dixit *Augustinus* de juratione; *falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est*; id ipsum huic argumento *Supra, lib. 3 cap. 3. §. 6.* videtur non ineptè posse applicari, in hunc modum; *avara & immitis fœneratio exitiosa est; moderata & clemens fœneratio periculosa est; nulla fœneratio secura est.* Quamvis non peccet qui moderatè & clementer usuram accipit: sicut non peccat qui verum jurat, servatis etiam reliquis legitimæ jurationis regulis. Absque præjudicio

judicio igitur melioris ſententiæ, diſſertationem hanc claudant hi ſequentes verſiculi, cum præcepto Apoſtolico, ut omnia fiant in charitate.

Non jubet utendos gratis concedere nummos
Cunctis lex divina: officium hoc debetur egenis:
Idque ut ferre queunt res noſtræ. Cœlitus autem
Latæ Chriſticolis non eſt violatio legis,
Uſuræ ſi legitimæ ſtipulatio fiat,
Et modicæ; exacto & ſpatio cum ſorte petatur:
Ni vetet uſuram ſumi debentis egeſtas;
Aut interveniens grave damnum, ejus ſine culpa.
Creditor at vegetus non otia ſegnia captet.
Fœnoris infamem nec quiſquam exerceat artem.
Nemo inclementer fœnus ſortemve repoſcat.
Chriſti diſcipulos animo decet eſſe benigno;
Non ſævi cupidos lucri. Dilectio vera
Cum damno alterius non ſibi quærit opes.

Πάντα ὑμῶν ἐν ἀγάπῃ γινέσθω. Omnia veſtra fiant in charitate. 1 Cor. 16: 14.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER NONUS.

De Nono Præcepto.

Non dices falsum testimonium contra proximum tuum.

Caput Primum.

De regimine linguæ, dissertatio generalis, introductoria ad speciales regulas.

Duo sunt præcepta quæ propriè & directè agunt de moderamine linguæ, nempe præceptum tertium, & præceptum nonum. Illud monet ut de Deo rebusque divinis non nisi religiosè loquamur: hoc legem linguæ præscribit in societate humana & in vita communi.

II. Rectæ gubernationis linguæ inveniuntur in scripturis sacris multa & præclara elogia, & peramplæ ei annexæ promissiones: & vice versa, contra linguæ intemperiem multæ graves sententiæ, & tremendæ denunciationes. *Sanitas linguæ est ut lignum vitæ; at perversitas in ea est contritio in spiritu*, inquit Salomon, Prov. 15: 4.

Mors & vita in manu linguæ, & qui diligit eam comedet fructum ejus. Prov. 18: 21. *In die judicii ex sermonibus tuis justificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis.* ait Dominus apud Matthæum, cap. 12. 37.

Si quis videtur religiosus esse inter vos, non refrænans linguam suam, sed decipiens suum cor, vana est hujus religio, Jacob. 1: 26.

Si quis in sermone non labitur, hic vir est perfectus, poterisque regere totum corpus. Jacob. 3: 2. Multa illo Capite dicuntur contra linguæ abusum.

III. Duo sunt quibus præstamus animantibus brutis, ratio & oratio, qua conceptus mentis nostræ alii aliis patefacimus; qua Deum invocamus, laudamus, ejusque opera commemoramus.

IV. David linguam suam vocat *gloriam* suam, & *exultabit lingua mea*, [Hebr. כְּבוֹדִי *gloria mea*] Psal. 16: 9. Græci verterunt ἡ γλῶσσά μȣ, Sept. & Lucas Act. 2: 26. Item, *canet tibi gloria mea*, Hebr. כְּבוֹדִי græc. ἡ δόξα μȣ. Psal. 30: 13. Quia scilicet hæc homini præ omnibus aliis animantibus & creaturis visibilibus propria concessa est gloria, quod linguam nactus sit loquendi facultate præditam, qua Deum suum articulata laudum decantatione celebret, qua de operibus Dei disserat, & homines inter se alii alios ad Deum laudandum & colendum adhortentur. &c. Ideo gratitudinis ergo Dominus exposcit à nobis sacrificium laudis, Psal. 50: 23. *Vitulos labiorum*, Hos. 14. 2. Hebr. 13: 15. Lingua quidem, si quis eâ rectè utatur, gloria est, & instar ligni vitæ: At verò quo res quæque est præstantior, eo terrior est corruptio. Si igitur lingua quis malè utatur, transformat suam gloriam in detestabile monstrum. Unde Jacobus Apostolus cap. 3. intemperantem & perver- *Jacob 3:*
sam linguam vocat flammam, mundum iniqui- 6, 7, 8.
tatis, maculantem totum corpus, inflammantem cursum generationis, & inflammatam à gehenna, bestiis etiam feris magis indomitam, incoërcibile malum, plenam veneno mortifero. Tale monstrum Deo exosum est; Prov. 6: 17. Psal. 50: 19, 20. Ideo Salomon, Prov. 4. postquam dixisset [vers. 23.] Præ omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso sunt egressus vitæ; subjungit [vers. 24.] Remove à te perversitatem oris, & pravitatem labiorum elonga à te. nempe ex abundantia cordis loquitur os, Matth. 12: 34. Studeamus igitur puritati cordis, ut bonum habeamus in corde puro reconditum thesaurum, ut ex bono cordis thesauro proferamus bona; ut monet Dominus, apud
Matthæum, eodem capite 12. vers. 35. &, *Matth.*
cum Davide, oremus Deum ut ponat custo- *12: 34 35.*
diam ori nostro, & custodiat ostium labiorum nostrorum; & ut non inclinet cor nostrum ad rem malam. Psal. 141: 3, 4. Ut creet in nobis cor mundum, & innovet in interioribus nostris spiritum rectum; & labia nostra aperiat, ut os nostrum annunciet laudem ejus, Psal. 51: 12,
17. Ut faciat nos verè Israelitas; in quibus *Verè Is-*
non sit dolus, Joan. 1: 47. qui non loquamur *raelita.*
mendacia, & in quorum ore non inveniatur lingua dolosa, Zeph. 3: 13. qui veritatem & pacem diligamus, Zechar. 8: 19.

V. De moderamine linguæ quid prior legis tabula imperet, diximus supra, in expositione tertii præcepti. Nunc de ea parte hujus officii quæ ad secundam tabulam pertinet dicendum, cum Deo, in expositione hujus præcepti Noni,

Non dices falsum testimonium contra proximum tuum.

Testimonium autem dicimus seu testificamur de aliquo, non solum quando in foro judici percunctanti respondemus, sed etiam quando de re aut persona aliqua quippiam serio affirmamus. 1 Corinth. 15: 15. Act. 1: 8. Rom. 10: 2. Joan. 3: 11, 32, 33. 1 Joan. 5: 9, 10. Apocal. 22: 18.

VI. Subjungitur dolosæ actioni, prohibitæ præcepto octavo, dolosa loquutio, quæ hic prohibetur, cohærent enim internali quodam & indivulso nexu illa duo vitia.

VII. Sicut in aliis præceptis, sic etiam in No-

no præcepto manifesta est synecdoche: exprimitur enim una officii pars hic imperati, subintelliguntur reliquæ partes quæ alibi in sacris literis expresse posita inveniuntur. Ideo, sicuti monuimus in regulis interpretationis quas expositioni Decalogi præmisimus, ad præceptum quod in Decalogo ponitur reducendæ erunt omnes particulares præceptiones & expositiones, quæ de hoc genere officii alibi reperiuntur apud scriptores θεοπνεύστες, qui sunt certissimi legis divinæ interpretes. *Lib. 1. cap. 14.*

VIII. Variæ & quas enumerare difficile sit, inveniuntur partes officii nono præcepto imperati, deque eis partibus leges seu regulæ speciales sparsim in sacris scripturis leguntur. Dedimus operam ut eas in quasdam classes distribueremus, facilioris doctrinæ & memoriæ caussa; & metro brevi, &, quoad ejus fieri in tanta brevitate a nobis potuit, perspicuo, includeremus. Metricum nostrum compendium aliquot sectionibus distinctum subjiciemus: & regulas quæ singulis sectionibus ponentur, testimoniis sacrarum literarum confirmabimus.

CAPUT II.

Regulæ speciales de vitiis in sermone absolutè spectato fugiendis.

a. *Verba simul multi haud faciant*: b. *Oratio clara*
Publica sit; privata quieta; & ubique decora.
c. *Promptior auscultes quàm verba volantia promas;*
Cogita ubi, cui, quis, quid, quando, qualiter, & cur:
d. *Ne sis multiloquus*: e. *Nec inania verba loquaris:*
f. *Non falsus*; g. *Neque sit putris*; h. *Neque sermo prophanus:*
i. *Nec sit stulta tibi*; k. *Nec jactabunda loquela:*
l. *Nolis festivus censeri inhonesta loquendo,*
Doctus inurbanum lepido seponere dicto.

Scholion seu Exegesis & confirmatio.

a. I. In omnibus quidem vitandum esse vitium confusionis docet ipsa naturalis ratio, præsertim verò in exercitiis Ecclesiasticis; Omnia (*inquit Apostolus*) ad ædificationem fiant; Sive lingua quis loquitur, fiat per duos, aut ad plurimum tres, & vicissim [ἀναμέρος, Ambr. *particulatim*,] & unus interpretetur. Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & alii dijudicent, quod si alii fuerit revelatum sedenti, prior taceat. Potestis enim sigillatim [καθ' ἕνα Vulg. *per singulos*] omnes prophetare, ut omnes discant. 1 Cor. 14: 27, 29, 30, 31. Item, omnia fiant decenter & ordine, vers. 40. duplex proponitur ratio hujus mandati, ut non nisi singuli loquantur; 1. Ædificatio audientium 2. Decorum. Tertia addit seu potius exegesin secundæ rationis auctor Commentariorum qui tribuuntur *Ambrosio*, loquantur singuli, (inquit) non simul omnes, ne insanire videantur.

b. II. Eædem illæ rationes ab ædificatione & decoro sumptæ, militant pro secunda regula. Oratio publica nisi clara sit, neque ædificat, neque decora est. Clamabat Jesus in templo docens, Joan. 7: 28. clamor autem privatus, animi ludicium est non sedati. Omnis clamor & maledicentia tollatur à vobis, Ephes. 4: 31. Verba prudentum in tranquillitate melius audiuntur, quam clamor illius qui præest stultis, Eccles. 9: 17. ipsum vocis sonum libret modestia, necujusquam offendat aurem vox fortior, inquit *Ambros.* lib. 1. de officiis, cap. 18. Sciendum autem quosdam esse mores malos dupliciter; partim scilicet contra regulas aulæ, aut civilis conversationis; partim verò contra regulas conscientiæ, sive præcepta divina. Ideo attendenda diligenter est natura transgressionis cujusque. Ait Apostolus, oportere Episcopum esse κόσμιον ornate vestitum, seu compositum, 1 Tim. 3: 2. omnia autem moralia officia quæ illic præscribuntur Episcopo, requiruntur etiam in reliquis Christianis, quamvis aliis Episcopi debeant suo exemplo prælucere. Potest autem aliquis esse in vestitu incompositus, qui tamen non peccet contra conscientiam, sed tantummodo contra civilem munditiem & elegantiam; si nempe incogitanter, aut etiam ex necessitate, aut aliqua idonea causa impellente, & sine scandalo, id eveniat. At verò si quis per sordidam dissoluti animi segnitiem, aut etiam cynica quadam affectatione, neglecto Apostoli præcepto, incomposite amictus, cum aliorum offensione incedat, is haud dubiè in regulam conscientiis positam impingit, & reus est peccati in foro poli. Idem dicendum de duobus primis vitiis sermonis absolutè spectati, de quibus regulæ sunt, *Verba simul multi*, &c. *Nota obiter.*

c. III. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, Jacob. 1: 19. Cor justi meditatur quod respondeat, os autem impiorum eructat mala, Prov. 15: 28. Non complacet sibi stultus in intelligentia, nisi ut manifestetur cor ejus, Prov. 18: 2. Respondens verbum antequam audiat, stultitia est ei & pudor. Prov. 18: 13. Cohibet eloquia sua qui scit sententiam, pretiosus spiritus est vir intelligens. Etiam stultus, quando tacet, sapiens reputatur; & qui obturat labia sua, intelligens, Prov. 17: 27, 28. vide Prov. 12: 23. homo peritus operit scientiam, & cor stultorum prædicat stultitiam. & cap. 29. vers. 11. Totum spiritum suum profert stultus, &c. Dixit quidem poeta ille,

Quis minor est unquam quam tacuisse labor?

Ambrosius autem ait; Tacere nosse quam loqui difficilius est. Scio namque loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit. Hæc *Ambrosius*, lib. 1. de officiis, cap. 2. conveniunt ista cum verbis Jacobi Apostoli, vocantis linguam ἀκατάσχετον κακὸν, malum quod coërcere non possis. Jacob. 3: 8. cum Davide igitur orandum; Pone Domine custodiam ori meo, custodi ostium labiorum meorum Ps. 141: 3. Verba appellavi *volantia*, sicut *Homerus* ἔπεα πτερόεντα, *verba alata*, quia nescit vox missa reverti.

d. IV. Stultus multiplicat verba Ecclesiast. 10: 14. In multiloquio non deest peccatum; coërcens autem labia sua intelligens est Proverb. 10: 19. Hoc vitium semper quidem vitandum, præsertim verò, quando Deum oramus. Ecclesiast. 5: 1, 2. Custodi pedem tuum quando ibis ad domum Dei, & propinquior sis ad audiendum, quam ad dandum stultorum sacrificium, quia non cogitant se malum facere. Ne festines ore tuo, neque cor tuum acceleret proferre verbum ante Deum, quia Deus est in Cœlis & tu super terram; idcirco sint verba tua pauca. Item, Matth. 6: 7. Orantes autem ne sitis loquaces [μὴ βαττολογήσητε,] ut Ethnici, putant enim quod loquacitate sua [ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν] exaudientur.

V.

e. V. Dico autem vobis, de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddituros rationem in die judicii, ait Dominus noster, Matth. 12: 36. in omni labore est abundantia, sed verbum labiorum tantum est ad inopiam, Proverb. 14: 23.

f. VI. Perdes omnes loquentes mendacium, Psal. 5: 7. odit Dominus & detestatur anima ejus linguam mendacem, Prov. 6: 16, 17. quis requiescet Domine in monte sancto tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, Psal. 15: 2. plura de falsiloquio & mendacio dicentur infra capp. 6, 7, 8. vide Prov. 12: 22. & cap. 13: vers. 5.

g. VII. Nullus sermo putris, [λόγος σαπρὸς] ex ore vestro egrediatur, sed si quis bonus est ad ædificationem in eo quo opus est, [πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας,] ut det gratiam audientibus. Et ne contristate Spiritum Sanctum Dei per quem obsignati estis in diem redemptionis, Ephes. 4: 29, 30. corruptus enim seu putris sermo contristat Spiritum Sanctum, non solum in loquente, sed etiam in audiente: quemadmodum justus *Lot* animam suam excruciabat visis & auditis quotidie Sodomitarum iniquis operibus, 2 Pet. 2: 7, 8. vide Psal. 119: vs. 136. & 139. Ad evitandum putredinem sermonis, proponit nobis Apostolus condimentum, nempe salem divinæ gratiæ; sermo vester sit semper cum gratia, sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere Coloss. 4: 6. αἰσχρότης turpitudo sive sermonis sive operis non convenit Christianis. Ephes. 5: 3, 4.

h. VIII. Corrumpunt mores bonos colloquia mala, 1 Cor. 15: 33. prophanas autem & aniles fabulas rejice, τοὺς δὲ βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους παραιτοῦ. 1 Tim. 4: 7. prophana autem inaniloquia cohibe, τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας περιΐστασο. 2 Tim. 2: 16.

i. IX. Haud decet Christianos μωρολογία, stultiloquium, Ephes. 5: 4. in labiis intelligentis invenitur sapientia, Prov. 10: 13. lingua sapientum decorabit scientiam, & os stultorum eructat stultitiam, Proverb. 15: 2. os stulti, contritio ejus; & labia ipsius laqueus animæ ejus, Proverb. 18: 7.

k. X. In ore stulti est baculus superbiæ, Prov. 14: 3. ut nubes & ventus sine pluvia, sic est vir qui se jactat de dono mendaci, Proverb. 25: 14. ne glorieris de die crastino, quia nescis quid paritura sit dies, Proverb. 27: 1. & Petrus Apostolus de falsis doctoribus loquens, hi sunt, (inquit) fontes aqua carentes, nebulæ à turbine agitatæ, prætumidam vanitatem loquentes, ὑπέρογκα ματαιότητος φθεγγόμενοι. 2 Petr. 2: 17: 18. Et de eisdem Judas Apostolus ait; os eorum loquitur prætumida, τὸ στόμα αὐτῶν λαλεῖ ὑπέρογκα, Jud. vers 16. Age nunc qui dicitis, hodie vel cras ibimus in illam urbem, & transigemus ibi annum unum, & mercabimur, & lucrabimur. Qui ignoratis quid futurum sit crastino die. Quæ est enim vita vestra? Vapor enim est qui ad exiguum tempus apparet, deinde verò evanescit. Pro eo quod dicere debueritis. Si Dominus voluerit, & vivemus & faciemus hoc aut illud. Nunc autem gloriamini in arroganti jactantia vestra, [ἐν ταῖς ἀλαζονείαις ὑμῶν,] omnis ejusmodi gloriatio mala est. Jacob. 4: 13, 14, 15, 16. Esaias describit jactabundam loquelam regis Assyriæ, Esai. 10: 8, 9, 10, 11, 13, 14. & Daniel Nabuchodonosoris jactabundam superbamque gloriationem, Dan. 4: 36.

l. XI. Apostolus ad Ephes. 5: 4. prohibet εὐτραπελίαν, tanquam non convenientem Christianis. Ubi non existimandum est damnari ab Apostolo omnem jucunditatem & urbanitatem sermonis, aut præcipi Christianis ἀγροικίαν, agrestem insulsitatem; ut sint homines agrestes, insulsi, insipidi, & inficeti. Sunt quidam honesti lepôres, estque hominum vitæ necessaria interdum festivitas sermonis, sicut & exercitamenta quædam corporis ludicra, ad relaxandum animum, & tuendam corporis sanitatem: id quod ipsa naturalis ratio & quotidiana docet experientia: neque minus licitum est honesto joco aut ludo animum recreare, aut corporis valetudinem curare, quam vino, aut somno; dummodo omnia faciamus in nomine Domini, & in gloriam Dei; uti monet Apostolus, Coloss. 3: 17. & 1 Cor. 10: 31. id est, honestè, moderatè & in hunc finem ut alacriores esse possimus & vegetiores ad serviendum Deo, sive in privatis sive in publicis functionibus. Damnat igitur Apostolus turpem & stultam jocositatem, quæ quum revera sit αἰσχρολογία, aut μωρολογία, (Ephes. 5: 4. Coloss. 3: 8.) eam tamen αἰσχρόλογοι & μωρόλογοι vocabulo alioqui honesto εὐτραπελίαν appellant, ut sæpe in aliis nomen virtutis datur vitio: avarus vocat se parcum, prodigus liberalem, ebrius hilarem, αἰσχρόλογος & μωρόλογος se vocat εὐτράπελον: sic vir qui fraudat amicum suum, & dicit, nonne ludo ego? Proverb. 26: 19. *Aristoteles* qui εὐτραπελίαν ut medium laudabile collocat inter duo vituperanda ac fugienda extrema, scilicet βωμολοχίαν, scurrilitatem, quæ est in excessu, & ἀγροικίαν agrestitudinem sive insulsitatem, quæ est in defectu; fatetur sua ætate hanc κατάχρησιν invaluisse; Cum (inquit) ridicula & sales increbuerint, compluresque jocis & scommatis magis quam par est delectentur, fit, ut scurræ, faceti appellentur, tanquam jucunda humanitate politi homines. Sed magno discrimine differunt. [ἐπιπολάζοντος τοῦ γελοίου, καὶ τῶν πλείστων χαιρόντων τῇ παιδιᾷ, καὶ τῷ σκώπτειν μᾶλλον ἢ δεῖ, οἱ βωμολόχοι εὐτράπελοι προσαγορεύονται, ὡς χαρίεντες. ὅτι δὲ διαφέρουσι, καὶ οὐ μικρὸν, ἐκ τῶν εἰρημένων δῆλον.] Hæc ille, lib. 4. Nicom. cap. 5. seu penultimo. Hanc vulgo sic appellatam εὐτραπελίαν prohibet Apostolus, quam & ipse Ethnicus Philosophus damnat, qui & eam solam εὐτραπελίαν laudat quæ cum dexteritate conjuncta sit; hæc est autem ἐπιδεξιότης dexteritas, quando homo ἐπιδέξιος dexteritate præditus, ea sive in jocis sive extra jocum loquitur & audit, quæ viro bono & ingenuo conveniunt, [ἐπιδεξίου ἐστὶ τοιαῦτα λέγειν καὶ ἀκούειν, οἷα τῷ ἐπιεικεῖ καὶ ἐλευθερίῳ ἁρμόττει· ἔστι γάρ τινα πρέποντα τῷ τοιούτῳ λέγειν ἐν παιδιᾶς μέρει, καὶ ἀκούειν.] Illam verò abusivè dictam εὐτραπελίαν seu scurrilem αἰσχρολογίαν prorsus damnat, quia tales scurræ & abjecti homunculi [βωμόλοχοι καὶ φορτικοὶ] non servant modum, sed toti dediti sunt ridiculo, ita ut illis pro joco sit αἰσχρολογία, id est, verborum obscœnitas, aut salsum scomma: magisque sibi propositum habent ut risum moveant, quam ut loquantur honesta ac decora, [εὐσχήμονα,] nec ejus, in quem salsè dicunt, animum offendant, [καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον.] Ideo sic affectant scommata & risum, ut neque sibi ipsis neque aliis parcant, dummodo risum moveant. Unde talia loquuntur, quæ homo jucunda humanitate politus [ὁ χαρίεις] nunquam dixerit; nonnulla autem ne audire quidem sustineat. Nam viro honesto γέλοιον ridiculum sive jocus non est quid illiberale, sed ἐπίνοια, sententia honesta verbis

facetis, verecundis, & modestis vestita, sine cujusquam offensione. Hæc doctrina est Aristotelis, consentanea veritati. *Eutrapeliæ* autem catachresticos dictæ, quam damnat Apostolus, tres sunt præcipuæ partes; nempe αἰσχρολογία, μωρολογία, & stricte sumpta βωμολοχία sive scurrilis ac scoptica dicacitas. Duæ priores partes pertinent ad hanc classem & sectionem, in qua agimus de vitiis sermonis absolutè spectati. Tertia pertinet ad sectionem sequentem, in qua agetur de vitiis sermonis intuitu fratris.

XII. Decretum in Concilio Cabilonensi secundo, [imperante *Carolo* Magno, anno Domini 813.] cap. 9. ut histrionum sive scurrorum, & turpium seu obscœnorum jocorum insolentiam sacerdotes non solum ipsi respuant, verum etiam fidelibus respuenda percenseant.

CAPUT III.

De vitiis in sermone fugiendis intuitu fratris.

1. *Ne sis derisor:* 2. *Nulli convicia dices:* 3. *Nullius obtrectator eris:* (*quandoque licebit Commemorare mala unius, moneatur ut alter; Inde nec obtrectator eris,*) 4. *Non testis in ullum,*
5. *Aut accusator mendax*; 6. *Falsive patronus:*
7. *Judice te nunquam sententia falsa feratur:*
8. *Decipies nullum:* 9. *Non assentaberis ulli:*
10. *Ne secreta aperi*; 11. *Aut malè sedulus esto susurro:*
12. *Nec sit inhumanus tibi sermo:* 13. *Nec sit ineptus:*
14. *Noli scurra dicax esse ut videare facetus:*
15. *Ne rigidus censor sis, interpresve malignus:*
16. *Ne querulus:* 17. *Nimio ne sis sermone molestus:*
18. *Ne scelerum hortator, ne sis consultor iniquus:*
19. *Corrupta inficias nullum exundasve loquela.*

Ne sis derisor. 1.] Beatus vir qui non sedit in cathedra derisorum, Psal. 1: 1. Qui subsannat pauperem, probris afficit factorem ejus, Prov. 17: 5. Illusoribus Deus illudit, & humilibus dat gratiam, Prov. 3: 34. quærit derisor sapientiam & non invenit; at scientia intelligenti est facilis inventu, Prov. 14: 6. ejice derisorem & simul egredietur contentio, cessabitque lis & ignominia, Proverb. 22: 10. abominatio hominum est derisor, Prov. 24: 9. parata sunt derisori judicia, & contritiones corpori stultorum, Prov. 19: 29. ecce adsum (inquit Dominus,) si abstuleris è medio tui jugum, desierisque emittere digitum, & loqui iniquitatem, Esai. 58: 9. Petrus & Judas Apostoli prædixerunt venturos ultimis diebus derisores, ἐμπαῖκτας, incedentes secundùm proprias suas impias cupiditates, 2 Petr. 3: 3. Jud. vers. 19, 20.

Nulli convicia. 2.] Omnis blasphemia tollatur à vobis. Ephes. 4: 31. Non reddentes malum pro malo, aut convicium pro convicio, [ἢ λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας,] sed contra benedicentes, ut qui sciatis vos ad hoc vocatos esse ut benedictionem hæreditate possideatis: Nam qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, coërceat linguam suam à malo, &c. 1 Petr. 3: 9, 10.

Obtrect. 3.] Domine quis habitabit in monte sancto tuo? Qui non detrahit lingua sua, non facit proximo suo malum, & opprobrium non accipit contra propinquum suum, Psal. 15: 1, 3. impio autem dixit Deus, quid tibi ut enarres statuta mea? —— Sedes, & contra fratrem tuum loqueris, contra filium matris tuæ das probrum, Psal. 50: 16: 20. detrahentem in secreto proximo suo, hunc succidam, inquit David Psal. 101: 5. ut ventus aquilo fugat pluviam, sic & facies iracunda linguam occultè detrahentem, Prov. 25: 23. neque enim fas aurem patulam præbere detractoribus. *Quandoque licebit commemorare mala*, &c.] Sic Paulus Apostolus peccata commemorat *Hymenæi* & *Phileti*, 2 Tim. 2: 16, 17, 18. & *Alexandri* fabri ærarii, 2 Tim. 4: 14, 15. & eorum qui eum in prima defensione deseruerunt, ibid. vers. 16. ut ea commemoratione Timotheum moneat, & armet contra hæreses & scandala, & cautum faciat adversus perversitatem Alexandri, quem etiam Timotheo vitandum esse monet. Et sæpe expedit nota esse peccata nocentium.

4.] Hæc regula expressè ponitur in ipso præcepto, *Non dices falsum testimonium contra proximum tuum*. Exod. 20: 16. Dominus odit & detestatur anima ejus testem mendacem, Prov. 6: 19. testis verax non mentitur, loquitur autem mendacia testis mendax, Prov. 14: 5. liberat animas testis verax, loquitur autem mendacia dolosus, Prov. 14: 25. testis mendax non erit impunitus, & qui loquitur mendacia non evadet, Prov. 19: 5, 9. *Test. fals.*

5.] Paulus Apostolus prædixit fore in extremis diebus periculosa tempora, in quibus futuri essent homines calumniatores [διάβολοι] 2 Tim. 3: 1, 3. hoc cognomentum diaboli est, ut dicatur accusator fratrum nostrorum, ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, Apocal. 12: 10. tales erant sacerdotes & scribæ, falsi accusatores Christi, Luc. 23: 2, 10. & illi qui Paulum Apostolum accusarunt coram Fœlice, Actor. 24. & coram Festo, Act. 25. accusatores Stephani, Actor. 6. & accusatores Nabothi Jezreelitæ, 1 Reg. 21. *Non stabis contra sanguinem proximi tui*, Levit. 19: 16. nempe iniqua & indecora criminatione, uti ex textu & ex ipsa æquitatis ratione liquet. *Accus. mendax.*

6.] Causarum aliæ sunt dubiæ, aliæ evidenter justæ, aliæ evidenter iniquæ. Dubiarum patrocinium suscipi potest bona conscientia, modò causa dubia modestè defendatur; & quidem quamdiu manet dubia: nam si ejus manifesta æquitas eluxerit, confidentius tuenda est. At si constet causam esse iniquam, nemo potest mendacii & iniquitatis sciens ac volens patrocinium suscipere sine participatione criminis: ut ostendimus supra, lib. 8. part. 1. cap. 7. §. 3. qui it cum fure, particeps est furti, Psal. 50: 18. qui igitur it cum mendace, affirmans defendensque ejus mendacem iniquitatem, is etiam se involvit crimine falsi. Talis est omnis advocatus, qui, seposita bonæ conscientiæ cura, contra cognitam veritatem stat, iniquitati adest, judicem fallere, justamque causam opprimere satagit, ut de falsitate vincat, decepto judice, & circumventis legibus. Sicuti loquitur *Augustinus*, epist. 54. ad *Macedonium*. Non respondebis in causa, ut declines post multos ad pervertendum judicium, Exod. 23: 2. væ dicentibus malum bonum, & bonum malum; qui ponunt tenebras, lucem, & lucem, tenebras; qui ponunt amarum dulce, & dulce, amarum, Esai. 5: 20. hoc tamen multi disertissimi viri non solùm impunè, sed etiam gloriosè sibi videntur committere, ut loquitur *Augustinus*. Isti audiant succedentia prophetæ verba; Væ sapientibus in oculis suis, & coram facie sua pru- *Patronus fals.*

prudentibus, vſ. 21. Neque tamen hinc ſequitur non licere intercedere pro facinoroſo quem fateaaris jure plecti poſſe; nam aliud eſt intercedere pro malefactore, aliud verò ipſius malefacti patrocinium ſuſcipere. Vide ſupra, lib. 8. cap. 7.

Sentent. falsa. VII. Pauperem non honorabis in cauſa ſua. Exod. 23: 3. Agnoſcere faciem in judicio non eſt bonum, Prov. 24: 23. Væ iis qui ſunt potentes ad bibendum, ——— qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti a uferis ab eo. Eſai. 5: 22, 23. qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominatio Domino ſunt ambo ipſi. Prov. 17: 15. Huc pertinet pia illa ac planè regalis exhortatio *Joſaphati* regis ad judices; 2 Paralip. 19: 6, 7, &c. Cauſam quam non noveram inveſtigabam, inquit *Job.* cap. 29: 16, 17. nempe ne ignorantia judicis eſſet calamitas innocentis, ut loquitur *Auguſtinus.* 19. de civit. cap. 6.

Decipies nullum. VIII. Virum fraudulentum abominatur Dominus, Pſal. 5: 7. quoniam non eſt in ore ejus rectitudo, intimum eorum pravitates, verſ. 10. O lingua doloſa, Deus te deſtruet, Pſal. 52 6, 7. In ore eorum, qui verè ſunt Iſraelitæ, non invenitur lingua doloſa, Zephan. 3: 13. Vide Prov. 26. 24, 25, &c. qui vult vitam diligere & videre dies bonos, coërceat linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolum, Pſal. 34: 13, 41. & 1. Pet. 3: 10.

Non aſſentaberis. IX. Labio blanditiarum in corde & corde loquuntur, ſuccidat Dominus univerſa labia blanditiarum, Pſ. 12: 3, 4. qui increpat hominem, gratiam poſtea inveniet magis, quam qui blanditur lingua, Prov. 28. 23. [græc. τῶ γλωσσοχαριτῦντος.] Vir qui blanditur amico ſuo, rete expandit ante greſſus ejus, Prov. 29: 5.

Ne ſecreta aperi. X. Neque tua, neque aliena effutias ſecreta. De tuis eſt illud dictum; cauſam tuam age cum proximo tuo, & ſecretum alteri ne reveles: ne forte probris afficiat te audiens, & infamia tua non avertatur, Prov. 25: 9, 10. Huc accommodari poteſt & illud, totum ſpiritum ſuum profert ſtultus, at ſapiens quietum ſervat in futurum, Prov. 29: 11. De alieno ſecreto ſunt hæc dicta; qui ambulat fraudulenter, [ſive ſuſurro] revelat ſecretum, fidelis autem ſpiritu celat rem, Prov. 11: 13. Qui tegit prævaricationem, quærit amicitiam; qui verò iterat rem, ſeparat amicos: [Pag. *Principem* Hebr. אלוף Vul. *Fœderatos.* Prov. 17. 9.

Pythagoras philoſophus in ſuis ſymbolis hoc ponebat, *non habere in domo hirundinem*, id eſt, (ut exponitur apud *Clementem Alexandrinum*, Strom. 5. loquacem & ſuſurronem & effrænatæ linguæ hominem, λάλον καὶ ψίθυρον καὶ πρόγλωσσον ἄνθρωπον, μὴ δυνάμενον ςέγειν ὧν ἂν μετέσχῃ, μὴ δέχεσθαι, qui non poteſt continere nec capere ea quæ illi fuerint communicata. Alii aliter iſtud ſymbolum ſunt interpretati, nempe contra ingratitudinem. Recitat autem *Clemens* duas ſententias ex Poëtica quadam & *Æſchylo*, ἔςι μοὶ πιςὸν ταμεῖον ἐπὶ γλώσσας. ἡ ποιητικὴ φησιν. Id eſt.

Eſt mihi fidele conclave in lingua:
inquit Poëtica.
ὅτε Αἴσχυλος,
ἀλλ' ἔςι κἀμοὶ κλεὶς ἐπὶ γλώσσῃ φύλαξ.
Aeſchylus autem,
Sed eſt mihique in lingua clavis cuſtodiens.

Aliquando tamen latentia aperire laudabile eſt, & in caſu taciturnitas vituperanda, uti patebit infra, cap. 4. Semper autem rimoſa loquacitas in vitio eſt, per quam ſecreta, contra prudentiæ & humanitatis leges, temerè nullo judicio recluduntur.

XI. Non omnis revelator ſecretorum ſuſurro eſt, nam fieri poteſt ut aliquis ſua vel etiam aliena ſecreta incogitanter effutiat inter multos quibus nihil inſuſurrare intendat: neque omnis ſuſurro ſuſurrando revelat commiſſa ſibi ſecreta, aliquando enim ſuſurrones confictis fabulis ſerunt diſcordias: etſi hæc duo ut plurimum concurrunt vitia, revelatio ſcilicet ſecretorum, & ſuſurratio: ſæpe enim ſuſurrones aucupantur gratiam, & flammas diſtenſionum excitant, revelando ſecreta. Non incedes ſuſurro in populis tuis, Levit. 19: 16. Qui ambulat ſuſurro, revelat ſecretum; fidelis autem ſpiritu celat rem, Prov. 11: 13. quum non fuerint ligna, extinguitur ignis; ac quum non fuerit ſuſurro, ſilebit contentio, Prov. 26: 20. Odit Dominus & abominatur anima ejus immittentem jurgia inter fratres Prov. 6: 16, 19. Vir perverſus immittit litem, & ſuſurro ſeparat principes., Prov. 16: 28. Verba ſuſurronis ſunt velut blanda, ſed ipſa deſcendunt ad inferiora ventris, Prov. 18: 8. Paulus Apoſtolus deſcribens homines illos impios traditos in mentem judicii expertem, inter cætera dicit eos fuiſſe ψιθυριςὰς *ſuſurrones*. Rom. 1: 29. Reprehendit idem Apoſtolus quaſdam juniores viduas, quod eſſent non ſolum otioſæ, ſed etiam nugaces, & curioſæ, loquentes quæ non decent, φλύαροι, καὶ περίεργοι, λαλῦσαι τὰ μὴ δέοντα, 1 Tim. 5: 13. *Suſurro.*

XII. Deſpicit amicum ſuum carens corde, vir autem intelligens tacet, Prov. 11: 12. Sollicitudo anxia in corde viri humiliat illud, ſed verbum bonum lætificabit illud, Prov. 12: 25. Reſponſio mollis avertit iram, & ſermo dolore afficiens ſuſcitat furorem, Prov. 15: 1. Ut favus mellis ſunt eloquia dulcia, Prov. 16. 24. Longanimitate flectitur princeps, & lingua mollis confringit oſſa, Prov. 25: 15. Deprecationes loquitur pauper, dives autem reſpondet aſpera, Prov. 18: 23. Jubemur cogitare & agere quæcunque ſunt amabilia, cum veritate, ſcilicet, & honeſtate, & æquitate, & puritate, Philip. 4: 8, 9. Jubemur eſſe φιλόφρονες *comes*, 1 Petr. 3: 8. Exemplum comis & humani colloqaii inter Abrahamum & Chitæos legere eſt Geneſ. 23. *Nec ſit inhumanus ſermo.*

XIII. Ut qui removet veſtimentum in die frigoris, & ut acetum ſuperfuſum nitro, ſic qui cantat cantilenas cordi afflicto, Prov. 25: 20. Hinc diſce abſtinere ab omni ſermone inepto, ſive ille intuitu perſonæ ineptus ſit, ſive temporis, ſive loci, &c. *Nec ſit ineptus.*

XIV. De hac regula dictum eſt ſupra, cap. 2. §. 11. Scurram hujuſmodi Socrates hiſtoricus appellat φιλοσκώπτην, lib. 3. cap. 23. *Nolis ſcurra &c.*

XV. Si noſſeris quid ſit, miſericordiam volo, & non ſacrificium, non condemnaſſetis Matth. 12: 7. Ne judicetis, ut ne judicemini, Matth. 7: 1. Ne judicetis ſecundum ſpeciem, [ſeu apparentiam, κατ' ὄψιν,] ſed juſto judicio judicate, Joan. 7: 24. Charitas non cogitat malum, ὁ λογίζεται τὸ κακόν. 1 Cor. 13: 5. *Ne rig. cenſor ſis interpreſ vemaligne.*

XVI. Sedirioſas Iſraëlitarum obmurmurationes, tum contra Deum, tum etiam contra Moſen ſervum Dei, legere eſt in hiſtoria Moſaica; ut, in hiſtoria obmurmurationis Aaronis & Mariæ contra Moſen, propter quam à Domino graviter reprehenſi ſunt, Num. 12. & in hiſtoria illa de reditu exploratorum, Num. 14. & in hiſtoria de rebellione Corch, Dathan, & Abiram, Num. 16, &c. Judas Apoſtolus ho- *Ne querulus.*

homines impios, de quibus in sua epistola loquitur, ait esse γογγυςὰς, μεμψιμοίρυς, κατὰ τὰς ἐπιθυμίας ἀυτῶν πορευομένυς, *murmuratores, querulos, in cupiditatibus suis incedentes*, Jud. vers. 16. Ita enim sunt impatientes, & suis dediti cupiditatibus, ut in Deum contumeliosa verba jaciant, & hominibus molesti sint, quamdiu eorum cupiditas non expletur. Nos è contrario jubemur contenti esse præsentibus, fiducia divinæ providentiæ. Hebr. 13. 5. & proponitur nobis sequendum exemplum Jobi, qui liberis orbatus & bonis exspoliatus, & in suo corpore à vertice usque ad plantam malo ulcere percussus, non tamen peccavit labiis suis, Job. 1: 22. & cap. 2: 10.

Nimio ne sis sermone molestus. XVII. A multiloquio abstinendum est, non solum quia est vitium sermonis absolutè spectati, uti diximus præcedente capite, sed etiam ne audientibus simus fastidio, & tædium pariamus, & ne inde etiam fiat ut nobis seria aliquando dicentibus, minus attentos ac benevolos habeamus: nam qui verba inaniter multiplicat, pro stulto reputatur apud prudentes, qui ejus multiloquio obtunduntur. Stultus multiplicat verba, Eccles. 10: 14. Et Deum oraturi jubemur verbis uti paucis, & vitare βαττολογίαν, ne offeramus sacrificium stultorum. Ideo Petrus Apostolus hoc utitur argumento insinuativo ad lectores suæ epistolæ, quod scilicet breviter [δι' ὀλίγων] scripserit. 1 Petr. 5: 12. Et Apostolus Paulus, ad Hebræos, eodem utitur argumento, Rogo autem vos fratres, (*inquit*) sufferte sermonem exhortationis, etenim brevibus scripsi vobis. διὰ βραχέων ἐπέςειλα ὑμῖν. Hebr. 13: 22. Et rectè *Gregorius*, Providendum est, (inquit) sollicita intentione rectoribus, ut ab eis non solum prava nullo modo, sed ne recta quidem nimiè & inordinate proferantur: quia sæpe dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate levigatur. Et authorem suum hæc eadem loquacitas inquinat; quæ servire auditoribus ad usum profectus ignorat. Hæc *Gregorius* primus, Papa Rom. in suo pastorali, in parte 2. cap. 4. Huc quadrat illud *Horatii* lib. de arte poëtica; Quicquid præcipies, esto brevis: ut citò dicta Percipiant animi dociles, teneantque fideles. Quemadmodum autem *Augustinus*, epist. 121. cap. 10. recte distinguit inter *multam loquutionem*, in precibus damnatam, qua in orando res quamvis necessaria superfluis tamen verbis agitur; & *multam precationem*, ubi fervens perseverat intentio, & ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsatur; unde Christus ipse, qui multiloquium in orando prohibuit, legitur quod pernoctaverit in orando, Luc. 6: 12. Sic etiam in quocunque sermone, vel scriptione, distinguendum inter superfluam loquutionem, & prolixam orationem quam à superflua loquutione secernit rerum copia necessariarum, singularumque succincta & methodica explicatio.

Eccles. 5: 1. Matth. 6 7.

Ne scel. hortator. XVIII. Omnis quidem scelerum hortator consultor est iniquus; sed interdum aliquis est consultor iniquus, intuitu damni, quando scilicet sciens volens dat proximo consilium ipsi aut alteri detrimentosum, contra æquitatem, quamvis non videatur ad aliquod scelus impellere: frequentius tamen concurrunt hæc duo, ut idem sit simul hortator sceleris, & consultor iniquus; qualis fuit *Achitophel*, qui *Absalomo* fuit scelerum hortator, & consultor iniquus, dans consilium *Absalomo* in detrimentum *Davidis*, contra jus & fas. Quin & ipsi *Absalomo* conjurationis iniquitas detrimentosa erat, quoad conscientiam. Tales sunt consultores illi impii, de quibus loquitur Salomon, Prov. 1: 11, 12. &c. qui dicunt, veni nobiscum: insidiemur innocenti absque causa, deglutiamus eos, &c. Verba impiorum sunt ad insidiandum sanguini, Prov. 12: 6. talis marito suo *Achabo* hortatrix erat *Jesabel*. 1 Reg. 21: 25. Vir iniquus seducit proximum suum, & ambulare facit eum per viam non bonam Prov. 16: 29.

XIX. Corruptus sermo prohibetur, non solum ut vitium simpliciter indecorum Christianis, cap. 2. sed etiam propter proximum, qui audiens corruptos sermones vel *inficitur*; juxta illud, (corrumpunt bonos mores colloquia mala. 1. Corinth. 15: 33. quædam sunt verba ad nihil utilia, sed tantum facientia ad subversionem auditorum, 2 Tim. 2: 14. 2 Petr. 2: 18, 19.) Vel *contristatur*; sicut *Lot* contristabatur quotidie videns & audiens iniquitatem Sodomitarum. 2 Petr. 2: 7, 8. Sermo putris contristat Spiritum sanctum, sive in loquente, sive audiente habitantem, id est, contristat pium hominem qui ducitur & inhabitatur à Spiritu sancto, Ephes. 4: 29, 30. Væ iis per quos eveniunt scandala sive qui dant scandala. Luc. 17: 1, 2. Scandalum autem datum vel est inficiens seu polluens, 1 Cor. 8: 7. vel est contristans, Rom. 14: 15. Si in rebus mediis ista sunt vitanda scandala, quanto magis in illicitis sermonibus. *Corrupta inficias, &c.* *Scandalum datum est duplex.*

CAPUT IV.

De vitio silentii, & necessitate aliquando loquendi.

1. STULTA *vide prudens, & iniqua silentia vites.*
2. *Opportuna tibi aut aliis ne tempora perdas;*
Sed tempestivè quæ sunt dicenda loqueris:
3. *Gloria si poscat Domini, si commoda fratrum,*
Expromes fide compertum pectore verum.
4. *Gratus eris, grata benefacta fatebere voce.*
5. *Quos decet impigrè non invidus æqua doceto.*
6. *Speique salutaris rationem prome petenti.*
7. *Consilioque juva poscentem fidus amicum.*
8. *Errantem moneas graviter, prudenter, amicè:*
9. *Si renuit parere, alios adjunge monentes;*
Quos si non audit, peccata latentia pande,
Publica censura ut feriat, revocetve monela.
10. *Peccantesque palam coram omnibus argue sontes,*
Officii ut poscit ratio. 11. *Semperque monendos*
Discernes prudens: calloso pectore pravus
Derisor sensu deceptæ mentis abundet;
Ne canibus sanctum, gemmas ne projice porcis:
Ne sic exstirpes lolium, ut frumenta revellas,
12. *Si derisorem ejicias, contentio cessat.*

I. *Stulta vid.* &c. Vitiosum silentium, vel est *stultum*, id est, ipsi silenti detrimentosum,

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat. *Horat. lib. 1. epist. 16.*

Vel est *iniquum* silentium, idque triplex, contra triplicem illam æquitatem, ab Apostolo propositam, Tit. 2: 12. Unde, sive sit contra sobrietatem, sive contra justitiam, sive denique pietatem, est iniquum silentium.

Nam siluisse nocet; multosque silentia damnant.

Dist. 43. *Sit rector.* in glossa. *Stultum silentium* pru-

prudenter vitavit *Bathseba*, à *Nathane* instructa, pro conservatione vitæ suæ, & vitæ Salomonis filii sui. 1 Reg. 1: 11, 12, 13, 14, 15. &c. *Iniquum*, sobrietati & castitati repugnans *silentium* damnatur in puella cujus pudicitiæ offertur injuria, Deut. 22: 24. *Injustum silentium* tenuit pincerna ille *Pharaonis*, oblitus *Josephi*, Genes. 40: 14, 23. *Impium silentium* [σιγὴ ἀσεβής] duplicem habet considerationem; unam quidem quatenus directè & immediatè impingit in priorem legis tabulam; alteram verò quatenus respicit proximum, qui impio nostro silentio vel offenditur, vel in peccato relinquitur, aut confirmatur; & hac quidem posteriore consideratione prohibitio ejus huc pertinet. *Impium silentium* vitavit latro ille conversus in cruce: audiens enim alterius latronis blasphemias, objurgavit illum, Christi innocentiam asserens, agnoscensque potentiam, Luc. 23: 40, 41, 42. Impium erat silentium illorum mutorum canum. Esai. 56: 10. Impium silentium vitarunt Apostoli Act. 4: 18, 12, 20. Injustum & impium silentium vitavit *Esther* regina, Esth. 4. & 5. & 6. item *Nehemias*, Nehem. 2: 2, 3. *Elihu*, officii conscientia & pio zelo sermonem ei exprimentibus, cavit ne impio peccaret silentio. Job. 32: 18, 19, 20. Et *Jeremias*, sicut ipse de se testatur Jerem. 20: 9. Omne quidem vitiosum silentium cum stultitia & iniquitate conjunctum est; sic tamen distinximus, facilioris doctrinæ causa.

Vide Instit. Historico-Theolog. lib. 11. cap. 1. §. 11. & §. 17.

In regulis sequentibus sunt quidam speciales casus, in quibus iniquum est silentium, & necessaria est loquutio.

II. *Opportuna* &c.] Secunda ista regula trimembris est. 1. Ut loquaris opportunè, id est, quando se offert occasio commoda ad utilitatem sive loquentis, sive audientis, sive alicujus tertii, de quo aut propter quem loqueris. 2. Ut loquaris tempestivè, id est, non solum consideres quid sit opportunum respectu negotii quod agis, sed etiam apta noris tempora, quoad dispositionem & occupationes illius quem es alloquuturus, ut possis eum alloqui tempestivè, ut non intempestivus & odiosus interpellator esse videaris, magisque negotio obsis quam prosis per imprudentem intempestivitatem. Quamvis inter ista duo vocabula [*opportunum* & *tempestivum*] non magnum discrimen esse videatur, memoratam tamen distinctionem non prorsus respuit ipsa vocum proprietas, & nostro instituto idoneam judicavimus, clarioris doctrinæ gratia. Græci promiscuè pro opportunitate, aut tempestivitate, aut simul utraque, dicunt ἐν καιρῷ, in tempore idoneo Matth. 24: 45. γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου, quum adesset dies opportunus Marc. 6: 21. ὅταν εὐκαιρήσῃ quum tempus opportunum habuerit. 1 Cor. 16: 12. εὐκαίρως tempestivè, cui opponitur ἀκαίρως intempestivè. 2. Tim. 4: 2. Neque enim, ut ait *Gregorius*, cuncta tempora doctrinæ sunt congrua. Nam plerumque dictorum virtus perditur, si intempestivè proferantur. Sæpe verò & quod lenius dicitur, conventu temporis congruentis animatur. Ille ergo scit rectè dicere, qui & ordinatè novit tacere. Quid enim prodest eo tempore irascentem corripere, quo alienata mente non solum aliena verba percipere, sed semet ipsum vix valet tolerare. Furentem quippe qui per invectionem corripit, quasi ei qui non sentiat plagas ebrio imponit. Doctrina itaque ut pervenire ad cor audientis valeat, quæ sibi congrua sint temporum momenta, perpendat. Hæc Gregor. lib. 30. moral. cap. 11.

Obj. Resp. At objicies, præcipi Timotheo, ut prædicet verbum & instet tempestivè, intempestivè, non solùm εὐκαίρως, sed etiam ἀκαίρως. 2 Tim. 4: 2. Respondeo; Non jubet Apostolus prædicare nullo habito opportunitatis aut non opportuni temporis discrimine, alia enim Christi, alia etiam Apostolorum praxis erat, juxta regulam, qua requiritur ut dispensator det familiæ τὸ σιτομέτριον ἐν καιρῷ, convenientem cibi mensuram tempore idoneo, seu tempestivè, Luc. 12: 42. & ut minister verbi utatur ὀρθοτομίᾳ, id est, debita sectione verbi Dei. 2 Tim. 2: 15. non solum personarum habito discrimine, sed etiam temporum. Multa habeo dicenda vobis, (inquit Christus discipulis) sed non potestis portare modo. Joan: 16: 12. Nequeunt lugere filii thalami, quamdiu cum ipsis est sponsus, sed venient dies, quando auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Nemo immittit panniculum impexum in vestimentum vetus —— neque injiciunt vinum novum in utres veteres, &c. Matth. 9: 15, 16, 17. Lac pueris convenit, cibus autem solidus adultis, Heb. 5: 12, 13, 14. Ne date sanctum canibus, &c. Matth. 7: 6. Dedit mihi Dominus linguam eruditorum, ut sciam lasso verbum dicere tempestivè. Esai. 50: 4. Unde *Gregorius*, explicans verba illa Apostoli ad Timotheum, *Insta opportunè, importunè*; Dicturus, inquit, importunè, præmisit opportunè; quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit. Hæc Gregor. in pastorali, parte 2. cap. 4. Quid igitur vult Apostolus jubens prædicare tempestivè, intempestivè? Respondeo ex ejusdem Apostoli verbis ad presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ, Act. 20. ita ut ἀκαιρία referatur ad ipsum docentem, qui apertum ostium, (2 Cor. 2: 12.) seu oblatam docendi opportunitatem non negligat, vel ob cibum, vel ob somnum, vel propter pigritiem; sed omni tempore, noctu, interdiu, publicè, privatim, fideliter utatur oblatis occasionibus, nullius rationem habens, neque vitam suam sibi charam habens, ut perficiat cursum cum gaudio, & ministerium testificandi Evangelii gratiæ Dei quod à Domino accepit adimpleat. Sit illi cibus facere voluntatem Domini qui misit eum, Joan. 4: 34. diceturque ei in die illo, Euge serve fidelis & bone, intra in gaudium Domini tui, Matth. 25: 21, 23. Ideo quamvis carni intempestivum videatur, est tamen valde utilis occasio, adeoque opportuna & tempestiva, unusquisque enim suam mercedem accipiet, secundum suum laborem κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. 1 Cor. 3: 8. Præterea etiam monito utilis est sæpe monitio, quamvis primo congressu ingrata ei accidere videatur: ideo non debet medicus spiritualis præpostero offensionis metu opportunitatem adhibendæ medicinæ prætermittere, quando aliquem videt spiritualiter ægrotantem, necdum præcisa convalescendi spe. De quo videantur verba *Augustini* in expositione epistolæ ad Galatas, in cap. 6. & epist. 87. ea invenies citata infra in expositione regulæ undecimæ. *Hildebertus* Episcopus Turonensis, in suo sermone Synodico ad pastores; Audite (inquit) Apostolum dicentem; *prædica verbum, insta opportunè, importunè*. Quibus opportunè, & quibus importunè? Opportunè quidem volentibus; importunè autem nolentibus. Sunt enim oves quæ revocatæ redeunt: sunt & quæ redire nolunt, quæ perire diligunt; has præcipue pastor bonus requirit; bonus pastor pro his animam ponit. Cum inquirentem vepres damnorum pungant, cum spinæ persecutionum

fati-

fatigent, cum terreat insania principum, cum laniet varietas tormentorum: pastor tum bonus revocat errantem, requirit pereuntem. Hæc *Hildebertus* Turonensis. [in bibl. patr. tom. 3. col. 272. edit. 4.] Tertium regulæ membrum est, ut, *quæ sunt dicenda*, non reticeas, oblata idonea occasione loquendi, sed tempestivè ea *loquaris*. Non esse autem proferenda inania aut superflua verba, aut etiam inepta, superius docuimus; Nunc autem consideramus vitia silentii, & necessitatem loquendi. Patescit autem veritas 2. regulæ [*opportuna tibi* &c.] ex variis locis sacrarum scripturarum: quosdam jam citavimus, subjungam alios. Opportunum pro se loquendi tempus non neglexit *Joseph*, Genes. 40: 14. Opportunè pro se filioque suo Salomone quæ dicenda erant loquuta est *Bathseba*, & pro eisdem etiam *Nathan* propheta, 1 Reg. 1. Opportunè ac tempestivè quod erat dicendum loquuta est illa prudens mulier in civitate Abel, 2 Sam. 20: 16, 17, &c. Idoneum tempus quo posset *Assuero* Regi tempestivè suam petitionem offerre præstolata est *Esther* regina, Esth. 5: 4, 8. & cap. 6: 1, 2, 3, 4. Lætitia est viro in responsione oris sui, & verbum dictum in tempore suo quam bonum est? Prov. 15: 23. Sicut mala aurea cum figuris argenteis, est verbum dictum quibus modis debet. [Hebr. *Super rotis suis.*] Prov. 25: 11, Et tempus & judicium coguoscit cor sapientis, Eccles. 8: 5.

III. *Gloria si poscat* &c] diximus præcedente capite, non esse revelandum secretum: ibidem tamen monuimus, revelationem cognitæ veritatis esse interdum necessariam, quamvis ea veritas alioqui secreta sit; nempe si vel gloria Dei id à nobis postulet, vel etiam necessitas fratris. Christus coram synedrio Judæorum, & coram Pilato, alioqui taciturnus, professus est tamen veritatem ubi ejus apertam professionem postulabat gloria Dei, Matth. 26: 63, 64. Joan. 18: 37. testimonium etiam veritati perhibendum est, ubi exigit proximi aut etiam tua honesta causa; nam liberat animas testis verax, Prov. 14: 25. & omnis controversiæ terminus ad confirmationem est juramentum. Exod. 22: 11. Hebr. 6: 16. *Mardochæus* pietatis & charitatis regulam servans revelavit conjurationem Eunuchorum *Bigthan* & *Theres* contra regem *Assuerum*, Esth. 2: 21, 22. Piè & amicè filius sororis *Pauli* insidias Judæorum contra *Paulum*, nuntiavit ipsi *Paulo*, & postea etiam tribuno, Act. 23: 16, &c. piè & amicè *Jonathan* odium & malitiam *Sauli* patris sui contra *Davidem*, revelavit ipsi *Davidi*, 1 Sam. 19: 2. & 20: 13, 42.

IV. *Gratus eris, grata* &c.] Estote grati, εὐχάριστοι γίνεσθε, Coloss. 3: 15. In ultimis diebus (inquit *Paulus* Apostolus) existent difficilia tempora, erunt enim homines φίλαυτοι —— ἀχάριστοι ingrati, &c. 2 Tim. 3: 1, 2, 3. gratitudo etiam ipsis Ethnicis tam necessarium officium judicatum est, ut gratiarum templum in propatulo exstructum sit, teste *Aristotele*, lib. 5. Nicom. cap. 5, alias 8. Nullum officium referenda gratia est magis necessarium, inquit *Cicero*, offic. 1. *Seneca* autem; Quod pudet debere, ne acceperis; Ingratus est qui remotis arbitris agit gratias: quidam furtivè agunt gratias & ad aurem; non est ista verecundia, sed inficiandi genus; dum opinionem clientium timent, graviorem subeunt ingratorum. Hæc Sen. lib. 2. de beneficiis, cap. 23. Sicut tamen Christianus benefaciens non debet popularem auram aucupari, Matth. 6: 1. ita etiam neque beneficio affectus Christianus ulterius obligatur nisi ad veram gratitudinem, ejusque sive voce sive ope re demonstrationem: quæ si absque publica rei gestæ divulgatione satis congruenter præstari possit, non est hoc jugum proximis nostra ope sublevatis, aut quovis nostro beneficio affectis, imponendum, ut suam indigentiam perceptumque à nobis levamen palam faciant. Quando tamen reticentia in publico pugnat cum officio gratitudinis, est omnino fugienda, quia tum Deo & rectè sentientibus hominibus exosa est.

V. *Quos decet impigrè* &c.] Quinta regula præscribit, ut alii alios doceamus. [*Doceto.*] & in præstanda hac officii parte tres proponit attendendas circumstantias. 1. Ut considerentur personæ [*quos decet.*] 2. Ut prompto animo & benevolo affectu doceas, [*impigre, non invidus.*] 3. Ut honesta & justa sint ea quæ doces, neque quicquam doceas inhonestum. [*æqua.*]

Verbum Dei habitet in vobis copiosè, in omni sapientia docentes & commonentes vos mutuò. Coloss. 3: 16. quod dicitur non solis pastoribus & doctoribus, sed omnibus Christianis. Habenti dabitur & abundabit, qui verò non habet, ab eo auferetur & id quod videtur habere: & inutilis servus, talenti defossor, ejicietur in tenebras exteriores, &c. Matth. 25: 28, 29. Luc. 8: 18. Exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus: ne quis ex vobis induretur seductione peccati, Hebr. 3: 13. Unusquisque sicut accepit donum gratiæ (χάρισμα,) ita alius in alium illud administrantes, ut boni dispensatores multiplicis gratiæ Dei, 1 Petr. 4: 10. Annunciavi justitiam tuam in cœtu multo, ecce labia mea non prohibui, Domine tu nosti; justitiam tuam non abscondi in medio cordis mei, &c. Psal. 40: 10, 11. Fraternæ quidem charitatis officium debemus omnibus, aliqui tamen ad curam nostram propius spectant: neque decorum est ut unus in alterius provinciam temerè & imprudenter se ingerat. Apostoli partiti sunt operas, Galat. 2: 7, 8, 9. & 2 Cor. 10: 13. &c. Distribuit Deus humanum genus in familias; unicuique peculiariter incumbit cura suorum domesticorum, ut eos instruat. Præceptum habemus in quarto Decalogi præcepto, Neque tu, neque filii tui, &c. Et in epistola ad Ephes. 6: 4. dicitur patribus, ut enutriant liberos suos in eruditione & monitis Domini. Præterea non decet projicere margaritas sanctæ doctrinæ proculcandas porcis, Matth. 7: 6. Attendenda etiam unicuique tum communis vocatio, qua Christianus est, tum etiam vocatio specialis: nec non conditio & qualitas alterius. *Impigrè*; studio non pigri, τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί. Rom. 12: 11. *Non invidus*, exemplum hujus affectus in *Mose*, quid (inquit) æmularis tu propter me? & utinam universus populus Domini prophetæ essent, & quod daret Dominus Spiritum suum super eos. Num. 11: 29. An putatis quod inaniter scriptura dicat, ad invidiam fertur Spiritus qui habitat in nobis? Jacob. 4: 5. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes, Gal. 5: 26. [*æqua.*] Quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis & docuerit ita homines, minimus vocabitur in regno Cælorum: quisquis autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno Cælorum, Matth. 5: 19. Dicito ut provectæ ætatis mulieres sint καλοδιδασκάλοι, id est, ut quæ honesta sunt doceant, Tit. 2: 3.

VI. *Speique salutaris.* &c.] 1 Pet. 3: 15. Parati semper ad respondendum cuilibet petenti à vobis rationem ejus spei quæ est in vobis. Item, Matth.

Matth. 10: 32, 33. Quicunque confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo qui est in Cœlis; quicunque verò negaverit me coram hominibus, negabo enim & ego coram Patre meo qui est in Cœlis. Item, 2 Tim. 1: 8. Ne igitur te pudeat testimonii Domini nostri, neque te pudeat mei qui sum vinctus ipsius. Et Rom. 10: 10. Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem. Impii autem silentii prohibitio quatenus huc pertineat, diximus in exegesi primæ regulæ. μανθάνειν ἀνεπαισχύντως, διδάσκειν ἀνεπιφθόνως.

VII. *Consilioque juva*, &c.] Ut unguentum & suffimentum lætificat cor, sic dulcedo amici, per consilium animæ, Proverb. 27: 9. Dixi *poscentem amicum* juvandum esse consilio, ut excluderem πολυπραγμοσύνην, quam nobis prohibitam esse ostendemus cap. 13. Aliquando tamen hoc à nobis exigit officii nostri ratio, ut consilium offeramus: sicut *Nathan* obtulit consilium *Bathsebæ*, 1 Reg. 1: 12. & *Jethro* consilium *Mosi* ultrò obtulit, Exod. 18: 19. Dolus est in corde cogitantium malum, at consulentibus pacem lætitia, Proverb. 12: vers. 20.

VIII. *Errantem moneas*, &c.] Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo, sed corripiendo corripies proximum tuum, & non feres super illum peccatum. Levit. 19: 17. Commonentes vos mutuò, νουθετοῦντες ἑαυτοὺς, Coloss. 3: 16. Monete inordinatos, νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους, 1 Thess. 5: 14. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet magis, quàm qui blanditur lingua, Prov. 28: 23. Melior est increpatio manifesta, quam amor absconditus, Prov. 27: 5. Bonæ autem admonitionis tres in regula ponuntur conditiones, 1. *Graviter* seu serio. 2. *Prudenter*. 3. *Amicè*. Gravis & seriæ correptionis exemplum habemus in *Nathane* Propheta admonente *Davidem*, 2 Sam. 12. & in Christo corripiente *Petrum*, Matth. 16: 23. & alios discipulos, Matth. 17: 17. & *Martham*, Luc. 10: 41, 43. defectu hujus conditionis peccavit *Eli* sacerdos, 1 Sam. 2: 29. Hæc suggere, *testificans* coram Domino, ne verborum pugnas sequantur. 2 Tim. 2: 14. Redargue illos severè, ut sani sint in fide, Tit. 1: 13. Alios quidem habito discrimine commiseramini, alios verò terrore servate, ex flamma rapientes, Jud. vers. 22, 23. Unde discimus, admonitionem semper quidem debere esse gravem ac seriam, non tamen erga omnes æquè austeram. Secunda conditio est, ut correptio fiat *prudenter*; sicut inauris aurea, & ornamentum obrizi, sic est prudens reprehensor super obedientem aurem, Prov. 25: 12. Huc pertinet illa prudens discretio personarum, quam commendavit nobis *Judas* Apostolus, verbis modo citatis. Et illa à *Paulo* commendata *Timotheo*, Seniorem (inquit) ne increpes, sed adhortare [μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει,] ut patrem: mulieres natu grandiores, ut matres; juniores, ut sorores, cum omni castitate, 1 Timoth. 5: 1, 2. & ad Colossenses scribens, ait, se admonere [νουθετεῖν] omnem hominem & docere omnem hominem, in omni sapientia, Coloss. 1: 28. In dispensatore verbi requirit prudentiam Christus, cum fidelitate conjunctam, Matth. 24: 45. Tertia conditio est, ut admoneas *amicè*, id est, tum amico animo, tum etiam tali modo qui affectum benevolum palam faciat, ut sic facilius infirmo audientis animo salubris admonitio illabatur. De animo amico est illud Mosis testimonium, supra citatum, Levit. 19: 17. & illud Pauli Apostoli: Neque ut inimicum ducatis, sed admonete ut fratrem, 2 Thess. 3: 15. Item generalis illa regula, *Omnia vestra in charitate fiant*, 1 Corinth. 16: 14. De modo benevolentiam declarante, est illud Pauli ad Galatas: Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales instaurate hujusmodi hominem in spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum, ne & tu tenteris, Gal. 6: 1. Servum Domini oportet placidum esse erga omnes, —— cum lenitate [seu *mansuetudine*] erudientem eos qui contrariè sunt animo affecti, τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, [*experturum*] ecquando det eis Deus ut conversi agnoscant veritatem, & evigilantes evadant ex Diaboli laqueo, 2 Tim. 2: 24, 25, 26. Suggere illis, —— ne sint pugnaces, sed moderati omnem exhibentes lenitatem, [*seu mansuetudinem* πραότητα] erga omnes homines, Tit. 3: 2. Charitas tamen non impedit illam discretionem, quam ostendimus à *Juda* Apostolo nobis commendari, Jud. vers. 22, 23. Nam ea requiritur in admonente charitas quæ nihil faciat perperam, sed prudentiam habeat comitem. Est charitas severitatis, & est charitas mansuetudinis, uti loquitur *Augustinus*, lib. 3. contra epistolam Parmeniani, cap. 1. Et idem *Augustinus*, epistola 64. ad *Aurelium* Episcopum Carthaginiensem, scribens de temulentia inveterata Aphrorum, quomodo esset ei malo facienda medicina; Non asperè, (inquit) quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando: sic enim agendum est cum multitudine peccantium; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spiritales vel spiritalibus proximi, quorum authoritate & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur. Item lib. 3. contra epistolam Parmeniani cap. 2. Perniciosè relinquere, & quasi dissimulanter negligere aliena peccata, crudelitatis est. Item, in expositione epistolæ ad Galatas, exponens initium sexti capitis; Nihil (*inquit*) sic probat spiritalem virum, quam peccati alieni tractatio, cum liberationem ejus potius, quam insultationem, potiùsque auxilia quàm convicia meditatur. ———— Nunquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis cogitationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. Quod si convicium, vel minæ, vel etiam persecutiones ejus quem argueris, laceraverint animum, si adhuc ille per te sanari posse videbitur, nihil respondeas donec saneris prior; ne forte carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias, & exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quicquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quod voles, nullo modo maledictum erit quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisque te in gladio verbi Dei, liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quod si fortè, ut plerunque accidit, dilectione quidem talem suscipis actionem, & ad eam corde dilectionis accedis, sed inter agendum surrepserit aliquid dum tibi resistitur, quod te auferat ab hominis vitio percutiendo, & ipsi homini faciat infestum, Postea

Tom. 2.

Tom. 6.

Tom. 4.

Postea te lachrymis lavantem hujusmodi pulverem, multò salubrius meminisse oportebit, quàm non debeamus super aliorum superbire peccata, quando & ipsa eorum objurgatione peccamus, cum facilius nos ira peccatis iratos quàm miseria misericordes facit. Hæc *Augustinus*. Hoc habet proprium doctrina arrogantium, inquit *Gregorius*, ut humiliter nesciant inferre quod docent, & recta quæ sapiunt; rectè ministrare non possint. In verbis enim eorum proditur, quod cum docent, quasi in quodam sibi videntur sublimitatis culmine residere, eosque quos docent, ut longè infra se positos, velut in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. Rectè autem his per Prophetam Dominus dicit, Vos autem cum austeritate imperabatis, & cum potentia. Cum austeritate enim & potentia imperant, qui subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed asperè inflectere dominando festinant. Hæc *Gregorius*, lib. 23. cap. 12. expositionis moralis, in Job. Videantur plura in eandem sententiam eruditè dicta ibidem, cap. 13. & cap. 14. ubi quasdam etiam proponit considerationes habendas in aliorum correptione. Contra importunam asperitatem censuræ facit & dictum illud Salomonis, *Ne sis nimis justus*, Eccles. 7: 16. quod citat etiam autor glossæ, extra, de renunciatione, cap. 10. *Nisi cum*. adjuncto hoc tristicho;

Ezechiel, 34. 4.

Qui nimis emungit solet extorquere cruorem.
Et violenta facit correctio deteriorem.
Sed moderata satis correctio gignit amorem.

Huc referri poterit illud dictum *Jacobi* Apostoli; Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram; nam ira viri justitiam Dei non operatur, Jacob. 1: 20.

IX. *Si renuit parere*, &c.) Si verò peccaverit in te frater tuus, abi & argue eum inter te & ipsum; si te audiverit, lucratus es fratrem tuum: sin verò te non audierit, accipe tecum adhuc unum aut duos; ut in ore duorum aut trium testium stet omne verbum: quod si neglexerit audire eos, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in Cœlo; & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in Cœlo, Matth. 18: 15. &c.

X. *Peccantesque palam*, &c.) Eos qui peccant coram omnibus argue, ut reliqui etiam timeant. 1 Tim. 5: 20. Quum vidissem, quod non recto pede incederent, ut veritati Evangelii congruebat, dixi Petro coram omnibus, si tu, quum sis Judæus, gentiliter vivis ac non Judaïcè, cur gentes cogis Judaizare? inquit Paulus Apostolus, Galat. 2: 14. ubi Apostolus Paulus pro officii sui Apostolici ratione restitit etiam primario Apostolo pro libertate Evangelii. Et attendere debet unusquisque quid ab eo poscat officii ratio; Nam etsi idem est Dominus, discrimina tamen ministeriorum sunt, 1 Cor. 12: 5. etsi unum corpus sumus omnes, multa tamen sunt membra, vers. 12, 13, 14. &c. membra autem omnia non habent eandem actionem, Rom. 12: 4. habentes autem diversa dona (χαρίσματα) pro gratia quæ nobis data est, sive prophetiam, prophetemus secundum analogiam fidei; sive ministerium, versemur in ministratione, tum is qui docet in docendo; tum qui exhortatur, in exhortatione, &c. vers. 6. &c. privatim admoneant privati, at publicè Prophetæ, & quibus publicè docendi aut exhortandi aut admonendi est concessum ministerium. Matth. 18: 17. Rom. 12: 7, 8. & 1 Corinth. 12: 28: 29. & cap. 14: 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35.

XI. *Semperque monendos*, &c.) Non te solum, sed & illum considera quem intendis monere, si per te sanari posse videatur, aut saltem si fructus aliquis ad Dei gloriam, (*a*) & tuæ conscientiæ tranquillitatem, (*b*) aut ad aliorum terrorem vel ædificationem, (*c*) ex tua admonitione sperari possit. Quod si neque ille per te sanari posse videatur, neque admonitionis tuæ ullus fructus ad Dei gloriam, aut ad aliorum terrorem, vel ædificationem sperari possit, aut si plus mali inde appareat eventurum quam boni, non polluitur tua conscientia prudenti silentio. Verumtamen nemo contendat, nemo arguat, cum populus tuus similis sit contendentibus cum sacerdote, Hos. 4: 4. Ne date sanctum canibus, neque projicite margaritas vestras ante porcos, ne quando conculcent eas pedibus suis, & versi lacerent vos, Matth. 7: 6. Sinite eos, duces sunt cæci cæcorum, Matth. 15: 14. Quisquis habet, dabitur ei, & magis abundabit; quisquis autem non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo. Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Matth. 13: 12, 13. Vobis necesse fuit primum exponi verbum Dei; postquam verò repellitis illud, & indignos vos ipsos decernitis æterna vita, ecce convertimur ad gentes: sic enim nobis mandavit Dominus, &c. ait *Paulus* Apostolus obstinatis Judæis in Antiochia Pisidiæ, Actor. 13: 46, 47. Item, Judæis Corinthi resistentibus & blasphemantibus, excutiens vestimenta, dixit ad eos *Paulus*, sanguis vester super caput vestrum; purus ego: ab hoc tempore ad gentes proficiscar, Actor. 18: 6. Item, Ephesi, quum quidam indurarentur, & parere nollent, malè loquentes de via Domini coram multitudine, abscedens ab illis *Paulus* segregavit discipulos, Actor. 19: 9. Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem rejice; sciens quod eversus sit, qui ejusmodi est, & peccet, ut qui sit suopte judicio condemnatus (ὢν αὐτοκατάκριτος.) Tit. 3: 10, 11. Corripiens derisorem, accipit sibi ipsi ignominiam; & increpans impium, accipit sibi maculam: ne increpes derisorem, ne forte odio habeat te; increpa sapientem, & diliget te; da sapienti instructionem, & sapientior erit; doce justum, & augescet eruditione. Proverb. 9: 7, 8, 9. Ne respondeas stulto juxta stultitiam ejus, ne adæqueris ei etiam tu: responde stulto secundum stultitiam suam, ne forte sit sapiens in oculis suis, Proverb. 26: 4, 5. Nam interdum obstinatis quibusdam os obstruendum est, quamvis eos corrigere nequeamus: Sunt (inquit Apostolus) multi & contumaces & vaniloqui, & mentium seductores, quibus oportet os obturare, (πολλοὶ καὶ ἀνυπότακτοι καὶ ματαιολόγοι, καὶ, οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν.) Tit. 1: 10, 11. nempe ne alios suis imposturis subvertant, uti ibidem legimus. Servi autem dixerunt ei, vis igitur abeamus & colligamus ea? At ille dixit, non, ne quando dum colligitis zizania, eradicetis simul cum eis triticum. Sinite simul crescere utraque usque ad messem: & in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos ad exurendum ea; triticum verò cogite in horreum meum, Matth. 13: 28, 29, 30, 37, 38, &c.

(*a*) Ezechiel. 2: 4, 5.
(*b*) Ezechiel. 33: 19.
(*c*) 1 Timoth. 5. 20.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 12. cap. 4. §. 53. & §. 54. & §. 55.

Regula octava erat de necessitate & modo monelæ; hæc autem regula undecima est de discretione personarum monendarum.

Mul-

Multi (inquit *Augustinus*) postea cogitantes quæ audierint, & quam justè audierint, ipsi se gravius & severius arguerunt; & quanquam perturbatiores à medico viderentur abscedere, paulatim verbi vigore in medullas penetrante, sanati sunt; quod non fieret, si semper exspectaremus periclitantem putrescentibus membris, quando uri liberet aut secari. Quod nec ipsi corporis medici attendunt. *Augustinus* in Expositione epistolæ ad Galatas, in cap. 6. Item; Dissensiones nunquam debent amari, sed aliquando tamen aut à charitate nascuntur, aut charitatem probant. Quis enim facilè invenitur, qui velit reprehendi? & ubi

Proverb. 9: 8. est ille sapiens de quo dictum est, Corripe sapientem, & amabit te? Numquid tamen ideo non debemus reprehendere & corripere fratrem ne securus tendat in mortem? Solet fieri & frequenter accidit, ut ad horam contristetur cum reprehenditur, & resistat, & contendat, & tamen postea consideret secum in silentio ubi nemo est nisi Deus & ipse, & timet displicere hominibus quia corripitur, sed non timet displicere Deo quia non corrigitur, & deinceps non faciat illud in quo justè reprehensus est, & quantum odit peccatum suum, tantum diligat fratrem, quem sensit hostem peccati sui, &c. epist. 87. Fœlicitati & Rustico. *Item*; Misericorditer igitur corripiat quod potest; quod autem non potest, patienter ferat, & cum dilectione gemat atque lugeat, donec aut ille desuper emendet & corrigat, aut usque ad messem differat eradicare zizania, & paleam ventilare: ut tamen securi de salute sua bonæ spei Christiani inter desperatos quos corripere non valent, in unitate versentur, & in ipsis non inveniatur quod in moribus aliorum eis displicet. ——— Turba autem iniquorum, cum facultas est in populis promendi sermonem, generali objurgatione ferienda est, & maximè si occasionem atque opportunitatem præbuerit aliquod Domini flagellum desuper, quo eos appareat pro suis meritis vapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendantis sermoni calamitas auditorum, faciliusque in gemitum confitendi quam in murmura resistendi afflicta corda compellit. ——— Quanquam etsi nulla calamitas tribulationis premat, cum facultas datur, utiliter corripitur in multitudine multitudo. Nam sicut separata sævire, sic in ipsa congregatione objurgata gemere consuevit. Quamobrem & illud præceptum Apostoli nullo modo negligendum est, cum sine periculo

1 Corinth. 5: 12. violandæ pacis fieri potest, quia nec ipse aliter fieri voluit, ut à congregatione bonorum separetur malus: & ejusdem illud præcipuè attendendum

Ephes. 4: 3. est, ut sufferentes invicem studeamus servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Item, Domino in Evangelio dicenti, in illo obtem-

Matth. 18: 17. perare debemus, ubi ait, Si neque Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publica-

Matth. 13: 29. nus: & in illo, ubi prohibuit colligi zizania, ne simul eradicetur & triticum. Potest enim utrumque custodiri ab eis, quibus dictum est,

Matth. 5: 9. Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur. Hæc *Augustinus*, lib. 3. contra epistolam Parmeniani Donatistæ, cap. 2. Vide de hoc argumento quosdam Canones, apud Gratianum, Caus. 23. quæst. 4.

XII. *Si derisorem ejicias*, &c.) Etsi interdum sinendi sunt mali, uti ostensum est; si tamen commodè fieri possit ut derisor ejiciatur, consulitur hoc pacto tranquillitati Ecclesiæ. Ejice derisorem, (inquit *Salomon*,) & egredietur contentio, cessabitque lis & ignominia, Prov. 22: 10. Cum autem non quilibet eam gerat personam ut anathematis sententia percutere & ex Ecclesiæ cœtu eliminare possit derisorem, dispiciendum nobis est quid unicuique hoc præcepto imperetur. Tribus igitur gradibus ejicimus à nobis derisorem, quemadmodum qui derisorem retinet eique adhæret, id facit in aliquo trium graduum adhæsionis. Tres gradus retentionis & adhæsionis sunt, 1. Communio sacramentorum & reliqui cultus. 2. Societas in convictu & familiari conversatione. 3. Similitudo morum. His opponuntur tres gradus ejectionis, 1. Excommunicatio. 2. Dissociatio à familiari convictu & conversatione. 3. Dissimilitudo morum. Præceptum illud quo jubemur ejicere derisorem, ad omnes tres gradus ejectionis extenditur, uti patet ex aliis scripturæ locis, Matth. 18: 17, & 1 Cor. 5: 12. Psal. 50: 18. Prov. 1: 15. & Prov. 29: 24. & alibi. Cum hoc tamen discrimine; duo priores ejectionis gradus sunt interdum dispensabiles, uti ostensum est in exegesi regulæ undecimæ; at tertius gradus ejectionis est simpliciter indispensabilis. Qui enim participat cum fure, odit animam suam. Proverb. 29: 24. Ne communices peccatis alienis, teipsum purum serva. 1 Tim. 5: 22. Ne sitis consortes eorum; ut filii lucis ambulate ——— probantes quod sit acceptum Domino; Et ne communicate operibus infructuosis tenebrarum, sed potius etiam arguite, &c. Ephes. 5: 7, 8, 9, 10, 11. &c. Videantur plura in eandem sententiam, Rom. 12: 2. Philip. 2: 15. Jacob. 1. vers. ult. 1 Petr. 4: 1, 2, 3, 4. Ideo quod ait Apostolus *1 Corinth. 9: 22.*

Paulus, se factum esse omnia omnibus, ut omnino aliquos servaret, non sic est accipiendum, ac si Apostolus cum furibus & adulteris aut quibuscunque peccatoribus particeps esse vellet in peccato, eisque conformis fieri; absit! Hoc enim severè prohibetur, tum in ejusdem Apostoli scriptis, tum etiam in aliis scripturis sacris. *μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ*, ne conformes sitis huic seculo, Rom. 12: 2. Religio pura & immaculata apud Deum & Patrem est invisere orphanos & viduas in afflictione sua; & immaculatum seipsum servare à mundo, Jacob. 1: 27. Et Petrus monet, ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est temporis, in carne vivamus; ut non amplius operemur voluntatem gentium, in luxuriis, cupiditatibus, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis simulacrorum cultibus; quamvis prophani mirentur nos non concurrere cum eis ad eandem luxus profusionem, & blasphement; qui reddituri sunt rationem ei qui paratus est ad judicandum vivos & mortuos, 1 Petr. 4: 2, 3, 4, 5. Et Paulus Apostolus ait, eos blasphemare eum seu falsam contra eum calumniam dicere, qui ajunt eum dicere, faciamus mala, ut eveniant bona; & talium justam esse ait damnationem, Rom. 3: 8. Ideo in priore epistola ad Corinthios, quum dixisset, factus sum Judæis ut Judæus, ut Judæos lucrifaciam; eis qui sub lege sunt, ut si essem sub lege, (*τοῖς ὑπὸ νόμον, ὡς ὑπὸ νόμον*) ut eos qui sub lege sunt lucrifaciam; exlegibus ut exlex, (*τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος*,) ne quis hinc existimaret eum cuiquam consentire aut comitem esse in transgressione legis moralis, maturè inseruit hanc declarationem, parentheticos, (*cum non sim exlex Deo, sed in lege Christo: μὴ ὢν ἄνομος Θεῷ, ἀλλ' ἔννομος Χριστῷ*) 1 Cor. 9: 20, 21. Manifestum verò est *ἀνόμους exleges* illos

 quibus

quibus factus est ut exlex, esse homines non se adstringentes cæremoniali legi Judæorum, circumcidere recusantes, & earum cæremonialia illa discrimina rejicientes; illos vero quos vocat *ὑπὸ νόμον sub lege*, esse homines in istis judaizantes: *infirmos* autem, esse homines teneræ quidem, sed nondum sufficienter informatæ conscientiæ, aut etiam infantes in Christo, lacte egentes: quibus omnibus omnia factus est Apostolus, ut eos lucrifaceret, non mentientis astu, simulans se esse quod non erat, & omnia mala hominum fallaciter agens, sed compatientis affectu, id est, aliorum omnium malis omnibus, tanquam si sua essent, misericordis medicinæ diligentiam procurando, quomodo secum agi cuperet, si eodem malo laboraret, ut erudite & pie explicat *Augustinus*, epist. 19. quæ est ad *Hieronymum*, de Petro reprehenso à Paulo.

CAPUT V.

De laudatione alterius, aut sui ipsius.

Prima Regula, contra assentatores.

I. *NE matutinus sis admirator amici.*

Secunda Regula, quod aliquando liceat tum apud alios, tum etiam in os, seu coram, laudare aliquem, sive id voce fiat, sive scripto; sive publicè, sive privatim. Ubi ponuntur casus septem.

II. 1. *Qui laudando monet, coram bene laudat amicum;*
2. *Aut animum infirmum qui laudibus erigit æquis;*
3. *Profectumve suum ostendens in laude magistri;*
4. *Fidosve alterius memorans grato ore labores;*
5. *Aut de virtute alterius sua gaudia testans;*
6. *Candidè & agnoscens virtutes ac bene gesta;*
7. *Supremum aut hominis celebrans in laude datorem.*

Tertia Regula, ubi adjiciuntur alii tres casus in quibus licet palam laudare, sive præsentem, sive absentem.

III. 1. *Officii pro lege palam laudato merentem;*
2. *Proponenive aliis virtutum exempla sequenda;*
3. *Aut probra infensi. quando intentata refellis.*

Quarta Regula, de curanda fama, & vitanda ambitione seu κενοδοξίᾳ vana.

IV. *Curabis famam, at vana procul ambitione;*
Non te collaudes, alio aut laudante tumescas.

Quinta Regula, de licita commendatione suipsius. Ubi memorantur quinque casus, & ad casum quintum pertinentes quinque rationes.

V. 1. *Exemplo ut prosis aliis, tua facta recense;*
2. *Utque Deum simul ore canant & pectore grato;*
3. *Atque probum ut te demonstres;* 4. *Aliumve nocentem.*
5. *Falso accusatum aut suspectum, aliquando necesse est*
Ut se defendens infert sibi dona supernè
Enumeret collata; habita ratione locorum,
Rerumque & personarum; stationis & horæ;
1. *Ne tibi sit fraudi tacuisse;* 2. *Malive triumphent,*
3. *Infirmos aliorum animos ne scandala turbent,*
4. *Innocuusve latus per nostrum infamia tangat,*
5. *Neve Dei sanctum temeret blasphemia Nomen.*

Explicatio & confirmatio.

Reg. I. *Ne matutinus* &c.) Qui benedicit amico suo voce magna, demane surgendo, maledicenti reputabitur ei, Prov. 27: 14. in quem locum *Beda*, (in Commentariis quæ *Hieronymo* tribuebantur, & exstant inserta operibus *Hieronymi*, tom 7.) Voce (*inquit*) grandi proximo benedicit qui eum favore superfluæ laudis extollit, vel malis videlicet actibus ejus contra justitiam favendo, vel bona plus justo laudando. Sed hic maledicenti assimilatur, quia plurimum lædit eum, cui laudando sive in mala actione confidentiam tribuit, seu in opere recto simplicitatem puri cordis minuit, ut videlicet bonum quod supernæ mercedis intuitu inchoarat, transitoriæ laudis amore consumat. Hæc ibi. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis quam qui blanditur lingua. Proverb. 28: 23. τῦ γλωσσοχαριτῦντος. Huc referri poterit illa *Augustini* sententia, tract. 100. in Evang. Joan. quam invenies citatam infra in fine exegeseos regulæ quartæ.

Secunda Regula, continens septem casus, in quibus licet tum apud alios, tum etiam in os coram, laudare proximum.

I. Cas. *Qui laudando monet*, &c.) sic laudavit David filium suum Salomonem, 1 Reg. 2: 9. sic Paulus Apostolus laudat Galatas, in epist. ad Galat. 4: 14, 15. & Philippenses, in epist. ad Philip. 2: 12. & Agrippam Regem, Actor. 26: vers. 26, 27, 28. & Timotheum, 1 Tim. 6: 12. & 2 Tim. 3: 10, 11. & Joannes Gajum, 3 Joan. vers. 5, 6.

II. Cas. *Aut animum infirmum qui laudibus erigit æquis.*) Hoc fit dupliciter; vel enim est animus offensus, qui interdum veris laudibus rectè placatur, sicut *Gedeon* sapienter placavit *Ephræmitas*, Judic. 8: 2, 3. idem faciendum ut præveniatur offensio, quomodo Paulus laudat Romanos, epist. ad Rom. 15: 14. vel est tenellus animus egens solatio, quem fas erigere per veras laudes, non ut turgescat, sed ne labascat; quomodo Paulus laudat Timotheum, 2 Timoth. 1: 4, 5. & Hebræos, epist. ad Hebr. 6: 9, 10. & Hulda Josiam, 2 Reg. 22: 19.

III. Cas. *Profectumve suum*, &c.) Sic regina Sabæ laudavit Salomonis sapientiam, 1 Reg. 10: 6, 7, 8, 9. Sic Elisæus laudavit Eliam ascendentem in Cœlum, 2 Reg. 2: 12. sic Nicodemus laudavit Christum, tanquam hominem à Deo missum, Joan. 3: 2. & Paulus laudat Gamalielem, præceptorem suum, à quo fuit accuratissimè institutus, & enutritus in religione Judæorum, Actor. 22: 3.

IV. Cas. *Fidosve alterius*, &c.) Sic Israëlitæ laudarunt Gedeonem, Judic. 8: 22. & Samuelem, 1 Sam. 8: 5. & 12: 4. & Paulus laudat Philippenses, epist. ad Philip. 4: 15, 16. item, Priscillam & Aquilam, Rom 16: 3, 4. & Marciam, ibid. vs. 6. necnon Onesiphorum, 2 Tim. 1: 16, 17, 18. & mulieres Israëliticæ laudaverunt Davidem, 1 Sam. 18: 7.

V. Cas. *Aut de virtute alterius*, &c.) Sic Joannes laudat electam illam Dominam, ejusque liberos, 2 Joan. vs. 4. & Gajum, 3 Joan. vers.

vers. 3:4. & Booz laudat Ruth, lib. Ruth, cap. 3. vers. 11. & maritus uxorem illam, Proverb. 31: 28, 29.

VI. Cas. *Candidè & agnoscens* &c.) Candidè, id est, non simulatè aut per assentationem, sed sincero animo agnoscens virtutes & rectè gesta in quocunque. Sic Israelitæ candidè agnoverunt virtutes & bene gesta Samuelis, 1 Sam. 12: 4. & Abigaïl candidè agnoscit virtutes ac benè gesta Davidis, 1 Sam. 25: 28.

VII. Cas. *Supremum aut hominis* &c.) sic David laudat Abigaëlem, 1 Sam. 25: 32, 33. & regina Sabæ Salomonem. 1 Reg. 10: 9. & Paulus Apostolus sic laudat Romanos, epist. ad Rom. cap. 1. vers. 8. & Corinthios. 1 Corinth. 1: 4. & Colossenses, epist. ad Coloss. 1: 3, 4. & Thessalonicenses, 1 Thess. 1: 2, 3.

Tertia Regula, ubi superioribus septem casibus adjiciuntur alii tres casus, in quibus decem casibus fas laudare palam, sive absentem, sive præsentem.

I. Cas. *Officii pro lege* &c.) Sic Ahimelech laudavit Davidem. 1 Sam. 22: 14, 15. sic Petrus Apostolus scripto publico laudavit Paulum Apostolum, 2 Pet. 3: 15. & Paulus Timotheum, Philip. 2: 19, 20, 21, 22. & Epaphroditum, ibid. vers. 29: 30 & illos fratres de quibus scribit, 2 Cor. 8: 18, 22. & Epaphram, Colos. 1: 7, & 4: 12. & Tychicum, atque Onesimum, Coloss. 4: 7, 8, 9. Nam Evangelii ministros commendatione dignos commendat coram Ecclesiis ut eis, hoc pacto conciliaret reverentiam & obedientiam.

II. Cas. *Propone sive aliis*, &c.) Sic Lucas laudavit Barnabam, Act. 11: 24. & Joannes Demetrium, 3 Joan. vers. 12: 12.

III. Cas. *Aut probra infonti* &c.) Sic Jonathan laudavit Davidem coram rege Saule, 1 Sam. 19: 4, 5.

Hisce tribus septem memoratos &c.) Quum liceat in illis septem casibus, regula secunda memoratis, laudare aliquem, sive apud alios, sive coram in os, uti ostendimus, inde sequitur etiam in eis casibus licitam esse laudationem publicam, quæ prudenter fiat.

Quarta Regula, de fama quidem modestè curanda; vitanda tamen ambitione τῶν κενοδόξων.

Curabis famam; at vana procul ambitione,
Non te collaudes, alio aut laudante tumescas.

Duæ sunt partes hujus regulæ. 1. De curanda fama. 2. De vitandu κενοδοξίᾳ. Hæc autem secunda pars proponitur in priore versu generaliter; in posteriore autem versiculo in duo distinguitur capitula specialia; quorum prius est, ut teipsum non laudes, posterius verò, ut alio te laudante non superbias, seu ut alienæ laudationis aura ne indecorè efferaris.

Curabis famam,) Eligibilius est nomen bonum quam divitiæ multæ: & quam argentum, & quam aurum, eligibilior est gratia bona. Prov. 22: 1. Melius est nomen bonum quam unguentum bonum. Eccles. 7: 1. Apostolus Paulus nos jubet cogitare & agere ὅσα εὔφημα quæcunque bonæ famæ sunt, Philip. 4: 8, 9. & providere debemus honesta non solum coram Domino, sed etiam coram hominibus, 2 Cor. 8: 21. & sapienter ambulare erga eos qui extra sunt, Coloss. 4: 5. ut nullam occasionem demus adversario ad maledicendum, 1 Tim. 5: 14. ne nomen Dei & doctrina blasphemetur, 1 Tim. 6: 1. ut doctrinam Servatoris nostri Dei ornemus in omnibus, Tit. 2: 10. ut sic splendeat lux nostra coram hominibus, ut videant nostra bona opera, glorificentque patrem nostrum qui est in Cælis, Matth. 5: 16.

Huc pertinet illud quod ex *Augustino* citat *Gratianus*, caus. 12. quæst. 1. Can. *Nolo*. Propter nos conscientia nostra nobis necessaria est; propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Duæ res sunt, Conscientia & fama; Conscientia necessaria est tibi, fama proximo: qui confidens conscientiæ negligit famam crudelis est. Similia habentur Caus. 11. quæst. 3. can. *Non sunt audiendi*. Unde etiam patres illi in Concilio Toletano quarto, can. 21. *Quamvis* (inquiunt) *conscientiam puram apud Deum nos habere oporteat, tamen & apud homines famam optimam custodire convenit, ut, juxta præceptum Apostolicum, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, vitæ sanctæ testimonium habeamus*. Hæc ibi. Hoc vidit & ille Ethnicus, qui appositè dixit, adhibendam esse quandam reverentiam adversus homines, & optimi cujusque & reliquorum; negligere enim quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis esse, sed etiam omnino dissoluti. Cicero, lib. 1. Offic.

At vana procul ambitione) Ut comedere mel multum non est bonum, sic hominibus investigatio gloriæ eorum non est gloria. Prov. 25: 27. vulgò. *Scrutator majestatis opprimetur à gloria*. Græc. τιμᾶν δὲ χρὴ λόγους ἐνδόξους. quarum interpretationum neutra concordat cum Hebraica veritate; quæ ad verbum sic se habet, *Achol devbash harboth lo-tobh; vecheqer kebhodam kabhod*, id est, de verbo ad verbum, *Comedere mel multum non est bonum, & investigatio gloriæ eorum, gloria* id est, non est gloria. Sic vertit *Pagninus*, sic Angli interpretes, supplendo vocem [*hominibus*,] uti & nos in recitatione fecimus. Ne simus κενόδοξοι, inanis gloriæ cupidi, Galat. 5: 26. Nihil fieri à nobis debet κατὰ κενοδοξίαν, cupiditate inanis gloriæ. Philip. 2: 3. quomodo potestis credere, quum gloriam alii ab aliis captetis, & gloriam quæ à solo Deo proficiscitur non quæratis? ait Dominus Judæis κενοδόξοις, Joan. 5: 44.

Non te collaudes &c.) laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua, Prov. 27: 2. Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed is quem Dominus commendat. 2 Corinth. 10: 18.

Alio aut laudante tumescas.) Ut conflatorium argento, & fornax auro; sic est viro os laudantis eum, Prov. 27: 21. in quem locum *Beda*, Laus (inquit) justos cruciat, iniquos exaltat: sed justos dum cruciat, purgat, iniquos autem dum lætificat, reprobros monstrat. Hæc ille. Quum gratiosè alloquetur te [*dolosus*,] ne credideris ei, quoniam septem abominationes sunt in corde illius: operit se odium in deceptionem; manifesta erit malitia ejus in congregatione. ——— Os blandiens operatur ruinam. Prov. 26: 25, 26, —— 28. Idcirco debemus non auscultare adulatoribus. *Herodes Agrippa* admittendo vocem assentatoriam incidit in sacrilegium, non tribuens gloriam Deo. Ideo ab Angelo percussus est, Act. 12: 22, 23. Notat Dominus vitium illud in Scribis & Pharisæis, quod amarent salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi Rabbi. Quæ vanitas exaltandi se, prohibetur discipulis Christi, Matth. 23: 6, 7, 8, 12. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic verax est, & injustitia in eo non est. Joan. 7: 18. Exemplum veracis hujusmodi legati habemus in Joanne baptista, Joan. 1. & 3. item in Petro ac Joanne Act. 3: 12, 13. & rur-

sum in Petro, Act. 10: 26. & in Paulo ac Barnaba, Act. 14: 13. & rursum in Paulo, 2 Cor. 4:5. & 1 Thess. 2: 6. Neque quærentes (*inquit*) ex hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Unde rectè *Augustinus*, in expositione epistolæ ad Galat. in cap. 6. exponens illa verba Apostoli, *Unusquisque proprium suum onus portabit.* Non ergo (inquit) laudatores nostri minuunt onera conscientiæ nostræ, atque utinam non etiam accumulent, cum plerunque ne illis offensis laus nostra minuatur; aut objurgatione illos errare negligimus, aut jactanter eis aliquid nostrum ostentamus potiùs quàm constanter ostendimus. Omitto ea quæ fingunt & mentiuntur de se homines propter hominum laudes. Quid enim ista cæcitate tenebrosius, ad obtinendam inanissimam gloriam, errorem hominis aucupari, & Deum testem in corde contemnere? quasi verò ullo modo comparandus sit error illius qui te bonum putat, errori tuo, qui homini, de falso bono placere studes, de vero malo displices Deo. Idem, Epist. 64. quam adhuc presbyter scripsit ad *Aurelium* Episcopum Carthaginensem; De contentione autem & dolo quid me attinet dicere, quando ista vitia non in plebe, sed in nostro numero graviora sunt? horum autem morborum mater superbia est, & humanæ laudis aviditas, quæ etiam hypocrisim sæpe generat. Huic non resistitur nisi crebris divinorum librorum testimoniis incutiatur timor & charitas Dei, si tamen ille qui hoc agit, seipsum præbeat patientiæ atque humilitatis exemplum, minus sibi assumendo quam offertur, sed tamen ab eis qui se honorant, nec totum, nec nihil accipiendo, & id quod accipitur laudis & honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, & humana contemnere, sed propter illos accipiatur quibus consulere non potest si nimia dejectione vilescat. Ad hoc enim pertinet quod dictum est; Nemo juventutem tuam contemnat: quum hoc ille dixerit qui alio loco ait, Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem. Magnum est de honoribus & laudibus hominum non lætari, sed omnem pompam inanem præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferre. ——— Dignaris credo mecum considerare quam sint ista gravia, quam difficilia. Non enim hujus hostis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit, quia etsi cuiquam facile est laude carere dum denegatur, difficile est ea non delectari cum offertur: & tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut, si non merito laudemur, corrigamus eos quos possumus, ne arbitrentur aut in nobis esse quod non est, aut nostrum esse quod Dei est, aut ea laudent quæ quamvis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia quæ vel cum pecoribus habemus communia vel cum impiis hominibus. Si autem meritò laudamur, propter Deum gratulemur eis quibus placet verum bonum; non tamen pro his quia placemus hominibus, sed si coram Deo tales sumus quales nos esse credunt, & non tribuitur nobis, sed Deo, cujus dona sunt omnia quæ verè meritòque laudantur. Hæc mihi ipse canto quotidie, vel potius ille cujus salubria præcepta sunt, quæcunque sive in divinis lectionibus inveniuntur, sive quæ intrinsecus animo suggeruntur; & tamen vehementer cum adversario dimicans, sæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum. Hæc propterea scripsi, ut, si tuæ sanctitati jam non sunt necessaria, sive quod plura hujusmodi ipse cogites atque utiliora, sive quod tuæ sanctitati medicina ista non opus sit, mala tamen mea nota sint tibi, sciasque unde pro mea infirmitate Deum rogare digneris, quod ut impensissimè facias, obsecro per humanitatem illius qui præceptum dedit, ut invicem onera nostra portemus. Hæc ibi *Augustinus.* Idem, tract. 100. in Evangelium Joannis, Sicut (*inquit*) definierunt antiqui Latinæ linguæ clarissimi authores, Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. ——— Bonum autem laudare, non laudato sed laudantibus prodest. Est autem etiam falsa gloria. ——— Cum autem de aliquo per Deum & propter Deum justo, hoc est, veraciter justo, causa ipsius justitiæ, frequens est fama cum laude, vera quidem gloria est; non tamen eâ credendum est beatificari justum, sed laudantibus gratulandum est quia rectè judicant, & diligunt justum. Hactenus *Augustinus.*

Gal. 6: 6. — 1 Tim. 4: 12. — Gal. 1: 10. — Gal. 6: 2. — Def. gloria.

Quinta Regula, De licita commendatione tui ipsius, ubi memorantur quinque casus, & ad casum quintum pertinentes quinque rationes.

I. Cas. *Exemplo ut prosis aliis tua facta recense.*) Sic presbyteris Ephesinis facta sua recenset Paulus Apostolus, Act. 20. vers. 18. & seqq. & Corinthiis. 1 Cor. 9: 22, 23, 24, 25, 26, 27. & cap. 10. vers. 33. & cap. 11. vers. 1. & Thessalonicensibus, 1 Thess. 2. vers. 1. & seqq. & David sua rectè facta proponit principibus & gubernatoribus populi imitanda, 1 Paralip. 29: 2, 3, 4. &c. Sic Moses & Esdras & Nehemias sua rectè facta commemorant. Sic Paulus morti propinquus sua rectè facta commemorat, ut exemplo prosit aliis, 2 Tim. 4. vers. 5: 6, 7, 8.

II. Cas. *Utque Deum simul ore canant & pectore.*) Sic seipsam commendat Debora, Judic. 5: 7, 8, 9, 10, 11, 12. & Paulus, in gloriam Dei, memorat suam diligentiam qua amplius laboravit quam omnes Apostoli: *non tamen ego*, (inquit) *sed gratia Dei quæ mecum est*, 1 Cor. 15: 10. & multa de se bona commemorat, in gloriam Dei, 2 Cor. cap. 3. & cap. 4. εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, 2 Cor. 4. 15.

III. Cas. *Atque probum ut te demonstres.*) Sic suam in administranda republ. fidelitatem commemorat Samuel, 1 Sam. 12: 3. Demonstrata probitate docentis dociliores redduntur audientes, quo fine suam probitatem ostendit Paulus, 2 Cor. 7: 2. &, 1 Thess. 2. Obadias ut Eliam haberet sibi faventem, ne illum quasi impium hominem in discrimen adduceret, declaravit Eliæ suam pietatem & piè facta. 1 Reg. 18: 12, 13.

IV. Cas. *Aliumve nocentem.*) Sic Jacob, ut ostendat quam fuerit ei injurius Laban, narrat quam fuerit ipse fidelis in pascendo Labanis grege, Genes. 31: 6, 7, 38, 39, 40, 41, 42. ubi una eademque opera & suam ostendit probitatem, & alterius injustitiam. Quomodo David suam pariter innocentiam, Saulique iniquitatem demonstravit, 1 Sam. 24: 11.

V. Cas. *Falso accusatum aut suspectum* &c.) Sic David suam asserit innocentiam, 1 Sam. 24: 11. Sic Paulus, Corinthiorum infirmitate coactus, de donis & revelationibus ipsi concessis prudenter ac piè gloriatur, 2 Cor. cap. 11. & cap. 12. sic idem Apostolus bonam suam prædicat conscientiam, Act. 23: 1. & 2 Corinth. 1: 12.

Habita ratione locorum, rerumque &c.) Hæc conditio observatu necessaria est; quia in omnibus considerandum, cujus spiritus simus. Luc. 9. 55. semperque ambulare debemus ἀκριβῶς, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοὶ, accuratè, non ut insipientes, sed ut sapientes, Ephes. 5: 15, 16. tempus & judicium cognoscit cor sapientis. Eccles. 8: 5.

Rat. 1. *Ne tibi sit fraudi tacuisse.*) Propter hanc rationem Paulus Apostolus coram syncdrio Judæorum asserit se omni bona conscientia Deo serviviße, usque ad illum diem, Act. 23: 1. & coram Festo, Act. 25: 8. Neque in legem (*inquit*) Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccavi. Et fratres Josephi responderunt se non esse exploratores, sed veraces, Gen. 42: 11. & servo ejus declarant quam fideliter egerint, Gen. 44: 7, 8. nempe ne illis fraudi esset silentium.

Rat. 2. *Malive triumphent.*) Hanc ob caussam Paulus, postquam commemorasset quasdam suas perfectiones & rectè facta, atque inter alia, quod gratuitò Evangelium Corinthiis prædicaverit, promittit se etiam in posterum non futurum illis oneri, neque se commissurum ut occludatur contra eum in regionibus Achaiæ hæc gloriatio, quod facio, (inquit) etiam faciam, ut amputem occasionem eis qui cupiunt occasionem; ut in eo de quo gloriantur, reperiantur quales & nos. Nam istiusmodi Pseudoapostoli operarii dolosi sunt, &c. 2 Cor. 11: 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, &c. Non iterum nos ipsos commendamus vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi de nobis, ut habeatis quod dicatis adversus eos qui in facie gloriantur, & non in corde. 2 Cor. 5: 12.

Rat. 3. *Infirmos aliorum animos ne scandala turbent.*) Propter istam rationem Paulus collata sibi à Deo dona enumerat, scribens ad Corinthios, & ad Galatas, ne Pseudoapostolis Paulum calumniantibus crederent, atque ita scandalizarentur in Paulo, 2 Corinth. cap. 10. & cap. 11. & cap. 12. ubi postquam de sua potestate Apostolica & innocentia ac fidelitate sua multis disseruisset, subjicit hæc verba; *Putatis quod nos vobis excusemus? in conspectu Dei in Christo loquimur: omnia autem, charissimi, pro vestra ædificatione*, 2 Cor. cap. 12. vers. 19. Item cap. 23. ubi inter alia ait, non quo nos probati appareamus, sed ut vos quod honestum est faciatis, vers. 7. Eodem fine suam authoritatem Apostolicam, & fidelitatem prædicat, in epistola ad Galatas, cap. 1. & cap. 2. & se ab inconstantiæ & falsitatis crimine vindicat, 2 Cor. 1: 17, 18, & seqq.

Rat. 4. *Innocuosve latus per nostrum infamia tangat.*) Sic Paulus se purgans, amovet etiam infamiam à sociis suis & cooperatoribus in opere Domini, quos ad Corinthios miserat, 2 Cor. 12: 17, 18. Et accusatus à Judæis coram Fœlice, quod esset princeps sectæ Nazaræorum, ita respondet pro se, ut alios etiam Christianos (in quos etiam redundabat calumnia) liberet à crimine. Confitetur quidem se secundum illam viam, quam Judæi sectam dicebant, colere Deum; sed hanc non esse pestiferam sectam, sed salutarem viam, cui testimonium perhibent lex & prophetæ, quæ non doceat seditionem, sed ut studeamus inoffensam servare conscientiam apud Deum, & apud homines semper, Act. 24, 5, 14, 15, 16

Rat. 5. *Neve Dei sanctum temeret blasphemia nomen.*) Apostolus Paulus monet servos, ut suos dominos omni honore dignos existiment, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur, 1 Tim. 6: 1. propter eandem rationem dona Dei nobis collata quandoque profiteri convenit, sicut fecit Paulus Apostolus, explodens Judæorum blasphemiam, qua blasphemabant viam Domini, tanquam seditiosam & hæreticam, Act 24. Idemque Apostolus amolitur à se suspicionem inconstantiæ & falsitatis, ne existimarent auditores Christum, quem Apostolus prædicaverat, esse etiam & non, ac si nihil per illum aut de illo haberi posset certi, docuissetque Christus promissa negligere: quod absit. 2 Cor. 1: 17, 18, & seqq. Sic Christiani olim ab Ethnicis accusati horrendorum scelerum, suam innocentiam Apologiis publicis asseruerunt, ne ex eorum silentio Ethnici occasionem sumerent licentius blasphemandi nomen Christi.

CAPUT VI.

De occultatione veri, De loqutione falsa, de mendacio ex errore & ignoratione, De mendace, de dissimulatione & de hypocrisi, de insidiis.

Regula Prima, quæ est, De occultatione veri,

I. *Vera aliquando licet celare, aliquando necesse est.*

Secunda Regula, De fugienda omni oratione falsa.

II. *Est omnis fugienda piis oratio falsa.*
Illa autem vera est aut falsa oratio qua quid
Asseritur, sive affirmando sive negando.

Tertia Regula, de discrimine inter mentientem & falsa errore loquentem, item, inter errantem & ignorantem.

III. *Mentitur fallendi animo qui falsa profatur.*
Mentitur quæ falsa putat qui vera profatur:
Falsa loquens quæ vera putat, temerarius errat.
Ipse modo quodam mentiri dicitur errans;
Dum confidenter, loquitur contraria vero:
Si præsertim erret præfractè aut perniciosè.
Ignorant qui se nescire ignota fatentur,
Non errant, si nulla accedat opinio falsa:
Quædam, non omnis, vacat ignorantia culpa.

Quinta Regula, de discrimine inter mentientem, & mendacem; ubi etiam de strictiore & laxiore significatione verbi, *mentiri.*

IV. *Strictè; mentiri est contraria promere menti:*
Laxius; est menti aut vero contraria fari:
Quamvis fortasse, invitus mendacia dicas.
Mendax est concepta animo & secum ante peracta
Qui falso gaudens loquitur mendacia verba.

Exegesis

Reg. 1. De occultatione veri.

I. *Vera aliquando licet celare, aliquando necesse est.*) Licuit Nehemiæ pro tempore celare suam piam intentionem, & quo iret de nocte, quidque faceret, Nehem. 2: 12, 16. licuit etiam Estheræ pro tempore celare suum genus, & populum, suasu Mardochæi, Esth. 2: 20. licuit Jeremiæ celare partem colloquii quod cum rege Zedekai habuerat, Jerem. 38: 24, 25, 26, 27. Licuit Melzari celare mutationem alimenti Danielis & sociorum, hortatu Danielis factam,

Dan. 1. Totum spiritum suum profert stultus, at sapiens quietum servat in futurum, Prov. 29: 11. Unde etiam patet, aliquando necesse esse celare veritatem, id quod pluribus demonstravimus supra, cap. 3. ad Reg. 10. & Reg. 11.

Ne secreta aperi, aut male sedulus esto susurro.

Dicimus autem aliquando licere, & aliquando necesse esse verum celare: non enim semper necesse est, neque semper licet celare cognitam veritatem, uti patet ex cap. 4. Regula 1.

Stulta vide prudens & iniqua silentia vites.

& Regul. Tertia.

Gloria si poscat Domini, si commoda fratrum,
Expromes fido compertum pectore verum.

Secunda Regula est de loqutione falsa fugienda.

II. *Ast omnis fugienda piis oratio falsa.*) Verum quidem occultare licet, at veritatem occultando mentiri non licet, nec occultare mentiendo, uti rectè monet *Augustinus*, lib. de mendacio, cap. 10. Refert ex *Origene*, *Eusebius*, Hist. Eccles. lib. 6. cap. 38. Græce, extitisse tempore *Origenis* quosdam sceleratos hæreticos, qui *helcesaitæ* ἑλκεσαῖται appellabantur; qui fidem negare indifferens quiddam esse asserebant: sufficere enim, si intus in corde fides servaretur, quamvis interdum, ubi necesse esset, ore negaretur. Extiterunt etiam tempore *Augustini* quidam nefarii hæretici Priscillianistæ dicti, qui propter occultandas contaminationes & turpitudines suas, habebant in suis dogmatibus, hæc verba,

Jura, perjura, secretum prodere noli,

teste Augustino, hæresi 70. De eisdem etiam scribens, idem Augustinus ad Consentium lib. contra mendacium, cap. 11. Porro, inquit, inter illa dogmata eorum [*Priscillianistarum*,] quæ subvertenda sunt, etiam hoc est utique, quod dogmatizant, ad occultandam religionem religiosos debere mentiri; in tantum ut non solum de aliis rebus ad doctrinam religionis non pertinentibus, sed de ipsa quoque religione mentiendum sit, ne pateat alienis; ut videlicet negandus sit Christus, quo possit inter inimicos suos latere Christianus. Etiam hoc, obsecro te, dogma impium nefariumque subverte, propter quod argumentantes de scripturis colligunt testimonia, quibus videantur non solum ignoscenda vel toleranda, verùm & honoranda mendacia. Ad te igitur pertinet, sectam detestabilem cùm refellis, sic accipienda monstrare ista testimonia scripturarum, ut vel doceas non esse quæ putantur esse mendacia, si eo modo intelligantur quo intelligenda sunt; vel imitanda non esse etiam quæ manifestum est esse mendacia; vel certè ad extremum de his saltem rebus, quæ ad doctrinam religionis pertinent, nullo modo esse mentiendum. Hæc ibi.

III. Contra impium Helcesaïtarum & Priscillianistarum dogma tenendum est. 1. Non omnia secreta semper celanda, quin & spei salutaris rationem cuilibet petenti reddendam esse, uti docuimus cap. 4. 2. Nullum secretum perjurio celandum esse; nullo enim prætextu aut casu assumere licet nomen Dei in vanum. De quo videatur explicatio Tertii Præcepti. 3. Nullum secretum mendacio occultandum esse; quod hic demonstrandum suscipimus, quia nunquam est mentiendum.

Omnis enim fugienda piis oratio falsa est.

Quia odit Deus & detestatur anima ejus linguam mendacem, Prov. 6: 16, 17. abominatio Domino sunt labia falsitatis, in facientibus autem veritatem est beneplacitum ejus, Prov. 12: 22. Dico, *omnem* fugiendam esse orationem falsam, quia non solum cavere debemus ne mentiamur, sed etiam ne inscii quod falsum est pro vero loquamur, nam & error diligenter vitandus est, uti patebit ex regula tertia, ejusque exegesi.

Illa autem vera est aut falsa oratio, qua quid
Asseritur, sive affirmando, sive negando.

Hoc rectè est observatum ab Aristotele, lib. de interpretatione, cap. 4. ubi orationem enunciativam ab aliis generibus orationis distinguit per hoc, quod soli enunciativæ orationi conveniat verum dicere, aut falsum dicere, ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι, non autem orationi deprecativæ, interrogativæ, imperativæ, & similibus. Istis quidem dolus inesse potest, at non falsa loquutio, nisi forte ad enunciationem reducantur.

Tertia Regula est, de discrimine inter mentientem & falsa errore loquentem, item, inter errantem & ignorantem. Ubi etiam de ignorantia culpabili & inculpabili.

IV. *Mentitur fallendi animo qui falsa profatur.*
Mentitur quæ falsa putat qui vera profatur.
Falsa loquens quæ vera putat, temerarius errat,
Ipse modo quodam mentiri dicitur errans;
Dum confidenter loquitur contraria vero:
Si præsertim erret præfractè aut perniciose.
Ignorant qui se nescire ignota fatentur.
Non errant, si nulla accedat opinio falsa:
Quædam non omnis vacat ignorantia culpa.

Regulæ hujus quatuor sunt partes. In prima parte proponitur discrimen inter mentientem & falsa errore loquentem: In Secunda parte, quæ incipit illis verbis. [*Ipse modo quodam*,] docetur quomodo & quando mentientibus accenseantur ii qui falsa per errorem loquuntur. In Tertia parte, monstratur discrimen inter errantem & ignorantem, illis verbis [*Ignorant qui se* &c.] In Quarta parte, versiculo ultimo, [*Quædam non omnis* &c.] distinguitur ignorantia in damnabilem, & culpa vacantem.

V. Discrimen inter mentientem & falsa errore loquentem, manifestum est ex sacris literis. Is enim mentitur qui fallendi causa contra mentem suam loquitur, sciens aut putans falsum esse quod dicit. Sicut mentitus est Serpens Evæ, Genes. 3. Quemadmodum etiam mentiti sunt falsi illi testes, filii Belial, adversus Nabothum. 1 Reg. 21: 13. & propheta ille Bethelticus, qui alterum Prophetam mendacio reduxit. 1 Reg. 13: 18. qui omnes quod loquebantur falsum esse sciebant: illi autem insidiatores qui se justos esse simularunt, ut caperent Christi sermonem, dixeruntque Domino; magister, novimus quod rectè dicis ac doces, &c. quibus respondens Dominus dixit, quid me tentatis, hypocritæ? (Matth. 22: 16, 17. Luc. 20: vers. 20, 21, 22, 23.) mentiti sunt formaliter, quatenus aliud in pectore clausum gestabant, aliud autem in lingua promptum præ se ferebant; quamvis materialiter verum dixerint, nam eorum incredulitas non potuit evertere veritatem rei; Christus enim rectè dicebat ac docebat, &c. etiamsi illi id non crederent; sed putarent falsum esse quod fallaciter loquebantur, quum tamen reipsa esset verum. Is demum habitaturus dicitur in sancto monte Domini, qui loquitur veritatem in corde suo, & non egit dolum in lingua sua, Psal. 15: 2, 3. id est, qui veritatem tum in corde credit, tum ore

Definitio mentientis.

re profert; qui neque in corde neque in ore habet falsitatem. Quia fieri potest, ut loquatur aliquis ore veritatem, quæ nihil ei prosit, si eam in corde non teneat, id est, si quod loquitur, ipse non credat, sicut hæretici Priscillianistæ faciebant, quum Catholicam veritatem non quidem crederent, sed tamen loquerentur, ut Catholici esse crederentur. Loquebantur ergo veritatem in ore suo, non in corde suo. Uti monet *Augustinus*, lib. contra mendacium, cap. 6. Is autem falsum ex errore loquitur, qui se putans verum dicere, dicit falsum; quomodo per errorem loquebantur quod falsum erat de Jobo amici ejus: & Paulus per ignorantiam erat antea blasphemator. 1 Timoth. 1: 13. de quibusdam etiam improbis hominibus dicit Apostolus, quod sint decipientes, & decepti, πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι, qui alios errare faciant, & ipsi errent. 2 Timoth. 3: 13.

Obiter discrimen inter credere & opinari.

VI. Non omnis qui falsum dicit, mentitur, (inquit *Augustinus*) si credit aut opinatur verum esse quod dicit. Inter credere autem atque opinari hoc distat, quod aliquando ille qui credit sentit se ignorare quod credit, quamvis de re, quam se ignorare novit, omnino non dubitet, si eam firmissimè credit: qui opinatur autem, putat se scire quod nescit. Quisquis autem hoc enunciat quod vel creditum animo, vel opinatum tenet, etiamsi falsum sit, non mentitur. Hoc enim debet enunciationi suæ fidei, ut illud per eam proferat quod animo tenet, & sic habet ut profert. Nec ideo tamen in nullo vitio est, quamvis non mentiatur, si aut non credenda credit, aut quod ignorat, nosse se putat, etiamsi verum sit. Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enunciat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio: una rei ejus quam veram esse vel scit vel putat & non profert; altera ejus rei quam pro ista profert, sciens falsam esse vel putans. Ex quo fit ut possit falsum dicere non mentiens, si putat ita esse ut dicit, quamvis non ita sit: & ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, & pro vero enunciat, quamvis revera ita sit ut enuntiat. Ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate vel falsitate mentiens aut non mentiens judicandus est. Potest itaque ille qui falsum pro vero enuntiat, quod tamen verum esse opinatur, errans dici & temerarius; mentiens autem non rectè dicitur, quia cor duplex, cum enunciat, non habet, nec fallere cupit, sed fallitur. Hæc *Augustinus*, libro de mendacio, cap. 3. Idem alibi definit mendacium, quod mendacium sit falsa significatio cum voluntate fallendi. Lib. contra mendacium, cap. 12. diximus autem mentiri eum qui fallendi animo dicit quod scit aut putat esse falsum; ut distinguatur mentiens ab illo qui quod falsum est loquitur, non animo fallendi, neque ut errorem ingerat animo credentis, sed tantummodo historicè, aut disputando, &c.

Errans non est à vitio immunis. Definitio mentientis.

Quid sit errare.

VII. Non solum cavere debemus ne mentiamur, sed etiam ne per errorem falsa loquamur. Errare nihil est aliud (uti definit *Augustinus*, Enchirid. cap. 17.) quam verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo; sive falsum sit sive verum: idque tam est in animo deforme atque indecens, quàm pulchrum ac decorum esse sentimus, vel in loquendo vel in assentiendo est est, non non. Quamvis autem (uti monet idem Aug. Enchir. cap. 18.) non consideratis rebus ipsis de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quàm qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit: non ideo tamen in nullo vitio est qui falsum affirmat nesciens; teste eod. Aug. lib. de mend. cap. 3. Vigilandum igitur & danda sedulò opera est, ut non loquamur aliquid falsi per errorem; etiamsi non omnis error perniciosus sit, stupida tamen & ignava incuria, dum nec curatur error, nec cavetur, semper in vitio & perniciosa est. Debet unusquisque sedulò providere ne fallat proximum; qui autem errans falsum loquitur, fallit proximum ei credentem: ergo debet unusquisque sedulò providere ne errans falsum loquatur. Ipsa etiam naturalis ac recta ratio hoc refugit; Usqueadeo enim rationalis creatura refugit falsitatem, & quantum potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicunque amant fallere, inquit *Augustinus* Enchirid. cap. 17. alienus igitur est ab homine qui non cavet ne insciens falsum loquatur, putans esse verum. Et rectè *Nigidius* apud *Gellium*, Noct. Attic. lib. 11. cap. 11. *Vir bonus*, inquit, *præstare debet ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat.* Porro quilibet error deputandus est in malis hujus vitæ, quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis, quæ pars est præsentis miseriæ nostræ sub qua ingemiscimus, Augustinus Enchirid. cap. 21. unde debemus ipsi errorem fugere, & alios ne in errorem inducamus, diligenter providere. Præterea sublata cura cavendi erroneam falsitatem, tollitur fides inter homines; nam tutum non est ei credere, quem scias non solùm posse errare, & errando falsum loqui, sed neque dare operam ut vitet falsiloquium, neque illud tanquam malum refugere & aversari. Falsiloquium etiam per errorem pugnat cum illa accurata circumspectione quæ requiritur in Christianis, Ephes. 5: 15, 16. qui omne otiosum verbum vitare tenentur. Matth. 12: 36. quanto magis falsum. quorum omnia dicta & facta debent esse in fide. Rom. 14. ultimo in nomine Domini. Coloss. 3: 17. Omne falsiloquium Deus naturaliter aversatur, qui est Deus veritatis & ipsa veritas. Rectè *Paulinus*, in vita *Ambrosii*; Nec putet (inquit) me quisquam studio amoris aliquid quod fide careat posuisse: quandoquidem melius sit penitus nihil dicere, quam aliquid falsi proferre, cum sciamus nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem. Hæc ibi *Paulinus*. Falsiloquium reducitur ad mendacium, & per consequens est à Diabolo;

Ipse modo quodam mentiri dicitur errans,
Dum confidenter loquitur contraria vero,
Si præsertim erret præfractè, aut perniciosè.

Ubi tres casus indicamus in quibus qui falsum errans loquitur, mentiri censetur. 1. Si confidenter loquatur contrarium vero, quo sensu Job vocat amicos suos טֹפְלֵי־שָׁקֶר *concinnatores mendacii*, Job. 13: 4. qui Jobum asserebant fuisse hypocritam & injustum exactorem, &c. nam veritatem licet inscius oppugnat qui errans confidenter loquitur contraria vero: insuper aliud præ se fert & confidenter affirmat ore, nempe certam rei compertæ notitiam; aliud verò habet in pectore,

nempe falsam persuasionem. Quamvis in eo conveniat ori cum pectore, quod os persuasionem pectoris proferat. Sic errabant illi de quibus loquens Apostolus Paulus, deflexerunt, (inquit) ad vaniloquentiam; volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus asseverant. 1 Timoth. 1: 6, 7. Non est autem censendus mentiri, qui de re aliqua parum sibi comperta, in utramvis partem probabiliter loquitur, aut suum conceptum, licet erroneum, profert, non ut irrefragabilem, sed tantummodo ut candidè profiteatur quid illi videatur, salva diligentiore inquisitione; nec in alterutram partem confidenter quicquam affirmat: ut si quis rudior conspiciens virgam cujus pars sit aquæ immersa, dicat virgam esse curvam, non quidem confidenter, quoad rem, sed tantùm quod oculo curva esse videatur, paratus tamen discere veritatem rei, & visus sui hallucinationem agnoscere. Sic tractator aliquis orthodoxus errare potest in expositione cujusdam sententiæ in sacris literis; neque tamen propterea censetur mentiri, aut perniciosè errare, quamdiu quod dicit, sanæ doctrinæ ad salutem cognitu necessariæ non repugnat, & abest temeraria confidentia, & præfracta obstinatio: sed candidè & modestè profert quid sibi videatur, paratus semper discere certiora, & cedere perspicuæ veritati; relicta illa incongrua interpretatione, quam prius putabat esse veram. Unde videmus sæpe, viros doctos, non solum aliis monentibus, sed etiam re diligentius apud seipsos considerata, retractare & revocare nonnullas suas expositiones.

2. Secundus casus in quo errans falsiloquus mentiri censetur, est, si erret non solum confidenter, sed etiam *præfractè* & contumaciter, ut neque monitus cedat perspicuæ veritati. Quo sensu Judæi illi increduli mendaces dicuntur. Joan. 8: 55.

3. Tertius casus est, si erret *perniciosè*; ubi enim ipse error est in se perniciosus, tunc omne falsiloquium quo quis errorem illum suum externo sermone affirmat, habetur pro pernicioso mendacio. Quo sensu dixit Jacobus Apostolus, *Ne mentiamini contra veritatem*, Jac. 3: 14. & Joannes, si, inquit, dixerimus, quod communionem habeamus cum illo, & in tenebris ambulemus, mentimur, {ψευδόμεθα.} & non facimus veritatem. 1 Joan. 1: 6. & eodem sensu, si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos decipimus, ἑαυτοὺς πλανῶμεν, & veritas non est in nobis, vers. 8. Item, qui dicit, novi ipsum, & mandata ipsius non custodit, mendax est, & veritas non est in eo. Cap. 2. vers. 4. & intuitu objecti hujus circa quod perniciosè erratur, omne peccatum appellatur ψεῦσμα, mendacium: quia opponitur τῇ ἀληθείᾳ τοῦ Θεοῦ, veritati Dei, Rom. 3: 7. In ipsarum, quæ dicuntur, consideratione rerum tantum interest, (inquit *Augustinus*) qua in re quisque fallatur, sive mentiatur, ut quum, non consideratis rebus ipsis de quibus aliquid dicitur, falli quàm mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamen longè tolerabilius sit in iis quæ à religione sunt sejuncta, mentiri, quàm in iis, sine quorum fide vel notitia Deus coli non potest, falli. Enchirid. cap. 18.

VIII. Durandus, in 3. sent. dist. 38. quæst. 1. Mendacium, inquit, est falsa vocis significatio, cum intentione fallendi, id est, falsum dicendi. Dicens verum quod credit falsum, mentitur formaliter: dicens autem falsum quod credit verum, mentitur materialiter; & hoc est minimum in ratione mendacii, propter defectum formalis rationis: dicens vero falsum quod credit falsum, mentitur & materialiter & formaliter. Hæc *Durandus*. Aliquando tamen, uti jam monebamus ex *Augustino* gravius peccat, qui in rebus ad salutem cognitu creditùque necessariis mentitur materialiter, quam qui in re levi mentitur & materialiter & formaliter. Nam gravius peccat qui ignorans putat & dicit Christum non esse Deum, quam qui se mentitur habere centum aureos, aut prandisse aut non cœnasse, &c. quamvis ambo peccent, peccatis imparibus.

Secundum omnes istas tres considerationes falsiloqui ex errore provenientis, mentiri dicuntur illi Apostolorum convitiatores & persequutores, Matth. 5: 11. qui cultum Deo gratum se exhibere putant resistendo doctrinæ Apostolorum, ipsosque persequendo; quod eventurum prædixit Christus, Joan. 16: 2, 3. ubi causam persequutionis monstrat: Hæc, inquit, facient vobis quia non cognoverunt Patrem, neque me. Loquuntur contra veritatem confidenter, contumaciter, & perniciosè.

IX. In tertia parte hujus regulæ proponitur discrimen inter errorem & ignorantiam;

Ignorant qui se nescire ignota fatentur,
Non errant, si nulla accedat opinio falsa.

Nemo quidem errat nisi ignorans, non tamen omnis ignorans errat: nisi ignorantiam intelligas secundum dispositionem, κατὰ διάθεσιν, quam *Aristoteles* vocat ἀπάτην *deceptionem*. 1. Post. cap. 12. talis enim ignorantia includit opinionem falsam, adeoque error est; qualis est eorum ignorantia, de quibus loquens Apostolus ait, εἰ γὰρ δοκεῖ τις εἶναί τι, μηδὲν ὤν, ἑαυτὸν φρεναπατᾷ, *si quis quis sibi videtur esse aliquid, quum nihil sit, hunc suus ipsius animus fallit.* Gal. 6: 3. Talis erat ignorantia Sadducæorum, quibus ait Dominus, πλανᾶσθε μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ, *erratis non scientes scripturas, neque potentiam Dei*, Matth. 22: 29. talem ignorantiam non secernimus ab errore. Sed est alia quædam ignorantia, quæ non secundum dispositionem, sed secundum negationem dicitur, ἡ μὴ κατὰ διάθεσιν, ἀλλὰ κατ' ἀπόφασιν λεγομένη, & dici potest simplex ignorantia, seu nescientia: hæc est sine errore: nam error est ignorantia διαθετική, at simplex ignorantia seu nescientia est tantummodo ἀποφατική: qualis erat illa ignorantia Danielis, *Audivi*, inquit, *sed non intellexi.* Dan. 12: 8. & Zachariæ, qui Angelo, percunctanti an non sciret quid ea essent, respondit, Non, Domine mi. Zach. 4: 5. & Pauli Apostoli, qui, sive in corpore, inquit, non novi; sive extra corpus, non novi, Deus novit. 2 Corinth. 12: 2.

X. Huc pertinet illud *Augustini*; Quamvis, inquit, error cavendus sit non solum in majoribus, verumetiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari: non est tamen consequens, ut continuo erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit; pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium. Hæc ille, Enchird. cap. 17.

XI. In quarta parte regulæ distinguitur ignorantia simplex in damnabilem, & culpa carentem. Ignorantia sine culpa est quando quis ignorat seu nescit ea quæ non tenetur scire, aut nondum tenetur scire; sic absque culpa ignorabat seu nesciebat Abraham quo proficisceretur, dum vocanti Deo obsequeretur Hebr. 11: 8. neque culpa erat in Paulo Apost., nescire quæ illi essent obventura Hierosolymis. Act. 20: 22. &

& fine culpa diem & horam adventus Domini ad judicium ignorant homines, & Angeli. Nesciebat etiam ipse Dominus Jesus in diebus infirmitatis suæ. Marc 13: 32. Culpabilis autem erat ignorantia Hebræorum qui quæ jam scire debuerant nondum sciebant; quo nomine reprehenduntur ab Apostolo; Hebr. 6: 12. & discipulorum quos reprehendit Christus, πῶς ὁ νοεῖτε; *quomodo non intelligitis*? Matth. 16: 11. ὦ ἀνόητοι &c. *ò destituti intelligentia*, &c. Luc. 24: 25. talis est ignorantia servi illius qui nesciens voluntatem Domini, facit ei contraria, & peccat, pœnamque meretur; licet minorem pœna illius qui sciens voluntatem Domini transgressus est. Luc. 12: 47, 48.

Vide Instruct. Historico Theolog. lib. 3. cap. 20.

XII. Quarta regula est de discrimine inter mentientem & mendacem, ubi etiam gemina proponitur definitio, quid sit mentiri.

Strictè, mentiri est contraria promere menti:
Laxius, est menti aut vero contraria fari.

Quatenus scilicet etiam falsiloquium ex errore reducitur ad mendacium. Fari autem dicimus, ita ut significet confidenter asserere, quo sensu, dicta sunt fata, & Jupiter Veneri apud Virgilium, Æneid. 1. ait.

Hic tibi, fabor enim, quando hæc te cura remordet;
Longiùs & volvens fatorum arcana movebo.

Mentitur quandoque aliquis invitus, quomodo Petrus metu territus abnegavit Christum: Sed mendax amat mentiri, atque habitat animo in delectione mentiendi, ut loquitur *Augustinus*, lib. de mendacio. cap. 11. Mendax concipit ac loquitur de corde verba mendacia, Esai. 59: 13. diligit malum potiùs quàm bonum, mendacium potiùs quàm loqui justitiam. Psal. 52: 4.

Caput VII.

Proponuntur varia genera mendacii, sed omnia vitanda, nec ullius exemplo usurpanda.

I. *Seria, vana, jocosa pius mendacia vitet:*
Haud imitanda ulli mala quantumcunque piorum.
Omne à lethifero mendacii vulnere lædunt.

Augustinus lib. de mendacio cap. 14. proponit octo genera mendaciorum, de quibus reliquo libro disserit. Ea repetit capite ultimo, & concludit, omne mendacium esse peccatum, atque adeo fugiendum.

II. Primum exstat evitandum (inquit) capitale mendacium, longèque fugiendum, quod fit in doctrina religionis: ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci. Magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacii. Secundum autem, ut aliquem lædat injustè, quod tale est, ut & nulli prosit & obsit alicui: quo genere non est mentiendum, quia nulli facienda est injuria. Tertium, quod ita prodest alteri, ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam obsit corporalem: quo genere non est mentiendum, quia nulli cum alterius injuria consulendum est. Nulli est injuria vel levior inferenda, ut ab alio gravior repellatur. (cap. 11.) Quartum, quod fit sola mentiendi fallendique libidine, quod merum mendacium est, & illicitum, sicut mentiendi libido per seipsam vitiosa est. (& cap. 11.) Nec ista sunt admittenda mendacia, obsunt enim eis ipsis qui gratis mentiantur. Ipsi enim propriè mendaces dicendi sunt. Quintum, quod fit placendi cupiditate de suaviloquio; quod cum superioribus penitus rejiciendum est; peccant enim qui se malunt placere hominibus, quam verum dicere. (cap. 11.) Sextum, & Septimum, & Octavum, quod nulli obest, & prodest alicui. Sextum quidem, quod nulli obest, & prodest alicui in opibus externis: velut si quispiam pecuniam alicujus tollendam, sciens ubi sit, nescire se mentiatur, quocunque interrogante. Septimum autem, quod nulli obest, & prodest alicui pro conservatione vitæ temporalis, & ad vitandum occisionem: veluti si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur; non solum justum atque innocentem, sed & reum, quia Christianæ disciplinæ sit; ut neque de cujusquam correctione desperetur, neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur. De quibus duobus generibus, quæ solent habere magnam controversiam, quid nobis (inquit) placeret ostendimus, ut suscipiendis incommoditatibus quæ honestè ac fortiter tolerantur, hæc quoque genera devitentur à fortibus & fidelibus & veracibus viris ac fœminis. Objicit autem (cap. 13.) quid si interroget iniquus judex, quærens ad supplicium innocentem? quid facies, falsus testis an proditor eris? Respondet; quanto ergo fortius, quanto excellentius dices: nec prodam, nec mentiar. Fecit hoc Episcopus quondam Tagastensis Ecclesiæ, *Firmus* nomine, firmior voluntate. Nam quum ab eo quæreretur homo jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem, diligentia quanta poterat occultabat, respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passusque multa tormenta corporis, (nondum enim erant Imperatores Christiani) permansit in sententia. Deinde ad Imperatorem ductus, usque adeo mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret. Quid hoc fieri potest fortius atque constantius? Item (cap. 12.) si propterea non peccamus mentiendo, quia nulli obsumus, & alicui prosumus, quid agimus de ipso peccato mendacii? Ubi enim positum est, ne furtum feceris, ibi positum est, ne falsum testimonium dixeris. Item (cap. 21.) Non est mentiendum sexto genere; neque enim rectè etiam testimonii veritas pro cujusquam temporali commodo ac salute corrumpitur. Item (cap. 6.) cum mentiendo vita æterna dimittitur, nunquam pro cujusquam temporali vita mentiendum est. Neque perimas mendacio animam tuam, ut alius senescat in carne. Neque est septimo genere mentiendum: non enim cujusquam commoditas aut salus temporalis, perficiendæ fidei præferenda est. Octavum est genus mendacii, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, ut ab immunditia corporali aliquem tueatur: ut si stuprator irruat, qui possit mendacio devitari. Nec hoc octavo genere mentiendum est, quia & in bonis castitas animi, pudicitia corporis, & in malis id quod ipsi facimus eo quod fieri sinimus majus est. (& cap. 7.) Facile responderi potest, nullam esse pudicitiam corporis nisi ab integritate animi pendeat: qua dirupta, cadat necesse est, etiamsi intacta videatur: & ideo non in rebus temporalibus esse numerandam, quasi quæ invitis possit auferri. Nullo modo igitur animus se mendacio corrumpit pro corpore suo, quod scit manere incorruptum, si ab ipso animo incorruptio non recedat. Hæc *Augustinus* lib. de mendacio.

Aug. in Psal. 5. & Lomb. 3. sent. dist. 38 & Grat. caus. 22. quæst. 2. Can. In ipsarum. & Can. Ne quis arbitretur.

III. Octo ista genera reducta sunt ad tria genera. Ut mendacium omne sit vel *perniciosum*, ad quod referunt tria prima genera Augustiniana; vel *jocosum*, ad quod referunt quartum & quintum genus; vel *officiosum*, ad quod referunt tria postrema genera.

IV. Est autem (uti observarunt *Thomas* & *Durandus*) duplex divisio mendacii: Nam mendacium ut opponitur virtuti veritatis seu veracitatis dividitur more aliorum vitiorum, in duo extrema vitia nempe in jactantiam, ἀλαζονείαν, qua plus vero dicitur; & ironiam εἰρωνείαν qua minus vero dicitur, Arist. lib. 4. Ethic. cap. 7. At ratione culpæ gravioris, aut minus gravis, mendacium dividitur in perniciosum, jocosum, officiosum: sive in octo illa genera ex Augustino commemorata. De quorum octo generum ordine & collatione loquens *Augustinus*, lib. de mendacio, cap. ultimo. In his, inquit, octo generibus tanto quisque minus peccat quum mentitur, quanto emergit ad octavum; tanto amplius, quanto devergit ad primum.

V. Nos eodem sensu distinguimus mendacia, in *seria*, ad quod genus referimus tum perniciosa tum officiosa mendacia, ac insuper mendacia quæ modestiæ causa dicuntur. Ut si quis modestiæ causa mentiatur se peccare, quando putat se non peccare; aut se non esse peritum, quum tamen sit peritus, & se sciat esse peritum. Et *vana*, quo referimus mendacia ambitiosa Thrasonica, & quæcunque jactantiæ & inanis gloriæ causa dicuntur; item ea quæ *Augustino* dicta sunt mera mendacia; quæ sola mentiendi libidine dicuntur. Item adulatoria mendacia; & *jocosa*, quæ placendi studio dicuntur. In quibus major minorve culpa est hoc ordine. 1. Maxima culpa est in seriis perniciosis. 2. In proximo gradu sunt vana mendacia. 3. In tertio gradu jocosa. 4. Minor adhuc culpa est in seriis mendaciis, quæ modestiæ causa dicuntur. 5. In postremo gradu, mendacia seria officiosa.

VI. Intelligendus est tamen ordo istorum graduum, tantummodo ex intentione mentientis; non considerata interim diversitate materiæ de qua mentitur. Nam si materiam intueamur, aliquando invenietur gravius peccare qui in una materia vanè aut jocosè aut officiosè mentitur, quam qui in alia materia mentitur perniciose, seu in damnum proximi: sic qui fidem Christianam abnegat mendacio officioso, gravius peccat, quam si in damnum proximi mentiretur se nescire ubinam fur esset. Ideo hoc genus mendacii quod in rebus ad religionem pertinentibus, quacunque de causa, committitur, *Augustinus* vocat *capitale mendacium*, & primum genus detestabilis mendacii: Et Scholastici collocant in supremo gradu perniciosorum mendaciorum. Perniciosum enim est mendacium, vel ratione materiæ, in qua omne mendacium, quacunque intentione dictum, perniciosum est, videlicet mendacium quod dicitur in doctrina religionis: vel mendacium est perniciosum ratione intentionis illius qui mentitur, & ratione nocumenti quod mentiendo procurat, aut intendit alicui: & tale nocumentum est multiplex. Vel enim nocumentum est spirituale, ut si mentiendo conetur aliquem à fide abducere, aut ad quodlibet peccatum impellere, vel est nocumentum temporale, idque vel in eis quæ pertinent ad honorem, dignitatem, dominationem alicujus; vel si damnum fit in conjuge, liberis, vel amicis; vel si contra vitam alicujus mentiaris aut pudicitiam, vel si quis mentiendo nocere studeat alicui in opibus externis: vel in eis quæ pertinent ad nonum præceptum, ut si quis mendacio lædat aut lædere conetur alicujus famam. Unde existunt multa genera mendacii perniciosi ex intentione & nocumento. Totidem etiam invenies genera mendacii officiosi: nam multiplici nocumento opponitur multiplex adjumentum, in illis quinque rerum ordinibus. Porro consideranda sunt nocumenta, & officia non solum erga alios, sed etiam ipsorum mentientium erga seipsos: nam fieri potest ut mentiatur aliquis contra suam etiam vitam aut pudicitiam, vel pro ea. Unde existunt multa genera mendacii pro diversitate personarum.

VII. Mendacium igitur omne aut *serium* est, aut *vanum* aut *jocosum*. Quæ distinctio sumpta est à diversa dispositione mentientis; partim etiam ex consideratione materiæ, ex qua fit ut mendacium in doctrina religionis, quocunque animo dictum, serium sit, quamvis qui mentitur, intentionem fortasse habeat jocosam, aut vanam.

VIII. Serium mendacium, vel est prophanum, vel perniciosum, vel officiosum, vel modestiæ causa dicitur.

IX. Dicitur autem aliquod peccatum perniciosum bifariam: nam vel est perniciosum ratione peccati ipsius, qua peccatum est, & peccantem subjicit iræ ac maledictioni divinæ; quo sensu omne peccatum seu transgressio legis divinæ perniciosa est ipsi peccanti; sicut scriptum est, *Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Deuter. 27. vers. ultimo, & Galat. 3: 10. Omne, inquam, peccatum est perniciosum ex se, perniciemque adfert peccanti, nisi succurrat gratia miserentis Dei. Hoc sensu Theologi mendacium in doctrina religionis, quacunque intentione dictum, vocant perniciosum. Sed nimis generali utuntur vocabulo. Nam etsi perniciosum est istud mendacium, imò perniciosissimum, aliud tamen quæri potest epitheton in distinguendis diversis generibus, quo clarius hoc genus ab aliis mendaciis etiam hoc sensu perniciosis discerneretur: dicatur igitur, distinctionis ergo; *mendacium prophanum, irreligiosum, impium.* Vel aliquod peccatum perniciosum dicitur, eo quod secreta interim ratione ipsius peccati qua peccatum est perniciem alicui vel nocumentum adferat. Et hanc appellationem solet accipere ab intentione peccantis. Quo sensu perniciosum dicitur mendacium quod adhibet mentiens tanquam instrumentum procurandi nocumenti sibi aut alteri, sive in via salutis, sive in dignitate & honore, sive in vita aut valetudine corporali ac temporali, sive in pudicitia, sive in opibus, sive in fama. Et hac quidem significatione non est semper perniciosum mendacium, quod ratione peccati perniciosum est. Hac etiam significatione distinguitur mendacium perniciosum sive nocivum à jocoso, & officioso.

X. Sic igitur proponimus divisionem mendacii;

Men-

Mendacium est vel

- I. Serium, idque vel
  1. Irreligiosum sive prophanum.
  2. Perniciosum sive nocivum, Idque multiplex.
  3. Officiosum Idque etiam multiplex, uti ostensum est.
  4. Modestum, seu quod modestiæ causa dicit aliquis. Non enim ita cavenda est arrogantia, ut veritas relinquatur, Caus. 22. quæst. 2. *Non ita.* vide etiam Can. *Cum humilitatis.* eodem titulo.
- II. Vanum, idque vel
  1. Ambitiosum, seu jactabundum aut fastuosum; quale describitur mendacium regis Assyriæ, apud Esaiam, cap. 10: vs. 13.
  2. Merum mendacium.
  3. Adulatorium mendacium.
- III. Jocosum.

XI. Ordo autem quoad gravitatem peccati hic est, incipiendo à maximè detestabili & vitiosissimo. 1. Prophanum. 2. Perniciosum sive nocivum. 3. Mendacium vanum. 4. Jocosum. 5. Modestiæ causa dictum. 6. Officiosum. Omne autem mendacium esse peccatum, sed impari culpa, docebimus sequente capite.

XII. Quando dicimus cavenda esse seria, vana, jocosa mendacia, intelligimus cavenda esse omnia quæcunque mendacia; sicut & Augustinus omnia mendacia ad octo genera, Scholastici ad tria reduxerunt.

CAPUT VIII.

Proponuntur & confirmantur duodecim propositiones de mendacio.

I. QUONIAM autem de hoc argumento præ omnibus tractatoribus pientissime & accuratissimè scripsisse videtur Augustinus, Epist. 8, 9. & 19. quas scripsit ad Hieronymum, de Petro reprehenso à Paulo. Item Enchiridii cap. 18. & sequentibus aliquot capitibus. Item lib. de mendacio, ad Consentium. & lib. contra mendacium ad eundem Consentium, & alibi. & concludit fugiendum esse omne mendacium, quia nullum mendacium culpa vacat; eumque sequuti Scholastici. 3. sent. dist. 38. & Canonistæ, caus. 22. qu. 2. idem omnes uno ore asserunt. Et quum nos etiam affirmemus omne mendacium esse peccatum, adeoque fugiendum: pro communis conclusionis probatione operæ pretium facturus videbor, si copiosas Augustini dissertationes ad paucas propositiones ex ipsius libris undique conquisitas & depromptas revocem: & singularum propositionum probationes seu confirmationes ex scriptura & ratione petitas adjungam.

Prima propositio.

Aug. epist. 8. & 9. & 19. & lib. de mendacio cap. ult.

Scriptores illi per quos nobis communicata est Divina scriptura, nunquam in suis illis scriptis ullo mendacii genere mentiti sunt. Probatur ratione: fluctuabit enim autoritas divinarum scripturarum, ut in eis quod vult quisque credat, quod non vult non credat, si semel fuerit persuasum aliqua illos viros, per quos hæc nobis ministrata sunt, in scripturis suis potuisse mentiri. Nam si ad scripturas sanctas admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit autoritatis? quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis obteratur improbitas? Statim enim ut protuleris, si aliter sapit qui contra nititur, dicet illud quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem esse mentitum. Atque ita ipsa religionis via, in qua salus est omnium, evertitur, confracta & comminuta scripturarum autoritate.

II. Probatur idem rationibus & testimoniis ex Scriptura desumptis. Omnis scriptura est ex Divina inspiratione. 2 Tim. 3: 16. est verbum Dei. Jerem. 29: 19. 1 Thess. 2: 13. Deus autem mentiri nescit. Tit. 1: 2. 1 Sam. 15: 29. verbum ejus est veritas, Joan. 17: 17. Nullum mendacium est ex veritate. 1 Joan. 2: 21.

Secunda propositio.

Non est mentiendum propter Gloriam Dei. Prob. Si veritas Dei in meo mendacio abundavit, numquid nam & nos dicturi sumus, faciamus mala, ut eveniant bona? quod detestatur Apostolus. Augustinus lib. contra mendacium, cap. 1.

II. Falsum testimonium vocat Apostolus, si quis de Christo, etiam quod ad ejus laudem videtur pertinere, mentiatur. Augustinus. lib. de Mend. cap. 13. *1 Cor. 15. 15.*

III. Numquid pro Deo loquemini iniquitatem, & pro eo loquemini dolum? an faciem ejus accipietis? numquid pro Deo contendetis? an bonum fuerit quod investiget vos? an sicut mentitur de homine mentiemini de eo? arguendo arguet vos. Job. 13: 7, 8, 9, 10.

Tertia propositio.

Salus æterna & præmia cælestia nullo sunt quærenda mendacio. *Aug. lib. de mend. cap. 7.*

Prob. quia non possunt acquiri per viam mendacii, sed per viam veritatis. Ego sum via, veritas, & vita, inquit Dominus, nemo venit ad patrem nisi per me. Joan. 14: 6. & omnes mendaces & quicunque amant & faciunt mendacium excluduntur à Cælesti Hierusalem, & portio eorum est in stagno quod ardet igne & sulphure, Apocal. 21: 8. & cap. 22: 15. Israël Dei non loquetur mendacia. Zeph. 3: 13.

II. Nemo potest (inquit Aug.) convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui poruerit ostendere æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed quum tanto quisque ab æternitate discedat, quanto à veritate discordat; qui autem mentitur, à veritate discedit; absurdissimum est dicere, discedendo inde posse ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut si est aliquod bonum æternum quod non complectatur veritas, non erit verum; & ideo non bonum erit, quia falsum erit.

Quarta propositio.

Aug. lib. de mendacio, cap. 21. & lib. contra mend. cap. 1. & 4. & 20.

Ad sempiternam vitam nullus ducendus est opitulante mendacio: neque ad æternam salutem consequendam subveniendum cuiquam est per mendacium.

Prob. Non sunt facienda mala, ut veniant bona, Rom. 3:8. quid est enim aliud (inquit Aug.) mentiamur ut hæreticos mendaces ad veritatem adducamus, nisi, faciamus mala, ut veniant bona? Adhæc; non est aliquis malis consentientium moribus ad bonos mores convertendus: quia si ergo illum faciendum est, debet etiam ipse conversus facere erga alios: atque ita non ad bonos sed ad malos mores convertitur; cum hoc ei præbetur imitandum converso, quod ei præstitum est convertendo.

Lib. contr. mendac. cap. 1. Lib. de mend. cap. 21.

II. Et alibi; & quod est miserabilius, etiam ipsi jam quasi nostri effecti, quemadmodum nobis credant, reperire non possunt: si enim suspicentur etiam ipsi catholica dogmata nos mendaciter loqui, ut nescio quid aliud occultemus quod verum putamus; certè talia suspicanti dicturus es: hoc tunc ideo feci ut caperem te. Sed quid respondebis dicenti: unde igitur scio, utrum etiam nunc id facias ne capiaris à me? an verò cuiquam persuaderi potest, hominem non mentiri ne capiatur, qui mentitur ut capiat? videsne quo tendat hoc malum, ut scilicet non solum nos illis, ipsique nobis, sed omnis frater omni fratri non immeritò videatur esse suspectus? atque ita dum per mendacium intenditur ut doceatur fides, id agi potius ut nulli habenda sit fides.

Lib. contr. mendac. cap. 4.

III. Et eodem libro; Nulli esset fideliter amabilis castitas nisi eam præciperet veritas. Quum igitur nihil facere pro cujusquam salute æterna debeamus nisi quod præcipit veritas, non esse pro cujusquam æterna salute aliquid faciendum contrarium castitati, puta non esse subyciendum alicui per stuprum; quomodo nos docebit facere, quod ipsi est contrarium veritati; videlicet ut subveniamus per mendacium?

Lib. contr. mendac. cap. 10.

IV. Qui se probare volet fidelem Dei ministrum, uti debet verbo veritatis, & armis justitiæ. 2 Cor. 6: 7. prudentiam ostendat in orthotomia verbi veritatis. 2 Tim. 2: 5. non autem in concinnatione mendacii, sicut faciunt falsi doctores, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων. 1 Tim. 4:2.

Quinta propositio.

Non est mentiendum ut detegamus occultos hæreticos vel hypocritas.

Prob. Latentes, (inquit Augustinus) sicut nec adulteros per adulteria, nec homicidas per homicidia, nec maleficos per maleficia; ita nec mendaces per mendacia, nec blasphemos per blasphemias esse quærendos, incusse tenias & defendas.

Lib. contr. mend. cap. ult.

II. Idem; Quum Christus prædiceret ovibus suis posteriora tempora, dicens, multi ad vos venient in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: si liceret assumere vestitum lupi ad detegendos tales lupos, nonne ibi erat locus, ut hæc moneret, & diceret; & vos ut eos inveniatis assumite vestitum luporum, intrinsecus autem oves manete? non hoc ait, sed cum dixisset, multi ad vos venient in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: non addidit, ex mendaciis vestris; sed, ex fructibus eorum cognoscetis eos. Veritate sunt cavenda, veritate capienda, veritate occidenda mendacia. Absit, ut blasphemias ignorantium scienter blasphemando vincamus. Absit ut mala fallacium imitando caveamus. Quomodo enim cavebimus, si ut caveamus habebimus?

Lib. contr. mend. cap. 6.

Matth. 7: 15, 16.

III. Aliter Pseudoapostolos detexit angelus Ecclesiæ Ephesinæ, Apoc. 2: 1, 2, 3.

Sexta propositio.

Non est mentiendum occultandæ religionis causa: neque falsis laudibus Evangelium Christi infalsandum est: neque unquam omnino in divina religione mentiendum est, nec in eis enunciationibus quæ propter doctrinam religionis enunciantur, cum illa docetur aut discitur. Nec ulla omnino causa inveniri potest cur in talibus rebus mentiendum sit.

Lib. de mend. cap. 10. & 14. & 21. & lib. contr. mend., per totum.

Est hoc flagitiosissimum, perniciosissimum, maximèque detestabile ac fugiendum mendacium; ad quod nulla unquam conditione quisquam debet adduci. Non ut facilius convertantur errantes, uti ostensum est, propositione quarta; neque ad vitandas persequutiones, uti dictitabant abominandi illi hæretici Helcesaitæ & Priscillianistæ, neque ullam aliam ob causam. Qui enim sequi vult Christum, abnegare debet semetipsum, crucemque suam tollere, eumque sequi. Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam, &c. Matth. 16: 24, 25, 26. Si cum eo patiamur, & cum eo regnabimus; si cum abnegemus, ipse etiam abnegabit nos. 2 Tim. 2. 11. Nihil timeas eorum quæ passurus es, —— esto fidelis usque in mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Apocal. 2: 10. Item, habitas ubi est thronus Satanæ, & retines nomen meum, & non abnegasti fidem meam in diebus, in quibus Antipas ille fidelis martyr meus, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat. ibid. vers. 13.

Vid. Instruct. Historico-theolog. lib. 3. cap. 20. §. 38. & lib. 4. cap. 9. §. 1.

II. Quicunque me negaverit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in Cælis est. Absque ulla exceptione cujuscunque casus simpliciter prohibetur negatio Christi, seu veritatis.

Matth. 10. 33. Aug. lib. contr. mend. cap. 6.

III. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Rom. 10: 10. Nec fas est ulli (inquit Tertullianus) de sua religione mentiri. Ex eo enim quod aliud à se coli dicit quàm colit, negat quod colit, & culturam & honorem in alterum transferendo jam non colit quod negavit. Dicimus & palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati & cruenti vociferamur: Deum colimus per Christum. Hæc Tertullianus, Apologet. cap. 12.

IV. Fracta vel leviter deminuta authoritate veritatis, omnia dubia remanebunt, quæ nisi vera credantur, teneri certa non possunt.

Aug. lib. de mend. cap. 10.

V. Hoc *Augustinus*, hoc Scholastici & Canonistæ uno ore clamant, & validissimis argumentis confirmant. Et tamen nescio quibus freti mendaciorum ac perjuriorum magistris Pontificii quidam nostrates intrepidè in negotio religionis, prout regis animum erga illos pacatum aut ira incensum concipiunt, vel in matrimoniales solemnitates obtinent, vel alias ob causas, revocatis ex orco Helcesaitarum & Priscillianistarum blasphemiis placitis, intrepidè jurant, perjurant: nobisque, quos pro hæreticis habent, se sociant in cultu Divino, & communione sacramentorum, eandemque nobiscum confessionem fidei profitentur, moxque arrepta opportunitate desciscunt, atque ad vomitum revertuntur.

Septima propositio.

Nullum mendacium est diligendum, sed omne mendacium est odio habendum.

Prob.

Prob. Hæc certè (inquit Aug. lib. de mend. cap. 18.) omnis disputatio quamvis alternet, aliis asserentibus nunquam esse mentiendum, & ad hoc divina testimonia recitantibus: aliis contradicentibus, & inter ipsa verba divinorum testimoniorum mendacio locum quærentibus: nemo tamen potest dicere, hoc se aut in exemplo aut in verbo scripturarum invenire, ut diligendum, vel non odio habendum ullum mendacium habeatur.

II. Odi (inquit Psaltes) omnem semitam falsitatis, Psal. 119: 104. verbum falsitatis odio habet justus, Prov. 13: 5. Hoc etiam ii qui mendacii patrocinium suscipere videntur, agnoscunt: nam fatentur mendacium non esse per se appetibile; neque locum concedunt mendacio nisi tanquam minori malo pro evitatione majoris mali, aut pro assequutione alicujus boni in quo plus sit boni, quam in mendacio mali.

Octava propositio.

Aug. lib. contra mend. cap. 15.

Nullum mendacium ullo casu justum est: sed omne mendacium semper est injustum, est peccatum indispensabile.

Prob. Nihil judicandus est dicere qui dicit aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata; ac per hoc, aliqua justa esse quæ injusta sunt. Quo quid absurdius dici potest? —— Ea quæ contra legem Dei fiunt, justa esse non possunt: dictum est autem Deo, Lex tua veritas. Ac per hoc, quod est contra veritatem, justum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse omne mendacium? Nullum ergo justum esse potest mendacium.

Psal. 119: 142.

II. Huc pertinent illæ oppositiones, quibus inter se ex diametro opponuntur lex Dei & falsitas; viam mendacii amove à me, & legem tuam gratiose largire mihi. Viam veritatis elegi, judicia tua posui coram me, Psal. 119: 29, 30. Ex præceptis tuis intelligentiam mihi comparo, propterea odi omnem semitam falsitatis seu mendacii. ibid. vers. 104. mendacium odi & abominatus sum; legem tuam dilexi. vers. 163.

Aug. lib. contra mend. cap. 15. & 16. 1 Joan. 2: 21.

III. Cui non clareat (ait Aug.) ex veritate esse omne quod justum est? clamat autem Joannes, omne mendacium non est ex veritate. Ergo omne mendacium non est justum.

IV. Idem *Augustinus*, lib. de mendac. cap. ult. enumeratis illis octo generibus mendacii, concludit omne cujuscunque generis mendacium esse peccatum. Quisquis autem (ait *Aug.*) esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum.

V. Diabolus est pater mendacii. Joan. 8: 44. neque ullum est mendacium ex veritate. 1 Joan. 2: 21. & qui mendaces sunt, ii se ostendunt filios diaboli. Joan. 8: 44. qui autem ex Deo sunt, ii sunt ex veritate. 1 Joan. 3: 19. & ducuntur Spiritu Veritatis. 1 Joan. cap. 4. vers. 6. & faciunt opera Patris sui Cælestis, qui est Deus veritatis, Psal. 31: 6. Non sicut abominatio Domino sunt labia falsitatis, in facientibus autem veritatem est beneplacitum ejus, Prov. 12: 22. Id etiam conspicitur in eis qui ex Deo nati sunt; nam verbum falsitatis sive mendacium odio habet justus, Prov. 13: 5. sicut omnia Dei verba vera sunt, 2 Sam. 7: 28. Psal. 12: 7. Esai. 45: 19. sic in ore Israëlis Dei non invenitur mendacium. Zeph. 3: 13. Ad hoc enim contendere nos oportet, ut tanquam dilecta pignora Patrem nostrum Cælestem imitemur. Ephes. 5: 1. ut simus perfecti, sicut Pater noster qui est in Cælis, perfectus est. Matth. 5. vers. 48. seu ult. Nempe, sicut ille est perfectus simpliciter, ut Deus, ita nos enitamur ad perfectionem hominis facti ad imaginem Dei.

VI. Omnis inordinatio, (inquit *Thomas*) in 3. sent. dist. 38. in actibus humanis si voluntaria sit, peccatum est. Sive (ut loquitur *Durandus*, ibidem) omnis actus voluntarius cadens super indebitam materiam, est malus ex suo genere. Atque (ut Scotus ait ibid.) Actus omnis includens secum intentionem malam, nunquam potest esse bonus, quia includit formaliter malum velle. At talis inordinatio, talisque actus est mentiri: nam (ut ait *Augustinus*, Enchirid. cap. 22.) omnis qui mentitur, ea contra id quod animo sentit loquitur, voluntate fallendi. Et utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat: verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Hæc *Aug.* Nempe si quis verbis inordinate utatur assertivè & actu voluntario: Nam uti recte monet *Scotus*, licet prolatio talium verborum quorumcunque significatorum possit esse sine peccato; tamen prolatio eorum assertiva cum conscientia oppositi, & per consequens cum intentione fallendi, non potest esse sine peccato. Quia includit actum substratum cum circumstantiis ipsum necessario deformantibus.

VII. Hoc est commune argumentum, quo utuntur Scholastici, ut probent, omne mendacium esse peccatum, & indispensabile malum, uti paulò post, Deo donante, ostendemus.

VIII. In Divinis literis prohibetur mendacium simpliciter, neque ulli mendacio locus conceditur. Non dices falsum testimonium. Exod. 20. 16. Perdet Deus omnes qui loquuntur mendacium. Psal. 5: 7. Odit Deus & detestatur anima ejus linguam mendacem. Prov. 6: 16, 17. & cap. 12: 22. Nulla usquam invenitur hujus prohibitionis restrictio, cum exceptione ullius mendacii liciti; neque mendacio prohibito opponitur usquam mendacium aliquod concessum, sed opponitur mendacio veritas: hæc imperatur, ut Deo grata, (veritatem enim diligit Deus, Ps. 51: 8.) illud simpliciter prohibetur ut exosum Deo, & veritati Deo dilectæ contrarium. Legimus quidem de ira scriptum ab Apostolo, *Irascimini, & ne peccate*, Ephes. 4: 26. unde evidenter sequitur, posse hominem irasci ita ut irascendo non peccet; atque adeo irasci non esse per se in suo genere malum; at nusquam tale quippiam legimus de mendacio, neque enim dicit scriptura; mentimini, & ne peccate, vel mentimini sed non pernicioso mendacio; sed ait simpliciter sine ulla exceptione; *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Ephes. 4: 25.

IX. Ratio, qua illic utitur Apostolus, nempe, *quia sumus alii aliorum membra*; non facit pro impietate Priscillianistarum, qui (teste *Augustino*, lib. contra mend. cap. 2.) inde colligebant licere mentiri ad infideles & extraneos à fide. Quos refellens *Augustinus* ibidem; quæ sententia, inquit, sanctos martyres exhonorat, imo verò aufert sancta omnino martyria. Justius enim sapientiusque facerent secundùm istos [*Priscillianistas*] si persequutoribus suis non se confiterentur esse Christianos. &c. (& cap. 6.) Absit, inquit, ut sic intelligamus: sed ideo dictum est, quia unusquisque nostrum hoc debet quemque deputare, quod cum vult fieri, etiamsi Ephes. 4. 25.

non-

nondum factus sit; sicut Dominus alienigenam Samaritanum proximum ejus ostendit cum quo misericordiam fecit. Proximus ergo habendus est, non alienus, cum quo id agendum est ne remaneat alienus. Huic *Augustini* responsioni addi potest; quamvis illic per *membra*, intelliguntur Christiani inter se; non tamen inde sequi, quod liceat mentiri cum infidelibus. Nam tum ex oppositione illa veritatis, & falsitatis, tum ex collatione aliorum scripturæ locorum, patet prohiberi Christianis mendacium simpliciter, sine ulla exceptione personarum: jubemur enim diligenter sequi id quod bonum est, tum erga fratres, tum erga omnes. 1 Thess. 5: 15. & providere honesta coram omnibus hominibus. Rom. 12: 17. & simpliciter jubemur cogitare & agere quæ vera sunt. Philip. 4: 8. facessat igitur illa detestanda hæresis.

Vide prop. 12. §. 10. & seqq. X. Neque officioso aut jocoso mendacio favet ratio illa Apostolica: nam ut taceam etiam in istis mendaciis esse abusum sermonis cum fratribus, contra naturalem finem, ob quem data est hominibus facultas loquendi; Apostolus illic simpliciter damnat mendacium quodcunque, quod sit oppositum veritati, uti patet ex textu: nullum autem mendacium est ex veritate: unde sequitur, Apostolum prohibere omne mendacium. *Ephes. 4. 25. 1 Joan. 2. 21.* Consueto autem in scripturis more, charitatem inculcat, ut summam ac complementum legis, fontemque officiorum particularium. Idem Apostolus, scribens ad Romanos, cap. 13. vers. 9, 10. ait, consummationem legis esse charitatem; & præcepta illa, non mœchaberis, non occides, non furaberis, &c. in illo sermone summatim comprehendi, *diliges proximum tuum sicut teipsum.* Num inde sequitur, ex mente Apostoli, licere occidere aliquem, cui profumus occidendo illum, liberantes illum scilicet ex gravissimis doloribus, ac ærumnis, atque ad Cælestia gaudia transmittentes? eritne licitum furtum, si nulli obsit? etitne licita turpitudo cum brutis animantibus? fasne erit in propria nostra corpora per impuritatem peccare, & membra nostra dare arma iniquitati, turpitudini, aut falsitati, quocunque prætextu, quamdiu scilicet non inde læditur proximus? Certè non solum fugienda est scortatio ob hoc ut non fiat injuria alienæ pudicitiæ, sed etiam quia non est contaminandum proprium corpus. 1 Cor. 6: 18. & quia non sunt danda membra nostra arma iniquitatis peccato; ut serviant immunditiei. Rom. 6: 13, 19. sic etiam mendacium ideo fugiendum est, ne linguam & os nostrum mendacio polluamus; eaque demus instrumenta falsitatis & mancipia mendacio. Et quum alia membra peccato danda non sint arma iniquitati, quid nos lingua, (utor nunc verbis *Augustini*, lib. cont. mend. cap. 7.) quid totum os nostrum, quid organum vocis offendit, ut hæc exhibeamus arma peccato? gratia Dei docet vivendum esse non solum piè, & justè, sed etiam sobriè. Tit. 2: 12. & membra nostra Deo danda sunt arma justitiæ. Rom. 6: 13. Et duobus illis mandatis, de diligendo Deo & proximo, horum etiam officiorum, quæ ad nostri ipsorum debitam curam & munditiem pertinent, præceptio comprehenditur. Matth. 22: 40. Rom. 13: 9, 10, &c. Vide prop. 12. §. 10. &c.

Vide Instruct. Hist. Theol. lib. 12. cap. 2. §. 7. II. Si divinæ authoritates, (inquit *Augustinus*, lib. de mend. cap. 15.) nullum dant locum mendacio, frustra quærimus quæ exeamus. Tenendum est enim omnimodo præceptum Dei; & voluntas Dei, in iis quæ tenendo præceptum ejus passi fuerimus, æquo animo sequenda.

XII. Denique mendacium necessariò avertit à Deo, qui est veritas; veritati enim repugnat mendacium, ideoque Deo est naturaliter exosum. Cum propofuero (inquit *Aug.* lib. cont. mend. cap. 18.) ante qualescunque oculos cordis mei intelligibilem illius pulchritudinem, de cujus falsi nihil ore procedit, quamvis ubi radians magis magisque clarescit veritas, ibi palpitans mea reverberatur infirmitas, tamen sic amore tanti decoris accendor, ut cuncta quæ inde me revocant humana contemnam.

XIII. Hoc argumentum, sanè validissimum, rejiciunt ut invalidum *Scotus* ac *Durandus*, quamvis de conclusione nobiscum sentiant; omne scilicet mendacium esse peccatum. in 3. sent. dist. 31. Mendacium (inquit *Scotus*) non opponitur primæ veritati, sed veritati alicujus rei de qua loquens mentitur. Sicut igitur malitia opposita alicui bono creato, non necessariò avertit à bono increato; ita nec falsitas opposita cuicumque veritati impertinenti primæ veritati, avertit à prima veritate. Hæc *Scotus*. In eandem etiam sententiam *Durandus*, qui de argumento jam proposito loquens, istud, ait, nihil est; quia Deus non est omnis veritas formaliter, sicut nec omnis bonitas: & ideo non oportet quod omnis veritas, cui opponitur mendacium, sit veritas Divina. Et iterum sicut veritas interimitur facto per corruptionem cujuslibet rei, cum quælibet res habeat aliquid bonitatis; si ergo esset peccatum in mendacio, per quod interimitur veritas, quia est contra Divinam veritatem; ita de destructione vel corruptione cujuslibet per quam destruitur bonitas, esset peccatum, quia contrariaretur Divinæ bonitati, quod est frivolum. Hæc *Durandus*. *Objectio.*

XIV. Respondeo; est ignoratio elenchi: neque enim confundere debebant isti doctores veritatem metaphysicam, aut physicam, aut logicam, cum morali. Nam veritas in rebus creatis quadruplex est: 1. Metaphysica veritas quæ annihilatione rei destruitur, qua veritate omne ens qua ens est verum. 2. Physica veritas, seu naturæ veritas, cui opponitur fictum aut adulterinum; sic verus homo opponitur homini picto, quia in illo verè est natura humana, in isto autem non est; & verum aurum opponitur auro adulterino; verum crystallum crystallo ad imitationem veri artefacto. Et tamen in utroque, tum vero, tum non vero auro, est veritas metaphysica. 3. Logica veritas, seu veritas enunciationis, vel conceptus, quæ est congruentia conceptus vel enunciationis cum rebus; ut si quis concipiat, vel enunciet, Socratem sedere, verè id concipit, aut loquitur, si revera Socrates interea sedeat; at si non sedeat; falsus est conceptus, falsa enunciatio, quam si enunciet putans verum esse quod dicit, errat; sin autem enunciet falsum, sciens se dicere falsum, mentitur. Utrumque autem, tum error, tum mendacium, respectu rei de qua sunt, æqualiter opponitur logicæ veritati. Nam logica veritas consistit in congruentia conceptus vel enunciationis cum rebus; cui non minus erronea quam mentiens falsitas contrariatur. E. g. nix est nigra. Priori enunciationi veræ contraria est posterior enunciatio falsa, & semper æquè contraria per oppositionem logicam, sive à sciente, sive à nesciente proferatur. Nam logica non curat intentionem dicentis, sed respicit ipsam per se congruentiam, vel dissonantiam enunciationis *Responsio.*

cum

cum re. 4. Moralis veritas, quæ est virtus à qua aliquis dicitur verax, tum dispositione, tum sermone, tum etiam opere: ἀληθευτικὸς καὶ τῷ βίῳ, καὶ τῷ λόγῳ, καὶ τὴν ἕξιν τοιοῦτος, qui & φιλαλήθης, amator veritatis, qui mendacium aversatur & fugit, ut turpe in se: nam mendacium est in se turpe, pravum, & vituperabile; eique oppositum verum honestum est & laudabile, uti recte scripsit Aristoteles, Nicom. lib. 4. cap. 7. Veritas hæc moralis respicit præcipuè animum & conscientiam & officium loquentis, vel agentis. Huic veritati morali opponitur falsitas moralis, sive illam in ipsa interna dispositione spectes, sive insuper in sermone vel opere. Quicunque igitur ex amore veritatis, & odio fallitatis, loquitur verum, is loquitur secundùm virtutem moralem: cui opponitur is qui, posthabita veritatis cura & dilectione, loquitur falsum contra suam conscientiam, in quacunque materia. Et talis dicitur mentiri, & effatum ejus appellatur mendacium. Nam in solis moralibus dicitur propriè mendacium. Vero enim metaphysico opponitur non ens: Vero autem physico opponitur adulterinum, fictum, adumbratum, &c. Et vero logico opponitur falsum logicum, sive incongruentia seu discrepantia conceptus vel enunciationis ab ipsis rebus; quæ incongruentia est falsitas quædam logica, sed non est mendacium, quod non est considerationis logicæ. Vero denique Ethico opponitur mendacium, oppositione morali. Et aliquando mentitur aliquis falsitate Ethica, absque falsitate logica; nempe si aliquis loquatur verum, putans esse falsum. Et vice versâ fieri potest, ut quod logicè falsum est loquatur aliquis sine falsitate Ethica, si videlicet errorem suum, non perniciosum, aliquis modestè proferat.

Supra § 11. XV. Jam argumentum supra propositum repeto clariùs, in hunc modum; Quod aversione morali loquentem seu facientem avertit necessariò à Deo, illud est peccatum, & Deo naturaliter exosum: at omne mendacium necessariò avertit loquentem seu facientem à Deo aversione morali: ergo omne mendacium est peccatum, & Deo exosum naturaliter. Major certissima & clarissima est, nam quod non est peccatum, non avertit loquentem seu facientem à Deo. Aversionem intelligimus formalem & intrinsecam, quæ est peccantis aversi per peccatum ipsum; non autem impulsivam aut extrinsecam, quomodo diabolus aut homines mali avertunt alios per tentamenta & hortamenta ad peccandum.

Vide lib. 1. cap. 1. § 1. Minor sic probatur: Quod oppositione morali repugnat & contrarium est naturæ divinæ, atque adeo legi æternæ, id avertit morali aversione à Deo: at mendacium omne oppositione morali repugnat & contrarium est naturæ divinæ, atque adeo legi æternæ: Ergo. Major patet; quia quicquid repugnat & contrarium est oppositione morali naturæ divinæ, est iniquitas moralis; at omnis iniquitas moralis necessariò avertit à Deo, qui odit omnes operantes iniquitatem. Psal. 5: 6. ergo. Probatur minor illa, quod mendacium omne morali contrarietate repugnet naturæ divinæ; quia, nempe, non solùm mendacium omne est malum morale repugnans morali legi Dei, & virtuti lege illa imperatæ; sed etiam moralis perfectio naturæ divinæ est nunquam mentiri, nec unquam velle mentiri; constanter diligere veritatem, & odisse mendacium, de re quæcunque, & in quocunque: ergo mentiri aut velle mentiri repugnat naturæ divinæ, atque adeo legi æternæ, contrarietate morali. Jam autem quod repugnat naturæ divinæ, atque adeo legi æternæ contrarietate morali; illud necessariò avertit à Deo: & quod tale est, illud peccatum est, & Deo naturaliter exosum: quum enim Deus naturaliter amet suam bonitatem, necesse est ut omne ei moraliter contrarium odio habeat naturaliter. Quod autem peccatum est & Deo naturaliter exosum, tanquam naturæ divinæ, atque adeo legi æternæ repugnans moraliter, illud piis omnibus est summopere fugiendum.

XVI. Ex his facilis suppetit responsio ad objecta *Scoti* & *Durandi*. Respondemus enim; mendacium omne opponitur primæ veritati oppositione morali, cum sit falsitas moralis; quamvis non omne mendacium opponatur primæ veritati oppositione logica. Sic omnis malitia moralis opponitur primæ bonitati moraliter, atque ab ea avertit. Et quamvis malitia physica, opposita bonitati physicæ, non sit peccatum, malitia tamen omnis moralis peccatum est, quia moraliter opponitur primæ bonitati morali, & legi æternæ.

XVII. Quod autem ait *Durandus*, Deum non esse omnem veritatem formaliter, sicut nec omnem bonitatem, ideoque mendacium quodlibet non avertere à Deo qui est prima veritas; alienum est. Nam si ita argumentari liceret, diceret alius, Deum non esse omnem justitiam, aut omnem castitatem formaliter; & inde inferret, injustitiam quamlibet aut adulterium quodlibet non avertere à Deo, quo quid absurdius dici potest? Nam omne malum morale avertit à Deo. Moraliter enim repugnat divinæ naturæ, & legi æternæ, cum repugnet moraliter virtuti morali quæ eminenter naturalis est Deo, & lege divina hominibus imperata est. Et hoc sufficit, ut ostendatur, aliquid avertere à Deo. Mendacium opponitur virtuti veritatis sive veritati morali, quomodo inter se opponuntur Christus & Belial, Joan. 8: 44. ideo abominatur Dominus labia mendacii, in facientibus autem veritatem est delectatio ejus, Prov. 12: 22. & præscripsit suis, ut mendacium odio habeant, Prov. 13: 5. Unde *Augustinus* [lib. contra mendacium, cap. 3.] Mendaciorum, inquit, genera multa sunt, quæ quidem omnia universaliter odisse debemus. Nullum est enim mendacium quod non sit contrarium veritati. Nam sicut lux & tenebræ, pietas & impietas, justitia & iniquitas, peccatum & rectè factum, sanitas & imbecillitas, vita & mors; ita inter se sunt veritas mendaciumque contraria. Unde quanto amamus istam, tanto illud odisse debemus. Hæc *Augustinus*.

Ex istis omnibus evidenter patet, omne mendacium esse peccatum.

XVIII. Quod autem mendacium quodcunque sit malum indispensabile, sic ostendo. Non potest homo dispensare de mendacio; quia lege Dei prohibetur, & repugnat morali legi Dei, uti ostendimus; non potest autem inferior dispensare in lege superioris, nec homo in lege Dei, uti rectè agnovit *Innocentius* Papa Tertius, Extra, de restitutione spoliatorum, cap. *Literas. Alexander* Papa tertius, ait non posse fieri dispensationem concedentem usuras, quamvis pro redimenda vita captivi, eo quod usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur: & simile adfert de mendacio, eo quod Sacra Scriptura prohibeat pro alterius vita mentiri. Extra, de usuris, cap. 4. *Super eo.* Non potest Deus dispensare de mendacio; quia manet fidelis, non potest abnegare seipsum, 2 Tim. 2. 13. ideo non potest dispensativè concedere quicquam ab

ab ipso necessariò avertens, ipsius naturæ adeoque legi æternæ moraliter adversum, ipsique naturaliter exosum: tale autem est omne mendacium, uti docuimus. Huc pertinet argumentum illud quo utitur *Cavellus*, Scholiastes *Scoti*; Si mendacium licitè fieri posset, Deus per alium posset mentiri, vel dicere falsum, & sic non esset infallibilis testis veritatis. Quod est blasphemum. Adhæc, quod est per se in suo genere malum, ita ut actus sit inseparabilis à malitia morali, illud simpliciter est indispensabile; nam dispensatione separatur actus à malitia morali: at mendacium est per se in suo genere malum, ita ut actus mentiendi sit inseparabilis à malitia morali; uti supra ostensum est, §. 6. ergo mendacium est simpliciter indispensabile. Hoc argumentum *Scotus*, in 3. sent. dist. 38. proponit, & exponit in hunc modum; Mentiri, inquit, ex ratione sua, dicit intentionem malam, quia intentionem decipiendi: licet autem aliqui actus non includentes intentionem malam, possint aliquando esse boni ex aliqua bona circumstantia; actus tamen includens secum intentionem malam, nunquam potest esse bonus, quia includit formaliter malum velle. Nam licet actus positivus, & malitia, non sint unum per se, nec in re, nec in conceptu; potest tamen aliquod nomen imponi ad significandum, nec actum solum, nec deformitatem illam, sed totum simul: sicut hoc nomen, *adulterium*, impositum est ad significandum non tantùm actum naturalem coëundi, sed cum deformitate, scilicet cum aliena: & similiter hoc nomen *furtum* impositum est ad significandum, non solùm acceptionem alicujus rei alienæ, sed etiam contra voluntatem ejus, cujus est, & cujuscunque alterius superioris domini. Talia tota importata per hujusmodi nomina, non videntur posse esse bona, sed illud quod est substratum, puta actus coëundi, vel accipiendi talem rem, possibile est esse sine tali deformitate. Ita in proposito; licet prolatio talium, vel talium verborum quorumcunque significatorum, possit esse sine peccato; tamen prolatio eorum cum conscientia oppositi, & per consequens cum intentione fallendi, non potest esse sine peccato; quia includit actum substratum cum circumstantiis ipsum necessariò deformantibus. Assumptum patet, quia istam orationem; *Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax*; protulit Christus, sed non assertivè. Quæcunque etiam verba Latina, quantumcunque falsa, posset unus Græcus proferre sine peccato. Hactenus *Scotus*. *Joan. 8.*

Ex eis quæ dicta sunt patet, omne mendacium esse malum morale indispensabile.

XIX. Objicitur de mendacio jocoso, quod non dicatur intentione fallendi.

De intentione fallendi. Respondeo; Intentio fallendi, in definitione mendacii, quatenus rationem formalem mendacii ejusque specificam constituit differentiam, significat eam intentionem per quam mendacium distinguitur ab errore. Nam in definitione mendacii, [*Significatio falsa, cum intentione fallendi.*] *Significatio* genus est remotius; differentiæ autem duæ sunt partes, una generica, per quam mendacium distinguitur à significatione vera, nam mendacium est *significatio falsa*; atque hactenus ei convenit cum errore: unde proximum genus mendacii & erroris est *significatio falsa*, quæ in duas species dividitur, in errorem, scilicet, & mendacium. *Error* seu significatio falsa per errorem est, quando loquens non habet duplex cor, non intendens enunciare falsum, sed putans verum esse quod enunciat: *mendacium* autem est, quando ille qui loquitur, aliud habet in pectore clausum, & aliud in lingua promptum; unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio; una rei ejus quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert; altera ejus rei quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans. Uti explicat *Augustinus*, lib. de mend. capp. 3. & 4. ideo *Scotus* proferre aliquid cum intentione fallendi, & proferre cum conscientia oppositi, eodem loco habet. Et *Durandus* intentionem fallendi, in definitione mendacii, interpretatur intentionem falsum dicendi, in 3. sent. dist. 38. nempe assertivè. Nam qui tantummodo historicè, aut Poëticè, aut argumenti causa proponit falsum, non mentitur, uti infra docebimus. Sed is mentitur, qui assertivè loquitur contra mentem suam.

XX. Hoc Thomas Aquinas in secunda secundæ quæst. 110. art. 1. explicat in hunc modum; Intentio (inquit) voluntatis inordinatæ ad duo ferri potest; quorum unum est, ut falsum enuncietur; aliud est effectus proprius falsæ enunciationis, ut scilicet aliquis fallatur. Si ergo ista tria concurrant, scilicet, quod falsum sit id quod enunciatur, & quod sit voluntas falsum enunciandi, & iterum intentio fallendi; tunc est falsitas materialiter, quia falsum dicitur; & formaliter, propter voluntatem falsum dicendi; & effectivè, propter voluntatem falsitatem imprimendi. Sed ratio mendacii sumitur à formali falsitate, ex hoc scilicet quod aliquis habet voluntatem falsum enunciandi. Unde & mendacium nominatur ex eo quod contra mentem dicitur. Et ideo si quis falsum enunciet, credens id esse verum, est quidem falsum materialiter, sed non formaliter; quia falsitas est præter intentionem dicentis, unde non habet perfectam rationem mendacii; id enim quod præter intentionem dicentis est, per accidens est: unde non potest esse specifica differentia. Si verò aliquis formaliter falsum dicat, habens voluntatem falsum dicendi, licet sit verum id quod dicitur, in quantum tamen hujusmodi actus est voluntarius, & moralis, habet per se falsitatem, & per accidens veritatem; unde ad speciem mendacii pertingit. Quod autem aliquis intendit falsitatem in opinione alterius constituere, fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed quandam perfectionem ipsius: sicut & in rebus naturalibus aliquid speciem sortitur si formam habeat, etiamsi desit formæ effectus, sicut patet in gravi, quod violenter sursum detinetur, ne descendat secundùm exigentiam suæ formæ. Sic ergo patet, quod mendacium directè & formaliter opponitur virtuti veritatis. Hæc *Thomas*.

XXI. Sed dicimus præterea, intentionem fallendi ad tria referri posse. 1. Ut falsum assertive enuncietur. 2. Ut audientis animo opinio falsa imprimatur. 3. Ut aliquis inopinatum capiat detrimentum, vel spe sua frustretur. Horum primum pertinet ad formalem rationem mendacii, secundum & tertium, ad effecta mendacii. Duo autem ista posteria possunt aliquando fieri sine peccato; dummodo non fiant opitulante mendacio, puta per licitam taciturnitatem, dissimulationem, aut insidias militares. At primum nunquam fieri potest licitè; est enim indispensabile malum, uti jam ostensum est. Et fere semper primum trahit secum secundum, cui si accedat alia iniquitas, nempe ut per mendacium proximus injustè lædatur, accrescit reatus geminatione peccati. Sin autem adhæreat

reat ei intentio bona, nempe ut ex mendacio nostro alius vel delectationem capiat, vel utilitatem; tunc ubi minus est bonum quod intenditur, & propter quod aliquis mentitur, magis peccare censetur mentiens, quàm ubi majus est bonum quod intenditur, & ideo quamvis aliquando minus sit de perfectione mendacii in mendacio jocoso, quoad impressionem opinionis falsæ in animum audientis, quam in mendacio officioso, in quo semper est ista perfectio mendacii; quia tamen quoad effectum ulterius, major intenditur utilitas per mendacium officiosum, quam per jocosum; & in se consideratis intentionibus, laudabilior est intentio juvandi proximum, quam placendi proximo; ideo magis peccare censetur qui jocosè, quàm qui officiosè mentitur. Neque negligenda ista distinctio qua utitur Scotus inter jocosum, & mendacium jocosum. Jocosum est, inquit, narrare fabulam, de qua omnes audientes sciunt, quod non est verum, nec narratur tanquam verum, ubi nec audiens decipitur, nec loquens intendit decipere, nec sermo est de se deceptivus: quia non est talis qui sit natus credi ab audientibus, sed magis ut sciatur esse dictum sine opinione facienda alicui de veritate. Sed mendacium jocosum est, quando aliquis jocando intendit decipere, (*seu assertivè profert aliquid contra mentem suam*,) ita quod deceptus verè decipiatur, non tamen in aliquo in quo sibi nocumentum magnum inferatur. In quo etiam jocantur illi qui sciunt ipsum decipi. Hæc *Scotus*, in 3. sent. dist. 38.

XXII. Objicies; Si pro utilitate minore vel majore, quam mentiens intendit, plus minusve peccet mentiendo, videtur hinc sequi hominem posse aliquando mentiri absque ullo peccato; fieri enim posse ut plus in adjecta utilitate sit boni, quam in mendacio mali, si nimirum mentiendo caveatur malum majus ipso mendacio; aut procuretur bonum aliquod quod negligere sit pejus, quam mentiri.

Resp. Nullius boni accessio diminuit quicquam de peccato mendacii, per modum compensationis; Nam cum mendacium sit in suo genere peccatum, seu malum morale indispensabile, nulla potest esse compensativa ratio, propter quam liceat mentiri; quia nulla est propter quam liceat peccare; neque ullum est peccatum licitum, nam si licitum sit, non est peccatum; sin autem sit peccatum, non est licitum; quamvis esse possit aliqua peccati admissi compensatio, sive expiatio, propter quam condonetur admissum, nempe redemptio in sanguine Salvatoris nostri Jesu Christi; non autem propter quam admittatur condonandum. Sed intentio majoris vel minoris boni ostendit aliquem plus minusve peccasse, non propter quantitatem boni, sed propter majorem minoremve affectum peccandi, qui ex intentione patefacta dignoscitur. Certè prodirio & occisio Christi inservivit egregio bono, nempe redemptioni mundi; non tamen propterea diminuitur quicquam de peccato *Judæ* proditoris, & Judæorum, aut Pilati, aut militum. Quamvis, si affectum peccantium intueamur, inveniantur impariter peccasse, nam gravius peccarunt qui contra conscientiam peccarunt, ut *Judas* & nonnulli ex Scribis & Pharisæis, quàm qui per ignorantiam peccarunt, ut quidam ex Judæis & gentilibus. Qui furatur ut det pauperi, minùs peccat, quàm qui furatur ut det meretrici, non propter aliquam compensationem diminutivam furti, sed quia animus ejus magis est aversus à furto qui non nisi ex intentione alicujus boni sustinet furari, quam qui à libidine sua impellitur ad furandum. Nam in uno eodemque genere peccati, objectivè considerati, unus alio magis minusve peccat secundùm majorem minoremve aversionem animi à bono ad malum; sic minus peccat qui orta subita contentione hominem occidit, quem non prius oderat, quàm is qui homicidæ animum gerens insidiatur proximo ad eum occidendum. Et tamen in objecto par utrobique damnum, sed in affectu non par utrobique pravitas. Qui mentitur ut placeat audientibus, minus peccat eo qui mera mentiendi libidine mentitur, magis autem peccat eo qui ut prosit mentitur; non propter aliquam in uno genere majorem mali compensationem (nulla enim esse potest compensatio mutans rationem ac naturam peccati) sed propter diversitatem affectus, & pronioris aut minus proni ad mentiendum animi. Gravius autem in istis omnibus peccat qui mentitur ut noceat, propter geminationem peccati; duo enim simul concurrunt peccata in mendacio pernicioso, nempe intentio fallendi, & intentio nocendi. Qui autem mentitur quamtumcunque intendat bonum, peccat, non quidem intendendo bonum, sed intendendo mendacium propter quodcunque bonum, sive intendendo assequutionem boni per viam mendacii.

Act. 3. 17. & 1 Corinth. 2. 8.

Obj. XXIII. At instabis; Esto quidem, sit omne mendacium semper malum; sed eum vitanda sint potius majora mala, & eligenda minora; minus autem malum sit alicui, si generetur in animo ejus vel alterius opinio falsa de rebus ad religionem non pertinentibus, quàm si vel injustè occidat, vel occidatur, & majus malum sit non impedire tanta mala cùm possis, quàm imprimere animo alicujus opinionem falsam qualem diximus; videri posset non solùm posse, sed etiam debere nos mentiri, ut talia incommoda & scelera impediamus, & nisi mentiamur, reos nos esse eorum scelerum quæ nostra culpa videntur accidisse, qui noluimus ea mentiendo impedire, sed importuna superstitione, & homicida veritate, sivimus ea fieri. Officiosum mendacium in minoribus est & minus gravibus, atque, ut loquuntur, venialibus peccatis; homicidium verò & adulterium in maximis flagitiis; annon igitur melius erat officioso & salubri mendacio tanta impedire flagitia?

Vide Prop. 9. §. 9.

Resp. XXIV. Resp. Ostendimus in confirmatione octavæ istius propositionis, nullum unquam justum esse mendacium; Unde certum est, nunquam debere quenquam mentiri; sed omne mendacium semper esse injustum, & indispensabile, unde sequitur, nullo unquam casu licere mentiri. Ex quibus consequitur alia propositio, quam nunc subjungam.

Nona propositio.

Nullo genere mendacii, quantumcunque levi, expedit, aut licet mentiri ullo casu: neque reus est flagitii aut exitii qui noluit ad ea impedienda aut præcavenda mentiri.

Prob. Omne mendacium, quantumcunque leve, est peccatum: peccare autem nunquam ullo casu expedit, nullo unquam casu licet: ergo neque expedit, neque licet unquam mentiri.

II. Mendacium non solum habet rationem peccati ex damno quod infertur proximo, sed ex sua inordinatione. Non licet autem aliqua illicita inordinatione uti, ad impediendum nocumenta &

defectus aliorum, uti rectè monet *Thomas. Aq.* secunda secundæ quæst. 110. art. 3. ad 4.

III. In malis quidem naturæ vel pœnæ, quæ sine culpa sustineri possunt, eligendum est minus malum, pro evitatione majoris mali; pallium enim latroni dimittendum est potiùs quàm ut te occidi sinas. At regula illa in malis moralibus locum non habet; de illis enim tenenda illa immota regula, *Non sunt facienda mala, ut veniant bona.* Rom. 3:8. quodlibet enim peccatum est tantum malum, & tantæ turpitudinis, ut nulla conditione appetendum aut eligendum sit.

IV. Si peccandum pro evitatione alterius mali, malum quod peccando vitare studemus, vel est malum pœnæ sive naturæ, vel est malum culpæ. Si malum sit naturæ, non est jam majus, sed minus malum, nam quocunque malo naturæ, qua tali, pejus est quodlibet malum culpæ, hoc enim solum dehonestat ac pervertit hominem, cumque reddit Deo inimicum, & Deum peccanti homini reddit iratum. Si dicas vitari malum culpæ sive peccatum aliud gravius, jam vel tuum aliud gravius peccatum vitare te dicis peccando, vel alienum: si alienum, memineris fugienda tibi magis, & tibi magis nociva esse tua peccata, quam aliena; Nulla peccata Deum tibi reddunt iratum, teque à Deo separant nisi tua. Opus suum (inquit Apostolus) probet unusquisque, & tunc in semetipso gloriationem habebit, & non in alio, nam unusquisque suum onus portabit. Galat. 6:4, 5. Religio pura & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, ita misereri aliorum ut teipsum immaculatum serves à mundo. Jacob. 1:27. Unusquisque nostrum de seipso rationem reddet Deo. Rom. 14: 12. & unusquisque recipiet secundùm quod ipse fecerit. 2 Corinth. 5: 10. Mone proximum, & ora pro illo, utere mediis à Deo concessis, ulterius nihil potes, nihil debes. Imo ulterius progrediendo facis contra officium. Si tua ipsius graviora peccata te præcavere dicas peccando leviùs; scito te hoc ipso jam imbecilliorem esse ad resistendum tentationi Satanæ, debilitasti enim teipsum peccando, conscientiam tuam vulnerasti, fidem concussisti, & nisi Deus opem ferat, excussisti. Christus commendavit nobis vigilantiam, orationem, & jejunium, & assiduam meditationem legis Dei, & scutum fidei, & cingulum veritatis, reliquamque illam armaturam Dei, ut cavere ac propulsare possimus tentationem. Cum quibus è diametro pugnat clypeus mendacii, aut cujuscunque peccati. Quam vanum autem sit perfugium in mendacio, docet Esaias cap. 28: 17. petemusne à Diabolo tela quibus ipsi resistamus? Absit: apage istum etiam dona ferentem. Oculi mei semper ad Dominum: quia ipse educet de reti pedes meos. Psal. 25: 15.

V. Nec si quisquam (ait Aug. lib. de mend. cap. ult.) in rectè factis nostris tam malè movetur, ut fiat etiam animo deterior; propterea rectè facta deserenda sunt: cum id nobis præcipuè tenendum sit, quo vocare atque invitare debemus, quos sicut nosmetipsos diligimus: fortissimoque animo bibenda est Apostolica illa
2 Cor. 2: 15, 16. sententia: Aliis quidem sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Et quis ad hæc idoneus?

VI. Idem etiam lib. contra mend. cap. 7. Non excusatur animus à facto, quando dicitur aliquid non ex animo fieri; quod tamen non fieret, nisi animus faciendum esse decerneret. Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat; sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.

VII. Item, cap. 8. ejusdem libri; Pejor est *Vide*
qui concupiscendo quàm qui miserando furatur. *Prop. 12.*
Sed si furtum omne peccatum est, ab omni furto *ubi de ve-*
est abstinendum. Quis enim dicat esse peccan- *niali.*
dum, etiamsi aliud sit damnabile, aliud veniale peccatum? Nunc autem quærimus, si hoc aut illud quisque fecerit, quis non peccavit, sive peccavit; non quis gravius longiusve peccavit. Nam & ipsa furta levius utique puniuntur lege, quam stupra; sunt autem utraque peccata, quamvis alia leviora, alia graviora. ——— neque nunc agitur quid sit levius, sive gravius, sed quæ sint peccata, vel non sint. Nemo enim dixerit debuisse peccare, ubi constat esse peccatum. Et ejusdem lib. cont. mend. cap. 18. providentissimè scriptum est, *Qui modica spernit, paulatim decidit.* *Ecclesiast. 19: 1.*

VIII. Item ejusdem libri contra mend. cap. 9. Si hanc (inquit) peccatis aperimus viam, ut committamus minora, ne alii majora committant, lato limite, immo nullo limite, sed convulsis & remotis omnibus terminis, infinito spatio cuncta intrabunt atque regnabunt. Quando enim fuerit definitum, peccandum esse homini minus, ne alius peccet amplius, profectò & furtis nostris stupra cavebuntur aliena, & incesta stupris: & si qua impietas visa fuerit etiam prior incestis, incesta quoque facienda dicentur à nobis, si eo modo agi potuerint, ut illa impietas non committatur ab aliis: & in singulis quibusque generibus peccatorum, & furta pro furtis, & stupra pro stupris, & incesta pro incestis, & sacrilegia pro sacrilegiis facienda putabuntur nostra pro alienis; non solùm minora pro majoribus, verumetiam si & ad ipsa summa & pessima veniatur, pauciora pro pluribus; si se ita rerum verset incursus, ut aliter alii non se abstineant à peccatis, nisi minus aliquantò sed tamen peccantibus nobis: ita ut omnino ubi dixerit inimicus qui habuerit hujusmodi potestatem, nisi tu sceleratus fueris, ego sceleratior ero; aut nisi tu hoc scelus feceris, ego talia plura faciam; scelus nobis videamur admittere, si velimus ab scelere temperare. Hoc sapere quid est aliud nisi desipere, vel potius insanire? A mea quippe iniquitate, non ab aliena, sive in me, sive in aliis perpetrata, mihi est cavenda damnatio. Anima enim quæ peccaverit, ipsa
moritur. Sic ergo peccare, ne gravius vel in *Ezech.*
quoslibet alii peccent, procul dubio non debe- *18: 4.*
mus. Considerandum est in eo quod fecit Lot,
dum filias suas obtulit Sodomitis stuprandas, ut *Genes.*
id hospitibus ipsius non fieret, utrum exemplum *19: 8.*
sit quod imitari, an potius quod vitare debea-
mus. ——— Aliena quippe ille vir justus ti- *Regula de*
mendo peccata, quæ nisi consentientes inquina- *exemplis.*
te non possunt, perturbatus non attendit suum, *Vide.*
quo voluit subdere filias libidinibus impiorum. *Prop. 10.*
Hæc quando in scripturis sanctis legimus, non ideo quia facta credimus etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla.

IX. Item ejusdem libri cap. 18. Nec me movet contemplantem luminosum bonum, in quo mendacii tenebræ nullæ sunt, quod nobis mentiri nolentibus, & hominibus vero audito morientibus, homicida dicitur veritas. Numquid enim si stuprum expetat impudica, & te non consentiente, sævo amore perturbata moriatur, homicida erit & castitas? An verò quia legimus, Chri- *2 Cor. 2:*
sti bonus odor sumus in omni loco, & in iis *15, 16.*
qui

qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem; etiam odorem Christi pronunciabimus homicidam?

X. Et lib. de mendacio, cap. 9. loquens *Augustinus* de lapsu *Origenis* qui idolis thurificavit, metu stupri quod ei minabantur persequutores; Quid (inquit) tales persequutores dicunt, nisi fac malè, ne nos faciamus? qui si nobis verè facientibus non fecissent, nec sic eis nostro scelere suffragari deberemus. Nunc verò quando jam faciunt cum ista dicunt, cur nobiscum potius, quam soli turpes atque nocentes sunt? Non enim consensus ille dicendus est, quia non approbamus quod faciunt, semper optantes & quantum in nobis est prohibentes ne faciant, factumque ipsorum non solùm non committentes cum eis, sed etiam quanta possumus detestatione damnantes. Quomodo, inquies, non cum eis facit, quando illi hoc non facerent, si ipse illud faceret? Hoc modo frangimus januam cum effractoribus, quia si non eam clauderemus, illi non frangerent: & occidimus homines cum latronibus, si scite contingat hoc eos esse facturos; quia si nos prævenientes eos occideremus, illi non occiderent alios. Aut si fateatur nobis aliquis parricidium se facturum, nos cum eo facimus, si, cum possumus, eum, priusquam faciat, non interficimus, quando aliter eum vel cohibere vel impedire non possumus. Totidem enim verbis dici potest, fecisti cum eo, quia hoc ille non fecisset, si tu illud fecisses. Ego utrumque malum fieri nollem: sed id tantum cavere potui, ne fieret quod erat in mea potestate. Alterum autem alienum, quod meo præcepto exstinguere non potui, meo malefacto impedire non debui. Non ergo peccantem approbat qui pro alio non peccat; & neutrum placet ei qui utrumque nollet admitti. Sed illud quod ad se pertinet etiam potestate, non perpetrat: quod autem ad alterum, sola voluntate condemnat. Et ideo proponentibus illam conditionem, atque dicentibus, si non thurificaveris, hæc patieris: si respondisset [*Origenes*,] Ego neutrum eligo, utrumque detestor, ad nihil horum vobis consentio: inter hæc verba atque talia, quæ certè quoniam vera essent, nulla ejus consensio, nulla approbatio teneretur; quæcumque ab eis passus esset, illi deputaretur injuriarum acceptio, illis commissio peccatorum. Debuitne igitur, ait quispiam, stuprum perpeti potius quam thurificare? Si quæris quid debuerit, neutrum debuit. Si enim dixero, aliquid horum debuisse, aliquid horum approbo, cum improbem utrumque. Sed si quæritur, quid horum potius debuit evitare, qui utrumque non potuit, sed alterum potuit: respondebo, suum peccatum potius quam alienum; & levius potius quod suum, quam gravius quod alienum. Hæc ibi.

XI. Idem, eodem lib. de mendac. cap. 6. Enimverò, isti qui stomachantur & indignantur, si nolit aliquis mendacio perimere animam suam, ut alius senescat in carne: quid si etiam furto nostro, quid si adulterio liberari possit aliquis de morte: idcone furandum est, aut mœchandum? Nesciunt enim ad hoc se cogere, ut, si laqueum ferat homo, & stuprum petat, confirmans quod sibi collum ligabit, nisi ei concedatur quod petit, consentiatur propter animam, sicut ipsi dicunt, liberandam. Quod si absurdum & nefarium est; cur animam suam quisquam mendacio corrumpat, ut alter vivat in corpore; cùm si suum propterea corrumpendum daret, omnium judicio nefariæ turpitudinis damnaretur?

XII. Idem, Enchirid. cap. 22. Si autem merito nobis placet castitas, quid quæso offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, & violetur ista mentiendo?

XIII. Idem lib. contra mendacium, cap. 19. Si patienter me audiat turba mortalitatis, turba infirmitatis, respondebo aliquid pro negotio veritatis. Certè pia, vera, sancta castitas non nisi ex veritate est, & quisquis adversus eam facit, profectò adversus veritatem facit. Cur ergo, etsi non possit aliter periclitantibus subveniri, non committo stuprum, quod ideo est contrarium veritati, quia contrarium est castitati; & ut periclitanti subveniatur, loquor mendacium, quod ipsi apertissimè est contrarium veritati? quid apud nos tantum promeruit castitas, & offendit veritas, cum omnis ex veritate sit castitas, & sit non corporis sed mentis castitas, veritasque in mente habitet, sicut etiam corporis castitas.

XIV. Item, cap. 20. Sicut oculi ad intuendum Solem parum firmi, ea tamen quæ à Sole illustrantur, libentius intuentur; sic animæ jam valentes delectari pulchritudine castitatis, non tamen omnino per se ipsam considerare veritatem, unde lucet castitas, possunt: ut cum ventum fuerit ad aliquid faciendum, quod adversum est veritati, ita refugiant & exhorreant, quemadmodum refugiunt & exhorrent, si faciendum aliquid proponatur quod adversum est castitati. Ille autem filius, qui verbum suscipiens à perditione longè aberit, & nihil falsi ex ejus ore procedit, tam sibi clausum deputat, si ad subveniendum homini per mendacium, quam si per stuprum transire cogatur. Et Pater exaudit orantem, ut valeat sine mendacio subvenire, cui vult Pater ipse, cujus inscrutabilia sunt judicia, subveniti.

XV. Item, ejusdem libri contra mend. cap. 18. & cap. 19. Hoc scio, quod etiam qui docet oportere mentiri, verum docere se vult videri. Nam si falsum est quod docet, quis falsæ velit studere doctrinæ, ubi & fallit docens, & fallitur discens? Si autem ut aliquem possit invenire discipulum, docere se asserit verum, cum doceat esse mentiendum, quomodo erit ullum ex veritate mendacium, Joanne Apostolo reclamante, *Omne mendacium non est ex veritate*? Non est ergo verum, aliquando esse mentiendum. Et quod non est verum, nemini est omnino suadendum. ——— Iterum dico, quisquis mihi pro persuadendo & defendendo ullo mendacio contradicit, quid dicit si verum non dicit? Si autem propterea est audiendus quoniam verum dicit, quomodo me vult facere, verum dicendo, mendacem? quomodo mendacium patronam sibi adhibet veritatem? An adversario suo vincit, ut à se ipsa vincatur? quis hanc absurditatem ferat? Nullo ergo modo diximus eos qui asserunt aliquando esse mentiendum, id asserendo esse veraces, ne, quod est absurdissimum & stultissimum credere, veritas nos doceat esse mendaces. Quare enim ut esse adulterandum nemo discat à castitate, Deum offendendum nemo discat à pietate, cuiquam nocendum nemo discat à benignitate, & esse mentiendum discamus à veritate? Porrò si hoc non docet veritas, non est verum; si non est verum, non est discendum; nunquam est igitur mentiendum. Hæc ibi.

1 Joan. 2:12.

Decima propositio.

Non sunt imitanda mentientium quorumcunque exempla.

Prob. Dilecte, ne imiteris quod malum est, sed quod bonum est. 3 Joan. verf. 11. Multa in scripturis sanctis legimus, quæ non ideo quia credimus; etiam imitanda credendum est, ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla: uti recte monet *Augustinus*, lib. contra mend. cap. 9. Non enim imitandum adulterium & homicidium Davidis, aut Petrina abnegatio sui Domini. Neque libido Judæ Patriarchæ, qui volens rem habere cum meretrice, incidit in suam nurum Thamar. Neque ullum aliud malum, sive expressè improbatum, ut adulterium Davidis, & abnegatio Petri; sive tantummodo historicè narratum, ita ut legenti dijudicandum relinquatur secundùm normam legis divinæ, ut temeritas Jephthæ voventis; & fornicatio Judæ; & illa alienatio fundorum insontis Mephibosheth; quos David alienavit impostori Zibæ. 2 Sam. 16: 4. & cap. 19: 29. & simulatio Jehu regis simulantis se esse cultorem Baalis. 2 Reg. 10: 18. Habent enim (ut rectè ait *Aug.* lib. contra mend. cap. 14.) sancti ac divini libri conscripta & mala hominum & bona: illa vitanda, ista sectanda: & quædam ita posita ut de illis etiam prolata sit sententia, quædam verò tacito ibi judicio nobis judicanda permissa, quoniam non solùm nos nutriri manifestis, verum & exerceri oportebat obscuris.

Non imitanda ulli mala quantumcunque piorum.

Obj. II. At, inquies, ea non videntur dicenda mala, quæ Deus ipse remuneratione comprobavit; ut mendacium Rachab meretricis, occultantis exploratores. Josh. 2: 5. & mendacium obstetricum in Ægypto, Exod. 1: 19. Respon-

Resp. deo. 1. Remuneratio temporalis non semper evincit bonitatem operationis humanæ, licet ostendat bonitatem aliquam in effecto, quod Deus remuneratione prosequitur. Sic Deus deletionem domus *Achabi* per *Jehu* factam remuneratus est confirmatione sceptri Jehu usque in quartam generationem. 2 Reg. 10: 30. quia nimirum Deo placebat exsequutio justi sui in domum Achabeam determinati judicii, ut ibi dicitur. Non tamen Deo probabatur operatio illa respectu ipsius *Jehu*, qui Deo ingratus non recessit à peccatis Jeroboami filii *Nebat*; ideo Deus per prophetam *Hoseam* denunciat se visitaturum sanguinem Jezreel super domum Jehu. Hos. 1: 4. Nabuchodonosori etiam eodem sensu decernitur præmium pro laboriosa illa obsidione Tyri. Ezech. 29: 18, 19. quum tamen rex ille Babylonius suæ serviret ambitioni & rapacitati; Deus autem suum justum judicium intuitus est contra Tyrum. 2. In exemplis illis obstetricum & Rachab, constat non esse illis datam aliquam remunerationem pro mendacio; sed de obstetricibus expressè dicitur, quod Deus eis domos fecerit quia timuerunt Deum. Exod. 1: 21. Nec etiam certò constat, eas esse mentitas, nam fieri potuit, ut Dei beneficio multæ parerent ante obstetricum adventum, etsi obstetrices vivos conservabant natos, quorum aderant nativitati. Remunerationem autem datam meretrici *Rachab* propter illam benignitatem qua hospitio excepit exploratores cum pace, patet ex collatione locorum scripturæ. Josh. 2: 12, 14. & Hebr. 11: 3. Divina autem misericordia condonata sunt eis mendacia, non autem remuneratione approbata. 3. Eo etiam facilius veniam mendacii consequutæ sunt, tum quia ignorantes peccasse videntur; nec scivisse abstinendum esse simpliciter à mendacio, tanquam à peccato; tum propter quandam indolem virtutis in proficientibus, queis nondum cognita erat virtus perfectorum. Virtutis indoli concessa est remuneratio, adjunctæ autem cæspitationi venia donata; non quidem ex merito indolis illius, sed ex misericordia Dei. Qualia etiam alia multa inveniuntur in sacris literis exempla: Lea dixit præmium se divinitus obtinuisse propter datam viro suo Jacobo ancillam. Genes. 30. 18. nempe indoles virtutis erat, posthabita carnis libidine solam prolem affectare. Etsi illo modo prolem quærere, repugnabat primæ ac puræ institutioni matrimonii. *Thamar* etiam proculcata lascivia id unum ambiebat, ut marito suo mortuo semen ex ipsa excitaretur, fieretque ipsa mater prolis ex *Juda* Patriarcha; & fortasse etiam, ut verisimile est ex eventu, promissum illi familiæ Messiam præcipuè intuebatur; hæc omnia indolem ostendunt virtutis, quam sequuta est opulenta merces, nam geminorum mater extitit, ex quorum altero descendit Maria mater Christi, & ipsa Thamar expressè nominatur in genealogia Domini nostri Jesu Christi. Matth. 1: 3. At certè quod simulaverit se meretricem esse, & socerum suum Judam deceptum pellexerit & admiserit ad concubitum, (Genes. 38: 18.) si de eo ex lege Dei ac naturæ judicium instituatur, nulli imitandum est. Neque eam unquam postea cognovit Judas, comperta rei veritate, abhorrens scilicet à tali copula, quam omnibus seculis & in quocunque humani generis statu, ipsa natura recto judicio constanter aversata est. Simile esse judicium existimo de eo quod fecit *Jaël*, uxor *Heberi*, quæ non obstante fraudulenta deceptione & occisione *Siseræ*, haud imitandâ, laudatur tamen & beata prædicatur, tum propter bonitatem effecti respectu Israëlitarum, tum etiam propter indolem virtutis qua populo Dei magis addicta erat magisque favebat, quam idololatris. Judic. 4. vers. 18. & seqq. & cap. 5. vers. 24. & seqq. 4. Quædam olim in illa rudi ac puerili Ecclesiæ ætate utcunque tolerabantur, quæ tamen neque unquam fuerunt approbata à Deo, & in hac adulta Ecclesiæ ætate neque imitanda neque tolerabilia sunt, ut polygamia, repudium, atque si qua fuerunt alia istis similia.

III. Quod scriptum est (inquit *Augustinus*, lib. contra mend. cap. 15.) bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Rahab Hierichuntina meretrice, non ideo factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt, Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis, & subdit, *non licere propterea dicere*, peccare debeo, quia non possum aliter misereri: non enim fas esse peccare, ut veniant bona. Restat itaque (*inquit*) ut intelligamus, illis mulieribus, vel in Ægypto vel in Hiericho, pro humanitate & misericordia redditam fuisse mercedem utique temporalem, quæ quidem & ipsa æternum aliquid etiam illis nescientibus prophetica significatione figuraret. Utrum autem sit aliquando vel pro cujusquam salute mentiendum, cum quæstio sit in qua dissolvenda etiam doctissimi fatigantur, valde illarum mulierculatum, in illis populis constitutarum & illis moribus assuetarum excedebat modum. Itaque hanc earum ignorantiam, sicut aliarum rerum

rum quas pariter nesciebant, sed sciendæ sunt à filiis non hujus seculi, sed futuri, Dei patientia sustinebat: qui tamen eis pro benignitate humana, quam famulis ejus impenderant, quamvis Cæleste aliquid significantia, præmia terrena reddebat. Item, cap. 16. Multum autem fatendum est propinquare justitiæ, & quamvis reipsa nondum, jam tamen spe atque indole animum esse laudandum, qui nunquam nisi hac intentione mentitur, quia vult prodesse alicui, nocere nemini. Sed nos cum quærimus; sitne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quærimus adhuc ad Ægyptum, vel ad Hiericho, vel ad Babyloniam pertinente, vel adhuc ad ipsam Hierusalem terrenam, quæ servit cum filiis suis; sed de cive illius civitatis quæ sursum est libera mater nostra æterna in Cælis. Et respondetur quærentibus nobis, omne mendacium non est ex veritate, filii autem illius civitatis filii sunt utique veritatis. Ejus civitatis filii sunt, de quibus scriptum est, in ore eorum non est inventum mendacium.

1 Joan. 2: 21.
Apocal. 14: 5.

Quæstio. IV. Idem *Augustinus* ejusdem libri contra mend. cap. 17. proponit hanc quæstionem: Dicet aliquis; Ergone obstetrices illæ atque Rahab melius fecissent, si nullam misericordiam præstitissent, nolendo mentiri?

Resp. Respondet, debuisse quidem misericordiam illam atque humanitatem præstare, sed vitare debuisse mendacium.

Obj. Objicit; at sic ipsæ morerentur.

Resp. Respondet, Cumularetur illis merces in Cælo, si tam pretiosa in conspectu Domini morte vitam hanc finirent; nec inane esset earum erga Dei famulos beneficium.

Obj. Obj. Si dixisset Rahab, uti veram Israëlitida decet, scio ubi sint, sed Deum timeo, non eos prodo. Tunc non solum illam interfecissent cives ipsius, sed etiam domum ejus scrutati fuissent.

Resp. Resp. Non inde consequens est, ut homines diligentissimè occultatos invenirent.

Obj. Obj. Quid si perscrutando omnia, & ad eum locum pervenissent ubi homines Israëlitas Rahab occultaverat?

Resp. Resp. Isto modo dici potest, quid si mulieri vilissimæ atque turpissimæ, non solum mentienti, verumetiam pejeranti credere noluissent? nempe etiam sic consequutura fuerant, quæ timendo mentita est. Et ubi ponimus voluntatem ac potestatem Dei? An fortè non poterat & illam, nec civibus suis mentientem, nec homines Dei prodentem, & illos suos ab omni pernicie custodire? sicut contra obstinatum furorem Sodomitarum defendit Deus & custodit Lot ejusque familiam. —— Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum salute quod potest. Quum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse perspexerit quod non rectè faciet. ———— Quæ cum ita sint; ad hanc regulam mihi videntur (inquit *Augustinus*) non solùm ista, verum etiam si qua sunt talia, redigenda; Ut, aut quod esse creditur, ostendatur non esse mendacium; sive ubi tacetur verum, nec dicitur falsum; sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi, quod genus figuratorum vel dictorum vel factorum abundat in propheticis literis: aut quæ convincuntur esse mendacia, non esse imitanda monstrentur. Et si qua nobis, ut alia peccata surrepserint, non eis tribuendam justitiam, sed veniam postulandam. Hoc quidem mihi videtur, & ad istam sententiam me superius disputata compellunt. Hæc ibi *Augustinus*.

Sententia insignis ex Augustino, quam etiam Gratianus inseruit Decreto, caus. 22. qu. 2 can. Faciat.

Regula Augustini de Exemplis mendaciorum, quæ ex sacris literis adferri solent.

V. Idem etiam ejusdem libri contra mend. cap. 10. Abrahamum & Isaacum defendit ab insimulatione mendacii, per memoratam regulam, & asserit eos non dixisse falsum, sed tacuisse aliquid veri. Jacobum autem Patriarcham ejusque filium Josephum & Davidem tuetur per eandem regulam, asserens dicta & facta eorum esse mysticè intelligenda. Qui asserunt (*inquit*) aliquando esse mentiendum, non convenienter commemorant Abraham hoc fecisse de Sara, quam sororem suam dixit: Non enim dixit, non est uxor mea; sed dixit, soror mea est: quòd erat revera tam propinqua genere ut soror non mendaciter diceretur. —— Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit; quando tacuit uxorem, dixit sororem. Hoc & filius ejus fecit Isaac. Nam & ipsum novimus propinquam suam conjugem fuisse sortitum. Non est ergo mendacium cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum. Jacob autem, quod matre fecit authore, ut Patrem fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium, &c. Hæc ibi.

Genes. 20: 2, 12.
Genes. 26: 7.
Genes. 27: 19.

VI. De mysticis autem & figuratis loquutionibus & actionibus dicentur plura infra, si Deus dederit, cap. 10. Interea observemus, non solum ea quæ manifestè sunt mendacia non esse nobis imitanda, at neque in exemplum trahendas loquutiones illas mysticas, nam in imitatione erunt mendacia, cessante jam & secreto mysterio, & veraci illa mystica significatione. Neque quicquam omnino esse imitandum, quatenus & qua parte in eo invenitur vitiosa aliqua infirmitas. Nam (uti rectè monet Scotus in 3. sent. dist. 38.) etsi laudemus bona facta Patrum in Veteri Testamento, & illa sumamus in exemplum; mala tamen nec recipimus in exemplum, nec pertinaciter excusamus. Et quamvis figurativa significatiò inveniatur in eorum dictis aut factis, per Dei omnipotentis proseminata dispositionem, quum sciat Deus sapienter & bene uti malis hominum: non tamen inde sequitur, illos prorsus fuisse ab omni culpa alienos, & multò minus inde sequitur facta illa aut dicta esse imitanda. Propheta autem *Elisæus* alloquens Syros, non est mentitus, quando dixit eis: non est hæc via, neque hæc urbs; venite post me, & ducam vos ad virum quem quæritis. 2 Reg. 6: 19. Sensus enim est cuilibet obvius; non ea via, neque in ea urbe inventuros quem quærebant: sed alibi conspecturos illum; nempe in loco ad quem eos sequi jubebat.

VII. Plura autem de exemplis eorumque dijudicatione, & imitatione diximus in peculiari dissertatione de exemplo. lib. 1. hujus operis, cap. 5.

Undecima propositio.

Gravius peccant homines dogmatizando mendacium, quam mentiendo; atque doctrina mentiendi in quocunque genere mendacii impia, & perniciosa.

Prob. Magister & hortator sceleris nocentior est patratore. Rom. 1. vers. 32. qualis fuit Balaam, & Jezabel, eorumque imitatores. Apocal. 2: 14, 15, 20, 21.

II. Augentur peccata, negando, aut defendendo: quum taceret ac celaret sua peccata David, magis magisque affligebatur, Psal. 32: 4. Væ iis qui attrahunt iniquitatem funibus plau-

mendacii & veluti funibus plaustri peccatum. Væ dicentibus malum bonum & bonum malum; qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, qui ponunt amarum dulce, & dulce amarum. Esai. 5: 18, -- 20. quod dictum Prophetæ *Augustinus* monet intelligendum esse de ipsis rebus quibus homines mali sunt, in quibus est mendacium, non de personis hominum; Enchirid. cap. 19. & Dominus noster, apud Matthæum, ait; quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis, & docuerit ita homines, minimus vocabitur in regno Cælorum, id est, [uti patet ex versu sequente ibidem] nequaquam ingredietur in regno Cælorum, Matth. 5: 19, 20. *Augustinus* etiam minimum vocari in regno Cælorum exposuit, excludi è regno Cælorum, lib. 1. de sermone Domini in monte. Item *Theophylactus*, Comm. in Matthæum. Maledictus qui aberrare facit cæcum in via. Deut. 27: 18. si in via pedum, multò magis in via morum. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate: Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis. Filioli mei, hæc scribo vobis ut non peccetis. &c. 1 Joan. 1: 9, 10. & cap. 2. vers. 1. Apostolus jubet recedere ab eo qui ἑτεροδιδασκαλεῖ, diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, talis turget, nihil sciens, &c. 1 Tim. 6: 3, 4, 5. Doctrina dogmatizantium quodcunque mendacium est impia, quia repugnat sanæ doctrinæ quæ secundum pietatem est, uti jam ostendimus. Est etiam perniciosa, quia cæcos facit aberrare in via morum. Præterea labefactat commercium societatis humanæ; nam, uti rectè monuit *Augustinus*, lib. de mend. cap. 8. stultum est eis credere quos credimus debere aliquando mentiri, tales enim, etiam quando verum dicunt, incerti sunt. Et *Scotus*, in 3. sent. dist. 38. mendacium esse peccatum persuadetur (inquit) ratione *Augustini*, stultum est credere illi cui licet mentiri: sed multis est credendum, alioqui totaliter periret convictus humanus, & manifestatio conceptuum, & affectionum mentis: igitur illis quibus est credendum, non licet mentiri. Hæc *Scotus*.

III. *Thomas* autem monet de quolibet mendacio, si æstimetur esse licitum, ipsam æstimationem in subversionem fidei vergere, adeoque esse peccatum mortale; nam objectionem sic proposuerat *Thomas*; omne quod in subversionem fidei vergit est peccatum mortale; sed mendacium est hujusmodi; ergo &c. respondet distinguendo inter ipsum mendacium, & æstimationem mendacii; & hanc ait, non autem illud, vergere in subversionem fidei. in 3. sent. dist. 38. qu. 4. ad 2.

IV. Omnis doctrina impia & perniciosa est magistris eam docentibus, discipulisque eam suscipientibus exitiosa & mortifera. Aut ergo (ait *Aug.*) cavenda mendacia rectè agendo, aut confitenda sunt pœnitendo, non autem cum abundent infæliciter vivendo, augenda sunt & docendo. lib. contra mend. cap. 21.

Duodecima propositio.

Omne mendacium est de se peccatum mortiferum, contra legem Dei, & corrumpit, ac, nisi per Dei misericordiam condonetur, perdit animam mentientis, excluditque à regno Cælorum.

Præcedentes illas undecim propositiones agnoscunt nobiscum & pro certis atque indubitatis habent communiter Scholastici Theologi, *Thomas*, *Scotus*, *Durandus*, & alii, in 3. sent. dist. 38. Item Canonistæ, caus. 22. qu. 2. *Augustinum* sequuti. At de ista duodecima propositione utrique à nobis dissentiunt.

II. Fatentur esse mortale peccatum, si persona aliqua in statu perfectionis exercendæ, sicut prælatus, exercendo actus qui ei competunt ratione talis status perfectionis, puta docendo, judicando, prædicando, mentiatur quocunque genere mendacii; ita ut mendacium illud fit de ipso actu docendi, judicandi, &c. non autem seorsum ab actu illo. Item in personis illis quæ sunt in statu perfectionis acquirendæ, non exercendæ; ut sunt religiosi subditi: neque in istis solum, sed etiam in quibuscunque Christianis mendacium quodcunque, sive officiosum, sive jocosum, si cum scandalo dato conjunctum sit, dicunt esse peccatum mortale, ratione scandali: quod etiam in factis ex se indifferentibus quandoque contingit, ut si quis cum scandalo edat, aut bibat. Rom. 14: 20. & 1 Cor. 8: 9. Unde patet, non posse ex scandalo judicium institui de natura facti in se, quum res in se non mala possit ratione scandali interdum esse mala. Quemadmodum etiam argumentatur *Scotus*, ut evincat, mendacium jocosum aut officiosum non esse in se mortale peccatum, quamvis ratione scandali transire possit in mortale peccatum, quum tamen in se non sit mortale peccatum, licet habeat in se aliquam malitiam, puta venialem, fatentur etiam omnes mendacium quodcunque, sive jocosum, sive officiosum, in rebus ad religionem pertinentibus esse mortale peccatum; nempe ratione materiæ, in qua omne mendacium est perniciosum & mortiferum.

III. Communiter tamen docent Scholastici & Canonistæ, cosque sequuti hodierni pontificii, sola mendacia quæ perniciosa vocant, esse simpliciter mortalia peccata: mendacia autem jocosa, aut officiosa, non esse in se ex suo genere mortalia, sed tantum venialia peccata. Nam peccatum, inquiunt, mortale proprie est, quod repugnat charitati, per quam anima vivit Deo conjuncta; qua spirituali vita privatur homo per peccatum quod fit contra dilectionem Dei, vel proximi; ideo tale peccatum ex suo genere mortale est. Quale est mendacium in doctrina religionis, quod contra Deum est; & mendacium proximo detrimentosum, contra justitiam. Alia vero mendacia, quia inordinationem quandam habent, non tamen à dilectione Dei & proximi avertunt, peccata sunt, sed sunt venialia. Hæc illi. Ideoque dicunt, mendacium jocosum, aut officiosum, non esse contra præceptum decalogi, quo prohibemur dicere falsum testimonium contra proximum; neque enim tale mendacium esse contrarium charitati; in tantum verò mendacium aliquod esse contra præceptum decalogi, in quantum est contra dilectionem Dei & proximi, cùm omnia præcepta decalogi ordinentur ad dilectionem Dei & proximi. Sin autem objicias, prohiberi omne mendacium in prohibitione falsi testimonii; Respondet *Thomas*, in 3. sent. dist. 38. qu. 4. ad 5. divino præcepto prohiberi aliquid dupliciter: Uno modo directè, quod *contra præceptum* dicitur; & sic prohiberi mendacium perniciosum, idque patere ex ipsa forma præcepti, Non loqueris contra proximum tuum falsum te-

testimonium: Alio modo indirectè, quod *præter præceptum* dicitur; sic autem mendacium jocosum, & officiosum, sicut & alia peccata venialia, præcepto divino prohiberi. Et in eandem sententiam *Durandus*, objicienti, quod facere contra præceptum divinum sit mortale peccatum; respondet, mentiri officiosè vel jocosè non esse contra præceptum. Idem etiam aliique Scholastici & Canonistæ cum authore Glossæ in Psalmum quintum, & hodiernis Pontificiis, de solo pernicioso mendacio, non autem de officioso aut jocoso, intelligenda esse affirmant illa scriptutarum testimonia. Psal. 5: 7. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. & Apocal. 21: 8. Omnibus mendacibus πᾶσι τοῖς ψευδέσι, portio eorum in stagno ardenti igne & sulphure. & cap. 22: 25. foris autem quisquis amat ac facit mendacium. & in Apocryphis Sap. 1: 11. Os quod mentitur occidit animam. Ipse etiam *Augustinus* alicubi, mendacium officiosum dicit esse veniale peccatum, quod benevolentia excusat, sed fallacia damnat.

August. Enchirid. cap. 22.

IV. Attamen pro confirmatione Propositionis duodecimæ, ostensum imus, omne mendacium, quocunque mendacii genere aliquis mentiatur, repugnare dilectioni Dei, & avertere hominem à Deo, esse contra vitam spiritualem, quam vivit anima conjuncta Deo; & esse contra mandatum Dei; & corrumpere animam, eamque perimere, & per consequens excludere à regno Cœlorum, de se & ratione sui, nisi Deus misereatur. Idque sensisse etiam *Augustinum*; unde etiam patescat, *Augustinum* non eo sensu mendacium aliquod appellasse veniale, ac si non esset contra legem Dei, non corrumperet ex se atque interimeret animam mentientis; sed tantummodo comparativè officiosum mendacium dixisse veniale præ pernicioso, in quo duplex est iniquitas, nempe fallacia & injuria, cum in officioso sit iniquitas unica, eaque alicui bono in se alioqui laudabili nempe benevolentiæ adjuncta, adeo ut quamvis officiosè mentientem damnet fallacia, adjuncta tamen benevolentia quodammodo excusare videatur, propter indolem virtutis in proficientibus; multum enim profecerunt in via ad virtutem perfectorum ii, qui non nisi ut prosint mentiri sustinent. Unde manifestum est, minùs esse jam deditos peccato, neque tam pleno consensu peccare, quàm illi qui ut noceant mentiuntur, adeoque etiam minùs peccare; facilioremque illis ad veniam aditum patere. Quemadmodum in uno eodemque genere mortiferi peccati; qui jam incipit odisse & deflere suum peccatum, fit hoc ipso peccatum ejus venialius, quàm prius erat illud ipsum, dum sine sensu homo peccato delectaretur, aut etiam de eo gloriaretur; & venialius quàm peccatum alterius, in quo nulla adhuc se exerit indoles virtutis ac resipiscentiæ. Quo sensu *Augustinus* scribens de intercessione pro flagitiosis, epist. 54. ad *Macedonium*, ait, omnia peccata veniabiliora videri, cùm is qui reus est correctionem promittit. Quod autem dixit *Augustinus*, officiosum mendacium esse peccatum, sed veniale; id hac ratione confirmat, quia illud benevolentia quidem excusat, sed tamen fallacia damnat. Enchirid. cap. 22. Neque is scopus est illic propositus *Augustino*, ut levitatem aut, ut ita loquar, venialitatem officiosi mendacii ostendat, sed ut evincat, omne mendacium, quantumcunque officiosum, aut leve, aut veniale, semper esse peccatum; etiamsi non æquè grave sit peccatum mentientis ut prosit, quàm est illius qui nocendi animo mentitur. De utroque tamen mendacio orandum Deum, ut dimittat nobis debita nostra, sicut orare docemur in oratione illa Dominica: & hoc quod ait, probat hoc argumento: Nec ideo (inquit) ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando alicui prodesse, si pauper, cui palam datur, sentit commodum, & dives cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodesse, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, &, si vixerit, pœnitendo purganda: nec ideo peccatum tale negabitur adulterium. Si autem merito nobis placet castitas, quid quæso offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, & violetur ista mentiendo? Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute quorundam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod benevolentia excusat, & ideo fallacia damnat. Plurimum quippe ad bonum profecisse homines, qui non nisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum: sed in eorum tali profectu meritò laudatur vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia; quæ ut agnoscatur satis est, non ut etiam prædicetur; maxime in hæredibus Testamenti Novi, quibus dicitur: Sit in ore vestro est est, non non, quod enim amplius est à malo est. Propter quod malum, quia subrepere in hac mortalitate non definit, etiam ipsi cohæredes Christi dicunt: Dimitte nobis debita nostra. Hæc ibi *Augustinus*.

August. de peccato veniali.

Matth. 5: 37.

Matth. 6: 12.

Ex quibus patet, non illi fuisse propositum, ut extenuaret culpam mendacii officiosi, sed ut ostenderet, mendacium omne semper esse peccatum, ne ipso quidem excepto officioso mendacio; sicut omne furtum, etiam officiosum, est peccatum; & omne adulterium, etiam officiosum adulterium, est peccatum. Quamvis adjuncta benevolentia laudanda sit, non tamen laudandum mendacium, aut furtum, aut adulterium. Et eadem ratione, qua *August.* veniale vocat mendacium, etiam ex ejus dissertatione sequitur, adulterium aut furtum officiosum esse peccatum veniale, non utique sensu absoluto, ac si ista peccata ex se non essent mortifera, sed sensu comparativo, uti ostensum est, ex intuitu illius profectus & indolis proficientium, quo profectu & qua indole carent qui avaritia aut libine acti furantur aut fornicantur. Cum *Thomas* dicat; mendacium omne in viris perfectis dici à Lombardo peccatum damnabile, non absolutè ac si nullum esset in viris perfectis mendacium veniale, sed comparativè, quia in eodem genere peccati magis peccat perfectus quam imperfectus, quamvis utrique venialiter vel mortaliter: quid vetat & veniale peccatum dici comparativè, quando scilicet minùs peccatur, uti ostensum est? Hoc est obiter argumentum ad hominem. Hæc ideo adnotanda videbantur, ne nobis contra istam duodecimam Propositionem objicerent auctoritatem *Augustini*. Cujus doctrinæ consentaneum est quod in Propositione asseritur, sicuti ex probatione clarius innotescet.

V. Repeto igitur Propositionem duodecimam; *Omne mendacium est de se peccatum mortiferum, contra legem Dei, & corrumpit, ac, nisi per Dei misericordiam condonetur, perdit animam mentientis, excluditque à regno Cœlorum.*

Probatio: Apostolus ait, peccati stipendium esse mortem Rom. 6: 23. quem secutus Gregorius Nazianzenus, orat. 31. prope finem clamat, πᾶσα ἁμαρτία θάνατός ἐςι ψυχῆς. *Omne peccatum mors est animæ.* Et Basilius Cæsariensis,

Vide Instruct. Historico-Theolog. Lib. 12.

cap. 5 §. 41. & lib. 13. cap. 8. §. 81. lib. 2. de baptismo, cap. 5. ὅτι παντὸς ῥήματος ἡ ἀπείθεια ἀξία ὀργῆς καὶ θανάτου. *Quod cujusque verbi* [Dei] *inobedientia iram & mortem mereatur.* Idem etiam in prooemio, in Ethica, de judicio Dei: In verbis (inquit) Domini nostri Jesu Christi, magnam quidem omnibus in rebus, [ἐν πᾶσι] parendi Deo necessitatem, ut ita dicam, animadverto; nullam autem inobedientiæ in quacunque re, relictam esse non resipiscentibus veniam. [ὐδεμίαν δὲ ὅλως, ἐπ' ὐδενὶ πράγματι καταλειπομένην τοῖς μὴ μετανοοῦσι τῆς ἀπειθείας συγγνώμην.] Idem Pater in regulis brevioribus, in responsione ad quartam interrogationem, contendit, nullum peccatum dicendum esse parvum, id quod quinque confirmat argumentis ex Sacra Scriptura allatis; *Matth. 5: 18.* 1. Quia Dominus asseveravit, unum jota, aut unum apicem non præteriturum de Lege, donec omnia fiant. *Matth. 12: 36.* 2. Quia pronunciavit Dominus, reddituros homines in die judicii rationem de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint. *Proverb. 13: 13.* 3. Quia scriptum est, qui eum contemnit, contemnetur ab eo. *Rom. 2: 23.* 3. Quia Apostolus asseruit, quod per transgressionem legis Deum inhonoras. *1 Cor. 15: 56.* 5. Quia peccatum est stimulus mortis, non hoc vel illud peccatum, sed indefinitè, nimirum omne seu quodcunque peccatum. [τὸ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία, οὐχ ἥδε, ἢ ἥδε, ἀλλὰ τῷ ἀδιορίστῳ, δηλονότι, πᾶσα ἁμαρτία.] Et rursus, eodem libro, in responsione ad interrogationem ducentesimam nonagesimam tertiam, idipsum confirmat hoc etiam argumento, quia una & eadem sententia est adversus quælibet peccata, [κατὰ πάντων ἁμαρτημάτων,] cum Dominus dixerit: *Joan. 8: 34.* Qui facit peccatum, servus est peccati. Et rursum, *Joan. 12: 48.* sermo quem loquutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Et cum Joannes clamet: *Joan. 3: 36.* Qui inobediens est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Cum inobedientia non in discrimine peccatorum, sed in præcepti transgressione, denunciationem habeat. [τῆς ἀπειθείας οὐκ ἐν τῇ διαφορᾷ τῶν ἁμαρτημάτων, ἀλλ' ἐν τῇ παρακοῇ τὴν ἀπειλὴν ἐχούσης.] Et concludit, *Matth. 18: 15, 16, 17.* servandum esse illud Domini judicium, *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum*, & quæ sequuntur usque ad illud, *Si autem Ecclesiam etiam non audierit, sit tibi ut Ethnicus & publicanus.* Hoc inquam servandum esse erga omnem peccantem cujuscunque generis peccatum, ἐπὶ παντὸς ἁμαρτάνοντος οἷον δήποτε ἁμάρτημα. Hæc Basilius Magnus, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus. Omne autem mendacium peccatum est. Porro omne mendacium repugnat charitati: nam velle facere quod lege Dei prohibetur, & Deo naturaliter exosum est, quodque necessariò avertit à Deo, repugnat charitati; at velle mentiri, est velle facere, &c. ergo velle mentiri, adeoque etiam ipsum mentiri repugnat charitati. Quod autem repugnat charitati, illud est peccatum in se mortiferum, uti consentiunt Scholastici. Minor syllogismi patet ex confirmatione octavæ propositionis, argumento sexto; ubi ostendimus omne mendacium esse Deo naturaliter exosum, & necessariò avertere à Deo.

VI. Probatur autem major syllogismi propositio ex sacris literis: Qui diligit Deum, servat mandata ejus, qui autem non diligit eum, non servat mandata ejus; Joan. 14: 23, 24. Per hoc scimus quod cognovimus eum, si mandata ejus observemus —— Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in isto veritas non est; qui autem servat sermonem ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est: qui dicit se in eo habitare, debet sicut ille ambulavit, ita & ipse ambulare, 1 Joan. 2: 3, 4, 5. 6. Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus servemus. 1 Joan. 5: 3. Hæc est charitas ut incedamus secundùm mandata ejus, 2 Joan. vs. 6. Charitas congaudet veritati. 2 Corinth. 13: 6. Qui diligitis Dominum, odio habete malum. Psal. 97: 10. Ergo consentire in malum quodcunque morale repugnat dilectioni Domini. Neque animus à facto excusatur, quando dicitur aliquid non ex animo fieri, quod tamen non fieret nisi animus faciendum esse decerneret, uti supra monuimus ex *August.* lib. contra mend. cap. 7. In hanc sententiam *Augustinus* alibi ait, homines per quodcunque peccatum, facere Deo injuriam, non quidem in illius aliquod incommodum, sed in suam magnam perniciem, dum dona ejus in se corrumpunt, &c. Lib. de mendacio, cap. 18. ut hoc argumento evincat, non solùm à perniciosis, sed etiam ab officiosis; & omninò ab omnibus mendaciis esse abstinendum. Jam autem facere Deo injuriam repugnat charitati.

VII. Adhæc quicquid necessariò avertit à Deo aversione morali, id repugnat dilectioni Dei: nam sine defectu dilectionis Dei nemo avertitur moraliter à Deo: adhærere Deo sine dilectione nemo potest, nec averti à Deo quisquam potest salva dilectione, qua salva nemo peccat.

VIII. Porro, omnis ἀνομία, iniquitas, sive quicquid moraliter repugnat legi Dei, repugnat charitati: nam à charitate seu à charitatis præceptione pendet tota lex, Matth. 22: 40. & charitas est complementum legis, Rom. 13: 10. & omnis qui facit iniquitatem sive peccatum, est ex diabolo, 1 Joan. 3: 8. Dicet Christus in die judicii: Recedite à me omnes operantes iniquitatem, οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν. Matth. 7: 23. In consummatione seculi hujus mittet Filius hominis Angelos suos & colligent è regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, [τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν,] projicientque eos in caminum ignis: illic erit fletus stridorque dentium. Matth. 13: 40, 41, 42. At omne mendacium est ἀνομία, iniquitas moraliter repugnans legi Dei; & omnis mentiens facit iniquitatem: nam omne mendacium est peccatum, omne autem peccatum est ἀνομία, iniquitas, seu repugnat legi Dei, uti docet Joannes Apostolus. 1 Joan. 3: 4. Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem [ἀνομίαν] facit; & peccatum est iniquitas [seu legis transgressio] πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ· καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Quem locum de omni peccato, sine ulla exceptione, adeoque etiam de officioso & jocoso mendacio intelligendum esse monet *Augustinus*, lib. contra mendac. cap. 15. Et eundem locum de quibuscunque etiam venialibus peccatis exponit *Thomas*, in secunda secundæ quæst. 100. art. 4. ad 3. At vide quam venalia. eod. cap. vs. 6, 8. & Matth. 13: 40, 41, 42. & alibi. Adversarii ex eo, quod omnia præcepta ordinentur ad charitatem, inferunt, mendacium officiosum aut jocosum non esse contra præceptum, quia scilicet non repugnat charitati. At ex eodem principio retorqueo argumentum, convertendo, & ajo, mendacium officiosum aut jocosum repugnare charitati, quia repugnat legi Dei, quia est ἀνομία. Item sine conversione, ajo, ista mendacia repugnare legi Dei, quia repugnant charitati, nam quicquid repugnat charitati, id repugnat legi Dei; & reciprocè, quicquid repugnat legi Dei, id repugnat charitati. Ideo alterutro de-

demonstrato, & alterum necessariò sequitur. Utrumque autem seorsum demonstravimus.

Objectio. IX. Dicent, inquies, mendacium officiosum & mendacium jocosum repugnare quidem charitati, non tamen directè, quum non tendat directè contra Deum, aut proximum; sed tantummodo indirectè. Item repugnare legi Dei quatenus lege Dei prohibetur, prohiberi autem non directè, sed indirectè, ideoque non esse contra præceptum, sed tantummodo præter præceptum, peccata autem talia non esse mortifera, sed venialia. *Responsio.* Quum objectionis istius duæ sint partes, quarum una est de repugnantia mendacii & charitatis, altera, de modo quo mendacium officiosum vel jocosum repugnat legi Dei; respondere conabimur prius ad priorem objectionis partem, deinde ad posteriorem.

Respondetur priori parti objectionis. X. Responsio autem ad priorem partem erit trimembris. 1. Mendacium omne directè repugnat dilectioni tui ipsius, ergo directè repugnat charitati. Nam scriptura docet hoc esse legi naturæ consentaneum, ut homo non odio habeat, sed diligat seipsum, Ephes. 5: 29. & præcipiendo ut diligas proximum sicut teipsum, ostendit Deus placere sibi dilectionem tui ipsius, quum placeat ei ut diligas proximum tuum; item præcipiendo ut diligas Deum supra omnia, & proximum sicut te ipsum, ac tradendo speciales utriusque dilectionis regulas, adjectis etiam quibusdam regulis de sobrietate & honestate quæ tibi tecum est necessaria, ostendit tum demum te abs te rectè diligi, quando in Deo & inviolatis regulis de Dei & proximi dilectione tibi præscriptis te diligis, tegeris, corpore tuo, animoque uteris. Ideo apud Solomonem ait Sapientia: Qui peccat contra me, spernit animam suam; omnes qui odio habent me diligunt mortem. Prov. 8: 36. & Apostolus Paulus serio monet, ut non demus membra nostra arma iniquitatis peccato. Rom. 6: 13. & ne fornicando peccemus contra proprium nostrum corpus. 1 Cor. 6: 18. & Jacobus monet, operam sedulo dandam esse, ut linguam bene moderemur, ne totum corpus nostrum maculet intemperans lingua, Jacob. 3. Jam autem qui mentitur, quocunque genere mendacii, abutitur sua lingua, eamque contaminat peccato, contra sapientiam Dei, & mentiendo avertitur homo à Deo; unde sequitur omne mendacium esse directè contrarium charitati ex parte tui ipsius; & quicunque mentitur, eum lædere animam suam. 2. Omne mendacium directè repugnat dilectioni proximi; Nam pervertit normam dilectionis proximi, quæ est ut proximum diligas sicut teipsum; quando igitur non ita diligis teipsum uti decet, quomodo, uti decet, diligere poteris proximum? Cum tuam animam spernas, & tuam mortem quæras, quomodo tibi curæ erit anima proximi tui, ut etiam ejus mortem non quæras? 3. Omne mendacium directè repugnat dilectioni Dei; nam velle illud quod Deus prohibet, quodque Deo naturaliter & indispensabiliter est exosum, & quod necessariò avertit à Deo, illud directè repugnat dilectioni Dei: qui autem mentitur quocunque genere mendacii, is vult illud quod Deus prohibet, &c. uti supra demonstratum est: ergo mentiri quocunque genere mendacii, directè repugnat dilectioni Dei.

XI. Sciendum autem, directè quippiam repugnare dilectioni Dei trium modorum aliquo. videlicet. 1. ex unitate ejusdem immediati objecti; quomodo dilectioni Dei directè repugnat oppositione contradictoria, non diligere Deum, & oppositione contrariorum, odisse Deum. 2. Ex naturali & directa repugnantia diversorum objectorum immediatorum; quemadmodum diligere tenebras, directè repugnat dilectioni lucis; Deus autem lux est, & tenebræ in illo nullæ sunt; si dixerimus, nos communionem habere cum illo & in tenebris ambulemus, mentimur, & non facimus veritatem, 1 Joan. 1: 5, 6. qui Deum diligitis, odio habete malum, Psal. 67: 10. Diligere igitur aut velle aut non odisse peccatum, quodcunque tam directè repugnat dilectioni Dei, quàm est directa repugnantia inter dilectionem lucis & dilectionem aut volitionem aut non aversationem tenebrarum, velle autem tenebras vel non odisse tenebras dilectioni lucis repugnat directè, quia ipsa objecta immediata nempe lux & tenebræ naturaliter & directè opponuntur. Quamvis autem in naturalibus, quando utrumque bonum est, diligi possunt duo contraria, nempe diversis respectibus, & diversos in usus, ut frigidum & calidum; humidum & siccum; in moralibus tamen neque est utrumque contrariorum unquam bonum, neque unquam appeti potest quod bonum est, integra & illæsa dilectione oppositi. Imo in moralibus ipsa dilectio boni moralis est bonum morale, est lux, & ipsa dilectio seu volitio aut non-aversatio mali moralis est malum morale, & tenebræ morales, unde inter se directè exponuntur. Ideoque velle furari, mentiri, occidere, aut quodcunque aliud peccatum admittere, directè repugnat dilectioni Dei, sicut velle tenebras morales repugnat dilectioni lucis moralis. 3. Directè repugnat aliquid dilectioni Dei ex transgressione legis Dei, in quacunque materia: ideo quum Saulus Rex jussus delere ad internecionem omnes Amalekitas sine ulla ætatum aut sexuum exceptione, una cum omnibus armentis & gregibus, cepisset vivum Agagum, Amalekitarum Regem, & reliquis deletis Regi Agago pepercisset, optimæque parti ovium, & bobus pinguibus & saginatis, & omni quod bonum erat, nec ea disperdidisset; reprehensus est à Domino per Samuelem Prophetam, & regno abdicatus, tanquam in Dominum Deum rebellis & contumeliosus: misit te Dominus per viam (ait illi *Samuel*,) dixitque tibi, vade, perde peccatores nempe Amalek, & pugna contra eum, donec consumpserint ipsi eos. Ut quid non paruisti voci Domini, sed divertisti ad spolia, ac fecisti malum in oculis Domini? Respondet Saulus Samueli: imo obtemperavi voci Domini, & ambulavi per viam quam misit me Dominus, & adduxi Agag Regem Amalek, & Amalekitas perdidi; tulit autem populus de spoliis pecorum & boum præcipua anathematis ad immolandum Domino Deo tuo in Gilgal. Dixit autem Samuel, Numquid voluntas Domini est in holocaustis & victimis, sicut in obtemperando voci Domini? Ecce parere melius est quam sacrificium; auscultare quam adeps arietum: quia sicut peccatum divinationis est rebellio; & quasi iniquitas & idololatria est transgredi. Eo quod contempsisti verbum Domini, abjecit te ne sis Rex. 1 Sam. 15. versib. 18, 19, 20, 21, 22, 23. Nihil hic fit directè contra Deum, aut contra proximum, ratione objecti operationis; dicentne igitur, Saulum tantummodo venialiter peccasse? At, reclamat propheta, describens gravitatem illius peccati. Nempe non sunt æstimanda peccata ex conditione rerum in quibus aut circa quas peccatur, sed ex authoritate & majestate legislatoris, & necessitate obedientiæ. Nam transgressio quælibet legis Dei repugnat directè

dilectioni Dei, quatenus est transgressio legis Dei. Ideo ait Joannes, mendacem esse illum qui dicit, se diligere Deum, & non diligit proximum: qui enim (inquit) non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non vidit quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. 1 Joan. 4: 20, 21. Nempe hæc est dilectio Dei, ut mandata ejus servemus. 1 Joan. 5: 3.

XII. Ex his patet, mendacium officiosum, aut jocosum quodlibet, etiam in rebus à religione sejunctis, directè repugnare dilectioni Dei, secundo, & tertio modo, quamvis solum prophanum mendacium repugnet dilectioni Dei directè primo modo. Quum igitur omne mendacium directè repugnet charitati, sequitur omne mendacium directè repugnare legi Dei, & esse peccatum in se, & ex suo genere mortiferum, sive æternæ perditionis meritorium.

XIII. Directum autem non hîc opponimus reductivo: nam sunt quædam transgressiones reductivæ, quæ fatentibus adversariis, repugnant charitati directè, cum eas fateantur esse contra legem Dei, adeoque mortiferas, seu, ut ipsi loquuntur, peccata mortalia. uti clarius patebit ex responsione ad posteriorem partem objectionis. Sed in primo modo quo aliquid repugnare diximus dilectioni Dei, diximus *directè*, quasi *immediatè*, intuitu unius ejusdemque proximi objecti. In reliquis vero modis, quibus ostendimus omne mendacium *directè* repugnare charitati, *directum* opponimus nescio cui *indirecto*, à quibusdam haud ita pridem excogitato, ut directè repugnare charitati vel legi, sit esse contra charitatem vel legem. Quid autem per indirectam repugnantiam intelligant Scholastici, diligentius investigabimus in responsione ad posteriorem partem objectionis; quæ erat, mendacium officiosum & jocosum repugnare legi Dei quatenus lege Dei prohibetur: prohiberi autem non *directè*, sed *indirectè*, ideoque non esse *contra præceptum*, sed tantummodo *præter præceptum*; peccata autem talia non esse *mortifera*, sed venialia.

Secunda pars objectionis.

XIV. Ad hanc partem respondeo. Inania hic verba audire mihi videor, sensus vacua. Num aliquid lege prohibitum, non erit contra legem? *Ubi non est lex, neque est transgressio*, inquit Apostolus, ad Rom. 4: 15. Unde dicitur transgressio nisi ex præcepto legis, cui non obtemperatur? Neque aliunde dicitur ulla transgressio esse *contra legem Dei*, nisi quia sit quod prohibetur, aut non sit quod imperatur. Quicquid igitur lex fieri prohibet, si fiat, fit *contra legem*: & quicquid lex fieri præcipit, si negligatur, negligitur *contra legem*. Quis hoc cogitando assequi possit, ut aliquid non sit contra legem quod lex prohibet? Quid est *contra legem* si hoc non sit? Nempe, inquies, si directè illud lex prohibeat, erit contra legem. At, inquam, sive directè sive indirectè, modo satis perspicuè lex prohibeat, semper erit *contra legem*: quod igitur directè prohibetur, erit directè contra legem; & quod indirectè prohibetur, erit indirectè contra legem. Nam ex ipsa prohibitione nascitur contrarietas; diversitas autem modorum prohibitionis distinguere potest contrarietatem secundum eosdem modos, non autem tollere.

Respondetur posteriori parti objectionis. Examinatur distinctio; contra legem, & præter legem.

XV. Ajunt autem isti quod prohibetur *indirectè*, id non esse *contra legem*, sed *præter legem*. Ajunt quidem, sed quo sensu stare possit quod ajunt, quis explicet? Quid enim, obsecro, est prohiberi indirectè? Et quid est esse non contra, sed præter legem Dei? Nam si

De distinctione prohibitionis directè & indirectè.

1. per directam & indirectam prohibitionem, intelligant prohiberi quædam *expressè*, quædam vero *per certam consequentiam*; accipimus distinctionem; sed utroque modo prohibentur mortifera peccata; nam mortaliter peccat mulier concupiscens alienum maritum; sicut mortaliter peccat vir concupiscens alienam uxorem; quum illud non expressè, sed per evidentem consequentiam prohibeatur.

2. Si verò directè & indirectè dicant quasi immediatè, & mediatè; admittatur sanè distinctio; nam quædam aliòqui licita prohibentur interdum mediante scandalo, quod immediatè prohibetur; ut comessatio carnis, &c. sed talia etiam mediante scandalo sunt peccata mortifera, nam omne datum scandalum est contra charitatem, & de se mortiferum. Item quæcunque non nisi mediante scandalo prohibentur, concessa sunt extra casum scandali, & per consequens non sunt in se & ex suo genere peccata; omne autem mendacium est in se & ex suo genere peccatum, uti supra ostensum est: omne igitur mendacium prohibetur etiam extra casum scandali, adeoque immediatè seu directè; & quamvis tantummodo mediante scandalo prohiberetur, esset tamen peccatum mortale quatenus prohibitum, cum omne datum scandalum sit peccatum mortale.

3. Si dicant prohiberi mendacium mediante charitate; sequetur inde, nullum prohiberi mendacium nisi quatenus repugnat charitati, & omne prohibitum mendacium repugnare charitati, adeoque esse mortiferum. Porro dicunt ipsi, prohiberi mendacium quodlibet etiam in se spectatum, propter intrinsecam inordinationem; Unde efficitur, prohiberi etiam immediatè omne mendacium. Sin autem prohiberi *directè*, vel *indirectè* interpretentur, prohiberi *per se*, vel, *per accidens*; sit quidem isti distinctioni locus: nam quæ sola scandali ratione prohibentur, alioqui in se indifferentia, ea dici possunt prohiberi *per accidens*. Quatenus tamen prohibentur, id est, quatenus induunt rationem dati scandali, repugnant charitati, & peccata sunt mortifera. Luc. 17: 1. Rom. 14: 15. & 1 Cor. 8: 12. In consummatione hujus seculi mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent è regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, [πάντα τὰ σκάνδαλα, καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν,] projicientque eos in caminum ignis; illic erit fletus & stridor dentium. Matth. 13: 40, 41, 42. Quamvis igitur mendacium prohiberetur tantum *per accidens*, ratione scandali, esset tamen peccatum mortale, quatenus prohibitum. Ut taceam, mendacium omne, cum sit intrinsecè peccatum, prohiberi *per se*.

4. Si denique directè vel indirectè prohiberi sic intelligant, ut *directè* prohiberi sit *principaliter* prohiberi; *indirectè* autem prohiberi sit *reductivè* prohiberi; neque istum sensum rejicimus. Nam principaliter prohibetur patratio homicidii, aut adulterii, aut furti; reductivè autem prohibetur participatio criminis per consilium, auxilium, encomium, vel consensum, quatenus scilicet participatio reducitur ad ipsum crimen homicidii, adulterii, &c. seu ad ipsam patrationem: nam particeps homicidii censetur occidisse, sicut David occidit Uriam, &c. At utrumque est peccatum mortiferum, Psal. 50: 16, 17, 18. & seqq. Proverb. 29: 24. Ephes. 5: vers. 6, 7. & alibi. Principaliter prohibetur sumptio nominis Dei in vanum, perjurio, aut blasphe-

phemia; aut temeraria ejus usurpatione; at reductivè prohibetur omne id quod ad temerationem divini nominis reducitur, ut Verbi Dei ad scommata abusus; ejusve ad vitiorum defensionem distortio, aut hypocritica & prophana ejus usurpatio, quo nomine expressè reprehenduntur impii, Psal. 50. Omnia autem ista sunt contra legem & lethalia sunt peccata. Sive igitur directè sive indirectè prohibeatur aliquod peccatum, dummodo verè prohibeatur, erit contra legem, & mortiferum erit peccatum, quatenus lege Dei prohibitum. Aut ostendant aliquem possibilem sensum illius distinctionis: qua dicunt quædam prohiberi indirectè, ita ut non sint contra præceptum.

XVI. Dicent, directè prohiberi illud quod ita prohibetur ut sit contra præceptum; indirectè autem prohiberi illud quod non est contra præceptum, sed tantummodo præter præceptum. At hæc est petitio principii. Quæritur enim, an quicquam ita indirectè prohibeatur, ut sit quidem peccatum, non tamen sit contra præceptum. Talem indirectam prohibitionem nullam agnoscimus, quæ sit verè prohibitio; neque ullum tale peccatum, quod sit verè peccatum. Quicquid enim prohibetur, est contra legem illud prohibentem. Ideoque directè prohibetur, si directè prohiberi sit ita prohiberi, ut sit contra præceptum. Aut explicent nobis nullum modum prohibitionis indirectæ, ita ut quod prohibetur non sit contra præceptum. Non sufficit procudere inania verba, quæ neque explicari neque intelligi queunt ullo vero aut possibili sensu. Ac si quis dicat, peccatorum quæ intrinsecè & verè sunt peccata, aliud est directè peccatum, aliud indirectè peccatum. Aut virtutum quæ intrinsecè & verè sunt virtutes, aliæ sunt virtutes directè, aliæ indirectè. Arborum quæ verè & intrinseca ratione sunt arbores, alia est directè arbor, alia est arbor indirectè, cum tamen nullam aliam habeant formam nisi peccati, virtutis, arboris. Quid monstri? eritne quippiam indirectè illud quod est intrinsecè & per rationem formalem? Omne autem mendacium est intrinsecè & formaliter peccatum, & omne peccatum intrinsecè ac ratione formali repugnat legi Dei; directè igitur repugnat; quod autem directè repugnat legi, illud directè prohibetur & est contra præceptum.

XVII. Neque solùm inane commentum & chimæra est distinctio prohibitionis; Sed & altera distinctio repugnantiæ, qua peccatum repugnat legi, ejusdem est metalli. Ajunt peccatorum lege Dei prohibitorum, quæ intrinsecè & ex suo genere peccata sunt, alia esse contra legem, eaque esse peccata mortalia & damnabilia; alia autem non esse contra legem, sed duntaxat præter legem, ideoque non esse damnabilia seu mortifera, sed venialia. Ecquid certum erit si asseruisse sufficiat? imo quid non licebit si fas sit hominibus errori obnoxiis in negotio religiosæ veritatis vanas pro arbitrio distinctiunculas comminisci; & pro indubitatis atque immotis principiis eas obtrudere conscientiis Christianorum absque ulla idonea probatione; & absque omni perceptibili nedum vero sensu inanium verborum fumos venditare: quis, obsecro, isti distinctioni sensus subesse potest? quid dici potest fieri præter præceptum, nisi vel aliquid indifferens, quod neque imperatur neque prohibetur, quales sunt omnes res mediæ; quæ tamen non propriè præter præceptum, sed potius sine præcepto, & secundùm

Præter præceptum.

concessam libertatem fieri dicuntur: vel aliquod peccatum lege prohibitum? non intelligunt indifferentia, sed peccata lege prohibita. Ajunt enim quædam esse peccata præter præceptum, quæ tamen non sunt contra præceptum, ideoque non esse damnabilia, sed venialia.

XVIII. Quæro, unde sumpserint istam distinctionem? non certe à ratione; nam ratio oppositum docet, nempe nullum esse peccatum quod non sit contra legem; neque ratione explicari aut percipi potest quomodo aliquid lege vetitum non sit contra legem. Nam ademimus illis unicum illud perfugium, quod habebant in distinctione prohibitionis directæ, vel indirectæ. Non est sumpta à vi & significatione vocum: nam ubi de transgressione seu peccato sermo est; præter legem & contra legem idem significant. Præter normam seu regulam, & contra regulam, idem significant. nempe carere debita commensuratione, ut ipsius *Thomæ* verbis utar, prima secundæ qu. 71. art. 6. ubi pro eodem dicit, carere debita commensuratione secundum regulam, & esse contra regulam. Et ad significandum quodcunque etiam gravissimum peccatum, usurpatur græca propositio παρὰ, quæ latinè est, *præter*: unde παρανομεῖν, præter vel contra legem facere. Act. 23: 3. παρακοή inobedientia, Rom. 5: 19. παράβασις νόμου prætergressio seu transgressio legis, Rom. 2: 23. Quibus in locis sermo est de damnabilibus peccatis. Lex regula est vivendi, circumscribens nobis semitam in qua ambulemus, extra quam non sinit nos pedem efferre, deflectendo vel ad dextram vel ad sinistram; adeo ut prætergredi παραβαίνειν sit peccare contra regulam, neque possibile sit præter regulam errare, nisi errando contra regulam; aut ire contra regulam, nisi eundo præter regulam, id est, aberrando à regula, eamque deserendo, sive non observando, sive non incedendo secundùm regulam. Neque sumpta est ista distinctio ex sacris literis; nam sacræ literæ testantur eum facere contra legem, & promereri mortem æternam, qui est παραβάτης νόμου, qui prætergreditur seu transgreditur legem. Rom. 2: 25. Si personas accipitis, peccatum operamini; convicti à lege ut prætergressores seu transgressores Jacob. 2: 9. ὡς παραβάται, &c. Unde patet sufficere ad meritum mortis æternæ ut aliquis sit παραβάτης νόμου, ut peccet prætergrediendo legem. Distinctio igitur commentitia & inanis est. Quæ & hoc syllogismo insuper refellitur. Quidquid sanæ doctrinæ adversatur [ἀντίκειται] illud est contra legem: at omne peccatum adversatur [ἀντίκειται] sanæ doctrinæ: 1. Tim. 1: 10. Ergo omne peccatum est contra legem. Et per consequens omne peccatum est damnabile: adeoque etiam omne mendacium; Nam omne mendacium est peccatum. Et rectè dixit *Scotus*: Quodcunque (inquit) peccatum est peccatum, quia est contra præceptum Divinum. in 4. sent. dist. 50. num. 9. Insuper, quod est contrarium virtuti lege Dei imperatæ, est contra legem Dei: at mendacium est contrarium virtuti lege Dei imperatæ nempe veritati seu veracitati, ergo mendacium est contra legem Dei.

XIX. Adhæc, *Thomas* alibi, *Augustinum* secutus, contendit omne peccatum esse contra legem Dei in prima secundæ, quæst. 71. art. 6. & quæ illic disputaverat repetens, qu. 72. art. 4. obj. 1. Commune est, inquit, omni peccato, quod sit contra Deum, ponitur enim in

gnatur portio æterna in stagno ardente igne & sulphure. Nam etsi alia graviora sunt, alia minus gravia mendacia, omne tamen mendacium est de se & ex suo genere mortiferum, corrumpens & occidens animam mentientis, ut ostensum est.

XXIV. Ideo rectè *Augustinus*, præcepto quo prohibetur falsum testimonium, prohiberi monet omne mendacium; sicut præcepto de non furando prohibetur omne furtum. Neque ullam distinctionem commemorat prohibitionis directæ, aut indirectæ: sed tantummodo fatetur, alia esse graviora; alia autem minus gravia peccata: omne tamen mendacium ait esse peccatum, contra legem Dei. Si propterea (inquit *Augustinus*) non peccamus mentiendo, quia nullius peccatum tegentes, & nulli obsumus & alicui prosumus, quid aimus de ipso peccato mendacii? ubi enim positum est, ne furtum feceris; ibi positum est, ne falsum testimonium dixeris. Unde colligit *Augustinus*, falsum testimonium esse culpabile, per se, sicut furtum per se est culpabile. Et ostendit ex Apostoli Pauli epistola ad Corinthios, falsum testimonium esse mendacium, etiamsi in cujusquam falsa laude dicatur. Et alibi, de officioso mendacio loquens, Non est, (inquit) sexto genere mentiendum, neque enim rectè etiam testimonii veritas pro cujusquam temporali commodo ac salute corrumpitur. Et alibi contendit, omne mendacium esse contra legem Dei.

Aug. lib. de mend. cap. 12. & 13.

1 Cor. 15: 15.

Aug. lib. de mend. cap. ultimo.

XXV. Idem etiam testimonia illa, Psal. 5:7. Perdes eos qui loquuntur mendacium. & Sap. 1: 11. *Os quod mentitur occidit animam*, interpretatur de omni mendacio. Nam lib. contra mendacium, cap. 1. & 2. & 3. ait; An aliquando bonum est mendacium, vel aliquando mendacium non est malum? Cur ergo scriptum est, Odisti Domine omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium? Non enim aliquos excepit, aut indefinite dixit, perdes loquentes mendacium, ut quosdam, non omnes intelligi fineret, sed universalem sententiam protulit, dicens, perdes omnes qui loquuntur mendacium. An quia non dictum est, perdes omnes qui loquuntur omne mendacium, vel qui loquuntur quodcunque mendacium, ideo putandum est locum alicui relaxatum esse mendacio, ut scilicet sit aliquod mendacium; quod qui loquuntur non eos Deus perdat, sed eos omnes perdat qui loquuntur injustum mendacium, non quodcunque mendacium; quia invenitur & justum, quod utique laudis debet esse, non criminis? Nonne cernis quantum adjuvet hæc disputatio eos ipsos, quos pro magna venatione mendaciis nostris capere molimur? Priscillianistarum est enim, sicut ipse monstrasti, ista sententia, ——— nec in eo malo debemus Priscillianistarum esse participes. ——— Mendaciorum genera multa sunt, quæ quidem omnia universaliter odisse debemus. Nullum est enim mendacium quod non sit contrarium veritati. Nam sicut lux & tenebræ, pietas & impietas, justitia & injustitia, peccatum & rectè factum, sanitas & imbecillitas, vita & mors; ita inter se sunt veritas mendaciumque contraria. Unde quanto amamus istam, tanto illud odisse debemus.

Aug. lib. contra mend. cap. 15.

Psal. 5: 7. LXX. ἀπολεῖς πάντας τοὺς λαλοῦντας τὸ ψεῦδος.

Vide Apocal. 21: 8. & 22: 15.

XXVI. Idem in Commentario in Psal. 5. Ideo ait Deum perditurum omnes qui loquuntur mendacium, quia mendacium est veritati contrarium: & eos qui loquuntur mendacium, interpretatur, qui recedentes ab eo quod est, ad id quod non est declinant. Deinde subjungit: Multa quidem videntur pro salute aut commodo alicujus, non malitia, sed benignitate, mendacia, quale obstetricum in Ægypto, sed ista non re, seu indole laudantur. ——— Nam in iis qui perfecti sunt nec ista mendacia inveniuntur, quibus dictum est: Sit in ore vestro est est, non non, quicquid amplius est, à malo est. Nec immerito alio loco scriptum est: Os quod mentitur occidit animam. Ne quis arbitretur perfectum & spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cujus morte non occiditur anima, sive sua, sive alterius, debere mentiri. ——— Sed si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius. ——— Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocando, aut ut proximis prosimus mentimur. Illud primum in jocando, ideo non est perniciosissimum, quia non fallit. Novit enim ille cui dicitur, joci causa esse dictum. Secundum autem ideo minus, quia retinet nonnullam benevolentiam. Hæc ibi. Quamvis autem agnoscat, & rectè quidem, non esse omnia mendacia paria, passim tamen docet, omnia esse mortifera, uti patet ex locis citatis, & citandis.

Matth. 5: 37.

Sap. 1. 11.

XXVII. Idem Augustinus lib. de mendacio, cap. 6. ait; Non est in ista quæstione attendendum, nisi utrum iniquitas sit mendacium. ——— & utrum pro alterius salute iniquus esse aliquis debeat: Quod si respuit animæ salus, quæ non potest nisi æquitate servari, & se ut præponamus, non solum alterius, sed etiam nostræ saluti temporali jubet, quid restat, inquiunt, * quo dubitare debeamus, nunquam omnino esse mentiendum? Hæc ibi. Ubi manifestè asserit corrumpi & perimi animam mentientis quocunque mendacio. Id quod hoc etiam argumento confirmat; furto vel stupro officioso perimitur anima; ergo etiam mendacio officioso perimitur anima. Patet consequentia; quia etiam mendacium lege Dei prohibetur. Jam quis non videat puerilem fore istam argumentationem *Augustini*, si locus sit commentitiis illis distinctionibus inter prohibitionem *directam* & *indirectam*; item inter peccata *contra legem* & peccata *præter legem*: inter peccata *mortifera* & *venialia*, eo sensu, quo à Scholasticis venialia dicuntur. Nam in promptu erit responsio, perimi quidem animam furto aut adulterio officioso; quia omne furtum, & omnia adulteria prohibentur *directè*, ita ut sint *contra legem*, ideoque sunt peccata *mortifera*; non tamen inde sequi, quod perimatur anima mendacio officioso, quod tantummodo *indirectè* prohibetur, ita ut non sit contra legem Dei, sed *præter legem Dei*. Sed nihil istorum respexit *Augustinus*; Unde manifestum est, Augustino nunquam in mentem venisse inanes istas distinctiunculas, sed omnia mendacia, ex ejus sententia, esse *contra legem*, & mortifera. Quamvis non sint omnia paria, neque enim omnia peccata mortifera sunt paria.

** Loquitur in personam eorum qui omne opugnant mendacium, quibus ipse consentit.*

XXVIII. Qua fronte igitur, inquies, taliter sentientes, pro errore suo patrocinium ipsius allegant *Augustini*? id certè faciunt vel impudenter, vel imprudenter. Ex eo enim quod

Quæstio Resp.

Au-

Augustinus, scribens in Psal. 5. dicat, duo esse genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non esse sine culpa, cum aut jocando, aut ut proximis prosimus, mentimur; argumentatur & infert *Thomas*, mendacia jocosa & officiosa non esse peccata mortalia; quum omne peccatum mortale habeat gravem culpam. in prima secundæ, qu. 110. art. 4. At si locum illum *Augustini* consulamus, videbimus eum ab omni mendacio dehortari Christianos, hoc argumento, quod mendacio quocunque, etiam officioso, anima occidatur. Fatetur interea, leviora seu minus gravia esse officiosa, & jocosa mendacia, quam malitiosa; & optat eam saltem in hominibus indolem virtutis, ut non nisi jocosè aut officiose mentiri velint, donec Spiritus Sancti altiore gratia roborati, omnia prorsus mendacia vitare discant. Et alibi disserens *Augustinus* de non committendis peccatis levioribus, ne alii peccent amplius, hoc utitur argumento: A mea quippe iniquitate, non ahena, mihi est cavenda damnatio: Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur. lib. contra mendacium, cap. 9. Ideoque unicuique vitandum dicit suum peccatum potius, quam alienum; & levius potius quod suum, quam gravius quod alienum. lib. de mend. cap. 9. Item ex *Augustini* Commentario illo in Psal. 5. perperam colligit *Lombardus*, 3. sent. dist. 38. Distinctionem quandam hominum perfectorum, & imperfectorum; & ait, mendacia officiosa & jocosa in solis hominibus perfectis esse peccata damnabilia ac mortalia; in aliis vero esse venialia. *Augustinus* enim de officiosis loquens, In iis, ait, qui perfecti sunt, nec ista mendacia inveniuntur; quibus dictum est, sit in ore vestro est est, non non; quicquid amplius est, à malo est. Nec immerito alio loco scriptum est, Os quod mentitur, occidit animam: ne quis arbitretur perfectum & spiritalem hominem pro ista temporali vita, in cujus morte non occiditur anima, debere mentiri. &c. Hinc natæ illæ disputationes Theologorum Scholasticorum; aliis magistrum sequentibus; aliis, & quidem præcipui nominis, contendentibus, non posse ex circumstantia personæ aggravari peccatum in infinitum, ita ut veniale transeat in mortale, nisi vel obligatione voti, vel scandalo interveniente, quæ *Thomæ*, *Scotique* sententia est.

Ezech. 18: 4.

Matt. 5: 37.

Sap. 5: 11.

XXIX. *Thomas* autem magistrum conatur excusare: & ait, dictum ejus intelligendum esse non absolute, ac si perfectus mentiendo officiosè aut jocosè peccaret mortaliter; sed comparativè, quia magis peccant perfecti sic mentientes, quam alii; licet utrique venialiter. At frustra est *Thomas*: nam *Lombardus* id colligit ex *Augustino*, cujus etiam verba allegat. *Augustinus* autem apertè dicit mendacio occidi animam.

XXX. Distinguunt etiam perfectionem; ut una sit perfectio charitatis, altera perfectio status: & rursus statum perfectionis distinguunt, in statum exercendæ perfectionis, qualem dicunt statum Prælatorum; & statum perfectionis addiscendæ & acquirendæ, in quo statu esse ajunt religiosos seu monachos. Et alii dicunt, mendacium officiosum aut jocosum mortale esse in iis qui perfecti sunt perfectione charitatis; alii autem in eis qui perfecti sunt perfectione status, quia ex officio debent esse conservatores veritatis; alii in solo statu perfectionis exercendæ mendacium officiosum aut jocosum ajunt esse mortale, si in eo statu constitutus mentiatur in ipso actu sui officii; puta in actu docendi, judicandi, &c. At extra ipsum actum officii, mendacia ista in quibuscunque hominibus esse venialia in se; in quocunque tamen mortalia, si sint scandala.

Distinctio perfectionis secundum Scholast. Romanenses.

Hi motus animorum atque hæc certamina tanta,
Luminis exigui radio detecta quiescent.

Nam *Augustino* perfectio significat officium omnis hominis Christiani, ad quod omnes Christiani contendere debent ex præcepto Divino; Estote vos perfecti, sicut Pater vester qui est in Cælis perfectus est. ait Dominus Matth. 5. vers. 48. quod dicitur omnibus iis qui volunt ingredi in regnum Cælorum, vers. 20. qui volunt esse filii Patris Cælestis, vers. 45. qui se præstare volunt publicanis. vers. 46. 47. Vide Philip. 3: 15. & Hebr. 6: 1. Perfecti, inquit *Augustinus*, quibus dictum est, Sit in ore vestro est est, non non, quicquid amplius est, à malo est. Atqui hoc est præceptum datum omnibus Christianis, uti cætera, quæ illo sermone à Christo imperantur, sicuti jam ostensum est, & supra etiam docuimus, lib. 1. cap. 11. §. 2. assentientibus *Augustino*, & *Thoma*, & *Bellarmino*. *Matth.* 5: 37.

XXXI. Alibi etiam perspicuè docet *Augustinus*, quos intelligat perfectos, quibus dictum, Sit in ore vestro est est, non non, queis mentiri est lethaliter peccare; nempe omnes Christianos; filios supernæ Hierusalem, quos opponit hominibus ad Ægyptum vel ad Hiericho, vel ad Babylonem, vel adhuc ad ipsam Hierusalem terrenam pertinentibus. Nam de mendacio obstetricum, & de mendacio Rahab meretricis disserens, Sed nos, inquit, cum quærimus, sitne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quærimus adhuc ad Ægyptum, vel ad Hiericho, vel ad Babyloniam pertinente, vel adhuc ad ipsam Hierusalem terrenam, quæ servit cum filiis suis; sed de cive illius civitatis quæ sursum est, libera mater nostra in Cælis: Et respondetur quærentibus nobis, *Omne mendacium non est ex veritate*. Filii autem illius civitatis, filii sunt utique veritatis. Ejus civitatis filii sunt de quibus scriptum est, *In ore eorum non est inventum mendacium*. Ejus civitatis filius est de quo item scriptum est, *Verbum suscipiens filius à perditione longè aberit*. Excipiens autem excepit illud sibi, & nihil falsi ex ejus ore procedit. lib. contra mendacium, cap. 16. Idem etiam de testimonio illo Psalmi 5. loquens, Non est, inquit, cur hic dicatur: Omnes quidem perdet qui loquuntur mendacium, sed non omne mendacium; quando universaliter omnia mendacia circumcisa sunt, in eo quod dictum est, Et nihil falsi de ore ipsius procedit. lib. de mendacio, cap. 18. *Gal.* 4: 26. *Joan.* 8: 21. *Apocal.* 14: 5. *Prov.* 29. *post. versum postremum, in latina editione.*

XXXII. Confirmata igitur 12. Propositione ex sacris literis, & ostenso consensu *Augustini*, sit jam hujus disputationis modus, (utor verbis *Augustini*, quibus ille suum mendacio librum clausit) in cujus totius consideratione & pertractatione nihil præ cæteris cogitandum atque orandum est, quam illud quod Apostolus dicit, Fidelis Deus qui non vos sinet tentari supra quàm potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Ipsi soli vero & mentiri nescio Deo sit omnis laus, honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

CA-

CAPUT IX.

De prudenti simplicitate, de dissimulatione, de hypocrisi, omnique simulatione. item de insidiis.

Dum vitas homines, serpentem imitabere prudens,
Semper at innocuæ cum simplicitate columbæ.
Dissimulare aliquando licet, sed hypocrisis absit;
Sitque exosa probis omnis simulatio prava.
Est autem quædam simulatio criminis expers;
Quæ nimirum haud attingit morésve fidémve;
Cui quædam utilitas, cui nulla injuria juncta est;
Qua nec falsa affirmantur, nec vera negantur:
Et quando nulli simulando scandala dantur.
Qualis placandis pueris simulatio matrum est,
Terrendisve aut tentandis simulatio patrum,
Qualiter & medici simulant curare volentes;
Qualis & illa erga fratres simulatio Joseph;
Qualis Davidis *simulata insania; qualis*
Forsitan & Lystra extracti simulatio Pauli;
Qualis Numidæ *fuga bellica: sic & in horto*
Ad Mariam, *& ruri ad* Cleopam *simulatio Christi,*
Auxiliumque Syræ qua differt ferre peccanti.
Exponi sensu bene simplice posse videtur.
Moribus aut factis non falles insidiosis.
At justo in bello licitè fas insidiari.

Gen. 42. & 43. & 44. 1 Samuel. 21: 13. Actor. 14: 19. Josh. 8. Joan. 20: 15. Luc. 24: 28. Matt. 15. & Marc. 7.

Exegesis.

I. *Dum vitas homines,*] Ecce ego mitto vos, ut oves in medio luporum, estote igitur prudentes, ut serpentes, & innocentes [sive simplices] ut columbæ. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in consessus, &c. Matth. 10: 16, 17.

II. *Dissimulare*, &c.] Non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est; inquit *Ambrosius*, apud *Gratianum*, caus. 22. quæst. 5. can. *Cavete*. Et *Aristoteles* veracem cum prædicat, *ὃς καὶ ἐν λόγῳ καὶ ἐν βίῳ ἀληθεύῃ*, qui veritatem colat tum verbo, tum in omnibus vitæ partibus, eique opponit mendacem in verbis, & actionibus. Nicom. lib. 4. cap. 7. Et *Augustinus* eum mentiri ait, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enunciat. Lib. de mendacio, cap. 3. Non enim in verbis solum, sed etiam in tota conversatione hominis Christiani, requiritur veritas, simplicitas & sinceritas. Ecce verè Israëlita in quo dolus non est, ait Dominus de *Nathanaële*, Joan. 1: 47. Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus; itaque festum agitemus, non fermento veteri, neque fermento malitiæ & nequitiæ, sed azymis sinceritatis & veritatis. 1 Cor. 5: 7, 8. gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ; quod cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei conversati fuerimus in mundo. 2 Corinth. 1: 12. non incedentes cum calliditate [*ἐν πανουργίᾳ*] neque falsantes [seu dolosè tractantes, *δολοῦντες*] sermonem Dei, sed manifestatione veritatis [*τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας*] commendantes nos ipsos apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei, 2 Corinth. 4; 2. Esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, &c. 1 Timoth. 4: vers. 12. Cavendum igitur ne vel sermone, vel opere mentiamur.

III. Quemadmodum autem in verbis, ita etiam in factis, occultatio veri non est mendaeium; ideo utrobique,

Vera aliquando licet celare aliquando necesse est;
Sive tacendo occultentur seu dissimulando.
Et sicut fugienda piis oratio falsa;
Sic omnis fugienda piis operatio falsa.

Nam sicut tacere est occultare non loquendo; ita dissimulare est occultare non agendo seu non præ se ferendo nec ostendcudo signa. Dissimulare autem est quodammodo præ se ferre aliquid quod non est: non tamen omnis simulatio est mendax seu falsa moraliter, ut ostendam. Quando autem dicimus fugiendam esse operationem falsam, falsitatem intellige moralem, non physicam. Neque enim peccat pictor pingendo hominem non verum, sed pictum; neque peccant metallarii opifices faciendo orichalcum in speciem auri, dummodo non decipiant alios falsitate morali, vendendo orichalcum pretio auri, & verum aurum esse assertivè enunciantes. Quamvis itaque verbo mentiatur qui orichalcum sciens asserit esse aurum, non tamen opere mentitur qui gnarus vasis utitur ex orichalco factis, eaque in tantum splendorem dat, vel etiam auro obducit, ut à convivis aurea existimentur. Est enim hæc physica tantum, non etiam moralis falsitas.

IV. Adhæc sciendum est, quod & à Thoma rectè observatum est, [in 3. sent. dist. 38. quæst. 3. ad 5.] facta non sic ordinata esse de se ad significandum sicut voces, & ideo non oportet (inquit *Thomas*) quod si aliquid fiat per quod aliquid falsum detur intelligi, quod hoc ipso fiat quod non debet fieri; sicut dicitur quod non debet dici, quando falsum voce significatur. Unde non oportet quod omne tale factum sit peccatum. Hæc ibi. Temerè igitur & iniquè Thomas alibi omnem simulationem asserit esse mendacium & peccatum, in secunda secundæ quæst. 3. art. 1. Rectius Scotus quandam simulationem agnoscit esse licitam, in 3. sent. dist. 38. Num. 16. & 17.

V. Distinguendæ autem sunt actiones; nam aliæ de se ordinantur ad assertivè significandum, sicut voces enunciativæ; quales sunt nutus mutorum, aut tacentium, & omnia signa de quibus inter homines convenit ex pacto: quorum præcipuus & plerumque unicus usus est significatio assertiva. v. g. si inter nos convenerit de contractione manus, ejusque explicatione, ut manus in pugnum contracta significet inter nos affirmationem, explicata vero negationem; si jam sciens explices manum cum debeas affirmare, aut complices cum debeas negare, non minus reus es mendacii, quam si verbo assereres verum esse quod nosses falsum esse, aut falsum quod verum. Et de talibus quidem factis deque simulatione per tales actiones vera est illa damnatio Thomistica simulationis: Simulatio, inquit, est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. secunda secundæ quæst. 3. artic. 1. talibus enim actionibus assertivè enunciamus. At aliæ sunt actiones in seipsis consistentes; neque tam ut assertivè significent, quam ut significentur comparatæ; ut ambulare, scribere, tussire, exsecrare, minari, interrogare, imperare; vasa inaurare, orichalco uti, & similes,

quæ quamvis aliquam etiam assertivè significandi vim habeant, earum tamen significatio neque naturaliter, neque ex instituto certa est vel determinata; sed tantummodo conjecturalis, & dubia. Et in talibus non tenetur homo enunciative exponere quid ulterius intendat; sicut tenetur in verbis enunciativis & actionibus prioris ordinis clarè id & assertive exprimere, quod habet in pectore. Neque de se in talibus est assertiva enunciatio, adeoque neque mendacium. Ideo quamvis istiusmodi aliquid ita fiat, ut inde falsa opinio in animo intuentis generetur, non tamen qui id facit propterea peccare dicendus est; nam interdum falsam opinionem animo alicujus ingerere licet, modo id non fiat per mendacium; fas enim id facere prudenti silentio aut stratagemate & insidiis militaribus, &c. Unde efficitur, dissimulationem & simulationem in talibus non esse de se & ex suo genere mendacium, aut peccatum. Quamvis ex accidenti quandoque peccet aliquis etiam in istis, dissimulando aut simulando: nempe intuitu materiæ, vel finis, vel adjuncti scandali, &c.

VI. In materia religionis ubi de fide & moribus agitur, omnis simulatio est viriosa. Hæc species simulationis appellatur in Scripturis sanctis hypocrisis, qua scilicet aliquis simulat fidem aut mores non suos. Sacerdotes & scribæ miserunt ad Jesum insidiatores, qui se justos esse simularent, [ὑποκρινομένυς ἑαυτὺς δικαίυς εἶναι.] Luc. 20: 20. Petrus & Barnabas & cum eis alii Antiochiæ simularunt Judaïsmum, & necessitatem custodiendarum cæremoniarum, quam tamen non credebant, propter quam hypocrisin reprehensus est Petrus à Paulo. Galat. 2: 12, 13, 14. Paulus autem usus est interdum illis ceremoniis non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ; non tanquam necessariis, sed tanquam cum honore ad sepulturam deducendis. Uti rectè monuit *Augustinus*, epistol. 19. quæ est ad *Hieronymum*, de Petro reprehenso à Paulo. Qui etiam simulat se amicum cum non sit, est hypocrita, ideo Christianis præcipitur ut sit eorum charitas non simulata, [ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος.] Rom. 12: 9. & qui est improbe versutus, sub specie sapientiæ, rixas excitans aut fovens inter fratres, & invidens proximo, est hypocrita; ideo terrenæ, animali, ac dæmoniacæ ejus sapientiæ opponit Jacobus Apostolus sapientiam quæ supernè est, quæ est ἀνυπόκριτος, sine hypocritica simulatione.

VII. Sive autem aliquis hypocriticè simulet rectam fidem & bonos mores, à quibus animo est alienus, graviter peccat: sicut peccarunt insidiatores illi ad Christum missi, qui rectam fidem hypocriticè simulabant. Luc. 20: 20. & Scribæ ac Pharisæi qui morum probitatem hypocriticè simulabant Matth. cap. 6. & cap. 23. Sive etiam hypocriticè simulet quispiam se addictum esse errori in religione, aut si quis se simulet moribus improbum; gravi se obstringit peccato. Neque excusatur talis simulator obtentu boni finis, nam ad bonum finem oportet ὀρθοποδεῖν rectо pede incedere; Galat. 2: 14. Neque facienda sunt mala, ut veniant bona, Rom. 3: 8. Semper parati esse debemus ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei quæ in nobis est. 1 Petr. 3: 15. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in Cœlis: quisquis autem negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo qui est in Cœlis, ait Dominus, Matth. 10: 32, 33. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, Rom. 10: vers. 10. Sic splendeat lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem vestrum qui est in Cœlis, Matth. 5: 16.

VIII. Ex istis & similibus locis evincitur, simulationem omnem in negotio religionis, in fide, & moribus, semper esse perniciosam. Et ipsam etiam taciturnitatem ac dissimulationem aliquando esse damnabilem. Nam sicut ignorantia eorum, quæ ex officio hominis Christiani teneris jam scire, damnabilis est; ita etiam celare ea quæ & quando ex officio hominis Christiani palam profiteri teneris, grave est peccatum.

Vide Instruct. Historico-Theolog. Lib. 12. cap. 1. §. 10. & seqq.

IX. Mala etiam ac damnabilis est quælibet simulatio proximo injuriosa. Odit enim Deus omnes operantes iniquitatem, Psalm. 5: 6. Qui injuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit, & non est personarum acceptio. Coloss. 3: 25. Ne quis opprimat aut circumveniat in negotio fratrem suum, nam ultor est Dominus omnium istorum. 1 Thessal. 4: vers. 6. dico simulationem injuriosam; nam potest esse nociva ac detrimentosa, quæ tamen non sit injusta aut injuriosa; qualis fuit Josuæ fugientis simulatio, Josuæ cap. 8. vers. 2, 3. &c. quæ incolis *Ai* perniciosa fuit, at non injuriosa; nam cum eis justum bellum gerebat.

Sicut verba otiosa, ita etiam simulatio otiosa fugienda est.

Quælibet etiam simulatio, si dato scandalo offendat, vitiosa est propter scandalum.

X. Remotis autem quinque istis conditionibus, simulationem necessariò deformantibus, nempe. 1. Ut non sit talis simulatio qua assertive affirmatur falsum, aut negetur verum. 2. Ut non attingat fidem aut morum probitatem. 3. Ut nulli sit injuriosa. 4. Ne sit otiosa, sed ad aliquid utilis & certo bono fine suscepta. 5. Denique, ne dato scandalo offendat: vacabit crimine simulatio, Græc. προσποίησις Luc. 24: 28. Nam hypocrisis passim damnatur, neque unquam conceditur, sed est aliqua licita προσποίησις.

XI. Licitæ simulationis varia exempla proposuimus in regula. 1. Matrum simulatio qua abitum aut lachrymas simulant, ut puerorum ejulatum sistant. 2. Paterna eodem fine terriculamenta. 3. Simulationes paternæ ad tentandos filios, ut si pater in aliquo arduo negotio consulat filium, quid sit optimum factu, non nesciens quid sit ipse facturus, sed ut exploret filii prudentiam: vel si pater in quosdam quasi latrones de industria incidens, postulet aliquid filio charum in gratiam patris abalienari, ut exploret filii obedientiam ac pietatem; aut jubeat strictо ense eos invadere, ut exploret ejus fortitudinem. Nam interrogate, postulare, præcipere, non habent significationem assertivam. Sic legimus, præcepto de immolando Isaaco tentatum à Domino esse Abrahamum. Genes. cap. 22. vers. 1, 2. Et conspecta ingenti multitudine Christus dixit Philippo: Unde ememus panes, ut illi vescantur? Hoc autem dicebat tentans eum; ipse

ipse enim sciebat quid esset facturus. Joan. 6: 5, 6. Quartum exemplum est medicorum, qui interdum ad sectionem venientes, simulant se tantummodo adhuc inspicere partem affectam, aut fovere, ne æger perterrefiat; & fingunt se partem capere medicinæ, admoventes eam ori, aut etiam aliquid in os sumentes, ne eam ægrotus aversetur. Videmus tali simulatione interdum abstemias aut temperantes virgines, vinum propinare jussas, cyathum primoribus labris admovere, nec tamen vinum attingere. 5. Simulatio Josephi Patriarchæ, Genes. 42. & 43. & 44. qui erga fratres suos aliquantisper se gessit ut alienum, ut severum judicem; non negando se esse fratrem; sed id dissimulando, & alienum se atque iratum simulando, ut fratres explorarent an resipuissent, atque ut eos jure magistratus, non ulciscendi animo, exerceret, revocaretque eis in mentem parricidialis ipsorum scelus; & de Patre Jacobo ac Fratre Benjamino certa cognosceret, antequam se illis patefaceret. Quod autem eos exploratores esse dixit, id hypotheticè accipiendum esse patet ex ipso textu, Genes. 42. vers. 15, 16. Neque necesse habemus refugere hic simplicem expositionem, ac si solo figurativo sensu defendi posset ista Josephi simulatio. 6. Simulatio Davidis, qui metuens sibi ab Achis Rege Gath, immutavit gestum suum, & præ se ferebat insaniam, describens super fores portæ, demissaque in barbam suam saliva, 1 Samuel. 21: 13. Neque hic necesse est relinquere simplicem expositionem; caret enim illa simulatio quinque illis conditionibus deformatricibus, & insuper cautela erat bellica, adversus hostes vel insidiatores licita. 7. *Forsitan & Lystra extracti simulatio Pauli*, Actor. 14: 19. extraxerunt eum extra urbem, putantes esse mortuum; & mox circumdantibus eum discipulis, surrexit; haud dubiè non absque singulari & miraculosa conservatione divina, qua vel lapidatum debilitari non sivit, vel debilitato repente sanitatem ac vires restituit. Dico, *forsitan*, ne videar contradicere eis, quibus videtur Paulus animæ deliquio fuisse sopitus, dum extraheretur, postea que per Dei gratiam resocillatum ac suscitatum esse. Sed quamvis sciens & de industria se jam mortuum simulasset, ne scilicet in eum ulterius sævire pergerent, nihil Apostolo indignum ab eo factum esset; hoc enim fine eum quasi mortuum circumsteterunt discipuli, non solum ut ipsi testes essent divinæ erga Apostolum providentiæ, sed etiam ut inimicorum recenti adhuc furore bacchantium arcerent adspectum. Quale est quod refertur de homine qui ursum metuens spiritum compressit, ne ab urso anhelitum ejus deprehendente occideretur. 8. Simulatio *Joshuæ* fugientis ab habitatoribus civitatis *Ai*, Josh. 8. qualis etiam simulatio erat postea Israëlitarum, bellantium contra Benjamitas. Judic. 20. Denique proposuimus exemplum προσποιήσεως in ipso Christo, qui Mariam Magdalenam in horto flentem alloquutus est quasi alienus, dicens ei, *Mulier quid fles*? Sequi ei conspiciendum eo habitu præbuit, ut ab ea putaretur esse hortulanus. Sic paulatim præparans Mariæ animum ad accipiendam succedentem consolationem, qua eam consolatus est, dicens, *Maria*, ita ut ab ea facilè agnosceretur. Joan. 20. 15, 16. Item, ambulans cum Cleopa & altero illo discipulo, quorum oculi tenebantur ne eum agnoscerent, quum appropinquassent vico in quem proficiscebantur, ipse Jesus fingebat se longius [seu ulterius] ire, προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι, Luc. 24: 28. Quam προσποίησιν *simulationem* possumus simpliciter intelligere: neque enim erat simulatio mala, sed licita & bona, ut in discipulorum animis majorem excitaret ardorem retinendi eum, & forte ut eorum profectum & zelum exploraret. Carebat autem omnibus conditionibus simulationem deformantibus. Neque assertivè dixit, sibi ad alium aliquem ulteriorem vicum aut oppidum iter esse, sed id fecit quod initio faceret aliquis cui esset iter longius, aliquanto enim progrediebatur, aut illis valedicebat, aut simile aliquid in eo factorum ordine quæ non sunt de se enuneiativa, uti diximus, ideoque fieri possunt sine mendacio aut peccato, quamvis ita fiant, ut ex eis alii colligant id quod non est. Nonnulli ad figurativam utriusque hujus simulationis expositionem confugiunt: sed non est necesse relinquere expositionem simplicem ac literalem: Nam, *exponi sensu bene simplice posse videtur.* Sicut & illa cunctatio & difficultas erga Syram illam mulierem, cujus filia à dæmonio vexabatur, Matth. 15. & Marc. 7. Nihil enim falsi dixit, sed opitulationem distulit, ut mulieris fides pateceret, & in orando constantia, quomodo sæpe Deus agit cum suis. Quod autem dixit, se non esse missum nisi ad oves perditas domus Israël, verum est; nam nisi abjecta gentili superstitione, adoremus Deum Israëlis, nullam habemus partem in Christo.

XII. Subjiciam nunc dissertatiunculam Scoti, de simulatione, haud inutilem, quam scripsit in 3. sent. dist. 38. Num. 16. & 17.

De simulatione (inquit) dico, quod aliquis potest simulare multipliciter. Uno modo per aliqua signa probabilia, ostendendo se habere aliqua bona quæ non habet; ut per genuflexiones & orationes potest ostendere devotionem sibi inesse, quæ non inest: & talis simulatio est hypocrisis, & est peccatum. Alio modo potest aliquis simulare mala non inesse sibi; & hoc dupliciter: vel ostendendo signa opposita illis malis; vel non ostendendo signa quæ communiter consueverunt sequi mala illa. Primum istorum videtur pertinere ad hypocrisin, puta si aliquis luxuriosus audiens loqui de mulieribus, spuat, in signum castitatis, ostendens se habere oppositum in corde. Secundum non est aliquod malum, immò si qua potest esse laus in malo, est laudabile: quia vituperabile est prædicare peccatum proprium, eo modo quo dicitur de quibusdam: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Etsi enim malum sit esse malum interius in corde; addere tamen malum signum exterius, est addere malum malo. In indifferentibus autem potest aliquis facere aliqua facta, quæ ex natura sua sint signa alicujus, sicut sudare ex natura rei est signum fatigationis, vel alicujus resolutionis corporalis: & aliqua quæ ex natura rei non sunt signa, sed scit ea concipi à circumstantibus tanquam signa; sicut spumare ita ut saliva decurrat per barbam, ex natura sua non est signum insanæ mentis; tamen potest aliquis scire illud judicari à circumstantibus tanquam signum

Tertia ista non tam simulatio est, quam dissimulatio.

Esai. 3: 9.

furiæ, puta quia talia consueverunt esse signa furiosorum in terra illa. Universaliter ergò de prima & secunda simulatione dico, quod sint peccata, & frequenter mortalia, quia hypocrisis. Simulatio tertia, dummodo aliud malum non concomitetur, est laudabilis, ita quod homo non ostendat unum malum per aliud malum. In indifferentibus simulatio prima in aliquibus licet esset forte mala, non tamen graviter, puta si quis posset se facere sudare sine labore prævio; sicut quidam joculatores utuntur suis corporibus ad aliquos motus significantes aliquas dispositiones; quæ non insunt eis nec præcesserunt. Simulatio quinta, quæ est secunda in indifferentibus, nullum peccatum est; & talis fuit simulatio David. &c. Hæc Scotus.

De insidiis.

XIII. *Moribus aut factis non falles insidiosis:*
At justo in bello licitè fas insidiari.
Probationem illius partis regulæ, in qua prohibentur insidiæ, invenies supra, cap. 3. in Exegesi reg. 8. & reg. 9.
Decipies nullum, non assentaberis ulli.
Qui blanditur amico suo, rete expandit ante gressus ejus, Proverb. 29: 5. Qui per insidias occidisset hominem, adjudicabatur morti sine ulla spe veniæ. Num. 35: 20, 21. Deuter. 19: 11, 12, 13. Maledictus qui percusserit proximum suum absconditè; & dicet universus populus, Amen. Deuter. 27: 24.
XIV. De licitis autem insidiis dicitur,
At justo in bello licitè fas insidiari.
Sic Joshua jussu Dei posuit insidias civitati *Ai*, Josh. 8. sic Israëlitæ posuerunt insidias contra Benjamitas, Judic. 20. Cum enim justum bellum susceperis, utrum aperta pugna, an insidiis vincas, nihil ad justitiam interest. uti rectè monuit *Augustinus* quæst. 10. super lib. Joshuæ. Duæ autem hîc conditiones observandæ sunt. Prior conditio est, ut sit *justum bellum*. 2. Ut sint licitæ insidiæ. Justum autem bellum, ut nunc occurrit, triplex est: nempe, vel hostile, quo quæritur læsio aut eversio ejus contra quem bellum geritur; ut fit in militia hostili: vel officiosum, quo bonum sive proprium sive alterius intenditur: vel denique ludicrum, quo certant ludentes. In istorum generum quolibet licet insidiari. De bello pernicioso allata sunt Sacræ Scripturæ testimonia. In bello autem officioso licet insidiari; sive propriam tuam intendas incolumitatem, dum scilicet vigilas & furi advenienti aut latroni irruere paranti struis insidias, quibus irretitus teneatur, & à destinato facinore impediatur; sive alterius quæras bonum, gerendo bellum adversus ejus vitia, ut si pater aliquis filium ad lupanar euntem deprehendat per insidias, hoc fine positas, ut filii monendi aptior sit locus, filiusque deprehensus in rectam viam morum faciliùs reduci possit. In bello etiam ludicro fas insidiari, nempe si ludus sit licitus, ejusque ea sit ratio, ut admittat stratagemata ludiera, quæ tamen procul esse debent ab omni mendacio, & violatione ipsarum etiam legum ludendi; uti patebit ex secunda conditione.
XV. Secunda conditio est, ut sint *licitæ insidiæ*. Nam etiamsi justum sit bellum, non tamen fas est in eo uti quibuscunque insidiis. Sunt & leges bellorum, quas violare nefas est. Quamvis enim hosti insidiari possis aliquo honesto stratagemate, non tamen licitum est tibi submittere sicarium, aut veneficum, qui sub specie amicitiæ hosti tuo vitam adimat. Quod autem ab *Ehud* factum legimus, Judic. 3. extraordinarium erat, nec est trahendum in exemplum. Neque licet fidem hosti datam frangere, neque fas hosti insidiari opitulante mendacio. Et omnino omnis insidiatio, quæ vel hypocritica, vel fœdifraga, vel mendax sit, vitiosa est prorsusque illicita. Sextus Aurelius Victor, lib. de viris illustribus urbis Romæ, in Fabricio, hanc narrat historiam; Cum vicina castra ipse, [*Fabricius*] & Rex [*Pyrrhus*] haberent, medicus Pyrrhi nocte ad eum venit, promittens se Pyrrhum veneno occisurum, si sibi quidquam pollicitaretur: quem Fabricius vinctum reduci jussit ad dominum, Pyrrhoque dici, quæ contra caput ejus medicus spopondisset. Tum Rex admiratus eum, dixisse fertur; Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam Sol à suo cursu averti possit. Hæc ibi.

CAPUT X.

De historica relatione; de parabolis, typis, tropis, & figuris, de disputatione, & examine; de conditione.

I. Regula, quæ est de historica relatione.

Sermonem repetit verax aut gesta recenset
Ordine diverso, & verbis non semper eisdem.
Immo aliena manens referes mendacia verax.
II. Regula, quæ est de parabolis, typis, tropis, & figuris.
Defendunt etiam insontes à crimine falsi
Quatuor hæc, ænigma, typus, tropus, atque figura.
III. Regula, quæ est de disputatione & examine.
Fas argumenti causa proponere falsum,
Verum indagando, vel ut exploratio fiat.
Injectum at solves dubium, rixamque cavebis.
Sic legem haud violas prohibentem dicere falsum.
IV. Regula, quæ est de conditione sive oratione conditionata.
Conditio effatum præstabit idonea verum.
Plurima simpliciter quæ possent vana videri,
Conditio facit ut constent promissa, minæque.

Exegesis in primam regulam.

I. *Sermonem repetit* &c.) Prior hæc est pars regulæ, comprehensa duobus versiculis: plurima ejus extant exempla in Scripturis sacris. Dixerat Sarah, posteaquam senui, erit mihi voluptas? præterea Dominus meus senuit. Deus autem repetens ejus sermonem, ait: Ut quid risit Sarah, dicendo, numquid etiam verè pariam, & ego senui? Genes. 18: 12, 13. Servus etiam ille Abrahami qui missus est ad accipiendum uxorem Isaaco, dum fideliter repetit verba Abrahami, & quid ipse ac Rebecca ad fontem dixerint ac fecerint, varietate quadam utitur verborum, servata veritate sententiæ Genes. 24. Sic etiam Cornelius, repetens verba Angeli, Act. 10. & Petrus repetens verba in visione cœlitus ad eum delata, & verba etiam Angelo ad Cornelium facta, Act. 11. Item Lucas ac Paulus quâ verbis diversis visionem illam referunt qua conversus est Paulus in itinere. Act. 9. & cap. 22. & cap. 26. Evangelistæ in referendis eis quæ à Joanne Baptista, & quæ à Domino dicta ac facta sunt, nec eundem ubique ser-

ſervant ordinem, nec verbis eiſdem ubique utuntur. Nullus tamen eorum aberrat à veritate ſententiæ, quæ ſola neceſſaria erat cognoſcendæ veritati, quibuſcunque explicetur verbis. uti recte monet *Auguſtinus*, lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 12. Quod enim unius alium verborum ordinem tenet, (inquit *Auguſtinus*) non eſt utique contrarium. Neque illud contrarium eſt, ſi alius dicit, quod alius prætermittit. Ut enim quiſque meminerat, & ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius, eandem tamen explicare ſententiam, ita eos explicaſſe manifeſtum eſt. Et in hoc ſatis apparet, quod ad rem maximè pertinet, quoniam veritas Evangelii, verbo Dei, quod ſupra omnem creaturam æternum atque incommutabile permanet, per creaturam temporalibus ſignis & linguis hominum diſpenſato, ſummum culmen authoritatis obtinuit, non nos debere arbitrari mentiri quenquam, ſi pluribus rem quam audierunt vel viderunt reminiſcentibus, non eodem modo atque eiſdem verbis, eadem tamen res fuerit explicata: ut ſive mutetur ordo verborum; ſive alia pro aliis, quæ tamen idem valeant, verba proferantur; ſive aliquid vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex aliis quæ dicuntur, poſſit intelligi, minus dicatur; ſive aliorum quæ magis dicere ſtatuit narrandorum gratia, ut congruus temporis modus ſufficiat, aliquid ſibi non totum explicandum, ſed ex parte tangendum quiſque ſuſcipiat; ſive ad illuminandam declarandamque ſententiam, nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat, cui authoritas narrandi conceſſa eſt, ſive rem bene tenens non aſſequatur, quamvis id conetur, memoriter etiam verba quæ audivit ad integrum enunciare. Quiſquis autem dicit, Evangeliſtis certè per Spiritus Sancti potentiam id debuiſſe concedi, ut nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero diſcreparent; non intelligit, quanto amplius Evangeliſtarum excellit authoritas, tanto magis per eos fuiſſe firmandam cæterorum hominum vera loquentium ſecuritatem: ut pluribus eandem rem forte narrantibus, nullo modo quiſquam eorum de mendacio rectè arguatur, ſi ab altero ita diſcrepaverit, ut poſſit etiam Evangeliſtarum exemplo præcedente defendi. Cum enim fas non ſit Evangeliſtarum aliquem mentitum fuiſſe vel exiſtimare vel dicere, ſic apparebit nec eum fuiſſe mentitum, cui recordanti tale aliquid acciderit quale illis accidiſſe monſtratur. Et quanto magis ad mores optimos pertinet cavere mendacium, tanto magis tam eminenti autoritate regi debeamus, ne putaremus eſſe mendacia cum ſic inter ſe variare aliquorum narrationes inveniremus, ut inter Evangeliſtas variatæ ſunt. Simul etiam, quod ad doctrinam fidelem maximè pertinet, intelligeremus, non tam verborum quam rerum quærendam eſſe veritatem, quando eos qui non eadem locutione utuntur, cum rebus ſententiiſque non diſcrepant, in eadem veritate conſtitiſſe approbamus. Hæc ibi *Auguſtinus*.

II. *Immo aliena manens referes mendacia verax.*] Hæc eſt poſterior regulæ pars, quæ per ſe ſatis manifeſta eſt, nam ipſe Spiritus veritatis per ſuos amanuenſes in ſacris ſcripturis, veraciter refert mendacia diaboli, & hominum qui mentiti ſunt. Neque mentitur, qui ait aliquem dixiſſe quod certò ſcit illum dixiſſe, ſive alter ille verum dixerit, ſive mentitus ſit.

In ſecundam regulam, quæ eſt de parabolis, typis, tropis & figuris.

III. *Defendunt etiam* &c.] Ænigma (inquit *Aug.* lib. 15. de Trin. cap. 9.) eſt obſcura allegoria, ſicuti eſt, *ſanguiſugæ erant duæ filiæ*. Prov. 30: 15. Allegoria autem eſt tropus ubi aliud ex alio intelligitur, Hæc *Aug.* In ſacris autem literis משל παραβολὴ, ſive παροιμία, & חידה αἴνιγμα, licet aliquam habere videantur inter ſe differentiam, de eadem tamen docendi ratione dicuntur, & ſignificant occultiorem docendi modum, qui opponitur apertiori ac nudiori doctrinæ. Pſal. 78: 2. -- Matth. 13. 35. & ibid. verſ. 10: 11, 12, 13. &c. Prov. 1:6. Joan. 16: 25, 29. 1 Corinth. 13: 12. Ideirco nos ænigmatis appellatione omnes etiam parabolas intelligimus; qualis erat illa parabola *Jothami*, de arboribus eligentibus ſibi regem. Judic. 9. & *Nathanis* parabola, de divite qui vicini pauperis agnam abſtulit & hoſpiti ſuo eam paravit, 2 Sam. 12. & plurimæ illæ parabolæ à Domino noſtro Jeſu Chriſto uſurpatæ, de ſatore, de zizaniis, de grano ſinapi, de rege qui fecit epulum in filii ſui nuptiis, de mercenariis ac denario, de filio prodigo, &c. quarum omnium vera eſt ſignificatio, ſi ad illa referantur propter quæ ipſæ parabolæ ſunt adinventæ & uſurpatæ. Quamvis enim, ſi res eas quæ verbis talibus immediatè & propriè ſignificantur reſpicias, ficta ſit narratio; ſi tamen eas res intueraris propter quas parabolicè ſignificandas aſſumuntur parabolæ, vera eſt ſignificatio. Quo argumento etiam *Auguſtinus* oſtendit fabulas Æſopicas & ſimiles apologos non eſſe mendacia. Qualis illa moralis fabula *Menenii Agrippæ* ad plebem Romanam in monte ſacro. Quales etiam multæ poëtarum fabulæ de Invidia, de Mida, de Phaëtonte, de Tantalo, & ſimiles quæ contra invidos, avaros, ambitioſos, aliaque hominum vitia propoſitæ ſunt. Non enim mendacia ſunt quæ propter quandam rerum ſignificandarum ſimilitudinem, (inquit *Aug.*) cum geſta non ſint, tanquam geſta narrantur. Unde eſt illa *Luc. 15:*
de duobus unius hominis filiis, majore qui *11. & *
manſit apud Patrem ſuum, & minore qui lon- *ſeqq.*
gius peregrinatus eſt, tam prolixa narratio. In quo genere fingendi, humana etiam facta vel dicta irrationabilibus animantibus & rebus ſenſu carentibus homines addiderunt, ut ejuſmodi fictis narrationibus, ſed veracibus ſignificationibus, quod vellent, commendarius intimarent.
Nec apud autores tantùm ſecularium literarum,
ut apud *Horatium*, mus loquitur muri, & mu- *Hor. ſerm.*
ſtela vulpeculæ, ut per narrationem fictam ad *2 Sat. 6.*
id quod agitur vera ſignificatio referatur: unde *& Ep. lib.*
& *Æſopi* tales fabulas ad eum finem relatas, *1. ep. 7.*
nullus tam ineruditus fuerit, qui putaret appellanda mendacia; ſed in literis quoque ſacris,
ſicut in libro Judicum, ligna ſibi regem requi- *Judic. 9.*
runt, & loquuntur ad oleam, & ad ficum, & ad rubum. Quod utique totum fingitur, ut ad rem quæ intenditur, ficta quidem narratione, non mendaci tamen, ſed veraci ſignificatione veniatur. Hæc *Aug.* lib. contra mendacium, cap. 13. Huc pertinent omnes fictæ ſimilitudines, veracem aliquam ſignificationem reſpicientes, qualis illa apud Horatium, epiſt. lib 1. epiſt. 1.

Quod ſi me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, ſic judiciis fruar iiſdem.
Nec ſequar aut fugiam quos diligit ipſe vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam: quia me veſtigia terrent
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum,
Bellua multorum es capitum.

 IV.

IV. *Typus* hic nobis est res quæ sit imago seu realis quædam figura alterius rei; qui etiam Apostolo ὑποδείγμα dicitur, id est, exemplar. Hebr. 9: 23. & σκιὰ, umbra, Hebr. 10: 1. Sicut *Sara* typus fuit Hierusalem Cœlestis, *Agar* autem terrenæ; & *Sion* mons typus Ecclesiæ liberæ sive Hierusalem Cœlestis, *Sina* autem mons Arabiæ typus fuit Hierusalem terrenæ servientis cum liberis suis. Gal. 4. Et terra Canaan typus fuit patriæ nostræ Cœlestis, Hebr. 4. & cap. 11. vers. 14: 15. & David typus Christi; & regnum Davidis regni Christi: Ideo apud prophetas appellatione Davidis, intelligitur Christus, Jerem. 30: 9. Ezech. 34. 23, 24. Hos. 3: 5. eique promittitur thronus Davidis super domum Israël. Jerem. 33: 17. Luc. 1: 32. 33. Unde dicta illa, quibus Deus promittit se habitaturum in monte Sion in sæculum, & nunquam defuturum regem qui sedeat in throno Davidis regens Israëlem Dei, imo ipsum Davidem regnaturum, terramque Cananitida semper possessuros esse Israëlitas; & similia, non de typis ipsis, sed de rebus per typos illos significatis accipienda sunt; neque literaliter, sed typicè vera sunt.

V. De *Tropis* & *figuris* manifestum est, eis non falsam, sed ornatiorem reddi orationem, ut Psal. 93. Dominus induit gloriam & fortitudinem, —— elevaverunt flumina vocem suam. Et similia in Psalmis aliisque Scripturis passim. Ubi multa de Deo κατ' ἀνθρωποπάθειαν dicuntur, & creaturis etiam sensu carentibus multa metaphoricè tribuuntur. Huc pertinet & prosopopœïa illa, *Edamus, bibamus, cras enim moriemur.* 1 Corinth. 15: 32. cui etiam hypothesis subest. Talia multa dicuntur per prosopopœïam in libro illo Salomonis qui Ecclesiastes inscribitur. Huc pertinent & illæ ironiæ, *En homo factus est quasi unus ex nobis.* Genes. 3: 22. *Haud dubiè vos estis populus, & vobiscum moritura est sapientia.* Job. 12: 2. vide etiam Job. 26: 2, 3. & ironica illa permissio, *Venite Bethelem, & prævaricamini in Gilgal, multiplicate prævaricationem, & afferte mane sacrificia vestra, post tres annos decimas vestras: Et adolete de fermento laudem & indicite oblationes voluntarias, proclamate, quia sic vultis filii Israël; dixit Dominus Jehovah.* Amos, 4: 4, 5. & concessio illa ironica Jobi, *Sed esto sane, erraverim, mecum moretur error meus*, Job. 19: 4. & Apostoli Pauli, *Quod dico, non dico secundum Dominum, sed ut per insipientiam.* 2 Cor. 11: 17. *Libenter enim toleratis insipientes, cum sitis sapientes*, vers. 19. *In quo quis audet (per insipientiam loquor) audeo & ego*, vers. 21. Hoc partim concessione ironica loquitur Apostolus, partim etiam hypotheticè absque ironia; sicut ipse exponit, dicens, *Gloriari certè non expedit mihi, veniam enim ad visiones, & revelationes Domini*, cap. 12: 1. *Fui insipiens in gloriando, vos me coëgistis: Nam ego debueram à vobis commendari*, vers. 11. & supra, *Rursum dico* (inquit) *ne quis me putet insipientem, alioquin etiam ut insipientem accipite me, ut paululum quiddam & ego glorier.* 2 Cor. 11: 16. Nam simpliciter alienum esse innuit à sapiente ultro gloriari, ubi nulla postulat ratio; hoc tamen casu negat se insipientem esse gloriando, licet id ironica quadam concessione admittere videatur. Huc pertinet illa ab *Augustino* etiam tropica dicta loquutio, quæ appellatur *antiphrasis*, ut dicatur abundare quod non est; dicatur dulce quod acidum est, lucus quod non luceat, parcæ quod non parcant. Unde illud est in Scripturis sanctis, si non in faciem benedixerit tibi, quod Diabolus ait Domino de sancto *Job*, & intelligitur, *maledixerit*, quo verbo & Nabothi factum crimen à calumniantibus nominatum est. Dictum est enim, quod *benedixerit* regi, hoc est *maledixerit*. Hæc de antiphrasi *Augustinus*, lib. contra mend. cap. 10. Huc pertinet metonymiæ illæ sacramentales, per quas sacramenta plerunque ipsarum rerum, quarum sacramenta sunt, nomina accipiunt, unde secundùm quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi dicitur & est, & sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, uti rectè monuit *Augustinus*, epist. 23. Huc referendus est ille metaschematismus, de quo legimus apud Apostolum Paulum. 1 Cor. 4: 6. Hæc autem, fratres, per figuram transtuli [μετεσχημάτισα] in meipsum & in Apollo; ut in nobis disceretis, supra id quod scriptum est non sentire, ut ne alius pro alio inflemini adversus alium. Quis enim te discernit? &c. Audierat Apostolus, lites & factiones esse in Ecclesia Corinthiaca, dum in partes scissi diversorum se magistrorum disciplinæ addictos profiterentur: horum magistrorum nominibus parcens Apostolus, ponit pro eis suum nomen & nomina Apollo & Cephæ, unde fortius exstitit argumentum; & his gradibus ad generalem propositionem ascendit, concluditque in nullius magistri, nisi in solius Christi nomine gloriandum, neque debere eos inflari adversus alios propter aliquem doctorem qui inter ipsos esset aut esse posset; sed dandam esse operam, ut unanimiter studeant proficere in vera sapientia ac pietate. Huc pertinet illa ἑτέρωσις numeri, qua usus videtur Matthæus, scribens latrones qui cum Christo crucifixi erant, conviciatos fuisse Christo. Matth. 26: 44. cùm unum ex eis Christo conviciatum esse legamus in Evangelio Lucæ, cap. 23. vers. 39: 40. Item synecdochicæ illæ loquutiones, *Erit filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.* Matth. 12: 40. quum tamen ante peractas quadraginta horas Christus è sepulchro resurrexerit. Et Paulus videtur duodecim ponere Synecdochicè pro undecim, 1 Cor. 15: 5.

Job. 1: 11. & cap. 2. vers. 5.

1 Reg. 21: 10. 13.

VI. Huc pertinent & illæ hyperbolicæ loquutiones, ad veram rei magnitudinem figurativè significandam apposite usurpatæ. In tempestate maris ascendunt usque ad Cœlum, descendunt usque ad voragines. Psal. 107: 26. & de Behemoth dicitur: En rapiet fluvium, & non festinabit, confidit quod educet Jordanem in os suum, Job. 40: 23. & Judæ filio suo benedicens Jacob patriarcha, Lavit, inquit, in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum operimentum suum. Genes. 49: 11. Sunt autem & alia multa (inquit *Joannes*) quæ fecit Jesus, quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos qui scriberentur libros. Joan. 21: 25. Hyperbolæ autem scripturarum perspicuæ sunt, nihil habentes periculi, at manifestam significationis utilemque emphasin. Huc referri possunt & loquutiones illæ quæ absolutè quidem intellectæ hyperbolicæ videntur, comparativè autem vel secundùm quid accipi debent; quales sunt. Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis, Matth. 5: 22. nempe qui convitii ac contumeliæ causa fratrem appellaverit fatuum. Alioqui Christus severè ac prudenter reprehendens Pharisæos illos appellat fatuos: Fatui, inquit, & cæci, μωροὶ καὶ τυφλοὶ, Matth. 23: 17, 19. & discipulos suos vocat ἀνοήτους intelligentia destitutos, Luc. 24: 25. & Apostolus homini, contra

tra fidem resurrectionis disputanti respondens, vocat eum ἄφρονα insipientem. 1 Cor. 15. 36. & ad Galatas scribens, ait eis, ὦ ἀνόητοι Γαλάται. ô insipientes Galatæ, Gal. 3. 1. Hujus ordinis sunt alia eodem quinto capite Matthæi, de eruendo oculo, & amputanda manu offendente; & de obvertenda altera maxilla percutienti; de dimittenda tunica rapienti pallium, & ut eamus duo miliaria cum eo qui nos angariare velit ad miliare unum; & in genere, ut non resistamus malo. Item, ut non juremus omnino. Quæ omnia partim metaphoticè, partim hypotheticè aut comparativè, partim secundum quid, & cum quadam restrictione accipienda sunt, non autem absolutè ut verba propriè & immediatè sonant. Huc pertinent & illa quæ dicuntur probabiliter secundum judicium charitatis, ut: *Agrippa credis prophetis? scio te credere.* Act. 26: 28. Talibus autem semper subest tacita hypothesis, uti alias docuimus. Huc etiam pertinent adagia & dicta proverbialia, quale est illud, Comedetis carnem *donec egrediatur è naribus vestris.* Num. 11. 20. *Adversus stimulos calcitra.* Act. 9: 5. & apud alios scriptores frequenter; ut umbram suam metuere: Eudymionis somnum dormire: statua taciturniorem esse: dignum patella operculum. &c.

VII. Præterea ad hanc regulam de parabolis, typis, tropis, & figuris, referendæ sunt omnes illæ etiam parabolæ, quæ non tam similitudine constant, quam narratione parabolica, in ipsa re, quam intendimus, per modum historiæ, prudenter, non fallaciter conficta, ad rei veritatem suavius ac utilius declarandam. Qualis est historica illa parabola de epulone & Lazaro. Luc. 16.

VIII. Denique huc pertinent omnes fictiones doctrinales, qualis jam memorata narratio de epulone & Lazaro; & qualis illa parabola de rege faciente nuptias filio, Matth. 22. & Luc. 14. omnesque amplificationes & exornationes ab oratoribus aut poëtis veraci significatione, prudenter, non fallaciter confictæ; quas autores non enunciant assertivè, tanquam in proprietate ac nuda verborum simplicitate veras, sed eas prudenter ac veraciter adhibent ad oratoriam vel poëticam illustrationem & commendationem, clarioremque enucleationem alicujus veri. Quæ omnes sive doctrinales sive oratoriæ aut poëticæ fictiones tutæ sunt à mendacio, per significationem veracem quàm partim parabolicè, partim hypotheticè important; nam pleræque ad parabolas vel similitudinarias vel historicas reduci possunt; & multæ ex eis etiam hypothesin non obscurè continent. Exempla reperire est in ipsis sacris literis. In parabolica illa narratione de divite & Lazaro, dicitur, quod dives in cruciatibus existens conspexerit Lazarum in sinu Abrahæ requiescentem, & quod sequutum sit colloquium inter epulonem & Abrahamum, ejusque colloquii summa subjungitur in textu Lucæ. Quæ omnia doctrinaliter & parabolicè conficta sunt, ad efficacius commendandam & vehementiùs animis nostris imprimendam hanc veritatem, quod unica salutis via doctrinalis sit verbum Dei per Mosen & prophetas, posteaque per Christum ejusque discipulos dispensatum; hoc quisquis in hac vita neglexerit, cruciabitur in æternum, neque est ullus reditus aut redemptio ex inferno; qui autem verbo divino hîc obsequutus fuerit, habebit in vita futura æternum gaudium. Neque est quod quisquam verbi Dei contemptor expectet novas revelationes; neque eis etiam crederet qui scripturis non credit. Hanc veritatem magis ad vivum quodammodo & familiarius nobis in hac mortali carne adhuc commorantibus ante oculos ponit, acrius animos nostros extimulat, memoriamque magis excitat & adjuvat parabolica illa docendi ratio, quam si nudè esset proposita. Neque tamen aut aspectu aut colloquio beatorum pôtiuntur damnati, neque possunt cum beatis notas audire ac reddere voces, si propriè ac nudè rem consideremus. Damnati enim in exterioribus tenebris detenti, non cernunt lucem illam beatorum; & flentes ac dentibus stridentes non audiunt quæ in sede beatorum dicuntur. Non tamen mendax, sed verax est parabolica illa fictio, propter veracem quam ostendi significationem, rationemque docendi veritatem nostræ infirmitati optimè congruentem.

XI. Quamvis enim parabolæ seorsum propositæ, absque adjuncta aut inclusa expositione, obscuritatem habeant, ubi tamen evolutæ fuerint, nihil eis jucundius, nihil omnibus doctis pariter & indoctis magis congruum & familiare, nihil ad docendum & informandos animos aptius, nihil ad persuadendum & commovendos affectus efficacius, nihil memoriæ accommodatius est. Præsertim si sumantur narrationes & similitudines parabolicæ, à rebus vulgo notis, quales sunt quæ à Christo adhibentur. Sunt quæ gratiùs per crystallum aut succinum pelluceant, quam si nuda conspiciantur. Uti de parabolis loquens ait *Erasmus*, in Ratione veræ Theologiæ. *Utilitas parabolarum.*

X. Sæpe in scripturis reperiuntur oratoriæ & poëticæ amplificationes; & exornationes prudenter confictæ, sed veracem importantes significationem; Exempla quædam subjiciam: Dixit *Josua* populo, En lapis iste erit nobis in testimonium, ipse enim audivit omnia verba, Josh. 24: 27. ubi affingitur lapidi auditus; non ut persuaderet *Josua* populo lapides esse auritos, sed ut conspecto lapide meminisse possent fœderis cum Deo icti. *Debora* in suo Epinicio, Judic. 5. exornans poëticè; veraci tamen significatione, suum canticum, ait stellas in tramitibus suis pugnavisse contra *Siseram*; ut ostendat, Deum Cæli adversatum esse *Siseræ*. vers. 20. Deinde, per elegantem prosopopœiam poëticè introducit *Siseræ* matrem, ejusque nobiles fœminas loquentes: Per fenestram respexit, & ululavit mater Siseræ per cancellos, dicens, Cur moratur currus ejus venire? cur tardaverunt pedes quadrigarum ejus? Sapientiores principum ejus responderunt, ipsa quoque seipsam solabatur; Annon invenerunt & dividunt spolia? puella una aut duæ puellæ capiti viri, spolia discolorum ipsi Siseræ &c. vers. 28: 29, 30. Item in libro Job, more poëtico, dicitur impius consumi à primogenito mortis, & adduci ad regem terroris, cap. 18. vers. 13: 14. De morte & terrore loquitur poëticè tanquam de substantiis viventibus, quasi mors generaret filios, & terroris esset rex aliquis: ut ostendat extremam perniciem & horrendam calamitatem quæ impios manet. Et eodem libro, Cælo & terræ tribuuntur actiones humanæ; detegent Cæli iniquitatem ejus, & terra stabit contra eum, cap. 20: 27. & columnis Cæli tribuitur tremor & stupor increpante Domino, cap. 26: 11. ut ostendat Domini potentiam. & cap. 28. auditus & sermo tribuuntur perditioni & morti: Perditio & mors dixerunt: auribus nostris audivimus famam ejus,

ejus, verſ. 22. & cap. 38. Numquid arcturum cum filiis ſuis deduces? verſ. 32. quaſi arcturus eſt Pater filiorum. Et Pſal. 77. verſ. 17. Viderunt te aquæ, Deus viderunt te aquæ, & timuerunt. Et alibi, mare vidit & fugit, Jordan converſus eſt retrorſum, montes ſubſilierunt ſicut arietes, & colles ut agni ovium, Pſal. 114. Hæc ideo ex ſacris literis adferenda videbantur, ne mendacii temere arguamus prudentes oratores, & pios ac verecundos poëtas, ſi aliquando iſtiuſmodi amplificationibus & exornationibusutantur, ad veracem aliquam ſignificationem commendatiùs intimandam.

XI. Obſerva autem omnia ad iſtam regulam pertinentia dici ſolere *figurata*, late accipiendo vocabulum *figuræ*. Unde *Auguſtinus* de myſticis dictis ac factis quæ in veteri Teſtamento commemorantur, loquens, In eis, inquit, libris non ſolùm dicta, ſed etiam facta multa figurata conſcripta ſunt, quia & figuratè geſta ſunt. In figuris autem quod velut mendacium dicitur, bene intellectum verum invenitur. lib. contra mendacium, cap. 12. Idem figuratè ſeu myſticè exponit ſimulationem Chriſti fingentis ſe longius ire, ejuſdem libri cap. 13. *Luc. 24: 28.* Item Davidicam inſaniæ ſimulationem; & quod Joſeph dixit fratribus in Ægypto; & quod Jacob matre fecit autore, ut patrem Iſaacum fallere videretur, & verba etiam Jacobi, dicentis ſe eſſe Eſau primogenitum. Iſta, inquam, omnia *Auguſtinus* interpretatur myſticè: veritus, ſcilicet, ne non conſiſtant cum veritate ſeu veracitate debita, ſi ſimpliciter ad literam accipiantur, lib. contra mendac. cap. 10. Sed de ſimulatione Chriſti, & ſimulatione Joſephi & Davidis docuimus ſupra, *Supra, cap. 9. §. 11.* nullum eſſe incommodum, aut periculum, ſi literaliter & ſimpliciter accipiantur. Si qua tamen ſubeſſe monſtretur ſignificatio myſtica, neque eam repudiamus. De eo autem quod fecit & dixit Jacob, ut decepto Patre benedictionem interciperet, Geneſ. 27. judicium inſtitui poteſt bifariam; Vel enim quæritur, an Jacob peccaverit nec ne, faciendo ac dicendo quod eum feciſſe ac dixiſſe legimus; vel quæritur, de ejus imitatione, an nobis liceat ad mores transferre noſtros id quod fecit dixitque Jacob patriarcha; ſive faciendo dicendoque ille peccaverit, ſive non peccaverit. Ad priorem partem quæſtionis reſponſio disjunctiva eſt; nam ſi ad communem morum legam, quæ & nos obligat, examinentur, ſecreta interim conſideratione myſtica, haud dubiè invenietur id factum eſſe contra legem, adeoque eſſe peccatum; quod & ipſe Jacob in reſponſione ad Matrem non obſcure indicat: Forte, inquit, attrectabit me Pater meus, & ero in oculis ejus ſicut illudens, atque ita addacam ſuper me maledictionem, & non benedictionem. Geneſ. 27: 12. Neque diffitetur *Auguſtinus*, fore mendacium in eo quod fecit ac dixit Jacob, ſi nudè ſine myſterio accipiatur. Sed ſi myſticè accipiamus dictum ac factum, videtur *Jacob* non eſſe mendacii arguendus, ut apparet ex verbis *Rebeccæ*, reſpondentis Jacobo, ſuper me (inquit) ſit maledictio tua fili mi; tantummodo obedi voci meæ. verſ. 13. & ex eventu. Jam ſi quæratur de imitatione ejus quod fecit dixitque Jacob patriarcha; facilis reſponſio eſt; *Vide ſupra, cap. 8. theorem. 10. & lib. 1. cap. 5.* nam cum, ſecreto myſterio, pugnet cum lege communi morum nobis lata, non eſt transferendum in mores noſtros, neque transferri poteſt ſine peccato. Quin & nonnulla reperiuntur, de quibus in patribus illis ſententiam in deteriorem partem non audemus ferre; quæ tamen nobis ſunt prorſus illicita: ut polygamia, &c. Quædam etiam in illis manifeſtè bona erant, quæ tamen imitari nobis non licet; ideo reprehenſi ſunt filii Zebedæi quia præpoſterè imitari volebant Eliam. Luc. 9: 54, 55. Vide elegantem diſſertatiunculam *Auguſtini*, quæ ad hujus ſecundæ regulæ explanationem facit. lib contra mendacium, cap. 10.

In tertiam Regulam.

XII. *Fas argumenti cauſa* &c.] Mentitur qui contra conſcientiam aſſertivè enunciat. Is autem aſſertive enunciat mentiens, qui in propria perſona, ſimpliciter ſine conditione, ac propriè, ſine figura, verum eſſe contendit illud quod ſcit aut putat eſſe falſum. At hiſtoricè narrare alienum mendacium non eſt illud aſſerere in propria perſona. Neque argumentandi vel explorandi cauſa proponens falſum, id aſſertivè enunciat pro vero; ſed tantummodo proponit ac veluti in arenam deducit propoſitionem falſam, exagitandam & refellendam, ſive ut inde veritas clarius eluceſcat, ſive ut aliorum profectus aut integritas exploretur. Propoſitiones autem dialecticæ, per quas argumentamur veritatis indagandæ cauſa vel examinis ergo, non ſunt proprie loquendo enunciationes aſſertivæ, ſed potius interrogationes, uti recte docuit *Ariſtoteles* lib. 1. Topic. cap. 8. Quamvis enim per modum enunciationum & aſſertionum in noſtris argumentationibus proponantur, vim tamen habent interrogationis, & interrogativè intelligi debent. Interrogare autem non eſt aſſerere. Et quando argumentantes inferimus falſam concluſionem, eam non aſſerimus ſimpliciter, ſed cum hac reſtrictione accipienda eſt, veram ſcilicet fore iſtam concluſionem per adverſarium, niſi aliquam ex præmiſſis labefactet.

XIII. Adjecimus autem duas leges diſputantibus obſervandas. 1. *Injectum* ut ſolvant dubium. 2. Ut vitent rixam. Nam qui argumenti cauſa proponit falſum, præſertim in publico, & in rebus alicujus momenti, in quibus errare periculoſum ſit, ſi alter reſponſione idonea deficitur, non debet illum & audientes incertos relinquere: alioqui non tam interrogaſſe, quàm aſſeruiſſe videbatur; nec ſatis tutus erit à mendacio; aut ſaltem erit decipiens & ſcandalizans infirmos animos, quibus ſcrupulum injicit, quem non eximit. Peccat autem qui errare facit cæcum in via pedum, multò magis in via fidei, aut morum: aut in quacunque via, in qua errare damnoſum vel periculoſum eſt: peccat etiam omnis dans ſcandalum. Impium eſt vel defodere talentum noſtrum, vel inutiliter oſtentare, vel cum aliorum detrimento aut periculo eo abuti.

XIV. Diligentiſſimè etiam cavenda eſt rixa. Quod ſi quis videtur contentioſus [Φιλόνεικος] eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei, inquit Apoſtolus. 1 Cor. 11: 16. Nihil per contentionem, aut inanem gloriam, [μηδὲν κατ᾽ ἐρίθειαν, ἢ κενοδοξίαν.] Philip. 2: 3. & alibi idem Apoſtolus deſcribens impios quos manet tribulatio & anguſtia, appellat eos, τοὺς ἐξ ἐριθείας, homines ex contentione. Rom. 2: 8. Commendatur Chriſtianis manſuetudo, [πραότης] Epheſ. 4: 2. & 2 Tim. 2: 24. Tit. 3. 2. Beati mites [οἱ πραεῖς.] Matth. 5: 5. Diſcite à me, quia mitis ſum [ὅτι πρᾶός εἰμι.] inquit Servator noſter, Matth. 11: 29. Cavenda eſt rixa etiam quando proponitur verum, niſi autem rixam caveas proponens falſum, præter vitium contentionis, etiam aſſertor

tor falsi videris, nec servas legem prohibentem dicere falsum.

In quartam regulam sectionis sextæ.

XV. *Conditio effatum* &c.] Sæpe oratio quæ simpliciter intellecta falsa esset, invenitur vera ex conditione, tacitè vel expressè adjuncta. Oratio autem alia est assertoria; alia promissoria, ad quam reducitur & comminatio seu denunciatio mali. In utroque genere locum habet conditio. *Joseph* fratres suos affirmat esse exploratores, non simpliciter, sed hypotheticè, nisi scilicet se probos esse comprobent, adducto illo juniore fratre, quem sibi esse dicebant. Genes. 42: 14, 15. Orationis conditionatæ exemplum est apud Paulum Apostolum, quo utitur ducens adversarios in absurdum; Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus est suscitatus: si autem Christus non resurrexit, inanis igitur est prædicatio nostra, inanis autem est & fides vestra, &c. 1 Corinth. 15: 13, 14. &c. Conditionata promissio est: Si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitaverit à mortuis, servaberis, Rom. 10: 9. Conditionata denunciatio est: Si secundùm carnem vixeritis, futurum est ut moriamini, Rom. 8: 13. Interdum tacita est conditio, certò tamen & evidenter cognita. Veluti quando ex judicio charitatis dicimus aliquem esse probum & pium, subest conditio; si scilicet intus in corde talis sit qualis foris videtur. Deus per Prophetam Esaiam denunciavit Ezechiæ Regi præsentem mortem, Esai. 38: 1. suberat tacita conditio, quam omnes facilè intelligebant; nisi scilicet Deus extraordinariam adferat medicinam: nam morbus in se erat lethalis, & ordinariis remediis immedicabilis: sicut & medicis & rudioribus etiam facile erat animadvertere.

XVI. Per Jeremiam Prophetam Dominus generalem tradit regulam interpretandi suas promissiones & comminationes; *Repente loquar adversus gentem & adversus regnum, ut evellam & confringam & perdam: sin autem convertatur gens ipsa à malo suo, contra quam loquutus sum, pœnitebit me mali, quod cogitaveram facere ei. Repente quoque loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantem; si verò fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitebit me illius boni, quo constitui illi benefacere.* Jerem. 18: 7, 8, 9, 10. Unde hæc conditio facilè intelligitur subesse etiam cis promissionibus ac comminationibus in quibus non exprimitur. Neque iis solùm qui sacras literas didicerunt, sed aliis etiam ex communi quadam notione succurrit ista conditio: unde apud Ethnicos, audita alicujus calamitatis denunciatione, supplicationes indici solitæ: ut apud Græcos, & Romanos, & alios. Ut taceam Ninivitas, quibus fateor opitulatam esse specialem gratiam Dei, ut converterentur; quamvis per communes illas notiones eam haberent animis insidentem de Deitate existimationem, quod esset placabilis, si homines à scelere averterentur, & irritabilis si homines se ingratos præberent. Sic in hominum promissionibus & comminationibus quædam conditiones semper intelliguntur, & cuilibet notæ sunt etiamsi non semper exprimantur, v. g. Veniam ad te cras pransurus, videlicet, si vixero, si per valitudinem potuero, nisi majore vi impeditus fuero, si Deus permiserit; nisi te mortuum esse aut ægrotare, aut alio aliquò negotio avocatum esse intellexero, &c. Et in contractibus matrimonialibus: tibi quoad vivemus præstabo officia maritalia, nempe nisi tu tuo adulterio fœdus hoc ruperis. Et in fœderibus induciarum ac pacis, intelligitur semper hæc conditio, nisi scilicet pars altera prius violaverit fœdus, tunc enim pars reliqua obligatione fœderis exsolvitur. Hujusmodi conditiones communiter omnibus notæ sunt.

XVII. Si autem subintelligas ipse ac reticeas aliquam conditionem quæ non sit communiter cognita, ea pro non adjecta habetur in judicio veritatis, nisi expressè proferatur: v. g. Quamvis non mentiaris dicendo interrogatori, si tu me non interrogas, neque Titius convitiatus est Sempronio: Item, si mortui non resurgunt, Christus non resurrexit: non licet tamen asserere, Titium non esse convitiatum Sempronio, Christum non resurrexisse, suppressa tali conditione: tunc enim non liberat à mendacio. Hoc enim est abuti verbis ad fallaciam, quæ instituta sunt ut per ea in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat. Ut loquitur Augustinus Enchirid. cap. 22.

XVIII. Ad hoc igitur ut oratio, alioqui futura falsa, vera sit per adjectam conditionem, requiritur, ut sit idonea conditio. Idonea autem vel non idonea conditio est, vel ex natura rerum vel ex modo quo adjicitur conditio. Nam etiamsi quis expressè dicat homini Christiano, nisi tu scortatus fueris, nisi te mecum inebriaveris, nisi mea causa pejeres, non es Christianus, non excusatur, neque liber est à mendacio, quia conditio non est idonea, uti patet ex natura rerum: talia enim non facere, & Christianum esse non pugnant, sed bene inter se conveniunt. Conditio etiam quæ non est obvia, neque communiter occurrere potest, si reticeatur, non est idonea. Talium enim conditionum admissio tollit certitudinem humani commercii, atque è societate hominum tollit societatem; neque ullum veriloquii & mendacii relinquit discrimen; & omne veri & falsi judicium labefactat ac penitus aufert. Quid enim magis erit in promptu falsis testibus aut quibuscunque mentientibus, quam obtentus tacitæ conditionis? Qui ore Christum negaverit esse Servatorem Mundi, dicet se non esse mentitum, conditionaliter enim loquutum esse, & mente sua hanc adjecisse conditionem, nempe, si Deus sit mendax. Et sic nulli usui erit nobis regula illa, *Ore confessio fit ad salutem*. Rom. 10: 10. & inanes erunt martyrum passiones. Neque ullæ huic malo remedium adferent distinctiones; qualis est illa, qua dicunt nonnulli, licere ambiguitate per mentalem quandam reservationem fallere, quando injustè interrogaris & respondere cogeris; nam quum tales reservationes mentales non liberant à mendacio, non magis licet fallere per tales reservationes, quando injustè interrogaris & respondere cogeris, quàm licet mentiri: nullo autem casu licet mentiri, uti supra demonstravimus. Ex quibus efficitur, omnium conditionum restrictionumque sermonis assertivi hanc certissimam esse & constantem normam, ut conditio aut restrictio non obvia, nisi expressa sit, pro nulla habeatur.

Vide Instruct. Historico-Teolog. Lib. 3. cap. 20.

CAPUT XI.

De proposito, & promissione, & obiter, de voto.

Propositum voto, promissum distat utroque: Propositum tecum est; aliis promissio, vota Fiunt: nempe hominis promissio, vota Tonanti.
Culpæ exsors à proposito quandoque recedes.
Polliciti servato fidem, nisi jura repugnent.
Justa potest, cui promittis, tibi demere vincla,
Cœli obstet nisi lex, immotaque fœdera firmet.
Prudens promissor sincera mente loquutus
Liber erit, major si vis desistere cogat:
Aut hoc mutatus rerum status exigat. Ipsi
Hosti etiam cunctisque fidem servato prophanis.
Redde Deo pia vota, Deus nisi liberet ipse.
Hanc fixit votis præceptio tertia legem.

Exegesis.

I. *Propositum voto promissum* &c.] Discrimen propositi, & promissi, & voti satis clarum est.

II. *Culpæ exsors à proposito quandoque recedes.*] Nempe ea est humani judicii imbecillitas, & futuri ignorantia, ut sæpe non modo liceat, sed etiam expediat & necesse sit mutare propositum, alioqui haud illicitum. Id fecit David, monente Deo, desistens à proposito ædificandi templum, 2 Samuel. 7. Propositum fuisse videtur Abrahami, ante acceptam revelationem de Isaaco ex Sara nascituro, Ismaëlem instituere hæredem. Et postea nato etiam Isaaco constituerat Abraham retinere & secum educare filium suum Ismaëlem, donec ad virilem ætatem pervehiret, sed monente Deo recessit à proposito. Proponit aliquis nostrum negotiorum causa proficisci Edinburgum, interea incidit propinqui alicujus morbus, aut periculum vitæ, aut nunciatur nobis justitium esse nunc Edinburgi, aut latrones viam obsessam tenere, fas tali aliquo casu mutare propositum. Jam autem si interrogatus quo iret, respondisset se proficisci Edinburgum, non esset mentitus, verè enim respondisset secundùm suum propositum seu intentionem, quamvis nesciret eventum. Neque transit vera hæc ejus oratio in mendacium per supervenientem propositi mutationem. Talis enim conditio semper suberat, & facile cogitabatur, notaque erat omnibus. Angeli autem illi, qui Loto invitanti responderunt: *Nequaquam, sed in platea pernoctabimus*: postea tamen vehementius urgente & compellente Loto, ad eum diverterunt, Genes. 19: 2, 3. neque mutarunt propositum, neque mentiti sunt. Nam propositum eorum erat, quod verecundi solent, non cedere primæ cujusquam invitationi, si tamen instantius urgeret Lotus, statuerant ad eum divertere. Priorem partem sui propositi professi sunt, non cedentes primæ invitationi. *Nequaquam*, inquiunt, *sed in platea pernoctabimus*; ac si dicerent, non ibimus propter istam invitationem, sed potius in platea pernoctabimus. Et iste sensus facilè cuilibet occurrebat, sicut & Loto occurrebat; itaque non contentus illa generali abnegatione, cui tacitam illam subesse conditionem facilè cogitabat, acrius institit, tandemque obtinuit. Atque ita posteriorem partem sui propositi ipso facto patefecerunt.

Genes. 19: 2.

III. Dixi autem licere *quandoque* recedere à proposito. Quia tale esse potest propositum, ut ab eo non liceat recedere nisi gravi causa impellente, v. g. proposuisti partem aliquam bonorum reservare in subsidium tuorum, quorum cura tibi de jure divino incumbit; & pium est propositum: nam qui suis, præsertim verò domesticis non prospicit, abnegavit fidem, & infideli deterior est. 1 Timoth. 5: 8. Si tamen vel ipse incidas in manus hostium, vel aliorum Christianorum è barbara servitute redemptio id postulet, bene recedes ab illo proposito, & te vel alios redimes alienatione omnium bonorum. Sin autem nulla gravis ratio intervenerit, non licet tibi recedere à proposito tam pio, tam necessario. Est etiam quoddam genus propositi, à quo nunquam fas est recedere ullo casu: quale erat illud propositum, ad cujus constantiam Antiochenos hortatus est *Barnabas*, ut scilicet proposito cordis [τῇ προθέσει τῆς καρδίας] permanerent in Domino. Actor. 11: 23.

IV. De pollicitationis fide dicitur in regula, quod sit servanda, & quod erga omnes immota esse debeat. Posuimus autem quatuor casus, quibus homo sine perfidia potest non facere quod se facturum promisit. 1. *Si jura repugnent.* Nam quod illicitè promisisti, non ad impletionem, sed pœnitentiam postulat. Neque cumulandum malum malo: sed quod admissum est, est pœnitentia sanandum. Ut si promittas te pejeraturum, occisurum, scortaturum, &c. 2. Quamvis justum sit quod promiseris, *si tamen is cui promisisti te exsolvat*, liber es: ut si creditor debitori summam condonet, non tenetur debitor numerare ei pecuniam, quam se numeraturum promiserat. Sic sponsalia contracta per verba de futuro, mutuo contrahentium consensu licitè dissolvuntur. Additur tamen exceptio, *Cœli obstet nisi lex, immotaque fœdera firmet*. Ut in conjugio: neque enim licet uni conjugum usuram corporis sui in diversa distrahere, quamvis consentiente conjuge. 3. *Si vis major impediat*; ut si quis pollicitus, se cum pecunia venturum Aberdoniam, ad certum diem, interea incidat in gravem morbum, vel in latrones, & ab eis vel captivus detineatur, vel pecunia omni exspoliatus fuerit. Hæc vis major est: neque per promissorem stat, quo minus promissa adimpleat. 4. *Aut hoc mutatus rerum status exigat*; si nempe ita sit mutatus rerum status, ut postulet non fieri abs te quod te facturum promiseris. promisisti enim intuitu alicujus status, & promissioni tuæ semper suberat hæc conditio, omnibus obvia, quam & communis ratio dictat, ut tali aliquo statu interveniente non amplius maneas obligatus. v. g. constituerat *Paulus* Apostolus venire Corinthum, & spem fecisse videtur Corinthiis sui adventus; distulit tamen, propter mutatum rerum statum in Ecclesia Corinthiaca; ille enim proposuerat venire ad eos cum gaudio, tanquam ad eam Ecclesiam, cujus ipse esset gloriatio in Domino, & quæ ipsius esset gloriatio; interea audivit, res illic perperam geri, omniaque in pejus ruere & retro sublapsa referri; maluit hine malo absens medicinam facere per epistolam, ut rebus reformatis ipse postea gratulabundus accederet: sic parcens Corinthiis, ne ab ipso Apostolo in tanta confusione deprehensi vehementius confunderentur, acriorésque reprehensiones ac censuras ipso præsente Apostolo perferre, cum pu-

De servanda promissione.

pudore ac mœrore, cogerentur. Et hanc suæ moræ causam esse docet per epistolam. 2 Corinth. 1. & 2. quam & quilibet æquus rerum æstimator facile per se cogitare poterat, etiam tacente Apostolo. Sic si amico promittas, te venturum ad prandium, si interim intellexeris, amicum illum tuum, aut ejus uxorem, correptam esse febri, ita ut de apparando prandio non cogitarint, aut venisse ad eum alios inopinatos hospites, adeo ut adventu tuo magis sis oneri quam voluptati futurus, licet tibi non ire: tales enim exceptiones exigunt, ut non venias petiturus prandium ab amico: & cuilibet sunt obviæ. Item si deponenti apud te gladium, promittas te redditurum quandocunque repetiverit; interea autem furore corripiatur, & postulet reddi sibi gladium, eo abusurus ad sui ipsius vel alterius necem; exigit mutatus rerum status ut non reddas. Non tamen quælibet status mutatio exigit aut permittit ut facere cuncteris aut omittas quod te facturum promisisti. Quamvis enim post contractum æs alienum magna sustinueris dispendia, ita ut pene ad mendicitatem redigendus sis, si debitum persolvas, non ideo licet tibi alienis incubare pecuniis, invito creditore. Et quamvis dum pacem aut inducias cum hoste pacisecereris, exiguæ fuerint tuæ vires, & validus fuerit hostis, posteaque vice versa vires alterius imminuantur, & tuæ augescant, non licet tibi propterea pacis aut induciarum fœdus violare. Et multi hujusmodi casus recenseri possent; qui omnes ad hanc communem regulam reduci possunt, ut ea tantum mutatio status censeatur exigere vel admittere dilationem aut non præstationem ejus quod promiseris, quæ omnibus rectè sentientibus nota, & obvia exceptio sit, ipsi promissioni ex communi & communiter cognita æquitatis ac veritatis ratione adhærescens.

Cic. 1. Offic. V. *Fidem vero datam etiam hosti servandam esse* viderunt Ethnici. *David* fidem subjectionis servavit *Saulo* Regi, quamvis injustè eum persequenti. 1 Samuel. 26: 9, 10, 11. *Zedekias* Rex Judæ, propter violationem fœderis, quo se obstrinxerat *Nabuchodonosori* idololatræ, acriter reprehensus est à Deo, regnoque exutus, justo Dei judicio, ut legimus apud *Ezechielem*, cap. 17: 16, 18, 19. *Paulus* Apostolus jubet servos exhibere omnem fidelitatem suis dominis, sive habeant Christianos dominos, sive à fide Christiana alienos. Tit. 2: 9, 10. & 1 Timoth. 6: 1, 2. *Julianus Imperator, quamvis esset Apostata: habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cum diceret; producite aciem pro defensione Respublicæ, obediebant ei. Cum autem diceret eis, producite arma in Christianos, tunc cognoscebant Imperatorem Cœli.* ait *Ambrosius*, apud *Gratianum* 11. quæst. 3. *Julianus*. Ubi author Glossæ, Excommunicatio, inquit, non tollit obligationem qua est vasallus obligatus domino: sed tantum effectum obligationis. Unde domino absoluto, statim tenetur ei obedire. At Juliani milites effectum etiam præstiterunt. Respondet glossator, adhuc tolerabatur ab Ecclesia, ne suscitaretur scandalum adversus Christianos. Imò verò ex debita legi divinæ hanc fidelitatem & subjectionem imperanti obedientia præstabatur. David Saulo Regi à Deo deserto fidem servavit; Christus Dominus noster Cæsari quamvis Ethnico & impuro jussit reddi quæ Cæsaris sunt, Matth. 22: 5. Apostolus Paulus, regnante *Nerone*, sine exceptione jubet Christianos subjici superioribus potestatibus, eo quod sint à Deo, Rom. 13. Et Apostolus Petrus monet ut regi præfectisque ab illo missis nos subjiciamus propter Dominum, 1 Pet. 2: 13, 15. Diligenter verò observandum, quod monet Apostolus Paulus in epistola ad Titum, cap. 3. vers. 1. ubi ait, *Suggere ipsis ut principatibus ac potestatibus subjecti sint, ut obtemperent* [πειθαρχεῖν,] *ut ad omne opus bonum sint parati.* In quibus Apostoli verbis hæc duo notanda sunt. 1. Non tantum habitualem subjectionem, sed etiam actualem obedientiam esse necessariam. 2. Ut subditi obediant ad omne opus bonum, non autem ad opus malum, sicut etiam ex *Ambrosio* jam monebamus. Servis etiam Christianis præcipitur ut dominos suos, quamvis paganos, omni honore dignos ducant, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur. 1 Timoth. 6: 1. Impii igitur & injusti illi Canones Gregorii VII. & Urbani II. Pontificum Romanorum, per quos absolvunt à juramento eos, qui excommunicatis fidelitate aut juramento constricti sunt, eosque prohibent, ne illis fidelitatem observent. Caus. 5. quæst. 6. Can. *Nos sanctorum.* & Can. *Juratos.* Longe aliter *Ambrosius*, quanta, inquit, justitia sit, ex hoc intelligi potest, quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hostibus reservatur: ut si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies prælio, adversus justitiam putetur aut loco prævenire, aut tempore. ——— *Canonum quorundam Papalium iniquitas.*

——— Si ergo in bello justitia valet, quanto magis in pace servanda est. [*Et postea adducto exemplo ex historia illa de Elisæo à Syris obsesso, 2 Reg. 6. hæc subjungit verba*] Liquet igitur, etiam in bello fidem & justitiam servari oportere, nec ullum decorum esse posse, si violetur fides. Hæc *Ambrosius* lib. 1. de officiis, cap. 29.

VI. Detestandum igitur illud Constantiensium Patrum Consilium, quo Sigismundo Imperatori persuaserunt, ut, contra datam fidem salvi conductus, *Johannes Huss* vivicomburio perimeretur, anno Domino 1415. Et super ea re canonem condiderunt, perfide fallacem, & fallaciter perfidum. Prima enim fronte putes homines illos procul absuisse à pestifero dogmate de fide non servanda hæreticis: at si rem ipsam, & quo fine conditus sit Canon ille, & quid inde sequutum sit, propius consideres, videbis immanem perfidiam, quæ toto illo serpentino astu non satis obtegi potest. Imperator *Sigismundus* hortatu Romanensis Cleri, *Johannem Huss* ad Concilium Constantiense pellexit, data ei fide de salvo conductu, & securitate liberè veniendi, commorandi, & redeundi. Posteaquam verò *Johannes Huss*, credens secum bona fide agi, se stitit Constantiæ, boni illi patres primò usi Ecclesiastica inquisitione, ut cognoscerent de ipsius Hussi doctrina, eumque de sententia deducere conati sunt; quo frustra tentato, expediunt censuram Ecclesiasticam, eum hæreseos condemnant, & ab omni ordine sacerdotali & ab aliis ordinibus deponendum & degradandum declarant; data ad degradationis exsequutionem potestate Archiepiscopo Mediolanensi, & Feltrensi, Astensi, Alexandrino, Bagarensi, & Vaurensi Episcopis. Deinde sententiæ suæ sic latæ contra *Hussum*, hanc adjiciunt clausulam; *Hæc*, inquiunt, *Sancta Synodus Constantiensis Johannem Huss, attento quod Ecclesia Dei non habeat ultra quod agere valeat, judicio seculari* *Concilii Constantiensis perfidia.*

Margin notes (left column): *Ezech. cap. 17. versib. 16, 18, 19.* — *Glossa error refutatur.*

relinquere & ipsum curiæ seculari relinquendum fore decernit. Hæc Sess. 6. & Sess. 15. At jam securitas *Husso* præstita erat per diploma Cæsaris, contra omnem metum judicii secularis. Cujus solius metu *Hussus* salvum conductum expetiverat, non detrectans judicium Ecclesiasticum, quod in solis consistit inquisitionibus, dijudicationibus, & sententiis ac censuris Ecclesiasticis: neque ad corporalia supplicia extenditur. Quo fine igitur relinquunt *Hussum* judicio seculari? Nempe, sicut eventus docuit, ut igni ad mortem usque cremandus tradatur. At id per secularem curiam jam facere non potest Imperator, nec permittere ut fiat, cùm fidem dederit in oppositum. Hunc scrupulum ut eximant Imperatori Patres Constantienses, condunt novum Canonem, per quem salvi conductus obligationem interpretantur, & in hoc casu prorsus tollunt, fallaci obtentu inquisitionis & jurisdictionis Ecclesiasticæ, in hæc verba; *Præsens sancta Synodus, ex quovis salvo conductu per Imperatorem, reges & alios seculi principes hæreticis vel de hæresi diffamatis, putantes eosdem sic à suis erroribus revocare, quocunque vinculo se adstrinxerint, concesso, nullum fidei Catholicæ vel jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generari vel impedimentum præstari posse seu debere declarat, quo minus dicto salvo conductu non obstante, liceat judici competenti Ecclesiastico de hujusmodi personarum erroribus inquirere, & aliàs contra eos debitè procedere, eosdemque punire, quantum justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint: etiamsi de salvo conductu confisi, venerint ad locum judicii, alias non venturi: nec sic promittentem, cum alias fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliqua re mansisse obligatum.* Concil. Const. Sess. 19. ubi huic Canoni titulus præscribitur, *Quod non obstantibus salvis conductibus Imperatoris, regum*, &c. *possit per judicem competentem de hæretica pravitate inquiri.* Hæc ibi. Jam iniquisiverant & processerant Ecclesiasticè contra Hussum, eumque reliquerant judicio seculari; profitentes se nihil ultra agere posse per Ecclesiasticam potestatem; neque Husso unquam in mentem venerat petere à *Sigismundo* Imperatore, neque *Sigismundo* unquam in mentem venit dare *Husso* securitatem ab inquisitione & censura Ecclesiastica. Neque ad puniendum supplicio capitali competens fuit judex Ecclesiasticus, vel ipsis testibus Constantiensibus illis patribus, qui fassi jam erant se ultra excommunicationem & degradationem nihil posse agere: sed quod reliquum erat, pertinere ad judicium seculare. Neque fecit Sigismundus ad præstandam fidem datam quod in ipso erat; nam cum ipse esset judex ac princeps secularis, debebat prohibere ac vi seculari impedire, ne Hussus contra fidem salvi conductus corporali supplicio afficeretur. Si igitur ingenuè mentem suam exprimere voluissent, dixissent apertè, quod sine ambage profitetur *Simancha* Hispanus Episcopus, cujus à *Jacobo Cappello*, contra Rosweidum, citantur hæc verba; *Ad pœnam quoque* [inquit] *pertinet & odium hæreticorum, quod fides illis data servanda non sit.* Hæc *Simancha*, Instit. Cathol. tit. 46. §. 52. citante *Cappello*, lib. de artibus Romanæ sedis, cap. 13. Eam ipsam autem fuisse mentem patrum illorum Constantiensium, patet ex eis quæ jam dicta sunt, utcumque rimulas circumspectent per quas elaberentur.

VII. Sed audiamus lepidam quandam responsionem *Rosweidi* Jesuitæ apud *Cappellum*, cap. 6. illius libri; Legibus, inquit, obsequutus Imperator, quibus fidei suæ literis non derogaverat, ignibus hominem tradidit, nulla fidei suæ injuria. Hæc *Rosweidus.* Cui respondens rursum *Capellus*: Blasphemos, inquit, & idololatras capitis damnant leges divinæ. Quod etiam hæreticos flammis addixerunt quidam principes, fecerunt id leges humanæ, quibus *Sigismundus* derogavit, cum omnem securitatem *Husso* pollicitus est, nisi diploma suum instar muscipulæ voluit esse. Ad hanc *Capelli* responsionem, insuper adjicimus hanc interrogationem, qua quærimus à defensoribus illius perfidiæ, Utrum potuerit sine peccato *Sigismundus* polliceri *Husso* securitatem, nec ne? Si non licuit, idque etiam satis notum erat ipsi *Sigismundo*, & Romanensi clero, ante promissam securitatem, sequitur perjurum fuisse *Sigismundum*, & perjurii participes fuisse ejus consultores; illum dolosè jurando, istos doloso ad pejerandum consilio. Et quamvis non liceat principi Christiano perpetuam dare securitatem notoriis & pestiferis hæreticis; fas tamen hominibus inexploratis, immo quibuscunque, concedere pro tempore salvum conductum, ubi res ita postulat; & datam eis fidem salvi conductus necesse est inviolatam conservare. Postea autem honesta aliqua ratione in ordinem cogendi sunt. Si vero non peccavit Imperator fidem dando, certe peccavit fidem datam violando; neque enim fecit quod in se erat. Et peccarunt illi consulendo perfidiam. Propterea Tridentini quum viderent non immeritò suspectam apud Reformatos esse ipsorum fidem datam, Sess. 13. An. 1551. idque ex recordatione Constantiensis perfidiæ, prolixo verborum habito delectu diligenter adlaborarunt, ut omnem ejusmodi suspicionem amolirentur: & expressè professi sunt, se Concilium Constantiense in hoc non sequuturos. Insuper, inquiunt, omni fraude & dolo exclusis, Sacrosancta Synodus verâ & bonâ fide promittit, ipsam Synodum nullam vel manifestè vel occultè occasionem quæsituram, aut aliqua auctoritate, potentia, jure, vel statuto, privilegio legum, vel canonum, aut quorumcunque Conciliorum, præsertim Constantiensis, & Senensis, quacunque forma verborum expressa, in aliquod hujus fidei publicæ, & plenissimæ assecurationis, ac publicæ, & liberæ audientiæ, ipsis per ipsam Synodum concessæ præjudicium quovis modo usuram, aut quenquam uti permissuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel suis, cujuscunque conditionis aut status, aut præeminentiæ existens, præscriptæ assecurationis & salvi conductus formam & modum in quocunque puncto vel clausula violaverit; quod tamen avertere dignetur omnipotens; & sufficiens emenda non fuerit mox subsequuta, & ipsorum [*protestantium*] arbitrio merito approbanda, & laudanda; habeant ipsam Synodum, & habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas jure divino & humano, aut consuetudine, hujusmodi salvorum conductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione, aut quavis in hac parte contradictione. Hæc Tridentini, sess. 18. die 4. Martii, An. Domino 1562. anno autem illius Synodi, decimoseptimo, postquam jam veritatem iniquissimis præjudiciis palam damnassent, & in omnes ejus assertores anathema pronunciassent. Ideo nimis sera erat, neque æquis conditionibus dabatur jam hæc invitatio.

VIII.

VIII. Editus est liber eruditus Teutonica lingua; anno Dom. 1604. cui titulus est, *Wolmeinende warnung, an alle Christliche Potentaten*, &c. *Sincera ac benevola admonitio, ad omnes Christianos principes & magistratus, contra Papæ & Jesuitarum periculosissimam doctrinam & praxin, ex Papanis & Jesuiticis libris depromta*. In eo libro multa arcana patefiunt, & multa extantur non solum exempla, sed & dogmata perfidiæ & truculentiæ papisticæ; inter alia, de *Hosii* & *Possevini* consilio hæc habentur: *Hosius* Cardinalis Epist. 102. & 202. & 220. *Henricum* Poloniæ regem nullo modo debere fidem datam Evangelicis Polonis servare. Nunquam, ait, patiaris te ulla ratione ad ea, quæ promisisti, præstanda teneri: quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Et hanc admonitionem postea ad regem Poloniæ *Stephanum* repetiit *Antonius Possevinus* Jesuita. Hæc ibi. Lubet hic uti verbis *Augustini*, Sunt, inquit, isti eis docti, qui etiam regulas figant finesque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum? & quid faciemus? quo ibimus? ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria? Hæc *Augustinus*, lib. contra mendacium, cap. 18. Si iniquitas est promittere, cur promittunt? cur non apertè profitentur, neque promittere se posse sine peccato, neque præstare quod promiserint, ut ab eorum imposturis cavere possimus, eorum dictis & juramentis fidem non adhibeamus? Rectius certe *Scotus*, infidelitas, inquit, vel mendacium cujuscunque Christiani in bello contra infidelem, damnatur; licet possit uti aliquibus cautelis belli, quæ per se non repugnant veritati, nec includunt mendacium. Unde infert, excusari non posse *Judithams* à peccato mortali in eo quod mentita fit *Holoferni* hosti. Scot. in 3. sent. dist. 38. num. 15. Nefas est, inquit *Lactantius*, eum qui veritati studeat, in aliqua re esse fallacem, atque ab ipsa quam sequitur veritate discedere. In hac justitiæ virtutumque omnium via, nullus mendacio locus est. Itaque viator ille verus ac justus non dicet illud Lucilianum,

Homini amico ac familiari non est mentiri meum.

sed etiam inimico atque ignoto existimabit non esse mentiri suum. Nec aliquando committet, ut lingua interpres animi, à sensu & cogitatione discordet. Hæc *Lactantius*, divinarum Institutionum lib. 6. qui est de vero cultu, cap. 18.

IX. Patres Toletani in Concilio Toletano decimosexto, Episcoporum 59. anno Dom. 693. cap. 9. Si nuda tantum verbi pollicitatio, qualibet occasione violetur, criminis denotatione censetur, quanto magis si fides, Regibus sub jurisjurandi attestatione promissa, nequaquam profanari pertimescatur; est enim quorundam secularium, & (quod pejus est) sacerdotum improbanda satis obstinatio animorum, ut fidem suis principibus sub juramento promissam observare contemnant, & verborum fuco juramenti obnubilent promissionem; dum in arcano pectoris retentant infidelitatis perversitatem. Et dum scriptum sit, Non adsumes
Exod. 20. 7. nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum, qui adsumserit nomen Domini Dei frustra: Exod. 20.
Levit. 19. 12. Et iterum; Non perjurabis in nomine meo, nec polluès nomen Domini Dei tui; ego Dominus. Rursumque, Maledictus omnis qui jurat in nomine Domini sui mendaciter; illi jurantes fidem promissam temerare non metuunt, & juramenti sui pollicitationem prævaricare nullatenus pertimescunt. Hæc ibi.

De votis autem, eorumque observatione diximus supra, lib. 3. cap. 6.

CAPUT XII.

De ambiguo sermone.

Regul. 1. Quis sermo sit pro ambiguo habendus.

Sermonem ambiguum facit usus significandi;
Non autem fallaci animo quodcunque repostum.

Reg: 2. De vetita ambiguitate sermonis.

Quærentis sine fraude animo responsio quadret;
Ambiguis ne decipias, fuge subdola verba;
Candida simplicitas regat & prudentia linguam.
Peccas ambiguis ludens in religione;
Aut in judicio, aut contractibus, aut ubi juras:
Sive is cui loqueris sit amicus, sive inimicus.
Nec cuiquam ambiguis clarisve injuria fiat.
Nec nostris cuiquam ponantur scandala verbis.

Regul. 3. De licita ambiguitate sermonis.

Quandoque ambiguis fas sensum ducere verbis.
Ad mage clara, haud fallendo, verum erudiendo.
Olim Abraham ambiguo fugit sermone periclum:
Ambiguis insons ludes ubi ludicra res est:
Sic tamen ut legum violetur nulla priorum.

Exegesis.

In primam Regulam.

Sermonem ambiguum &c.] Quidam impostorarum magistri, ajunt reum, vel testem, coram judice si jurare cogatur, quando crimen est omnino occultum, quamvis sit satis certò cognitum juranti, posse dicere, *nescio*, puta, intelligendo intra se, ut dicam tibi: vel, non fieri, intelligendo, nunc, vel quid simile. Et hoc ajunt esse uti æquivocatione, sic enim appellant suam mentiendi ac fallendi artem; quibus meritò resistit *Jacobus Cappellus*, lib. de artibus Romanæ sedis. Et Dominicus Soto lib. 5. De justitia & jure, quæst. 6. art. 2. affirmat, in tali oratione, [non fieri, non scio,] nullam esse æquivocationem, sed esse mendacium. Quem etiam citat Toletus, lib. 5. De instruct. Sacerd. cap. 58. apud *Cappellum*, loco allegato. Scitè *Aristoteles* sex tantum agnoscit elenchorum modos in dictione, nempe homonymiam sive æquivocationem, amphiboliam, compositionem, divisionem, accentum, & figuram dictionis. Quia, scilicet, tot duntaxat modis possumus eisdem nominibus & orationibus significare non idem. Homonymiæ autem & amphiboliæ ponit tres modos. 1. Quando oratio vel nomen propriè multa significat, ut aquila, & canis. 2. Quando ita loqui consuevimus, sive quando ita fert consuetudo loquendi. [Uti in technicis plerisque vocabulis, & inolescentibus adagiis, usu venit.] 3. Quando quæ seorsum simplicem habent significationem, fiunt in conjunctione ambigua; cujus tertii

modi hoc dat exemplum; ut scire literas, τὸ ἐπίςασθαι γράμματα. Nam ista vocabula separatim dicta unicam habent simplicemque significationem; at conjuncta ambigua fiunt, ut significent scientiam literarum vel activam, qua ipsæ literæ sciant, vel objectivam ac passivam, qua literæ sciuntur. Hæc *Aristoteles*, lib. 1. de sophisticis elenchis, cap. 3. & cap. 4. At impostores isti omnia vocabula faciunt ambigua, per quartum quendam ab ipsis excogitatum modum, nempe si mente aliquid subintelligas, quod neque propriè, neque ex loquendi consuetudine, neque per singula, neque per conjuncta vocabula significatur. Sic peribit omnis commercii, omnis judicii, omnis doctrinæ certitudo; & per hanc regulam ne ipse quidem Diabolus convinci poterit mendacii. Quam enim facile est mendacissimo obtendere aliquam tacitam restrictionem, nescio, nempe, ut dicam tibi; non feci, nempe, in templo, aut antequam mundus conderetur. Unde certum est, quod & supra docuimus, non liberari quenquam à mendacio per istiusmodi fallaces & à verborum propria ac consueta significatione alienas cogitationes. Vocabula enim & sententiæ vel simplicis vel ambiguæ significationis censenda sunt tantummodo ex propria sua aut consueta significatione, quamvis translatitia aut figurata. Sive sigillatim, sive in conjunctione considerentur vocabula. Et de tali sermonis ambiguitate accipiendæ sunt sequentes duæ regulæ, non autem de fallacibus illis reservationibus.

In secundam Regulam.

II. In tribus primis regulæ versiculis, est pars generalis. Jubet enim Apostolus Petrus, deponere omnem dolum, & hypocrises, 1 Petr. 2: 1. & Paulus, ut festum celebremus, in azymis sinceritatis & veritatis. 1 Cor. 5: 8. [Unusquisque] labia deosculabitur illius qui respondet verba recta. Prov. 24: 26. Dicimus autem responsionem quadrare debere animo quærentis sine fraude, sive illius qui sine fraude interrogat; nam, uti rectè monet *Gratianus*, ejusque glossator, cauf. 22 quæst. 5. can. *Qui pejerare*: potest esse sinceritas vel dolus ex utravis parte, id est, vel ex parte jurantis, seu respondentis, vel ex parte recipientis juramentum, seu percunctantis; Deus autem duplicitatis aspernator simplicem intentionem utriusque considerat, & ex quacunque parte videt cordis simplicitatem, sic accipit verba sicut pars illa intelligit, quæ simpliciter absque dolo intelligit. Artem autem verborum ex utravis parte Deus semper aspernatur & odit.

III. In reliquis regulæ versiculis restringitur generalis illa regula, de vitanda sermonis ambiguitate, ad certos speciales casus, in quibus solis lex ista obligat.

Primus casus est, *Peccas ambiguis ludens in religione.* Nempe vel in doctrina religionis, vel in confessione, ubi maximè aperta debet esse simplicitas ac sinceritas, sepositо omni dolo & astu sapientæ carnalis, 2 Cor. 1: 12. & cap. 4. vers. 2. Aliud est autem obscurè loqui, aliud verò simplicem perspicuitatem præ se ferre, & interim ambiguitate fallaciam intentare. Dicimus autem peccare eum qui ambiguis ludit, id est, qui fallere ac decipere conatur per ambiguitatem sermonis; vel etiam qui jocula-riter sibi aut aliis ludos facit abutendo sacris eloquiis; non autem omnem utentem, in doctrina aut professione religionis, vocabulo aliquo polysemo, aut oratione quæ plures sensus recipere possit. Hoc enim propter vocum paucitatem vix evitari potest. Ideo si simplex & sincerus sit animus, & intendas uti vocibus eo sensu, quem in tali argumento habere consueverunt aut habere aptè possunt, & qui à docilibus per communes interpretandi regulas satis idoneus inveniri possit, adeo ut solius audientis, vel legentis, non autem dicentis, aut scribentis culpa sit, si quæ dicta vel scripta sunt, accipiantur alieno sensu; non propterea censendus es ludere ambiguis; quum sincerè ac seriò loquaris. Cujus generis multa reperiuntur exempla in sacris literis. Ut, Deus novit viam justorum, Psal. 1. Christus non novit operatores iniquitatis, Matth. 7. διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς, Philipp. 1: 7. Quæ verba sive ad cor Apostoli, sive ad cor Philippensium referas, nullum est fallaciæ periculum, quamvis referenda potiùs videantur ad cor Apostoli, qui memor fuerit Philippensium.

Secundus casus in quo non licet ludere ambiguitate, est, ubicunque intervenit juramentum, sive in judicio; sive in contractibus, & fœderibus, sive in alio quocunque negotio aut argumento; nam jurans profitetur simplicem intentionem apertè respondendi, sine ulla ambiguitate, ejusque intentionis testem invocat Deum, duplicitatis omnis osorem: atque ita perjurus est quia sumit nomen Dei in vanum, invocando Deum testem talis intentionis qualem non habet. *Vide supra, lib. 3. cap. 4. §. 10.*

Tertius casus, est, ne cuiquam, vel claris vel ambiguis verbis faciamus injuriam, sive in judicio, sive in commercio, sive in re qualibet. Nam qui injuriam fecerit, reportabit quod injustè fecerit, neque est personarum acceptio. Coloss. 3: 25.

Quartus casus, ne cuiquam verbis nostris ponamus scandalum. Nam multa alioqui haud mala, fiunt mala & damnabilia, si dato scandalo proximum offendant.

In tertiam regulam.

IV. *Quandoque ambiguis* &c.] Ambiguus sermo, qualem in prima regula hujus capitis descripsimus, non est de se & ex suo genere moraliter vitiosus, etiamsi de industria usurpetur. Non enim est mendacium quando aliquis loquitur quod verum est, & quidem congruenter suæ menti, utens vocabulis in aliquo tali sensu quem loquendi consuetudo admittit. Evadit autem vitiosa ambiguitatis affectatio, ex accidenti, nempe ratione materiæ, vel adjuncti juramenti, vel ratione injuriæ, vel ratione scandali. De quibus casibus dictum est superiore regula. Et extra memoratos casus ambigui sermonis usus culpa vacat; & interdum etiam laudabilis est. Id docetur regula ista tertia, ubi tres proponuntur casus, in quibus licet uti ambiguo sermone, salvis tamen atque inviolatis manentibus illis legibus de quatuor casibus in secunda regula commemoratis.

I. Casus ubi sine culpa sermo usurpatur ambiguus,

Quandoque ambiguis fas sensim ducere verbis
Ad mage clara, haud fallendo, verum erudiendo.

Huc pertinet illud, Lazarus amicus noster dormit; sed proficiscor ut à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli ejus, Domine, si dormit, servabitur. Dixerat autem Jesus de morte ejus, hi verò putaverunt quod de dormitione somni diceret. Tunc ergo Jesus dixit eis apertè, Lazarus mortuus est, Joan. 11: 11, 12, 13, 14. & quod turbæ in domo Jairi tumultanti dixit Jesus

Jesus, Non est mortua puella, sed dormit. Matth. 9: 24. Marc. 5: 39. Luc. 8: 52. Intelligebat enim mortem ita peremtoriam, ut inde non esset reditura puella ad hanc mortalem vitam, quam & illi intelligebant. Qua morte illam mortuam non esse mox docuit, suscitans eam ad vitam hanc. Vel non est penitus amissa. Isto enim modo fideles non moriuntur. Idem Judæis signum quærentibus respondit Jesus, & dixit eis: Solvite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud; quod Judæi indociles de templo lapideo intelligebant; at ille loquebatur de templo corporis sui; sicuti intellexerunt postea discipuli ejus, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixerat Jesus. Joh. 2:19,20,21,22. Et illud, Amen Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei, & quæ ibi sequuntur. Joan. 3: 4, 5, 6, 7, &c.

II. Casus: *Olim Abraham ambiguo fugit sermone periclum.*] Genes. 20. & Isaac, Genes. 26.

III. Casus: *Ambiguis insons ludes ubi ludicra res est.*] Hæc jocosa est ambiguitas. Quæ non solùm in eis rebus locum habet quæ per se sunt ludicræ, sed etiam de rebus in se seriis fas aliquando ridendo & ludendo dicere verum, sicuti dictum est;

Quis negat Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Sic tamen ut legum violetur nulla priorum.] Necessaria ista cautio est semper observanda, ut sive juvandi tui ipsius, aut alterius, sive jocandi studio, ambiguè loquaris, præcisè observes secundam regulam, ut neque in religione, nisi sensim ad clara ducendo, uti dictum est, neque ubi juras, neque cum injuria, aut scandalo, affectes ambiguitatem. Quibus legibus inviolatis, ambiguitas sermonis erit extra noxam.

CAPUT XIII.

De docilitate, & affabilitate, & de quibusdam non audiendis, item de cavendis malis suspicionibus, & prapostera curiositate, atque observatione alienorum malorum. Et de legis hujus extensione ad interiorem hominem, ad scriptionem, totumque vitæ habitum.

Regul. 1. De docilitate.

Consule prudentes, proprio nec fide cerebro;
Recta monentem audi, sapientum percipe dicta.

Regul. 2. De affabilitate.

Difficilem fugito fastum, ac affabilis esto.

Regul. 3. De prudentia in audiendo.

Perniciosa cave ne te mendacia fallant.
Illicitis ambas claudes sermonibus aures;
Vitabisque hominem cui prava aut vana loquela est;
Et cœtus fugies regnant ubi verba prophana.
Nec te delectet cujusquam infamia fratris.

Regul. 4. De cavendis malis suspicionibus, & præpostera curiositate atque observatione alienorum lapsuum.

Arceat injustas dilectio suspiciones.
Importunè etiam scrutari aliena vetaris;
Aut acie lapsus fratrum observare maligna;
Neve in cernenda festuca fratris acutus,
Prætereas lippis oculis tua grandia tigna.
Sit laudanda licet quædam observatio fratrum,
Exemplo ut fratres & voce ad honesta trahamus;
Aut saltem in plures mala ne contagio serpat.

Regul. 5. De hujus noni præcepti extensione ad interiorem hominem, ad scriptionem, &c.

Aurem, linguam, animum, calamum lex obligat una;
Gestibus hæc eadem lata est, oculisque regendis;
Atque habitum vitæ, cunctos & dirigit actus,
Quatenus his animi quadam se oratio prodit,
Ad tabulam præceptorum referenda secundam.

Exegesis.

In primam regulam.

Consule prudentes.] Dissipantur cogitationes quando non est consilium, sed multitudine consiliariorum firmabuntur, Prov. 15: 22. Idem, Cogitationes consilio firmantur, & consiliis fac bellum. Prov. 20. 18. Vide in eandem sententiam, Prov. 11: 14.

II. *Proprio nec fide cerebro:*] Vidisti virum sapientem in oculis suis? spes est de stulto magis quàm de eo. Prov. 26: 12. Ne sis sapiens in oculis tuis. Prov. 3: 7. Ne sitis prudentes apud vosmetipsos. Rom. 12: 16.

III. *Recta monentem audi.*] Audi consilium, & suscipe correctionem, ut sis sapiens in novissimo tuo. Prov. 19: 20. Qui diligit castigationem, diligit scientiam; & qui odio habet increpationem insipiens est. Prov. 12: 1. Via stulti recta est in oculis suis, qui autem obtemperat consilio, sapiens est. Prov. 12: 15. Paupertas & ignominia erit deserenti correctionem, sed qui custodit increpationem, honore afficietur. Prov. 13: 18. Vir increpationum (id est, aliquoties increpatus) qui indurat cervicem, repentè conteretur, nec erit illi sanitas. Prov. 29: 1. Melior est puer pauper & sapiens rege sene & stulto, qui nescit admonitionem recipere amplius, Eccles. 4: 13.

IV. *Sapientum percipe dicta.*] Inclina aurem tuam, & audi verba sapientum; & cor tuum appone scientiæ meæ, Prov. 22: 17. Melius est audire increpationem sapientis, quam ut quis audiat canticum stultorum, Eccles. 7: 6. Cor intelligens acquirit scientiam, & auris sapientum quærit scientiam, Prov. 18: 15.

In secundam Regulam.

V. *Difficilem fugito fastum, ac affabilis esto.*] Apostolus *Paulus* commendat nobis moderationem & mansuetudinem, (ἐπιείκειαν & πραότητα,) erga omnes homines, Tit. 3: 2. & Petrus monet ut simus comes, (φιλόφρονες,) 1 Petr. 3: 8. De inhumano divite loquens *Salomo*, deprecationes (inquit) loquitur pauper, dives autem respondet dura, Prov. 18: 23. Talis erat *Nabal*, non dictu affabilis ulli, 1 Sam. 25: 17. è contrario *Job* non contempsit judicium servi sui, aut ancillæ suæ, cum ipsi litigarent cum eo, Job. 31: 13.

In tertiam Regulam.

VI. *Perniciosa cave ne te mendacia fallant.*] Etsi mendacia omnia universaliter odisse debemus, sunt tamen quædam mendacia (inquit *Augustinus*) quæ credere nihil obsit; quamvis etiam tali mentiendi genere fallere voluisse, mentienti sit noxium, non credenti. ——— A regula Catholica non recedit, qui hæreticum Catholica dogmata mendaci-

daciter profitentem, Catholicum credit. Ac per hoc non est ei perniciosum, quia in hominis mente, de qua latente non potest judicare, non in Dei fallitur fide, quam debet infitam custodire. Quando autem hæresim suam docent, quisquis eis crediderit putando veritatem, erit particeps ut erroris, ita damnationis illorum. *Aug.* lib. contra mendacium, cap. 3. Item; Nonnullis errare profuit aliquando; sed in via pedum, non in via morum. Aug. Enchirid. cap. 17. nempe errans de via Augustinus evasit insidias Donatistarum, viam illam armata manu obsidentium. ut ibidem ipse commemorat. Item; Cum dico in quibusdam rebus nullo malo aliquem vel nonnullo etiam bono falli, non ipsum errorem dico nullum malum, vel nonnullum bonum: sed malum quo non venitur, vel bonum quo venitur errando, id est, ex ipso errore quid non eveniat, vel quid proveniat. Nam ipse per se ipsum error aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, tamen semper est malum. Quis enim nisi errans malum neget approbare falsa pro veris, aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis? Sed aliud est, bonum hominem putare qui malus est, quod est erroris: & aliud est, ex hoc malo aliud malum non pati, si nihil noceat homo malus qui est putatus bonus. Itemque aliud est ipsam viam putare quæ non est ipsa, & aliud est ex hoc erroris malo aliquid boni consequi, velut est ab insidiis malorum hominum liberari. Enchirid. cap. 19.

VII. Et eodem libro idem Augustinus ait; In quibusdam autem rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur, an non; vel utrum vera sive sint sive putentur, an falsa: In his errare, id est, aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; aut si est, minimum esse atque levissimum. Postremò qualecunque illud aut quantumcunque sit, ad illam viam non pertinet, qua imus ad Deum: quæ via fides est Christi quæ per dilectionem operatur. Neque enim ab hac via deviabat in geminis filiis gratus ille parenti- bus error: aut ab hac via deviabat Apostolus Petrus, quando se existimans visum videre, aliud pro alio sic putabat, ut à corporum imaginibus, in quibus se esse arbitrabatur, vera in quibus erat corpora non dignosceret, nisi cum ab illo Angelus, per quem fuerat liberatus, abscessit: aut ab hac via deviabat Jacob Patriarcha, quando viventem filium à bestia credebat occisum. In his atque hujusmodi falsitatibus, salva fide, quæ in Deo nobis est, fallimur: & via non relicta, quæ ad illum non ducit, erramus. Qui errores etiamsi peccata non sunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi sunt; quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Quamvis enim hæc ab ea fide absint, per quam ad veram certamque atque æternam beatitudinem tendimus; ab ea tamen miseria non absunt, in qua adhuc sumus. Nullo modo quippe falleremur in aliquo vel animi vel corporis sensu, si jam vera illa atque perfecta fælicitate frueremur. Hæc *Augustinus*, Enchirid. cap. 21. Idem etiam monet, errorem quanta possumus cura cavendum esse, non solùm in majoribus, verum etiam in minoribus rebus. Enchirid. cap. 17.

Æneid. 10. *Act. 12: 9.* *Genes. 37: 33.*

VIII. Sed quùm *Augustinus* errorem in se & ex suo genere dicat esse malum, & modo peccatum, saltem in minimis & levissimis peccatis esse concedere videatur, modo neget errorem peccatum esse, quando salva fide, quæ in Deo nobis est, fallimur: quæres quid tenendum sit; sitne omnis error peccatum, necne?

Respondeo; Errare non est in se & ex suo genere peccatum, quamvis omnis error sit de se aliquod malum, nempe malum miseriæ, vel infirmitatis physicæ, sicuti docuit *Augustinus*. Errare autem est peccatum in triplici casu: 1. Ratione materiæ; nam in via morum, aut eorum quæ ad salutem creditu necessaria sunt, errare est peccatum. 2. Ex adjuncta confidentia & obstinatione, in quacunque materia; nam qui ita errat ut errorem suum præfidenter asseveret, aut obstinatè defendat, impingit in legem moralem, & quodammodo mendacii se reum facit. 3. Ex causa efficiente, vel deficiente; nam ignava & stupida incuria per quam fit ut non adhibeatur debita diligentia & prudentia ad cavendum errorem, damnatur lege morali, adeoque peccatum est. Extra istos tres casus error malum est miseriæ vel infirmitatis, non culpæ. Ut exempla declarant ab *Augustino* allata.

IX. *Illicitis ambas claudes sermonibus aures.*] Cessa fili mi audire institutionem ad errandum ab eloquiis scientiæ. Prov. 19: 27. & apud Esaiam describitur justus, quod obturet aurem suam ne audiat sanguinem, & claudat oculos suos ne videat malum. Esai. 33: 15.

X. *Vitabisque hominem cui prava aut vana loquela est.*] Vade à conspectu viri stulti cum non animadvertis in eo labia scientiæ. Prov. 14: 7. Si quis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, &c. secede ab iis qui ejusmodi sunt. 1 Tim. 6: 3, 4, 5. Prophana autem inaniloquia devita; ad majorem enim proficient impietatem, & sermo eorum ut gangræna pastionem habebit. 2 Tim. 2: 16, 17. Huc accommodari potest illa Salomonis admonitio, Ne sias amicus iracundo, & cum viro furibundo ne eas: ne forte discas semitas ejus, & accipias laqueum in animam tuam. Prov. 22: 24, 25. & illud Apostoli, Denuntiamus autem vobis, fratres, per nomen (vel in nomine ἐν ὀνόματι) Domini nostri Jesu Christi, ut subducatis vos ab omni fratre qui inordinatè incedit, & non secundùm traditionem quam accepit à nobis. 2 Thess. 3: 6. Paulum fermenti totam massam fermentat. Expurgate igitur vetus fermentum, auferte istum sceleratum ex vobis ipsis. 1 Cor. 5: 6, 7, 13.

XI. *Et cœtus fugies, regnant ubi verba prophana.*] Hanc partem etiam confirmant testimonia proximè allegata. Quibus ista adjicimus: Corrumpunt mores bonos colloquia mala, 1 Cor. 15: 33. Qui ambulat cum sapientibus sapiens erit, sed consocians se stultis conteretur. Prov. 13: 20. Non sedi cum hominibus vanis, & cum occultantibus se non introivi: odi cœtum malignantium, & cum impiis non sedebo. Psal. 26: 4, 5. Socius ego omnibus qui timent te, & custodiunt præcepta tua. Psal. 119: 63.

XII. *Nec te delectet cujusquam infamia fratris.*] Ille habitabit in monte sancto Domini qui opprobrium non accipit contra proximum suum. Psal. 15: 3. Charitas operiet multitudinem peccatorum. 1 Petr. 4: 8. Charitas non gaudet de injustitia. 1 Cor. 13: 6. Huc referri possunt illa etiam testimonia quæ contra obtrectatores allata sunt, cap. 3. §. 3 Nam quem delectant audita opprobria, ille obtrectatoribus consentit, & animo obtrectator est.

In

In quartam regulam.

XIII. *Arceat injustas dilectio suspiciones.*] Charitas non cogitat malum, 1 Corinth. 13: 5. & apud eundem Apostolum expressè damnantur suspiciones malæ. ὑπόνοιαι πονηραί. 1 Timoth. 6: 4. Non est autem omnis suspicio mala. Nam est & non mala suspicio, qualem habebat Apostolus, scribens Corinthiis, quando dixit, Zelo afficior erga vos, [Ζηλῶ ὑμᾶς;] zelotypia Dei. Præparavi enim vos uni viro ut sistere virginem puram Christo, sed metuo ne quomodo serpens ille Evam seduxit calliditate sua, ita corrumpantur mentes vestræ [degenerentque] à simplicitate, quæ est in Christo. 2 Corinth. 11: 2, 3. & ad Galatas, Metuo de vobis, ne frustra laboraverim erga vos. Galat. 4: 11. Ita suspicio seu metus profluebat ab ipsa charitate, & prudentia; non autem adversabatur charitati, aut prudentiæ. Est autem ea demum mala suspicio quæ repugnat charitati, aut prudentiæ; qualis eorum suspicio qui Paulum Apostolum æstimabant tanquam incedentem secundùm carnem, 2 Corinth. 10: 2. etiam postquam evidentia sui Apostolatus & sinceritatis indicia exhibuisset inter eos, ut passim docet in illa epistola. Mala etiam fuit suspicio *Festi* qui *Paulum* suspicatus est insanire præ nimia literatura. Actor. 26: 24. Suspicio autem non mala est quæ cum charitate simul & prudentia congruit, neutri repugnans; sive quod suspicaris sit reipsa verum, sive falsum. Sic non mala fuit suspicio Jacobi Patriarchæ, qua suspectum habuit *Labanem*, ejusque filios, Genes. 31: 1, 2, 31. Nec mala fuit discipulorum suspicio, vel potius cautio, qua *Saulum* se eis adjungere conantem reformidabant, non credentes eum esse discipulum, quem sciebant atrocissimè persequutum esse Ecclesiam; needum innotuerat eis ipsius conversio, donec hanc non malam suspicionem illis exemit *Barnabas*, ducens *Paulum* ad Apostolos, narransque eis quomodo in via vidisset Dominum, & quod loquutus esset ei: & quomodo in Damasco liberè loquutus esset in nomine Jesu, Actor. 9: 26, 27, 28. Suspicio autem quam dicimus esse non malam, cautio potius dici poterit, & homines eam habentes cauti aut prudentes dicentur, non suspicaces. Huc referri potest quod ait *Salomon*, Ne comedas panem habentis malum oculum, & ne concupiscas pulmenta ejus; quoniam ut æstimavit animo suo, sic est; comede & bibe, dicet tibi, cor autem ejus non est tecum. Proverb. 23: vers. 6, 7. Quum gratiosè alloquetur te, ne credideris ei, quoniam septem abominationes sunt in corde illius. Proverb. 26: 25. & quod ait Dominus discipulis, Cavete ab hominibus, Matth. 10: 17. item, Cavete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos cum indumentis ovium; sed intrinsecus sunt lupi rapaces: à fructibus eorum agnoscetis eos, Matth. 7: 15, 16. Potest autem discrimen aliquod ostendi inter metum, & cautionem, & suspicionem, & opinionem, & persuasionem. Nam suspicio est illius quod absolutè asserere non queas, quamvis aliquæ tibi obversentur præsumptiones, sive leviores sive vehementiores.

XIV. *Importunè etiam scrutari aliena vetaris.*] Enim vero ne quis vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut ut alienarum rerum inspector [ἢ ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος.] 1 Petr. 4: 15. & Apostolus Paulus reprehendit homines curiosè agentes [περιεργαζομένους.] 2 Thessal. 3: 11, 12. & mulieres illas quæ sunt otiosæ, nugaces, & curiosæ. [ἀργαὶ, Φλύαροι καὶ περίεργοι.] 1 Timoth. 5: 13. & hortatur Thessalonicenses ut contendant quieti esse & res suas agere, [Φιλοτιμεῖσθαι ut honori sibi ducant] ἡσυχάζειν, καὶ πράσσειν τὰ ἴδια. 1 Thessal. 4: vers. 11.

XV. *Aut acie lapsus fratrum observare malignè.*] Hoc faciunt qui vel optant aliorum lapsum, eoque animo illos observant; vel lapsis insultant impia inhumanitate. Huc pertinet illa Jeremiæ Prophetæ querimonia, Omnes viri pacis meæ observant an claudicem, [dicentes] fortasse decipietur, & prævalebimus ei. Jerem. 20: 10. & quod ait Apostolus, Ne glorieris adversus ramos. Rom. 11: 18. Per infidelitatem defracti sunt, tu vero per fidem stas; ne efferaris animo, sed timeas; vers. 20. Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales instaurate hujusmodi [hominem] cum spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum ne & tu tenteris. &c. Galat. 6: 1. &c. Non judicetis, ut non judicemini; quo enim judicio judicatis, judicabimini, & qua mensura metimini, vicissim remensurabitur vobis. Matth. 7: 1, 2. vide supra, cap. 3. ad 15. regulam, *Ne rigidus censor sis, interpresve malignus.*

XVI. *Neve in cernenda*, &c.] Quid autem adspicis festucam, quæ est in oculo fratris tui; trabem autem quæ est in oculo tuo non animadvertis? Aut quomodo dicis fratri tuo, sine ejiciam festucam ex oculo tuo; & ecce trabes in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo, & tum clarè cernes ut ejicias festucam ex oculo fratris tui. Matth. 7: 3, 4, 5. Probet autem homo seipsum. 1 Corinth. 11: vers. 28. Etenim si nos ipsos dijudicaremus, non judicaremur. vers. 31. Qui igitur doces alium, teipsum non doces? Rom. 2: 21. Opus autem suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in alio. Unusquisque enim suum onus portabit, Galat. 6: 4, 5.

XVII. *Sit laudanda licet quædam*, &c.] Observemus alii alios ad excitationem charitatis & bonorum operum. κατανοῶμεν ἀλλήλους εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων. Hebr. 10: 24. Fratres, si quis inter vos aberrarit à veritate, & converterit eum quispiam; sciat, quod qui converterit peccatorem ab errore viæ suæ, servabit animam à morte, & obteget multitudinem peccatorum. Jacob. 5: 19: 20. Alios quidem habito delectu commiseramini; alios verò terrore servate, ex igne rapientes. Judæ, vers. 22, 23. prospicientes ne quis deficiat à gratia Dei: ne qua radix amaritudinis suppullulans obturbet, & per hanc inquinentur multi. Hebr. 12: vers. 15, 16.

In quintam regulam.

XVIII. *Aurem.*] Patet ista pars ex regula tertia, *Illicitis ambas claudes sermonibus aures.* Quam regulam confirmavimus testimoniis sacrarum literarum. Et rectè *Aristoteles*, lib. 4. Nicom. cap. penult. seu 8. Quæ, inquit, audire quisquam sustinet, ea & facere videtur: ἃ ὑπομένει ἀκούων, ταῦτα καὶ ποιεῖν δοκεῖ. Ideo colligit virum probum non daturum aurem quibusdam. Quem delectat audire, alterum loqui provocat, inquit *Ambrosius*, lib. 1. de offic. cap. 18.

XIX. *Linguam.*] Pars ista exprimitur in ipso præcepto, *Non dices falsum testimonium.*

XX. *Animum.*] Ex regula tertia & ex regula quarta hujus capitis, *Ne te delectet cujusquam* infa-

infamia fratris; Arceat injustas dilectio suspiciones. Et David in reprehensione impii Doeg, diligis, inquit, malum potius quam bonum; mendacium potius, quam loqui justitiam; diligis omnia verba perditionis, linguam dolosam [vel, ô lingua dolosa,] etiam Deus destruet te in æternum, Psal. 52: 5, 6, 7. De se autem loquens, Odi, inquit, omnem semitam mendacii, Psal. 119: 104. Foris sunt canes & venefici, & scortatores, & homicidæ, & idololatræ, & omnis qui amat & facit mendacium, Apocal. 22: vers. 15.

XXI. *Calamum.*] Non minus peccavit David per epistolam scriptam, quàm si ore coram dedisset mandatum illud *Joabo* in perniciem innocentis *Uriæ*. 2 Samuel. 11: 15. & impia *Jezebel* consultrix fuit falsi testimonii & homicidii contra innocentem *Nabothum*, per sceleratam epistolam. 1 Reg. 21: 8, 9, 10. Adversarii Judæorum eos impiè calumniati sunt per epistolam ad *Artaxerxem* missam. Ezra 4: 12: 13. Legimus etiam de impia epistola *Sennacheribi* Assyriorum regis missa ad *Ezechiam* regem Judæ. Esai. 37. & epistola illa impietatis & calumniarum plena quam prophanus ille *Shemaias* scripsit ad *Maaseiam* sacerdotem contra *Jeremiam* Prophetam, Jerem. 20: 24, 25, 26, 27, &c. Calamo peccarunt debitores illi, qui hortante injusto dispensatore falsaverunt tabulas debiti. Luc. 16: 6, 7. Hoc modo peccant omnes falsarii qui syngraphas aut testamenta, aut quælibet instrumenta, vel falsa confingunt, vel vera corrumpunt. Omnes etiam ii qui scribendo convitiantur proximos; & derisores illi qui libellos famosos in vulgus spargunt. &c.

XXII. *Gestibus hæc eadem lata est, oculisque, regendis.*] Homo impius, vir iniquus ambulat in perversitate oris: Annuit oculis suis, loquitur pedibus suis, docet digitis suis: perversitates sunt in corde ejus, machinatur malum omni tempore, contentiones immittit. Ideo extemplo veniet calamitas ejus, subitò conteretur, & non erit medela. Proverb. 6: 12, 13, 14, 15.

Vide supra, cap. 9. XXIII. *Atque habitum vitæ, cunctos, &c.*] Postulat enim lex Dei ut ambulemus integri, Psal. 15: 2. Est etiam (inquit *Ambrosius*) in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior; aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus. Meministis filii quendam amicum, cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum à me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret. Alterum quoque cùm in clero reperissem, jussisse me ne unquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cum redderetur post offensam munefi. Hoc solum excepi, nec fefellit sententia. Uterque enim ab Ecclesia recessit: ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio, ne judicium subiret sacerdotum, se nostrum negavit. Hæc *Ambrosius*, lib. 1. de officiis, cap. 18.

CAPUT XIV.

De numero testium, & de coërcendis falsis testibus. Cum Epilogo in Nonum Præceptum.

Regul. I. De numero testium.

Vel duo vel tres testentur, non sufficit unus.

Regul. II. De coërcendis falsis testibus.

Congrua compescat falsos punitio testes.

Exegesis.

In primam regulam.

I. *Vel duo vel tres testentur, non sufficit unus.*] Solus testis non testificabitur in animam, ut moriatur. Num. 35: 30. In ore duorum testium vel trium testium, interficietur qui moriturus est: non interficietur in ore testis unius. Deuter. 17: vers. 6. Non stabit testis unus contra quenquam in quacunque iniquitate, & in quocunque peccato quod peccaverit: in ore duorum testium aut in trium stabit verbum. Deuter. 19: 15. Ut in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Matth. 18: 16. In ore duorum testium vel trium stabit omne verbum. 2 Corinth. 13: vers. 1. Ex quibus locis patet neque unum admitti, neque plures tribus postulari de jure posse testes in quacunque causa.

II. Obj. Multi sæpe testantur falsum.

Resp. Multi etiam jurant falsum, & tamen juramentum apud homines finis est omnis controversiæ ad confirmationem. Hebr. 6: 16. Porjurio contaminatur testis qui pejerat, non autem judex qui secundùm legem fert sententiam. At si demonstretur judici, testes pejerasse, non debet secundùm eorum jusjurandum pronunciare, sed eos idoneo supplicio punire, ut dicetur in secunda regula. Quid verò in testibus præcipuè intueri debeat judex, & quibus potius auscultare: vide apud *Gratianum*, caus. 4. qu. 2. & 3. Can. *Si testes omnes.*

III. Quæres, an aliquo testante de seipso, & addente alio suum etiam testimonium, legi satisfactum sit, quum Christus sic pro se argumentetur: Sed & in lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est: Ego sum qui testor de meipso, & testatur de me qui misit me Pater. Joan. 8: 17, 18. Respondet *Chrysostomus*, in Commentario in eum locum: In hominibus quidem ita institutum esse, ut nemo per se fide dignus sit; in Deo autem hoc non esse consentaneum. Ideo verò Christum allegasse testimonium duorum, ut pluralitatem doceret personarum divinarum in unitate essentiæ. Alioqui enim, si numerum tantummodo quæreret, potuisse eum confugere ad Joannem Baptistam, ad Angelum, ad Prophetas.

IV. Author Glossæ, in Cauf. 4. quæst. 2. & 3. Can. *Si testes.* §. *Sæpe etiam.* monet, quandoque famam cum uno teste sufficientet probate, idque ex utroque jure confirmat; quamvis fama per se sola nihil probet. Et addit, famam etiam probari posse per duos testes.

In

In secundam Regulam.

V. *Congrua compescat falsos punitio testes.*] Nam sicuti aliorum scelerum se per participationem reos faciunt judices, quando ea sinunt impunita grassari, & injusta sua lenitate homines pravos ad peccandum quodammodo invitant; ita etiam à crimine falsi immunis non est judex qui non utitur sua potestate, ut congrua proposita pœna deterreantur homines à dicendo falso testimonio, & ab omni falsitate & dolo, quantum in ipso est. Lege Mosaïca pœnam talionis incurrebant qui falsi testimonii essent convicti: Cum steterit testis mendax contra aliquem ut testificetur contra eum verbum perversum: tunc stabunt illi duo homines, quibus est lis, coram Domino, coram sacerdotibus & judicibus, qui fuerint in diebus illis: & inquirent judices diligenter, &, si testis ille est testis mendax, mendacium testificatus est contra fratrem suum: facietis ei quemadmodum cogitavit facere fratri suo; & ita auferes malum è medio tui. Et qui remanserint, audient ac timebunt, nec addent facere ultrà malum simile huic. Neque parcet oculus tuus, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Deut. 19:16, 17, 18. 19, 20, 21. Eandem etiam inter Christianos debere esse calumniatorum pœnam, docent Canonistæ, ad caus. 4. quæst. 4. can. *Nullus introducatur.* §. *Inscriptio.* Et qui libello famoso famam innocentis lædit, cum supplicio capitis adjudicant leges civiles; Canones autem eum flagellari jubent. Eum etiam qui primus invenerit talem libellum, nisi cum statim rumpat, pœnæ auctoris subjici jubent. Caus. 5. quæst. 1. can. *Qui in alterius.* Dixi autem congruam debere esse punitionem, nempe quæ sit satis idonea ad homines à tali scelere absterrendos, ut audientes timeant, neque porro faciant malum simile huic. Qua æquitate servata, potest esse vel severior vel minùs severa pœna, pro locorum, temporum, & personarum diversitate. De pœnarum autem lege Mosaïca constitutarum retentione vel mutatione diximus supra, lib. 4. cap. 10. & lib. 6. cap. 5.

Epilogus in Nonum præceptum,

Officia illicitis præstare adversa juberis.
Et vitia officiis vitare adversa teneris.

Præmisimus expositioni decalogi quasdam generales regulas observandas in exponendis præceptis: earum tertiam applicamus hic ad expositionem præcepti noni. Non falsus sit sermo: ergo sit verus. Non jactabundus, ergo debet esse modestus. Recta monentem audi, ergo ne asperneris salubre consilium. Polliciti servato fidem; ergo nihil pollicearis illicitum aut impossibile; & promissionem in re licita ac possibili ne deseras. Ex affirmativo rectè infertur negativum, & vice versa. Atque hæc ad Nonum præceptum pro instituti nostri ratione dixisse sufficiat. *Lib. 1. cap. 4.*

THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER DECIMUS.

De Decimo Præcepto.

Caput Primum.

Quæ concupiscentia præcepto decimo prohibeatur.

On concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, neque servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque asinum, neque quicquam eorum quæ ..... proximi tui. Exod. 20. 17.

Unum hoc esse præceptum ostendimus, supra, lib. 1. cap. 13. ubi disseruimus de partitione Decalogi. Summa hujus præcepti proponitur ab Apostolo., *Non concupisces*, μὴ ἐπιθυμήσεις, Rom. 7: 7. & cap. 13: 9.

II. Expressit autem Deus objecta quædam, rudi illi populo maximè obvia, ut domum, uxorem, servum, ancillam, bovem, asinum, & quodcunque alienum. Extenditur autem præceptum etiam ad objecta partis superioris animæ, puta ad vanam gloriam, ad præposteram curiositatem, &c. Neque solùm in objecti, sed etiam in ipsius officii appellatione est synecdoche; nam vetatur non solùm concupiscentiæ malæ, prout ab ira distingui solet, sed & iræ malæ vitiosus affectus; neque solùm appetitus sensitivi, sed & voluntatis pravitas hoc præcepto damnatur. Neque voluntatis solùm, sed & mentis ipsius ac rationis vitiosa corruptio prohibetur. Omnium enim peccatorum actualium seminarium & radix est concupiscentia carnis, uti docet Apostolus, loquens de concupiscentia carnis, ejusque fructibus amaris; Dico autem (inquit) Spiritu incedite, & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc autem inter se opposita sunt; ut non quæ volueritis, hæc faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, luxuria, idololatria, veneficium, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, dissidia, hæreses, invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia. Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quod qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. Galat. 5: vers. 16, 17, 18, 19, 20, 21.

III. Vi hujus argumenti compulsus *Bellarminus*, fatetur tandem non solùm in parte animæ inferiore, sed etiam in superiore locum habere concupiscentiam; & carnis nomine, in hoc argumento, recte intelligi totum hominem, qualis est sine gratia Dei. Cæterum, inquit, negandum non est, etiam in parte superiore simile vitium inveniri: nam ea quoque animæ pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam, & alias vanitates, &, etiámsi nolimus, interdum parit ejusmodi desideria. Quocirca B. Paulus in epistola ad Galatas, cap. 5. cum dixisset, carnem concupiscere adversus spiritum, statim enumerans opera carnis, non solùm nominavit fornicationem, ebrietatem, & alia id genus, sed etiam idololatriam, hæreses, inimicitias, &c. quod diligenter notavit S. *Augustinus*, lib. 14. de civitate Dei, cap. 2, 3, 4. ubi demonstrat, carnem interdum accipi pro toto homine, qualis est sine gratia Dei, post lapsum Adami, & eum dici carnalem, qui secundùm seipsum, non secundum Deum vivit. Ex quo in explicatione Psal. 79. dicit, omne peccatum oriri ex cupiditate malè inflammante, vel ex timore male humiliante. Itaque concupiscentiæ vitium licet præcipuè in sensualitate, tamen etiam in mente sedem habet. Sanctus autem *Augustinus* in libris contra Pelagianos ideo pene ubique loquitur de vitio sensualitatis, quia in sensualitate magis hoc vitium se prodit, non quod ignoraret etiam in mente locum habere. Atque in his omnibus, nisi fallor, cum Petro Lombardo, Henrico, Gregorio, & cæteris omnibus convenimus. Hæc *Bellarminus*, lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 15. §. *Cæterum negandum.* & §. *Itaque concupiscentiæ.*

IV. Caro quæ concupiscit adversus spiritum [Galat. 5.] non est solùm corpus, neque cum corpore sola animæ pars inferior, sed totus homo quatenus corruptus est labe peccati. Uti monuit *Augustinus*, lib. 14. de civitate Dei, cap. 2. Quod evidenter patet ex memorato loco epistolæ ad Galatas, & aliis etiam scripturæ locis. Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est, Joan. 3: 6. Vos secundùm carnem judicatis, Joan. 8: 15. Qui non secundùm carnem incedunt, sed secundùm spiritum. Rom. 8: 1. Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; qui verò secundùm spiritum, quæ spiritus sunt; nam intelligentia carnis, mors est; intelligentia verò spiritus, vita & pax: propterea quod intelligentia carnis inimicitia est adversus Deum. &c. Rom. 8: 5, 6, 7. Non potui loqui vobis ut spiritualibus, sed ut carnalibus. ——— Nam adhuc carnales estis: quum enim in vobis sint æmulatio, & contentio, & dissidia, nonne carnales estis, & secundùm hominem incéditis? 1 Corinth. 3: 1, 3. Non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus. 2 Corinth. 1: 12. Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum. Rom. 7: 14. Non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. eod. cap. vers. 18.

Galat. 5: 17.

nem-

nempe igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne verò legi peccati. Ideo *Augustinus*, in his qui carnalia sapiunt, spiritum ipsum dicit esse carnalem. lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 10.

V. At de cap. 7. ad Rom. resistit nobis *Bellarminus*, lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 7. ubi fatetur quidem in multis locis divinæ scripturæ, sine dubio, per carnem intelligi omnes potentias, tum inferiores, tum superiores, per peccatum corruptas. Unde etiam (*inquit*) videmus ad Gal. 5. *Gal. 5:20.* inter opera carnis hæreses numerari. Itaque non negamus etiam mentem per peccatum fuisse corruptam. Cæterum in 7. capite ad Romanos, negamus carnem sumi pro toto homine, atque asserimus accipi pro altera tantum parte, quæ vires inferiores complectitur. At qua ratione istud asseris *Bellarmine*? *Rom. 7: 17, 18.* Quia, inquis, Apostolus ait, *Non ego operor illud.* At quid sibi opponit Apostolus? non partem sensitivam, sed peccatum quod in illo adhuc habitabat: cui ipse per Dei gratiam resistebat, neque ipsum ita dominari sinebat, ut traderet membra sua arma iniquitatis peccato, & ejus pravis desideriis plenum daret consensum; peccatum verò habituale etiam in superiore parte hominis regeniti manet: quis enim audeat dicere se habere cor mundum? Prov. 20: 9. & hominibus regenitis scribit Apostolus, ut renoventur spiritu mentis suæ, Ephes. 4: 23. & hominibus regenitis idem scribens, purgemus nos ipsos (*inquit*) ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, 2 Cor. 7: 1. & de seipso loquens, ait, internus noster homo renovatur de die in diem. 2 Cor. 4: 16. Quamvis igitur Apostolus sibi ipsi opposuisset carnem suam, non tamen esset per carnem intelligenda sola pars sensitiva, quum id totum caro sit in quo manet peccatum, & quidem quatenus in eo manet peccatum: nempe totus homo; *Rom. 7:19, 20, 25.* ideo Apostolus & ait se facere malum, seque ipsum servire legi peccati, & tamen negat se facere. Nempe quia non mente, sed carne, serviebat legi peccati; & carni per peccatum concupiscenti resistebat mens ejus consentiens legi Dei; hoc est, caro ejus concupiscebat adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, ut loquitur idem Apostolus, Galat. 5. 17. Eandem enim utrobique luctam intelligi monet *Augustinus*, lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 31. *Bellarminus* ait, mentem considerari à Paulo ut renovatam per gratiam, eamque opponi parti non renovatæ. lib. 1. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 7. quæ pars non renovata appellatur caro, membra, corpus mortis. Atqui nec pars superior perfectè renovata est, quippe habens aliquas reliquias vetustatis, uti ostensum est; nec pars inferior prorsus destituta est primitiis novitatis; nam ipsa sanctorum corpora sancta sunt, & regeneratione facta sunt templa Sancti Spiritus, ac membra Christi, 1 Cor. 6: 15, 19. Totus autem homo, ita est secundùm omnes partes renovatus, ut tamen aliquam adhuc habeat carnem reluctantem spiritui. Regeneratus quidem & renovatus perfectè perfectione partium, sed nondum perfectè perfectione graduum. Propter quam imperfectionem graduum est adhuc partim carnalis, licet non sit simpliciter carnalis, aut totus caro, quales sunt irregeniti; nam ita est carnalis, ut etiam sit spiritualis. Nempe carne carnalis, propter memoratam imperfectionem; at mente spiritualis, propter memoratam novitatem. Et quia plus habet novitatis, quam vetustatis, ideo ait se facientem malum non facere, non autem ait se volentem bonum, non velle. Quamvis idem homo secundùm eandem animæ partem, sed non eodem modo consideratam, velit & non velit, faciat & non faciat. Unde *Augustinus*, Motibus (inquit) suis anima quos habet secundùm spiritum, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundùm carnem; & vice versa. Et ideo dicitur caro concupiscere adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Sed propter hoc & de ipsa anima dictum est, Renovatur de die in diem. Neque enim ipsa in sanctitate non proficit, cum magis magisque minuit eas, quibus non consentit, carnales cupiditates. lib. 6. contra Julianum, cap. 5. & *Bellarminus* ait, Neque solum pars inferior *2 Cor. 4: 16.* cum superiore, sed superior secum ipsa confligit. lib. 6. de amissione gratiæ cap. 10. Ad quod probandum citat duo testimonia *Augustini*; Unde hoc monstrum, inquit *S. Augustinus*, Confess. lib. 8. cap. 9. & quare istud? luceat misericordia tua & interrogem, si forte mihi respondere possint latebræ pœnarum hominum, & tenebrosissimæ contritiones filiorum Adam. Unde hoc monstrum, & quare istud? imperat animus corpori, & paretur statim; imperat animus sibi, & resistitur. Et cap. seq. Ego tum deliberabam ut jam servirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram. Ego eram qui volebam, ego qui nolebam. Nec plane volebam, nec plane nolebam; ideo mecum contendebam, & dissipabar à meipso, & ipsa dissipatione invito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ. Hæc ibi.

V. Concupiscentia decimo præcepto vetita, quæ concupiscentia carnis dicitur, & lex peccati in membris, cum suis malis fructibus, non solius inferioris partis animæ, sed totius hominis vitium est, etiam secundùm partem superiorem. Nam caro concupiscens adversus spiritum, & contra quam concupiscit spiritus, denotat etiam superiorem animæ partem quatenus corrupta & bono spiritui repugnans est.

VII. Meminerimus concupiscentiam & concupiscere dici etiam bono sensu. *Concupiscentia bono sensu.* Nam. 1. Partem illam appetitus sensitivi, quæ ab ira seu irascibili distinguitur, appellant concupiscentiam, & facultatem concupiscibilem. 2. Habitum significat aut dispositionem bonam, etiam in parte superiore. Nam in homine regenito etiam dormiente spiritus concupiscit adversus carnem. 3. Significat actum bonum concupiscendi etiam secundùm partem superiorem; quo sensu dixit Dominus noster discipulis suis: Desiderio desideravi [vel concupivi, *ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα*] hoc pascha vesci vobiscum antequam ego patiar. Luc. 22: 15. Prohibetur igitur non omnis *ἐπιθυμία* concupiscentia, sed duntaxat concupiscentia mala, *ἐπιθυμία κακή*. Coloss. 3: 5. nam est quædam bona concupiscentia.

VIII. Est autem præceptum hoc aliorum exegeticum: docet enim legem Dei esse spiritualem, uti ex hoc præcepto colligit Apostolus. Rom. 7. 14. exigit enim etiam internam obedientiam: & non solùm plenarium vetat assensum ac voluntatem peccandi, sed & ipsos primos motus inordinatos, eorumque fomitem damnat ac probibet.

Caput II.

Sex Gradus peccati.

Quod dicebamus de concupiscentia decimo præcepto vetita, id clarius apparebit, propositis gradibus, quibus ab ipso fomite tanquam ab amara radice pullulant, sensimque succrescentia ad infaustam consummati operis maturitatem perveniunt peccata actualia, amari fructus radicis amaræ.

1. Ipsa est concupiscentia habitualis qua peste omnes infecti nascimur.

2. Sunt primi inordinati motus: *Augustinus* appellat impulsum libidinis sine consensione peccati. Lib. 6. contra Julianum, cap. 11. item mala desideria, lib. 1. de nuptiis, cap. 27. & lib. 6. contra Julianum cap. 8. *Hieronymus* stimulum & primum pulsum cogitationis, Comment. in Ezech. 18. Apostolus vocat malum quod nolens agit, Rom. 7: 19. Cogitatio quidem tantummodo apprehensiva, sine ulla inclinatione affectus, culpa vacat; potest enim justus cogitare de definitione adulterii, & de alienis sceleribus; sed hîc intelligitur cogitatio cum titillatione & impulsu concupiscentiæ.

3. Complacentia quædam qua homo fovet illos pravos motus, semipleno quodam consensu, cis se oblectans, licet non plenè consentiat, neque statuat exsequi quod dictat concupiscentia. De cavendo tertio isto gradu loquens *Augustinus*, vigiliis assiduis excubandum ait, ne in eo quod malè delectat vel visio vel cogitatio remoretur. lib. 22. de civitate Dei, cap. 23.

4. Sequitur ulterior complacentia & condelectatio plenusque consensus, quo male cogitata quis facere decernit, vel optat sibi dari occasionem explendi malam cupiditatem. Hic jam non potest dicere, malum quod nolo facio, sed, malum quod volo facio, nam condelectatur legi peccati quoad interiorem hominem, eique pleno consensu servit. *Rom. 7: 19.*

5. Quod animo decrevit peccator, id opere exsequi pergit, addens peccatum peccato. Peccaverat David volens occidere universam Nabalis familiam; sed non est exsequutus truculentum illud propositum. Gratiasque Deo egit quod eum à tantæ immanitatis exsequutione retraxerit. 1 Samuel. 25: 32, 33.

6. Ulteriorem gradum addit *Hieronymus*, Comment. in Ezech. 18. si non solum feceris, quod malum est, & scelestum, sed in tuis sceleribus glorieris; & contemnas corrigere per pœnitentiam, quod malè fecisti. Ad istum gradum pervenerant contumaces illi Judæi, qui per Prophetas moniti, subsannabant nuntios Dei, & contemnebant verba ejus, & illudebant Prophetis ejus, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, ita ut nulla esset curatio. 2 Paralip. 36: 15, 16.

Gradus istos monstravit Jacobus Apostolus; Unusquisque tentatur à propria concupiscentia abstractus & inescatus. Deinde concupiscentia quum conceperit, parit peccatum, peccatum verò peractum [seu consummatum] progignit mortem. Jacob. 1: 14, 15. Concupiscentia radix est tentans primis motibus. Hinc illicium & inescatio in tertio gradu. Illectionem *Augustinus* extendit usque ad quartum gradum, lib. 6. contra Julianum, cap. 5. In quarto etiam gradu se prodit conceptio & partus. Consummatio autem in duobus ultimis gradibus & eorum alterutro, manifesta est.

Caput III.

Habitualem concupiscentiam esse peccatum proprie dictum.

I. De tribus postremis gradibus convenit nobis cum Pontificiis, nempe peccata esse mortalia. De primis tribus dissensio est. *Bellarminus*, lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 7. Tertium quidem gradum, quem ponit in partu, accenset peccatis, sed venialibus; primum verò & secundum non esse peccatis annumerandos pronunciat. Nos verò omnes sex gradus in peccatis habemus, & quidem lethalibus, seu, ut loquuntur, mortalibus.

II. Habitualem concupiscentiam Apostolus disertè appellat peccatum. Rom. 6: 12. Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore: & vers. 14. Peccatum enim vobis non dominabitur. Et cap. 7. vers. 8. & seqq. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, &c.

III. Oggerunt adversarii, peccatum hîc dici non propriè, sed impropriè, nempe quia peccati effectus est, & peccati causa est concupiscentia. Idque muniunt testimonio Augustini, lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 13. & lib. 1. de nuptiis & conc. cap. 23. Respondeo: Concupiscentia certè ex peccato Adami orta est; & est peccatorum actualium radix: dicit enim Apostolus peccatum istud operatum esse in ipso omnem concupiscentiam. Rom. 7: 8. sed nihil vetat idem & effectum esse peccati, & caussam peccati, & peccatum propriè dictum.

IV. At excipiens *Bellarminus*, lib. de amissione gratiæ, cap. 9. Tametsi, inquit, possit unum & idem, & peccatum esse & pœna peccati, addo etiam, & caussa peccati, tamen hoc sine dubio intelligendum est per comparationem ad diversa. Neque enim intelligi potest, ut res una sit peccatum & pœna atque effectus ejusdem peccati, quia esset caussa & effectus suiipsius, ac prior & posterior seipsa. Respondeo; Concupiscentiam esse ista tria per comparationem ad diversa. Nam est effectus & pœna peccati Adami: est causa peccatorum in singulis adultis actualium; est peccatum per propriam & intrinsecam malitiam qua contraria est legi Dei. Unde *Augustinus*, sicut (inquit) cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est quo in Deum non creditur; & pœna peccati qua cor superbum digna animadversione punitur; & caussa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur: concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est, vel defectione consentientis, vel contagione nascentis. Hæc *Augustinus*, lib. 5. contra Julianum, cap. 3. *Concupiscentia est & pœna effectusque peccati, & caussa peccati, & peccatum. Vide Instruct. Historico-Theolog. Lib. 8. cap. 8. §. 17.*

V. Deinde sic argumentor: Concupiscentia habitualis lege Dei prohibita est; ergo est peccatum. Peccatum, inquit Apostolus, non cognovi nisi per legem, nam & concupiscentiam non nossem, nisi lex dixisset, Non concupisces. &c. Rom. 7: vers. 7. & seqq. ipsam autem habitualem concupiscentiam omnesque ejus inordinatos motus prohiberi lege Dei patet ex illa dis-

dissertatione Apostolica. sicut observavit *Augustinus*, lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 23. & cap. 27. & cap. 29. & lib. de originali peccato, contra Pelagium & Cælestium, cap. 39.

CAPUT IV.

Concupiscentiæ habitualis remissionem esse homini necessariam, ad evitandum æternam damnationem.

I. CUJUS remissione indiget homo ita ut, nisi tollatur ejus reatus, homo per illud teneatur obstrictus vinculo æternæ damnationis; illud est peccatum mortiferum: at concupiscentiæ habitualis remissione indiget homo, & quamdiu remissio ejus in homine non fit, sic est in eo lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illo sit, qui hominem teneat æterni supplicii debitorem. Ut docet *Augustinus*, lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 32. & lib. 6. contra Julianum, cap. 7. ubi de concupiscentia ista loquens; Ex isto, inquit, & cum isto hominis malo nascitur homo, quod malum per seipsum tam magnum est, & ad hominis damnationem atque à regno Dei separationem tantum habet obligationis, ut, etiamsi de parentibus regeneratis trahatur, non nisi quemadmodum in illis sola regeneratione solvatur, atque isto unico remedio præpositus mortis à prole pellatur, quo à parentibus est pulsus. Hæc ibi. Ubi manifestè intelligit obligationem & reatum qui ab ipsa concupiscentia oritur & in ipsa fundatur, ita ut reus fit, qui concupiscentiam habeat non remissam, cum fit per seipsam mortiferum malum, sicut dicitur furti reus is quo propriè reus dicitur qui furtum fecit. Et alibi apertè profitetur *Augustinus* se intelligere eum baptismatis remissum esse concupiscentiæ reatum, quo reum hominem concupiscentia originaliter faciebat: & hanc concupiscentiam manere actu post baptismum, remisso atque evacuato ejus tali reatu. lib. 6. contra Julianum, cap. 6.

II. Talem tamen concupiscentiæ reatum nullum agnoscit *Bellarminus*, ut inde falsam suam stabiliat conclusionem, nempe concupiscentiam (de qua disputamus) non esse ex se vel ex natura sua peccatum. lib. 5. de amissione gratiæ cap. 13. §. *Sed hoc loco*. & seqq. quem crassum errorem facile est aliis clarissimis *Augustini* testimoniis refellere. Nam hanc ipsam concupiscentiam, hanc legem peccati, hoc generi humano inflictum vulnus à Diabolo, *Augustinus* ait esse damnabile illud virium quo vitiata est humana natura, & propter quod natura humana damnatur. lib. 1. de nuptiis cap. 23. licet jam in regeneratis non deputetur in peccatum. ibid. cap. 24. & alibi legem peccati manentem in regeneratis vocat peccatum jam remissum: ipsumque manere ait in vetustate carnis tanquam superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reviviscat: & in regnum proprium dominationemque revocetur. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 28. & hanc concupiscentiam in renatis non solum remissam esse, sed etiam in proficientibus assiduè minui: lib. 1. de nuptiis, cap. 25.

Concupiscentia in renatis est peccatum remissum.

III. Et alibi, In eis ergo, [inquit *Augustinus*] qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus, licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum quæ manere non possunt, quoniam cum fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, &, nisi remittatur, in æternum manebit; sic illius concupiscentiæ quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam, verbi gratia, fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud quod admisit jam non sit, quia cum tempore quo factum est præteriit. —— Quomodo manent peccata, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu? Sic itaque fieri è contrario potest, ut etiam illud maneat actu, prætereat reatu. lib. 1. de nuptiis, cap. 26. & 27.

IV. Idem alibi; Dixi (inquit) quomodo manent peccata reatu, quæ præterierunt actu, sic è contrario fieri potest, ut concupiscentia maneat actu, & prætereat reatu: quod error quidem tuus falsum esse dicit, sed veritas verum esse convincit. —— Tale est carnis concupiscentia, ut maneat in homine secum per continentiam confligente, quamvis ejus reatus qui fuerat generatione contractus, jam sit regeneratione transactus. Actu enim manet, non quidem abstrahendo & illiciendo mentem, ejusque consensu concipiendo & pariendo peccata, sed mala, quibus mens resistat, desideria commovendo. Ipse quippe motus, actus est ejus, quamvis mente non consentiente desit effectus. Inest enim homini malum & præter istum actum, id est, præter hunc motum, unde surgit hic motus: quem motum dicimus desiderium. Non enim semper est desiderium contra quod pugnemus, sed si tunc non est quando non occurrit quod concupiscatur, sive animo cogitantis sive sensibus corporis; fieri potest ut insit qualitas mala, sed nulla sit tentatione commota; sicut inest timiditas homini timido & quando non timet. Cum verò occurrit quod concupiscatur, nec desideria mala nobis etiam nolentibus commoventur, sanitas plena est. Hoc ergo vitium non potest nisi reatu tenere hominem, quamvis ejusdem mali bono usu de castis conjugibus procreatum. Qui reatus, quamvis eo manente malo, solvitur in remissione omnium peccatorum per Dei gratiam qua liberamur ab omni malo. lib. 6. contra Julianum, cap. 8. Deinde initio capitis noni, de hac ipsa mala concupiscentia quæ in regeneratis sublato reatu, manet actu ad agonem: Propter hoc vitium (inquit) humana natura damnatur; & propter quod damnatur, damnabili diabolo subjugatur. Et paulò ante, in fine octavi capitis, dixit; Iniquitatem esse, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt; vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur. Et hominem punitum iri quia in illo inest ista iniquitas, nisi ab ejus reatu ita liberetur, ut quamvis in certamine adversus spiritum perseveret, hominem tamen jam non reum ad nulla post mortem tormenta transmittat, non alienet à regno Dei, nulla damnatione faciat detineri. Et alibi, obesset (inquit) ista carnis concupiscentia etiam tantummodo quod inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset, ut quæ in eis est, & nato, & renato, nato quidem & inesse & obesse, renato autem inesse quidem, sed non obesse possit. lib. de originali peccato contra Pelagium & Cælestium, cap. 39. Quibus locis apertè do-

Concupiscentia est qualitas mala.

cet

cet Augustinus reatum concupiscentiæ, qui remissione tollendus est, in ipsa esse concupiscentia fundatum, quia videlicet inest homini vitium concupiscentiæ non remissum. Est autem hæc lex Dei, quæ conscripta est in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit, ut scribit idem *Augustinus*, lib. 6. contra Julianum, cap. 8. unde colligit, manere reatum concupiscentiæ, donec Christi sanguine per baptismum diluatur.

V. At *Bellarminus*, lib. 5. de amissione gratiæ cap. 7. affirmat reatum esse omnino inseparabilem ab eo quod natura sua est dignum æterna damnatione. Ineptè, nam uti jam ostendimus, peccata quædam transierunt actu, & tamen manent reatu; & viceversa, concupiscentia, malum in se damnabile, transit reatu & manet actu, peccatum remissum. Unde *Thomas Aquinas*, transit (inquit) peccatum originale reatu, sed remanet actu, in prima secundæ, quæst. 74. art. 3. ad secundum.

VI. Sed duas adfert *Bellarminus* significationes reatus; nam reatus, inquit, non est sola ordinatio ad pœnam, hæc enim est bona & à Deo; sed est dignitas sive meritum pœnæ. Unde *S. Augustinus*, in Psal. 50. nemo nascitur, ait, nisi trahens pœnam, trahens secum meritum pœnæ. Præterea reatus est relatio cujus proximum fundamentum est actus malus sive iniquitas. Non potest autem relatio à fundamento proximo separari, quia ex ipso fundamento naturaliter & necessariò sequitur. Neque enim fieri potest, ut qui genuit filium non sit ejus Pater, & qui genitus est ab alio, non sit ejus filius. Unde infert, concupiscentiam in renatis natura sua non esse rem dignam pœna, nec habere veram ac propriam rationem peccati.

VII. Respondeo; si ista ratio admittatur, sequetur, nullius tolli posse reatum peccati quod actu transierit, nisi efficiat Deus ut factum infectum non solum habeatur, sed revera sit. Nam actus homicidii præteritus fundamentum est manentis reatus, fieri enim non potest, ut qui homicidium vel adulterium fecit (utor verbis ipsius Bellarmini) non sit reus, id est, dignus pœna, etiamsi forte judex nolit illum punire. Et quamvis in homine illo neque maneat adhuc actus neque desiderium homicidii vel adulterii, sceleris tamen semel perpetrati manet reatus. Jam reatus hujus fundamentum est actus aliquando patratus, nisi igitur efficiat Deus, ut actus ille nunquam sit patratus, aut saltem ut nunquam fuerit natura sua dignus pœna, non poterit ejus auferri reatus? Hoc licet absurdissimum sit, necessariò tamen sequitur ex illa assertione Bellarmini de inseparabilitate reatus à peccato propriè dicto. Idem autem *Bellarminus* alibi sui oblitus, ait, Augustinum comparare reatum concupiscentiæ cum reatu adulterii in eo, quod ut separatur reatus adulterii ab adulterio, ita separatur reatus concupiscentiæ à concupiscentia. lib. 5. de amiss. grat. cap. 13. §. *In testimonio penultimo.*

VIII. Numquid ergo, inquies, Deus facit, ut quod natura sua meretur pœnam, illud evadat non dignum pœna? Respondeo: Deus condonando auferens reatum peccati, non mutat naturam peccati, sed dat veniam peccatori. Et reatum priore significatu sumptum, à judicis voluntate pendentem, prorsus tollit. Reatum verò pro merito pœnæ sumptum, cum sit inseparabile accidens peccati, non tollit, sed cum non sinit nocere peccatori jam veniam consequuto; remittit enim & tegit culpæ meritum benigna sua indulgentia, adeo ut quamvis culpa ipsa in se considerata semper habeat meritum pœnæ, homo tamen jam venia donatus non mercatur pœnam; si nimirum spectetur non in sua culpa, sed in Dei gratia: nam in se consideratus peccator, secreto remissionis intuitu, semper dignus est morte; at si eum intuearis ut in foro misericordiæ absolutum, adeoque ut justificatum fide per sanguinem Jesu Christi, non jam morte dignus est. Itaque non in nobis, sed in Domino gloriamur, qui residua in nobis mala, cum quibus adhuc luctamur, non imputat nobis in peccata, sed eis non obstantibus nos plenè & constanter diligit, & mala ista non tanquam nostra jam peccata, cum remissa sint, sed tanquam residuos ex peccato languores in justificatis intuetur, oculo commiserationis, non ultionis, ut amicus medicus, non ut severus judex: nos amans & ad perfectiorem sanitatem gradatim renovans; mala autem illa odio habens, tanquam legi divinæ repugnantia, nobisque dilectis ejus pignoribus molesta. Neque propter peccata illa nobis jam remissa, nos odit ut peccatores & à Deo alienos, sed propter suam misericordiam, qua nos gratis justificavit, nos amat ut suos, & miseratur ut miseros, sustentat ut infirmos, sanat ut ægrotos. Quo nomine Apostolus gratias egit Deo per Jesum Christum Dominum nostrum. Rom. 7: 25. Sufficit enim nobis gratia Domini, cujus potentia perficitur in infirmitate. 2 Cor. 12. 9. & is qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet usque ad diem Jesu Christi. Philip. 1. 6.

IX. Objicitur; auferri perfectè omnia peccata per gratiam regenerationis in baptismo: adeo ut non maneat peccatum in baptisato. Respondeo, non manet in eo peccatum irremissum, neque ullius habet peccati reatum; manet tamen in eo peccatum remissum. ut loquitur *Augustinus*, lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 28. non enim jam imputatur in peccatum, quamvis in se considerata concupiscentia semper habeat veram rationem peccati, nempe iniquitatem, sive *ἀνομίαν*. Huc pertinet illa responsio *Augustini* ad Julianum; *Julianus* Pelagianus affirmabat *Augustinum* dixisse, quod gratia non perfectè hominem novum faciat. Respondens illi *Augustinus*, Non hoc dico, (inquit) attende quod dico, gratia perfectè hominem novum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem plenamque fælicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfectè innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem attinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis. ——— Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Sed propter hoc & de ipsa anima dictum est: Renovatur de die in diem. Neque enim ipsa in sanctitate non proficit cum magis magisque minuit eas, quibus non consentit, carnales cupiditates. Jam baptizatis quippe dicebat Apostolus, mortificate membra vestra quæ sunt super terram. ibi & fornicatio & mala concupiscentia & avaritia nominatur. Quomodo ergo mortificat jam baptizatus fornicationem, quam non jam perpetrat, & secundùm te nec habet aliquid quod mortificet? quomodo inquam, obtemperat Apostolo dicenti, mortificate fornicationem, nisi cum desideria ejus, quibus non consentit, expugnat, quæ in bene facientibus, & omnino non fornicantibus nec con-

Vide Instruct. Historico-theol. lib. 9. cap. 1. & lib. 10. cap. 3. & cap. 16.

Galat. 5: 17.

2 Cor. 4: 16.

Coloss. 3: 5.

concupiscentiæ nec opere, etsi non desunt, tamen quotidie minuuntur. Hoc agitur in templo Dei, quando adjuvante Deo, agitur quod præcepit Deus. Opera spiritus eriguntur, opera carnis mortificantur. Hæc *Augustinus*, lib. 6. contra *Julianum*, cap. 5. ac si dixisset *Augustinus*, peccata omnia per gratiam baptismi perfectè auferri quoad reatum, qui justificatione tollitur; fieri enim in baptismo plenam peccatorum remissionem, ut idem loquitur ejusdem libri cap. 7. at non statim perfectè auferri quoad malitiam & corruptionem, quæ gradatim sanctificatione minuitur, donec tandem tota penitus expurgetur. Ad quam perfectionem proficimus magis magisque per Dei gratiam in hujus mortalis vitæ stadio; perveniemus verò peracto cursu hujus peregrinationis.

X. Hanc fuisse mentem *Augustini* patet ex aliis ipsius clarissimis verbis, quæ subjungit eod. lib. 6. contra *Julianum*, cap. 8. Dominus in Evangelio, Ecce, inquit, ejicio dæmonia, & sanitates perficio, hodie & cras, & tertio die consummor. Post multum tempus quàm hoc dictum est, passus est Dominus. Mentiri non potuit. Intelligitur ergo sic; Expulsio dæmoniorum, remissio peccatorum est, eo utique quo diabolus peccatorum pater atque origo sit, per id quod efficitur id quod efficit. Et utique expulsio dæmoniorum est remissio peccatorum, tanquam resoluta causa, per quam hominis animam possidebat. Perfectio sanitatum, dum de die in diem proficit Ecclesia, & corruptionis, cujus reatus ablatus est, passio quotidiana renovatione minuitur. Tertia consummatur, dum resurrectionem in seipso initiandam, monstravit Ecclesiæ, qua ad incorruptionis consummationem, summamque perveniat sanitatem. Se verò consummari dixit, & initium & finis ipse, ipse caput & plenitudo corporis, in membris suis ipse perficitur. Hæc ibi.

Luc. 13. 32.

XI. Idem etiam eod. lib. 6. cap. 5. sic alloquitur *Julianum*; *Tu putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur: multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis.* Adfert ibi *Augustinus* duo exempla; nempe malum ignorantiæ per quod homo non percipit quæ sunt spiritus Dei, & malum concupiscentiæ; quibus non statim carere baptizatos probat ex scripturis, quamvis eorum reatu sint exsoluti. Et concludit his verbis: *Horum itaque malorum præteritus omnis reatus sacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renascentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente. Concupiscentia minuitur charitate magis magisque fervente.* Hactenus *Augustinus*, qui plura in eandem sententiam scripsit ejusdem libri, cap. 6. & cap. 7. & lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 27. & alibi passim in suis scriptis contra Pelagianos.

XII. Interea observa ex verbis proximè citatis, lib. 6. contra *Julianum*, cap. 5. quæstionem fuisse inter *Augustinum* & *Julianum*, non nisi de tali malo quod esset in se malum morale, hominem reum faciens, id est, peccatum, quod aufert regeneratio tollendo ejus reatum: nullum merè physicum, in homine existens, aufertur in baptismo, sed aufertur reatus mali moralis. Deinde, *Augustinum* docere unum idemque malum concupiscentiæ & fuisse peccatum ante baptismum, & manere post baptismum, non jam ut peccatum, quia soluto ejus reatu non deputatur jam in peccatum, sed ut malum morbum. Denique eadem mala quæ remissa sunt in renascentibus, minui in proficientibus. Adeoque eundem esse actum mali tum in non renato, tum in renato; sed renatum liberatum esse à reatu quem habebat non renatus.

XIII. Atque ita ex doctrina *Augustini*, firmum stat tertium nostrum argumentum, quo ostendimus, concupiscentiam malam habitualem esse in se & natura sua peccatum propriè dictum. In hanc sententiam *Petrus Lombardus*, lib. 2. sent. dist. 32. A. dicit concupiscentiam remanere post baptismum, sed non ad reatum, quia non imputatur in peccatum, sed tantum pœnam esse peccati; ante baptismum verò pœnam esse & culpam.

XIV. Eandem autem rem malam, quæ in baptismo remissa sit, manere post baptismum, licet jam in peccatum non imputetur, patet etiam ex habitibus malis consuetudine contractis in homine adulto antequam baptizetur, quorum reatus per gratiam aufertur in baptismo, ipsi tamen habitus non statim penitus extirpantur, sed per gratiam Dei eis resistit renatus, paulatimque eos evellit. Exemplum vinolentiæ adfert *Augustinus*, lib. 6. contra *Julianum*, cap. 7. Addi possunt alia exempla, ut mulierositas, avaritia, ambitio, &c.

XV. *Bellarminus* lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 19. ait, habitum vitiosum per actus frequentatos acquisitum, esse quidem vitium, at negat esse peccatum: quia scilicet habitus acquisitus est qualitas positiva, & manet sæpenumero post culpam remissam. At istæ ratiunculæ nihil efficiunt pro confirmando errore *Bellarmini*. Nam peccatum, ut ait *Augustinus*, est omne dictum vel factum vel concupitum, quod fit contra legem Dei. Sanè dici potest, (inquit *Petrus Lombardus*,) & liberè tradi debet, peccatum esse actum malum interiorem, & exteriorem, scilicet malam cogitationem, locutionem, & operationem: præcipuè tamen in voluntate consistit peccatum, ex qua, tanquam ex arbore mala, procedunt opera mala tanquam fructus mali. Hæc *Lombardus*. Constat (inquit *Durandus*) quod omne peccatum commissionis consistit in aliquo actu exteriori vel interiori. Non jam quæstio vertitur unde competat quibusdam positivis esse peccata, sed an sint peccata, quod ineptè negavit *Bellarminus*. Etsi enim quod positivum est, non est Metaphysicè malum, multæ tamen qualitates & operationes inveniuntur positivæ, quæ moraliter malæ & peccata sunt, non quia metaphysicè sunt, sed quia moraliter pravæ sunt, & lege Dei vetitæ. Ipsum peccatum originale, quod *Bellarminus* peccatum habituale esse dicit, est qualitas positiva, & manet post culpam remissam. Et *Thomas* peccatum originale vocat habitum & inordinatam dispositionem. prima secundæ quæst. 32. articul. 1. Ideo hîc petit principium *Bellarminus*. Manere autem habitum peccati originalis, post remissam culpam, ostensum jam est, & clarius etiam apparebit sequenti capite. Concupiscentiam verò, sive peccatum originale, esse rem positivam, docet etiam *Augustinus*, dum ait, Adamum occulta tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificasse in se omnes de sua stirpe venientes. Lib. 1. de peccatorum remissione ac meritis, cap. 9.

August. lib. 22. contra Faustum Manichæum, cap. 27. P. Lomb. 2. Sent. dist. 35. C. Durand. ibid. quæst. 2. num. 4. Vide supra cap. 2.

Peccatum originale est qualitas positiva.

& concupiscentiam istam idem *Augustinus* appellat qualitatem malam. lib. 6. contra Julianum, cap. 7. & cap. 8. imo omne vitium morale est peccatum morale: omne autem peccatum morale, est veri nominis peccatum, quod pœnam mereatur: de quali peccato nunc quærimus. Neque nunc differimus de qualibet aberratione à regula etiam in natura, aut arte, quæ genera aberrationum ineptè & dolosè, ac pueriliter ingerit Bellarminus, lib. 5. de amissione gratiæ cap. 14. sed de aberratione morali, quam lex vetat, & quæ legi morali repugnat, & quæ virtuti aut officio morali lege imperato directè opponitur oppositione morali. vide cap. 5. §. 20. & §. 21. & cap. 6.

Omne vitium morale est peccatum morale. Vide cap. 5. §. 17. & §. 20. & §. 21. & cap. 6. §. 1.

Caput V.

Concupiscentiam habitualem peccatum esse originale.

Quartum argumentum nostrum, quo probamus concupiscentiam habitualem esse veri nominis peccatum, sic se habet: peccatum originale est veri nominis seu propriè dictum peccatum: at concupiscentia habitualis nobis ingenita est peccatum originale: Ergo.

Majorem concedunt Pontificii. Minor sic probatur:

I. Illud malum cujus, reatus in ipso malo fundatus remittitur parvulis in baptismo, propter quem reatum alioqui damnarentur, est peccatum originale: At concupiscentia mala parvulis ingenita, est illud malum: Ergo.

Major patet, quia nulla est damnationis causa nisi peccatum, uti verè dixit *Augustinus*, lib. 1. de nuptiis, cap. 23. Nam mors est stipendium peccati. Rom. 6. vers. ult. Infantes autem non habent nisi originale peccatum, & solius originalis peccati reatus ab ipsis aufertur in baptismo, reatus, inquam, in ipso peccato originali fundatus. Rom. 5: 14.

Rom. 6. 23.

Minor etiam patet ex eis quæ dicta sunt superius, cap. 4.

II. Porro illud malum, ex quo in parentibus generantibus existente traducitur in sobolem peccatum originale, est ipsum peccatum originale: at concupiscentia est illud malum in parentibus generantibus existens ex quo traducitur in prolem peccatum originale; ergo concupiscentia est ipsum peccatum originale. Nempe quatenus peccati originalis appellatione intelligitur hærens in homine habituale ac damnabile vitium ex primo Adami peccato contractum & generatione propagatum.

III. Major certa est; nam non haberet proles originale peccatum nisi à parente in prolem traduceretur: traduci autem à parente non posset originale peccatum, nisi in parente generante esset originale peccatum. Non autem transit eadem numero corruptio de Patre in filium; tunc enim generato uno filio Pater esset purus & reliqui filii generarentur sine labe. Sed Pater ut naturam, ita qualitatem hanc malam sive labem suam retinens, propagatione communicat proli naturam labemque eandem quidem specie, sed aliam numero. Unde *Augustinus*, de concupiscentia seu peccati originalis traductione loquens, Ex isto (inquit) & cum isto hominis malo nascitur homo, quod malum per seipsum tam magnum est, & ad hominis damnationem atque à regno Dei separationem tantum habet obligationis, ut etiamsi de parentibus regeneratis trahatur, non nisi, quemadmodum in illis, sola regeneratione solvatur, atque illo unico remedio propositus mortis à prole pellatur, quo à parentibus est pulsus. Qualitas affectionalis mali de substantia ad substantiam non emigrando transit, sed quodam operante contagio, id est, concupiscentiæ affectu, sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur. Qualitas autem mali non in substantiam de substantia, tanquam de loco in locum migrat, ut deserat ubi erat, & quæ fuit ibi, ipsa sit alibi; sed alia ejusdem generis quodam operante contagio; quod etiam de morbidis parentum corporibus solet evenire nascentibus. Lib. 6. contra Julianum, cap. 7.

IV. Idem alibi, Neque illud fallat, quod si nec parenti post conversionem obsunt propria peccata, quanto magis, inquiunt [*Pelagiani*,] filio ejus obesse non possunt. Sed qui hoc sentiunt, non attendunt, quia sicut parenti, per hoc quod spiritu renatus est, propria peccata non obsunt, ita qui de illo natus est, nisi eo modo renascatur, quæ à parente tracta sunt, oberunt. Quia & innovati parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt, & filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam sacramento spiritalis regenerationis & renovationis evadunt. Illud namque præcipue propter quæstiones quæ de hac remotæ sunt vel moveri adhuc possunt, attendere ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamque remissionem baptismo fieri, hominis verò ipsius qualitatem non totam continuò commutari, sed spirituales primitias in bene proficientibus de die in diem novitate crescente commutare in se quod carnaliter vetus est, donec totum ita renovetur, ut animalis etiam infirmitas corporis, ad firmitatem spiritualem incorruptionemque perveniat. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 27.

V. Pergit *Augustinus* eod. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 28. & lege peccati, manente post regenerationem in vetustate carnis, quam & vocat peccatum remissum, ait conjugatos fideles bene uti, qui ex eo quod sunt in Christi novitate, dominari sibi libidinem minimè patiuntur; ex eo autem quod adhuc trahunt Adæ vetustatem, regenerandos immortaliter filios mortaliter generant cum ea propagine peccati, qua illi qui renati sunt obnoxii non tenentur, & qua illi qui nascuntur renascendo solvuntur; manente enim ipsa lege concupiscentiali in membris, reatum ejus solvi ei, qui sacramentum regenerationis accipit renovarique jam cœpit. Item cap. 29. Ex quo per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, ita in omnes homines ait pertransiisse usque in finem carnalis hujus generationis & corruptibilis seculi, cujus filii generant & generantur: neque ullum existere hominem, de quo in hac vita constituto veraciter dici possit, quod nullum habeat omnino peccatum, excepto uno Mediatore, qui nos Creatori nostro reconciliat per remissionem peccatorum.

torum. Et alibi ait, peccatum originale quod parenti fideli remissum, & tectum est, & non imputatur; habere adhuc vim quandam occultam unde seminatur amarus oleaster, id est, filius peccato originali obnoxius & reus, donec & illic eadem Dei agricultura remittatur, tegatur, non imputetur. Lib. 1. de nuptiis cap. 32. & cap. 33. Hæc *Augustinus*.

VI. Minor propositio syllogismi nostri, quod nimirum concupiscentia sit illud malum in parentibus generantibus existens ex quo in prolem traducitur peccatum originale, manifesta est ex eis quæ ad majorem dicta sunt. Nam cum originale peccatum in prole sit mala qualitas in prole ab alia congenere qualitate in parente traducta; quam obsecro invenient Pontificii aliam qualitatem malam in parente congenerem peccato originali quod est in prole, ex qua traducatur in prolem culpa originalis? Ajunt illi prorsus tolli baptismo peccatum originale, non solum quoad reatum, sed etiam secundùm omne id quod ex se vel natura sua veram & propriam peccati rationem habet; ita ut non solùm non imputetur renatis in peccatum, sed nec sit aliquid in eis quod Deus oderit aut quod ex natura sua imputari possit in peccatum. Concil. Trid. Sess. 5. *Bellarminus* lib. 5. de amissione grat. cap. 7. & cap. 9. & lib. 1. de baptismo, cap. 13. unde igitur trahi poterit originale peccatum, seu qualitas illa mala in prolem ex congenere qualitate mala in parente, quæ parenti inest, at non obest, soluto ejus reatu per regenerationem spiritualem, proli autem & inest & obest, nisi quod generatione carnali contractum est solvatur regeneratione spirituali?

VII. Trahi certè non potest à peccatis actualibus proximorum parentum: nam per unum hominem mors intravit in mundum, in quo uno omnes peccarunt; per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, & per unam offensam omnes inquinati ac rei facti sunt ad condemnationem. Rom. 5: 12, 18, 19. Illo magno peccato primi hominis, natura ibi nostra in deterius commutata, non solum facta est peccatrix, verum etiam genuit peccatores, inquit *Augustinus*, lib. 2. de nuptiis cap. 34. Et *Thomas* docet, impossibile esse ut aliqua peccata proximorum parentum, vel etiam primi parentis, præter primum per originem traducatur. Quia nimirum primum peccatum corrupit naturam humanam corruptione ad naturam pertinente, alia verò peccata corrumpunt eam corruptione pertinente ad solam personam. prima secundæ quæst. 81. art. 3.

VIII. Quis dabit mundum de immundo? inquit *Job*, cap. 14. vers. 4. Quo dicto ostendit immunditiem parentis esse caussam immunditiei in prole. Sublata autem proxima caussa tollitur effectus, nisi ergo actu insit parenti etiam fideli peccatum originale, quamvis solutus sit ejus reatus, quomodo poterit traduci in prolem illa immundities peccati originalis?

IX. *Augustinus* actum concupiscentiæ comparat naturæ generatrici in homine, aut olivæ, aut grano; reatum autem præputio hominis nascentis ex circumciso parente, & anomaliæ oleastri nascentis ex semine olivæ, & paleæ granorum in spica succrescentium ex semine à quo palea erat amota. Unde infert, non esse absurdum quod filius nascatur reatu peccati originalis obstrictus, à quo exsolutus erat pater eum generans; sufficere enim si malum illud quod proli nascenti ita inest ut etiam obsit, nisi regeneratione solvatur ejus reatus, si, inquam, actu tantummodo insit parenti, quamvis ablato per regenerationem reatu. Quamvis (inquit) & in omnibus natura generatis, gratia regeneratis, sit ista carnalis concupiscentia, repugnans legi mentis, tamen quia remissa est in remissione peccatorum, non jam illis in peccatum reputatur, nec nocet aliquid, nisi ejus motibus ad illicita consentiatur. Proles verò eorum quia non per spiritalem, sed per carnalem concupiscentiam seminatur, velut ex illa oliva quidem nostri generis oleaster, sic inde reatum nascendo trahit, ut nisi renascendo liberari ab illa peste non possit. Hæc *Augustinus*, lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 34. Quemadmodum igitur sublata natura generatrice prolis congeneris ab homine, oliva, grano, non posset simile ex eis nasci, sic nisi saltem actu insit homini peccatum originale, non posset generare prolem infectam peccato originali. Hanc autem esse *Augustini* mentem, neque aliorsum detorquendas esse istas similitudines, manifestum est ex plurimis ipsius *Augustini* testimoniis, è quibus multa nobis recitata sunt in superioribus. Ille (*inquit*) in quo omnes moriuntur, præterquam quod eis qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes. Hinc omnino, nec aliunde Apostolus dixit, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, &c. *Augustinus* lib. 1. de peccat. merit. cap. 9. Item; Creabatur in templo Dei, non templum Dei; In fœmina fideli creatus est infidelis, & in eum parentes infidelitatem trajecerunt quam non habebant, quando ex ipsis natus est; sed tunc habebant, quando ipsi similiter nati sunt. Trajecerunt ergo quod jam non erat in eis propter semen spiritale quo regenerati sunt, sed erat in eorum carnali semine quo eum generaverunt, &c. lib. 6. contra *Julianum*, cap. 5.

Vide etiam cap. 17.

X. Manifestè docet in suis libris *Augustinus* tradnci de concupiscentia peccatum originale; & ipsam concupiscentiam esse peccatum originale, & vitium illud propter quod humana natura damnatur & diabolo subjugatur. Et concludens prolixam disputationem contra *Julianum*, Non igitur (inquit) tota disputatione tua contrivisti, sicut te jactas, assertionem meam de malo carnalis concupiscentiæ originalisque peccati, manente laude nuptiarum quæ bene utuntur malo, non quod fecerunt, sed quod invenerunt. Lib. 6. contra Julianum, cap. 11.

XI. *Petrus Lombardus*, Augustini doctrinæ in hac quæstione adhærens, disertè affirmat, ipsum originale peccatum esse concupiscentiam, fomitem peccati, legem membrorum, languorem naturæ, tyrannum qui est in membris nostris, legem carnis. His omnibus appellationibus intelligendum esse monet ipsum originale peccatum, quod etiam appellat vitium concupiscentiæ, quod in omnes concupiscentialiter natos per Adam intravit, eosque vitiavit. 2. sent. dist. 30. G. & H. Idque in baptismo ait ea ratione dimitti, non quia non maneat

post baptismum, sed quia reatus in baptismo abolетur; & quia baptismi gratia concupiscentia ipsa mitigatur & minuitur. Atque hoc ipsum apertè ab *Augustino* esse ostensum. 2. sent. dist. 32. B.

XII. Quid responsionis, inquies, superest contradicentibus? Tres adhuc oggerunt responsiones; quarum duas inveniet lector apud *Bellarminum*, lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 13. §. *Respondeo in ultimo*. & paragraphis quatuor immediatè sequentibus. & apud *Thomam* prima secundæ, qu. 81. art. 3. ad secundum. & qu. 82. art. 3. & alibi. Prima responsio est, concupiscentiam quæ remanet in renatis esse tantummodo rebellionem partis inferioris contra superiorem, quæ rebellio, secundùm eos, se habet in peccato originali tanquam quiddam materiale, nec est peccatum formaliter, sed tantummodo materialiter, nec facit propriè hominem reum, nisi illiciendo pertrahat ad consensum. Per eum tamen reatum quo concupiscentia facta est, fieri hominem reum ab ipsa concupiscentia, donec non remittitur per baptismum. At illud commentum supra explosum est: concupiscentia enim per se ipsam, eo ipso tantummodo quod inest, obstringit reatu hominem, donec remittitur. Ut docet *Augustinus*.

XIII. Itaque primæ responsioni diffidens *Bellarminus* aliam subjicit. Potest enim dici (inquit) in his locis loqui *Augustinum* de concupiscentia, quatenus ea efficit habitum totalem corruptum: verè enim ille totalis habitus, sive totalis illa naturæ & omnium potentiarum corruptio facit hominem reum, etiamsi tantum insit, & nihil operetur, ut in infantibus. Cæterum in hoc totali habitu pars una, id est, aversio mentis à Deo est formaliter peccatum, & reum hominem proprie facit; altera, id est, rebellio partis inferioris à superiore, non est peccatum nisi materialiter, nec facit propriè hominem reum, nisi illiciendo pertrahat ad consensum. Quoniam igitur ante baptismum concupiscentia conjuncta est in homine cum aversione mentis à Deo, ideo rectè dicitur habere reatum, non solum per quem ipsa facta est, si consideretur ut pars illius habitus corrupti, sed etiam quo facit reum, si consideretur ut unum quid cum altera parte ejusdem habitus corrupti. Post baptismum verò, quia pars illa formalis, id est, aversio mentis à Deo, sanata & sublata est; ideo sola remanet pars altera, id est, concupiscentia carnis, quæ non habet reatum quo facit reum, neque illum quo ipsa facta est; sed eum solum, ad quem perducit, si regnare sinitur. Et hoc modo cohærent inter se loca omnia sancti *Augustini*, atque etiam excluditur admiratio illa *Calvini*, in Antidoto, sess. 5. Concilii Tridentini, ubi miratur, Patres Concilii rem eandem, id est, concupiscentiam, dicere non esse post baptismum id quod erat antea. Patres enim rectissimè dixerunt concupiscentiam post baptismum manere, & tamen non esse peccatum, ut erat antea; quia videlicet separata ab aversione mentis non habet annexum reatum quem habebat antea. Hæc *Bellarminus*, lib. 5. de amiss. grat. cap. 13. Similia habet Thomas locis citatis.

XIV. Verum ista omnia jam in antecessum eversa sunt. Ostendimus enim, 1. Concupiscentiam istam, cujus reatus, quo hominem reum faciebat, remittitur in regeneratione, eandem manere actu post baptismum: & hanc ipsam quæ in regeneratis manet, obfuturam reatu quo hominem reum faceret, per seipsam, eo ipso tantummodo quod inesset, obfuturam, inquam, ita ut propter eam homo morti æternæ maneret obnoxius, nisi esset per Dei gratiam sublatus ejus reatus. Et hanc esse *Augustini* doctrinam clarissima ejus testimonia à nobis prolata evidentissimè demonstrant. 2. Ostendimus concupiscentiam carnis, de qua quæstio est, locum etiam habere in mente seu parte animæ superiore. 3. Ex eis quæ dicta sunt manifestum est, ita ablatam esse regeneratione concupiscentiam, ut tamen in regeneratis maneat actu, & propter eam actu adhuc manentem curatione & expurgatione egeant regenerati. Qui & per gratiam Dei in regeneratione acceptam resistunt concupiscentiæ, ejusque vires in se de die in diem imminuunt. Hæc autem concupiscentia seu corruptio actu manens, non solùm inferiorem partem & superiorem tenet infectam reliquiis vetustatis, adeo ut neque pars inferior prorsus sit destituta primitiis novitatis, neque pars superior sit prorsus omnis corruptionis expers, aut perfectè sanata, atque ab omni immunditie liberata. Nam regeneratis dicitur, ut renoventur spiritu mentis suæ, Ephes. 4: 23. & ut seipsos purgent ab omni inquinamento carnis & spiritus. 2 Corinth. 7: 1. eorumque internus homo renovatur de die in diem. 2 Cor. 4: 16. Caro enim adhuc in eis concupiscit adversus spiritum, non solùm concupiscendo objecta partis inferioris, sed & objecta superioris partis. Galat. 5. ubi carnis nomine intelligi ostendimus etiam partem animæ superiorem, quatenus in ea adhuc hærent reliquiæ vetustatis. Quæ etiam se exerunt interdum per amaros fructus; nam concupiscentia in parte superiore, nisi ei vigilanter & fortiter resistatur, parit etiam in hominibus regeneratis ambitionem, superbiam, inimicitias, æmulationes, injurias, superstitiones, & similia peccata, in quæ incidere possunt regenerati, non minùs, quàm in ebrietatem, aut adulterium. Sicut autem adulterii & helluationis mater est concupiscentia objectorum partis inferioris, ita illorum peccatorum mater est concupiscentia objectorum partis superioris. Nam concupiscentia mater est omnium aliorum peccatorum, uti docet Jacobus Apostolus, cap. 1. & omnibus regeneratis viatoribus opus est incremento fidei, & depulsione incredulitatis. Ideo dicunt cum Apostolis, Domine adauge nobis fidem. Luc. 17: 5. & cum homine illo, Credo Domine, fer opem incredulitati meæ. Marc. 9: 24. Non igitur rectissimè, sed perperam Patres Tridentini negarunt concupiscentiam, quæ post baptismum manet, esse peccatum, ut erat antea. Nam neque post baptismum separata est prorsus ab aversione mentis: neque partis etiam inferioris rebellio culpa vacat, repugnat enim legi Dei, & per eam caro concupiscit adversus spiritum; Caro autem non dicitur concupiscere, nisi quia anima carnaliter concupiscit, nempe una illa unius hominis anima rationalis, forma hominis, quæ contrariis suis motibus secum ipsa confligit, uti monet *Augustinus* lib. 6. contra Julianum, cap. 5. eumque sequutus *Petrus Lombardus*, 3. sent. dist. 27 F. Omnis autem habitus vel actus in homine repugnans moraliter legi Dei est peccatum. Et ubi reperitur aliquod vitium morale, ibi est & vitiosa voluntas, absque qua non reperitur ullum vitium morale.

Galat. 5: 17.

Jacob. 1: 15.

XV. Sed audiamus tertiam *Bellarmini* responsionem, quæ exstat in illo ejus opere de amiss. grat. lib. 5. cap. 10. in responsione ad objectionem sextam. Nempe; non omne quod repugnat legi esse peccatum; nam & hominem re-

pu-

pugnare legi Dei, non tamen hominem esse peccatum propriè. Item legi justæ aut injustæ repugnare legem aliam justam, aut injustam, nec tamen legem propriè dici posse peccatum. Concupiscentiam verò repugnare legi mentis ut legem contrariam impellentem ad malum, quo modo etiam legi repugnat Diabolus, & quicquid incitat ad legis transgressionem.

XVI. Hanc tertiam responsionem sic everto. 1. Exemplum hominis alienum est: nam concupiscentia non est substantia, non est persona, sed est corruptio seu vitium personæ. Et quamvis homo resistens legi Dei, non sit peccatum propriè, quia non est ἀνομία iniquitas, sed ἄνομος iniquus, est tamen propriè peccator & reus, non propter suam substantiam, sed propter illam iniquitatem per quam resistit legi Dei, quæ anomia est peccatum propriè. Dum igitur actualiter resistit, id facit per peccatum actuale, puta per blasphemiam, adulterium, &c. Dum autem habitualiter resistit legi Dei, id facit per peccatum habituale, seu habitum vitiosum, per quem resistit legi Dei habitualiter. Talis verò habitus vel est ingeneratus originaliter, ut concupiscentia, vel ex consuetudine contractus, ut ebriositas, mulierositas, &c. 2. Simile de Diabolo est dissimile & incongruum: Nam Diabolus legi Dei resistendo activè, peccat & reus efficitur reatu illius iniquitatis per quam resistit legi Dei: quomodo homo reus efficitur reatu concupiscentiæ per quam legi Dei resistit habitualiter, vel activè; at concupiscentia cum non sit persona, neque peccare neque rea esse propriè potest. Unde *Augustinus*, lib. 6. contra Julian. cap. 6. Nos (inquit) malam dicimus concupiscentiam, & manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa erat rea, neque enim aliqua persona est, sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus. 3. Non convenit simile quod adfert de Diabolo & quocunque incitante ad legis transgressionem. Nam multa ad peccandum incitant seu provocant objectivè, ut vinum; Prov. 20. 1. & cap. 23. vers. 31. pulchritudo hominis, ut Josephi, Genes. 39: 6, 7. vicinus ager, ut vinea Nabothi. 1 Reg. 21: 1. sic divitiæ hominis provocant avaros ad homicidium, Prov. 1: 19. nec tamen peccant, imo ne mala quidem sunt ista objecta, cum culpa omnis sit penes peccantem qui tentatur à propria sua concupiscentia abstractus & illectus, ut loquitur Jacobus, cap. 1: 14. Diaboli autem & homines mali ad peccandum incitant moraliter & activè, per modum personæ agentis, ideoque rei sunt: at concupiscentia neque objectivè incitat ad peccandum, neque rea est propriè, quamvis ad peccandum incitet hominem moraliter; non enim activè per modum personæ agentis incitat hominem, sed formaliter & virtualiter, ut habitus seu forma accidentalis moraliter mala, à quo homo dicitur & est formaliter ac subjectivè malus: est enim concupiscentia propensio ad malum lege Dei vetitum, & aversio à bono lege imperato, per quam homo propendet in malum, & aversus est à bono. Unde non ipsa concupiscentia rea est, sed hominem reum facit. 4. Imperitè vel inverecundè *Bellarminus* hîc comparat concupiscentiam cum eis rebus quæ ad peccandum incitant extrinsecus. Nam si alius me pertrahere nitatur ad peccandum, ille solus reus est quamdiu illi non consentio; at si anima mea secum ipsa confligens seipsam incitet ad peccandum, quamvis per concupiscentiam spiritus resistat concupiscentiæ carnis, incitationis tamen illius malæ contra legem Dei rea est anima mea, unde animæ sic peccanti moriendum est, nisi reatus per Dei gratiam fuerit ablatus. Neque enim (ut *Augustini* verbis utar) nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinatur. Hanc iniquitatem si homo ab homine altero forinsecus adversante pateretur, quia in illo non esset, sine illo utique puniretur. Quia verò in illo est, aut cum eo punietur, aut illo ab ejus reatu liberato, sic in certamine adversus spiritum perseverat, ut hominem jam non reum ad nulla post mortem tormenta transmittat; non alienet à regno Dei, nulla damnatione faciat detineri, neque ut ea penitus careamus, velut aliena natura sejungatur à nobis, sed quia nostræ naturæ languor est, sanetur in nobis. Propter hoc ergo vitium humana natura damnatur. Hæc *Augustinus*, lib. 6. contra Julianum. in fine capitis octavi, & initio capitis noni. Denique perperam *Bellarminus* le- *Rom. 7: 23.*
gem peccati in membris ita interpretatur, ac si concupiscentia esset lex propriè; quum Apostolo non nisi metaphoricè dicatur lex in membris, sicut etiam ei opposita lex mentis: nam propriè concupiscentia in membris est habitus malus, nobis cum natura ingeneratus, sive habituales reliquiæ vetustatis in homine non perfectè sanctificato, per quem pertinacem habitum impeditur homo à perfecta præstatione legis Divinæ, & fertur ad illicitè concupiscendum. Quæ autem lex mentis appellatur, est habitus gratiæ, à Deo nobis infusus, sive habituales primitiæ novitatis, per quem bonum habitum consentimus legi Dei prohibenti concupiscere, eique condelectamur. Hinc illa lucta inter carnem & spiritum. Assimilatur autem concupiscentia tyranno, legi, hosti, captivanti; quæ omnia de concupiscentia dicuntur metaphoricè, ad declarandam vim & pertinaciam hujus morbi; quomodo etiam in humoribus corporis inveniuntur quandoque violenti & pertinaces morbi, qui difficillimè exstirpantur, ac nonnulli etiam qui ita insederunt in venis hærentque in visceribus, ut hominem quamdiu hîc vivit non relinquant. Per talem metaphoram ordo physicus quandoque sortitur appellationem legis; exempli gratia, in lapide lex est, ut vergat deorsum, & hæc lex est ipsa innata lapidi gravitas, à lapide inseparabilis. Sic etiam quidlibet imperiosum & necessitatem adferens assimilatur legi aut domino: hoc modo concupiscentia assimilatur imperioso tyranno; eademque assimilatur injustis ac violentis imperiis injusti tyranni; qui non solum iniqua imperet, sed & obedire compellat. Lex mentis dicitur oppositivè ad legem peccati, cum sint duo adversi habitus firmiter inhærentes. Lex propriè dicta datur ab aliquo legislatore: quis verò legis peccati est lator? non Deus: nam Deus non est autor concupiscentiæ malæ, neque tentationis inde provenientis; imo eam odit Deus, ut legi suæ sanctæ repugnantem. Sive autem diabolum sive ipsum hominem dicas legis hujus injustæ esse latorem, sequetur peccare hominem qui vel ipse injustam legem tulerit, vel à quocunque latam locum habere siverit in se, qui totus debetur Deo ejusque legi. Verùm, uti ostensum, concupiscentia non est propriè lex, neque propriè est tyrannus, neque propriè peccat, quamvis ista omnia de ea dicantur metaphoricè, sed propriè est habitus malus perti-

naciter inhærens. Jam autem habitus moraliter malus seu repugnans legi Dei, est peccatum.

Exceptio XVII. At Bellarminus conatur adhuc aliquid respondere, lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 13. §. *Ad tertium.* & cap. 19. prope finem capitis. Ubi negat omnem habitum vitiosum esse peccatum: ait esse vitium, non autem peccatum. Sed ista argutiola facilè refellitur, hoc argumento: Quod lege Dei prohibetur, illud est peccatum propriè dictum: Nihil enim aliud morali ac perpetua

Refutatio Dei lege prohibetur. At omnis habitus vitiosus lege Dei prohibetur. Quod sic ostendo: quod morali oppositione contrarium est officio lege imperato, illud lege prohibetur; uti ostendimus in regulis generalibus quas præmisimus expositioni Decalogi, & per se etiam manifestum est; nam in moralibus præceptio boni includit prohibitionem contrarii mali; & prohibitio mali includit præceptionem contrarii boni: dum enim prohibet Deus adulterium, imperat castitatem; & dum jubet honorare parentes, prohibet eos contumelia afficere. &c. At concupiscentia carnis (ut de hoc habitu primùm loquamur) sive lex peccati in membris, oppositione morali contraria est officio lege Dei imperato: repugnat enim dilectioni, quam lex imperat, ut scilicet diligamus Dominum Deum nostrum

Matth. 22: 37, 38, 39. Marc. 12: 31, 32. ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus nostris, quod est primum omnium mandatorum, & ut diligamus proximum sicut nos ipsos, quod est secundum mandatum simile priori. quorum altero non præstito neutrum præstari poterit: ita cohærent hæ partes officii nostri 1. Joan. 4: 20. & cap. 5: 2.

XVIII. Huic charitati repugnare concupiscentiam contrarietate morali, sic ostenditur: Quia nimirum concupiscentia carnis est contraria concupiscentiæ spiritus, & est moralis illa corruptio per quam caro concupiscit contra

Galat. 5: 17, 22. spiritum, cujus fructus est charitas, Galat. 5. Item, quia perfecta charitas postulat perfectam cordis puritatem, finis enim mandati est charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 1 Tim. 1: 5. ubi autem est vitium morale lege Dei prohibitum, odio dignum, adeoque Deo propter immunditiem exosum, lex peccati & mortis repugnans bonæ legi mentis, ibi non est perfecta illa puritas quam lex requirit. Idcirco homines regenerati monentur ut perpurgent se ab omni immunditie carnis & spiritus. 2 Cor. 7: 1. Ut expurgent vetus fermentum malitiæ & nequitiæ. 1 Cor. 5: 7, 8. Adhæc ubi est divisio animæ secum confligentis contrariis motibus charitatis & concupiscentiæ, ibi non est dilectio Dei ex tota anima.

XIX. Huc faciunt testimonia illa quæ ex *Augustino* citavit *Petrus Lombardus*, lib. 3. sent. dist. 27. Quod autem de suo addit *Lombardus*, præceptum de diligendo Deo ex toto corde &c. quamvis hîc penitus impleri à nobis non possit, sed ad eam demum perfectionem perventuri simus in vita futura; impleri tamen hîc ex parte, scilicet secundùm perfectionem viæ: id diligenti adhibita cautione pensitandum est. Nam si perfectionem viæ eam intelligit ad quam pervenientes admittemur ex gratia in regnum Cælorum, vel etiam eam perfectionem ad quam pervenitur à sanctis in hac vita, non autem eam ad quam pervenire debemus ex rigore juris Divini, admittimus quod dicit, modo addat, quicquid præstamus in hac vita, id totum longè abesse ab illa perfectione justitiæ quam lex exigit præstandam hic. Sed interim sufficit nobis gratia Christi, cujus potentia perficitur in infirmitate 2 Cor. 12: 9.

XX. Quod autem dictum est de concupiscentia, idem & aliis vitiosis habitibus omnique vitio morali congruit. Omnis enim habitus moraliter malus seu vitiosus contrarius est virtuti seu officio lege Dei imperato: contrarius, inquam, oppositione morali; sive ille habitus sit propagine ingeneratus, ut originale peccatum; sive consuetudine contractus, ut intemperantia. Omne vitium repugnat charitati, quia omnem vitiis oppositam virtutem moralem lege imperatam comprehendit charitas. Omne vitium morale polluit cor hominis. Hic est ille malus thesaurus ex quo homo malus profert mala. Matth. 12: 34, 35. nempe malos actus ex corde polluto prodeuntes & hominem polluentes. Matth. 15: 19, 20. qui demonstrant jam fuisse pollutum intus in corde, antequam addito etiam actu inde prodeunte sordes sordibus cumularet. Fermenti hujus veteris reliquiæ quædam inveniuntur in regeneratis; unde nec ipsi adhuc penitus carent immunditie cordis, quam adhuc expurgare jubentur. 1 Cor. 5; 7, 8. 2 Cor. 7: 1.

XXI. Lege Dei imperatur virtus, ἀρετὴ, (Philip. 4: 8. & 2 Pet. 1: 5.) cui opponitur vitium. Item, præcipitur nobis ut simus sancti, temperantes, justi, casti, &c. non solùm opere, sed etiam corde, quod Deus primariò respicit, & sibi postulat consecrari. Prov. 4: 23. & cap. 23: 26. & alibi passim. Ideo rejicit & abominatur opera hypocritarum, qui ore appropinquant ei, & labiis eum colunt, cor autem eorum procul abest ab eo. Matth. 15: 7, 8, 9. Mundato primùm interiorem partem poculi & paropsidis, ut fit etiam exterior pars munda, Matth. 23: 26. & Deus nobis præcipit, ut illum diligamus ex toto corde, &c. Omnimodam igitur cordis puritatem etiam in viatore postulat lex. Idcirco legis transgressor adeoque peccator est qui habet cor vitiis charitati repugnantibus ejusque perfectionem moraliter impedientibus inquinatum; qui nondum purgatus est ab omni inquinamento carnis & spiritus. Unde sequitur; omnem vitiosum sive moraliter malum habitum esse peccatum habituale, quemadmodum omnis vitiosus sive moraliter malus actus est peccatum actuale. Adeoque ineptam & inanem esse illam distinctionem inter habitum vitiosum acquisitum per actus frequentatos, & peccatum habituale, quam adfert *Bellarminus* lib. 5. de amiss. grat. cap. 19. prope finem capitis. Ubi peccatum originale ait esse peccatum habituale, multumque interesse inter peccatum habituale, & habitum vitiosum per actus frequentatos acquisitum; ut inferat, tales habitus vitiosos non esse peccata. Eos enim actus qui ante baptismum ab adultis contracti fuerint, manere in baptizatis, soluto reatu, fassus est. eod. lib. cap. 13. §. *In eodem etiam.* Idem autem contendit, concupiscentiam in baptizatis manentem non esse peccatum, quia peccata omnia baptismo auferuntur, delentur ac penitus abluuntur, non solùm quoad reatum, sed etiam quoad maculam, ut in baptizatis nihil remaneat quod ex natura sua habeat aut unquam habuerit veram rationem peccati. lib. 5. de amiss. grat. cap. 7. §. *Quartum argumentum.* & lib. 1. de baptismo, cap. 13. Quod argumentum planè evacuatur per instantiam de habitibus contractis, qui propriè ac veri nominis peccata sunt, & tamen manent post sublatum remissione reatum. Idcirco *Bellarminus* lib. 5. de amiss. grat. cap. 13. negat habitus istos esse peccata: & ait eum qui habitus malos contraxit, non esse reum propriè, quia malos illos habitus habet, sed quia malos actus fecit,

Vide supra, cap. 4. §. 15.

fecit, unde mali habitus processerunt. Et sic eum qui concupiscentiam habet non esse reum propriè ratione concupiscentiæ, quasi peccatum sit illam habere, sed ratione peccati, quo ipsa concupiscentia facta est. & cap. 19. proponit quatuor discrimina inter peccatum habituale, & habitum consuetudine acquisitum. Quod infert de concupiscentia jam per ea quæ supra disseruimus explosum est. Ostendimus enim concupiscentiam per se, eo ipso quod insit, facere hominem reum. Idemque de habitibus consuetudine acquisitis manifestum est, ex eo, quod habitus isti sint verè ac propriè peccata, nempe habitualia: uti jam docuimus. Qualia peccata sunt superbia, ambitio, avaritia, luxuria, &c.

CAPUT VI.

Examinantur quatuor illa discrimina quæ posuit Bellarminus inter habitum vitiosum acquisitum per actus frequentatos, & peccatum habituale.

I. CONSIDEREMUS quatuor illa discrimina quæ posuit *Bellarminus* inter habitum vitiosum acquisitum per actus frequentatos, & peccatum habituale. 1. Habitus (inquit) acquisitus est qualitas positiva: peccatum habituale est privatio. Respondeo: istud dicit *Bellarminus* ex falsa hypothesi; ac si in peccato nihil esset positivum, & nulla positiva essent peccata. Nam inanis est illa argutiola qua evadere conatur, lib. 5. de amiss. grat. cap. 14. §. *Neque bona.* Ubi ait, non quod dissidet à legis norma, vel cum illa pugnat, esse ἀνομίαν iniquitatem; sed ipsam discordiam sive repugnantiam, vel recessum ac deviationem esse propriè ἀνομίαν & formaliter peccatum: atque adeo ne actionem quidem humanam, in qua immediatè inest illa recessio vel deviatio à norma legis, esse iniquitatem, sed iniquam. Cur non addidit, neque actionem talem esse peccatum? quid est enim iniquitas ἀνομία, nisi peccatum? ergo odisse fratrem, adulterari, non est actu peccare, neque adulterium est peccatum. Fatemur certè actum adulterii esse peccatum propter repugnantiam qua repugnat legi Dei; sed & adversarii necesse habent fateri inseparabilem esse eam repugnantiam ab actu adulterii, sicut accuratè docuit *Scotus* in 3. sent. dist. 38. quæst. unica, num. 6. Præcepto prohibetur propriè talis actus malus, qui est peccatum quasi in concreto; non autem prohibetur sola deviatio in abstracto considerata. Deus enim non prohibet lege morali quod simpliciter ex natura rei impossibile est ut eveniat. Sufficit enim impossibilitas physica ut homo ab eo impediatur: est autem impossibile deviare sine aliquo motu, blasphemare sine aliqua loquutione, adulterari sine aliquo actu. Unde patet prohiberi lege non solum formam illam seu deformitatem abstractam, sed ipsum actum deformem, cum id solùm prohibeatur quod fieri aut esse potest, & quod naturaliter non est impossibile. Jam autem peccare per meram deformitatem non est in hominis potestate, neque ulla existere potest mera malitia, neque aliter est iniquitas actualis in potestate hominis nisi per actum iniquum, quem intellexit Joannes Apostolus, quando dixit, *Omnis faciens peccatum* [ἁμαρτίαν,] *& iniquitatem* [ἀνομίαν] *facit. & peccatum est iniquitas*, Καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. 1 Joan. 3. 4. Exat nunc & dicat Bellarminus, concupiscentiam, quamvis repugnet legi Dei, non tamen esse peccatum, quia non est ipsa discessio in abstracto: sufficit enim si discedat per modum habitus, vel actus moraliter mali seu prohibiti lege morali. Nam neque adulterium est ipsa discessio, & tamen est verè ac proprii nominis peccatum, quale à Joanne describitur, & quale lege Dei prohibetur. Sufficit ad probandum habitum vel actum aliquem esse peccatum, quod ei inhæreat illa deformitas, seu quod sit moraliter deformis: tales sunt omnes vitiosi habitus, sive ingenerati, sive acquisiti.

Vide supra, cap. 4. §. 15.

1 Joan. 3. 4.

II. *Secundum discrimen* quod adfert *Bellarminus*, est, quod habitus acquisitus non possit tolli per unum actum voluntatis, quamvis efficacissimum, peccatum vero habituale sicut uno actu fit ita uno actu tolli. Respondeo: Illud etiam dicitur ex falsa hypothesi, quòd peccatum originale ita tollatur in baptismo ut ne actu quidem maneat in baptizato. Manere autem actu jam prolixè & firmissimis argumentis à nobis ostensum est. Quod verò ait, peccatum habituale uno actu fieri, intelligens actum primi peccati quo peccavit Adam, vitiumque originale introduxit in naturam; verè quidem id à *Bellarmino* dicitur, sed non inde sequitur quod infert, nempe etiam tolli uno actu: uti jam dictum est. Neque est quod quisquam miretur posse tolli uno actu subsequente, (nisi Deus id extraordinarie efficiat,) quod primo illo Adami peccantis actu introductum est. Nam ille unus actus æquipollebat multis actibus. Ideoque valentior fuit tum infectione, tum reatu, quam multi alii actus mali ab homine jam lapso perpetrati. Ingens ruina fuit de statu innocentiæ sponte se præcipitare in peccati barathrum, ubi amissis viribus, non ea qua vulneratus est, voluntatis facilitate sanatur, ut loquitur *Augustinus*, lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 4. Illo magno peccato primi hominis, natura ibi nostra in deterius commutata, non solùm facta est peccatrix, sed etiam genuit peccatores: inquit idem *Augustinus*, lib. 2. de nuptiis; cap. 34. Idem quoque alibi, scribens de naturæ humanæ excellentia, ejusdemque miseriis per peccatum invectis; Nunquam profectò (inquit) in has miserias natura mentis humanæ decidisset, atque ex his, præter eos solos qui liberabuntur, in æternas esset pœnas itura, nisi nimis grande peccatum in homine primo, de quo cæteri exorti sunt, præcessisset. Hæc *Augustinus* lib. 22. de civitate Dei, cap. 24.

Supra cap. 4.

Magnum erat peccatum primi hominis.

III. *Tertium discrimen* à *Bellarmino* adfertur, quod habitus acquisitus possit esse etiam valde intensus cum actu contrario, & cum gratia Dei; peccatum autem habituale non possit, saltem de potentia ordinaria. Respondeo. Nos etiam non nisi de potentia ordinaria nunc loquimur; & secundùm eam dicimus posse non minus habitum originalis peccati manere in gradu valde intenso, cum actu contrario, & cum gratia Dei, imò tenaciùs hærere, quàm alios habitus consuetudine acquisitos. uti clarissimè patet ex illa querimonia Apostoli Pauli, qui evulsis jam & protritis aliis malis habitibus per consuetudinem acquisitis, habebat adhuc nolens & dolens habitum illum originalem sive peccatum illud habituale habitans in membris suis, captivans illum in lege peccati. Rom. 7. Illic autem intelligi peccatum propriè dictum, supra

pra docuimus. Porro solus ille originalis habitus ad omnes posteros pertingit tenore diffunditur, etiamsi parentes sint fideles: unde apparet contumaciorem esse aliis malis habitibus.

IV. *Quartum discrimen.* Denique, inquit *Bellarminus*, habitus acquisitus non potest dici propriè voluntarius, cum maneat in nobis per aliquod tempus nobis invitis & repugnantibus; peccatum habituale voluntarium est, quia voluntariè in peccato manemus, &, si efficaciter velimus non manere, non maneremus. Itaque differt habituale peccatum, ab habitu acquisito; quomodo qui curvus manet, quia ita vult manere, ab eo qui ob assuetudinem ita curvus est, ut non possit nisi admodum difficulter erigi. Quia tamen peccatum habituale non est voluntarium nisi habitualiter, ideo potest manere etiam in dormiente, in amente, in infante. Et paulò ante; Ut (inquit) peccatum actuale est aversio actualis à Deo & ejus lege, ita peccatum habituale est aversio habitualis à Deo & ejus lege. Hæc ille.

V. Respondeo; istud etiam discrimen nititur falsa hypothesi, ac si non posset dici propriè voluntarius habitus moralis, quo jam carere velis. Nam peccato inhabitante carere volebat Apostolos, & tamen nisi voluntarium esset non posset dici peccatum. Esse autem propriè peccatum illud malum cum quo confligebat Apostolus, jam multis demonstratum est.

Rom. 7.

VI. Objecit olim *Julianus* Pelagianus *Augustino*, non posse nasci infantem cum originali peccato, quia omne peccatum ex voluntate est, neque potest ullum hominis esse peccatum sine opere liberi arbitrii. Cito respondeo, (inquit *Augustinus*) ex voluntate peccatum est; prorsus & originale peccatum, quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut & in illo esset, & in omnes transiret. lib. 2. de nuptiis, cap. 28. Item; illud quod dicis, sine opere liberi arbitrii nullum hominis esse posse peccatum, verum esse fatemur. Non enim & hoc esset peccatum quod originale traheretur, sine opere liberi arbitrii, quo primus homo peccavit, per quem peccatum intravit in mundum, & in omnes homines pertransiit. lib. 6. contra Julianum, cap. 4. Et *Thomas* in eandem sententiam respondet, peccatum originale per se loquendo esse peccatum naturæ, & ideo voluntarium esse voluntate naturæ, non autem voluntate personæ cujuslibet in qua invenitur, sed *Adæ* tantùm qui naturam infecit. in 2. sent. dist. 30. quæst. 1. art. 2. ad primum, & dist. 41. quæst. 2. art. 1. ad sextum. Nempe in illo uno omnes peccavimus, teste Apostolo, Rom. 5: 12.

Omne peccatum est ex voluntate.

Peccatum naturæ.

VII. Adhæc peccatum habituale, peccato illo actuali introductum, hæret in natura; adeo ut nascentes rei sint non solum reatu illius peccati primi actualis, per quod introducta est corruptio, quomodo reus est qui brachium suum curvavit, aut alio aliquo physico damno sibi stultè & contra bonos mores intulit nocumentum: sed etiam reatu proprio ipsius inhærentis pravitatis, quæ cum sit malum morale, pugnat ex se cum lege morali. Et non solum peccato introducta est, sed etiam verè ac propriè in se peccatum est; & eo ipso quod inest, facit hominem reum. Quum autem peccato originali corrupta sit etiam ipsa voluntas habitualiter, quod etiam concedit & vehementer urget *Bellarminus*, lib. 4. de amiss. grat. cap. 3. & 4. & lib. 5. cap. 17. & 18. & 19. Certè donec perfectè ab hac corruptione liberetur voluntas, non erit prorsus expers originalis peccati. Sed hominis regenerati non est prorsus liberata voluntas à corruptione morali, verùm ipsa secum contrariis motibus confligatur, uti supra ostendimus.

VIII. *Bellarminus* latebras circumspectans, ait depravationem quæ est in voluntate, si accipiatur pro aversione à Deo, esse verè peccatum; at depravationem quæ est in intelligentia, vel in carne, necnon pronitatem quandam voluntatis ad obsequendum desideriis carnis, & difficultatem ejusdem ad obsequendum Deo, non esse contra legem ullam, cujus prævaricatio sit peccatum propriè dictum. Et ideo non esse per se ex natura sua peccatum: neque jussisse Deum, ut homo nasceretur cum justitia originali, &c. lib. 5. de amiss. grat. cap. 14. §. *Nam etsi.* At pronitas ista voluntatis ad obsequendum desideriis carnis, & difficultas ejusdem ad obsequendum Deo, quid aliud est nisi depravatio moralis & aversio voluntatis à Deo? Nam lex moralis postulat perfectam voluntatis aversionem à malo, & intensionem ad bonum. Absurdissimè verò dicit Bellarminus, Deum non jussisse ut homo nasceretur cum justitia originali. Nam ubi lex non est, neque est transgressio. Rom. 4: 15. Si igitur nulla erat lex moralis imperans nobis conservationem justitiæ originalis, sequetur neque *Adamum*, neque nos in Adamo peccasse, perdendo & abjiciendo justitiam originalem, quod est contra Apostolum, Rom. 5: 12. & contra ipsum Bellarminum lib. 5. de amiss. grat. cap. 17. & cap. 18. Ubi docet, ideo nobis imputari inhærentem maculam, quia peccando eam contraximus in Adamo. Velle autem comedere fructum vetitum, & retinere justitiam originalem, sunt ἀσύςατα, nam pars justitiæ originalis erat, puro corde velle quicquid Deus imperaret, neque ullo modo velle contrarium, neque habitu, neque actu: non poterat enim actu velle peccare, nisi abjiciendo justitiam originalem, quam etiam abjicere poterat, seque ipsum corrumpere, nolendo bonum, & volendo malum.

IX. Non possum autem hic præterire absurdissimam quandam Bellarmini argumentationem, [lib. 5. de amiss. grat. cap. 18.] qua videtur velle omnem ab inhærente macula rationem peccati amoliri, si in se consideretur. Si quis (inquit) in puris naturalibus crearetur, is & gratia careret, & conversione ad Deum habituali, & eamem concupiscentem contra rationem haberet, nec gereret contrarium voluntatis arbitrium, & tamen verè ac propriè peccator nec diceretur, nec esset. Hæc ille. ut hinc evincat non satis esse ad culpam, ut aliquid sit voluntarium habituali voluntate, sed requiri ut processerit ab actu etiam voluntario. Et hinc rursus ut inferat, habitum vitiosum non esse propriè peccatum, remissoque actuali peccato nihil remanere in homine quod veram rationem peccati habeat, aut unquam habuerit, aut habere possit. Misera & absurda argumentatio. Quamvis enim, si hominem Deus initio condidisset cum prædictis enormitatibus, non resideret culpa penes hominem; non tamen sequitur, tales enormitates non esse in se peccata, seu legi justitiæ moralis ex se non repugnaturas. Quicquid autem formaliter per modum habitus aut actus mali repugnat Dei legi morali, est peccatum propriè dictum. Nam peccatum est deviatio à lege, græc. ἀνομία. At, inquies, si Deus hominem talem initio conderet, non possent ista esse peccata, cum Deus non

non possit esse autor peccati. Hoc perinde est, ac si dicas, si Deus hominem initio conderet peccatorem, sive cum peccato, non posset tamen homo dici peccator, aut cum peccato conditus; ne scilicet Deum dicamus esse autorem peccati. Nempe ex uno absurdo multa sequuntur. Nam sicut impossibile est Deum esse autorem peccati, ita etiam impossibile est ut Deus hominem initio condat aut condiderit habentem carnem concupiscentem contra rationem, nec gerentem contrarium voluntatis arbitrium. Concupiscentia cum ista ex se mala est moraliter, & Deo naturaliter exosa, idcirco ejus ultor, non author Deus esse potest. Totius hujus mali sibi causa est homo, transgressione voluntaria præcepti divini. Neque sine opere liberi arbitrii humani esse potuit istud malum.

X. Quod autem ait *Bellarminus*, habitum acquisitum non posse dici propriè voluntarium, cum maneat in nobis per aliquod tempus nobis invitis & repugnantibus, id partim falsum est, partim verum, partim etiam sophisticum. Nam falsum est, habitus acquisitos non posse dici propriè voluntarios; quum sint firmæ quædam dispositiones voluntatis, sive habituales volitiones; omnis autem volitio, sive habitualis, sive actualis, propriè est voluntaria; etiamsi non semper plenum aut deliberatum habeat voluntatis consensum, sed contrariis habitibus ac motibus una eademque voluntas secum ipsa discordet. Unde in nobis manent vitiosi habitus, nobis invitis & repugnantibus secundùm spiritum, aut etiam rectam rationem, volentibus tamen secundum carnem, aut corruptionem voluntatis nondum prorsus renovatæ. Superbia, ambitio, avaritia & similes habitus sunt inquinamenta habitualia voluntatis, & habituales volitiones malæ. Verum est igitur, habitus malos manere nobis invitis ac repugnantibus. At sophisticum est hinc colligere eos non esse propriè voluntarios, ac si non essent habitus voluntatis. Nam habitus mali manentes in nobis invitis, sunt dupliciter adhuc voluntarii. 1. Quia voluntariis actibus acquisiti sunt, uti docuit etiam *Aristoteles*, lib. 3. Ethic. cap. 5. deinde etiam quia sunt vitia voluntatis moralia, seu volitiones habituales moraliter malæ. Ergo voluntarii sunt non solùm ratione causæ efficientis, sed etiam ratione propriæ formæ. uti jam ostensum est.

XI. Sophisticum est etiam quod ait, si efficaciter non velimus manere in peccato habituali, nos non mansuros. Nam si *efficaciter* sit idem *Bellarmino* quod verè ac seriò velle, falsum est quod dicit: nam eo carere verè ac serio volebat Apostolus Paulus, Rom. 7. neque tamen caruit. Sin autem *efficaciter* velle, sit ita velle ut revera efficias id quod vis, verum est quidem quod dicit; sed idem etiam verum erit de habitibus acquisitis, imo de quocunque etiam physico malo; si enim ita velis ut volendo efficias, tunc efficis. Si denique *efficaciter* velle intelligat ita velle tota voluntate, ut interim nulla sit in voluntate repugnantia, neque actualis, neque habitualis, verum est quidem eum non manere in peccato qui sic efficaciter vult non manere, sed nemo, qui in peccato conceptus ac natus sit, invenitur in hac vita, qui tam puram habeat voluntatem, ut ista efficacitate velit carere peccato. Nullius enim voluntas perfectam hic assequitur rectitudinem, ita ut ab omni obliquitate hic penitus liberetur.

XII. Quod denique habitum moraliter vitiosum comparat *Bellarminus* cum curvitate seu defectu aut obliquitate physica, id impudenter facit vel imperitè. Nam curvitas voluntatis est ex se malum morale seu peccatum, neque ejus autor esse potest Deus, nec nisi peccando eam sibi acquirit homo, & ab ea homo non solùm miser, sed etiam formaliter malus dicitur & est, forma scilicet accidentali. At curvitas physica, puta curvitas brachii, aut tibiæ, non est ex se malum morale, sed tantùmmodo malum physicum, & ejus autor Deus esse potest, eamque acquirere potest homo sine peccato, nempe in prælio, aut oneris alicujus oppressu, aut quocunque casu, dummodo ipse homo per suam stultitiam aut improbitatem malum illud non accersiverit: neque ab ea est aut dici potest formaliter malus, sed tantummodo miser. Atque ita prolixè jam & solidè demonstravimus, concupiscentiam habitualem, etiam illam quæ in renatis manet, esse ex sua natura peccatum propriè dictum.

CAPUT VII.

De primis inordinatis motibus concupiscentiæ.

I. SECUNDA pars controversiæ circa hoc decimum præceptum, est de primis inordinatis motibus concupiscentiæ, quibus homo etiam regenitus actu concupiscit, licet invitus; cum aliqua quidem titillatione voluptatis, sed sine pleno consensu, imo sine illa complacentia semipleni consensus. Hos motus primos inordinatos Cicero 4. Tusc. ex Stoicorum disciplina vocat perturbationes, & Græcè πάθη, & ait esse motus turbidos contrarios inimicosque rationi. item, aversas à recta ratione contra naturam animi commotiones. In eo tamen errant Stoici, quod in parte animæ sensitiva non distinguant ipsos affectus naturales simpliciter spectatos, ab introducta & adhærescente corruptione. Sed nunc quæritur de primis motibus malæ illius concupiscentiæ, utrum sint ex sua natura peccata, nec ne. Nos affirmamus, contra adversarios veritatis.

II. Affirmationem nostram sic confirmamus: In moralibus qualis est habitus, talis est omnis actus procedens ex illo habitu & secundùm illum habitum; ex habitu igitur moraliter malo & peccato, actus procedens est moraliter malus & peccatum. Imo *Bellarminus* asserit, si pronitas, seu concupiscentia illa, quam habitualem diximus, sit peccatum, propter repugnantiam cum lege Dei, multò magis actum ejus, quamvis involuntarium, esse peccatum, magis enim pugnare cum lege actum, quam pronitatem ad actum: assumit autem, actum talem non esse peccatum: ut inde concludat, neque concupiscentiam ipsam seu pronitatem ad malum actum, esse peccatum, lib. 5. de amiss. grat. cap. 7. §. *Si loquamur*. At retorqueo argumentum, & sic assumo: Concupiscentia habitualis, quam ille pronitatem vocat, est peccatum; uti supra prolixè demonstravi; ergo etiam omnis ejus actus, quamvis involuntarius, peccatum est. Dicuntur autem actus isti involuntarii, non quod prorsus ab eis libera sit voluntas, sed quia in hominis regeniti voluntate resistitur malis motibus per primitias novitatis, ne consensum obtineant. Nam ipsa secum voluntas contrariis motibus dimicat, carnalibus scilicet & spiritualibus: quia etiamsi homo regenitus non jam in carne sit, sed in spiritu, [Rom. 8: 9.] habet tamen in se adhuc reliquias carnalis vetustatis, in ipsa etiam voluntate. Ideo adhuc etiam quoad partem superiorem est aliquo modo carnalis, nondum effectus plenè spiritualis. ut est supra ostensum.

III. Deinde quod morali ac perpetua Dei lege prohibetur est, ex sua natura peccatum: at concupiscere quocunque malo motu, prohibetur mo-

morali ac perpetua Dei lege: ergo concupiscere quocunque malo motu, adeoque vel primo motu, est ex sua natura peccatum. Major patet, nam quicunque in quocunque ejus mandato transgreditur, ille peccat, Matth. 5: 19. Rom. 2: 23. Jacob. 2: 10. & maledictus est qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, Deuter. 27: 26. Minor etiam manifesta
Rom. 7: 7, 8. &c. est ex capite 7. ad Rom. ubi ait Apostolus, cognosci peccatum per legem, nam & concupiscentiam se cognovisse ex lege, quæ dicit, *Non concupisces.* Per quod præceptum innotuisse sibi ostendit tum radicalem seu habitualem concupiscentiam quam appellat peccatum in eo habitans; tum etiam inde provenientes pravos motus, quos appellat concupiscentiam à peccato habituali productam, item malum quod nolens operatur, oppositum bono quod vult quidem facere, at non faciat: istis motibus ait legem peccati repugnare legi mentis, & per istos se ait servire legi peccati. Quamvis mente servivit legi Dei, cui condelectatur secundùm interiorem hominem, & malum quod facit odit, consentit autem legi Dei quod bona sit, & vult bonum illud facere quod lex imperat.

IV. *Augustinus* locum hunc exponens, ait,
Rom. 7: 15. &c. Non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi illud facio; id est, concupisco, quia & hoc nollet facere, ut esset omni ex parte perfectus. Si autem quod nolo, inquit, hoc facio, consentio legi quoniam bona est, quia hoc & illa non vult, quod ego nolo. Non vult enim ut concupiscam, quæ dicit non concupisces: & ego nolo concupiscere. In hoc ergo consentiunt voluntas legis & mea. Verùm quia concupiscere nolebat & tamen concupiscebat, sed eidem concupiscentiæ nequaquam consentiendo serviebat, adjunxit atque ait, Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod inhabitat in me peccatum. Multum autem fallitur homo qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, & quod illa desiderat decernens facere, & statuens, putat sibi adhuc esse dicendum, Non ego operor illud, etiamsi oderit, quia consentit: simul enim est utrumque; & ipse odit, quia malum esse novit, & ipse facit, quia facere statuit. —— —— Qui ergo dicit, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: si tantummodo concupiscit, verum dicit, non si cordis consensione decernit, aut etiam corporis ministerio perficit. &c. lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 27. & 28. & 29. Item; Quod dicit Apostolus, igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati; sic intelligendum est: mente servio legi Dei, non consentiendo legi peccati; carne autem servio legi peccati, habendo desideria peccati, quibus etsi non consentio, nondum tamen penitus careo. eod. lib. cap. 31. Item, Quod odi illud facio; facere se dixit & operari, non affectu consentiendi & implendi, sed ipso motu concupiscendi. Hinc ergo, inquit, consentio legi Dei quoniam bona est; consentio, quia nolo quod non vult. Deinde dicit, Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Quid est, nunc autem, nisi jam nunc sub gratia, quæ liberavit delectationem voluntatis à consensione cupiditatis? Non enim melius intelligitur, Non ego operor; nisi quia non consentit exhibere membra sua arma iniquitatis peccato. Nam si & concupiscit & consentit & agit, quomodo non ipse illud operatur, etiamsi se operari doleat, & vinci graviter ingemiscat? —— Et quod ait, Captivantem me, accipere debemus, sicut ipse exposuit, Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum, sic captivantem me, carne, non mente; motione, non consensione; & ideo captivantem me, quia & in ipsa carne non est aliena natura, sed nostra. Captivantem me, id est carnem meam, in lege peccati, quæ est in membris meis. Lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 10. Item, Quod enim operor, ignoro: quid est aliud, quàm nolo, non approbo, non consentio, non facio? Alioquin contrarium est his quæ superius dixit, Per legem enim cognitio peccati. Et, Peccatum non cognovi nisi per legem. Et, Peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum mihi est mortem. Quomodo enim peccatum per legem cognovit, quod ignorat? Quomodo apparet peccatum quod ignoratur? Sic ergo dictum est ignoro, non facio, quia, nulla consensione id ego ipse committo. Eod. lib. cap. 11. quibus in locis Augustinas clarissimè docet intelligi ipsos malos concupiscentiæ motus seu desideria quibus non accedit consensus: & hos motus seu desideria lege Dei prohiberi; & hos motus seu desideria esse peccata quæ per legem Dei cognoscuntur.

V. *Bellarminus* triplici responsione occurrit, lib. 5. de amiss. gratiæ, cap. 10. Prima est, Apostolum capite illo 7. ad Rom. non loqui de se suique similibus justis seu regeneratis, sed induisse personam hominum impiorum, qui non solum fomitem habent, sed etiam ab ipso fomite vincuntur, & pertrahuntur in varia flagitia. Quod verò dicit Apostolus, quod odi facio, & mente servio legi Dei; intelligenda ista esse de lumine rationis, & quodam appetitu boni, qui saltem in genere nulli homini deest. Unde illa vox, Video meliora proboque deteriora sequor. Hæc *Bellarminus*. Qui tamen eodem loco subjungit, probari sibi magis alteram expositionem, præsertim quia B. Paulus ex eis quæ dixerat in 7. cap. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, & non ego operor illud, & mente servio legi Dei*, & similibus, deducit illam conclusionem initio cap. 8. *Nihil ergo condemnationis est his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant*, &c. quæ conclusio (inquit *Bellarminus*) manifestè indicat, Apostolum in cap. 7. de se & cæteris per Christum renatis esse loquutum. Et monet, hanc expositionem non tantùm ab *Augustino* prælatam esse priori, sed etiam *Primasio*, *Anselmo*, *Thomæ*, & aliis in hunc locum magis probari. *De reliquis Bellarmini responsionibus vide cap 14. hujus libri.*

CAPUT VIII.

Examen dissertationis Jacobi Arminii *de verbis Apostoli, ad Rom. cap. 7. vers. 14. & seqq.*

I. ANTEQUAM ad reliquarum *Bellarmini* responsionum examen progrediamur, operæ pretium erit istam de ipso Paulo regenito aliisque regenitis expositionem evidentius confirmare contra Pelagianos, qui verba Apostoli de homine irregenito interpretabantur, & contra offucias *Jacobi Arminii*, qui locum istum, cap. 7. ad Rom. à versu 14. ad finem capitis, interpretatur de homine irregenito, nec tamen de quolibet irregenito, sed de homine sub lege constituto & jam renascente, qui fit in transitu à statu impietatis & infidelitatis ad statum regenerationis & gratiæ; adeo ut jam nec sit in statu impietatis nec in statu gratiæ, sed in gradu quodam intermedio, seu statu inconsistente,

qui

qui medius sit inter duos illos status consistentes: talem hominem ait esse jam sub lege, at nondum sub gratia. Interim quia absurdum esse videbat, & plane Pelagianum, si quæ illic dicit Apostolus, tribuantur homini citra ullam gratiæ operationem, propterea ait, bona illa esse, quidem in irregenitis, sed à Spiritu Sancto voluntatem præparante; non tamen continuò sub gratia esse illum hominem aut regenitum esse, qui aliquam gratiæ operationem recipit: gratia enim præparari hominis voluntatem, ut in ea habitare possit ipsa gratia, quamvis præparans & fores cordis pulsans nondum inhabitet, neque dominetur; licet ita pulset ut suasione sua fores sibi aperiri faciat. Interim omnes istos effectus, quos ait esse regenerationi præcedaneos, (in quibus etiam ponit timorem initialem) tribuit efficacitati legis, eos enim in homine irregenito ait produci per prædicationem legis, non tamen citra gratiam Christi & operationem Spiritus; sed non continuò sub gratia esse, & Spiritu agi, duci, regi hominem illum qui per legis prædicationem, Spiritu Sancto benedicente & cooperante, ad Christi gratiam confugere compellitur. Legem enim esse pædagogum ad Christum, & finem legis esse Christum ad justitiam omni credenti, & per legem esse agnitionem peccati. Spiritum autem prædicationi legis benedicentem appellat spiritum legalem, producentem in homine per legis prædicationem hos effectus, ut homo de æquitate, justitia & sanctitate legis instruatur & certus reddatur, hinc peccati arguatur, ad obedientiam urgeatur, propriæ infirmitatis convincatur, metu pœnæ terreatur, ad liberationem quærendam compellatur, & in universum ut jam lex pro sua efficacitate ducat, regat, & agat hominem peccatorem sub legis imperio, regimine, magisterio & pædagogia existentem. Homini autem per legem sic præparato gratiam Evangelii esse annunciandam, quæ menti à Spiritu Sancto patefacta, & cordi per eundem obsignata, fidem in nobis gignit, qua Christo unimur. Et hunc Spiritum appellat Spiritum Evangelii Christi, cujus operationi præcedaneam facit operationem Spiritus illius legalis: utramque verò ad unum finem tendentem, nempe ut homo tandem Christo uniatur: & hoc eodem sensu Apostolum distinxisse inter spiritum servitutis ad metum, & spiritum adoptionis. Rom. 8: 15. item inter ministerium legis & mortis, & ministerium Evangelii & Spiritus. 2 Corinth 3. Distinguendum enim existimat *Arminius* inter Spiritum Sanctum quatenus sibi templum præparat, & qua idem templum ut sanctificatum inhabitat. Præparationem enim esse opus Spiritus Sancti quatenus est spiritus legalis; inhabitationem verò eidem tribui quatenus est Spiritus Evangelii Christi, seu quatenus est generator. Et hac consideratione Apostolum dixisse, Spiritum non accipi ex operibus, sed ex fide Evangelii Christi. Ad Galat. 3. vers. 2. Interim profitetur se magnopere pugnare nolle quin actiones & opera ista legalia Spiritui regeneratori tribui possint; non qua regenerat, sed qua corda ad regenerationis renovationisque efficientiam suscipiendam præparat.

Sic *Arminius* triplicem ponit hominis statum in hac vita, nempe, 1. Ante legem vel sine lege. 2. Sub lege; quem statum inconsistentem vocat, item gradum intermedium per quem transitur à statu impietatis & infidelitatis ad statum regenerationis & gratiæ, à statu vetere in Adamo ad statum novum in Christo. 3. Sub gratia. Et ait scripturam Apostolicam triplicis illius status facere mentionem, ad Rom. cap. 6. & cap. 7. & ad Galat. cap. 4. & 5. Et contendit, Apostolum in 7. cap. ad Rom. etiam versu 14. & sequentibus loqui de homine sub lege, sive in gradu illo intermedio seu statu inconsistente; adeoque de homine irregenito, & propediem ad statum gratiæ transferendo, propterea quod lex in illo effecerit, quicquid per legem in homine peccatore ad gratiam Christi transferendo & traducendo effici solet.

Hæc summa est prolixæ illius expositionis & dissertationis *Jacobi* Arminii, quam in caput 7. ad Rom. excogitavit: & edito peculiari libro evulgavit.

II. At rectiùs illi, qui, *Augustinum* aliosque veteres sequuti, interpretantur verba Apostoli de ipso Apostolo jam regenito, aliisque similiter regenitis; à versu 14. ad finem usque illius capitis 7. ad Romanos. Quamvis plerique eorum verba præcedentia, à versu 7. ad versum 14. exponant de Paulo nondum converso ad gratiam Evangelicam, sed de Paulo adhuc Pharisæorum disciplinæ addicto, quando sub lege fuerat, nondum sub gratia. Idque colligit *Augustinus* ex modo loquendi; quia Apostolus utitur verbis præteriti temporis, peccatum non cognovi nisi per legem, & concupiscentiam nesciebam, & operatum est in me omnem concupiscentiam: & vivebam aliquando sine lege; utique quando nondum poterat usum habere rationis: &, adveniente mandato peccatum revixit, ego autem mortuus sum; & peccatum occasione accepta per mandatum fefellit me & per illud occidit, & per bonum mihi operatum est mortem. His omnibus (inquit *Augustinus*,) tempus significare intelligitur quo sub lege vivebat, & nondum adjutus gratia concupiscentiis carnalibus vincebatur. Ubi verò jam dicit, lex spiritalis est, ego autem carnalis sum; jam quod confligens patiebatur ostendit. Non enim dixit, carnalis fui vel eram vel sim. Et apertius tempora ipsa distinguit, ubi dicit, Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Jam enim motus desideriorum malorum non ipse operabatur, quibus non consentiebat ad perpetranda peccata. *Augustinus* lib. 6. contra *Julianum* cap. 11. & alibi; Quid est, (inquit) *Nunc autem*, nisi jam nunc sub gratia, quæ liberavit delectationem voluntatis à consensione cupiditatis? Lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 10.

III. Rectè quidem versus posteriores interpretatur *Augustinus*, de Paulo jam regenito & sub gratia constituto, suamque interpretationem pluribus confirmat idoneis argumentis; at certè variatio temporum in verbis non cogit intelligere versus præcedentes de homine sub lege, nondum sub gratia: neque enim statim post suam conversionem epistolam hanc scripsit Apostolus; ideo nihil obstabat, quin posset uti verbis præteriti temporis, etiam loquens de illa immutatione status sui quam tunc expertus erat, quando è servitute legis liberavit eum gratia Jesu Christi, & de lucta illa acri, quam inde à primo tempore suæ regenerationis expertus est, & quam usque adhuc se sentire conquerirur, dum hanc epistolam nunc scribit. *Vide cap. 12.*

IV. Verùm antequam ulterius progrediar, examinanda est illa expositio *Arminiana*, quæ nititur sex falsis hypothesibus, quibus labefactatis & subversis corruet tota illa quantumcunque speciosa moles.

Examinatur Arminiana distinctio status hominum.

V. *Prima falsa hypothesis* qua Arminii nititur interpretatio, est in trimembri illa divisione status hominum, ante legem, sub lege, & sub gratia. Nam etsi respectu externæ disciplinæ possunt inveniri tres hujusmodi status hominis; gentes enim legem non habentes sibi ipsis sunt lex: Judæi autem legem habebant: unde gentiles dicuntur peccare ἀνόμως sine lege, nempe sine lege per Prophetas à Deo revelata & tradita, quamvis non sine lege naturæ cordibus naturaliter inhærente; Judæi autem peccare dicuntur ἐν νόμῳ in lege, ideoque per legem hanc judicabuntur. Rom. 2: 12. deinde est tertius gradus disciplinæ externæ per Evangelicam doctrinam. Tres etiam sunt hominis status interni secundùm superius memoratam distinctionem, quoad cognitionem, fiduciam, & gloriationem: nam gentiles ea cognitione quam per philosophiam habebant, confidebant se fore beatos & de ea gloriabantur: Judæi autem increduli fiduciam habebant & gloriabantur in cognitione illa quam habebant legis Mosaicæ, & acquiescebant in lege, spernentes Evangelium, eoque se opus non habere existimantes. Rom. 2: 17. & seqq. & cap. 9. vers. 31, 32. Christiani verò gloriantur in sola cognitione Jesu Christi. 1 Cor. 2: 2. Philip. 3: 7, 8. Galat. 6: 14, 15. non tamen tres, sed tantùm duo sunt status hominis quoad regenerationis novitatem, & irregeniti hominis vetustatem. Quos *irregenitos* vocamus, eos Apostolus ait esse *in carne*; quos autem vocamus *regenitos*, eos Apostolus dicit esse *in spiritu*. Rom. 8: 8, 9. Jam autem omnis mortalis qui in peccato natus sit, aut est *in spiritu*, aut non est *in spiritu*, si sit in spiritu, jam est regenitus, & Spiritus Dei habitat in eo, Spiritus, inquam, Christi; adeoque Christus est in eo, uti docet Apostolus. Rom. 8: 9, 10. Qui verò non est *in spiritu*, is adhuc est *in carne*, sive sit sub lege, sive sine lege. Omnes enim irregenitos, etiam qui sub lege sunt, Apostolus ait esse adhuc *in carne*. Rom. 7: vers. 5. Neque enim pravitatem cordis aufert aut minuit lex, sed potius adauget, quamvis nullo legis, sed solius carnis vitio; ut perspicuè docet Apostolus in illo capite. Itaque fratres mei, ait Apostolus, vos quoque mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, ejus scilicet qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Quum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ad fructum ferendum morti; nunc autem soluti sumus à lege, mortuo eo in quo detinebamur, ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literæ. Quid ergo dicemus? lex peccatum est? absit. Imò peccatum non cognovi nisi per legem &c. Hæc Apostolus, capite illo 7. ad Rom. versib. 4, 5, 6, 7. &c.

VI. Verba Apostoli modo recitata considerans *Augustinus*, His (inquit) atque hujusmodi contestationibus doctor ille gentium satis evidenter ostendit, legem non potuisse auferre, sed potius auxisse peccatum, quod aufert gratia; quoniam lex jubere novit, cui succumbit infirmitas; gratia juvare, qua infunditur charitas. Ne quis enim propter hæc testimonia vituperet legem, & malam esse contendat, vidit Apostolus, malè intelligentibus quid posset occurrere, & eandem sibi ipsi proposuit quæstionem: quid ergo dicemus? inquit, lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Hoc jam superius dixerat; per legem enim cognitio peccati. Non ergo abolitio, sed cognitio. Hæc *Augustinus*, lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8.

VII. Hinc jam patet, non nisi duplicem esse viatoris statum internum quoad cordis irregenui pravitatem, & regeniti rectitudinem; atque adeo quoad delectationem voluntatis in lege Dei, vel in lege peccati, quoad odium boni vel mali moralis. Aut enim in carne est homo, aut in spiritu; neque datur ullus status in hoc genere, aut gradus intermedius. Lex autem homini irregenito proposita non aufert, non minuit pravitatem carnalem, sed eam potius adauget, vitio ipsius carnis.

VIII. *Secunda falsa hypothesis* Arminiana est, quod opus gratiæ Christi, quo mens hominis lege Dei condelectatur, & malum odit, & ad gratiam Christi homo propriæ infirmitatis convictus confugit, hoc, inquam, opus gratiæ Christi & Patris ad Christum trahentis, *Arminius* falsò tribuit efficacitati legis seorsum spectatæ, & sine Evangelio prædicatæ. Nam lex jubere novit, sed per se non adfert gratiam. Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est. Joan. 1: 17. Lex moralis seorsum proposita neque monstrat Christum, neque ducit quenquam ad Christum, neque in hominum animis gignit initialem illum timorem qui est in charitate inchoata, (de quo timore disserit ex *Augustino Lombardus*, 3. sent. dist. 34.) non enim charitatem inchoat lex, sed gratia ex auditu fidei, per quem auditum accipitur spiritus fidei & charitatis, Galat. 3: 2. & 2 Corinth. 4: 13. & 2 Timoth. 1: 7. & sic fides in Christum operatur per charitatem, Galat. 5: 6. & 1 Timoth. 1: 5. exigit, non confert charitatem lex, per se seorsum spectata, neque ullum nisi servilem timorem operatur. At si intermisceatur doctrina Evangelica, sicut factum est olim populo Israelitico, hodieque etiamnum fit in Ecclesia Christiana, tunc lex consideranda est non seorsum, prout opponitur Evangelio, sed ut doctrina quædam Evangelio subserviens, confirmans Evangelii necessitatem & suavitatem, patefaciendo peccata ad quorum obtinendam in Christo remissionem invitantur homines per Evangelium. Miseriæ quidem humanæ patefactio est per se proprium opus legis, juxta dicta illa Apostoli: Per legem cognitio peccati, Rom. 3: 20. Lex iram operatur. Rom. 4: 15. Lex autem subintravit ut abundaret delictum, Rom. 5: 20. Ideo alibi Apostolus legem appellat literam occidentem, & ministerium mortis & condemnationis; eamque opponit spiritui vivificanti, & ministerio Spiritus & ministerio justitiæ, 2 Corinth. 3. At verò ut lex fit pædagogus nos ducens ad Christum, requiritur doctrina Evangelica, per quam Christus nobis monstretur, & per quam nos tum ad nostram ex lege miseriam diligentius considerandam excitemur, tum etiam abjecta omni legalis justitiæ fiducia, ad Christum trahamur. Unde *Augustinus*, nisi, inquit, adjuverit gratia, nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia, & majores vires accipit lege prohibente, nisi adjuvet Spiritus gratiæ. Hoc est quod dicit ille ipse doctor gentium: Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex. & continuò subjecit, Gratias autem Deo qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Hæc *Augustinus* lib. de gratia & libero arbitrio, ad Valentinum, cap. 4. Propriè igitur loquendo, non legis seorsum spectatæ, sed Evangelii opus est ducere hominem ad Christum: non enim per legis sed per Evangelii

1 Cor. 15: 56, 57.

doctri-

doctrinam monstratur Christus, sive in Novo sive in Vetere Testamento, atque ad eum homines confugere docentur.

IX. Qui solius legis (moralem semper intelligo) discipulus est, is aut arrepta ex ipso mandato occasione magis peccat; aut horrore consilium omne ex animo ejus expectorante desperat; aut torpore quodam & confusione obrutus ac veluti sideratus obstupescit; aut metu servili perculsus inutilia circumspectat remedia, se involvens ficulneo tegumento, & pecuniam insumens laboremque in id quod non est panis nec potest saturare, uti loquitur Esaias, cap. 55: 2. effodiens sibi cisternas fractas quæ non continent aquas, Jerem. 2: 13. (Hinc varia superstitionum idololatrica monstra pullularunt.) quamvis iste effectus non ex sola lege fit, sed etiam & quidem præcipuè ex recepta quadam apud omnes gentes omniumque animis inhærente opinione de placabilitate Dei peccatis nostris offensi. Aut denique servili timore se subjicit legi & ad eam mores suos quodammodo conformat, metu pœnæ qui proprius est legis effectus, non amore justitiæ quem lex impetrat, sed non impertit; unde fit per hominum sibi blandientium hypocrisin & cæcam philautiam, ut larva ista qualiscunque obedientiæ confisi se justos existiment, se ipsi justificent. In quo statu erat Paulus adhuc Pharisæus ante suam conversionem. Act. 9. Philip. 3.

X. In his omnibus si proprium legis opus in cordibus irregenitorum intuearis, pro ea efficacitate quam legi suæ Spiritus Sanctus tribuit erga homines ingenuam legi obedientiam præstare recusantes, nihil invenies præter timorem & servitutem, id est, timorem servilem, & ex isto timore obedientiam quandam servilem, quæ præstatur ab homine irregenito, timore pœnæ, licet sine amore justitiæ. adeoque etiam desiderium liberationis, etsi non à servitute peccati, à cruciatu tamen pœnæ.

XI. Per comminationes autem Evangelicas generatur ille timor pœnæ, qui in inchoata charitate, adeoque in ipsis cernitur credentibus: quem salubrem timorem *Arminius* cum servili timore confundit: scholastici *timorem initialem* vocant: lib. 3. sent. dist. 34. Et Canonistæ, de pœnitentia, dist. 2. can. *Sicut sola*, in glossa.

XII. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras ejicit timorem, quoniam timor cruciatum habet, qui autem timet, non est perfectus in charitate, inquit Joannes Apostolus. 1 Joan. 4: 18. Et tamen ex Esaiæ cap. 11: 2, 3. scimus super Christum requievisse spiritum timoris Domini; Christoque competere timorem Domini. Charitas quidem foras mittit timorem servilem, & illum etiam timorem qui est in diffidentia, sed parit timorem castum. Unde *Augustinus* dictum Joannis certè interpretatur de servili timore; vaticinium verò Esaiæ de timore casto, tract. 9. in 1. epist. Joannis. *Ambrosius* etiam timorem illum qui à charitate foras mittitur appellat servilem metum: timorem verò illum Domini sanctum permanentem in seculum seculi, Psal. 19: 10. appellat liberalem timorem. Ambr. ep. lib. 4. epist. 33. Et *Augustinus* ait, Timor servilis est quo timetur ne incidatur in tormentum: timor autem castus, quo timetur, ne amittatur gratia beneficii. Hæc Augustinus, epist. 120. cap. 20.

XIII. Differunt de timore *Lombardus*, ejusque interpretes, 3. sent. dist. 34. Timoris actus duplex est, unus principalis, quem elicit timor, scilicet refugere hoc vel illud malum; alius est actus secundarius, quem timor imperat, scilicet facere hoc vel illud pro vitando illo malo quod timetur principaliter.

Timor alius est naturalis, qualem & habuit Christus, perpendens amaritudinem exhauriendi poculi, sine ullo culpæ periculo. Actu quidem elicito timuit malum illud physicum; actu autem imperato confugit ad Patrem humili prece. Alius est mundanus, qui malus & perniciosus est timor, quando scilicet aliquis actu elicito timens pericula carnis subire, vel ne perdat bona mundana; propterea delinquit actu imperato. Talem timorem non efficit in homine lex Dei, neque Spiritus Sanctus, sed corruptio carnalis. Talis fuit timor Petri abnegantis Christum. Sed neque naturalis timor, neque mundanus, ad præsentem hanc pertinet disquisitionem. Est & timor servilis, per quem actu elicito timetur sola pœna, ad quam vitandam cavetur culpa, actu imperato.

XIV. Hic est ille timor quem Spiritus Dei per legem suam incutit irregenitis animis, ut scilicet ad denunciationes pœnarum contremiscant, etiamsi eorum voluntatem non liberet à delectatione peccati, ad delectationem justitiæ; terrore tamen adigit, tanquam mancipia, ad aliquod externum obsequium, quamvis ea sint pravitate, ut non nisi cum tristitia obsequantur, mallent enim non obsequi nisi eos horror denunciatæ pœnæ concuteret, neque amore justitiæ obediunt. Hanc pravitatem Spiritus Sanctus per legem Dei non efficit, invenit enim in eis; quam etiam non tollit per legem, neque minuit, sed refrænat & coërcet, ne licentius grassetur. Hunc timorem charitas prorsus eliminat, ita ut in una eademque anima non possint simul esse timor servilis, & charitas Christiana, etiam imperfecta.

XV. Est tamen timor iste præparatio quædam non inutilis ad recipiendam charitatem, si eam Deus voluerit per auditum fidei conferre. Quamvis enim non possit consistere cum charitate, sed ab ea expellatur, eamque excludat per servilitatem, & pravitatem actui adhærentem; possunt tamen actus ejus consistere cum charitate; remota servilitate seu repugnantia illa servili; actus enim ipsi in se spectati non mali sunt, & separabiles etiam sunt à pravitate servili. Nam bonus potest esse actus & rectæ rationi congruens timere pœnas à Deo denunciatas, nec malum est etiam qualibet honesta ratione eas præcavere ac devitare, honesta autem via est obedire legi Dei, & à flagitiis abstinere, ne incurras in supplicia; quamvis malum sit id facere invitum, sine amore justitiæ aut illius obedientiæ quam præstas, & malle eam non præstare, nisi te metus cogeret; suppliciumque magis aversari quàm delictum; & supplicium quidem principaliter ac propter se odisse, delictum verò non odisse aut fugere propter se, sed solo horrore supplicii.

XVI. Talis tamen metus quasi vinculis constringit ac veluti clathris coërcet perversum ac ferum animum, eique inducit quandam flagitiorum desuetudinem, & eorum quæ lege fieri jubentur consuetudinem. Ac parit insuper desiderium libertatis, non quidem à peccato, (libenter enim homo serviliter timens serviret peccato) sed à pœna & cruciatu; & à servitute legis. Nam servit legi invitus, & mallet servire peccato: sitque securitatem, licet non sitiat justitiam: nam sitis justitiæ provenit ex amore justitiæ & sincero peccati odio, ideo non invenitur in homine irregenito, sed tantum in ho-

hominibus regenitis, quos hoc nomine beatos pronunciat Dominus; beati, inquit, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, Math. 5: 6. beatitudo illa non eſt irregenitorum. Non magis convenit irregenitis ſitis juſtitiæ, quam paupertas ſpiritus, manſuetudo, luctus ſecundùm Deum, miſericordia, puritas cordis, pacificatio quæ eſt filiorum Dei, & pati perſequutionem propter juſtitiam. Neque magis pertinet ad irregenitos beatitudo illa eſurientium ac ſitientium juſtitiam, quàm ad eos pertinet regnum Cælorum, &c. Quamvis autem timor ſervilis qui per legem producitur non adferat ſitim juſtitiæ; tamen per illam quam dixi deſuetudinem & aſſuetudinem morum externorum, & per deſiderium illud immunitatis ac libertatis à pœna & moleſtia & cruciatu, timor iſte non eſt inutilis anteambulo regenerationis in eis, quos Deus per gratiam Evangelicam regeneraturus eſt.

XVII. Etſi non in omnibus hominibus timorem iſtum ſervilem ſequitur gratia, quia non ex ſe timor iſte inducit gratiam, neque cum ſequitur gratia in renaſcentibus per modum effecti, aut neceſſarii conſequentis: quamvis non inutiliter timor iſte in eis præceſſerit. Eiſdem vinculis unus vincitur, ne noceat; aliis autem vincitur ut ſanetur. Nempe ſanitas non eſt per ſe ex vinculis, ſed ex ſequente medicina, quam medico libuit adhibere, & quidem ita adhibere, ut vulneratus medicinam non reſpuat. Duo illi fures cum Chriſto crucifixi, pari ignominia & conſimili ſupplicio coërciti ſunt ne nocerent; & ambo mortem pertimeſcere cœperunt: interea eorum unus gratiam, per ea quæ videbat & audiebat de Chriſto cum illis præſente oblatam, amplectitur, depoſitoque ſervili timore mortis, non jam mortem ſed peccatum exhorreſcebat, neque ſuis carnificibus ſed ſibi iraſcebatur; ad quam gratiam non inutiliter præparabatur quodammodo per timorem illum ſervilem. At verò alter Chriſtum irridens, ſolum ſupplicium deprecabatur, neque illi ad gratiam, ſed ad gehennam præparatio fuiſſe videtur ſervilis ille timor. Sic Judas proditor ſervili timore perculſus ceſſavit blaſphemare, Chriſtumque innocentem confeſſus eſt, & ſe peccaſſe dolens, reſtituit malè partam pecuniam; non tamen fuit ea ad veram reſipiſcentiam præparatio, ſed erat veſtibulum inferni.

XVIII. Ideo prudenter intelligendum eſt quod ex *Auguſtino* ait *Lombardus*, 3. ſent. diſt. 34. F. & *Gratianus* de pœnitentia diſt. 2. *Sicut ſeta.* Ubi timorem aſſimilant ſetæ ſutoriæ, charitatem autem lino ſeu filo; ſicut per ſetam introducitur linum, nempe locum ei præparando, niſi tamen exeat ſeta quæ prior intraverat, non intrat linum; ſic, inquiunt, timor primò occupat mentem; non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit ut introduceret charitatem. Hoc, inquam, non eſt ita accipiendum ac ſi timoris illius & charitatis eſſet talis connexio qualis ſetæ & fili; ſed hoc tantum ſenſu, quod, ſicut antecedit ſeta filum, ita in eis qui regenerantur anteceſſit timor ſervilis, cumque ſequitur charitas; & ſicut ſeta & filum non ſimul manent in eo quod ſuitur, ſic neque in corde hominis ſimul manent timor ſervilis, & dilectio juſtitiæ. In reproborum autem corda intrat quidem iſta ſeta, at non introducit filum charitatis. Lex per ſe ſeu Spiritus per ſolam legem operans producit timorem iſtum ſervilem; & nihil ultra. Hæc de timore ſervili.

XIX. *Timor initialis* eſt, quando actu elicito reverenter ſuſpicitur Dei majeſtas cum dilectione, & timetur ſeparatio à Deo, ſeu quando pia anima reverenter cum dilectione ſuſpicit divinam Majeſtatem, & timet etiam ne Deo quem diligit careat, ne à ſponſo diſſocietur, ne ſponſum offendat; hoc tamen ita timet, ut compatiatur etiam metum pœnæ & gehennæ. Primariò enim reveretur Divinam majeſtatem, timetque illam diſſociationem, pœnas verò alias non niſi ſecundariò ex reliquiis infirmitatis timet. Unde fit ut initialis timoris actus imperatus non ad ſolam ſeparationem à Deo, ſed etiam ad alias pœnas reſpectum quendam habeat. Pia enim anima per timorem initialem abſtinet à peccato tum propter amorem & reverentiam ſponſi, à quo timet diſſociari, & quem timet offendere, tum etiam propter horrorem ſupplicii, quod reformidat. Magis tamen diſſociationem & offenſionem metuit, quam ſupplicium; & illam primariò, hoc ſecundariò. Ideo ſupra dicebamus expelli quidem à charitate ſervilitatem timoris ſervilis; poſſe tamen cum charitate inveniri actus ipſos qui ſunt in timore ſervili. In timore initiali reverentia Numinis, & averſatio diſſociationis eſt ex charitate, augenturque iſta duo augeſcente charitate. Timor etiam diſſociationis quatenus diligentem denotat vigilantiam & ſtudium adhæreſcendi Deo, eſt etiam ex charitate, cumque ea creſcit; at verò quatenus timor iſte triſtitiam habet, & cruciantem aliquem metum, procedit ex conſcientia noſtræ indignitatis, & ex infirmitate fidei. Timor autem ſupplicii, quoad actum imperatum, in vitanda culpa, poteſt quidem eſſe cum charitate imperfecta: at perfecta charitas foras mittit omnem ejuſmodi timorem. Sicut etiam timorem expellit abſoluta diſſociationis. Et quantum charitas creſcit, timor iſte decreſcit; donec adveniente charitatis perfectione timor iſte prorſus aboleatur, eique ſuccedat timor caſtus, in quo eſt pars perfectior timoris initialis, abolita parte imperfectiore.

Vide Luc. 12: 5. & Pſal. 119 in Samech. verſ. 110.

XX. *Timor caſtus* eſt reverentia cum dilectione Dei, & ſubjectione Deo, permanens in ſecula. Pſal. 19: 10. Non alius fuit in Chriſto timor, niſi timor hic caſtus, & timor naturalis. Non habuit timorem mundanum, non timorem initialem. Non habuit ullum vanum timorem. Ideo abſolutam diſſociationem à Deo & ſempiternam damnationem timuit, ſciebat enim eam non ei eventuram, nec poſſe evenire. Sed id timuit quod videbat ſibi à Patre propinari, nempe calicem illum, cujus largitatem & amaritudinem, qua erat judicii acrimonia & perſpicacitate, ſecum perpendens, cohorruit: licet de eventu nunquam dubitaverit: ideo non cum deſperatione, ſed cum amaritudine illius calicis luctatus eſt, quem bibit, victorque mox exſtitit.

Chriſti timor.

Chriſti lucta.

XXI. Monet *Lombardus*, (3. ſent. diſt. 34. I.) tum ſervilem tum initialem timorem in Scriptura dici initium ſapientiæ. Sed diverſa ratione. Servilis enim (inquit) ideo dicitur initium ſapientiæ, quia præparat locum ſapientiæ, & ducit ad ſapientiam, ſed tamen non remanet cum ea, imò foras exit. Initialis verò dicitur initium ſapientiæ, quia eſt in inchoata ſapientia, quem quum quis habere incipit, ſapientiam & charitatem habere incipit. Inde etiam eſt, quod uterque timor dicitur initialis; quod invenire poteris per diverſa ſcripturæ loca; uterque etiam timor interdum dicitur ſervilis, quia & ipſe initialis qui eſt in charitate inhoata, aliquid habet de ſervili; ſcilicet angorem

pœnæ;

pœnæ; ficut & aliquid habet de casto, scilicet quod timet offendere ac separari. Hæc *Lombardus*.

XXII. Fateor quidem timorem servilem ista ratione posse aliquo modo dici initium seu potius antambulonem sapientiæ, quo sensu timorem servilem *Calvinus* appellavit initialem, Instit. lib. 3. cap. 3. §. 2. At certè in eis scripturæ locis ubi timor Domini dicitur principium sapientiæ, haud dubiè intelligitur virtus illa in regenitis, quæ appellatur timor Domini castus: sive sit perfectus, sive inchoatus quem *initialem* dicimus. Loca autem scripturæ sunt, Job. 28: 28 Psal. 111: 10. Prov. 1: 7. & cap. 9. vers. 10. Timor etiam initialis castus appellatur & est ratione principalis sui actus, quo pia anima aversatur dissociationem à Deo, quem diligit & reveretur. Qui actus cum charitate augescit: quamvis ratione actus secundarii, quo timetur pœna, timor iste decrescat, crescente charitate. Qua enim castus est, crescit; quatenus autem aliquid habet timoris servilis, eatenus diminuitur per charitatem.

XXIII. Timor autem castus dicitur filialis quatenus Deus quem timemus consideratur ut noster Pater, & dicitur timor castus, quatenus Deus sponsus est noster spiritualis. Hanc metaphoram explicans *Augustinus*, ait uxorem adulterii cupidam, timere maritum ne eam in adulterio deprehensam condemnet, & morti tradat; & talem esse timorem istum servilem; de quo loquimur: uxorem verò ab omni adulterii cupiditate alienam, sollusque mariti sui amore detentam, timere abitum mariti, timere ne ejus consortio careat, timere ne animus ejus offendatur: & hujusmodi esse timorem hunc castum de quo disseruimus, quem charitas perfecta non mittit foras, sed perficit.

Augustin. Tract. 9. in 1 epist. Joann. & epist. 12. cap. 21.

XXIV. In regenitis, quamdiu hic vivitur in agone hujus peregrinationis, non invenitur timor castus perfectus, quia non invenitur charitas perfecta, sed charitas tantùm inchoata, & timor castus inchoatus, quem initialem diximus, qui crescente charitate augescit in ratione timoris casti; & minuitur quoad imperfectionem.

XXV. Per legem producitur in homine timor servilis. Timor autem initialis, prout à servili distinguitur, incipit & augescit per Evangelium. Jam autem sine timore casto initiali nemo accedit ad Christum, quia sine inchoata sapientia & charitate, sine fide Evangelica nemo accedit ad Christum; neque sine timore initiali casto esurit quisquam aut sitit justitiam; ut ostensum est. Ex quibus efficitur, neque adduci quenquam ad Christum, neque in quoquam effici esuritionem aut sitim justitiæ per legem seorsum spectatam.

XXVI. Hinc sequitur, non ex legis, sed ex Evangelii auditu consequi hominem illa bona, quæ Paulus in lucta illa sibi inesse scribit, Rom. 7. vers. 14. & seqq. & per consequens hominem illic describi regenitum, luctamque in homine regenito inter carnem & spiritum. Nam homo ille vult bonum, malum, odit malum quod facit, condelectatur legi Dei quoad interiorem hominem, & mente servit legi Dei, luget suam captivitatem, gratias agit Deo per Dominum Jesum Christum, existens adhuc in illo agone, & carne quidem serviens legi peccati, mente autem serviens legi Dei, nempe is ipse qui gratias Deo egit per Dominum nostrum Jesum Christum, cujus gratia liberatus est cousque, ut inordinati isti motus concupiscentiæ, quos non tamen ille facit, quam habitans in illo peccatum, non imputentur ei ad condemnationem, quum jam sit in Christo Jesu, neque ita contra eum prævaleant, ut eis consentiat ad ambulandum secundùm carnem, ambulat enim secundum spiritum; præterea etiam quotidie in eo debilitatur & minuitur ipsa inhærentis pravitatis vis, crucifigiturque in eo caro cum affectibus & concupiscentiis. Quos tres liberationis gradus, legi impossibiles, quum esset infirma lex propter carnem, acceptos refert spiritui vitæ in Christo Jesu; in principio octavi capitis. 1. 2.

XXVII. At quid dicemus de illa pulsatione gratiæ nondum inhabitantis, ita tamen pulsantis fores cordis humani, ut suasione sua sibi aperiri faciat? Dico pulsationem illam non fieri per ministerium legis, ut somniavit *Arminius*, sed per ministerium verbi gratiæ Dei, quod est Evangelium. Nam Evangelica illa vox est Servatoris & Pastoris nostri, quærentis oves errantes: *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audiverit vocem meam, & aperuerit ostium, etiam intrabo ad eum, & cœnabo cum ipso, & ipse cœnabit mecum.* Apocal. 3: 20. Sic pulsavit & aperuit cor Lydiæ, Act. 16: 14. Quid est aliud pulsatio gratiæ, nisi oblatio gratiæ, & vocatio gratiosa; quæ certè non fit ministerio legis seorsum spectatæ, sed ministerio Evangelii: Evangelio offertur gratia, non lege.

XXVIII. Cæterum quo sensu, inquies, ait Apostolus, legem fuisse pædagogum ad Christum, (Galat. 3: 24.) si per legem nemo ad Christum adducatur, neque ex lege fit esuritio, aut sitis justitiæ?

Lex pædagogus ad Christum.

Respondeo; 1. Apostolus illic loquitur non de lege prout nobis hodie incumbit, sed de vetere illa dispensatione legali, sub qua negat jam esse nos post adventum fidei, id est, postquam Christus adveniens vitam & immortalitatem in apricum protulit per Evangelium. Dispensatio autem illa continebat etiam doctrinam Evangelicam in typis & vaticiniis, quibus spes fovebatur & sustentabatur exspectantium adventum Christi. Differit illo in loco Apostolus contra errorem illum Judaizantium, de quo legimus etiam in Actis cap. 15. Si nos contra gratiam Christi faveremus illi errori, (quod absit,) esset idoneum *Arminii* argumentum ex hoc loco. At nos non disputamus pro Judaismo contra gratiam Evangelicam; sed pro gratia Evangelica pugnamus contra Pelagianismum, & affines errores. Idcirco dissertatio illa Apostolica nobis patrocinatur, deferentibus omnia gratiæ Dei, sed non adversatur nisi adversariis gratiæ Jesu Christi. 2. Lex moralis seorsum proposita, præparat aliquo modo per timorem servilem, ad susceptionem gratiæ, ut ostensum est; quamvis non præstet eos effectus, de quibus Rom. 7. neque ducat usque ad Christum. 3. Christus proponens Evangelium, legem etiam moralem proponit, ut doctrinæ Evangelicæ partem, seu appendicem, non quidem ex cujus obedientia justificemur coram Deo; sed *partim* ut inde necessitatem suæ gratiæ, quam offert, suamque φιλανθρωπίαν clarius ostendat. Act. 13: 38. Tit. 3: 3, 4. Qua parte audita simul cum altera doctrinæ Evangelicæ parte, quæ propriè & strictè significatu Evangelica est, credunt illi qui ordinati sunt ad vitam æternam. *Vide §. 31.*

XXIX. Et sic etiam lex dici potest pædagogus ad Christum. Lex Domini perfecta est, convertens animam, inquit David, Psal. 19: 8. intuens

intuens legem cum Evangelio conjunctam. Et huc pertinet quod ait Apostolus, post istum fœdus gratiæ, legem adjectam esse, transgressionum causa, Galat. 3: 19. nempe ut inde necessitas gratiæ promissæ ejusque suavitas clarius dignosceretur, & ita viverent Israelitæ in obsequio legis, ut interea semper essent memores promissi illius seminis, id est Christi, per quem à maledictione legis liberarentur, & benedicerentur, sicuti promiserat Deus Abrahamo. Cum quo initum fœdus gratiæ lex non abolevit, sed ut subserviens ei adjecta est, προσετέθη, Galat. 3: 19. παρεισῆλθεν subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Rom. 5: 2. Et huc faciunt illa verba Joannis Arnoldi Corvini, qui discipulus ac sectator defensorque est Arminii, quibus ait; legem esse pædagogum ad Christum ex eo, quod facta promissione de Messia, Deus legem œconomicè per Mosen voluit repetere; quo per eam de peccato homines convinceret, ac ea ratione gratiæ promissæ necessitatem ostenderet, ac de ea convictos ad ejus præsidium doceret confugere. Ita scilicet legem ad Christum esse pædagogum, quatenus ad eam ejusque Evangelium fide recipiendum servit. &c. Hæc Corvinus, in censura Anatomes Arminianismi, cap. 11. §. 8.

XXX. Quemadmodum doctrinæ medicæ pars una est de morbis, alia de morborum remediis, quamvis ista sola pars, quæ est de remediis, sit propriè & ex se medicinalis. Pars autem altera qua deteguntur morbi, non est ex se medicinalis, sed tantummodo ex ejus connexione cum parte ex se medicinali: sic lex ex se non ducit ad Christum, sed quatenus pars est doctrinæ Evangelicæ, sicut tractatio de morbis pars est doctrinæ medicæ. Morbos nostros morales, seu vitia detegit diabolus, ut malitiosus accusator; eosdem morbos Deus per legem suam seorsum propositam detegit, ut justus ac tremendus judex & ultor; denique Christus eosdem morbos per legem cum Evangelio propositam detegit, ut benignus medicus, qui nobis per præcepta legis monstrat nostram ægritudinem, ut ex morbi nostri gravitate, collata cum ipsius benignitate, & medicina, agnoscamus medicinæ oblatæ necessitatem & immensam virtutem, & medici benignitatem. Quo pertinet illud dictum Domini nostri, *Qui valent, non opus habent medico, sed qui malè habent. —— Non enim veni ut vocarem justos, sed peccatores ad resipiscentiam.* Matth. 9: 12, 13.

1 Joan. 5: 3. Jacob. 1: 25. & cap. 2: 12. Matth. 11: 30. Psal. 19. 9 Psal. 119. gimel. & Num.

XXXI. Partim etiam ideo Christus Evangelio suo inseruit præcepta legis, ut jam credentes sciant voluntatem Domini ac Patris sui Cælestis, ad quam mores suos magis magisque indies per Dei gratiam conforment. Ut mandatum sit lux semitis nostris, & lucerna pedibus nostris. Neque jam gravis est nobis lex ista, non est jam ministerium mortis, sed est lex libertatis, est jugum suave, & gaudium cordis nostri, & testimonia Dei jam sunt deliciæ nostræ, jucundi consiliarii nostri; sicut etiam erant credentibus olim tempore veteris Testamenti. Hæc enim æterna est & constans morum nostrorum regula, quam Christus non abolet, sed commendat suis observandam cum ingenua hilaritate & alacritate.

XXXII. *Tertia falsa hypothesis* Arminiana est, quod *Arminius* non minus inter peccatum, legem peccati, & legem membrorum facit distinctionem, quam inter Deum, legem Dei, & legem mentis. [In suo illo libro, pag. 97. & 98. edit. Lugd. Bat. in octavo an. 1612.] Cujus hypotheseos falsitatem facile erit manifestam facere: Nam Deus, & lex Dei, & lex mentis, sunt diversa entia, realiter inter se distincta; ita ut neutra istarum legum sit aut dici possit Deus, neque lex mentis sit aut propriè dici possit lex illa Dei, de qua loquitur Apostolus, quamvis ex legis Dei inscriptione in cordibus existat lex ista mentis. At verò peccatum inhabitans, & lex peccati non differunt realiter. Nullam Apostolus nominat legem membrorum, sed ait esse quandam legem in membris repugnantem legi mentis ejus, eamque captivantem in lege peccati quæ est in membris ejus, [vers. 23.] Unde manifestum est, nihil aliud intellexisse Apostolum per legem in membris, nisi legem peccati quæ est in membris, quæ hominem sibi captivum carne servire cogit. Jam autem quid aliud est lex ista peccati in membris repugnans legi mentis, nisi peccatum inhabitans? *Arminius* legem membrorum dicit esse affectum & propensionem in illa quæ utilia, jucunda, & amœna sunt, id est, in hæc mundana, terrena, & visibilia. Talis certè propensio quum repugnet bonæ legi mentis, adeoque etiam legi Dei, haud dubiè mala est moraliter, & per consequens est peccatum, uti supra demonstravimus de habituali concupiscentia, quæ est peccatum illud inhabitans, eademque metaphoricè appellatur lex peccati in membris: metaphoricè, inquam, nemo enim legislator hanc legem tulit legislatione propriè dicta, quomodo lata est lex Dei ab ipso Deo, in monte Sina; lex autem peccati dicitur significatione potiùs physica, quam morali. Quomodo dicimus hominem ea lege nasci, ut moriatur; item hanc esse legem hydropis, ut sitim pariat, hanc esse legem elinguibus positam, ut non loquantur, &c ubi necessitas moriendi, sitiendi, non loquendi, &c. metaphoricè accipit nomen legis: sic habitualis illa necessitas habendi concupiscentiam, excitantem in nobis inordinatos motus, fortitur appellationem legis. Quo sensu etiam Dominus seu tyrannus dicitur, quia ita tenaciter nobis inhæret iste malus habitus, nosque concupiscere facit, etiam invitos, ut non possimus in hac vita nos prorsus exsolvere istis vinculis, ideoque valde aptè assimilatur istud malum tyranno, legem tyrannicam ferenti, & subditos parere compellenti. Idemque malum apte assimilatur legi & coactioni tyrannicæ.

XXXIII. *Quarta falsa hypothesis* est, quod *Arminius* per legem mentis nihil aliud intelligit nisi notitiam legis Divinæ, & conscientiam, & conscientiâ natum consensum non quidem particularis approbationis, sed generalis æstimationis: qualem notitiam, conscientiam, & consensum habent illi qui ambulant secundùm carnem, peccata externo etiam opere perpetrantes contra conscientiam & conscientiâ natum consensum. Sic legem mentis interpretatur *Arminius*, libri illius pag. 30. & 52. & 97 & 98. &c.

XXXIV. Hujus hypotheseos falsitatem sic ostendo. 1. Quæ Apostolus ad legem mentis refert, non sunt in homine citra gratiam Christi, & operationem Spiritus Sancti, præparantis saltem hominem, & ad gratiam Christi fugere compellentis, ut ipse monet *Arminius*, pag. 103. & 104. nec sunt nisi homine saltem renascente sive existente in statu illo intermedio inconsistente, à quo statu mox transferendus est in statum gratiæ, ut idem asserit *Arminius*, libri sui pag. 102. At notitia legis, seu boni moralis lege imperati, & conscientia obedien-

obedientiam exigens, & ex conscientia consensus quidam generalis aestimationis, ita ut homo peccans peccet contra conscientiam & conscientiâ natum consensum, invenitur etiam in homine citra gratiam Christi & citra operationem illam Spiritus Sancti &c. Ergo notitia &c. non sunt ea quae Apostolus refert ad legem mentis; & per consequens perperam describitur ab *Arminio* illa lex mentis. Hujus syllogismi minor manifesta est: nam & Ethnici multi, qui non sunt in statu tali, qualem describit *Arminius*, peccant contra conscientiam, & notitiam recti cordibus inhaerentem, & contra consensum generalis aestimationis, uti docet *Aristoteles*, lib. 8. Nicom. cap. 3. & ipse Apostolus Rom. 2. 15. Exempla quaedam adfert Clemens Alexandrinus, Strom. 2. sic enim Laius in tragedia,

Λέληθε τῶν δὲ μ' ὖθὲν ὧν σὺ νυθετεῖς:
Γνώμην δ' ἔχοντά μ' ἡ Φύσις βιάζεται.

Id est,

Latuit verò me nihil horum quae admones;
At rectè sentientem me natura compellit.

Τυτέςι (subjicit Clemens) τὸ ἔκδοτον γεγενῆσθαι τῷ πάθει, hoc est, planè deditum esse passioni. Medea similiter in scena clamat,

Vide lib. 1 cap. 18. §. 3.

Καὶ μανθάνω μὲν δια δρᾷν μέλλω κακά,
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βυλευμάτων.

Id est,

Et scio quidem quaenam factura sim mala,
Ira autem potentior est meis consiliis.

Et Thrasonides amator in Comedia, ait,

Παιδισκάριόν με εὐτελὲς καταδεδύλωκεν,
Puella vilis me sibi servum fecit.

Judaei etiam nonnulli qui legem Mosaïcam didicerant, peccarunt aliquando contra conscientiam, & notitiam legis, & generalem illum consensum, quem habebant sine illa operatione gratiae & Spiritus Sancti; quale fuit peccatum Absolom, & Achitophelis, falsorumque testium; item, peccatum proditoris Judae, & Pharisaeorum illorum qui peccarunt contra Spiritum Sanctum. Non tamen erant illi in statu illo inconsistente, in quo ponit *Arminius* hominem illum, qui describitur cap. 7. ad Romanos. Ergo legem mentis male interpretatur *Arminius*.

XXXV. Deinde lex mentis, ut patet ex textu Apostolico, est habitus in mente & voluntate hominis, per quem homo non solum novit ex lege Dei discrimen boni & mali, sed etiam consentit legi Dei, quod bona sit, eique condelectatur secundum interiorem hominem, & bonum lege imperatum constanter vult, [nam adjacet ei velle bonum, παράκειται, quo verbo denotatur bonae voluntatis constantia], malum autem lege Dei prohibitum odit, non vult, etsi malum concupiscentiae pertinaciter ei etiam adjaceat, (παράκειται) repugnatque legi mentis ejus; quam miseram servitutem ipse per legem mentis odit & luget, atque ad libertatem à servitute illa peccati anhelat, esuritque ac sitit justitiam, plenamque de peccato victoriam ac triumphum: cujus initia jam experitur, liberatus à mali istius adjacentis reatu, per gratiam Domini nostri Jesu Christi, &, frustra renitente lege peccati, jam mente serviens legi Dei, cui condelectatur, (adeoque jam beatus, teste Davide, Psal. 1: 2.) certamque perfectae victoriae spem concipiens, prorumpit in gratiarum actionem, qua gratias agit Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, quamvis in agone adhuc confligens, & carne adhuc serviens legi peccati. Ista autem in homine irregenito inveniri non possunt, neque citra operationem inhabitantis Spiritus Sancti, & inhabitantis gratiae Christi, neque per solius legis ministerium producuntur, sed per ministerium Evangelii, ut ostensum est in subversione secundae hypotheseos Arminianae. Ideo sicut dicitur lex mentis intuitu subjecti, id est, hominis regeniti, à mente denominari opposite ad carnem, & membra; ita etiam eadem lex appellatur lex spiritus vitae, ab autore & efficacitate, opposite ad peccatum & mortem. Rom. 8. 2.

XXXVI. *Quinta falsa hypothesis* est, quod statuit *Arminius*, libertatem à peccato ne cum minima quidem servitute & captivitate in lege peccati posse consistere. (pag. 88.) Hanc hypothesin refellit clarissimè textus Apostolicus: *Ipse ego* (inquit) *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Rom. 7. vers. 25. seu ult. Certè quatenus est aliquis servus legis Dei seu justitiae, eatenus liber est à peccato, uti docet Apostolus, ejusdem epistolae cap. 6. 18. Nempe in homine regenito sunt primitiae novitatis, per quas servit legi Dei, & sunt reliquiae vetustatis, quibus adhuc detinetur invitus in lege peccati; quae detentio illi dura est servitus, & captivitas, à qua cupit liberari, per abolitionem omnium reliquiarum vetustatis, ut possit ea libertate & perfectione puritatis servire Deo, quam jam sitit, & quam etiam per Dei gratiam se tandem consequuturum confidit.

XXXVII. *Sexta falsa hypothesis* est, quod *Arminius* hominem, qui cap. 7. ad Rom. describitur, dicit ambulare non secundùm legem, sed secundùm carnem; non secundùm legem mentis, sed secundùm legem membrorum. Peccati enim & carnis in eo potiores esse partes & dominium, frustra renitente lege mentis: (pag. 98.) & facere malum quod nolis jam captivus, hoc in loco interpretatur, peccato obedire contra conscientiam, & per actualia peccata temagis magisque subjicere peccato. (pag. 30. & 90.)

XXXVIII. Falsitatem istius hypotheseos ipse textus Apostolicus demonstrat. Primò refellit istam hypothesin distinctio Apostolica, qua se à carne sua & à peccato in carne habitante distinguit, ita ut se censeri velit & se denominet non à carne, aut peccato, sed se contradistinguat à carne & peccato; quamvis habeat adhuc in se carnem peccatricem, per quam aliquo sensu ipse etiam peccare dicitur, quia non aliena, sed ipsius est ea caro, quae est in ipso: at ipse jam non est in carne, neque ipse est caro; se enim opponit carni suae, & peccato; & quod facit carne, ait se non facere illud, sed peccatum in ipso, id est, in carne ipsius habitans; at verò quae agit mente, & secundùm interiorem hominem, ea non à se amovet, ac si non ipse, sed mens in ipso faceret, sed simpliciter ait, se ista facere, nempe velle bonum, odisse ac nolle malum, condelectari ac servire legi Dei, gratias agere Deo per Dominum nostrum Jesum Christum. Unde manifestum est, potiores in isto homine esse partes & dominium gratiae, & mentis regenitae. In quibus autem potiores sunt partes & dominium carnis, & peccati, ita ut ambulent secundùm carnem, ii ab ipsa carne denominantur sine exceptione; sunt enim caro, Joan. 3. 6. sunt secundùm carnem, neque condelectantur legi Dei quoad interiorem hominem, neque volunt bonum, aut oderunt malum, neque mente serviunt legi Dei, sed è contrario sapiunt ea quae carnis sunt; quae carnis sapientia mortifera est, & inimica Deo, neque legi Dei servit, cui ne subjici quidem potest; ideo tales homines non possunt amovere à se ipsis quae faciunt

ciunt carne, non enim est caro in eis quæ operatur, sed ipsi sunt in carne operantes, uti docet Apostolus, Rom. 8: 4, 5, 6, 7, 8. ipsa mens eorum est carnalis, & prorsus sordida. Ephes. 2: 3. Coloss. 2: 18. Tit. 1: 15. & cor ipsorum procul abest à Domino. Matth. 15: 8. neque fectiò agunt gratias Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, ac ne possunt quidem, destituti spiritu & gratia Christi.

Joan. 15: 5. 1 Cor. 12: 3. Rom. 8: 9.

XXXIX. Deinde, Qui magis vult bonum quàm malum, ille non ambulat secundùm carnem, sed secundùm spiritum: nam qui ambulant secundùm carnem, ii magis volunt malum quàm bonum. [Psal. 52: 4.] qui ambulant secundùm spiritum, illi oderunt malum. [Psal. 97: 10.] At homo qui describitur cap. 7. ad Romanos, magis vult bonum quàm malum; [*intelligo* morale bonum, & morale malum] nam simpliciter ait se nolle & odisse malum, adjacere ei velle bonum; & ait se non facere malum, nempe quia illud odit, non vult, sed vult oppositum bonum. Nusquam autem dicit se velle malum, imò id negat; quod utique negandum non foret, si se fateretur ambulare secundum carnem. Quamvis igitur ipsi inordinati motus concupiscentiæ & peccata obreptitia non fiant sine aliqua saltem volitione; quia tamen homo regenitus per Dei gratiam resistit peccato, neque motibus istis condelectatur, neque eis consentit, neque obtemperat, (si tenorem vitæ ejus intueamur, quamvis possit aliquando præoccupari in aliquo ulteriori peccato,) sed constanter & serio ac sincerè odit & aversatur istos motus, omniaque peccata, & magis vult ac per se vult oppositum bonum, ideo simpliciter dicitur odisse ac nolle malum, & velle bonum, quod jam velit non serviliter, & per accidens, nempe solo timore pœnæ, sed vult bonum ingenuè & per se, amore ipsius justitiæ, & odio iniquitatis. Hoc enim est odisse ac nolle malum, & velle bonum, condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem, & mente servire legi Dei. Quod impossibile nobis est, nisi transformati simus in spiritu mentis nostræ, novumque hominem induerimus, exuentes veterem hominem, qui corruptus est secundùm concupiscentias deceptionis. [Ephes. 4: 22, 23, 24.]

XL. Adhæc, Apostolus ex hoc quod non ipse, sed peccatum in illo habitans faciat malum, & quod ipse malum oderit ac nolit; bonum autem velle adjaceat illi, & quod condelectetur legi Dei secundùm interiorem hominem, & mente serviat legi Dei, quamvis carne serviat legi peccati, colligit certitudinem favoris Dei, certamque spem plenæ tandem victoriæ, eoque nomine gratias agit Deo per Dominum nostrum Jesum Christum; indeque infert nullam sibi suique similibus, nempe regenitis, esse condemnationem, quum sint in Christo Jesu, & non ambulent secundùm carnem, sed secundùm spiritum. Omnia ista bona accepta refert Spiritui vitæ in Christo Jesu, per quem se liberatum esse dicit à lege peccati & mortis, non quidem ut statim aboleatur peccatum, ita ut non sit in homine regenito, sed ut non dominetur ejus consensui & actionibus; & homo regenitus operationes corporis magis magisque mortificet per Spiritum. [Rom. 7: 25. & cap. 8: 1, 2, 3, 13. & confer cap. 6: vers. 13, 14, &c.]

Facere malum, Rom. 7. 19.

XLI. Ex his patet, *facere malum*, cap. 7: 19. ad Rom. non esse ambulare secundùm carnem; sed tantummodo denotari ista loqnutione concupiscentiam carnis concupiscentis contra spiritum in homine regenito; cum obreptitiis quibusdam peccatis, quibus nec opinantes quotidiè præoccupantur regenerati, sine pleno aut deliberato consensu; qualia peccata sunt, vagæ cogitationes cum defectu debitæ attentionis & fervoris in orando, aut dum legimus vel audimus Dei verbum; oblivio verbi auditi aut lecti; verbum temerè excidens, risus inconsideratus, aut inconsiderata mœstitudo, & similia. Quod autem attinet peccata graviora, ex deliberato consensu, quibus etiam pii nonnulli interdum præoccupantur, quamvis ex concupiscentia & illa proveniant, non tamen de eis hic agitur, ubi describitur communis & quotidiana omnium regenitorum luctatio. De gravioribus autem illis agitur, Galat. 6: 1. & Jacob. 1: 13, 14, 15.

Caput IX.

Expenduntur quæ pro defensione memoratæ expositionis Arminianæ scripsit Joannes Arnoldus Corvinus, *in sua censura Anatomes Arminianismi.*

I. Haud alienum erit hic subjicere & perpendere, quæ pro *Arminii* memorata sententia adfert *Joannes Arnoldus Corvinus*, in censura Anatomes Arminianismi. Is libri illius cap. 33. ad §. 35. negat sic intelligenda esse dicta illa Apostolica, quæ leguntur Ephes. 2: 1. & Coloss. 2: 13. ac si omnes irregeniti mortui essent in peccatis. Quosdam enim irregenitos ita vocari non posse. Negationis que suæ hanc reddit rationem, quod nimirum sint quidam irregeniti, qui jam vocati atque excitati sunt per gratiam, atque eo usque provecti, ut mens gratiam salutarem intelligat, & affectus ejus desiderio ita tacti sint, ut voluntatem ad illius appetitionem propellant. Tales autem ait non posse vocari mortuos in peccatis; quia intellectus & affectus in ipsis jam sunt vivificati, eoque ipso voluntas potens reddita est ad exercendum insitam sibi volendi nolendique facultatem: quamvis non sint adhuc vivificati vivificatione illa strictè sumpta quæ propria est regenitorum, vivificatos tamen jam esse vivificatione laxè sumpta, prout actio spiritus ad vivificationem tendens eâ etiam comprehenditur, ideoque hominem illum, cujus mens illustrata est aliqua Dei notitia, & ad boni desiderium appetitus aliquo modo exstimulati, non posse dici in peccatis mortuum, quia hic utrobique est aliqua actuositas, aliquis motus; qui licet adhuc non sit nova illa vita Evangelica secundùm novam creaturam; vita tamen dicitur, quia est aliqua vegetatio ad illam vitam disponens. Nec profectò negari posse, aliam esse dispositionem ejus, qui extra omnem vocationem, seu extra omnis vocationis sensum positus est, in quo neque notitia est, neque voluntas, neque appetitus ad salutarem gratiam, qui prorsus est cæcus & voluntatem Dei planè ignorat, nullo peccati sensu aut iræ Dei compunctus, nullo desiderio liberationis incensus; aliam ejus qui Dei ac Divinæ voluntatis aliquam habet notitiam, ac opus legis in corde suo scriptum habet: qui desiderio liberationis accenditur, imò etiam cum gaudio excipit sermonem gratiæ, & ad tempus in ejus luce exultat &c. Omnia autem ista irregenitis tribui, nobis adsentientibus, tamen esse actiones vitales; sed necdum illius Spiritus effecta, qui dicitur Spiritus regenerationis. Ideoque notandum monet, non

Mortui in peccatis.

non dici à Remonstrantibus, tales homines esse vivificatos, sed istas facultates esse in ipsis vivificatas, id est; actuosas aliquo modo redditas. Et notandum etiam, non statui hic ab eis actiones habituales, & vitæ similem infusionem, sed intelligi actiones spiritus assistentis, distinctas à plena mentis illustratione, ac plena affectuum ac voluntatis reformatione, qua non vegetamur ad levem aliquem motum, sed in novum hominem formamur, ac firmus nova creatura in Christo, formati ad bona opera, quæ Deus præparat ut in illis ambulemus. Talem enim creationem hic non intelligi per istam vivificationem, sed tantummodo initialem dispositionem ad novam vitam; quæ dispositio fidem & regenerationem necessariò præcedat. Porro quærenti *Petro Molinæo*, in sua Anatome Arminianismi, unde ista duo genera irregenitorum habeant Remonstrantes? respondet *Corvinus* in sua censura, distinctionem istam clarè doceri in Scripturis, per oppositionem Judæorum Christum rejicientium, aut saltem ante ipsorum ad fidem conversionem consideratorum, quibus Dei & legis cognitio, zelus in lege &c. tribuitur; & gentium quæ sine Deo in mundo vixisse dicuntur, spem non habentes; de quibus gentibus speciatim dici ait, quod in peccatis mortui fuerint. Item, eandem irregenitorum distinctionem adeo clarè evinci ex parabola de diverso semine in agrum Domini conjecto, ut pluribus locis non sit opus. Quemlibet autem colligere volentem, inventurum infinita exempla eorum, qui, cum insigni Dei cognitione, & aliis præterea donis præditi fuerint, tamen pro mensura illorum donorum Deum non glorificarunt. Deinde ad hominem argumentans *Corvinus* sic *Molinæum* alloquitur; Sed verò (inquit) tu ista non debes quærere, qui irregenitis tribui vis quod Hebr. 6: 4. dicitur; scilicet quod illuminentur, gustent donum Cœleste, Spiritus Sancti fiant participes, gustent bonum Dei verbum, & virtutes futuri seculi: Item quod (ut dicitur 2 Petr. 2. 20.) inquinamenta mundi per agnitionem D. N. J. Christi effugiant, ac viam justitiæ cognoverunt. Qui irregeniti profectò longè alii sunt quàm gentes, ac reliqui irregeniti qui istis donis non fuerunt præditi. Hæc *Corvinus*, censuræ cap. 33. ad §. 35.

II. Antequam verò ad ista respondeamus, accedat summa eorum quæ in eandem sententiam disserit etiam cap. 34. ejusdem libri. Facit ibi *Corvinus* quatuor oppositiones seu distinctiones. 1. Homo vel præparatur ad fidem & regenerationem per præparatorias operationes Spiritus, per prævias dispositiones, & prærequisita in homine regenerandò opera, quæ exigit Deus in illo quem intendit regenerare, quibus etiam utitur Deus ad hominem regenerandum: [cap. 34. §. 2, 3. &c.] qui autem sic præparatus est nondum regeneratus est; vel homo sic præparatus deinde regeneratur per alias operationes Spiritus Sancti, ad essentiam regenerationis pertinentes. [§ 9.]. 2. Doctrina seu ministerium aliud est præparatorium, per quod homo tantùm præparatur ad fidem & regenerationem: quod imprimis est verbum legis. Hoc enim verbum verè est præparatorium, & eo fine prædicatur, ut nos ad Christum ducat; nam lex verè pædagogus est ad Christum illis, quibus Christus non annunciatur. Aliud verò est ministerium per quod homo regeneratur, nempe Evangelium: nam legis & Evangelii effectus sunt in se contrarii, licet eodem tendentes. Lex enim operatur iram, ac proponit mortem, ac totum legis ministerium eo tendit, ut metum mortis incutiat; Evangelium verò proponit vitam, ac restituit vitæ, suntque omnes Evangelii effectus vitales per se. [cap. 34. §. 3, 9, 10.] 3. Gratia etiam duplex est, una qua præparatur, altera qua efficitur regeneratio. Gratiam autem istam duplicem docet Scriptura, quæ legis ministerium tanquam præparatorium ad gratiam Evangelii expresse ponit. [§. 10.]. 4. Duplex est spiritus: nam prout unus est spiritus, variæ autem operationes, ita Spiritus Dei duplices sunt internæ operationes; vel scilicet præparatoriæ ad regenerationem, vel ad essentiam regenerationis pertinentes. Illæ operationes sunt communes: & prout adminicula æterna, quibus Deus utitur ut homines disponat ad conversionem, varia sunt; ita Spiritus isto modo variè in cordibus operatur. Imprimis verò operatur per verbum legis, quod verè est præparatorium. Istum Spiritum, servitutis spiritum ad metum ab effectis nominant Remonstrantes. Alterum spiritum, qui regenerat, vocant spiritum fidei libertatis, seu regenerationis, qui efficax est per semen illud incorruptibile, id est, per verbum Evangelii, per quod Scriptura nos docet regenerari. [§. 9. & 3.] Quamvis autem Spiritum Dei agentem in cordibus non posse à cognitione Christi sine summo scelere divelli, verum sit de eo spiritu, qui est libertatis & adoptionis; de legis tamen (inquiunt) spiritu falsum est, qui spiritus est servitutis. Quare lex non opponitur simpliciter spiritui, sed illi spiritui qui est Evangelii; quæ oppositio fit propter legis & Evangelii effectus, in se contrarios, licet eodem tendentes: estque ista oppositio revera eadem cum altera qua spiritus servitutis opponitur spiritui libertatis. Duplicem etiam illum spiritum ostendit duplex illa gratia. Duplex autem illa gratia manifesta est ex duplici ministerio, nempe ministerio legis quod est præparatorium, & ministerio Evangelii, quod est regeneratorium. Spiritus legis non est Spiritus in cordibus habitans, sed tantum est assistens & in cordibus operans. Inhabitans enim Spiritus proprius est regenitorum. Templum enim præparatur priùs à Spiritu antequam illud inhabiter, nec inhabitat illud nisi præparatum, & sanctificatum. Inter istas itaque actiones distinguendum est. (cap. 34. §. 10.) a Cor. 3.

III. Quatuor istarum oppositionum seu distinctionum summa huc redit: quod scilicet Spiritus per adminicula præparatoria, præsertim verò per legem seorsum sine Evangelio propositam, & per gratiam præparatoriam, operetur quasdam necessarias præparationes & prævias dispositiones ad fidem & regenerationem, in eis quibus Christus nunquam est annunciatus: & quod prærequirantur istæ præparationes, dispositiones, ac prævia quædam opera in homine adhuc irregenito, antequam regeneretur per Spiritum regenerantem & gratiam ministeriumque Evangelii: Item quod præparatoriis istis operibus utatur Deus ad hominem regenerandum.

IV. At quænam (inquies) sunt istæ præparationes, dispositiones, & prærequisita opera, quæ per Spiritum legis, per gratiam legis, per verbum legis, aliave inferiora media, sine verbo Evangelii, in homine irregenito existunt, quem Deus intendit regenerare, & quibus Deus utitur ad hominem regenerandum.

Respondet *Corvinus*, vocatio hominis irregeniti, atque excitatio per gratiam, atque eousque provectio, ut mens gratiam salutarem intelligar, & affectus ejus desiderio ita tacti sint, ut voluntatem ad illius apprehensionem propellant. *Item*, Dei ac divinæ voluntatis aliquam habere notitiam, ac opus legis in corde suo scriptum habere, desiderio liberationis accendi, imò etiam cum gaudio excipere sermonem gratiæ, & ad tempus in ejus luce exultare. *Item*, aliqualis illuminatio intellectus, ut homo irregenitus gratiam cognoscat: & desiderium aliquale, ut voluntas propellatur ad bonum agnitum volendum, & ad ea agenda quæ ad illud bonum agendum sunt necessaria. [cap. 33. ad §. 35.] *Item*, facere ea quæ legis sunt, Rom. 2: 14. [cap. 34. ad §. 2.] *Item*, sitis salutaris gratiæ, esuries ac sitis justitiæ, cupiditas salutis ac gratiæ Dei, ac gemitus conscientiæ anhelantis sub pondere peccatorum, per quem homo ad Christum confugere compellitur, & timor initialis. atque huc accommodantur ista Scripturæ loca, Esai. 55: vs. 1. Matth. 5: 6. & Johan. 7: 37. Matth. 11: 28. [cap. 34. ad §. 3.] *Item*, affectus ac desiderium generale exequendi voluntatem Dei, Johan. 7: 17. adeoque timor Dei, agnitio peccatorum, desiderium gratiæ, ac virium omnium intentio ad Dei obsequium, ac illud etiam desiderium, quo quis ut salvus fiat & gratia fruatur, studet Deo placere, ac id facere quod Deo gratum sit, [cap. 34. ad §. 4.] *Item*, timor ille Dei, de quo Prov. 1: 7. & Psal. 25: 14. [ad §. 5.] *Item*, spiritus fractus ac contribulatus, de quo Psal. 51: 19. & paupertas ac contritio spiritus ac trepidatio ad verbum Domini, de quibus Esai. 66: 2. [cap.34. ad §. 6.] *Item*, desiderium remissionis peccatorum & spiritus novi, [ad §. 7.] *Item*, per legem ad Christum duci: eo, inquit, fine prædicatur lex, ut nos ad Christum ducat. [ad §. 9.]

V. Ex locis autem illis, ubi de siti & fatigatis, Esai. 55. Matth. 5. & 11. &c. sic argumentatur *Corvinus*, [ad §. 3.] Si illi vocantur ad participationem beneficiorum Evangelio promissorum, qui ita sunt dispositi, ut sitiant salutarem gratiam, onere peccatorum pressi ac fatigati; sequitur istas dispositiones requiri, ut quis idoneus sit ad Evangelium apprehendendum: ideoque istas dispositiones præcedere ea ipsa beneficia quæ per Evangelium nobis conferuntur. Sed &c. Ergo &c. Inter beneficia autem Evangelio promissa ac bona quæ nobis per illud conferuntur, est regeneratio. Nam ipsum verbum Evangelii est immortale illud semen quo regeneramur. Ergo dispositiones istæ præcedunt regenerationem; & sunt in illis qui non sunt regeniti. Sunt quidem (inquit) ista effecta Spiritus, sed non regenerantis, verum ad regenerationem præparantis. Ratio est, quia regeneratio fit per Evangelium seu verbum fidei, estque beneficium quod confertur jam credentibus: isti verò sunt effectus legis quæ de peccato convincens, gratiæ necessitatem docet, & cogit nos ad eam confugere. *Item*. Quomodo fieri potest (inquit *Corvinus*) ut sint in Christo, qui adhuc compellantur ad Christum confugere? At illi qui regenerantur, sunt in Christo, utpote ei per fidem jam insiti. Ergo illa cupiditas salutis & gemitus conscientiæ, per quæ compellimur ad Christum confugere, non sunt pars regenerationis. Qui invitantur ut veniant, nondum venerunt, id est, nondum crediderunt: at qui benedicuntur, jam venerunt. Fideles enim benedicuntur cum fideli Abraham. Quare cum regeneratio sit ex beneficiis quæ fidelibus promittuntur, est ex illis beneficiis quæ hic illis invitatis promittuntur, cùm saturandi dicuntur. Hactenus *Joannes Arnoldus Corvinus*.

VI. Subjiciam nunc considerationem & censuram eorum quæ à Corvino dicta sunt. Quamvis sint diversi ordines irregenitorum, certum est tamen omnes irregenitos mortuos esse in peccatis, eo sensu quo mortuos in peccatis dixit Apostolus, Ephes. 2: 1. & ad Coloss. 2: vers. 13. ubi omnes Ephesios & Colossenses ait mortuos fuisse in peccatis, donec per gratiam Evangelicam, per potentiam illam Dei quam exeruit in suscitando Domino Jesu Christo ex mortuis, convivificati sunt cum Christo, & suscitati per fidem efficacis operationis Dei qui suscitavit Christum ex mortuis, eosque mortuos in peccatis, & præputio carnis ipsorum, simul vivificavit cum ipso, condonatis omnibus peccatis ipsorum. Hinc sic argumentor: Quicunque manet adhuc sine memorata vivificatione & resuscitatione cum Christo, atque adeo sine fide & remissione peccatorum, ille est adhuc mortuus in peccato. At omnis homo irregenitus, cujuscunque ordinis, manet adhuc, &c. Ergo omnis homo irregenitus, cujuscunque sit ordinis, est adhuc mortuus in peccato. Mortuum in peccatis intelligimus semper eo sensu quo Apostolus Ephesios & Colossenses dixit fuisse aliquando mortuos in peccatis. Nam de illorum locorum sensu nunc quæritur. Major patet ex ipso textu, & oppositione Apostolica, Ephes. 1. & 2. ad Coloss. 2. Minor manifesta est, nam qui vivificatur & resurgit cum Christo, ille hoc ipso regeneratur in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. 1 Petr. 1: 3. Ex quibus manifestum est; ineptè fingi ab *Arnoldo Corvino* tertium quoddam genus hominum, qui neque adhuc vivificati sunt cum Christo & resuscitati per fidem, neque tamen mortui sint in peccatis. Apostolus enim nullum istiusmodi intermedium genus hominum agnoscit, quando ait, Ephesios & Colossenses cùm essent mortui in peccatis [νεκροὺς ὄντας] vivificatos esse cum Christo, adeo ut ante illam vivificationem cum Christo per gratiam Evangelicam, fidemque Evangelicam, non nisi mortui in peccatis extiterint; & Spiritus regenerator eos mortuos invenerit in peccatis.

VII. Quod autem adfert *Corvinus* de actuositate quarundam facultatum in quibusdam irregenitis, nihil ad rem facit: nam talis quædam actuositas reperitur quandoque in Ethnicis, & in prophanis hominibus à vita ista spirituali remotissimis, & planè mortuis in peccatis, ut in *Medea*, in *Lao*, in *Thrasonide*, in *Balaamo*, in *Achitophele*, in *Pharaone*, in *Juda proditore*, in *Simone Mago*, multisque aliis qui Deum cognoscentes non glorificant, quosque ipsorum conscientia redarguit. Totum hoc non est vivificatio, aut exemptio à morte in peccatis. Imo istis omnibus non obstantibus, homo irregenitus mortuus adhuc est in peccatis, quia manet adhuc sine illa spirituali vivificatione, quamvis habeat vitam animalem & rationalem. Actuositas autem ista, de qua loquitur Corvinus, non potest esse sine vita rationali, quamvis esse possit sine vita spirituali, qua quicunque caret homo, is mortuus est in peccatis. *Vide supra, cap. 8 §. 34. & lib. 1. capp. 7. & 16. & seqq.*

VIII.

VIII. Adhæc omnem hominem irregenitum mortuum esse in peccato, sic ostendo ex ipso *Corvino*. Objecit *Molinæus*, in Anatome Arminianismi, cap. 32. §. 24. quod affirment Remonstrantes, hominem irregenitum non planè esse mortuum in peccato. Cui respondens *Arnoldus Corvinus*, Hominem, inquit, irregenitum non esse planè mortuum in peccato, nusquam; contrarium non semel dicimus. Quid clarius? nam nisi de omni irregenito accipiatur responsio, erit inanis & invalida. Aliud etiam indidem nobis suppeditatur argumentum; sic enim argumentor: Qui ita impotens est, ut ex se, quod verè bonum est, facere non possit, is mortuus est in peccatis; nam hanc esse veram rationem cur homo in peccatis mortuus esse dicatur, monet *Corvinus*, in censura Anatomes, cap. 32. ad §. 24. At omnis homo irregenitus ita impotens est, ut ex se facere quod verè bonum est non possit; affirmant hoc Remonstrantes, Artic. tertio. & repetit Arnoldus, in Cens. Anat. cap. 32. ad §. 23. & ad §. 24. Ergo omnis homo irregenitus mortuus est in peccato. *Item*; Qui non potest verè bonum rectè intelligere, meditari, velle, atque perficere, est mortuus in peccatis: At omnis homo, donec in Christo per Spiritum ipsius Sanctum regeneretur, in eo est statu, ut verè bonum non possit rectè intelligere, &c. ut testantur ipsi Remonstrantes, Artic. tertio. Ergo omnis homo, donec regeneretur, est mortuus in peccatis.

IX. Porro lex (seorsum proposita) non potest vivificare, teste Apostolo, Galat. 3: 21. sed est litera occidens. Spiritus autem est qui vivificat, 2 Cor. 3:6. Spiritus, inquam, libertatis. ibid. vers. 17. id est, Spiritus Evangelii, qui opponitur legi operanti iram, ac proponenti mortem, totoque suo ministerio metum mortis incutienti, ut monet *Corvinus*, cens. Anat. cap. 34. ad §. 10. Male igitur tribuitur legis ministerio vivificatio seu vegetatio opposita morti illi in peccatis, de qua scripsit Apostolus ad Ephes. cap. 2. & ad Coloss. cap. 2. Cum ad hoc potius (ut verbis utar *Augustini*) valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio. Aug. lib. De gratia Christi, cap. 8.

X. Infeliciter etiam philosophatur *Arnoldus Corvinus* in censura Anatomes, cap. 3. ad §. 35. quando ait, libertatem adimi voluntati, nisi possit menti bonum salutare intelligenti, & affectibus ad ejusdem boni apprehensionem propellentibus resistere, & aversa esse ab illo bono. Nam libertas voluntatis illa naturalis atque inseparabilis, neque in eo est posita, ut voluntas bonum respuere possit, neque in eo, ut rectæ rationi resistere, aut affectibus ad bonum propellentibus repugnare possit: nihil enim istorum invenitur in statu perfectissimæ libertatis arbitrii humani, nempe in statu gloriæ, neque in Christo viatore.

De arbitrii Libertate vide Instruct. Historico-theolog. lib. 8. cap. 16.

XI. Neque illa fælix est philosophia, qua *Corvinus* statuit, renovationem affectuum præviam renovationi voluntatis; & desiderium quoddam salutaris gratiæ à mente cognitæ ponit prius in affectibus quam in voluntate, [censf. Anatom. cap. 32. ad §. 23. & cap. 33. ad §. 35.] Nam quum Cælestis doctrinæ veritas & salutaris gratia objectum sit spirituale & intelligibile, appeti non potest ab appetitu sensitivo, (in quo sunt affectus prout à voluntate discriminantur,) nisi mediante voluntate ejusque imperio.

XII. Præterea quum *Arminius* & *Corvinus* actuositatem istam præparatoriam in irregenitis effici dicant præcipuè per ministerium legis, & quidem seorsum propositæ aut consideratæ absque prædicatione Evangelii, sicut patet ex superioribus; perperam adducitur à *Corvino* pro ista actuositate parabola de diverso semine, ut ipse loquitur, in agrum conjecto. Nullam enim invenimus talem parabolam, nisi eam quæ est de tritico & zizaniis. Nemo autem sine blasphemia dicet, verbum legis esse infælix quoddam lolium à Diabolo seminatum. At *Corvinus* intelligit, inquies, parabolam de semine jacto in terram petrosam, in spinosam, &c. nam de petrosis illis dicitur, quod cum gaudio excipiant sermonem gratiæ, & ad tempus in ejus luce exultent. Respondeo igitur, non fieri in ea parabola mentionem diversi seminis, sed tantummodo diversi soli; unum autem est semen, nempe verbum regni, id est, Evangelium. Matth. 13; 19.

XIII. Ineptè etiam ministerio legis seorsum prædicatæ tribuuntur illa quæ Irregenitis convenientia memorantur, Hebr. 6: 4. & 2 Petr. 2: 20. Nam manifestum est, illam illuminationem, & agnitionem Domini nostri Jesu Christi, & cognitionem viæ justitiæ, gustumque illum doni Cælestis, & participationem illam Spiritus Sancti, & gustum boni verbi Dei, non esse effecta legis, sed consequi prædicationem Evangelii. Quamvis plurimùm distent ista ab illis affectionibus, dispositionibus, & constellationibus in homine regenito, de quibus agitur Rom. 7. vers. 14: 15. &c.

XIV. Non absurdè autem tribui irregenitis, quæ legimus locis citatis ad Hebræos, & apud Petrum, patet ex parabola satoris; ex qua has colligere est distinctiones. *Prima distinctio* est; Eorum quibus Evangelium prædicatur, alii eo afficiuntur, ipsumque recipiunt; alii verò non afficiuntur, neque recipiunt, puta ii qui tritæ semitæ assimilantur. *Secunda distinctio* est; Recipientium alii recipiunt Evangelium fide radicata, alii autem fide non radicata, sed tantum superficiali, nempe ii qui similes sunt terræ petrosæ, qui non habent radicem in seipsis. [Marc. 4: 17.] Neque tamen dicimus spinosos habere fidem veram & radicatam. Ideo addenda est hæc *Tertia distinctio*; Eorum qui Evangelium in ima intima recipere videntur, alii illud recipiunt fide ἀνυποκρίτῳ sincera & viva ac fructuosa, nempe ii qui similes sunt terræ bonæ, quorum corda fide purgantur; (Act. 15: 9. & 1 Tim. 15.) Alii fidem habent tantummodo hypocriticam seu adulterinam, mortuam, infructuosam, nempe ii qui assimilantur terræ spinosæ; tales sunt ἄκαρποι infructuosi, (Marc. 4: 19.) adeoque fide viva destituuntur, ut patet ex epistola Jacobi, cap. 2: 26. Neque fidem habent ἀνυπόκριτον sinceram & genuinam, quæ non nisi in corde puro invenitur, & conscientia bona [1 Tim. 1: 5.] sed habent quandam fallacem similitudinem veræ fidei, qua ipsi quoque habentes decipiuntur, dum existimant se habere genuinum aurum fidei illius, de qua Petrus loquitur, 1 Petr. 1. 7. quum tamen nil nisi orichalcum & scoriam possideant. Vera fides habet suam quandam imaginem in malis hominibus, inquit *Augustinus* lib. 2. de sermone Domini in monte, prope finem.

XV. Ex istis distinctionibus patet, fidem justificantem differre à fide temporariorum, & hypocritarum, non sola duratione, aut gradu aliquo, sed ipsa radice & ratione formali.

XVI. Qualis autem temporariorum & hypocrita-

critarum fides est, talis etiam est eorum cognitio Domini nostri Jesu Christi, talis gustus, tale gaudium. Ista enim non habent solida & genuina, sed inanem duntaxat corticem, atque si quid solidi habere videantur, id non est genuinum ac sincerum, sed adulterinum ac fucatum, simile quidem vero, at non verum; non habent illam salutiferam cognitionem Jesu Christi, de qua loquitur Dominus, Joan. 17: 3. & Apostolus Paulus. 1 Cor. 2: 2. & Philip. 3: 8, 9, 10. non sunt roborati per Spiritum Sanctum quoad interiorem hominem; non habent Christum habitantem per fidem in ipsorum cordibus; non sunt radicati & fundati in charitate; neque valent comprehendere cum omnibus sanctis, quænam sit latitudo & longitudo & profunditas & excelsitas, & nosse illam Christi charitatem quæ notitiam transcendit, ut impleantur in omnem plenitudinem Dei. Ephes. 3: 16, 17, 18, 19. Non habent gustum illum bonitatis Domini, qui per primitias Spiritus conceditur generi electo, regali sacerdotio, genti sanctæ. 1 Petr. 2: 3, 4. Non habent gaudium illud ineffabile & gloriosum, quod datur regenitis & custoditis ad æternam hæreditatem. 1 Pet. 1: 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9. Ignorant illud in Spiritu Sancto gaudium, in quo cum justitia & pace est regnum illud Dei. Rom. 14: 17, 18. Habent quidem speciem quandam seu effigiem pietatis, at vim ejus abnegant. [2 Tim. 3: 5.] Deum profitentur se scire, sed factis negant, quum sint abominandi & immorigeri, & ad omne opus bonum reprobi. [Tit. 1: 16.] Ideo Dominum qui illos mercatus est abnegare dicuntur. 2 Petr. 2: 1. * reprobi qui peccant in Spiritum Sanctum, facti sunt aliquo modo participes Spiritus Sancti, sed non sunt renati ex Spiritu, non sunt facti per regenerationem spirituales, de qua renascentia loquitur Dominus ad Nicodemum, Joan. 3: 3, 5, 6, 7.

* Vide Instruct. Historico-theolog. lib. 8. cap. 16. Annot. in propos. 6. & 9. & 10. & cap. 15. §. 11.

XVII. Observa etiam hypocriticas istas in irregenitis dispositiones & affectiones, non esse idoneas præparationes ad regenerationem, sed potius impedimenta: easque reperiri potius in hominibus nunquam regenerandis, quàm in hominibus regenerandis. Neque larvis istis uti Deum ad hominem regenerandum, sed si quando in homine regenerando inveniantur, Deum ea amoliri, tanquam regenerationis impedimenta. ut patet ex illa parabola de semente & satore. Scimus difficilius ad sanam mentem revocari hypocritam quam idiotam: etsi illuminatio & timor servilis non inutiliter in regenerandis præcedunt, ut supra monuimus.

XVIII. Hinc manifestum est, *Arnoldum Corvinum* multa congessisse & confudisse, a proposito aliena, dum talibus utitur argumentis & exemplis ad demonstrandum præparationes legales in homine adhuc irregenito, sed mox regenerando.

XIX. Parem ostendit incogitantiam in aliorum effectorum & testimoniorum recitatione: nam quæ adducit, vel conveniunt etiam ipsis Ethnicis exlegibus, sine ministerio legis; ut Dei ac Divinæ voluntatis aliquam habere notitiam, ac opus legis in corde suo scriptum habere, & facere ea quæ legis sunt. [Rom. 2: 14, 15.] vel præsupponunt prædicationem Evangelii; videlicet excipere cum gaudio sermonem gratiæ, & ad tempus in ejus luce exultare, gratiam aliqualiter cognoscere, &c. [Matth. 13: 20. Joan. 5: 35.] vel hominum sunt regenitorum, neque conveniunt irregenitis; ut sitis salutaris gratiæ, esuries ac sitis justitiæ, cupiditas salutis ac gratiæ Dei, timor ille Dei qui est principium sapientiæ, paupertas ac contritio spiritus ac trepidatio illa ad verbum Domini, &c. De quibus fit mentio in locis Scripturæ supra citatis.

XX. Ad argumentum verò quod format *Corvinus* ex illis scripturæ locis, ubi agitur de siti & fatigatis, Esai. 55: 1. & Matth. 5: 6. & cap. 11. 28. Respondeo: Sitis triplex est: trium enim generum observatio sufficiet ad præsens institutum. 1. Est sitis naturalis. 2. Est sitis legalis. 3. Est sitis Evangelica. Naturalem sitim voco quæ omnibus ingenita est, sitim seu appetentiam fælicitatis. Legalem verò appello sitim, quando legis face illuminata, ejusque stimulo excitata conscientia ariditatem suam & indigentiam ac miseriam agnoscit, & deplorat, animum existimulat ad desiderium liberationis, quamvis verum remedium, unicumque illud salutare refrigerium nec videat, nec appetat; hæc sitis in ipsis etiam Ethnicis conspicitur ex lumine legis illius naturaliter cordibus ipsorum incisæ. Unde, *Ille Agamemnonius, scenis agitatus Orestes, Armatam facibus matrem & serpentibus atris, Dum fugit, ultricesque sedent in limine diræ.* Virgil. Æneid. 4. Hinc & illi in *Tiberii* aliorumque tyrannorum pectoribus *laniatus & ictus.* Cornel. Tacit. Annal. lib. 6. Accedens autem fax legis, per oraculum divinum patefactæ, clarius detegit nostram miseriam, & adauget terrorem, sitimque liberationis, quam sitit homo non amore justitiæ, sed horrore miseriæ. Talem sitim habuit *Balaam*, & *Judas proditor*, nec absimilis est sitis illa divitis in inferno. Sitis Evangelica est, quando homo gustata Christi bonitate, ejusque dulcedine allectus, eam magis magisque sitit, eâque saturari exoptat, ex amore justitiæ, & odio iniquitatis. Hæc sitis in hac vita conjuncta est in regenitis cum sensu etiam propriæ indigentiæ, ex lege perspectæ. Quamvis autem homo regenitus justitiam sitiat etiam ex aliquo horrore miseriæ, magis tamen movetur amore ipsius justitiæ, & odio peccati, & in eo amore ac odio indies proficit, pro incremento gratiæ. Unde hæc sitis quamdiu aliquem secum cruciatum habet in hac vita, dici potest sitis initialis, respectu delectabilis illius fruitionis quæ in Cælo perfectè habebitur, ubi aquam vivam de fluvio deliciarum Dei semper avidè bibemus, sitientes sine inopia, sine cruciatu, semperque bibentes cum appetitu complacentiæ, sine fastidio. quemadmodum timorem initialem à timore perfectè casto supra distinguebamus. Supra cap. 8. § 19.

XXI. Hoc autem differt sitis Evangelica à siti naturali, & legali, quod sitis Evangelica ostendat inesse homini vitam Evangelicam, id est, cognitionem ex Evangelio acceptam, castamque dilectionem aquæ illius vivæ, quæ sitim cruciantem sedat in æternum; ideo qui sitim habet Evangelicam, jam vivere cœpit vitam Evangelicam, seu vitam regenitorum, jamque cœpit esse beatus, perfectamque beatitudinem haud dubiè assequetur: juxta illud dictum Domini nostri apud Matthæum, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Matth. 5: 6. At sitis naturalis, aut legalis, neque arguit novam vitam, neque facit beatum.

XXII. Et quia, uti dixi, sitis Evangelica in hac vita initialis est, comitem habens horrorem miseriæ, & tædium imperfectionis, adeoque cordis confractionem & spiritus contritionem, ideo interdum pro siti ista justitiæ ponitur in Scriptura cordis confractio & contritio spiritus,

non

hon illa simpliciter legalis, qua non sanatur, sed desperatione & cruciatu excarnificatur anima; sed Evangelica confractio & contritio, qua cor afficitur magis odio ac tædio injustitiæ, & sincera humilitate, quàm terrore pœnæ, licet & hanc aliquo modo adhuc in hoc infirmitatis statu reformidet. Evangelicam istam confractionem cordis contritionemque spiritus habentes jam cœperunt esse beati, certoque assequentur perfectam beatitatem: pares enim iis & justitiam sitientibus fiunt promissiones: *Propinquus est Dominus confractis corde, & contritos spiritu servabit.* Psal. 34: 19. Item, *Sacrificia Dei spiritus confractus, cor confractum & contritum Deus non despicies.* Psal. 51: 19. Item, *Habito cum contrito & humili spiritu, ut vivificem spiritum humilium, & ut vivificem cor contritorum*, ait Dominus per Esaiam Prophetam, Esai. 57: 15. & alibi per eundem prophetam ait, *Respiciam ad pauperem & ad contritum spiritu, & ad trementem ad verba mea.* Esai. 66: 2. Hanc tamen contritionem & tremorem hunc Evangelicum ac filialem, confundit imperitè *Corvinus* cum contritione illa legali & servili, quæ ex ministerio legis seorsum propositæ existit in hominum animis: nam istam legalem & servilem confractionem, contritionem, trepidationem habere potest homo exspes & reprobus, à quo Deus procul abest, quem Deus non servabit, quem Deus despicit semperque despiciet, cum quo Deus non habitat, quem Deus nunquam vivificabit, ad quem Deus nunquam respiciet. Quemadmodum potest homo reprobus uri legali siti liberationis, qui tamen nunquam saturabitur justitia, neque unquam erit beatus, sed manebit semper misælix. Qualis erat illa sitis *Sauli* regis, vexati à malo spiritu, & perterrefacti conscientia scelerum; item, sitis infælicis *Judæ* proditoris, horrore accusantis & adurentis conscientiæ exagitati; & sitis multorum reproborum, qui scelerum suorum recordatione miserrimè excruciantur, adeo ut ad cadentis folii strepitum expavescant, aut etiam lucem perosi animam projiciant: alii inanem laborem sumunt in conquirendis inutilibus remediis, fidentes rebus inutilibus: quomodo discursabant Pagani ad fictitia numina; Judæi autem in cæremoniis legalibus, ad præfigurandum duntaxat verum refrigerium institutis; fiduciam tanquam in vero refrigerio & remedio, contra mentem Legislatoris, collocabant; quamvis pii se exercuerint in illis cæremoniis cum fideli intuitu in Christum, atque adeo cum siti quadam Evangelica. Dominus apud Esaïam, cap. 55. & apud Joannem, cap. 7: 37. cæcutientes Judæos, inanem fiduciam in umbris collocantes, & circa eas inutiliter se vexantes compellat, ad se vocat, promittens verum refrigerium & alimentum: *Quid impenditis pecuniam in id quod non est panis, & laborem in id quod non saturat?* Esai. 55. 2. Unde patet, hic intelligi homines laborantes siti legali, nescientes adhuc salutarem gratiam, adeoque nec eam sitientes. Qualis erat etiam sitis Judæorum illorum quos Dominus ad se vocat, Joan. cap. 7: 37. Sitire quidem dicuntur, nempe legaliter; at non dicuntur sitire salutarem gratiam, ut fingit *Corvinus.* Nam qui sitiunt justitiam, seu salutarem gratiam, eis quidem promittitur saturatio, sed & jam beati pronunciantur, sicut beati sunt mites, & misericordes, & cor habentes mundum, &c. Matth. 5: 6.

XXIII. *Corvinus*, cap. 34. ad §. 7. inter opera quæ fieri dicit ante regenerationem, numerat desiderium remissionis peccatorum, & spiritus novi. Horum enim confusam quandam cognitionem haberi sine Evangelio, hominesque etiam sine Evangelio concipere pœnæ horrorem, & desiderium ac spem veniæ. Respondeo: Aliud est remissionem peccatorum & à pœna exemptionem verè ac serio exoptare, per sitim naturalem & legalem, quam concedimus irregenitis; longè autem aliud desiderare spiritum novum amore justitiæ, quod fit per solam sitim Evangelicam in hominibus regenitis. Porro spem veniæ non pudefacientem soli habent regeniti; reliqui sine spe degunt, licet forte non sine inani præsumptione. Ephes. 2: 12. Fides natura prior est spe. Rom. 5: 1, 2. & 15: 13. nec est possibile quicquam spe certa sperare quod non credas futurum.

XXIV. Verum est quidem illam invitationem sitientium (Esai. 55: 1. & Joan. 7: 37.) ita dirigi ad Judæos, legali siti laborantes, ut etiam ad omnes pertineat, sive naturalem sive etiam Evangelicam sitim habentes; nam qui appetit animi tranquillitatem & fælicitatem, veniat ad Christum, in quo solo ea inveniri potest. Sitit vero aliquis justitiam & salutarem gratiam? etiam ad Christum veniat eamque in solo Christo quærat, in quo solo & ipsa invenitur. Unde illa generalis invitatio ad omnes laborantes: *Venite ad me omnes qui laboratis*, &c. Matt. 11: 28.

XXV. Respondeo igitur ad propositionem Majorem Syllogismi Corviniani, eam negando. Nam etsi vocantur humiles ad gratiam, sitientes ad aquam vivam, resipiscentes ad veniam, & promittatur humilibus gratia, Jacob. 4: 6. sitientibus justitiam saturatio, Matth. 5: 6. resipiscentibus venia, Ezech. 18: 21, 22, 23. credentibus adoptio & regeneratio, Joan. 1: 12, 13. sequentibus Christum promittitur, quod non ambulabunt in tenebris, sed habebunt lumen vitæ Joan. 8: 12. diligenti Christum, & verbum ejus servanti promittit Christus mutuam dilectionem, suique manifestationem, Patrisque amorem & adventum cum Filio ad illum hominem, & mansionem apud eum. Joan. 14: 21, 22, 23. non tamen sequitur, posse existere hominem verè humilem sine gratia Dei, aut posse hominem sitire justitiam, qui eam nunquam gustarit, aut hominem inveniri resipiscentem, cui nondum remissa sunt peccata, aut inveniri credentem Christumque vera fide recipientem, qui nondum sit Dei filius ac regeneratus, aut quenquam reperiri posse qui Christum sequatur ambulans adhuc in tenebris, nondum accepto lumine vitæ, aut quenquam inveniri posse qui Christum diligat ejusque verbum servet, nondum dilectus à Christo ejusque Patre, Christoque nondum ei patefacto, & ad quem Pater & Filius nondum venerint, nec adhuc cum eo maneant. Christus ait, si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, Matth. 16: 24. & Luc. 9: 23. non tamen hinc inferre licet, reperiri hominem abnegantem semetipsum tollentemque crucem suam, qui nondum sequatur Christum. Docere autem voluit Dominus necessitatem abnegationis suipsius & gestationis crucis, sine qua nemo Christum rectè sequitur, juxta illud Domini dictum, Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, porro autem animam suam, non potest meus esse discipulus: & quisquis non por-

portat crucem suam & venit post me, non potest meus esse Discipulus. Luc. 14: 26, 27. Sic nemo potest salutariter ad Christum venire nisi sitiat salutarem gratiam, non quod inveniatur sitiens necdum veniens, sed quia nemo rectè venit nisi cum siti. Jubentur ergo sitientes venire, & sitientibus promittitur satiatio, non quod sitiant antequam veniant, sed monentur ut cum siti veniant. Nam antequam vel sitiant vel veniant, prævenit illos gratia Evangelica, per quam vivificantur & trahuntur, quia gratia excitati incipiunt sitire gratiam ac venire, sitientes venire, & venientes sitire; quomodo David dixit se sitire Deum, Psal. 42. & 63. Talis sitis non est sine fide per quam sumus filii Dei in Christo Jesu. Gal. 3: 26.

XXVI. Ad Minorem autem propositionem syllogismi *Corvini* respondeo: eam esse sophisticam, & laborare fallacia ab homonymia; quia asserit *Corvinus*, invitari sitientes gratiam salutarem, & hanc assertionem sumit ex locis citatis, Esai. 55. &c. quum tamen Scripturæ illæ loquantur de siti legali. Quia autem invitationes ac promissiones illas diximus quadantenus pertinere etiam ad homines quovis modo sitientes, adhibenda distinctio est; si enim illis locis sitim intelligas naturalem, aut legalem, fatemur eas reperiri in homine nondum regenito; At de tali siti non est loquutus *Corvinus* in propositione majore, sed tantummodo de siti Evangelica, per quam homo sitit salutarem gratiam, id est, justitiam illam, quam qui sitit, pronunciatur à Domino beatus: sin autem interpreteris loca illa de siti Evangelica, jam negavimus majorem propositionem, nec proderit *Corvino* concessio Minoris. Unde patet, conclusionem ant esse falsam, si nempe intelligatur de siti Evangelica; aut alienam à proposito, si accipiatur de siti naturali, aut legali.

XXVII. Ad alteram argumentationem *Corvini*, qua dicit, eos qui invitantur ut veniant, nondum venisse, respondeo: falsam esse hanc *Corvini* assertionem. Quoties enim Christus discipulos suos jam credentes invitat ad credendum? *Hæc scripsi vobis credentibus in nomen Filii Dei, ut sciatis, quod vitam habetis æternam, & ut credatis in nomen Filii Dei*, inquit Joannes Apostolus, 1 Joan. 5: 13. Invitatur populus Dei ut ad Deum veniat. Psal. 95. Christus sponsam suam invitat, ut veniat. Cantic. 2: 13. Omnes Apostolicæ epistolæ ad credentes ac sanctos scriptæ eos invitant ad fidem & sanctitatem. Quid illa Christi suavissima invitatio, *Venite ad me omnes qui laboratis*, &c. Matt. 11: 28. annon solatio erit afflictis & laborantibus Christianis, ut hac invitatione & promissione freti ad Christum confugiant? *Nomen Domini turris munita est, justus eò confugit & exaltatur.* Prov. 18: 10. Huc David in suis tentationibus confugiebat. Psal. 57. & 18. &c. *Ecce venimus ad te Domine, nam tu es Dominus Deus noster*, inquit populus resipiscens, apud Jeremiam cap. 3. vers. 22. David hortatur omnes sanctos, ut diligant Dominum. Psal. 31: 24. & alibi: Vos qui Dominum diligitis, odio habete malum. Psal. 97: 10. Nunquid hinc inferre licet, sanctos esse qui nondum diligunt Dominum: aut quenquam diligere Dominum, qui nondum oderit malum?

Vide §. 37.

XXVIII. Quemadmodum autem hortamenta illa ad irregenitos directa, monuimus pertinere etiam ad regenitos; sic & istæ præceptiones, quæ ad sanctos Deique amantes diriguntur, proponuntur etiam in usum hominum adhuc infidelium, ut per eas adducantur ad studium sanctitatis, & ad amorem Dei, & simul instruantur, quænam sit genuina sanctitas & Dei dilectio. Omnes enim præceptiones illiusmodi proponuntur impiis, ut fiant pii; piis autem, ut in pietate proficiant, aut lapsi resurgant, aut tentati consolationem percipiant, &c.

XXIX. Jam vindicemus & reliqua Scripturæ loca, quæ adfert *Corvinus* pro confirmatione præparationum legalium. Testimoniorum autem Scripturæ quæ adfert capite illo 34. sunt quinque classes. *In prima classe* est illud: *Gentes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt faciunt.* Rom. 2: 14. At quid hoc ad præparationes legales hominum regenerandorum, in statu medio inconsistente existentium? Annon est illa de gentilibus prolata ab Apostolo sententia, legem oraculo traditam ignorantibus, & qui maximam partem neque ad legis Mosaïcæ, neque ad Evangelii cognitionem unquam pervenerunt?

XXX. *In secunda classe* sunt loca illa quæ de siti & fatigatis loquuntur; ut Esai. 55: vers. 1. Matth. 5: 6. Joan. 7: 37. Matth. 11: 28. Ista testimonia jam superius vindicata sunt. Quæ à *Calvino* & *Beza* de timore initiali dicuntur, *Corvinus* aliorsum detorquet. Nam & timor servilis cognitionem gustumque gratiæ præcedens, sortitur interdum appellationem timoris initialis, quamvis multum differat à timore illo initiali qui est in charitate inchoata, & qui magis propriè initialis appellatur, sicut rectè monet *Lombardus* 3. sent. dist. 34. 1. *Calvinus* loquitur de initiali servili, *Corvinus* autem dictum *Calvini* detorquet ad comprehendendum omnem timorem initialem, & ludit homonymia vocabuli. Plura de timore initiali dicta sunt nobis in superioribus, contra interpretationem *Arminii*.

Supra, §. 6. & *seqq.*

Supra, cap. 8.

XXXI. *In tertia classe* sunt hæc loca, *Si quis voluerit exequi voluntatem ejus qui misit me, cognoscet de doctrina, an ego à me ipso loquar*, inquit Dominus. Joan. 7: 17. His verbis describi vult *Corvinus* idoneum Evangelii auditorem, nempe qui paratus est exequi voluntatem Patris, qualicunque nempe generali desiderio, etiamsi eam non sciat, eum esse idoneum qui cognoscat doctrinam Christi, & de ea judicare possit. prout alibi dicitur ad Christum venire qui audivit à Patre & didicit. [Joan. 6: 45.] eum audire qui ex Deo est, [Joan. 8: 47.] Neque solum pro eodem habet *Corvinus*, velle exequi voluntatem Patris, & audire ac discere à Patre, & ex Deo esse, sed etiam ubi est tale desiderium voluntatem Dei faciendi, dicit ibi esse Dei timorem, peccatorum agnitionem, desiderium gratiæ, ac virium omnium intentionem ad Dei obsequium, ac illud etiam desiderium, quo quis, ut salvus fiat & gratia fruatur, studet Deo placere, ac id facere quod Deo gratum sit: atque omnia hæc præcedere cognitionem voluntatis Dei seu doctrinæ Christi. Multis certè absurditatibus laborat ista *Corvini* oratio. 1. Regenitorum est ita velle exequi voluntatem Patris, ut possis de doctrina Christi rectè judicare, non autem irregenitorum: Nam hominis irregeniti voluntas à Deo aversa est, & sapientia carnis est inimica Deo, & qui in carne sunt (in carne autem sunt omnes irregeniti) non possunt placere Deo, Rom. 8: vers. 7, 8. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, quia tantùm spiritualiter discernuntur, spiritualis autem homo dijudicat omnia. 1 Corinth. 2: 14, 15. Homo irrege-

regenitus non habet aures ad audiendum, nec cor ad intelligendum, nam irregenitorum incircumcisæ sunt aures, & incircumcisa corda. 2. Audire & discere à Patre idem est quod trahi à Patre; quicunque autem trahitur, venit dum trahitur; venit autem nemo manens irregenitus; quia nemo nisi credendo & resipiscendo ad Christum venit. Audire igitur ac discere à Patre, & esse adhuc irregenitum, sunt asystata. 3. Dictum illud Domini, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, [Joan. 8:47.] interpretatur Joannes Apostolus, *Vos* (inquit) *ex Deo estis, filioli, & vicistis eos, quia major est qui in vobis est quam qui est in mundo: ipsi ex mundo sunt, propterea ex mundo loquuntur, & mundus ipsos audit: Nos ex Deo sumus, qui Deum novit, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos, hinc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.* 1 Joan. 4: vers. 4, 5, 6. Addatur alius locus ex eadem epistola: *Per hoc scimus quod cognovimus eum, si mandata ipsius observamus. Qui dicit, novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & in hoc veritas non est: qui autem servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est: per hoc scimus quod in ipso sumus: qui dicit se in eo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse sic ambulare.* 1 Johan. 2. 3, 4, 5, 6. Conferantur jam ista, quæ Joanni æquipollentia aut saltem inseparabilia sunt, videlicet esse ex Deo, vicisse mundanos, habere Deum in seipsis, duci Spiritu veritatis, novisse Deum, servare mandata Dei, habere in se veritatem, habere perfectam in seipsis dilectionem Dei, esse in Deo, in Deo manere: & videbimus, ex Deo esse, verbumque Dei audire, id est, ei obedienter auscultare, non convenire ulli irregenito. 4. Timor quidem servilis invenitur in irregenito, non autem castus, aut initialis: item peccati agnitio, at fine tristitia illa quæ est secundùm Deum: item desiderium
2 Corinth. 7:10. gratiæ, si gratiam accipias pro venia; at non desiderant gratiam renovantem ac regenerantem; hanc enim nemo desiderat nisi sitim habens Evangelicam, at illam sitit homo desiderio naturali. Omnium autem virium intentionem ad Dei obsequium, ac illud etiam desiderium, quo quis ut salvus fiat, & gratia fruatur, studet Deo placere, ac id facere quod Deo gratum sit; si intelligat *Corvinus* de intentione, desiderio, studioque sincero & amico, proficiscente ex amore Dei & siti justitiæ, absurdè ista tribuit irregenitis; nemo enim sincerè Deum diligit, sititque justitiam, adhuc in carne, necdum factus in spiritu spiritualis; Omnis autem irregenitus adhuc est in carne; non est in spiritu, Rom. 8: 7, 8, 9. Sin autem *Corvinus* intelligat intentionem servilem, desiderium studiumque servile, quo timet homo Dei iram in se concitare, quamvis interim Deum oderit, neque diligat justitiam; talem servilem intentionem, servile desiderium ac studium, fatemur reperiri in irregenitis, imo in reprobis, qui nunquam regenerandi sunt, sed semper manent osores Dei, Deoque exosi. Quo sensu distingui solet gratia refrænans, quæ & reprobis datur, à gratia renovante quæ solis electis datur.

XXXII. *In quarta classe* sunt, Proverb. 1: 7. ubi *timor Domini* dicitur *initium sapientiæ*, id est, tum fons ex quo amor ac studium sapientiæ ac eruditionis tanquam rivulus profluit; tum etiam summa & finis sapientiæ, utpote quæ omnis eò tendat, ut timorem Dei in cordibus nostris concipiamus, Deum revereamur ac eum colamus. Sic exponit *Corvinus*: & Psalm. 25: vers. 12. & 14. ubi verba sunt, Quis est vir timens Dominum? docebit eum viam quam eligat: anima ejus in bono pernoctabit, & semen ejus hæreditate accipiet terram. Secretum Domini timentibus eum, & pactum ejus ut scire faciat eos: Corvinus timorem, de quo istis locis agitur, vocat initialem & generalem, eumque hominibus nondum regenitis & nondum credentibus convenire contendit, hoc argumento; quia nimirum, timor iste præcedit revelationem divinæ voluntatis. Eundem timorem vocat aliquam pietatem, quam ait esse priorem regeneratione in Christo. Exempla allegat Judæorum in festo pentecostes Actor. 2: vers. 5. ubi dicuntur fuisse Hierosolymis illo tempore Judæi viri [εὐλαβεῖς] religiosi, ex omni natione; & *Cornelii* qui dicitur [εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν, σὺν παντὶ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, ποιῶντε ἐλεημοσύνας πολλὰς τῷ λαῷ, καὶ δεόμενος τοῦ θεοῦ διὰ παντός.] religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, & faciens eleemosynas multas populo, & deprecans Deum semper. & vers. 22. [ἀνὴρ δίκαιος καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν,] vir justus ac timens Deum. Item *Lydiæ*, quæ dicitur σεβομένη τὸν Θεόν, colens Deum. Actor. 16: vers. 14.

XXXIII. Hic etiam invenimus absurditatum congeriem. 1. Timor ille Domini, qui Salomoni dicitur principium seu caput sapientiæ, Prov. 1: 7. & cap. 9. vers. 10. qui etiam à David eodem celebratur elogio, Psal. 111. vers. ult. de quo etiam loquitur Psal. 25. & alibi; sic est principium sapientiæ, ut sit ipsa sapientia, nam Deum timere vera est sapientia. Ideo Salomon postquam huc illuc discurrisset, & spiritum suum multivaria investigatione sapientiæ fatigasset, ad hoc principium unde digressus erat revertitur, & timorem Dei, quem ante principium sapientiæ appellaverat, nunc proponit ut finem summamque totius sapientiæ hominis viatoris. Ecclef. 12: 13. & Dominus apud Jobum ait; *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Job. 28. vers. ult. & Psaltes, *Principium sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus nempe facientibus ea*, [nempe mandata ejus] Psal. 111. vs. ult. Custodiam autem mandatorum Dei, & fugam mali poni exegeticè, tanquam partes hujus timoris, patet ex illa descriptione quam tradit David Psal. 34: 12. &c. *Venite* (inquit) *filii, auscultate mihi, timorem Domini docebo vos; quis vir ille qui vult vitam, diligit dies ut videat bonum? custodi linguam tuam à malo, & labia tua à loquendo dolum, declina à malo, & fac bonum, inquire pacem & persequere eam. Oculi Domini super justos, & aures ejus ad clamorem eorum; vultus autem Domini contra facientes malum*, &c. Item, apud Salomonem, *Timor Domini est odio habere malum, superbiam, & arrogantiam, & viam malam.* Prov. 8: 13. Unde homo timens Deum, non solùm sapiens & justus dicitur, locis jam citatis, sed etiam beatus; sic enim alibi Psaltes, *Beatus vir qui timet Dominum, & mandatis ejus delectabitur valde* Psal. 112. ubi etiam dicitur justus & vir bonus, fiuntque illi promissiones tum hujus vitæ tum etiam futuræ: quales factæ sunt Psalm. 25. Odisse malum & recedere à malo, & valde delectari mandatis Dei, & facere bonum, est Deum timere, idemque est Deum cognoscere. Jerem. 22: 16. & 1 Johan. 2: 3, 4. Ideo Salomon timorem Dei, qui est principium sapientiæ, & cognitionem Dei, & cognitionem timoris Dei, & sapientiam, & cognitionem sanctorum [*mysteriorum Dei*] &

Vid. supra cap. 8. §. 22.

& legem sapientis, & intelligentiam, indifferenter ponit pro vena vitæ, & via salutis, & salutifera sapientia, quam opponit stultitiæ & injustitiæ, Prov. 2: 5, 6. & cap. 9: 10, 11. & cap. 10: 27. & cap. 13: 14. & cap. 14: vers. 27. & cap. 16. vers. 22.

XXXIV. Prorsus autem inepte argumentatur *Corvinus*, timorem illum de quo sermo est Psalm. 25. convenire nondum credentibus, quia scilicet dicit Psaltes, Deum instructurum hominem illum in via quam eligat, & secretum Domini esse eum timentibus eum. Imo ex verbis Psalmi contrarium clarissimè evincitur; nam promissiones fœderis fiunt sub conditionibus, fœdere comprehensis, adeo ut nemo sibi certè & categoricè polliceri possit bona promissa, nisi habeat conditionem fœderis, adeoque jam directè & categoricè sit in fœdere: atqui homini sub conditione timoris Domini promittuntur in Psalmo bona fœderis Dei cum Ecclesia percussi, adeo ut homo certò timens Deum possit sibi certò & categoricè polliceri promissa bona tanquam ad se jam certò pertinentia; ergo homo ille Deum timens, de quo in Psalmo 25. sermo est, habet jam conditionem fœderis, estque non amplius hypotheticè tantùm in fœdere, quomodo in fœdere sunt homines adhuc impii, sed jam categoricè & directè ac proximè est in fœdere; adeoque jam justus est. Bona autem fœdere Dei promissa timentibus Deum, adeoque bona timentium Deum, quæ in Psalmo memorantur, sunt instructio divina in via recta, pernoctatio animæ in bono, benedictio in eorum posteros, revelatio secreti Domini, & apertio mentis ut cognoscant fœdus Domini. Quisquamne est ita hospes in cognitione veritatis, ut audeat affirmare ullum esse statum hominis irregeniti, cui tanquam conditioni imperatæ, ista bona categoricè promittantur? Si dicas, promitti homini perfectè legem implenti, ex fœdere operum; inde sequetur, timorem Domini esse perfectam legis impletionem; ideo quocunque & ad quodcunque fœdus te vertas, sequetur ex istis promissionibus timorem istum nulli homini convenire, nisi justo aut per legis perfectam præstationem, aut per fidem in Christum. Fides quidem est propria conditio novi fœderis; sed ea fides quæ secum adferat hunc timorem Dei, ideo credentibus Deum & timentibus fiunt eædem promissiones.

XXXV. Hæc observatio valde utilis est pro intelligendis plurimis locis sacræ Scripturæ: qualis est ille, de quo etiam supra disseruimus, *Si quis voluerit facere voluntatem ejus qui misit me, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar*, inquit Christus, Joan. 7: 17. cui similis est locus ille Psalmi 25. de quo jam disseruimus; item locus apud Salomonem, *Fili mi, si susceperis verba mea, & mandata mea absconderis apud te; ut attendere facias sapientiæ aurem tuam, & si inclinaveris cor tuum intelligentiæ; imo si ad intelligentiam clamaveris, & intelligentiæ dederis vocem tuam; si quæsieris eam tanquam argentum, & sicut thesauros scrutatus fueris eam; tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies; quià Dominus dat sapientiam, ex ore ejus cognitio & intelligentia. recondit rectis essentiam, scutum erit ambulantibus perfectè.* &c. Proverb. cap. 2: vers. 1, 2, & seqq. item, *Abominatio Domini est perversus, & cum rectis secretum ejus*. Prov. 3: 32. confer ista verba cum verbis Psalmi 25. *Secretum Domini cum timentibus eum*. item, *Omnia eloquia oris mei plana sunt intelligentibus, & recta invenientibus scientiam*, inquit Sapientia, Prov. 8: 9. item; *Quærit derisor sapientiam, & non invenit; at scientia intelligenti est facilis*. Prov. 14: 6.

XXXVI. Perinde verò se habet paralogismus *Corvini*, ac si contenderet aliquis, dilectionem, illam qua Christum diligere jubemur Joan. 14: 21. esse in homine nondum dilecto à Deo, & Christum adhuc nesciente; quia, scilicet, ait Dominus, *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ipsi meipsum*; Vel si quis clamet, posse hominem fideli precatione petere à Deo sapientiam, qui adhuc sit stultus, irregenitus; quia scilicet *Jacobus* Apostolus scribit, quodsi cui vestrum deest sapientia, petat à Deo, & dabitur ei; petat autem in fide, Jacob. 1: 5, 6. Vel si quis asserat, rectitudinem illam, de qua loquitur Salomon Prov. 3: 32. convenire nondum credentibus, quia dicitur secretum Domini cum rectis: Vel si quis contendat, Davidem nondum credidisse in Christum, quando Deum orabat ut eum doceret vias & semitas Domini, duceretque in veritatem, eumque doceret. Psal. 25: 4. & Psal. 86: 11. ut aperiret oculos ejus, ut daret ei intelligentiam, doceretque eum statuta ejus, & faceret eum intelligere viam mandatorum ejus Psal. 119. Vel si dicat quispiam, precationem illam qua impetratur Spiritus Sanctus, juxta promissionem Domini Luc. 11: 13. esse precationem hominis nondum habentis Spiritum Sanctum, adeoque nondum regeniti nec adhuc Christiani: Vel si concludat aliquis, receptionem Christi per fidem convenire hominibus nondum regenitis, nondum Dei filiis; quia, scilicet, Joannes ait, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c. Joan. 1: 12, 13. & tamen Apostolus Paulus testatur, omnes credentes jam esse Dei filios, per ipsam fidem, Galat. 3: 26. & teste Joanne Apostolo, omnis qui credit Jesum esse Christum, genitus est ex Deo. 1 Joan. 5: 1.

XXXVII. Meminisse debebat *Corvinus*, necessaria piis esse quotidiana gratiæ & cognitionis incrementa, quæ dabuntur habentibus primordia, recteque utentibus. Præterea scire debuit, conditionem fœdere imperatam, non esse tempore priorem bonis omnibus sub conditione illa promissis, sed eum quibusdam simul esse tempore, salvo tamen ordine naturæ, sufficitque priorem natura esse conditionem, quamvis inseparabiliter se invicem comitentur intercedens conditio bonumque eam consequens: ut discere à Patre & venire ad Christum, simul sunt tempore, quamvis natura prior sit disciplina paterna. Credere in Christum; & per fidem esse Dei filium, simul sunt tempore. Adhæc cogitandum erat *Corvino*, ne ex temporum quidem differentiis, inter conditionem fœderis & bona quædam eodem fœdere promissa, sequi diversitatem illam status; ac si nemo esset censendus in statu gratiæ & in numero regenitorum ac spiritualium, nisi qui omnia bona, fœdere promissa viatoribus, jam eousque consequutus sit, ut non amplius opus habeat doceri viam quam eligere debeat, neque egeat adhuc apertione oculorum ad intelligendum secretum & fœdus Domini. Denique & illud scisse oportuit *Corvinum*, quod & supra monuimus in assertione de fiti, conditionem aut dispositionem aliquam sine qua non existit res aliqua, non ideo inveniri seorsum sine re illa ad quam est necessaria, quia sine conditione res illa non habet locum. Vide §. 27.

Deus

Deus humilibus dat gratiam, nec tamen humilitas illa invenitur sine gratia. Sitientes veniunt, nemo tamen sitit justitiam qui nondum veniat ad Christum: nam sitiendo venit. Imperatur nobis charitas ex puro corde, conscientia bona, & fide non ficta; 1 Tim. 1: 5. nemo tamen invenitur puro corde, & conscientiam habens bonam, fidemque non fictam, destitutus adhuc charitate. Resipiscere jubemur & converti, ut deleantur nostra peccata, Actor. 3: 19. nemo tamen invenitur resipiscens & conversus, cujus nondum sint deleta peccata. Ut discernat aliquis ea quæ sunt Spiritus Dei, requiritur ut sit spiritualis, 1 Corinth. 2: 14, 15. nemo tamen invenitur spiritualis, destitutus hac discretione. Timor Domini requiritur in homine, ut intelligat viam rectam, pernoctetque anima ejus in bono, sitque cum eo secretum Domini Psalm. 25. ad quod etiam opus est rectitudine illa, de qua Proverb. 3: vers. 32. non tamen inde sequitur, inveniri posse quenquam timentem Deum & rectum, qui nondum intelligat viam rectam, cujus anima nondum commoretur in bono, cum quo nondum sit Domini secretum.

XXXVIII. Sed ad formam argutationis *Corvini*. Eam sic ipse proponit: Ille timor convenit nondum in Christum credentibus qui præcedit revelationem divinæ voluntatis: talis est timor de quo sermo est Psalm. 25: vers. 12. & 14. Ergo, &c. Respondeo: Distinguo propositionem majorem: Ille timor convenit nondum credentibus in Christum, qui tempore præcedit omnem divinæ voluntatis revelationem parientem fidem in Christum, verum est; at non convenit nondum credentibus timor ille qui aliquam revelationem ex eaque fidem in Christum præsupponit, non quidem tempore, sed natura priorem, ulterioremque adfert revelationem, qua partim natura, partim tempore prior est ipse timor. Ad minorem; talis est timor de quo sermo est Psalm. 25. qualis describitur in posteriore parte nostræ distinctionis; non autem qualis in priore. Ergo corruit conclusio *Corvini*, convenitque timor ille, de quo Psalm. 25. non nisi credentibus in Christum. Veritas hujus nostræ distinctionis & responsionis manifesta est ex superiore dissertatione.

XXXIX. Sed vindicemus etiam loca illa quæ allegavit *Corvinus* ex Actis Apostolorum, ut probet, timorem illum Dei, de quo loquuti sumus, inveniri in hominibus nondum regenitis, ante ipsorum conversionem. Religiosus (εὐλαβὴς, σεβόμενος, θρῆσκος) dicitur homo vel propter communem professionem externam, vel propter internam formam veræ religionis. Nam quorundam religionem profitentium non vera, sed vana est religio, teste Jacobo Apostolo, Jacob. 1: 26. idque docet nos Dominus, apud Matthæum, cap. 7: vers. 21, 22, 23.

Actor. 10: 2, 22. *Cornelius*, de quo sermo Actor. 10. erat verè religiosus & pius, εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν, ἀνὴρ δίκαιος. Aliorum qui in Actis memorantur, cap. 2. & cap. 12. & alibi, quinam veram habuerint religionem, quinam verò vana professione se aliosve deceperint, Deus novit. Nego autem, *Cornelium* & *Lydiam* & similes, ante manifestationem adventus Christi, colentes Deum Israëlis secundùm vetera oracula, nondum fuisse verè regenitos & verè credentes. Nam & veteres ante Christum in carne exhibitum mundoque manifestatum servabantur per gratiam Jesu Christi, Actor. 15: 11. & justificabantur ex fide, Hebr. 11. qualis erat fides & pietas *Zachariæ* & *Elizabethæ*, ante annunciatam nativitatem *Joannis Baptistæ*, aliorumque piorum, ante promulgationem Evangelii; talis erat fides & pietas *Cornelii*, & *Lydiæ*, & similium piorum, antequam audiissent prædicantes Apostolos: atque si in illa pietate & cum Deo familiaritate migrassent ex hac vita, ante auditos Apostolos, haud dubiè salvi fuissent, sicut veteres in eadem pietate & fide pro mensura dispensationis ante adventum Christi servabantur. Nec obstat quod adhuc incircumcisus fuerit *Cornelius*, nam id non accidisse ullo contemptu hujus sacramenti, ex parte Cornelii, patet ex ejus laudata pietate & conversatione cum Deo; neque ejus preces aversatus est Deus; aures autem Domini non nisi piorum & justorum & fidelium precibus patent. Psalm. 34. & Psalm. 66: vers. 19. Joan. 9. Jacob. 1. &c. Erat olim in deserto vera Dei Ecclesia, ejusque membra homines verè regeniti & fideles, cessante per totos quadraginta annos usu circumcisionis. Josh. 5. vers. 4, 5. &c. Actor. 7: 38.

XL. *In quinta classe* à *Corvino* ponitur locus ille Psalm. 51. vers. 19. ubi dicitur, sacrificium Deo gratum esse spiritum fractum ac contribulatum; & verba illa Domini apud Esaiam, cap. 66. vers. 2. ubi dicit Dominus, se intueri in pauperem ac contritum spiritu, ac trepidantem ad verba ejus. Istas sententias *Corvinus* vult generaliter intelligendas esse, ita ut extendantur etiam ad opera hominum irregenitorum & nondum credentium in Christum. Absurdissimè. Nam 1. Nullum sine fide oblatum sacrificium Deo gratum est; ideo *Abel* dicitur per fidem obtulisse Deo melius sacrificium quàm *Cain*. Estque impossibile placere Deo sine fide. Hebr. 11: vers. 4, 6. Deinde, non nisi in Christo, & per Christum accepta Deo sunt nostra sacrificia, 1 Petr. 2: vers. 5. Ephes. 1. &c. præterea, Christus beatos esse pronunciat pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. Quæ est beatitas etiam eorum qui persequutionem patiuntur propter justitiam; & utrique non minus beati pronunciantur, quam mites, & puri corde, &c. Matth. 5. Adhæc promissiones fœderis gratiæ, quæ ad solos pertinent credentes, certò & categoricè fiunt contritis & confractis spiritu, Esai. 57: vers. 15. & cap. 66: vers. 2. estque hæc pars obedientiæ ipso fœdere imperatæ, Joël. 2: vers. 13. beatique pronunciantur qui lugent, & qui sunt pauperes spiritu, quoniam lugentes consolationem accipient, & pauperum spiritu est regnum Cœlorum. Matth. 5: vers. 3, 4. Ergo sunt jam fideles & regeniti. Sed objicit *Corvinus*, non posse speciatim de regenito intelligi verba illa Domini, apud Esaiam, cap. 66: vers. 2. quia in corde regeniti habitat charitas, quæ timorem excutit; & regenitus homo regitur non spiritu servitutis ad metum, sed spiritu adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater. Respondeo, Charitas non excutit timorem lege Dei imperatum, qualis est in paupertate spiritus, sed eum importat; Nam summa eorum quæ lege Dei præcipiuntur est charitas. Talis autem timor qui est in paupertate spiritus, inque ipsa charitate, non existit per spiritum servitutis, sed est virtus Evangelica, & regenerationis pars, effectumque Spiritus gratiæ & adoptionis; uti supra prolixiùs demonstravimus in examine expositionis Arminii in caput 7. ad Romanos.

Matth. 5: 3.

1 Joan. 4: 18. Rom. 8: 15.

Supra cap. 8. §. 19. & 20.

CAPUT X.

Confirmatur vera interpretatio capitis 7. ad Rom.

I. CONVULSIS expositionis Arminianæ fundamentis, & fuleris Corvinianis jam labefactis, corruit superexstructa moles: non enim super petram, sed super arenam ædificata est; & stat prioris interpretationis inconcussa veritas: nempe, Apostolum cap. 7. ad Rom. vers. 14. & seqq. loqui de se regenito aliisque regenitis contra vetustatis carnalis reliquias dimicantibus. Quæ interpretatio confirmatur ex ipso textu, his quæ nunc subjiciam argumentis. Primò, eam confirmat oppositio mentis & carnis, & quod à se removet quæ carne fiunt, & sibi tribuat quæ fiunt mente. Unde patet, minus in eo esse carnis, quam mentis; seu minùs esse vetustatis carnalis, quam novitatis spiritualis; quum homo irregenitus sit totus caro seu carnalis, uti ostendimus pluribus in refutatione sextæ hypotheseos Arminianæ.

Primum argumentum.

Supra cap 8. §. 38 & seqq.

Secundum argumentum.

II. Homo qui describitur cap. 7. ad Rom. vers. 14. & seqq. consentit legi Dei, quod bona sit, eique condelectatur secundum interiorem hominem, eique mente servit delectabiliter, non serviliter; ergo est regenitus, & beatus. Psal. 1. Nemo enim irregenitus potest sic consentire, condelectari, & servire legi Dei. uti susius docui supra in eversione secundæ hypotheseos Arminianæ.

Supra cap. 8. §. 8. & aliquot seqq.

Tertium argumentum.

Supra cap. 8. §. 35. & §. 39.

III. Constanter & delectabiliter velle bonum, lege Dei imperatum, nolle autem & odisse malum lege Dei prohibitum, non est hominis irregeniti; ut ostendimus supra, rat. 2. contra sextam hypothesin Arminianam. Homo autem ille ab Apostolo descriptus, vult bonum constanter, nam ei adjacet [παράκειται] velle bonum, [quo verbo etiam utitur ibidem Apostolus ad denotandam pertinaciam inhabitantis peccati, cujus inordinatos motus ait se non facere, sed ipsum peccatum, cui ipse constanter resistit.] & vult bonum delectabiliter, nam delectatur lege Dei secundum interiorem hominem; quum irregeniti non velint bonum nisi serviliter. Notandum vero, aliud esse scire & in conscientia convinci, quid diligere ac velle, quid odisse ac nolle debeas, aliud verò diligenda diligere & velle, & odio habenda odisse ac nolle. Nam ipsi etiam Ethnici sciebant ac dicebant diligendam esse virtutem, & bona esse facienda amore justitiæ; & odisse peccare malos formidine pœnæ; non tamen id faciebant quod faciendum esse videbant; nemo enim quod justum est facit amore justitiæ, nisi ex habitu veræ justitiæ; quem nemo habet infidelis, impius, & idololatra; ut egregiè probat *Augustinus*, contra *Julianum* Pelagianum, lib. 4. cap. 3. idque ipsum docet Apostolus, ad Rom. cap. 1. & cap. 2. Nolle autem malum, & non illud operari, cap. 7. ad Rom. rectè interpretatus est *Augustinus*, non consentire. Nam consentire malo non minus quàm bono, seu pariter consentire bono & malo, est impossibile; nam omnis homo aut est cum Christo, aut contra Christum, Matth. 12: 30. nemo potest servire duobus dominis, nempe ita ut æquali consensu serviat duobus dominis contraria præcipientibus, quales sunt Deus & Mammon, Matth. 6: 23, 24. Omnis homo aut est in carne, aut in spiritu, ut ostensum supra, cap. 8. §. 5. At si homo iste magis consentiret malo quam bono, dixisset se velle malum quod facit, & se facere malum quod vult; & nolle ac odisse bonum quod non facit: & se consentire legi peccati, & non consentire legi Dei. Neque ulla ratio reddi potest cur dixerit Apostolus, se consentire legi Dei, se velle bonum; & negaverit se velle aut facere malum, sed constans mali odium professus sit, nisi intelligatur voluntas hominis regeniti; suspirantis adhuc in agone contra reliquias vetustatis carnalis, & esurientis ac sitientis justitiam. Unde & sic argumentor:

IV. Iste homo esurit ac sitit justitiam, anhelat enim ad libertatem à servitute peccati, *Miser ego homo*, inquit, *quis me liberabit à corpore mortis hujus*? Ergo est regenitus & beatus, Matth. 5: 6. Nam etsi irregeniti possunt optare libertatem à servitute legis, & à cruciatu pœnæ; nemo tamen nisi regenitus potest sitire libertatem à servitute peccati, ut ostendimus supra in refutatione secundæ hypotheseos Arminianæ.

Quartum argumentum. *Rom. 7: 24.*

Supra cap. 8. §. 16.

V. Homo iste gratias agit Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, nondum finito conflictu, sed existens adhuc in eo statu qui versibus aliquot præcedentibus descriptus est: nam, post gratiarum actionem subjungit, se mente servire legi Dei, carne autem legi peccati: ergo in isto conflictu jam est regenitus.

Quintum argumentum.

VI. Denotatio præsentis temporis id ipsum ostendit: nam etsi verba præteriti temporis adhibere potuit Apostolus ad dies suos præteritos etiam in statu gratiæ significandos; non tamen verisimile est, eum adhibiturum præsens tempus indicantia ad significandum statum ejus pristinum illum qui olim erat ante gratiam: *Nunc autem*, inquit, *non amplius ego operor illud, sed habitans in me peccatum*: ubi manifestè opponit tempus præsens tempori cuidam præterito, nempe ante ipsius regenerationem, quo tempore olim ipse malum faciebat, quod nunc non amplius ipse facit, sed habitans in ipso peccatum. Unde infert in principio octavi capitis, hanc conclusionem, *Nulla igitur nunc est condemnatio*, &c.

Sextum argumentum.

VII. Clarissimè ostendit Apostolus, se loqui de seipso, & suo præsente statu, dum hanc scribit epistolam; quando actis Deo gratiis per Dominum nostrum Jesum Christum, subjungit immediatè hæc verba, *Nempe igitur ipse ego* (αὐτὸς ἐγὼ) *mente quidem servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quemadmodum & alibi loquitur, in eadem illa epistola ad Rom. cap. 9. vers. 3. *Optarim* (αὐτὸς ἐγὼ) *ipse ego*: & cap. 15. vers. 14. *Persuasum habeo & ipse ego* (αὐτὸς ἐγὼ.) item 2 Corinth. 10: 1. αὐτὸς δὲ ἐγὼ Παῦλος, *ipse autem ego Paulus.* ubi proprium suum nomen addit, in illa contentione contra Pseudoapostolos & obtrectatores.

Septimum argumentum.

VIII. Superiori conclusioni, qua dixit: *nempe igitur ipse ego* [ἄρα αὐτὸς ἐγὼ] *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*; subjungit immediatè aliam conclusionem ex præcedentibus illatam, *Nulla igitur nunc est* [οὐδὲν ἄρα νῦν ἐςι] *condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem incedunt, sed secundùm spiritum. Nam lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis. Nam quod erat impossibile legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus suo ipsius Filio misso in similitudine carnis peccati, & pro peccato, condemnavit peccatum in carne*, &c. Cap. 8. vers. 1: 2, 3. &c. His verbis & sequentibus ibidem, clarius ostendit, de quo beneficio gratias Deo egerit, cap. 7. vers.

Octavum argumentum.

verf. ult. quamvis adhuc carne serviens legi peccati: nempe de illa liberatione quam quærebat eod. cap 7. verf. 24. liberatione, inquam, à corpore hujus mortis, id est, à corpore peccati, de quo, cap. 6 verf. 6. à lege peccati & mortis, cap. 8. verf. 2. De hac liberatione, jam inchoata multumque provecta, certoque tandem perficienda, & quotidie ad plenam perfectionem magis magisque procedente egit Deo gratias per Dominum nostrum Jesum Christum. Quousque autem processerit hæc liberatio, jam ostendit clarius capite octavo; ubi tres ejus gradus monstrantur. 1. Quod sit in Christo Jesu, nempe per fidem, adeoque jam justificatus, ut reliquiæ illæ peccati, quamvis insint adhuc et, non tamen imputentur ad condemnationem. 2. Quod per Spiritum Christi eousque etiam liberatus sit à lege peccati & mortis, ut non ambulet secundum carnem, sed secundùm spiritum, de qua libertate pluribus disseruit sexto capite ejusdem epistolæ, ubi de servitute peccati, huic parti libertatis opposita, & liberatione ab ea servitute agit Apostolus ex professo. 3. Quod ipsum peccatum concupiscentiæ in carne ipsius manens jam damnatum sit, ita ut certò tandem sit abolendum, secundùm latam sententiam, (sumpta metaphora à damnatione reorum ad mortem,) & quod homo regenitus actiones corporis mortificet indies per Spiritum Christi, [verf. 13.] adeo ut quotidie minus minusque concupiscat, debilitato indies magis magisque & proculcato peccato. Huc pertinet illud, quod idem Apostolus ait in epistola ad Galatas, ubi enumeratis operibus carnis, & fructibus Spiritus, subjungit hæc verba: *Qui autem sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectionibus & concupiscentiis: si vivimus spiritu, spiritu & incedamus*, Galat. 5; 24, 25. Certè regenerati habent adhuc carnem concupiscentem adversus Spiritum, ut docet Apostolus, eodem illo cap. 5. ad Galat. verf. 17. Dicuntur tamen crucifixisse carnem cum affectionibus & concupiscentiis, quia quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus, & cum Christo mortui sumus peccato: vetus enim noster homo cum eo crucifixus est, ut destruatur [καταργηθῇ] corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato, exhibendo membra nostra arma iniquitatis peccato, sed vivamus Deo, & exhibeamus nos illi tanquam ex mortuis vivos, & membra nostra arma justitiæ Deo, Rom. 6. quia jam Spiritu vivimus, Spiritu contra carnem concupiscimus, Spiritu ducimur, Spiritu ambulamus, & desideria carnis non perficimus. Galat. 5; 16, 17, 18, 24, 25. Præter tres istos præsentes gradus liberationis à lege peccati & mortis, Apostolus etiam certus erat de quarto summoque illo gradu venturo in corporis nostri mortalis perfecta vivificatione per Spiritum Dei habitantem in nobis, Rom. 8. 11. Hinc sic argumentor; Qui jam est in Christo Jesu, & cui idcirco nulla jam est condemnatio, qui non ambulat secundum carnem, sed secundum spiritum; quem lex Spiritus vitæ liberavit à lege peccati & mortis, &c. ille jam est regenitus, & in statu gratiæ: At homo ille, qui cap. 7. ad Rom. mente servit legi Dei, carne autem legi peccati, est jam in Christo Jesu, &c. Ergo. Minorem probo: Idem ille qui ait se nunc servire carne legi peccati, ait se liberatum esse à lege peccati & mortis, per legem Spiritus vitæ in Christo Jesu; nam est continuata & perspicua oratio. Præterea, qui cap. 7. gratias agit Deo per Jesum Christum, est ille qui jam est in Christo Jesu liberatus à lege peccati & mortis &c. Cap. 8. At ipse idem qui jam mente servit legi Dei, carne autem legi peccati, est ille qui in agone hoc adhuc existens, gratias agit Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, cap. 7. ut cuivis legenti manifestissimum est; ergò ipse idem qui jam carne servit legi peccati, est ille qui jam est in Christo Jesu, quem à lege peccati & mortis liberavit lex Spiritus vitæ in Christo Jesu, &c. cap. 8. Hujus syllogismi major certa est; nam quomodo invocabunt in quem non crediderunt, Rom. 10: 14. Jam fidelis est qui fideliter orat, aut gratias agit. Minor ex ipso textu luce meridiana clarior est. Unde certissima est conclusio; videlicet, hominem illum mente servientem legi Dei, carne autem legi peccati, qui cap. 7. ad Rom. à versu 14. ad finem usque capitis describitur, esse regenitum, & in statu gratiæ, in quo erat ipse Apostolus Paulus illo ipso tempore quo epistolam hanc scribebat.

CAPUT XII.

Solutio objectionum.

CONFIRMATA jam veritate, facile erit contraria objectamenta dissolvere. *Prima objectio:* Homo iste qui cap. 7. ad Rom. describitur, est carnalis; carnalem autem dicere Apostolum, videtur absurdum. *Solutio objectionum.*

Respondeo. Carnalis dicitur trifariam: 1. Ille est carnalis qui est in carne, qui caro est, qui sapit ea quæ carnis sunt, qui ambulat secundùm carnem, Rom. 8. Joan. 3. Hujusmodi carnalis hoc loco non intelligitur, ut ex superioribus patet. 2. Carnales dicuntur quidam etiam regeniti, in quibus, æstu quodam pravæ affectionis abreptis, sunt livor, & contentio, & dissidia, quæ sunt mala carnalia, non bona spiritualia; ideo qui talia inter se fovent mala, illos Apostolus dicit esse carnales, & secundùm hominem incedere, non quod sint irregeniti; nam sunt jam infantes in Christo, lacte alendi, nec dum capaces solidioris cibi. 1 Cor. 3: 1, 2, 3. At neque hoc sensu Apostolus se vocat carnalem, cap. 7. ad Rom. ubi loquitur de communi conflictatione & imperfectione omnium regenitorum, etiam adultorum, quamdiu in hoc mundo peregrinantur. Apostolus autem jam erat adultus & robustus Christianus, nondum tamen plenè liberatus à corpore mortis hujus, sed in agone adhuc fortiter decertans contra carnalis corruptionis reliquias, quas habebat adhuc nolens & dolens. Contendebat tamen ad metam perfectionis, quam nondum attigerat, ad eam autem perveniendi spem indubitatam minimeque fallacem habebat. Ideo alacriori animo currebat ac pugnabat. Unde alibi de se etiam loquens, *Ego*, inquit, *sic curro, ut non in incertum; sic pugilem ago, ut aërem non cædens: sed contundo corpus meum*, &c. 1 Cor. 9: 26, 27. Item alibi; *Non quod jam apprehenderim, aut jam perfectus sim; sed persequor an quoque apprehendam, in quo & apprehensus sum à Christo. Fratres, ego meipsum nondum arbitror apprehendisse*, [seu comprehendisse κατειληφέναι.] *Unum autem ago; ea quæ à tergo sunt obliviscens, ad ea verò quæ à fronte sunt contendens, scopum versus feror, ad palmam* [τὸ βραβεῖον] *supernæ vocationis Dei per Christum Jesum. Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus*, &c. Philip. 3: 12, 13, 14,

14, 15. quia igitur Apostolus necesse habebat contundere corpus suum, propter carnalis vetustatis reliquias, contra quas fortiter dimicabat, anhelans & contendens ad metam perfectionis spiritualis, ad quam nondum pervenerat; ideo se vocat adhuc carnalem, cap. 7. ad Rom. vers. 14. non absolutè, sed comparativè, ex intuitu legis Dei, & perfectionis quam in nobis lex requirit: qua instituta collatione inter legis spiritualem splendorem, & hominis regeniti carnales tenebras, si ad eam puritatem, quæ in lege refulget, conferetur regenerati cujuscunque in hac vita quantaecunque perfectio in sanctitate, deprehendentur omnes esse imperfecti præ illa perfectione, carnales præ illa spiritualitate, & fœdi præ illa munditie. Ideo Paulus Apostolus loco proximè citato ad Philip. instituta collatione Christianorum inter se, quosdam agnoscit esse perfectos, quibus seipsum quoque accenset; at intuens eam perfectionem, quam lex Dei nobis præscribit, & ad quam virtute resurrectionis Christi nos perventuros speramus, agnoscit se nondum esse perfectum. Comparativè igitur ad perfectionem lege requisitam, Apostolus se agnoscit adhuc esse carnalem, propter carnalis vetustatis reliquias, quas habebat licet nolens, & contra quas per Dei gratiam dimicabat. Simili loquutione, ipsi Angeli lucis reputantur tenebræ, in comparatione ad lucem illam inaccessam Majestatis divinæ, Job. 4: 18. nec stellæ sunt mundæ in oculis Dei, Job. 25: 5. Sic David, legis Dei amantissimus & observantissimus, dum legis perfectionem considerat, & inde in se oculos reflectit, exclamat ad Dominum, *Errores quis intelligat! ab occultis munda me: etiam à superbia prohibe servum tuum, ne dominentur mihi*, Psal. 19. Et alibi; *Tu præcepisti mandata tua, ut custodiantur valde. Utinam firmentur viæ meæ ad custodiendum statuta tua. Tunc non afficiar pudore, quum respexero ad omnia mandata tua*, Psal. 119: 4, 5, 6. Item, *Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.* vers. 36: 37. Item, *Veniant mihi misericordiæ tuæ, & vivam, quia lex tua oblectationes meæ.* vers. 77. Item, *Omni perfectioni vidi finem, latum præceptum tuum valde.* vers. 96. Item, *Gressus meos dirige in verbo tuo, & ne dominetur mihi ulla iniquitas.* vers. 133. Item, *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis stabit? quia tecum venia est ut timearis* Psal 130: 3, 4. Item, *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabit se in conspectu tuo omnis vivens.* Psal. 143: 2. quæ omnia declarant perfectionem legis, ejusque intuitu imperfectionem omnis hominis regeniti, quamdiu sumus in hac vita.

Philipp. 3: 12. &c.

II. *Secunda Objectio*: Quomodo potuit dicere Apostolus, se venundatum esse sub peccato, se captivari in lege peccati, & servire legi peccati, ita ut faceret malum quod oderat?

Resp. Ista metaphoricè dicta sunt, secundùm unam eandemque metaphoram, sumptam à servitute aliqua dura & ingrata quam aliquis invitus servit, sive sit pecunia emptus, sive bello captus, & in servitutem redactus. *Æs alienum*, inquit ille, *homini ingenuo est servitus*; sic omnis ingrata meritoque exosa necessitas servitus est misera ingenuo homini: perinde ac si mancipii nexu eum detineret injustus hostis, imo cuicunque invitus pares, censetur ista misera servitus. Interim ista servitus sub peccato, non est hic intelligenda simpliciter, sed cum restrictionibus in textu propositis; videlicet, non mente, sed carne; item, non consensione & adimpletione, sed motione, & impulsu, & peccatis quibusdam obreptitiis sine deliberato consensu. Ipse enim homo mente servit legi Dei, & malum quod carne facit, non vult, sed odit, imo non ipse facit, sed inhabitans in ipso peccatum. Non est igitur sic venundatus sub peccato, sicut olim rex Achab, 1 Reg. 21: 25. neque sic servit peccato ut se exhibeat servum peccato, ejusque pravis desideriis consentiat, & obsequatur, qualis servitus descripta est cap. 6. ad Rom. neque ita captivatur in lege peccati, ut regnet peccatum in mortali ejus corpore, eique dominetur, adeo ut obediat ei in hujus concupiscentiis, de quo regno & dominio disserit Apostolus eodem cap. 6. ad Rom. sed tantummodo misera illa necessitas concupiscentiam habendi, & concupiscendi, atque etiam in obreptitia multa peccata incidendi, dum hic vivitur, dura est & ingrata servitus piæ animæ, quæ id unicè in votis habet, ut omnes ejus viæ dirigantur ad custodiendum statuta Domini, adeo ut neque inclinationem neque impulsum habeat avertentem à Deo, aut repugnantem legi Dei. Unde exclamat pius viator, *Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus?* & se solatur in Domino, cujus gratia ei sufficit, quo nomine etiam gratias Deo agit per Dominum nostrum Jesum Christum. De obreptitiis autem peccatis, quæ piam animam nec opinantem opprimunt, & animadversa contristant, loquitur Jacobus Apostolus, quando ait: *In multis labimur omnes.* Jacob 3: 2. nempe non solùm per primos inordinatos concupiscentiæ motus, sed etiam ulterius progrediente peccato. Hanc enim esse Jacobi mentem, patet ex verbis immediatè succedentibus, *Si quis*, inquit, *in sermone non labatur, hic perfectus est vir.* Ad illustrandum verò illam responsionis nostræ partem, qua diximus hominem istum ita facere malum, ut tamen nec consentiat, nec opere obsequatur desideriis peccati ex deliberato consensu, sed eis vigilanter & serio resistat, pertinent ea quæ supra diximus in refutatione sextæ hypotheseos Arminianæ. Quibus congruit illa responsio *Augustini*, respondentis *Juliano* Pelagiano ad hanc eandem objectionem: Absit ergo, inquit, ut dicamus, quod nos dicere insimulas, Apostolum sic ista dixisse, quasi qui se vellet intelligi tenitentem, in scorto aliqua manu pestiferæ voluptatis abduci: eum dicat, Non ego operor illud; ostendens concupiscentias carnis solum impulsum libidinis operari sine consensione peccati. Hæc *Aug.* lib. 6. contra *Julianum*, cap. 11.

Supra, cap. 8: §. 38. & seqq.

III. *Tertia objectio*: Homo iste, qui cap. 7. ad Rom. describitur, ait se scire quod non habitet in eo, hoc est, in carne ejus bonum: id quod de Apostolo aut quolibet regenito intelligere absurdum videtur; quum homo regenitus jam non ipse vivat, sed Christus in illo, Galat. 2: 20.

Resp. Ex ista correctione exegetica, qua se carne sua distinguit, patet esse regenitum, uti docuimus supra in prima ratione contra sextam hypothesin Arminianam. Nempe quantum remanet carnis in homine regenito, id concupiscit adversus spiritum, neque subjici potest legi Dei. Resistendum igitur carni per spiritum, ut carne sensim enervata, tandemque penitus devicta, & profligata, fiat homo totus

Supra. cap. 8. §. 38.

tus spiritus seu spiritualis Quodnam autem sit malum illud occupans carnem ejus, nec locum in ea relinquens bono, ostendit, quando ait, peccatum in eo habitans facere malum, quod ipse (nempe quatenus spiritualis est) neque facit neque vult. Peccatum istud concupiscentia est habitualis: malum autem quod facit, est concupiscentia actualis, cum obreptitiis quibusdam peccatis, sine deliberato consensu, & renitente lege mentis ne pravi motus concupiscentiæ obtineant exsequutionem aut consensionem. In uno eodemque homine regenito habitat bonum, & habitat malum: nempe bonum in mente, seu quatenus est regenitus; malum autem in carne, seu quatenus adhuc aliquo modo est carnalis per reliquias vetustatis carnalis nondum regeneratione abolitas. Unde *Augustinus*, respondens *Juliano*, Non est ergo (inquit) contrarium, sicut putas, ut, qui dicit, vivo non ego jam, vivit verò in me Christus; dicat etiam, scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. In quantum quippe in illo vivit Christus, in tantum expugnat & superat quod non habet bonum in ejus carne, sed malum. Neque enim rectè cujusquam spiritus concupisceret adversus carnem suam, nisi habitaret in illo Spiritus Christi. Hæc *Augustinus*, lib. 6. contra Julianum, cap. 11.

IV. *Quarta objectio.: Arminius*, hoc etiam utitur argumento, quo probet, statum quendam inconsistentem hominis irregeniti describi hîc ab Apostolo: Diligenter (inquit) & velut ex proposito cavit [*Apostolus*] ne in status istius descriptione, *Spiritus* vocem usurparet, qua tamen sequente cap. 8. singulis penè versibus utitur. Sic *Arminius*, libri sui in cap. 7. ad Roman. pag. 102.

Supra cap. 10. *Respondeo.* 1. Ostendimus supra multis invictis argumentis, ex ipso textu depromptis, describi luctationem hominis regeniti, & mentem hîc intelligi regenitam, & spiritualem, non carnalem. Ubi autem de sensu sacri textus satis constat, non est manifestæ veritati contradicendum, quamvis Spiritus Sanctus, secundùm abyssum suæ sapientiæ, nobis imperscrutabilem, non se adstringat eis vocabulis quæ imperita hominum lippitudo judicaret fortasse aptiora. In libro *Esther*, qui Canonicus est, nusquam nominatur *Deus*. Jubet Christus orare Patrem in nomine ipsius Jesu Christi; & tamen in oratione Dominica ne semel quidem nominatur Christus; quamvis intelligatur ipse Mediator quando Deum appellamus Patrem nostrum. Et in descriptione hominis regeniti cap. 6. ad Rom. ne semel quidem nominatur Spiritus Sanctus; attamen ex ipso textu satis perspicuum est, describi illic hominem spiritualem, renatum ex Spiritu Sancto, quemadmodum & capite 7. ejusdem epistolæ. 2. Deinde quid obsecro significat mens serviens legi Dei & interior homo condelectans legi Dei, & oppositus carni, non physica sed theologica oppositione, nisi partem hominis regenitam, seu hominem regenitum, quamvis nondum perfectum? quo sensu idem Apostolus, renovatam mentem appellat, Rom. 12: 2. & renovatum spiritum mentis, Ephes. 4: 23. Doceant alio usquam sensu in sacris literis vocabula *mentis & interioris* hominis, usurpari, cum tali descriptione, & oppositione: aut obloqui desinant clarissimæ veritati. 3. Nemo potest confiteri Dominum Jesum, nisi per Spiritum Sanctum, ut docet Apostolus. 1 Cor. 12: 3. per spiritum, inquam, fidei, quem habentes credimus, ac propterea loquimur. 2 Cor. 4. 13. Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem, Rom. 10: 10. At iste homo qui describitur cap. 7. ad Rom. confitetur Dominum Jesum, per quem gratias agit Deo: neque hypocriticè aut verbotenus id facit, quamvis conflictum illum adhuc habeat inter mentem & carnem, mente quidem serviens legi Dei, carne autem legi peccati, vers. ult. 4. Denique, continuata orationis serie, ubi eo usque progressa est dissertatio Apostolica, & jam tempus erat, ut tum ipsum beneficium de quo gratias agebat, tum ejus author, modusque conferendi, in illa triumphali conclusione clariùs ostenderentur, cap. 8: 1, 2, 3, &c. expressa fit mentio non solùm Dei mittentis, & Christi missi, (de quibus expressè loquutus erat cap. 7.) sed etiam Spiritus vitæ in Christo Jesu; qui Spiritus intelligebatur etiam supra, capite 7. in illa gratiarum actione, qua Apostolus gratias egit Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum. Cui sit gloria in secula seculorum. Amen.

V. Non solus ex veteribus patribus *Augustinus* hanc, quam nos tuemur, verborum Apostoli cap. 7. ad Rom. interpretationem alteri prætulit, & validè defendit; eumque sequuti *Primasius*, *Anselmus*, *Thomas*, & alii posteriores interpretes; sed etiam *Augustino* antiquiores Episcopi celeberrimi eadem verba Apostoli sic sunt interpretati; nempe *Hilarius* Episcopus Pictaviensis, *Gregorius* Episcopus Nazianzenus, *Ambrosius* Episcopus Mediolanensis, & alii. *Augustinus* autem aliquando in diversam inciderat sententiam, lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 1. sed postea veritate victus hanc in Ecclesia tunc communiter receptam interpretationem amplexus est, eamque adversus Pelagianos accuratè defendit. Visum autem (inquit) aliquando etiam mihi fuerat, hominem sub lege isto Apostoli sermone describi; sed vim mihi fecerunt postea ista verba, quæ ait, *Nunc autem jam non ego operor illud.* Ad hoc enim pertinet illud quod ait & postea: *Nulla ergo condemnatio est nunc eis qui sunt in Christo Jesu.* Et quia non video, quomodo diceret homo sub lege, *Condelector legi secundùm interiorem hominem:* cum ipsa delectatio boni, qua etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, hoc est enim condelectari, non nisi gratiæ deputanda sit. Item, Juliano Pelagiano respondens, Non enim (inquit) ego solus aut primus sic istum locum intellexi, quo evertitur hæresis vestra, quemadmodum verè intelligendus est; imo verò ego priùs eum aliter intellexeram, vel potius non intellexeram, quod mea quædam illius temporis etiam scripta testantur. Non enim mihi videbatur Apostolus & de seipso dicere potuisse, *Ego autem carnalis sum*, cum esset spiritalis; & quod captivus duceretur sub lege peccati, quæ in membris erat ejus. Ego enim putabam dici ista non posse, nisi de iis quos ita haberet concupiscentia subjugatos, ut facerent quicquid illa compelleret, quod de Apostolo dementis est credere: cùm etiam innumerabilis multitudo sanctorum, ne concupiscentias carnis perficiat, contra carnem spiritu concupiscat. Sed postea melioribus & intelligentioribus cessi, vel potiùs ipsi quod fatendum est veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum, contra carnales concupiscentias dimicantium, qui cùm mente sint spirituales, adhuc tamen isto corruptibili

Lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 10.

Lib. 6. contra Julianum.

li corpore, quod aggravat animam, rectè intelliguntur esse carnales; quia erunt & corpore spirituales, quando seminatum fuerit corpus animale, & resurget corpus spirituale; & rectè adhuc intelliguntur ea parte captivi sub lege peccati, quæ desideriorum, quibus non consentiunt, motibus subjacet. Hinc factum est ut sic illa intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti notique doctores, qui & ipsum Apostolum adversus carnales concupiscentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, strenuè confixisse, eundemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt. Contra quos motus, prius utique debellandos ne dominentur, & postea sanandos, ut penitus extinguantur, etiam ipse gloriosa certamina sanctos exercere confessus es. Simul itaque cognoscamus verba pugnantium, si pugnamus. Hoc enim modo non vivimus nos, sed vivit Christus in nobis, si & ad pugnam contra concupiscentias exercendam, & ad victoriam usque ad consumptionem eorundem hostium capessendam, in illo fidimus, non in nobis. Ipse quippe factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio, ut, quemadmodum scriptum
1 Corinth. 1. est, qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc *Augustinus*, lib. 6. contra Julianum Pelagianum, cap. 11. Eandem interpretationem secutus est *Gregorius*, hujus nominis primus Episcopus Romanus, lib. 23. moral. cap. 12. Sed quis (inquit) hæc tentationum prælia sibi perfectè subigat, cùm Paulus dicat, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & captivum me ducentem in lege peccati? sed aliud est bella fortiter perpeti: aliud bellis enerviter expugnari. In istis exercetur
Rom. 7. 23. virtus, ne extolli debeat; in illis omnimodo extinguitur, ne subsistat. Qui igitur scit fortiter tentationem ferre certaminis, & com-tentatione concutitur, in alta arce præsidet quietis, quia etiam apud semetipsum sub seipso esse contentiones vitiorum conspicit, quibus nulla fractus delectatione consentit. Hæc *Gregorius*.

Caput XII.

De verbis Apostoli ad Rom. cap. 7. à versu 7. usque ad versum 14.

I. Explicato jam & confirmato vero sensu verborum Apostoli ad Rom. cap. 7. vers. 14. & sequentibus versiculis, usque ad finem illius capitis, aliquid dicendum restat de expositione versuum aliquot præcedentium, videlicet, ab illis verbis in versu 7. *Nam & concupiscentiam non nossem, nisi lex diceret, Non concupisces.* & deinceps usque ad versum 14. ex interpretibus plerique verba istis versiculis comprehensa exponunt de homine sub lege, necdum sub gratia, qualis erat *Paulus* adhuc Pharisæus, & nondum in statum gratiæ translatus.

II. Etiamsi autem non vehementer resistendum putem eis qui sic interpretantur, modò versum 14. cum sequentibus versibus intelligant de homine regenito, quem esse genuinum verborum illorum sensum jam prolixè demonstravimus; salvo tamen aliorum rectius sentientium judicio, dicam ingenue quis mihi præcedentium etiam versuum sensus textui congruentior videatur. Idque hoc ordine: 1. Ostendere conabor nihil obstare quin possint verba ista intelligi de homine regenito. 2. Monstrabo rationes propter quas congruentiorem ipsi textui existimo esse hanc expositionem. 3. Illustrationis & confirmationis uberioris causâ dicam aliquid de hujus capitis septimi connexione cum præcedentibus & subsequentibus.

III. Primum autem, nempe absurdam non esse verborum istorum interpretationem de homine regenito, neque huic interpretationi quicquam obstare, sic ostendo: 1. Non obstant verba præteriti temporis; quia longo jam tempore post suam regenerationem Apostolus scripsit hanc epistolam. 2. Non illud quod ait, Rom. 15. 19.
se non nosse concupiscentiam nisi lex dixisset, *Non concupisces*; Est enim hoc pro- Rom. 7. 7.
prium opus legis ut patefaciat peccata, sive in irregenitis, sive in regenitis, nam per legem cognitio peccati Rom. 3: 20. & ubi non est lex, neque est transgressio. Rom. 4: 15. 3. Neque obstant illa verba; *Sed occasione sumpta, peccatum per legem operatum est in me omnem concupiscentiam; nam sine lege peccatum mortuum* Rom. 7.
erat; ego autem vivebam sine lege quondam. Sed versib.
quum venisset mandatum, peccatum revixit: e- 8, 9, 10,
go autem mortuus sum: & repertum est illud man- 11. &c.
datum, quod est ad vitam, cedere mihi ad mortem. Nam peccatum occasione sumpta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. &c. Nihil enim in istis verbis tam durum invenitur, cui non æquè dura inveniantur vers. 14. & sequentibus. Quos tamen versus de homine regenito intelligendos necessariò esse demonstravimus. Nempe etiam regeniti circumferunt adhuc corpus mortis hujus, id est, carnem motibus concupiscentiæ obnoxiam, quam mortem, seu servitutem in lege peccati, non nisi ex speculo Divinæ legis cognitam habent: & tamen quod in eis adhuc reliquum est carnis, non consentit legi Dei, sed ei repugnat, & lege irritatum fremit, magisque ferocit, operans in homine etiam regenito omnem concupiscentiam, id est, omnis generis mala excitans desideria, atque ita hominem decipiens, ut quod agit nesciat, quandoquidem ex improviso nec opinanti obrepunt mali isti motus; quamvis neque ad plenam consensionem, neque ad exequutionem pertrahant. Nam homo regenitus neque vult malum, neque ipse illud operatur, sed tantummodò peccatum in ipso; quod olim ante adventum legis ignotum ac sopitum jacebat, unde mortuum dicitur peccatum sine lege; non quod haberet gratiam Dei vivificantem, sed quia neque animadvertit peccatum in se habitans, neque ex ejus motibus inquietudinem sentiebat, sed latenti in se peccato securè indormiebat. Postea autem ubi advenit mandatum, prohibens concupiscere, id est postquam legis istius notitiam consequutus est, peccatum revixit, id est, quod antea latebat, tunc apparuit, & quod antea sopitum ac veluti mortuum cessabat, cœpit tumultuari; homo autem mortuus est, suam turpitudinem & servitutem intuendo ac sentiendo. Hane enim hoc in loco mortem intelligendam esse patet ex ipso textu: à qua morte sive à corpore mortis hujus liberari cupit homo regenitus, *Miser* (inquit) *ego homo, quis me eripiet ex corpore mortis hujus?* non optans priorem illam vitam, quam olim, mortuo peccato, vivebat sine lege; neque enim erat illa sanitas, sed latens morbus; verùm anhelans ad perfectionem novi hominis, in vera justitia & sanctitate. Quo sensu etiam David frequenter orat in Psalmis, ut Deus eum vivifi-

vificet. Ne quis autem hinc culpare posset legem, culpam omnem confert Apostolus in peccatum habitans in homine, quod per legem, quæ bona & sancta & justa est, operatur mortem, ut fiat summè peccans peccatum per mandatum, id est, occasione sumpta ex adventu mandati, cui resistit lex peccati in membris.

4. Neque huic interpretationi officit illa distinctio status; quando dicit, se quondam vixisse sine lege, postea autem legis adventu mortuum esse. Nam loquitur Apostolus speciatim de mandato prohibente concupiscentiam, cujus mandati adventu, id est, intellecto mandato, cognovit concupiscentiam; detecta autem per legem concupiscentia magnas turbas dedit. Quamvis autem *Saulus* olim Pharisæus, non prorsus erat sine lege, id est, non prorsus ignorabat legem Dei; istud tamen mandatum, quo prohibetur concupiscentia, eum non intellexisse per disciplinam Pharisæorum, patet ex cap. 5. Evangelii secundùm Matthæum, idemque probant testimonia illa Josephi & Davidis Kimchi citata à *Bellarmino*, lib. 5. de amiss. grat. cap. 10. §. *Respondeo, peccatum*. Ideo respectu hujus saltem mandati, cujus verba tenebat, sed sensum nesciebat, dici potest fuisse sine lege tum, cùm esset Pharisæorum disciplinæ addictus, ante suam conversionem. Ex his patet, nihil obstare quin possint verba illa Apostoli exponi de homine regenito.

IV. Jam proferam argumenta quæ me movent ad hanc interpretationem, tanquam ipsi textui congruentiorem amplectendam. 1. *Arg. Non cognovissem* (inquit) *concupiscentiam, nisi lex dixisset, Non concupisces*. Ubi intelligitur concupiscentia habitualis, ejusque inordinati atque indeliberati motus. Nam pleno consensu aliquid illicitum concupiscere vetabant ipsi Ethnici, ex residuo lumine rationis & legis naturalis cordibus eorum incisæ, absque notitia legis Mosaïcæ, per quam patefactum est latens hoc malum concupiscentiæ; quam esse malam agnoverunt etiam Ethnici, sed eam peccatis moralibus non accensebant, ignorantes legem qua prohibetur & detegitur. Etsi autem per legem cognosci potest concupiscentia, si nimirum lex rectè intelligatur, non tamen peccatum istud ex lege cognitum habebat schola Pharisæorum, qui hac in parte amiserant clavem scientiæ. Christus verò, certior legis interpres, hanc pestem ipsis cæcutientibus ex lege patefecit Matth. 5. eumque sequuti Apostoli idem docuerunt. Mandatum igitur istud prohibens concupiscentiam non advenit ad *Saulum*, id est, non intellexit illud *Saulus*, nisi docente Christo, qum jam *Saulus* Christi esset discipulus.

Rom. 7: 8. V. *Secundum argumentum*: Per *omnem concupiscentiam*, quam ait in se productam esse adventu legis, aut intelliguntur inordinati motus sine plena consensione, aut appetitiones malæ cum consensione; At absurdum est dicere, *Saulum* adhuc Pharisæum omni malæ cupiditati, quæ illi obrepserit, consensionem præbuisse, quamvis fateatur se aliquando variis serviisse cupiditatibus. Tit. 3: vers. 3. Nam zelum habebat Dei, & illius quam profitebatur religionis, & secundùm eam inculpatè vivebat, Actor. 22: vers. 3. Galat. 1: 13, 14. Philip. 3: 6. Neque erat ita alienus ab homine ut nullas haberet virtutes morales, saltem simulacra illa virtutum, quæ etiam in Ethnicis reperta sunt, per quæ consensum denegaret multis aut quibusdam saltem pravis suggestionibus, licet non haberet directam delectationem justitiæ. *Omnem* igitur *concupiscentiam* certiùs interpretabimur omnigenos concupiscentiæ impulsus seu motus inordinatos: quos *Paulus* regenitus experiebatur invitus, cum quibus homo regenitus assiduè conflictatur. Neque certè excitati in *Saulo* potuerunt isti motus occasione mandati, ante adventum ipsius mandati, id est; antequam *Saulus* mandati sensum didicisset, & ex mandato concupiscentiam cognovisset; ergo non sunt excitati in *Saulo* adhuc Pharisæorum disciplinæ addicto, & hoste Evangelii.

VI. *Tertium argumentum*; Quando inordinatarum istarum motionum culpam removet Apostolus à lege, & totam confert in ipsum peccatum, quod factum est summè peccans per mandatum sanctum; hanc suam responsionem illustrat & ulterius confirmat per oppositionem legis & hominis etiam regeniti, collati ad legis puritatem, & per introductionem conflictus inter mentem & carnem in homine regenito, vers. 14. & sequentibus: *Scimus enim*, inquit, *quod lex spiritualis est, ego autem carnalis sum*, &c. Qua connexione ostendit se de eodem homine, eodemque statu loqui ante versum 14. & post eundem versum ad finem usque illius capitis. At inde à versu 14. ad finem usque capitis, Apostolus loquitur de homine regenerato, & de malis motibus in homine regenerato, uti supra demonstravimus; Ergo etiam versibus præcedentibus inde à fine versus septimi sermo est de homine regenito, malisque motibus in homine regenito.

Hæc sunt argumenta, quæ me inducunt, ut existimem textui ipsi congruentiorem non immeritò videri expositionem de homine regenito.

Caput XIII.

De connexione capitis septimi epistolæ ad Romanos, cum præcedentibus & subsequentibus in eadem epistola.

I. Plenioris illustrationis & uberioris confirmationis gratia, subjiciam pauca de hujus capitis septimi ad Romanos connexione cum præcedentibus & succedentibus in eadem epistola. Apostolus exclusa operum justitia, & confirmata justificatione ex fide, proponit objectionem de lege, eidemque respondet in fine capitis tertii: *Legem igitur* (inquit) *inanem reddimus per fidem? absit; imò legem stabilimus*. Deinde subjungit duplicem usum legis, cum fide Evangelica, quæ quoad duplicem istum usum legem stabilit. Nam neque antegressa *Abrahami* per fidem justificatio impedivit sequutam lationem legis Mosaïcæ; neque subintrans lex Mosaïca sustulit promissionem & justificationem ex fide; uti demonstrat *Apostolus* ex Davide, qui post latam legem beatitatem hominis collocat in remissione peccatorum, in imputatione justitiæ sine operibus: eademque permanet unica & perpetua justificationis ratio; nam & nos hodieque justificamur per fidem in eum qui suscitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis; qui traditus est propter offensas nostras, & suscitatus propter justificationem nostram. Cap. 4.

II. Per hunc solum habemus accessum ad hanc gratiam, per hunc solum habemus cum Deo reconciliationem, justificationem ab omnibus peccatis, & salutem. Quo fine igitur, inquies, lata Cap. 5.

lata est lex? Respondet Apostolus, subintrasse legem (nempe post factam Abrahamo promissionem) ut abundaret delictum, id est, ut delicti abundantia nota fieret; ubi autem abundavit peccatum, ibi superabundasse gratiam. Hic prior est usus legis cum Evangelio propositæ, de quo usu disseruimus supra cap. 8. §. 25. & 26. &c.

Prior usus legis cum Evangelio proposita.

Cap. 6.

III. Progrediens verò & viam sibi sternens Apostolus ad ostendendum alterum legis usum, quem fides Evangelica stabilit, respondet objectioni: quid igitur dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? absit: qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? An ignoratis quod quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus, &c. Qua responsione ostendit, gratiam quæ nobis confertur in Christo Jesu non solùm esse ad remissionem peccatorum, sed etiam ad debilitationem & occisionem peccati; unde hortatur fideles, ut forti animo oppugnent peccatum, pollicens certam victoriam, hoc argumento, quod jam non sint sub lege, sed sub gratia. Hinc alia oritur objectio, cui etiam respondet Apostolus; quid igitur? peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis, quod cui sistitis vos servos ad obediendum, ejus servi estis cui obeditis, vel peccati ad mortem; vel obedientiæ ad justitiam? &c. Qua responsione explicat Apostolus quid sit esse sub lege, & quid esse sub gratia, ex mente Apostoli hoc in loco. Id quod declarat allata duplici similitudine. Una est servitutis, & mutationis dominorum; nam sub lege hoc in loco intelligitur is qui lege monetur officii, at non adjuvatur per gratiam ad præstandum quod imperatur, sed sibi relinquitur; ideo cum lex non eruit à servitute peccati, sed detegit hanc servitutem, eamque per accidens, id est, carnis irritatæ vitio, magis adauget. Esse autem sub gratia, est ita moneri per legem quid facere debeas, ut simul per gratiam roboreris ad faciendum officium lege præscriptum, adeoque ad excutiendum peccati jugum mortiferum, & ad serviendum justitiæ ad vitam æternam.

Cap. 7.

IV. Altera similitudo, illustrans statum sub lege, & statum sub gratia, sumitur à conjugio, & mutatione conjugum. Eratis olim sub lege, eique obnoxii, tanquam austero marito qui fructum bonum à vobis exigebat, sed non efficere poterat ut fructum bonum ferretis, imò quo magis exposcebat à vobis lex fructum bonum, eo copiosorem ferebatis malum fructum, lex enim talis erat maritus, qui non poterat efficere ut per ejus conjugium desineretis esse in carne, & inciperetis esse in spiritu; quin imò quum essemus in carne, affectiones peccatorum per legem existentes, operabantur in membris nostris, ad fructum ferendum morti, neque poteramus in illo conjugio fructum ferre Deo; Nunc autem non amplius sumus sub lege, sed sumus jam sub gratia, conjugii prioris vinculo per mortem soluto; nam mortui sumus legi per corpus Christi, cujus virtute crucifixus est vetus noster homo, per quem veterem hominem detinebamur sub vetustate literæ, & traditi sumus novo marito, nempe Jesu Christo, qui morte sua perempto vetere nostro homine, ipse à mortuis resurrexit victoriosus, nosque vivificat per suam gratiam, sub qua jam sumus, ut fructum feramus Deo, & serviamus in novitate Spiritus, non in vetustate literæ. Hæc habentur usque ad finem sexti versus Capitis 7.

V. Quia autem ex memorata distinctione & explicatione oboriri posset imperitis dubitatio circa legem; ipse Apostolus objectionem proponit, cap. 7. vers. 7. & seqq. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? & respondet, absit! imò peccatum non cognovi nisi per legem: nam & concupiscentiam non nossem, nisi lex dixisset, non concupisces. Occasione autem sumpta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, &c. Responsionis summa huc redit; Duo sunt effectus legis erga hominem habentem peccatum: prior est, quod lex detegat peccatum, nam per legem cognitio peccati. Quem effectum præstat lex per se, & quidem tum erga irregenitos, qui peccatum non cognoscunt nisi per legem; tum etiam erga regenitos, qui non cognoscerent manentes in ipsis reliquias vetustatis, nisi essent lege prohibitæ. Hæc est enim perpetua legis virtus, ut suo adventu manifestet peccatum in homine peccatum habente; nec sine lege peccatum aliquod innotescit in homine quocunque, sive irregenito sive regenito: nam non solùm in carne olim existens per solam legem cognovi peccatum; sed & jam regenitus manens tem adhue in me concupiscentiam non nossem, nisi lex dixisset, non concupisces. Alter autem effectus ex legis adventu sequitur per accidens, nullo legis, sed carnis & peccati vitio; nempe quod caro nostra magis nitatur in vetitum; quem effectum etiam experiuntur tum irregeniti, tum regeniti; ea est enim carnis pravitas, ut nequeat subjici legi Dei, ne in renatis quidem; quamvis in eis non eousque prævaleat, ut fructum ferant morti, denique membra sua arma iniquitatis peccato, qui est ejus effectus in irregenitis sub lege adhuc servientibus in vetustate literæ; non cessat tamen in ipsis regenitis excitare omnem concupiscentiam, & concupiscere adversus spiritum. Quod autem regeniti non experiuntur feralem illum eventum qui cernitur in irregenitis, id non habent ex lege, sed ex gratia Jesu Christi: per quam resistunt motibus peccati habitantis in carne, & mente serviunt ac subjiciuntur legi Dei, ambulantque non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, consequuti remissionem peccatorum in Christo Jesu, & per legem Spiritus vitæ in Christu Jesu liberati à lege peccati & mortis, damnato jam peccato in carne, virtute Domini nostri Jesu Christi, ut jus legis impleatur in nobis qui non secundùm carnem incedimus, sed secundùm spiritum. Atque hic est alter ille usus legis propositæ cum Evangelio; ut nimirum sit lux semitis regenitorum, & suavis vivendi regula, cui lubentes serviamus ingenuam servitutem. De quo usu etiam supra cap. 8. §. 33. Non quod jam plené perfecti simus, nam manent adhuc in ipsis regenitis reliquiæ vetustatis carnalis, sed non sumus secundùm carnem, neque sumus in carne, ast in spiritu, licet habeamus adhuc aliquam carnem in nobis rebellantem adversus spiritum: ideo jubemur mortificare actiones carnis per spiritum, quod & facimus, quia ducimur spiritu Dei, qui non obstantibus reliquiis istis carnalibus nos certos reddit nostræ adoptionis, & consolatur in adversis, spemque nostram fulcit, precesque dictat, intercedens pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quos Pater noster Cælestis exaudit, facitque, ut omnia cooperentur in bonum diligentibus Deum, qui secundùm propositum vocati sunt. Adeo ut quamvis in hac peregrinatione confictandum nobis sit cum concu-

Alter usus legis cum Evangelio proposita.

cupiscentiis internis, & afflictionibus externis, nihil tamen nos separare valeat à dilectione Dei in Christo Jesu Domino nostro, qui pro nobis indesinenter intercedit, per quem plus quam victores efficimur.

VI. Immutabilitatem æternæ hujus dilectionis intuentes, validam percipimus consolationem; aliorumque, quibus ipsi ex nobis nihilo meliores eramus, abdicationem cum hac nostra fœlicitate comparantes, admiramur & extollimus adhuc magis magisque divitias gloriæ Dei erga vasa misericordiæ, iramque ejus ac potentiam quam erga vasa iræ exerit reveremur: tantique mysterii imperscrutabilem altitudinem admirantes & adorantes exclamamus, O profunditatem divitiarum tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & imperVestigabiles viæ ejus! quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio? aut quis prior dedit ei, & reddetur ei? quia ex ipso, & per ipsum sunt omnia: Ipsi gloria in secula. Amen. *Cap. 9. & cap. 10. & cap. 11.*

VII. Deo igitur relictis inscrutabilis hujus abyssi secretis, nos interea quid nostri sit officii perpendentes, id operam sedulo demus, ut per vivæ fidei bonos fructus vocationem & electionem nostram firmam faciamus; corpora nostra sistentes in hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo, &c. *Cap. 12.*

Atque hæc impræsentiarum dixisse sufficiat de expositione capitis septimi epistolæ ad Romanos, ejusque cum antecedentibus, & succedentibus connexione.

CAPUT XIV.

Examinantur Bellarmini responsiones de primis inordinatis motibus concupiscentiæ.

I. NUNC redeamus ad *Bellarminum*, à quo digressi sumus jam inde à fine capitis septimi; ubi docebamus, primos inordinatos motus concupiscentiæ esse ex sua natura peccata, idque confirmabamus duobus argumentis, quorum posterius petitum est ex cap. 7. ad Rom. *Bellarminus* autem negans motus istos esse peccata ex sua natura, triplicem nobis opposuit responsionem, lib. 5. de amiss. grat. cap. 10. Prima *Bellarmini* responsio erat, Apostolum cap. illo 7. ad Rom. non loqui de se suique similibus regeneratis, sed induisse personam hominum impiorum; qui non solùm fomitem habent, sed etiam ab ipso fomite vincuntur, &c. Hanc responsionem & παρερμηνείαν jam prolixè refutatam dedimus. Neque ei fidit *Bellarminus*: ideo alia utitur responsione, concedens verum esse *Augustini* & nostram expositionem illius cap. 7. ad Romanos. *Vide supra cap. 7. §. 5.*

II. Secunda autem *Bellarmini* responsio est, præceptum, *Non concupisces*, ejus esse generis, ut simul media & finem comprehendat. Media esse resistere concupiscentiis, eisque nunquam assentiri, nunquam cedere; atque hæc ita obligare, ut qui non fecerit, continuò reus existat: finem esse funditus concupiscentias extirpare, atque id efficere ut nullus in carne motus oriatur contra rationem. Hunc autem finem lege proponi, ut intelligamus, quò sit nobis Deo juvante tendendum, non ut rei simus, si id non faciamus quod facere in nostra potestate non est, & quod ad fœlicitatem futuræ vitæ, non ad obligationem præsentis pertinet. Obligationem enim præcepti propriè in mediis, quæ imperantur, consistere, non in fine; & prævaricationem esse, qui media negligit, non qui finem non assequitur. Finem quidem præcepto indicari posse, at propriè imperari non posse; quare Apostolum legem spiritualem, *Non concupisces*, non omnino perfecisse, qua parte adhuc carnalis erat, nec tamen peccasse: Legem enim non obligare ad non sentiendum carnis motus, sed ad non consentiendum eis, cùm hoc sit medium, illud finis. Atque hæc dicta esse ait ad mentem *Augustini*, qui præcepto, *Non concupisces*, intelligit prohiberi aliquo modo motus omnes concupiscentiæ, etiam involuntarios; assensum verò his motibus prohiberi docet illo alio præcepto, Post concupiscentias tuas non eas. Hæc est secunda responsio *Bellarmini*.

III. Istam *Bellarmini* responsionem sophisticam esse & inanem sic ostendo; 1. *Augustinus* non solùm aliquo modo, sed simpliciter prohiberi docet motus omnes concupiscentiæ, etiam involuntarios, ipsamque radicem, præcepto illo, *Non concupisces*, uti est à nobis supra ostensum ex ipso *Augustino*; Et quamvis dicat *Augustinus*, non perveniri à nobis in hac vita, sed perventuros in vita futura ad eam perfectionem ut non concupiscamus, affirmat tamen, ipsam concupiscentiam habitualem, nedum ejus actus, tantum esse malum in hac vita, ut nisi remittatur, hominem subjiciat æternæ damnationi. Sic Joannes Apostolus ait, neminem in hac vita posse sine mendacio dicere, se non habere peccatum, 1 Joan. 1: 8. & Jacobus Apostolus dicit, nos omnes in multis labi. Jacob. 3: 2. & tamen in vita futura liberi & puri erimus ab omni peccato, & labendi periculo. Jam si quis ita argumentetur, Nunquam hîc ita caremus peccato ut non aliquando labamur; ergo hîc aliquando labi non est peccare: ridiculus erit istiusmodi argumentator, & è Theologorum scholis exsibilandus. Similiter excipiendus qui dilectionem Dei ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione, & omnibus viribus diceret non imperari nobis in hac vita, quia eam hîc non assequimur, nempe propter corruptionem carnalem, nostra culpa contractam, sed ad eam contendimus, assequemur autem in vita futura. 2. Finis præcepti alius est internus, positus in nostro officio imperato; alius est externus, in divino beneficio seu præmio obedientibus promisso. Hunc finem non tenetur homo præstare, sed tenetur homo præstare finem internum, quo præstito, Deus haud dubiè dabit finem externum. Finis interni præstatio est medium nobis imperatum, pro obtinendo fine externo. Obedientia est finis præcepti internus, ut docet Apostolus, *Finis præcepti est charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* 1 Timoth. 1: vers. 5. Finis autem obedientiæ, quem finem præcepti externum & remotum, docendi caussa, appellamus, est vita & fœlicitas promissa morigeris; qui etiam ulteriori adhuc fini inservit, nempe gloriæ Dei. Finis internus necessarius est in hac vita, ante assequutionem Cœlestis præmii in vita futura: nam unusquisque iu die judicii recipiet secundùm ea quæ gessit in corpore, 2 Corinth. 5: vers. 10. necessaria est ex fœdere operum obedientia perfecta legi operum; quæ nisi præstetur, vel non præstitæ perfectæ obedientiæ venia & remissio ex fœdere gratiæ *Supra cap. 3. & cap. 4. & cap. 7. §. 4.*

 do-

donetur, nemo Cœlestem mercedem obedientibus propositam assequetur. Finis internus non solùm indicatur propriè, sed etiam propriè imperatur: idcoque peccat quicunque cum non præstat.

IV. Tertia responsione *Bellarminus* relinquit memoratam expositionem decimi præcepti, quod dixit ejus esse generis, ut simul media & finem comprehendat: nunc autem id ipsum negare conatur, §. *Cæterum.* cap. 10. libri 5. de amiss. grat. Cæterum (inquit) probabile etiam est, quod alii docent, præcepto, *Non concupisces*, non prohiberi ullo modò motus involuntarios, sed assensum tantùm, & hoc præcepto contineri solùm media, non autem finem. Quod probatur. 1. Quoniam ab Apostolo hæc vocatur lex mentis Rom. 7. quia non carni, sed menti data est. 2. Quia hoc præceptum habetur in Exodo, cap. 20. in Deuter. cap. 5. & Matth. 5. cum aliis præceptis decalogi, *Non occides, non mœchaberis*, & cæteris, quæ intelliguntur omnia de actionibus liberis planeque voluntariis. Hæc ibi. Et postea eodem cap. §. *Respondeo: Ut quis.* Ut quis, inquit, peccet non faciendo aliquid, requiritur ut debeat & possit illud facere. Nam si quis debeat & non possit, miser est, non peccator: si possit & non debeat, minus bonus est, non tamen malus. Id autem de quo agimus, id est, carne non concupiscere, non est in nostra potestate, & ideo velle adjacet nobis, perficere bonum nunquam concupiscendi non invenimus; & ideo concludit Apostolus, *Infœlix ego homo*, &c. Hinc S. Augustinus lib. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 10. Hoc est, inquit, perficere bonum, ut nec concupiscat homo. Hæc *Bellarminus*, capite citato. Quibus adjiciatur quod dicit capite proximè sequente, §. *Septimum.* Concupiscentiam, scilicet illam carnis adversus spiritum, de qua sermo est cap. 5. ad Galatas, non esse propriè peccatum, dum ei spiritus reluctatur. Cujus sui dicti hanc subjungit rationem, quia, inquit, concupiscentia ista non est nisi in carne, quæ sedes peccati esse non potest. Verum enim peccatum non in carne, sed in mente quæri debet. Hæc ille.

V. Contra tertiam istam *Bellarmini* responsionem sic ex adverso respondeo, pro defensione veritatis: 1. Lex mentis, cap. 7. ad Rom. non est lex illa Dei externa, omnibus lata, sed est conformitas quædam hominis interna cum lege illa communi & externa; ut patet ex oppositione legis peccati in membris, & ex distinctione legis mentis à lege Dei, cui homo regenitus delectabiliter servit per legem mentis. Pluribus explicavimus legem mentis
Cap. 8. §. 35. supra. 2. Lex decalogo proposita fertur non solùm menti, sed toti homini, ut ei se præbeat obsequentem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & ex omnibus viribus. 3. Concupiscentiæ vitium cum suis motibus etiam in mente seu parte superiore locum habet, uti ostendimus supra in principio disser-
Supra cap. 1. tationis hujus in decimum præceptum; idipsum fatente etiam *Bellarmino*. 4. Præceptum decimum est præcedentium præceptorum exegeticum. Apostolus monet, legem esse spiritualem, Rom. 7: vers. 14. Nam non solum externos actus respicit, aut internum sensum plenarium, aut semiplenum, sed etiam motus indeliberatos & invito obrepentes, eorumque radicem concupiscentiam, seu peccatum habitans in carne. 5. Quamvis peccata omnia sint planè libera, si intueamur primigenium hominis statum, in quo conditus est, à quo libera peccati electione desciviti; post lapsum tamen non retinet pristinam illam libertatem à peccato, factus jam peccati servus, nec eadem voluntatis facilitate, qua se vulneravit, sanare se potest. Quamvis igitur libero libertatis abusu introducta sint omnia peccata, non tamen inde sequitur, peccata omnia nunc esse sic libera, ut olim ante lapsum, vel ut plenario opus sit & actuali ac personali consensu, ad singula peccata: nam homo lapsus peccatum habendi legique Dei per inordinatos, licet sæpe indeliberatos, concupiscentiæ motus repugnandi, adeoque peccandi miserabili subjacet necessitati. 6. Nullum peccatum est prorsus involuntarium; nam & concupiscentiæ habitus, ejusque primi motus, sunt aliquo modo voluntarii; non solum quia voluntaria Adami transgressione introductus est iste malus habitus, indeque bullientes pravi motus; sed etiam quia in ipsam voluntatem introductus est, neque existit ullus malus motus concupiscentiæ sine pravitate aliqua voluntatis, cui in omnes facultates imperium est datum, ut eas in Dei obedientia contineret; neque voluntati resistit appetitus sensitivus sine voluntate, quæ contrariis motibus secum ipsa discordat. Nam impossibile est appetitum illum in homine resistere rectæ rationis & voluntatis dictamini, quamdiu manet incontaminata & inconcussa voluntas. 7. Ut quis peccet, non faciendo aliquid, satis est si debeat illud facere, in moralibus. Ideo peccata appellantur *debita*, & peccatores *debitores*. Nam homo debitor officii, negligendo officium, se reddit debitorem supplicii. At, inquies, quid si debeat & non possit facere? Respondeo, hoc ipso quod debet, convincitur abjecisse sua culpa vires sufficientes, etiamsi eas jam non habeat. Nam Deus vires aliquando contulit ad præstandum officium cujus es debitor. Potuit homo non labi, adeoque retinere potuit originalem illam integritatem, & per consequens, potuit non concupiscere. Potuit, inquam, & debuit; nunc autem debet quidem ratione subjectionis, & æquitatis, & propter legis divinæ constantiam; at non potest sua culpa, quia accepta bona, unde possit debita solvere, abligurivit. 8. Caro quæ concupiscere dicitur adversus spiritum, ad Galat. 5: vers. 17. significat non solam partem inferiorem, sed ipsam etiam mentem totumque hominem complectitur consideratum secundùm reliquias vetustatis, quæ reluctantur primitiis novitatis in homine regenito: sicut ostendimus supra, cap. 1. ex ipso textu Apostolico, & ex *Augustino*, idque ipsum fateri compellitur *Bellarminus*, lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 7. & cap. 15. sicut ibi à nobis ostensum est. 9. Nullum quidem est peccatum sine mente, nam nisi sit corrupta mens & voluntas, non est peccato locus; impropriè tamen *Bellarminus* ait peccatum quærendum esse in mente tanquam ejus sede, neque posse esse peccati sedem in carne. Nam, ut de actualibus peccatis loquamur, si sedes peccati sit pars illa per quam committitur peccatum, tunc in lingua, oculis, manibus, aliisque corporis partibus erit sedes peccati: sin autem sedem intelligat eam quæ propriè peccat, jam nulla pars seorsum spectata, sed persona, id est, homo sedes erit peccati, nam actiones sunt suppositorum: si verò sedem intelligat, ubi hæret reatus peccati, quoad meritum pœnæ, & ordinationem ad pœnam, rea etiam est tota persona cujuscunque peccati quocunque organo patrati: sed si reatus sensum & terrorem spectes, ejus sedes est conscientia:

at

at si partem imperatricem intuearis, sine cujus concursu nullum admittitur peccatum, fatemur eam esse mentem & voluntatem. Non tamen inde sequitur, nusquam alibi in homine locum esse peccato, ac si reliquæ partes immunes essent à peccato; nam in totum hominem contagio sparsa est: & totus homo, quatenus peccato contaminatus est, appellatur caro. Joan. 3. 6.

Atque hæc dixisse sufficiat de secunda parte controversiæ nostræ cum pontificiis circa decimum hoc præceptum, quæ fuit de primis inordinatis motibus concupiscentiæ, quos peccata esse ostendimus.

CAPUT XV.

De semipleni consensus delectatione excipiente primos inordinatos motus concupiscentiæ.

I. SEQUITUR controversiæ pars tertia, quæ est de complacentia illa & delectatione semipleni consensus, quando primos illos concupiscentiæ pravos motus fovet in se aliquis semipleno quodam consensu, eis se oblectans, licet non plenè consentiat, neque statuat exequi quod dictat concupiscentia. De quo malo cavendo loquens *Augustinus*, vigiliis assiduis excubandum ait, ne in eo quod malè delectat, vel visio vel cogitatio remoretur. lib. 22. de civitate Dei, cap. 23.

II. Hanc delectationem cum imperfecto consensu *Bellarminus* agnoscit esse peccatum, sed negat esse mortale, asserit autem esse duntaxat veniale, lib. 1. de amissione gratiæ, cap. 9. & lib. 5. de amiss. grat. cap. 7. petito argumento ex epistola Jacobi Apostoli, cap. 1: 14, 15. ubi Apostolus ait, tentari hominem dum à concupiscentia sua abstrahitur & inescatur; deinde concupiscentiam, cum conceperit, parere peccatum; peccatum vero consummatum progignere mortem. Hinc *Bellarminus* colligit, delectationem illam imperfecti consensus esse peccatum veniale; nam supponit peccatum istud, quod parere dicitur concupiscentia, esse eam delectationem seu motum imperfectè voluntarium: & ait, dici peccatum quia est voluntarium; non tamen dici mortale, sed distingui à peccato consummato & mortem generante, eo quod motus iste seu partus iste non sit peccatum consummatum, nec generet mortem, sed sit tantùm veniale, non autem mortale peccatum.

Prima pars responsionis. III. Respondeo: Falsa est hypothesis, Jacobum nomine peccati priore loco intelligere solam delectationem imperfecti consensus; nam, ut patet ex ipso textu, Apostolus unum idemque peccatum utrobique intelligit, neque hic distinguit genera peccatorum, sed originem monstrat ordinemque peccandi in committendis flagitiis illis & sceleribus, quorum accusati peccantes culpam à se amoliebantur, eamque imputabant vehementiæ tentationis, autorem vero tentationis ajebant esse Deum; atque ita ut se excusarent, culpam omnem in Deum tandem ejusque divinam providentiam impie conferebant. Istorum hominum blasphemam petulantiam retundit Apostolus, ostendens penes ipsos esse, & in ipsis, & ab ipsis totam scelerum originem & progressum: ideoque tantum abesse, ut per tentationes excusentur, ut è contrario magis inde convincantur. Ipsi enim sibi autores sunt tentationis ad malum, per propriam concupiscentiam: ideoque hoc ipso jam peccant actualiter, quod concupiscant peccare, & concupiscendò se tentent provocentque ad peccandum, nam actus, qui dicuntur esse concupiscentiæ, sunt revera actus ipsius hominis concupiscentis, uti supra ostensum est. Aliquandiu fortasse resistit homo suis motibus concupiscentialibus, per oppositos motus rectæ rationis: si verò delectari incipiat & semiplenum assensum dare motibus concupiscentiæ, jam escâ conspectâ attrahitur & inescatur; & nisi effugiat, hamumque respuat, antequam uncus ejus sit infixus, hamum vorat miser, plenè consentiens in illud scelus, ad quod impellebat concupiscentia, quæ jam concepit paritque hoc peccatum; consensum sequitur exsequutio & patratio sceleris, sive interna, sive etiam externa: patrationem sequitur mors.

IV. Peccatur omnibus istis gradibus. Nam in superioribus ostendimus, primum inordinatum motum seu tentationem concupiscentiæ esse peccatum propriè dictum. Multo magis peccat homo se impiè oblectando tam fœda suggestione; utrumque enim est contra legem Dei, qua prohibemur concupiscere, & qua præcipitur nobis μὴ συγκοινωνεῖν, ut nullam habeamus communicationem aut participationem cum operibus tenebrarum, sed potius ut ea arguamus, Ephes. 5. vers. 7. & 11. ille autem particeps est, qui vel tentat se aut alium ad peccandum, vel tentatione illa se oblectat. Utrumque etiam repugnat charitati imperatæ, qua Deum jubemur diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota cogitatione, & ex omnibus viribus, Deut. 6: 5. Marc. 12: 30. & cum illo præcepto, Qui Dominum diligitis, odio habete malum, Psal. 97: 10. nempe ex toto corde, &c. Nam qui non odit malum ex toto corde, is non diligit Deum ex toto corde: & quo perfectiùs diligis Deum, tanto perfectiùs odisti malum; & qualem quantamque habes dilectionem Dei, tale tantumque habes odium mali moralis seu peccati Deo naturaliter exosi. Impossibile est enim, servire duobus dominis; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut uni adhærebit, & alterum contemnet, Matth. 6: 24. ubi videmus, non solùm impossibile esse servire duobus dominis opposita & pugnantia atque inconsistentia præcipientibus, sed etiam impossibile esse, diligere ullo modo duos tales dominos, si alterutrum perfectè diligas. Nam dilectio unius est odium alterius, quantumque decedit odio unius, tantum etiam decedit dilectioni alterius. Duobus primis gradibus succedit partus peccati seu plenus consensus in peccatum. Peccatum verò quod concupiscentia peperit, postea opere patratur, sive interno, quale opus est obstinatus contemptus veritatis & pietatis, sive externo, quale opus est quodlibet peccatum quocunque externo organo patratum, sive manu, ut homicidium, sive lingua, ut perjurium, &c. Quod peccatum, sive perjurium, aut aliud quodvis, homo priùs animo conceperat, & apud se statuerat patrare; & propositum istud appellatur metaphoricè partus peccati, nempe ejusdem illius peccati, quod postea exequutione absequitur plenam statutam consummati sceleris: ubi verò eousque adoleverit peccatum, gignit ex se aliam sobolem, nempe mortem.

V. Omnis qui adspicit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo, Matth. 5: 28. nempe concepit in corde & peperit adulterium; etsi id non consumma-

vit exsequutione operis. Concipere & parere adulterium est pleno consensu velle & decernere: at consummare adulterium est decretum istud exsequi opere externo completi adulterii. Adulterium autem utrobique idem intelligitur, quod prius decrevit humo, posteaque exsequutus est; Nam eandem conjunctionem corporum adulterinam, quam nunc exsequutus est adulter, antea decreverat, neque appetebat aut concupiscebat allud adulterium quam hoc ipsum qnod postea exsequutus est. Hoc adulterium primis motibus concupiscendo, peccavit homo: malamque illam concupiscentiam delectatione semipleni consensus fovendo, gravius peccavit: at illnd pariendo, id est, decernendo vel pleno consensu appetendo, ulteriorem addit peccati gradum: cui si succedat exsequutio ipso opere corporali, jam consummatum est adulterium. Per primos motus turpis fuit; per delectationem autem semipleni consensus evasit semiadulter; postea per plenum consensum, seu adulterii partum, factus est formaliter, adulter saltem voto & proposito: denique per exsequutionem operis, fit consummatus adulter: saltem quoad patrationem consummati adulterii; quamvis fortasse non perseveret pertinaciter, ut solent obstinati adulteri. Jam si loquaris de natura peccati in genere, est in omnibus istis quatuor gradibus consummatum peccatum. Nam in omnibus est iniquitas repugnans legi Dei, & charitati ac puritati lege imperatæ. At si spectes hanc peccati speciem, quæ dicitur adulterium; non est in omnibus istis gradibus consummatum adulterium. Jacobus autem Apostolus loquitur de gradibus non tam in se consideratis, secundùm communem rationem peccati, quam in relatione & cum intuitu ad quodlibet actuale scelus, quod homo priùs decrevit, posteaque opere exsequutus est. Indicatque gradus quibus descenditur in barathrum consummati sceleris, mortisque ex scelere provenientis.

Secunda pars responsionis. VI. Quia non erat Apostolo propositum hoc loco speciatim discernere de fœditate & merito cujusque gradus, sed potius ut monstraret originem progressumque scelerum in suis speciebus consummatorum, puta perjurii consummati, adulterii consummati, homicidii consummati, &c. ad præcidendam prophanis excusationem, atque ut convictos deterreret ab istiusmodi impietate, ne vanis excusationibus sibi blandientes pergerent talia scelera securè patrare, aut patratis suaviter indormire, ideo postquam indicavit gradus, subjunxit ultimo gradui sobolem & fructum talium operum, *Peccatum* (inquit) *consummatum gignit mortem*. nam finis & stipendia peccati mors est. Rom. 6: 21, 23.

Responsionis pars tertia. VII. Quamvis consentire in adulterium, nondum exsequutioni mandatum, sit peccatum; non satis tamen appositè id probat *Bellarminus* ex eo quod *Jacobus* Apostolus consensionem semiplenam appellet peccatum. Nam *Jacobus* distinguit hoc loco peccatum à partu seu nixibus parientis, & per peccatum intelligit idem illud malum facinus, quod postea executioni mandatur; per partum verò activè sumptum intelligit consensionem in illud facinus, ejusque patrandi propositum ac decretum. Jam dum hoc argumento contendit *Bellarminus*, primum motum concupiscentiæ tentantis non esse peccatum, quia nimirum motum istum B. *Jacobus* non appellat peccatum; pari jure negare posset, delectationem semipleni consensus esse peccatum, nam verba illa Apostoli, *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum*, Bellarminus interpretatur de ista delectatione. Distinguenda sunt autem hæc tria; nempe pariens, actus pariendi seu partus activè sumptus, & soboles seu partus passivè & terminativè sumptus. Quæ omnia de concupiscentia & peccato dicuntur metaphoricè. Mater pariens dicitur concupiscentia, ubi abstractum ponitur pro concreto, pro anima seu persona concupiscente; nam in definitione concupiscentiæ includitur subjectum, agitque non accidens istud abstractivè & seorsum spectatum, sed subjectum agit per istud accidens; ideo culpa omnis & reatus est subjecti, non accidentis; non enim propriè loquendo, peccat & rea est ipsa concupiscentia, sed peccat & rea est persona concupiscens. Ergo peccati mater est voluntas humana per concupiscentiam illecta & abstracta, jamque peccati quod concupiscit conceptu gravida. Succedit conceptioni tandem partus, ubi actus voluntatis, peccatum parientis, non designatur ab Apostolo per verbum peccandi, sed per verbum pariendi peccatum: per peccatum verò intelligit facinus nondum opere patratum, quod postea consummatum gignit mortem; per partum verò activum hujus peccati, intelligit non solùm imperfectum & semiplenum consensum, sicut jejunè & perperam exponit *Bellarminus*, sed plenum consensum ac propositum volendi & data occasione exseqnendi illud facinus. Concupiscentia, id est, anima concupiscens parit, id est, decernit & pleno consensu appetit peccatum, id est, scelestum illud opus seu patrationem scelesti illius operis, ad quod tentabatur & illiciebatur per primos motus concupiscentiæ. *Bellarminus* imperitè confundit decretum cum re decreta, quando motum pariendi ait appellari à *Jacobo* peccatum. Confundit motum cum termino ad quem. Quatuor sunt motus successivè concurrentes ad consummationem alicujus sceleris, puta adulterii, vel homicidii, vel perjurii, &c. 1. Est motus concupiscentiæ tentantis, nempe suggestio cum provocatione ad faciendum illud quod suggeritur. 2. Est motus delectationis ulterioris cum semipleno consensu; dico hanc esse ulteriorem delectationem, quia major est illa delectatione quæ fuit in primo motu titillante & illiciente, atque illicita aliqua voluptate afficiente. 3. Est motus pleni consensus seu propositum appetendi porro & data occasione etiam exsequendi illud adulterium, vel homicidium &c. ad quod primo motu impellebatur, secundo autem motu abstrahebatur, & tertio jam motu plena volnntate fertur. 4. Quartus motus est ipsa patratio seu consummatio sceleris, nempe injusta occisio hominis, aut pollutio alieni tori, &c. Quartus hic motus est objectum omnium motuum præcedentium, & terminus ad quem homo primo motu tentabatur & impellebatur, & secundo abstrahebatur, & tertio motu quasi plenis velis ferebatur. Hunc quartum motum *Jacobus* Apostolus appellat peccatum, quando ait, concupiscentiam ubi conceperit parere peccatum: nondum tamen dicit esse consummatum, quia adhuc ipsum consummatum taxat ut objectum tertii motus & præcedentium, nondum adhuc exsequutioni mandatum & opere patratum. Jam sicut peccatum est, consummare peccatum; ita etiam peccatum est concipere ac parere seu decernere peccatum: & peccatum est illici: & abstrahi per propriam concupiscentiam

Quatuor motus successivè concurrentes ad consummationem peccati.

tiam

tiam ad peccandum; & peccatum est tentari à propria sua concupiscentia ad peccandum, quamvis non sunt paria ista peccata.

Quarta pars responsionis.

VIII. Hinc jam patet, cur Apostolus *Jacobus* de solo quarto gradu usurpaverit vocabulum peccati, & cur de eo solo dixerit quod pariat mortem: nempe quia de solius quarti gradus origine & fructu disserere eo loco proposuerat, contra impios derisores, qui de istius quarti gradus origine & sobole impiè loquebantur, & prophana dogmata effutiebant. Quos dum refellit beatus Apostolus, non negat gradus anteriores esse etiam peccata, & quidem mortifera, sed è contrario ex hac Apostolica doctrina clarè evincitur peccata esse, & quidem mortifera. Nam autorem sibi esse ad patrandum scelus aliquod, scelerisque suggestione delectari, scelusque illud tandem parere seu decernere in animo, haud dubiè est multis modis peccare: sunt ista moralia mala Deo naturaliter exosa, adeoque sunt peccata. Deus malis tentari non potest, nec quenquam tentat, Jacob. 1: 13. Mala hic necesse est intelligamus moralia, nam malis afflictionum etiam tentat Deus, Deuter. 8: 2. tentat etiam hominem permissione mali moralis in alio, Deuter. 13: 3. non autem suggestione mali moralis, aut impulsione ad peccandum, uti docet Jacobus Apostolus, loco citato.

Quinta pars responsionis.

IX. *Augustinus* locum istum epistolæ *Jacobi* ita exponit, ut non solum peccatum quod parit concupiscentia, sed etiam antegressum illicium, ipsamque concupiscentiam illicientem, statuat esse in se peccatum mortale. Concupiscentia (inquit) non parit, nisi conceperit, non concipit nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum. ——— Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremè insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malam concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur? Tale porro ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret iu ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illa, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur? Hæc & plura in eandem sententiam *Augustinus*, lib. 6. contra *Julianum*, cap. 5. Ecce *Augustinus* assensum voluntatis refert ad illectionem; & concludit, ipsam peccati concupiscentiam esse in se malum morale & lethale seu peccatum mortiferum, in eodemque genere malorum ponit concupiscentiam cum peccato quod concupiscentia parit.

Sexta pars responsionis.

X. Idem Pater alibi, loquens de illa delectatione sine pleno consensu; docet, eam esse peccatum, & quamvis minus sit peccatum quam si accederet plenus consensus, contendit tamen eam esse peccatum mortiferum, sive, ut loquuntur, mortale. Sic enim disserit lib. 12. de Trinitate, cap. 12. Nec sanè, (inquit) cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ, statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longè minus quam si & opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum, Dimitte nobis debita nostra. ——— Neque sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, & ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur; ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, à quibus se continuò deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantùm suaviter iu recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari; absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur; nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur. Hæc ibi. Et hanc *Augustini* sententiam sequens atque explicans *Scotus*, in 2. sent. dist. 42. quæst. 4. Num. 14. sic scribit; Et quod *Augustinus* ibi intelligat, quod delectatio sine consensu in opus, sit peccatum mortale, patet per illud quod dicit; *Si sola mulier cogitat de re illicita, totus homo damnabitur, nisi mediatoris gratia interveniente liberetur.* Quod si esset veniale, posset sine gratia opposita liberari. Hæc *Scotus*. Idemque docuit *Thomas Aquinas*, in prima secundæ, quæst. 74. art. 8.

Septima pars responsionis.

XI. Denique sic argumentor; Omne peccatum est mortale seu mortiferum, id est, merens æternam damnationem: At complacentia in objecto illicito cum semipleno consensu, est peccatum; Ergo &c. Minorem concedit *Bellarminus*. Major patet ex illis dictis sacrarum literarum: *Stipendia peccati mors*, Rom. 6: vs. 23. *Anima quæ peccaverit morietur*, Ezech. 18: 4. *Qui solverit unum ex minimis istis mandatis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum*, Matth. 5: vers. 19. id est, non ingredietur in regnum Cœlorum, sicut interpretantur *Augustinus*, & *Theophylactus*: & patet ex versu proximè sequente, ubi ait Dominus, non ingressuros in regnum Cœlorum eos, quorum justitia non abundaverit supra justitiam Scribarum & Pharisæorum. Item, *Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ad faciendum ea*, Deuter. 27: 26. Galat. 3: 10. Ab ista maledictione seu execratione legis redemit nos Christus, factus pro nobis execratio; benedictionemque impertiit sempiternam. Ipsi sit gloria in secula seculorum. Amen.

Omne peccatum est mortale.

Vide lib. 9. cap. 8. propos. 52. §. 5. & Instruct. Historico-Theolog. lib. 13. cap. 8. §. 15.

Galat. 3: 13, 14.

DECIMI LIBRI FINIS.

IRENICUM
AMATORIBUS
VERITATIS ET PACIS
IN ECCLESIA SCOTICANA.

Prece & Studio

JOANNIS FORBESII à CORSE, PRESBYTERI
& SS. Theol. Doctoris, ejusdemque Professoris in
Academia Aberdoniensi.

AB AUCTORE RECOGNITUM.

EDITIO SECUNDA.

REVERENDISSIMO, IN CHRISTO, PATRI

PATRICIO

MISERATIONE DIVINA EPISCOPO ABERDONIENSI;

ACADEMIÆ ABERDONIENSIS

CANCELLARIO & INSTAURATORI:

Domino & Parenti meo honorandissimo, Salutem in DOMINO.

REVERENDISSIME PATER,

Quasdam de receptis ritibus Aporias Frater quidam compresbyter ad tenuitatem meam scriptas misit, enixè rogans ut titubanti succurrerem. Quod quia sincero addiscendae Veritatis & tranquillandae conscientiae studio facere videbatur, protinus ei (invocato priùs seria ac supplice prece Nomine DOMINI) de propositis Aporiis breviter rescripsi. Autor verò mihi exstitit reverentia tua, ut nonnulla in aliorum etiam utilitatem enucleatiùs explicarem. Quam parum mihi ab ordinariis laboriosae professionis studiis suppetat otii, neque latet prudentiam tuam, & probè norunt reverendi collegae mei, & ornatissimi auditores. Ego tamen parendi certus (justis enim tuis mandatis inobsequens esse non debui) opportunitatem anniversariae cessationis ab exercitamentis Academicis praestolabar. Accedebat interim studiosorum nostrorum, nondum usque adeo in hoc quaestionum genere exercitatorum, indefessa efflagitatio: & aliorum etiam piorum hortamenta neutiquam contemnenda. In primis verò (sicut de JACOBI Patriarchae erga RACHELEM affectu legimus) hoc mihi impositum onus allevabat amor veritatis & pacis in domo DEI: in laudem gloriae benignissimi Patris luminum, à quo omnis donatio bona & omne donum perfectum supernè descendit. Accipe, igitur, praesul religiosissime, qui veritatis semper & pacis in hac CHRISTI Ecclesia fidelissimus propagator, & constantissimus foelicissimusque propugnator, per DEI gratiam, exstitisti, accipe, consueta mentis & frontis serenitate, hanc qualemcunque veritati & paci dicatam lucubratiunculam. Quae si perspicacissimae tuae probabitur pietati, spero eam veritatis & pacis amatoribus non displicituram. Ipse autem DEUS veritatis & pacis nos omnes sancti ficet in sua veritate: & afflictae suae Ecclesiae pacem per DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM semper omni modo misericorditer largiatur. Idem reverentiam tuam Ecclesiae suae & nobis quam diutissimè incolumem tueatur. Vale antistes verè sancte, Pater honorandissime: &, quod facis, nos ama, sanctisque tuis precibus pastoralibus paternisque DEO commenda. Dat. ABERDONIÆ, die primo Januarii, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo nono.

Reverendissimæ Pietatis tuæ, cùm in carne, tum in DOMINO, *obsequentissimus filius,*

JOANNES FORBESIUS.

AUCTOR LECTORI
S.

1. Cor. 13. HARITAS patiens est, benigna est, non irritatur, non cogitat
malum, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia su-
stinet. *Hac jubente silentium diu tenuimus: sperabamus enim*
fore, ut absque ulteriori disputationum conflictu dissensiunculæ
nostræ sponte evanescerent. At præter opinionem accidit, anno
Domini 1628. *ut ignis ille discordiæ, tanta eruperit vehementia, ut ejus-*
Ibidem. *dem imperio* CHARITATIS, quae non gaudet de injustitia, congaudet autem
veritati, *necesse habuerimus illo tempore confestim accurrere, aquam portan-*
tes, è flumine veritatis haustam, ad restinguendum publicum incendium, in
Greg. Naziap. Orat. 26. quo officii genere obtinet illud Gregorii Nazianzeni, κρεῖσσον τὸ κατὰ δύναμιν
εἰσενεγκεῖν, ἢ τὸ πᾶν ἐλλείπειν. *Hinc opusculi hujus deproperatio. Te verò,*
Lector, hortor in DOMINO, *ut ad hujus* IRENICI *lectionem te accingens,*
ante omnia pectus ipse tuum coram DEO *examines,* & *seriò cogites* CUJUS
Luc. 9. 55. Prov. 14. 6. SIS SPIRITUS. Nam derisor quaerit sapientiam, & non invenit: at scien-
tia intelligenti est facilis. Si quis voluerit facere voluntatem ejus, cognoscet
Joan. 5. 17. de doctrina, utrum ex DEO sit, an ego à meipso loquar: *ait* DOMINUS *in*
Evangelio. Lege vel audi, priusquam judices; probè intellige, antequam
sententiam feras: ne forte veritatem damnes, & *cum* DEO *pugnare compe-*
Act. 5. 39. *riaris. Quid iniquis censoribus respondeamus suo nos exemplo docuit* DOMI-
Joan. 18 23. NUS, *dicens injusto percussori;* Si malè loquutus sum, testare de malo; sin
bene, cur me caedis? *Interea non sum immemor fragilitatis humanæ, neque*
meæ tenuitatis sum nescius: si quid igitur reprehendendum existimes, hanc
tantùm à te postulo æquissimam conditionem, ut perspicuas & *solidas censu-*
2. Cor. 13. 8. *ræ tuæ proferas rationes:* & *docilem invenies:* Non enim possumus quic-
quam adversus veritatem; sed pro veritate. *Res cum re, ratio cum ratione*
appositè & *sobriè conferatur: ponantur in medio Scripturæ sacræ,* & *inde*
argumenta congrua depromamus, consulamus etiam catholicam antiquitatem,
interrogemus reformatas Ecclesias, advocemus rectam rationem: sic enim
facilior erit dissensionum compositio, si priùs de principiis & *argumentorum*
1. Pet. 2. 1, 2. *locis inter nos conveniat. Deinde deponamus omnem malitiam,* & *omnem*
dolum, & *simulationes,* & *invidentias,* & *omnes detractiones;* &, *ut mo-*
dò nati infantes, lac illud sermonis sincerum expetamus, ut per illud ado-
2. Pet. 3. Joan. 3. & 5. *lescamus. Ne imitemur eos, qui* VOLUNT ID VERUM ESSE QUOD CRE-
DUNT, AT NOLUNT ID CREDERE QUOD VERUM EST. *Isti volentes*
ignorant; nolunt sanari; amant tenebras. Nos autem non tenebrarum sed
lucis filii, unanimes, pari pectoris candore, pari veritatis amore, pari ju-
2. Petr. 3. *stitiæ siti, veritatem quæramus, pacem persequamur. Dabit* DEUS *una-*
Matth. 18. *nimitati credentium petitam sapientiam: dabit necessariam scientiam: dabit*
Jacob. 1. Psal. 119. 80. *servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Sit cor nostrum perfectum in sta-*
tutis ejus, & *pudore non afficiemur. Non abblandiamur vitiis nostris, sed*
quicquid vel in aliis, vel in nobis ipsis DEO *exosum est, id perfecto odio*
prosequamur: qui amat ægrotantem, odit morbum; qui sanare vult febri-
citantem, persequitur febrim. Abnegemus nos ipsos, ut CHRISTUM, *qui*
Veritas est, expediti sequamur. Non debet mens nostra Spiritum Sanctum
in nobis manentem injuria afficere ἰδιογνωμοσύναις, id est, *privatis opinioni-*
bus, inquit Macarius Ægyptius, Homil. 9. *Non pervenitur ad veram pacem,*
nisi per veritatis viam. Ea sola fida pax est, quæ veritatis est, quæ CHRI-
STI *est. Necesse igitur habui errores oppugnare, veritatem vindicare, ut*
hoc

hoc meum opusculum esse posset hominibus verè εἰρηνικόν. Absit, quæso, à Gal. 4. 16.
Christiano Lectore, ut amicè & pacificè intimatam suis sensibus veritatem,
arbitretur injuriam, ac non potius libenter audiat, atque ex animo diligat,
& pio consectetur studio τὰ τῆς εἰρήνης, καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους. Zachar. 8. 19.
Quicquid autem de rebus ipsis judicet, peto, ut hanc ingenui animi opellam, Rom. 14. 19.
pia veritatis dilectione & sincero veræ pacis studio susceptam, in benigniorem partem, pro fraternæ charitatis officio, & ex humanitatis atque æquitatis lege, interpretetur. Nominibus eorum qui diversa sentiunt non invitus parco; & eorum existimationi, quoad ejus fieri potest, sine injuria causæ, solicitè caveo: neque fervido cursu, sed leni & placido lapsu fertur oratio. Quicquid autem in prima hujus IRENICI *editione legebatur, quod in secunda hac editione non retinetur, illud pro non scripto habeatur. Ac ne de his quidem, quæ nunc in medium affero, fert animus funem ducere contentionis: pacem suadeo, pacem opto, ad veram pacem studiosè viam affecto: & huic si quid usspiam in hac nostra lucubratiuncula vel inimicum vel inconsonum esse docti & æqui Lectores judicaverint, id etiam pro non scripto haberi volumus. Neque enim ea tractatus hujus mens, ut de quæstionibus istis de quibus Scoti reformatæ Religioni addicti inter se dissentiunt, contentio ingeratur vel foveatur: sed ut ii, qui de talibus vehementer contendendum esse existimant, ab ea opinione (quoad ejus fieri poterit) abducantur. Id quod ab eis facilius impetrari posse confidimus, si seriò apud se cogitent, non esse illos vero plerumque propiores, qui in istiusmodi cum fratribus certamina se exhibent promiores.*

DEUS *nobis inspiret amorem veritatis & pacis: & gressus nostros in veritatis & pacis viam dirigat: ut ad perfectam æternæ pacis fruitionem, eo perducente, tandem perveniamus, per* DOMINUM *nostrum* JESUM CHRISTUM, *cui cum Patre & Spiritu sancto, sit honor & gloria, in secula seculorum. Amen.*

Reverendissimi in Christo Patris,

D. JACOBI USSERII,

ARCHIEPISCOPI ARMACHANI,

totius HIBERNIÆ PRIMATIS,

EPISTOLA

AD AUCTOREM HUJUS IRENICI.

Eusob. lib. 5. hist. Eccles. κεφ. κϛ'.

Ir eximie: Summa cum voluptate Εἰρηνικὸν tuum perlegi: eamque patriae tuae felicitatem sum gratulatus, quod novum tandem produxerit Εἰρηναῖον, qui eam ipsi praestitit diligentiam & virtutem, quam olim exteris Ecclesiis (cùm non admodum dissimiles de adiaphoris obortae lites earum pacem perturbarent) exhibuit ille vetus; qui φερώνυμος τις ὢν τῇ προσηγορίᾳ, αὐτῷ τε τῷ τρόπῳ εἰρηνοποιὸς, ὑπὲρ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης παρεκάλει τε καὶ ἐπρέσβευε.

* לשלום המלחמה *2. Sam. XI. 7.*

Nulla salus bello: ipsique bello salus si qua sit, non alio quam pacis nomine ea continetur. Nam & de * pace belli Uriam, opinor, à Davide aliquando interrogatum meministi.

Judic. VII. 22.

Jam verò, pro Εἰρηνικῷ, scriptum remitto tibi ego πολεμικὸν: sed quod jucundum praebeat spectaculum Midianiticorum satellitum inter se manum conserentium, & mutuo isto bello Ecclesiolae nostrae pacem promoventium. Tu quicquid hoc est munusculi, ut ab homine optimè erga te affecto transmissum, suscipe, & me (ut facis) ama.

Pontanae in Hibernia, III. Eid. Decembr. anno reparatae salutis 1632.

Tuus in Christi ministerio conservus

JACOBUS ARMACHANUS.

QUÆ

QUÆ DUOBUS LIBRIS HUJUS IRENICI CONTINEANTUR.

LIBER PRIMUS

Exhibet pacificam ad Aporias responsionem, interspersis etiam aliis.

Ejus sunt Capita quatuordecim.

LIBER SECUNDUS

TESTIMONIA exhibet ECCLESIARUM REFORMATARUM, & Scriptorum Ecclesiasticorum, de præmissis aliisque Articulis & Quæstionibus.

Unà cum pleniore dissertatione de politia Episcopali: & aliis quibusdam dissertationibus.

Adjectis etiam Antiquitatis Testimoniis.

Quorum omnium notitia multùm conducit ad hanc pacificationem quam sincerè intendimus, & feriis supplicationibus à DEO *pacis flagitamus, & ex immensa ejus indulgentia speramus.*

Hujus Libri sunt Capita vigintiquinque.

III. *Li-*

APORIÆ

APORIÆ PROPOSITÆ AB ALEXANDRO LUNANO PRESBYTERO.

APOR. I.

RELIGIOSE adorare coram creatura precibus antegressis, &c. consecrata significatione sacrâ, citra speciale CHRISTI mandatum; Idololatria videtur. At coram pane, &c. geniculari, est religiosè, &c. ut patet. Ergo. Probatur major: Coram serpente æneo, cruce, maginibus, reliquiis, &c. Ergo ita in omnibus. Aut afferatur instantia præterquam quod est in quæstione. Dices: Coram pane, &c. quidem, at non panem. Contra 1.

II. Quo prætextu palliare se potest quævis Idololatria, videtur actus hujus nullum patrocinium esse: at hoc prætextu, &c. ut patet: Causabitur enim Idololatra: coram Imagine, non Imaginem: coram Cruce, non Crucem. Ergo. Contra 2.

III. Omne secundum DEI judicium quale est, revera tale est: at secundum ejus judicium, actui externo coram creatura ejusmodi, conformis est intentio, & ex illo de hac; sententia ferenda, non contra: adeo nempe ut intentio (quocunque sibi commento cultor adblandiatur) in aliud nihil dirigatur, quam in illud coram quo externa corporeaque veneratio est. Negat DEUS sibi dici, Tu Pater meus es, &c, sed imagini ipsi: ergo, &c. ex DEI sententia, non tantum coram pane, sed & eo ipso panem, &c. Esa. 44: 17.

IV. Si aliquo modo circa panem (panem, inquam, consideratione manentem & solitarium, &c.) committi possit idololatria; sit vero nullus alius modus vel possibilis, vel manifestior saltem, hoc modo committi videtur: At utrumque prius est verum, aut ostendatur alius modus, &c. Ergo.

V. Prorsus evertitur usus mensæ: quam, penitus inutilem, panem vinumque circumferente ministro, Seniorum (quos vocamus) uno, amoveri interea & tolli nihil prohiberet. Ergo. aut mensa ad cœnam hanc non requiritur.

VI. Ex parte, quantum ad panem, inter populum eidem mensæ

mensæ accumbentem tollitur communio: siquidem nullus in eandem patinam imponit manum, nullus alteri quicquam porrigit, &c. Ergo.

VII. Omitto exemplum CHRISTI, & Apostolorum morem patrium retinentium, &c. Ergo.

VIII. Sed fac gestum hunc indifferentem esse: Igitur. 1. Aut mutatio non fuit facienda novitasque invehenda, aut bonum quoddam monstrandum, quod malum mutationem sequens, vel superet vel saltem æquet: at hoc non potest ostendi. 2. Quin mutationi jam factæ merito tamen adhuc resistendum, quia alioquin infirmiores ostendimus, hostibus ludibrium debemus levitatem, Idololatriam suggillantibus, & animos addimus ad eorum ritus relapsi. 3. Hoc ipso quod indifferens ponatur, obtrudi atque urgeri non potest, ut necessarius: cum potius res ejusmodi tolerantiam mutuam, & plenam, quod vel judicium vel usum judicio semper conformem spectat, postulent libertatem.

IX. Quorundam mussitationem potius quam ingenuam (si quid iis cerebri) animi sententiam adjungere libet, nullum esse actum indifferentem. Cujus Paradoxi sunt hæ rationes. 1. Omnis actio est bona vel mala; ergo nulla indifferens. Probatur Antecedens: Omnis actio quæ bonitatis circumstantias omnes habet, vel quæ aliqua destituitur, est vel bona vel mala. At omnis actio vel bonitatis circumstantias, &c. Ergo. In hoc Argumentum incidit Ambr. Catharinus, in Synodo Trid. innixus auctoritati D. Thomæ. 2. Quæ actio regitur ratione, prudentia, deliberatione, vel non regitur, ea est vel bona vel mala: At omnis actio hominis rationalis, prudentis, Christiani, ratione, &c. regitur vel contra. Ergo. 3. Qualis est finis proximus, talis actio, hæc enim ab illo præcipuè specificatur. Omnis finis præcisè est bonus. Ergo. &c. 4. Omnis actio capax bonitatis vel malitiæ, (ut ita dicam) ea, si secundum DEI voluntatem optimam fiat, bona est: & si bona non est, saltem ut bona esset convenientius est magisque expedit: At omnis actio est capax bonitatis, &c. Ergo.

IRE-

IRENICI

LIBER PRIMUS,

Exhibens pacificam responsionem ad memoratas Aporias:

Interspersis etiam aliis ad rem præsentem pertinentibus.

CAPUT PRIMUM.

De Geniculatione in Sacra Cœna.

Respondetur ad majorem Propositionem primæ Aporiæ, usque ad §. 9. *Respondetur ad ejusdem minorem,* §. 9. *ad secundam Aporiam respondetur.* §. 10. *ad tertiam,* §. 11. *ad quartam,* §. 12. *Nota de primis quatuor aporiis,* §. 13. *Calumniæ refutatio,* §. 14.

Ad primæ Aporiæ propositionem majorem.

I. D primi Argumenti majorem Propositionem. 1. Supervacua & inutilis est limitatio ista per distinctionem rerum consecratarum à rebus non consecratis: nam ad idololatriam nihil interest, sitne creatura consecrata, quæ adoratur, an non consecrata; sive sacram habeat significationem, sive non habeat. Nam honoris soli DEO debiti translatio ad quamcunque rem quæ non est natura DEUS, sive etiam ad quodcunque figmentum, idololatria est. 2. Inanis est & altera restrictio, nempe, *Citra speciale mandatum:* Nam idololatria, seu honoris soli DEO debiti translatio aliorsum, vel ex parte, vel in totum, est actus ita intrinsecè malus, & à malitia morali inseparabilis, & legi æternæ necessariò repugnans, ut eum DEUS prohibeat quidem, at nunquam possit mandare, quia non potest abnegare seipsum. Et testatus est, se honorem suum non concessurum alteri. Esa. 42: 8. sicut igitur inanis esset limitatio, si quis diceret, non licere blasphemare, aut sumere nomen DEI in vanum, aut alienum torum adulterio polluere, aut mentiri, citra speciale DEI mandatum; quia nihil istorum DEUS ullo mandato unquam jubere potest: ita etiam de actu aliquo in se idololatrico. Duo sunt actuum genera, de quibus non est quærendum aut exspectandum DEI mandatum: nempe, Actus ita intrinsecè mali, ut sint simpliciter indispensabiles, in quo actuum genere est idololatria: Item actus medii, qui neque imperantur, neque prohibentur, in quo genere sunt ritus quidam Ecclesiastici pro circumstantiis mutabiles. Est tertium quoddam genus actuum qui lege generali prohibiti sunt, ita tamen ut actum remota malitia præcipere possit DEUS præcepto speciali, ut patet ex lege Leviratus, & ex mandato quo jussus est *Abraham* mactare filium suum; & quo jussi *Israëlitæ* spoliare *Ægyptios.*

II. Majoris igitur istius Propositionis vis tota huc redit, *Religiosè adorare coram mera aliqua creatura, idololatria videtur.*

III. Certe non solum videtur, sed revera est idololatria, religiosam adorationem transferre in meram creaturam. Propositio igitur sic erit confirmanda; *Transferre religiosam adorationem in meram creaturam est idololatria: at religiosè adorare coram mera creatura est transferre religiosam adorationem in meram creaturam: Ergo, religiosè adorare coram mera creatura, est idololatria.*

IV. Si aliquis excipiat non affirmari in propositione illa quod sit idololatria, sed tantum dici quod idololatria videatur: facile occurritur; nam si rectè sentientibus videatur idololatria; haud dubiè est idololatria. Si autem errantibus tantummodo videatur idololatria, nec sit tamen, corrigendus ac relinquendus est error, mentesque meliùs informandæ. Propositio igitur illa, si ullarum sit virium, est intelligenda per affirmationem absolutam, videlicet, quod sit Idololatria.

V. Sin autem dicas multa sæpe in se non mala, relinquenda tamen & omittenda esse propter speciem mali, ne infirmis ponatur scandalum; concedo equidem in rebus indifferentibus, si sit scandalum datum, ut loquuntur, & non tantummodo acceptum. At Idololatria non est res indifferens, sed simpliciter prohibita: ita autem argumentaris contra Geniculationem in sacra Cœna, ac si esset Idololatria, non autem res indifferens. Nam si sit res indifferens, quid dubitamus, debitam Ecclesiæ eam præscribenti reverentiam exhibere? Quum absit omnis superstitio, neque ullum hinc libertati Christianæ existat præjudicium, neque ullum hic inveniatur tam magnum scandalum quam contemnere Ecclesiam & schisma facere propter rem hujusmodi indifferentem, & altare contra altare erigere, teque ab Ecclesiæ orthodoxæ, cui subes & in qua degis, communione segregare, adeoque teipsum ab Ecclesia extorrem facere, & excommunicationis sententiam contra teipsum hoc pacto pronunciare, aut saltem, quod insolentius & fastuosius est, Ecclesiam orthodoxam cui subes excommunicare propter rem indifferentem. Si vero sit res per se illicita, ne Angelus quidem è Cœlo veniens audiendus est, si eam dicat usurpandam. *Vide lib. 2. cap. 19. part. 3.*

VI. Redeo igitur ad Propositionis illius prosyllogismum supra positum §. 3. cujus prosyllogismi majorem libenter concedo. Ejus autem minor eget explicatione: minor est; *At religiosè adorare coram mera creatura, est transferre religiosam adorationem in meram creaturam.* Certè transferre religiosam adorationem in meram creaturam, est religiosè adorare meram creaturam; neque dici potest translatio religiosæ adorationis in creaturam, nisi ipsa creatura religiosè adoretur.

VII. Propositionis igitur istius oportet hunc esse sensum, *Religiosè adorare coram mera creatura, est religiosè adorare ipsam meram creaturam.* Quæ propositio non est universaliter vera. Instantiam habes de Altari *DOMINI*, 1 Reg. 8: 54. De Scabello pedum *DOMINI*, De Arca Fœderis, Psal. 99: 5. & Psal. 132: vers. 7. 1 Samuel. 6: 14, 15. & 2 Samuel. 6: vers. 13, 17. De Domo *DEI*, seu Templo *Hierosolymitano*, Ezr. 10: 1. Quemadmodum & nos hodie quocunque in loco simus, amotis jam umbris illis typicis, oculos manusque attollimus in Cœlum, ibique habitantem *DEUM* adoramus in spiritu & veritate, sicuti nos instruunt sacræ literæ; nec tamen Cœlum adoramus. Item alio sensu, *David* vota sua *DEO* reddidit, offerens sacrificia Eucharistica coram universo populo, Psal. 116: 14, 17, 18. Et *Paulus* Apostolus, sumpto pane, gratias DEO egit coram omnibus cum eo navigantibus, Actor. 27: 35. nec tamen aut *David* populum, aut *Paulus* navigantes adoravit. Sic alio atque alio sensu, *Elias* Propheta oravit coram populo, coram altari, coram sacrificio, & coram DEO, quem solum adoravit, 1 Reg. 18. Populus *Israëliticus* adoravit adoratione religiosa, coram *Mose* & *Aarone*, Exod. 4: 31. Hodie multi publicè testantes pœnitentiam, procidunt in genua & religiosè adorant coram Ministro, stante in Exedra; neque tamen aut Ministrum, aut Exedram adorant, sed solum *DEUM*. Qui ad Officium Pastorale accipit manuum impositionem, cæteris jam stantibus, aut sedentibus, ipse manet genibus innixus donec ordinatio peragatur: neque tamen aut hominem ordinatorem, aut ejus manus, aut ullam meram creaturam adorat. Baptizandus aut baptizandum offerens, se humiliat & orat DEUM, ut Baptismum illum ei faciat salutiferum in vitam æternam; nec tamen adorat aquam aut pollubrum ante quæ prosternitur. Dormiturus aliquis procidit in genua & orat coram lecto: pransurus adorat coram mensa, cibisque appositis: neque tamen aut ille lectum, aut iste mensam cibosve adorat. Si quis perniciosо morbo laborans nullum videat nisi extremum quoddam supereſſe remedium, quod illum vel sanabit, vel majori cumulabit incommodo, idque metuens æger cupidus sanitatis, si, adferente potionem medico, procidat in genua, implorans DEI benedictionem, eodemque servato corporis situ animique devotione poculum in manum sumat, & liquorem bibat, eoque epoto permaneat aliquamdiu adhuc orans & adorans; nemo sanus dicet ab ægro isto adorari medicum, aut populum, nam solum DEUM adorat, licet aliquo sensu coram medico adoret, nec minus coram poculo dici possit æger iste adorare, quam communicans adorare coram pane. Sic in Sacra Cœna communicantes non solum initio coram mensa appositisque elementis in genua procidui adorant DEUM, ejusque misericordiam & benedictionem suppliciter implorant, verba faciente Pastore Ecclesiastico, sed memores magni beneficii, magnique periculi, permanent in eadem mentis devotione corporisque humiliatione etiam dum cœnant, & aliquamdiu etiam post cœnam: id quod in hac cœna eo congruentius & commodius fieri potest, quia tota spirituali refectioni destinata est, & brevi tempore peragitur, neque ejus vel epulationi vel sermocinationi convivali ullum adfert gestus iste impedimentum.

VIII. Propositio igitur ut vera esse possit, erit adhuc limitanda in hunc modum; *Religiosè adorare coram mera aliqua creatura ita, ut creaturam illam facias religiosæ adorationis objectum in se & per se, ita ut creatura illa adorationem terminet, sive eam propter se adores, sive propter aliud, (sicut propter regem adoratur legatus, &c.) sic, inquam, adorare coram mera creatura, est religiosè adorare meram creaturam, adeoque est idololatria, qualis erat illa thurificatio facta serpenti æneo, qualis etiam est Ethnica & Papistica imaginum, item crucis, & reliquiarum adoratio.* vid. 7. *Synod.*

Vide etiam Concil. Tridem. Sess. 25. cap. de Invocatione, &c. Et Bellarm. de Imaginibus, cap. 12: 20. & seqq.

IX. Sic autem explicata primi argumenti propositione majore, accedo ad minorem. Minor primi argumenti nititur falsa hypothesi. Non enim proponitur panis ut vel ipse adoretur, vel coram eo fiat adoratio ita ut panis fit adorationis objectum, &c. quomodo fit in exemplis abs te allatis. Nam & antequam adferatur ad aliquem panis, & post manducatum panem, & dum accipitur panis, eadem est corporis humiliatio, & adoratio, quæ nunquam in panem ullo modo, ne actu quidem externo, dirigitur. Idemque de poculo verum est. Sed humilis iste gestus geniculationis est indicium devotionis & reverentiæ erga DEUM, jam propius quodammodo accedentem cum pretiosissimo dono quod nobis confert: est etiam non incongruus gestus precantis, & sedulò ad DEUM clamantis, ut eum faciat dignum convivam. Quemadmodum & in ordinationibus ministrorum, quando ordinatus genibus innixus accipit codicem sacrum è manu ordinatoris, non adorat vel hominem ordinatorem vel codicem sacrum, sed DEUM intuetur, in cujus Nomine ordinatur, & quem etiam novit esse peculiari modo præsentem, actionemque moderantem, officiumque conferentem. Sic in civilibus qui scyphum aut munusculum aliquod accipit è manu Regis, id facit in genua procidиus, non adorans scyphum aut munusculum, neque coram scypho aut munusculo adorans, tanquam adorationis objecto, nullo enim modo ad ista dirigit suam adorationem, sed solum regem adorans. In Cœna autem Rex noster seipsum spiritualiter donat nobis, ideo licet non ad externum ministrum aut externum symbolum ullo modo dirigatur adoratio, rectè tamen adoratur à nobis & donans & ipsum donum spirituale, id est, DEUS redemtorque noster JESUS CHRISTUS. Nihil simile habet cultus imaginum vel coram imagine, item Thurificatio facta serpenti æneo, & cultus reliquiarum, &c.

Ad primam Aporiæ propositionem.

X. Hinc evacuatur secundum argumentum ut alienum à proposito. Quis nostrum unquam ista defensione usus est? non respondemus nos coram pane adorare; sed dicimus nos DEUM adorare, quando jam accepturi sumus, & quando accipimus, & postquam accepimus sacra ista & tremenda mysteria: DEUM orantes, ut ad salutem, non autem ad damnationem nobis cedat illa acceptio: eique de immensa benignitate gratias toto pectore agentes, mortemque *DOMINI* cum gratiarum actione recolentes & annunciantes.

Ad secundam Aporiam.

XI. Item tertium: non enim dirigitur ullo modo adoratio ad symbola sacramentalia: neque ea quispiam vel voce vel gestu compellat, dicens, *Tu es Pater, aut Salvator meus.* Quomodo idololatræ dicebant stipiti, *Tu es Deus meus.* Esai. 44: 17. Rectè *Augustinus*, *Orantes* (inquit) *atque laudantes ad eum dirigimus significan-*

Ad tertiam Aporiam. Aug. lib. 10. de Civitate Dei, cap. 19.

tantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus offerimus. Idem de gestu adorativo facit omnis orthodoxus, quippe non inscius, omnem religiosum cultum tum internum, tum externum, soli Deo exhibendum esse.

XII. Quartum etiam proles est falsæ illius hypotheseos: ut etiam patet ex responsione ad argumentum tertium, ubi ostenditur modus idololatriæ, qui non invenitur in hac celebratione Cœnæ Dominicæ. Præterea neque sicut imagines aut reliquias adorant Papistæ, adoratur à nobis in Cœna panis: imò nullo modo adoratur.

Nota de primis 4. aporiis.

XIII. Tametsi autem hunc fratri ad primas quatuor aporias laborem impenderim; poteram, illæsis legitimæ disputationis legibus, aporias istas contemnere, quippe à proposito alienas, & commentitio superstructas fundamento, ac si gestus sive sessionis, sive stationis, sive geniculationis, à communicantibus usurpari nequeat, nisi eum gestum exhibeant sacramento, vel coram sacramento: cum longè aliter se res habeat. Quando enim accedimus, & accipimus, manducamus, ac bibimus de pane & poculo Domini, in ipsius Domini recordationem, tum vel stamus, vel genua flectimus, vel sedemus coram Domino. Nam etiam sedisse coram Domino orans legitur David, 1 Samuel. 7: 18. Et gestum sedendi fratres nostri, qui geniculationem damnant, ajunt in Cœnæ Dominicæ sumtione esse ex Divina institutione necessarium, unde fateantur necesse est eum esse sacrum & religiosum. Vide igitur quid illis responsi, si aporiæ istæ in istam sessionem convertantur. Quamvis etiam gestum sedendi usurpes, sine opinione istiusmodi necessitatis, manebit tamen quæstio, coram quo sedeatur. Neque respondebis, opinor, te coram pane sedere, etiamsi ibi sit & sumatur ille panis ex Domini instituto.

Vide lib. 2. cap. 16. part. 4.

XIV. Illiberali nos gravat calumnia quidam disputator, affingens nobis nescio quam mediatam adorationem Christi in pane, interposito in ea adoratione pane inter nos & Deum; cum nos ab omni ejusmodi cogitatione & praxi doctrinaque semper fuerimus & constanter simus prorsus alieni, neque istiusmodi adoratio (quasi ullo modo probanda) nobis unquam in mentem venerit, neque illam falsissimam atque iniquissimam glossam ulla mea verba usquam admittant. Dolendum sanè est tam fœdis calumniis fratres in fratres, vel in quenquam, grassari. Ego certè palam & ex animo profiteor, semperque professus sum, omnem religiosam adorationem soli Deo immediatè exhibendam esse: istam verò, quam nobis iniquissimè affingit iste, doctrinam detestor atque abominor. Quocirca ab æquis lectoribus facilè impetraturum me confido, ut cum publici juris factos libros meos inspicere promptum sit, nemini de doctrina in eis tradita sinistri aliquid dicenti credendum existiment indicta causa, & parte inaudita, neque accusasse sufficiat.

Autor Disputationis contra Anglo-Papisticas Ceremonias, part. 2. cap. 9. sect. 12. & part. 3. cap. 4. sect. 20, 21.

Vide Psal. 50.

Vide cap. 10. §. 5.

CAPUT II.

De Mensa Dominica.

Respondetur ad quintam Aporiam, qua objicitur prorsus everti usum Mensæ, per morem qui nunc anno Domini 1618. in Scotia usurpatur.

Ad quintam Aporiam de Mensa.

MENSA Cœnæ inservit, non Cœna Mensæ. Ideo Cœnam simpliciter quærimus, Mensam autem non propter se, sed propter Cœnam adhibemus: eaque utimur quantum necesse est aut expedit pro commoda & decora distributione & perceptione Cœnæ. Unde ipsa Cœna metonymicè Mensæ appellationem sortitur. 1 Corinth. 10: 21. nam certè non Mensæ, sed Cœnæ, propriè loquendo, sumus participes. Omne autem illud in quod deponitur Cœna, accipit appellationem Mensæ, sive sit tabula, sive genu hominis, sive etiam ipsius manus; notum est illud, *Heus etiam Mensas consumimus.* Si clinico sit Cœna administranda, qui non possit ad aliquam usitatam Mensam manum porrigere, sed symbola illi in manum aut fortasse in os exhibenda: dicemusne quicquam illi deesse ad integritatem aut essentiam pertinens Sacramenti? Cœna facit Mensam, non Mensa Cœnam. Olim in Ægyptiacis cœnis, mensæ non apponebantur, sed patinæ circumferebantur. Ut ex *Protagor.ce* refert *Athenæus*, apud *Henricum Stephanum*, in appendice illa ad *Herodotum*, quæ est de Ægyptiacis legibus & institutis. Particeps Mensæ tuæ est qui de tuo cœnat: porro Mensæ usus est non solum ut Cœnam sustentet, sed etiam ut ordine ac decenter sedeant, & cœnent convivæ: quamvis convivator singulis fortasse seorsum, sive apponat, sive in manum tradat quod cœnent. In sacra autem Synaxi Mensæ adhibentur, tum ut sustentent apposita Symbola, quando ea opus est deponi, tum etiam ut ordine ac decenter disponantur convivæ: quomodo etiam in viridi gramine sedere voluit DOMINUS illos suos hospites, quos aluit paucis panibus & piscibus, Marc. 6: 39. & seqq. Etiam in epulis humanis quædam fercula non apponuntur, sed viritim ab architriclino distribuuntur, & scyphi multis in locis non collocantur in Mensa, sed in manus tantummodo traduntur: quum tamen partem faciant convivii. Nempe agitur prout alimenti cujusque ratio & decorum postulare videntur. Cœnæ autem DOMINICÆ ea est ratio, cum non constet copioso apparatu externo, neque carnis operosæ refectioni destinata sit, (domi enim edere & bibere jubetur, qui corporaliter esurit aut sitit, 1 Corinth. 11: 21.) ut non indecorè, imo fortasse congruentius subserviat Diaconorum opera transferendo vasa elementis referta, aut ea circumgestando, quàm Mensæ adhærentia trahendo aut propellendo tanta celeritate: sicut fieri necesse erit in frequenti communicantium cœtu.

Æneid. 1.

CAPUT III.

Respondetur ad sextam Aporiam.

De communione inter populum, ubi de patina, & distributione Panis.

SEXTUM Argumentum nititur falsa definitione communionis: quæ non in eo sita est, ut multi in eandem patinam imponant manus, aut quisquam Communicantium in ullam patinam imponat manum; neque ut alii aliis panem porrigant: nihil enim istorum legitur in institutione divina: sed in eo, ut omnes unius panis simus participes, sicut docet Apostolus, 1 Corinth. 10: 17. Imo *frangere* & *dare* panem actiones sunt sacramentales, ad solum ministrum seu pastorem pertinentes, ut patet ex institutione: convivis autem nihil aliud im-

Vide lib. 2. cap. 16. part. 3. & part. 5.

 pe-

peratur nisi ut *accipiant & comedant in recordationem DOMINI.* Et DOMINUS Panem quidem Discipulis *dedisse* dicitur, non autem dicitur Panem eis apposuisse, aut transmisisse.

Et ex Historia Cœnæ Dominicæ colligit *David Pareus*, Dominum, in Cœna, panem benedictum & fractum discipulis singulis manu porrexisse, singulos porrectum manu accepisse, & manducasse. Verba autem illa Domini, apud Lucam, 22:17. *Dividite inter vos.* de poculo paschali exponit Calvinus, in commentario, in harmon. Evang., eodemque sensu accipiuntur in Leidens. Synopsi purioris Theologiæ, Disp. 45. Thes. 13. Eadem autem ad poculum Eucharisticum relata, cum habebant sensum quem verba illa apud Matthæum, 26: 27. *Bibite ex eo omnes.* Quod & factum commemorat Marcus, 14:23. *Et biberunt ex eo omnes.* Verba autem illa, *dividite inter vos*: si dicta sint de poculo veteris Paschatis, huc non pertinent: sin autem ea quisquam contendat prolata esse de poculo Cœnæ Dominicæ, sicut ea intellexit *Daniel Chamier*, in Panstratia, Tom. 4. lib. 8. cap. 3. Post benedictum, fractum, datum, acceptumque & manducatum panem Eucharisticum prolata esse necesse est fateatur, atque adeo non esse de pane accipienda. Neque tamen non satisfaciunt isti præcepto, qui tamersi de manu in manum non tradant aliis poculum, attamen *bibunt ex eo omnes.* Neque aliter interpretatus est *Chamier.* Opinioni etiam de necessitate porrigendi inter omnes communicantes de manu in manum Symbola Eucharistica, non convenit cum judicio & praxi catholicæ antiquitatis & reformatarum Ecclesiarum. Vide lib. 2 cap. 1. num. 2.

D. Pareus comm. in 1 Cor. 11: 24.

CAPUT IV.

Respondetur ad septimam Aporiam, De Exemplo Christi & Apostolorum, §. 1. 2. *Ostenditur nullum peculiarem gestum esse huic Sacramento essentialem*, §. 3. *Regula gestus*, §. 4. *Examinatur & discutitur argumentatio à gestu quo usus esse legitur DOMINUS in celebratione Paschatis*, §. 5: 6, 7, 8, 9. *Ubi de argumentatione à verbis illis DOMINI*, hoc facite, *in fine* §. 9. & §. 10. & 11. *ab exemplo*, §. 12. *De necessitate & libertate gestus*, §. 13: 14.

I. QUOD autem exemplum CHRISTI & Apostolorum attinet; quid ibi habuerit rationem exempli necessariò imitandi, melius nos docebit Apostolus *Paulus*, quam hominum conjecturæ. Ille autem repetens institutionem, ejusque diligentem observationem *Corinthiis* commendans, nullius istorum facit mentionem, de quibus tantas hodie turbas cient homines zelo quidem ferventes, at non secundum cognitionem. Non fit quidem expressa apud *Paulum* mentio, quod panem fractum *dederit* Discipulis suis, sed id expressè in Evangelicis narrationibus commemoratur: & erat omnibus ita nota ea actio, ut facilè ex textu Apostolico colligi posset. At ne in ipsis quidem relationibus Evangelicis fit diserta ac peculiaris mentio, quo gestu acceperint Discipuli Sacramentum à manu *DOMINI.* Certum est jacentes sive recubantes comedisse Pascha *Luc.* 22: 14. *Joa.* 13: 23. Sed unde scis, an non mutato gestu acceperint Eucharistiam? Præsertim quum intervenerit etiam gratiarum actio, & benedictio solennis. Sed fac in eodem situ permansisse, (ut verisimile videtur, ex Joan. 13.) non tamen inde coguntur aliarum gentium Christiani suum consuetum cœuandi morem mutare. Neque id impedit etiam quo minus, si expedire judicent, gestum mutent in ordinariis Cœnis secularibus: adeoque etiam in hac Cœna sacra. Quid igitur obstat, quin possit Ecclesia aliqua uti eadem libertate mutandi situm corporis in sola Cœna DOMINICA, quam non denegant ei in Cœnis civilibus, & simul in ista sacra? Præsertim cum gestum in prima Paschatis celebratione usurpatum posteri mutasse videantur: neque à posterorum illorum consuetudine recesserit CHRISTUS; quippe non tam gestus, quam gesta respiciens & curans. Non habebit, inquies, speciem Cœnæ. Imo non solum speciem, sed & essentiam Cœnæ habebit perfectam & integram: non enim gestus, sed epulatio facit Cœnam; ut in Cœnis ethnicorum & viatorum, & aliorum multorum manifestum est. Et cujus, obsecro, speciem babet, si non Cœnæ? Non certe sacrificii, neque commessationis temulentæ, neque quicquam refert nisi Dominicam Cœnam, & Dominicos convivas, ad Mensam Dominicam. Si verò in gestu etiam mysterium quærimus, ille, secundum *Irenæum*, commendat nobis humilitatem. *Quapropter* (inquit) *& recumbentibus eis ministrabat escam, significans eos qui in terra recumbebant, quibus venit ministrare vitam. Sicut Hieremias ait; Recommemoratus est Dominus, Sanctus Israël mortuorum suorum, qui prædormierunt in terra defossionis, & descendit ad eos ut evangelizaret salutare suum ad salvandum eos. Hæc Irenæus*, lib. 4. adversus hæreses, cap. 39. Supponens eodem gestu vel situ corporis discipulos usos esse in Cœna, quo usi in Paschate.

1 Corinth. 11.

Vide lib. 2. cap. 16. part. 4. num. 1.

II. Ad hæc, quod Evangelistæ narrant, Dominum Discipulis Pascha comedentibus cœpisse instituere Cœnam, id Apostolus *Paulus* non ad situm corporis, neque ad patinam mensæ adhærescentem, sed ad tempus refert, ut intelligamus institutam esse Cœnam ea ipsa nocte, qua Dominus passus est, & quidem inter celebrationem Paschatis (cui statim Cœna successit) & agonian Domini. Neque tamen huic Sacramento essentiale est, ut vel tantummodò illa nocte quotannis recurrente, vel omnino illa nocte, Eucharistiam hanc celebremus.

III. Porro sic argumentor: Quicquid est alicui sacramento essentiale, illud vel in ipsa illius Sacramenti institutione, vel alibi in Scriptura sacra, ubi irrefragabiliter de illo Sacramento sermo est, expressè ponitur. At neque in sanctâ Cœnæ Domini institutione, neque usquam alibi in sacra Scriptura, ubi irrefragabiliter de hoc Sacramento sermo est, expressè ponitur ullus determinatus gestus: ergo nullus determinatus gestus est huic Sacramento essentialis. Cui autem nullus gestus est essentialis, ejus essentiam nullus gestus tollit, neque ullus gestus ei essentialiter repugnat.

Nullus peculiaris gestus sacra Cœna essentialis.

Major patet inductione aliorum Sacramentorum, viz. Circumcisionis, Paschatis, Baptismi. Minor manifesta est inductione locorum Scripturæ in quibus irrefragabiliter de hoc Sacramento sermo est, viz. Matth. 26: 26. & seqq. Marc. 14:22. & seqq. Luc. 22:19, 20. & 1 Cor. 11: 23. & seqq. aut si quis est alius locus, in quo perspicuè & irrefragabiliter de hoc Sacramento sermo est.

Ergo,

Ergo, firma stat conclusio.

IV. At hinc licebit, inquies, cachinnantem, aut nudum, aut faciem indecorè torquentem, aut saltantem percipere Eucharistiam.

Regula gestus. Rom. 14: 19. 1 Corinth. 14: 40.

Respondeo, non sequitur istud ex nostra conclusione: semper enim memores sumus, & meminisse oportet, positas esse in Scripturis sacris quasdam de usu rerum indifferentium regulas generales, nunquam negligendas: nempe; 1. Ut sectemur quæ ad pacem faciunt. 2. Ut ea quæ ad mutuam ædificationem. 3. Ut omnia decenter fiant. 4. Ut omnia secundum ordinem fiant. Quibus regulis observatis reliqua omnia in rebus indifferentibus sunt libera.

Objectio, A gestu adhibito in celebratione Paschatis.

V. At dices, quamvis non expressè ponatur aliquis gestus in sanctæ Cœnæ institutione, posse tamen determinatum gestum eumque Cœnæ essentialem colligi ex sacris literis, nempe ex narratione Evangelica de Paschatis celebratione, cui mox successit, absque ulla gestus mutatione in sacris literis memorata, institutio Cœnæ: expressè enim dicitur, quod in celebratione Paschatis DOMINUS *discubuerit* [ἀνέπεσε] & duodecim Apostoli cum eo, Luc. 22: 14. quod *recubuerit* [ἀνέκειτο.] cum duodecim, Matth. 26: 20. Unde argumentum tale erit; *Cujus expressa fit mentio in describenda illa Dominica celebratione Paschatis, neque expressè mutatum esse memoratur in describenda institutione Cœnæ, illud est Cœnæ essentiale: At discubitus seu recubationis fit expressa mentio, &c. Ergo.*

Responsio.

VI. Respondeo. Nego majorem, neque probari ullo potest argumento idoneo: imò introducit multa absurda, videlicet, essentiale Cœnæ esse ut soli viri sint convivæ, & quidem numero tredecim, & in superiori aliquo cœnaculo, & vespere, & in urbe aliqua, &c.

Object.

VII. Dices aliam esse in istis atque in gestu rationem.

Resp.

Respondeo. Ista rationis diversitas, si qua sit, inseri debet propositioni majori, ut esse possit major universalis, ne existat paralogismus ex omnibus particularibus in prima figura: sic; *Aliquid expressum in celebratione Paschatis, quod non legitur mutatum esse in institutione Cœnæ, est Cœnæ essentiale. At discubitus determinatus quidam gestus est aliquid expressum, &c. Ergo.* Ridicule.

Object.

VIII. Sed formabo, inquies, majorem universalem, in hunc modum; *Omne expressum in celebratione Paschatis, quod non est Judaicum seu legale, nec mutatum esse legitur in institutione Cœnæ, licet in ea expressè positum non inveniatur, illud est Cœnæ essentiale: At discubitus, &c. Ergo.*

Resp. 1. IX. Respondeo. 1. Si negem istam majorem, quonam confugies? Nego igitur majorem.

2. 2. Per hoc argumentum agnosces gestum in celebratione Paschatis usurpatum non fuisse illi Sacramento essentialem, quippe qui non fuerit de Judaismo, aut lege divina institutus.

3. 3. Tale quippiam, quale in syllogismi istius majore describitur, non est Sacramento Evangelico essentiale propter ejus mentionem in celebratione Sacramenti legalis, quia ne ipsi quidem Sacramento legali, in cujus celebratione fit ejus mentio, essentiale est: neque quia non est *Judaicum*, nam & ritus *Gentilium* non sunt *Judaici*: neque propterea quod non existens *Judaicum* commemoretur in celebratione Sacramenti legalis, nam istarum duarum conditionum combinatio non sufficit ad hoc ut aliquid sit essentiale Sacramento Evangelico: sed necessariò postulatur Evangelica institutio: quam de Gestu nondum vidimus.

4. 4. Ut sint convivæ tredecim, viri, in Cœnaculo superiori, &c. Non sunt *Judaica*, seu lege veteri instituta, sit autem eorum expressa mentio in celebratione Paschatis; neque mutata esse leguntur in institutione Cœnæ, imò constat non esse mutata: quamvis de gestu nihil certi habeamus: non tamen sunt ista essentialia Sacramento Evangelico: ac ne ipsi quidem Sacramento legali.

5. 5. Non est ideo aliquid Cœnæ essentiale, quia in transitione ad narrationem institutionis ipsius Cœnæ fit expressa ejus mentio: ergo multo minus propterea erit aliquid Cœnæ essentiale, quod fiat expressa ejus mentio in celebratione Paschatis. Antecedens patet ex verbis illis, apud *Matthæum & Marcum*, [EDENTIBUS IPSIS,] non est autem Cœnæ essentiale, ut quis comedens inveniatur, dum accepturus est symbola Eucharistica. Quantos autem clamores tollerent illi? Si legeretur, [SEDENTIBUS IPSIS ACCEPIT, &c.] quæ tamen inanis esset vociferatio, ut patet. Imò quis nescit, quasdam fuisse in prima Cœnæ celebratione circumstantias, servientes quidem illi actioni pro tempore, at neque de Sacramenti, neque de institutionis essentia: neque Ecclesiæ ad necessariam imitationem propositas? Ut erant dies ille hebdomadis, hora vespertina, panis azymus, vinum (ut videtur) merum, cœnaculum superius, viri tredecim, & quidem soli, nulla præsente muliere, quod sciamus, & quæ sunt hujusmodi. Et hinc certe puerilis convincuntur incogitantiæ, qui gestum essentialem probare nituntur ex illis DOMINI verbis, HOC FACITE. *Hoc facite.*

X. *Utique id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & faciendum esse mandavit,* ut sapienter monuit *Cyprianus*, lib. 2. epist. 3. seu, in alia editione, epist. 63. Circumstantias autem illas loci, temporis, numeri personarum, situs corporis, panis azymi, &c. non esse ex eis quæ fecit fierique mandavit, ipsa docet institutionis Evangelicæ atque Apostolicæ narratio, in qua non legitur, Dominum illa fecisse & facienda mandasse. At distinguendum ajunt inter ea quæ necessariò retenta sunt, neque potuerunt convenienter mutari, (cujusmodi fuisse ajunt circumstantiam temporis vespertini, & cœnaculum superius, &c.) & illud quod sine miraculo Christus mutare potuisset, ut est gestus sedendi, quem tamen, inquiunt, non mutavit, ut ostenderet se eum gestum instituere usurpandum deinceps in S. Cœna. At quis non videt alia etiam mutari sine miraculo potuisse, nec tamen ideo instituta, quia non mutata? *Vide lib. 2. cap. 16. part. 4. num. 41. & seqq. & parte quinta. Sic argumentatur Autor libri contra Synodum Perthensem.*

XI. Alius ait, tempus & locum fuisse nudas tantummodo circumstantias, gestum autem significativum. Attamen *Cyprianus*, epist. 63. & *Augustinus*, epist. 118. & *Victor Antiochenus*, Comment. in Marc. 14: 25. & *Isidorus Hispalensis*, lib. 1. de Eccles. Officiis, cap. 18. rationes adferunt spirituales, ob quas electum sit illud tempus: non tamen nobis existimant necessarium vel conveniens esse ut idem servemus tempus. Sic etiam *Theophilus* Episc. Antioch. Comment. in Matthæum, & *Athanasius* Episc. Alex. in Expositione Parabolarum S. Evangelii, quæst. 1. & *Origenes*, tract. 35. in Matthæum, & *Ambrosius* ac *Theophylactus*, in cap. 22. Evang. Lucæ, spiritualem dant significationem loci, nimirum Cœnaculi. *Si quæris*, (ait Autor Glossæ, in can. *Liquido*. Dist. 2. de Conservatione,) *quare post cœnam corpus suum & sanguinem Christus dederit. Respondeo; Ideo* *Autor libri qui inscribitur, Reexaminatio quinque articulorum, Perthi decretorum. Anno. 1618.*

cœna-

cœnatus Dominus cœnatis discipulis corpus suum tradidit, ut in hoc sacramento consummationem omnium sacramentorum Veteris Testamenti, & agni Paschalis, quem ante manducaverant, & caeterorum, monstraret. Hæc ille. Laudatur tamen illo canone consuetudo Ecclesiæ, qua à jejunis accipitur hoc Sacramentum. Quid etiam gestu sive corporis situ, in Apostolis, significari judicaverit Irenæus, ipsius verba, superius (§. 1.) recitata declarant.

Autor Disputationis contra Anglo-papisticas ceremonias, part. 4. capp. 4, 5, 6.

XII. Alius ex fratribus nostris contendit, *necesse esse, ut Christum & laudata Apostolorum ejus exempla imitemur in omnibus, in quibus manifestum non est eos habuisse rationes, quibus moverentur speciales, quæ nos non concernunt.* Et hoc posito fundamento infert, violari Dominicam institutionem; quando minister singulis symbola manu sua dat: item, quando sacramentum accipiunt geniculantes, vel transeuntes. Et eodem nixus fundamento prior ille ait, *We can not communicat, Where the gesture is changed, and distribution of the communicants is wanting.* Id est; *non possumus communicare, ubi mutatus est gestus, & symbolorum per communicantes distributio inter se non fit.* Reexam. pag. 136. Quam sint ista à catholicæ antiquitatis, omniumque reformatarum Ecclesiarum judicio aliena, monstrabitur, lib. 2. cap. 16. Neque est idoneum illud fundamentum quo nituntur. Nam præterquam quod Christi & Apostolorum speciales rationes non omnes nobis cognitæ sint, quædam inveniuntur Christi & Apostolorum sive actiones, sive actionum circumstantiæ, quarum nulla nobis ratio quærenda est alia, nisi libertas ipsorum, & libera optio, pro tempore, in re indifferenti, absque ulla intentione introducendi obligationem inde perpetuam, quæ vel ipsis vel aliis inemberet. Illæ autem Christi & Apostolorum ejus actiones nobis in Scriptura necessariò imitandæ proponuntur, quæ ad aliquod Dei præceptum nobis datum, perspicue reducuntur, per evidentem præcepti expositionem vel executionem. Hujusmodi in celebratione Eucharistiæ, sunt ea sola, quæ in Historia institutionis Christus disertè fecisse dicitur, adeoque facienda mandasse, *accepit panem, benedixit, fregit*, &c. non autem occasionales, etiam certæ, nedum conjecturales circumstantiæ, quæ in ipsa institutione non commemorantur, quamvis ex antecedentibus & consequentibus aliquid de eis sciri possit.

Necessitas triplex.

XIII. Necesse quidem est ut aliquo gestu utantur communicantes: sed diligenter attendenda est hæc distinctio necessitatis: nam in hoc argumento intueri oportet triplicem necessitatem. *Alia est necessitas Sacramentalis; alia naturalis; alia moralis.* Sacramentali necessitate necessaria sunt ea quæ sunt de Sacramento ex institutione divina, adeoque sunt Sacramento essentialia; nam aliquid Sacramento ideo est essentiale, quia illud DEUS ut de Sacramento sit instituit; siquidem essentia Sacramenti à divina institutione tota pendet. Naturali necessitate necessariæ sunt circumstantiæ, quæ propter naturam hominum ipsorumque elementorum, & actionum humanarum naturaliter requiruntur, ut sunt locus aliquis, tempus aliquod, gestus aliquis, &c. Necessitate morali necessarium est, ut sectemur ea quæ pacis sunt, & ad ædificationem faciunt: item ut decenter omnia, & secundum ordinem faciamus.

Fundamenta triplicis necessitatis.

XIV. Primam necessitatem imponit institutio divina: secundam ipsa natura: tertiam lex moralis. Prima necessitas nullum gestum in sacra Cœna postulat: secunda necessitas requirit aliquem gestum, non tamen alligat ad certam speciem gestus, sed quemlibet gestum admittit: tertia necessitas moratas regulas gestui præscribit, omnemque gestum excludit qui sit contra pacem & ædificationem, omnem etiam indecorum gestum prohibet, neque permittit ut ordinem negligamus. Reliqua de gestu in Cœna libera sunt. CONCLUDO IGITUR; Quicunque particeps factus fuerit Sacramenti, & rei Sacramenti; eum non indignè communicasse. Ritus autem illos, de quibus nostrates disceptant; ajo, esse indifferentes, & vel omitti, vel usurpari posse, prout ordo, decorum, pax, charitas, atque ædificatio postulabunt.

Necessitas gestus.

Conclusio.

CAPUT V.

Incipit responsio ad octavam Aporiam, & ostenditur expedientia & necessitas obedientiæ quandoque etiam non expedienti decreto §. 1. 2. proponuntur tres classes justarum rationum, per quas demonstretur expediens justumque esse decretum Synodi Perthensis, *de quinque articulis, §. 3. Explicatur prima classis ab intuitu Regis proponentis, & primo quidem describitur Rex ipse, §. 4. Deinde decem rationes adferuntur, quas ipse Rex inseruit suæ Epistolæ, §. 5. Item octo rationes proposita à decano* Wintoniensi *in suo ad Synodum alloquio, §. 6. Conferuntur cum opposita exceptione, & docetur quibus sit imputanda culpa sequuti schismatis, justeque decrevisse Synodum* Perthensem. *§. 7. 8. 9.*

I. SED *fac*, inquis, *gestum hunc esse indifferentem*: Certè quum sit indifferens, potuit sine crimine fieri mutatio. Sed quia fugienda est omnis ejusmodi etiam in rebus mediis mutatio, quæ non tam utilitate adjuvat quam novitate perturbat, postulas ut monstretur tibi *idonea mutationis hujus causa, nempe bonum quoddam, quod exsuperet, vel saltem æquet malum mutationem sequens, & hoc*, inquis, *non potest ostendi.* Deinde ais, *mutationi jam factæ meritò adhuc resistendum, tum propter infirmos, tum etiam propter inimicos.* Tertiò, *Ex hoc ipso quod indifferens ponatur, infers, non deberi imponi tanquam necessarium, sed plenam unicuique relinquendam esse judicii & usus libertatem.*

Octava Aporia.

Expedit & oportet obedire quandoque decreto non expedienti.

II. Respondeo. 1. Etiamsi in authoritate constituti decernant aliquid quod expediret potius non decerni, non tamen propterea expedit neque licet subditis, superiorum decreta contemnere, & contra ea rebellare, aut eis obsequium negare, quamdiu quod præcipitur tale est in se, ut à subditis sine peccato præstari possit. At rectius fecissent, inquies, si tale decretum non condidissent. Esto, num inde sequitur te rectè facere, qui superioribus potestatibus nullum tibi peccatum imperantibus resistis? sac illos in officio suo imprudenter se gessisse, num propterea tibi fas à subjectionis officio recedere? illorum est officium leges sancire, tuum est obedire, illorum error non patrocinabitur tuæ contumaciæ. Observa tu regulas debiti obsequii, & tutus eris. Illi si non observarunt regulas justi imperii, rationem reddent DEO

Vide Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 75. & caus. 11. qu. 3. can. Quid ergo. in glossa & caus. 23. qu. 1. can.

Quid culpatur. Et Gloss. ibidem. Vide etiam Andreæ Riveti Jesuitam Vapulantem, cap. 26. §. 4. & 5.

DEO de abusu suæ potestatis, quam tamen potestatem non tibi fas contemnere, propter quemlibet abusum. Expediret fortasse hunc vel illum canonem non esse conditum, at certè non expedit ut canonem jam conditum subditus contemptim transgrediatur; quandiu quod canone injungitur, non est contrarium legi DEI in sacris Scripturis revelatæ. Magis peccat subditus in tali casu Ecclesiam contemnendo, & debitam præpositis obedientiam denegando, quam synodus de re licita canonem non expedientem condendo. At facere debemus, inquies, quod expedit, & quod ædificat, & omittere illud quod non expedit, & quod non ædificat, etiamsi fit alioqui licitum, 1 Corinth 10: 23. Jam respondi; ex ista regula Apostolica sequitur synodum debuisse aliter decernere, si expediebat ut aliter decerneret, & indidem sequitur te synodi decreto in casu memorato obedientiam debere: nam in omnibus licitis Ecclesiam reverenter atque obedienter audire expedit, atque ædificat: turbas autem ac schismata pro rebus talibus concitare non expedit, non ædificat; sed ædificationi, & ordini, & paci, & decoro contrarium est. Hæc in Thesi.

Tres classes justarum rationum decreti Perthensis, quæ ejus æquitatem & expedientiam demonstrant. Prima rationum classis ab intuitu Regis articulos proponentis.

III. Secundò accedo ad hypothesin. Et aio non defuisse Ecclesiæ *SCOTICANÆ* justas & idoneas causas condendi illos Canones, in Synodo *Perthensi*, de quinque Articulis, ab augustæ memoriæ JACOBO Rege propositis, & quidem ejus momenti rationes, quæ omnibus illis incommodis, quæ mutationem sequnta sunt, longè præponderent: sive Regem proponentem, sive res ipsas propositas, sive Ecclesiæ hujus, cui propositæ sunt, fidem, & decus, & libertatem intueamur.

IV. Rex nobis erat, omnium, quos Sol unquam adspexit, principum Christianorum, veri purique Christianismi callentissimus & studiosissimus, reformatæ religionis adeoque verè Apostolicæ & Catholicæ fidei longè lateque propagator diligentissimus, ac defensor constantissimus, per innumeras tentationes, crebrasque insidias coronæ vitæque ipsius ab infensissimis hostibus structas, patriæ suæ pater amantissimus, quo prudenter per DEI gratiam procurante, & fœliciter regnante, federunt cives nostri, unusquisque quasi sub sicu sua, & sub vite sua, laudantes DOMINUM DEUM de tam beata & religiosa tranquillitate. In exteris quoque nationibus reformatæ Ecclesiæ de tam pio prudentique nutricio nobis & ipsis cœlesti munere concesso, vehementer gaudebant; eumque ut Angelum DEI læte complectebantur. Nam ad eas quoque piam suam solicitudinem & opem extendebat. Ipsi inimici eum admirabantur attoniti. Huc præcipuè omnem suam curam, omnia sua consilia conferebat, ut religio incorrupta, & in pace semper floreret. Decorem domus DEI toto pectore dilexit: & sedulò operam dedit, ut in Ecclesiis omnia congruenter scripto DEI verbo, decenter & ordine & ad ædificationem peragerentur. Pacificus erat, &, quod in maximis principum encomiis ponitur, erat omnium mortalium (illæsa justitia) clementissimus, adeo ut nostratium hominum importuna morositate, (ne quid gravius dicam) contra quam oportuit, sæpe provocatus, maluerit ultro ignoscere, quam agnoscere, & suorum infirmitates paterna commiseratione dissimulare, & lenitate ac longanimitate eas, si fieri posset, sanare, quam judiciaria severitate compescere. Quamvis justus dolor, & nimium læsa patientia

Regis JACOBI vera descriptio.

Proverb. 20:28.

nonnunquam voces illi queribundas expressefrit.

Rationes in Epistola Regis proposita.

V. Hic erat ille Rex, qui nostris hominibus, subditis suis, Articulos illos quinque proposuit, idque non mero imperio, sed gravissimis utens rationibus, quas Regia sua ad *Perthenses* patres epistola complexus est. *Una erat*, Rex erat, quo jure igitur subditi ei licita, imo ad pietatem 1.
utilia, & convenientia postulanti possent obedientiam negare, sine manifesto contemptu ordinationis divinæ. *Alia erat:* res ipsæ propositæ non solum licitæ, sed & irrefragabiliter convenientes & utiles sunt ad promovendam in Ecclesia nostra pietatem & religionem, adeo ut 2.
Pastores Ecclesiasticos decuerit ea exposcere potiùs, quam impedire. 3. Eas olim passus erat Rex à nostratibus ministris indignissimas contu- 3.
melias, quæ cujuslibet principis animum ab ipsa professione & religione nostra alienissimum reddidissent, nisi DEI & veritatis amor ipsum per DEI gratiam sustinuisset: hæc ipsius patientia, & veritatis adversus infensissimos hostes, per multa pericula, constans defensio, meliores à parte nostra fructus elicuisse debebant, quam contumacem resistentiam, & perpetuam oppugnationem optimorum ipsius consiliorum. 4. Dent igitur operam ne ulterius irri- 4.
tetur, id quod ipse Rex optat. 5. Caveant etiam 5.
ne illa divina veritas, quam ipsi profitentur, de obedientia exhibenda principatibus ac potestatibus, diutius negligatur, & contumeliis exponatur per quorundam insaniam, qui sub speciosa fucatæ sanctimoniæ larva inordinatè incedunt; se in hoc suo magistratus contemptu & obedientia, veluti junctis dextris, associantes eis qui primarii sunt papismi sufflaminatores. 6. Etiam- 6.
si Rex ipse ratione officii sui regalis, ad quod à DEO vocatus est, potestatem habeat etiam non exspectato consensu synodi nationalis, disponendi res externas in Ecclesia, easque subditis injungendi, prout eas judicaverit convenientes & utiles ad promovendum inter subditos suos veram religionem; maluit tamen Rex experiri viam synodicam ut communi consensu omnia procederent, id quod Regi exoptatissimum. 7. Laicorum animis contra postulatum obse- 7.
quium nullus inhæret scrupulus, nisi is sit à ministris Ecclesiasticis, contra quam oportuit, fugestus, aut fotus; ideo prorsus inanis est quorundam ministrorum prætextus, quem afferunt, de non scandalizandis laicis. 8. Sicut nos (in- 8.
quit Rex JACOBUS) charitate & solicitudine nunquam vobis defuimus, ita ex animo cupimus, ut vos quoque, in præstando tam justis nostris postulatis humili obsequio, non inferiores inveniamini aliis nostris subditis in quolibet regnorum nostrorum. 9. Zelum autem domus 9.
DEI, & sincerum promovendæ & propagandæ pietatis & veritatis studium, fuisse ei præcipuum ad horum articulorum prosequutionem incitamentum, Rex JACOBUS DEUM testatur. 10. Deinde hortatur patres synodicos, & seriis precibus *DEUM* supplex orat Rex, ut ipsi quoque zelo domus *DEI*, & sincero promovendæ ac propagandæ pietatis & veritatis studio ducantur, utque ea faciant quæ ad promovendum CHRISTI Evangelium maximè conducant.

Rationes à D. Junio sacellano Regio proposita.

VI. Hæ sunt præcipuæ rationes quæ in regiis literis inveniuntur. In fine autem illius epistolæ monet mandatis Regiæ suæ majestatis instructum venire Decanum *Wintoniensem*, ipsius Regis missu, ideoque jubet fidem ei adhiberi. Idcirco & illæ rationes hic adjungendæ videntur,

tur, quas memoratus Decanus in suo ad Synodum alloquio in medium attulit. 1. Unica quidem vera & optima, omnibusque seculis usitata, ad extirpandum errores & hæreses, & ad elucidandam veritatem, ordinemque in Ecclesia constituendum, via est synodica; at serio orandum, & vigilandum, ut Spiritus sancti ductu Synodus sapienter se gerat. 2. Meminisse debent patres Synodici se subjectionem debere principatibus & potestatibus, eisque morigeros esse debere, & promptos ad omne opus bonum. (Tit. 3.) Dent igitur operam, ne, per quorundam turbatorum animositatem, patiantur hac fœda macula contaminari Ecclesiam nostram, ac si Magistratus authoritatem defugeremus, atque in hoc cum Papatus columnis conspiraremus. 3. Cavendum ne religiosissimo Regi hanc inferant ignominiam, ut ejus authoritatem & piam prudentiam ad componendas tum civiles tum Ecclesiasticas dissensiones, ab omnibus aliis ejus subditis, & ab omnium etiam exterarum gentium Christianis Catholicis tantopere expetitam, honoratam, & admirationi habitam, *SCOTI* nativi ejus subditi contemnere videantur; præsertim verò Ministri Evangelii, qui aliis piæ obedientiæ exemplo anteire debent. 4. Illud etiam cavendum, ne sapientissimo Regi suo veræ Religionis constantissimo & sincerissimo defensori, Patriæ suæ Patri amantissimo, eam maculam aspergere videantur, quasi subditos suos ad superstitionem aut idololatriam adigere conetur, eo quod postulet ut DEO humiliter genua flectant, in præstando illo maximo devotionis actu: atque ita hostibus veritatis, & propter veritatem Regis hostibus ansam præbeant calumniandi & blasphemandi. Diligenter igitur devitent hoc periculosum, notorium, & latè patens scandalum. 5. Aliud etiam scandalum amoliendum, quo offenderunt alias reformatas & florentes Ecclesias, per argumenta illa propter quæ articulos propositos nondum admisisse visi sunt. 6. Verendum etiam atque etiam, quo exeat patientia Regis sapientissimi tam sæpe læsa; & cavendum, ne cœca sua obstinatione iram DEI provocent contra hanc Ecclesiam, ac justo DEI judicio asperiora subire cogantur imperia, si jam fœlix hoc visitationis suæ tempus agnoscere neglexerint, & longanimitatem immensamque benignitatem DEI, & tam benigni elementisque Principis contemnant. 7. Neque est quòd jam prætendant metum offensionis quorundam de populo *SCOTICO*; nam præterquam quod tali timori longè præponderare debeant argumenta superius allata, & pastorum sit oves suas in rectam viam ducere, non ab ovibus de recta via abduci; istius etiam timoris nulla jam haud dubiè causa superest, si Pastores, ut decuit, greges suos de harum rerum natura & mutabilitate, & de quæstionis præsenti statu, sapienter ac fideliter informarunt; id quod se facturos tum Regi coram promiserunt; tum etiam postea in nationali Synodo *SANCT-ANDREANA* id ipsum sanxerunt. 8. Denique sicut *Naamanis* servi Hero suo dixerunt, sic Pastores nostrates cogitent, si optimus Princeps noster majora istis exigeret, quamdiu cum DEI revelata voluntate consisterent, eique nullatenus repugnarent, (alioqui certè juxta regulam Apostolicam, oportet parere potius DEO quam hominibus) annon & ipsi se ad obediendum paratissimos exhiberent, & alios ad promptum obsequium præstandum sua doctrina & exemplo adducerent? Multo magis igitur, quando postulat ab illis pauca hæc necessaria, & expedientia ad gloriam DEI, ad promotionem pietatis inter *SCOTOS*, & ad hoc ut, debiti honoris exhibitione, Principi suo non iniqua postulanti satisfaciant, ad hoc denique ut in Ecclesiis nostris Ordo, Pax, Unitas, Charitas, fœliciter sanciantur. Hæc sunt præcipua argumenta, quæ à sacellano Regio allata sunt.

VII. En tibi Regiam Majestatem non solum Gladii gestamine splendidè decoratam, sed etiam rationum mupimine valide armatam, ac denso argumentorum agmine stipatam, cujus intuitu Patres Synodicos decuit suscipere illos quinque Articulos, quia nihil erat quod ex adverso opponerent, nisi cui tantæ ac talis Majestatis intuitus, in tali negotio apud æquos rerum æstimatores immensum præponderat. *Ratio invincibilis.*

VIII. Palmaria illa objectio, de offensione imperitorum, tum à Rege, (rat. 7.) tum à Decano, (rat. 7.) occupata & evacuata est. Certè ista offensio alio convenientiori modo devitari potuit, ac debuit, quam per multorum graviorum scandalorum inevitabilem dationem. Nulli de plebe horum Articulorum susceptione offenderentur, si Pastores facerent officium, & erroneas persuasiones imperitorum animis non inferrent, neque foverent, sed veraci prædicatione greges suos, & de rerum istarum natura, & de Ecclesiastica ac Regali authoritate, & de privatorum subditorumque officio, ac necessario obsequio, & de scelere rebellionis, contumaciæ, & Schismatis, ex sacro DEI Verbo, sincerè ac serio edocerent. Hæc ita esse, & Schismatis hujus culpam penes quosdam immorigeros Ministros residere, neque quemquam de populo offendi nisi ipsorum vitio, clarissimè testatur quotidiana experientia, & res ipsa clamat. Neque prætendant quicquam resistentes laici, nisi *vel* persuasionem quandam de rebus ipsis; quasi in se illicitis ac Legi DEI contrariis, adeoque simpliciter abominandis; & quod priorem consuetudinem mutare sit prorsus nefarium, neque Ecclesiæ licitum; quæ persuasio prorsus erronea, & sacris Scripturis manifestè contraria est: quam oportuit Pastores eximere eorum animis, non inserere: *vel* quorundam Pastorum (qui ipsis pii doctique videntur) confidentem contradictionem & inobedientiam. *De palmaria resistentium objectione, sumpta ab offensione imperitorum.* *Vide lib. 2. capp. 5. & 6. Vide etiam Euseb. Hist. Eccles. lib. 7. καθ. κδ. cap. 19.*

IX. Sed ut hanc partem de intuitu Regis proponentis claudam, necesse est vel argumenta superius allata ostendas esse inania, solideque refellas, (quod frustra tentabis) vel mecum ingenuè fateris, venerandam Synodum PERTHENSEM, intuitu Regis proponentis, habuisse justas & idoneas caussas admittendi illos articulos à Rege propositos.

CAPUT VI.

De jure & authoritate Nationalis illius Synodi Ecclesiæ SCOTICANÆ, quæ PERTHI celebrata est Anno DOMINI 1618. mense Augusto.

Probatur legitimè congregatam esse, & legitimè processisse Synodum PERTHENSEM, *§. 1. Respondetur convicio, §. 2. Asseritur Synodi authoritas, §. 3. Objectio, quod etiam legitima Synodus errare possit, §. 4. Ad eandem responsio, §. 5. Hortatio ad pios, §. 6. Hypomnema. §. 7.*

I. ANTEQUAM vero ad rerum propositarum considerationem progrediar, mihi veluti manum injicit ipsa Synodus, di-

dicunt nonnulli non fuisse eam legitimam Synodum. Quid, obsecro, ad constituendum, quoad externa, legitimam seu regularem Synodum necessarium defuit huic Synodo, quæ religiosissimi Principis, & totius nationalis Ecclesiæ consensu, & authoritate convocata, atque in Nomine DOMINI legitimè congregata est? Cujus convocationis, & congregationis hæc præcipua causa, hic finis fuit, ut propositioni Regiæ, de suscipiendis illis quinque Articulis, responsum, Verbo DEI congruentissimum, & Ecclesiæ *SCOTICANÆ*, pro tempore, convenientissimum, sincerè, coram DEO, & Synodicè redderent. Hunc in finem, post supplicationes, & conciones sacras de more habitas, audita est Regis propositio cum adjunctis, tum in Regis Epistola, tum in Decani *Wintoniensis* Exhortatione, rationibus: de ea seriò ac sincere deliberatum, auditis hinc inde argumentis, & bis terve relectis Regiis literis, quo clarius certiusque de statu quæstionis, & argumentorum utrinque allatorum pondere, aut levitate, facta diligenti collatione, omnibus constare posset. Ac tandem potioribus suffragiis definitum est articulos à Rege propositos admittendos esse.

II. Quidam contradicentium, in his angustiis depræhensi, ad convicia se convertunt, & inconcessa quadam via elabi conantur: Dicunt enim multos terrore, aut pollicitationibus victos contra propriam conscientiam suffragia dixisse. Atque ita, dum amorem contradicendi sequuntur, à quæstionum lineis exciderunt; more quorundam loquacium, qui cùm disputare nesciant, tamen ligitare non desinunt; sicut loquitur *Hieronymus*, in Dialogo adversus *Luciferianos*. Respondeat istis hominibus Apostolus *Paulus*, Tu quis es, qui condemnas alienum famulum? Rom. 14: 4. Unusquisque nostrum de seipso rationem reddet DEO; ne amplius igitur alius de alio judicemus, vers. 12, 13. Audiant Dominum dicentem, Ne judicetis, ut ne judicemini, Matth. 7: 1. Audiant rursum Apostolum PAULUM; Ne ante tempus quicquam judicetis, 1 Corinth. 4: 5. & JACOBUM Apostolum; Ne alii aliis detrahite Fratres, Jacob. 4: 11. Tu quis es, qui judicas proximum? Vers. 12. Quis istos homines constituit cordium scrutatores, & conscientiarum judices? Tu vide quid Patres Synodici decreverint; internum autem animi sensum DEO pervestigandum & judicandum relinque cordium scrutatori.

III. Legitimè autem congregatam esse, & legitimè processisse Synodum quoad externa, agnoverunt cum Principe omnes Regni Ordines, in solenni illo & supremo Ordinum conventu, sive Parlamento, habito Edinburgi, anno Dom. 1621. mense Augusto. ubi ex omnium Regni Ordinum consensu suscepta sunt decreta Synodi Perthensis de quinque articulis, tanquam pia & salubria & legitimè à legitima Nationali Synodo condita: & lex civilis lata est, imperans omnibus subditis ut his Synodi decretis promptam obedientiam exhibeant: & hoc ad authoritatem sufficit, & obedientiæ necessitatem; nisi justam invenias exceptionem in rebus ipsis quæ decretæ sunt.

IV. Certè, inquies, Synodus etiam, quoad externa, regularis & legitima potest iniquum aliquid præscribere, propterea non absolutè obligant talis Synodi decreta.

V. Respondeo: Possibile est quidem, ut talis Synodus aliquid injustum præscribat: at verò in tali casu non datur justa exceptio adversus ejus regularitatem, ac si non esset legitima Synodus, sed tantum adversus iniquitatem postulati obsequii, quia quando homines jubent nos facere quod DEUS nos facere prohibet, oportet parere DEO potius quam hominibus; etiamsi alioqui subjectionem illis hominibus in omnibus debeamus. At nihil istiusmodi injunctum nobis decreto Synodi PERTHENSIS, sed è contrario eam rectè judicasse, justasque & idoneas judicii sui rationes habuisse, partim ex superioribus liquet, partim ex iis quæ subjiciam, palam fiet.

Obedientia regula perpetua.

VI. Rogo, interea, æquos rerum æstimatores, pia & mansueta pectora, veros CHRISTI Discipulos, id est, veritatis & pacis nobis à CHRISTO tantopere commendatæ verè amantes, ut seriò, coram DEO, cogitent, num post solennem Ecclesiæ & Reipublicæ consensum, jam deceat ullum subditum, præsertim verò Evangelii Ministrum, ulteriùs contradicere: &, ingeniosa ad seipsum decipiendum perversitate, frivolas quærere aut comminisci, aut aliunde suggestas arripere exceptiunculas: quibus fretus suam & aliorum quietem violet, Ecclesiæ pacem turbet, ejus unitatem rumpat, civium animos ad Schisma solicitet, DEI ordinationi resistat, Ecclesiam DEI audire recuset, piorum animos contristet, erroneam doctrinam invehat, omnes reformatas Ecclesias scandalizet, Papistis risum moveat. Dum in rebus ipsis à Synodo PERTHENSI decretis nihil ostendere potest, quod vel sacris Literis, vel Catholicæ Antiquitati, vel Reformatarum Ecclesiarum doctrinæ, vel rectæ rationi repugnet: vel quod hisce omnibus non sit consentaneum.

Vide Aug. lib. 1. contra epist. Parmeniani, cap. 6. & lib. 3. cap. 4. & lib. 3. contra Cresconium, capp. 61. & 62.

Hypomnema de Synodo Perthensi, ejusdemque approbatione Parlamentaria.

VII. *Quæ hoc capite, & alibi in hoc Irenico dicuntur de Synodo illa Perthensi, & sequuta ejusdem corroboratione Parlamentaria, pertinent ad illud tempus quo primum scriptum est hoc opusculum, quando Constitutiones illæ, Ecclesiastica & civilis, de quinque illis articulis palam obtinebant, nondum abrogatæ vel rescissæ: quod postea autoritate publica, Synodica & Parlamentaria factum est. Propterea fateor, neminem nunc prioribus illis constitutionibus teneri. Concilia enim Ecclesiastica posteriora prioribus præponuntur, sicut ex Augustino monui, lib.* 10. *Instruct Historico-Theolog. cap.* 3. §. 34. *Et de Civilibus Constitutionibus dicitur in jure, Αἱ μεταγενέςεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν. Constitutiones tempore posteriores potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt.* ff. de Constit. Principum. Lege 4.

Ann. Dom. 1628.

Nunc anno 1646.

CAPUT VII.

Synodum rerum ipsarum intuitu rectè judicasse, §. 1. Id ostenditur inductione & consideratione ipsorum quinque Articulorum, videlicet Geniculationis, §. 2, 3. Dierum Festorum, §. 4. Catechetica educationis, & Benedictionis Puerorum, cum impositione manuum, §. 5. (Respondetur objectioni de Papistico abusu, §. 6.) Baptismi in privatis locis, §. 7. Communionis clinicorum & vinctorum, §. 8. Conclusio, §. 9.

I. DIXI de intuitu Regis proponentis: accedo ad res ipsas propositas: & ajo etiam earum intuitu Synodum rectè judicasse.

Synodum ipsarum rerum intuitu rectè judicasse.

ſe. Nam res ſunt omnes qnidem licitæ, & Eccleſiæ noſtræ convenientes, quædam autem etiam neceſſariæ. Id quod ex ipſorum articulorum inductione & brevi conſideratione patebit.

I. DE GENICULATIONE.

II. Ipſa Cœnæ Dominicæ debita participatio eſt commemorativa mortis DOMINI, ſicut patet ex ipſius DOMINI & PAULI verbis: & hæc participatio commemorativa, ſeu commemoratio participativa, eſt indivulsè atque intrinſecè Euchariſtica, non enim ingrata aut ſtupida eſt commemoratio. Hinc Euchariſtiæ nomen huic competit Sacramento. [*Καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριςία.* Id eſt, hoc autem alimentum appellatur apud nos EUCHARISTIA, inquit *Juſtinus Martyr*, in Apologia ſecunda, prope finem.] Eſt etiam hæc actio precatoria. Quid enim? Dum accipis è manu Paſtoris elementum, audiens illa verba, *Accipite, edite, bibite; hoc eſt Corpus meum; hic eſt Sanguis meus: hoc facite in mei memoriam*: quæ verba à te expoſcunt ut cum fide & grata *CHRISTI* recordatione hoc facias, an non in hanc ſententiam reſpondet, (certè reſpondere debet) cor tuum Domino? Domine credo hoc eſſe corpus tuum, pro me fractum; hunc eſſe ſanguinem tuum, pro me fuſum; habita Domine in corde meo; credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ; gloria tibi Domine; O quanta charitas tua Domine Deus ſalutis meæ! quo pertinet illa veteribus uſitata exhortatio, *Surſum corda.* quam Cyprianus applicat ad officium precantium, & Auguſtinus ad officium gratias agentium. Jam autem omnis actio in cultu publico, ad Deum proſphonetica & euchariſtica, eſt adorativa Dei, eſtque pars religioſi illius cultus qui ſoli Deo debetur: nemo igitur ritè participat Sacramentum Cœnæ Dominicæ, niſi, dum participat, adoret Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, adeoque indiviſam ſanctiſſimam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Vides, quanta & quam circumſpecta devotio in hujus ſacræ Cœnæ participatione ſit neceſſaria, cui geſtus quantò humilior, tanto erit convenientior: nempe prout populi excitandi ingenium, & requiſitæ devotionis laudabilis ardor, & Eccleſiæ publicus ordo, & adminiſtrationis commoditas, aliæque circumſtantiæ poſtulabunt, vel admittent. Quocunque autem exteriori utantur corporis geſtu fideles communicantes, mortem tamen Domini annunciant cum gratiarum actione & ſupplicatione, atque adeo cum adoratione, ſaltem quoad interiorem hominem, imò etiam cum exteriore ejuſdem profeſſione, juxta morem in Eccleſia illa receptum, in qua cultum hunc exercent. Ideo de hoc Sacramento rectè dici poteſt, quod legitur apud *Nicolaum Cabaſilam*, in Expoſitione Liturgiæ, cap. 52. *καὶ χαριςήριός ἐςιν ἡ τελετὴ, καὶ ἱκέσιος*: id eſt, tum Euchariſticum eſt hoc Sacramentum, tum ſupplicatorium.

EUCHARISTIA.

Vide Ambroſ. lib. 4. De Sacramentis, cap. 5. & Chryſoſt. liturg.

Surſum corda. Cyprian. lib. De Oratione Dom. Aug. lib. de bono viduitatis, cap. 16.

Vide Inſtruct. Hiſt. lib. 11. cap. 8. §. 19. & cap. 20. §. 21. & ſeqq.

Neceſſaria eſt adoratio Chriſti, in ipſa participatione ſacræ Cœnæ.

Vide lib. 2. cap. 4. num. 9. & cap. 16. part. 4. num. 1: 8. 9.

III. Scis quid opponatur, videlicet, non licere geniculari in participatione ſacræ Cœnæ, eo quod geſtus hic ſit adorativus, non enim licere adorare. At hoc poſterius falſum eſt: imò oportet adorare: cum igitur actio hæc ſit publici cultus pars, & publicè adorativa, ſicut oſtendimus, ſitque ea auſcultationis in hac celebratione brevitas, (*non ſic in Concionibus*) & corporalis refectionis parcitas, (*non ſic in Paſchate*) ac timoratæ devotionis, & devotæ gratiarum actionis neceſſitas, geſtuſque adorativi ea ſit commoditas, ut neque attentionem in hac actione turbet, neque miniſtrationem epulationemve impediat, ſed attentionem, devotionemque neceſſariam adjuvet, & acuat, & gravitati talis actionis bene conveniat, neque corporis valetudini officiat; certè licet uti in hac actione geſtu aliquo adorativo. Eſt autem Geniculatio geſtus adorativus in ſacris literis commendatus tanquam adorationi admodum conveniens, licet non ſemper neceſſarius. Hunc populi noſtri tepor & torpor fortaſſe pro tempore poſtulabat. Si qui autem ſint ferventiores, eis proderit non cohiberi devotionis ardorem, ſed concedi ut externa hac humiliatione zelus ipſorum ſe liberius exerat, & quaſi ex anguſtiis ſeſe dilatet. Præterea conveniens hoc tempore erat apud Scotos, ut conſueti geſtus mutatione, & hujus geſtus approbatione, animi imperitorum erudirentur, & ipſorum conſcientiis libertas, *CHRISTI* ſanguine parta, aſſereretur, & docerentur non abhorrere à communione aliarum reformatarum Eccleſiarum, in quibus aut ſtatio, aut geniculatio, aut tranſitio uſurpatur; ſed ut ſcirent ſe bona conſcientia poſſe cum eis communicare, neque propter geſtus diverſitatem, quippe rem indifferentem, abſtinendum eſſe ab earum communione. Rectè monet Epiſcopus *Brechinenſis* geſtum eſſe adorativum, quod aperto capite in Cœna Dominica ſedeant convivæ: quem tamen geſtum nemo fratrum geniculationi contradicentium audet contemnere, aut negligere. Ipſa etiam ſeſſio quandoque eſt geſtus adorantis, ut patet ex Davidis ſeſſione coram Domino. 2 Sam. 7: 18. Et autor Diſputationis contra Anglo-pap. cærem. affirmat, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum uno eodemque ſervato corporis geſtu ſeu ſitu, panem accepiſſe, & gratias egiſſe, & fregiſſe, & Diſcipulis dediſſe, in prima Sacramenti hujus celebratione. Unde conſequens eſt, Dominum ejuſque Apoſtolos, eodem uſos eſſe geſtu orantes, atque communicantes ſeu Sacramentum hoc ſumentes. Ex eis etiam, quæ jam diximus, patet non eſſe idoneam illam quorundam objectiunculam contra Geniculationem, quam ajunt non eſſe geſtum Menſalem, ſeu Menſæ convenientem. Nam ad hanc actionem geſtus hic eſt Menſalis, id eſt, huic Menſæ bene conveniens, ſicut oſtenſum eſt: neque neceſſe eſt eundem eſſe in hac Menſa geſtum, qui in Menſis adhibetur ſecularibus. Nam hujus convivii ab illis longe diverſa ratio eſt. Vide cap. 1. §. 7. & lib. 2. cap. 16. Part. 4. Num. 1.

Geſtus adorativus conveniens eſt celebrationi ſacræ Cœnæ, quia neceſſaria eſt adoratio.

Vide lib. 2. cap. 16. part. 4. num. 8.

Alia mutationis ratio, libertas conſcientiarum, & pax Eccleſiarum.

Apertio capitis geſtus adorativus.

Diſp. part. 4. cap. 6. ſect. 1.

Geſtus menſalis.

II. De diebus Feſtis. Vide lib. 2. cap. 18.

IV. Illa autem inſigniter excellentia, & nunquam obliviſcenda DEI beneficia, nobis per CHRISTI nativitatem, & paſſionem, & reſurrectionem, & aſcenſionem, & Spiritus ſancti miſſionem collata, ſolenni commemoratione, ſtatis diebus, anniverſariè in noſtra Eccleſia celebrari conveniebat. 1. Quia id jam olim, ab ultima veterum Patrum memoria, toto terrarum orbe laudabiliter obſervavit univerſa, quacunque ſe diffundebat, Eccleſia. 2. Quia horum quinque Capitum anniverſaria & accuratior ex profeſſo tractatio, & recurrens meditatio, eſt veluti quædam anniverſaria Catecheſeos Chriſtianæ inculcatio, populo noſtro ipſique clero admodum fructuoſa: Nam etſi ea utiliter quovis tempore commemorari poſſunt, conſtitutio tamen certi temporis neceſſitatem imponit negligentioribus, & uniformitatem in Eccleſiis cuſtodit, & populum facit ad diſcendum paratiorem: neque impedit quo minus aliis etiam temporibus commemorationes fiant. Quemadmodum aſſiduæ precationis officium non

Ratio 1.

2.

non impediunt, sed adjuvant stata precandi tempora laudabiliter, & fructuosè in Ecclesiis
3. constituta. 3. Non repugnat sacra Scriptura, quæ Christianis prohibet dierum & temporum observationem *Judaicam & Ethnicam*, sed non prohibet stata eligere tempora, quibus Christiani divina beneficia gratis animis & linguis opportunè & fructuosè commemorent: nulla hîc est superstitio, neque ἐθελοθρησκεία, quia non mysticam aliquam sanctitatem diebus affingimus, sed salubri disciplina certos dies eligimus, quibus sanctissima mysteria anniversaria celebratione recolamus. Ipsa quidem recordatione, & gratiarum actione *DEUS* colitur, at certi diei designatio non est de cultu *DEI*, sed ad Ecclesiasticam εὐταξίαν, & ad disciplinæ commoditatem pertinet.

Paulin. Nolan. Natali 9. Felicis.

[illegible] *Ut pigra diurnis.*
Ingenia obsequiis, saltem discrimine facto;
Post intervallum reduci sollennia voto
Sancta libenter agant, residesque per annua mentes
Festa parent Domino; quia jugiter intemeratos
Justitiæ servire piget.

Hieronym. comm. in cap. 4. epist. ad Galatas.

Quo pertinet illud Hieronymi; *Ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior sit dies illa qua convenimus: sed quo, quacunque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo, lætitia major oriatur.* Et illud Augustini; *Non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus.* Nec solum Judaicæ, sed & Ethnicæ dierum observationi verba Apostoli opponit *Ambrosius*, inquiens; *Est mihi adversus plerosque vestrum, fratres, querela non modica, de his loquor, qui nobiscum natalem Domini celebrantes, gentilium se feriis dediderunt.* —— *Inde est quod ait Apostolus; Dies observatis, & menses, & tempora, & annos: timeo, ne sine causa laboraverim in vobis.* —— *Non solùm autem gentilium, sed & Judæorum consortia vitare debemus.* 4. Eædem anniversariæ celebrationes ab aliis reformatis Ecclesiis ferè omnibus diligenter custodiuntur. 5. Etiamsi non certo constet, quo mense, & quo mensis die natus sit *CHRISTUS*, certum est tamen eum quodam certo die cujusdam mensis quotannis recurrente natum esse. De reliquis Capitibus noti sunt ipsi dies. Nos autem non celebramus divina illa beneficia propter dies, sed propter beneficia addicimus nos anniversariæ eorum meditationi & gratæ solennique commemorationi certis quibusdam diebus. Stultum verò fortasse ac superciliosum, vel etiam superstitiosum videri posset, indelectu dierum, totius antiquitatis, & omnium reformatarum Ecclesiarum has solennitates custodientium constantem unanimemque consensum, neque veritati, neque pietati repugnantem, contemnere: ex nescio qua singularitatis prurigine, & singulari quadam sapientia alios potius dies deligere.

Aug. contra Adimantum Manich. cap. 16. Ambros. Serm. 11. De Tempore. Gal. 4: 10, 11. Vide Origenem, lib. 8. contra Celsum & Aug. lib. 10. De Civit. Dei. cap. 4. Et Enchirid. cap. 79. & epist. 119. cap. 7.

Respondetur ad puerilem quandam objectiunculam. Vide lib. 2. cap. 18. num. XI.

III. De puerorum Catechetica educatione, & benedictione, ab ipsis Apostolis instituta.

V. Puerorum Catechetica educatio, eorumque benedictio cum impositione manuum, non solùm ab Ecclesia primitiva posteriorum temporum usurpata est, sed etiam ab ipsis Apostolis approbata, & instituta. Propterea ut intelligerent pueri & rudiores, quis esset impositionis manuum usus, & in quem finem adhiberetur, inserta est reliquis Catecheticis capitulis etiam hujus capituli brevis explicatio in ordinaria Catechesi pueris & rudioribus tradi solita. Cujus summa capita recenset Apostolus, ad Hebr. cap. 6. ut exemplar habeant etiam posteri, ad quod Catecheticas suas summulas conforment. Neque enim vel extraordinarium quippiam ordinariæ Catechesi, vel eam manuum impositionem, quæ in Pastorum ordinatione adhibebatur, rudimentis illis Catecheticis Apostolum inseruisse verisimile videtur. Et illo loco ordinariam atque in Ecclesia mansuram manuum impositionem intelligi, confirmat etiam constans primitivæ Ecclesiæ praxis.

Vide lib. 2. cap. 17.

VI. Objicitur, Papistas abusos esse hoc ritu, transformando eum in Sacramentum. Respondeo; Tollatur abusus, & restituatur legitimus usus. Neque enim aut Matrimonium, aut Pœnitentia rejicienda est, quia ex illis Papistæ fecerunt Sacramenta. Certè quæ sunt divinitus instituta, non sunt propter supervenientem abusum abjicienda, sed repurganda: loquor de iis quorum in ordinario cultu usus est perpetuus, & quæ ad hunc usum sunt instituta: ne quis æneum nobis objiciat serpentem. Papistæ recitatione Orationis Dominicæ abusi sunt in invocatione Sanctorum, & in superstitiosa battologia: abusi sunt Cœna Domini, eam transformando in Idololatricam actionem: abusi sunt usu clavium: & sortilegi ac lamiæ in suis incantationibus abutuntur Nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITUS sancti: neque tamen ab istis licet Christianis abstinere. Præterea neque res mediæ ab hominibus prudenter introductæ propter sequentem abusum semper tollendæ sunt. Abusi sunt Papistæ Templis, & Oratoriis, & Cathedris, & sacris Vasis, & Campanis, & benedictione Matrimoniali: nec tamen propterea res istas censuerunt prudentes Reformatores abjiciendas, sed exploso abusu res ipsas retinuerunt: quamvis indifferens sit uti hoc vel illo loco, in quo templum habeas aut oratorium, item his aut aliis uti vasis & campanis, sitque benedictio Matrimonialis per laudabilem Ecclesiæ consuetudinem introducta, nec de ea per Pastorem perficienda quicquam in sacris literis præcipiatur. Quare invalidum est argumentandi genus à rei abusu ad necessariam rei ipsius abjectionem. Nam etiamsi quædam res nonnunquam aboleri, aut aliquamdiu intermitti possint, vel debeant propter abusum; hoc tamen neque in perpetuum, neque de omnibus est necesse, & de quibusdam non licet.

An res sit tollenda propter abusum.

Vide Petri Martyris epist. ad Joannem Hopperum, Episcopum Glocestriensem. Col. 1087. Vide cap. 10. §. 6. Vide lib. 2. cap. 4. & 7. & 8. & 17. Vide Judic. 6: 26.

VII. Dixit Dominus Discipulis, *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quæ præcepi vobis.* Matth. 28. Ergo ubicunque licet docere, ibidem & baptizare; nempe in casu necessitatis: fatemur enim Sacramentorum administrationem conjungendam esse cum doctrina publica, aut cum ea doctrina quæ sit instar publicæ, id est, qua magis publica pro tempore haberi non potest; idcirco Eunuchum *Ethiopem Philippus* Evangelista in itinere baptizavit, nullo præsente majore cœtu credentium, quantum colligere possumus ex sancti *Lucæ* narratione, Act. 8. Et *Paulus & Silas* commentariensem *Philippis* baptizarunt cum suis, in privata ipsius domo. Nam etiamsi ordinis, ac decori necessitas postulet publicam Sacramentorum administrationem in cœtu publico, ubi commodè haberi potest, non tamen licet Pastoribus denegare Sacramenta fidelibus, aut fidelium liberis, quorum ea est infirmitas, aut conditio, ut, vel propter morbum, vel incarcerationem & vincula, ad locum publici conventus venire nequeant. In hoc casu incumbit pastori necessitas exequendi illud præceptum, [*Ite, docete, baptizate*,] etiam erga clinicos illos, & vinctos, cum præcepto suo nullam exceptionem

VI. De administratione Baptismi in privatis locis. Vide lib. 2. cap. 15. Vide etiam Instruct. Historico-theolog. lib. 10. cap. 5. §. 10. &c.

addiderit Christus, neque per se, neque per suos Discipulos, sed tantummodo generales quasdam regulas decori, ordinis, &c. At valde decorum & ordinatum est visitare ægrotos ac vinctos, cisque necessaria ministrare. Jam si Deo gratum sit quod talibus præstatur officium etiam in aquæ frigidæ propinatione; quàm est Deo ingratum, & quam est crudele atque abominandum flagitium, ovibus Christi spiritualia pabula denegare; aut cuivis ex Christi familia demensum, ipsi à Domino destinatum, subtrahere? Teneris illum docere? eodem præcepto & teneris illum baptizare. Quam reddes Domino rationem de neglecta ovicula, & spreto ipsius mandato? Non sunt hæc ministeria aliquibus certis locis aut temporibus affixa, sed ubicunque sunt duo aut tres congregati in Nomine Domini, ibi ipse est in medio ipsorum, Matth. 18: 20. Et cavendum ne minimam ex Christi oviculis offendamus, aut contemnamus, Matth. 18. Gaudium existit in Cœlis de uno peccatore resipiscente, Luc. 15. Non est voluntas coram Patre nostro cœlesti ut pereat unus ex pusillis istis, Matth. 18: 14. Non hic alligamus Dei gratiam Sacramentis, sed ministros ostendimus suo alligatos esse officio, erga eos ad quos missi sunt, ut doceant, ac baptizent.

V. De administratione sacræ Cœnæ clinicis & vinctis. Vide lib. 2. cap. 16. part. 7.

VIII. Quæ diximus de Baptismo infirmorum aut vinctorum, eadem faciunt pro administranda eis sacra Cœna, cujus administratio non est ullo certo loco, aut certo communicantium numero circumscripta, sed quamvis annitendum sit, quoad ejus fieri potest, ut in publico populi Christiani cœtu peragatur, non est tamen quod hunc vitæ panem & potum esurientibus ac sitientibus clinicis & vinctis denegandum existimemus: est enim hæc pars illius demensi, quod Christus pater-familias illis suis domesticis distribuendum reliquit. Adsint modo ad lectum ægroti, aut in carcere cum vincto vel detento, duo aut tres in Nomine Domini congregati, ut in eo cœtu quantulocunque, ipso Christo præsente, mysteria celebrentur.

Justum Synodi decretum.

IX. Atque ita jam patet, justas fuisse & idoneas rationes, ex ipsarum rerum intuitu, propter quas Patres *Perthenses* articulos à Rege propositos, partim potuerunt, partim etiam admittere debuerunt. Nam in rebus illis quædam sunt necessariæ, omnes autem licitæ ac laudabiles: illæ sine peccato contemni non possunt; istæ licitè & laudabiliter admittuntur. Quo magis mirum est, fratrem quendam, in sua Disputatione, publici juris facta, omnes istos quinque articulos, quos ille controversas cæremonias vocat, explodere tanquam inutiles & prorsus illicitos, neque ullius unquam in Ecclesia legitimi prorsus usus capaces.

Disp. part. 3. cap. 2.

CAPUT VIII.

Judicii Synodici rationes justa ac idoneæ ex intuitu Ecclesiæ Scoticanæ, §. 1. *Prima ratio, à Fide data*, §. 2. *Altera, à decore Ecclesiæ*, §. 3. *Illatio contra inobsequentes*, §. 4. *De malo quod mutationem sequutum est, sive de Schismate*, §. 5. *Tertia ratio, à libertate Ecclesiæ*, §. 6.

Rationes ex intuitu Ecclesiæ Scoticanæ.

I. DENIQUE si Ecclesiæ hujus *SCOTICANÆ* fidem, decus, & libertatem intuearis, videbis articulos illos convenienter esse introductos.

Fides data.

II. Promiserant Regi Pastores se plebes suas de harum rerum natura diligenter informaturos, uti patet ex rationibus à Regis intuitu allatis, supra Cap. 5. §. 6. Rat. 7. Et Rex nihil subitò, nihil tumultuariè fieri percupiens, spatium illis ad id præstandum concessit; ut, præparatis, & veritatis lumine illustratis hominum animis, omnia suavius progrederentur. Hanc Fidem datam si liberassent omnes Pastores, non superesset jam offendiculi metus. Nam dociles facile intelligerent rerum propositarum convenientiam, & expedientiam: nec omittendæ erant propter contumaces, & indociles.

Decus.

III. Dedecorosum esset nostræ Ecclesiæ, res illas palam licitas, & maximam partem quodammodo necessarias, omnes certè nostræ Ecclesiæ hoc tempore expedientes, rejicere tanquam illicitas, & verbo DEI repugnantes, aut etiam tanquam incongruas, nulla alia reddita ratione, quam quod prius aliter consueverint: ac si consuetudo omnis Ecclesiastica esset immutabilis; nec ea esset in nostratibus rerum Theologicarum scientia, qua de rerum istiusmodi natura, & consuetudinis mutabilitate, & necessariorum à nonnecessariis distinctione dijudicare possent. Certè si res illas tanquam illicitas, & quas neque Ecclesia admittere, neque, præscribente Ecclesia, subditi suscipere possent, rejecisset Synodus, ludibrio habiti essemus inimicis, & amicos nostræ inscitiæ puderet ac tæderet. Si verò agnoscens Synodus res esse in se licitas, sola tuendæ consuetudinis pertinacia omnes memoratas rationes negligeret, procul dubio imprudentiæ notam non effugeret.

Vide lib. 2. cap. 8.

Illatio contra Schismaticos.

IV. Cum vero & sapienter & prudenter jam à Synodo res illæ decretæ sint, quomodo se à Schismatis crimine excusabunt ii subditi, præsertim Pastores, qui tum res ipsas damnant, tum Synodum audire negligunt?

De malo quod mutationem sequutum est, sive de Schismate.

V. His omnibus nihil opponis, nisi *malum mutationem sequens*: quo tamen allatæ rationes longè præponderant. Præterea, si ab eventu argumentandum sit, quamvis res adhuc in integro esset, admittendi potius essent articuli ex ipso eventus intuitu. Schisma quidem sequutum est: at quis hoc à fratribus expectare posset? Annon potius expectandum erat, ut, quamvis aliter pro tempore sentirent, judicium tamen suum in hoc rerum genere Synodicæ authoritati obsequenter submitterent? Quia DOMINUS jussit audire Ecclesiam, & quidem sub pœna ejectionis. Et jubentur spiritus Prophetarum subjecti esse Prophetis: Propheris, inquam, non sparsim sua placita in hoc vel illo angulo mussitantibus, sed Ecclesiasticè sive Synodicè in Nomine Domini congregatis, Matth. 18. & 1 Corinth. 14. Quia Deus noster non est confusionis Deus, sed Pacis, 1 Corinth. 14: 33. Malum ergo quando mutationem sequutum est, non per se ex decreto Synodico, aut vitio Patrum Synodicorum mutationem decernentium, sed per accidens, & ex quorundam inobedientia existit. Danda quidem est opera, ut, quoad ejus fieri poterit, ne per importunissimorum quidem importunitatem lacerari queat Ecclesia, & Schisma existere: at non semper quolibet medio præcavendum Schisma, neque illud damnandum est, ex quo per accidens, per aliorum duntaxat improbitatem, Schisma sequutum est. Propter Christi verba Schisma exstitit inter *Judæos*, Johan. 7: 43. & cap. 10: 19. Et Apostolus *Paulus* ait, necesse esse ut sint Schismata & Hæreses, 1 Cor. 11 Unicuique ergo curæ esse debet ut suum faciat officium,

Vide lib. 2. cap. 5. num. 6.

atque ita nec Schismatis, nec Hæreseos supervenientis reus erit. Facilius erat & conducibilius nostræ Ecclesiæ, ejusque officio convenientius, resistentes dociles erudire, nec propter quosdam fortasse indociles, illa graviora mala, quæ ex negata articulorum admissione erant inevitabilia, super se attrahere.

Libertas.

VI. Imò verò, quamvis de re tota adhuc esset deliberandum, discimus ex hoc Schismate, decernendam esse articulorum introductionem potius quam rejectionem; vel saltem agnoscendum esse & palam declarandum, eos non esse in se illicitos, sed res eas partim esse medias seu indifferentes, ut sunt geniculatio & magnorum illorum Dei beneficiorum solemnis anniversaria commemoratio; partim necessarias, ut est baptismi & Eucharistiæ administratio in eis locis, in quibus Sacramenta illa personis illis, de quibus ibi sermo est, administrari possibile est, & extra quæ loca, personis illis ea administrari non posse vel omnino certum est, vel saltem valde verisimile; ita tamen, ut vitandi majoris incommodi causa, non solum mediis seu indifferentibus illis, sed etiam istis alioqui necessariis carere pro tempore sustineant: non autem ea in se mala esse judicent. Hanc enim orthodoxam doctrinam postulat libertas Ecclesiæ *SCOTICANÆ*, cui jugum necessitatis imponere satagunt homines veritate, hac quidem in parte, destituti.

Dilemma.

Nam aut res sunt licitæ, & Verbo DEI non prohibitæ, quod agnoscere refugiunt, quia prævident nos facilè illaturos, & sponte sequuturum, incumbere eis obediendi necessitatem: vel sunt illicitæ, & Verbo DEI prohibitæ, quod solum habent perfugium quod huic suæ lacerationi Ecclesiæ prætendant. Jam vero hîc error est Verbo DEI repugnans, & primitivæ Ecclesiæ, ac omnium reformatarum Ecclesiarum judicio contrarius. Et omnino liberandæ sunt Christianorum conscientiæ ab hujus erroris jugo. Esse autem hunc sacris literis repugnantem errorem, ex superioribus abunde liquet. Eundem quoque universæ Ecclesiæ judicio esse contrarium patebit ex Libro secundo hujus *IRENICI*.

CAPUT IX.

De juramento à SCOTIS præstito, ANNO DOMINI 1581.

Proponitur objectio à juramento, §. 1. Responsionis pars prima, §. 2. Ejusdem pars secunda, §. 3. Pars tertia, §. 4. Pars quarta, §. 5. Conclusio contra desertores juramenti, §. 6.

De juramento SCOTORUM.

I. CUM autem argumentorum pondere de re ipsa superantur, confugiunt nonnulli ad juramenti religionem, qua terrorem injiciant infirmis conscientiis; quia scilicet Rex *JACOBUS* ejusque familia aliique varii Anno DOMINI 1581. jurarunt se perseveraturos in Doctrina & Disciplina hujus reformatæ Ecclesiæ *SCOTICANÆ*, & pro vocatione & facultate sua eam defensuros omnibus diebus vitæ suæ.

Resp. p. 1. Juramenti de re illicita dati nulla obligatio, nisi ad pœnitentiam.

II. Ad hanc objectionem respondeo. 1. Ut taceam jurasse illos pro aliis, sed ut aliis exemplum præberent; ut habetur in scriptione, & principio, & adjuncto mandato Regio, ne ipsos quidem jurantes obligaret juramentum ullum de re illicita, quæ sine peccato nec promitti, nec præstari posset. Qui enim illicitum aliquid juramento promisit, peccavit jurando injustè: si autem illud perficere pergat, quasi religione juramenti, jam secundò peccat, quando illicitum juramentum scelere adimplet, & peccato suo Nomen *DEI* profanè prætendit. Cui igitur tale aliquod excidit juramentum, pœnitentiam agere debet de profana temeritate, non scelus scelere cumulare. Hujusmodi autem perjurii reos se constituunt, quicunque de rebus alioqui in se non illicitis, sed liberis & mediis perpetuam sibi figunt regulam, à qua se nullo unquam casu discessuros juramento promittunt: si ea regula pugnet cum rerum ipsarum natura, cum statu & libertate Ecclesiæ militantis, cum charitate fraterna, & per consequens cum Verbo *DEI*. Juramentum *Gibeonitis* præstitum contra ipsius *DEI* mandatum, & inconsulto *DEO*, non potuissent *Josua* & *Israelitæ* opere perficere, nisi *DEUS* extraordinariè de suo mandato dispensasset; compassione pœnitentis illius populi *Gibeonitici*, & propter honorem sui Nominis, ut neque fœdifragorum fautor, neque supplicum pœnitentium aspernator esse videretur: & ob alias rationes ipsius divinæ Majestati cognitas. Nec tamen propterea illud *Josuæ* & *Israëlitarum* factum, sive in jurando, sive in servando, contra expressam & manifestam *DEI* præceptionem, fas nobis trahere in ordinarium exemplum. Neque ordinarii officii à *DEO* nobis injuncti fas linquere tramitem, absque extraordinaria revelatione.

Factum Joshuæ extraordinarium, non trahendum in exemplum ordinarium.

Juramentum illud principum Israëlis Gibeonitis datum contrarium fuisse Dei mandato, docent *Augustinus*, lib. quæst. in lib. Josuæ, capp. 13. & 18. & 21. & quæst. in lib. Judicum, cap. 12. & *Theodoretus*, quæst. 12. in Jesum filium Nave. & *Thomas*, in 3. Sent. dist. 39. qu. 3. & *Joannes Calvinus*, comm. in cap. 9. Josuæ. Accepta autem divina dispensatione, *Josua*, Propheta existens, & princeps, adeoque potestatem habens νομοθετικὴν, fœdus Gibeonitis juratum ratum habuit, hac conditione & lege perpetua, quam tunc condidit, ut ligna cædere, & aquam haurire in usum Israëlis, & Altaris Domini, tenerentur ipsi eorumque posteri; eosque & eorum posteros vivere sinerent Israëlitæ. *Jos. 9: 27.* Hac lege perpetua tenebatur utraque natio, quam autoritate Prophetica & Politica Josua cum principibus promulgaverat, scriptamque reliquerat. Alioqui nudum juramentum, qua tale, solum illum obligat qui illud personaliter jurat, vel in illud proprio consensu se obligat. Unde sanctio tertii præcepti est, Dominum pro innoxio non habiturum eum qui sumpserit Nomen Dei in vanum: non dicit, cujus majores sumserint Nomen Dei in vanum: neque perjurus est filius propter juramentum Patris, ad quod nullo proprio facto se adstrinxit, sicut aditione hæreditatis se ipso facto adstringunt hæredes ad civiles patrum contractus. Dei autem mandatis obedientiam debemus, sive eam majores nostri polliciti sint, sive non sint polliciti. Neque esset de juramento isto inter nos controversia, si fratres nostri, qui juramentum istud tantopere crepant, ostenderent rem ipsam, quam à nobis fieri petunt, esse à Deo imperatam, aut Dei verbo consentaneam esse, quam tradunt, doctrinam de obligatione juramenti.

Resp. p. 2. Juramentum illud Scotorum fuit licitum.

III. Quod autem jurarunt nostrates, si rectè, ut debet, accipiatur, non erat illicitum, sed à nobis omnibus jure præstari potest ac debet. Ecclesiæ enim *SCOTICANÆ* nunquam ea mens fuit, ut existimaret omnes ritus & cæremonias

tum, de re licita, & necessaria. monias externas, quæ in cultu DEI etiam licitè ac laudabiliter adhibentur, esse prorsus immutabiles: sed è contrario, iu publica fidei confessione *SCOTICANA*, quæ exstat inserta Actis primi Parlamenti, sub JACOBO Rege sexto habiti *Edinburgi*, decimo quinto die *Decembris*, *Anno Domini* 1567. Et multorum aliorum Parlamentorum decretis confirmata est: & in Syntagmate confessionum latinè edita est: in illa (inquam) confessione, Articulo vigesimo, hæc habentur diserta verba; *Causa cur generalia Concilia convenerunt, non fuit, ut aliquam perpetuam, non antea à Deo latam, legem conderent.* Item; *Altera conciliorum generalium causa fuit propter bonam politiam constituendam & observandam in Ecclesia, in qua (ut in* DEI *domo) omnia decenter & ordine fieri convenit. Non quod eandem in omnibus politiam, eandemque prorsus in singulis ceremoniis ordinem pro omnibus ætatibus, temporibus, & locis constitui posse arbitremur; nam ut ceremoniæ ab hominibus inventæ tantum sunt temporales, ita & possunt & debent mutari, cum potius superstitionem pati, vel fovere, quam ipsarum usu Ecclesiam* DEI *ædificare inveniuntur.* Hæc ibi. In minori autem illa confessione postea edita, qua etiam juramentum continetur, profitentur *SCOTI*, se majori *illi confessioni & religionis formæ, libenter in omnibus articulis, in conscientiis suis assentiri, tanquam indubitatæ* DEI *veritati, quæ verbo ipsius scripto tantummodo innititur: ideoque ab omni contraria religione & doctrina abhorrere, eamque detestari.* *Juramentum violant fratres illi, qui ejus religionem suæ prætendunt contumaciæ.* Jam autem confessioni illi ex diametro contraria est hæc nova doctrina; in quorundam cerebris heri nata, de gestus & similium in Sacramentorum celebratione rituum & circumstantiarum necessitate atque immutabilitate: quapropter si eos juramenti illius religio movet, meminisse debent se non posse novitium hunc errorem, absque manifesta juramenti illius transgressione profiteri: sed oportere eos ab hoc errore, tanquam confessioni *SCOTICANÆ* evidenter contrario, abhorrere, cumque deiestari.

Resp. p. 3. Idem ostenditur alio argumento. IV. Præterea in minori ista confessione sanctè profitentur SCOTI *se Ecclesiæ* Scoticanæ *reformatæ seipsos in doctrina, Fide, Religione, Disciplina, & usu Sacramentorum, tanquam viva membra ejusdem corporis sub Christo capite libenter adjungere: promittentes & solenniter jurantes per magnum illud nomen* Domini Dei nostri *se perseveraturos in doctrina & disciplina hujus Ecclesiæ, & pro sua vocatione ac facultate, eandem defensuros omnibus diebus vitæ suæ.* Contemptores igitur sunt & securi violatores illius juramenti, qui ejus vinculo se obstrictos profitentur, & tamen ab Ecclesia *Scoticana* reformata, vel in Doctrina, vel in Fide, vel in Religione, vel in Disciplina, vel in usu Sacramentorum, se separant: neque habent quod suæ separationi prætexant quippiam, nisi quod indignantur Ecclesiam usam esse, in rebus mediis determinandis, ac mutandis, ea libertate, quam sibi à Christo relictam esse, seque sartam tectam conservaturam esse semper professa est. Quam professionem *SCOTI* solenni jurejurando obsignarunt.

Resp. p. 4. Retorquetur objectio. V. Ad hominem etiam argumentabor. 1. Si vigore illius juramenti obstricti sint ut perseverent in doctrina hujus Ecclesiæ, quo jure illis licuit neglecta publica Cathechesi, quæ in Ecclesia recepta est, novas sibi suo arbitratu, & *Varietas Catechismorum.* quidem verbis differentes, in multis Parochiis, procudere Catecheses? Respondebunt fortasse, se perseverare quidem in doctrina Ecclesiæ, & mentem Ecclesiasticæ Catecheseos servare, mutasse autem verba quædam duntaxat, & methodum, ac disserendi modum, quæ non sunt de essentia doctrinæ, aut contraria receptæ religioni, sed tantum circumstantiæ quædam liberæ, ad quarum determinatam aliquam, & fixam regulam non sint illo juramento obligati. Qui sibi tantam concedunt in circumstantiis libertatem, absque authoritate publica, imo non sine magna confusione, dicant quo jure denegent Ecclesiæ, publicam habenti authoritatem, libertatem eam in circumstantiis, quam Dominus ac sponsor ejus ei reliquit. 2. Ex beatæ memoriæ *M. Joanna Knoxi*, aliorumque Patrum publicis ac Synodicis decretis hæc Ecclesia reformata *SCOTICANA* gubernabatur per Superintendentes, id est, Episcopos: nam Episcopos esse Superintendentes, & utroque vocabulo, altero Græco, altero Latino, *ἐπίσκοπος.* unum idemque intelligi officium, docent *Augustinus*, lib. 19. de Civitate *DEI*, cap. 19. & in Psal. 126. & *Hieronymus*, epist. ad *Evagrium*, & *Isidorus Hispalensis*, lib. 7. Originum, sive Etymologiarum, cap. 12. & lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis, cap. 5. & *Hugo à S. Victore*, lib. 1. de Sacramentis, cap. 4. *Ambrosius* superinspectores vocat, inquiens, *Nam quid aliud interpretatur Episcopus, nisi superinspector?* Hæc *Ambrosius*, lib. de dignitate sacerdotali, cap. 6. Et extant adhuc in publicis nostris rituum libris Liturgicis regulæ publica authoritate editæ, *Superintendens.* & Psalterio metrico præfixæ, de electione & ordinatione Superintendentium, id est, Episcoporum. Qua fide igitur isti, qui decretorum Ecclesiasticorum immutabilitatem somniant, & huic suo somnio etiam juramentum prætendunt, qua, inquam, fide audent se opponere regimini Episcopali? 3. Ea etiam erat Ecclesiæ *SCOTICANÆ* disciplina Synodicè constituta, ut *Compendiaria excommunicatio.* notorii homicidæ, adulteri, & incestuosi, & similium horrendorum flagitiorum manifesti, seu legitimè convicti, ex Ecclesia per publicam excommunicationis sententiam protinus ejicerentur, absque præviis admonitionibus, & precationibus publicis: qua de re editæ sunt constitutiones etiam in libro illo Liturgico. Nec tamen Ecclesia *SCOTICANA* perjurio se implicuit, abolendo illam summariam (ut vocant) excommunicationem, neque ea utuntur Fratres isti, qui nescio qua incogitantia contumaciæ suæ religionem obtendunt juramenti, sed decreto Ecclesiastico postea facto, de præmittenda trina admonitione publica, &, post admonitiones, trina precatione, se præbent morigeros. At certe, si jurata illa in hujus Ecclesiæ doctrina & disciplina perseverantia ita exponenda sit, ut neque Ecclesiæ, neque ulli hujus Ecclesiæ membro fas sit ab ulla vel doctrinæ, vel disciplinæ, in legitima Synodo semel receptæ, circumstantia unquam recedere, jam se perjurii reos constituerunt Fratres isti, qui juramenti religionem tantopere jactitant, in tribus istis exemplis jam memoratis. Possem etiam alia adferre.

Conclusio adversus juramenti desertores. VI. Sin autem sic intelligenda sit ea perseverantia (sicut eam intelligi oportere omnes æqui rerum æstimatores facilè perspiciunt) ut membra hujus Ecclesiæ *SCOTICANÆ* se huic Ecclesiæ libenter adjungant in doctrina Verbo DEI congruente, & ea disciplina, quam convenienter eidem Verbo pro loco & tempore, aliisque circumstantiis, Ecclesia *SCOTICANA* expedientem judicaverit, sive consuetos ritus retinendo, sive eosdem mutando,

prout

prout se facere posse, imo interdum debere, professa est in majori illa sua Confessione, Articulo 20. profectò Fratres à juramenti illius desertione non sunt immunes, qui ritus ab Ecclesia *SCOTICANA* congruenter Verbo DEI præscriptos rejiciunt: neque in hac Religionis ac Disciplinæ parte se huic Ecclesiæ adjungunt. Cum tamen ritus isti omnes sint liciti, & hoc tempore expedientes; & quidam etiam perpetuo necessarii: sicut supra demonstravimus. Atque hæc de Juramento, & in universum ad eam objectionem quæ de mutatione facta, & novitate iuvecta, adfertur.

Caput X.

Ad secundam partem Aporiæ octavæ, num mutationi jam factæ resistere liceat.

Nefas resistere, §. 1. *De offensione infirmorum*, §. 2. *De hostium ludibrio*, §. 3. *De objectione levitatis*, §. 4. *Et Idololatria*, §. 5. *Ad objectionem de reditu ad ritus Papisticos*, §. 6.

Obedientia necessitas.

I. Q*UIN mutationi* (inquis) *licet factæ meritò tamen adhuc resistendam.* Quid audio? Deleatur igitur è sacris literis illa sanctio, si non audierit Ecclesiam, sit tibi velut *Ethnicus* & *Publicanus*, Matth. 18. Et illa præceptio, ut spiritus Prophetarum subjecti sint Prophetis, adjecta hac ratione, quod DEUS noster non sit seditionis DEUS, sed Pacis, 1 Cor. [illegible]: 32, 33. Item illud, obedite præpositis vestris, & subjecti estote, Hebr. 13: 17.

De offensione infirmorum.

II. At inquis, *Alioquin infirmiores offendimus, hostibus, & ludibrium debemus, levitatem, Idololatriam suggillantibus, & animos addimus ad eorum ritus relapsi.* Respondeo: Si offensionem spectemus, cum fas non sit quenquam ex minimis scandalizare, quo loco ponimus Ecclesiæ nostræ, vicinarumque Ecclesiarum offensionem? Quo loco offensionem Regis Religiosissimi, & Potentissimi? Et hæ quidem offensiones, ut supra ostensum est, erant inevitabiles, & datæ fuissent; ista autem infirmorum (quos vocas) offensio erat evitabilis, si Pastores suum fecissent officium, estque non data, ut supra docuimus, sed per injustam ministrorum quorundam resistentiam, inexcusabiliter accepta. Plebs facilè informaretur: profitentur enim *SCOTI* se Verbum DEI scriptum agnoscere pro unica & perfecta eaque perspicua fidei morumque Christianorum Regula: nisi igitur quidam Pastores (quos hoc minimè decebat) sua placita, extra S. Scripturam ab hominibus excogitata, & quibusdam malè intellectis, ac miserè detortis Scripturarum sententiis utcunque fucata, populo obtruderent, eaque pro divinis oraculis apud imperitos venditarent; & eos indociles redderent, eorumque errorem confoverent, expedita esset via palabundum gregem in salubria pascua reducendi. B. *Augustinus*, lib. 1. contra epistolam *Parmeniani*, cap. 7. de improba contumacia *Donatistarum* sic conqueritur; *Nec quæ dicebant probare potuerunt, & adhuc in sanctæ Ecclesiæ præcisione sacrilego furore ferebantur. Publicè insultant, & nec veritatis manifestandæ causa sermonem nobiscum conferre dignantur. Et adversum nos loquuntur, & cum eos obmutescere compellat veritas, silere non permittit iniquitas.* Hæc *Augustinus*. Eadem nobis de fratribus quibusdam querimonia est, eorumque sequacibus, qui, misellorum papicolarum in morem, ultro cæcutientes, tam bruto stupore à Magistrorum suorum ore toti pendent, ut nec ad respondendum, petenti rationem ejus spei quæ in ipsis est, parati sint, neque sustineant discere meliora. Et (quod *Augustinus* olim de *Pelagianis* scripsit epist. 105.) *Non invenientes qua exeant, pergunt in præcipitem stultitiam, dum nolunt mutare sententiam.* Vide lib. 2. cap. 2. num. 5, 6, 7. & cap. 8. num. 8. & cap. 11. num. 19, & cap. 20.

De hostium ludibrio.

III. At *hostibus* (inquis) *ludibrium debemus, levitatem, Idololatriam, suggillantibus, & animos addimus ad eorum ritus relapsi.* Respondeo: Cogita tecum quantum debuissemus hostibus ludibrium, si, res partim utiles, partim necessarias condemnassemus tanquam illicitas, aut etiam temerè rejecissemus.

Ad Objectionem Levitatis.

IV. Frustra levitatis objectionem metuis; statuta enim de rebus mutabilibus accommodare loco & tempori non levitas, sed prudentia est. DEUS ipse quas tulit de Cæremoniis *Mosaicis* leges antiquavit. De qua mutatione S. *Augustinus*, lib. 32. contra *Faustum Manichæum*, cap. 14. sic scribit; *Sicut æger non debet repræhendere medicinalem doctrinam, si aliud illa hodie præceperit, aliud cras, prohibens etiam quod ante præceperat, sic enim se habet sanandi ejus corporis ratio; ita genus humanum, ab* Adam *usque in finem sæculi, quamdiu corpus quod corrumpitur aggravat animam, ægrum atque saucium, non debet divinam repræhendere medicinam, si in quibusdam hoc idem, in quibusdam verò aliud prius, aliud posterius observandum esse præcipit, præsertim quia sic aliud præcepturum esse promisit.* Hæc ille. Idem etiam *Augustinus* epist. 5. ad *Marcellinum*, ait; *Non itaque verum est quod dicitur, semel rectè factum nullatenus esse mutandum. Mutata quippe temporis causa, quod rectè ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat; ut cum ipsi dicant, rectè non fieri si mutetur, contra veritas clamet, rectè non fieri nisi mutetur. Quia utrumque tunc erit rectum, si erit pro temporum varietate diversum.* Hæc *Augustinus*. Audiant etiam *Papistæ* de Ecclesiasticarum constitutionum mutabilitate *Romanos* Pontifices, *Innocentium* Papam tertium, & *Clementem* Papam quintum, & *Joannem* Papam 22. *Innocentius*; *Non debet*, inquit, *repræhensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana: præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas exposcit.* Extra, de consanguinitate & affinitate, cap. Non debet. Ubi *Innocentius* approbante Concilio revocat constitutionem Papalem & Synodicam *Gregorii* Papæ in Concilio *Meldensi*: item *Julii* Papæ, de vetitis gradibus consanguinitatis in contrahendis Nuptiis. Et *Clemens* ait; *Alma mater Ecclesia nonnulla plerumque rationabiliter ordinat, quæ postmodum, prout secundum varietatem temporum, & qualitatem etiam emergentium agendorum considerata suadet utilitas, in melius consulta deliberatione, commutat.* Hæc *Clemens* Papa quintus, in sua epistola ad Archiepiscopum Nicosiensem & ejus suffraganeos, de prorogato termino indicti Concilii. *Joannes* autem Papa in suis extravagantibus, tit. de *Torneamentis*, ait, *Nonnunquam quod consultè statuitur, ex sanioris inspectione judicis consultius revocatur.* Hæc *Joannes*, qui citato titulo revocat constitutionem prædecessoris sui *Clementis* Papæ quinti de *Torneamentis* & *Hastiludiis*.

Tom. 7. Concil. pag. 915. edit. Paris. ann. Dom. 1636.

Ad objectionem idololatriæ.

V. At *hostes* (inquis) *Idololatriam suggillabunt.* Meritò quidem id facerent, si nos panem ipsum, quemadmodum illi consecratam hostiam, adora-

remus. At contrarium nos profiteri, & solum DEUM adorare, & ipsi clamamus, & norunt adversarii, qui de nostra Religione aliquid intelligunt. Ignaris autem inimicis, quocunque te verteris, nisi depulsa ab ipsorum mentibus caligine, nunquam satisfacies. Protervi autem obtrectatores non quiescent, quocunque usus fueris gestu: si enim sedeas, *Arianismum*, aut saltem prophanum Christi contemptum objectabunt, genua autem flectentibus ais eos Idololatriam imputare. Tutissimum remedium adversus omnes calumnias est doctrinæ perspicuitas, & intaminatæ actionis evidentia. *Prosper* ait, *Sana mens incomparabiliter amplius obedientiæ fructum debet appetere, quàm vitare injustæ obtrectationis opprobrium.* Hæc *Prosper*, præfat. lib. 2. de vita contemplativa. Nos in celebratione sacræ Cœnæ illum solum adoramus, cui nostræ per CHRISTUM redemptionis beneficium acceptum referimus, cui de tanto dono gratias agimus, ad quem genua (cum Apostolo) flectimus ut det nobis, secundùm divitias gloriæ suæ, ut fortiter corroboremur per Spiritum ipsius, in interiore homine, ut inhabitet CHRISTUS per fidem in cordibus nostris, &c. At soli DEO, non autem pani aut calici consecrato, hoc beneficium acceptum referimus, eique soli de tanto dono gratias agimus, ad illum solum genuflectimus, ut det nobis, &c. Ergo solum DEUM, non autem Panem aut calicem consecratum, adoramus.

Tutissimum remedium adversus hostium calumnias.

Ephes. 3.

VI. At *animos* (inquis) *eis addimus, ad eorum ritus relapsi.* Certè non petunt illi à nobis suæ superstitionis regulas: sed potius conviciandi ansam arripiunt quando ab eis dissensionem, etiam in rebus licitis, de nihilo affectamus. Genuflexio in gratiarum actione, aut divini Nominis invocatione, non est ritus à *Papistis* inventus, aut Verbo DEI contrarius, sed est in ipso DEI Verbo approbatus, ut tali religioso actui conveniens. Neque permittimus ut quæcunque *Papistis* in usu fuerint, ea *Papistica* & *Papistarum* propria sentiantur. Nam usi sunt sacris Scripturis, usi sunt Sacramentis, usi sunt invocatione sanctæ Trinitatis, usi sunt recitatione Orationis *DOMINICÆ*, usi sunt *Psalmorum* cantibus, usi sunt multis aliis, quorum nonnullis etiam abusi sunt, nec tamen res ipsæ propterea *Papisticæ*, sive *Antichristianæ* censendæ sunt: cogitandum quid nobis liceat, nec propterea aliquid nobis non licere existimemus, quia eo *Papistæ* usi, aut fortasse etiam abusi sunt. Quam multa enim sunt quibus Ethnici vel Hæretici abutuntur, quæ tamen rectè à Catholicis usurpantur? Olim in primitiva Ecclesia, trina mersio à traditione Apostolica descendisse putabatur, teste *Tertulliano*, lib. de Corona militis, cap. 3. Postea tamen, propter errorem *Arianorum*, *Gregorio Romanorum* Episcopo hujus nominis primo, & Concilio *Toletano* quarto placuit unica uti mersione, sicut legimus apud *Gregorium*, lib. 1. epist. 41. Et in Actis Concilii *Toletani* quarti, Can. 6. Ubi tamen *Gregorius* & *Toletani* fatentur repræhensibile non esse, infantem in baptismate, vel semel, vel ter immergere. Et jam sublato illo *Arianismi* scandalo liberum est pro regionum varietate, vel unam, vel trinam mersionem adhibere. In tribus mersionibus, inquit *Gregorius*, personarum Trinitas, & in una potest Trinitatis singularitas designari. Unde verisimile est *Sabellianos* personarum Trinitatem negantes unica usos esse mersione, & ante *Sabellium* Praxeanos, & Hermogenianos, eundem errorem dogmatizantes: cujus erroris aversionem, ut testarentur *Catholici*, trinam adhibuerunt in Baptismate mersionem. At verò cum postea *Ariani* mersiones numerarent, ut divinitatem dividerent, visum est *Catholicis* unica uti mersione, ad significandum Deitatis unitatem; postea verò constabilita contra *Arianos* orthodoxa veritate, quamvis adhuc exstent quædam *Arianorum* reliquiæ, liberum fuit, & est, sive trina, sive unica uti mersione. Sic etiam Ecclesia *SCOTICANA* (sicut & Ecclesia confœderati *BELGII*) initio reformationis populo sedenti censuit sacram Cœnam administrandam, propter recentem memoriam artolatriæ *Papisticæ*. Nullo tamen ipsius genuflexionis odio. Nunc autem manifestata veritate, & abusu *Papistico* detecto ac profligato, adeo ut, per DEI gratiam, hominum nostrorum reformatam Religionem profitentium animis nulla inhæreant superstitionis illius vestigia, liberum fuit vel genuflectere, vel alio uti gestu in hac actione. Regula juris Canonici est non spernenda; *Causa sublata, tolli constitutionem ex causa illa ortam.* 1. quæst. 7. quod pro remedio. in glossa. g. cessante. Genuflexio autem Ecclesiæ nostræ hoc tempore visa est aptissima; qui gestus nunc reprehensibilis esse non potest, magis quam vel trina, vel unica mersio tempore GREGORII, qui trinam ipse adhibens mersionem, f..tur unam nullatenus esse posse repræhensibilem; eamque pro tempore Hispanis suadet. Si propterea non liceat uti genuflexione in Dei cultu, dum sacramentum celebramus, quia Papistæ genua flectant sacramento; vide an non inde sequatur, neque extra sacramenti celebrationem fas esse genua Deo flectere, quia hoc faciunt gentiles suis idolis & falsis diis, & Papistæ religiosa genuflexione adorant imagines & creaturas. Nec accumbere quidem aut sedere poterunt communicantes, quia hoc etiam gestu abusi sunt idololatræ, accumbentes in delubris, *ἐν εἰδωλείοις κατακείμενοι.* 1 Cor. 8: 10. cum fierent participes mensæ dæmoniorum, *μετέχοντες τραπέζης δαιμονίων.* 1 Cor. 10: 20,21. Ne autem eo confugias, ut dicas, sessionem in Eucharistia non esse aliquid indifferens, sed esse eam ex Dominica institutione necessariam, adeoque non esse omittendam, propter ejus apud alios abusum; hoc tibi ereptum est effugium, supra cap. 4. de quo etiam vide lib. 2. cap. 16. part. 4. & part. 5.

De animatione Papistarum, & reditu ad eorum ritus.

Non ideo aliquid est Papisticum quod eo usi sint Papistæ. Vide cap. 7. §. 6. & lib. 2. cap. 4.

De unica & trina mersione in Baptismo. Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 10. cap. 5. §. 48. & inde usque ad §. 55.

Vide lib. 2. cap. 16. part. 5. num. 10.

Vide lib. 2. cap. 16. part. 4. num. 1.

CAPUT XI.

Ad tertiam partem Aporiæ octavæ, de necessitate, & tolerantia, & libertate.

Proponitur objectio. §. 1. *Prima responsio, de necessitate*, §. 2. *Secunda responsio, de mutua tolerantia*, §. 3, 4. *Tertiæ responsionis pars prior, de libertate quoad judicium*, §. 5. *Pars secunda, de libertate praxeos, ejusque exercitio*, §. 6. *Quomodo maneat etiam praxeos libertas non obstante ordine Ecclesiastico*, §. 7.

I. HOC *ipso* (ais) *quod indifferens ponatur*, [geniculandi gestus] *obtrudi, atque urgeri non potest ut necessarius: cum potius res ejusmodi tolerantiam mutuam, & plenam, quod vel judicium, vel usum judicio semper conformem spectat, postulent libertatem.*

Aporia octavæ pars tertia.

II.

Resp. retorqu. argument.

Duplex necessitas: alia rei, alia praxeos.

II. Respondeo. 1. Retorqueo Argumentum; hoc ipso quod indifferens sit sedendi gestus, non potest obtrudi atque urgeri ut necessitate rei necessarius, nullaque hominum authoritate mutabilis. Necessitas alia est rei, alia exercitii seu praxeos. Res illæ sunt necessariæ, quarum praxis aut omissio est ex præscripto legis divinæ immediatè necessaria, etiamsi nullum ea de re interveniret decretum humanum, neque potest hæc praxeos omissionisve necessitas tolli aut mutari per aliquod decretum hominum; ut sunt; DEUM proximumque diligere, non blasphemare, non adulterari, &c. Talia appellamus necessaria necessitate rei. At aliæ sunt res, quarum praxis aut omissio non est ex lege DEI immediatè necessaria, sed necessitatem quandoque accipit mediante decreto Ecclesiastico, aut politico, eadem rursus authoritate Ecclesiastica aut civili delebilem & mutabilem: adeo ut si jubeat Ecclesia aut princeps rem eam facere, facienda sit; si omittere, omittenda sit necessariò; non necessitate rei, sed necessitate obsequii superioribus debiti: quandoque autem res eæ liberè vel omitti, vel fieri conceduntur, & tunc neque omissio, neque praxis est necessaria. Tales res appellantur & sunt mediæ seu indifferentes.

De tolerantia mutua in rebus mediis.

1. Distinctio.

III. Secundò: Tolerantia mutua in rebus mediis locum habet, si tantummodo observationum diversitas, non autem turbatorum procacitas toleretur. Nam etiam leviori alioqui offensæ conjunctus Ecclesiæ contemptus est intolerabilis: tali enim introducta tolerantia peribit omnis auctoritas Ecclesiastica, & ordo subvertetur, & negligentur illa præcepta superius commemorata de audienda Ecclesia, & subjiciendis Prophetarum spiritibus Prophetis, & de obedientia ac subjectione præpositis exhibenda.

2. Distinctio.

Quorundam turbatorum intolerabilis insania.

Vide lib. 2. cap. 5. num. 6.

IV. Certè prudenter & clementer toleranda est docilis simplicium infirmitas, & modesta libertas illorum fratrum, qui in usu rerum mediarum vel ita edunt ut non edentem non despiciant; vel ita non edunt, ut edentem non condemnent, sicut monet Apostolus, Rom. 14. neque contemnant Ecclesiam DEI, quam CHRISTUS audire præcipit, Matth. 18. At non est toleranda indocilis contumacia & licentiosa protervitas eorum hominum, qui astute irrepunt ad explorandum libertatem nostram quam habemus in CHRISTO JESU, ut nos in servitutem adigant, magistraliter asserentes, Ecclesiam non habere potestatem mutandi vel abrogandi priorem constitutionem aut consuetudinem Ecclesiasticam de gestu in Cœna *DOMINI*, & similibus rebus, quæ sunt in se mediæ & mutabiles; quin & mutationi jam factæ meritò adhuc resistendum: atque ita pertinaciter satagentes adimere Ecclesiæ eam libertatem quam habet in *CHRISTO JESU*, ab ipso *DOMINO* acceptam. Quin & hos ipsos Ecclesia tolerarer, si illi in animum inducere possent ut tolerarent Ecclesiam, & paulò magis tranquillè ac pacificè moderarentur quod sentiunt. *Servimus infirmitati, ne quid pereat charitati.* ut loquitur *Augustinus*, lib. 2. contra secundam Gaudentii epistolam, cap. 28. Vide infra, lib. 2. cap. 3. num. 5, 6, 7.

De libertate quoad judicium.

V. In omnibus rebus mediis libertas quoad judicium plena relinquitur, quando subditi non jubentur credere eam rem esse in se necessariam quæ tantummodo media est, neque jubentur in ea re constituere cultum Dei quæ cultus Dei pars non est: & in summa, quando falsum pro vero non obtruditur hominum judicio. Et hæc quidem libertas semper relinquenda est Christianis. Quam tamen adimere satagunt non solum *Papistæ* per suas multiplices ἐθελοθρησκείας, sed etiam Fratres isti jugum necessariæ sessionis, tanquam à CHRISTO imperatæ, Christianorum cervicibus volentes imponere: quod tamen CHRISTUS eis non imposuit. Peccant igitur, libertatem Christianis eripere contendentes qua eos CHRISTUS donavit. At Ecclesia *SCOTICANA*, neque sessionem, neque genuflexionem, neque ullum alium à quavis reformata Ecclesia usurpatum gestum unquam judicavit in se esse necessarium, neque in eo DEI cultum collocavit: sed hujusmodi rerum indifferentiam, & mutabilitatem semper agnovit; cum omnibus aliis reformatis Ecclesiis.

De libertate praxeos.

VI. Usum quod attinet sive praxin in rebus indifferentibus, debet quidem ea esse judicio rectè sentienti conformis; at judicium rectè sentiens, sicut judicat rem ipsam in se esse mediam, & vel fieri, vel omitti posse absque peccato, adeoque ejus usum absolutè spectatum esse liberum; ita etiam libertatis hujus exercitium judicat subjacere regulis ordinis, & decori, & pacis, & ædificationis, & subjectionis illius qua jubentur Christiani audire Ecclesiam & præpositis suis obedire, & ipsi Prophetarum spiritus jubentur subjecti esse Prophetis. Hæ enim sunt leges de libertatis hujus exercitio traditæ in sacris Scripturis, Matth. 28. Rom. 14. & 1 Corinth. 14. Hebr. 13. Nulli licet contra has regulas sua libertate abuti. Jam autem in talium rerum usu id ædificat quod pacificum, illud est pacificum quod est ordinatum, & quidem decorè ordinatum; is autem decens ordo est in Ecclesia ab ipso CHRISTO constitutus, ut in talibus non suo quisque se gerat arbitratu, sed audiatur Ecclesia, & exhibeatur præpositis obedientia, spiritusque Prophetarum subjecti sint Prophetis, id est, legitimo conventui, sive Synodo Prophetarum; quamdiu scilicet non adimitur illa necessaria quoad judicium libertas, sed tantummodo praxeos exercitio regulæ præscribuntur, pro ea auctoritate qua Ecclesiam suam donavit DOMINUS, qui non seditionis, seu confusionis, sed Pacis DEUS est. Ea etiam quoad ipsam praxin Christianis relinquenda libertas est, ut jugum CHRISTI facile non mutetur per rituum asperitatem in difficile: & loco oneris CHRISTI, quod leve est, non imponatur grave onus humanum, per importabilem cæremoniarum multitudinem: atque ita populus Christianus ad antiquam veluti *Judaismi* servitutem revocetur. Jam autem per decreta illa *Perthensia*, nullo istorum trium modorum adimitur vel læditur libertas Christiana. Neque enim rebus in se mediis affingitur absoluta necessitas: neque in talibus ponitur cultus DEI: neque est onerosa aut aspera præscriptæ praxeos observatio: sed benè congruunt decreta illa memoratis regulis de sectandis iis quæ ad pacem faciunt, & ædificationem, & ad ordinem & decorum, & de præstanda superioribus debita obedientia.

VII. Si objiciatur nullam videri relinqui libertatem praxeos Christianis, si exercenda sit praxis ex præscripto ECCLESIÆ.

Quomodo maneat libertas, tum judicii,

Respondeo. 1. Non de omnibus rebus mediis præscribit Ecclesia, sed multarum usus, vel omissio relinquitur privatorum arbitrio 2. In hoc ipso apparet libertas, quod Ecclesia potestatem habeat de talibus rebus in alterutram partem statuendi: & rursum, statuta illa pro cir-

tum praxeos, in rebus mediis, non obſtante ordine Eccleſiaſtico.

circumſtantiarum varietate mutandi. 3. Etiam in eo ſtat Chriſtianorum libertas circa res tales, quod eas etiam ab Eccleſia præſcriptas obſervent Chriſtiani, non ob rerum ipſarum in ſe ſpectatarum neceſſitatem, ſed propter neceſſitatem ordinis & obedientiæ; ideo eis liberum eſt easdem res omittere, & quas prius omiſerant uſurpare, Eccleſia conſtitutionem ſuam mutante. 4. Præterea quando in uſu vel omiſſione rei non contemnitur Eccleſia, neque venitur contra mentem Eccleſiæ, ſed fit quod Eccleſia piè prudenterque intendit, magna eſt libertas in ipſo ſpeciali uſu vel omiſſione. 5. Res mediæ ab Eccleſia aliqua præſcriptæ in hoc etiam liberas tenent obſervationes, quod Chriſtianus ad aliam perveniens Eccleſiam, in qua diverſa eſt praxis, & quidem publica illius Eccleſiæ auctoritate recepta, poteſt liberè uti praxi & conſuetudine illius Eccleſiæ ad quam pervenit. Quia in una fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa: & pro eorum inter quos vivitur ſocietate utendum rebus mediis, ne ſcandalo ſimus Eccleſiis DEI. Sicut ergo contra memoratas ordinis, & decori, & pacis, & ædificationis, & obedientiæ regulas peccaſſet, quicunque in ECCLESIA *SCOTICANA* geſtum ſedendi uſurpante & præſcribente, ab eo geſtu per contemptum & contumaciter abſtinuiſſet, ita etiam contra easdem peccant ii qui nunc in eadem Eccleſia, geſtum geniculandi uſurpante, & præſcribente, hunc geſtum per contemptum & contumaciter reſpuunt: contra easdem etiam regulas peccaret ille, qui ad alias veniens ejusdem nobiſcum communionis & Fidei Eccleſias, non ſe ad illarum conſuetudinem in rebus hujusmodi mediis accommodaret, ſed earum communionem propter externorum hujusmodi rituum diverſitatem obſtinatè contemneret.

Vide lib. 2. cap. 3. num. 3. & cap. 4. num. 3. & 8. & 13. & cap. 9. Vide P. Martyr. Loc. Comm. claſſ. 4. cap. 4. §. 5. & Daniel. Chamier. Panſtrat. tom. 3. lib. 15. capp. 7. & 8. & ſeqq.

CAPUT XII.

Ad nonam Aporiam, de actuum quorundam indifferentia.

Proponitur Aporia, ſeu Paradoxum, §. 1, 2. 3, 4. *Affirmationis ſubjectum explicatur*, §. 5, 6, 7. *Ejusdem attributum explicatur*, §. 8, 9. *Quæſtio clarius proponitur*, §. 10. *Diſtinctio pro ſtatu quæſtionis*, §. 11. *Duo quæſtionis membra*, §. 12. *Ad prius membrum reſponſio*, §. 13. *Solvitur objectio de honeſto & inhoneſto*, §. 14, 15. *Ad poſterius membrum reſponſio*, §. 16. & §. 17. *Adferuntur aliquot utiles diſtinctiones neceſſitatis*, §. 18.

Proponitur paradoxum.

I. QUORUNDAM, inquis, *muſſitationem potius quàm ingenuam (ſi quid iis cerebri) animi ſententiam, adjungere libet, nullum eſſe actum indifferentem: cujus paradoxi ſunt hæ rationes*, &c.

II. Reſpondeo; Hoc ipſe cum fatearis eſſe tale paradoxum, ut ejus etiam defenſionem nemo, niſi per inopiam cerebri, ſuſcipere poſſit, cur ipſum nobis, & quidem rationibus aliquot in ſpeciem munitum, proponas, non video, niſi quia aut rationes ipſas, quas ſubjicis, utcunque non ita firmas, probabiles tamen & non contemnendas eſſe judicas; aut, quod magis reor, ſententiam hac de re noſtram, & quænam idoneæ reſponſiones eſſe videantur, ut expromam, poſtulas; quod equidem ingenuè faciam, DEO dante. Antequam verò ad rationes tuas accedam, primò ipſam Theſin examinabo, & oſtendam argumentum ab actuum neceſſitate ſumptum valere contra contemptores decretorum ECCLESIASTICORUM.

III. THESIS ipſa clarius proponenda eſt, ut ſenſus ejus inveniatur. Actum quidem indifferentem poſtea interpretaris eum *qui neque ſit bonus, neque malus*, & ais, *nullum eſſe actum indifferentem, ſed omnem actionem eſſe vel bonam, vel malam.* Si quæram ex te, de quo genere actionum hoc aſſeras; non ſatis claram reſponſionem ſuppeditant rationes quas adfers. modo enim loqui videris tantùm de actionibus prudentis Chriſtiani hominis, modo de cujuſcunque hominis actionibus: nec hominis ſive Chriſtiani, ſive à Chriſtiana fide alieni actiones diſtinguis: neque doces de quo bonorum & malorum genere quæſtio illa ſit intelligenda. Explicabimus igitur propoſitionem affirmativam, unde ſponte patebit ſenſus partis negativæ.

IV. Affirmatio eſt; *Omnis actio eſt bona, vel mala:* hinc infers partem negativam, *Ergo nulla indifferens.* Explicandum eſt priori loco ſubjectum propoſitionis affirmativæ, deinde ejusdem attributum. Subjectum eſt, *Omnis actio:* Attributum, *bona, vel mala.*

V. Non cujusvis, ſed tantummodo rationalis aut intellectualis creaturæ actio intelligenda eſt: nempe hominis aut Angeli. Atque ut de hominibus nunc loquamur, cum cujuſlibet hominis rationis uſum habentis ſint aliquæ actiones neceſſariò vel bonæ, vel malæ, ut juramentum, ſacrificium, enormis læſio proximi, &c. Haud immeritò quæritur, num etiam de aliis omnibus cujuscunque hominis rationis uſum habentis actionibus idem ſentiendum ſit. Sic *Thomas*, cujus authoritatem poſtea obtendis, quæſtionem hanc intelligit, in 2. ſent. diſt. 40. quæſt. 5. & prima ſecundæ quæſt. 18. art. 8. & 9. Hoc ſolo poſito diſcrimine, quod dicat non poſſe eſſe aliquem actum à deliberata virtute procedentem in homine habente gratiam qui non ſit meritorius, vel demeritorius: ſed tamen in non habente gratiam poſſe eſſe aliquem actum deliberatum, qui nec meritorius, nec demeritorius ſit, ſed indifferens ad meritum & demeritum: eſſe tamen bonum vel malum omnem actum cujuſcunque hominis rationis uſum habentis. Sed omiſſis aliis, loquamur de hominibus Chriſtianis: quamvis probationes, quas ſubjungis, ad cujuſlibet hominis, rationis uſum habentis, actiones accommodari poſſint. Hominis, inquam, rationis uſum habentis, nam etiam infans eſt homo rationalis, antequam rationis uſum conſequatur. *Explicatio.* *De cujusmodi hominis actionibus ſit quæſtio.*

VI. Neque omnis actio hominis uſum rationis habentis hic locum habet; nam ſunt actiones Phyſicæ, naturaliter determinatæ, ut eſurire, ſitire, appetere fœlicitatem, &c. Sunt actiones homini cum plantis, ſunt cum beſtiis communes: quæ, qua tales, etiamſi ſint hominis, non tamen propriè humanæ ſunt actiones: ut alimentum ſumere, concoquere, vigilare, dormire, &c. Quæ omnes actiones, qua tales, id eſt, qua homini cum plantis, beſtiisve communes, ſunt quidem vegetabiles, aut animales, at non ſunt humanæ: quia eæ ſolæ actiones humanæ ſunt, quæ homini propriæ, nec plantis, beſtiisque communes, id eſt, quæ rationales, aut voluntariæ ſunt. Proinde quam- *Actionum diſtinctio.*

vis

vis edere, bibere, dormire, &c. quatenus ratione reguntur sint actiones humanæ, adeoque vel bonæ, vel malæ; in se tamen, quatenus vegetabiles, aut animales sunt, neque bonæ existimantur moraliter, neque malæ: sed ex circumstantiis, quas ratio dictat, evadunt aliquo modo actiones rationales & voluntariæ, adeoque vel bonæ, vel malæ. In illis autem circumstantiis determinandis occupatur prudentia; & in actionibus secundùm prudentiæ dictamen moderandis exercetur virtus moralis.

Quænam actiones ad hanc quæstionem pertineant.

VII. Non igitur omnis actio hominis, sed tantummodo humana actio huc pertinet. Neque omnis humana. Nam omnis actio rationalis est humana. At præsens quæstio complectitur actiones voluntarias duntaxat: sunt autem humanæ actiones, sive rationales, quædam voluntati non subjectæ: ut primis principiis per intellectum credere, & conclusionem demonstrationis scite, &c. Quæ actiones cum voluntati non subsint, sed intellectui & mentisint inevitabiles, non existimantur moraliter bonæ vel malæ. De solis igitur voluntariis actionibus hîc quæritur: Voluntarias intelligo non solùm ex voluntate deliberata, sed etiam ex indeliberata, nam & temere irasci, & inde fratri dicere, *Raca*, aut ei stultitiam ex indeliberata voluntate contumeliosè objicere, peccatum est morale, sicut docet Dominus, Matth. 5: 22. & è contrario audita fratris calamitate vel prospero successu, statim debita, vel compassione, vel congratulatione, etiam absque deliberata voluntate, affici, est bonum morale. Talia autem appello voluntaria, id est, voluntati, & arbitrio subjecta, quia etiamsi pravi motus nos aliquo modo invitos corripiant, non tamen sic fuit ab initio, sed in potestate voluntatis integræ hominis nondum lapsi fuit, ut etiam primi illi motus vel non existerent, vel saltem non culpabiles existerent. Præterea quicquid fit voluntate (sive deliberata, sive indeliberata) illud est aliquo modo voluntarium. Sed agamus interim de actionibus voluntariis deliberativæ secundum quod deliberativa est; sic enim Scholastici, in 2. sent. dist. 41.

Vide Aug. lib. 1. Retract. cap. 13.

Quod genus boni hîc intelligatur.

VIII. Atque hæc de subjecto propositionis. Sequitur explicatio attributi. Bonum multiplex est, etiam prout actionibus attribuitur. Duas adferam distinctiones: 1. *Bonum vel est Metaphysicum, vel Physicum, vel morale.* 2. *Bonum vel est jucundum, vel utile, vel honestum.* Eisdem modis dividitur, quamvis malum Metaphysicum nihil sit. At quando quærimus hoc loco an detur aliquod medium inter bonum & malum, intelligimus tantummodo bonum morale & honestum, eique oppositum malum morale, & inhonestum.

Distinctio moralitatis.

IX. Neque huc pertinet omnis bonitas moralis; nam est quædam moralitas aulica, quæ sine læsione conscientiæ sæpe negligitur: est & superstitiosa moralitas, qualis erat illa *Pharisæorum* de cibo non sumendo illotis manibus; Math. 15. Sed neque à principum aulis, neque à superstitiosorum commentis sumenda est ea moralitatis regula, quæ conscientiæ lex sit: non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neque diminuetis ex eo, ut custodiatis præcepta DOMINI DEI vestri, Deut. 4: 2. Frustra enim colitur DEUS ex mandatis hominum, Esa. 29. Math. 15. Illud igitur in Theologia bonum est, quod DEUS præcepit: lex enim DEI perfecta est bonitatis moralis regula in Theologia, & prohibitio divina perfectus est index Theologicus malitiæ moralis: illud est Theologo moraliter malum, quod DEO exosum est, & facientem polluit; sicut illa quæ commemorat DOMINUS mala ex corde prodeuntia, Matth. 15: 19. Illud verò bonum est, quod hominem DEO commendat, licet non ad meritum, tamen ad mercedem, sicut promisit DOMINUS etiam de poculo frigidæ uni ex minimis dato in nomine Discipuli, Math. 10: 42. Talia autem sunt ea tantum, quæ DEUS lege sua vel prohibuit, vel præcepit.

Bonum morale Theologicum, eique oppositum malum.

Bonum remunerabile.

X. *Petrus Lombardus*, 2 *Sent. Dist.* 41. *C. Bonum*, inquit, *multipliciter accipitur, scilicet pro utili, pro remunerabili, pro signo boni, pro specie boni, pro licito, & aliis forte modis: solaque illa intentio remunerabilis est ad vitam, quam fides dirigit: sed non illa sola bona est, ut ajunt, nam si quis Judæus vel malus Christianus necessitatem proximi relevaverit naturali pietate ductus, bonum fecit, & bona fuit voluntas qua illud fecit.* Hæc ille. Loquimur nunc de bono remunerabili ad vitam. Propositionis igitur hunc esse oportet sensum. *Omnis actio voluntaria vel est præcepta à DEO, vel prohibita, adeoque vel est moraliter bona, vel mala, & hominem vel commendat DEO ad mercedem, vel polluit ad reatum, & (nisi parcat DEUS) etiam ad damnationem.*

Clarius proponitur quæstio.

XI. Nec tamen adhuc satis clarè proposita est ista dubitatio: sed addenda ea distinctio quæ à *Thoma Aquinate* observata est in prima secundæ quæst. 18. art. 8. & 9. Nam actio aliqua vel consideratur in actu signato, id est, in suo genere sive secundùm suam speciem; vel in actu exercito, id est, in actuali exercitio sive in individuo. Idcirco duos distinctos articulos hac de re proponit *Thomas* loco citato, & concludit dari actus secundum speciem suam indifferentes, id est, qui neque boni sunt, neque mali; quamvis id neget de actibus individualibus à deliberativa ratione procedentibus.

Distinctio speciei, & individui.

XII. Quæstionis igitur hujus duo sunt membra. 1. *Utrum omnis actio voluntaria sit secundum speciem suam bona, vel mala.* 2. *Utrum in individuo.*

Duo quæstionis membra.

XIII. Ad prius membrum respondeo negativè. Multa enim sunt voluntaria, id est, arbitrio hominis subjecta, quæ secundum speciem suam considerata neque sunt bona, neque mala, id est, neque hominem polluunt coram DEO, neque eum DEO commendant ad mercedem. Dat exemplum *Thomas*, levare festucam de terra. Nec solum in vita communi, sed in ipso etiam DEI cultu talia reperiuntur. E. g. Manè DEUM privatim oraturus, sive id in lecto, sive vestitus in cubiculo aut musæo, sive foris in horto, aut in campis id præstiteris, nil interest, modo pari ubique affectu & reverentia DEO supplices: nec refert sive togatus, sive palliatus quis prædicet Evangelium; item sive aurum habens in marsupio, sive sine auro, sive sub tecto, sive sub dio tem sacram peragas; sive operto, sive aperto capite concionem audias, &c. Illud autem secundùm speciem bonum est, quod lege DEI ita præceptum est, ut non sit fas homini illud negligere, aut quicquam facere quod ei repugnet. Et illud malum est secundùm speciem, quod lege DEI ita prohibitum est, ut non sit fas homini illud admittere, aut præscribere quocunque prætextu. Quale bonum est DEUM proximumque diligere, malum autem, DEUM blasphemare, adulterari, &c. Et hujusmodi rerum bonitas, aut malitia, neque ex auctorita-

Ad prius membrum responsio negativa.

Quid sit secundum speciem bonum aut malum morale Theologicum.

te hominum, neque ex locorum aut temporum varietate aliisve id genus circumstantiis æstimanda est: sed semper & ubique constans est, stante Lege DEI. Quod igitur pro locorum & temporum varietate, aut hominum authoritate, aliisque id genus circumstantiis, absque ulla mutatione legis divinæ, fieri vel omitti potest aut debet absque peccato, quippe de quo vel faciendo, vel omittendo, si secundùm speciem suam consideretur, nulla exstat divina præceptio vel prohibitio, illud Theologicè neque est bonum secundum speciem suam, neque malum, & proinde est indifferens seu medium: nam si esset bonum, nemo posset sine peccato oppositum facere; si esset malum, nemo usquam id faceret sine peccato. Et hujus generis est gestus sedendi, item gestus standi, item gestus geniculandi in Cœna *DOMINI*, sicut ex superioribus patet. Item locus, tempus, aliæque circumstantiæ illius primæ Cœnæ nobis non præscriptæ, neque prohibitæ: & multa similia.

Quid sit secundum speciem suam indifferens.

XIV. Objici posse videtur, quod omnis actio secundum suam speciem sit vel honesta, vel inhonesta: ergo vel moraliter bona, vel mala. Loquimur enim de honestate Theologica earum rerum quæ moraliter,& coram DEO honestæ sunt. Omnis autem actio humana voluntaria, vel est honesta, vel non est honesta; si non sit honesta, est inhonesta; atque si non sit inhonesta, est honesta; unde efficitur omnem actionem esse vel honestam, vel inhonestam: omne autem honestum est bonum, & inhonestum est malum. Nam jubemur sequi honesta τὰ καλὰ, τὰ ἁγνὰ, τὰ εὔφημα, & fugere inhonesta, seu turpia, τὰ αἰσχρὰ, καὶ οὐκ ἀνήκοντα. 1 Pet. 2: 12. Ephes. 5: 3,4. Phil. 4: 8. Tit. 3: 8.

Objectio de honesto, & inhonesto.

XV. Respondeo: duplex est honestum: nam est quoddam honestum necessarium, ut sunt omnia officia Lege DEI imperata: est & quoddam honestum licitum quidem, at non necessarium, sed moraliter liberum. Illud DEO hominem commendat ad mercedem, ejusque contrarium polluit hominem coram DEO; quale honestum est castitas, seu continentia lege DEI imperata. Hoc non commendat DEO hominem ad mercedem, neque ejus contrarium polluit hominem coram DEO, & hujusmodi honestum est Matrimonium, teste Apostolo, 1 Corinth. 7: 38. & Heb. 13: 4. Illud dici potest HONESTUM LAUDABILE, nam gloria, & honor, & laus promittitur facientibus ipsum, Rom. 2: 10. & 1 Corinth. 4: 5. Hoc dici potest HONESTUM IRREPREHENSIBILE, quia non est inhonestum, seu peccatum, sed absque peccato fit: illud est HONESTUM FORMALITER, ET POSITIVE, SEU INCLUSIVE, quia in se formaliter includit honestatem moralem: hoc autem HONESTUM EST EXCLUSIVE, ET PER CONSISTENTIAM SEU COMPOSSIBILITATEM, (ut ita loquar) CUM HONESTO FORMALI ET POSITIVO: nam honestum tantummodo in se irreprehensibile ideo honestum dicitur, quia sit sine peccato, quemadmodum Apostolus ait posse sine peccato contrahi nuptias, & hæc est ejus consideratio exclusiva, qua excluditur turpitudo: item quia fieri potest salva honestate laudabili; & cum honesto laudabili consistit: nam cum castitate, seu continentia lege DEI imperata consistit matrimonium; & hæc est ejus consideratio socialis, sive quoad consistentiam cum honesto formali.

Solutio. Duplex honestum; aliud laudabile, aliud duntaxat irreprehensibile. Illud bonum est, hoc medium, sive indifferens.

Non igitur omnis actio est vel honesta priori sensu, vel inhonesta; nam datur medium genus actionum, quæ suo quidem modo honestæ sunt, quia irreprehensibiles: at neque priori modo honestæ, neque inhonestæ. Et hæ secundùm speciem suam sunt mediæ. Et considerantur bifariam secundum duplicem oppositionem: Nam actio media honesta vel opponitur alii actioni mediæ etiam honestæ, vel opponitur actioni inhonestæ. Prior oppositio existit ex specie ipsarum actionum: altera oppositio ex ratione honestatis. E. g. Conjugium secundùm speciem actionis, semoto moralitatis respectu, opponitur cœlibatui: at secundum rationem honestatis moralis utrumque opponitur scortationi. Priori modo consideratum honestum medium non est necessarium, sed liberum, quia vel eligi vel omitti potest absque peccato. At posteriori modo spectatum habet quandam necessitatem moralem, nempe hypotheticam, ut scilicet, sine peccato fiat, modo fiat; & hæc necessitas non attingit ipsum actum, sed modum actus. Nam actus ipsius, vel præstatio vel omissio libera est: at supposita actus præstatione, vel omissione, necesse est eam fieri absque peccato, & salva honestate laudabili. Hoc sensu Apostolus dixit liberam quidem esse viduam ut nubat cui velit, hanc tamen addidit conditionem necessariam, ut, si nupserit, nubat tantummodo in DOMINO, 1 Cor. 7: 39. Hæc adjecta conditionata necessitas non facit ipsum actum nubendi esse necessarium, aut etiam abstinentiam à nuptiis esse necessariam; sed nubendi vel non nubendi, libertatem relinquit. Ad illud igitur quod objicitur de omni actione quod sit honesta, vel inhonesta: atque si non honesta, quod sit inhonesta; RESPONDEO: Si nullo modo sit honesta, est inhonesta: at fieri potest ut actio sit uno modo honesta, quæ alio modo non sit honesta, nec tamen propterea inhonesta; ut sunt omnes actiones honestæ liberæ ac licitæ, quæ non sunt imperatæ ac necessariæ, & tales sunt actiones secundum speciem suam mediæ, seu indifferentes.

Duplex consideratio rei mediæ honestæ secundum duplicem ejus oppositionem.

Necessitas quædam hypothetica attingens modum actus secundum suam speciem indifferentis: salva indifferentia & libertate ipsius actus.

Objectioni de honesto & inhonesto, directe respondetur.

XVI. Etsi autem media secundùm speciem suam spectata, neque bona sint, neque mala; quandoque tamen eorum individua, ex circumstantiis, inferiores & specialissimas quasdam species constituentibus, accipiunt rationem boni, aut mali; prout scilicet vel necessitas adhærescentis boni, vel iniquitas adhærescentis mali, ea fieri, vel non fieri; usurpari, vel non usurpari postulat. Unde evenit nonnunquam ut quod heri facere, idipsum hodie omittere expediat, quod tamen postea vel facere, vel non facere poteris arbitratu tuo. Exemplo sit trina mersio, vel tinctio in Baptismo, quam olim ante exortum *Arium* nemo ferè sine scandalo omitteret, postea in quibusdam locis non poterat sine scandalo usurpari, propter *Arianos*; tandem vel omitti, vel adhiberi cœpit liberè, & quidem absque scandalo. Sicut docuimus supra cap. 10. §. 6. Nec temporum solùm, sed diversarum etiam eodem tempore Ecclesiarum consuetudines diversæ in causa sæpe sunt, ut res eadem in una Ecclesia fieri non possit sine scandalo, in alia omitti non possit, in tertia vel omitti vel fieri liberè possit. Neque in una fide quicquam officit consuetudo diversa.

Respondetur ad secundum membrum quæstionis.

Vide lib. 2. cap. 6: 7.

XVII. *Contingit quandoque* (ait Thomas) *aliquem actum esse indifferentem secundum speciem, qui tamen est bonus vel malus in individuo consideratus.* 1: 2. qu. 18. art. 9. Intelligendum hoc est de specie superiore, secreta consideratio-

ne

he circumstantiarum constituentium speciem specialissimam, cum qua specie specialissima concordant in morali bonitate, vel malitia, vel *ἀδιαφορία* omnia individua comprehensa sub illa specie, seu de quibus prædicatur illa species specialissima. Cujusmodi circumstantiæ sunt,

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quæ sunt specificæ quædam differentiæ. Thomas eas vocat, *in processu rationis ordinantis, principalem conditionem objecti determinantis speciem.* 1: 2. qu. 18. art. 10. Regulæ morales quæ de actionibus, intuitu istarum circumstantiarum, traduntur in sacris literis, non spectant immediatè actionem individuam, sed speciem, & mediante specie pertinent ad omnia individua illius speciei. Ut habeamus in syllogismo unam propositionem universalem, hoc modo; *πᾶν ὃ ὐκ ἐκ πίςεως, ἁμαρτία ἐςίν.* Omnis actio quæ non est ex fide, est peccatum: at ista individua actio non est ex fide. Ergo. Item, omnis actio, quæ secundùm speciem, (puta superiorem,) media est, quando eam exerceri postulat necessitas pietatis aut charitatis, est bona, & necessariò exercenda: at hæc individua actio est actio secundùm speciem superiorem media, eamque hoc tempore exerceri postulat necessitas pietatis, aut charitas: Ergo hæc individua actio, est bona & necessariò exercenda. Toto igitur, quod ajunt, cælo erravit Disputator, quando scripsit, istas circumstantias, [quis, quid, ubi, &c.] esse principium individuationis actionis moralis, & inde fieri, ut quamvis multæ reperiantur actiones indifferentes quoad speciem, seu in actu signato, nulla tamen sit indifferens quoad individuum, seu in actu exercito: atque ita actionem in individuo esse vel bonam vel malam, quæ secundum speciem non sit bona vel mala, sed indifferens. Nam istæ circumstantiæ sunt conditiones objecti determinantis speciem, atque adeo sunt specificæ differentiæ; id quod ex ipsis etiam exemplis manifestum est quæ ibi adfert Disputator, inquiens; *Quis*; si magistratus facinorosum occidat, actio bona est; sin autem privatus, mala est actio. *Quid*: si capiat aliquis *sua*, est bona actio; si *aliena*, est mala actio. Quæ exempla quis non videt esse specierum, ex quarum bonitate vel malitia morali colligitur bonitas vel malitia individuorum, quæ sub illis speciebus continentur? Nulla est enim actio bona in individuo, seu in actu exercito, quæ non secundùm aliquam speciem, seu in actu signato bona sit. Et qualis est actio, in genere moris, in actu signato, secundùm speciem specialissimam, talis etiam est in actu exercito, secundum individuum, vel bona, vel mala, vel indifferens. Neque aliter de actionibus individuis, via aliqua ordinaria, *judicari potest, utrum sint moraliter bonæ, vel malæ, vel mediæ, nisi secundùm communes leges de speciebus latas, ut ex specierum bonitate, vel malitia, vel indifferentia, cognoscatur bonitas, vel malitia, vel indifferentia individuorum, quæ sub speciebus illis continentur. Principium autem individuationis actionis moralis est considerationis Metaphysicæ, nihil addens vel detrahens morali bonitati vel malitiæ vel indifferentiæ actionis, sed tantùm actioni tribuens actualem existentiam singularem, eamque constituens in numero entium individuorum sub sua specie.

Rom. 14: 23.

Autor Disputationis contra Anglo-papisticas ceremonias, parte quarta, capitibus 2. & 3.

XVIII. Jam si quis ita argumentetur, ut inferre studeat necessitatem omissionis geniculandi in Cœna, in ECCLESIA SCOTICANA, ex hoc quod res secundùm speciem indifferens, quandoque existat secundùm individuum necessaria: retorquebo argumentum, & inde evincam necessitatem geniculandi hoc tempore, quia in re secundùm speciem suam superiorem libera, necessitatem praxeos (salva judicii libertate) imponit nobis necessitas obediendi Ecclesiæ, & necessitas ordinis, & decori & pacis, & ædificationis. Et hanc obedientiæ in talibus necessitatem imposuit nobis Lex DEI; adeo ut quamvis genuflexio in hujus Sacramenti celebratione non sit *antecedenter & immediate** de jure divino necessaria, quomodo necessaria est acceptio, *& comestio, sed hoc respectu sit libera; *Consequenter* tamen & *mediante legitima Ecclesiæ authoritate* sit jam nobis necessaria, non quidem *necessitate rei*, sed *necessitate obedientiæ, & ordinis, & pacis*, &c. Cujus obedientiæ, & ordinis intuitu atque interventu ipsa genuflexio, alioqui in se media, evasit pro tempore quoad praxin quodammodo necessaria etiam de jure divino, adeo ut omitti per inobedientiam & contemptum non possit absque peccato, id est, absque violatione juris divini. De tali necessitate egregiè disserit JOANNES CALVINUS, lib. 4. Institut. cap. 10. Sect. 5: 30, 31. Ejus verba invenies à nobis citata, lib. 2. hujus IRENICI, cap. 3. Num. 2. & 3. & cap. 11. num. 17. & cap. 4. num. 3.

Necessaria est privatis Pastoribus, & plebibus Scoticis hoc tempore geniculatio, estque hac necessitas jam de jure divino, non quidem antecedenter & immediatè, sed consequenter & mediatè: non necessitate rei, sed necessitate obedientia, & ordinis, & pacis, &c.

CAPUT XIII.

Proponitur quæstio, De necessitate & indifferentia individuorum actuum, *cum argumento* THOMÆ, §. 1. *Opponuntur* THOMÆ, BONAVENTURA, SCOTUS, DURANDUS, *& ipse* THOMAS, §. 2, 3, 4, 5. *Aliter respondetur secundum communia principia, per distinctionem, inter actum ipsum, & ejus directionem, fidemque agentis, & clarius explicatur status controversiæ nostræ*, §. 6, 7. *Conciliatur responsio cum doctrina* THOMÆ, §. 8. *Objectio*, §. 9. *Solutio*, §. 10. *Regula*, §. 11. *Determinatio exercitii actus liberi nihil ei addit bonitatis*, §. 12. *Distinctio malitia*, §. 13. *Miseria obstinatè errantium*, §. 14.

I. SED quæres ex me, quid de illa THOMÆ AQUINATIS sententia judicandum sit, qua concludit *necesse esse, ut omnis actus hominis à deliberativa ratione procedens in individuo consideratus, bonus sit vel malus: idque hoc argumento, quod omnis actus à ratione deliberativa procedens, vel ordinetur ad debitum finem, puta ad gloriam* DEI, (*cum rationis sit ordinare*) *atque ita conveniat cum ordine rationis, & inde habeat rationem boni: vel non ordinetur ad debitum finem, & ex hoc ipso repugnet rationi, habeatque rationem mali.* Sic *THOMAS*, in prima secundæ. Quæst. 18. art. 9.

Proponitur quæstio.

II. Respondeo. Opponere possemus THOMÆ, BONAVENTURAM, & SCOTUM, qui docent multos esse ejusmodi actus indifferentes, etiam secundum esse quod habent in esse morali. In 2. Sent. Distinct. 41. & DURANDUM, in 2 Sent. Distinct. 40. qu. 2. & ipsum THOMAM, in 2 Sent. Dist. 40. quæst.

1 Responsio, qua authoritati opponitur authoritas, cum Authorum rationibus.

BONAVENTURA.

40. quæst. 5. ad 6. & 7. Ubi THOMAS aliquos actus ponit indifferenres *Iste modus dicendi*, (inquit *BONAVENTURA*) *quo quidem dicunt bonum & malum immediatè dividere actionem deliberativam, nihil enim facere hominem ex deliberatione quod* DEUS *non reputet ei ad præmium, vel non imputet ei ad aliquod demeritum: iste modus dicendi, aut multum ampliat viam salutis, aut multum coarctat. Nam ad hoc quod sit opus meritorium*, (meritorium opus dicunt Scholastici, quod potius dicendum remunerabile apud DEUM, remuneratione æterna,) *aut dicent requiri actualem relationem illius operis ad* DEUM, *& in particulari. Aut dicent sufficere relationem in habitu, & in universali. Si dicant quod requiritur relatio in particulari: nimis est arcta via salutis: Quia tunc in omni opere quod homo non refert actualiter in DEUM, demeretur & peccat, quod valde severum est dicere: si verò sufficeret intentio habitualis, & in universali, tunc quando aliquis proposuisset in corde suo servire DEO in principio anni vel mensis, vel septimanæ, vel diei, omnia opera quæ postea faceret, etiam nihil cogitans de DEO, essent sibi meritoria. Sed si hoc dicatur, valde ampliatur & largatur via salutis: & in hoc auctoritatibus Sanctorum obviatur, qui dicunt eam esse valde arctam.* Hæc *BONAVENTURA.*

DURANDUS.

III. *DURANDUS* etiam, in lib. 2 Sent. dist. 40. quæst. 2. §. 11. *Dicendum* (inquit) *quod non omnis actus à deliberatione procedens est meritorius, vel demeritorius vitæ æternæ, sed sunt complures indifferentes; etiam in habentibus gratiam.*

SCOTUS.

IV. SCOTUS autem, in 2 Sent. Dist. 41. tripartitam proponit distinctionem relationis actus ex charitate in finem ultimum: *Potest* (inquit) *actus referri ex charitate in finem ultimum tripliciter. Uno modo ACTUALITER, sicut cogitans actualiter de fine diligit illum, & vult aliquid propter illum. Alio modo VIRTUALITER, sicut ex cognitione & dilectione finis deventum est ad volitionem hujus entis ad finem, puta ex cognitione & dilectione* DEI *pertinente ad portionem superiorem, portio inferior considerat talem actum, puta pœnitentiæ, esse assumendum, & postea illum exsequitur volendo, non tamen tunc referendo in finem, quia nec tunc actualiter cognoscitur, nec diligitur. Tertio modo HABITUALITER, puta si omnis actus referibilis in finem, manens cum charitate, quæ est principium referendi, dicatur referri habitualiter.* Hæc SCOTUS. Qui ibidem concludit hominem non teneri referre semper actum suum in *DEUM* actualiter, vel virtualiter; *DEUM* enim non obligasse nos ad hoc. *Ideoque multos esse actus indifferentes, in quibus neque sit ea deordinatio quæ sufficiat ad rationem peccati, neque sufficiens ratio bonitatis ut sint meritorii; quia sola habitualis relatio non videtur sufficere ad meritum, neque ulla minor relatio quam relatio virtualis:* Cum tamen existant multi actus humani liberè eliciti, qui neque actualiter, neque virtualiter ad finem ultimum referuntur, quamvis eis non desit relatio habitualis.

BONAVENTURA.

V. BONAVENTURA autem ibidem: *Non omnis actio* (inquit) *non ordinata ad* DEUM *tanquam ad finem, est mala. Quia quædam non ordinatur propter inordinatam conversionem ad creaturam: quædam verò non ordinatur propter operantis negligentiam: quædam verò non ordinatur propter operantis infirmitatem, & miseriam. Prima differentia actionis non ordinatæ est mala malitiâ commissionis. Secunda est mala malitiâ omissionis. Tertia verò neutro modo est mala, sed est indifferens.*

Concedendum est igitur quod divisio actionis per bonam & malam, non est per differentias immediatas, pro eo quod inter has differentias contingit reperiri medium: sive actio consideretur secundum genus operis, sive respectu operantis. Hæc ille. Quibus admissis labefactatur illa THOMÆ immediata distinctio.

VI. Verum quia ad præsentem nostram quæstionem nihil interest, sive THOMÆ, sive BONAVENTURÆ, & SCOTI amplectaris sententiam: Respondebimus secundum communia principia. Dicimus igitur distinguendum inter ipsum actum, & actus directionem fidemque agentis. Nam fieri potest ut actus secundum speciem suam superiorem bonus, neque ad rectum finem dirigatur, neque ex fide procedat: ut quando hypocritæ dant Eleemosynam: item ut actus in se malus bono quasi fine suscipiatur, nec tamen inde existat actus ipse licitus, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona.

2 Responsio, qua ostenditur illam ipsam Thomæ assertionem non obesse præsenti nostræ causæ. Quia hypothetica necessitas directionis & fidei, sub hypothesi, si fiat actus, non importat necessitatem ipsius actus.

VII. Jam autem in quæstione de actibus mediis, quando actus medios, etiam in individuo, defendimus, non negamus relationem, saltem habitualem, actus in DEUM esse necessariam: sed negamus actus ipsius necessitatem, & bonitatem remunerabilem remuneratione æterna. Et in hac cum fratribus quæstione hoc bonum est quod necessarium, seu ad quod nos DEUS obligat, hoc autem medium quod liberum. Quamvis autem id neget Disputator, inquiens, *Nequaquam: Imò verò eas actiones vocamus moraliter bonas, & non indifferentes, quæ concordant cum recta ratione, sive sint necessariæ, sive non sint necessariæ.* Sed hujus mox immemor, capite ibidem sequente sibi ipse contradicit: ait enim; *Porro contendimus, nunquam esse licitum factu, nisi sit etiam necessarium, quamvis non necessitate absoluta seu consequentis, attamen necessitate consequentiæ, sive ex suppositione. Vel enim expedit, vel non expedit: si sit expediens, debet fieri, estque factu necessarium, nec illud omittere fas est: sin autem non expediat, non licet illud facere. Atque adeo nunquam nobis indifferens & liberum est facere illud vel non facere, arbitratu nostro.* Quibus verbis agnoscit Disputator, eum quem proposui quæstionis statum. Agimus enim nunc de actionibus voluntatis deliberativæ, qua deliberativa est. Ut supra monuimus, cap. 12. §. 7. Neque controversia nostra est de hypothetica necessitate relationis, seu directionis omnium nostrorum actuum ad DEUM, ut aliquo sensu boni sint, aut non mali, si exerceantur. Etsi fatetur quoque THOMAS *non esse ut intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni, sed sufficere ut aliquando actualiter omnes actuum nostrorum fines in finem ultimum referantur. Sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad DEI dilectionem dirigere: Tunc enim* (inquit *THIOMAS*) *quicquid ad seipsum ordinat homo, in DEUM ordinatum erit: & ut homo habitualiter in DEO constituat finem suæ voluntatis, qua habitualis ordinatio in actum quandoque exeat.* Sic Sententiam suam explicat THOMAS, in 1 Sent. Dist. 1. qu. 3. & in 2 Sent. Dist. 40. qu. 5. ad 6. Scimus ex præcepto Apostolico, sive edamus, sive bibamus, & quandocunque, & ubicunque, aut cum quibuscunque; aut quicquid ederimus, aut biberimus, aut aliter fecerimus, illud omne ad DEI gloriam faciendum esse. 1 Corinth. 10.

Status nostræ quæstionis.

Disp. contra Anglopapist. cæterum. part. 4. cap. 2. sectione 4. Ibidem, cap. 3. sect. 9.

De

De hac directionis (saltem habitualis) necessitate, supposito actu, nulla est inter nos controversia, sed quæritur de necessitate ipsius actus signati, seu exercitii illius actus, Vel, ut quæstionem proponit Disputator, an sit aliquid indifferens in actu exercito. Et *dicimus individuam actum à nobis sæpe ex voluntate etiam deliberativa exerceri sine peccato, quem ex voluntate deliberativa omittere possemus, aut ejus oppositum indifferens facere etiam sine peccato; quamvis sive cessemus, sive hunc aut oppositum actum exerceamus, omnia in* DEI *timore, & ad* DEI *gloriam referenda sint. Et tales actiones earumque omissiones appellamus indifferentes seu liberas, prout indifferens seu liberum opponitur necessario moraliter, quod vel necessariò faciendum, vel necessariò omittendum est, necessitate legis divinæ: quæ moralitatis actuum nostrorum suprema regula est.* Quemadmodum quicquid non ex fide est, peccatum est. Rom. 14: 23. Non tamen ad evitandum peccatum necessaria mihi de omni actione est ea fides, qua credam necesse mihi esse hoc agere: sed in multis sufficit ea fides qua veraciter ex idoneo fundamento credam licere mihi hoc agere; etiamsi simul credam certoque sciam licere mihi omittere eam actionem, aut etiam oppositam actionem indifferentem exercere. Ea enim bonitas quæ actionibus mediis accedit ex fide, aut ex directione in finem ultimum, non importat ipsarum actionum necessitatem, sed tantummodo necessitatem fidei in agente, & directionis actus in ultimum finem. Et hæc fides atque directio non sunt res mediæ, sed necessariæ, etiam in actionibus, & omissionibus mediis; salva tamen ipsarum actionum & omissionum libertate, & indifferentia.

Thesis nostra per quam directè respondetur ad eam quæstionem quæ à fratribus movetur.

Necessitas directionis actus, & fidei in agente, non tollit indifferentiam, & libertatem ipsius actus.

Neque ferendum est ut tale jugum conscientiis Christianorum imponatur, per quod perpetuæ trepidationi subjaceantur, ut scilicet omnem individuum actum existiment esse necessarium: hoc est vel necessariò exercendum, vel necessariò omittendum. Nam dum cogitant aliquid facere, aut omittere, de quo nihil præceptum esse inveniunt in sacris Literis, quonam se convertent hominum conscientiæ, & ubi securitatem invenient, nisi intelligant libertatem ipsis circa talia relictam esse, eâque libertate utendum absque transgressione generalium illarum regularum de Ordine, Pace, Decoro, Ædificatione? &c. Vidua nubens, aut nubit in DOMINO, aut non in DOMINO. Si hoc, peccat; si illud, rectè facit; nam præcipitur nubentibus, ut nubant in DOMINO. Et sic hæc actio, respectu adjecti modi, est vel bona, vel mala: quamvis in se sit media, & libera, etiam in individuo considerata. Quamvis enim nubenti necesse sit nubere in DOMINO; ut tamen vidua nubat non est necesse; sed indifferens est, & liberum. Ideoque potest vidua sine peccato nubere, vel non nubere. Si SEMPRONIA vidua nubat TITIO, necesse est ut ei nubat in DOMINO: si, posthabito TITIO, nubat CAIO; necesse est ei nubat in DOMINO: si, utroque rejecto, nubat POMPONIO, necesse est ei nubat in DOMINO; si nullis implicita nuptiis cœlebs vivat, necesse est cœlebs vivat in DOMINO: & tamen liberum est SEMPRONIÆ viduæ, vel nubere, vel cœlibem vivere: atque, si eligat nubere, liberum est illi, arbitratu suo, cui velit nubere, sive TITIO, sive CAIO, sive POMPONIO. Ex hoc exemplo patet, generalem illam bonitatem, quæ omni actioni aut omissioni necessaria est, non imponere necessitatem ipsis actionibus, ut à nobis necessariò, vel exerceantur, vel omittantur: sed, ea non obstante, manere multas actiones medias, id est, liberas, etiam quoad individuum, seu in individuo, hoc est, multas etiam individuas actiones esse indifferentes.

Perniciosa & non ferenda conscientiarum servitus.

Illustre exemplum.

Necessitas bonitatis illius generalis, de qua loquutus est Thomas, non imponit necessitatem [illegible]di vel omittendi.

Ad argumentum autem illud Disputatoris, superius memoratum, sumptum ab expedientia vel non expedientia actionis quæ in deliberationem venit, respondeo; Necessitas moralis in Theologia, in foro conscientiæ, non à rei expedientia vel non expedientia, sed à Dei lege imperante vel prohibente pendet: *Ubi enim non est lex, neque transgressio est. Et peccatum est ἀνομία*, id est, *legis transgressio.* Ideo rectè dixit *Guil. Amesius*, omne opus malum prohiberi, & omne opus bonum imperari. & citat Philip. 4: 8. Et huc accommodari potest illud, *Cuncta licerent, nisi jura vetarent.* Extra, de translatione Episcopi, cap. 2. *Inter corporalia.* in Glossa. Et illud *Augustini*; *Non tanto pondere prohibendi sunt homines facere licita, quamvis non expediant, quanto pondere prohibentur illicita.* Conjugium non ideo illicitum est, quia non expediens: neque ideo est necessarius cœlibatus, quia est expediens: ut patet ex doctrina Apostoli, 1 Corinth. 7. neque rei non necessariæ, sed tantummodo expedientis omissio peccatum est: ut ibidem docet Apostolus, vers. 28. & 35. & 38, 39, 40. Nempe quia non est divini alicujus præcepti transgressio. Præterea sunt etiam nonnullæ actiones quas parum aut nihil interest, quoad ipsam etiam expedientiam, vel inexpedientiam, utrum exerceantur, vel omittantur. Quamvis, ut jam ostensum est, expedientia vel inexpedientia non importet necessitatem. Manent igitur, sicuti diximus, multæ etiam individuæ actiones indifferentes, seu liberæ, adeo ut multa sine peccato faciamus quæ possemus omittere sine peccato, vel diversum facere: & multa omittamus sine peccato, quæ sine peccato facere possemus.

De expedientia.

Rom. 4: 15.
1 Joan. 3: 4.
Guil. Amesius, in Bellarm. Enervato, Tom. 2. lib. 4. cap. 2. §. 1.
August. lib. de adult. conjug. cap. 20.

VIII. Neque repugnat THOMAS, dum contendit omnem actum individualem à voluntate deliberante procedentem esse vel bonum, vel malum; neque ullum esse actum ejusmodi, qui neque bonus sit neque malus, quia (secundum THOMÆ sententiam) quoad intentionem & directionem in finem erit vel bonus, vel malus. At non dicit THOMAS omnem actum, qui, si præstetur, erit sic bonus, esse præstitu necessarium; ejusque oppositum, omisso altero, præstari non posse sine peccato, adeoque nullum actum individualem esse liberum, qui sine peccato præstari, vel omitti, & cujus oppositum fieri liberè possit. Hoc non dixit THOMAS, neque ulli sano unquam in mentem venit.

Novum hoc commentum nihil habet præsidii in doctrina Thomæ, neque cuiquam sano unquam in mentem venit. Vide lib. 2. cap. 1.

IX. At, inquies, si omnis actio individualis sit vel bona, vel mala, saltem ratione directionis in finem ultimum, sequetur, omnem actionem vel commendare hominem *DEO* ad mercedem, vel polluere hominem coram *DEO*. Quod autem commendat hominem *DEO* ad mercedem, debet fieri, adeoque est factu necessarium: & quod hominem polluit coram *DEO*, debet non fieri, adeoque est omissu necessarium: omnis igitur actio individualis voluntaria, est legaliter necessaria, neque est ulla actio indifferens, seu libera, quæ sine peccato, vel fieri, vel omitti liberè possit.

Objectio.

X. Respondeo. Actionis individualis bonitas alia est actioni quidem necessaria, at ipsam actionem non faciens necessariam; alia est ne-

Respon. Distinctio bonitatis in necessa-

cessitans, ut ita loquar, seu necessariam faciens ipsam actionem: Item, alia est bonitas actionis propter quam fit ipsa actio, alia autem sine qua non bene fit actio, quamvis propter eam non fiat. E. g. veritatem & pacem diligere & sectari actio bona est, bonitate legali necessitante hanc actionem, quia præcipitur ipsa actio: at festucam de terra tollere, quam sine peccato illic linquere posses, actio est bona quidem per bonitatem directionis in finem ultimum, & per bonitatem originis, quia fit ex fide certaque scientia qua credis & scis licere tibi hoc facere: quæ bonitas huic, & omni humanæ actioni necessaria est, nec impedit quo minus actio ipsa sit indifferens: at non est bona bonitate aliqua necessitante hanc actionem. Item, in rebus mediis, quando actionem aliquam secundum speciem suam indifferentem prudens exerceo vel omitto, ad evitandam dationem scandali alioqui inevitabilem, aut propter necessitatem legitimæ obedientiæ, actio ea jam bona est bonitate morali, seu legali *propter quam* fit ipsa actio: at quando actio, quam exerceo, neque est secundum speciem, aut individuum lege DEI imperata, neque ulla specialis bonitas moralis & Theologica est causa specialis actionis; sed tantummodo actionem comitatur illa generalis bonitas originis ex fide, & directionis ad finem ultimum, actio ea bona quidem est *bonitate generali, & concomitante sine qua non*, at non est bona *bonitate speciali, & propter quam, seu specialiter caussante.* His præmissis distinctionibus, facilis est propositæ objectionis solutio: nam actio bona *bonitate necessitante, & bonitate propter quam*, commendat hominem DEO ad mercedem ex promissione divina. At actio bona *bonitate tantum concomitante, & actioni necessaria, sine qua non bene fit actio*, non commendat hominem DEO ad mercedem. Quamvis ipsa bonitas generalis actionem comitans commendet hominem DEO ad mercedem, est enim necessaria, at actus non est necessarius: & absque hoc actu haberi potest bonitas ea generalis æque in omissione hujus actus, aut etiam in executione diversi, vel oppositi actus. Quocirca ut per hanc generalem bonitatem commendetur homo DEO ad mercedem, non est iste actus necessarius: sed manet homini, respectu istius actus, plena arbitrii libertas moralis, tum ea quæ exercitii seu contradictionis dicitur, tum etiam ea quæ specificationis seu contrarietatis libertas appellatur. Id quod supra illustravimus evidenti exemplo Matrimonii viduæ.

riam & necessitantem. Item in eam propter quam & eam sine qua non.

Bonitas actionis, alia est concomitans, alia caussans actionem. Solvitur objectio.

Duplex arbitrii libertas moralis.

XI. Et in genere, nullus actus est necessarius, cujus bonitas omnis commendans DEO hominem ad mercedem æquè haberi potest omisso illo actu, aut in alio actu; sed talis actus, etiam in individuo consideratus, liber est & indifferens. Sin autem bonitas simpliciter necessaria haberi nequeat absque ipso signato actu, secundùm speciem specialissimam, ejusque exercitio, tunc actus ille est necessariò exercendus, estque necessarius etiam in individuo, seu in actu exercito, quamvis fortasse secundùm speciem suam superiorem sit indifferens. E. g. nobis jam necessarium est in Cœna Domini genua flectere, ut habeatur necessarium bonum debitæ obedientiæ, & decentis uniformitatis in Ecclesia SCOTICANA, & evitetur malum contemptus authoritatis Ecclesiasticæ & nefarii schismatis, & confusionis.

Regula de actuum necessitate, & libertate, seu indifferentia.

XII. Bonitas homini simpliciter necessaria est, ut quicquid agit, ex fide agat, & ad DEI gloriam. At verò ut hunc liberum actum exerceat, ex fide & ad DEI gloriam, non est simpliciter, sed tantum hypotheticè necessarium, nempe, si exerceat hunc actum, necesse est ut id ex fide & ad DEI gloriam faciat: ipsa autem determinatio exercitii nihil addit bonitati illi quæ hominem DEO commendat ad mercedem: nam æque haberi potest absque illa determinatione.

Determinatio exercitii actus liberi, & prorsus indifferentis, nihil ei addit bonitatis.

XIII. Attendenda etiam distinctio malitiæ. Nam alia est malitia non solum polluens, sed etiam impediens actum, impedimento morali sive legali, quando scilicet ita inhæret actui malitia ut absque ea malitia actus ille exerceri non possit: qualis est malitia adulterii, & malitia dati scandali, aut impiæ inobedientiæ etiam in rebus secundum speciem suam adiaphoris. Et ad evitandam hanc malitiam necesse est omittere ipsum actum. Alia est malitia actum quidem polluens, si adsit actui, at non impediens actum, quia actus potest aut debet præstari absque ista malitia; neque propter istam malitiam omittendus est actus, sed, quoad ejus fieri potest, amolienda duntaxat ipsa malitia. Qualis est malitia jactantiæ, propter quam hypocrita pascit pauperem; nam ad evitandum istam malitiam, non est necesse omittere ipsum actum pascendi pauperem, sed alio affectu præstandus est actus. Talis est malitia incredulitatis, quæ adhærescit fidei, nec tamen propterea debemus non credere, sed credendum, & clamandum, *Credo DOMINE, succurre incredulitati meæ*; & non imputabitur incredulitas, sed fides, & pœnitentia apud DEI misericordiam prævalebunt per DOMINUM nostrum JESUM CHRISTUM. Si quis, in rebus mediis, aliquid licitum ab Ecclesia (salvis illis libertatis legibus, de quibus supra Cap. 11. Sect. 5, 6, 7.) præscriptum, agat, quod nesciat esse licitum, vel quod existimet non esse licitum, vel quod dirigat non ad DEI gloriam, sed ad illicitum aliquem finem; puta, si, jubente ECCLESIA, in sacra COENA flectat genua, nesciens hoc sibi per legem DEI licere, vel existimans non licere, vel actum illum dirigens ad illicitum finem, mala quidem erit illa genuflexio, malitia actum polluente; at neque omitti pertinaciter potest ipse actus, absque peccato, quia non absque manifesta inobedientia adversus Ecclesiam, in ea re in qua ei obedientia debetur: neque excusat indocilis & pertinax inscitia. Debet autem sine ea malitia actus ipse exerceri: nam officium nostrum, & scire tenemur, & facere. Malitia verò impediens reddit ipsum quoque actum omissu legaliter necessarium.

Distinctio malitiæ actuum, alia est malitia actum polluens & impediens: alia est tantummodo polluens, si adsit, non autem impediens actum.

Marc. 9: 24.

Pertinax inscitia non liberat à peccato contumaciæ.

XIV. At, inquies, obedire ECCLESIÆ, in re aliqua, contra propriam conscientiam, non placet DEO, sed est peccatum; quia non ex fide. Roman. 14: 23. Hebr. 11: 6.

Objectio.

Respondeo. Hoc quidem verum est: sed æquè verum est, peccare eum qui ex pertinaci conscientiæ errore non audit DEI ECCLESIAM, Matth. 18: vers. 17. Talis error non facit bonam conscientiam, neque liberat ab officio necessario, aut à transgressionis pœna, Luc. 12: vers. 40. Vide etiam Hos. 4: 6, 12. Joan. 16: 2. Rom. 10: 2, 3. Hæc stultitia [ἀφροσύνη] polluit hominem, Marc. 7: vers. 22. Sic igitur errantes, sive obediant Ecclesiæ, peccant, malitia actum polluente, sive obedire detrectent peccant, malitia ino-

Respon. Miseria eorum qui salubribus Ecclesiæ decretis per obstinatum conscientiæ errorem pertinaciter resistunt.

inobedientiam istam etiam impediente, id est, propter quam vitari debebat inobedientia: atque ita inter duo genera funerum miseri, iniquitatis suæ laqueis undique irretiti tenentur. Unicum remedium est, ut, deposito fastu, & abjecta pertinacia, humilem docilitatem induant, & discant veritatem, eique agnitæ ex fide obsequantur. Et veritas eos liberabit.

CAPUT XIV.

Respondetur ad argumenta pro Paradoxo allata.

Primum argumentum, §. 1. *Responsio*, §. 2. 3. *Secundum argumentum*, *cum responsione*, §. 4. *Tertium argumentum*, *cum responsione*, §. 5. *Quartum argumentum*, *cum responsione*, §. 6.

I. POSTQUAM de re ipsa prolixè disseruimus, audiamus jam paradoxi abs te propositi probationes, quas adfers.

I. *Omnis actio*, inquis, *est bona*, *vel mala*; *ergo nulla indifferens*: *probatur antecedens*: *Omnis actio*, *quæ bonitatis omnes circumstantias habet*, *vel quæ aliqua destituitur*, *est vel bona vel mala*: *at omnis actio vel bonitatis circumstantias*, *&c. Ergo. In hoc argumentum incidit* Ambrosius Catharinus *in Synodo* Tridentina, *innixus auctoritati* Thomæ.

II. Respondeo, omnem actionem esse bonam vel malam negant BONAVENTURA, & SCOTUS, & DURANDUS: quatenus autem secundùm ipsius THOMÆ mentem admittenda sit hæc distinctio, ex superioribus patet: nempe non ita esse qnamlibet actionem vel bonam, vel malam, ut vel exercenda, vel omittenda sit, necessitate legis divinæ. Quo concesso nihil eviceris, quod ad præsentem controversiam pertineat. Nam qui actionum indifferentiam apud nos oppugnant, eò collineant, ut libertatem Ecclesiæ adimant statuendi de ipsarum actionum exercitio, vel omissione.

III. Subjungis antecedentis quatuor probationes, ad præsentem inter nos quæstionem nihil pertinentes: ad quas tamen, quia abs te sunt propositæ, respondebimus. Ad primam: Bonitatis actionem necessitantis, ejusque indifferentiam, seu libertatem tollentis, necessaria circumstantia est præceptio divina: hæc omni non malæ actioni non adest. Neque est ullus actus malus, malitia impediente, nisi sit prohibitus. De mente autem THOMÆ supra abunde disseruimus. Quid CATHARINO visum fuerit nihil moramur.

II. IV. *Quæ actio*, inquis, *regitur ratione*, *prudentia*, *deliberatione*, *fide*, *vel non regitur*, *ea vel bona est*, *vel mala*: *at omnis actio hominis rationalis*, *prudentis*, *Christiani*, *ratione*, *&c. regitur*, *vel contra*: *Ergo*.

Respondeo: Potest actio libera, seu indifferens istis regi, quia tale regimen non tollit indifferentiam, neque importat eam bonitatem quæ libertati opponitur, sicuti abunde patet ex cis quæ supra disseruimus, & exemplo illo matrimonii viduæ declaravimus.

III. V. *Qualis est finis proximus*, *talis actio*. *Hæc enim ab illo præcipuè specificatur*: *omnis finis præcisè est bonus*: *Ergo*.

Respondeo: Hic velle videris omnem actionem esse bonam, atque ita evertes illam disjunctionem; & concludes nullam esse malam: nam etiam malè agentes habent sibi finem aliquem propositum. Deinde finis actionis proximus, sive internus, est ipsa actionis plena executio, quæ vel bona, vel mala censenda est secundùm morales regulas actionum. At vero non omnis actio, aut actionis plena executio, secundum eas regulas bona est. At *finis*, inquis, *omnis est præcisè bonus*: nempe vel verè vel secundùm opinionem intendentis. At ea opinio non mutat naturam actionis, neque adfert veram bonitatem, neque liberat à malitia morali.

VI. *Omnis actio capax bonitatis*, *vel malitiæ*, (*ut ita dicam*) *ea*, *si secundùm* DEI *voluntatem optimam fiat*, *bona est*, *&*, *si bona non est*, *saltem ut bona esset conveniéntius est*, *magisque expedit*: *at omnis actio est capax bonitatis*, *&c. Ergo*. IV.

Respondeo: Distinguenda est ea loquutio, qua dicis actionem fieri secundùm DEI VOLUNTATEM OPTIMAM. Nam si per OPTIMAM VOLUNTATEM, intelligatur præceptio divina, erit actio haud dubiè bona, quippe præcepta, at non continuò erit ea actio mala quæ non fit secundum hanc voluntatem; nam sunt actiones multæ liberæ non imperatæ, nec tamen malæ, quia non sunt prohibitæ. Et convenientius est eas actiones esse liberas, id est, neque bonas, neque malas, quia DEUS convenientius esse judicavit eas, nec præcipere, nec prohibere. Sin autem per optimam DEI voluntatem, intelligatur optima, & sapientissima dispositio divina, quâ rerum actionumque naturas ordinesque distinxit; omnis quidem actio, quæ secundum eam fit, erit bona bonitate quadam naturali, seu bonitate congruentiæ: at non bonitate morali. Sic DEUS disposuit ut astra circumrotentur, mare æstuet, bos mugiat, canis latret, & ut hominibus quædam voluntariæ actiones sint legaliter necessariæ, quædam sint illicitæ, quædam verò nec necessariæ sint, nec illicitæ, sed liberæ, sive indifferentes. Quocirca ut actio moraliter bona sit, non sufficit quod fiat secundùm hanc DEI OPTIMAM VOLUNTATEM. Neque convenientius est, omnem actionem esse moraliter bonam, quia aliter secundùm optimam suam voluntatem disposuit DEUS. Quamvis hactenus bonam esse necesse sit, necessitate legali, omnem actionem voluntariam, ut non sit mala, quo sensu omnis actio indifferens & licita potest dici bona: etiamsi non sit bona eâ bonitate quæ indifferentiam & libertatem tollit.

Ex Epistola reverendi & doctissimi Symmystæ, Collegæ mei, D. *Roberti Baronis*, SS. Theol. Doct. & Professoris.

De actionum necessitate & indifferentia.

Actio aliqua potest dici duobus modis necessaria: videlicet, vel necessitate absoluta obligante ad ipsum actum exercendum, (quam, Irenici lib. 1. cap. 13. §. 7. vocas necessitatem ipsius actus signati, seu exercitii illius actus,) vel necessitate hypothetica, quæ videlicet obligat non quidem ad ipsum actum exercendum, sed si exercendus sit, ad eum tali modo exer-

cendum, videlicet, ex fide & in gloriam Dei. Hanc necessitatem fusè & doctè explicas eodem §. docesque eam non repugnare illi indifferentiæ actionis, de qua fratres quidam nobiscum litigant. Duobus enim modis potest actio aliqua individualis dici media seu adiaphora. 1. Quia neque bona est moraliter, neque mala. 2. Quia neque necessariò est exercenda, neque necessario omittenda, quia videlicet deest necessitas illa absoluta obligans ex præcepto ad actum illum exercendum aut omittendum. Priorem quidem ἀδιαφορίαν negas, cum Thoma, & ipsis illis fratribus. Alteram autem, contra aliter sentientes, everso eorum argumento, tueris. Id quod jure optimo facis, sicut manifestum est ex ea indifferentia quæ datur in actibus etiam quoad speciem actus consideratis. Nam nubere in Domino, & cœlibem vitam agere in Domino, si in sua generalitate accipiantur, non individuales, sed specifici actus sunt, utpote communes omnibus qui in Domino vel nubunt vel cœlibatum colunt: & tamen de his actibus specificis duo affirmo: 1. Quod sint medii seu adiophori priori illo modo indifferentiæ; sunt enim boni moraliter & à Deo præcepti, non quoad exercitium ipsorum actuum nubendi & cœlibem vitam ducendi, sed quoad modum istos actus exercendi. 2. Quod sint medii posteriore illo modo, quia huic & illi liberum est vel nubere in Domino, vel cœlibem vivere in Domino, ut tu in fine istius §. doces exemplo Semproniæ viduæ. Hinc, in ea quæstione de adiaphoria actuum, ad perficiendam illam communem distinctionem, inter actus quoad speciem & quoad individuum, addenda omnino videtur altera illa distinctio, inter actus consideratos quoad nudum exercitium actus, & quoad modum eos exercendi. Nam τὸ nubere, sive in specie sive in individuo acceptum, si per se & quoad nudum exercitium actus consideretur, est adiaphoron & priori & posteriori modo: nam me ducere hanc mulierem in uxorem (quod individualem actum importat) si per se & nude consideretur, sicut neque est mandatum à Deo neque prohibitum, ita neque bonum est moraliter neque malum: at si consideretur quoad modum illius faciendi, videlicet, in Domino, tunc non est adiaphoron priori illo modo, sed posteriori tantum: nam nubere in Domino, sive in specie sive in individuo consideretur, est bonum moraliter, & sic non est priori modo adiaphoron: attamen neque à Deo absolutè præcipitur, neque absolutè prohibetur, sed tantùm hypotheticè præcipitur, ut videlicet, si nubamus, in Domino nubamus, & sic est posteriori modo adiaphoron. Quia proximo nostro colloquio ὁμόνοια nostra pergrata tibi accidit, propterea hæc ad te scripsi, ut me eadem tecum de hac quæstione unanimiter sentire pro comperto haberes.

Hactenus D. Robertus Baronius.

ROM. XVI. 27.

Soli sapienti DEO, Gloria, per JESUM CHRISTUM, in secula. Amen.

IRE-

IRENICI

LIBER SECUNDUS,

Testimonia exhibens Ecclesiarum Reformatarum & Scriptorum Ecclesiasticorum,

DE PRÆMISSIS ALIISQUE ARTICULIS ET QUÆSTIONIBUS.

Una cum pleniore dissertatione de politia Episcopali, & alia breviore de gestu Eucharistico & mensali.

Adjectis etiam antiquitatis Testimoniis.

Quorum omnium notitia multum conducit ad hanc pacificationem quam sincerè quærimus, & seriis supplicationibus à DEO pacis flagitamus, & ex immensa ejus indulgentia speramus.

CAPUT PRIMUM.

Esse quasdam res etiam circa cultum divinum medias sive indifferentes.

Joannes Calvinus, *Lib.* 4. *Instit. Cap.* 15. §. 19.

Num. I. *Ergo utrum* totus qui tingitur, idque ter an semel, an infusa tantùm aqua aspergatur, minimum refert: sed id pro regionum diversitate Ecclesiis *liberum* esse debet. Quanquam & ipsum baptizandi verbum mergere significat, & mergendi ritum veteri Ecclesiæ observatum fuisse constat.

Item, Cap. 17. §. 43.

II. Quod ad externum actionis ritum spectat, in manum accipiant fideles, [*Panem Eucharisticum*] necne, inter se dividant, aut singuli quod sibi datum fuerit, edant: Calicem in Diaconi manu reponant, an proximo tradant: Panis sit fermentatus, an azymus: Vinum rubrum an album: nihil refert. *Hæc indifferentia sunt, & in Ecclesiæ libertate posita.* Quanquam certum est, veteris Ecclesiæ ritum fuisse, ut omnes in manum acciperent. Et *Christus* dixit, *Dividite inter vos.*

Idem, in Confutatione Hollandi.

III. Iis rebus, quæ suapte natura vitiosæ non sunt, liberè nos posse uti, aut ab illarum usu abstinere, observandum est. At ubi liquet rem malam esse, longè alia est servanda ratio. ——— Res erat media, hoc est, neque bona, neque mala, ad concordiam & conjunctionem *Judæorum* ac *Gentium* fovendam, aliquam interdum cæremoniam observare: usque dum cæremoniarum abrogatio perfectè intelligeretur. ——— Opera omnia sua natura, aut bona sunt, aut mala, aut media. Hæc *Calvinus*.

Plura autem adferemus in hanc sententiam testimonia infra cap. 16. & alibi passim.

CAPUT II.

Publicum in rebus mediis ordinem esse necessarium.

Joannes Calvinus, *Lib.* 4. *Institut. Cap.* 10. §. 27.

Si in omni hominum societate necessariam esse politiam aliquam videmus, quæ ad alendam communem pacem, & retinendam concordiam valeat; si in rebus agendis vigere semper aliquem ritum, quem non respui publicæ honestatis intereft, atque adeo humanitatis ipsius: id in *Ecclesiis* præsertim observandum est, quæ cùm benè composita rerum omnium constitutione optimè sustinentur, tum verò sine concordia nullæ sunt prorsus. Quamobrem si *Ecclesiæ* incolumitati benè prospectum volumus, diligenter omnino curandum est quod *Paulus* jubet, ut decenter Num. I.

 omnia

omnia & secundum ordinem fiant. At cùm in hominum moribus tanta insit diversitas, tanta in animis varietas, tanta in judiciis ingeniisque pugna; neque politia ulla satis firma est, nisi certis legibus constituta; nec sine *stata quadam forma* servari ritus quispiam potest: huc ergo quæ conducunt leges, tantùm abest ut damnemus, ut his ablatis, dissolvi suis nervis *Ecclesias*, totasque deformari ac dissipari contendamus. Neque enim haberi potest quod *Paulus* exigit, ut decenter omnia & ordine fiant, nisi additis observationibus, tanquam *vinculis* quibusdam, ordo ipse & decorum consistat.

In Syntagmate Confessionum Fidei Ecclesiarum Reformatarum.

In Confessione Helvetica. *Cap.* 24.

II. Deligit quævis Ecclesia sibi tempus certum ad preces publicas, & Evangelii prædicationem, nec non Sacramentorum celebrationem. Non licet autem *Cuivis pro suo Arbitrio* Ecclesiæ ordinationem hanc convellere.

Item in Confessione Augustana, *Cap. de discrimine Ciborum, & similibus.*

III. In hac corporali vita opus est traditionibus, hoc est, locorum ac temporum discriminibus, ut ordine gerantur res in Ecclesia, sicut præcipit *Paulus*, ut omnia fiant ordine, & ita ut deceant. Ideo & Ecclesia habet traditiones, hoc est, constituit quibus temporibus, ubi convenire populus debeat. Ad hunc *Civilem* finem licet condere Traditiones.

In responso Protestantium, de reformandis abusibus Ecclesiasticis, quod datum est Imperatoriæ Majestati, in Colloquio Ratisbonensi, XIV. *Julii; Anno Dom.* 1541. *Sicut exstat apud* Melchiorem Goldastum. *Tom.* 2. *Constitutionum Imperialium.* Philippus Melanchton *in ea responsi illius parte, cujus ipse Author est, sic loquitur, & cum eo reliqui Protestantes.*

IV. Quia Cæremoniæ invitare homines, & assuefacere debent, tum verò etiam signa sunt ad admonendos & docendos rudes utilia, curandum est, per eos qui præsunt, ut cæremoniæ utiles, & quæ aliquid gravitatis habent retineantur, & absurdæ & indignæ gravitate Ecclesiastica aboleantur.

Daniel Chamierus, *Lib.* I. *de Sacramentis in genere. Cap.* 13. §. 8.

V. In posterioris ordinis accidentibus magnam agnoscimus Ecclesiæ libertatem, ut sibi ipsa provideat, sed ex hoc axiomate 1 Corinth. 14. Omnia decenter & ordine fiant. Nimirum ut ne cuivis liceat proprio suo motu & privato, quicquam immutare: sed communi consensu *constitutus ordo teneatur* in singulis Ecclesiis.

Hieronymus Zanchius, *in quartum præceptum, in tractatu de disciplina Ecclesiastica, in fine.*

Demonstravimus de principio, potestatem hanc fuisse à *Christo* Ecclesiæ traditam, ut scilicet pro circumstantiis locorum & temporum, proque necessitate Ecclesiarum leges concipiat & canones. —— Presbyteros Ecclesiæ non sine causa Apostolus in Actis appellavit omnes Episcopos, & eos jussit invigilare gregi: quoniam ipsorum est una cum primario ipsorum Pastore, quem κατ' ἐξοχὴν solitum fuisse appellari Episcopum, cum reliqui nomen retinuerint Presbyterorum, demonstravimus: ipsorum, inquam, est, curam totius Ecclesiæ suscipere, videre quæ necessaria sint, quæve conducant saluti Ecclesiæ, sive in Ministerio verbi & Sacramentorum, sive in vita & moribus, sive in disciplina pœnitentiæ, sive in Cæremoniis, sive in necessitatibus pauperum: & dare operam, ut quæ de his rebus constituta sunt, vel à *Domino*, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia, ea serventur. Si quæ verò constituta non sint, & tamen ad ædificationem Ecclesiæ pertinere videntur: de iis *certæ constituantur leges*, quæ nomine totius Ecclesiæ, & piorum principum auctoritate firmentur, & ab *omnibus* observentur. VI.

Vide eundem Zanch. tom. 8. in Compendio præcipuorum capitum doctrinæ Christianæ, loco 16. de traditionibus Ecclesiasticis. Et P. Martyr. loc. comm. class. 4. cap. 4. §. 3.

CAPUT III.

Ostenditur libertas & potestas Ecclesiarum *determinandi de praxi in mediis: & necessitas singulis incumbens parendi statutis* Ecclesiæ *in tabulis.*

In Confessione Fidei, nomine Ecclesiarum Gallicarum *scripta, Anno Dom.* 1562. *quæ exstat apud* Calvinum *in Opusculis, & rursum in Epistolis.*

I. FATEMUR tum omnes, tum etiam singulas *Ecclesias* hoc jus habere, ut leges & *Statuta sibi condant* ad politiam communem inter suos constituendam, cum omnia in Domo *Dei* ritè & ordine fieri oporteat: ejusmodi porro statutis *Obedientiam* deferendam esse, modo ne conscientias adstringant, neque superstitio illic adhibeatur: qui hoc detrectent, I.

ctent, *Cerebrosi* & *Pervicaces* apud nos habentur.

Joannes Calvinus, *Lib.* 4. *Institut. Cap.* 10. §. 30.

II. Quia autem in externa Disciplina & Cæremoniis, non voluit *Dominus* sigillatim præscribere, quid sequi debeamus, (quod istud pendere à temporum conditione prævideret, neque judicaret unam seculis omnibus formam convenire) confugere hic oportet ad generales quas dedit regulas, ut ad eas exigantur quæcunque ad ordinem & decorum præcipi necessitas *Ecclesiæ* postulabit. Postremò quia ideo nihil expressum tradidit, quia nec ad salutem hæc necessaria sunt, & pro moribus uniuscujusque gentis ac seculi variè accommodari debent ad *Ecclesiæ* ædificationem: prout *Ecclesiæ* utilitas requirit, *tam usitatas mutare, & abrogare, quam novas instituere conveniet.*

Item, §. 31.

III. Jam verò Christiani populi officium est, quæ secundùm hunc Canonem fuerint instituta, *libera quidem conscientia, nullaque superstitione, pia tamen & facili ad obsequendum propensione* servare, non contemptim habere, non *supina negligentia* præterire: tantum abest ut per *fastum & contumaciam* violare apertè debeat. Qualis (inquies) in tanta observantia & cautione conscientiæ libertas esse poterit? Imò verò præclare constabit, ubi reputabimus, non fixas esse & perpetuas sanctiones quibus astricti simus, sed externa humanæ infirmitatis rudimenta. Ubi si imprudentia & oblivione quid erratum fuerit, nullum admissum est crimen: sin contemptu, improbanda est contumacia. ——— Quod si quis obstrepat, & plus sapere hic velit, quam oportet, videat ipse qua *morositatem* suam ratione *Domino* approbet. Nobis tamen istud *Pauli* satisfacere debet, nos contendendi morem non habere, neque *Ecclesias Dei.*

Idem, in epistolis, Genevæ *impressis, in folio, apud* Joannem Vignon, *Anno Dom.* 1617. *in Epistola ad* Neocomenses, *in Editionis illius Columna* 63.

IV. Substantiam Ecclesiasticæ disciplinæ exprimit disertis verbis Scriptura: forma autem ejus exercendæ, quoniam à *Domino* præscripta non est, à Ministris constitui debet pro ædificatione.

Idem Joan. Calvinus, Comm. in 1 *Cor.* 14. 40.

V. Dominus externos ritus in libertate nostra ideo reliquit, ne putaremus cultum ejus illic inclusum.

In Constitutionibus Ecclesiæ Scoticanæ, *publica authoritate impressis, cum* Psalterio *metrico, Cap. de forma excommunicationis.*

Indulgentia & clementia cuilibet potius peccato concedi potest, quàm *contemptui* salubrium admonitionum, justarumque ac legitimarum constitutionum Ecclesiæ. ——— Qui fastuose contemnunt Ecclesiæ admonitionem privatam, aut publicam, se declarant contumaces esse, & rebelles, & prorsus impœnitentes, ideoque *jure merito excommunicandi sunt.* VI.

In Harmonia Synodorum Belgicarum, *Cap.* 14. *& Can.* 14.

Crimina quæ in Ministris nequaquam tolerari debent, ea ferè sunt hujusmodi, Hæresis, Schisma, *Manifestus ordinis Ecclesiastici contemptus*, Blasphemia, &c. VII.

Vide plura in hanc sententiam inferius, cap. 7.

Caput IV.

Conditiones tenendæ & cavendæ in constitutionibus Ecclesiasticis: quibus teneamur obedire in usu rerum mediarum. Item, rem necessariam non abjiciendam propter abusum, sed tollendum abusum: nec semper propter abusum necesse esse abjicere rem mediam, quæ interdum prudentius retinetur, aut toleratur.

Joannes Calvinus, *Lib.* IV. *Instit. Cap.* 10. §. 1.

I. Usus obtinuit, ut Traditiones humanæ vocentur, quæcunque de Cultu *Dei* præter ejus Verbum profecta sunt ab hominibus edicta. Contra has nobis est certamen, non contra sanctas & utiles Ecclesiæ Constitutiones, quæ vel ad disciplinam, vel honestatem, vel pacem conservandam faciunt. I.

Item, §. 2.

Hujus generis ergo Constitutiones hic impugnare animus est; quæ in hoc feruntur, ut animas intus coram *Deo* ligent, & religionem injiciant, ac si de rebus *ad salutem necessariis præciperent.* II.

Item, §. 5.

Notatu dignum est leges humanas, sive à Magistratu, sive ab Ecclesia ferantur, tametsi sint *observatu necessariæ* (de probis & justis loquor) ideo tamen *non ligare per se conscientiam*, quia tota observan- III.

di

dis necessitas, ad generalem finem respicit, non autem consistit in rebus praeceptis.

Item, §. 8.

IV. Hominum constitutiones Verbo *Domini* contrariae, sunt omnes illae quae ad verum *Dei cultum* finguntur pertinere, & quibus servandis conscientiae obligantur, ac si observatu *necessariae* essent. ——— Habemus ergo impias esse omnes Constitutiones, in quarum observatione Cultus *Dei* situs esse fingitur.

Item, §. 11.

V. Sunt alia quoque duo non levia vitia, quae in iisdem constitutionibus improbamus: 1. Quod magna ex parte inutiles, interdum etiam ineptas observationes praescribunt: Deinde quod immensa earum multitudine opprimuntur piae conscientiae, & in *Judaismum* quendam revolutae, umbris sic adhaerescunt, ut ad *Christum* nequeant pervenire.

Item, §. 16.

VI. Quod si remotis circumstantiis, simpliciter habere libet quae sint omnium temporum humanae Traditiones, quas ab Ecclesia repudiari, & à piis omnibus improbari convenit: erit illa, quam superius posuimus, certa & clara definitio; esse omnes leges sine *Dei verbo* in hunc finem ab hominibus positas ut *vel modum colendi Dei praescribant, vel conscientias Religione obstringant, quasi de rebus praecipiant ad salutem necessariis.* Si ad alterum, vel ad utrumque istorum accedunt alia vitia; quod sua multitudine Evangelii claritatem obscurent: quod nihil aedificent, sed inutiles sint ac lusoriae occupationes potius quàm vera pietatis exercitia: quod sint ad sordes ac turpem quaestum expositae: quòd sint observatu nimium difficiles: quòd sint malis superstitionibus inquinatae: haec erunt adjumenta ut facilius deprachendamus quantum sit in ipsis mali.

Item, §. 27.

VII. Id tantum semper in istis observationibus excipiendum est, ne aut ad salutem credantur necessariae, atque ita conscientias religione obstringant, aut ad *Dei* cultum conserantur, atque ita in illis reponatur pietas.

Vide P. Martyr. loc. comm. class. 4. cap. 4. §. 4.

Item, §. 28.

VIII. Habemus ergo optimam & fidelissimam notam, quae inter impias illas constitutiones distinguat, (quibus veram obscurari religionem & conscientias subverti dictum est) & legitimas Ecclesiae observationes: si his meminerimus alterum semper ex duobus esse propositum, aut utrumque simul, ut in sacro fidelium coetu *decenter* peragantur omnia, & qua convenit dignitate; ut ipsa hominum communitas velut quibusdam humanitatis & moderationis vinculis in *ordine* retineatur: ubi enim semel *publicae honestatis* causa posita lex intelligitur, jam sublata est *superstitio*, in quam incidunt qui humanis inventis *Dei cultum* metiuntur. Rursum ubi ad *communem usum* spectare cognoscitur, eversa est *falsa illa obligationis & necessitatis opinio*, quae ingentem terrorem conscientiis injiciebat, cum putarentur traditiones ad salutem necessariae. Siquidem hic nihil quaeritur, nisi ut communi officio alatur inter nos charitas.

Item, §. 29.

Decorum non vocabimus, in quo nihil praeter inane oblectamentum inerit: quale exemplum videmus in illo Theatrico apparatu, quo utuntur *Papistae* in suis sacris: ut nihil quam inutilis elegantiae larva, & luxus sine fructu appareat. Sed illud nobis decorum erit, quod ita erit ad sacrorum Mysteriorum *Reverentiam* aptum, ut sit idoneum ad pietatem exercitium; vel saltem quod ad ornatum faciet actioni congruentem, neque idipsum sine fructu: sed ut fideles admoneat *quanta modestia, religione, observantia*, sacra tractare debeant. Porro ut pietatis exercitia sint Caeremoniae, ad *Christum* recta nos deducant necesse est. Similiter ordinem non constituemus in illis nugatoriis pompis quae nihil habent praeter evanidum splendorem, sed in ea compositione quae omnem *confusionem, barbariem, contumaciam*, turbas omnes, & dissidia tollat. Prioris generis exempla sunt apud *Paulum*, ut ne profana symposia cum sacra *Domini* Coena commisceantur, ne mulieres in publicum nisi velatae procedant: & alia plurima in quotidiano usu habemus: quale est, quod *flexis genibus nudoque capite* oramus: quod *Domini* Sacramenta non sordidè, sed cum aliqua dignitate administramus: quod in sepeliendis mortuis quandam honestatem adhibemus, & quae alia eodem pertinent. In altero genere sunt *Horae* publicis precationibus, concionibus, & mysticis actionibus *destinatae*: in ipsis concionibus quies ac silentium, loca destinata, hymnorum concentus, *dies* celebrandae *Domini* Coenae *praefixi*, quod *Paulus* vetat ne mulieres in Ecclesia doceant, & si qua sunt similia. In primis verò quae disciplinam conservant, IX.

vant, ut *Catechesis*, censuræ Ecclesiasticæ, excommunicatio, *jejunia*, & quæ in eundem Catalogum referri possunt. Ita omnes Ecclesiasticas constitutiones, quas pro sanctis & salutaribus recipimus, in duo capita referre licet: alteræ enim ad ritus & Cæremonias, alteræ ad Disciplinam & Pacem respiciunt.

Id est, ad decorum, & ad ordinem.

Hieron. Zanchius, *in 4. Præceptum, Col. 765.*

X. Demonstravimus potestatem hanc fuisse à *Christo* Ecclesiæ traditam, ut leges concipiat & canones: sed ita ut primum non pugnent cum Verbo *Dei*, deinde *ne illis obstringant fidelium conscientias*. Denique ut omnia quæ constituuntur ad ædificationem Ecclesiæ faciant.

Vide D. Chamier. Panstrat. tom. 3. lib. 15. cap. 8. &c.

Joann. Calvinus, *Comment. in Cap. 6. ad Hebr. loquens de impositione manuum.*

XI. Quamobrem hodie retinenda pura institutio est: superstitio autem corrigenda.

Petrus Martyr, *epist. ad* Joannem Hopperum *Episcopum Glocestriensem. pag.* 1087. *&* 1088.

XII. Sed jam aliud argumentum expendamus, quo videbatur non licere harum vestium usum; quod à Papæ tyrannide fuerint inventæ. Hic ego non video quomodo firmiter statuatur, nihil nos usurpare posse quod in papatu fit consuetum fieri. Cavendum profectò est, ne Christi Ecclesia nimia servitute prematur, ut nihil usurpare valeat quod Papæ fuerit. Certè majores nostri receperunt idolorum templa & converterunt in sacras domos, in quibus Christus colеretur: atque reditus consecratos diis gentium, ludis theatri, & virginibus vestalibus, cum hæc prius non modo Antichristo, sed Diabolo servierint. Quin & carmina poëtarum quæ dicata fuerant Musis & diversis diis, vel fabulis agendis in theathro ad deos placandos, quando commoda & pulchra veraque fuerint, Ecclesiastici scriptores usurpant, atque exemplo id Apostoli, qui Menandrum, Aratum, & Epimenidem citare non est dedignatus: atque id in ipsa divina Scriptura, quam tradebat, & ea verba quæ alioqui profana erant, divino cultui adaptavit: nisi fortasse dicere velis, minùs ad cultum Dei facere verba illius descripta in sacris literis, quam verba visibilia quæ in sacramentis versantur: quis præterea non intelligit, vinum conservatum fuisse Baccho, panem Cereri. ——— Fac ista esse à Papa inventa, non mihi persua-

Vide Theologorum Leidensium Synopsin purioris Theologiæ. Disp. 43. Thesib. 3. & 4.

deo Papatus impietatem esse tantam, ut quicquid attingit omnino reddat contaminatum & pollutum, quo bonis & piis usui sanctо non possit concedi.

David Pareus, *Comment. in epist. ad Rom. cap. 14. dubio 4. hypothesi 4.*

Abierunt, inquis, feriæ istæ in superstitionem in Papatu: necesse est igitur tollere. Respondeo; superstitio abjiciatur, non res ordini & ædificationi utilis. Res enim bonæ aut mediæ utiles, propter abusum non tollendæ, sed ab abusu vindicandæ. XIII

Philippus Melanchton, *in responso Protestantium, de reformandis abusibus Ecclesiasticis, Anno Dom.* 1541.

Curandum est per eos qui præsunt, ut Cæremoniæ utiles & quæ aliquid gravitatis habent retineantur. XIV.

Idem, in Confessione Augustana, *Cap. de discrimine ciborum.*

Homines imperiti doctrinæ Christianæ, *affingunt superstitiosas opiniones traditionibus*, easque per superstitionem sine modo cumulant: id questi sunt accidisse in Ecclesia non tantum recentiores, *Gerson* & alii quidam, sed *Augustinus* etiam. ——— Sunt autem duplices Traditiones, quædam flagitant opera palam pugnantia cum lege divina, ut prohibitio conjugii. Necesse est autem in Ecclesia extare hanc regulam, oportet *Deo* magis obedire, quam hominibus. Ideo constat talibus Traditionibus humanis nequaquam esse obtemperandum. Aliæ loquuntur de rebus sua natura adiaphoris, ut de cibo, vestitu, & similibus rebus. Hæ Traditiones fiunt impiæ, cum proponuntur cum his opinionibus, quòd mereantur remissionem peccatorum, *quod sint res necessariæ, quod sint cultus Dei*, id est, officia, quorum finis immediatus sit, ut per ea *Deus* honore adficiatur. Has *pestiferas opiniones* necesse est in Ecclesia taxari. Ac propter has opiniones humani ritus inutiles, sunt abjiciendi, ut discrimina Ciborum, Monasticus vestitus, & similes mores superstitiosi, ut *Ezechias* æneum Serpentem combussit, cum videret à multis coli. Sed quia hæc societas hominum in hac corporali vita habet opus ordine, possunt aliqui ritus utiles ad hunc finem politicum retineri, sine soperstitiosis opinionibus, hoc est, ne judicentur esse cultus aut res necessariæ, ut populus sciat, quando cœtus in Templis convenire debeat ad Conciones, & ad usum Sa- XV.

cramentorum. Oportet enim Ministerium illud esse publicum. Prodest *certa tempora* constitui. Ita servantur apud nos feriæ Diei Dominici, & pleræque aliæ: retinentur usitata historiarum discrimina in cantionibus, Natalis *Dominici*, Paschatis, Festi Ascensionis, Penticostes, & aliis. Et magis amat populus has ipsas Cæremonias, postquam conscientiæ liberatæ sunt periculo, & illis *iniustis oneribus*, de quibus olim Monachi & Canonistæ vociferabantur: & è regione utilitas monstrata est, quòd hi ritus serviant Ministerio Evangelii. Item admoniti sunt homines, finem esse *politicum* harum ordinationum. Hæc dextra interpretatio traditionum, reddit eas gratiores moderatis animis. Et quanquam opinio necessitatis & cultus detrahitur, tamen satis munitæ sunt, quia docemus in Ecclesiis emendatis, utiles Cæremonias servire Ministerio Evangelii, quare qui *petulanter & cum scandalo* has Cæremonias violant, hoc est, qui impediunt Ministerium Evangelii, hos *peccare* dicimus. Certè modum Traditionum esse necesse est, & Conscientiis consuli oportet, ut intelligant, humanos ritus, nec res necessarias, nec justitiam esse. —— —— Itaque non vituperamus jejunia, sed superstitiosas opiniones, & *laqueos conscientiarum* in traditionibus.

CAPUT V.

Error necessitatis aut immutabilitatis de rebus mediis cavendus: ubi etiam de quibusdam justis causis mutandi vel abrogandi Ritum aut Consuetudinem.

In Confess. Helvetica, *Art.* 27.

Num. I. INdifferens (dixit ad *Augustinum Hieronymus*) illud est, quod nec bonum nec malum est; ut sive feceris, sive non feceris, nec justitiam habeas, nec injustitiam.

In Confessione Scoticana, *Art.* 20.

II. Altera generalium Conciliorum causa fuit propter bonam politiam constituendam, & observandam in Ecclesia, in qua (ut in *Dei* Domo) omnia decenter & ordine fieri convenit. Non quod eandem in omnibus politiam, eundemque prorsus in singulis Cæremoniis ordinem pro omnibus ætatibus, temporibus, & locis constitui posse arbitremur: nam ut Cæremoniæ ab hominibus inventæ tantùm sunt temporales: ita *& possunt & debent mutari*, cum potius superstitionem pati, vel fovere, quam ipsarum usu, Ecclesiam *Dei* ædificare, inveniuntur.

Henricus Bullingerus, *in sua ad* Calvinum *Epistola, de diebus festis, & id genus aliis rebus, in lib. Epistolarum* Calvini, *Col.* 138. *sic alloquitur* Calvinum.

Scio in hujusmodi rebus te nunquam fuisse morosum. Ego quidem in his eam libertatem servari cupio, quam video apud Ecclesias viguisse ab ipsis Apostolorum temporibus. III.

Martinus Chemnicius, *in secunda parte examinis Concilii* Tridentini, *in Sess.* 13. *Can.* 10. *pag.* 110. *Col.* 2.

Non sunt conscientiis, tanquam *necessaria* imponenda, quæ non habent in Scriptura mandatum Dei. IV.

Joannes Calvinus, *Instit. lib.* 3. *cap.* 19. §. 7.

Tertia pars libertatis Christianæ est, ut nulla rerum externarum, quæ per se sunt ἀδιάφοροι, religione coram Deo teneamur, quin eas nunc usurpare, nunc omittere, indifferenter liceat. V.

Idem, in opere illo epistolarum, *Col.* 484.

Si penuria sit vini, exiguum quod suppetet aqua diluere, ut toti Ecclesiæ sufficiat, minimè absurdum erit. Si religio injicitur, ac si *necessaria* foret mixtio, superstitione hoc non caret. VI.

Idem, lib. 4. *Instit. Cap.* 10. §. 16.

Quod si remotis circumstantiis, simpliciter habere libet quæ sint omnium temporum humanæ Traditiones, quas ab Ecclesia repudiari, *&c.*, *Invenies supra*, *Cap.* 4. *Num.* 6. VII.

Idem, in Tractatu de necessitate reformandæ Ecclesiæ, paulò ante medium.

Quum putarentur observatu *necessariæ* esse hominum leges, corrigi debuit *perniciosus hic error*. Quæ externæ politiæ causa feruntur leges, *obedienter servandas* esse, sicut dixi, non negamus; ad regendas conscientias non nisi unus Deus est legislator. Maneat ergo penes ipsum solum hæc, quam sibi multis Scripturæ locis vindicat, authoritas. In ea re primum Dei *honor*, quem nullo modo imminui fas est: deinde *spiritualis conscientiarum libertas* vertitur, quam *Paulus* hominum arbitrio subjici summopere vetat. Quod itaque *officii nostri* erat, ut fidelium conscientias indigna servitute, qua constrictæ tenebantur, eximeremus, eas ab hominum legi- VIII. *Vide cap.* 3. *Num.* 5.

legibus liberas, & solutas esse docuimus. Hanc libertatem, quæ acquisita esset *Christi* Sanguine, non esse prostituendam. In hac causa, si quis nos reos faciat, trahat in eundem simul reatum & *Christum*, & Apostolos, necesse est.

In Conclusione Harmoniæ Synodorum Belgicarum.

IX. Articuli hi ad legitimum Ecclesiæ ordinem spectantes, ita mutuo consensu sunt constituti, ut, si utilitas Ecclesiarum aliud postulet, *mutari*, augeri, & minui possint, & debeant. Non erit tamen privatæ alicujus, &c. *Vide infra, Cap. 7. Num. I.*

Daniel Chamierus, *Lib. 6. de Eucharistia, Cap. 4. §. 3. & §. 4.*

Refert & approbat sententiam *Alphonsi de Castro, & Gregorii de Valentia*, Græcos Schismaticis & Hæreticis annumerantium, non ideo quod utantur fermentato, seu in fermento conficiant, sed propterea quod putent non nisi in fermentato posse & debere Sacramentum confici. Addentium item, necessitate præcepti Ecclesiastici Latinos azymo, Græcos fermentato uti debere.

X. Nos itidem (*ait Chamier*) sic sentimus: & utrovis pane confici posse Sacramentum: & retinendum cuique esse suæ Ecclesiæ morem.

Tom. 8. Concil. edit. Paris. pag. 853. E. *Eugenius* etiam Papa 4. cum Concilio Florentino, constituit, ut sive in azymo, sive fermentato, corpus Domini conficiat Sacerdos, unusquisque juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem. In definitione Concilii Florentini.

Caput VI.

Diversos esse posse ritus medios salva fidei & charitatis compage in diversis Ecclesiis; aut etiam in eadem Ecclesia, pro temporum aliarumque circumstantiarum varietate. Neque Ecclesiam unius temporis aut loci teneri alterius constitutione aut consuetudine in talibus. Salva tamen uniformitate unius ejusque particularis Ecclesiæ eodem tempore, de qua infra dicemus.

Joannes Calvinus, *Lib. 4. Instit. Cap. 10. §. 32.*

I. Vide D. Chamier. Panstrat. tom. 3. lib. 15. cap. 8. §. 6. & 9. I. Summa diligentia incumbendum est ne quis irrepat error. —— Ne Ecclesia Ecclesiam ob externæ Disciplinæ *varietatem* contemnat. Postremò ut nullam hic *perpetuam* legem nobis statuentes, totum observationum usum & finem ad Ecclesiæ ædificationem referamus: qua postulante, non modo *mutari* aliquid, sed quicquid ante in usu nobis observationum fuerit, *inverti* nulla offensione feramus.

In Confessione Ecclesiæ Scoticanæ, *Art. 20.*

Non quod eandem in omnibus politiam, eundemque prorsus in singulis Cæremoniis ordinem pro omnibus ætatibus, temporibus, & locis constitui posse arbitremur: nam ut Cæremoniæ ab hominibus inventæ tantùm sunt temporales, &c. *Sicut habetur supra cap. 5. num. 2.* II.

In Confessione Helvetica, *Cap. 23.*

Neque oportet Preces publicas, quoad formam & tempus, in omnibus Ecclesiis esse pares. Libertate enim sua utantur Ecclesiæ quælibet. III.

Item, Cap. 27.

Quod si in Ecclesiis dispares inveniuntur ritus, nemo Ecclesias existimet ex eo esse dissidentes. *Socrates*, impossibile fuerit, inquit, omnes Ecclesiarum, quæ per civitates & regiones sunt, ritus conscribere. Nulla religio eosdem ritus custodit, etiamsi eandem de illis doctrinam amplectatur. Etenim qui ejusdem sunt fidei, de ritibus inter se dissentiunt. Hæc ille. Et nos hodie ritus *diversos* in celebratione Cœnæ *Domini*, & in aliis nonnullis rebus habentes in nostris Ecclesiis, *in doctrina tamen & fide non dissidemus*, neque unitas societasque Ecclesiarum nostrarum ea re discinditur. Semper verò Ecclesiæ in hujusmodi ritibus, sicut mediis, usæ sunt libertate. Id quod nos hodie quoque facimus. IV.

Hæc omnia habentur in Confess. Helvetica, loco citato. Legatur Epistola Irenæi ad Victorem, apud Eusebium, Lib. 5. Hist. Eccles. Cap. 26. Græcè: quod est Caput 24. in Editione latina.

In Confessione Anglicana, *Art. 34.*

Traditiones atque Cæremonias easdem non omnino necessarium est esse ubique aut prorsus consimiles: Nam & variæ semper fuerunt, & mutari possunt pro regionum, temporum, & morum diversitate, modò nihil contra Verbum *Dei* instituatur. ——— Quælibet Ecclesia particularis sive nationalis, authoritatem habet instituendi, mutandi, aut abrogandi Cæremonias, aut ritus Ecclesiasticos, humana tantùm authoritate institutos: modò omnia ad ædificationem fiant. V.

In Augustana Confessione, *Art.* 7.

VI. Ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelii, & administratione Sacramentorum. Nec necesse est ubique similes esse traditiones humanas, seu ritus ab hominibus institutos.

In Confessione Bohemica, *Art.* 15.

VII. Ne ob Cæremoniarum, consuetudinum & rituum discrimina, quæ in variis Ecclesiis inter Christianos videre est, nec reclamant aut officiunt pietati, alii in aliis offendantur, aut se vicissim contemnant, oderint & persequantur. Neu etiam sectas aut seditiones excitantes, se ab Ecclesiæ unitate alienent & distrahant, cum nunquam in Ecclesiis eædem fuerint, nec nunc quoque sint.

In Consensu Ecclesiarum reformatarum Majoris & Minoris Poloniæ, Russiæ, Lithuaniæ, & Samogitiæ, &c. In Synodo Sendomiriensi, habita Anno 1570. §. *Ritus autem.*

VIII. Ritus autem & Cæremonias uniuscujusque Ecclesiæ, liberos hac concordia & conjunctione relinquimus. Non enim multum refert, qui ritus observentur, modo sarta tecta & incorrupta existat ipsa doctrina & fundamentum fidei, ac salutis nostræ.

Petrus Martyr, *in locis Commun. Class.* 2. *Cap.* 4. §. 39.

IX. Neque existimo nimium esse contendendum, ut ritus & Cæremoniæ sint eædem, & ubique modo eodem serventur. Sed hoc providendum est, ut cum Verbo *Dei* minimè pugnent: imò ad illud quam maximè potest fieri accedant, & pro viribus ædificatio, necnon decens ordo promoveatur. ——— Imò hanc in ritibus varietatem non parum ad veram opinionem de Cæremoniis inducendam conferre opinor: nempe ut omnes intelligant, eas quæ divinis literis minimè traduntur, ad salutem non esse necessarias, verùm pro tempore & ædificationis gratia posse commutari.

Henricus Bullingerus, *in Epistola ad* Calvinum: *quæ exstat in lib. Epistolarum* Calvini, *Col.* 170.

X. Quanquam nostra Disciplina vestræ per omnia non respondeat, illam tamen pro ratione temporum, locorum, & personarum esse temperatam, nec ideo vestram velle subversam, omnes concorditer consenserunt.

Petrus Martyr, *in Epist. ad* Joan. Hopperum, *Episcopum* Glocestriensem.

Non me latet Ecclesiarum authoritatem, sive præsentium, sive præteritarum, non eo debere valere, ut illis Verbi *Dei* veritas prematur; nam ea, etsi fractus illabatur orbis, inconcussa & immota permanere debet: sed propter ἀδιάφορα id minimè faciendum esse contendo, vel ut damnentur, vel ut de eis minùs honestè loquamur. XI. *Vide Philip. Melanch. Epist. ad Waldenses, in Syntagmate Confessionum, part. 2. Vide etiam Gerson. Bucer. de gubernatione Ecclesiæ, in fine ἐπισκέψεως 17.*

Joan. Calvinus, *in Epist. ad* Monsbelgardenses: *quæ incipit, Tametsi Neocomum. in lib. Epist. col.* 56.

Quod autem vos terret offendiculorum periculum, siquam novam agendi formam receperitis quæ non sit nostris Ecclesiis usitata, id quidem meritò facitis: sed quia non eo ventum est perfectionis, quin optemus adhuc progredi, hic timor vos impedire non debet ab iis ritibus admittendis, quos alioqui non liceat penitus improbare. XII.

Idem, in Epist. ad Hallerum, *de diebus Festis, quæ incipit, Quod tibi nuper. Col.* 137.

Nec tamen est cur homines adeo exasperentur, si libertate nostra, ut Ecclesiæ ædificatio postulat, utimur: quemadmodum nec vicissim præjudicio esse morem nostrum æquum est. XIII.

Augustinus *Epist.* 16. *ad* Casulanum.

In his rebus, de quibus nihil certi statuit sacra Scriptura, mos populi *Dei* vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cum certa documenta nulla veritatis insinuet, utique cavendum est, ne tempestate contentionis serenitas charitatis obnubiletur. ——— Sit ergo una fides universæ &c. XIV.

Gregorius I. *Papa* Romanus, *lib.* 1. *Epist.* 41. *ad* Leandrum.

In una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. XV.

Hieronimus, *in Epist. ad* Lucinium, *quæ incipit, Nec opinanti; & apud* Gratianum, 12. *dist. illud.*

Nec aliquorum consuetudo aliorum contrario more subvertitur. XVI.

Idem,

Idem, *in eadem Epist. de talibus consuetudinibus mediis loquens. Et apud Gratianum*; *76. dist. utinam.*

XVII. Unaquæque Provincia abundet in sensu suo.

Augustini Cantuariensis Angliæ *Archiepiscopi Interrogatio tertia*, *cum Responsione* Gregorii I. *Papæ Romani*, *in fine operum* Gregorii, *& apud* Bedam, *lib.* 1. *Eccles. Hist. Gentis Anglorum*, *Cap.* 27.

Interrogatio Augustini.

XVIII. Cum una sit fides, cur sunt Ecclesiarum consuetudines diversæ? Et altera consuetudo Missarum est in *Romana* Ecclesia, atque altera in *Galliarum* Ecclesiis tenetur.

Respondet Gregorius.

Novit fraternitas tua *Romanæ* Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in *Romana*, sive in *Galliarum*, seu in qualibet Ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti *Deo* placere possit, solicitè eligas: & in *Anglorum* Ecclesia, quæ adhuc ad fidem nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. *Non enim pro locis res*, *sed pro bonis rebus loca amanda sunt.* Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud *Anglorum* mentes in consuetudinem depone.

Irenæus, *in Epist. ad* Victorem, *apud* Euseb. *Lib.* 5. *Cap.* 24.

XIX. Ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. *Id est*, Varia ac discrepans jejunii ratio concordiam fidei plurimum commendat.

Caput VII.

Non fas esse cuiquam recedere à recepta consuetudine, *aut constitutione*, *aut eam mutare suo arbitratu*: *servandam autem esse in una eademque particulari Ecclesia uniformitatem. Præsertim si diversitas distractionem aut offensionem pariat.*

In Harmonia Synodorum Belgicarum, *In Conclusione.*

I. Articuli hi mutari, augeri, & minui, postulante Ecclesiarum utilitate, possunt & debent: *non erit* tamen privatæ alicujus Ecclesiæ id facere, sed dabunt *omnes* operam, ut *illos observent*, donec Synodo aliter constituatur.

Joannes Calvinus, *in Epistola ad Mensonem Poppium*, *in Lib. Epist. Col.* 450.

Optandum quidem est, ut præter *Dominicum* pauci retineantur dies festi: ——— ut tamen obviam eatur dissidiis, cavendum est, ne quisque *Proprio Arbitrio* ferias abrogans, simulationem accendat. Sed qui malum hoc sanatum cupiunt, studeant in eundem consensum fratres suos adducere. II.

Idem, *in responsione ad duo certa Capita*, *in Lib. Epist. Col.* 478.

Quod ad Dies Festos, & certas alias Cæremonias attinet, ——— non censeo ut quisquam fratrum ea de causa instet, ut ab Ecclesia, cui addictus est, recedat, si major pars gregis feratur in contrarium: quia in ejusmodi casibus satis esse mihi videtur, si quod rectum esse novimus, à nobis procuratum sit. Quamvis enim quod obtruditur, & scandalum afferat, & malam caudam trahat: quia tamen *per se Dei verbo non repugnat*, concedi potest: maximè ubi *major numerus pervincit*, *quandoei*, *qui membrum est* tantùm illius corporis, *nulla ratio suppetit ulterius pergendi.* III.

Item, *in Epist*, *ad* Hallerum, *in Lib. Epist. Col.* 137.

Varietas cum in Ecclesia ritè composita tolerabilis non foret; atque etiam apud exteros suspicionem gigneret, non benè civibus inter se convenire, senatum hortatus sum, ut commodo remedio in posterum hoc dissidium tolleretur. IV.

Augustinus *Epist.* 118. *ad* Januarium, *Cap.* 2.

Alia verò quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii jejunant Sabbato, alii verò non: alii quotidie communicant Corpori & Sanguini *Dominico*, alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur; alibi Sabbato tantùm & *Dominico*; alibi tantùm *Dominico*: & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, *totum hoc genus* rerum liberas habet observationes. Nec Disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut *eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam* ad quamcunque fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, *indifferenter* est habendum, & *pro eorum inter quos vivitur* societate servandum est. V.

Hæc ex Augustino mutuatus est Isidorus Hispalensis. lib. 1. *de Officiis Ecclesiasticis*, *cap.* 43.

Vide Gersom. Bucer. de guberm. Eccles. ἐπιεικ. 17. *pag.* 38.

est. Credo te aliquando ex me audisse, sed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam sabbato non jejunantem, cœperat perturbari & fluctuare quid ageret, cum ego talia non curabam, sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ Virum *Ambrosium*: Respondit se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius observaret. Cumque ego putassem, nulla reddita ratione, authoritate sola sua nos voluisse admonere, ne sabbato jejunaremus, subsecutus est, & ait mihi: *cum Romam venio, jejuno sabbato; cum hic sum, non jejuno.* Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, *ejus morem serva*, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quenquam tibi. Hoc cum Matri renunciassem, libenter amplexa est. Ego verò de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam *cælesti oraculo* susceperim. Sensi enim sæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum *contentiosam obstinationem*, & *superstitiosam timiditatem*, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ authoritate, neque universalis Ecclesiæ Traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum pervenire, tantùm quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis; aut quia in sua patria sic consuevit, aut quia ibi vidit ubi peregrinationem suam quo remotiorem à suis, eo doctiorem factam putat, tam litigiosas excitant quæstiones, ut *nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.*

Ambrosii judicium, & consilium.

Augustini judicium.

In Confessione Anglica, *Art.* 37.

VI. Traditiones & Cæremonias Ecclesiasticas, quæ cum Verbo *Dei* non pugnant, & sunt authoritate publica institutæ, atque probatæ, quisquis *privato consilio volens & data opera* publicè violaverit, is, ut qui peccat in publicum ordinem Ecclesiæ, quique lædit authoritatem Magistratus, & qui infirmorum fratrum conscientias vulnerat, publicè, ut cæteri timeant, arguendus est.

Vide supra, cap. 3. & infrà, cap. 18. num. 13.

CAPUT VIII.

Cavendam esse morositatem in non admittenda mutatione consuetudinis, & rerum mediarum, omnemque contentionem de rebus mediis.

Joannes Calvinus, Anglis *Francford: Lib. Epist. Col.* 213.

I. EQUIDEM ut in rebus mediis, ut sunt externi ritus, facilem me, ac flexibilem præbeo: ita non semper utile esse judico, *stultæ* eorum *morositati*, qui nihil de consuetudine sua remittunt, obsequi. ——— Amant ea quibus assueti sunt. Hoc primo & *nugatorium*, & *puerile* est: Deinde multum interest hæc nova institutio à mutatione. Ego verò, si quorundam infirmitas ad summum gradum non conscendat, ut vos ultra modum rigidos esse nolim; ita rursus alios monitos esse cupio, *ne sibi in sua inscitia nimis placeant*: Deinde ne *sua pervicacia* sancti ædificii cursum retardent. Tertio, ne *stulta* eos *æmulatio* abripiat. Nam quæ illis rixandi causa, nisi quia pudet *melioribus cedere*? Sed ego frustra ad eos sermonem converto, qui fortè non tantum mihi tribuunt, ut consilium à tali auctore profectum admittere dignentur.

1.
2.
3.

Idem, ad Monsbelgardenses *Lib. Epist. Col.* 56.

II. Suadeo ne vos *nimis difficiles ac morosos, quoad licet*, præbeatis. Nam ubi hanc vestram *moderationem* adverterit princeps, facilius adducetur ut nonnihil vobis ipse quoque vicissim concedat, præsertim ubi viderit vos non absque causa pugnare.

Idem, ad Bullingerum, *Lib. Epist. Col.* 131.

III. Itaque sicuti in recusanda unctione ejus constantiam laudo: ita de pileo & veste linea maluissem (ut illa etiam non probem) non usque adeo ipsum pugnare: idque nuper suadebam.

Idem, ad Joannem Knoxum, *Lib. Epist. Col.* 328.

IV. In Cæremoniis confido tuum rigorem, quamvis multis displiceat, moderatum tamen fore, &c.

Idem ad Gasparum Olevianum, *Lib. Epist. Col.* 455.

V. Quamvis breviter rem attigerim, agnoscis tamen, quibus rationibus adductus ægrotos non esse abitrer à communicatione arcendos. Neque tamen ea de causa velim *turbas movere*. Scis in hac Ecclesia alium esse morem. Acquiesco, quia utile non esset contendere.

Quanto magis de rebus merè indifferentibus contentionem refugisset *Calvinus*.

Idem, ad N. N. *Lib. Epist. Col.* 480.

VI. Quod si neque ista satisfaciunt fratribus, qui *zelo ducti nimis sunt opinionibus suis addicti*, peto ab illis per *Dominum*, ut cogi-

cogitent, atque etiam in quod discrimen Ecclesiam adducant. Habitatis istic ut precariò. Ubi hoc notabitur, tam esse difficiles in multis rebus, annon *vestra morositas* tædium aliquod & animi alienationem allatura sit bonis illis & piis senatoribus, à quibus tam humaniter excepti estis.

Idem, in Epistola ad Farellum, *Lib. Epist. Col.* 11.

VII. De Cæremoniis efficite apud fratres, ne eadem certent cum vicinis pertinacia. Ita fiet ut omnia nostra sint, nos *ab omnibus liberi, servi simus pacis & concordiæ.*

Idem, Comm. in 1. *Cor. Cap.* 11. *vers.* 16.

VIII. Perniciosa res contentio, ideoque arceri debet ab Ecclesiis. Et *auctoritate magis compescendi sunt pervicaces* & rixandi cupidi, quam refellendi longis disputationibus. Nunquam enim contentionum erit finis, si certando velis hominem pugnacem vincere, quia *centies victus*, nunquam fatigabitur. Diligenter ergo notemus locum istum, ne abripi nos supervacuis disputationibus sinamus: modò tamen contentiosos *noverimus discernere.*

Vide eundem in Lib. Epist. Col. 323. & alibi passim.

Caput IX.

De recto usu libertatis Christianæ in rebus mediis.

Joannes Calvinus, *ad* Farellum, *Lib. Epist. Col.* 11.

I. Nos ab omnibus liberi, servi simus pacis & concordiæ.

Idem, Lib. 4. *Instit. Cap.* 10. §. 32.

II. Hæc autem cognitio facit, ut sua cuique in his rebus omnibus libertas constet, & *quandam* nihilominus suæ quisque *libertati necessitatem* ultro imponat, quatenus aut illud quod diximus *τὸ πρέπον*, aut charitatis ratio exiget.

Idem, in Lib. Epistolarum, Col. 322.

III. Æquissimum est, *Christi* jugum admittere, illudque agnoscere, legitimum libertatis nostræ usum ab *effreni licentia* remotum esse.

David Pareus, *Comm. in Epist ad Rom. cap.* 14. *dub.* 4. *Hypothesi* 6. *Resp. ad. argumenta sententiæ negantis, ad* 4.

IV. Libertas Christiana non est licentia, nec immunitas ab *ἐυταξία*, sed necessitas servandi ordinem, & vitandi scandala.

Huc etiam pertinet illud Gregorii Nazianzeni, *Orat.* 26.

Τὶ τῦ ὑμετέρυ λόγυ τὸ κάλλιςον; ἡ εἰρήνη. προσθήσω δ' ὅτι καὶ τὸ λυσιτελέςατον. τὶ αἴσχιςον καὶ τὸ βλαβερώτατον; ἡ διχόνοια. Quidnam in nostra doctrina pulcherrimum est? Pax. Addo etiam, utilissimum. Contra, quid turpissimum ac perniciosissimum? Animorum distinctio. V.

Caput X.

De officio & potestate Magistratus civilis circa res Ecclesiasticas, eique debita in talibus obedientia.

In Confessione Helvetica, *Art.* 30.

Magistratus Officium præcipuum est, pacem & tranquillitatem publicam procurare & conservare. Quod sanè nunquam fecerit fœlicius, quam cum fuerit verè timens *Dei* & religiosus, qui, videlicet, ad exemplum sanctissimorum Regum Principumque populi *Domini*, veritatis prædicationem, & fidem sinceram promoverit, mendacia & superstitionem omnem cum omni impietate & idololatria exciderit, Ecclesiamque *Dei* defenderit. Equidem docemus *Religionis curam imprimis pertinere ad magistratum* sanctum. Teneat ergo *ipse* in manibus Verbum *Dei*, & ne huic contrarium doceatur *procuret*, bonis item legibus ad Verbum *Dei* compositis, moderetur populum sibi à *Deo* creditum, eundemque in Disciplina, Officio, obedientiaque contineat. Judicia exerceat justè judicando, ne respiciat personam, aut munera accipiat, viduas, pupillos, & afflictos asserat, injustos, impostores & violentos coërceat atque adeo & excindat. Neque enim frustra accepit à *Deo* Gladium. Stringat ergo hunc *Dei* Gladium in omnes maleficos, seditiosos, latrones, vel homicidas, oppressores, blasphemos, perjuros, & in omnes eos, quos *Deus* punire ac etiam cædere jussit. Coërceat & *hæreticos* (qui verè Hæretici sunt) *incorrigibiles*, *Dei* Majestatem blasphemare, & *Ecclesiam Dei conturbare*, adeoque perdere non desinentes. ——— Subditi omnes honorent & revereantur Magistratum, tanquam *Dei* Ministrum: ament eum, faveant ei, & orent pro illo, tanquam pro Patre: *obediant* item omnibus justis & æquis mandatis: ——— qui enim Magistratui se opponit, iram *Dei* gravem in se provocat. *Damnamus* itaque omnes Magistratus contemptores, rebelles, Reipublicæ hostes, I.

&

& seditiosos nebulones, denique omnes quotquot officia debita præstare, vel palam, vel arte renuunt.

In Confessione Anglica, *Art.* 37.

II. Regia Majestas, in hoc *Angliæ* Regno, ac cæteris ejus Dominiis, summam habet potestatem, ad quam omnium statuum hujus Regni, sive illi Ecclesiastici sint, sive Civiles, *in omnibus causis suprema gubernatio* pertinet, & nulli externæ jurisdictioni est subjecta, nec esse debet. Cum Regiæ Majestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam *calumniatorum* offendi, *non damus* Regibus nostris, aut Verbi *Dei*, aut Sacramentorum administrationem; quod etiam injunctiones, ab *Elizabetha* Regina nostra nuper editæ, apertissimè testantur. Sed eam tantùm prærogativam, quam in sacris Scripturis à *Deo* ipso, omnibus piis Principibus videmus semper fuisse attributam: hoc est, ut *omnes* status atque ordines fidei suæ à *Deo* commissos, sive illi Ecclesiastici sint, sive Civiles, *in Officio contineant*, & contumaces ac delinquentes gladiô *civili* coërceant.

In Confessione Scoticana, *Art.* 24.

III. Regum, Principum, Gubernatorum, & Magistratuum, esse *potissimum & imprimis* Religionis purgationem & conservationem, affirmamus. Adeo ut non tantum propter civilem politiam, sed etiam propter conservationem veræ Religionis, & ut Idololatria & superstitio quævis supprimatur, à *Deo* sint ordinati: ut in *Davide*, *Josaphato*, *Josia*, *Ezechia*, & aliis, summis laudibus propter singularem zelum ornatis, est videre. Ideo confitemur & profitemur quod qui supremæ authoritati *resistunt*, usurpantes quod ad illius munus pertinet, illi *Dei* ordinationi resistunt, ideoque coram illo innocentes esse non possunt. Et præterea affirmamus quod quicunque *auxilium*, *consilium*, *& consolationem* Principibus, & Gubernatoribus, fideliter in executionem muneris incumbentibus, negant, idem auxilium, consilium, & suppetias *Deo*, qui hæc per præsentiam sui vicem gerentis petit, recusant.

In Confessione Belgica, *Art.* 36.

IV. Magistratuum est non modò de civili Politia conservanda esse solicitos, verùm etiam dare operam ut sacrum Ministerium conservetur, omnis Idololatria, & adulterinus *Dei* Cultus è medio tollatur, regnum *Antichristi* diruatur, *Christi* verò regnum propagetur. Denique horum est efficere, ut sacrum Evangelii verbum undique prædicetur; ut singuli purè *Deum* colere & venerari ex præscripto Verbi ipsius liberè possint. Cæterum cuncti homines, cujuscunque sint vel dignitatis, vel conditionis ac status, legitimis Magistratibus subjici debent, iisque vectigalia, ac tributa pendere, & eis *in omnibus obsequi ac obedire quæ verbo Dei non repugnant.*

In Confessione Augustana, *Art.* 16.

Christiani necessariò debent obedire præsentibus magistratibus ac legibus, *nisi quum jubent peccare*: tunc enim magis debent obedire *Deo* quam hominibus. V.

In Confessione Saxonica, *Art.* 23.

Magistratui politico subditi debent obedientiam, non solùm propter iram, id est, metu pœnæ corporalis ab ipsis Magistratibus; sed etiam propter conscientiam, id est, *contumacia est peccatum offendens Deum, & avellens conscientiam à Deo* —— Vult *Deus* Magistratuum voce proponi Leges, prohibentes cultum idolorum, blasphemias, perjuria, injustas cædes, vagas libidines, &c. Et officium Magistratus est ut sit legum divinarum custos, in puniendis omnibus qui eas violant. *Item*, officium est Magistratus politici etiam addere naturali legi aliquas leges, quæ sunt determinationes circumstantiarum legis naturæ. Itaque & harum legum custos in puniendo sit: sed nequaquam ferat aut defendat leges pugnantes cum jure divino & naturali. —— Quanquam autem multi in imperiis negligunt gloriam *Dei*, tamen hæc *præcipua cura* esse debebat audire & amplecti veram doctrinam de Filio *Dei*, & Ecclesias fovere. —— ipsi quoque Reges & Principes sint membra Ecclesiæ, & doctrinam *rectè intelligant*, *non adjuvent eos qui falsam doctrinam stabiliunt*, *& injustam sævitiam exercent*, sed sint memores hujus dicti; *Glorificantes me glorificabo.* —— & cum sint inter præcipua Ecclesiæ membra, *videant ut judicia in Ecclesia rectè exerceantur*: sicut *Constantinus*, *Theodosius*, *Arcadius*, *Martianus*, *Carolus Magnus*, & multi pii Reges curaverunt rectè exerceri judicia in Ecclesia. VI.

In Conciliis omnibus œcumenicis, per primos mille annos, patres se profitentur jussu & sanctione imperatoris,

Κελεύσει, προςάξει, ἐκ θεσπίσματος, κατὰ θέσπισμα, κατὰ κέλευσιν τῶν βασιλέων, vel τȣ̃ βασιλέως, προςάγματι βασιλικῷ, *congregatos esse.* VII.

In

In Sermone prosphonetico Sextæ œcumenicæ Synodi, ad Constantinum Imper. quæ exstat in actione 18. *illius Synodi, sic loquitur Synodus.*

VIII. Τίδὲ καὶ μάλιςα βασιλεῖ πρεπωδέςερον, ἢ πρὸ παντὸς εὐσεβείᾳ κατακοσμεῖν τὸ ὑπήκοον, δι᾽ ὃ κἂν τοῖς ἄλλοις εὐδαιμονεῖ τὸ πολίτευμα : id est, quid vero est, & præsertim quod Regem magis deceat; quàm præ omnibus pietate adornare subditos: per quod & in aliis fœlicitatur respublica.

In Synodo Parisiensi, jussu Lodovici *ejusque Filii* Lotharii *Augustorum habita, in causa reformandæ disciplinæ Ecclesiasticæ*, Anno Domini 829. *Lib.* 2. *Cap.* 2. *citatur & approbatur illud* Isidori *dictum.*

IX. Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem *Disciplinam Ecclesiasticam muniant.* Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos sufficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum, cœleste regnum proficit, *&c.*

Item, cap. VIII. *dicunt patres illi Parisienses.*

X. Sicut subjecti, à Rege sibi volunt piè & justè opitulari, ita *specialiter ei primum ad salutem animæ suæ procurandam*, deinde generaliter ad honestatem & utilitatem regni, secundùm *Dei* voluntatem, disponendam atque ministrandam, indissimulanter atque irretractabiliter solatium opportunum debent exhibere.

CAPUT XI.

De jure præsidentiæ, & regiminis Episcopalis.

Proponitur quæstio; & impeditur objicientium conclusio, §. 1. *Qui primi hac de re controversiam moverint, ubi de hæresi* Aërii, *& sententia* Hieronymi *qui fuit ab* Aërii *hæresi alienus*, §. 2. 3. *Ab eadem hæresi aliena reformatæ Ecclesiæ, earumque Doctores*, §. 4. *Id ostenditur de Ecclesiis reformatis, earumque Doctoribus*, Num. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XVIII. *Idem ostenditur de* Hieronymo, Num. XIII. XIV. XV. XVI. *Politiam Episcopalem ita esse humanam ut etiam sit divina, secundùm doctrinam reformatarum Ecclesiarum, & Doctorum earundem*: §. 5. *&* Num. XVII. *Judicium Ecclesiæ* Scoticanæ, Num. XVIII.

Antiquus Canon contra Clericos rebellantes adversus suum Episcopum. Num. XIX. *Pro Episcopatus jure Divino, testimonia quædam veterum, & recentiorum.* Num. XX. *Sequuntur duodecim Propositiones earumque exegetica confirmationes, quibus ostenditur præfecturam Episcopalem, & obediendi Episcopis necessitatem esse de jure divino: appellationem verò Episcopi esse huic officio appropriatam jure Ecclesiastico, œcumenico, & Apostolico.*

Non tamen nulla est Ecclesia quæ caret Episcopo. Ubi de ordinatione Ministrorum, & Chorepiscopis. Item, de Sacerdotibus, eorumque Sacrificio, Prop. 13. *De Classium Presbyteralium Moderatoribus*, Prop. 14. *De Metropolitanis, & Patriarchis*, Prop. 15. *Papam* Romanum *esse Antichristum: ubi de ejus primatu & infallibilitate*, Pr. 19. *Appendix de Doctoribus.*

I. DISPUTANT quidam Fratres, sitne præsidentia & regimen Episcopale juris divini an humani sive Ecclesiastici. Et quia præcipui hujus disceptationis inculcatores hunc sibi habent propositum finem, ut præsidentiam & regimen *Episcopale* contemnant & ex *Ecclesia* eliminent; primo loco quærendum ab eis, num omnis humana constitutio sit abominanda, & contemni sine culpa possit aut debeat. Hoc si asserant, convincuntur manifesti erroris, ex eis quæ supra allata sunt, cap. 3. & cap. 7. Sin autem ingenuè fateantur, sicut necesse est, multa esse authoritate Ecclesiastica utiliter constituta, quæ subditis contemnere nec expediat, nec per ipsam *Dei* Legem liceat, quamvis res ipsæ secundùm *Dei* Legem sint in se indifferentes; quid, obsecro, obtinebunt pro fine illo suo assequendo, etiamsi largiremur præsidentiam & gubernationem Episcopalem jure Ecclesiastico esse introductam, cum licitis Ecclesiæ constitutionibus obedientiam de jure divino debeamus?

Proponitur quæstio.

Impeditur objicientium conclusio.

II. Episcopos jure divino Presbyteris præesse, nemo primis Ecclesiæ Christianæ & quidem multis seculis dubitasse aut de ea re disceptasse legitur, præter *Aërium* & *Hieronymum* Presbyteros: quorum alter, nempe *Aërius*, est propter suam opinionem Hæreticus judicatus, sicut ex *Epiphanio* & *Augustino* & Concil. 2. œcumen. can. 6. constat; alter verò, nempe *Hieronymus*, nunquam propterea est Hæreseos insimulatus. Itaque discrimen aliquod fuisse oportet inter opinionem *Aërii* hæreticam, & opinionem *Hieronymi.*

Qui primi disceptaverint de politia Episcopalis jure divino.

Ambo prærogativam Episcopi supra Presbyteros ad jus Ecclesiasticum retulerunt; sed hoc discrimen fuit; quod illam Ecclesiasticam constitutionem *Hieronymus* reverenter suscepit, eique se obedienter subjecit, tanquam non illicitæ, sed utili, & laudabili. Imò quandoque præfecturam Episcopalem ab ipso accessit jure divino, & argumenta ad hoc ipsum confirmandum suppeditat. [Vide Num. XIII. & XIV. & XV. & XVI. & XX. & propos. XI. & XV.] *Aërius* autem Hæreticus constitutionem illam damnans dicebat Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni: sicut disertè scribit de eo *Augustinus* ad *Quodvultdeum*, Hæresi 53. Ubi

Inter eos discrimen, propter quod Aërius judicatus est hæreticus, non autem Hieronymus.

etiam monet, occasionem in Hæresin incidendi *Aërio* hanc fuisse, quod doluerit se Episcopum non potuisse ordinari. Quod & prolixius declarat *Epiphanius*, in *Panario*, contra Hæreses, lib. 3. Tom. 1. Hæresi 75. Quam reverenter autem atque obedienter Episcopalem præsidentiam suspexerit *Hieronymus*, & quam utilem Ecclesiæ hanc politiam judicaverit, liquidò patet ex plurimis ejus scriptis tum ad Episcopos, tum de Episcopis; ubi de iis eorumque præsidentia honorificè loquitur: tum etiam ex iis ipsis locis, in quibus de identitate Presbyteri & Episcopi differit, nempe Epist. ad *Evagrium*, & Comment. in Epist. ad *Tit.* cap. 1.

Aëriani frustra prætendunt authoritatem Hieronymi. III. Frustra igitur, & imperitè *Hieronymi* authoritatem prætendunt illi qui hanc politiam cum *Aërio* Hæretico contemnunt, & tanquam Verbo *Dei* repugnantem explodendam ex Ecclesia elamitant. Ob hanc enim insipientiam *Aërius* judicatus est Hæreticus: à qua *Hieronymus* longissimè absuit.

Ab eorum Aërianismo alienissimi reformatæ Ecclesiæ Doctores. IV. Quidam reformatæ Ecclesiæ Doctores *Hieronymum* imitati, gubernationem Episcopalem Ecclesiastici quidem juris esse censuerunt, ab *Aërii* tamen insania alienissimi fuerunt. Sicut patebit ex hisce paucis Testimoniis quæ nunc subjungam.

In Confessione fidei, nomine Ecclesiarum Gallicarum, *scripta Anno Domini* 1562. *apud* Calvinum *in Opusculis.*

I. Interea tamen Ecclesiæ authoritatem, vel Pastorum & Superintendentium, quibus Ecclesiæ regendæ provincia mandata est, sublatam nolumus. Fatemur ergo Episcopos, sive Pastores reverenter audiendos, quatenus pro suæ functionis ratione Verbum *Dei* docent.

In responso Protestantium, de reformandis abusibus Ecclesiasticis, Anno Domini 1541. *apud* Melchiorem Goldastum, *Tom.* 2. *Constitutionum Imperialium.* Martinus Bucerus, *in illa responsi parte cujus ipse est Author, & cum eo reliqui Protestantes sic loquuntur*, §. 3.

II. Quum singula oppida paulo populosiora suos proprios Episcopos & Curatores Religionis habere debeant: nec utile sit plures cuique Ecclesias committi, quam quot commodè curare, & per se quotannis, absque detrimento Ecclesiæ sedis suæ, invisere possit: ne Ecclesiæ necessaria cura, ut jam diu factum est, fraudentur, & illud curandum erit, ut singula oppida aliquanto frequentiora, ministros ejusmodi habeant, quibus plena sacri ministerii potestas committatur, quo quisque & suæ, cui præcipuè addictus fuerit, & vicinis minoribus Ecclesiis necessariam Religionis curam impendere, & eas, tam annua inspectione, quam aliis Ministeriis, quæ ista cura requirit, in officio pietatis continere possit. Annitendum itaque est, ut ea omnino procurationis Ecclesiasticæ ratio & distributio, quam Canones Episcopis & metropolitanis præscribunt, restituatur, & servetur. Nam & antehac in amplioribus diœcesibus, quia singuli sufficere non poterant, plures suffraganei, Archi-presbyteri, atque Archi-diaconi constituti fuerunt. Quantum enim damni Ecclesiis hoc dederit, quod non singulæ quibus opus erat, idoneos Ministros habuere, ac verè Episcopali cura & inspectione destitutæ fuerunt, nemo verbis explicare satis poterit.

Item, §. 5.

Ecclesiis tam Cathedralibus, quam iis, quæ secundùm Canones debebant habere suos proprios Episcopos, Ministri, & Pastores, modo & ratione, quam veteres Canones præscribunt, ordinentur, qui curam animarum totumque Pastorale munus, docendo, Sacramenta exhibendo, & Disciplinam exercendo, per se præstare valeant: qui etiam ad Synodos statis temporibus, ut Canones præcipiunt, singuli cum duobus Presbyteris, aut singulis conveniant, potestatémque habeant dicendi sententias in Synodis, & faciendi judicium Ecclesiasticum, quod Synodis Canones facere concedunt & præcipiunt. III.

In generali Synodo Petricoviensi *Ecclesiarum reformatarum* Poloniæ, *&c. Art.* 6.

Constitutum est, ut nullus Patronus recipiat ac in Ecclesia docere patiatur ullum Ministrum, nisi qui esset à Superattendentibus ac Senioribus nostrarum Ecclesiarum legitimè ordinatus ac missus. IV.

Joannes Calvinus, *Lib.* 4. *Instit. Cap.* 10. *§.* 6. *loquens de Papisticis Episcopis.*

Sanè si veri Episcopi essent, aliquid eis in hac parte authoritatis tribuerem, non quantum sibi postulant, sed quantum ad politiam Ecclesiæ ritè ordinandam requiritur. V.

Idem, de iisdem, in Tract. de necessitate Reformanda Ecclesiæ.

Utinam verò, quam jactant possessionem, suo merito retinuissent. ——— ——— munus suum, plebem pascendo, impleant, si pro Episcopis agnosci volunt. Ut potestatem nominandi & ordinandi retineant, justum illud & serium doctrinæ vitæ examen restituant: quod jam multis seculis inter eos obsolevit. VI.

Idem,

Idem, Lib. 4. Institut. Cap. 4. §. 1.

VII. Veteris Ecclesiæ forma nobis divinæ institutionis, de ordine gubernandæ Ecclesiæ, Imaginem quandam oculis repræsentabit. Tametsi enim multos Canones ediderunt illorum temporum Episcopi, quibus plus viderentur exprimere quam sacris literis expressum esset, ea tamen cautione totam suam œconomiam composuerunt ad unicam illam Verbi Dei normam, ut facile videas, nihil ferè hac parte habuisse à Verbo Dei alienum.

Item. §. 2.

VIII. Quibus docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi: ne ex æqualitate, *ut fieri solet*, dissidia nascerentur. —— Singula Presbyterorum Collegia politiæ tantum & pacis conservandæ gratia uni Episcopo suberant: qui sic alios dignitate antecedebat, ut fratrum cœtui subjiceretur.

Item §. 4.

IX. Quòd autem singulæ Provinciæ unum habebant inter Episcopos Archi-Episcopum: quod item constituti sunt Patriarchæ, qui essent ordine & dignitate Archi-Episcopis superiores, id ad disciplinæ conservationem pertinebat. —— Si rem intuemur, reperiemus veteres Episcopos non aliam regendæ Ecclesiæ formam voluisse fingere ab ea quam Deus Verbo suo præscripsit.

Item. §. 15.

X. Suos Presbyteros quisque Episcopus cum Presbyterorum collegio ordinabat. Quanquam autem idem agebant omnes: quia tamen præibat Episcopus, & quasi ejus auspiciis res gerebatur, ideo ipsius dicebatur ordinatio.

Vid. Bezam ad Saravium, cap. 21.

Hieronymus Zanchius, *in quartum præceptum, Col. 732. & 733.*

XI. Non ita multò post Apostolos, obtinuit consuetudo, ut ex multis Pastoribus unus præficeretur reliquis. —— Hoc non ex ordinatione divina; sed ex consuetudine Ecclesiastica, atque ea quidem minimè improbanda, profectum est: neque enim hunc ordinem prohibuit *Christus*, sed potius regulam generalem reliquit per Apostolum, ut in Ecclesia omnia fiant ad ædificationem. Quia igitur constitutio hæc facta fuit, ut tollerentur Schismata & dissensiones, ut *Hieronymus* testatur; atque ita ut melius servarentur Ecclesiæ: idcirco damnari hæc piæ vetustatis ordinatio non potest. —— Ecclesiastici Ministerii partitio ac distributio in Episcopum unum & multos Presbyteros, tolerabilis fuit: quia nihil habebat, pugnans cum Mandato Dei & Ecclesiæ: utilis erat ad evitandam ἀταξίαν confusionemque & Schismata. —— Hæc partitio pia est & Christiana: non damnatur in sacris literis, & non ita multò post Apostolos obtinuit in Ecclesia, & ad Ecclesiæ utilitatem & ædificationem facit. Imo neque improbari potest, quod inter Episcopos unius Regionis constitutus fuerit unus primus, qui, in cœtu aliorum Episcoporum, præesset aliis ut Rector & Consul in Senatu: & cujus esset reliquos convocare & ordinare, qui & Archi-Episcopus vocaretur. Neque enim hoc pugnat cum sacris Literis: & antiquissimus est ordo in Ecclesia. *Hæc ibi. Vide supra Cap. 2. Num. 6.*

Franciscus Junius, *in animadversionibus in librum Bellarmini, de Clericis. Cap. 14. Not. 1.*

XII. Hoc illud est quod negamus, discrimen illud Episcopi & Presbyteri à jure divino esse. Alioqùin omnia hæc, ut juris humani, atque adeo (si ita placet) Ecclesiastici, concedimus fuisse jam olim observata: nec damnamus ea simpliciter, si non abusus accesserit. Hoc *Aërius* contra ordinem in universa Ecclesia receptum fecit: quid nobis cum *Aërio*? Hæc autem omnia quomodo non fecisset Episcopus, cui mandata erat auctoritas? Quomodo ordinationem fecissent Presbyteri seorsim, qui ex instituto Ecclesiæ, & conventione communi, ac privata sua potestatem hanc cesserant Episcopo? ut dictum est supra, Cap. 3. Not. 59. & alibi: præsertim verò ex quo publica illa accessit Conciliorum auctoritas, & Ecclesiarum consensio. Etsi ne hoc quidem in *Alexandrina* Ecclesia suo tempore obtinuisse *Ambrosius* & *Augustinus* sunt. Auctores, sicut alibi diximus; sed Presbyteros absente Episcopo consignasse atque consecrasse.

Andreas Rivetus, in Catholico Orthodoxo seu Summa Controversiarum, Tract. 2. quæst. 23. de Episcopatu, ait; *Quem ordinem in prima sua origine non improbamus; sed ejus abusum: semperque jus humanum à divino distinguimus.* Hæc ibi D. *Rivetus.* Ubi etiam Papistis opponit Episcopos Angliæ. Et *Gerson Bucerus*, in sua Dissertatione de gubernatione Ecclesiæ, ἐπισκέψει 167. [pag. 620.] dicit se non repudiare functionem Episcopalem, ut illegitimam: &

Andr. Rivetus.

Gerson Bucerus.

& orthodoxis Episcopis obedientiam deberi seriò asserit.

Hieronimus, *in Epist. ad* Evagrium, *quæ incipit*, *Legimus in Esaia.*

XIII. Quod postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in Schismatis remedium factum est: ne unusquisque ad se trahens *Christi* Ecclesiam rumperet. Nam & *Alexandriæ* à *Marco* Evangelista usque ad *Heraclam* & *Dionysium* Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, & Archi-diaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?

Idem, *Comment. in Epist. ad Tit. Cap.* 1.

XIV. Antequam Diaboli instinctu, studia in Religione fierent; & diceretur in populis, ego sum *Pauli*, ego *Apollo*, ego autem *Cephæ*; communi Presbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos quos baptizaverat, suos putabat esse, non *Christi*: in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris: ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret: & Schismatum semina tollerentur.

Idem, *ibidem*.

XV. Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros quos & Episcopos: paulatim verò, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt se, ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos: ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quàm dispositionis *Dominicæ* veritate, Presbyteris esse majores: & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes *Moysen*; qui cum haberet in potestate solus præesse populo *Israel*, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret.

Idem, *in Dialogo adversus Luciferianos.*

XVI. *Ecclesiæ* salus in summi Sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur Schismata, quot Sacerdotes. —— Ecclesia multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur. *Et Epist. ad Nepotianum*, *de vita clericorum*, *quæ incipit*: *Petis à me.* Esto subjectus pontifici tuo, & quasi animæ parentem suspice. —— Quod Aaron & filios ejus, hoc Episcopum & Presbyteros esse noverimus: Unus Dominus, unum templum, unum sit etiam ministerium. *Hæc Hieronymus.*

V. Ecce, sicut monuimus, *Hieronymus* prærogativam Episcopi, quem summum Sacerdotem vocat, supra reliquos Sacerdotes, sive Presbyteros, ad Ecclesiasticam quidem refert consuetudinem; at eam nec damnandam, nec dispositionis *Dominicæ* veritati repugnantem; sed, ut antiquissimam & œcumenicam, ita etiam necessariam & utilissimam judicat. Eumque sequuti reformatæ Ecclesiæ memorati Doctores hanc politiam agnoscunt esse piam & Christianam, à Verbo *Dei* non alienam, sed ei convenientem, & Ecclesiæ utilem, & necessariam, & facientem ad ejus ædificationem, & pacem, & ad idoneam averruncationem confusionis & ἀταξίας: neque eam absque Hæresi damnari posse. Sicut ex ipsorum verbis superius allatis clarissimè constat. Jam autem talis Ecclesiastica constitutio est etiam aliquo modo divina, quia apertissimè reducitur ad generales illas regulas constitutionum Ecclesiasticarum in Scriptura positas, de decoro, & ordine, & pace, & ædificatione. Et quamvis res ipsæ constitutæ, humani sint sive Ecclesiastici juris: ipsa tamen obligatio ad reverentiam & promptam obedientiam talibus Ecclesiæ constitutionibus exhibendam, est juris divini: juxta illa dicta, *Si non audierit Ecclesiam*, *sit tibi velut Ethnicus*, Matth. XVIII. *Spiritus Prophetarum*, *subjecti sunt Prophetis*; *non enim confusionis Deus est*, *sed pacis*. Item, *Omnia fiant ordine & decenter*, 1 Cor. XIV. *Obedite Præpositis vestris*, *& subditi estote*, Hebr. XIII. Quod dixi licitas aut laudabiles Ecclesiæ constitutiones esse aliquo modo divinas; id explicat *Calvinus* his verbis quæ subjiciam: allato Geniculationis exemplo.

Joannes Calvinus, *Lib.* IV. *Instit. Cap.* X. §. 30.

Hic testari operæ pretium est, eas demum humanas constitutiones me probare quæ & *Dei* authoritate fundatæ, & ex Scriptura desumptæ, adeoque prorsus divinæ sint. Exemplum sit in *Geniculatione*, quæ fit dum solennes habentur Precationes. Quæritur sitne humana Traditio, quam repudiare vel negligere cuivis liceat? Dico *sic esse humanam*, *ut simul sit Divina*. *Dei* est quatenus pars est decori illius cujus cura & observatio nobis per Apostolum commendatur: Hominum autem, quatenus specialiter designat quod in genere fuerat indicatum magis quam expositum. Ab hoc uno exemplo æstimare licet, quid de toto hoc genere sit sentiendum: nempe, quia *Dominus*, & totam veræ justitiæ summam, & *omnes cultus numinis sui partes*: & quicquid ad salutem necessarium erat, sacris suis Oraculis tum fideliter comple- XVII.

xus

xus est, tum perspicuè enarravit: in his solus *Magister est* audiendus. Quia autem in externa disciplina & Caeremoniis non voluit sigillatim praescribere, &c. *Vide reliqua supra Cap. 3. Num. 2. & 3.*

Quodnam autem fuerit reformatorum Ecclesiae *Scoticanae*, adeoque ipsius nostrae Ecclesiae reformatae de hac politia judicium, patet ex illa constitutione Ecclesiastica, de electione Superintendentis, quae exstat in Libro illo constitutionum Ecclesiasticarum, qui praemittitur *Psalterio* nostro metrico. Ubi beatae memoriae reverendus ille Pater, Magister *Joannes Knoxus*, publica ad hoc ipsum Ecclesiae authoritate instructus, preces concipit publicas pro Magistro *Joanne Spotiswodo*, qui tunc admittebatur Ecclesiarum *Lothianiae Superintendens*; Deum autem orat D. *Knoxus* in haec verba:

XVIII. Mitte huic nostro fratri, cui *in tuo nomine* praecipuam Ecclesiarum in *Lothianiae* partibus curam imposuimus, eam Spiritus tui sancti portionem, &c.

Judicium reformatae Ecclesiae Scoticanae.

Idem quoque D. *Knoxus* his verbis Superintendenti illi benedicit;

Deus, *qui te vocavit* ad officium excubitoris erga populum suum, multiplicet dona gratiae suae in Te. *Eumque sic hortatur:*

Ne usurpes dominium, nec tyrannicam auctoritatem supra fratres tuos. —— & ita te geras in *hac sancta vocatione* cum ea sobrietate, ut Deus tuo Ministerio glorificetur.

Plura Judicium Ecclesiae nostrae reformatae de hac politia evidenter declarantia, inveniet lector apud Episcopum *Brechenensem*, in defensione Synodi *Perthensis*, in discussione juramenti: deprompta ex Libro primo Disciplinae, conscripto, Anno 1560. Ubi de Superintendentium sive Episcoporum distinctis dioecesibus eorumque functione & potestate. In Synodo autem Nationali Ecclesiae Scoticanae, quae Edinburgi habita est anno Domini 1573. mense Martio, decretum factum est, ut Episcoporum in Ecclesiastica sua functione jurisdictio non excederet jurisdictionem Superintendentium, quam ante illius Synodi tempus habuerant, & illo ipso adhuc tempore habebant. Haec habentur in Actis illius Synodi, die 6. Martii.

In quarta actione Concilii Chalcedonensis *oecumenici quarti*, *post lectam* Archimandritarum *Epistolam*, *ad Concilium* Chalcedonense, *quae incipit*, Ad primam vocationem. *Lectus est antiquus Canon olim in Concilio* Antiocheno *conditus*, *cujus haec sunt verba:*

XIX. Si quis Presbyter aut Diaconus suum contemnens Episcopum, ab Ecclesia se separaverit & seorsum collegerit, & altare constituerit, & evocanti Episcopo acquiescere & obedire noluerit, & prius & secundò vocanti; hunc omino damnari, nec unquam curationem mereri; nec recipere eum posse honorem [*ordinamus.*] si autem permanserit turbas faciens, & seditiones Ecclesiae; per extraneam potestatem, tanquam seditiosum, debere everti, [*seu coerceri.*]

Poena contumacis in Clericos contumaces suo Episcopo.

Vide infra prop. 12. & cap. 19. part. 3. num. 5.

Εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος καταφρονήσας τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, ἀφώρισεν ἑαυτὸν τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἰδίᾳ συνήγαγε, καὶ θυσιαστήριον ἔστησε, καὶ τοῦ ἐπισκόπου προσκαλουμένου ἀπειθοίη, καὶ μὴ βούλοιτο αὐτῷ πείθεσθαι, μηδὲ ὑπακούειν, καὶ πρῶτον, καὶ δεύτερον καλοῦντι, τοῦτον καθαιρεῖσθαι παντελῶς, καὶ μηκέτι θεραπείας τυγχάνειν, μηδὲ ἀπολαμβάνειν αὐτὸν δύνασθαι τὴν τιμήν· εἰ δὲ ἐπιμένοι θορυβῶν, καὶ ἀναστατῶν τὴν ἐκκλησίαν, διὰ τῆς ἔξωθεν ἐξουσίας, ὡς στασιώδη, αὐτὸν ἐπιστρέφεσθαι.

Concil. Antioch. can. 5. celebratum est anno Domini 341.

Hoc Canone per *Actium* Archidiaconum praelecto, omnes Patres Synodici (Num. 630.) in Concilio *Chalcedonensi* clamaverunt; *Haec justa regula*, *haec regula Patrum.* οὗτος δίκαιος κανών, οὗτος ὁ κανὼν τῶν ἁγίων πατέρων.

Ex his omnibus evidenter efficitur non posse hanc politiam absque errore, vel (ut veteres loquuntur) haeresi damnari, neque debere contemni, etiamsi concedatur eam jure Ecclesiastico esse introductam.

Certè *Cyprianus* Episcopatum hunc, de quo agimus, ad jus divinum refert. epist. 27. & 52. & 55. & 69. editionis Pamelianae. Sive in alia editione, lib. 5. epist. 6. & lib. 4. epist. 2. & lib. 1. epist. 3. & lib. 4. epist. 10. & alii patres: in quibus & ipse *Hieronymus*, in epistola ad *Marcellam*, quae incipit, *Testimonia.* ait, *Episcopos tenere locum Apostolorum:* qui certè locus divini juris est. Idem *Hieronymus* praef. in *Matthaeum*, dicit *Marcum* fuisse Alexandrinae Ecclesiae primum Episcopum. Et suprà, num. 13. Episcoporum Alexandriae originem repetivit à *Marco* Evangelista. Et num. 14. decretum de Episcopis toto orbe factum esse ait, in remedium illius mali, quod ab Apostolo *Paulo* commemoratur 1 Cor. 1: 12. Et in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, scribit mortuum esse *Marcum* Evangelistam, Octavo *Neronis* anno, & sepultum Alexandriae, succedente ei Aniano. Viventibus nimirum adhuc & Ecclesias ordinantibus Apostolis, *Petro* & *Paulo*, & *Joanne*, &c. Et eodem libro disertè asserit, ab ipsis Apostolis ordinatos esse Episcopos, *Jacobum* Hierosolymorum, & *Polycarpum* Smyrnae, &c. Et in fine epistolae ad *Evagrium*, quae incipit, Legimus in Esaia. *Et ut sciamus* (inquit) *traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento*, *quod Aaron & filii ejus atque Levitae in templo fuerunt*, *hoc sibi Episcopi & Presbyteri & Diaconi vendicent in Ecclesia.* Haec *Hieronymus.*

XX.

Vide prop. 15.

Abrahamus Scultetus, in suis observationibus in epistolam ad *Titum*, cap. ult. multis argumentis docet, Episcopatum (supra simplices Presbyteros) esse Divinæ originis. Et huc faciunt etiam *Theodori Bezæ* notæ in 1 Tim. 5. vers. 17. & seqq. Nec aliter *Daniel Chamier*. Panstrat. tom. 2. lib. 13. cap. 19. §. 16. & §. 18. Licet antea diversum scripserit, eodem tomo, lib. 10. capp. 5. & 6.

Sed quæres fortasse, quid revera sentiendum sit de hujus gubernationis jure, sitne ea juris divini, an Ecclesiastici. Respondebo breviter; & absque contentionis studio, quid vero propius videatur, candidè indicabo, his paucis propositionibus.

PROPOSITIO I.

Primis duodecim propositionibus, earumque exegeticis affirmationibus ostenditur, præfecturam Episcopalem, & obedendi Episcopis necessitatem, esse de jure divino; appellationem vero Episcopi esse huic gradui appropriatam jure Ecclesiastico, œcumenico, & Apostolico.

EA est Ministerii Evangelici ratio de jure divino, ut ei non repugnet Ministrorum disparitas, sed possit ei congruenter convenire.

Veritas hujus propositionis manifesta est ex historia Apostolorum & Evangelistarum, & Presbyterorum oppidatim constitutorum: & ex verbis Apostoli, πρῶτον, δεύτερον, τρίτον, ἔπειτα, εἶτα. 1 Cor. 12. 28.

PROPOSITIO II.

DE jure Divino est, ut si sociale Ministerium, hoc est, ut unusquisque Pastor societatem aliquam Pastorum agnoscat, cui subjectionem & obedientiam debeat.

Juxta illud, spiritus Prophetarum, subjecti sint Prophetis. 1 Cor. XIV. 32. Vide Exeges. propos. 13. part. 5. §. 9. Ubi de casu necessariæ solitudinis.

PROPOSITIO III.

JUris Divini est, ut singula societates, sive Collegia Pastorum suas certas habeant regiones, & limites, jam post Apostolos.

Legimus enim Apostolos constituisse & constitui jussisse Presbyteros κατ' ἐκκλησίαν, & κατὰ πόλιν, Ecclesiatim, ut ita loquar, & oppidatim, Act. 14: 22. ad Tit. 1: 5. Vocavit ad se Apostolus *Paulus* Presbyteros Ecclesiæ *Ephesinæ*, eisque curam demandavit illius gregis, super quem Spiritus sanctus constituit eos Episcopos, Act. 20. Aliarum etiam Ecclesiarum Pastoribus commendavit proprios ipsorum greges. Unde meritò statutum est in Concilio Cart. 3. can. 20. *Ut à nullo Episcopo usurpentur plebes alienæ.* Item, can. 37. *Ut Clerici in aliena civitate non immorentur, nisi causas eorum justas Episcopus loci, vel Presbyteri locorum perviderint.*

PROPOSITIO IV.

DE jure Divino necessarius est societati, sive Collegio Pastorum, Præses aliquis, & Moderator, qui authoritate publica instructus reliquos convocet, & cum iis judicia exerceat Ecclesiastica, Clericos ordinet, conventum moderetur, Ecclesias visitet, sententias pronunciet, easque executioni pro officio mandandas curet, cui reliqui subjici in Domino, *& obedire tenentur, se legitimè gerenti in sua* προστασίᾳ.

Hoc ipsa postulat conservandi ordinis & decori atque evitandæ confusionis necessitas. Et clariùs etiam elucebit per exegesin sequentis propositionis. Neque negant etiam Episcopalis præsidentiæ adversarii necessitatem Moderatorum, sive Præsidum. Prima Christianæ Ecclesiæ politia divinitus instituta est cum aliquo rectorum inter se istiusmodi ordine ac inæqualitate. Semperque in Ecclesia, jam inde à primis ejus initiis, fuit aliqua auctoritas personalis, (quam Episcopalem vocamus,) potestatem habens præsidendi cœtui simplicium Presbytorum. Christus præerat Apostolis non solùm Dominica potestate qua servis, & Magisteriali qua Discipulis, sed etiam Episcopali quà Presbyteris seu verbi administris: nam omnis ista dignitas & perfectio eminenter in magno illo animarum nostrarum Episcopo emicabat. Unde beatus *Ignatius* martyr in sua ad Trallianos epistola, monet, ut subjiciantur Episcopo, ut Christo, & Presbyterio, ut Apostolis Christi. Deinde post Domini ascensionem, Apostoli superiores erant reliquis verbi ministris. Et multiplicatis cœtibus, constituerunt Apostoli Ecclesiis proprios Episcopos, cum ipsi omnibus adesse aut subvenire non possent. Neque ullo unquam tempore simplices Presbyteri fuerunt supremi in Ecclesia rectores: (nisi forte alicubi, post tempora Apostolica, per defectum œconomicum, particulari interdum Ecclesiæ contingentem,) Aliter enim Ecclesiæ suæ regimen Dominus instituit. Neque melior est ulla Ecclesiæ politia, quàm quæ fuit temporibus Christi & Apostolorum. *Theodorus Beza*, in notis in 1 Tim. 5: 17. seqq. *Jam* (inquit) *quomodo cum Presbyteris, id est, pastoribus, denique Disciplina præfectis, se gerere debeat qui eorum collegio præest, his præscriptis canonibus differit* [Apostolus.] Videantur ibi plura. Neque dantur illa de regendo clero & populo præcepta *Timotheo*, tanquam extraordinario Evangelistæ: nam perpetua sunt, & servari jubentur usque ad Domini adventum. 1 Tim. 6: 13, 14. Vocabulum autem *Evangelistæ*, 2 Tim. 4: 5. si ex opere illic injuncto exponendum sit, latiorem in illo loco significationem habere invenietur, quàm ut extraordinarium duntaxat & temporarium denotet ministerium. Auctor commentarii qui *Ambrosio* tribuitur, in illa Apostoli verba, *Sicut rogavi te* &c. 1 Tim. 1: 3. *Obsecrat* (inquit) *Episcopus coëpiscopum.* Et in cap. 3. cum dicit esse Episcopum qui inter Presbyteros primus est, ut omnis Episcopus Presbyter sit, non omnis Presbyter Episcopus.

1 Pet. 2. 25.

PROPOSITIO V.

JUri divino congruit, post Apostolos omnium societatum communes Moderatores, ut unicuique diœcesano Pastorum Collegio unus præsit Moderator, potius quam plures.

Hoc ipsa ratio tuendi ordinis, & pacis, ac vitandæ confusionis dictat. Idque ipsum patet ex Apostolica scribendi ratione ad Tim.

&

& Tit. cap. 1. Tim. cap. 3. & cap. 5. vers. 19. & seqq. & cap. 1. vers. 3. & seqq. & ad Tit. cap. 1. vers. 5. & seqq. & cap. 3. vers. 10. Item, ex Epistolis *Apocalypticis*, ad Angelos Ecclesiarum, Apocal. 2. & 3. In quibus Scripturarum locis ordinatio Pastorum, judicia Ecclesiastica, excommunicatio Hæreticorum, & coërcitio inordinatè viventium, & similia publicæ auctoritatis negotia, quamvis communi Compresbyterorum consensu peragenda sint, tamen uni speciatim commendantur, & injunguntur, & ob eorum neglectum aces objurgationes in illum unum proximè diriguntur; quamvis in cæteros etiam Compresbyteros ejusdem reos socordiæ redundent, ipse tamen singulariter admonetur, laudatur, reprehenditur, tanquam aliorum Præses & Rector, qui ratione suæ προεστασίας reliquos ad officium faciendum exstimulare & adigere ex officio debuerat, eisque suo exemplo prælucere. Unde antiquis Canonibus constitutum est, ut in una Diœcesi non nisi unus sit Episcopus. Quibus autem casibus possint esse duo Episcopi in una diœcesi, alias docuimus. *Leo* I. Episc. Rom. epist. 86. ad *Nicetam* Aquileiensem Episcopum, in fine epistolæ; *Inferiorum* (inquit) *ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque Rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.* In concilio 4. Oecumenico Chalced. in fine Actionis undecimæ, mota quæstio est, ubinam, secundùm Canones, ordinari debeat Ephesinus Episcopus: Asianis id in provincia, *ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ*, adeoque Ephesi, faciendum dicentibus, non autem extra provinciam; Constantinopolitani asserebant esse hoc Patriarchæ Constantinopolitani jus, ut ordinet Episcopum Ephesinum. Inter Asianos autem Episcopos, *Leontius* Episcopus Magnesiæ, dixit; *ἀπὸ τοῦ ἁγίου Τιμοθέου μέχρι νῦν εἰκοσιεπτὰ ἐπίσκοποι ἐγένοντο· πάντες ἐν Ἐφέσῳ ἐχειροτονήθησαν· μόνος Βασίλειος κατὰ βίαν ὧδε ἐγένετο·* id est; *A sancto Timotheo usque nunc, viginti septem Episcopi facti, Omnes Ephesi ordinati sunt. Solus Basilius violenter hic factus est. Leontio* se opponentes in hac causa Constantinopolitani *Philippus* Presbyter, & *Aëtius* Archidiaconus, adferunt alias etiam instantias Ephesinorum Episcoporum Constantinopoli à Patriarchis ordinatorum. At non negant, fuisse jam inde à sancto Timotheo viginti septem Episcopos Ephesinæ Ecclesiæ, neque de hac parte assertionis *Leontii* ullam movent controversiam: sed tantummodo de eo certamen est, ubinam & à quo debeat Ephesinus Episcopus ordinari.

In tract. de cura & residentia pastorali.

PROPOSITIO VI.

Juri Divino consentaneum est, ut Moderator, sive Præses fratrum ordinarius, non nisi propter culpam aut infirmitatem se abdicet officio illo, vel ab eo amoveatur.

Nam cum sit hæc cura divinitus et imposita, sitque pars Ecclesiastici Ministerii, & omne Ecclesiasticum Ministerium ordinarium, secundum institutionem divinam sit perpetuum, & omnis Episcopus, & Presbyter, & Diaconus in sua quisque statione sibi dictum existimare debeat quod Archippo dici jubetur, *Vide ut ministerium quod accepisti in Domino, impleas*: Coloss. 4: 17 Et quod ait Dominus apud Lucam, *Nemo qui manu sua admota aratro, respexit ad ea quæ à tergo sunt, aptus est regno Dei*: Luc. 9: 62. Cùm, inquam, hæc ita se habeant, & perpetua unius idonei præsidentia ad cavendam ambitionem & seditionem inter fratres etiam conducat; haud dubiè, juri divino & naturali sicut & Ecclesiastico congruit, ut idoneus moderator, nec ipse stationem deserat, nec ab officio amoveatur, citra culpam, aut casum infirmitatis, aut aliquam similem rationem, propter quam quilibet pastor, ab officio vel officii executione desistere tenetur. Hæc autem moderatricis potestatis & dignitatis circularis per fratres circumgyratio aut annua translatio, nuperum est inventum, antiquitati incognitum, & sacrarum Scripturarum munimine destitutum. Et quamvis rebus adhuc turbatis, necdum firmatis, haud ineptè à quibusdam usurpatum; non tamen (constabilita nunc per Dei gratiam reformatione) in Ecclesiis constitutis & ordinatis retinendum.

PROPOSITIO VII.

Moderator Fratrum debet ipse etiam censura esse subjectus. *Vide supra Num 8.*

Juxta illud, Dic Ecclesiæ, Matth. 18. &, Spiritus Prophetarum subjecti sunt Prophetis, 1 Corinth. 14.

PROPOSITIO VIII.

Debet præesse cum mansuetudine, absque tyrannico fastu, & dominatione.

Huc pertinet quod ait Dominus Discipulis: *Scitis quod Principes Gentium dominantur in eas: & qui magni sunt, licentia utuntur in eas, Verùm non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister: & quicunque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus. Sicut Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed ut ministraret*, Matth. 20: 25, 26, 27, 28. Ibi enim non prohiberi disparitatem, sed fastum & tyrannidem patet ex illis verbis, *Sicut Filius hominis*, &c. Huc pertinet ille Concilii *Carthaginensis* quarti Canon 34. *Ut Episcopus quolibet loco sedens, stare Presbyterum non patiatur.* Item, Canon 35. *Ut Episcopus in Ecclesia, & in consessu Presbyterorum, sublimior sedeat; intra domum verò collegam se Presbyterorum esse cognoscat.* Huc pertinet illud *Hieronymi*; *Illud etiam dico, quòd Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent clericos quasi clericos, ut & ipsis à clericis, quasi Episcopis, honor deferatur.* Hæc *Hieronymus*, epist. ad *Nepotianum*, quæ incipit, *Petis à me.* Dixit quidem *Gregorius*; *Sic servanda est virtus humilitatis, ut non solvantur jura regiminis.* Lib. 1. epist. ex registro, cap. 24. Idem autem alibi; *Hoc autem* (inquit) *quod discipulo Paulus ait*; Præcipe hæc & doce cum omni imperio; *non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ. Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur, quàm dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis.* Hæc *Gregorius* primus hujus nominis Episcopus Romanus, lib. 23. Moral. cap. 13. *Tit. 2: 15.*

PRO-

PROPOSITIO IX.

JUris Divini est, ut Moderator nihil ponderosum gerat absque consensu Compresbyterorum.

Juxta illa dicta, Dic Ecclesiæ. &, Spiritus Prophetarum, subjecti sunt Prophetis; id est, moderatori ejusque assessoribus, sive synedrio Prophetarum. Id quod *Cyprianus*, Episcopus *Carthaginensis*, diligenter à se observatum esse testatur, Epist. 6. vel in alia editione, lib. 3. Epist. 10. Unde statutum est, in Concilio *Carthaginensi* 4. can. 23. *Ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia suorum Clericorum: alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia Clericorum firmetur.* Hæc ibi. Inseruit etiam hunc canonem Decreto *Gratianus* caus. 15. quæst. 7. can. *Episcopus.*

Vide Instruct. Historico-theolog. lib. 16. cap. 1. §. 12. & seqq.

PROPOSITIO X.

QUi Compresbyteris præponitur, is manet adhuc de jure divino Presbyter, & ad Presbyteralis Officii executionem tenetur.

Constituebant Apostoli oppidatim primò quidem Presbyteros, qui communi consilio Ecclesiam illam regerent sub inspectione Apostoli, aut viri alicujus Apostolici, deinde autem multiplicatis & firmatis Ecclesiis, uni ex Presbyteris in excelsiori gradu collocato Superintendentiæ, & *προστασίας* inter Fratres onus imponebant, in Schismatis remedium, ne unusquisque ad se trahens *Christi* Ecclesiam rumperet. Sicut patet ex confirmatione propositiònis quintæ: & propositionis undecimæ. Ita tamen ut præpositi illi non desinerent esse Presbyteri, neque eximerentur à necessitate prædicandi, propter accessionem oneris gubernationis. Quemadmodum generalis Apostolorum præfectura, omniumque Ecclesiarum cura, non liberabat eos ab onere prædicationis, neque per illam suam prærogativam Apostolicam desinebant esse *Presbyteri laborantes in Verbo, & dispensatores Mysteriorum Dei.* (1 Pet. 5: 1. & 2. Joan. 1. & 1 Cor. 4: 1.) Quando Presbyter fit Episcopus, non desinit esse Presbyter, neque mutatio est, sed accessio oneris. Ideo & hoc faciendum quod præ aliis impositum est Episcopo, nec illud negligendum quod eidem homini adhuc Presbytero constanter incumbit. Ita alios exstimulare & adigere debet ad Ecclesiarum ipsis commissarum pastoralem curam, ut ipse boni Pastoris exemplum in se præbeat, habens, sicut alii Presbyteri, suam peculiarem plebem, seu gregem cui verbi pabulum diligenti prædicatione dispenset, & suam habens (jam post paræciarum, seu parochiarum distinctionem) peculiarem Ecclesiam parochialem, quæ ipsi sit Cathedralis, id est, ad quam constanter resideat, faciens *opus illud Evangelistæ*, quod *Timotheo* imperatur, 2 Tim. 4: 1, 2, 5. Id est, *prædicans Verbum, instans opportunè, importunè, arguens, objurgans, exhortans cum omni lenitate & doctrina, vigilans in omnibus, mala perferens, Ministerii sui plenam fidem faciens.* Præcipuum & excellentissimum opus in quolibet Ministro Verbi est ut *perduret in oratione & administratione Verbi*, Act. 6: 5. *Neque æquum est eum derelicto Verbo Dei ministrare mensis*, Vers. 2. Neque fas est Vicario alicui prædicandi provinciam relinquere, nisi velit etiam per vicarium salvus fieri. *Unusquisque enim mercedem propriam accipiet secundum proprium suum laborem*, inquit Apostolus, loquens de labore prædicationis, 1 Cor. 3. 8. Neque satis est ad rationes uniuscujusque nostrum, si de aliorum talentis *Dominus* noster lucra percipiat, sed necessaria est unicuique sedula negotiatio de proprio talento, quod accepit, neque illud in alium transferre potest. Quod si quisquam dicitur Episcopus, qui non accepit à *Domino* talentum pastorale, seu peritiam prædicandi & regendi, si non est *διδακτικός*, cucurrit non missus, væ illi, Jer. 23. fur est, & latro, per fenestram ingressus, non Pastor. Joan. 10. *Oportet Episcopum esse διδακτικόν.* 1 Tim. 3: 2. id est, aptum, promptumque ad docendum, & in docendo diligenter occupatum. *Væ jam mihi est, si minimè prædicavero*, inquit *Ambrosius*, Episcopus *Mediolanensis*, lib. de Dignitate Sacerdotali, cap. 1. Sic etiam de se loquitur *Gelasius* 1. Papa Rom. Epist. 8. ad *Anastasium* Imperatorem: ubi ait; *Dispensatione enim mihi Divini sermonis injuncta, væ mihi est, si non evangelizavero. Quod cum vas electionis beatus Paulus Apostolus formidet & clamet, multo magis mihi exiguo metuendum est, si Divinitus inspiratum, & paterna devotione transmissum, subtraxero ministerium prædicandi.* Hæc *Gelasius.* Expedit tamen, imò necesse est, adjungi Episcopo unum aut plures Presbyteros collegas, ad peculiarem illum gregem parochialem communi opera pascendum, ne nimio Episcopus onere prægravatus non queat publicæ etiam curæ sufficere. Et ne Episcopo alias Ecclesias ex officio visitante, aliisve publicis congruisque curis intento, grex ejus parochialis Pastorali custodia, & necessario verbi pabulo destituatur. *Irenæus*, apud *Eusebium*, lib. 5. Hist. Eccles. cap. 24. *κε*. in Epistola sua ad *Victorem*, Episcopos Romanos, *Anicetum, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum*, vocat Presbyteros. *Omnis Episcopus Presbyter est, non omnis Presbyter Episcopus: hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est*, inquit *Ambrosius*, vel quisquis Author est illius Commentarii: certè *Ambrosio* non citerior, nam *Damaso* erat contemporaneus, in 1 Tim. 3. Alibi etiam *Ambrosius*, *Honor quidem*, inquit, *Episcopalis coram hominibus præclarus est; sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tanto, si per negligentiam delabatur, ruina gravior est. Magna sublimitas, magnam debet habere cautelam: Honor grandis, grandiori debet sollicitudine circumvallari.* Hæc *Ambrosius*, Libro de Dignitate Sacerdotali, cap. 3. De hoc autem Argumento prolixè, ex sacris Scripturis, & Patribus, disseruimus in Tractatu nostro, de Cura & Residentia Pastorali.

Vide supra, num. 2. & 3.

1 Cor. 9: 16.

PROPOSITIO XI.

QUod Presbyter, Compresbyterorum Præses, & Moderator ordinarius appellatus, fit peculiariter Episcopus, *cæteris* Presbyterorum *vocabulo contentis; id non est contra legem divinam factum, sed congruenter* legi divinæ *introductum est jure Ecclesiastico, œcumenico, & Apostolico, & perpetuo seculorum omnium usu irreprahensibiliter servatum. Idcirco cum de re constet turbas*

jam

jam de hac nomenclatura ciere, & tumultuari insolentissimæ insaniæ est.

Hujus Propositionis veritatem sic ostendo: Non est contra jus divinum; nam vocabulum communius lex divina non vetat certo aliquo sensu appropriare; neque vetat novis etiam vocabulis antiquam doctrinæ veritatem exprimere, prout Ecclesiæ ædificatio postulaverit. Apostoli & Episcopi, cum ipso Christo Diaconi dicuntur, 2 Corinth. 6: vers. 4. Matth. 20: 28. Rom. 15: 8. & 1 Timoth. 4: 6. Christus Apostolus, & Episcopus, Hebr. 3: vers. 1. & 1 Petr. 2: 25. Apostoli Presbyteri, 1 Petr. 5: 1. & 3 Joan. vers. 1. Presbyteri Apostoli, 2 Corinth. 8: 23. Apostolus Paulus Doctor, 1 Timoth. 2: 7. Episcopi Angeli nuncupantur, Apocalyp. 1. & 2. & 3. Quam multa etiam à vetere Ecclesia propter doctrinæ commoditatem vocabula contra *Samosatenianos*, *Sabellianos*, *Arianos*, aliosque Hæreticos sunt introducta, sine additione ad sacras Scripturas, vel earundem diminutione, quoad ipsam doctrinæ substantiam? ut Trinitas, Personas, Consubstantialis, &c. Non enim in nominibus, sed in rebus, sita est nostra Religio, ut rectè monet *Gregorius* Theologus, in Oratione quam habuit coram centum & quinquaginta Episcopis, in Concilio œcumenico secundo, *Constantinopoli* celebrato, Anno 382. Cum igitur rei ipsius æquitas ex superioribus propositionibus manifesta sit, patebit, insolentissimæ esse insaniæ de hac nomenclatura tumultuari, si ostendero eam jure Ecclesiastico, œcumenico, & Apostolico esse introductam, & hucusque in universali Ecclesia irrepræhensibiliter continuatam. *Nihil apud me distat in verbo, quod non distat in sensu*, inquit *Ambrosius*, Lib. 2. Comment. in Lucæ Evang. in illa verba, *& posuit in præsepio.* Certè ubi constat de re, stultum & importunum est inutiliter certare de vocabulo, *λογομαχεῖν εἰς ὐδὲν χρήσιμον*: Quod prohibet Apostolus, 2 Timoth. 2: 14. *Quid est enim contentiosius, quàm ubi de re constat, certare de nomine?* inquit *Augustinus*, epist. 174. Cogitent certantes de nomine *Episcopi*, quo jure ipsi hodie nomen *Senioris* approprient quibusdam non laborantibus in verbo: & nomen *ministri*, pastoribus; & desinent altercari de nomine *Episcopi*. Ecclesiastico & œcumenico jure introductum esse hunc vocabuli usum patet ex ipsius *Hieronymi* verbis supra citatis, (Num. 13. & 14.) ait enim jam inde à Marci Evangelistæ temporibus, non solum in *Alexandrina* Ecclesia unum ex Presbyteris in excelsiori loco collocatum, cæterisque superpositum, appellatum esse *Episcopum*: sed idem etiam toto orbe decretum esse. Idipsum verò esse etiam juris Apostolici, id est, ab ipsis Apostolis institutum, vel saltem approbatum, inde patet, quia à Marci Evangelistæ temporibus hoc obtinuit. Jam autem Marco mortuo, Anno 8. Imperii Neronis, successit Anianus, Episcopus *Alexandrinus*, testibus Euseb. lib. 2. Hist. Eccles. cap. κδ. 24. & *Hieronymo* in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 18. *Petrus* autem & *Paulus* Apostoli supervixerunt, curam agentes Ecclesiarum, usque ad annum 14. *Neronis*, eodem teste *Hieron.* in Catal. script. Eccl. cap. 1. & 15. *Joannes* Apostolus usque ad *Trajanum* principem perseverans, totas *Asiæ* fundavit rexitque Ecclesias: ut loquitur *Hieron.* eodem lib. cap. 19. Et *Simon Cananæus*, ad ejusdem *Trajani* tempora pervenit, ut scribit *Hieronymus* ibidem, cap. 9. Idem quoque *Hieronymus*, in illo Catalogo, cap. 11. scribit *Timotheum* fuisse *Ephesiorum* Episcopum ordinatum à beato *Paulo*. Et cap. 12. *Titum* fuisse Episcopum *Cretæ*. Et cap. 3. *Jacobum* fratrem Domini cognomento justum, post Passionem Domini statim ab Apostolis *Hierosolymorum* Episcopum esse ordinatum. Et cap. 9. *Simonem Cananæum*, ejusdem *Jacobi* fratrem, successisse *Jacobo* in illum Episcopatum. Et cap. 27. *Polycarpum*, à *Joanne* Apostolo, ordinatum esse *Smyrnæ* Episcopum. Irenæus Episcopus Lugdunensis, ait; *Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos. Quibus etiam ipsas Ecclesias committebant: quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes. Sed quoniam valdè longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones.* ——— *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli* [Petrus & Paulus] *Ecclesiam* [Romanam,] Lino *Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timotheum epistolis meminit. Succedit autem ei* Anacletus. *Post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur* Clemens, *qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis.* ——— *Huic autem Clementi succedit* Euaristus, *& Euaristo* Alexander, *ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est* Sixtus, *& ab hoc* Telesphorus, *qui etiam gloriosissimè martyrium fecit; ac deinceps* Hyginus, *post* Pius, *post quem* Anicetus. *Cum autem successisset Aniceto* Soter, *nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet* Eleutherius. ——— *Et* Polycarpus *autem non solùm ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate: multum enim perseveraverat, & valdè senex gloriosissimè & nobilissimè martyrium faciens exivit de hac vita.* Hæc *Irenæus*, lib. 3. adversus hæreses, cap. 3. Hinc cernis eos latè errare qui dicunt Episcopos non distingui apud *Irenæum* à simplicibus Presbyteris: quamvis alibi ipsos Episcopos vocet Presbyteros. *Simonis Cleopæ*, (qui *Jacobo* in Episcopatum Hierosolymitano successit) & *Ignatii* (qui fuit *Euodii* in Antiocheno Episcopatu successor) martyria *Eusebius* in Chronico refert ad annum decimum *Trajani* Imp. Ecclesiam autem, usque ad istorum duorum martyrum obitum, virginem integram & incorruptam permansisse scripsit *Hegesippus*, referente *Eusebio*, lib. 3. Hist. Eccles. cap. 26. λβ. Vide etiam cap. 30. λε. Et tamen multo antè florebat ordo Episcopalis suffragiis ipsorum Apostolorum. *Tertullianus* etiam scribit *ab Apostolis in Episcopatum constitutos.* Lib. de præscript. cap. 32.

PROPOSITIO XII.

IN Christum peccat, quicunque, sive Laicus, sive Clericus, Episcopi sui authoritatem contemnit, ejusque justis mandatis, in eis quæ potestati Episcopali subsunt, obedientiam, obstinatè denegat.

Hujus propositionis veritas ex eis quæ toto hoc Capite præmissa sunt, luculenter patet. Quisquis Dei ordinationi resistit, is in Deum peccat. Dixi, *in eis quæ Episcopali potestati subsunt*: quia si jubeat Episcopus emere aut vendere fundum, si hanc vel illam uxorem ducere, aut simile quidpiam quod ad curam Epi-

ſcopalem non pertineat, non eſt neceſſe, in talibus, ei obtemperare. At in eis quæ ex officio ſuo Epiſcopali tibi legitimè injungit, ſi neque contra fidem ſit, neque contra bonos mores, teneris ei obedire, Hebr. 13: 17. quod quidem per ea quæ hactenus dicta ſunt, ſatis clarè demonſtratum eſt, adjiciam tamen uberioris doctrinæ gratia, nonnulla certa & genuina ex genuinis Epiſtolis antiquiſſimi ſcriptoris beati Ignatii, Epiſcopi Antiocheni, quem Hieronymus in Catalogo ſcribit martyrio coronatum eſſe anno undecimo *Trajani* Imperatoris, ad cujus imperatoris tempora pervenit *Joannes* Apoſtolus, eodem teſte *Hieronymo*, in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Beati autem *Ignatii* in Epiſtola ad *Trallianos*, in editione Vedeliana, hæc ſunt verba: *Epiſcopo ſubjecti eſtote; velut Domino* (ὡς τῷ κυρίῳ) *ipſe enim vigilat pro animabus veſtris.* —— ἀναγκαῖον ἦν ἐςὶν ὥσπερ ποιεῖτε, ἄνευ τῦ ἐπισκόπυ μηδὲν πράττειν ὑμᾶς. Ἀλλ᾽ ὑποτάσσεσθε καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς ἀποςόλοις Ἰησῦ Χριςῦ, &c. id eſt, *Neceſſe itaque eſt, quicquid facitis, ut ſine Epiſcopo nihil tentetis. Sed & Presbyteris ſubjecti eſtote, ut Chriſti Apoſtolis*, &c. ———— αἰδεῖσθε δὲ καὶ τὸν ἐπίσκοπον ὑμῶν, ὡς χριςὸν, καθ᾽ ἡμῖν οἱ μακάριοι διετάξαντο ἀπόςολοι, &c. id eſt, *Revereminis autem Epiſcopum veſtrum, ſicut Chriſtum, quemadmodum beati nobis præceperunt Apoſtoli. Qui intra Altare eſt, mundus eſt, quare & obtemperat Epiſcopo, & Presbyteris. Qui verò foris eſt, hic eſt qui ſine Epiſcopo, & Presbyteris, & Diaconis quippiam agit; & ejuſmodi, inquinatam habet conſcientiam, & infidelis deterior eſt. Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quàm is qui omni principatu & poteſtate ſuperior eſt; & quoad homini licet, pro viribus imitator Chriſti Dei factus. Quid verò Presbyterium aliud eſt, quam ſacer cœtus, Conſiliarii, & aſſeſſores Epiſcopi?* [Τί δὲ πρεσβυτέριον, ἀλλ᾽ ἢ σύςημα ἱερὸν, σύμβυλοι καὶ συνεδρευταὶ τῦ ἐπισκόπυ;] ——— *Antidotum vobis porrigo adverſus peſtilentem inobedientium* [τῶν ἀνυποτάκτων] *morbum, quem fugite beneplacito Chriſti Domini noſtri.* Hæc ibi.

2. Nicolaus Vedelius, Profeſſor in Academia *Genevenſi*, & Verbi Dei Miniſter, in ſua exercitatione, in Epiſtolam Ignatii ad Trallianos, cap. 2. ait Ignatium hic inculcare hæc duo: 1. *Ne quicquam fiat ſine Epiſcopo*: 2. *Ut obedientia deferatur Epiſcopo*. Et cap. 9. num. 7: ait, poteſtates politicas Epiſcopo majores in Eccleſia non eſſe: hic autem Ignatium facere mentionem tantùm ordinum Eccleſiaſticorum, ac inter eos Epiſcopum omnium maximum eſſe, ſicut docet Ignatius, adeo ut Epiſcopus ſuperiorem ſe nullum in Eccleſia habeat: cæteri autem gradus Presbyterii & Diaconatus Epiſcopo ſubjiciantur. Unde colligit Vedelius tyrannicè peccare & errare *Romanenſes*, qui ſupra Epiſcopos cæteros *Romanum* Papam collocant, tanquam imperio, & poteſtate de jure divino ſuperiorem.

3. Idem Ignatius, in Epiſtola ad Epheſios, *Enitimini*, inquit, *Chariſſimi, ſubjecti eſſe Epiſcopo, & Presbyteris* [τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις] *& Diaconis. Qui enim his obedit, obedit Chriſto, qui hos conſtituit* [τῷ προχειρισαμένῳ αὐτὺς] *qui verò his reluctatur, reluctatur Chriſto Jeſu.* ——— *præfractus enim, contemptoſus, & ſuperbus eſt, qui non obtemperat ſuperioribus.* Idem quoque in Epiſtola ad *Philadelphenſes*: *Epiſcopo attendite, & Presbyteris, & Diaconis.* ——— *Sine Epiſcopo, nihil facere.* Nicolaus Vedelius, in exercitatione in Epiſtolam Ignatii ad *Philadelphenſes*, cap. 14. *Jam*, inquit, *tempore* Ignatii *erat diſcrimen illud Presbyterorum & Epiſcopi, ut ex pluribus Epiſt. harum locis apparet.*

4. Idem Ignatius, in epiſt. ad Smirnenſes, *Nefandas*, inquit, *hæreſes, & eos qui ſchiſmata faciunt, fugite, ut fontem malorum. Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Patrem: & Presbyterorum collegium, ut Apoſtolos: Diaconos reveremini, ut ex* Dei *præcepto miniſtrantes. Sine Epiſcopo nemo quicquam faciat eorum quæ ad Eccleſiam ſpectant. Rata Eucharistia* [εὐχαριςία] *habeatur illa, quæ ſub Epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſerit* —— *qui honorat Epiſcopum, à* Deo *honorabitur: ſicut qui ignominia afficit illum, à* Deo *punietur*. Hæc *Ignatius*.

5. *Vedelius* autem, in exercitatione in illam *Ignatii* Epiſt. ad *Smirnenſes*, cap. 5. *Recenſet*, inquit, *Eccleſiaſticæ εὐταξίας (ſic enim Ignatius vocat id, quod alii κατεχοχικῶς Hierarchiam vocant) gradus, qui quibus immediatè ſubſint, indicat Ignatius: Laicos vult ſubeſſe Diaconis, Diaconos Presbyteris, Presbyteros Epiſcopo, Epiſcopum* Chriſto. *Epiſcopus igitur nemini quam* Chriſto *ſubeſt. Similiter is qui* Dionyſium Areopagitam *ſe nominat, de Eccleſ. Hierarch.* cap. 5. *dicit, Epiſcoporum Hierarchiam immediate in* Chriſtum *terminari*. Hæc *Vedelius*.

16. Hæc quidem adduximus ex editione Vedeliana. Accipe etiam ejuſdem *Ignatii* verba, ex ea editione, quam ex bibliotheca Florentina dedit *Iſaacus Voſſius*. Sic igitur ibi Ignatius, epiſt. ad Smirnæos; Πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολυθεῖτε, ὡς Χριςὸς Ἰησῦς τῷ πατρὶ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποςόλοις. τὺς δὲ διακόνυς ἐντρέπεσθε ὡς Θεῦ ἐντολήν. Μηδεὶς χωρὶς τῦ ἐπισκόπυ τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Ἐκείνη βεβαία εὐχαριςία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον, ἢ ᾧ αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. ——— ὁ τιμῶν ἐπίσκοπον, ὑπὸ Θεῦ τετίμηται. Ὁ λάθρα ἐπισκόπυ τι πράσσων, τῷ διαβόλῳ λατρεύει. Et epiſt. ad Epheſios; ἵνα ὑποτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, κατὰ πάντα ἦτε ἡγιασμένοι. —— σπυδάσωμεν ὖν μὴ ἀντιτάσσεσθαι τῷ ἐπισκόπῳ, ἵνα ὦμεν Θεῷ ὑποτασσόμενοι. Et epiſt. ad Magneſios; Πρέπον ὖν ἐςὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι χριςιανὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι, ὥσπερ καὶ τινες ἐπίσκοπον μὲν καλῦσιν, χωρὶς δὲ αὐτῦ πάντα πράσσυσιν. οἱ τοιῦτοι δὲ ὐκ εὐσυνείδητοί μοι εἶναι φαίνονται, διὰ τὸ μὴ βεβαίως κατ᾽ ἐντολὴν συναθροίζεσθαι. ——— παραινῶ ἐν ὁμονοίᾳ Θεῦ, σπυδάζετε πάντα πράσσειν, προκαθημένυ τῦ ἐπισκόπυ εἰς τόπον Θεῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίυ τῶν ἀποςόλων. Et epiſt. ad Trallianos; ὅταν γὰρ τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς Ἰησῦ Χριςῷ, φαίνεσθέ μοι ὐ κατ᾽ ἀνθρώπυς ζῶντες, ἀλλὰ κατὰ Ἰησῦν Χριςὸν, τὸν δι᾽ ἡμᾶς ἀποθανόντα, ἵνα πιςεύσαντες εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ, τὸ ἀποθανεῖν ἐκφύγητε. ἀναγκαῖον ὖν ἐςιν, ὥσπερ ποιεῖτε, ἄνευ τοῦ ἐπισκόπυ μηδὲν πράσσειν ὑμᾶς. ἀλλ᾽ ὑποτάσσεσθαι καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς τοῖς ἀποςόλοις Ἰησοῦ Χριςοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν. Et epiſt. ad Philadelphicos; ὅσοι γὰρ Θεοῦ εἰσιν καὶ Ἰησοῦ Χριςοῦ, οὗτοι μετὰ τοῦ ἐπισκόπυ εἰσίν. —— εἴτις σχίζοντι ἀκολυθεῖ, βασιλείαν Θεοῦ ὐ κληρονομεῖ. —— πᾶσιν ὖν μετανοοῦσιν ἀφίει ὁ κύριος, ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα Θεῦ, καὶ συνέδριον τῦ ἐπισκόπυ. Hæc ibi.

7. Earundem autem epiſtolarum ſimul edidit *Iſaacus Voſſius* veterem tranſlationem latinam: in qua ſententiæ iſtæ ſic habent: epiſt. ad Smyrnæos; *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem; & Presbyterium, ut Apoſtolos. Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. Nullus ſine Epiſcopo aliquid operetur rerum quæ* con-

convenient in Ecclesiam. Illa firma gratiarum actio reputetur, quæ sub ipso est, vel quam utique ipse concesserit. ——— *Honorans Episcopum, à Deo honoratus est: qui occultans ab Episcopo aliquid operatur, Diabolo præstat obsequium.* Et epist. ad Ephesios; *Ut subjecti Episcopo & Presbytero, secundum omnia sitis sanctificati.* ——— ——— *Festinemus igitur non resistere Episcopo; ut simus Deo subjecti.* Et epist. ad Magnesios; *Decens igitur est, non solùm vocari Christianos, sed & esse: quemadmodum quidam Episcopum quidem vocant, sine ipso autem omnia operantur. Tales autem non bonæ conscientiæ mihi esse videntur, propter non firmiter secundum præceptum congregari.* ——— *Moneo, in concordia Dei studete omnia operari: præsidente Episcopo in loco Dei, & Presbyteris in loco confessionis Apostolorum.* Et epist. ad Trallianos; *Quum enim Episcopo subjecti estis ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum homines viventes, sed secundum Jesum Christum; propter vos mortuum, ut credentes in mortem ipsius, mori effugiatis. Necessarium igitur est, quemadmodum facitis, sine Episcopo nihil operari vos: sed subjici & Presbyterio ut Apostolis Jesu Christi spei nostræ.* Et epist. ad Philadelphicos; *Quotquot enim Dei sunt & Jesu Christi; isti cum Episcopo sunt.* —— *Si quis schisma facientem sequitur, regnum Dei non hæreditat.* —— *Omnibus igitur pœnitentibus dimittit Deus; si pœniteant in unitatem Dei & concilium Episcopi.* Hæc *Ignatius*; in editione Vossiana Græcolatina.

8. Vide in eandem sententiam *Cyprian.* epist. 69. (seu lib. 4. epist. 10.) ad Florentium Pupianum. Vide etiam *Ambr.* lib. 2. de officiis, cap. 24.

Utrum Episcopatus sit ordo distinctus à Presbyteratu.

9. Vexatissima est, inter Scholasticos Theologos, & Canonistas controversia, de numero ordinum Ecclesiasticorum. Dionysius ille qui Areopagita scribitur, antiquus quidem Author, illo tamen, de quo in Actis Apostolorum fit mentio, longè posterior, in Libro suo de Ecclesiastica Hierarchia, non nisi trium ordinum Ecclesiasticorum meminit; nempe, Ordinis Episcoporum, & ordinis Presbyterorum, & ordinis Diaconorum. Ordinem Episcoporum appellat *τὴν τῶν ἱεραρχῶν τάξιν*: & hunc vocat ordinem summum, supra quem in Hierarchiæ Ecclesiasticæ distinctione, non altius ascenditur, nisi ad ipsum Dominum Jesum Christum: Ideo & summum vocat hunc ordinem, & postremum respectu complementi in ascendendo: ejus verba sunt, *Ἡ θεία τῶν ἱεραρχῶν τάξις, πρώτη μέν ἐστι τῶν θεοπτικῶν τάξεων· Ἀκροτάτη δὲ καὶ ἐσχάτη πάλιν ἡ αὐτή· καὶ γὰρ εἰς αὐτὴν ἀποτελεῖται καὶ ἀποπληροῦται πᾶσα τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας διακόσμησις· Ὡς γὰρ ἅπασαν ἱεραρχίαν ὁρῶμεν εἰς τὸν Ἰησοῦν ἀποπερατουμένην, οὕτως ἑκάστην εἰς τὸν οἰκεῖον ἔνθεον ἱεράρχην* id est, *Divinus igitur Pontificum ordo primus quidem est eorum ordinum qui Deum vident: summus autem & postremus rursum idem est. In eo enim, & absolvitur, & expletur omnis Hierarchiæ nostræ distinctio: ut enim Hierarchiam omnem videmus in Jesum desinere; sic unamquamque in suum proprium divinum Pontificem.* Hæc Dionysius, lib. citato, cap. 5. ubi ordinem Presbyterorum appellat, *τὴν τῶν ἱερέων τάξιν*, *Ordinem Sacerdotum*: Ordinem verò Diaconorum vocat *τὴν τῶν λειτουργῶν τάξιν*, *Ordinem Ministrorum.*

10. *Petrus Lombardus*, Episcopus *Parisiensis*, lib. 4. sent. dist. 24. ait Episcopatum, prout à Presbyteratu distinguitur, esse quidem dignitatem quandam & officium à Christo in Ecclesia constitutum: at ordinem nullum agnoscit sublimiorem ordine Presbyterali; in quo ponit etiam Episcopos, ut reliquis Presbyteris, non ordine, sed dignitate & officio Superiores. Ideo duos tantum numerat ordines Ecclesiæ primarios; nempe, Presbyteratum, & Diaconatum. Et horum duorum supra alios inferiores ordines geminam commemorat prærogativam: 1. Quod hi duo per excellentiam dicantur sacri: 2. Quod hos solos habuerit primitiva Apostolica Ecclesia, & de his solis Apostolus præceperit: Apostolus enim in civitatibus ordinasse Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos: at alios inferiores ordines procedente tempore Ecclesiam sibi constituisse. Cui concordat, quod ait Thomas, in quartum Sent. dist. 24. quæst. 2. art. 2. ad secundum: *In primitiva*, inquit, *Ecclesia, propter paucitatem Ministrorum, omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur.* Hæc *Thomas.* Idque ipsum confirmat ex Dionysio, de Eccles. Hierarch. cap. 5.

11. Enumerat autem Lombardus, infra Diaconatum, quinque ordines, videlicet, *Subdiaconorum, Acoluthorum* (*ἀκολούθων*, *Euseb.* lib. 6. Hist. cap. 35. *μγ.* quos Lombardus corruptè *Acolytos* vocat, & alio portentoso vocabulo, *Ceroferarios*) *Exorcistarum*, *Lectorum*, & *Ostiariorum.* Et hunc septenarium numerum Scholastici Theologi Magistrum sequuti tuentur.

12. At Canonistæ *Isidorum* & *Gratianum* sequentes, Distinct. 21. Cleros; & Distinct. 25. Can. Perlectis. etiam Psalmistarum, sive Cantorum, adjiciunt ordinem; & Episcopatum, prout à Presbyteratu distinguitur, affirmant esse verum ordinem, & imprimere Characterem. Ut sic habeant novem ordines; ad similitudinem cælestis Hierarchiæ.

14. *Opinio Juristarum*, inquit *Aureolus*, *discordantium in hoc à Theologis est, quod Episcopatus est verus ordo* ——— *hæc est intentio communis omnium Juristarum, & dicunt quod nos Theologi in hoc à vero deviamus.* Hæc *Aureolus*, in quartum Sent. Distinct. 24. Art. 2. §. de primo.

15. De eadem controversia Angelus, *Sed Canonistæ*, inquit, *tenent quod sunt novem ordines secundum novem Hierarchias; scilicet prima tonsura, seu Psalmistatus, & ordo Episcopalis: & quod prima tonsura sit ordo, & quod Episcopatus sit ordo, & imprimatur Character.* Hæc Angelus, in Summa, Verbo, Ordo, cap. 1. ubi se profitetur sentire cum Canonistis.

16. Respondent Theologi, Psalmistatum, sive primam tonsuram, non esse propriè ordinem, sed dispositionem ad ordines: *Et in hoc concordant communiter Theologi*, inquit Angelus, loco citato.

Thomas: *Psalmistatus*, inquit, *non est ordo, sed officium ordini annexum*, in quartum Sent. Distinct. 24. Quæst. 1. Artic. 1. ad quintum. Idem dicit *Bonaventura*, ibidem. Articul. 2. quæst. 2.

De Episcopatu respondet *Capreolus*, in quartum Sent. Distinct. 25. Art. 1. Conclusione secunda; *Episcopatus est ordo, accipiendo ordinem largè, prout ordo dicitur tam de Sacramento, quam de officio non Sacramento: non autem propriè & strictè, prout ordo est Sacramentum.* Hæc *Capreolus.*

De Charactere respondet Thomas, in quartum Sent. Distinct. 25. Art. 2. ad secundum: *In promotione Episcopi datur ei potestas quæ perpetuo & indelebiliter manet in eo, sicut Character quia per consecrationem datur: quamvis dici non possit Character.* Hæc ibi.

Bonaventura, in quartum Sent. Distinct. 24.

 Art.

Art. 2. quæst. 3. *Tenet communis opinio, quod in Episcopatu Character novus non imprimatur: sed illi aliqua eminentia confertur, quæ semper manet cum ipso Charactere ordinis, ablata omni jurisdictione. Hanc ergo opinionem sustinendo, dicamus, quod Episcopatus præcise loquendo, non est ordo; sed ordinis eminentia, vel dignitas.*

Idem ibidem, ad primum: *Quod*, inquit, *objicitur de Isidoro & Gelasio; dicendum, quod ad eorum auctoritates, & consimiles, unica responsione potest responderi, quod ipsi nomen ordinis ampliant ad officia, & dignitates.* Hæc *Bonaventura.*

Aureolus Articulo superiùs citato, ait, Episcopatum non esse diversum ordinem ab ordine Presbyterali, sed esse ampliationem potestatis in eodem ordine.

Scotus ait ordinem, propriè loquendo, non esse Sacramentum: *Dico*, inquit, *quod loquendo propriè de Sacramento, ordo non est Sacramentum: quia omne Sacramentum, est signum sensibile; & ordo (ut dictum est) quidam gradus est spiritualis. Tamen accipiendo Sacramentum pro signo invisibili, sicut aliquid dicitur res, & Sacramentum, hoc modo potest dici Sacramentum.* Hæc *Scotus*, in quartum sent. dist. 24. qu. unica, art. 3. num. 8.

17. Hæc propterea commemoranda duxi, ut manifestè ostenderem nihil esse in tota hac controversia, quod adversetur propositionibus nostris, de jure divino officii & dignitatis episcopalis supra simplices Presbyteros. Nam de hoc non est inter eos dissensio: sed unanimi consensu omnes, non solùm Canonistæ, sed etiam Theologi cum Magistro & cum Dionysio agnoscunt, Episcopatum esse ordinem distinctum à Presbyteratu; accipiendo ordinem pro officio in Ecclesia divinitus instituto: & in primitiva Ecclesia Apostolos, jussu Christi, constituisse Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos: & esse hos tres distinctos ordines; cum hac subordinatione quod Diaconi subsint Presbyteris; & utrisque, cum Diaconis tum Presbyteris præsit Episcopus, de jure divino. Neque nos aliud demonstratum ivimus. De Sacramento autem & charactere dum ipsi inter se disceptant, nos instituti nostri interea memores, progrediamur.

PROPOSITIO XIII.

Ecclesia Orthodoxam tenens Fidem, si careat Episcopo, sive Presbyterorum ordinario præfecto Diœcesano, laborat quidem defectu quodam œconomico: at non propterea desinit esse vera Ecclesia, neque excidit potestate illa Ecclesiastica, quam habent aliæ Ecclesiæ ab Episcopis gubernatæ. Quamvis optandum & annitendum, ut habeat Episcopum.

Exegeseos propositionis decimatertiæ pars prima, De Ecclesia sine Episcopo.

Gradus quidem Episcopalis, est juris divini; sic tamen ut Ecclesia esse non desinat, sed esse possit, & sit quandoque vera Ecclesia Christiana, in qua non reperitur hic gradus. Idque non solùm ante ordinatos in singulis Ecclesiis proprios Episcopos, sicut videre est in Ecclesia *Samaritana*, per *Philippum* Diaconum recens fundata, antequam ibi ullus esset proprius Episcopus. Act. 8. 12. Et in prima illa *Antiochena* Ecclesia, de qua legimus Act. 11: 20, 21. Et Ecclesia *Lystrensi*, item *Iconiensi*, & *Antiochiæ Pisidiæ*, quibus Apostoli *Paulus* & *Barnabas* præfecerunt Presbyteros, κατ' ἐκκλησίαν, Act. 14: 20, 21, 22. & Ecclesia *Ephesina*, quando initio regebatur tantum à Presbyteris, nondum constituto illic proprio aliquo Episcopo, (erant enim Apostoli, & viri Apostolici quos consulerent) Act. 20. quamvis postea acceperit Episcopum, qui dictus est Angelus Ecclesiæ *Ephesinæ*, Apocal. 2: 1. *Olim*, inquit *Panormitanus*, *Presbyteri in communi regebant Ecclesiam, & ordinabant Sacerdotes, & pariter conferebant omnia Sacramenta: sed postmodum, ad Schismata sedanda, fecerunt seu ordinaverunt Apostoli, ut crearentur Episcopi.* Hæc Nicolaus Abbas Panormitanus, in lib. 1. decretalium, de consuetudine, cap. Quanto. Non solum, inquam, ante Episcoporum illis Ecclesiis propriorum ordinationem; sed etiam post constitutos passim in Ecclesiis proprios Episcopos. Non enim ad esse, sed ad melius esse Ecclesiæ necessaria est hæc œconomia.

Ecclesia sine Episcopo.

2. Joannes Major, lib. 2. historiæ de gestis Scotorum, cap. 2. scribit Scotos per Sacerdotes, & Monachos, sine Episcopis, in fide eruditos esse, usque ad annum Dom. 429. adeo ut primitiva Ecclesia Scoticana plusquam ducentos & triginta annos floruerit absque regimine Episcopali. Nam Religionem Christianam suscepit Scotia anno Dom. 203. sicut consentiunt omnes Historici.

Exemplum in Ecclesia Scoticana.

3. Ecclesiæ etiam *Romanæ*, sede vacante, præfuerunt Presbyteri per undecim menses, & quindecim dies, post cædem *Xysti* secundi, Episcopi *Romani*, immanissima persequutione Comitia Pontificalia *Romæ* prohibente, anno Dom. 259. ut scribit Onuphrius in Chronico. Et post mortem *Fabiani* Episcopi Romani, sede vacante, *Moses* Presbyter excommunicavit *Novatianum*. teste *Cornelio*, ejusdem *Fabiani* successore, in sua epistola ad *Fabium* Episc. Antiochenum, apud *Eusebium*, lib. 6. hist. Eccles. κεφ. μγ. in fine capitis. Nec tamen desiit esse vera Ecclesia, aut potestatem habere veræ Ecclesiæ. De jure divino est, ut in Ecclesiis Diaconi sint Clerici, Canonicè per manuum impositionem ordinati, & per totam vitam adstricti: Act. 6. & 1 Tim. 3. In nostra tamen Ecclesia *Scoticana* reformata id haberi nondum potuit, propter Ecclesiasticam paupertatem: bonis Ecclesiasticis secularium hominum sacrilegio direptis. Sic etiam, in nonnullis Ecclesiis reformatis, impedit magistratus civilis, ne sint Episcopi. Sunt quidem hi defectus œconomici quoad εὐταξίαν, sed non sunt defectus essentiales qui tollant essentiam aut potestatem veræ Ecclesiæ.

Exemplum in Ecclesia Romana.

Non omnis defectus illius quod jure divino præscribitur, est defectus essentialis auferens essentiam Ecclesiæ. Exemplum de Diaconis, & Episcopis.

4. Valida est ordinatio quæ peragitur per Presbyteros in eis Ecclesiis, in quibus non est Episcopus, aut ubi non est Orthodoxus, sed notorius hæreticus & lupus: quamvis decentius fieret (si possibile) per Orthodoxum Episcopum & Presbyteros: aut etiam per solos Presbyteros, consentiente & concedente Episcopo. Nam Episcopo proprium de jure divino est solum regimen, superinspectio, & προστασία Gubernatrix sive Episcopalis, quam jurisdictionem vocant: reliquæ autem omnes pastoralis officii partes omnibus pastoribus, tum Episcopis tum Presbyteris, de jure divino communes sunt: quamvis non nisi decenter & ordine exercendæ, adeoque non sine Episcopo, aut Episcopi saltem consensu, in eis locis ubi Ecclesiam regit Episcopus. Ubi verò non est Episcopus,

Ordinatio Ministrorum.

fieri

fieri debent omnia communi consilio & auctoritate Presbyterorum Synodicè congregatorum. Quamvis, ut dixi, annitendum sit, ut etiam œcooomicus iste defectus tollatur, & unaquæque Diœcesis proprium habeat Episcopum. Quo spectant verba illa Presbyterorum & Diaconorum Ecclesiæ Romanæ, io sua de disciplina erga lapsos epistola ad *Cyprianum*, quæ inter *Cypriani* epistolas est 31. [vel lib. 8. epist. 7.] & incipit; *Quanquam bene.* ubi aiunt; *Quanquam nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate & consilio habere rationem.* Hæc illi.

Ordinatio Timothei.

5. Apostolus Paolus eam manuum impositionem, per quam ordinatus est Timotheus, modò vocat impositionem manuum suarum, 2 Timoth. 1: 6. modò impositionem manuum Presbyterii, 1 Timoth. 4: 14. id est, consessus Presbyterorum, sic enim in Novo Testamento passim, & apud antiquissimos scriptores Ecclesiasticos, usurpatur hoc vocabulum. Quod autem nonnulli Presbyterium hoc loco interpretati sunt cœtum Episcoporum, violenta est interpretatio, & sensus insolens. Et quod alii ipsum gradum Presbyteratus intellexeruot, stare non potest, nam gradus non habet manus, sed hominum sunt manus. Sive igitur de Timothei ordinatione in simplicem Presbyterum, sive de ejus ordinatione in Episcopum loquatur Apostolus, haud dubiè nomine Presbyterii intelliguntur simplices Presbyteri, illi scilicet Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteri, de quibus, Actor. 20.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 1. §. 13. & §. 20.

Ordinant Episcopum Presbyteri.

6. Neque hoc absurdum videri debet quod Presbyteri Ecclesiæ una cum Apostolo imponant manus ordinatrices ei qui ordinatur in ipsorum Episcopum. Nam hoc ritu potestatem illam, quæ penes Presbyterorum Collegium antea residebat, ei deferunt: non seipsos ea potestate simpliciter denudantes, sed illi præfecturam & regimen concedentes, ut posthac non nisi ex ejus authoritate & consensu potestas illa exerceatur. Nempe quamdiu in ea Ecclesia erit Episcopus Orthodoxus.

7. Convenit illa Hieronymi narratio in epistola ad Euagrium de Episcopis Alexandrinis; *Presbyteri*, inquit, *unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus imperatorem faciat.* Hæc ille. Quibus verbis haud obscurè indicat, Presbyteros Alexandrinos initio ordinasse sibi Episcopum. Quam ordinationem ratam habuerunt ipsi Apostoli, sicut ostensum est in exegesi propositionis undecimæ.

Ordinatio Pelagii 1. Episcopi Romani per Presbyterum.

8. Pelagium, hujus nominis primum, Episcopum Romanum, ordinarunt duo Episcopi, & unus Presbyter *Ostiensis*, nomine *Andreas*, qui tanquam Episcopus munus illud ordinationis obivit: dum non invenirentur tres Episcopi, qui, secundum Canones, Pelagium ordinarent: subducentibus se reliquis Episcopis ab ejus communione, propter quandam de eo suspicionem. A qua tamen suspicione se postea Pelagius, jam Papa factus, purgavit, eosque sibi reconciliavit.

Canonibus constitutum est ut tres Episcopi ordinent Episcopum.

9. Decretum verò erat in Concilio *Nicæno*, Can. 4. ut ad ordinandom Episcopum, si non possent omnes comprovinciales Episcopi convenire, tres tamen omnimodo in unum convenirent, & absentes per scripta consentirent, & tunc ordinatio celebraretur, Metropolitano omnia rata habente & confirmante. *Damasus* Episcopus *Romanus* Epistola quinta ad *Prosperum Numidiæ* primæ sedis Episcopum, & alios Orthodoxos Episcopos, *Quod enim*, inquit, *Episcopi non sint, qui minus quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet: quoniam, ut benè nostis, prohibitum à sacris est patribus, ut qui ab uno, vel à duobus sunt ordinati Episcopi, nec nominentur Episcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt?* Hæc *Damasus*. Item post *Damasum*, in Concilio *Africano* ducentorum & septemdecim Episcoporum (cui præsedit *Cornelius* Episcopus *Carthaginensis*, & interfuit *Augustinus* Episcopus *Hipponensis*) Can. 16. *Forma*, inquiunt, *antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint à Metropolitano directi, ad Episcopum ordinandum.* Hæc Patres *Africani*. Observa omnes tres simul ordinare, & omnes esse pariter ordinatores. Vide Glossam in Can. *Episcopus*. 23. Dist. 10.

Quomodo canonica fuerit ordinatio Pelagii.

10. *Pelagius* igitur *Romanæ* Ecclesiæ Diaconus, cum eum ordinari ejusdem Ecclesiæ Episcopum juberet Imperator *Justinianus*, nec invenirentur tres Episcopi, ut canonibus satisfaceret, ejusque ordinatio valida esse posset, accepit ordinationem è manu unius Presbyteri & duorum Episcoporum. Atque ita canonica in hunc usque diem habita est ejus ordinatio. Hanc de *Pelagii* ordinatione historiam scripsit *Anastasius* Bibliothecarius in libro Pontificali, in vita *Pelagii* Papæ primi, qui ordinatus est, Anno Domini 555. ut annotat *Binius* in parte secunda, tomi secundi Conciliorum. Hoc non fecisset *Pelagius* neque eam ordinationem agnovisset Ecclesia *Romana*, & *Pelagii* successores Episcopi *Romani*, nisi judicarent etiam simplicem Presbyterum, in casu necessitatis, esse sufficientem Ministrum ad conferendum quemlibet ordinem Ecclesiasticum.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 1. §. 20.

Canon de ordinatione Presbyteri, qui invenitur in Concilio Carthag. 4. Can. 3. Ann. Dom. 398.

11. De Presbyteri ordinatione per impositionem manuum Episcopi & Presbyterii, citat *Gratianus*, ex Concilio *Toletano* undecimo hunc Canonem; *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas, juxta manus Episcopi, super caput illius teneant.* 23. Dist. Can. *Presbyter*. Observa autem tres saltem debere manus imponere, secundùm analogiam ordinationis Episcopi.

Presbyteri ordinatores cum Episcopo.

12. Per hanc autem impositionem manuum Presbyterii, non solùm declaratur assensus fratrum, sed & ordo ipse confertur, & gratia ordini necessaria impetratur, quemadmodum per impositionem manuum Episcopi: cum quo Presbyteri manus imponunt, non tanquam duntaxat consentientes, (ad consensum enim sufficiunt suffragia, & plebs etiam consentit, nec tamen ejus est manus imponere) sed tanquam ordinantes, seu ordinem conferentes, & ex potestate ordinandi divinitus accepta, gratiam ordinato, hoc adhibito ritu, apprecantes. ut patet ex verbis Apostoli, 1 Timoth. 4: 14. ubi per illam impositiooem manuum Presbyterii exstitisse ait in Timotheo donum gratiæ [χάρισμα.] Quo quid amplius dici potest de impositione manuum Episcopalium? Cùm ipse Apostolus, de fructu impositionis manuum suarum loquens, non alio utatur vocabulo, nisi quod per eam exstiterit in Timotheo donom gratiæ Dei, 1 Timoth. 2: 6. Quibus autem non competit potestas ordinandi, illi orant etiam pro ordinato, at non hoc ritu orant, ut manus imponant, & per impositionem manuum suarum quodammodo ad-

ducant Spiritum Sanctum; nam hic precandi gestus per impositionem manuum, in ordinatione & confirmatione, solis convenit eis qui ex officio habent potestatem benedicendi & ordinandi. Angelus in Summa, verbo, Ordo, cap. 1. art. 6. ait, manus impositionem non esse de substantia formæ ordinationis. Idem quoque sensit Thomas in quartum sent. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad primam. Nos de hoc non certamus; sed asserimus hunc ritum ab Apostolis usurpatum esse in signum collati officii; & adhibitionem hujus signi indicare potestatem ordinandi, ut patet ex sacris literis.

Soli Presbyteri ordinatores.

13. Habent Presbyteri de jure divino, ordinandi, sicut prædicandi & baptizandi, potestatem: quamvis hæc omnia exsequi debeant sub regimine & inspectione Episcopi, in locis ubi est Episcopus, sicut dictum est. In aliis autem locis, ubi Ecclesiæ communi tantum Presbyterorum Consilio administrantur, valida est & efficax ordinatio quæ fit per impositionem manuum solius Presbyterii. Quin & ubi est, Episcopus, possunt Presbyteri ordinare, consentiente, licet non simul manus imponente Episcopo: cui propria de jure divino, est sola authoritas & præfectura Episcopalis, ut curet omnia decenter & ordine fieri in domo Dei, & nemini permittat licentiosè abuti quacunque sua potestate, sed ut omnes ordinatè ac decenter se gerant secundum legem Dei, & legitimas Ecclesiæ constitutiones. Quod dixi Presbyteros, de jure divino, etiam ordinandi, sicut prædicandi, & baptizandi, habere potestatem; illud intelligendum est cum hoc discrimine; quod prædicare & baptizare possint, inconsulto Episcopo, aut Synodo, hoc est, non exspectata ad singulas vices particulari commissione: ordinare autem non possint sine particulari commissione ab Episcopo, vel à Presbyterorum Diœcesano Concilio in locis ubi non est Episcopus. Ratio discriminis est, quia ordinatio est negotium magis communiter attingens totam Diœcesin, & ad publicos præsides magis pertinens.

Discrimen inter ordinationem, & verbi prædicationem, &c.

14. *Ambrosius* in Epistolam ad *Ephesios*, cap. 4. *Apud Ægyptum*, inquit, *Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.*

15. *Augustinus*, sive quicunque author est illius operis, in quæstionibus ex utroque Testamento mixtim qu. 101. *In Alexandria*, inquit, *& per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.*

Exegeseos propositionis decimæ tertiæ pars secunda, ubi de Chorepiscopis.

Ordinatio per solos Presbyteros ostenditur ex canone Antiocheno.

In concilio *Antiocheno* (quod celebratum est, anno Domini circiter 341. Cujus canones confirmati sunt in Synodo universali quinisexta, can. 2. quæ quinisexta Synodus celebrata est *Constantinopoli* in *Trullo*, anno Domini 692.) in Concilio, inquam, *Antiocheno*, can. 10. conceditur Chorepiscopis, (qui duntaxat erant Presbyteri, non autem verè Episcopi) ut ordinent Lectores & Sub-Diaconos & Exorcistas: de superioribus verò ordinibus decernitur, ut nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant, *δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκειται αὐτός τε, καὶ ἡ χώρα*, id est (ex versione Dionysii Exigui) *præter civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est.* Gentianus Hervetus vertit, *absque urbis Episcopo.* At ex probatissima illa versione, quam sequitur Isidorus Episcopus Hispalensis, *præter conscientiam Episcopi.* Quæ versio optimè explicat mentem Concilii. Estque ipso rei usu & exequutione firmata; ut nimirum possent Chorepiscopi etiam Presbyteros & Diaconos ordinare, permittente, licet non simul ordinante, Episcopo loci; ut patet ex Isidoro, lib. 2. de officiis Ecclesiasticis, cap. 6: ubi de Chorepiscopis, ea etiam ætate adhuc in Ecclesiis existentibus, loquens, ait; *Chorepiscopi, id est, Vicarii Episcoporum, juxta quod Canones ipsi testantur, instituti sunt ad exempla 70. Seniorum, tanquam Sacerdotes, propter solicitudinem pauperum. Hi in vicis & villis constituti, gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Sub-Diaconos, Exorcistas: Presbyteros autem & Diaconos ordinare non audeant præter conscientiam Episcopi, in cujus regione præesse noscuntur. Hi autem à solo Episcopo civitatis, cui adjacent, ordinantur.* Hæc Isidorus. Ex quibus patet illam Damasi constitutionem, de abolendo Chorepiscoporum officio, non esse exsequutione roboratam per Ecclesias; sed aliquot postea seculis permansisse in Ecclesiis Chorepiscopos, eosque, sicut Canone Antiocheno præscriptum erat, à solo civitatis, cui adjacebant, Episcopo ordinatos esse; habentes licentiam constituendi inferiores Clericos, & superiores etiam consentiente Episcopo loci. Quum igitur praxis Ecclesiastica sit optima Canonum interpres, præsertim tot sæculis continuata, & hac interpretatione, *præter conscientiam Episcopi*, tanquam suo seculo indubitata, & perpetuo rei ipsius ad eam usque ætatem usu firmata, utatur Isidorus, manifestum est hanc esse genuinam Canonis interpretationem. Floruit Isidorus anno Domini 630. elapsis jam post Synodum illam Antiochenam annis paulò minus trecentis: & post Damasum annis plusquam ducentis. Eodem sensu beatus Ignatius jubet *ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράττειν.* in epist. ad Trallianos, & alibi *χωρὶς ἐπισκόπου μηδὲν ποιῆτε.* epist. ad Philadelphenses.

Eadem ostenditur ex Isidoro; & ex praxi veteris Ecclesiæ.

Damas. Epist.

2. Quod verò ait *Isidorus* Canones testari, Chorepiscopos, ad exemplum septuaginta institutos esse, *tanquam Sacerdotes, Episcoporum Vicarios*, id habet ex Concilio *Neocæsariensi*, cap. 13. quod est in Græca editione, cap. 14. ubi dicuntur ad exemplum 70. instituti esse *ὡς συλλειτουργοί.* Reliqua, de collatione ordinum, & ordinatione ipsorum Chorepiscoporum, desumit *Isidorus*, ex Canone illo decimo, Concilii *Antiocheni*.

3. Quod autem ait *Isidorus* institutos esse Chorepiscopos, *propter solicitudinem pauperum*, id clarius explicat *Rabanus Maurus*, Archi-episcopus *Moguntinus*, lib. 1. de institutione Clericorum, cap. 5. (quod opus scripsit adhuc Presbyter) ubi de Chorepiscopis hæc scribit; *Episcopi Apostolorum vicem in Ecclesia tenent: & Chorepiscopi, qui vicarii sunt Episcoporum, ad exemplum septuaginta seniorum constituti sunt: nec aliquid eis magis licet in Ecclesia ordinare aut constituere, nisi quantum eis conceditur à legitimis Episcopis, qui sedem & regimen integrum in Ecclesiis obtinent. Ordinati sunt autem Chorepiscopi propter pauperum curam, qui in agris & villis consistunt, ne eis solatium confirmationis deesset. ——— Hi autem à solo Episcopo civitatis, cui adjacent, ordinantur, sicut Presbyteri.* Hæc *Rabanus* de Chorepiscopis, etiam illa ætate adhuc existentibus. Quamvis jam angustioribus limitibus potestas eorum circumscriberetur, ut apparet ex concilio *Meldensi*, quod

Chorepiscopi manus imponebant catechumenis baptizatis, seu catechizatis pueris post baptismum.

vivente

vivente Rabano Mauro, celebratum est sub *Carolo* juniore *Francorum* Rege, ann. Dom. 845. in quo Concilio, cap. 44. decernitur, *Ut Chorepiscopus modum suum juxta canonicam institutionem teneat.* ——— *neque ordines Ecclesiasticos, qui per impositionem manus tribuuntur, id est, non nisi usque ad sub-diaconatum, & hoc jubente Episcopo, & in locis, quibus Canones designant, agere præsumant.* Hæc habentur citato capite Concilii *Meldensis*: unde liquet coarctatam esse illo sæculo Chorepiscoporum potestatem. Nisi dicas mendosam esse editionem, & pro *& hoc jubente Episcopo*, legatur, *nisi jubente Episcopo*, quia in Canone *Antiocheno* hoc dicitur, δίχα τοῦ ἐπισκόπου, ut scilicet liceat illis jubente, aut permittente Episcopo, etiam majores ordines conferre. Quod illis *Antiocheno* Canone concessum est, & aliquot sæculis post Synodum *Antiochenam* illis permiserunt Ecclesiæ.

Canon Meldensis de Chorepiscopis.

Chorepiscopi habebant à suis Episcopis duo commissionum genera.

4. Habebant enim (ut ex eis quæ dicta sunt patet) Chorepiscopi à suis Episcopis duo commissionum genera: unum commissionis ordinariæ & communioris, ex qua Lectores, & Sub-diaconos, & Exorcistas ordinare poterant: aliud genus commissionis extraordinariæ & particularis, ex qua poterant conferre majores ordines Diaconatus & Presbyteratus. Et hos quidem conferre prohibemur præter conscientiam Episcopi, id est, nisi singulis vicibus ad unamquamque singularem ordinationem acceperint commissionem particularem ab Episcopo, quamvis ipse Episcopus non esset corporaliter præsens, suasque simul manus imponeret. Quod certè eis non concessisset Ecclesia, nisi judicasset *validam etiam esse eam ordinationem, quæ per solos peragitur Presbyteros.*

Ostenditur Chorepiscopos ordinantes fuisse tantum Presbyteros, non autem Episcopos.

5. Porro Chorepiscopos illos, quibus potestas illa conceditur, non fuisse verè Episcopos, sed tantùm Presbyteros (qui regiunculis Diœcesecos ab Episcopo præficiebantur, quales sunt nostri Moderatores Classium Presbyteralium) sicut manifestum est ex superioribus, ita etiam patet ex ipsis verbis Can. illius *Antiocheni*; ubi dicuntur *in Villis & Regionibus* constitui, & *subjecti esse* Episcopo, & *ab Episcopo civitatis, cui subsunt, ordinandi.* Ecce & locus, & subjectio, & ordinatio, arguunt non esse Episcopos, sed tantùm Presbyteros.

6. Idem patet ex Concilio *Neocæsariensi*, quod *Antiocheno* illo antiquius fuit; ubi Chorepiscopi dicuntur constitui ad exemplum & formam septuaginta Discipulorum. Cap. 13. *ib.*

7. Eosdem duos Canones, Concilii *Neocæsariensis*, & Concilii *Antiocheni*, allegat *Damasus*, Episcopus *Romanus*, in sua illa Epistola quinta, ad *Prosperum Numidiæ* primæ sedis Episcopum, & alios orthodoxos Episcopos; ubi affirmat, & multis contendit, manifestè patere, quod nulli Chorepiscopi sint Episcopi, & quod necesse sit ut se Presbyteros esse fateantur, alioqui nihil futuros, nec in Sacerdotali Catalogo habendos, quum duo tantum sint ordines primi in Ecclesia, id est, Apostolorum, & septuaginta Discipulorum.

Ineptum Bellarmini effugium.

8. Ridiculum autem, & puerile effugium est Bellarmini, Lib. de Clericis, cap. 17. ubi fatetur quidem, Chorepiscopis à Concilio Antiocheno concessum esse, ut etiam Presbyteros & Diaconos ordinare possent, si id Episcopus loci permitteret: sed dum imperitè contendit ordinationem ita esse Episcoporum propriam, ut nullo modo Presbyteris permitti possit, confingit nobis novum quoddam & antea inauditum Chorepiscoporum genus; & ait Chorepiscopos illos, de quibus ibi loquitur Canon Concilii Antiocheni, fuisse veros Episcopos, alios à Chorepiscopis illis qui tantùm sunt Presbyteri. Quum tamen id disertè perneget Damasus, Epistola citata, postquam consideravit illa ipsa Canonis verba, quibus fretus Bellarminus audet Damaso, & toti Antiquitati contradicere. Verba sunt: qui *Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati fuerint.*

9. Hac quidem verborum interpretatione usus est Damasus, non tamen inde sequitur eos fuisse veros Episcopos, sed tantummodo accepisse quandam ordinationem quasi Episcopalem, & non verè Episcopalem, sicut disserit Damasus, probans veram illorum ordinationem esse secundùm formam septuaginta Discipulorum, id est, tantummodo Presbyteralem.

10. Bellarminus ait, Damasum Chorepiscopis adimentem licentiam ordinandi, non loqui de iis Chorepiscopis, de quibus fit mentio in principio Canonis Antiocheni: cùm disertè ipsissima prima Canonis Antiocheni verba citet Damasus, & eosdem illos, de quibus ibi fit mentio, neget esse veros Episcopos, aut habere auctoritatem Episcopalem: & de iisdem proferat antiquiorem illum Canonem Neocæsariensem, ubi dicuntur constitui esse ad exemplum & formam septuaginta, ὡς συλλειτουργοὶ, ut commilitri.

11. Quamvis autem Presbyteri quandoque dicantur successisse Apostolis, in veterum scriptis, nusquam tamen dicuntur Episcopi successisse septuaginta Discipulis.

Hieronym. epist. 1. ad Heliodorum, quæ incipit; Quanto amore.

12. Quamvis etiam Damasus conjecturam illam, de ordinatione Chorepiscoporum aliquando per plures Episcopos, admiserit ex quodam Grammatico intuitu pluralis numeri nominis *Episcoporum*: neque de ea quæstione certare voluerit, quia existimabat se posse compendiosiùs ora obturare suis adversariis, si evinceret, nullum Chorepiscopum, sive ab uno, sive à pluribus ordinatus esset Episcopis, esse semperque fuisse simplices duntaxat Presbyteros: quamvis, conjecturam illam, utpote causæ suæ nihil officientem, admiserit Damasus: quia tamen nullum ejus vestigium extat in Historiis, aut Canonibus Ecclesiasticis, præter meram illam conjecturam Grammaticalem, eique repugnant ipsa Canonum verba, & nota Ecclesiæ praxis; & potest ea pars Canonis Antiocheni satis commodè, imò commodius & simplicius aliam interpretationem recipere; neque rem à se visam vel fando auditam, aut in Historiis lectam profitetur Damasus, sed tantum dicit sibi ita *videri* ex plurali numero nominis *Episcoporum*: poterimus, sine Damasi contumelia, simpliciorem sensum investigare, qui ad propositum Damasi non minùs faciat, ejusque conclusionem corroboret. Verba Canonis sic se habent, *εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, placuit sanctæ Synodo, ut noscant suum modum.* Et in fine Canonis, absque ulla distinctione variæ ordinationis, dicitur constitui debere Chorepiscopos ab Episcopo civitatis cui subjiciuntur: nempe, eos ipsos Chorepiscopos, de quorum officio & potestate loquebantur Patres toto illo Canone; nam nusquam comparet, vel levissima aliqua distinctionis aut diversitatis umbra. Quocirca certior & simplicior videtur hæc, quam subjiciam, interpretatio: ut scilicet χειροθεσία hoc loco accipiatur, non passivè pro ea manuum impositione, per quam ordinabantur ipsi Chorepi-

χειροθεσίας ἐπισκόπων

in Canone Antiocheno. Vide autem aliam interpretationem, infrà, in exegesi propositionis decimæ quartæ. §. 8.

episcopi, sed activè pro ea manuum impositione, cujus exercendæ potestas concedebatur Chorepiscopis; & ἐπισκόπων intelligamus possessivè, ac si diceres eam impositionis manuum potestatem, quam possident Episcopi, & εἰληφότες interpretemur acceptionem per delegationem ab Episcopo loci, qui Chorepiscopos sua armabat potestate, sicut quilibet delegans delegatos, ut non minus valida haberetur & esset ordinatio illa quæ per Chorepiscopos ex delegatione peragetetur, quàm ea quæ fiebat per impositionem manuum ipsius Episcopi. Qui assumebat Chorepiscopos ad sustinendum congruam partem solicitudinis, suam illis potestatem ad certas res gerendas impertiens; servata sibi interim Episcopali potestatis plenitudine. Concilium autem Antiochenum, præscribit Chorepiscopis regulas exercitii hujus potestatis, per delegationem seu commissionem acceptæ, quas transgredi non audeant. Addita sanctione in transgressores, ut eo ipso priventur honore cujus participes facti sunt.

13. Neque huic expositioni repugnat Latina illa versio, qua usus est Damasus; *Qui in vicis & possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum acceperint.* Quorum verborum simplicissima est ea expositio, quam præmisimus: & ita debere exponi patet etiam ex eo, quod describantur toto illo Canone ea quæ competunt omnibus Chorepiscopis, tum antea secundùm Canonem Neocæsariensem ordinatis, tum postea secundùm eundem Neocæsariensem, & hunc Antiochenum Canonem ordinandis. Sicut clarissimè patet ex ipso Canone Antiocheno, quem mox integrum subjiciam. Illa autem verba in versione qua usus est *Damasus*, *& ut Episcopi consecrati fuerint*, addidit interpres Latinus de suo, per modum exegeseos, ut ostenderet eam manus imponendi seu ordinandi potestatem concessam esse Chorepiscopis, Episcoporum vicem in hoc negotio gerentibus, per quam erant illi, non quidem veri Episcopi, sed *ut Episcopi*, sive *quasi Episcopi*, in illis casibus ad quos se extendebat commissio eis ab Episcopo data. Nam in negotiis jurisdictionis non est illicitum, quandoque adhibere Vicarium ὡς συλλειτουργὸν ut comministrum. Observa etiam fraudem Bellarmini; nam cum verba can. Antiocheni, tum in græca, tum in latina apud Damasum editione, sic se habeant, sicut ea retulimus, ille, ut incauto lectori imponeret, aliam verborum faciem nobis pingit, & Synodum sic loquentem inducit; *Chorepiscopi, qui manus impositionem ab Episcopis acceperunt, & ut Episcopi sunt ordinati*, &c. ac si loqueretur Synodus, de certo quodam genere Chorepiscoporum, distincto ab aliis Chorepiscopis, quibus non competeret ea χειροθεσία ἐπισκόπων: cùm tamen Synodus manifestè loquatur de Chorepiscopis absolutè, nulla prorsus adhibita distinctione, nisi dicas esse unum genus Chorepiscoporum, *qui in vicis & regionibus erant dicebanturque Chorepiscopi*, & aliud genus eorum qui neque in vicis, neque in regionibus erant constituti, neque dicebantur Chorepiscopi. Quæ absurda foret distinctio, isti enim non essent omnino Chorepiscopi. Synodus non dicit, qui *manus impositionem* ab Episcopis *acceperunt*; sicut fingit Bellarm. sed ait, etiamsi [εἰ καὶ] *manus impositionem* Episcoporum *acceperint*. Hoc absolutè pronuncians de omnibus quibuscunque *Chorepiscopis*.

14. Atque ut clarissimè pateat ex ipsius canonis Antiocheni verbis, potestatem, quæ illic conceditur, concedi omnibus Chorepiscopis; etiam postea ordinandis: neque esse ullum Chorepiscoporum genus, quod inde excludatur: ipsum canonem integrum exhibemus: *Qui sunt in vicis, aut regionibus, sive Chorepiscopi appellantur, etiamsi manus impositionem Episcoporum* [χειροθεσίαν ἐπισκόπων] *acceperint, placuit S. Synodo, ut noscant suum modum* [εἰδέναι τὰ ἑαυτῶν μέτρα] *& gubernent subjectas sibi Ecclesias, & contenti sint harum cura & solicitudine: constituant verò Lectores, & Subdiaconos, & Exorcistas, & horum promotio ipsis sufficiat. Neque Presbyterum verò, neque Diaconum ordinare audeant, præter conscientiam Episcopi civitatis, cui ipse, cum regione, subjectus est. Si quis autem ausus fuerit transgredi quæ definita sunt, ut privetur ille eo ipso honore cujus particeps est. Chorepiscopus autem ut fiat* [seu ordinetur] *ab Episcopo civitatis, cui subjicitur.* Hactenus verba Canonis.

Canon Antiochenus, de Chorepiscopis.

15. Quilibet facile perspicit, hoc canone describi quid omni Chorepiscopo concedatur: & severè mandari, ut hos communes limites nullus omnino Chorepiscopus, cujuscunque prærogativæ fiducia, transgrediatur, & hanc esse ipsissimam Concilii *Antiocheni* mentem, longo etiam usu manifestatam, luculenter superius demonstratum est.

16. *Leo* Papa Romanus, hujus nominis primus, cum Episcoporum Synodo, ait; *Chorepiscopi, juxta canones Neocæsarienses sive secundum aliorum decreta patrum, iidem sunt, qui & Presbyteri. ——— Hæc illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum & formam septuaginta discipulorum esse noscuntur, vel Presbyteris, qui eandem gestant formam: quoniam quanquam consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent.* Hæc cum suis collegis Leo, epist. 88. ad Episcopos Germaniarum & Galliarum.

17. Synodus Parisiensis sub *Ludovico* Pio Imperatore celebrata est anno Domini 829. In actis illius Synodi, lib. 1. cap. 27. Patres illi Parisienses dicunt, *Episcopos locum Apostolorum, Chorepiscopos autem locum & formam tenere septuaginta discipulorum.* Et in hujus sententiæ confirmationem recitant verba Concilii Neocæsariensis, & verba Concilii Antiocheni: Canonis autem Antiocheni verba sic repetunt; *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum acceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, & gubernent subjectas sibi Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint.* Plura ex illo canone Antiocheno non recitant Patres Parisienses, sed his ipsis verbis designari dicunt Chorepiscopos, locum & formam tenentes septuaginta discipulorum.

18. Et quamvis jam abunde confutatum sit illud *Bellarmini* figmentum, libet tamen, ad cumulum, huic *Jesuitæ* etiam ea opponere quæ scripsit alius *Jesuita Gabriel Vasquez*; qui in Commentario in tertiam partem *Thomæ*, Disputatione. 238. cap. 7. §. *alii tamen* Postquam proposuisset istud *Bellarmini* somnium, hæc subjungit verba; *Alii tamen* (inquit *Vasquez*) *non minoris authoritatis existimant, Chorepiscopos fuisse tantum Presbyteros. Ita expressè sentit Ajala de traditionibus Ecclesiasticis, 3. part. Consideratione 4. ubi hanc rem ex professo disputat; & noster Franciscus Turrianus, in annotationibus ad Concilium Nicenum, can. 54. ait ordinem Chorepi-*

repiscoporum non fuisse nisi Presbyterorum tantum: eandem sententiam sequuntur docti aliqui recentiores, pro qua citant Democar, *Lib. 3. de Sacrificio, cap. 4. &* Soteal. *verbo Chorepiscopus, quos ego non legi. Porro* Damasum *duo illa genera Chorepiscoporum minime distinxisse, sed de omnibus, etiam illis, quorum meminit Concilium Antiochenum, pronunciasse, veros non esse Episcopos; ita ut si Presbyteri esse nollent; nihil omnino essent, probat ex instituto Ayala loco citato. Potestque ex ipso* Damaso *suaderi —— nunquam dicit* [Damasus] *hos Chorepiscopos diversos esse à prioribus, aut verè Episcopos esse; imò verò ex professo probat, licet à pluribus consecrati, verè tamen Episcopos non esse.* Hæc *Vasquez.*

19. Idem quoque disput. 243. cap. 4. §. *demum.* ait confirmari posse ex Canone illo *Antiocheno*, quod possit Presbyter Diaconatum & Presbyteratum conferre ex commissione.

Valida ordinatio per solos Presbyteros.

20. Ex his omnibus manifestum est, licuisse Presbyteris in veteri Ecclesia, ut etiam soli, non præsente Episcopo, ordinarent Presbyteros & Diaconos; eamque ordinationem validam habitam esse; quamvis, ad Disciplinæ conservationem, prudenter constitutum sit, ut non nisi permittente Episcopo loci id facerent. Nempe, in quibus locis Ecclesiam regebat Episcopus, nefas erat ejus auctoritatem contemnere. At verò in iis locis, ubi tantummodo communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernantur, sufficit, tum ad ordinationis valorem, tum ad Disciplinæ reverentiam, ut permittente illo Presbyterorum cœtu, penes quem pro tempore est suprema in illis Ecclesiis auctoritas, ordinationes peragantur.

Exegeseos propositionis decimatertiæ pars tertia, ubi pro ordinatione per Presbyteros, adferuntur testimonia Scholasticorum Theologorum, & Canonistarum.

Idem probatur testimoniis Scholasticorum Theologorum, & Canonistarum.

Citeriorum seculorum quidam scriptores, invalescente Papali tyrannide, ea quæ omnibus olim Episcopis erant communia, uni Papæ Romano appropriare conati sunt. Proinde cum negare non possent etiam Presbyteris convenire ordinis collationem; & viderent decori & ordinis gratia constitutum esse, ut, ad illius ministerii executionem, expectarent commissionem ab Episcopo, operam dederunt Scholastici Theologi, & Canonistæ, ut omnem dandæ commissionis potestatem, ad unum Episcopum Romanum revocarent. Idcirco quamvis non asserant Presbyteros posse ordinare ex commissione accepta ab Episcopo loci, sicut olim licebat; aiunt tamen Presbyteros, qui non sunt Episcopi, posse conferre etiam majores ordines, accepta commissione à Papa Romano.

2. Petrus Aureolus in quartum Sent. Distinct. 24. Art. 2. §. *Secundo dico:* & apud Capreolum Distinct. 25. Art. 2. *In habente* (inquit) *animam rationalem quandoque impeditur actus rationis, & postea removetur impedimentum; non datur nova anima vel forma, sed tantùm removetur illud quod impediebat prius animam, ne exiret in actum rationis. Sed ordinare in sacerdotem est actus conveniens sacerdoti, in quantum sacerdos est; & tantùm est actus impeditus in eo. Probo, quia nemo dat quod non habet, sicut in naturalibus, ubi forma transfundit seipsam: Ergo non Sacerdotis non est ordinare in Sacerdotem: sed hoc pertinet ad Sacerdotem, qui habet formam illam in actu potentem transfundere seipsam. Unde Papa non posset ordines committere, nisi Sacerdoti, ut Diacono, vel Laico; potest autem committere cuicunque Sacerdoti: Ergo videtur, quod conferre ordines sit pertinens ad Sacerdotem: Probo, quia pone, quod sit Sacerdos, omni alio circumscripto, potest Papa committere ei ordines: Pone autem alia omnia, & circumscribe Sacerdotium, non poterit Papa committere potestatem ordinandi: hoc videtur satis rationale, quia omnis forma, ex quo est in actu, videtur, quod possit se communicare infra eandem speciem* [apud Capreolum est, *in eandem speciem*] *Ergo Sacerdos hoc modo, quantum est ex potestate sibi conveniente absolute, poterit ordines celebrare: Ergo si potestas illa modo sit impedita, sicut est de facto, & impedimentum removeatur per hoc, quod sit Episcopus, non datur ei nova potestas, sed tantummodo pristina potestas impedita reducitur ad usum impedimento remoto, & hæc reductio illius potestatis ad usum dicitur ampliatio potestatis.* Hæc *Aureolus.*

De Consecratione, Dist. 5. Can. manus, *in glossa,* irritum; *habentur hæc verba:* 3.

Ex demandatione Papæ quilibet conferre potest quod habet: unde ordinatus ordinem quem habet conferre posset; & confirmatus confirmationem.

In Decretalibus Gregorii IX. *De Consuetudine, cap. 4. quanto, in glossa, reservata:* 4.

Dico quod Papa potest hoc delegare simplici Sacerdoti, & non Laico, sicut credo: & sic ex tali delegatione, & in adminiculo habiti Sacramenti, potest conferre quicquid habet. Hæc ibi.

Nicolaus, *Abbas Panormitanus, ibidem.* 5.

Ego potius putarem ut Sacerdoti hoc possit delegare indistinctè: quia licet de Sacramento Eucharistiæ sit dispositum institutione *Dominica*, qui habeant illud administrare: hoc tamen *non est dispositum in collatione ordinum.* Nam olim Presbyteri in communi regebant Ecclesiam, & ordinabant Sacerdotes. Unde quemadmodum olim poterant, ita videtur quod Papa possit hoc concedere Sacerdoti, maximè delegando, quum nihil exerceat delegatus nomine proprio. Hæc *Panormitanus.*

Angelus, *de Clavasio, in Summa, verbo Ordo, Art. 2.* 6.

Utrum Papa possit dare licentiam non Episcopo conferendi ordines sacros? Resp. *Innocentius*, in Can. *quanto, de consuetudine*; quod sic, dummodo ille, cui datur talis licentia, habeat ipsos ordines quos alteri vult dare: alias non. Hæc *Angelus.*

Potest ordinatio valide peragi per solos Presbyteros.

7. Ex his evidenter sequitur ordinationem, quæ per solos Presbyteros peragitur, non esse de jure divino invalidam, neque ordinationem esse de jure divino ita propriam Episcoporum, ut non possit validè peragi per solos Presbyteros: alioqui non posset Papa Presbyteris committere ordinationem Presbyteri. Nam *in jure divino non potest Papa dispensare*, sicut diserte loquitur Bellarminus, lib. 2. de Conciliis, cap. 18. §. *Pars prima.* Idemque docet Innocentius Papa, extra de rest. spol. cap. *Literas.* Et rursus Bellarminus lib. de Matrimonio, cap. 11. §. *Prima propositio. Ea quæ sunt ordinum*, inquit *Aureolus*, *omnes recipiunt immediatè à Christo, ita quod in potestate nullius, imò nec Papæ est illa auferre: quæ sunt autem jurisdictionis, potest ea Papa suspendere.* Hæc *Aureolus*, in quart. sent. dist. 24. art. 2. §. *tertia ratio.*

8. Consentiunt autem Canonistæ ordinationem Clericorum esse in eis rebus quæ sunt ordinis, sicut expressè dicitur in Glossa, *de consecratione Ecclesiæ*, cap. *aqua.* Ubi etiam dicitur quod licet Episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt; non tamen possit ea, quæ ordinis Episcopalis sunt, inferioris gradus Clericis demandare. Et quamvis ibi dicatur ordinatio esse ordinis Episcopalis; ex eis tamen quæ præmisimus, evincitur eam esse ordinis Presbyteralis, saltem quoad actum primum, sive quoad potestatem absolutè; quamvis quoad actum secundum, sive quoad executionem, subjecta sit regulis decori, & ordinis, ac debitæ subjectionis. Nam ordinandi potestas in habitu sive actu primo non datur per commissionem temporariam, quia est sua natura perpetua, sicut rectè dicitur in Glossa citata, in cap. *aqua*, extra, *de consecratione Ecclesiæ.* Neque potest cuiquam convenire potestatis hujus exercitium per delegationem, nisi jam habeat virtute sui ordinis potestatem, in actu primo, à Christo ipso immediatè acceptam, quando ipse ordinabatur. Atque hoc est illud *adminiculum ordinis*, de quo loquitur Glossa in can. *manus*, dist. 5. *de consecratione*: ubi dicitur hoc adminiculum esse necessarium, alioqui ordinationem fieri non posse ex demandatione.

Objectio ex Paludano & Capreolo.

9. *Petrus* de *Palude*, apud *Joannem Capreolum*, in quartum sent. dist. 25. art. 3. contrariam sententiæ autorum allegatorum, de ordinum majorum collatione, tenens sententiam, sic loquitur: *Solus Episcopus jure suo potest ordines conferre, præcipuè majores.* ——— *Sed Papa potest committere simplici Sacerdoti confirmationem & minores ordines. Quia ministrum conferendi ordines summos* Christus *determinavit summum Sacerdotem, scilicet, Episcopum, quem Ministrum Papa non potest mutare: Ministrum verò confirmationis, & minorum ordinum* Christus *posuit Sacerdotem, quem Ecclesia determinaret.* Hæc Paludanus, quem sequitur Capreolus.

Responsio.

10. In his verbis vera falsis miscentur. Verum est, Papam non posse mutare ministrum ordinis quem Christus determinavit: Verum etiam est Christum Ministerium confirmationis, & minorum in Ecclesia officiorum concessisse Presbytero quem Ecclesia determinaret. At verò falsum est & gratis dicitur, neque probari potest, Christum determinasse ut soli Episcopi essent Ministri ordinum Majorum.

11. Argumentum verò Paludani & Capreoli tale erit:

Quod ministerium determinavit Christus peragendum tantummodo per Episcopum, illud non potest Papa committere non Episcopo: At Ministerium conferendi ordines majores determinavit Christus, &c. Ergo. Respondeo; Major pro nobis facit: Minor falsa: est; pro qua aliam substituo veriorem; quæ non erit nuda assertio, sicut illa Paludani & Capreoli, sed idonea confirmatione munietur; unde sequetur opposita conclusio. Sic igitur argumentor:

Argumentum pro veritate.

Quod Ministerium solis Episcopis à Christo tributum est, id non potest Papa, aut ullus Episcopus, aut Concilium committere Presbyteris non Episcopis: At Ministerium conferendi ordines Diaconatus & Presbyteratus potest Papa, aut quilibet Episcopus, ex consensu Concilii Provinciæ in qua degit, committere Presbyteris non Episcopis: Ergo Ministerium conferendi ordines Diaconatus & Presbyteratus, non est solis Episcopis à Christo tributum.

Minorem de Papa probant testimonia superius allata ex Aureolo, & Panormitano, & Angelo, & glossis. Præterea, quilibet Episc. hoc potest, ergo & Papa *Romanus.*

De quolibet autem Episcopo, ex consensu provincialis Concilii, Minorem nostram confirmat Canon Antiochenus, & praxis veteris Ecclesiæ, quam superiùs prolixè demonstravimus. Porrò sic argumentor.

Aliud argumentum pro veritate.

Quod Ministerium potest Papa, vel quilibet Episcopus, committere Presbytero non Episcopo, illud Christus concessit fieri per Presbyteros, quos Ecclesia determinaret: at Ministerium conferendi ordines etiam Majores potest Papa, &c. Ergo. Major est ipsius *Paludani*: Minor superiùs confirmata est.

12. Atque ita jam abundè liquet, ex superiore dissertatione, *simplices Presbyteros esse idoneos ministros ad validè conferendum quemlibet ordinem Ecclesiasticum*: eosque hanc potestatem in actu primo, sive in ipsa aptitudine, habere immediatè à Christo, vi sui ordinis Presbyteralis; quamvis ad exercitium requiratur, ut habeant commissionem ab Episcopo, vel ab eis Clericis, qui, pro tempore, rerum summæ præsunt in ea Diœcesi.

Quæstio de prohibitis, ordinantibus.

Superest dubitatio de prohibitis, sive Episcopis, sive Presbyteris, utrum validè ordinent, nec ne.

Exegeseos propositionis decimatertiæ pars quarta, ubi de prohibitis, & tamen ordinantibus.

De Episcopis prohibitis, &c.

Communis Sorbonistarum & Canonistarum sententia est, Episcopum etiam prohibitum, imò hæreticum, excommunicatum, (non pauci etiam, degradatum) retinere potestatem ordinandi, & validè ordinare.

Bonaventura, *in quart. sent. dist.* 25. *art.* 1. *quæst.* 2.

Bonaventura.

Per illustrissimum Doctorem *Augustinum* apertè est nobis hæc quæstio patefacta, quod sacramenta Ecclesiastica apud hæreticos, qui formam Ecclesiæ servant & intentionem habent faciendi quod facit Ecclesia, sunt quantum ad veritatem, quamvis non sint quantum ad utilitatem. ——— & ideo in omnibus Sacramentis, quæ habent veritatem differentem ab utilitate, generaliter verum est,

est, quod apud hæreticos possunt esse: omnia autem Sacramenta sunt talia; præter Sacramentum pœnitentiæ, cujus res est interior contritio, sine qua nulla vera est absolutio, & cum qua nulla absolutio est vana, vel inutilis: ideo omnia possunt dispensare & dispensant veraciter, præter solam absolutionem pœnitentiæ: & ideo nulla iterantur præter illam, nisi fortè unctio extrema: & sic cùm ordo habeat characterem, qui præter Spiritus sancti gratiam, qua peccata delentur, existit; dicendum quod per eos potest veraciter dispensari.

3. *Idem ibidem.*

Summus Pontifex auferre potest jurisdictionem, & potestatem quæ consequitur ipsam; unde potest excommunicando auferre potestatem absolvendi & excommunicandi; sed non ordinandi: quoniam character auferri non potest, ideo potestas, quæ consequitur characterem, de facto auferri non potest. ——— ——— Quia character immediatè à *Deo* imprimitur & est in omnibus æqualis. ——— ——— Si ipse [*Papa*] prohibeat, non potest talis potestas licitè exire in actum, tamen quia ab ipso non dependet secundùm rem, de facto facit, sicut & alius. Hæc *Bonaventura.*

4. Thomas, *in quartum Sent. Distinct.* 25. *Quæst.* 1. *Art.* 2.

Thomas. Ordinum potestas non amittitur propter hæresin, vel aliquid hujusmodi: Ergo nec potestas ordines conferendi. Præterea sicut baptizans exhibet tantùm ministerium exterius, ita & conferens ordines, *Deo* interius operante: Sed nulla ratione aliquis ab Ecclesia præcisus amittit baptizandi potestatem; ergo nec ordines conferendi. ——— quidam dicunt quod hæretici quamdiu ab Ecclesia tolerantur, habent potestatem ordines conferendi; non autem postquam ab Ecclesia fuerint præcisi: & similiter nec degradati & alii hujusmodi. Et hæc est prima opinio. Sed hoc non potest stare: quia omnis potestas, quæ datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest: sicut nec ipsa consecratio annullari. Quia etiam Altare vel Chrisma semel consecrata, perpetuo sacrata manent. Unde, cùm Episcopalis potestas, cum quadam consecratione detur, oportet quod perpetuò maneat, quantumcunque aliquis peccet, vel ab Ecclesia præcidatur. Et ideo alii dixerunt, quòd præcisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia potestatem Episcopalem habuerunt, retinent potestatem alios ordinandi & promovendi: sed promoti ab eis hoc non habent. Et hæc est quarta opinio. Sed hoc etiam esse non potest: quia si illi, qui fuerunt in Ecclesia promoti, retinent potestatem quam acceperunt, patet quod exsequendo suam potestatem, veram consecrationem faciunt: & ideo verè tribuunt omnem potestatem, quæ consecratione datur: & sic ordinati ab eis, vel promoti, habent eandem potestatem, quam & ipsi. ——— Vera Sacramenta conferunt, sed cum eis gratiam non dant, (nisi fortè in Baptismo in articulo necessitatis) non propter inefficiam Sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiæ. Hæc *Thomas.*

Petrus Aureolus, *in quartum Sent. Distinct.* 24. *Art.* 2. §. *Tertia ratio.* 5.

Non potest Papa Episcopo quantumcunque degradato ordinandi potestatem auferre. *Aureolus.*

Idem, in quartum Sent. Distinct. 25. *Art.* 1. §. *Nunc secundo.* 6.

Ordinis Minister idoneus est Episcopus, sive degradatus, sive excommunicatus. ——— Quia Episcopo in consecratione committitur indelebilis potestas. Hæc *Aureolus.*

Joannes Capreolus, *in quartum Sent. Distinct.* 25. *Art.* 3. 7.

Hæretici, Schismatici, & degradati, dum tamen sint ritè ordinati, & acceperint potestatem Episcopalem, possunt ordinare, non obstante prohibitione Ecclesiæ. ——— Ubi est sufficiens potestas conferendi ordines, nulla prohibitio Ecclesiæ, nec aliquod peccatum potest illam impedire, ne exeat in actum. Hæc *Capreolus.* *Capreolus.*

Angelus, *de Clavasio, in sua Summa, Verbo, Ordo. Cap.* 2. 8.

Episcopus qui resignavit Episcopatui, vel degradatus, hæreticus, aut excommunicatus est, si fuit legitimè Episcopus ordinatus, confert ordines. Hæc *Angelus.*

9. His se adjungit Gabriel Vasquez, Jesuita, in tertiam partem Thomæ, Disputatione 243. cap. 1. §. Et quamvis. *De Episcopo*, inquit, *hæretico, excommunicato, & suspenso Scholastici omnes, & Summistæ, qui de hac re mentionem faciunt; consentiunt, & meritò affirmant*

habere potestatem ordinandi quoscunque Ministros, ac proinde, si ritum Ecclesiæ Catholicæ in materia & forma servent, verum ordinem conferre. Nec de hac re ullo modo dubitari potest. Item, §. Idem quod. *Ecclesia impedire non potest effectum Sacramenti, neque mutare materiam, aut formam, aut Ministrum illius. Quare licet Ecclesia excommunicet Episcopum, nihilominus quia nequit Characterem illius delere, aut potestatem auferre; non potest impedire effectum consecrationis, & ordinationis ab eo factæ: ac proinde, omnes ab eo ordinati verè ordinati manere debent.* Item, §. Et primum. *Sicut baptismus, ab hæreticis secundùm ritum Ecclesiæ Catholicæ collatus, verus est, & nullo modo repetendus; ita etiam & ordo ab hæreticis Episcopis collatus verus est, neque repeti debet.* Item, §. Hanc Sententiam. *Hanc sententiam, quod attinet ad Episcopum hæreticum, aut excommunicatum, aut suspensum ordinantem, ut ordo ab eo collatus verus sit, docent S.* Thomas, *in quartum Sent. dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. Albert. *art.* 1. *S.* Bonaventura, *art.* 1. *quæst.* 2. Richard. *art.* 1. *quæst.* 2. Scot. *quæst.* 2. §. *de secundo art.* Thomas de Argentina, *art.* 2. *conclus.* 1: & 2. Durand. *quæst.* 1. *num.* 4. Paludan. *quæst.* 1. *art.* 1. Capreolus, *quæst.* 1. *art.* 3. *ad secundum* Avreoli, *contra ambas conclusiones. Supplementum* Gabrielis, *qu.* 1. *art.* 2. *Conclus.* 1: 3, 4. Almain. *quæst.* 1. *non longè ante finem* §. *de secundo principali.* Dominic. Sotus *quæst.* 1. *art.* 1. Petrus de Soto, *lib. de institutione Sacerdotum, Lect.* 5. *de Sacramento ordinis,* §. *quod igitur ad Ministrum.* Sylvest. *in sua Summ. Verb. Ordo,* 3. *quæst.* 6. & Angel. *verbo etiam. Ordo.* 2. *num.* 3. *atque omnes eodem nituntur fundamento, viz. quod potestas semel per consecrationem Episcopi collata ad ministrandum hoc Sacramentum, neque per hæresin neque per excommunicationem, aut suspensionem tollatur: hinc enim rectè inferunt, Sacramentum secundùm ritum à Christo institutum ab Episcopo collatum verum esse.* Item §. Ego quidem. *Ego quidem fateor,* Gratianum *in ea fuisse sententia, ut ordinationem factam ab hæretico excommunicato, qui nunquam fuit inter Catholicos, veram non esse putaret.* ——— *& idem sensisse Palleum:* —— *Sed dicendum, immeritò eos in prædicta sententia fuisse.* Hæc. *Vasq.* qui etiam eadem disp. cap 2. contendit Episcopum degradatum esse sufficientem Ministrum ad conferendum ordines: & ordinationem ab eo factam veram esse & firmam.

Quid de his sentiendum sit, inferius dicemus.

De Presbyteris prohibitis, &c.

10. Sed de Presbyteris, non levis quæstio est. Nam etiam ii qui concedunt Presbyteris potestatem ordinandi ex commissione, negant Presbyteros prohibitos validè ordinare, ut patet ex Glossa in can. *Manus.* dist. 5. de consecratione. Ubi dicitur, *Quod cùm collatio Sacramenti competit alicui ratione ordinis & officii, etiam prohibitus conferre potest: ubi verò ex adminiculo ordinis & demandatione, ut confirmatione in fronte Sacerdoti, vel collatio ordinis competit non Episcopis, in eo casu prohibitus nihil agit.* Hæc ibi.

11. Augent difficultatem ea quæ superius dicta sunt: nam communis Theologorum & Canonistarum sententia est, ea quæ conveniunt Episcopo aut Presbytero vi ordinis, ea inquam quæ ordinis sunt, non tolli per ullam Ecclesiæ prohibitionem. Ordinatio autem eis quæ ordinis sunt annumeratur, extra, de consecratione Ecclesiæ, cap. 9. *Aqua,* in Glossa. Præterea ea quæ sunt ordinis Episcopalis, non potest Episcopus demandare aut delegare aliis qui sunt inferioris gradus, secundùm Glossam in cap. *Quanto,* de consuetudine. Neque conferuntur hæc per demandationem, sed per ordinationem seu consecrationem, suntque perpetua, neque adimi possunt: secundùm glossam in cap. *Aqua,* de consecratione Ecclesiæ. Et inde nos supra evicimus Presbyteros vi sui ordinis habere potestatem conferendi Majores ordines: id quod etiam ex Sacra Scriptura superius demonstravimus. Porrò valor ac veritas ordinationis illius, quæ ex delegatione peragitur, non videtur provenire, neque dependere à delegatione, sed à potestate ordinandi, sive adminiculo ordinis in ordinante. Nam si Papa delegaret Laico ordinationem, nihil efficeret Laicus, neque esset valida aut vera ea ordinatio, sicut habetur in Glossa, in can. *Manus,* dist. 5. de consecratione. Et extra, de consuetudine, cap. *Quanto,* in Glossa. Unde videtur quòd neque Presbytero possit Ecclesia auferre ordinandi potestatem, cum ordinatio sit in eis quæ sunt ordinis, & vi ordinis Presbyteralis competat Presbytero. Imò, *Petrus Aureolus,* in quartum sent. dist. 24. art. 2. §. *secundo dico,* disertè affirmat, ordinare in Sacerdotem, esse actum convenientem Sacerdoti, in quantum Sacerdos est: & tantum esse impeditum in eo hunc actum. Et quando Presbyter fit Episcopus, non dari ei novam potestatem, sed tantummodo pristinam potestatem, prius impeditam, reduci ad usum, impedimento remoto. Unde adhuc crescit difficultas; nam quod Presbytero convenit in quantum Presbyter est, sive ex ordine & vi ordinis sui Presbyteralis, videtur non posse in eo justè impediri per auctoritatem Ecclesiasticam, absque ipsius Presbyteri culpa, per quam mereatur illam impeditionem. Adhæc, si verum sit quod asserebamus, propriam Episcopo de jure divino esse solam jurisdictionem, & cum concesserimus ordinationem esse in eis quæ ordinis sunt, & ostenderimus eam esse ordinis Presbyteralis, videtur ordinationem non convenire Episcopo, qua Episcopus est, sed tantum qua Presbyter; adeoque eam æqualiter convenire omnibus Presbyteris; & iniquè factum esse à patribus jam inde ab ultima Ecclesiasticæ antiquitatis Memoria, quod ordinationem reservaverint Episcopo. Ex altera parte, si dicamus eam ordinationem esse veram ac validam, quam peragit Presbyter, prohibente Episcopo, videtur introduci horrenda confusio: ut scilicet, quilibet Presbyter vel solus, vel saltem duobus aut tribus sibi associatis Presbyteris, multiplicare possit pro sua libidine, invito Episcopo, veros Presbyteros. Idem etiam incommodum sequi videtur ex eis quæ præmissa sunt de Episcopo prohibito, hæretico, excommunicato, degradato. Quomodo enim stabit Ecclesiæ εὐταξία, nisi tales etiam Episcopi cohibeantur, ita ut ordinatio, quam peragunt, irrita censeatur?

12. Pro horum dubiorum solutione, explicanda est distinctio ordinis & jurisdictionis. Et inde patebit facilis via ad evitandum omnia illa incommoda. *Sternitur via ad solutionem dubiorum.*

13. Ordo sacer est spirituale officium, & potestas in Ecclesia Dei, divinitus data homini, ad opus Ministerii, ad ædificationem corporis Christi. Hanc definitionem confirmant verba Domini, Matth. 24: 45. & Apostoli *Pauli, Ephes.* 4: 11, 12, 13. Hebr. 7: 11. *Definitio ordinis sacri.*

Et est vel idem cum jurisdictione, ut Episcopatus; vel ab ea distinctus, ut Presbyteratus, & Diaconatus.

14. Ut

Explicatur distinctio ordinis & jurisdictionis. Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 2, 3, 4. & cap. 5. §. 5.

14. Ut autem intelligatur illa distinctio ordinis & jurisdictionis, recurrendum est ad fundamentalem ordinem, nempe, Presbyteralem, qui reliquos ex se quodammodo emitit; & propter quem reliqui sunt instituti. Eorum quæ conveniunt Presbyteris, vi ordinis sui Presbyteralis, & quæ per sui consecrationem, sive ordinationem acceperunt Presbyteri, duo sunt genera: alia enim immediatè conveniunt singulis personaliter; alia verò immediatè conveniunt, non quidem singulis personaliter, sed conjunctis collegialiter, sive Presbyterio, (cum Episcopo, si habeant Episcopum; vel etiam sine Episcopo, si nullum habeant.) Singulis autem personaliter non conveniunt nisi mediatè, id est, interposita nova commissione ab auctoritate publica, ad quam pertinent immediatè. Prioris generis sunt, Verbum prædicare (nempe, ex officio, & cum auctoritate Pastorali) ægrotos visitare, baptisma, & Cœnam Dominicam administrare, offendentes admonere, pœnitentes nondum excommunicatos reconciliare, &c. quorum omnium habet Presbyter, vi sui ordinis, plenariam potestatem, tum *quoad aptitudinem*, tum *quoad exsequutionem*: hujus etiam prioris generis est ea potestas quarundam rerum, quam habet Presbyter, vi sui ordinis, *quoad aptitudinem*; licet earum potestatem non habeat, *quoad exequutionem*; cujusmodi sunt Ecclesias visitare, catechumenis manus imponere, Ministerii candidatos ad publicum examen admittere, Presbyteros & Diaconos ordinare, suspendere, deponere; contumaces excommunicare, excommunicatos, pœnitentes reconciliare, compresbyteros ad synodum vocare, canones Ecclesiasticos condere, &c. Ad talia enim nemo aptus est, nisi Presbyter; sed non obtinent singuli in collegio Presbyteri personaliter, vi sui ordinis, potestatem exsequutionis horum; quamvis habeant singuli potestatem aptitudinis, per quam idonei sunt, qui istis etiam peragendis adhibeantur, per novam commissionem ab eis, penes quos est plenariæ executionis potestas. Talia ad prius genus pertinent, si considerentur, quoad aptitudinem; at quoad exequutionem, sunt posterioris generis.

15. Potestas autem plenariæ executionis talium rerum, quæ publicam auctoritatem magis immediatè attingunt, fundata quidem est in ordine presbyterali, quia nemo nisi presbyter ejus est capax, & quilibet presbyter, vi sui ordinis, habet jus suffragii in suo collegio, quamvis non habeat jus & potestatem pronunciandi sententiam, & executioni mandandi: at non existit personaliter in singulis vi ordinis, nisi accedat publica auctoritas, quempiam è presbyterorum numero muniens hac potestate per commissionem, seu delegationem: & tunc ille presbyter negotia illa auctoritatis publicæ, ipsi commissa, exsequitur non suo privato, sed publico synodi seu presbyterii delegantis nomine & auctoritate, tanquam delegatus, non autem faciens tanquam ex officio proprio. (Hæc intelligenda sunt de presbytero habente collegas, quorum collegio subjiciatur. Nam si solus sit, mox dicemus quid facere possit, & debeat.)

Quenam sint ordinis, & quæ sit potestas ordinis.

16. Ea autem quorum habet quilibet presbyter, vi sui ordinis, plenariam potestatem, etiam quoad exsequutionem, adeo ut ad ea exsequenda non egeat ulla nova commissione, sed sufficiat ei ipsius ordinatio, per quam accepit ordinem, & omnem potestatem quæ consequitur ordinem in singulis ordinatis; Ea, inquam, sunt ordinis; & ea potestas est potestas ordinis. Et quamvis talium exequutionem possit etiam prohibere Ecclesia, si tamen contra Ecclesiæ prohibitionem, ea exequatur, quamdiu manet Presbyter, non depositus, valida est exequutio, quia valor executionis in talibus dependet ab ipso ordine Presbyterali, & per ordinem perfectè habetur; ordo autem, & per consequens executionis valor sicut per nudam commissionem non datur, ita nec per nudam prohibitionem aufertur. Ideo Presbyter prohibitus baptizare, aut conficere Eucharistiam, si baptizet aut conficiat, validè baptizat & conficit; etiamsi peccet, contemnens legitimam Ecclesiæ auctoritatem. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem*, inquit Innocentius Papa, 3. extra, de regularibus, & transeuntibus ad Religionem, cap. 16. *Ad Apostolicam.*

Quænam sint jurisdictionis, & quæ sit potestas jurisdictionis.

17. At ea, quorum habet Presbyter potestatem, vi sui ordinis, quoad aptitudinem tantùm, non autem quoad executionem, validè quidem fiunt à Presbytero (habente collegas) per delegationem, sive ex commissione, nam, *ordo dat aptitudinem, commissio executionem*: at non validè fiunt absque commissione publicæ auctoritatis: nam etiamsi valor talium exsequutionum, quæ requirunt adminiculum ordinis Presbyteralis, non existat absque adminiculo illius ordinis; in iis tamen quæ, quoad exsequutionem, immediatè tangunt auctoritatem publicam, non sufficit ordo, prout est in singulis, ad executionis valorem, sed necesse est accedat publicæ auctoritatis adminiculum. Ordo igitur in talibus est causa sine qua non, sed non est causa adæquata valoris exsequutionis; quemadmodum etiam commissio non facit executionem validam, sine adminiculo ordinis in accipiente commissionem. At ii penes quos est publica auctoritas, validè agunt ex auctoritate, quia & habent ordinem, per quem iis competit potestas aptitudinis; & habent auctoritatem publicam, sive jurisdictionem, per quam obtinent potestatem plenariæ & validæ executionis. Illud enim unusquisque validè agit, quod secundùm potestatem, quam habet, agit: ultra potestatem autem, quam quisque habet, nemo validè agit. Et hæc potestas publica est *jurisdictio*, & ea quæ ad ipsam immediatè referuntur, sunt *jurisdictionis*; quia publicam juris publici postulant dictionem. *Jurisdictio est etiam judicis dandi licentia:* inquit *Ulpianus*, ff. de jurisdictione. Lege 3. *Imperium.*

Origo & natura ordinis Episcoporum.

18. Cum verò ex collegarum, simplicium Presbyterorum, in publicis judiciis æqualitate, multiplicatis jam Ecclesiis, & absentibus sæpe Apostolis virisque Apostolicis, dissidia & factiones in Ecclesiis proprios Episcopos non habentibus nascerentur, placuit Spiritui sancto, & Apostolis, ad tollenda seditionum plantaria, & ne unusquisque ad se rapiens Christi Ecclesiam rumperet, quo omnia tranquillius, decentius, & ordinatius procederent, hanc publicæ jurisdictionis potestatem uni è Presbyterorum collegio electo tradere; non privando collegium jurisdictionis potestate, sed ipsum talis præsidentiæ subsidio corroborando. Singulis etiam Presbyteris relictum est illud suffragii jus quod habent & adhuc retinent vi sui ordinis. Potestatem autem illam gubernatricem & publicam fratres convocandi, suffragia rogandi, sententias definitivas pronunciandi, canones condendi, ordines sacros conferendi, excommunicandi, excommunicatos reconciliandi, &c. per se vel

 per

per suos delegatos, & commissiones ad ea facienda dandi; quæ collegialiter tantum diffusa conveniebat toti Presbyterio, dederunt Apostoli etiam Episcopo personaliter: atque ita, quod antea in illis Ecclesiis (sub Apostolis) erat tantùm collegiale, evasit etiam officium personale. Et cùm perpetua potestas spiritualis personis singularibus à Deo data in Ecclesia ad opus Ministerii, & ædificationem corporis Christi, sit ordo Sacer, exstitit per hanc potestatem in persona Episcopi, novus ordo Sacer in eis Ecclesiis, nempe, ordo Episcopalis. Cujus vi Episcopus haberet eam potestatem, quam collegialiter Presbyterium obtinebat, nempe, potestatem publicæ jurisdictionis, & executionis earum rerum, quas exequi non potest simplex Presbyter, vi ordinis sui Presbyteralis, sine commissione ab auctoritate publica gubernatrice.

19. Non autem sic est concessa hæc potestas Episcopo, ut neglectis Fratribus, negotia Ecclesiastica suo arbitratu administret, sed ut ex eorum consensu ea gerat: neque eos præ se contemnat, sed tanquam collegas Compresbyteros honoret, sicut supra docuimus.

Mutua obligatio Episcopi & Presbyterii.

20. Non enim est adempta Presbyterio jurisdictio, sed manens in Presbyterio collegialiter, communicata est Episcopo personaliter, tanquam perpetuo collegii prælidi. Ut post institutos Episcopos, illud Presbyterium quod habet Episcopum, jurisdictionem exerceat non sine suo Episcopo, sed cum eo, & sub ejus inspectione, & regimine; quemadmodum neque Episcopo eam potestatem exercere fas est, seorsum absque Presbyterio. Non enim opponuntur Episcopus & Presbyterium. Potestas jurisdictionis non alia atque alia, sed una eademque integra manet aliter in Presbyterio, nempe, collegialiter, & aliter est in Episcopo, nempe, personaliter, cum mutua relatione, & obligatione, tum collegii ad suum prælidem, qui etiam collegii pars est, & præsidis ad collegium cui præest.

Libertas Episcopi, & libertas Presbyterii.

21. Si tamen totum Presbyterium, vel morte corporali, vel hæresi deficiat, cessat ea obligatio, & poterit Catholicus Episcopus, jam solus, ordinare sibi Compresbyteros Catholicos: & sic, vice versa, si vel morte, vel hæresi deficiat Episcopus, & maneat Presbyterium Catholicum, vel si sit Presbyterium quod regi non soleat ab Episcopo, poterit jam Presbyterium Catholicum, Episcopo Catholico destitutum, validè exercere potestatem jurisdictionis, ordinando Presbyteros, excommunicando contumaces, &c. Nisi fortè spes certa sit habendi Episcopum Catholicum intra breve tempus, quod præstolari poterunt.

Episcopi sunt Pastores.

22. Quæri solet, utrum Episcopus, sit propriè Pastor totius Diæcescos, an tantùm unius illius Parochiæ, cui Presbyteralem ordinariè curam impendit. Respondeo: Quoad curam Presbyteralem est Pastor suæ Parochiæ, non autem totius Diæceseos; at quoad jurisdictionem, sive curam Episcopalem, Pastor est totius Diæceseos. Tenetur parochiæ suæ præstare ea quæ diximus esse ordinis Presbyteralis: Diæcesi verò ea quæ sunt jurisdictionis, sive ordinis Episcopalis. Non solùm à pabuli præbitione, sed etiam à gubernatione, & rectorali custodia meretur aliquis nomen pastoris. Episcopus, ex consilio Presbyterii, aliis etiam suæ Diæcescos parochiis indigentibus prospicere debet de spirituali pabulo pro ratione sui officii. Sicut provideret Presbyterium, cui non esset Episcopus.

Discrimen Presbyterorum.

23. Ex his patet Presbyterum ab Episcopo suo, vel à Presbyterio, cui deest Episcopus, legitime se gerente, prohibitum, non validè ordinare: (ideo quos *Coluthus* Alexandrinus in schismate ordinavit, ii in laicorum ordinem redacti sunt. Teste Synodo Alexandrina, apud *Athanasium*, in Apologia ad *Constantium* Imp.) Episcopum verò cum suo presbyterio (vel etiam solum, quando idoneo Presbyterio destituitur,) à Synodo Episcoporum, cui subest, etiam legitimè se gerente, prohibitum, validè ordinare. Ratio discriminis est, quia plenariam ordinationis executionem, vi ordinis sui Episcopalis, habet Episcopus, & potestate collegiali eam habet Presbyterium: non autem simplex quilibet Presbyter, vi ordinis sui Presbyteralis. Huc spectat illa *Epiphanii* argumentatio contra Aërium, hæresi 75. *Quod* (inquit) *dicit* [Aërius] *Episcopum & Presbyterum æqualem esse, & quomodo est hoc possibile?* ἡ μὲν γάρ ἐςι πατέρων γεννητικὴ τάξις, πατέρας γὰρ γεννᾷ ἐκκλησίᾳ. ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μὴν πατέρας ἢ διδασκάλους. *Nam Episcoporum ordo ad gignendos Patres comparatus est, Patres enim gignit Ecclesiæ: at ordo Presbyterorum, cum Patres generare non possit, filios Ecclesiæ per lavacri regenerationem producit: non tamen Patres aut Magistros.*

Pag. 732. tom. 1. oper. Athan. græco-lat. edit. Paris. ann. Domini. 1627.

24. Per hæc facilem habemus, & expeditam viam dissolvendi omnia illa dubia, quæ superius proposita sunt.

Sol. dub. ordinatio cujus sit ordinis.

Canonistæ dicunt, Ordinationem esse ordinis Episcopalis: nos dicebamus, eam esse ordinis *Presbyteralis*; at, quoad potestatem plenariæ executionis, est ordinis *Episcopalis*.

Sol. dub. de demandatione eorum quæ sunt ordinis.

25. Quidam Theologi, & Canonistæ, ajunt, Ordinationem peragi posse ex commissione; alii id negant, hoc argumento, quod ea quæ sunt ordinis, non possint demandari Clericis inferioris ordinis. Respondeo: Quæ sunt ordinis Presbyteralis, qui purus est, & fundamentalis ordo, ea non possunt demandari inferioris ordinis Clericis; (nam etiam prædicare *Evangelium* ordinariè per delegationem non est concedendum hominibus non Presbyteris, quamvis id eis concedi possit nonnunquam ad exercitium, aut ad experimentum, aut ad necessarium, pro illa vice, adjumentum: Nam illud præceptum, *Ite*, *Docete*, &c. Matth. 28. Presbyteris datur, non autem inferioribus Clericis, qui non missi sunt ad prædicationem *Evangelii*, sed inferiora quædam Ministeria obeunda: Pastoribus & Doctoribus commissa *Evangelii* prædicatio:) At verò demandari possunt ea quæ sunt ordinis *Episcopalis*, quia hic ordo prout à *Presbyterali* distinguitur, jurisdictionalis est, ut ita loquar, neque aliud quicquam nisi mera jurisdictio, qualem habet Presbyterium, Episcopo destitutum, supra singulos Presbyteros: quæ autem sunt jurisdictionis, ea inferioribus Clericis demandari posse omnes fatentur.

Ordo jurisdictionalis.

Quomodo Episcopo sit propria sola jurisdictio.

26. Hinc liquet quo sensu rectè dici possit Episcopo propriam esse de jure divino solam jurisdictionem, sicut nos supra asserebamus: & nihilominus Episcopatum esse ordinem sacrum à Presbyteratu distinctum, quia est spiritualis potestas jurisdictionis.

In quibus sit distincta jurisdictio ab ordine.

27. Ex his etiam patet ordinem in Presbytero esse à jurisdictione distinctum; ordinem verò in Episcopo, qua Episcopus est, nihil aliud esse quam ipsam jurisdictionem, contra communem errorem Sorbonistarum, & Canonistarum. Et contra inanem illam responsionem *Bellarmini*, lib. 2. de *Romano* Pontifice, cap. 27.

ubi

ubi reſpondens ad argumentum *Nili* ſumptum ab æqualitate omnium Epiſcoporum, cum omnes ſint ejusdem ordinis, & dignitatis; & Papa *Romanus* nihil ſit amplius, quam Epiſcopus, ut conſtat tum ex eo, quod ab Epiſcopis ordinatur, tum ex eo quod *Dionyſius* nullam agnoſcit in Eccleſiaſtica Hierarchia dignitatem Epiſcopali majorem: unde infert *Nilus* Papam non minus teneri legibus Conciliorum, & judicari poſſe, quam Epiſcopos cæteros: Ad hoc, inquam, *Nili* argumentum reſpondet *Bellarminus*, Epiſcopos pares eſſe ratione ordinis, non tamen ratione jurisdictionis: hujus enim ratione Epiſcopum *Conſtantinopolitanum* majorem eſſe Epiſcopo *Cæſarienſi*: Pontificem autem *Romanum* non ideo judicari non poſſe, quia dignitatem, vel ordinationem habeat Epiſcopali majorem; ſed quia Epiſcopalem jurisdictionem ampliſſimam habeat, ita ut omnibus præſit, nulli ſubjectus ſit. In qua reſponſione ſunt hæc abſurda: 1. Ordinem Epiſcopalem à jurisdictione Epiſcopali diſtinguit, ac ſi jurisdictio eſſet aliquid diverſum ab ordine, aut latius patens: quaſi verò eſſet ulla jurisdictio Epiſcopalis, quæ non habeatur per ordinem Epiſcopalem. Nam ſi non habeatur vi ordinis Epiſcopalis, jam non erit ea jurisdictio Epiſcopalis, ſed alterius conditionis. 2. Cum quæſtio illic ſit de jurisdictione, quæ ſit juris divini, adfert ille exemplum jurisdictionis Patriarchalis Epiſcopi *Conſtantinopolitani*, quæ non eſt Epiſcopalis, aut divinitus inſtituta jurisdictio, ſed honor quidam ultro habitus illi Epiſcopo, ex inſtitutione humana, ſive Eccleſiaſtica, non eximens eum ab obedientia aut cenſura Canonum. De quo honore plura inferius dicemus propoſ. 15. 3. Imperitè interpretatur jurisdictionem Epiſcopalem, ac ſi eſſet ſupra Epiſcopos, cum omnis jurisdictio Epiſcopalis non niſi Diœceſanos inferiorum ordinum Clericos & Laicos ſpectet. Nemo enim per Epiſcopalem jurisdictionem eſt Epiſcoporum Epiſcopus; ſed ſuæ quisque diœceſeos eſt Epiſcopus. Neque datur altior jurisdictio ulla Eccleſiaſtica perſonalis de jure divino; ſupra hanc autem eſt poteſtas Synodica. 4. Denique abſque ulla idonea probatione, impudenter petit principium, ſumens quod eſt in quæſtione, quando ait, Papam omnibus præeſſe, nulli ſubjectum eſſe. Quod quid aliud eſt, quàm palam profiteri Papam eſſe illum Antichriſtum? De quo infra Propoſ. 16.

Can. Apoſt. 73. & Concil. 2. Oecumen. Can. 6.

Demandantur ea quæ ſunt jurisdictionis, non ipſa jurisdictio.

28. Alia eſt obſervanda diſtinctio: demandari poſſunt ea quæ ſunt jurisdictionis, puta executio earum rerum quas ſupra memoravimus, at non poteſt demandari ipſa jurisdictio ſive poteſtas ſeu ordo Epiſcopalis: nam hoc eſſet non facere delegatum, ſed Coëpiſcopum; neque eſſet delegatio, ſed aſſociatio.

Sol. dubii de impeditione Presbyterorum.

29. Objiciebatur, iniquè facere Eccleſiam quæ immerentes Presbyteros impediat ab executione poteſtatis ordinandi, cùm eam habeant vi ſui ordinis, qua Presbyteri. Reſpondeo, nihil adimit Presbyteris Eccleſia quod habent vi ordinis Presbyteralis; nam relinquit eis poteſtatem aptitudinis: poteſtas autem validæ executionis non competit Presbytero qua Presbyter eſt, (niſi accedat jurisdictionis poteſtas) ſed Epiſcopo qua Epiſcopus eſt; aut etiam ſoli Presbyterio ſive Synodo Presbyterorum, qua Presbyterium eſt ſeu ſynodus, in locis illis ubi non eſt Epiſcopus: & hanc quidem poteſtatem non poteſt adimere Eccleſia Epiſcopo, aut Presbyterio, immerenti. Neque adimit: ſed eam obtinet Epiſcopus perſonaliter; & Presbyterium collegialiter.

Quo caſu validè ordinent Presbyteri etiam prohibiti.

30. At verò ſi Epiſcopus aut Synodus notoriè defendat hæreſin, neque ordinationem collaturus ſit Epiſcopus, aut ſynodus, niſi cum obligatione ad hæreſin; fugiendi ſunt lupi illi; neque poteſt injuſta eorum interceſſio impedire conſervationem ordinis, per miniſterium reſiduorum Presbyterorum orthodoxorum, in Eccleſia: quos in tali caſu oportet reſiſtere illicitis conatibus Epiſcopi & collegarum, & in reformationem diligenter incumbere. Neque de auctoritate ſua dubitent, cum *Chriſtus* promiſerit ſe non defuturum duobus aut tribus congregatis in *Nomine* ipſius, Matth. cap. 18. Quando igitur Eccleſiam ſic occupat, & inundat hæreſis & obſtinatio, ut tantum duo vel tres Presbyteri relinquantur orthodoxi, ad illos paucos pertinet plenaria poteſtas Eccleſiaſtica. Duo vel tres ſunt Presbyterium, quando plures non inveniuntur. Imò unus, cum cœtu orthodoxo, quando non ſunt alii orthodoxi, habet eam poteſtatem Eccleſiaſticam, qua nulla apud orthodoxos pro tempore altior reperitur, & quam haberet Presbyterium vel Epiſcopus orthodoxus. Nam deſerere Eccleſiam nefas: fas autem non eſſe à notoriis hæreticis ordinationem petere, aut ſcienter ſuſcipere, (& præſertim cum impia obligatione conjunctam) docent *Thomas*, in quartum Sent. Diſtinct. 25. Quæſt. 1. Art. 2. Quem ſequitur *Capreolus*, ibidem Art. 3. & *Angelus*, in Summa, Verbo, *Ordo*, cap. 2. & eſt communis ſententia.

Penes orthodoxos reſidet authoritas.

Non eſt petenda aut ſcienter ſuſcipienda ordinatio à notoriis hæreticis.

31. Et *Bellarminus* contendit Hæreticum manifeſtum *ipſo facto eſſe depoſitum*. Idque probat auctoritate beati *Pauli*, qui in Epiſt. ad Tit. cap. 3. jubet hæreticum poſt duas correptiones vitari: *Id eſt*, inquit Bellarminus, *poſtquam manifeſtè apparet pertinax, & intelligit* [Apoſtolus] *ante omnem excommunicationem, & ſententiam judicis: ut ibidem ſcribit* Hieronymus. Pergit Bellarm. *Non Chriſtianus, non poteſt ullo modo eſſe Papa: at Hæreticus manifeſtus non eſt Chriſtianus, ut apertè docet* Cyprianus, *Lib.* 4. *Epiſt.* 2. Athanaſius, *ſermone* 2. *contra* Arianos. Auguſtin. *Lib. de gratia Chriſti, Cap.* 20. Hieronym. *contra* Luciferianos, *& alii: Hæreticus igitur manifeſtus, Papa eſſe non poteſt.* —— —— *Denique ſancti Patres concorditer docent, non ſolum Hæreticos eſſe extra Eccleſiam; ſed etiam ipſo facto carere omni jurisdictione & dignitate Eccleſiaſtica.* Cyprianus, *Lib.* 2. *Epiſt.* 6. Dicimus, *inquit*, omnes omnino Hæreticos, atque Schiſmaticos, nihil habere poteſtatis ac juris. *Et Lib.* 2. *Epiſt.* 1. *docet Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes ſuſcipiendos ut Laïcos, etſi antea in Eccleſia Presbyteri, vel Epiſcopi fuerint.* Optatus, *Lib* 1. *contra* Parmenianum, *docet Hæreticos & Schiſmaticos claves regni Cœlorum habere non poſſe, nec ſolvere aut ligare.* Ambroſius, *Lib.* 1. *de pœnitentia, Cap.* 2. *Et* Auguſtinus, *in Enchiridio, Cap.* 65. *Idem docet* Hieronymus, *Lib. contra* Luciferianos. —— *Eſt ergo opinio vera Papam Hæreticum manifeſtum, per ſe deſinere eſſe Papam & caput, ſicut per ſe deſinit eſſe Chriſtianus, quare ab Eccleſia poſſe eum judicari & puniri.* —— *Fundamentum hujus ſententiæ eſt, quoniam Hæreticus manifeſtus, nullo modo eſt membrum Eccleſiæ.* Hæc Bellarm. Lib. 2. de *Romano* Pontifice, Cap. 30.

Vide Calvin. Tract. de neceſſitate reformandæ Eccleſiæ §. At cum vici.

Exegeseos propositionis decimatertiæ pars quinta, ubi de casu necessitatis.

Casus necessitatis, in quo Catholici Presbyteri licitè ac validè ordinant quamvis ab Episcopis hæreticis prohibeantur: imò in quo unus Presbyter benè ordinat.

Quando igitur prædicto modo prævalet Hæresis & obstinatio, quid facient residui Catholici Presbyteri, aut solus residuus Presbyter cum cœtu Catholico? Mittentne ordinandos ad eos, qui ipso facto desierunt esse Christiani, & sunt extra Ecclesiam, & carent omni jurisdictione, & dignitate Ecclesiastica, & qui ex præcepto Apostolico vitandi sunt: qui etiam neminem Ministrum ordinare consentiunt: nisi cum impia obligatione ad Hæresin? Cum igitur penes residuos illos Catholicos pastores jam resideat suprema potestas & jurisdictio Ecclesiastica, necesse habebit vel unus ille Presbyter, multiplicatis fidelibus, collegas sibi ordinare. Et quamvis, extra casum hujusmodi necessitatis, canonibus constitutum sit, ut plures sint Presbyteri ordinantes, & ut ordinatio non sine Episcopo peragatur; tamen in talibus cæremonialibus, ubi manet essentia formæ, & oihil fit in cootemptum Canonum, & servantur illæ regulæ de qualitatibus ordinandorum, quas præscripsit Apostolus, 1 Tim. 3. & ad tit. 1. locum habet illa regula juris, *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*, extra, de regulis, cap. 4. ubi adferuntur exempla Sabbati & jejunii.

Regula de casu necessitatis.

2. Et *in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras, non hujus aut illius hominis periculum, sed populorum plurimorum strages jacet; detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus sanandis malis charitas sincere subveniat:* ut loquitur *Augustinus*, apud *Gratianum*, 50. dist. can. *Ut Constitueretur*. Agitur illic de admissione aut reditu ad clericatum post alicujus criminis pœnitentiam: idem quoque aptè convenit præsenti nostro negotio. Nam in casu à nobis proposito multorum populorum strages jacet & periclitatur Ecclesia. Et est casus extremæ necessitatis. Proinde locum habebit illud quod legimus apud *Gratianum*, caus. 1. quæst. 1. can. *Remissionem*, §. *Sed notandum: Necessitas non habet legem, sed ipsa sibi facit legem.* Et quod ait *Gelasius* Papa; *Pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ, mutilantur & laxantur præcepta canonica*: *caus. 1. quæst. 7. Etsi illa.* Quamvis ex eo quod, magna necessitate cogente, dispensativè factum est, nullum sacris Canonibus fieri debeat præjudicium: sed *Canones proprium robur obtineant; & cessante necessitate, illud quoque cesset quod factum est pro necessitate*, sicut loquitur *Urbanus* II. Papa caus. 9. quæst. 1. can. *Ordinationes.* Neque quod certa causarum consideratione interdum de canonum rigore remittitur, in ordinariam trahendum est consequentiam: sed sublata necessitate, antiquis & ordinariis vivendum est regulis, caus. 1. qu. 7. *Donatum.* Neque censendi sunt illi quicquam facere in Canonum contemptum, sed existimandi sunt mentem servare, qui faciunt quod in se est, & quoad patitur Ecclesiæ necessitas, & necessaria Fidei Catholicæ custodia, ut Canonibus adhærescant.

Quod fit etiam licitè in casu necessitatis, non est trahendum in ordinariam consequentiam.

Necessitas Protestantium qua coacti sunt uti ordinatione Presbyterali.

3. Et hæc fuit condirio *Protestantium*, io reformatione Ecclesiæ, in *Germania*, aliisque transmarinis Regionibus: Qui extrema Ecclesiæ necessitate adacti, vel inviti, oecesse habuerunt, misso pro tempore Canonum rigore, saluberrimum adhibere temperamentum; ut & Presbyteri ordioarent, & tamen Disciplina pristina in hoc conservaretur, ut nemini nisi secundùm ordinem publicum vocato & ordinato concederetur publica verbi in Ecclesia, & Sacramentorum administratio. Ex animo optantes, ut potius secundùm vereres Canones ordinarent Episcopi: sed quoniam id ab Episcopis impetrare non potuerunt, absque nefariis obligatiooibus; & Episcopi, iterum atque iterum moniti, non destiterunt divinæ veritati resistere, ejusque sinceros prædicatores & professores immaniter persequi; coacti sunt ad residua remedia à Deo ipsis relicta confugere. Neque potuit injusta Episcoporum jam notoriè Hæreticorum prohibitio invalidam reddere eam ordinationem, quam peragebant Catholici Ecclesiarum Pastores, peoes quos erat summa pro tempore potestas Ecclesiastica inter Catholicos in illis Regionibus.

4. Hoc à se factum esse nullo Canooum contemptu, sed officii necessitate, protestati sunt *Germani Protestantes* in Apologia Confessionis *Augustanæ*, cap. de numero, & usu Sacramentorum, ad art. 14: ubi hæc eorum sunt verba; art. 14. *in quo dicimus, nemini nisi ritè vocato concedendam esse administrationem Sacramentorum, & verbi in Ecclesia, ita recipiunt, si tamen utamur ordinatione Canonica. Hac de re in hoc conventu sæpe testati sumus, nos summa voluntate cupere conservare politiam Ecclesiasticam, & gradus in Ecclesia factos etiam humana auctoritate: scimus enim bono & utili consilio à Patribus Ecclesiasticam Disciplinam, hoc modo ut veteres Canones describunt, constitutam esse, sed Episcopi Sacerdotes nostros, aut cogunt hoc doctrinæ genus, quod confessi sumus, abjicere ac damnare, aut nova & inaudita crudelitate miseros & innocentes occidunt. Hæ causæ impediunt quo minus agnoscant hos Episcopos nostri Sacerdotes: ita sævitia Episcoporum in causa est, quare alicubi dissolvatur illa Canonica politia, quam nos magnopere cupiebamus conservare. Ipsi viderint quomodo rationem Deo redditurí sint, quod dissipant Ecclesiam. Nostræ conscientiæ hac in re nihil habent periculi, quia cùm sciamus confessionem nostram veram, piam & Catholicam esse, non debemus approbare sævitiam istorum, qui hanc doctrinam persequuntur. Et Ecclesiam esse scimus apud hos, qui verbum Dei rectè docent, & rectè administrant sacramenta; non apud illos, qui verbum Dei non solùm edictis delere conantur, sed etiam recta & vera docentes trucidant: erga quos, etiamsi quid contra Canones faciunt, tamen ipsi Canones mitiores sunt. Prorsus hic iterum voluimus testatum, nos libenter conservaturos esse Ecclesiasticam & Canonicam politiam, si modò Episcopi desinant in nostras Ecclesias sævire. Hæc nostra voluntas & coram Deo, & apud omnes Gentes, ad omnem posteritatem excusabit nos, ne nobis imputari possit, quod Episcoporum auctoritas labefactetur, ubi egerint atque audierint homines, nos injustam sævitiam Episcoporum deprecantes, nihil æqui impetrare potuisse.* Hæc *Protestantes*, loco citato.

Protestantium protestatio de casu suæ necessitatis, in quo necesse habeant, uti ordinatione per Catholicos Presbyteros prohibitos ab Episcopis Papanis.

5. At quænam, inquies, oecessitas jam urget reformatas Ecclesias, in Regionibus transmarinis, quin possit habere Orthodoxos Episcopos, & ordinationem per Episcopos, secundum veteres Caoooes? Respondeo: 1. Quædam habent Episcopos Catholicos, quos Superintendentes, vel Superattendentes vocant. 2. Etiam extra casum oecessitatis valida est jure divino ea ordinatio, quæ peragitur auctoritate Presbyterii, cui non præest Episcopus, adeoque penes quod est suprema & absoluta ordinandi potestas, pro tempore, in illa Ecclesia: sicuti supra prolixè osten-

ostensum est. 3. Porrò sua cuique Ecclesiæ hac in parte necessitas cognita est.

Hodiernus defectus œconomicus, quarundam Ecclesiarum reformatarum.

6. Fateor tamen eas tamdiu laborare defectu quodam œconomico, quamdiu carent Episcopis. Quamvis igitur etiam sine Episcopis valida sit ordinatio, & tota illarum Ecclesiarum Disciplina; optandum tamen potius ut habeant Episcopos. Hoc enim divinæ institutioni convenientius est, & ad Ecclesiæ pacem, & decorum & ordinem accommodatius: sicut est à nobis in præcedentibus propositionibus earumque exegesibus, & in hac ipsa dissertatione demonstratum.

Casus necessitatis dispensativa in ordinatione Episcopi.

7. Canonibus constitutum est, ut non minus quam tres Episcopi sufficiant ad ordinandum Episcopum: *Palladius* tamen *Scotorum* primus Episcopus, *Servanum* Episcopum *Orcadum* solus ordinavit, ut scribit *Joannes Major*, lib. 2. de Gestis *Scotorum*, cap. 2. ubi hæc adjicit verba; *Ex isto*, inquit, *patet quod Episcopus in necessitate ab uno Episcopo consecratur, & non est de Episcopi essentia quod à tribus ordinetur. Peccant tamen aliter ordinantes, ubi Episcoporum trinitas haberi potest.* Hæc *Major*. Non tamen existimandum est *Palladium*, prorsus solum ordinationem eam peregisse, quamvis solus fuerit Episcopus: haud dubiè enim adhibuit secum Presbyteros saltem duos: quemadmodum fecerunt postea duo illi Episcopi qui sibi associarunt *Andream* Presbyterum *Ostiensem*, ad ordinandum *Pelagium*, Episcopum *Romanum*. Sic apud *Gratianum*, 67. Dist. Can. *Episcopos: solum* Episcopum, interpretatur Glossa, *sine aliis Episcopis, non exclusis Clericis.*

Alius casus, in quo unus Presbyter bene ordinat Presbyterum.

8. Nam etiamsi casus incidere possit, ut necesse habeat Presbyter solus ordinare Presbyterum; ut in casu Hæreseos superius memorato: item, si quis Presbyter ad remotam Oceani insulam appellens, ibique relictus, barbaris prædicet *Evangelium*, &, per *Dei* benedictionem, lucretur ingentem multitudinem, neque illi cum aliis orbis partibus intercedat commercium: necesse habebit, ea, quæ à Magistris suis accepit, proponere fidelibus hominibus, qui idonei futuri sint etiam alios docere, sicut monet Apostolus, 2 Timoth. 2: 2. eosque jam maturos secundum Canones qui habentur. 1 Timoth. 3. Tit. 1. constituere Presbyteros κατὰ πόλιν, καὶ κατ' ἐκκλησίαν, oppidatim, & per singulas Ecclesias. Quamvis, inquam, iste casus incidere possit, vix tamen cogitari potest casus, in quo necesse sit Episcopo ut solus etiam sine Presbyteris ordinet Episcopum: nam ordinatio Episcopo necessaria non est, nisi in multitudine Presbyterorum, ad vitandum Schisma, & decenter ac pacificè gubernandam Ecclesiam. Præsto igitur semper erunt Episcopo ordinatori aliqui saltem Presbyteri, qui cùm illo in ordinatione concurrant.

Conciliatio necessaria solitudinis cum nostra secunda propositione, de sociali ministerio.

9. Quod diximus, supra, Propositione secunda, de sociali Ministerio, illud ita intelligendum est, ut quilibet Pastor collegium aliquod Pastorum, cui subjiciatur, agnoscat, vel affectu simul & actu, quando scilicet ei præsto est collegium Catholicorum Pastorum, cui subjici possit; vel saltem affectu, si non possit actu, in casu necessariæ solitudinis: paratus semper etiam actu subjectionem & obedientiam exhibere, quandocunque nactus fuerit collegas.

Exegeseos propositionis decimatertiæ pars sexta, De ordinatione Britannica per Episcopos.

Postquam de ordinatione Presbyterali, jam prolixiùs quàm intenderam disserui: subjungam brevem Dialogum, de ea ordinatione quæ in Ecclesiis *Britannicis* reformatis fit ministerio Episcoporum. Meminisse interim convenit eorum quæ supra citavimus ex *Thoma*, & *Aureolo*, & *Capreolo*, & aliis de veritate ordinis, quem confert Episcopus Hæreticus, prohibitus, excommunicatus, degradatus: non quod tali præsidio & tam misera defensione egeat nostra causa, sed quia conducent ad obturandum os imperitis & contentiosis quibusdam Papistis, qui illius doctrinæ, quam profitentur, ignari, caninam exercent facundiam contra *Dei* Servos. Cum interim non intelligant quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Audiamus colloquentes *Catholicum* & *Papistam*.

Ordinatio per Episcopos in Ecclesiis reformatis Britannicis.

CATHOLICUS.

QUID habes quod objicias contra eam ordinum ministrationem, quæ ab ipso Reformationis exordio in *Anglia* in hunc usque diem, & nunc etiam *Dei* beneficio in *Scotia* peragitur per Catholicos Episcopos?

PAPISTA. *Episcopi vestri non sunt Catholici, sed sunt Hæretici, adeoque ipso jure sunt Excommunicati, & omni dignitate Sacerdotali exciderunt.*

2. *CATH.* Hæretici non sunt: sed quorsum tendit ista criminatio? Si negas Hæreticos & Excommunicatos validè ordinare, & verum ordinem conferre, contradicis Ecclesiæ *Romanæ*. Degradatos etiam Episcopos validè ordinare, docent *Thomas* & *Aureolus*, & *Capreolus*, & *Angelus*, & Glossa, Caus. 9. Quæst. 1. in principio: & in Can. *Ordinationes*: Glossa, *Nisi probare*: & alii. Si hæc nescis, disce: si scis, cur gratis rixaris. Sed fac Hæreticos non validè ordinare, id nostrorum ordinationem non infirmabit, nam Episcopi nostri non sunt Hæretici, sed Orthodoxi.

PAP. *Illi vestri Episcopi, qui Religionis reformationem (ut vocatis) primi amplexi sunt, à quibus sunt ordinati? annon à Papa Romano?*

3. *CATH.* Dicere possum verum ordinem & ordinationem Episcopalem, per continuatam successionem in *Anglia*, jam totos mille annos, esse perpetuò conservatam in hunc usque diem, jam inde à tempore *Augustini*, *Anglorum* Episcopi, quem ordinavit *Etherius*, Episcopus *Arelatensis*, (circa annum Dom. 600.) teste *Beda*, Lib. 1. Hist. Eccles. Gentis *Anglorum*, Cap. 27. Nos autem *Etherium*, & *Augustinum* non accensemus Hæreticis, neque, *Gregorium*, Papam *Romanum*, cujus hortatu & missu venerat in *Angliam Augustinus*. Quamvis citeriores quosdam *Romanos* Pontifices meritò habeamus pro Hæreticis. Canonibus constitutum est, ut tres saltem Comprovinciales Episcopi, cum Metropolitani consensu, ordinent Episcopum, sicut supra docuimus: & ut Metropolitanus à suis Comprovincialibus ordinetur; dist. 66. *Archiepiscopus*. Si servavit Ecclesia *Anglicana* has regulas, non est passa intercidere ordinationem Episcopalem acceptam tempore *Augustini*. Sed fac Episcopos nostros ab ipso *Leone*, Papa decimo, qui Religionis reformationi restitit, ordinatos esse; quid inde efficies?

PAP. *Nempe, ut fatearis eos aut verum ordinem non accepisse, aut debuisse permanere in Fide ordinantis.*

4. *CATH.* Annon jam consensimus verum ordi-

ordinem accipi posse ab Hæretico ordinante? num propterea debet ille qui ab Hæretico ordinatus est, permanere in Hæresi seu Fide (vel potius perfidia) ordinantis? Quicquid veræ & Catholicæ fidei profitetur Papa, in eo libenter permanemus: at quam admisceuit perfidiam, meritò rejecimus. Sed ut argumenti tui imbecillitatem, clarissimo exemplo, tibi ob oculos ponam; quosdam olim in Hæresi Novatiana ab ipsis Catharis, sive Novatianis ordinatos Pastores, ad Ecclesiam Catholicam postea redeuntes, recepit prima œcumenica Synodus *Nicena*, aliique Catholici Patres, in suis ordinibus, (salvo illis gradu Presbyterii, imo etiam gradu Episcopali, si vel non esset pro tempore alius illius civitatis Episcopus Catholicus, vel placeret Episcopo Catholico cum sibi habere collegam) absque nova ordinatione, Concil. *Nicen.* can. 8. & caus. 1. quæst. 7. can. *Donatum*: & can. *Saluberrimum.* Et idem scribit *Hieronymus*, in Dialogo adversus *Luciferianos.* Et qui hoc postea negarunt fieri rectè posse, *Luciferiani*, schismatici, & propter obstinatam animositatem, etiam hæreticis annumerati sunt. *Augustinus* autem disertè scribit ordinem in ea Hæresi acceptum, in qua baptizatos recipimus, non esse iterandum, sed esse verum ordinem, lib. 2. contra Epistolam *Parmeniani*, cap. 13. Et eam *Augustini* doctrinam tenet Ecclesia *Romana.* Vide Concil. *Trid:* sess. 23. cap. 4. & testimonia supra citata. Jam secundùm bellam istam tuam argumentandi solertiam, aut illi ab Hæreticis in hæresi ordinati non habebant verum ordinem, & sic contradicis Synodo *Nicenæ*, & *Augustino*, aliisque orthodoxis Patribus, & Ecclesiæ *Romanæ*: aut si verum ordinem acceperunt, debebant permanere in Fide ordinantium; id est, in Hæresi Novatianorum, aut *Arianorum*, aut alia quacunque Hæresi, in qua verum illum ordinem acceperunt. Viden' in quas te angustias præcipitaveris?

PAP. *At ego te jam irretitum teneo; ut, vel agnoscas Papam esse Catholicum, non autem Hæreticum, vel Episcoporum vestrorum, qui à Papa ordinati sunt, ordinationem esse saltem maledictam, & Deo exosam: nam qui ab Hæretico ordinem suscipit, ipsa ordinis susceptione peccat mortaliter; adeoque contrahit in ipsa sui ordinatione maledictionem.*

5. *CATH.* Qui à notorio Hæretico scienter petit aut suscipit ordinem, fatemur eum mortaliter peccare: at verò qui ab eo petit vel suscipit ordinem, quem non scit esse Hæreticum, eum excusat quoad petitionem aut susceptionem ordinis, probabilis ignorantia, caus. 9. quæst. 1. can. *Ordinationes.* Quamvis peccet adhærendo ejus Hæresi: & quicquid maculæ contraxit ipse ordinatus per susceptionem immaculati ordinis ab Hæretico, id per Hæreseos desertionem aboletur. Propterea Patres Catholici quando Hæreticos Episcopos & Presbyteros pœnitentiam de Hæresi agentes in suis ordinibus receperunt, non eos rursum ordinarunt, neque exegerunt ab iis ut ordinem deponerent, sed ut Hæresin deponerent, & per hanc Hæreseos abdicationem fideique Catholicæ linceram professionem cœperunt bene habere eum ordinem quem antea verè quidem at malè habebant. Ut docet *Augustinus.* lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 13. sic etiam Episcopi nostri qui à Papa, vel à Papistis, in cordis sui simplicitate, ordinem susceperunt, excusantur per probabilem ipsorum ignorantiam, & cordis simplicitatem; & quicquid in Hæresi labis contraxerunt, id per Hæreseos Papisticæ seriam abnegationem deletum est: & ordo quem acceperunt, non est abolitus, sed firmus mansit eumque magis salubriter postea habuerunt. Postea verò quàm eo devenit Papæ obstinatio in Hæresi, ut nobis jam manifestè innotescat, eum esse notorium & contumacem Hæreticum, non amplius petimus nec suscipimus ab eo ordines. Quamvis ab illo ordinatos, & de Hæresi ejus ad Ecclesiam Catholicam venientes, suscipi posse, cum manuum impositione, existimemus in suis ordinibus, si examen sustinentes idonei inveniantur: quia ex charitatis lege judicamus illos per ignorantiam eum sequutos esse, ordinemque ab eo suscepisse. Approbamus enim illam regulam juris civilis; *in re dubia Benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quàm tutius.* ff. de regulis juris, lege 192. Et illam juris Canonici, ex *Beda* sumptam, *ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Extra de regulis juris, cap. 2. *Estote.*

PAP. *Tota hæc tua argutatio nititur falsissima hypothesi: tun' Papam Hæreseos insimulas? prophana hæc est calumnia, & impudentissimum mendacium.*

6. *CATH.* Non clamoribus & conviciis, sed idoneo aliquo argumento refellenda tibi erat mea Hypothesis; si eam velles convulsam. Sed ut te æquiorem habeam, Hypotheseos meæ veritatem demonstro, hoc argumento.

Qui doctrinam de fide & moribus Christianis, sacris Scripturis & Catholicæ antiquitati contrariam palam profitetur, mordicus retinet, & obstinatè defendit, ille est notorius Hæreticus, & ex præcepto Apostolico, etiam ante Synodalem sententiam fugiendus, ut eversus & peccans, & suopte judicio condemnatus, Tit. 3: 10, 11. & 2. Joan. 10. At Papa Romanus doctrinam de fide &c. Ergo.

Audi aliud argumentum:

Qui sacrarum Scripturarum, & Catholicæ antiquitatis doctrinam, de Fide & Moribus Christianis, multoties monitus, contumaciter rejicit, palam condemnat, ejusque Professores crudeliter persequitur, & trucidat, ille est notorius Hæreticus & Homicida: At Papa *Romanus* sacrarum Scripturarum, &c. Ergo.

PAP. *Video quorsum tendas: id nempe satagis, ut me pertrahas ad examen doctrinæ per Scripturas, & Antiquitatem. Laterem lavas: non hæc in fœdera veni. Audi; Quam doctrinam Papa dicit esse Catholicam, aut mihi meus Sacerdos jurat esse Catholicam, ea mihi est Catholica: & quam ille asserit, aut hic jurat esse Hæreticam, ea mihi est Hæretica. hic terminus hæret.*

7. *CATH.* Si affirmanti, aut jurato credas, absque ulteriore examine; quilibet doctrinæ ventus te circumferet. Affirmabunt, & interposita animarum suarum pro nostris animabus sponsione, cum horrendis execrationibus, jurabunt *Ariani*, *Eutychiani*, aliique Hæretici suam fidem esse Catholicam, nostram verò, in qua contra eos consentimus, esse Hæreticam. Eisdem modis superstitiones suas Religioni Christianæ anteponent *Pagani*, *Judæi*, *Mahumetani*, &c.

PAP. *Isti omnes mentiuntur; at Papa, ejusque Sacerdotes, non mentiuntur. Hoc tutum est, hoc teneo: ne me interpella.*

8. *CATH.* Quam sit hoc parum tutum, monstrabimus *Prop.* 16. Tutius est Deo credere, quam homini. *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* inquit *Tertullianus*, lib. de præ-

præscriptionibus adversus Hæreticos, cap. 3. Idem quoque alibi; *Non recipio*, inquit, *quod extra Scripturam de tuo infers*, Libro de carne Christi, Cap. 7. & alibi; *Aufer Hæreticis quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.* Lib. de Resurrectione carnis, Cap. 3. Audi beatum Apostolum *Paulum*; *Sed etiam si nos, aut Angelus è Cœlo evangelizet vobis præter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Ut ante diximus, etiam nunc iterum dico; Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Galat. 1: 8, 9. Sed quoniam eo impietatis atque infidelitatis devenistis, ut jam pluris apud vos sit posteriorum doctorum autoritas, quàm ipsorum Apostolorum, & utriusque præferatis Papam *Romanum*: si non credis Apostolo, crede tamen S. *Augustino*, cujus hæc sunt verba, lib. 3. contra literas Petiliani, Cap. 6. *Proinde sive de* Christo, *sive de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam nos, nequaquam comparandi ei qui dixit, Licet si nos, sed omnino quod sequutus adjecit; Si Angelus de Cœlo vobis annunciaverit, præterquam quod in Scripturis legalibus, & Evangelicis accepistis, anathema sit.* Item, Lib. 2. de doctrina Christiana, Cap. 9. *In iis quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa* omnia *quæ continent fidem moresque vivendi.* Hæc *Augustinus*. Quod si neque *Augustino* credis; audi *Zepherinum*, Papam *Romanum*; *Sicut Stellas Cœli non exstinguit nox, sic mentes fidelium & inhærentes firmamento sanctæ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas.* 38. Distinct. *Sicut Stellas.* Audi *Leonem*, hujus nominis primum, Papam *Romanum*: *Quid autem iniquius, quàm impia sapere, & sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas, nec ad Evangelicas auctoritates; sed ad semetipsos recurrunt. Et ideo magistri erroris existunt, quia veritatis Discipuli non fuere.* Hæc *Leo*, in Epistola *Encyclica*, ad *Flavianum*: quæ etiam invenies à *Gratiano* citata, Caus. 24. Quæst. 3. *Quid autem.* Audi *Gregorium*.

Vide Greg. epist. ad Leandrum cap. 4. ante expositionem Job. & lib. 4. epist. 40.

PAP. *Abeo, Vale.*

CATHOL. Vale: *Deus* tui misereatur.

Hunc brevem Dialogum inseruimus propter imperitos quosdam Papistas.

Exegeseos propositionis decimatertiæ, pars septima. De ea ordinatione quam peragit hæreticus, aut excommunicatus, aut degradatus.

Nunc, ut promisimus, aliquid dicendum de ea ordinatione quam peragit Episcopus Hæreticus, aut Excommunicatus, aut Degradatus. De Hæreticis, distinguit Glossa 1. Quæst. 7. *Si qui Presbyteri*; inter rigorem Paternæ Disciplinæ, & pietatem Matris Ecclesiæ. Aptior erit trimembris distinctio; inter justam severitatem paternæ Disciplinæ, & misericordiam licitam piæ Matris Ecclesiæ, & injustum rigorem morosorum. Secundum severitatem paternæ Disciplinæ, ad terrendum alios, quandoque, ab Hæresi redeuntes Clerici, quamvis à Catholicis ante Apostasiam ordinati, non recipiebantur in suis ordinibus, sed ad Laicam tantummodo communionem admittebantur: sicut patet ex Epistola *Cornelii*, Episcopi *Romani*, ad *Fabium*, Episcopum *Antiochenum*, apud *Eusebium*, Hist. Eccles. lib. 6. cap. 35. μγ. & ex *Cypriano*, lib. 2. epist. 1. & caus. 1. quæst. 7. can. *Si qui Presbyteri*: Quod tamen *non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ*, ut loquitur *Augustinus*, epist. 50. & apud *Gratianum*. 50. Dist. *Ut constitueretur.* Propterea nonnunquam, etiam ab Hæreticis ordinati recipiebantur, in suis ordinibus, per misericordiam piæ matris Ecclesiæ, ut hac benignitate allicerentur errantes, ad deserendum errorem, & amplectendam veritatem, sicut statutum est in Concilio *Nicæno*, Can. 8. de Novatianis: & factum legimus à *Leone* Episcopo *Romano*, Caus. 1. Quæst. 7. Can. *Donatum*: & Can. *Saluberrimum*: & rectè fieri docet *Augustinus*, Epist. 50. Libro 2. contra Epist. *Parmenian.* Cap. 13. *Lucifer*, Episcopus *Caralitanus*, introducere conatus est rigidam quandam morositatem, asserens ne eos quidem qui in Ecclesia Catholica ordinati erant, & postea in Hæresin lapsi sunt, posse justè in suis ordinibus recipi, redeuntes ab Hæresi. Quem errorem refellit *Hieronymus*, in Dialogo adversus *Luciferianos*. Et meritò, quia repugnat licitæ ac laudabili pietati matris Ecclesiæ, & Concilio *Nicæno*. Quorundam autem Hæreticorum Clericis in Hæresi ordinatis, & ab Hæresi redeuntibus, hic favor conceditur, ut detur eis officium Clericale, inter Catholicos, etiamsi de novo ordinentur, & ita ordo, quem in Hæresi acceperunt, nullo loco habeatur. Et hunc solum favorem fortasse imperitus aliquis suspicabitur *Nicænos* Patres indulsisse Catharis sive Novatianis: Can. 8. quo exceperunt *Paulianistas* ad munus clericale idoneos: Can. 19. explicabo igitur mentem Concilii *Nicæni*. Verba Canonis 8. de Novatianis hæc sunt. *De his qui se Catharos aliquando nominabant, si aliquando venerint ad Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, placuit sancto & magno Concilio, ut manuum impositionem accipientes, sic in clero permaneant.* ὥςε χειροθετυμένυς ἀυτὸς μένειν ἄτως ἐν τῷ κλήρῳ.

2. De *Paulianistis* verò sive *Samosatenianis*, (qui in *Nomine Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti*, minime baptizabant, sicut de eis scribit *Innocentius* Primus, Episcopus *Romanus*, Epist. 22. ad Episcopos *Macedoniæ*) sic statuunt *Nicæni* Patres, Can. 19. *De Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnino. Si qui autem de his præterito tempore fuerint in clero, siquidem immaculati & irreprehensibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ* [ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπυ.] *Quod si discussio incongruos eos invenerit, abjici tales convenit.*

3. Ex collatione horum Canonum manifestum est, ordinationem à *Paulianistis* factam pro non facta habitam esse; & venientes ad Catholicam Ecclesiam non potuisse permanere in ordine quem nullum habebant; sed in ipsa Ecclesia Catholica quosdam eorum ordinatos esse; ordinem accipientes quem antea non habebant, sicut & baptismum. At ordinationem Catharorum, in ipsa eorum Hæresi factam, Patres *Nicænos* ratam habuisse, nec jussisse eam iterari, aut Catharorum Clericos, ad Ecclesiam Catholicam venientes, in Catholica Ecclesia ordinari χειροτονεῖσθαι, sicut *Paulianistas*, sed tantum χειροθετεῖσθαι, id est per impositionem manuum reconciliari & benedici, & sic concessisse eis ut in ordine *manerent*: quem scilicet prius habebant. Ea igitur manuum impositio non fuit ordinatoria, sed fuit reconcilia-

 toria,

toria, fuit oratio super hominem. cauf. 1. qu. 1. *Manus.*

4. Idem, docet *Augustinus*, lib. 2. contra Epistolam *Parmeniani*, cap. 13. Ubi his duobus utitur Argumentis. 1. Quorum baptisma verum est, eorum & ordinatio vera est; *Nulla*, inquit, *ostenditur causa, cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit. Utrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte* [Donati] *venientes etiam præpositi, pro bono pacis, correcto Schismatis errore, suscepti sunt: & si visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinati; sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra: quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in Sacramentis, quæ ubicunque fuerit ipsa vera sunt.* —— *Aliud est prorsus non habere, aliud perniciosè habere, aliud salubriter habere. Quicquid non habetur, dandum est cum opus est dari: quod verò perniciosè habetur, per correctionem depulsa pernicie agendum est ut salubriter habeatur.* 2. Hoc etiam argumento utitur *Augustinus*, sicut ordinati in Ecclesia Catholica, si ab ea recedant, non amittunt suos ordines, ideòque si eos Apostasiæ suæ pœniteat, redeantque ad Ecclesiam Catholicam, recipi possunt in suis ordinibus, & si recipiantur, non sunt de novo ordinandi: ita etiam qui ab Hæreticis in ipsa Hæresi ordinem habentibus ordinati sunt habent verum ordinem, neque, si ad Ecclesiam Catholicam veniant, sunt rursum ordinandi. *Quapropter*, inquit, *sicut redeunti non redditur quod foris habebat, sic venienti non repetendum est, quod etiam foris accepit. Unde consequenter intelligitur perversitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverso esse violandam. Constat enim eam in perversis & sceleratis hominibus, sive in eis qui intus sunt, sive in eis qui foris sunt, impollutam atque inviolabilem permanere: & quia dicuntur ea mali polluere, quantum in ipsis est dicuntur, cum illa impolluta permaneant: sed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad judicium.* Hæc *Augustinus.*

5. *Augustinum* imitati *Protestantes Teutones*, in Apologia Confessionis *Augustanæ*, cap. de numero & usu Sacramentorum. Et *Joannes Calvinus*, lib. 4. Instit. cap. 19. §. 28. & lib. de vera reformandæ Ecclesiæ ratione. §. *Manuum impositio.* ordinem de Ministerio verbi & vero Presbyterii munere intellectum vocant Sacramentum. *Scotus* quidem, in quartum sent. dist. 24. quæst. unica, dicit, *loquendo propriè de Sacramento, ordo non est Sacramentum: quia omne Sacramentum*, &c. Reliqua invenies supra à nobis citata, post Propositionem duodecimam. Si cuiquam propositum est litigare de vocabulo, non certabo. Certum est ordinem sacrum esse spiritualem potestatem, in homine, à Deo institutam, cum promissione gratiæ, Ephes. 4:8, 11. Rom. 12:6. & 2 Tim. 1:6.

6. De excommunicatis distingui solet inter excommunicatos à jure, & excommunicatos à judice. Et hi rursus vel in cumulo, vel nominatim excommunicantur. De ordinatione per excommunicatos, vide cauf. 9. quæst. 1. ubi Glossa discordat à Magistro. Ibidem dicitur, Hæreticos & Schismaticos ipso jure esse excommunicatos, can. *Nos consecrationem*, in Glossa.

7. Excommunicatio privat communione, non ordine: sicut in Hæretico potest esse verus ordo, sic in excommunicato. Non enim excommunicatio per se, sed quatenus conjunctam habens depositionem, pellit ab ordine. Neque habet omnis excommunicatio conjunctam depositionem. Nam *excommunicatio incurritur, quandoque à jure, quandoque à judice*, inquit *Scotus*, in quartum sent. dist. 25. quæst. 1. num. 11. At *depositio nunquam à jure, sed præcisè infligenda est à judice*, ait idem *Scotus*, ibid. num. 4. Sed annon agnoscebamus, cum *Bellarmino*, Hæreticos manifestos esse ipso jure depositos? Certè id agnoscimus de omnibus Clericis Hæreticis, quoad jus liciti exercitii, & quoad alios ut ab eorum communione abstineant, & eis non obediant: sed non est accipiendum de omnibus Hæreticis, quoad valorem exercitii, in Sacramentorum administratione: licet injustæ eorum censuræ, ipso jure nullæ sint.

8. Est & quædam excommunicatio partialis, seu potius suspensio alicujus Episcopi à communione Fratrum Comprovincialium, relicta ei interim administratione & communione suæ Ecclesiæ; de qua 18. Dist. & cauf. 11. qu. 3. *Episcopi si.*

De Degradatis. Vide Concil. Chalcedon. in fine actionis quarta, ubi dejecto de gradu superiori non relinquitur gradus inferior. Atque si restituatur, decernitur, ut eundem recuperet gradum quem antea habebat.

9. *Degradatio vel est depositio alicujus ab uno gradu, reservato ei alio inferiori gradu; vel est amotio ab omni gradu clericali, & tunc idem est degradatio & depositio; quæ est totalis amotio à statu clericali.* Ut scribit *Scotus* in quart. sent. dist. 25. quæst. 1. num. 4. ibidem tamen se explicans *Scotus* ait, per depositionem non auferri *characterem ordinis, & per consequens, nec ipsos ordines susceptos:* sed *tolli licentiam exercendi actum cujuscunque ordinis; & etiam privilegium quod competit ordinatis:* & *inde talem tradi curiæ seculari.* Hæc *Scotus.*

10. In Glossâ, cauf. 9. quæst. 1. in principio hæc ponitur regula; *Hæc ergo sit fides tua quod Hæretici & excommunicati & depositi vera Sacramenta conferunt; & verum Corpus* Christi *conficiunt: ut not. 1. quæst. 1. Dominus declaravit. Jo.* quamvis alius Canonista ab ista Glossa ibidem dissentiat, inquiens; *Quod dicit Jo. de deposito non credo esse verum; ut 50. dist. can. accedens.* B.

Depositio prorsus invalida.

11. Est autem triplex depositio: Una est prorsus invalida & ipso jure nulla; Nam quemadmodum de excommunicatione, ita etiam de depositione verum est quod ait *Gelasius* Papa: *Apud Deum, & ejus Ecclesiam, neminem potest gravare injusta sententia: ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.* cauf. 11. quæst. 3. *Cui est.* Timendam, ait *Urbanus*, sententiam Episcopi, licet injustè liget; eodem, *Quibus Episcopi.* Sed non est servanda: can. *Si Episcopus.* Eodem. *Quando subditi excommunicantur ideo quia ad malum cogi non possunt; tunc sententiæ non est obediendum.* Eadem cauf. 11. qu. 3. *Si is qui præest.* Idem de depositione dicendum est. Talis fuit depositio Episcoporum Catholicorum, per *Arianos* & *Dioscorianos* aliosque Hæreticos. Nam etiamsi eos à sedibus suis vi abegerint, depositio tamen ipso jure nulla fuit. Alia est depositio semiplena; quando scilicet unius Ecclesiæ Episcopi excommunicant alterius Ecclesiæ Episcopos; vel diversarum Ecclesiarum Episcopi se invicem deponunt, neque tamen quisquam eorum à suis Comprovincialibus deponitur, aut in sua Ecclesia pro deposito habetur. Hæc potius denunciatio est belli Ecclesiastici, & dissolutio Fraterni

Depositio semiplena.

terni commercii, & publica declaratio qua judicium suum hi de illis, & de his illi profitentur; nempe, quod sint depositione digni. Si justum sit judicium, est semiplena depositio. Sic se invicem deposuerunt *Cyrillus Alexandrinus*, & *Joannes Antiochenus*; ubi melior fuit causa *Cyrilli*. Postea autem reconciliati thronos sibi invicem restituerunt. Sic *Leo*, Episcopus *Romanus*, excommunicavit & deposuit *Dioscorum*, Episcopum *Alexandrinum*: & *Dioscorus*, *Leonem*: ubi melior fuit causa *Leonis*. Sic etiam se invicem deposuerunt *Nicolaus* Primus, Papa *Romanus*, & *Photius*, Patriarcha *Constantinopolitanus*. Plurima hujus imperfectæ depositionis exempla occurrunt in Historia veteris Ecclesiæ. Nec injusta illa, neque semiplena ista depositio evacuat ordinationes à deposito factas.

Depositio plena & perfecta. Tollit ordinem & valorem exercitii.

Sed est tertium quoddam genus depositionis; quando nimirum, reus in suo foro, legitimè convictus alicujus criminis, depositionem merentis, per competentis judicis sententiam, adstipulante etiam illa Ecclesia, cum qua adhuc communionem profitetur, & in qua servit, deponitur ab officio & ordine Clericali.

12. Hæc est plena & perfecta depositio. Cujus descriptionem per verba Canonum investigabimus: Sic enim de hac censura loquuntur Canones, ut pro eo quod diceres; *Hic delinquens deponatur*, Canones non solùm hoc dicant, sed etiam, *ab officio deponatur*. 50. Dist. accedens. *Degradetur*, 46. Dist. Clericus maledicus. *Degradetur ab officio*: eadem Dist. Clericus qui. *Gradu careat*, 50. Dist. Clericum qui. *Proprio excidat gradu*, τοῦ ὀικείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ, Concil. *Chalced.* Can. 2. *Ab officii honore deponatur*, 50. Dist. Si Episcopus. *Ab officio retrahatur*, 46. Dist. Clericum. *Repellatur omnino à Sacerdotali honore, omnino deponatur, & ab omni Sacerdotio alienus sit*, Caus. 1. Quæst. 7. Si quis omnem. *A Sacerdotii ordine dejiciatur, sacro ordine privetur*, 50. Dist. Accedens. *Ecclesiastica dignitate careat*: 24. Distinct. Quando Episcopus. *A Sacerdotio cadat*, Caus. 1. Quæst. 7. Si quis omnem. *In clericatu non permaneat*; 50. Dist. Ut constitueretur. *In ordinatione Ecclesiastica non habeatur*, 50. Dist. Si quis Presbyter. *Laicam tantummodo communionem accipiat*, 50. Dist. Si Episcopus. *Dejiciatur, & Laicam tantummodo communionem in fine vitæ accipiat.* (Hoc de eo dicitur qui Homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione post Baptismum conscius fuerit) 50. Dist. Si quis viduam. *Ab omni Sacerdotii officio maneat penitus alienus, concessa ei licentia Ecclesiam ingrediendi & communicandi, sicut Laico*, Caus. 11. Quæst. 3. Teugaldum. *Ab honore sive gradu separetur, & honore seu gradu nudetur*, Novel. 123. cap. 21. *Sacro ordine careat*, 50. Dist. Pervenit. *Ordinatione privetur*, Caus. 15. quæst. 8. Qui admisit.

Quid sit depositio Clerici, plena & perfecta.

13. Clerici igitur depositio plena & perfecta, est ejus degradatio, & dejectio ab officio, honore, dignitate, ordine, & communione Clericali; adeo ut jam sacro ordine careat, nec in Clericatu permaneat, nec in ordinatione Ecclesiastica habendus sit, quippe ordinatione privatus, ordine & gradu nudatus, privatus, ab eoque separatus, ut illi in Ecclesiasticis plus non sit relictum quam Laico, puta ut Ecclesiam ingrediatur, & Laicam cum Laicis, non autem Clericalem cum Clericis, communionem accipiat.

Laica communio.

14. Laica illa communio non fuit communio sub una tantum specie, sicut pueriliter nugatur *Bellarm.* lib. 4. de Eucharistia, cap. 24. §. *Sed neque hæc.* Sed fuit sub utraque specie communio extra cancellos sanctuarii, seu loci illius qui erat Episcopo, & Presbyteris, & Diaconis tributus. Eratque Laicis, celebrationis tempore, inaccessus: & dicebatur etiam Presbyterium, & Diaconicum, διακονικόν, & Sacratium, & Secretarium. Et ἱερατεῖον, & τὰ ἔνδον τῶν κιγκλίδων, loca intra Cancellos. *Theod.* lib. 5. Hist. Ecclef. cap. 17. *Dionys.* Areop. lib. de Ecclef. Hierarchia, cap. ult. *Greg.* lib. 4. Epist. ex registro cap. 61. Concil. *Laod.* Can. 21. & Dist. 23. Can. *Non oportet Subdiaconos*: & Concil. *Bracarens.* 1. Can. 31. & ex Concil. *Agathensi*, apud *Gratian.* 23. Dist. *Non oportet insacratos*: &, de consecratione, Dist. 2. Can. *Sacerdotum.* Huc pertinent & illa verba Concilii 4. *Toletani*, can. 17. (& in alia editione, can. 18.) *Corporis & sanguinis Domini sacramentum sumatur; eo videlicet ordine, ut sacerdos & Levita ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.*

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 11. cap. 19. art. 2.

Exegeseos propositionis decimatertia pars octava, De sacerdotum Romanensium vocatione ad offerendum sacrificium missæ: & de ipso missæ sacrificio.

Hortor Papistas, ut missa posthac contra nostrorum Pastorum vocationem vitilitigatione, irritos suos conatus jam toties experti; convertant se ad suos Sacerdotes, ubi facilior erit victoria. Interrogent eos de ordine sui Sacerdotii; utrum sint Sacerdotes secundum ordinem *Aaron*, an secundum ordinem *Melchisedec*. Neutrum enim rectè dici potest. Videntur quidem *Tridentini* Sacerdotium suum, quod appellant Sacerdotium *Novi Testamenti*, referre ad ordinem *Melchisedec*, Concil. *Trid.* Seff. 22. Sed imperitè & sacrilegè.

De Sacerdotibus, & sacrificio missæ.

Nam 1. Sacerdotium *Novi Testamenti*, secundum ordinem *Melchisedec*, non convenit pluribus, sed uni *Christo*, & per hoc differt à Sacerdotio Aaronico, Hebr. 7: 23, 24.

1. Argumentum.

2. Unus ille nullos habet successores, nam in æternum habet Sacerdotium intransitivum ἀπαράβατον, Hebr. 7: 24. 2.

3. Nulli peccatori, aut habenti infirmitatem, convenire potest hoc Sacerdotium, Hebr. 7: 26, 27, 28. 3.

4. In Sacerdotio secundum ordinem *Melchisedec*, est unum tantummodo Sacrificium, non plura, Hebr. 10: 12. aiunt quidem Romanenses unum esse quod offerunt, Concil. *Trid.* seff. 22. in doctrina de sacrificio missæ, cap. 2. sed ex falsa hypothesi transsubstantionis. De qua alibi prolixè disseruimus. 4.

5. Sacrificium est ipse Sacerdos, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, Hebr. 7: 27. & 9: 14, 16. Ephef. 5: 2. 5.

6. Hoc Sacrificium non *quotidie* neque *sæpe* [οὐ καθ' ἡμέραν, οὐδὲ πολλάκις] offert, sed illud semel [ἅπαξ· ἐφάπαξ] obtulit, nunquam postea offerendum Hebr. 7: vs. 27. & cap. 9: verf. 12, 25, 26, 28. & cap. 10. verf. 10, 11, 12. 6.

7. Post illam unicam oblationem semel peractam, nullus relictus est locus ulli novæ sive hujus ipsius sive alterius cujuscunque sacrificii oblationi pro peccatis; Hebr. 10: 12, 14, 18. est μία θυσία, unica victima sive hostia, verf. 12. μιὰ προσφορὰ, ἐφάπαξ, unica oblatio semel facta, verf. 10, 14. οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ 7.

 ἁμαρ-

ἁμαρτίας, non est amplius oblatio pro peccato, vers. 18. id est, neque alia res est, quæ in propitiationem offeratur, neque est alius actus oblationis propitiatoriæ. *Tridentini* ajunt Christum in Cœna novissima corpus & sanguinem suum, sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulisse; & Apostolos ibidem constituisse Novi Testamenti Sacerdotes, eisque & eorum successoribus, ut offerrent, præcepisse, per hæc verba, *hoc facite in meam commemorationem*. Concil. *Trid.* Sess. 22. cap. 1. At credendum potius sacræ Scripturæ, quæ dicit eum non sæpe [πολλάκις,] sed semel [ἐφάπαξ] se obtulisse; & illa unica oblatione, semel facta, æternam redemptionem nactum esse, abolevisse peccatum, nos sanctificasse, & in æternum consummasse [seu consecrasse τετελειωκέναι] eos qui sanctificantur. Et huic unicæ oblationi semel peractæ subjungit sacra Scriptura, τὸ λοιπὸν, *de cætero*, seu *id quod superest*, & ἐκ δευτέρου, *secundo loco*, exspectationem complementi illius promissionis de subjectione inimicorum ejus, ut fiant scabellum pedum ejus; & ultimum ejus adventum in gloria, in die judicii, Hebr. 10: 13. & cap. 9. vers. 28.

8. 8. Quotiescunque Christus offertur in remissionem peccatorum, toties moritur; non enim impetrat remissionem, nisi qua Mediator *Novi Testamenti*, ubi autem Testamentum est, mors intercedat necesse est Testatoris, & quotiescunque seipsum offert ad tollenda peccata, necesse est ipsum pati, Hebr. 9: 15, 16, 25. Inanissimum igitur est commentum Sacrificii propitiatorii incruenti.

9. 9. In tota Cœnæ institutione & celebratione, nulla prorsus vel levissima fit mentio Sacrificii, aut Obligationis, aut Sacerdotii, nisi in illis verbis, *Quod pro vobis frangitur*, &, *qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. Quæ verba ipsam Christi in Cruce passionem & mortem significant: in Missæ autem Sacrificio negant Papistæ Christum in se quicquam verè pati, aut mori, aut Corpus ejus verè frangi, aut Sanguinem ejus verè effundi. Vide, de consecratione, dist. 2. can. *Ego Berengarius*, in Glossa: & Concil. *Trid.* Sess. 13. cap. 3.

10. 10. In ipsa Cœnæ celebratione Dominus oblationem *Pro nobis*, & in *Remissionem peccatorum*, nullam aliam commemorat, nisi eam qua Corpus ejus fractum est, & Sanguis ejus effusus, & ipse mortuus est. Et hanc Oblationem, hanc mortem nobis commendat in Eucharistia commemorandam, non iterandam. Impiè igitur faciunt, qui absque Dei Verbo remissionem peccatorum, & salutem, ex alia quacunque Oblatione, tanquam verè propitiatoria, exspectant. Utimur Sacramento tanquam instrumento gratiæ, & symbolica commemoratione mortis Christi, verique illius & proprii Sacrificii propitiatorii pro nobis semel oblati: sicut Dominus præcepit. At non tanquam *vero & proprio Sacrificio propitiatorio*, sicut ipsum vocant *Trid.* Sess. 22. can. 1. & can. 3. affirmantes, de Sacramento propriè, quod proprium est rei, & non nisi symbolicè & Sacramentaliter competit Sacramento.

11. 11. Cum illa verba Sacrificatoria, saltem mactationem significantia, *Frangitur*, *Effunditur*, intelligant Papistæ non propriè, sed metonymicè, ut fractionem & effusionem in Sacramento Eucharistiæ ad solas referant species; illæso Christi corpore & sanguine; de consecratione, dist. 2 *Ego Berengarius*, in Glossa: & Concil. *Trident.* Sess. 13. cap. 3. Cur tantopere urgent sensum proprium, vocabuli, *Corpus*? cum etiam *Testamentum* necesse est tropicè interpretentur. Si nullum admittunt in Domini verbis tropum, omnia propriè interpretentur: sin alicubi tropum esse contendant, cur tantopere aversantur tropicam expositionem vocabulorum, *Corpus*, *sanguis*, in subjectis earum propositionum, quarum attributa, *Frangitur*, *Effunditur*, ipsi tropicè exponunt?

12. Cum solarum specierum fractio & effusio non possit esse pro nobis propitiatoria, seu 12.
meritoria remissionis peccatorum, & salutis æternæ; fractio autem & effusio illa, de qua in Cœnæ institutione loquitur Dominus, sit *pro nobis* propitiatoria, & meritoria *remissionis peccatorum*, & salutis æternæ; certum est intelligi illam ipsam *Fractionem* & *Effusionem*, quæ facta est in illa unica oblatione, qua se Christus tradidit pro nobis in oblationem & victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ, Ephes. 5: 2. Animam suam proponens ovibus, Joan. 10: 15. Quemadmodum igitur fractio, quæ fit in celebratione Eucharistiæ, est ea ipsa fractio qua fractum est corpus Christi morientis in Cruce; ad eundem etiam modum illud, quod in Eucharistia corpus Christi appellatur, est illud ipsum verum Christi corpus, quod ex Virgine sumptum, & in Cruce pro nobis verè fractum est. Ipse quidem Christus in ea celebratione immolatur, non tamen *in seipso*, sed in *Sacramento*. (Hæc duo inter se opponit *August.* epist. 23.) Ita etiam, quod nobis sub specie panis datur in Cœna, est ipsissimum Christi corpus, non *in seipso*, sed *in Sacramento*; hoc est, est ipsissimi illius corporis Sacramentum.

13. Quod dicunt *Tridentini*, Sess. 22. *Oblationis illius cruentæ fructus per hanc incruentam*, 13.
uberrimè percipi; tantum abesse, ut illi per hanc quovis modo derogetur: salutarem enim illius cruentæ oblationis virtutem, in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum, per hanc incruentam oblationem applicari. hoc, inquam, nullarum est virium ad suffulciendum eorum placita de *vero*, & *proprio*, & *propitiatorio Sacrificio*. Nam talis Sacrificii est mereri; applicatio autem fieri potest sine novo merito, sine nova oblatione propitiatoria. Christus illa unica oblatione meritus est, & impetravit peccatorum remissionem, ejusque applicationem omnibus illis quos ea oblatione sanctificavit, & consummavit in æternum: neque est ampliùs ulli oblationi pro peccato locus relictus, Hebr. 10: 10, 14, 18. Applicatur quidem illius oblationis salvifica virtus per Sacramenta, ut per media applicativa, sed non ut per sacrificia meritoriè impetrativa. Fide applicatur nobis fructus passionis Christi, sed fides nostra non est sacrificium propitiatorium. Sic de Baptismo. Certè aliud est applicare gratiam impetratam; ejusve applicationem, prece supplice, ex Dei reconciliati misericordia impetrare: aliud verò meritoriè impetrare gratiam applicandam, aut ipsam applicationem. Hoc perfectè factum est per unicam illam unici illius verè propitiatorii sacrificii oblationem cruentam, à Christo peractam: illa verò fiunt per Verbum & Sacramenta, & per Fidem, & per supplicationes, sine ulla nova oblatione propitiatoria, nam prima illa sufficit. Neque quicquam relictum est, quod per aliam aut alterius modi oblationem meritoriè impetretur. Deus enim quoad λύτρον & meritum, perfectè propitiatus est nobis, per primam illam oblationem. Neque opus est alia Oblatione propitiatoria, neque ei locus

locus esse potest : nisi (quod cogitatu blasphemum est ,) dicatur *Christum* illa sui unica oblatione non obtinuisse æternam redemptionem credentibus , non abolevisse eorum peccata , non sanctificasse eos , non consummasse in perpetuum : nos non habere perfectam redemptionem & peccatorum remissionem per Sanguinem ipsius , id est , per cruentam illam oblationem. Eucharistia igitur Sacramentum quidem est applicativum salutaris virtutis veri illius & proprii Sacrificii propitiatorii , semel à *Christo* , cruenta immolatione , oblati ; sed ipsa non est verè & propriè Sacrificium propitiatorium.

14. 14. *Bellarminus* , Lib. 1. de Missa, Cap. 2. §. ult. affirmat , *ad verum Sacrificium requiri , ut id , quod offertur* Deo *in Sacrificium , planè destruatur , id est , mutetur , & desinat esse id , quod antè erat : & in hoc maximè differre sacrificium à simplici oblatione , quæ interdum ritu mystico elevabatur coram* Deo, *sed non destruebatur , nisi quando verè sacrificabatur.* Et ideo requiri in Sacrificio , *ut non solum usus rei* Deo *offeratur , sed ipsa etiam substantia : & ideo non solum usus , sed substantia consumatur.* Hæc *Bellarminus.* Hinc infero *Christum* in Cœna non verè sacrificari , quia non ita destruitur , ut quoad substantiam desinat esse id quod antè erat , sicut factum est in Cruce per separationem animæ à corpore. Audi lepidam responsionem ipsius *Bellarmini* eodem Lib. Cap. 27. §. *Tertio per.* Quamvis *corpus* Christi *nullam in se læsionem patiatur , neque esse suum naturale amittat , cum manducatur Eucharistia ; tamen , amittit esse sacramentale , & proinde desinit realiter esse in altari , desinit esse cibus sensibilis.* Hæc ille. Perinde ac si diceres ; satis ad rationem veri Sacrificii fuisset , si *Christus* vestem suam ex lana aut lino aut etiam ex solis accidentibus confectam , tradidisset cruci affigendam , modo ille tamdiu lateret sub illa veste aut illis accidentibus , tacitus spectator ridiculi dramatis , donec crucifixio illa perageretur, ipso interim illæso, nullaque tristitia affecto, aut doloris sensum experiente. Certè hoc est impia Gnosticorum & Aphthartodocitarum deliramenta ex orco arcessere : sicut ostendemus argumento 17. Viden' quam sacrilegum ludibrium fit Missa Papistica. Observa obiter, Papistarum futilitatem quando legunt apud *Gratianum* illa *Ambrosii* verba , de consecratione Eucharistiæ , *Operatorius est sermo* Domini , *ut sint quod erant , & in aliud commutentur.* 2. Dist. de consecratione , Can. *Panis est*, statim exclamant , perire substantiam panis , & in aliam converti substantiam. Et tamen in defensione Sacrificii Missæ illa verba , *Desinit esse id, quod antè erat* , exponunt de accidentali duntaxat mutatione. *Ambrosius* ait , elementa Eucharistica *esse quod erant : Bellarminus* ait , victimam in vero Sacrificio *desinere esse id quod erat* , & quidem *per consumptionem substantiæ.* Hoc obiter.

15. 15. Scriptura dicit , castigationem pacis nostræ *Christo* esse impositam ; & nos vibice ejus sanatos esse , Esai. 53: 5. Et *Deum* proposuisse *Christum* propitiationem , [ἱλαςήριον] per fidem, in ipsius sanguine , Rom. 3: 25. Et sanguinem *Jesu Christi* purgare nos ab omni peccato , 1 Joan. 1: 7. Et absque sanguinis effusione non fieri remissionem , Hebr. 9: 22. *Petrus* Apostolus ait *Christum* pertulisse peccata nostra in corpore suo super lignum , ut peccatis mortui , justitiæ viveremus , ejusque vibice nos sanatos esse , 1 Petr. 2: 24. Neque enim parvo constitit peccatorum remissio , Esai. 53. Matth. 20: vers. 28. Luc. 22: 44. Rom. 5. & 1 Petr. 1: vers. 19. Certè , sicut argumentatur Apostolus de lege ; *Si per legem est justitia , igitur* Christus *sine causa mortuus est* , Galat. 2: 21. Sic etiam de commentitia ista incruenta propitiatione dicere possumus : Si per oblationem incruentam propitiatoriè obtineri potest *misericordia & gratia , & donum pœnitentiæ , & criminum , ac peccatorum etiam ingentium dimissio* : ut asserunt *Tridentini* , Sess. 22. Cap. 2. frustra *Christus* tanta ac talia passus & mortuus est. Neque dici potest necessariam fuisse oblationem illam cruentam , ut virtutem daret propitiatoriam huic incruentæ. Nulla enim oblatio dici potest verè ac propriè propitiatoria , nisi quæ non aliunde indiga , per se & ex se, virtute propria, non alterius cujusquam oblationis virtute , reconciliat : quæ est per se verum ἀντίλυτρον , 1 Timoth. 2: 6. Præterea peccata , quorum remissionem promeritus est *Christus* sua illa unica oblatione cruenta , ita plenè remittit *Deus* propter unicam illam oblationem , & ita penitus obliviscitur, ut nullus locus relictus sit ulli novæ oblationi pro peccatis , Hebr. 10: 10, 14, 15, 16, 17, 18.

Vide arg. 17.

16. Omne Sacrificium est aliquid complexum, & coagmentatum ex materiali & formali ; materia sacrificii est res ea quæ offertur ; forma est ipse oblationis actus. Hæc forma non existit sine determinata materia : Et quemadmodum de Sacramento dicitur ; *Accedit verbum ad elementum , & fit Sacramentum :* ita etiam de Sacrificio : accedit oblatio ad materiam sive rem offerendam , & fit Sacrificium. Materia quidem Sacrificii potest esse sine forma ; sed non est Sacrificium donec accedat forma. Idcirco *Bellarminus* Sacrificii propriè dicti genus ponit *oblationem.* Et sic explicat ; *Dicimus esse oblationem , ut genus Sacrificii indicaremus : hoc enim loco Sacrificium accipimus* pro actione Sacrificandi : *non pro ipsa victima , quæ sacrificatur : tametsi ipsa etiam Sacrificium dici solet. Sacrificium igitur pro actione acceptum , species est oblationis : id enim est Sacrificium quod propriè & per se ad actionem Sacerdotis pertinet.* Hæc *Bellarminus* , Lib. 1. de Missa, Cap. 2. §. *Primo igitur.* Et hoc sensu contendit Missam esse sacrificium propitiatorium ; eodem Lib. Cap. 5. & seqq. & Lib. 2. de Missa , Cap. 1. & sequentibus. Actus autem oblationis tunc facit verum Deoque acceptum Sacrificium , quando fit secundum Legem Dei , & ut placeamus Deo. Unde *Samuel* collatione instituta inter materiam victimarum umbratilium , & obedientiam; ait ; *obedire melius est quàm Sacrificium* ; & *auscultare , quàm adeps arietum* 1 Samuel. 15: vers. 22. Christus homo erat , antequam sacrificaretur ; tunc autem evasit sacrificium , quando obedienter , juxta mandatum Dei seipsum obtulit victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ. Ipse fuit sacrificii materia , obedientia ejus in actu offerendi , fuit forma sacrificii : & hæc duo faciunt unum sacrificium propitiatorium. Quamvis enim huic materiæ nihil desit ad infinitum valorem , in ratione materiæ ; ad rationem tamen perfecti sacrificii necessarius est actus oblationis & obedientiæ. Unde virtus propitiatoria illius sacrificii in sacris literis tribuitur interdum obedientiæ , non exclusa materia , sed cum ejus connotatione. Rom. 5. Philip. 2. interdum verò materiæ , non excluso actu obedientiæ in offerendo , quando dicimur redemptionem habere in sanguine *Christi* , & redempti esse pretioso ejus sanguine. Coloss. 1: 14. & 1 Petr. 1: vers. 19. 16.

August. Tract. 8. in Evangelium Joannis.

vers. 19. Propitiatio igitur, & reconciliatio fit, valore quidem rei, sed obedienter oblatæ; & fit, merito quidem obedientiæ, sed præstitæ in oblatione illius rei. Et sive dicas rem esse Sacrificium, cum connotatione actus obedientiæ; sive dicas actum obedientiæ esse Sacrificium, cum connotatione rei obedienter oblatæ: sive dicas rem oblatam, vel oblationem rei esse Sacrificium Propitiatorium; verum dicis, & congruenter sacris Scripturis. Hæc certa sunt, & indubitata. Hæc quæ Deus conjunxit, homo ne separet. Hinc sic argumentor; qui verè offert Deo sacrificium pro hominibus verè ac propriè propitiatorium; illius in offerendo obedientia est verè & propriè propitiatoria, adeoquè merito sui actus sive obedientiæ propitiat Deum hominibus: at solius Christi obedientia in offerendo est verè & propriè propitiatoria, solus Christus merito sui actus seu obedientiæ propitiat Deum hominibus; & hoc nulli alteri præter Christum, vel post Christum, vel cum Christo, vel sub Christo, vel ante Christum, vel quolibet alio modo convenit. Ergo solus Christus verè offert Deo sacrificium pro hominibus, verè ac propriè propitiatorium. Major est manifesta, ex fundamento posito de natura sacrificii. Minorem tradit Apostolus, in epist: ad Rom. cap. 5. vers. 16: 17, 18, 19, ubi docet, per unius Christi obedientiam redundantem accipere gratiam, & donum justitiæ, & justificari in vitam, justosque constitui omnes eos qui peccatorum remissionem consequuntur. Per obedientiam (inquam) à Christo quondam viatore præstitam. Nunc autem Christum non esse ampliùs in statu merendi, docent *Alexander Alensis*, part. 3. qu. 20. membro 2. art. 1. & *Thomas*, part. 3. quæst. 19. art. 3. ad prim. Vide eundem, 2. 2. quæst. 13. art. 4. ad. 2. Nullus meretur nisi in hac vita. Aug. Enchirid. cap. 11. *Lomb.* 4. sent. dist. 50.

17\. 17. Qui asserunt Sacrificium Missæ esse verum & proprium Sacrificium propitiatorium; illi præbent patrocinium abominandis illis Hæreticis, Saturninianis, Marcionitis, & Manichæis, qui impiè dicebant Christum non verè, sed putativè, & in phantasmate passum esse: sicut de eis scripserunt *Tertullianus*, lib. de præscript. cap. 46. & cap. 51. & *Augusti.* hæresi 46. quid enim opus fuit eum verè pati, cum offerre potuerit *Sacrificium incruentum, divinum, verè ac propriè propitiatorium, & per illam incruentam oblationem* Deum *placare*, & obtinere hominibus *misericordiam*, *& gratiam in auxilio opportuno; & donum pænitentiæ, & criminum ac peccatorum, etiam ingentium dimissionem?* sicut quotidie fieri per eam oblationem, quæ *Sacerdotum ministerio* peragitur, affirmant *Tridentini*, Sess. 22. cap. 2. Quanto magis id efficeretur per eam oblationem incruentam, quæ ab ipso Christo, nullius alterius mediante sacerdotali opera, perageretur.

Vide sup. arg. 15.

18\. 18. *Nemo sibi ipsi sumit honorem* Sacerdotii, *sed qui vocatur à* Deo, *sicut & Aaron. Ita* Christus *non sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex; sed is, qui dixerat ei, Filius meus es tu; Ego hodie genui te. Sicut alibi dicit, Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.* Hebr. 5: 4, 5, 6. *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut rursus sumam eam.* ——— *Hoc mandatum accepi à Patre meo*, inquit Dominus, apud Joan. cap. 10. vers. 17: 18. Legimus autem in sacris Literis, Christum constituisse in Ecclesia sua Pastores & Doctores, œconomos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos; at de institutione Sacerdotum, qui Christum immolent, nihil prorsus invenitur in sacris literis. Quid ad hoc *Tridentini*; furiati bruta jactant fulmina; & sonitus imitantur olympi, instar *Salmonei* illius,

Qui, demens, nimbos, & non imitabile fulmen Ære, & cornipedum cursu est imitatus equorum. *Æneid. 6.*

Si quis (inquiunt,) *dixerit, illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, Christum *non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum: Anathema sit*, Concil. *Trident.* Sess. 22. can. 2. Quid igitur? Num eo sensu accipiunt hoc loco verbum, *facite*, quo à *Virgilio* dictum est, *Cum faciam vitula*? quemadmodum etiam, diu ante Virgilium, in ipsis divinis Scripturis, *facere* interdum significat sacrificare. Num. 6: 16, 17. Psal. 66: 15. At verba illa dicuntur Apostolis, etiam ut convivis [1. Corinth. 11: 25, 26.] Et illo præcepto tenentur fideles accipere & comedere in commemorationem Domini, sicut tunc fecerunt Apostoli; quemadmodum Pastores tenentur panem accipere, & gratias agere; panemque frangere, & distribuere, &c. sicut tunc fecit Dominus. Ut taceam *Hoc* in latina versione, esse accusativi casus. Inceptum quoque esse interpretari verbum *facere*, sensu sacrificatorio, ubi nulla in tota reliqua narratione, fit sacrificii aut oblationis mentio. Sed *Catholici non tam inepte argumentantur*, inquit *Bellarminus*, loquens de Papistis, lib. 1. de Missa, cap. 12. §. *Sed errant.* Quomodo igitur argumentantur? Respondet eodem capite *Bellarminus*, *Dominum* jussisse Apostolos hoc facere, quod ipse *Dominus* fecit in Cœna. Ipsum autem *Dominum* in Cœna obtulisse corpus suum in sacrificium. Idque probat ex verbis Domini, *datur, frangitur, effunditur*, quæ verba sunt præsentis temporis, & præsentem significant *dationem ac fractionem corporis Christi, & effusionem sanguinis ejus*, idque, *pro vobis, pro multis*, id est, *Deo* in sacrificium pro multis. Postea tamen eodem cap. *Bellarm.* ait, sanguinem *Christi* in cœna non egredi re ipsa de corpore. Respondeo: Quis sit verus sensus illorum verborum *Domini; quod pro vobis datur, frangitur, qui pro vobis effunditur*, docuimus supra, arg. 12. Inspice autem epist. 23. Augustini, & animadvertes tropum in ipsa attributione, seu prædicatione *disparati de disparato*, atque ideo in verbo *est*, tertii adjacentis, in hujusmodi enunciatione sacramentali; *Hoc*, id est, hic panis, *Est*, id est, secundùm quendam modum est, *Corpus Meum* id est, ipsissimum naturale Christi corpus. Hæc est Augustini doctrina. Vide inferius, §. 20. ubi ipsa Augustini verba recitantur. Deinde cum illa verba proferret *Dominus*, jam dederat, vel saltem dabat discipulis panem fractum & calicem cum vino effuso: neque ipse tunc frangebat, aut effundebat.

Quæro etiam, utrum *Christus* obtulerit in Cœna Corpus suum *Deo* in sacrificium sub speciebus panis & vini, ante prolationem illorum verborum, *Hoc est corpus meum*; an post: an ipsa prolatione, quam consecrationem vocant. Non ante; quia nondum erat ejus corpus sub illis speciebus, ut ipsi docent: non ipsa prolatione eorum verborum, nam verba illa non sunt sacrificatoria, neque oblationem significant. *Corpus* quidem significat materiam sacrificii; sed verbum *Est*, non significat oblationem seu immolationem, ac si sensus esset, *Hoc est*, id est, *hoc immolatur*. Qua exponendi licentia introducta; non solum relinquetur significatio propria, quam

quam tantis clamoribus urgent; sed etiam infinitas in Sacris Scripturis inveniemus factas immolationes. Neque post prolationem illorum verborum: quia, ut dixi, jam dederat Panem *Discipulis*, aut saltem dabat, & illi accipiebant, & inter dandum pronunciabat hæc verba, *Accipite, edite, hoc est corpus meum*, &c. neque postea recepisse ab eis legitur, ut offerret Deo in sacrificium; neque post prolata illa verba, *Hoc est corpus meum*; *Hic est sanguis meus*, iteratò fregisse panem, aut effudisse vinum: sed tantum verbis illis exposuisse quid præcedenti illa *fractione* ante *dationem* facta, & vino, jam in poculo, extra uvas, potabili, significare voluerit. Nempe ipsissimam illam cruentam sui oblationem, pro multis, tunc quidem futuram, nunc autem præteritam, *in seipsa*; in omni tamen sacræ Cœnæ celebratione præsentem *in Sacramento*. Rectè *Augustinus*, *in Sacramentis, non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, aliud significantia. Augustinus* Lib. 3. adversus *Maximinum*, cap. 22. Neque hic *Bellarmino* convenit cum veteri vulgata versione Latina, quæ habet, *quod pro vobis traditur*. 1 Corinth. 11: vers. 24. *qui pro multis effundetur*. Matth. 26: vers. 28. Marc. 14: 24. *qui pro vobis fundetur*. Luc. 22: 20. Sic etiam *Hieronymus* & *Ambrosius* legunt. *Hilarius*, de peracto loquens mysterio Cœnæ, ait; Fundendum in remissionem peccatorum, corporis sui sanguinem consecraverat. *Hilarius* Can. 31. in Matthæum. Cum igitur sacrificatores isti non possint vocationis suæ tabulas ostendere; cogitent æqui rerum æstimatores, quo recidat illud *Tridentinorum*, temeraria impietate & impia temeritate eructatum anathema. *Sicut passeris* est *vagari*, & *ut hirundinis est volare, sic maledictio sine causa* prolata *non veniet*, ait *Salomon*, Proverb. 26: 2. Interea timeant Sacrificatores isti Apostolicam illam anathematis denunciationem, in eos, qui nobis evangelizant, præterquam quod in *Scripturis* legalibus, & Evangelicis accepimus, Galat. 1: 8, 9. *Augustinus* Lib. 3. contra literas *Petiliani*, cap. 6.

Objectio. 19. Num igitur damnamus illam Patrum loquutionem, qua pastores appellabant, Sacerdotes, & Eucharistiæ celebrationem sacrificium?

Resp. 1. Respondeo 1. Non damnamus. Attamen *ab initio non sic fuisse monet* Bellarminus; *Dico*, inquit, *Primos Christianos, propter recentem memoriam Sacerdotii* Aaronici, *abstinuisse non solum à vocabulo templi, sed etiam Sacerdotii, ne viderentur adhuc durare Judaica cæremoniæ. Itaque Apostoli, in suis Epistolis pro Sacerdotibus, Episcopos, & Presbyteros, pro Templis Ecclesias dicunt: Et similiter loquuntur* Justinus, Ignatius, *& cæteri antiquissimi Patres.* Hæc Bellarminus Lib. de cultu Sanct. cap. 4. §. *Ad testimonia Patrum.*

Profectò non dissimularunt Apostoli doctrinæ veritatem, sed abdicantes obtegumenta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque dolosè tractantes verbum Dei, seipsos manifestatione veritatis commendarunt apud omnem conscientiam hominum coram *Deo*, 2 Corinth. 4: 2. Neque abstinuerunt à voce Sacerdotii, aut sacrificii, ubi verum, sive externum, sive spirituale Sacerdotium, aut sacrificium agnoverunt, Hebr. 2: vers. 17. & 4: vers. 14. & alibi passim in illa Epistola. Ephes. 5: 2. Rom. 12; 1. Philippens. 2: 17. & 4: 18. Hebr. 13: 25, 26. 1 Petr. 2: 5.

Deinde, ex solo vocabuli sono postea ab hominibus introducto non potest sumi validum argumentum, pro confirmatione alicujus dogmatis, cujus veritas, quoad sensum, non potest ex ipsis scripturis demonstrari. Quemadmodum demonstrarunt Patres veritatem significatam vocabulis ὁμοούσιος, πρόσωπον, Θεοτόκος, &c. *2. Resp.*

3. Resp. 20. Antiqui Patres, qui in hoc argumento usi sunt vocabulis sacrificii, sacerdotii, altaris, oblationis, & missæ, procul erant ab errore istorum missificorum, qui, blasphemantes, jactant se propriè & verè offerre *Deo* ipsum *Christum*, speciebus panis & vini inclusum, in sacrificium verè propitiatorium. Nihil hujusmodi invenitur apud Patres.

Quo sensu veteres Eucharistiam appellarint sacrificium. 21. Ut omittam oblationem elementorum à populo factam, & quod res à populo oblatas acceperint ex offerentium manibus Pastores, easque in mensa *Dominica* collocarint, & prece supplice eas *Deo* obtulerint sanctificandas & consecrandas in sacramentum salutare populo. (Vide Distinct. 2. de Consecratione, Can. *Non oportet aliud*, & tribus sequentibus Canonibus.) Ut etiam omittam Eucharisticum laudis, quod pii, in illa commemoratione mortis *Domini*, *Domino* offerrebant. Gemino adhuc sensu veteres celebrationem Cœnæ *Dominicæ*, appellabant *Sacrificium*: 1. Impropriè & metonymicè, ex intuitu veri illius & proprii Sacrificii, quod *Christus* in passione pro nobis obtulit: cujus memoria & grata commemoratio celebratur in Eucharistia; quæ propriè & verè est Sacramentum commemorativum illius Sacrificii: impropriè autem, & per metonymiam signati pro signo, dicitur Sacrificium. Et hoc sensu dici potest etiam propitiatorium. Quia symbolicè & commemorativè est illud ipsum Sacrificium verè propitiatorium, quod *Christus* in passione pro nobis obtulit: seu potius sacramentalis commemoratio illius Sacrificii. Προσφέρομεν μὲν, ἀλλ' ἀνάμνησιν ποιούμενοι τοῦ θανάτου αὐτοῦ. Id est, offerimus quidem, sed commemorationem facientes mortis ejus. ——— ——— Τοῦτο ἐκείνης τύπος ἐςὶ, καὶ αὕτη ἐκείνης. Id est; *Hoc* [Sacrificium] *exemplum seu typus illius* [Sacrificii *Christi* in passione] *& idem cum illo.* Ἐκείνην προσφέρομεν καὶ νῦν, τὴν τότε προσενεχθεῖσαν, τὴν ἀνάλωτον. Τοῦτο εἰς ἀνάμνησιν γίνεται, τοῦ τότε γενομένου· τοῦτο γὰρ ποιεῖτε, φησὶν, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν· οὐκ ἄλλην θυσίαν, καθάπερ ὁ ἀρχιερεὺς τότε, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἀεὶ ποιοῦμεν. μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας. Id est, *Illud* [Sacrificium] *& nunc offerimus, quod tunc oblatum est, quod non consumitur. Hoc in commemorationem fit illius quod tunc factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam recordationem. Non aliud sacrificium, sicut Pontifex olim, sed eandem semper facimus:* vel potius commemorationem Sacrificii *operamur.* inquit *Johannes Chrysostomus*, Serm. 17. in Epist. ad Hebr. in cap. 10. In eandem sententiam *Augustinus*; *Hujus*, inquit, *sacrificii caro & sanguis ante adventum* Christi *per victimas similitudinum* promittebatur: *in passione* Christi *per ipsam veritatem* reddebatur: *post ascensum* Christi *per Sacramentum memoriæ celebratur.* Lib. 20 contra Faustum Manichæum, Cap. 21. Idem alibi: *Nempe sæpe ita loquimur, ut pascha propinquante dicamus, crastinam vel perendinam esse* Domini *passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit: nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die Dominico dicimus; Hodie* Dominus *resurrexit, cum ex quo resurrexit, tot anni*

transierunt. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundùm illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem *nuncupamus: ut dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus: & dicatur illo die fieri, propter* Sacramenti celebrationem, *quod* non illo die, *sed jam olim factum est. Nonne semel immolatus est* Christus in seipso, *& tamen* in Sacramento *non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur; nec utique mentitur qui interrogatus eum responderit immolari? Si enim Sacramenta quandam* Similitudinem *earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam* ipsarum rerum nomina accipiunt. *Sicut ergo secundùm* quendam modum *Sacramentum corporis* Christi, *corpus* Christi *est: Sacramentum sanguinis* Christi, *sanguis* Christi *est: ita Sacramentum fidei*, [Baptismus] *fides est. Augustin.* epist. 23. Item alibi, loquens de *Baptismi Sacramento, & celebratione corporis & sanguinis* Domini, *ut*, inquit, *literam sequi, & signa pro rebus, quæ eis significantur, accipere, servilis infirmitatis est; ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est.* lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 11.

Semel in seipso.

22. Alio etiam sensu Patres Eucharistiæ celebrationem appellabant Sacrificium; (non tamen Propitiatorium) nempe, sensu spirituali; idque trifariam: 1. Ex consideratione ipsius actionis, quatenus est pars cultus illius soli Deo debiti: quo sensu dixit *Augustinus*, lib. 20. contra *Faustum*, cap. 21. *Sacrificare* Deo *in memoriis Martyrum, quod frequentissimè facimus, illo duntaxat ritu quo sibi sacrificari Novi Testamenti manifestatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, quæ latria dicitur, & uni* Deo *debetur. Sed quid agam, & tantæ cæcitati istorum hæreticorum quando demonstrabo, quam vim habeat, quod in Psalmo canitur, Sacrificium laudis glorificabit me, & illic via est, ubi ostendam illi salutare meum? Hujus Sacrificii Caro & Sanguis*, &c. Reliqua superius jam citavimus, in explicatione sensus Metonymici. Ad hunc primum modum Sacrificii spiritualis pertinet illa Sacrificii definitio, quam tradit *Augustinus*, lib. 10. de civitate Dei, cap. 6. *Verum Sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus* Deo: *relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Unde & ipsa misericordia, qua homini subvenitur, si propter* Deum *non fit, non est Sacrificium.* Hæc ibi. Hæc definitio etiam comprehendit sequentes speciales modos spiritualis oblationis.

Definitio Sacrificii Spiritualis.

23. Secundus modus invenitur in Sacrificio invocationis Domini ex contrito corde, & sincera fide. Cujus Sacrificii & oblationis duæ sunt partes: 1. Humilis & sincera peccatorum confessio, cum pia cordis contritione. *Sacrificia Domini spiritus confractus, cor confractum & contritum, Deus, non despicies.* Psal. 51: 19. Altera hujus spiritualis oblationis pars, est supplex, seria, & fidelis imploratio misericordiæ Dei. De hac parte ait Dominus, *Invoca me in die angustiæ, eruam te, & honorificabis me.* Psal. 50. 15. *& David, Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Psal. 141: 2. *Oratio purè directa de corde fideli, tanquam de ara sancta surgit incensum*, inquit *Augustinus*, in expositione illius Psal. Prior pars est exomologetica; altera, euctica. Utramque partem complexus est *Joannes Chrysostomus* his verbis: ἐπὶ τῆς προσφορᾶς, ἧς ἀναφέρομεν, προσφέρομεν καὶ τὰ ἁμαρτήματα, λέγοντες, εἴτε ἑκόντες, εἴτε ἄκοντες ἡμάρτομεν, συγχώρησον· τυτέστι, μεμνήμεθα αὐτῶν πρῶτον, καὶ τότε τὴν συγχώρησιν αἰτῦμεν. id est: *in oblatione, quam offerimus, offerimus etiam peccata, dicentes, sive volentes sive nolentes peccaverimus, condona. Hoc est, meminimus* [*seu mentionem facimus*] *eorum prius, & tunc veniam petimus.* Hæc *Chrysost.* serm. 17. in epist. ad Hebr. in cap. 9. in fine capitis. Priorem partem vocat *oblationem peccatorum*: alteram verò partem, *Petitionem veniæ.*

Vide Euseb. lib. 1. Demonstrationis Evangelicæ, cap. ult. in fine capitis, ubi ista sacrificia vocat ἀναίμης, λογικὰς, αὐτῷ τε [Deo] προσηνεῖς, ἀσωμάτας καὶ νοερὰς θυσίας.

24. Et hanc oblationem opportunè facimus, in celebratione Corporis & Sanguinis Domini, qua commemoramus ejus mortem, & eam commemorationem non nobis ipsis solùm facimus: *Suaviter atque utiliter recondendo in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit:* ut loquitur *Augustinus*, lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 16. Sed etiam aliis nos intuentibus, realem quandam fidei nostræ, de Christi pro nobis passione, professionem palam edimus: eosque nostro exemplo, ad ejusdem officii fidelem præstationem, cohortamur. Eandem etiam commemorationem Deo facimus; gratias ei agentes, quod nos suo sanguine redemerit, eique peccata nostra confitentes, & eorum veniam suppliciter petentes in Nomine Mediatoris pro nobis crucifixi. Orantes cum fiducia, ut apud Deum consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus, ad opportunum auxilium, Hebr. 4: 16.

25. Atque ita proponentes Deo passionem Filii, quam pro nobis sustinuit, dici possumus quodammodo offerre Deo Christum pro nobis in passione immolatum; seu ipsam ejus obedientiam cruentamque immolationem. Quam offerimus Deo, non sacrificando Christum, aut de novo immolando, sed unicam illam pro nobis in passione semel factam Christi immolationem commemorando; Deum suppliciter orantes, ut, eam intuens, nobis peccatoribus sit propitius: non propter hanc nostram commemorationem, sed propter cruentam illam verè & propriè Sacrificatoriam, & propitiatoriam oblationem: quam commemoramus, Deoque offerimus, oblatione non Sacrificatoria, sed commemorativa: non Propitiatoria, aut meritoria, sed supplicatoria, & Eucharistica. Oramus quidem ut nos Deus misericordiam & gratiam faciat invenire *per* hanc oblationem commemorativam, tanquam medium à Deo institutum, per cujus congruum usum bona nobis promissa à Deo consequamur, qualia media sunt etiam baptismus, auditio Verbi, precatio, &c. at non petimus ut propter meritum, aut dignitatem, aut vim aliquam propitiatricem in hac nostra oblatione; sed tantùm ut propter dignitatem, & meritum, ac vim illam propitiatricem, quæ æterna est, illius unicæ oblationis sacrificatoriæ & propitiatoriæ in Domini passione peractæ, Deus nobis misericordiam & gratiam largiatur.

Quo sanè sensu dicamur offerre Deo Christum, in celebratione sacræ Cœnæ.

26. Cujus unicæ oblationis sempiterno vigore magnus ille noster Sacerdos, apparet nunc in conspectu Dei pro nobis, Hebr. 11: 24. Una illa pro peccatis semel oblata victima, in perpetuum sedet ad dextram Dei, interpellans pro nobis, Hebr. 10: 12. Rom. 8: 34. perpetuum & intransitivum habens Sacerdotium, eo quod maneat in æternum: unde & servare perfectè, & in perpetuum potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro eis, Hebr. 7: 24, 25. Non enim in eo consistit perpetuitas Sacerdotii Christi, ut semper

fiat

fiat ejus vera immolatio, per Sacerdotes, ac si necesse esset Sacerdotium ejus per mortem exstingui, nisi fierent istæ iteratæ sacrificationes in Missis: ut impiè, & contra Scripturas, tradiderunt *Tridentini*, Sess. 22. Sed consistit in perpetuo vigore illius unicæ immolationis in passione semel factæ, & perpetua intercessione pro nobis, ad dextram *Patris*, sicut docent sacræ literæ, locis à me hîc citatis, & superiùs in argumentis, contra Sacrificium Missæ. Unde *Chrysostomus*, Serm. 17. in Epist. ad Hebr. in Cap. 10. cum Apostolo loquens de Sacrificiis *Aaronicis*, & Sacrificio Christi, *τὸ ἀεὶ, ἔλεγχος ἀσθενείας. ἐπὶ δὲ τοῦ χριστοῦ, τοὐναντίον· ἅπαξ προσηνέχθη, καὶ εἰς τὸ ἀεὶ ἤρκεσε.* Id est, *Semper* offerri, *argumentum imbecillitatis:* (sic imbecillia erant Sacrificia *Aaronica*) *in Christo autem, è contrario* est; *semel oblatus est, & in sempiternum suffecit.*

27. Tertia consideratio Sacrificii, & Oblationis spiritualis in *Eucharistia*, occurrit in ea Oblatione, qua fideles, non solum symbola consecranda, sed etiam seipsos Deo offerunt: accedendo ad Mensam Dominicam, seque Domini sanguine redemptos, & redemptionis jure servos *Domini* profitendo, & fidele servitium vovendo. Apostolus hortatur, ut exhibeamus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, acceptam *Deo:* & ut transformemur per renovationem mentis nostræ, Rom. 12: 1, 2. *Hoc*, inquit *Augustinus*, *est Sacrificium Christianorum, multi unum corpus sumus in* Christo: *quod etiam Sacramento Altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia; ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione, quam offert, ipsa offeratur. Augustinus* Lib. 10. de civitate *Dei*, Cap. 6. Omnes hi tres modi Sacrificii spiritualis reduci possunt ad illud Sacrificium laudis, quod exigit *Dominus*, Psalm. 50. ubi vide *Augustinum.* Non exclusa illa distinctionis ratione, quam indicavimus. Huc pertinent verba illa *Eusebii* Cæsariensis; *Οὐκοῦν καὶ θύομεν καὶ θυμιῶμεν, τότε μὲν μνήμην τοῦ μεγάλου θύματος καὶ τὰ πρὸς αὐτοῦ παραδοθέντα μυστήρια ἐπιτελοῦντες, καὶ τὴν ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν εὐχαριστίαν διʼ εὐσεβῶν ὕμνων τε καὶ εὐχῶν τῷ Θεῷ προσκομίζοντες, τότε δὲ σφᾶς αὐτοὺς ὅλως καθιεροῦντες αὐτῷ καὶ τῷγε ἀρχιερεῖ αὐτοῦ λόγῳ, αὐτῷ σώματι καὶ ψυχῇ ἀνακείμενοι. Euseb.* lib. 1. demonstrat. Evangel. cap. ult. in fine capitis.

Sacerdotes. 28. Apud *Israëlitas* (quorum Ecclesia, & ipsa etiam Respublica, typus erat Ecclesiæ Christianæ) sacrorum mystæ & antistites publici dicebantur & verè ac propriè erant sacerdotes: inde propter quandam publicæ præfecturæ & curæ Ecclesiasticæ similitudinem, patres, in Ecclesia Christiana, nomen sacerdotum pastoribus Ecclesiasticis indiderunt, per Metaphoram. Eodem sensu Metaphorico Diaconi appellati sunt Levitæ: & Episcopi, summi sacerdotes. Præterea, etiamsi quantum ad oblationes spirituales, quicunque fideles sumus, simus sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas *Deo* per *Jesum Christum*; [1 Petr. 2: vers. 5.] & hunc habeant communem honorem

Matres atque Viri, pueri, innuptæque puellæ: quia tamen Pastores sunt dispensatores mysteriorum *Dei* & publicas pro cæteris precationes concipiunt, aliosque publici cultus partes ex officio obeunt, idcircò Pastoribus sive præsidentibus, *τοῖς προεστῶσι*, dispensatoribus mysteriorum *Dei*, convenire potest per quandam excellentiam, in sensu hoc spirituali, appellatio *Sacerdotum.* Propriè autem & verè, à vera & propria *Christi* immolatione, Sacerdos nemo dici potest, nisi ipse *Dominus Jesus Christus*, Sacerdos in perpetuum secundùm ordinem *Melchisedec*, habens intransitivum [*ἀπαράβατον*] Sacerdotium.

29. Introductis appellationibus Sacrificii, Oblationis, Sacerdotii, Sacerdotum; etiam Mensa *Domini* cœpit dici Altare, sensu metaphorico, propterea quod symbola Sacramentalia collocarentur & consecrarentur super Mensam: & super eandem ponerent Pastores dona quæ populus offerebat. Ad Mensam etiam stantes Pastores preces offerebant; easque oblationes faciebant, quas supra commemoravimus. Licet propriè mensa sit, (sicut. appellatur, in sacris literis, & frequenter in antiquorum Patrum scriptis) non autem Altare. Altare nostrum *Christus* est sanctificans nostras oblationes. Vide Matth. 23: vers. 19. Johan. 17: 19. Hebr. 13: 10. 1 Petr. 2: 5. Apocal. 8: 3.

30. Missæ vocabulum, olim innocens, nunc *Missa.* effecerunt Sacrificatores isti nocentissimum. Neque succensemus vocabulo, ejusve inventoribus; sed pestiferum sensum, quem ei impostores supposuerunt, meritò exhorrescimus. *Tertullianus*, libro quarto, adversus *Marcionem*, Cap. 18: *Diximus*, inquit, *de remissa peccatorum:* id est, de remissione peccatorum. Eodem sensu *Cyprianus*, Epist. 59. seu Lib. 3. Epist. 8. *Peccantibus*, inquit, *cum postea crediderint, remissa peccatorum datur.* Et Epist. 10. seu Lib. 3. Epist. 14. *Qui autem blasphemaverit Spiritum Sanctum non habet remissam.* Et *Augustinus*, Lib. 3. de baptismo contra *Donatistas*, Cap. 18. *Remissam tamen peccatorum non dant.* Per eandem loquendi formam, pro missione, Missa dicta est. Nam ut, rectè observavit *Petrus Molinæus*, in Apologia pro Eucharistia, Cap. 1. & *Bellarminus* Lib. 1. de Missa, Cap. 1. Vocabulum hoc non est in usu apud *Græcos* aut *Syros* Christianos, sed tantummodo à *Latinis* usurpatum est: ac propterea non in aliis linguis quærenda est ejus origo; cum sit vox *Latina*, significans idem quod missio, sive dimissio. Quo sensu hac voce usi sunt Patres, in Concilio *Carthaginensi* 4., Canone 84. ubi decretum est, *ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum* Dei, *sive* Gentilem, *sive* Hæreticum, *sive* Judæum, *usque ad missam Catechumenorum:* id est, usque ad dimissionem Catechumenorum. Eodem sensu *Augustinus*, Sermone 237. de tempore: *Ecce*, inquit, *post Sermonem fit missa Catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis.* Inde adhibitum est hoc vocabulum ad significandum eas lectiones & precationes, quæ, authoritate publica approbatæ, legebantur in Ecclesiis: sive ante dimissos Catechumenos; sive etiam coram solis fidelibus, post dimissionem Catechumenorum. Hoc sensu accipitur in Concilio *Milevitano* 2. Can. 12. *Placuit etiam & illud, ut preces vel orationes seu missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive Commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.* Hæc ibi. Eodem sensu invenitur apud *Augustinum*, Sermone 91. de tempore: ubi intelligi fortasse potest etiam connotatio totius celebrationis: *In lectione*, inquit, *quæ nobis ad Missas legenda est.* Hæc *Au-*

gustinus. Eodem sensu *Ambrosius*, lib. 2. epist. 13. ad Marcellinam sororem; *Sequenti*, inquit, *die (erat autem Dominica) post lectiones atque tractatum dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in Baptisterii tradebam Basilicæ. Illic nunciatum est mihi.* ——— *Ego tamen mansi in munere, Missam facere cœpi.* Ubi Missæ vocabulo intelligi videtur tota illa celebratio usque ad finem: donec etiam dimitterentur fideles, & iis etiam peracta jam tota Liturgiæ celebratione, *fieret Missa*, seu dimissio, quemadmodum prius Catechumenis: & hoc significat Diaconus adhuc in Ecclesia Rom: post peractam celebrationem, clamans; *Ite, missa est*: id est, ut exponit *Alcuinus*, *Jam dimissio est congregationis: abire omnibus licet*: apud *Bellar*. lib. 1. de *Missa*, cap. 1. Olim post celebrata mysteria *Isidis*, dicebat scriba, λαοῖς ἄφεσις, *populis missio*. Ut refert *Apuleius*, lib. 11. Metamorphoseων, sive de asino aureo. Et inde mutuatos esse hunc morem Christianos Latinos, mi dicerent, *Ite, missa est*, ait *Polydorus Virgilius*, lib. 5. de rerum inventoribus, cap. 12.

31. Apud Veteres duplex fuit hujus vocabuli usus: Unus proprius, ut significaret dimissionem Catechumenorum, vel cujuscunque Congregationis sacræ. Alius erat usus improprius, quo adhibitum est ad significandum partem aliquam sacri Officii, sive Lectiones, sive Preces, sive ipsam Eucharistiæ celebrationem.

32. Citerioribus autem & deterioribus seculis eo tandem detortum est hoc vocabulum, ut, ex sacrificulorum istorum sensu jam sub hoc vocabulo nobis obtrudatur intelligendum sacrificium vere ac propriè propitiatorium.

33. Significet Missa Missionem seu dimissionem, quæ propria est vocis significatio, & non erit lis de vocabulo. Nec de improprio aliquo ejus abusu certabimus, quamdiu res ipsa, ad quam significandam adhibetur vocabulum Missæ, nihil habet in se absurdi. Libenter enim fugimus inanes Logomachias. At verò, sacrilegium illud, quod Sacrificii & Missæ vocabulis, nobis commendant Papistici Sacerdotes, nullo modo admittendum, aut ferendum est: sicut demonstravimus.

34. Hic monendi mihi sunt simpliciores Papistæ, ut sibi caveant à sacrificulorum suorum imposturis. Ne sub antiquis & tolerabilibus sonis, novos & intolerabiles sensus admittant.

PROPOSITIO XIV.

De Moderatoribus Classium Presbyterialium & Chorepiscopis.

Potest Episcopus Presbyteros suæ Diœceseos, *per certas & distinctas regiones dispositos, in certas pro singulis regionibus Classes distinguere: quarum Classium unaquaque habere poterit præsidem suum regionarium; qui appelletur Decanus, aut Chorepiscopus, aut Visitator*, περιοδευτής, Concil. Laodicen. can. 57. vς: Concil. Chalced. Act. 4. ubi de Caroso & Dorotheo. *aut more nostro, Presbyterii sive Classis Presbyterialis moderator.*

Tales esse poterunt plures in una Diœcesi, sub Episcopo; & ab Episcopo, ex Compresbyterorum consensu, constituti Præsides, sive rectores; qui cum Fratribus conregionariis [μετὰ τῶν ἐπιχωρίων πρεσβυτέρων, Conc. *Neocæs.* Can. 13.] conventus habeant minores, in singulis classibus hebdomadarios, aut alternis hebdomadibus, aut menstruos, pro exercitiis propheticis, & ad exercenda judicia Ecclesiastica in causis convenientibus: qui Ecclesias suarum regionum visitent; & Episcopum congrua parte solicitudinis levent, relicta ei cum suo Presbyterio plenitudine potestatis. Istos regionum inspectores *Carolus Borromæus* vocat *vicarios foraneos*, in suo primo provinciali Concilio Mediolanensi, anno Domini 1565. cap. *De vicariis foraneis constituendis.* [tom. 9. Concil. edit. Paris. pag. 465.] Eodem eos vocabulo indigitat *Franciscus Barbarus*, Patriarcha Aquileiæ, in suo primo Concilio Provinciali Aquileiensi, anno Domini 1596. [Tom. 9. Concil. edit. Parisiensis, pag. 711.] cap. *de Vicariis foraneis*. Et hoc quidem, etiamsi humanum sit institutum, est tamen valde antiquum; neque pugnat cum jure divino: neque ullo modo reprehendi potest; sed potiùs laudandum est, si serventur debitæ conditiones: secundum consuetudinem primitivæ Ecclesiæ. Ut, nimirum, Chorepiscopi noscant suum modum: & Episcopi non sumant inde occasionem otii ac delidiæ; aliis per ignaviam ea committentes, quæ per seipsos personaliter facere debent. Propter quos duos hujus officii abusus, censuit olim ac decrevit *Damasus* abolendum esse hoc genus præfecturæ. Epist. 5. ad *Prosperum* Numidiæ primæ sedis Episcopum & alios orthodoxos Episcopos. Ecclesiæ tamen convenientius esse judicarunt, ut sublatis abusibus maneret hujus officii legitimus usus.

2. Fit Chorepiscoporum mentio in Concilio *Ancyrano* (quod celebratum est anno Domini 314.) can. 13. qui sic se habet: χωρεπισκόπες μὴ ἐξεῖναι, πρεσβυτέρες ἢ διακόνες χειροτονεῖν, &c. id est, *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare: sed nec Presbyteris civitatis nisi concedatur ab Episcopo cum literis, in aliena Parochia.* Hic dubium esse videtur, utrum concedatur Chorepiscopis ordinatio, ex permissione Episcopi; an vero simpliciter iis denegetur licentia ordinandi.

3. Anno sequente celebrata est Synodus *Neocæsariensis*; ubi de Chorepiscopis, can. 14. οἱ δὲ χωρεπίσκοποι, εἰσὶ μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, ὡς δὲ συλλειτεργοί, διὰ τὴν σπεδὴν εἰς τὲς πτωχὲς, προσφέρεσι τιμώμενοι, id est, *Chorepiscopi autem sunt quidem ad exemplum septuaginta: ut comministri autem propter studium in pauperes, offerunt honorati.* Nam Canone præcedente interdictum est Presbyteris conregionalibus sive vicinis, qui ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι appellantur, ne in Ecclesia civitatis offerant, præsente Episcopo vel Presbyteris ipsius civitatis: concessum verò, iis absentibus, si invitentur ad dandam orationem, sive communionem, ut dent. At is honor habetur Chorepiscopis, ut etiam iis præsentibus offerant.

4. Paulo post Synodum *Neocæsariensem* celebratum est Concilium *Laodicenum*, ubi hæc habentur verba, can. 57. In Græco, νς. ὅτι ὀ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίςασθαι ἐπισκόπες, ἢ περιοδευτάς: τὲς μέν τοι ἤδη προκατασαθέντας μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τε ἐπισκόπε τε ἐν τῇ πόλει. ὡσαύτως δὲ καὶ τὲς πρεσβυτέρες μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆ γνώμης τε ἐπισκόπε, id est, *Quod non oporteat in vicis & pagis constitui Episcopos, aut visitatores: eos autem, qui jam ante constituti sunt, nihil agere præter conscientiam Episcopi qui est in civitate. Similiter autem*

tem & Presbyteros nihil agere præter Consilium Episcopi.

5. Hujus Canonis tres Latini interpretes, *Dionysius exiguus*, & *Isidorus Mercator*, & *Gentianus Hervetus*, verba illa ἢ περιοδευτὰς, vertunt *Sed visitatores*; addit *Isidorus Mercator*, *id est*, *qui circumeant constituti*, qua versione utitur *Gratianus*, 80. dist can. *Non debere*. Secundum interpretum istorum versiones, isti *Episcopi in villis*, ante Concilium *Laodicenum* constituti, distinguuntur à *visitatoribus*, sive Chorepiscopis; & habebantur pro veris Episcopis. Quamvis postea non sit concessum tales constitui in villis & pagis. At secundum editionem Græcam, pro eodem accipienda videntur hæc nomina, ἐπίσκοποι ἐν ταῖς χώραις & περιοδευταὶ: adeo ut ἐπίσκοπος ἐν τῇ χώρᾳ, nihil aliud sit quam χωρεπίσκοπος, sive *villanus Episcopus* ut loquitur *Damasus*, epist. 5. Quam expositionem confirmare videntur prima illa verba, can. 10. *Antioch.* Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους. Ubi pro eodem ponuntur hæ duæ descriptiones; nempe, 1. *Qui sunt in vicis, vel pagis*: 2. Et quasi exegeticè, *vel qui Chorepiscopi nominantur*, ut omnis Episcopus in villis sit Chorepiscopus. Et secundùm hanc expositionem necesse erit dicere, Concilium *Laodicenum* decrevisse, ut deinceps non constituerentur Chorepiscopi: etiamsi non exauctorarint eos qui jam antea constituti fuerant; sed tantummodo injunxerint iis, ut modum suum tenerent: id est, ut nihil facerent præter conscientiam Episcopi.

6. Hujus decreti terrore moti Chorepiscopi modestius se gessisse videntur: adeo ut, amoto scandalo, permanserit postea in Ecclesiis hoc officium: approbante etiam magno *Niceno* Concilio primo Oecumenico, can. 8. Cujus Concilii decretis subscripserunt etiam quidam Chorepiscopi. Nec tamen inde sequitur fuisse duo Chorepiscoporum genera; quorum alii fuerint veri Episcopi, alii tantum Presbyteri: nam, 1. Reperiuntur etiam subscripsisse Conciliorum decretis simplices Presbyteri, non solùm pro Episcopis, sicut *Vitus & Vincentius* Presbyteri pro *Sylvestro* Episcopo *Romano*, in primo illo Concil. *Nicæno*: & Alipius Presbyter pro *Philomuso* Episc. & *Simplicius* pro *Longiano*, in secundo œcumenico Concilio: sed etiam pro seipsis, ut *Flavianus* & *Elpidius*, Presbyteri *Antioch.* decretis Concilii *Constantinop.* œcumenici secundi, subscripserunt pro seipsis: non pro suo Episc. nam *Meletius* Episcop. *Antioch.* pro seipso subscripsit: neque dicuntur Presbyteri illi pro suo aut alio quocunque Episc. subscribere, sed æquè absolutè subscribunt ac ipsi Episcopi. Hoc modo ejusdem Concilii *Constantinopolitani* decretis subscripserunt *Tyrannus* Presbyter *Amorii*, *Anxanon* Presbyter *Apameæ*, *Helladius* Presbyter *Commanensis*. Et Synodo Romanæ, sub *Adriano* 2. Papa, contra *Photium* habitæ subscripserunt cum *Adriano* Episcopi 29. & Presbyteri 9. & Diaconi 5: 2. Si fuissent duo Chorepiscoporum genera, id per ipsas subscriptiones pateceret; & alii se scriberent Episcopos Chorepiscopos, alii Presbyteros Chorepiscopos: sicut hodie, distinctionis ergo faciunt Cardinales, quorum alii sunt Episcopi Cardinales, alii Presbyteri Cardinales, alii Diaconi Cardinales, & quia in subscriptionibus illis Chorepiscoporum, nulla talis distinctio invenitur, vel inde evincitur, unum tantum fuisse Chorepiscoporum genus, nempe εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, *ad exemplum septuaginta*, sicut declararunt Patres *Neocæsar.*

7. Interpretationem eam verborum illorum Canonis *Antiocheni*; ut non ordinent Presbyteros aut Diaconos Chorepiscopi, δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, quam in exegesi superioris propositionis defendebamus, confirmant etiam verba illa Canonis *Laodiceni*, ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου.

8. Illorum autem verborum Canonis *Antiocheni*, de Chorepiscopis, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, quænam nobis non inidonea expositio videretur, suprà indicavimus, in secunda parte exegeseos propositionis 13. §. 12. Quæ si alicui fortasse non usque adeo placeat, & contendat quispiam intelligi illic eam manuum impositionem, quæ super ipsos Chorepiscopos fiebat per plures Episcopos; et dici poterit non omnem χειροθεσίαν esse ordinativam, sed posse esse χειροθεσίαν, ubi non est χειροτονία, sicut ostendimus supra ex can. 8. & can. 19 Concilii *Niceni* primi, in dissertatione de Hæreticis, post dialogum de ordinatione *Britannica*, in exegesi superioris propositionis. Canon ille *Antiochenus*, permittit Chorepiscopis ordinare χειροτονεῖν Presbyteros & Diaconos, at non dicit ipsos Chorepiscopos à pluribus Episcopis ordinari χειροτονεῖσθαι. Nam jam antea ordinati Presbyteri, accipiebant impositionem manuum ab Episcopis, quæ erat oratio super eos, implorativa benedictionis divinæ, per quam idonei efficerentur ad executionem delegati illius officii Chorepiscopalis.

Considera-tio verborum illorum, χειροθεσία ἐπισκόπων, in Concil. Antioch. can. 13.

9. Porro etiamsi χειροθεσίαν interpreteris cum *Damaso* ordinationem ipsorum Chorepiscoporum, non tamen inde sequitur eos fuisse veros Episcopos: nam per eam ordinationem non acceperunt ordinem *Episcopalem*, sed tantummodo *Presbyteralem*, cum officio Chorepiscopali, quod erat ipsis commissum, sine collatione ulterioris ordinis, sive gradus sacri, sicut docet *Damasus*, epist. 5. Etiamsi ad Canonicam Episcopi ordinationem requirantur tres Episcopi, non tamen inde sequitur ordinem simplicis Presbyteratus non posse conferri à pluribus simul Episcopis. Sufficit quidem unus Episcopus, sed nihil obstat quin possint plures Episcopi hunc ordinem conferre: imo quin interdum expediat hoc à pluribus fieri; quando nimirum ita confertur ordo Presbyteralis, ut cum eo simul concedatur per quandam delegationem potestas exercendi quædam Episcopalia.

10. Moderatores classium Presbyterialium diximus, in Propositione, constitui posse, qui appellentur Decani vel Chorepiscopi. Sciendum verò hoc vocabulum *Presbyterium*, variè usurpari etiam de cœtu Ecclesiastico dictum. Nam primo significat Diœcesanum Presbyterorum cœtum quomodo accipitur ab Apostolo, 1. *Tim.* 4. 14. & ab *Ignatio*, in epistola ad *Trallianos*, & apud *Cyprianum*, lib. 3. epist. Seu in Pamelii editione epist. 46. *Omni*, inquit, *actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium: affuerunt etiam Episcopi quinque*, &c. Non quod ad tale Presbyterium constituendum semper necesse sit, omnes & singulos Diœceseos Presbyteros cum Episcopo convenire, sed sufficit ut secundum ordinem publicum communi consensu receptum adsint cum Episcopo idonei assessores, qui illi congruam præbeant assistentiam in negotiis Ecclesiasticis. Unde *Cyprian.* lib. 1. epist. 9. quæ est in Pamelii editione Epist. 66. *Graviter*, inquit, *commoti sumus ego, & Collegæ mei, qui præsentes aderant, & Compresbyteri nostri, qui nobis assistebant*, &c. Ubi etiamsi per collegas intelligat quosdam Episcopos, qui pro tempore præsentes illi aderant, patet tamen

Presbyterium.

Compreſbyteros intelligi non omnes totius Diœceſeos, ſed quoſdam, idoneo numero. *Conventus, quem habet Epiſcopus cum Clericis ſuis, dicitur Concilium*, 38, Diſt. Can. *Quando*: In Concilio *Vernenſi*, ſub *Pipino*, Rege *Francorum*, Anno Domini 756. Cap. 8. decretum eſt, ut omnes Preſbyteri ad Concilium Epiſcopi ſui conveniant. Hæc eſt antiquiſſima, & primaria, ac maximè propria *Preſbyterii* ſignificatio; nec alio ſenſu de cœtu Eccleſiaſtico uſurpatum invenio hoc vocabulum, per totos mille, & quingentos annos, in Eccleſia Chriſtiana. Eſtque hoc Preſbyterium divini juris, ut patet ex præcedentibus propoſitionibus. Nos hoc ſenſu uſi ſumus, Preſbyterii vocabulo; in noſtra diſſertatione de ordinatione, ad propoſitionem decimam tertiam.

11. Poſt annum verò milleſimum, & quingenteſimum æræ Chriſtianæ, cœpit hoc vocabulum alios inferiores conventus, recenti quarundam Eccleſiarum conſuetudine, ſignificare. Nempe, Senatum Eccleſiaſticum unius Parochialis Eccleſiæ, aut unius oppidi, qui maximam partem ex Laicis conſtat: quem *Germani* & *Belgæ* vocant Preſbyterium; *Galli*, Conſiſtorium, *Scoti*, Seſſionem, ſive Conſeſſum. Item alium quendam conventum Eccleſiaſticum, qui medium quendam gradum obtinet inter Preſbyterium Diœceſanum, & Preſbyterium Parochiale, vel oppidanum; complectens eam partem Preſbyterorum Diœceſeos, quæ invenitur in una aliqua Diœceſeos regione, adeo ut conventus Preſbyterorum conregionariorum, cum ſuo Præſide regionario appelletur Preſbyterium apud *Scotos*: *Galli* Colloquium vocant; *Belgæ*, Claſſem. Nec ſcio an uſquam alibi extra *Scotiam* hujuſmodi conventui indatur appellatio *Preſbyterii*. Apud *Scotos* autem quot ſunt in una Diœceſi, ſub uno Epiſcopo, conventus hujuſmodi regionarii, tot numerantur Preſbyteria. Et diſtinctionis ergo, uſus obtinuit ut conventum Diœceſanum appellemus Synodum, ſive Concilium, cum Patribus *Toletanis*, & *Vernenſibus*, locis citatis, ex *Gratiano*, & Concilio *Vernenſi*, Preſbyterii vocabulo conventibus regionariis relicto.

12. Moderatorem Preſbyterii ſive Concilii Diœceſani, habemus Epiſcopum. Moderatores autem Claſſium Preſbyterialium, ſive Preſbyteriorum regionalium, ſunt tantum ſimplices Preſbyteri: & præeſſe poſſunt ſinguli ſuis claſſibus, ex commiſſione, per delegatam ab Epiſcopo poteſtatem, ex fratrum conſenſu.

13. Non poſſunt Clerici totius Diœceſeos tam frequentes habere conventus Synodicos, ut de omnibus, quæ per ſingulas accidunt regiones, ſtatim Synodale capiant conſilium: propterea laudabile eſt, ut ad continendam concordiam inter Chriſtianos, & ad ſcandala vel prævenienda, vel in ipſo ortu extinguenda, quæ paſſim & quotidie poſſunt occurrere, habeat Epiſcopus quoſdam delegatos regionum, & claſſium inſpectores & Præſides, qui, ex commiſſione, minores dirimant controverſias, & ad Epiſcopum referant de Majoribus.

14. Ut caveatur abuſus, hoc eſt, ut Moderatores Preſbyteriorum, ſive Chorepiſcopi, debitum modum non excedant, & ut Epiſcopi non ſint *Meretricibus ſimiles, quæ ſtatim ut pariunt infantes ſuos, aliis nutricibus tradunt educandos, ut ſuam citius libidinem explere valeant*, ne Epiſcopi deſidioſi plusquam oportet committant Chorepiſcopis; negligentes *Dei* domum ipſis commiſſam, *ut ſuas libidines expleant: id eſt, ut ſuo pro libitu ſecularibus curis inhient, & quod unicuique viſum fuerit liberius agant*: Sicut queritur *Damaſus*, in illa ſua Epiſtola ad *Proſperum*, contra Chorepiſcopos: Providendum eſt ut prudenter & piè conſtituantur certi termini, quos neutri transgrediantur. Atque ita nec Epiſcopus immoderatè committet negotia Chorepiſcopis, neque Chorepiſcopi ultra ſuum modum præſument.

15. Commiſſio alia eſt generalis, alia ſpecialis, alia particularis ſive ſingularis: Commiſſio *Commiſſio.* ſpecialis (ut eam prius explicemus) eſt, in qua certæ cauſarum ſpecies exprimuntur: e. g. dum committitur Chorepiſcopis, ut ſuæ quiſque regionis Eccleſias viſitet, conventus agat regionarios, abſentes corripiat, & caſtiget, de ſcandalis judicet, lapſis pœnitentiam præſcribat, pœnitentes nondum excommunicatos reconciliet, pueris fidei confeſſionem profeſſis manus imponat, ſacriſtas, & ludimagiſtros, & cantores conſtituat, &c.

16. Commiſſio generalis eſt, quando ſpeciali commiſſioni adjicitur hujuſmodi aliqua clauſula, *& hujus generis alias cauſas minores iis dijudicandas committimus.*

17. Commiſſio particularis, ſive ſingularis, eſt, quando ad aliquod negotium obeundum, quod neque ad ſpecialem, neque ad generalem commiſſionem reduci poteſt, conceditur, pro illo particulari & ſingulari negotio particularis & ſingularis commiſſio, neque ad ſpeciem, neque ad genus extendenda. Qualis commiſſio neceſſaria erat Chorepiſcopis, ſecundum Canonem *Antiochenum*, pro ordinatione alicujus Diaconi, aut Preſbyteri.

18. Si hæc Commiſſionum diſtinctio prudenter & piè conſtituatur, facilis erit abuſuum evitatio. Et poterunt utiliter conſtitui ſub Epiſcopo, Moderatores regionarii. Ut tales Moderatores ſint perpetui, nec niſi ob culpam, aut infirmitatem, aut aliquid ſimile, à præfectura ſua removeantur, ſuadet generalis ratio de amputanda quotidiana, aut annua occaſione ambitionis inter Fratres. Item praxis veteris Eccleſiæ in conſtitutione Chorepiſcoporum, eorumque perpetua cura. At è contrario, ut non ſint perpetui, ſed ut quotannis vel ſæpius rariusve mutentur, ſuadere videtur illa ratio, propter quam penitus abolendum eſſe Chorepiſcoporum officium, judicavit *Damaſus*, & ante *Damaſum* idem voluiſſe videntur Patres *Laodiceni*: nempe, ne ex perpetua regionis præfectura, ſuperbiendi auſam arripiant, & menſuræ ſuæ obliti inconceſſa præſumant. His utrinque rationibus, cum ſit hæc humana inſtitutio, & in authorum arbitrio poſitum ſit qualem eſſe velint & quibus circumſcriptam legibus ſuam conſtitutionem, aut commiſſionem, modò nihil ſtatuant quod Legi *Dei* repugnet, *Eccleſiæ* in hoc, ſicut in aliis hujus generis, piè & prudenter utantur libertate ſua.

PROPOSITIO XV.

De Metropolitanis & Patriarchis

METropolitanorum ſive Archiepiſcoporum, & Primatum ſive Patriarcharum, præ aliis Epiſcopis ὑπεροχὴ ſeu eminentia, eſt humani juris, Eccleſiaſtica conſuetudine haud illaudabiliter introducta. Manere autem debet unicuique particulari, id eſt, Nationali Eccleſiæ

cleſiæ illibata ea libertas, quam ei de omnibus humanis conſtitutionibus à Chriſto *relictam oſtendimus, ſupra, Capitibus* 3, 4, 5, 6, 7, 8. *& diligenter cavendus eſt omnis abuſus: quod fiet ſi ſerventur quædam neceſſariæ cautiones.*

De jure divino, ſicut erant olim Apoſtoli inter ſe, ita ſunt omnes Epiſcopi inter ſe, *præditi pari conſortio, & honoris, & poteſtatis*, ipſarum etiam clavium, ut docent *Cyprianus*, lib. de unitate Eccleſiæ, & *Hieronymus*, in Epiſtola ad *Evagrium*, & *Victor*, Epiſcopus *Carthaginenſis*, in Epiſtola ad *Theodorum*, Epiſcopum *Romanum*, quæ exſtat in actis Concilii *Martini*, Papæ *Romani*, hujus nominis primi, Secretario ſecundo. In ſacris Literis legimus de Angelis Eccleſiarum ordinariis: in quibus fuit *Polycarpus*, *Smyrnenſis* Eccleſiæ Angelus. At de ordinariis Eccleſiarum Archangelis, ſive Archiepiſcopis, nullum in *Novo Teſtamento* invenitur veſtigium. Quamvis juri divino non repugnet hæc politia; aſſumpta jure Eccleſiaſtico, ad utilitatem Eccleſiæ, ut omnia commodiùs in Eccleſia geri poſſent. Quemadmodum & de aliis multis rebus, nec vetitis, poteſtatem habet Eccleſia ſtatuendi, pro ordine, & decoro, & pace, & ædificatione. In talibus autem debet ſarta tecta conſervari Eccleſiæ libertas, ſicut monui in propoſitione.

2. *Ignatius*, & *Dionyſius*, locis ſupra citatis, poſt propoſitionem duodecimam, Epiſcopos omnes in ſupremo Hierarchiæ, & *ἐυταξίας* Eccleſiaſticæ faſtigio collocatos eſſe docent. Neque dignitatem ullam in Paſtoribus Eccleſiæ agnoſcunt altiorem dignitate illa Epiſcopali, quæ omnibus Epiſcopis pari conſortio competit. In Concilio *Sardicenſi*, Can. 10. collatis inter ſe honoris Eccleſiaſtici gradibus, Epiſcopatus appellatur ἡ ἄψις, *culmen*: item, *μεγίςη τιμὴ*, *maximus honor*. *Hieronymus* ait, Epiſcopos in Eccleſia Catholica primos eſſe, ſicut olim primi erant Apoſtoli: & reprehendit hoc nomine *Montani* Hæretici Sectatores, quod haberent aliquos Superiores Epiſcopis: ejus verba ſunt, *Apud nos* [Catholicos] *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent: apud eos* [Montaniſtas] *Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos, de* Pepuſa Phrygiæ *Patriarchas; ſecundos, quos appellant Cenones: atque ita in tertium, id eſt, pene ultimum locum Epiſcopi devolvuntur: quaſi exinde ambitioſior religio fiat, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos noviſſimum ſit.* Hæc *Hieronymus*, Tomo ſecundo, in Epiſtola ad *Marcellam*, adverſus *Montanum*, quæ incipit, *Teſtimonia.* Idem diſputans contra Diaconorum *Romanorum*, ſe Presbyteris anteponentium ſuperbiam, in Epiſtola ad *Evagrium*, quæ incipit, *Legimus in Eſaia. Nec altera*, inquit, *Romanæ urbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes unum* Chriſtum *adorant: unam obſervant regulam veritatis. Si authoritas quæritur, orbis major eſt urbe. Ubicunque fuerit Epiſcopus ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis: ejusdem meriti, ejusdem eſt Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem, Epiſcopum non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Sed dicis, quomodo Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis conſuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium in leges Eccleſiæ, vindicas?* ——— *Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de Veteri Teſtamento; quod* Aaron, *& Filii ejus, atque Levitæ, in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Eccleſia.* Hæc *Hieronymus.* Qui etiam ſecundùm hanc ad *Aaronem* ſimilitudinem, Epiſcopum vocat ſummum Sacerdotem, in Dialogo adverſus *Luciferianos*, *Damaſus* etiam, Epiſcopus *Romanus*, in Epiſtola quinta, ad *Proſperum*, gradum Epiſcoporum in Eccleſia, vocat *dignitatis faſtigium ſummorum pontificum.* Neque ullum agnoſcit gradum altiorem. Et *Innocentius*, hujus nominis primus, Epiſcopus *Romanus*, Epiſt. 12. Epiſcopos vocat *ſummos Sacerdotes.* Et in jure Canonico eodem modo deſcribuntur, Cauſ. 2. Quæſt. 5. Can. *Sacramentum*: & Quæſt. 7. *Accuſatio*: & 61. Diſtinct. *Miſerum*: quibus in locis Epiſcopi dicuntur *ſummi Sacerdotes.* Alibi etiam in jure Canonico Epiſcopatus appellatur *ſummus Pontificatus*, 77. Diſtinct. Can. *In ſingulis*: & Epiſcopi, *ſummi Pontifices*, 18. Diſtinct. *Si Epiſcopus*: & 59. Diſtinct. *Si officia*: & de Conſecratione, Diſtinct. 5. *De his vero.*

3. Defenſionem illam, qua utuntur Papiſtæ, pro Epiſcopi *Romani*, ſupra alios Epiſcopos dignitate, ſumptam à diſtinctione ordinis & juriſdictionis, refutavimus ſupra in exegeſi propoſitionis 13. part. 4. §. 27. ubi aliquot argumenta à nobis propoſita Lector inveniet: quibus hæc adjicimus.

4. Omnes Epiſcopi inter ſe ſunt pares honore & poteſtate: ergo, ſunt pares ordine & juriſdictione. *1. Arg.* Ratio ſequelæ eſt, quia poteſtas juriſdictionis eſt poteſtas. Epiſcopi autem ſunt poteſtate pares, abſolutè, ſine ullius poteſtatis exceptione, ſicut docet *Cyprianus*, Lib. de unitate Eccleſiæ, & ſimplicitate Prælatorum. Neque ulla in ſacris literis oſtendi poteſt exceptio.

5. Omnes Epiſcopi inter ſe ſunt pares poteſtate clavium, *2. Arg.* ſive poteſtate abſolvendi, excommunicandi, &c. ergo, ſunt pares poteſtate juriſdictionis. Ratio ſequelæ eſt, quia poteſtas juriſdictionis (in eorum diſtinctione) conſiſtit in poteſtate clavium, ut docet *Thomas*, in ſecunda ſecundæ Quæſt. 39. Art. 3. Antecedens eſt apud *Cyprianum*, loco citato. Ubi docet, omnes Epiſcopos eſſe pares poteſtate clavium. De hoc etiam vide gloſſam, extra, de electione. cap. 15. *Tranſmiſſam.* Et aliam gloſſam, Cauſ. 2. Quæſt. 1. Can. *Nemo.* Et extra, de treuga & pace cap. 16. *Cum inferior.* Ubi dicitur, quod juriſdictione inferior nequeat ligare vel ſolvere potiorem ſeu ſuperiorem: qui igitur ligandi ſolvendique poteſtate pares, ii ſunt juriſdictione pares. *Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 16.*

6. Apoſtoli omnes inter ſe, & per conſequens Epiſcopi omnes inter ſe, ſunt pares quoad omnem eam poteſtatem, quam *Petro* dedit *Dominus*, *3. Arg.* illis verbis, *Ego dico tibi, quia tu es* Petrus, *& ſuper iſtam* Petram *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claves Regni Cælorum: & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in Cælis: & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis*, Matth. 16: 18, 19, 20. Et verbis illis, *Paſce oves meas*, Joan. 21: 16. Nam *omnibus Apoſtolis parem poteſtatem tribuit*: illis verbis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum ſanctum: ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur*: Johan. 20: 21, 22, 23. ſicut expreſsè monet *Cyprianus*, loco citato.

7. Si quæras, cur igitur primo hanc poteſtatem uni *Petro* dederit, antequam omnibus eandem

dem daret. Respondet *Cyprianus*, hoc esse factum, *ut Ecclesia una monstraretur*. Idque ipsum Sacramento vestis Christi textilis declaratum esse monet, item per Sacramenti Paschatis comestionem in domo una. Hinc duo colligit de Episcopatu & Episcopis: 1. Sicut est *una Ecclesia per totum orbem* diffusa, *quæ in multitudinem latius, incremento fœcunditatis extenditur; sic unus est Episcopatus cujus à singulis in solidum pars tenetur. In Solidum*, inquam, id est, *pari consortio honoris & potestatis*, sicut de Apostolis loquutus est. 2. *Non posse esse in uno loco plures greges aut plures Pastores*, id est, Episcopos, sed servandam esse unitatem, ut in uno loco non sit nisi unus Episcopus. Ideoque postquam unus Episcopus Catholicus alicui civitati ordinatus aut datus est, quicunque se patitur Episcopum illius gregis, aut partis illius gregis ordinari, aut quicunque de grege istum posteriorem, neglecto priore, & relicto etiam reliquo grege sequitur, is est schismaticus, & extra Ecclesiam Catholicam. Hic scopus est totius illius tractatus beati *Cypriani*, quem scripsit adversus *Novatianum* schismaticum qui, postquam *Cornelius* ordinatus esset Episcopus urbis *Roma*, se etiam à quibusdam schismaticis ejusdem urbis Episcopum ordinari passus est, & partem gregis post se traxit. Unde geminam accepit scriptionem, sive titulum. Nam inscribitur liber *de unitate Ecclesiæ: &, de simplicitate Prælatorum*.

8. Propter *Pamelium* diligenter consideranda sunt illa *Cypriani* verba in eo libro: *quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat* —— *tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus sanctus, ex persona Domini, designat, & dicit; Una est columba mea, perfecta mea; una est matri suæ, electa genitrici suæ.*

Cant. 6.

Hæc *Cyprianus*, in Editione *Lugdunensi*, anno Domini 1550. *Pamelius* autem sic legit, *Exordium ab unitate proficiscitur, Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.* Quæ verba, de Primatu *Petri*, & Cathedra à *Pamelio*, contra omnium Antiquorum Codicum Fidem ineptè intrusa esse, scribit *Marcus Antonius de Dominis*, Archi-episcopus *Spalatensis*, lib. 1. de Republica Ecclesiastica, cap. 7. num. 18. Idque ipsum observavit ac monuit *Antonius Possevinus*, Jesuita, in Apparatu sacro. Quamvis ista *Pamelii* lectio repetatur, tom. 4. Concil. in nupera Parisiensi editione, in sexta epistola *Pelagii* secundi Papæ Romani. Et sanè à *Cypriani* proposito aliena sunt ista verba, secundùm eum sensum, quo à Papistis intelliguntur, nec possunt consistere cum præcedentibus *Cypriani* verbis: nam primatum interpretantur Suprematum, & Superiorem quandam potestatem *Petro* datam. Profectò aut Apostoli cæteri non *erant hoc utique quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis:* quod, inquam, fuit *Petrus*, per illa verba, *Tu es Petrus*, &c. & illa, *Pasce oves meas:* sicut disertè affirmat *Cyprianus:* aut *Petrus* nullam habuit superiorem potestatem, quam alii non pariter haberent. Verba igitur ista, de Primatu, oportet esse spuria & irreptitia: nisi intelligantur de Primatu temporis, sive originis, & exordii, non autem de Primatu potestatis. Nam *Cyprianus* concedit hanc potestatem primo concessam esse *Petro*, quæ postea & reliquis tributa est, non minore aliquo gradu, sed pari consortio paris potestatis. Illud de *Cathedra una*, nisi intelligatur de simplicitate Prælatorum, & Cathedrarum, in singulis Diœcesibus, alienum est à *Cypriani* proposito, neque cum verbis, vel præcedentibus, vel subsequentibus, de una Ecclesia, & uno Episcopatu concordat. *Episcopatus*, inquit, *unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur*. Ubi Episcopo *Romano* non nisi *Partem* hujus unius Episcopatus, sicut singulis reliquis Episcopis, concedit.

Hic etiam Isidorus Hispalensis lib. 2. de Ecclesiasticis officiis, cap. 5. Vide Instruct. Historico-theol. lib. 5.

9. Qui ordine Hierarchico, honore maximo, dignitatis Pontificalis fastigio, authoritate, potestate pares sunt, ii sunt jurisdictione Episcopali, seu Episcopali potestate jurisdictionis pares: (etiamsi non æquè amplam Diœcesin habeat Episcopus *Eugubii*, ac Episcopus *Romæ*.) At omnes Episcopi ordine Hierarchico, &c. pares sunt: ergo. Major probatione non eget. Minor patet ex testimoniis supra allatis. 4.

10. Qui sibi vendicare poterunt in Ecclesia quod *Aaron* fuit in Templo, ii habent supremam jurisdictionem Ecclesiasticam, & sunt summi Sacerdotes, ac summi Pontifices: supra quos nulla est potestas Ecclesiastica personalis sublimior de jure divino; at omnes Episcopi sibi vendicare poterunt, &c. ut scribit *Hieronymus*, ad *Evagrium:* Ergo. 5.

11. Suprema igitur personalis potestas & dignitas Ecclesiastica, etiam jurisdictionalis, est ea potestas Episcopalis qua præditi sunt omnes & singuli Episcopi, pari consortio, qua nulla est superior de jure divino, nisi Synodica.

12. Nihilominus ea de Archi-episcopis, & Primatibus, seu Patriarchis dispositio, seu ordo Oeconomicus, non erit inutilis, sed Ecclesiæ commodus, & laudabilis, si hæ serventur necessariæ cautiones, secundùm quas & primitus exstitit in veteri Ecclesia hæc Oeconomia.

Vide Calv. Instit. lib. 4. cap. 4. §. 4. cap. 7. §. 15.

13. Prima Cautio est; ut secundum distinctos limites imperiorum & ditionum secularium, ita etiam terminetur Archi-episcoporum, & Patriarcharum authoritas; neque degens in unius supremi principis ditione potestatem accipiat in Clericos degentes in imperio alterius supremi principis. (Nisi fortè ex consensu, ubi est ditio aliqua valdè exigua, egens vicinorum quotidiano consilio & auxilio.) Sic olim Patriarcharum potestas *Romani* imperii finibus circumscripta erat: & secundùm formam etiam civilium judiciorum instituta, ut monet ex *Anacleto Gratianus*, 99. dist. Provinciæ.

14. *Gulielmus Bibliothecarius*, in vita *Hadriani*, Papæ *Romani*, hujus nominis secundi, commemorat convenisse cum imperatore (tertio die post absolutam illam Synodum *Constantinopolitanam*, contra *Photium*, quam *Romanenses* octavam œcumenicam vocant) convenisse, inquam, in domo cum Imperatore *Basilio*, ab eodem Imperatore convocatos, Vicarios Patriarcharum Orientalium, Alexandrini, & Antiocheni, & Hierosolymitani, ipsumque Patriarcham Constantinopolitanum Ignatium, (jam Synodica sententia sedi suæ restitutum) & Legatos Ecclesiæ Romanæ, & Legatos Bulgarorum: ibique disceptatum de Bulgaris, ex Paganismo ad Christianismum recens conversis, utrum ad Romanam, an ad Constantinopolitanam Diœcesin pertinere deberent: & Vicarios Patriarcharum Orientalium, (frustra reclamantibus Ecclesiæ Romanæ Legatis) adjudicasse Bulgaros Ecclesiæ Constantinopolitanæ: dixisseque Legatis Romanis; *Satis indecens est*, (verba sunt Vicariorum patriarch. oriental. ad Legat. Roman.) *ut vos, qui Græcorum*

corum Imperium detrectantes, *Francorum fœderibus inhærens, in Regno nostri Principii ordinando jura servetis.* Hæc illi. Gesta sunt hæc Constantinopoli, anno Domini 870. ob civilis imperii, & secularis eminentiæ rationem, cum Roma vetus sola adhuc esset sedes imperii & Senatus, & civile Caput orbis, primus honor inter Episcopos per totum Romanum Imperium, à Patribus concessus est Episcopo urbis Romæ: sicut testantur illi sexcenti & triginta Episcopi, in Concilio œcumenico Chalcedonensi, Actione 15. can. 28. & eadem consideratione moti Patres illi centum & quinquaginta, in Concilio Constantinopolitano, œcumenico secundo, can. 3. Anno Domini 382: decreverunt Episcopo Constantinopolitano, τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, primatum honoris, post Romanum Episcopum, eo quod Constantinopolis esset nova Roma. Et sexcenti ac triginta Patres, in Concilio Chalcedonensi, œcumenico quarto,
Can. 28. can. 28. anno Domini 451. Novæ Romæ, id est, Constantinopolis Throno Episcopali æqualia privilegia, [τὰ ἴσα πρεσβεῖα] cum antiqua Roma tribuerunt. Idemque decretum renovarunt Episcopi plusquam ducenti, eum quatuor Patriarchis, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, in Synodo quinisexta, can. 36. anno Domini. 692. Eadem ratione moti imperatores Ecclesiam Constantinopolitanam vocant *Christianorum orthodoxæ religionis omnium matrem*. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis. l. 16. *Decernimus*. Et *Justinianus* imperator eandem vocat aliarum omnium caput; *Constantinopolitana Ecclesia omnium aliarum est caput.* Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis. l. 24. *Constantinopolitana*. Ac tandem Roma veteri *Augustinorum* Constantinopolitanorum Imperia detrectante, Ecclesiæ Orientales declararunt Episcopum veteris Romæ excidisse omni jure disponendi res Ecclesiasticas in partibus Imperii principi Constantinopolitano adhuc subjectis; sicut jam ostensum est. Nota rationem qua usi sunt Vicarii Patriarcharum Orientalium; quæ jam etiam ad nos *Britannos* pertinet, qui Romanorum non subjacemus Imperio, nec Romani nostro. Idcirco non minus indecens est, ut inter nos jura arroget Episcopus urbis Romæ, quam indecens esse judicarent Romani si jura inter illos sibi vendicaret primas *Scotiæ* vel *Angliæ*. Neque magis subjectionem debent *Scoti* Episcopo Romano, quam Romani Episcopo *Sanct-Andreano*. τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ ἡ τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων τάξις ἀκολουθείτω. *Civiles ac publicos typos Ecclesiasticarum quoque rerum ordo consequatur.* Concil. Quinisext. can. 38.

15. *Secunda cautio est*, Ut de hac dispositione, sicut de aliis humanis constitutionibus, maneat sarta tecta Ecclesiæ ea libertas, de qua in propositione diximus.

16. *Tertia cautio*; Ut meminerint Archi-episcopi & Patriarchæ, se esse Episcopos & Presbyteros, ideoque eisdem Legibus & Ministerii necessitate teneri, quibus obligatos esse ostendimus omnes Episcopos Propositione 10.

17. *Quarta cautio*, Ut sciat Archi-episcopus & primas aut patriarcha se non esse totius Provinciæ, omniumque in ea sedium Episcopum, sed suæ tantum Metropolitanæ, aut Patriarchalis, seu primæ sedis Episcopum, ac ne Patriarcham quidem, aut Archi-episcopum, nisi suæ sedis esse: non autem totius Provinciæ, sed in Provincia, in qua ipse quidem primus est Episcopus, seu primæ sedis Episcopus, hoc est, Patriarcha: in reliquas autem ejusdem Provinciæ Diœceses non solus, sed ut unus ex multis, & in iis primus, obtinet cum iis, authoritatem, quam & cum eo habet Coëpiscoporum collegium pari consortio honoris & potestatis. Quamvis igitur humano quodam ordine non improbando, & libera quadam œconomia, seu dispositione Ecclesiastica, sit Episcopis prior, non tamen aliqua divini juris potestate, aut dignitate Pastorali illis superior est. Nam suprema potestas & dignitas Pastoralis est Episcopalis, quam habet quilibet Episcopus, & omnes Episcopi æqualiter.

18. Hinc est *quinta cautio*; *Ut primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi: sed tantum, primæ sedis Episcopus*: sicut constitutum est in Concilio Carthaginensi tertio, can. 26. & inseruit Decreto Gratianus, 99. dist. can. *Primæ sedis*: (ubi primam sedem autor Glossæ interpretatur Patriarchalem. Et primarum sedium nomine, quas qui tenent, Primates vel Patriarchæ vocantur, intelligendas esse etiam Romanam, & Antiochenam, & Alexandrinam, monet author glossæ, in eadem dist. ad can. *Nulli*. Adeo ut non sit canon restringendus ad solas primas sedes Africæ.) Item, ut nemo appelletur universalis Patriarcha vel Episcopus, 99. dist. can. *Nullus*, & can. *Ecce*: & lib. 4. epist. Gregorii, ex Registro, Capitibus 76: 77, 80. & alibi.

19. *Sexta cautio est*; Ut non præsumat Metropolitanus, aut Primas seu Patriarcha, de rebus alterius Diœceseos in sua Provincia disponere, ejusve Clericos ad judicium vocare, esse ve deponere aut ordinare, inconsulto Episcopo loci: aut quicquam agere (nisi quod ad suam solummodo propriam pertineat Diœcesin) sine consilio & voluntate omnium Comprovincialium Episcoporum. Alioquin irritum erit quod egerit, & ipse gradus sui periculo subjacebit. caus. 9. quæst. 3. can. *Per singulas*, & can. *Nullus primas*, & can. *Si autem*.

20. *Septima cautio est*; Ut Coëpiscoporum Comprovincialium censuræ sit subjectus omnis etiam Patriarcha. Secundùm leges illas commemoratas Prop. 7. Stultam illam exceptionem de Romanæ Ecclesiæ privilegio, caus. 9. quæst. 3. can. *Salvo*. meritò repudiamus, nam pares causæ paria jura postulant.

21. Observa autem nos Primatem & Patriarcham, pro eodem hic sumere cum Anacleto & Gratiano. 99. dist. quamvis sæpe distingui videantur. Revera enim omnis Primas est Patriarcha, & vicissim. Utrique enim vocabulo hæc subest notio, *Episcopus primæ sedis*. Et omnes olim dicebantur Archi-episcopi, ut constat ex actis veterum Conciliorum. Habitus postea is honor est quinque sedium Episcopis, viz. Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, ut per quandam excellentiam dicerentur quinque Patriarchæ, eorumque sedes Patriarchales. Qui honos non eos eximit à communibus regulis quæ positæ sunt omnibus Episcopis, & Archi-episcopis, & Patriarchis, sive Primatibus.

22. Petrus Aureolus, Archi-episcopus Aquensis, in quartum sent. dist. 24. art. 2 §. *Et nota*, scribit, non adhiberi novam consecrationem, quando Episcopus (antea consecratus) fit Archi-episcopus aut Patriarcha. Antiqui autem Canones prohibent translationem Episcopi, ab una sede ad aliam, sicut docui in tractatu de cura & residentia Pastorali: ubi etiam ostendimus quibus casibus licita sit translatio.

PROPOSITIO XVI.

De Papa Romano.

Quicunque post Apostolorum & Evangelistarum tempora, se vocat Oecumenicum sive universalem totius orbis Episcopum, Christi *Vicarium generalem*, *& infallibilem sacrarum Scripturarum interpretem*, *omniumque in Religione controversiarum judicem supremum*, *ordinarium*, *supra Concilia generalia*, *supra universam Ecclesiam*, *Caput*, *Principem summum*, *Monarcham*; *qui*, *etiamsi ditionem temporalem nullam haberet*, *neminem tamen haberet*, *neque habeat in terris superiorem*, *à quo ullo modo judicari possit*, *qui à nemine in terris judicari possit*; *qui nullo modo judicari possit in terris ab ullo Principe*, *sive seculari*, *sive Ecclesiastico*, *neque ab omnibus simul*, *neque à Concilio œcumenico*, *neque ab universa Ecclesia*: *& cujus doctrinam tanquam certam & indubitatam suscipere oporteat reverenter*, *sine examine*, *& absque ulla disquisitione ulteriore*; *& sine cujus approbatione & interpretatione non possit ex Scripturis canonicis ullus fidei Articulus certò cognosci*, *aut credi*: *à quo non liceat appellare*, *ne ad* Deum *quidem*, *aut Spiritum sanctum*, *neque ad generale Concilium*, *in quo etiam ipse ille Episcopus qui se universalem vocat interfit*; *qui non subjiciatur legibus*; *qui jus potestatemque habeat Reges & Imperatores Christianos Regnis suis & Imperiis exuendi*; *& subditos imperandi ne illum Regem aut Imperatorem ultra sequantur*, *eosque à vinculo obedientiæ Principibus suis legitimè jurata absolvendi & liberandi*; *eaque Regna & Imperia ab aliis ad alios transferendi*; *prout ipse judicaverit causam Ecclesiæ postulare*: *qui hanc authoritatem*, *hanc exemptionem*, *hoc jus*, *hanc potestatem*, *atque infallibilitatem obtineat ex* Christi *institutione*, *per Cathedræ prærogativam*: *quamvis fortè universalis iste Episcopus*, *& judex sit à sanctitate alienus*, *& ineruditus*, *& in Theologicis quæstionibus ac difficultatibus haudquaquam exercitatus*: *Imò qualiscunque ille sit*, *sive doctus*, *sive indoctus*, *sive probus*, *sive improbus*: *quicunque*, *inquam*, *talem sibi arrogat prærogativam*, *is hoc ipso se prodit esse illum Antichristum*, *exlegem*, *hominem peccati*, *filium perditionis*, *adversarium*, *& se efferentem adversus omne quod dicitur* Deus, *aut quod colitur*; *& in Templo* Dei, *tanquam* Deum, *sedentem*, *præ se ferentem se esse* Deum: *sicut ab Apostolo Paulo describitur*, 2 *Thessal.* 2.

Omnia autem ista prædicta, & plura horrenda Bellarminus & Gretserus disertè attribuunt Papæ Romano. Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei, cap. 3. & cap. 4. & cap. 5. & cap. 9. & cap. 10. Et lib. 2. de Pontifice Romano, cap. 12. & cap. 26. & cap. 27. & cap. 29. cum recognitione. Et lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 1. & cap. 3. Et lib. 5. de Pontif. & lib. 2. de Conciliis, cap. 15. & cap. 17. & cap. 19. Et lib. 1. de translatione Imperii Romanii, cap. 12. Et in responsione ad Apologiam, pro juramento fidelitatis, in defensione primi brevis pontificii, §. *Omitto*. Et lib. contra Barclaium, cap. 26. & cap. 31. & cap. 36. &c. Gretser. lib. 3. de Verbo Dei, cap. 3. Columna 1218. C. Et cap. 4. Colum. 1255. A. Et cap. 5. Col. 1275. A. B. Et cap. 9. Colum. 1400. B. (Cui loco alibi contradicit, lib. 4. cap. 11. Colum. 1820. B. & 1821. A.) & Col. 1402. D. & cap. 10. Col. 1447. A. B. Vide etiam Colum. 1451. A. & Colum. 1427. B. qui libri ab ipso Romano pontifice suscipiuntur, & approbantur. (Vide etiam Cauf. 15. Quæst. 6. Can. *Alius*, & Can. *Nos*, & Can. *Juratos*: & extra, de consuetudine, cap. *Quanto*, in Glossa.) Unde patet ipsum Romanum pontificem, sibi illa omnia arrogare.

Ergo, *Papa Romanus est ille Antichristus*.

Major hujus Syllogismi ulteriore probatione non eget, cum clarissimum contineat commentarium, in illa verba Apostoli, 2 Thess. 2. De ea tamen plura dicemus (*Domino* donante) in Instructionibus Historico-Theologicis.

2. Monendi sunt juniores, multa, quæ Romano Episcopo ejusque sedi appropriare conati sunt Romanenses, communia esse aliis sedibus & Episcopis. Quædam exempla subjiciam.

3. Vocant Romanam Ecclesiam, *Apostolicam*. *Ecclesia Apostolica.* Audi Tertullianum; *Apostoli Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt*; *à quibus traducem fidei*, *& semina doctrinæ*, *cætera exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt*, *& quotidie mutuantur*, *ut Ecclesiæ fiant*. *Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur*, *ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum*. *Omne genus ad suam originem censeatur*, *necesse est*. *Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ*, *una est illa ab Apostolis prima*, *ex quo omnes*. *Sic omnes primæ & omnes Apostolicæ*, *dum unam omnes probant unitatem*. *Communicatio pacis*, *& appellatio fraternitatis*, *& contesseratio hospitalitatis*: *quæ jura non alia ratio regit*, *quam ejusdem Sacramenti una traditio*. Lib. de præscriptionibus adversus Hæreticos, cap. 20. Item; *Cæterum si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ*, *ut ideo videantur ab Apostolis traditæ*, *quia sub Apostolis fuerunt*: *Possumus dicere*: *edant ergo origines Ecclesiarum suarum*, *evolvent ordinem Episcoporum suorum*. ——— *Confingant tale aliquid Hæretici*. *Quid enim illis post blasphemiam illicitum est*? *Sed & si confinxerint*, *nihil promovebunt*: Ipsa enim doctrina eorum *cum Apostolica comparata*, *ex diversitate & contrarietate sua pronunciabit*, *neque Apostoli alicujus auctoris esse*, *neque Apostolici*: *Quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent*, *ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent*, *nisi illi qui ab Apostolis desciverunt*, *& aliter prædicaverunt*. *Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis*, *quæ licet nullum ex Apostolis*, *vel Apostolicis auctorem suum proferant*, *ut multo posteriores*, *quæ denique quotidie instituuntur*, *tamen in eadem fide conspirantes*, *non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ*. *Ita omnes Hæreses ad utramque formam à nostris Ecclesiis provocatæ*, *probent se*; *quaqua possunt Apostolicas*. *Sed adeo nec sunt*, *nec possunt probare quod non sunt*: *nec recipiuntur in pacem*, *& communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis*: *scilicet*, ob diversitatem Sacramenti; nullo modo Apostolicæ.

cæ. Ibidem, cap. 32. Item; *Adhibeo super hæc ipsarum doctrinarum recognitionem.* —— Paulus, *in prima ad Corinth. Epistola, notat*, &c. cap. 33. Item: *Age jam qui voles curiositatem exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proximè est tibi Achaia, habes* Corinthum: *Si non longè es à Macedonia, habes* Philippos, *habes* Thessalonicenses; *si potes in Asiam tendere, habes* Ephesum: *Si autem Italiæ adjaces, habes* Romam, *unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes postea quam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit. Unum* Deum *novit creatorem universitatis*; & Christum Jesum *ex Virgine* Maria *Filium* Dei *creatoris*, *& carnis resurrectionem*: Legem & Prophetas, cum Evangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem eam; *Aqua signat, Spiritu sancto vestit, Eucharistia pascit, Martyrio exhortatur, & ita adversus hanc institutionem neminem recipit.* Cap. 36. Item: Unde autem extranei & inimici Apostolis Hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, *quam unusquisque de suo arbitrio, adversus Apostolos, aut protulit, aut recipit*? Cap. 37. Item: *Igitur & Scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est*, ubi diversitas invenitur doctrinæ. *Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coëgit aliter disponendi instrumenta doctrinæ, alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quæ docerent Hæresin, sicut illis non potuisset succedere* corruptela doctrinæ, *sine corruptela instrumentorum ejus, ita & nobis* integritas doctrinæ *non competisset sine integritate eorum per quæ doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris*? Quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei;.& in Scripturis deprehensum, *detractione, vel abjectione, vel transmutatione remediaremus*? Quod sumus, hoc sunt. *ab initio suo ex illis sumus, antequam nihil aliud fuit quam sumus.* Cap. 38. Hæc *Tertullianus.*

Summa doctrinæ quam olim tenebat Ecclesia Romana cum aliis Apostolicis Ecclesiis.

4. Apostolicæ igitur Ecclesiæ bifariam dicuntur. 1. Quæ per Apostolos, aut viros Apostolicos conditæ sunt: & in fide ab iis accepta perseverant. 2. Quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur; tamen in eadem fide conspirantes, *non minus Apostolicæ* deputantur, pro consanguinitate doctrinæ. At illa Ecclesia, cujus doctrina, cum doctrina Apostolica comparata, invenitur diversa ab ea eique contraria, non est Ecclesia Apostolica, sed ex diversitate doctrinæ est *extranea, inimica, hæretica.* Et tales Ecclesiæ duum sunt generum. Nam vel initio pro recta fide conditæ sunt in hæresi, sicut quædam Gothorum olim Ecclesiæ Arianæ: vel conditæ sunt in fide Apostolica, & postea ab ea desciverunt, ut Ecclesiæ illæ quæ aliquando erant Orthodoxæ, postea vero evaserunt hæreticæ. Sic Ecclesia Alexandrina initio Apostolica, postea in hæresin incidit Monophysitarum; & aliæ in alias hæreses. Hoc discrimen est inter ista duo genera; quod prioris generis Ecclesiæ, sint quidem hæreticæ & extraneæ, non tamen Apostaticæ, non enim discesserunt à recta fide, quam nunquam habuerunt: posterioris autem generis Ecclesiæ sint & hæreticæ & Apostaticæ; qualis est hodie Ecclesia Romana. Antiqua illa Romana Ecclesia, de qua loquitur Tertullianus, fuit verè Apostolica, retinens eam fidem quam ab Apostolis accepit, quippe eam constanter potans ex *Lege & Prophetis, & Evangelicis Apostolicisque literis*: adeo ut de proprio nihil inferret, neque doctrinæ ejus aliquid contrarium in Scripturis depræhenderetur. At degener posteritas effodit sibi cisternas inventionum humanarum, spretis puris fontibus divinarum Scripturarum: & de proprio intulit dogmata, sacris Scripturis contraria. Unde Ecclesia Romana non jam est Apostolica, sed Apostatica. Et illa quondam civitas fidelis, facta est meretrix: & quæ erat plena judicii, in qua habitabat justitia, in ea nunc sunt homicidæ: argentum ejus versum est in scorias, vinum ejus mistum est aqua: sicut de Hierusalem questus est *Dominus* per Prophetam, Esai. 1; 21, 22. Plantavit illic *Deus* vineam plantis vitis optimæ, sicut olim in Israële, & servivérunt *Domino*, primis illis seculis, sicut *servivit Israël* Domino *cunctis diebus Josuæ, cunctisque diebus seniorum, qui diu vixerunt post Josuam, & qui noverant omne opus* Domini *quod fecit Israëli. Sed omnis illa generatio aggregata est ad patres suos: surrexitque generatio alia post eos, qui non noverunt* Dominum, *& opus quod fecit Israëli: & fecerunt* posteri isti *malum in oculis* Domini: *& expectante* Domino, ut vinea *faceret uvas, fecit labruscas.* Jos. 24. 31. Judic. 2: 7, 10, 11. Esai. 5: 2. Nostra autem Ecclesia *Scotica* est verè Apostolica, quia *Legem & Prophetas, cum Evangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem eam*, quam olim Ecclesiis Apostolicis Apostoli tradiderunt. Neque de proprio quicquam infert, aut quicquam doctrinæ ejus contrarium in Scripturis depræhenditur.

5. Prosper, in Epist. ad Augustinum: *Sanctam*, inquit, *& Apostolicam doctrinæ tuæ authoritatem*: nempe, quia doctrina illa Augustini contra Pelagianos, ex Lege & Prophetis, & Evangelicis Apostolicisque literis hausta erat.

6. Sæpè mihi & seriò monendi sunt Papistæ ne inani vocabulorum sono, & audaci Romani Pontificis jactantia superbaque elatione se ita miserè decipi patiantur. Sed sensum inquirant, an cum sono concordet.

7. Eusebius sedem Hierosolymitanam, vocat sedem Apostolicam, Ἀποστολικὸν θρόνον Lib. 7. Hist. Eccl. cap. λϛ. 26. In actione 18. sexti Concilii œcumenici Imperator Constantinus, definitionis Synodicæ exempla, cum Imperatoris subsignatione, mittens quinque Patriarchalibus sedibus [τοῖς πέντε πατριαρχικοῖς θρόνοις.] Ecclesiam Constantinopolitanam vocat *Magnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*: & sedem Alexandrinam, *Apostolicam sedem sancti Evangelistæ Marci*, idque approbantibus Patribus Synodicis.

8. Patres Concilii œcumenici secundi, in ea Epistola quam ad Occidentales scripserunt, Ecclesiam Antiochenam, appellant *Antiquissimam*, *& verè Apostolicam*, ὄντως ἀποστολικήν. Et Ecclesiam Hierosolymitanam vocant, *Matrem omnium Ecclesiarum*, τὴν μητέρα ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Apud Theodoretum, Hist. Eccles. Lib. 5. Cap. 9.

Ecclesia Hierosol. mater omnium Ecclesiarum.

Ecclesia Catholica. 1.

9. Jactant etiam Romanenses Ecclesiam Romanam, esse Ecclesiam Catholicam; ut hujus etiam vocabuli sono incautos alliciant. Sed ne-

que huic soli Ecclesiæ tribuebatur hoc Epitheton à Patribus, neque ei nunc verè tribui potest. Catholica Ecclesia, vel significat *Universam quacunque se diffundit Ecclesiam:* sicut eam describit Augustinus, epist. 118. Hæc est *illa Ecclesia una, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur.* De qua scribit Cyprianus, lib. de unitate Ecclesiæ. Hæc est illa *Catholica & Apostolica Ecclesia, ἡ καθολικὴ καὶ ἀποςολικὴ ἐκκλησία:* à qua alienos Arianos Hæreticos, & Catharos Schismatico-Hæreticos, declaravit magna Nicæna Synodus, in Symbolo, & can. 8. quæ in secundo Concilio œcumenico, can. 7. appellatur, *Sancta Dei Catholica & Apostolica* Ecclesia. Et in ejusdem Concilii Symbolo, *una sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, μία ἁγία καθολικὴ, καὶ ἀποςολικὴ ἐκκλησία. Hæc est illa sublimis Hierusalem, Mater omnium nostrum.* Galat. 4. 26. Hæc est illa Christi *Ecclesia, quam qui relinquit, non pertinet ad* Christi *præmia:* sed *alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest* Deum *Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem:* ut scribit Cyprianus, lib. de unitate Ecclesiæ. Hanc *Catholicam Ecclesiam* Augustinus opposuit parti Donati, in Psalmo suo contra partem Donati, & lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 2. (ubi etymon vocabuli [Catholica] declarat: *quia per totum est. Secundum totum enim καθ' ὅλον Græcè dicitur*, inquit August.) & alibi passim, in suis disputationibus, adversus Donatistas. Et eandem opposuit Ecclesiæ Romanæ, ut parti solum totius. Aug. epist. 86. Hoc sensu Gregorius, adversus Joannis Constantinop. elationem scribens, ait, *Universa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is qui appellatur universalis cadit*, lib. 4. epist. ex registro, cap. 76. sive epist. 32. *Universa Ecclesia*, id est, Catholica Ecclesia, quam etiam eodem cap. Gregorius vocat *Universalem Ecclesiam.* Vel Ecclesia Catholica significat aliquam Ecclesiæ universalis partem, quæ orthodoxam fidem universalis Ecclesiæ tenet: & hoc posteriori sensu Cathol. Eccl. significat quamlibet particularem orthodoxam & Apostolicam Ecclesiam; eodemque sensu orthodoxi dicuntur Catholici: sic accipitur Cathol. Eccl. apud Cypr. lib. 3. epist. 11. ubi dicitur, *Unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere:* id est, ut explicat Cypr. lib. de simplicit. Prælat. *esse non posse uno in loco multos Pastores*, (sive Episcopos: non enim negat plures uni gregi præesse posse Presbyteros) *aut plures greges.* Hoc sensu Smyrnensis Ecclesia appellatur Catholica Ecclesia. Apud *Eusebium*, lib. 4. Hist. Eccles. κεφ. ιε. cap. 14. καθολικῆ, τιτέςι, πιςῆ. in Concil. Cp. sub Menna. Act. 1. Patres in Concil. Nicæno 1. can. 19. quemlibet orthod. Epis. vocant *Catholicæ Eccl. Episcopum:* non utique Romanæ, sed suæ propriæ Ecclesiæ orthodoxæ. Aut Catholica Ecclesia illic significare poterit universam Ecclesiam, cujus omnes sunt Episc. quicunque illius unius Episcopatus partem aliquam tenent, de quo scribit Cyprianus, Libro de simplicitate Prælatorum. Qua significatione, in collatione Carthaginensi cum Donatistis, (Tom. 1. Concil. Part. 1.) sæpe scribitur, *Alipius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ dixit: Possidius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.*

Papa.

10. Quod ad nomen *Papa*; id etiam aliis Episcopis olim tribuebatur. Presbyteri & Diaconi Romanæ Ecclesiæ scribunt *Cypriano Papæ*: apud Cyprianum, lib. 2. epist. 7. Alipius, in Concilio Carthaginensi sexto, sic alloquitur Aurelium Episcopum Carthaginensem, *Sancte Papa Aureli.* Ad eundem Aurelium scribens Augustinus eum vocat *Charissimum fratrem & Consacerdotem & verè sanctum Papam Aurelium.* August. epist. 76. & 77. in Apologia secunda Athanasii Episcopi Alexandrini inseritur Epistola Constantini Augusti *ad Papam Athanasium τῷ πάπᾳ ἀθανασίῳ.* Hieronymus Epiphanium Salaminæ Cypri Episcopum vocat *Papam Epiphanium:* in libro ad Pammachium de optimo genere interpretandi; & in Epistola ad eundem *Pammachium* adversus errores Joannis Hierosolymitani; quæ incipit, *si juxta* Paulum. Idem Hieronymus suas ad Augustinum Epistolas sic inscribit, *Domino vere sancto & beatissimo Papæ Augustino.* Apud Augustinum epist. 11. & 13. & 14. &c. Idem quoque Hieronymus, in Apologia adversus Ruffinum, quæ incipit, *Lectis literis*; mentionem facit *sancti Papæ Chromatii.* Ruffinus expositionem suam in symbolum scribit ad *Papam Laurentium*, qui non erat Episcopus Romanus.

Pater beatissimus.

11. Nomen *Pater*, & Epitheta illa, *Sanctissimus, beatissimus, religiossimus, ὁσιώτατος, ἁγιώτατος, μακαριώτατος, εὐλαβέςατος, θεοφιλέςατος*, & abstracta, *sanctitas, beatitudo, θεοσέβεια*; tribuebantur omnibus Episcopis: ut patet ex Epistolis Episcoporum, quæ habentur in prima parte Concilii Ephesini, œcumenici tertii, & alibi passim, in actis veterum Conciliorum. Paulinus, Alipio Episcopo, scribit, *Beatissimo patri Alipio.* Apud August. epist. 35. Et Augustinus ad Præsidium; *Domino Beatissimo & merito venerando fratri & Consacerdoti Præsidio.* epist. 16. Idem Augustinus scribens Hesychio, ait, *Domino beatissimo Hesychio, Augustinus.* Eamque Epistolam sic inchoat, Ad Sanctitatem tuam *Filio tuo Compresbytero nostro remeante.* epist. 78. Hilarius ad Augustinum scribens, *Sanctitatis*, inquit, *tuæ gratia.* Apud Augustinum, epist. 88. Augustinus Evodium Episcopum compellans, ait, *Sanctitas tua.* Epistola 102. Idem ad Valerium Episcopum suum scribens, adhuc Presbyter, eum vocat: *Patrem*, & *Dominum beatissimum*; & sic compellat, *Sanctitas tua.* epist. 148. Prosper, in Epistola ad Augustinum, sic scribit; *Domino beatissimo Papæ, ——— Augustino Prosper.* Et in corpore Epistolæ; *Beatitudini tuæ scribere. ——— Consulenda erat sanctitas tua. ——— Beatitudinis tuæ libro. ——— Papa beatissime, pater optime ——— Diligentiam pietatis tuæ. ——— Sciat beatitudo tua. —— Domine Papa beatissime.* Exstat hæc Hilarii Epistola, apud Augustinum, Tom. 7. operum Augustini, ante librum de prædestinatione Sanctorum. Et inseritur ibidem Epistola Hilarii, Arelatensis Episcopi, ad Augustinum; ubi Hilarii hæc sunt verba; *Domino beatissimo, —— Patri Augustino Hilarius. —— Consilium sanctitatis tuæ. —— Memorem mei paternitatem tuam Dominus Jesus Ecclesiæ suæ annis pluribus donare dignetur, Domine pater.* Hæc Hilarius. Vide Gregor. lib. 4. epist. ex registro, cap. 80. August. ad Cœlestium Diaconum scribens, *Ad me*, inquit, *directa Hipponem sanctitatis tuæ scripta venerunt.* Et paulo post, *Sanctitati tuæ salutationem debitam reddo.* epist. 62. Ubi in Epistolæ titulo Diaconum illum vocat, *Dominum venerabilem.* Et lib. 1. de anima & ejus origine, cap. 2. *Renato* ait, *Sanctitati tuæ.* Fuit hic *Renatus* laicus, ut ipse testatur *Augustinus*, lib. 2. ejusdem operis, cap. 1. ubi etiam *Petrum*

Pres-

Presbyterum sic compellat, *sanctitatem tuam.* Et alibi pro concione populum alloquens, *Notissimum* (inquit) *arbitror esse sanctitati vestræ.* in præfatione in psal. 115.

12. Cyprianus suas ad Episcopos Romanos Epistolas sic inscribit, *Cyprianus Cornelio fratri salutem.* lib. 1. epist. 1. & sequentibus. Item, *Cyprianus & cæteri Stephano fratri salutem.* lib. 2. epist. 1. & sic passim. Aurelius, Episcopus Carthaginensis, in Concilio Carthaginensi sexto, cap. 1.§.5. *Sancto*, inquit, *Fratri & Consacerdoti nostro*, [Episcopo Romano] *singula*, &c. In codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, can. 68. *Ad sedem Apostolicam, in qua præsidet memoratus venerabilis Frater, & Collega noster, Anastasius.* [Episcop. Rom.] Et in Epistola ad Cœlestinum, Episcopum Romanum, sic cum compellant Patres Africani: *Domine Frater.* Inscriptio Epistolæ Concilii Africani, ad Bonifacium, urbis Romæ Episcopum, sic se habet: *Domino beatissimo, & honorabili Fratri, Bonifacio, Aurelius*, &c. Ejusdem Concilii Epistola ad Cœlestinum, Episcopum Romanum, sic inscribitur, *Dilectissimo Domino, & honorabili Fratri, Cœlestino, Aurelius*, &c. Ad eundem Innocentium scripta extat Epistola Aurelii, Alipii, Augustini, Evodii, & Possidii, apud Augustinum, epist. 95. quæ sic inscribitur: *Domino beatissimo, meritoque honorandissimo Fratri, Innocentio Papæ, Aurelius, Alipius, Augustinus*, &c. In Synodo Lateranensi, quæ præside Martino, Episcopo Romano, habita est, anno Domini 642. lecta est Epistola Victoris, Episcopi Carthaginensis, scripta ad Theodorum, Papam Romanum, Martini immediatum prædecessorem; quæ sic inscribitur: *Domino beatissimo, & honorabili, sancto Fratri, Theodoro Papæ, Victor.* Et in corpore Epistolæ habentur hæc verba: *Ad quam* [Orthodoxam Christi Ecclesiam] *omnes beatissimi Apostoli, pars honoris & potestatis consortio præditi, populorum agmina convertentes*, &c. Et paulo post: *Ad salutationem ergo vestræ sanctæ & honorandæ fraternitatis*, &c. Sub finem Actorum & Canonum Synodi Nicænæ secundæ, pseudo-septimæ œcumenicæ, adjiciuntur quædam Epistolæ, inter quas est Epistola Tarasii, Patriarchæ Constantinopolitani, ad Adrianum, Papam Romanum: cujus hæc est inscriptio; *Per cuncta sanctissimo & beatissimo Fratri, & Comministro* [ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ] *Domino Adriano Papæ, senioris Romæ, Tarasius misericordia* Dei *Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ, in* Domino *salutem.*

13. Hæc ideo indicanda videbantur, ut sciant etiam simpliciores, non esse Romanæ aliquam prærogativam affingendam ex verborum foliis, quando deest radix rationis. Ac ne in verborum quidem antiquo usu inveniri quippiam quo se magnopere jactent Romanenses.

14. De Papæ Romani primatu aliquid attigimus in exegesi superioris propositionis, cautione prima. Adjiciam hic Canonem universalis Concilii Africani, Episcoporum 217. in quibus fuit beatus Augustinus: quod celebratum est circa annum Dom. 423.

Concilii Africani, Canon 92. qui etiam invenitur in Concilio Milevitano 2. can. 22. & in codice canonum Ecclesiæ Africanæ, cap. 125.

Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint: vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quicquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad Transmarina autem [πρὸς δὲ τὰ πέραν τῆς θαλάσσης,] qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.

15. *Hujus decreti sui rationes justas declarant Patres illius Africani Concilii, in sua Epistola ad Cœlestinum, Episcopum Romanum, (quæ extat in fine prioris partis tomi primi Conciliorum.* Edit. Bin.) *his verbis:*

Nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos, suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim justissiméque providerunt, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: nec unicuique Provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à *Christi* Sacerdotibus & prudenter videatur, & constanter teneatur: maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare. Nisi forte quisquam est, qui credat unicuilibet [ἑνὶ ᾧτινι δήποτε] posse *Deum* nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus Congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam ut aliqui, tanquam à tuæ Sanctitatis latere, mittantur; nulla invenimus Patrum Synodo constitutum: quia illud quod pridem per eundem Coëpiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii, exinde transmisistis: in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæna, (ἐν ταῖς ἀληθεστέραις ἀπογραφαῖς τῆς ἐν Νικαίᾳ) à sancto Cyrillo Coëpiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico (παρὰ τοῦ προσκυνητοῦ Ἀττικοῦ) Constantinopolitano Antistite, ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ (τῆς προσκυνητῆς μνήμης) Bonifacio Episcopo prædecessori vestro, à nobis transmissa sunt, (in quibus) tale aliquid

liquid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam *Christi*, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, *Deum* videre cupientibus præfert, videamus inducere. Hæc illi.

16. Nota est Historia: Rem in pauca conferam, ex illius Africani Concilii Actis. Apiarius, Presbyter Siccensis Ecclesiæ in Africa, ob flagitia sua, ab Episcopo suo *Urbano* excommunicatus est, eamque censuram ratam habuit totius Africæ Ecclesia. Confugit Apiarius ad Zosimum, Episcopum Romanum eum appellans. Zosimus missis ad Aphros Legatis, una cum scripto commonitorio, egit cum eis de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem: allegans Nicæni Concilii pro ea re constitutionem. Episcopi Afri reverentia Concilii Nicæni, decreverunt obtemperandum esse Concilii decreto: sed *salva diligentiori inquisitione Concilii Nicæni*: sicut dixit sanctus Augustinus Episcopus Hipponensis, in Concilio illo Carthaginensi sexto, 217. Episcoporum; ubi hæc quæstio primum agitari cœpit. Quia igitur suspecta habebant quæ à Romanis Episcopis, in ea causa allegabantur, decreverunt Afri mittere ad Episcopos Orientales, Alexandrinum, & Constantinopolitanum, &c. ut ab eis haberent vera exemplaria decretorum Nicæni Concilii, ex ipsis authenticis ejus monumentis fideliter descripta. Qua de re etiam scripserunt Afri ad Zosimi successorem Bonifacium Episcopum Romanum, protestantes se decreta illa ad se à Romano Episcopo, tanquam Nicæna, missa, *paulisper sine ulla injuria servaturos*, *usque ad inquisitionem statutorum Concilii Nicæni*: *ad adventum verissimorum exemplariorum Nicæni Concilii*; *usque ad probationem*. (ut ipsi loquuntur in ea epistola ad Bonifacium) hortantes etiam Episcopum Romanum, ut ipse eadem servaret quæ in ejusdem Concilii decretis continerentur. Quibus Africanorum literis acceptis Cœlestinus Episcopus Romanus, Bonifacii successor, Apiarium communioni reddidit: missoque cum eo in Africam Legato Faustino Episcopo, hortatus est Afros ut ipsi eum quoque in communionem reciperent. Cum Afri, congregato Concilio, ea quæ Apiario objecta erant crimina discuterent, eerti non recipere, nisi confitentem & pœnitentem; Apiarius, Deo ejus conscientiam coarctante, in confessionem cunctorum objectorum flagitiorum erupit. Patres autem Africani, acceptis jam ex Oriente veris exemplaribus Nicæni Concilii, monuerunt per literas Cœlestinum, non debuisse hoc ab eo fieri, ut hominem ab eis excommunicatum ipse communioni redderet: hoc enim minimè licere. Dehortantur etiam à talium appellationum admissione, & hortantur ut ab eis excommunicatos, ille in communionem nolit ultra excipere: hoc enim etiam Nicæno Concilio esse definitum.

17. Observa autem Africanos illos Patres Canones Nicænos, Episcopis & Metropolitanis præscriptos, opponere Episcopo Romano, tanquam eisdem legibus obligato, quibus reliqui Episcopi. Non intellexerunt boni illi patres exceptionem illam de privilegio sedis Romanæ, quam postea sibi arrogarunt Pontifices Romani.

18. Nullum Romani illi Episcopi protulerunt altiùs repetitum argumentum, quam ab authoritate Ecclesiastica Concilii Nicæni. Patres Africani plus tribuerunt Concilio, quam Episcopo Romano: & deprehenderunt allegationis falsitatem, inspectis veris exemplaribus.

19. In Canonibus qui Apostolorum dicuntur, Can. 73. Episcopus judicandus dicitur ab Episcopis, & ad extremum à Synodo. Neque eximitur Romanus Episcopus: neque illi ultimum defertur judicium.

20. Regnante Mauritio Augusto, Joannes Episcopus Constantinopolitanus, se nominavit universalem [οἰκουμενικὸν] Patriarcham, circa annum Dom. 589. Propterea Pelagius, Episcopus Romanus, hujus nominis secundus, prohibuit diaconum responsalem suum, Constantinopoli commorantem, missarum solennia cum Joanne celebrare. Idemque responsali suo injunxit Gregorius, hujus nominis primus, Pelagii successor immediatus, ut scribit Gregorius, Lib. 4. Epist. ex registro, cap. 80. Et cum Gregorius literis Imperatoris Mauricii monitus esset, ut cum Joanne pacem coleret, mentem suam de illo vocabulo [*universalis*] per aliquot Epistolas declaravit. Quædam ejus verba exhibeo: in Epist. ad Mauricum Imperatorem; *Sanctissimus*, inquit, *Consacerdos meus Joannes vocari universalis Episcopus conatur. Exclamare compellor ac dicere, O tempora, O mores! Numquid ego hac in re, piissime Domine, propriam causam defendo? Numquid specialem injuriam vindico? Et non magis causam Omnipotentis* Dei, *& causam universalis Ecclesiæ? Universa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is, qui appellatur universalis, cadit. Sed absit à cordibus Christianorum* nomen istud blasphemiæ, *in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.* Lib. 4. Epist. ex registro, cap. 76. Item, in Epist. ad Constantiam Augustam; *In hac ejus* (Joannis) *superbia, quid aliud, nisi propinqua jam Antichristi esse tempora, designatur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad* culmen *conatus est* singularitatis *erumpere.* Lib. 4. cap. 78. Item, in Epist. ad Eulogium, Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Episcopum Antiochenum; *Nullus unquam decessorum meorum hoc tam* profano *vocabulo uti consensit, quia videlicet si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, sed absit hoc, absit à Christiana mente id sibi velle quempiam arripere, unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur.* ——— *Jactantiam sumpsit*, (Joannes Constantinop.) *ita ut universa sibi tentet adscribere, & omnia* quæ soli uni capiti cohærent, videlicet Christo, *per elationem* pompatici *sermonis ejusdem* Christi *studeat membra subjugare.* Lib. 4. cap. 80. Item in Epist. ad ipsum Joannem Constantinopolitanum, sic eum alloquitur; *Ad hoc perductus es, ut despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari.* ——— *Tu quid* Christo universalis scilicet Ecclesiæ capiti, *in extremi judicii es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris* universalis *appellatione supponere? Quis, rogo, in hoc tam* perverso *vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus, secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere: ut & nulli* subesse, & solus omnibus præesse videretur? *Qui etiam, dixit; In Cœlum conscendam: super Astra Cœli exaltabo solium meum.* ——— Esai. 14.

Quid

—— *Quid enim fratres tui omnes* universalis Ecclesiæ Episcopi, *nisi Astra Cœli sunt? Quorum vita simul & lingua inter peccata erroresque hominum quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum* vocabulo elationis *præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare: quid aliud dicis, nisi* in Cœlum conscendam: super Astra Cœli exaltabo solium meum? —— —— Rex superbiæ *prope est: &, quod dici nefas est, Sacerdotum est præparatus exercitus: quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis.* —— —— *Scriptum est; honore prævenientes* (Rom. 12.) *& tu conaris cum omnibus tollere, quem tibi illicitè desideras singulariter usurpare.* Lib. 4. Epist. ex Reg. cap. 82. Item, in Epistola ad Anianum, Diaconum Constantinopolitanum: *Miror autem quod dilectionem tuam fallere potuit* (Joannes) *ut permitteres Domino Imperatori persuaderi, quatenus ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admonerer, ut cum eo pacem habere debuissem. Qui si justitiam tenere vult, illum debuit admonere: ut se à superbo vocabulo compesceret, & protinus inter nos pax fieret,* —— in isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere. Lib. 4. cap. 83. vide etiam in eodem opere, lib. 6. cap. 188. & cap. 192.

21. Quid igitur? Num Bonifacium tertium, Papam Romanum vocabimus Antichristum, eo quod obtinuerit apud Phocam Imperatorem (Anno Dom. 606.) ut Ecclesia Romana caput esset omnium Ecclesiarum, cum Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum antea scripserit: (sicut monet Anastasius Bibl. in vita Bonifacii 3.) & ut Romanus Pontifex œcumenicus appellaretur? Id quod fecit Phocas in odium Cyriaci, Episcopi Constantinopolitani, qui non passus est è Templo abstrahi fœminas quasdam, quæ eo confugerant, & quas inde abducere volebat Phocas: ut monet Binius, in notis in vitam Bonifacii III. ex Theophane, & Paulo Diacono.

22. Non hoc dicimus: sed tantummodo cum Gregorio dicamus, Bonifacium illum fuisse imitatorem Diaboli, & Præcursorem Antichristi; & prope tunc fuisse regem illum superbiæ; id est, Antichristum. Affectum quidem tunc erat, & longe promotum Iniquitatis mysterium, sed nondum erat perfectum. Erat illud nomen gradus quidam ad Antichristianismum: at ipse Antichristianismus per profanam illam nominis interpretationem, quam in propositione indicavimus, postea irrupit. Vis graphicam habere regis superbiæ (*Bestiæ* illius *plenæ nominibus blasphemiæ*, Apocal. 17: 3.) descriptionem, eam tibi in propositione exhibuimus.

23. Sed mirum videtur, quod dicat Gregorius, Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici hoc universalis nomen obtulisse: & tamen subjiciat nullum unquam decessorum suorum hoc tam profano vocabulo uti consensisse. Quod etiam vocat *nefandum, superbum, stultum, & superstitiosum, & blasphemiæ vocabulum.*

Respondeo: 1. Quæcunque privilegia Romano Pontifici concessa sunt, eis paria concessit Concilium Chalcedonense Episcopo Constantinopolitano, sicut monui in exegesi superioris propositionis. Si igitur ex decreto illius Concilii posset Romanus Episcopus dici universalis, pari jure illud nomen usurpare posset Episcopus Constantinopolitanus. 2. Quo sensu à Gregorio vocabulum hoc appellatur profanum, eo sensu non est existimandum illud probatum esse Synodo Chalcedonensi: est autem profanum & nefandum, si hoc sensu accipiatur, ut universalis ille spreta Coëpiscoporum societate culmen singularitatis conscendere conetur, & universa *Christi* membra sibi studeat subjugare, & reliquis Coëpiscopis seipsum vocabulo elationis præponat, ita ut eorum nomen sui comparatione conculcet: & ut nulli subesse, & solus omnibus præesse affectet. 3. Episcopus quidem Constantinopolitanus hodieque appellatur œcumenicus, sed non profano illo & scelesto sensu, quo se œcumenicum appellat Episcopus Romanus. 4. Neque hoc nefando sensu vocabulum hoc sibi sumpsit Joannes Constantinopolitanus, ut patet ex Lib. 6. Epist. Gregorii, ex registro cap. 188. ubi legimus Anastasium Episcopum Antiochenum, hortatum esse per literas Gregorium, ut de illa Constantinopolitani appellatione non contenderet, sed pacem cum Cyriaco Joannis successore haberet, *neque scandalo locum pro nulla causa daret.* Cui rescribens Gregorius, ait se recepisse Cyriaci Synodicam Epistolam, ne pro causa profani vocabuli *unitatem sanctæ Ecclesiæ perturbaret:* sed tamen admonuisse quod pacem cum illo habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret. *Quia*, inquit, *si hanc æquanimiter portamus, universæ Ecclesiæ fidem corrumpimus.* Non est verisimile Anastasium nihili existimaturum tantam elationem, nisi judicaret, certamen moveri potius de vocabulo, & ordine prioritatis, quam de re ipsa. Gregorius autem etiam de re ipsa indicavit, periculum futuri abusus. Qui & evenit postea in ipsa sede Romana, per adventum Regiæ superbiæ, quem in propositione descripsimus.

Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 7. §. 17.

24. Idem Gregorius suam subjectionem Imperatori profitetur in Epistola ad Mauricium Imperatorem, ubi sic eum alloquitur Gregorius; *Piissimus atque à* Deo *constitutus* Dominus *noster, inter cæteras,* &c. —— *Prudentissimè piissimus Dominus noster ad compescendos bellicos motus pacem quærit Ecclesiæ, atque ad hujus compagem, Sacerdotum dignatur corda reducere. Quod quidem ego opto, atque quantum ad me attinet,* Serenissimis jussionibus obedientiam præbeo. —— *Cogitet ergo dominorum pietas de me proprio suo, quem specialiter præ cæteris semper fovit, atque continuit, qui &* vobis obedientiam præbere desidero, *& tamen de mea negligentia reperiri reus in superno tremendoque judicio pertimesco.* —— *Ego autem* dominorum jussionibus obedientiam præbens, *prædicto Consacerdoti meo & dulciter scripsi, & humiliter, ut ab hac inanis gloriæ appetitione sese emendet, admonui.* Lib. 4. cap. 76. Item, in Epistola ad Constantiam Augustam: *Piissimi Domini, scripta suscepi, ut cum fratre & consacerdote meo Joanne debeam esse pacificus. Et quidem sic religiosum* Dominum *decuit, ut ista Sacerdotibus præciperet.* Lib. 4. cap. 78. Hæc Gregorius. Vide etiam ejusdem operis Lib. 2. capp. 100. & 103. & Caus. 11. Quæst. 5. Can. *Si tributum.*

Papa Romani subjectio Imperatori. Vide his similia in suggestione seu epistola Agathonis Papæ Rom. ad Constantinum 4. Imp. in actis Sextæ Oecumenicæ Synodi, actione quarta.

25. Jubet Apostolus omnem animam subjici potestatibus superioribus, id est principibus civilibus. Rom. 13: 1. &c. ubi *Chrysostomus*; πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω· κἂν ἀπόστολος ἧς, κἂν εὐαγγελιστὴς, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν. οὐδὲ γάρ ἀνατρέπει τὴν εὐσέβειαν αὕτη ἡ ὑποταγή· id est, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Etiamsi Apostolus sis, etiamsi Evangelista, etiamsi propheta, & quicunque tandem sis. Non enim pietatem subver-*

Chrysost. serm. 23. in epist. ad Rom.

ver-

vertit hæc subjectio. Dominus noster jubet offendentem fratrem deferri ad Ecclesiam, & ab ea judicari. Math. 18: 17. Apostolus ait, Spiritus Prophetarum subjici Prophetis; *Deum* enim non esse confusionis *Deum*, sed pacis. 1 Cor. 14: 32, 33. Ergo Papa Rom: si non habeat ipse supremam aliquam jurisdictionem temporalem, necesse habet vel subjectionem & obsequium deferre principi illi in cujus ditione degit, vel fateri se non esse animam, id est, non esse hominem. Si non vult subjici Ecclesiæ, non est frater. Si non vult subjici Prophetis, non est Propheta.

Vide caus. 11. qu. 3. can. Ad mensam.

Papa Romani subjectio Ecclesiæ.

26. Papa scandalizatus debet offendentem corripere, eumque, si obstinatè in peccato persistat, ad Ecclesiam deferre, (teste Gregorio Papa, lib. 4. epist. ex registro, epistola 38. seu cap. 82. in fine.) Ergo etiam Papa offendens, & privatis correptionibus non emendatus, deferri poterit ad Ecclesiam, atque ab illa judicari, nam eadem de omnibus fratribus regula est Math. 18.

27. In epistolis & responsionibus Synodalibus Concilii Basiliensis, in Responsione Synodali de autoritate cujuslibet Concilii Generalis supra Papam, & quoslibet fideles: paulò ante medium, dicit Concilium Basiliense; *Hoc quod dixit Christus*, Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, sit tibi ethnicus & publicanus: *omnes homines comprehendit. Et quod Petrus & successores illa autoritate comprehendantur, ostendit Paulus, qui in faciem restitit Cephæ & coram omnibus. Ecclesiæ enim dixisse videtur, qui coram omnibus dixit, quoad successores Petri. Jam suprà dictum est, qualiter sæpe peccata eorum dicta fuerint Ecclesiæ & ab Ecclesia punita: & qui non audierunt Ecclesiam, fuerunt habiti ut ethnici & publicani, ut legitur de Anastasio & Liberio. Probat hoc etiam autoritas universalis Ecclesiæ, quæ non potest errare, ita definiens in Concilio Constantiensi, quod peccata Pontificum circa fidem, vel schisma, vel mores, possunt dici Ecclesiæ, cujus præceptis & ordinationibus tenentur obedire: & si obedire contemserint, condignæ pœnitentiæ possint subjici, & ad alia juris remedia recurri, & per consequens possunt excommunicari. Quo facto, ut ethnici & publicani habebuntur. Hæc Patres Basilienses.* [tom. 8. Concil. pag. 128. edit. Paris. anno Dom. 1636.]

Math. 18.

Gal. 2.

28. In ipso jure canonico dicitur, Papam Romanum, si depræhendatur à fide devius: imo de quocunque notorio crimine, unde scandalizatur Ecclesia, si incorrigibilis sit, (de hæresi autem etiam occulta) accusari & judicari posse ab Ecclesia. 40. dist. *Si Papa.* In glossa. Ubi proponitur quæstio, *Numquid Papa possit statuere, quod non posset accusari de hæresi*; & respondetur, *Quod non.* Item alibi, *Bene posset Papa deponi, eo invito, propter hæresin*, inquit autor glossæ, in Sexto, de renunciatione, cap. 1. in descript. casus. §. *Nota insuper.*

29. Gregor. 6. Papa Rom. depositus est à concil. Sutrino, anno Dom. 1046. & in ejus locum substitutus est Clemens 2. ut scribunt Platina & Onuphr. & judicium illud depositionis Gregorii ratum mansit, sine ulla retractatione: & Clemens ex illo die habitus est pro vero Pontifice.

30. Gregorius 12 depositus est authoritate Concilii Pisani, anno 1409. Ut *notorius schismaticus, notorius hæreticus, & à fide devius.* Concil. Pisan. Sess. 14. & in ejus locum suffectus est Alexander Papa 5. quo postea mortuo, creatus est Papa Joannes 23. (vel secundum Platinam 24.) Hic etiam Joannes à Pontificatu dejectus est authoritate Concilii Constantiensis, (anno 1415) ut legimus in actis illius Concilii Sess. 10. & Sess. 12. Declaravit eadem Synodus, sess. 4. se potestatem à Christo immediatè habere, cui etiam Papa obedire teneatur. Hæc constitutio & declaratio repetitur, sess. 5. & extenditur ad omnia alia Concilia generalia legitimè congregata. Decernitur etiam, sess. 6. ut postuletur quidem à Papa Joanne consensus, si autem non consentiat, tunc nihilominus procedatur contra eum, ejusque fautores, etiamsi non comparuerint ad terminum citationis, ipsorum absentia seu contumacia non obstante.

31. Basiliensis synodi decreto depositus est Eugenius Papa VI. sess. 34. anno Domini. 1439. in eo etiam concilio declaratum est Papam esse infra Concilium, sess. 2. congregatum est autem illud Concilium jussu Martini Papæ V. cujus nomine præfuit Concilio legatus ipsius Julianus Cardinalis, quem etiam in illo munere confirmavit ipse Eugenius: anno Domini 1431: ut patet ex Eugenii literis ad Julianum, insertis Sessioni primæ Concilii Basileensis. Unde non minus parere Synodi illius decreto tenebatur Eugenius, quam decreto Synodi Pisanæ Gregorius XII. aut Constantiensi decreto Joannes, aut Concilii Sutrini decreto Gregorius VI. & propterea exinde, ipso jure, Antipapa fuit Eugenius.

32. *Marcellinus* Papa *Romanus* tempore *Diocletiani* Imperatoris, fervente persecutione, Deos alienos adoravit. Ut scribit *Platina* in ejus vita. Quamvis postea pœnitentia ductus Martyrium subierit. Quid si populus Christianus Papam Idolis sacrificantem, & ita pro tempore evadentem; sequeretur? Num eos excusaret apud Deum opinio *infallibilitatis* Papæ *Romani.*

Contra infallibilitatem Papæ Romani.

33. Anastasius, (ut ajunt Romanenses) hujus nominis secundus, Papa Romanus, Petri Moggi & Acacii Monophysitarum errore seductus, offensam contraxit indelebilem; & Acacium (jam mortuum) revocare, seu restituere, id est, nomen ejus in sacris Diptychis scribere conatus est; & communicavit cum Photino Thessalonicensi Diacono, Acacii hæretici sequace: idcoque Clerici Romani à communione Papæ Anastasii abstinuerunt, feruntque hominem divino nutu percussum subitò interiisse, anno Domini 498. Hæc de Anastasio, scribuntur ab Anastasio Bibliothecario, & Platina, & Onuphrio, in ejus vita; & à Sabellico, Ænead. 8. lib. 2 & apud Gratianum, 19. dist. can. *Anastasius.* Ubi in Glossa, hæc tria annotantur: 1. Anastasium incidisse in hæresin jam damnatam, ideoque Clericos ab ejus communione meritò recessisse, neque necesse fuisse in tali casu novam sententiæ pronunciationem exspectare. 2. Ubi de Fide agitur, Synodum majorem esse Papa. 3. Anastasium nutu divino percussum, dum assellaret, emisisse intestina.

De hoc Anastasio, Vide Instruct. Historico-theolog. lib. 3. cap. 13.

34. *Honorium*, hujus nominis primum, Episcopum Romanum, ut Monothelitam, cum aliis Monothelitis hæreticis, condemnavit, & anathematizavit, sexta Oecumenica Synodus, actione 18. (Anno Domini 681.) in definitione Synodica, & in acclamatione ad Imperatorem Constantinum, & in oratione ad eundem Imperatorem prosphonetica, sive acclamatoria: & in literis Synodicis, ad Agathonem, Papam Romanum. Eundemque *Honorium*, cum aliis Mo-

Monothelitis, à Synodo anathematizatum agnoscit, & pro se anathematizat Constantinus Imperator, in suo edicto, quod incipit, *In Nomine* Domini. Idemque facit *Leo* II. Papa Romanus, Agathonis successor, in sua ad eundem Imperatorem Epistola: in qua ait, se gestorum Synodalium seriem recensuisse, curiosaque diligentia quæ gesta sunt flagitasse, & reperisse acta Synodalia Romam transmissa per Apostolicæ sedis legatos, scriptis consonantibus convenire cum iis quæ Apostolicæ sedis legati narraverunt; & anathematizat Honorium; quem ait Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravisse, sed *profana proditione immaculatam fidem subvertere conatum esse.* Hæc omnia extant in 18. actione sextæ Synodi. Eundem Honorium in sexta Synodo condemnatum esse, eo quod monothelita esset, scribunt *Anastasius* Biblothecarius, vita Leonis Papæ II. & Abbas Vespergensis in suo Chronico. Eandem condemnationem Honorii, tanquam depravatoris, repetiverunt & susceperunt Episcopi illi ducenti viginti septem, in quinisexta Synodo congregati, anno Domini 692. can 1. Synodus etiam Nicæna secunda, quæ à Papistis, ut orthodoxa & œcumenica suscipitur, affirmat Honorium Romanum fuisse monothelitam una cum Sergio Constantinopolitano, & Cyro Alexandrino; & propterea illos ut Hæreticos justè anathematizatos esse à Catholica Ecclesia. Prout legere est in actis illius Nicænæ Synodi, actione sexta. Tom. 2. §. *Has sanctas & universales Synodos*, & actione 3. in Epistola Taratii ad Patriarchas: & in confessione Theodori Patriarchæ Hierosolymitani. & actione 7. in definitione Synodica.

35, Adrianus 2 Papa Romanus, in Concilio Romæ babito, allocutione 3. fatetur Honorio post mortem anathema dictum esse ab Orientalibus, propter Hæresin, & eam de Honorio sententiam latam esse ait ex consensu Pontificis Romani, & addit hæresin esse causam idoneam libere respuendi placita etiam Papæ Romani. Hæc habentur in actis illius Synodi ab Adriano celebratæ; quæ exstant inserta septimæ actioni Concilii illius Constantinopolitani, quod Romanenses octavum œcumenicum vocant.

36. Hóc etiam Concilium, quod octavum vocant, anathematizavit *Honorium*, Actione 10. in termino illius Concilii. In ipso illo Latino codice, de quo Anastasius Bibliothecarins, qui eidem Concilio interfuit, *Quicquid*, inquit, *in Latino actionum octavæ Synodi codice reperitur, ab omni est fuco falsitatis extraneum.* Hæc Anastasius, præfatione ad acta illins octavæ synodi, quæ celebrata est Constantinopoli, circa Annum Domini 873. sedebat tunc Romæ Adrianus secundus.

Vide Instruct. Historico-theolog. lib. 5. cap. 24.

37. Jam sive meritò, sive immerentem dicas esse à Patribus illis condemnatum Honorium, necesse est tamen utique fatearis eum pro hæretico babitum esse ab illis qui eum condemnarunt, aut condemnationem ejus approbarunt.

Ex his manifestum est incognitam fuisse Patribus sexti Cnncilii œcumenici, & quinisexti, item Nicæni illius secundi, item Constantinopolitani illius, quod octavum vocant, novam hanc Papistarum hæresin, de infallibilitate Papæ Romani. Adeo ut non mirum sit recentem hanc prodigiosam ac verè Antichristianam doctrinam non in mentem venisse Patribus illis qui quintum Concilium œcumenicum, absque consensu Romani Pontificis celebrarunt: & sententiam pronnnciarunt definitivam, Romano Pontifici Vigilio, frustra reclamanti, displicentem. Cui etiam & ipse Vigilius postea consensit, deposito errore.

38. Hanc etiam commentitiam infallibilitatem ignoravit *Synodus Basileensis.* In cujus *Synodi*, sess. 34. exstat decretum Synodicum, & sententia definitiva contra Eugenium Papam 4. Ubi Synodus pronunciat, decernit, & declarat eum fuisse & esse *notorium & manifestum contumacem, unitatis & pacis Ecclesiæ* Dei *perturbatorem notorium, universalis Ecclesiæ scandalizatorem notorium, simoniacum, perjurum, incorrigibilem, schismaticum, à fide devium, pertinacem hæreticum*, &c. ac propterea eum à Papatu deponit.

39. Lubet hic subjicere memorabilem historiam: Circa aunum Domini 990. *Hugo* Francorum Rex, & Episcopi Legatos miserunt cum literis ad Joan. Papam Rom. contra Arnulphum, Archi-episc. Rhenensem, majestatis reum, hortantes, & admonentes Papam, ut turbatæ Ecclesiæ, suo consilio subveniret: sed Papa rem neglexit, nullo suppeditato consilio aut auxilio. Reversi legati, quid egissent, narraverunt coram Synodo Episcoporum Galliæ, quæ Durocortori Rhemorum celebrabatur, anno Domini 991. Hoc Papæ Romani fastu & incuria vehementer offensa est illa Rhemensis synodus; & inspectis Ecclesiasticis Canonibus, Arnulphum exauctoravit: suffecto in ejus locum Gereberto, qui etiam post paucos annos factus est Papa Romanus, & Sylvester secundus appellatus est. Hic Gerebertus historiam illius Synodi conscripsit: quæ ex vetustissimo codice Miciancnsis quondam Monasterii accepta, & typis evulgata est, Francofurti, anno Domini 1600. in illius historiæ cap. 28. Arnulphus Episc. Aurelianensis, approbante Synodo, hæc loquitur: *Is qui quolibet modo contra leges est* (loquitur de Rom. Pontifice) *legibus præjudicare non potest. Sed O lugenda Roma, quæ nostris majoribus clara patrum lumina protulisti: nostris temporibus monstrosas tenebras, futuro seculo famosas, effudisti. Olim accepimus claros Leones, magnos Gregorios.* ——— *Quid hunc*, (Joan. Papam intelligit) *reverendi Patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea & aurea radiantem, quid hunc, inquam, esse censetis? nimirum, si charitate destituitur, solaque scientia inflatur & extollitur*, Antichristus est, *in templo* Dei *sedens, & se ostendens tanquam sit* Deus. *Si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur, in Templo* Dei *tanquam* Statua, *tanquam* Idolum est: *à quo responsa petere, marmora consulere est. quo ergo consultum ibimus?* ——— *Divini verbi pabula, ubinam reperiri valeant, investigemus. Certè in Belgica & Germania, quæ vicinæ nobis sunt, summos Sacerdotes* Dei, *in Religione admodum præstantes, inveniri, in hoc sacro conventu testes quidam sunt. Proinde, si regum dissidentium animositas non prohiberet, inde magis Episcoporum Judicium petendum fore videretur, quam ab ea urbe, quæ nunc emptoribus venalis exposita, ad nummorum quantitatem judicia trutinat.* ——— *Cur autem loco prior, scientia inferior, non æquo animo ferat judicium loco inferioris, scientia prioris?* ——— *Si injustam judicii promulgaverit formam* [Papa Romanus] vocem Apostoli audiemus dicentis; Quicunque vobis annunciaverit *præter quod accepistis, Anathema sit, licet Angelum de Cœlo esse se fingat. Porro, si tacebit, ut nunc, consultæ leges, voce conditorum loquentur.* ——— *Quoniamque Romana Ecclesia à nobis consulta, nullam*

Arnulphi Aurelianensis Episcopi dilemma, de Joanne Papa Romano, quo infert eum vel Antichristum esse, vel tanquam idolum: ac propterea non ab illo sed aliunde petenda responsa.

Venalia Romana judicia.

judicis formam promulgavit, ex sacris legibus capitula proferantur. Hæc Arnulphus Aurelianensis, adprobante Synodo. Edita est simul Apologia Gereberti ad Wilderodum Argentinæ civitatis Episcopum, pro eadem Rhemensi Synodo. In qua hæc sunt Gereberti verba; *Multum interest, utrum* Deus *loquatur an homo: & si homo, utrum Apostolus an simpliciter Episcopus.* ——— *Quomodo manserus in aeternum leges trecenti decem & octo Patres* (Nicæni) *constituerunt, si horum constituta ad unius* (Papæ Romani) *libitum permutantur aut perimuntur?* Hæc ille. Vide reverendi Parentis nostri commentarium in Apocal. cap. 13. & cap. 17. Ubi in fine cap. 17. invenies invictam demonstrationem, per quam evincit **Romanum Pontificem** esse **Antichristum.**

APPENDIX,

DE DOCTORIBUS.

DOMINUS noster, apud Matthæum, cap. 23. reprehendit Pharisæos, quod amarent vocari ab hominibus, Rabbi, Rabbi: & Discipulis suis ait, *Vos autem ne vocemini Rabbi: Unus enim est Doctor vester, nempe*, Christus: *omnes autem vos Fratres estis: & Patrem vestrum neminem vocetis in terra, unus est enim Pater vester, qui est in Cœlis: nec vocemini Doctores: unus enim vester est Doctor, nempe*, Christus: vers. 8, 9, 10. Hæc unius Magistri nostri verba quidam perperam interpretantes, eis abutuntur contra gradum docturæ scholasticæ.

2. Quibus respondemus, Dominum nostrum non illic prohibere usum vocabuli, (Doctor) nam & ipse dedit Ecclesiæ Doctores, Ephes. 4: 11. & 1 Corinth. 12: 28. Et Apostolus Paulus seipsum vocat Doctorem Gentium. 1 Tim. 2: 7. quemadmodum alibi se Patrem vocat Corinthiorum. 1 Corinth. 4: 14, 15. Deinde an nesciunt hæc duo vocabula, Doctorem & Magistrum, idem significare? Hieronymus legit, *Unus est enim Magister vester*, ——— *nec vocemini Magistri.* Matth. 23. Item, *Alios autem Pastores & Magistros.* Ephes. cap. 4: vers. 11. Isti se patiuntur dici magistros Philosophiæ, quamvis Philosophiam actu non profiteantur: & tamen indignantur quod magistros Theologiæ appellemus eos qui hunc honorem sanctis suis studiis commeriti sunt. Imo vix ipsos sacræ Theologiæ Professores publicos sustinent salutare Doctores, quos tamen hoc vocabulo designant sacræ literæ, & Catholica antiquitas. Quamvis enim omnem Pastorem oporteat etiam esse Doctorem, sicut rectè monuerunt Hieronymus in Comment. in locum citatum, ad Ephesios; & Augustinus Epist. 59. ad Paulinum, in Resp. ad Quæst. 4. & Gregorius Primus, Homil. 21. in Ezechielem. Non tamen de nihilo est quod duobus usus sit vocabulis Apostolus, *Pastores & Doctores.* Nempe, ut ostenderet discretionem donorum; & eorum distinctum quandoque usum. Unde ad Romanos ait, *Εἴτε ὁ διδάσκων, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, εἴτε ὁ παρακαλῶν, ἐν τῇ παρακλήσει.* Id est, *Sive is qui docet, in doctrina: sive is qui exhortatur, in exhortatione*, Rom. 12; 7, 8. & ad Timoth. scribens, ait scripturam esse utilem *πρὸς διδασκαλίαν, ad doctrinam*, &c. Ubi reliquas utilitates ab hac distinguit. Porro doctrinæ duæ sunt partes: una affirmativa, quæ dicitur, *Sana doctrina*: altera refutativa errorum, sive elenctica. 2 Timoth. 3: 16. Tit. 1: 9. pro utriusque partis facultate consequenda, instituit Deus educationem scholasticam, distinctam ab instructione populi: cum in Veteri Testamento, ut videre est in Collegiis Prophetarum, quibus præerant Samuel, Elias, Elizæus, &c. tum etiam in Novo Testamento, cujus exemplum habemus in Christi familia, in qua selectos quosdam habebat Discipulos, quos ad publicum ministerium accuratiore quadam institutione præparabat. Idem cernere est in exemplis Apostolorum, qui suos quoque habebant Discipulos sacræ Theologiæ studiosos, quos diligenter erudiebant, eisque scripturarum arcana ita pandebant, ut perfecti esse possent homines Dei, ad omne opus bonum perfectè instructi. 2 Tim. 3: 17. Et suis discipulis in mandatis dederunt Apostoli, ut hanc Scholasticam studiosorum educationem intercidere non paterentur: *Quæ*, inquit, *audisti à me per multos testes, hæc committe fidelibus hominibus, qui erunt idonei ad alios quoque docendos.* 2 Timoth. 2: 2. Nempe, multum est facere fidelem sive Christianum, (nempe, Ministerialiter) at multo majus est facere Christianorum Pastorem & Doctorem.

3. Hanc divinam institutionem, sequens Marcus Evangelista, constituit Alexandriæ Scholam Ecclesiasticam, sive Theologicam, in qua Doctores Ecclesiastici, sive Theologici, per diatribas Catecheticas divinorum dogmatum thesauros discipulis aperirent. *In Alexandria*, inquit Hieronymus, *à Marco Evangelista semper Ecclesiastici fuere Doctores.* Hæc ille in Catalogo scriptorum Ecclesiast. cap. 46. Idem eodem Lib. cap. 48. De *Clemente* loquens *Pantæni* auditore: *Post ejus* [Pantæni] *mortem*, inquit, *Alexandriæ Ecclesiasticam Scholam tenuit*, & *κατηχήσεων* Magister fuit. de Schola illa loquens Eusebius eam appellat *τὸ διδασκαλεῖον τῆς ἱερᾶς πίστεως*: id est, *Scholam sacræ fidei.* Lib. 7. Hist. Ecclesiast. cap. ultimo. Item, *τὸ τῆς κατηχήσεως διδασκαλεῖον*, Theologicæ institutionis Scholam. Lib. 6. cap. 3. Item, *διδασκαλεῖον τῶν ἱερῶν λόγων*, Doctoralem, sive Doctrinalem Scholam sacrorum Sermonum. Lib. 5. cap. θ. 10. & *τὴν τῶν πιστῶν διατριβὴν*, Fidelium institutionem, seu exercitationem Scholasticam. Ibidem, & *τὴν κατ' ἀλεξάνδρειαν κατήχησιν*, Lib. 6, cap. στ 5. & *τὴν διατριβὴν τῆς κατηχήσεως*, Scholam institutionis, Lib. 6. cap. κθ. 23. quæ vocabula, *διατριβὴ, κατήχησις*, etiam ipsum opus, seu muneris doctoralis Scholasticam exequutionem designant. Unde Eusebius de Origine, Clementis discipulo, & successore in præfectura Scholæ Alexandrinæ, concedente Demetrio, Episcopo Alexandrino, ait, *Ἐπειδὴ δὲ ἑώρα Φοιτητὰς ἤδη πλείους προσιόντας, αὐτῷ μόνῳ τῆς τοῦ κατηχεῖν διατριβῆς ὑπὸ Δημητρίου τοῦ τῆς ἐκκλησίας προεστῶτος ἐπιτετραμμένης*: id est, *Verum ubi vidit Discipulos jam plures adventantes, cum ei soli illud docendi munus à Demetrio, qui Ecclesiæ illi tum præfuit, concreditum esset*: Lib. 6. Hist. cap. 3. Et ibidem ejusdem muneris exsequutionem vocat, *τὴν πρὸς τὰ θεῖα παιδεύματα ἄσκησιν*: id est, *Studium quo exerceeur aliquis in docendis divinis literis.* Alibi hoc opus appellat, *τῆς κατηχήσεως τοὔργον*: id est, *Sacræ in Schola institutionis opus.* Lib. 6. cap. η. 7.

4. Res ipsa etiam clamat necessariam esse hanc futurorum Pastorum educationem accuratio-

tiorem. *Parum est*, inquit Hilarius, *in rebus ad salutem maximè necessariis, sola ea ad satisfactionem fidei afferre quæ propria sunt. Quia plerumque blandientes sensum fallant dictorum nostrorum inexploratæ assertiones, nisi etiam propositionum adversarum demonstratæ inanitates fidem nostram, in eo ipso quod ipsæ ridiculæ esse arguantur, affirment.* Hæc Hilarius, Pictavorum Episcopus, Lib. 1. de Trinitate, in argumento Libri 8. *Facile est*, inquit Augustinus, *ut dicatur quid credendum, quid sperandum, quid amandum sit. Sed quemadmodum adversus eorum, qui diversa sentiunt, calumnias defendatur, operosioris, uberiorisque doctrinæ est. Unæ ut habeatur, non brevi Enchiridio manus debet impleri, sed grandi studio pectus accendi.* Hæc Augustinus, Enchirid. cap. 6. Isidorus Hispalensis, Lib. 3. Sententiarum, sive de Summo Bono, cap. 36. *Tam doctrina*, inquir, *quam vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor, nam doctrina sine vita, arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit.* Hæc ille.

5. Ne igitur inutilibus Pastoribus committantur Ecclesiæ, utilissima & necessaria est Scholastica Studiosorum educatio in studio Theologico. Unde totius Galliæ Lugdunensis Antistites, tempore *Caroli* Magni Imperatoris, in Concilio Cabilonensi secundo, cap. 3. *Oportet etiam* (inquiunt) *ut, sicut Dominus Imperator Carolus, vir singularis mansuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, justitiæ & temperantiæ, præcepit, scholas constituant, in quibus & literaria solertia disciplinæ, & Sacræ Scripturæ documenta discantur, & tales ibi erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino; Vos estis sal terræ: & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrinâ non solùm diversis hæresibus, verùm etiam Antichristi monitis & ipsi Antichristo resistatur, ut meritò de illis in laude Ecclesiæ dicatur; Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Hactenus Patres illi Cabilonenses.

6. Scholis illis qui præsunt, exercent præcipuè donum Doctorale, & nihil aliud sunt ex officio nisi sacræ illius doctrinæ (quam Theologiam vocamus) Doctores sive Magistri, secundum divinam institutionem, & primitivæ Ecclesiæ consuetudinem. Ita tamen, ut quemadmodum Pastor gregis meminisse debet ad suum etiam officium pertinere doctrinam, unde ipsi Pastores etiam Doctores appellantur, quamvis usitatius Pastores, ita & Doctor Scholasticus non prorsus negligat exhortationem Pastoralem. Parcius tamen & breviter, & doctrinæ magis perspicuitate morumque exemplo, quam longis Parænesibus hanc partem exequetur. Est quoque, dicique poterit ipse Pastor, pascit enim discipulos suos scientia & intelligentia, (Jerem. 3: 15.) eosque regit: quamvis usitatius & convenientius, propter doni Doctoralis, prout à Pastorali distinguitur, ordinarium, magisque ipsi ex officio incumbens exercitium, Doctor sive Magister dicatur.

7. Sed concedent fortasse publicis S. Theologiæ Professoribus appellationem Doctorum jure officii; quærent autem quo jure hunc titulum concedamus hominibus in nulla professione publica actu constitutis.

1. *Resp.* Respondeo: 1. Quærendum ex illis, quo jure hoc culpent. Non enim hanc consuetudinem infirmare possunt ex illis *Domini* verbis, quibus monet Discipulos suos, ut nolint vocari Rabbi sive Magistri: alioqui enim neque Apostoli neque ulli Pastores appellari possent Doctores: hoc autem falsum est, sicut ostendimus. Quid verò illi interdixerit *Christus*, cohabimur inferiùs investigare.

8. Cum liceat sit vocabuli usus, quid vetat ipsum extendere ultra consuetam in *Scripturis* acceptionem? Quamdiu nihil *Scripturæ* contrarium affirmatur, aut in Scripturis traditum negatur. Eodem jure, quo communne Christianorum nomen appropriatur doctoribus scholasticis, dum *Professores* dicuntur: quod vocabulum hoc sensu in sacris Literis non invenitur. De nominum appropriatione, vel extensione, plura diximus supra propositione undecima. §. 17: 2.

9. Ut virtuti laudem tribuamus, & justum veritati, honorificumque eximiæ industriæ & excellenter doctæ pietati testimonium perhibeamus, non solum scripta, sed etiam nata lex est. Quocirca nemo jure reprehendere potest laudabilem hanc consuetudinem, qua viros ad docendum, hoc est, ad doctorale in Scholis munus gerendum, (sic enim intelligimus) idoneos, doctorum vocabulo ornamus: aliisque virtutis insignibus decoramus. Præsertim cum ex recepta loquendi consuetudine significatio jam cuilibet sit obvia. Propterea majoribus nostris, reformatam Religionem profitentibus, visum est, post quinquennalem in studio Theologico navatam operam, conferendum esse dignis gradum in Theologia, seu, ut loquuntur, *eos qui habito examine idonei inveniuntur, graduandos esse in Theologia.* Libro primo disciplinæ Ecclesiæ Scoticanæ. cap. de lectoribus, & de gradibus ac tempore studii. Cogitent interim æqui rerum æstimatores, qua reprehensione digni sint *Gnosimachi* isti, qui Ecclesiam *Christi* in eam redigi cuperent servitutem, & sancta virtutum studia à prophana barbarie ita calcari, ut non permitteretur Academiis Christianis, insignitam aliquam adhibere debiti honoris notam, per quam virtus ab ignavia, industria ab inertia secernatur, & studiosorum animi ad honesta studia alacriter capessenda, & occurrentia tædia fortiter devoranda, vehementiùs inflammentur. Non ut propter externa ulla & fluxa præmia virtutem quærant, sed ut virtutem propter se appetendam esse discant, tanquam rem in se præstantissimam, quam vident apud viros sapientissimos in tanto esse pretio, ut eximiis eam honoribus prosequantur. Nam quæcunque honoris Scholastici externa insignia adhibentur, in hunc finem sunt comparata, ut ad intrinsecam ipsius virtutis excellentiam & honorificentiam cogitandam homines per ista externa aliquo modo admoneantur: veluti si navem auro onustam serto floreo decorares: aut pyxidem gemmis plenam pretiosissimis filo argenteo redimires. 3.

10. Concedent fortasse, ut viris dignis honor Scholasticus solenniter tribuatur: sed mallent nomen Doctoris non dari nisi publicis Professoribus & Pastoribus. 4.

Respondeo: Cum rei & honoris ipsius æquitas manifesta sit, cui bono finem contentionis ducunt de nomine? Deinde quid si eos renunciaremus *Idoneos ad docendum alios*? Utentes verbis Apostoli, 2 Timoth. 2: 2. ad docendum, inquam, in Scholis, ut supra monui; id est, ad exercendum munus doctorale Scholasticum: & compendii gratia, uno vocabulo eos salutaremus *Idoneos*, ut *Idoneus in S. Theologia* idem significaret quod nunc *Doctor S. Theologiæ*, in promotionibus Scholasticis. Certè honor non minor esset *Idoneorum τῶν ἱκανῶν*, quam nunc est *Doctorum* illorum, in quibus

Mmm 2 no-

nomen *Doctoris* nihil aliud significat, nisi quod sint *idonei*. Estque jam hic sensus vocabuli palam notus, & omnibus obvius.

11. Porro, pro hoc vocabuli usu, ut idoneus ad docendum dicatur *Doctor*, habent Ecclesiæ & Academiæ exemplum Apostoli; *Qui*, inquit, *deberetis pro temporis ratione Doctores esse*. Hebr. 5: 12. Certè non intelliguntur ibi Doctores officio, sed aptitudine seu facultate docendi: nihil enim illic directè taxat in eis nisi defectum facultatis, sive aptitudinis, ex neglectu temporis. Non autem eos repræhendit directè & immediatè de eo, quod vel officio careant, vel ab opere docendi cessent, sed quod ad neutrum adhuc sint idonei. At quæres, de quibus illic loquatur Apostolus; An de Doctoribus in Schola promotis? Quæro ego vicissim, an illic loquatur Apostolus etiam de Studiosis S. Theologiæ Scholasticis? Si neges, sequetur Studiosos ista admonitione Apostolica non obligari ad industriam illic commendatam. Hoc autem absurdissimum est. Non enim propter solos Plebeios, imò neque propter solos *Hebræos*, sed in usum omnium Christianorum scripta est illa correptio Apostolica, ut omnes pro suo quisque statu & vitæ conditione, ad ulteriorem indies profectum enitantur, ut possint aliquando esse Doctores, id est, idonei qui alios doceant: sive sint Scholastici, sive Rustici, sive Mercatores, sive Nautæ &c. Ut nimirum ii qui non adspirant ad munus Doctorale, Doctores tamen sint tum aptitudine, tum exercitio per fraternas instructiones & commonefactiones: qui verò in ea incumbunt studia per quæ idonei tandem aliquando evadant, qui publicum Doctorale munus in Ecclesia vel Schola gerant; ad hanc consequendam facultatem sive aptitudinem, nihil debitæ industriæ intermittant, neque tempus per ignaviam sibi perire sinant. Cum igitur etiam ad Scolasticos S. Theologiæ Studiosos admonitio illa Apostolica evidenter pertineat, si quosdam Studiosos de temporis dispendio, verbis Apostolicis admoneam, & dicam eos *pro temporis ratione debuisse jam esse Doctores*, quis erit hujus vocabuli sensus? Non certè ut officio sint Doctores; alioqui enim etiam in quosdam maximè sedulos, & ad officium Doctorale excellenter idoneos, nondum tamen in publico munere constitutos, recideret ea repræhensio: quod est contra mentem Apostoli. Neque nomen Doctoris hic significabit actum fraternæ illius instructionis; nam hunc & illiterati sibi invicem debent, & de neglectu istius actus corripi possunt quidam satis idonei. Volo autem repræhendere eos tantum qui non sunt illud assequuti quod peculiariter requiritur in studiosis S. Theologiæ: nempe, ut pro temporis ratione idonei sint ad suscipiendum publicum officium Doctorale. Quos autem sic idoneos inveniunt Academiæ, eos, in honorem virtutis, & ad exstimulandum juniorum animos, renunciant *Doctores*, vocabulo Apostolico. Oportet Episcopum esse διδακτικὸν. 1. Tim. 3: 2. vulg. *Doctorem*. Hieronym. lib. 1. adversus Pelagianos, *qui possit docere*.

12. *Mathæus* utitur vocabulo καθηγητὴς quod ductorem propriè significat; illo autem loco Magistrum, qui ducit Discipulos in via sapientiæ. Eusebius verbo utitur ad significandum Rectoris Scholæ præfecturam: *Post Pantænum*, inquit, *Clemens Scholæ Alexandrinæ ad illud tempus præfuit*, τῆς κατηχήσεως καθηγεῖτο. lib. 6. Histor. Ecclesiast. cap. 5: 5. Dionysius in suo libro de Ecclesiastica hierarchia, Apostolos passim vocat nostros καθηγήμονας.

13. Doctores igitur Scholastici, sive Ecclesiastici, prout à Parochiarum Pastoribus distinguuntur, duorum sunt generum. Alii sunt Doctores officio, nempe, publici Professores: alii sunt Doctores facultate. Facultas autem Theologiæ geminam habet significationem; vel enim denotat ipsius hominis vires & habilitatem ad exercendum munus Doctorale; vel potestatem ipsi publica authoritate concessam se palam gerendi pro doctore habili, & suam habilitatem jam proclamatione publica palam testatam ubivis profitendi. Et hic est ille honor Scholasticus, quem gradum Doctoralem vocamus, qui nihil est aliud quam publicum Academicum de hominis habilitate testimonium, cum perpetuo debiti honoris insigni, palam ac solenniter perhibitum. Et quia dandi publicum hujusmodi testimonium potestas conceditur Collegio Professorum Academicorum, unde ipsi Collegio nomen inditur facultatis: quia habet facultatem sive potestatem non solùm publicè docendi, sed etiam Doctores creandi sive renunciandi. Hinc pro disciplinarum diversis generibus, distinctæ etiam in Academiis sunt facultates: nempe, Theologica, Juridica, Medica, Philosophica, cum qua cohæret Philologica. Et in singulis facultatibus Studiosi, prout merentur, consequuntur gradum Docturæ, per quem renunciantur Doctores sive Magistri illius disciplinæ, non quidem officio, at facultate.

Alii sunt Doctores officio, alii facultate. Facultas Theologica.

14. Quia autem longum est æquor conficiendum Studioso, ut ad Doctorale fastigium tandem perveniat, ne interea itineris longitudine territi, & laborum pondere gravati studiosi animum desponderent, aut satiscerent, prudenter provisum est, ut aliquod in via proponeretur iis refrigerium, nempe, honor Baccalaureatus, ut veluti refectis viribus, & hujus honoris adeptione, & propinqui Doctoratus exspectatione erectis animis, reliquum spatium alacrius decurrerent.

15. Dices multis indignis conferri hunc honorem. Respondeo: Hoc quidem iniquè fit; sed nihil facit adversus æquitatem promotionis eorum qui digni sunt: nam & multi indigni ordinantur Presbyteri, nec tamen propterea culpari potest ordinatio eorum qui ad munus Presbyterale inveniuntur idonei.

16. Quid opus est, inquies, eos renunciare Doctores, qui jam actu sunt publici Professores, exercentes officium Doctorale, adeoque sunt Doctores officio? Respondeo: 1. Hæc solennis renunciatio, est nova & honorifica agnitio aptitudinis eorum, & testificatio Academica, quod digni sint eo officio quod gerunt. 2. Æquissimum est, ut qui tam bene de Academiis merentur, eos vicissim Academiæ honoribus Academicis cumulatissimè prosequantur. Neque eis fraudi esse debent ipsorum merita. 3. Hac promotione redduntur idonei promotores aliorum. 4. Confertur eis hic honor, ut sive in publicæ Professionis exercitio maneant, sive aliò evocentur, circumferant hoc honoris Academici insigne, quo discernantur ab aliis hunc honorem non consequutis.

17. Cum Domini nostri verbis ad Discipulos apud Math. Cap. 23. non prohibeatur usus vocabuli Doctoris; sed quidam abusus in re; meritò quæri potest, quidnam sit illud quod eo loci Dominus prohibet. Respondeo: 1. Hypocritica ambitio: 2. Superba arrogantia, cum avaritia conjuncta: ut patet ex ipso textu. *Omnia*, inquit, *opera sua faciunt ad hoc, ut spectentur*

Quid prohibeat Dominus, Math. 23. verbis citatis.

ctentur

&c. ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & producunt fimbrias palliorum suorum, amantque primos accubitus in Cœnis, & primos consessus in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus, Rabbi, Rabbi: vos autem nolite vocari Rabbi. ——— Qui major est vestrum, erit minister vester. Qui autem seipsum exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur. His verbis habemus reprehensionem Hypocriticæ ambitionis, & ambitiosæ Hypocriseos. Quia in tota sua professione, & officii sui honore, non quærebant quæ Dei sunt, sed quæ hominum: non quærentes Gloriam Dei, sed *Auram* multitudinis: quos magis præesse quam prodesse delectabat, qui magis honorem officio debitum, quam ipsius officii fidelem exequutionem amabant. Non prohibet Dominus primum accubitum in Cœna, aut primum in Ecclesia consessum, neque vetat Pastores & Doctores salutari vocabulo functioni ipsorum congruente: sed prohibet hypocriticam in illis delectionem, & ambitiosam hypocrisin. Alterum vitium quod illic reprehenditur est supercilioса ἑτεροδιδασκαλία: Per quam Pharisæi, spreto cœlesti magisterio, sua placita & inventiones humanas conscientiis hominum ita magistraliter obtrudebant, ut propter suas traditiones mandata Dei irrita facerent, Math. 15: 3, 6, 9. Sic claudentes regnum cœlorum coram hominibus: & nec ipsi introëuntes, nec alios introire sinentes, Math. 23: 13. non aliam reddentes dictaminum suorum rationem, nisi superciliosum illud, *Ipse dixit*, id est, *ita seniores tradunt*, *tu nos doces*? additis in errorum confirmationem longis precationibus Math. 23: 14. ut hac justitiæ speciositate (sic vocat *Hilarius*) incautos deciperent, & sibi obligatos tenerent. Hoc vitium diligenter cavendum esse monet Paulus Apostolus, 1 Cor. 1. & sequentibus aliquot capitibus, & ob hoc vitium denunciat Dominus *Væ* Scribis & Pharisæis Hypocritis. Sub hac autem hypocriseos & magisterii larva devorabant domos viduarum, & inde gravius judicium eis denunciatur. Math. 23: 14. *Hinc illæ* (inquit Hilarius) *sunt veritatis injuriæ, hinc adeundæ cæteris saluti inhibitio, & regni cœlestis obseratio, ut in obeundis viduarum domibus retineatur ambitio; ut longæ orationis dignatione spolientur* [viduæ] *ut ab his* [Pharisæis] *cœlestis cognitio tanquam à thesauro repositæ opulentiæ expetatur: ut legis* [seu potius traditionum Pharisaicarum quas proponebant velut genuinas legis expositiones, cum tamen meræ essent corruptelæ] *dignitas, gratiæ* [quam *Christus* prædicabat congruenter Legi & Prophetis] *silentio perseveret. Et ideo accipient amplius judicium, quia & pœnam proprii peccati & reatum alienæ ignorantiæ debebunt.* Hæc Hilarius Pictaviensis Comment. in Math. Canone 24. in caput. 23. Unum habemus magistrum, *Christum*; qui est Ecclesiæ suæ Pastor, cujus solius vocem oves audire debent. Quicunque autem aliud nobis evangelizaverit præterquam quod accepimus, anathema sit, etiamsi Angelus de Cœlo sit. Math. 23. Joan. 10. Gal. 1. Nostri autem officii est nihil populis tanquam de fide proponere, nisi quod ab illo uno Magistro accepimus. Id quod nos suo exemplo docet Paulus Apostolus, 1 Cor. 11: 1, 23. Hinc monet Jacobus Apostolus, *Ne sitis multi Magistri, Fratres mei, scientes quod gravius judicium accepiemus.* Jacob. 3: 1.

18. *Quicquid ille* [Christus] *de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis* [Discipulis suis] *tanquam suis manibus imperavit:* inquit Augustinus, lib. 1. de consensu Evangelistarum, cap. 35. Idem alibi; *Sancta Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quam oportet:* lib. de bono viduitatis, cap. 1. Item; *Si autem non ex de Scripturis sanctis legunt, sed suis contentionibus persuadere conantur, credo illa quæ in Scripturis sanctis leguntur, non credo ista quæ ab Hæreticis vanis dicuntur:* lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 12. In quo libro multa reperiuntur præclara testimonia de audienda unius Pastoris voce in sacris Scripturis sonante.

19. Quicunque Doctores sua, aut aliorum hominum placita, quæ ex sacris Scripturis demonstrare nequeunt, pro divinis venditant oraculis, illi unius Christi Magisterium contemnentes, seipsos exaltant, & magistri haberi volunt, contra illud Christi mandatum, quo monuit ut Magistri non dicamur, sed unicum agnoscamus Magistrum; & nos omnes meminerimus esse Fratres, sive Condiscipulos, ut ab unius Magistri ore omnes nos (tum qui discipuli, tum qui Magistri dicimur) pendeamus. nihil de nostro addentes, neque verbis unius Magistri quicquam dementes. *Verba sapientum sunt tanquam stimuli, & tanquam clavi infixi authorum collectionum; quæ data sunt à Pastore uno*, inquit Salomon, Eccles. 12: 11. Propterea arrogantes isti, qui se pro Magistris gerunt, & Christi oviculas ab unius Pastoris voce abducunt, gravius judicium accipient.

20. Quæri potest de Doctoribus officio, quos publicos S. Theologiæ Professores appellamus, utrum debeant esse Presbyteri, necne? Respondeo: Mallem esse Presbyteros, quia ex officio sunt ordinarii Ministri sermonis, ὑπηρέται τῦ λόγε: non tamen semper est necessarium; hoc suadet non solum Ecclesiarum hujus temporis consuetudo, sed etiam exemplum quorundam veterum Episcopis magni nominis probatum. Etsi Pantænus & Clemens, Scholæ Alexandrinæ Magistri, Presbyteri fuerunt; Origeni tamen adhuc Laico concessum est docendi munus in ea Schola, teste Euseb. lib. 6. Hist. Eccles. cap. 3. Postea autem in Palæstinam se contulit Origenes, & Cæsareæ ludum aperuit, ubi licet nondum Presbyterii gradu potitus esset, ab Episcopis, qui ibi erant, ad disputandum, & ad sacras etiam Scripturas in communi Ecclesiæ conventu aperiendas admissus est. Posterior hæc libertas concionandi coram populo displicuit Demetrio, Episcopo Alexandrino, sed factum suum in concedenda illa libertate Alexander Hierosolymorum Episcopus, & Theoctistus Cæsareæ Episcopus defenderunt exemplis aliorum quorundam Episcoporum, qui Laicos quosdam, habiles & idoneos ad præbendum fratribus adjumentum, hortati fuerant ut populum in verbo instituerent, τῷ λαῷ προσομιλεῖν: ut scribit Euseb. lib. 6. Hist. cap. 13. κ. Vide suprà, in quarta parte Exegeseos propositionis decimætertiæ §. 25.

CAPUT XII.

De potestate Excommunicandi.

Alexander Alensis, *in Summa Theologiæ, part. 2. quæst. 21. Membro 1. art. 4. §. 2. in Resolutione.*

I. Simplices sacerdotes, qui non habent jurisdictionem, excommunicare non possunt, nisi ex commissione.

Joannes Calvinus, Gaspari Lisero, *in Lib. Epist. Col.* 180.

II. Nunquam utile putavi, jus excommunicandi permitti singulis Pastoribus. Nam & res odiosa est, nec exemplum probabile, & facilis inde in tyrannidem lapsus, & alium usum Apostoli tradiderunt.

Hieronymus Zanchius, *in quartum præceptum, in tractatu de Disciplina Ecclesiastica, Col.* 756.

III. Si Ecclesia exigua sit, & non multis eruditis hominibus constans, non debet excommunicatio fieri, nisi vicinioribus consultis Ecclesiis.

Vide supra, cap. 11. prop. 13. part. 4. §. 14. Et Instruct. Historico-Theolog. lib. 12. cap. 4.

CAPUT XIII.

De certa Precum, & Catechismi, & Rituum Ecclesiasticorum forma publica habenda.

Joannes Calvinus, *in Epistola ad Protectorem* Angliæ: *Lib. Epist. Colum.* 91.

I. *Vide supra, Prop. 13. ubi de Missa, & infra, cap. 17. Num. 2. Vide etiam Cod. canonum Ecclesiæ Africanæ, can. 103. Et Concil. Bracarens. 1. cap. 18. & cap. 20.* Quod ad formulam Precum & Rituum Ecclesiasticorum, valdè probo, ut certa illa exstet, à qua Pastoribus discedere in functione sua non liceat, tam ut consulatur quorundam simplicitati & imperitiæ, quàm ut certius ita constet omnium inter se Ecclesiarum consensus. Postremo etiam ut obviam eatur desultoriæ quorundam levitati qui Novationes quasdam affectant: uti eo pertinere Catechismum ipsum ante ostendi. Sic igitur statum esse Catechismum oportet, statam Sacramentorum administrationem, publicam item precum formulam.

CAPUT XIV.

De Concione sive exhortatione funebri.

Joannes Calvinus, *in Epist. ad* Monsbelgardenses, *Lib. Epist. Col.* 56.

I. In Sepultura mortuorum hanc moderationem vellem adhiberi, ne in Templum funus deferretur, sed recta in cæmeterium. Illic quoque exhortationem haberi vellem, ut in re præsenti funeris comites agnoscerent quod diceretur. Hæc ratio non admodum improbanda foret. De Campanæ pulsu nolim vos pertinacius reclamare, si obtineri nequeat ut princeps remittat: Non quia probem, sed quia rem contentione non dignam arbitror.

Tria hic observa ex verbis *Calvini*: 1. Optaret distincta esse cæmeteria, nec in Templis sepeliri mortuos; quod & nos optamus. 2. Ut, ubi deponitur funus, ibi fiat exhortatio funebris; & vicissim ubi fit exhortatio, ibi præsens sit funus. Si quæ sint non magni momenti, quæ minus probemus, non tamen de eis pertinaciter contendendum.

In constitutionibus Ecclesiæ Scoticanæ, *quæ Psalterio Metrico præmittuntur, Cap. de Sepultura.*

II. Funus reverenter efferendum est, & ad Sepulchrum comitante Congregatione deducendum, absque ulterioribus cæremoniis. Et sepulto cadavere, Minister, si præsens sit, & rogetur, proficiscatur ad Ecclesiam, si non procul distet, & habeat aliquam consolotariam exhortationem ad populum, de morte & resurrectione.

CAPUT XV.

De Baptismo in privatis locis. Item, de Infantibus Apostatarum & Excommunicatorum.

Joannes Calvinus, *in Epistola quæ incipit, Rogatus sententiam. Lib. Epistolarum, Col.* 441.

I. *Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 3. cap. 14. §. 5. & lib. 10. cap. 5. §. 13. & seqq.* Fas non est administrare Baptismum, nisi in cœtu fidelium. Non quidem, ut Templum requiratur, sed ut ubivis numerus aliquis fidelium conveniat, qui Ecclesiæ corpus efficiat, & qui baptizat pro Pastore agnoscatur.

In Harmonia Synodorum Belgicarum, Cap. 12. *can.* 3.

II. Initio nascentis Ecclesiæ infirmorum habenda est ratio, eoque ad evitandum scan-

scandalum pueros valetudine adflictos domi baptizare licebit, præsentibus, ut minimum, quatuor aut quinque fidelibus.

Hoc ipsum in Ecclesia etiam constituta faciendum esse dictat ratio, quæ anima est hujus Canonis, de vitando scandalo, & habenda ratione afflictorum.

Joannes Calvinus, *in Epistola ad* Joannem Knoxum, *quæ incipit, Si exspectatione tua. Lib. Epist. Col.* 442.

III. Meritò quæris, an Idololatrarum & Excommunicatorum liberos ad baptismum admittere liceat, donec resipiscentiam parentes sint testati. ——— Promissio non sobolem tantùm cujusque fidelium in primo gradu comprehendit, sed in mille generationes extenditur. ——— origo spectanda est & ipsa baptismi ratio, & natura ex promissione æstimanda. Nobis ergo minimè dubium est, quin soboles ex sanctis & piis atavis progenita, quamvis Apostatæ fuerint avi & parentes, ad Ecclesiæ tamen corpus pertineant. Sicut enim prava & vesana superstitio fuit in Papatu, Judæis, & Turcis furari vel eripere liberos, & mox ad Baptismum ingerere: ita ubicunque non prorsus intercidit, vel exstincta fuit Christianismi professio, fraudantur jure suo infantes, si à communi symbolo arceantur: quia iniquum est, cum *Deus* ante annos trecentos, vel plures, adoptione sua eos dignatus fuerit, ut quæ deinde sequuta est parentum impietas, Cœlestis Gratiæ cursum abrumpat. ——— Unius parentis odio ab Ecclesiæ ingressu prohiberi infantes, nulla ratio patitur. Interea fatemur necessariam esse sponsionem. ——— Verùm quisquis ex Infantibus offertur, legitima pactione interposita, cur rejici debeat non videmus.

Hieronymus Zanchius, *in quartum Præceptum, in Tract. de Disciplina Ecclesiastica, Col.* 743.

IV. Peccant & illi, qui filios excommunicatorum, aut ex scortatione natos, nolunt baptizare: quia parentes impœnitentes sunt; quasi verò filius debeat portare iniquitatem Patris. Quid hic peccavit filiolus ille, natus in Ecclesia, cur non debeat baptizari? Annon ait Propheta, Filius non portabit iniquitatem Patris, sed anima quæ peccavit, ipsa morietur. Item Gal. 6. Unusquisque onus suum portabit. At Parentes impii sunt, & impœnitentes, nec possunt promittere pro Infante. Magistratus in hoc casu, loco Parentum est. Is igitur curet, per aliquem pium promitti, quod deberent Parentes: qua de re pie etiam scripsit D. Beza, in suis Epistolis: Epist. 10. *Hæc Zanchius.*

Petrus Martyr, *loc. Commun. Classe* 4. *cap.* 8. §. 17.

Parentes atque majores, in quorum potestate sunt infantes, debent summo studio curare, ne absque baptismo decedant. Quod si non fecerint, & graviter peccant, & pœnas dabunt, quod Sacramenta à Deo instituta contempserint. *Hæc Petrus Martyr.* V.

CAPUT XVI.

De Cœna Domini.

PARS PRIMA.

De Regula Institutionis.

In Confessione Scoticana. *Art.* 22.

Quid *Christus Jesus* fecerit & faciendum præceperit, ex Evangelistis & D. Paulo est manifestum; quid Sacerdos Pontificius ad Altare suum faciat, non est necesse repetere. Finis & causa institutionis *Christi*, & cur illud quod instituit à nobis fieri debeat, illis verbis exprimitur, Hoc facite in mei recordationem, quotiescunque ex isto Pane ederitis, & ex isto Poculo biberitis, annunciate, id est, extollite, prædicate, magnificate, & laudate mortem *Domini*, donec venerit. Num. I.

Joannes Calvinus, *Lib. Epist. Col.* 484.

Statuendum est, simulac suo arbitrio *Deum* colere appetunt homines, fœtidam esse prophanationem, quicquid de suo afferunt: sed ne latissimam sylvam ingrediar, ad speciem descendo. Dixi, legitimum baptismi, & sacræ Cœnæ usum non aliunde petendum esse quam ab institutione & mandato *Christi*. II.

In Confessione Fidei Gallicanæ, apud eundem in Lib. Epist. Col. 569.

Constat extra *Domini* traditionem nihil usquam solidi neque certi exstare. III.

Daniel Chamierus, *lib.* 5. *de Baptismo, Cap.* 16. §. 23.

Certissimum fundamentum, Sacramenta IV.

ta nihil sunt, nisi ab institutione: hanc autem divinam esse necesse est. Quare ad Sacramentum non pertinent quæ humanitus inventa fuere.

CAPUT XVI. PARS II.

De Mensa.

In Confessione Belgica, *Cap.* 35.

I. *Vide lib.* 1. *cap.* 2. PORRO hæc Cœna Mensa est spiritualis, in qua *Christus* seipsum nobis cum omnibus bonis suis participandum offert, &c.

CAPUT XVI. PARS III.

De Dispensatione,

Et Dispensatore S. Cœnæ.

Joannes Calvinus, *in Epist. ad Farellum, Lib. Epist. Col.* 574.

I. *Vide lib.* 1. *cap.* 3. EXORDIOR à distinctione Ministrorum ac plebis, dico Ministro Cœnæ dispensationem esse commissam.

Item, in Opusculis, in formula Sacramentorum administrandorum, in usum Ecclesiæ Genevensis conscripta.

II. Ubi finem dicendi concionator fecit, tum Panem verbi Ministri, Calicem verò Seniores Ecclesiæ, qui morum censuræ præsunt, populo distribuunt, prius commonitione facta ut honestè & decenter eò quisque accedat.

Justinus Martyr, *in Apologia secunda, prope finem.*

III. *Καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται: id est*, Et distributio & communicatio eorum in quibus gratiæ sunt actæ fit unicuique.

Distribuebant diaconi, post consecrationem à pastore factam. ut ibidem monet Justinus. Eramque in eo ministerio diaconi veluti manus pastoris, cujus est, secundùm institutionem, gratias agere, & gratiis actis sacramentum dare.

Tertullianus, *Lib. de Corona Militis, Cap.* 3.

IV. *Vide, Instruct. Historico-theolog. lib.* 16. *cap.* 1. §. 16. Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à *Domino*, etiam antelucanis cœtibus, *nec de aliorum manu quam præsidentium* sumimus.

Wolfgangus Musculus, *in Locis Communibus, Loc. de Cœna Domini, Art. quid instituerit Dominus,* §. *Fregit.*

Fregit ipse sua manu Panem, ac fractum à se dedit Discipulis. Non dedit illis integrum, & ab ipsis frangendum, sed à se fractum Panem: non dedit ut ipsi distribuerent, sed ut à se distributum acciperent, & ederent. Erant Apostoli in ea Cœna *Domini*, non ut dispensatores mysteriorum *Dei*, sed ut Convivæ, ut Fideles, ut Discipuli, ut Communicantes; *Christus* verò ut Convivator, ut *Dominus*, eadem opera instituens, ac suis ipsius manibus dispensans gratiæ suæ Sacramentum, simulque sanctificans futuram, ac Ministerialem illius dispensationem. V.

Idem. Ibidem §. *Ab hoc Christi.*

Quod de poculo dixit, bibite ex hoc omnes; cum de Pane non dixerit, edite de hoc omnes; verisimile est ob eam esse rationem factum, quod de Pane quidem à se fracto *singulis dedit suam unicuique partem*; de Poculo verò non ita. VI.

Daniel Chamierus, *Lib.* 5. *de Eucharistia, Cap.* 2. §. 3.

Nunquam celebrata est Eucharistia, *ut sibi quisque sumat*, sed omnes accipiant *de manu consecrantis*, secundùm institutionem. VII.

CAPUT XVI. PARS IV.

De reverentia & gestu accipientis Sacramentum S. Cœnæ.

Primus numerus exhibet dissertationem quam promisimus de gestu Eucharistico & mensali.

I. DIonysius, Episcopus *Alexandrinus*, apud *Eusebium*, lib. 7. Histor. Ecclesiast. cap. 8. 8. docet suo seculo adstitisse mensæ communicantes. Loquens enim, de quodam fratre, qui sæpè communicaverat, eum sic describit, Τραπέζῃ παραστάντα. Et ibidem docet tunc eundem fuisse gestum precantium: Ὁ δὲ οὔτε πενθῶν παύεται, πέφρικέ τε τῇ τραπέζῃ προσιέναι καὶ μόλις παρακαλούμενος, συνεστάναι ταῖς προσευχαῖς ἀνέχεται. Id est, *Ille autem à lamentis non desistit, & ad mensam accedere extimuit, & vix rogatus, consistere, sive cum reliquis stare, in precibus sustinuit.* Ubi vides eodem gestu precatos esse, & communicasse. Olim Christiani, omnibus diebus Dominicis, & à Paschate ad Pentecosten, non nisi stantes orabant. *Die Dominico jejunium nefas dicimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ, in Pentecosten usque gaudemus*; inquit Tertullianus, lib. de Corona Militis, cap. 3. Item Justinus Martyr; ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν: Id est, *Postea* [finita Concione] *consurgimus communiter omnes, & precationes fundimus.* Hæc Justinus, in Apologia secunda, prope finem. Ubi subjungit descriptionem celebrationis Eucharistiæ; quod nimirum præpositus sive Pastor acce- Num. I. *Veteres Catholici diebus Dominicis & à Paschate ad Pentecosten stabant orantes, stabant communicantes.*

acceptis elementis à populo oblatis, Preces & Gratiarum actiones pro virili fundebat, & populus faustè acclamabat, dicens, *Amen*, & distributio communicatioque fiebat, præsentibus. Hæc omnia uno eodemque gestu fiebant.

Quamvis Apostolus Paulus genibus flexis oraverit tempore pentecostes, Act. 20 v. 36. & 21. 5.

2. In Concilio Nicæno, œcumenico primo, conditus est hac de re Canon, cujus hæc sunt verba; Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ. Id est, *Quoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes: ut omnia in omnibus parœciis consonanter observentur, placuit sancto Concilio; stantes* Domino *vota persolvere.* Concil. Nicæn. can. 20.

3. Idem suo seculo servatum esse, ut die Dominico & per omnem Pentecosten, nec de genibus adorarent, & jejunium solverent, scribit Hieronymus, in Dialogo adversus Luciferianos. Hoc in signum resurrectionis factum esse, docet Augustinus, epist. 119. cap. 15.

4. De eodem, in Synodo quinisexta, can. 90. constituitur, ut in honorem resurrectionis *Christi*, sicut Patres tradiderant, non flectant Christiani genua diebus Dominicis. Hoc sic explicat illa Synodus, eodem can. *Quod post vespertinum Sacerdotum ad Altare Sabbato ingressum, ex consuetudine quæ servatur, nemo genu flectat, usque ad sequentem vesperam in die Dominico, in qua post ingressum in completorio,* [ἐν τῷ λυχνικῷ] *genua rursus flectentes,* Domino *preces sic offerimus*. Hæc ibi.

Vidi in Decretalibus Gregorii 9. lib. 2. tit. 9. *De feriis*. cap. 2. *Quoniam*.

Gestus mensalis.

5. Non tamen erat ille ordinarius gestus mensalis in aliis conviviis: at ne in ipsis quidem agapis, id est, conviviis illis quæ alendæ charitati, & fovendæ fratrum concordiæ, ita serviebant, ut etiam pro tempore corporalem famem ac sitim, sufficientis cibi & potus sumptione, depellerent. In iis enim, sicut in aliis cœnis, discumbebatur, quocunque anni tempore agitarentur. Sic enim, absque ullius temporis exceptione, describuntur à Tertulliano:

Agaparum descriptio.

Non prius discumbitur *quam Oratio ad* Deum *prægustetur; editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum* Deum *sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant* Dominum *audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium* Deo *canere: hinc probatur quomodo biberit. Æquè Oratio convivium dirimet*, &c. Hæc Tertullianus, in Apologetico, cap. 39.

6. Propter hunc secularem in agapis gestum, decreverunt Patres in Concilio Laodicæno, ut non celebrarentur agapæ in Ecclesiis: verba Canonis sunt, ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ ἐσθίειν, καὶ ἀκούβιτα στρωννύειν. Id est, *Quod non oportet in Dominicis locis, aut in Ecclesiis, ea convivia, quæ dicuntur Agapæ, facere, & in domo* Dei *comedere, & accubitus sternere.*

Idem constitutum est in Synodo quinisexta, 74.

7. Theodoretus commemorans Historiam de Theodosio & Ambrosio, lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 17. ait Ambrosium, cum per Diaconum monere vellet Imperatorem, ut extra Cancellos egrederetur, cum reliquis Laicis communionem accepturus, dixisse ei, *exi, & cum reliquis laicis communica in statione*, seu, *sta cum aliis laicis.* τοῖς ἄλλοις κοινώνει τῆς στάσεως.

Nota de gestu mensali, & Eucharistico, apud veteres.

8. Ipsis diebus Dominicis, & diebus Pentecostes, veteres illi Christiani terrena sua convivia celebrantes, accumbebant: Concionem audientes, sedebant; ut colligere est ex Justini verbis, superius citatis, quibus ait eos finita concione consurrexisse ad precandum: precantes & communicantes stabant. Primus ille gestus erat mensalis, ad mensas communes, in epulis refectioni corporum destinatis: hunc Patres ex Ecclesia, & ab actionibus publicis in sacris conventibus summoverunt. Sessio permissa est concionem audientibus, neque gestus auscultandi, sive Conciones audiendi in ipsis sacris conventibus, permissus est communicantibus: sed eis præscriptus est gestus ille, qui in publicis precibus usurpari jubebatur. Quem gestum ab initio precationum participationem Eucharistiæ præcedentium, (post dimissos Catechumenos) usque ad totius celebrationis finem constanter servabant. Constanter adorantes *Deum*, utentes precationibus, orationibus, interpellationibus, & gratiarum actione, participantes de sacra Cœna, & seipsos *Deo* offerentes & voventes: ut monet Augustinus, Epist. 59. ad qu. 5. Unde locus celebrationis Eucharistiæ, dictus est locus orationis. *Post Sermonem fit missa Catechumenis: manebunt fideles, venietur ad* Locum Orationis; inquit Augustinus, Serm. 237. de tempore.

Locus orationis.

9. Celebrationem Eucharistiæ veteres rectè judicabant esse partem illius publici cultus qui soli *Deo* debetur, sicut supra monui ex Augustini lib. 2. contra Faustum, cap. 21. ejus verba citavimus, cap. 11. hujus libri propos. 13. part. 8. §. 22. *Epiphanius* vocat λατρείαν τῆς Οἰκονομίας. In Expositione fidei. §. 22. Propterea huic actioni convenientem esse judicabant gestum adorativum: quo adorabant, non Sacramentum, sed ipsum *Christum*, in cujus memoriam Sacramentum illud celebrabant. Quo pertinet illud Ambrosii: *Quam* [carnem *Christi*] *hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in* Domino Jesu *adorarunt. Neque enim divisus* Christus, *sed unus. Neque cum adoraretur, tanquam* Dei *filius, natus ex virgine negabatur.* Hæc Ambros. lib. 3. de Spiritu Sancto. cap. 12.

Eucharistiæ celebratio pars est latriæ quam Deo exhibemus, ideoque ei convenientissimum esse gestum adorativum judicavit catholica antiquitas.

10. Augustinus ait; *Quæro quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura, terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad* Christum, *quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.* Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. *Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum* Domini, *& non solum non peccemus adorando, sed* peccemus non adorando. Hæc August. Comment. in Psalm. 98.

Esai. 66.

11. Nempe contra Hæreticos publicam edebant Patres fidei suæ confessionem & promissionem & professionem, hoc ipso gestu & cultu; quo palam profitebantur se eum agnoscere *Dominum* & *Deum* suum, in cujus honorem & recordationem mysteria celebrabant. Propterea in ipsa celebratione non desinebant eum adorare: scientes neminem posse percipere rem Sacramenti, id est, *Christi* carnem, sive *Christum* incarnatum, nisi eum adoret, id est, nisi *Deum* æterno patri coæternum, consubstantialem, & con-

conglorificandum agnoscat, *& honoret Filium, sicut honorat Patrem.* (Joan. 5:23.) *ἀμερίστῳ προσκυνήσει impartibili adoratione.* Ut monet Gregorius Theologus in oratione quam habuit in Concilio Constantinopolitano primo coram 150. Episcopis.

12. Hoc sensu Theodoretus Dialogo 2. ait symbola Eucharistica adorari, id est, cum adoratione accipi: adoratione, inquam, non ipsorum symbolorum, sed *Christi* incarnati, & pro nobis passi; cujus symbola hæc sunt, & figura. Sic enim accipienda esse Theodoreti verba, neque Theodoretum, aliosve patres adorationem Sacramenti, sed tantummodo adorationem *Dei* intellexisse, inferius ostendemus, contra Papistas adoratores Sacramenti. Quam *Dei* adorationem etiam gestu adorativo palam profitebantur.

13. Ex his omnibus liquidò patet, veteres illos patres, jam inde ab ultima antiquitatis memoria, ex deliberato consilio, ac dedita opera, in sacra Cœna abstinuisse ab usitato gestu mensali, qui in aliis ipsorum conviviis ordinariè usurpabatur: quin & ab eo etiam quo utebantur concionem audientes: & alium adhibuisse gestum, nempe adorativum, in publico cultu usitatum; quem illi in Cœna *Dominica* magis mensalem, id est, mensæ Dominicæ aptiorem judicarunt.

14. Nos etiam, si purioris Antiquitatis *γνήσιοι* Imitatores esse volumus, & simul Idololatriam Papisticam devitare; neque ipsum adorabimus Sacramentum, (quod participandum, non autem adorandum nobis datur) neque à terrenis conviviis, gestum Eucharisticum pendere existimabimus: neque ideo nos *Deum* non adorabimus, quia transsubstantiatri isti consecratam hostiam adorant, & honorem *Dei* deferunt creaturæ.

Sessio. 15. Hæc non eo tendunt ut Sessio in Eucharistia damnetur tanquam gestus in se illicitus, quem in se indifferentem & licitum esse agnoscimus. Sed ut pateat Ecclesiam Catholicam veterem, jam inde ab ultima Ecclesiasticæ recordationis memoria alium prætulisse gestum. Id quod etiam in multis Ecclesiis reformatis fieri videmus. Et quamvis in Belgio quidam sedeant, non tamen sessionem in hac celebratione judicant esse necessariam, sed ea utuntur ut cæremonia quadam libera. Ut patet ex quinta parte hujus capitis, num. 10. & ex diversa praxi quarumdam in ipso Belgio reformatarum Ecclesiarum.

16. Duo nobis in hac dissertatione supersunt dissolvenda dubia: unum est, de fonte artolatriæ, ut infirmis quibusdam fratribus scrupulum eximamus; alterum est, de objecto adorationis à Patribus usurpatæ in celebratione Cœnæ *Dominicæ*, ut Papistis Sacramenti adoratoribus os obturemus.

De Papistica elevatione, & adoratione Sacramenti. 17. De priore, nempe, de adoratione Sacramenti, exstat decretum *Honorii* tertii, Papæ Romani, extra, de celebratione Missarum, cap. 10. *Sane cum. Sacerdos verò*, (inquit) *frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet, idem faciens cum eam defert Presbyter ad infirmum.* Hæc Honorius, anno Domini 122. Postquam Innocentius tertius, Papa Romanus, anno Domini 1215. in Concilio pronunciasset: *Jesu Christi Corpus & Sanguinem, in Sacramento Altaris, sub speciebus Panis & Vini veraciter contineri*: Trans-substantiatis *Pane in Corpus, & Vino in Sanguinem, potestate divina.* Concil. Lateran. sub Innoc. 3. c. 1. & Extra, de summa Trinitate, & fide Catholica, cap. *Firmiter*, §. *Una verò.* Nempe, Sacramenti elevatio & adoratio non ex *Dei* in Sacramento adoratione, sed ex transsubstantiationis errore promanarunt. Id quod etiam ex Tridentinorum argumentatione colligere est. Postquam enim dixissent; *Per consecrationem Panis & Vini, conversionem fieri totius substantiæ Panis, in substantiam Corporis Christi, Domini nostri; & totius substantiæ Vini, in substantiam Sanguinis ejus*: eamque conversionem *convenienter & propriè Transsubstantiationem* esse appellatam. sess. 13. cap. 4. statim subjungunt, sequente cap. *De cultu & veneratione huic sanctissimo Sacramento exhibenda*; hæc verba: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes* Christi *Fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui verè* Deo *debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit à* Christo Domino, *ut sumatur, institutum. Nam illum eundem* Deum *præsentem adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit, & adorent eum omnes Angeli* Dei: *quem Magi procidentes adoraverunt*, &c. Hinc manifestum est adorationem Sacramenti fundatam esse in opinione Transsubstantiationis. Quæ opinio orta est non ex Dei in mysteriis adoratione antiquitus usitata & retenta, sed ex prava interpretatione verborum illorum *Domini*, Hoc *est Corpus meum*, quæ tamen verba nobis retinenda sunt. *Vide Instr. Historicotheolog. lib. 11. cap. 19. §. 1.*

18. Non instituit *Honorius*, ut in celebratione Sacramenti, adorarent Communicantes; hoc enim jam olim piè factitatum est: sed ut cum in celebratione *elevatur* Hostia, plebs, etiam non communicans, se inclinet; idemque faciat quando Hostiam defert Presbyter ad infirmum. Inclinet, inquam, se ipsi hostiæ, eique cultum latriæ exhibeat, ut monent Tridentini. Hæc adoratio Idololatrica est, & Catholicæ antiquitati incognita, & à nobis meritò repudiata.

19. Quemadmodum meritò rejicimus ex eodem fonte ortam superstitionem illam festivæ celebrationis, quam appellant Festum Corporis *Christi*. Quod Festum ab *Urbano*, Papa quarto, institutum, (anno Dom. 1264.) confirmavit *Clemens*, Papa quintus, (anno Dom. 1311.) Cujus decretum habetur in Clementinis, de reliquiis, & veneratione Sanctorum. Cap. *Si Dominum.* Quod etiam Festum recipiunt & approbant Tridentini, sess. 13. cap. 5. *Festum corporis Christi.*

20. At abusi sunt, inquies, adoratione in mysteriis, eam convertendo ad ipsum Sacramentum. Respondeo, abuti conabatur Joannes adoratione, eam convertendo ad Angelum nec tamen propterea prohibuit eum Angelus adorare *Deum*, quamvis eum non passus sit adorationem illam *Deo* debitam transferre in Angelum. Abusi sunt Papistæ oratione *Dominica*, aliisque sanctis precibus, eas Idololatricè dirigendo ad meras creaturas; nec tamen propterea exeidit *Deus* jure suo, quin illi precationes illæ debeantur, & adhuc exhibendæ sint; neque illorum superstitio nos liberat à necessario officio tribuendi *Deo* quod suum est. Queritur *Deus* apud Ezechielem, (cap. 16. vers. 19: 20.) quod Israelitæ panem ejus, & Similam, & Oleum, & Mel, posuissent coram Idolis: & filios filiasque ejus immolassent eis. *Objectio, ab abusu Resp.* *Vide supra, cap. 4. & lib. 1. cap. 7. §. 6. & cap. 10. §. 6.*

21. Monui supra, Sacramentum Eucharistiæ non propterea esse abolendum, quod ab Idolola-

lolatris, adoratum sit: neque ideo adorationem *Deo* denegandam in Sacramenti hujus celebratione, quod debitam *Deo* adorationem artolatræ transtulerint in creaturam: ex falsa Hypothesi Transsubstantiationis. Quemadmodum consimili Idololatria olim Manichæi adorationem dirigebant ad Solem & Lunam, & ad eorum gyrum orationem suam circumvolvebant, ex falsa Hypothesi, qua fingebant virtutem *Dei* in sole habitare, sapientiam verò in Luna. Ut legimus apud Augustinum, Lib. 2. contra Faustum, Cap. 2. & aliquot sequentibus capitibus.

Inexcusabilis idololatria Papistarum.

22. Hunc Transsubstantiariorum cultum rectè quidem improbat, frustra autem conatur ab Idololatriæ crimine liberare, Spalatensis, Lib. 7. de Rep. Eccles. Cap. 11. Num. 7. *per rectam*, scilicet, (ut ipse loquitur) *intentionis directionem: qui docent*, inquit, *panem non esse amplius panem, sed corpus* Christi, *illi profectò panem non adorant, sed solum, ex suppositione, licet falsa*, Christi *corpus verè adorabile adorant.* Hæc ille. At non sufficit suppositio falsa, ad depellendum Idololatriæ crimen. Sic enim si quis Antichristum, pro *Christo* sequatur & adoret, excusabitur à crimine Idololatriæ: per intentionem, scilicet, qua intendit solum *Christum* adorare. Quod absurdum est. Præsertim cum *Dominus* præmonuerit cavendos esse Pseudochristos, qui decepturi essent homines non electos. Sic qui suppositione quadam falsa imaginatus fuerit *Deum* auro aut argento aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis esse similem, *Deo*que imaginem effinxerit, & existimaverit numen ipsum esse in illa imagine, sive per inhabitationem, sive, quod absurdius est, per Transsubstantiationem, si imaginem illam, auream, argenteam, vel lapideam, &c. divino honore prosequatur; numquid illum intentio, & falsa suppositio ab Idololatriæ crimine liberabunt? num Manichæos ad Solis gyrum orationem suam circumvolventes, & nescio quam navem per foramen cœli micantem atque lucentem adorantes, dicemus non fuisse Idololatras: quia, scilicet, colentes illam navem, putabant se colere *Christum*, *Dei* virtutem; habitare eam credentes in Sole? ut legimus apud August. Lib. 20. contra Faustum, Cap. 2. 5. 6. Nusquam igitur erunt Idololatræ. Notum enim est omnem Idololatriam falsa aliqua suppositione niti. Et quid, obsecro, dicemus de adoratione vituli in eremo? de vitulis Jeroboami? quid de hodierno Judæorum cultu, qui *Jehovam Deum* Abrahami, Isaaci, & Jacobi, eumque solum adorare se profitentur? quid de illis, quos *Christus* ait cæco quodam *Dei* zelo occisuros Apostolos? Johan. 16: vers. 2.

Vindiciæ Patrum, contra Artolatras.

23. Ne autem Papistæ verbis illis Ambrosii, & Augustini, & Theodoreti, quæ à nobis superius citata sunt, abutantur, eaque detorqueant ad defensionem adorationis Sacramenti, operæ pretium erit Patrum illorum Orthodoxiam in hoc argumento breviter demonstrare, & dicta eorum à corruptelis Papistarum vindicare.

Ambros.

24. *Ambrosius* ait, Catholicos sui temporis, *Carnem* Christi *in mysteriis adorare; quam Apostoli in* Domino Jesu *adorarunt.* Lib. 3. de Spiritu sancto, Cap. 12. Non tamen inde sequitur aut *Christi* Carnem esse corporaliter & localiter sub specie Panis in Sacramento, aut adorandum esse Sacramentum. Nos *Christi* Carnem, in Cœlo sedentem, adoramus, in celebratione Sacramenti; quam adorarunt Apostoli in *Domino Jesu*, corporaliter, localiter, & visibiliter, cum ipsis præsentem super terram: sed non adoramus Sacramentum. Aliter Carnem *Christi* adorarunt Apostoli, & nos eandem hodie adoramus in *Domino Jesu*: aliter adoramus ejus Carnem in Sacramento, sive in celebratione Sacramenti: nam ita adoramus Carnem *Christi* in *Domino Jesu*, ut ipsum *Dominum Jesum* adoremus; at non adoramus ipsum Sacramentum, sed in Sacramento seu Sacramenti celebratione, id est, dum Sacramentum celebramus, adoramus illum in cujus memoriam fit hæc celebratio. Adorarunt Apostoli corporaliter præsentem super terram, nos adoramus *Christum* corporaliter sedentem in Cœlis, spiritualiter autem præsentem in mysteriis.

25. Ubi tangimus & manducamus ipsam *Christi* Carnem, ibi eam existentem adoramus: tangimus autem & manducamus sedentem in Cœlo; non utique corporali tactu & manducatione, sed fide; ut monet *Ambrosius*, in Comm. in 24. Lucæ: *Non enim*, inquit, *corporali tactu* Christum, *sed fide tangimus.* Item, serm. 56. *Quisquis*, inquit, *vult contingere* Dominum *Salvatorem, prius illum debet fide sua ad dextram divinitatis imponere, & credulitate cordis collocare in cœlestibus.* ——— *Beatus Paulus nos docuit quemadmodum Salvatorem in cœlestibus quæreremus, dicens, quæ sursum sunt quærite, ubi* Christus *est in dextra Dei sedens. Et ut nos ab hac humili vel terrena inquisitione Mariæ* (Magdalenæ, Johan. 20.) *penitus submoveret, addidit dicens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ergo jam non super terram, nec in terra, nec secundum carnem debemus quærere Salvatorem, si volumus eum invenire atque contingere, sed secundum divinæ Majestatis gloriam, ut dicamus cum Apostolo Paulo: Nunc autem secundum carnem non novimus* Christum. *Igitur & Stephanus beatus* fide sua *non super terram quæsivit* Christum, *sed* stantem illum ad Dei dexteram recognovit: ubi illum reperit, ibi mentis devotione quæsivit. *Non solum autem Stephanus in Cœlo videt* Christum, *sed* eum & martyrio suo tangit. *Tangit enim* Dominum *cum pro inimicis suis orans, velut* fide sua tenens illum *dicit*: Domine, *ne statuas illis hoc peccatum. Intelligite ergo* quanta devotionis est gloria. *Maria juxta* Dominum *constituta eum tangere non meretur, Stephanus* in terris positus Christum tangit in Cœlo. *Illa inter Angelos præsentem non videt Salvatorem, Stephanus inter Judæos* Dominum cernit absentem. Hæc ibi Ambrosius.

26. Sed objicies illa Ambrosii verba, Lib. 3. de Spiritu sancto, Cap. 12. *Cum igitur incarnationis adorandum sit Sacramentum*, &c. Respondeo: Incarnationis *Dominicæ* Sacramentum ipse interpretatur Ambrosius eodem loco, *Jesum* Filium Virginis, *qui secundum carnem natus ex Spiritu est.* Et hoc est magnum Sacramentum, seu mysterium, *Deus manifestatus in carne*: qui nobis est adorandus, neque divisus est *Christus*, sed unus. Et adoratur à nobis ille Filius hominis, quia est Filius *Dei*, *Deus* Patri consubstantialis. Eumque adoramus adoratione suprema, soli *Deo* debita. Ambrosius etiam peculiarem librum de incarnatione fecit, quem inscripsit, *De incarnationis* Dominicæ *mysterio*, & Caput quintum ejusdem Libri, sic prænotatur, *Incarnationis Sacramenta non obstare quo minus* Dei *Filius sit æternus.* Et tamen in toto illo libro, nihil dicit de Sacramentis strictè dictis. Et alibi ait, *Quia solus*

luit Dominus, *qui hoc elegit Sacramentum, de* Spiritu Sancto *& Virgine natus est* Christus, Lib. 4. de Sacramentis, Cap. 4. Si tamen opus illud verè sit Ambrosii. Gelasius in principio operis contra Eutychen & Nestorium; *Multos*, inquit, *de incarnationis* Dominicæ *Sacramento recens altercatio*, &c. id est, de *Deo* manifestato in carne. Hoc Sacramentum, id est, Emmanuelem suppliciter adoramus in mysteriis, licet illum oculis corporis non cernamus, sicut olim Apostoli: Spiritualiter autem præsentem credimus.

27. Ad hanc enim adorationem, quæ *Christo* in mysteriis exhibenda est, non est necessaria corporalis & localis ejus in terra præsentia; sicut neque ad tactum aut manducationem. Sicut ostensum est. Ibant Christiani Hierosolymam ut *Christum in illis adorarent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat.* Ut est apud Hieronymum, in Epistola ad Marcellam, quæ incipit, *Mensuram.* Nec tamen in illis locis *Christus* corporaliter tunc præsens erat. Observanda sunt illa Ambrosii verba, Lib. 3. de Spiritu sancto, Cap. 12. *Neque adorandum quidquam præter* Deum *legimus, quia scriptum est*, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. ———— *Legimus alibi*, Deut. 6. Esai. 66. *Cœlum mihi Thronus, terra autem Scabellum pedum meorum. Sed* nec terra adoranda nobis, quia creatura est *Dei. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam* Dominus Jesus *in carnis assumptione suscepit.* ———— Maria erat Templum *Dei*, non *Deus* Templi: & ideo ille solus adorandus, qui operabatur in Templo. Hæc *Ambrosius.*

28. Hinc collige nihil esse religiosè adorandum neque tanquam *Deum*, neque propter *Deum*, nisi *Deum* ipsum.

29. Nunc vindicandus est Augustinus, quod Augustin. facile fiet inspectis ipsius verbis, in Psalm. 98. *Quomodo*, inquit, *adorabimus terram, cum dicat apertè Scriptura*, Dominum Deum *tuum adorabis?* ———— *Timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit Cœlum & terram. Rursum timeo non adorare Scabellum pedum* Domini *mei, quia Psalmus mihi dicit, adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit Scabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura: Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad* Christum. ———— *Spiritus vivificat, caro autem nihil prodest.* ———— *Durum illis visum est quod ait, nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam; acceperunt illud stultè, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt, quod præcisurus esset* Dominus *particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis.* ———— *Ait illis, Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest. Verba quæ loquutus sum vobis, Spiritus est, & vita. Spiritaliter intelligite quod loquutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos, etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Hæc ibi. Idem quoque in Sermon. 58. de verbis Domini: *Si natura* Deus *non est* Filius, *sed creatura*, nec colendus est omnino, *nec ut* Deus *adorandus.* ———— *Ego Dominicam carnem, imo perfectam in* Christo *humanitatem, propterea adoro, quod à divinitate suscepta, atque Deitati unita est: ut non alium atque alium, sed unum eundemque* Deum *& hominem* Dei *Filium confitear. Denique* si hominem separaveris à Deo, *ut Photinus vel Paulus Samosatenus*, illi ego nunquam credo, nec servio. Hæc ibi.

Idem alibi, *Religet nos religio uni omnipotenti* Deo. Lib. de vera Religione, Cap. 55.

30. Cum igitur Sacramentum non sit Hypostaticè unitum Deitati, cùm ejus suppositum non sit natura Deus, sed sit à Deitate suppositaliter (ut ita loquar) separatum, non est adorandum.

31. Objicies fortasse, visum Augustino, adorandum esse Sacramentum, &, per consequens, eum existimasse panem transsubstantiari in ipsam illam verè adorandam *Christi* carnem: & hoc probare conaberis, ex Lib. 20. contra Faustum; ubi Faustus ait Manichæis circa universa (in quibus Deum se colere dicebant) & Catholicis similiter erga panem & calicem esse parem relligionem, cap. 2. Neque videtur negarè August. Catholicos ritu uti adorativo circa panem & calicem. Respondeo; Augustinus tria dicit. 1. De Catholicis loquens, ait; *Panis & calicis sacramentum nostro ritu amplectimur*, cap. 13. Secundo; *Noster autem panis*, inquit, *& calix, non quilibet quasi propter Christum in spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi* (Manichæi) *desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur.* Eodem capite. Tertio, ait; *Deus verus colendus est: quia solus ille colendus est, quo solo fruens, beatus fit cultor ejus: & quo solo non fruens, omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur.* Eodem libro 20. contra Faustum, cap. 5.

At verò secundum Augustinum, solo Sacramento frui aliquis potest, & tamen esse miser: en ejus verba: *Nos hodie accepimus visibilem cibum, sed* aliud est sacramentum, aliud est virtus sacramenti. *Quam multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Unde dicit Apostolus, judicium sibi manducat & bibit.* ———— *Videte ergo Fratres, Panem cœlestem spiritualiter manducate.* ———— *Hic est Panis, qui de Cœlo descendit, ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur. Sed quod pertinet ad* virtutem Sacramenti, *non quod pertinet ad* visibile Sacramentum. *Qui manducat intus, non foris, qui* manducat in corde, *non qui premit dente.* ———— *Hujus rei* Sacramentum, *id est, unitatis Corporis & Sanguinis* Christi, *alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in* Dominica Mensa *præparatur, & de Mensa* Dominica *sumitur, quibusdam ad vitam*, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa *cujus & Sacramentum est*, omni homini ad vitam, *nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit.* ———— *Qui non manet in* Christo, *& in quo non manet* Christus, *procul dubio nec manducat spiritualiter Carnem ejus, nec bibit ejus Sanguinem. Licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis* Christi. *Sed magis tantæ rei Sacramentum* ad judicium *sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad* Christi *accedere Sacramenta.* Hæc omnia Augustinus, Tract. 26. in Evang. Joannis.

Idem etiam Tract. 27. in idem Evang. *Hoc*, inquit, *totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem* Christi *& sanguinem* Christi *non edamus* tantum in Sacramento, quod & multi mali; sed usque ad Spiritus participationem manducemus, *& bibamus, ut in* Domini *corpore tanquam membra maneamus, ut ejus Spiritu vegetemur: & non scandalizemur, etiamsi multi modo nobiscum* manducant & bibunt temporaliter

ter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. Hæc Augustinus.

Unde nascitur hoc argumentum: Ille solus est adorandus, quo solo fruens beatus fit cultor ejus. Vel, quicquid adorandum est, eo solo fruens beatus fit cultor ejus: at solo Sacramento fruens, non fit beatus cultor ejus: Ergo, Sacramentum non est adorandum. Et hæc est doctrina Augustini.

Theodoret. 32. Accedo ad vindicias Theodoreti, qui ait mystica symbola adorari προσκυνεῖσθαι, dialogo secundo. Ubi intelligunt Papistæ adorationem supremam, quæ λατρεία dicitur. Nec repugno. Nullam enim aliam agnoscimus adorationem religiosam. Et hoc sensu adorationem acceperunt etiam Ambrosius & Augustinus, locis supra citatis, ubi de religiosa adoratione loquuntur absolute absque ulla distinctione. Monui autem in superioribus, verba ista Theodoreti, τὰ μυστικὰ σύμβολα προσκυνεῖται, sic esse exponenda, *Mystica symbola ab adorantibus (sive cum adoratione) accipiuntur.* Adorantibus, inquam, non symbola, sed rem ipsam, sive *Christum*, cujus ea sunt symbola, sive sacra signa. Hanc expositionem sic probo: Adoratione illa, de qua loquitur Theodoretus, Christiani Catholici non adorabant symbola: Ergo adorabant solum *Deum*. Non enim invenitur tertium in hoc argumento. Probo antecedens: Non adorabant eas res quas credebant esse secundum naturam adhuc meras creaturas, sicut erant ante consecrationem: at symbola Eucharistica, nempe, Panem & Vinum, etiam post consecrationem, credebant esse secundum naturam suam adhuc meras creaturas, sicut erant ante consecrationem; quamvis *facta sint* per consecrationem jam *mystica*, id est, acceperint *significantem virtutem spiritualem*, ut loquitur Augustinus, lib. 20. contra Faustum, Cap. 1: 3. & Tract. 26. in Evang. Joannis. Major patet; quia cultum divinum non nisi *Deo* tribuebant. Minorem probo ex ipso Theodoreto, qui Catholicæ Ecclesiæ sui temporis doctrinam hac de re proponit, & contra Eutychianos Hæreticos defendit.

33. Ille in dialogo. 1. Qui inscribitur, ἄτρεπτος, *immutabilis*, exponens verba illa Jacobi Patriarchæ, *Lavabit in vino stolam suam*, &c. Gen. 49. 11. & conferens ea cum verbis Domini, *Ego sum vitis vera*, Joan. 15: 1. & cum verbis illis Domini, in institutione Eucharistiæ, quibus Calicem appellavit Sanguinem suum; & Panem, Corpus suum: sic ea re tota loquitur; *Sanguinem ergo uvæ, Servatoris sanguinem appellavit. Siquidem Dominus vitis est nominatus, fructus autem vitis, vinum appellatur, sanguinis autem & aquæ ex Domini latere manantis rivi per reliquum corpus inferne descenderunt: Jure ergo & apposite prædixit Patriarcha, lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ indumentum suum.* Sicut enim nos mysticum vitis fructum, post sanctificationem, [μετὰ τὸν ἁγιασμὸν] Domini *sanguinem nominamus*, Ita *veræ vitis sanguinem uvæ sanguinem nominavit.* —— *In mysteriorum traditione, Dominus Panem appellavit Corpus, & sanguinem, id quod in Calice infusum & commixtum est.* [Σῶμα τὸν ἄρτον ἐκάλεσε, καὶ αἷμα τὸ κρᾶμα.] Respondet Eranistes, sive Eutychianus: *Ita nominavit.* Pergit Orthodoxus; *Atqui, & quod est secundum naturam corpus, Corpus jure vocabitur, & itidem sanguis.* Eranist. *In confesso est.* Pergit Orthod. *Servator quidem certè nostro nomina commutavit, & corpori quidem, id quod erat symboli & signi nomen imposuit.* [Joan. 6. Ubi Panis dicitur, & cap. 12:24. Ubi granum tritici appellatur: ad hæc enim loca nos mittit Theodoretus.] *Symbolo autem, quod erat corporis. Ita cum se vitem nominavisset, sanguinem id quod erat symbolum, appellavit.* Græcus textus sic habet: Ὁ δέ γε Σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐνήλλαξε τὰ ὀνόματα, καὶ τῷ μὲν σώματι, τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα, τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος· οὕτως ἄμπελον ἑαυτὸν ὀνομάσας, αἷμα τὸ σύμβολον προσηγόρευσεν.

ERANISTES.

HOC quidem verè dixisti, vellem autem scire causam mutationis nominum.

ORTHOD. *Manifestum est institutum iis qui sunt divinis mysteriis initiati* [τοῖς τὰ θεῖα μεμυημένοις.] *Volebat enim eos, qui sunt divinorum Mysteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur, sed propter nominum permutationem, mutationi quæ fit ex gratia, credere. Qui enim, quod natura corpus est, triticum & panem appellavit, & rursus seipsum vitem nominavit, ille Symbola quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honoravit: Non naturam mutans, sed gratiam naturæ adjiciens.* Τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς.]

ERANIST. *Et mysticè mystica dicta sunt, & apertè declarata sunt, quæ non sunt nota omnibus.*

ORTHOD. *Quoniam ergo in confesso est, & Patriarcham corpus Domini vestem & indumentum nominasse; ad dicendum autem de divinis mysteriis ingressi sumus, dic per veritatem, cujus symbolum & figuram esse existimas alimentum sanctissimum.* [Τίνος ἡγῇ σύμβολόν τε καὶ τύπον τὴν πανάγιον τροφήν.] *Divinitatis ne Domini Christi, an Corporis & Sanguinis?*

ERANIST. *Clarum quod illorum, quorum etiam appellationem susceperunt.*

ORTHOD. *Corporis & Sanguinis dicis?*

ERANIST. *Ita dico.*

ORTHOD. *Ut decet amicum veritatis dixisti.*

Hæc Theodoretus, Dialog. 1. in editione Græca, Romæ impressa, folio octavo: & in editione Latina Coloniensi, Tom. 2. Pag. 218.

34. Idem quoque in secundo Dialogo, qui inscribitur, ἀσύγχυτος, *inconfusus*, in Græca editione, fol. 37. & 38. & in editione Latina, Pag. 236. de eodem argumento sic colloquentes introducit Eranisten, sive Eutychianum, & Orthodoxum.

ORTHODOXUS.

DIC ergo, mystica symbola, quæ Deo à Dei Sacerdotibus offeruntur, quorum sunt symbola?

ERANIST. *Corporis & Sanguinis Domini.*

ORTHOD. *Corporis quod verè est, vel verè non est?*

ERANIST. *Quod verè est.*

ORTHOD. *Optimè: oportet enim imaginis esse exemplar Archetypum* [χρὴ γὰρ εἶναι τὸ τῆς εἰκόνος ἀρχέτυπον] *etenim pictores imitantur naturam, & eorum quæ videntur depingunt imagines.*

ERANIST. *Verum.*

ORTHOD. *Si ergo divina mysteria corpus quod vere est repræsentant: ergo corpus etiam nunc*

Domini *quoque corpus est, non in naturam divinitatis mutatum, sed impletum divina gloria.*

ERANIST. *Opportunè accidit, ut verba faceres de divinis mysteriis. Nam vel ex eo ipso tibi ostendam, corpus* Domini *in aliam mutari naturam. Responde ergo ad mea interrogata.*

ORTHOD. *Respondebo.*

ERANIST. *Quid appellas donum quod affertur (seu offertur, τὸ προσφερόμενον δῶρον) ante invocationem Sacerdotis?*

ORTHOD. *Non oportet apertè dicere; est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos.* [τινὰς ἀμυήτους]

ERANIST. *Respondeatur ænigmaticè.*

ORTHOD. *Id quod fit ex hujusmodi seminibus nutrimentum.*

ERANIST. *Aliud autem signum (τὸ καὶ ἕτερον σύμβολον) quomodo nominamus?*

ORTHOD. *Commune etiam hoc nomen, quod potus speciem significat.*

ERANIST. *Post sanctificationem autem quomodo ea appellas?*

ORTHOD. *Corpus Christi, & sanguinem Christi.*

ERANIST. *Et credis te fieri participem Christi Corporis & Sanguinis?*

ORTHOD. *Ita credo.*

ERANIST. *Sicut ergo Symbola* Domini *Corporis & Sanguinis, alia quidem sunt ante invocationem Sacerdotis, sed post invocationem mutantur, & alia fiunt, ita etiam Corpus* Domini *post assumptionem mutatur in divinam substantiam.* Ὥσπερ τοίνυν τὰ σύμβολα τοῦ δεσποτικοῦ σώματός τε, καὶ αἵματος, ἄλλα μέν εἰσι πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως. μετὰ δέ γε τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται καὶ ἕτερα γίνεται. οὕτω τὸ δεσποτικὸν σῶμα μετὰ ἀνάληψιν, εἰς τὴν οὐσίαν μετεβλήθη τὴν θείαν.]

ORTHOD. *Quæ ipse texuisti retibus captus es. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priori substantia, & figura, & forma, & videri & tangi possunt, sicut & prius, intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur. Confer ergo imaginem cum exemplari, & videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse veritati similem, illud corpus habet priorem quidem formam, & figuram, & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam. Immortale autem post resurrectionem factum est, & potentius quam ut ulla in ipsum cadat corruptio, & interitus, Sessioneque a dextra dignatum est, & ab omni creatura adoratur, ut quod appelletur Corpus naturæ Domini.*

Et adorantur.

[Οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. Μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτὰ, οἷα καὶ πρότερον ἦν, νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται. Παράθες τοίνυν τῷ ἀρχετύπῳ τὴν εἰκόνα, καὶ ὄψει τὴν ὁμοιότητα. χρὴ γὰρ ἐοικέναι τῇ ἀληθείᾳ τὸν τύπον, &c.] Hæc Theodoretus.

καὶ προσκυνεῖται.

Gelasius.

35. Similia scripsit *Gelasius*, in suo opere contra Eutychen & Nestorium: *Certa*, inquit, *Sacramenta quæ sumimus Corporis & Sanguinis Christi, divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ; & tamen esse non desinit substantia vel natura Panis & Vini. Et certè Imago & Similitudo Corporis & Sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus* Imagine *profitemur, celebramus, & sumus: ut sicut in hanc, scilicet, in divinam transeunt,* [transeunt] *sancto Spiritu perficiente, substantiam, permanente,* [permanentia] *tamen in suæ proprietate naturæ: sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam virtutemque* veraciter *repræsentant; ex quibus constat propriè permanentibus, unum Christum, quia integrum verumque permanere demonstrant.* Hæc Gelasius.

36. At vocabula ista φύσις, οὐσία, substantia (inquiunt Sophistæ) significant sæpe essentiam & naturam accidentium. Ideò necesse non est illis locis apud Theodoretum & Gelasium intelligere substantiam, quæ distinguitur contra accidentia, & quam in prima categoria posuit Aristoteles; sed tantummodo naturam accidentium sensibilium quæ sunt in Eucharistia, quæ fuit etiam ante consecrationem. Sic elabi conatus est Bellarminus, lib. 2. de Eucharistia, cap. 27. At irrito conatu: nam utcunque ista vocabula quandoque accidentibus etiam tribuantur; semper tamen apud omnes idoneos Authores *natura* & *substantia* alicujus substantiæ categoricæ, (ut Panis, Vini, Corporis, &c.) significat substantiam categoricam vel partem substantiæ substantialem, prout substantia & substantiæ pars distinguuntur contra accidentia, in categoriis. Si dixissent Patres illi manere naturam coloris, & odoris, &c. aliquem haberet colorem ista miserrima Papistarum defensio: at cum apertè dicant Patres manere naturam & substantiam *Panis* & *Vini*, eandem quæ erat ante consecrationem, non secus ac manet vera humana natura substantialis in Mediatore: nullum prorsus sophistis istis superest effugium, nisi in Eutychianæ Hæreseos latibulum se recipiant: quod ipsum etiam Patres eis intercluserunt. Adjectis etiam similitudinibus Vini, & Vitis, & Panis, & Tritici, locis supra citatis.

37. Redeo nunc ad expositionem verborum illorum quæ habentur in ea Orthodoxi loquutione, quam postremo loco citavimus ex Theodoreto. Τὰ μυστικὰ σύμβολα —— προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα πιστεύεται. Id est, *Signa mystica —— adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.* Adorationem diximus propriè accipiendam, & quidem pro suprema illa adoratione, quæ soli *Deo* debetur, & quam meræ tribuere creaturæ Idololatria est; hoc suadent verba illa quibus adorationis hujus ratio continetur, *ut quæ sint* (nempe symbolicè & figuraliter ut ostensum est) *illa quæ creduntur*: id est, corpus & sanguis *Domini* quæ in divina hypostasi existentia sunt objectum verè adorabile, in persona non minus adorabili nunc in carne, quàm olim *ante incarnationem*. Propterea intelligenda videtur ea suprema adoratio, quæ rei Sacramenti, id est, *Emmanueli* pro nobis passo exhibetur. Accedit etiam quod illorum temporum scriptores catholici hanc solent intelligere adorationem, quando utuntur vocabulis *adorare*, *adoratio*, ad significandum externum aliquem actum religiosum in publico Dei cultu: qualis est celebratio Eucharistiæ. Ideo *Ambrosius* & *Augustinus* locis superiùs citatis, absque ulla adorationis distinctione, omnem religiosam adorationem meris creaturis simpliciter abjudicant. Neque vel pro Deo vel propter Deum ullam meram creaturam, ne ipsam quidem beatam *Virginem*, adorari patiuntur. Quidam viri docti adorationem hanc, de qua loquitur Theodoretus, interpretantur vene-

P. Molinæus Apolog. pro S. Cœna, cap. 10.

de qua loquitur Theodoretus, interpretantur venerationem. Non contradico ; sed aio nullam esse positivam Sacramenti venerationem, *ut quod sit res ipsa cujus nomen sortitur*, nisi adorationem ipsius rei cujus est Sacramentum, in Sacramenti usu. Nam alia est veneratio signorum negativa ut ita loquar, per quam cavemus ne eis indecorè aut profanè abutamur : sic veneramur etiam Templa Deo dicata, quando abstinemus ab eorum violatione aut profanatione, neque in eis nos indecore gerimus. At verò rerum sacrarum sensu carentium nulla potest esse positiva veneratio licita quæ adorationis vocabulum mereatur, nisi adoratio Dei in usu rei ; quemadmodum veneramur lectionem sacræ Scripturæ, eam nudo capite audientes : id est, Deum nos alloquentem honorantes gestu adorativo : neque ullo modo terminatur ea nostra veneratio sive adoratio in vocibus scriptis vel sonantibus. Sed ille gestus noster adorativus, est partim gratiarum actio qua gratias Deo agimus de revelatis mysteriis, & benigno alloquio, partim est quædam precatio, ut illam auditionem faciat Deus nobis salutiferam. Alioqui si religiosam aliquam adorationem concedamus meræ creaturæ, quamvis eam venerationis vocabulo palliare nitamur, non liberamur ab idololatria. Sic in Eucharistiæ sumptione veneratio seu adoratio illa positiva qua reverenter & adorabundi sumimus porrecta Symbola, est cultus & adoratio Dei : nam reverenter uti divinis mysteriis, est cum Dei reverentia iis uti : neque usquam tendere aut usquam figi debet mentis nostræ quantulacunque devotio adorativa nisi in Deum & in Deo. Adorare igitur seu venerari Symbola mystica est eis cum Dei adoratione, & veneratione uti.

Objectio. 38. Objicies, si adoratio apud Theodoretum propriè accipiatur, & vox, σύμβολα, etiam propriè sumatur, pro ipsis signis sacris ; neque usquam compareat figuræ alicujus vestigium in hac enunciatione, *Symbola adorantur* ; ubi & subjectum & attributum propriè accipiuntur ; & cum interpretatio omnis eo fit certior, quo simplicior ; quid vetat verba, ut jacent, interpretari, de ipsorum Symbolorum adoratione ?
Responsio. Respondeo : simplicitas alia est laudabilis, quæ alio nomine sinceritas dicitur : alia est miserabilis, quæ imprudentia est. Dominus noster simplicitatem nobis commendavit cum prudentia conjunctam, Matth 10: 16. Monet Apostolus ut non simus pueri intelligentia, sed malitia pueri, intelligentia vero adulti simus. 1 Corinth. 14: 20. Puerilis & pueriliter simplex est ea interpretatio per quam ita adhæretur verborum sono, ut loquentis mens non capiatur, aut eidem contradicatur : qualis erat simplicitas interpretationis illius, qua *Capernaitæ* interpretati sunt verba Domini, de manducatione Carnis Dominicæ, Johan. 6. Rectè Augustinus ; *Si*, inquit, *præceptiva loquutio flagitium aut facinus videtur jubere, figurata est*, Lib. 3. de doctrina Christiana, Cap. 16. Ubi loquitur de interpretatione sacræ Scripturæ, allato exemplo manducationis Carnis Christi.

39. Jam verò si intelligamus adorata esse à veteribus ipsa symbola, quæ tamen credebant (sicut ostensum est) retinere propriam naturam etiam post consecrationem, facimus eos Idololatras, & praxin eorum suæ ipsorum doctrinæ contrariam : quod sine insigni contumelia & injuria in sanctos Patres dici non potest.

40. Huc ergo recurrendum est, ut impropria eorum dicta cum propriis conciliemus : quædam enim loquutiones nucibus similes sunt, in quibus solus nucleus esui aptus est : ad quem inveniendum frangendus est cortex, alioqui frustra circa duram superficiem laborabis. Quales sunt illæ loquutiones figuratæ, ex quibus, si propriè accipiantur, nihil elicueris præter crassas absurditates. Ut si quis dicat de Pane consecrato, hic Panis jam in Cœlo sedet : nam cum sit natura Panis, non est jam in Cœlo propriè : sed perrumpenda sermonis hujus superficies est, ut sensum aliquem verum inveniamus. *Panis* quidem, hujus enunciationis subjectum, intelligitur propriè Panis, & verbo *sedet*, intelligitur sessio vel saltem localis existentia in Cœlo : & tamen ut vera sit enunciatio, invenienda est aliqua figura. Est igitur figura in ipsa attributione, quamvis neque in subjecto, neque in re attributa, seorsum spectata. Vis autem copulæ attributivæ includitur in verbo secundi adjacentis cum re attributa, à qua tamen distinguenda est in sensu, quamvis uno concludantur vocabulo. Id quod in hac propositione facilè patebit, si verbum attributivum liquefaciamus, & particulam attributivam à re attributa, etiam vocabulo secernamus, in hunc modum : *Panis hic est corpus illud, quod jam in Cœlo sedet.* Et in hac loquutione quærenda adhuc figuræ explicatio, nam verbum illud tertii adjacentis, *est*, non est absolutè & propriè accipiendum : sic igitur clarior erit Enunciatio, *Hic panis secundum quendam modum est corpus*, &c. Ut loquitur Augustinus, Epist. 23. modus autem hic Sacramentalis est, adeo ut propria expositio illius propositionis, *Hic panis jam in Cœlo sedet*, hæc sit, *hic panis est Sacramentum Corporis illius quod jam in Cœlo sedet* ; sive eodem sensu, *Hic panis secundum quendam modum Sacramentalem, sive Sacramentaliter, est corpus illud quod jam in Cœlo sedet.*

41. Idem dicendum est de Enunciatione illa Theodoreti ; *Symbola mystica adorantur*, id est, *sunt objectum illud quod adoramus*, nempe vera caro & sanguis Christi ; *sunt*, inquam, *secundum quendam modum Sacramentalem.* Attribuit autem Theodoretus, figuratè, satis impropria loquutione, adorationem Symbolis in Eucharistia, ut significet eam adorationem quæ exhibetur rei Sacramenti, in ipsa perceptione Sacramenti : ac si diceret ; dum Symbolis utimur, adoramus *Dominum Jesum*, cujus Corporis & Sanguinis hæc Symbola, ipsius mandato, & in ejus recordationem, sumimus.

42. Hac dissertatione ostendere voluimus Catholicam Ecclesiam in Perceptione Eucharistiæ semper usam esse gestu quodam adorativo. Gestum verò in aliis Cœnis mensalem, non esse judicatum huic sanctæ Cœnæ mensalem, sive mensæ *Dominicæ* convenientem. Porro sessionem nusquam ullo seculo nisi nuper paucissimis in locis usurpatam esse in celebratione Cœnæ *Dominicæ*. Neque ab ulla unquam aut usquam Ecclesia Catholica judicatam esse necessariam necessitate juris divini. Denique veteres in Sacramenti celebratione adorantes, non adorasse Sacramentum, sed solum *Deum*. *Scopus & summa, hujus dissertationis.*

In Confessione Scoticana, *Art.* 21.

Nec signa loco rei signatæ adoramus, nec adoranda putamus, nec despicimus, aut tanquam inutilia & vana interpretamur, verum cum omni reverentia illis utimur. II.

Joan-

Joannes Calvinus, *lib.* 4. *Institut. cap.* 17. §. 37. *Contra Papistas disputans.*

III. *Christo* inquiunt, hanc venerationem deferimus. Primùm, si in Cœna hoc fieret, dicerem adorationem eam demum esse legitimam quæ non in signo residet, sed ad *Christum* in Cœlo sedentem dirigitur.

Petrus Martyr, *locorum communium classe secunda, cap.* 4. §. 39.

IV. Nihil interest, si Cœnæ *Dominicæ* Sacramentum, stantes aut sedentes, aut genibus flexis percipiamus, modo institutum *Domini* conservetur, & occasio superstitionibus præcidatur.

Wolf. Muscul. *in Locis Communibus, de Cœna Domini: Art. quomodo Cœna Dominica celebrari debeat.* §. *Principio.*

V. Circumstantiæ erant, quod Sacramentum hoc à *Christo*, nocturno tempore, sub Cœnam, accumbentibus ad mensam Discipulis, institutum est ac traditum. Hæ circumstantiæ non sic requiruntur necessariò, ut non liceat nobis Sacramentum hoc extra Cœnas, interdiu, & stantibus fidelibus administrare. Non enim pertinent ad substantiam Sacramenti. Audimus hodie nonnullis Ecclesiis placere, ut ad mensam promiscuè accumbentes communicent, quod existiment hunc accubitum pertinere ad exemplum *Domini.* Verùm mensa illa, ad quam cum Discipulis suis in ultima Cœna accubuisse legitur *Dominus*, parata fuerat ad edendum vetus Pascha, nec habebat novum ritum, qui novi esset Testamenti Mysteriis celebrandis destinatus, ac posteris exempli vice propositus, sed veterem, eique genti solennem ac usitatum, unde nemo Discipulorum offendebatur. Quare non sic pueriliter desipimus, ut quod *Dominus* mensæ accubitu per occasionem veteris Paschatis in hac est Sacramenti istius institutione usus, ad hoc esse factum existimemus, ut normam nobis & exemplum ad novi Paschatis communicationem accumbendi præscriberet: quemadmodum nec in eo nobis posita lex est, quam sequamur, quod non manè, sed vesperi Sacramentum hoc instituit. Deinde non tam est commodum, ut ingens communicantium multitudo ad mensas accumbat in Ecclesia, quam erat Domino, ut cum paucis, duodecim viz. Discipulis, ad unam mensam accumberet.

In Consensu Poloniæ, in generali Synodo Petricoviensi, art. 4.

Cæremonias libertati Christianæ donamus, ac permittimus, ut stantes, vel *genua flectentes*, pii Sacramentum Corporis & Sanguinis *Christi* sumant. *Sessionis* verò ad Mensam *Domini*, quia præter ritus in omnibus per Europam Evangelicis Ecclesiis vulgò consuetos, illi inter nos primi Authores exstiterunt, qui omnia temerè in Ecclesia immutantes, & sine scientia *Christum quasi* imitantes, à nobis ad Arianismum perfidi transfugæ facti sunt: quare hanc *propriam ipsis* (ut *Christum* ita & sacra ejus irreverenter tractantibus) *tanquam minus honestam ac Religiosam, simplicioribusque admodum scandalosam* cæremoniam rejicimus. VI.

Item, in eodem Consensu, in generali Synodo Vlodislaviensi, can. 6.

Quod attinet ad cæremonias Cœnæ *Domini*: Sententia jam olim in Sendomiriensi Synodo agitata, & conclusio in generali Cracoviensi atque Petricoviensi Synodo facta ac repetita, in hoc etiam Ulodislaviensi Synodi Consessu approbata est: nempe, *ne in usu sit sessio ad mensam Domini*, in ullis hujus nostri Consensus Ecclesiis Poloniæ & Lituaniæ, &c. Nam hæc cæremonia (*licet cum cæteris libera*) Ecclesiis Christianis & cœtibus Evangelicis non est usitata, tantumque *infidelibus Arianis, cum Domino pari solio sese collocantibus, propria.* Cùm itaque *sessio potissimum occasione & malo auspicio illorum*, qui miserrimè ex nobis exciderunt, & *Dominum* qui nos redemit abnegarunt, in consuetudinem irrepsit aliquot nostris Ecclesiis, rogamus & hortamur omnes istos cœtus & Fratres nostros in *Domino*, ut Sessionem commutent in cæremonias nobis in Ecclesiis Evangelicis per Europam consuetas, scilicet, *ut administretur Cœna Domini stantibus, vel genua flectentibus* (cum protestatione contra Artolatriam Papistis consuetam.) Quem utrumque ritum, prout in quibus Ecclesiis hactenus usitatus est, nobis liberum, sine scandalo & vituperatione invicem, relinquimus & approbamus. VII.

Daniel Chamier. *lib.* 7. *de Eucharist. cap.* 1. §. 9. 10. 11.

VIII. *Adorari Christum in Eucharistia* duplicem habet intellectum: vel quemadmodum adorari dicitur idem *Christus* in Oratione: vel quomodo eidem dicitur esurienti *Christo* dari cibus, qui datur indigenti, Math. 25.

25. Nam discrimen est longum. Quia in priori, Oratio illa nullo modo est objectum adorationis: unde nemo dixit unquam, adorari Orationem ipsam, sive Preces: sed tantùm sive circumstantiam esse, sive etiam modum adorandi. Ast in posteriore indigens ipse objectum est Elemosynæ, quæ inde redundat in *Deum.* §. 10. Priori sanè modo *nemo nostrum recuset testari in Eucharistia sive in Sacramento, Adorare se Christum*: non tantùm quia, dum celebratio fit, in *Christum* toto feratur animo vir sanctus; quæ ratio esset tantum circumstantiæ, quia utrumque eodem fiat tempore: quæ posset esse merè per accidens, ac proinde nimis infra Sacramenti dignitatem; sed etiam *quia ipsa illa celebratio sit actus Religiosus; ac proinde separari nequeat ab adoratione Christi*: sicut oratio, hymnus, & similia. Unde etiam Eucharistiæ nomen. Nam *quicunque pius agit gratias Deo, idem adorat Deum.* §. 11. Sed Papistæ non sic: imò secundo modo: unde ratio illa loquendi, *adorare Sacramentum, adorare Eucharistiam*: quod profectò alias nunquam dicerent, quomodo non dicunt se adorare suas Letanias. Sed quomodo adorant *Deum* in imaginibus: quia has primò; deinde per relationem, *Deum*: & sic Gregorius de Valentia dixit, qui censeant nullo modo ad species ipsas eam venerationem pertinere, in eo Hæreticè pugnare contra perpetuum usum & sensum Ecclesiæ.

Idem eodem lib. cap. 2. §. 9.

IX. Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Bene; adorare in loco: at non adorare locum. Sic nos facile, *adoramus in Eucharistia*, sed *non adoramus Eucharistiam.*

In B. Lydii Waldensibus, part. 2. in tractatu de cæremoniis Cœnæ Dominicæ. pag. 353. edit. Roterodam. anno Dom. 1616.

X. Commonetur jam quoque populus ad confidentem communionem, cum actione gratiarum: ac interim certo accedunt ordine, ac quisque flexis genibus in suo loco se collocat, atque inibi Presbyter principio unà cum comministris suis communicant, deinde omnibus ordinatim viris & fœminis, senibus ac junioribus, parvis ac magnis, quicunque idonei sunt, & huic sacro destinati, adsuntque praxi, ministrat.

In Confessione Bohemica. art. 13.

XI. Procumbentibus interim in genua distribuunt. Plebs autem ipsa cum gratiarum actione sumit.

Andreas Rivetus, in Catholico orthodoxo seu Summa Controversiarum, Tractatu tertio, quæst. 25.

Nos adoramus eum (*Christum*) in spiritu ac veritate, tam in Eucharistiæ celebratione, quàm in aliis spiritualibus exercitiis, coram eo flectimus corporis cordisque genua, & adoramus quod scimus. *Joan. 4. 22.*

Caput XVI. Pars V.

De pane azymo aut fermentato, multisque aliis indifferentibus in celebratione hujus Sacræ Cœnæ.

Joannes Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 17. §. 43.*

Quod ad externum actionis ritum spectat, in manum accipiant fideles, necne: inter se dividant, aut singuli quod sibi datum fuerit, edant: calicem in Diaconi manu reponant, an proximo tradant: panis sit fermentatus, an azymus: vinum rubrum, an album: nihil refert. Hæc indifferentia sunt, & in *Ecclesiæ libertate* posita. I.

Wolf. Musculus, *in locis Communibus in tract. De Cœna Domini: art. quid instituerit Dominus. num. 3.*

Quare, meo judicio, nec Latinis erat ratio, tantopere Græcorum morem pane fermentato in Cœna *Domini* utentium, quasi illicitum damnare: nec Græci sic ab azymo abhorrere debebant, ut hoc nomine ab Ecclesiis Latinis sejungi se sinerent, cùm non referat in azymo ne vel fermentato pane, &c. II.

Idem ibidem. §. Ab hoc Christi.

Sive plura pocula fuerint in mensa, sive unum tantùm, non nisi ex uno & eodem voluit omnes bibere: sic cum primo dedisset poculum, dixit, Bibite ex hoc omnes. Hinc tamen non est, ut damnemus eorum consuetudinem, qui propter communicantium multitudinem pluribus poculis utuntur in Cœna *Domini.* III. *Vide ex Musculo plura parte 4. num. 5.*

Daniel Chamierus, *lib. 6. de Eucharistia, Cap. 3. §. 10. & 11.*

Dominus (inquiunt Papistæ) vinum aqua mixtum consecravit. Igitur & nos ita facere debemus. IV.

§. 11. Respondeo, primum negari consequentiam. Nam in Cœna lavit pedes *Christus*: & nemo tamen concludit id faciendum

ciendum sub pœna peccati mortalis. Imò consecravit vespere, & post Cœnam: quod tamen etiam prohibet Ecclesia Romana. Rursus consecravit accumbens Mensæ: quod jam pridem nemo facit. Antecedens ergo contrahendum, ut intelligantur ea facienda in hujus Sacramenti celebratione, quæ in ea facta sunt à Christo non per accidens; sed propter ipsius Sacramenti plenitudinem: ad quam neque lotio pertinet, neque vespera, neque accubitus.

Idem, *Lib.* 6. *de Eucharistia*, *Cap.* 4. §. 18.

V. Quid igitur ad argumentum Papisticum regerimus? Hoc facillimum: fuisse usurpatum azymum per accidens, sicut agnum: nempe, ex temporis circumstantia. Quare quomodo non est necesse agnum adhiberi, sic neque azymum. Sic in Baptismo, locus est in flumine, non quia necesse esset, sed quia *Joannes* lavaret in flumine. Obvio igitur pane usus, non autem peculiari propriaque diligentia apparato in usum Sacramentalem, docuit & nos obvio uti. Bene *Suarez*, constat jure divino neutrum horum esse præceptum: quia solum *Christi* factum non satis est ad inducendum præceptum. Nam licet consecraverit in Vino albo, verbi gratia, aut hora noctis, non ideo præcepit nos ita consecrare.

Idem, *Lib.* 7. *de Eucharistia*, *Cap.* 15. §. 13. *ubi contra Missam privatam adfertur & defenditur argumentum ab institutione.*

VI. Peccat etiam aliter, [*Bellarminus*] quasi nostrum argumentum esset simpliciter ab iis quæ *Christus* fecit: cum sit tamen ab iis, quæ *Christus* jussit fieri. Nam *qua* Christus *fecit*, *fatemur non omnia esse ejusmodi ut necessario sint observanda:* Sed ea dicimus tantum narrari, ut circumstantias actionis: Exempli gratia; Celebravit sub vesperam, & post Cœnam, & accumbens, & ipsa die Paschæ. Horum igitur esto sanè libera observatio. Sed alia sunt quæ simul & gessit actu, & *precepto* sancivit, accipite, edite, bibite: quorum prorsus alia ratio est.

Idem, *Lib.* 8. *de Eucharistia*, *Cap.* 2. §. 22.

VII. Lotionem pedum, Cœnam præeuntem, *accubitum*, numerum duodenarium, quis probabit in iis esse quæ in Eucharistiæ institutione mandata sunt? Quin videlicet tam nihil faciunt ad partes hujus institutionis, ut *Paulus* institutionem repetens ne meminerit quidem: Imò neque indicavit. Cur ergo retenta essent in celebratione *Eucharistia*? Circumstantiæ fuerint. Esto sanè. Sed nemo unquam *sic insaniit*, ut omnes circumstantias actionum *Christi* dixerit observandas. Cyprianus inculcabat ea quæ *Christus* fecisset & docuisset: Nec nos inde abimus: si sumpsisset Panem, nec addidisset *accipite*, *edite:* tam certè importunum esset urgere perpetuum esum; quam *accubitum*: & si non tantum accubuisset, sed etiam dixisset, *accumbite*; tam seriò accumbendum esset, quam edendum. Sed neutrum est: accubuit, *non jussit accumbere*: dedit Panem, & jussit edere.

Idem, *Lib.* 8. *de Eucharistia*, *Cap.* 3. §. 23.

Non potest negari potuisse in eo actu [*quo Dominus Cœnam instituit*] quædam esse peculiaria, quæ trahi in legem perpetuam *foret absurdum*: ut illa, de præmisso cibo communi, agnoque paschali; de duodenario numero, de cœnaculo, de *accubitu*, & si qua similia. VIII.

Muscul. *Artic. quomodo Cœna celebrari debeat.*

Vocamus autem integram administrationem, eam quæ non circumstantias illius, sed substantiam concernit. IX.

In Synopsi purioris Theologiæ *conscripta per* Joannem Polyandrum, *&* Andream Rivetum, *&* Antonium Walæum, *&* Antonium Thysium, *S. S. Theologia Doctores*, *& Professores*, *in Academia* Leidensi. *Disputatione* 45. *Thesi* 15.

Neque tamen hæc circumstantia temporis vespertini, seu nocturni, vel diei sextæ hebdomadis, aut anniversarii, tertiæ scilicet diei ante resurrectionem, ut neque loci, nempe, privati; neque quod cœnatis, pedibus ablutis, *accumbentibus*, & quidem duodecim numero, Cœna præbita fuit, (quorum quædam aliquamdiu in prisca Ecclesia obtinuerant) præscriptionis observationisque necessitatem ullam habent. X.

Caput XVI. Pars VI.

Frequenter Communicandum.

Joannes Calvinus, *Lib.* 4. *Institut. Cap.* 17. §. 44.

I. Sic agendum omnino erat, ut nullus Ecclesiæ conventus fieret sine verbo, orationibus, participatione Cœnæ & eleemosynis. Hunc & apud Corinthios fuisse institutum ordinem, satis ex Paulo conjicere licet & multis postea seculis in usu fuisse constat.

Idem, ibid. §. 46.

II. Longe aliter factum oportuit: singulis ad minimum hebdomadibus proponenda erat Christianorum cœtui mensa Domini, declarandæ promissiones quæ nos in ea spiritualiter pascerent.

Idem, in Lib. Epistolarum, Col. 453.

III. Jam verò singulis mensibus cœnam celebrari maximè nobis placeret: modò ne usus frequentior negligentiam pariat. Nam dum major pars à communione abstinet, quodammodo dissipatur Ecclesia. Malimus tamen singulis mensibus invitari Ecclesiam, quam quater duntaxat in singulos annos: ut apud nos fieri solet.

Vide supra, Cap. 7. Num. 5.

Caput XVI. Pars VII.

De communione clinicorum aut morti adjudicatorum.

In Concilio Niceno 1. *œcum. Can.* 13. *statutum est de lapsis pœnitentibus qui nondum annos pœnitentiæ præscriptos implevissent.*

I. Ut si quis è corpore egrederetur, & peteret sibi concedi Eucharistiæ participationem, non privaretur ultimo & nècessario viatico, [*τῦ τελευταίυ καὶ ἀναγκαιοτάτυ ἐφοδίυ μὴ ἀποςερεῖσθαι*] sin autem postea convalesceret, ut esset inter eos qui orationis tantum communionem consequuntur.

In Concilio Moguntino, cap. 27. *Præsidente* Rabano Mauro *Episcopo Moguntino, anno Domini* 847.

II. Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus communio in fine secundum canonicum jussum danda est, cur non eis qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt?

Joannes Calvinus, *in Epist. ad Monsbelgardenses, quæ incipit, Tametsi Neoconum. Lib. Epist. Col.* 55.

De Cœnæ administratione ità sentio, libenter admittendum esse hunc morem, ut apud ægrotos celebretur communio, cum ita res & opportunitas feret. Nec magnopere etiam repugnandum esse, quin maleficis detur qui plectendi sunt, siquidem postulent & ad receptionem satis comparatos esse appareat: hac tamen lege, ut sit vera communio: hoc est, ut panis in cœtu aliquo fidelium frangatur. III.

Idem, in Epistola ad N. quæ incipit, Quia de quæstionibus. Col. 453.

Cur Cœnam ægrotis negandam esse non arbitrer, multæ & graves causæ me impellunt. Video interea quàm proclivis in multos abusus sit lapsus, quibus prudenter seduloque occurrendum esset. Nisi enim sit communicatio, perperam deflectitur à sacra institutione *Christi*. Conveniat ergo aliquis cœtus oportet ex cognatis, familiaribus, & vicinis, ut fiat distributio ex mandato *Christi*: deinde conjuncta sit actio cum mysterii explicatione: nec quidquam à communi Ecclesiæ ratione diversum. Promiscuè etiam huc & illuc deferre, valde periculosum est. Atque hic difficillimum est cavere, ne alios superstitio, alios ambitio & vana ostentatio ad petendum solicitet. Itaque judicio opus esset ac delectu, ne quibus daretur, nisi in magno vitæ discrimine. Panem tanquam sacrum è Templo afferri præposterum est: gestari verò in pompa nullo modo tolerabile. IV.

Scribit Justinus in Apologia 2. propè finem, morem Ecclesiæ illo seculo fuisse, ut Eucharistia in cœtu publico consecrata, distribueretur præsentibus, & ad absentes per Diaconos mitteretur. Hoc non damnat Calvinus, sed damnat superstitionem pompæ, & rectè existimat posse Panem consecrari in loco ubi datur ægroto aliisque cum eo communicantibus: nempe, sæpe postulant ægroti, quando non fit publica hujus Sacramenti in Templo celebratio. Alioqui fatetur Calvinus numero sequenti, Cœnam quæ ægrotis datur, partem esse vel appendicem publicæ actionis: proinde si clinicus particeps fieri expetat, dum publicè in Templo celebratur Eucharistia, poterit haud absurdè mitti è Templo ad clinicum Sacramentum in Templo consecratum.

Idem, ad Olevianum, *in Lib. Epist. Col.* 454. & 455.

Meam de Cœna ægrotis administranda sententiam rogasti, ——— ex natura quidem; V.

dem, fine, & usu mysterii probè mihi colligere videor, non esse tanto bono privandos, qui vel diuturno morbo laborant, vel de vita periclitantur. Ad fidei confirmationem valet, tesseram accipere quasi ex *Christi* manu, qua certiores fiamus nos in ejus corpore censeri, Carne ejus & Sanguine pasci in spem æternæ vitæ. Itaque Cœnæ perceptio nos ad obeundas spirituales pugnas instruit. Jam si pius quispiam è mundo migrandum sibi videat, quia fieri non potest quin oppugnetur ac vexetur multis tentationibus, meritò se armari cupiet ad sustinendos conflictus. An eripiendum est singulare adjumentum, quo fretus ad luctam alacrius descendat, & victoriam obtineat? Jam prohiberi quo minus liceat profiteri & testatum facere pietatis consensum cum Ecclesia, durum est ac *mali exempli*, sive quis in lecto diu jaceat, sive morti sit vicinus. Atqui Cœna sanctæ inter filios *Dei* unitatis est symbolum. Quamvis breviter rem attigerim, agnoscis tamen, quibus rationibus adductus, ægrotos non esse arbitrer à communicatione arcendos. Neque tamen ea de causa velim turbas movere. Scis in hac Ecclesia alium esse morem. Acquiesco, quia utile non esset contendere. Qui hanc administrationem non putant *Christi* mandato esse consentaneam, objiciunt sacrum hoc epulum fuisse institutum, ut communiter illic vescerentur fideles, quod illis verum esse concedo. Sed quamvis nulla sit legitima Cœna, nisi communis; quæ tamen ægrotis dabitur, quia privata non erit, adulterina non censebitur. Nam certè partem vel appendicem esse constat publicæ actionis, &c.

Nota contra turbatores.

In Consensu Poloniæ, in generali Synodo Petricoviensi, art. 5.

VI. An ægrotis mortemque subituris Cœna sit exhibenda? ita conclusum: Debere omnes Pastores docere & assuefacere auditores suos, ut quotiescunque mensa *Domini* pro omnibus fidelibus in communi cœtu apparatur, ad eam singuli accedere non negligant: adeoque nullas dilationes facientes, nec ultimum vitæ punctum exspectantes, sed corpore & animo sani, sint semper, secundùm mandatum *Domini Jesus*, parati, ac usu ministerii ejus in spe vitæ æternæ confirmati. Tamen & ea in re, ut *conscientiis hominum non dominemur*, justis de causis id petenti ægroto, qui mentis & rationis compos sit non est denegandum: verum diligenter & prudentissimè explorata ac erudita ipsius conscientia: & quatenus id pro circumstantia loci atque temporis fieri potest, aliquot fidelium collectis, & una cum ægroto participantibus.

CAPUT XVII.

De impositione manuum Catechumenis, baptizatis.

Joannes Calvinus, *Comment. in Epist. ad Hebræos, cap. 6. vers. 2.*

I. BAPTISMOS nominat (*Apostolus*) solennes ritus, vel status baptizandi dies. Manuum impositionem cum Baptismo conjungit: quia ut duo erant Catechumenorum ordines, ita duplex erat cæremonia. Nam qui erant extranei, non ante perveniebant ad baptismum quam edita fidei professione. In illis ergo Catechesis baptismum præcedere solebat. At liberi fidelium, quoniam ab utero adoptati erant, & jure promissionis pertinebant ad corpus Ecclesiæ, infantes baptizabantur: transacta verò infantia, postquam instituti erant in fide, se quoque ad Catechesin offerebant, quæ in illis baptismo erat posterior. Sed aliud symbolum adhibebatur, nempe manuum impositio. *Hic unus locus abunde testatur, hujus Ceremoniæ originem fluxisse ab Apostolis:* sed postea in superstitionem versa fuit, ut mundus semper fere ab optimis institutis ad corruptelas degenerat. Finxerunt enim esse Sacramentum, quo Spiritus regenerationis conferatur: quo figmento baptismum lacerarunt: nam quod erat ejus proprium, ad impositionem manuum transtulerunt. Sciamus ergo à primis authoribus institutum fuisse, ut esset *solennis precandi ritus*, quemadmodum etiam Augustinus nuncupat. Fidei quidem professionem, quam adolescentes pueritiam egressi edebant, voluerunt approbare hoc symbolo. Sed nihil minus cogitarunt, quam vim baptismi discerpere. Quamobrem hodie *retinenda pura institutio est; superstitio autem corrigenda.* Atque hic locus pædobaptismi approbationem facit. Quorsum enim eadem doctrina, in aliis vocaretur baptismi doctrina: in aliis verò impositionis manuum? Nisi quia posteriores accepto jam baptismo in fide erudiebantur: ut non aliud restaret, quam illis *manus imponere.*

Idem, lib. 4. Institut. cap. 19. §. 4.

II. Hic mos olim fuit, ut Christianorum liberi, postquam adoleverant, coram Episcopo sisterentur: ut officium illud implerent quod ab iis exigebatur qui se ad baptismum adulti offerebant. Hi enim inter

Ca-

Catechumenos sedebant, donec ritè fidei mysteriis instituti poterant fidei confessionem coram Episcopo ac populo edere. —— Ab Episcopo examinabantur secundùm formulam Catechismi quam tunc habebant *certam* ac *communem*. Quo autem hæc actio quæ alioqui gravis sanctaque meritò esse debebat, plus reverentiæ haberet ac dignitatis, cæremonia quoque adhibebatur *manuum impositionis*. Ita puer ille, fide sua approbata, cum *solenni Benedictione* dimittebatur. Hujus moris sæpe mentionem faciunt veteres. ——— *Talem ergo manuum impositionem*, quæ simpliciter loco benedictionis fiat, *laudo & restitutam hodie in purum usum velim.*

Joannes Calvinus *lib.* 4. *Institut. Cap.* 19. §. 13.

III. Utinam verò morem retineremus quem apud Veteres fuisse admonui, priusquam abortiva hæc Sacramenti larva nasceretur. ——— Hæc disciplina si hodie valeret, profectò parentum quorundam ignavia acueretur, qui liberorum institutionem quasi rem nihil ad se pertinentem, securè negligunt, quam tum sine publico dedecore omittere non possent. Major esset in populo Christiano fidei consensus, nec tanta multorum inscitia & ruditas. Non adeo temere quidam novis & peregrinis dogmatibus abriperentur. Omnibus denique esset quædam velut methodus doctrinæ Christianæ.

Hujus disciplinæ utilitas multiplex.

Theodorus Beza, *in Notis ad cap.* 6. *ad Heb. vers.* 1. & 2.

IV. Quinque Capita Catechismi numerat, (*Author Epistolæ ad Hebræos*) nempe, professionem emendationis vitæ: Fidei summam de *Deo*: Doctrinæ explicationem compendiariam, quæ in baptismis & impositione manuum tradi rudibus præsertim solebat, (id est, cùm ad baptizandos Infantes vel adultos; item *cum ad imponendas talibus manus conveniebatur*) caput resurrectionis mortuorum, & futuri judicii.

In Harmonia Synodorum Belgicarum, *cap.* 11. *can.* 13.

V. Catechizandi consuetudo ab Apostolis accepta in omnibus Ecclesiis observanda censetur.

Tertullianus, *lib. de baptismo*, *cap.* 8.

VI. Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum.

Cyprianus, *epist.* 73. *ad Jubaianum.*

Qui in Samaria à Philippo diacono baptizati sunt, baptizare eos ultra non oportebat: Sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita, invocaretur & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur. VII. *Act.* 8.

Ambrosius, *lib. de Sacramentis*, *cap.* 2.

Sequitur spirituale signaculum quod audistis hodie legi, quia post fontem super est ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur. VIII.

Augustinus, *lib.* 3. *de Baptismo*, *contra Donatistas.*

Spiritus autem sanctus quia in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait, Quoniam charitas *Dei* diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. ——— Non autem habet *Dei* charitatem, qui Ecclesiæ non diligit unitatem. Ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi nisi in Catholica Spiritus sanctus, neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc exspectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere; quoniam charitas *Dei* diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. ——— Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi *Oratio super hominem*! Hæc Augustinus. IX. *Rom.* 5.

Ista posteriora Augustini verba intuens Gratianus; *Ex eo*, inquit, *quod manus impositio iterari præcipitur*, *Sacramentum non esse ostenditur.* Cauf. 1. quæst. 1. can. Arianos. Vide Hieronym. Dialog. adversus Luciferianos. & Isidor. Hispal. lib. 2. de Officiis Ecclesiast. cap. 26.

Vide Instruct. Historico-theolog. lib. 9. *cap.* 4.

CAPUT XVIII.

De diebus Festis.

Augustinus, *Lib.* 32. *contra Faustum Manichæum*, *Cap.* 12. *reddens rationem cur Christiani celebrent Pascha & Pentecosten*, *ait*:

I. Ea quippe anniversariè in *Ecclesia* celebrantur, quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt, ut eorum necessarium salubremque memoriam festivitas concelebrata custodiat.

Idem, *Epist.* 118. *Cap.* 1.

II. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem *toto terrarum orbe* observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod *Domini* passio, & resurrectio, & ascensio in Cœlum, & adventus de Cœlo Spiritus sancti, anniversaria solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit quod servatur ab universa quacunque se diffundit *Ecclesia*.

De celebratione *nativitatis Domini* anniversaria, mentionem facit Augustinus Epist. 119. Cap. 1.

Joannes Calvinus, *Lib.* 4. *Instit. Cap.* 10. §. 19. *explicans illa Augustini verba*, *citata ex Epist.* 118.

III. Quùm pauca enumeret (*Augustinus*) exempla, quis non videat eum ad Authores fide & reverentia dignos referre voluisse usitatas tunc observationes, non nisi *simplices illas raras, & sobrias, quibus Ecclesia ordinem contineri utile est*?

In Confessione Helvetica, *Cap.* 24. §. *preterea.*

IV. Præterea si Ecclesiæ, *pro Christiana libertate*, memoriam Dominicæ Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, & Resurrectionis, Ascensionis item in Cœlum, & missionis sancti Spiritus in Discipulos, religiose celebrent, *maximopere approbamus*. Festa verò hominibus, aut divis instituta: non probamus.

In responso Protestantium, *de reformandis abusibus Ecclesiasticis*, *Anno Dom.* 1541. *apud Goldastum: in ea parte responsi cujus Author est Philippus Melancthon*, §. 2.

Prohibendum est, ne omittantur Conciones ordinariæ in Festis diebus, & curandum per eos qui præsunt ut Pastores pia & utilia ad ædificationem, & apta temporibus dicant. V.

Joannes Calvin., *in Epist. Hallerum*, *Colum.* 136.

Quum Festi dies hic abrogati graviter ex vestris quosdam offenderint. ——— ——— Ego autem sanctè testari possum me inscio ac ne optante quidem hanc rem fuisse transactam. ——— Ex quo sum revocatus, hoc temperamentum *quæsivi*, ut *Christi* natalis celebraretur vestro more: aliis autem diebus *extraordinariæ supplicationes*, tabernis mane clausis, fierent. ----- ——— *Hoc testatum esse volo*, si mihi delata optio fuisset, quod nunc constitutum est non fuisse pro sententia dicturum. VI.

Idem in Epist. ad Ministrum Burensem, *Colum.* 138.

Cum plebiscito audivi abrogatos esse dies illos, adeo res erat inexspectata, ut propemodum obstupuerim. Certè si sententiam rogatus essem, nihil aliud dico, nisi quod vix *ausus* essem ita statuere. ---- ---------- Si quid tamen culpæ esset, iniquè faciunt, qui mè subjiciunt alieni facti reum. VII.

Henric. Bulling. *in Epist. ad* Calvin. *in Lib. Epist.* Calvin. *Col.* 138. *de eadem quæstione.*

Non aliud exspectaveram de te, mi Frater, responsum, quam quod exhibes. Scio enim in hujusmodi rebus parum pietatem promoventibus, multum autem invidiæ constantibus, te nunquam fuisse *morosum*. Ego quidem in his *eam libertatem* servari cupio, quam video apud Ecclesias viguisse *ab ipsis Apostolorum temporibus*. Nostra Ecclesia ante annos ni fallor duodecim, plura habuit festa: sed abrogatis his, solum retinuit diem Dominicam, & festa *Christi*, Nativitatis, videlicet, Circumcisionis, & Ascensionis *Domini*; adjecit & missionem Spiritus sancti. VIII.

Joannes Calvinus, *in Epist. ad Ministrum Burensem*, *superius citata.*

Dissimulare non poteram, præposterè celebrari *Christi* Circumcisionem, præterito mortis die. IX.

Hie-

Hieronymus Zanchius, *in quartum praeceptum*, *in tractatu de diebus festis*, *in explicatione prima Theseos*, *Quaest.* 2. §. *Accedit*, *Col.* 672.

X. *Vide supra, Cap. 4. Num. 13.* Vetus Ecclesia solita fuit praeter diem Dominicum, alios quoque dies festos celebrare, Pascha, Pentecosten, festum Ascensionis, Natalem Domini, quae vetus consuetudo retinetur adhuc in non paucis Ecclesiis ex Evangelio reformatis, quas ego certè nullo modo hac in parte damnare possum, aut etiam *ullo modo reprehendere*: praesertim cum *sine ulla superstitione*, neque ulla conscientiarum obligatione serventur, & ad *aedificationem* sint instituti dies illi festi.

Idem, *ibidem. Thes.* 2. *Col.* 673.

XI. Quanquam *Ecclesia Christi liberum est*; *quos velit*, *praeter Dominicum dies sibi sanctificandos deligere*: honestius tamen est, laudabilius atque utilius, eos sanctificare, quos etiam *vetus atque Apostolica puriorque Ecclesia* sanctificare solita fuit.

Idem, *ibidem. in explicatione Theseos* 2. §. *Atque haec. Col.* 676. *loquens de festis Paschatis*, *Pentecostes*, *Ascensionis*, *Passionis*, *Nativitatis Domini*.

XII. Atque haec sunt Festa, quae sicut à veteribus sanctificabantur: sic si nunc sanctificentur, non solum improbari non potest; sed etiam *laudabile est*, *honestum atque utile*: quemadmodum in Thesi diximus.

Idem ibidem, *in explicatione Quaest.* 1. §. *Quare efficitur*, & §. *Si igitur*, *Col.* 671.

XIII. Tempus conveniendi simul, audiendi Verbum, percipiendi Sacramenta, invocandi Nominis Dei, liberum est Ecclesiae *Christi*: *sed ita tamen liberum*, *ut omnino ordo &* εὐταξία fit necessaria: & ita nullius conscientia obstringitur sanctificandis diebus, ut tamen crimine non careat, qui nulla coactus necessitate, constitutos ab Ecclesia dies festos negligit, nec observat.

§. *Si igitur*. Aequum est & pium, ut in Ecclesia sint certi dies festi: iniquum est & impium, aut nullos esse, aut qui sunt, contemnere. *Sic docent* sacrae Literae; sic Patres, sic nostri seculi pii Doctores, sic denique vetus consuetudo, atque usus in omnibus, omniumque locorum, & Gentium Ecclesiis, receptus & approbatus, confirmant.

Festus Hommius, *in Collegio Antibellarminiano*, *Disputatione* 41. *Thesi* 3.

Praeter diem Dominicum non est illicitum, nec libertati Christianae omnino repugnans, si de communi Ecclesiae consensu alii adhuc stati quidam dies in Ecclesia Christiana observentur, vel extraordinariè, ut in iis solennes in publicis calamitatibus supplicationes instituantur: vel ordinariè, ut in iis quotannis solenniter commemorentur & celebrentur insignia quaedam Dei beneficia, sive temporalia populo alicui praestita, (quam ob causam institutum olim erat festum Purim) sive spiritualia in totam Ecclesiam collata à *Domino* nostro *Jesu Christo*. Utile enim est, & Ecclesiae aedificationi insigniter servit, praecipuas Dei patefactiones, & maximè insignia in Ecclesiam beneficia, ut in recenti semper sint memoria, populo *quotannis stato tempore* repetere, & solenniter inculcare. Hunc in finem cum jam inde *ab Apostolorum temporibus* primitiva Ecclesia memoriam Nativitatis, Mortis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini, & missionis Spiritus sancti in die Pentecostes, statis diebus anniversariè celebraverit, *rectè faciunt* qui in hac re non tantum adiaphora, sed etiam ad aedificationem *valdè utili*, praxin Ecclesiae primitivae imitantur & retinent, modo ne superstitiosè diebus illis aliquam per se sanctitatem affingant, aut contra libertatem Evangelicam absolutae necessitatis laqueum animis Christianorum injiciant. Haec F. Hommius. XIV.

Idipsum docent *Dav. Pareus*, Comment. in Epist. ad Rom. cap. 14. Dub. 4. & *And. Rivetus*, in Catholico Orthodoxo, Tract. 2. Quaest. 16. Sect. 1.

CAPUT XIX.

De Schismate.

PARS PRIMA.

Schisma malum quid sit, & *quomodo differat ab Haeresi*, *ejusque duo gradus.*

SCHISMA vel significat ipsam alicujus rei rupturam sive hiatum, Matth. 9: 16. vel ipsum lacerationis actum, quo sensu peccatum dicitur Schisma malum: sic accipitur, 1 Corinth. 1: 10. Denique in malam partem acceptum significat factionem illam quae se separat ab Ecclesia Catholica, quo sensu dixit *Augustinus*, loquens de Manichaeis, *Estis sanè Schisma*, &c. Lib. 20. contra Faustum, cap. 4. I.

Ut cognoscatur Schisma malum, scire oportet necessitatem servandi unitatem spiritus in vinculo pacis, quia una est Fides, unum Baptisma, unus Dominus, una Ecclesia Catholica, quae II.

est

est Mater omnium nostrum, toto orbe diffusa; & multæ particulares Ecclesiæ Catholicæ sunt hæc una Ecclesia. De qua Cyprianus, in Libro de unitate Ecclesiæ, & simplicitate Prælatorum, hæc scribit: *Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum, Spiritus sanctus, ex persona* Domini, *designat, & dicit; una est Columba mea, Perfecta mea, una est Matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, in Ecclesia se esse confidit? Quando & beatus Paulus Apostolus hoc doceat, & Sacramentum unitatis ostendat, dicens; unum Corpus, & unus Spiritus, una Spes vocationis vestræ, unus* Dominus, *una Fides, unum Baptisma, unus* Deus. Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Episcopi qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. *Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia* una *est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radii, sed lumen* unum, *& rami arboris multi, sed robur* unum *tenaci radice fundatum. Et cum de fonte* uno *rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate,* unitas *tamen servatur in origine. Avelle radium Solis à corpore,* divisionem *lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum,* fractus *germinare non poterit. A fonte præcide rivum,* præcisus *arescit: sic & Ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit,* unum *tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec* unitas *corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latius expandit,* unum *tamen Caput est, & origo* una, *& una* Mater *fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur. Adulterari non potest* Sponsa Christi: incorrupta est & pudica. Unam *Domum novit*, unius *cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.* Hæc *nos* Deo *servat.* Hæc *Filios Regno, quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adultera jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec pertinet ad* Christi *præmia, qui relinquit Ecclesiam* Christi. Hæc Cyprianus.

Cantic. 6.

Augustinus, *in Psalm.* 141.

III. Quæ *via*, *ipsa & viæ*: quemadmodum quæ Ecclesia, ipsæ Ecclesiæ: & quod Cœlum, & ipsi Cœli. Pluraliter dicuntur, & singulariter dicuntur, propter *unitatem* Ecclesiæ, *una Ecclesia*; *una* est Columba mea, *una* est Matris suæ: propter Congregationes fraternas, per loca, multæ sunt Ecclesiæ. *Ecclesiæ*, inquit, Judææ, quæ erant in *Christo*, gaudebant quod ille qui nos persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat, & in me glorificabant *Deum*. Ecclesias sic dixit. Et *unam* Ecclesiam sic dicit; sine offensione estote Judæis & Græcis, & *Ecclesiæ Dei*.

Vide Theodoret. in Psal. 47. in illa verba; Deus in domibus ejus.

Cyprianus, *lib. de unitate Ecclesiæ.*

IV. Quis sic est sceleratus & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut credat scindi posse, aut audeat scindere *unitatem Dei*? Vestem *Domini*? Ecclesiam *Christi*? Monet ipse in Evangelio suo, & docet, dicens; Et erit *unus grex*, *& unus Pastor*. *Et esse posse uno in loco aliquis existimat, aut multos Pastores, aut plures greges*? Apostolus item Paulus, hanc eandem nobis insinuans *unitatem*; obsecrat & hortatur, dicens; Obsecro vos, inquit, Fratres per Nomen *Domini* nostri *Jesu Christi*, ut *idipsum* dicatis omnes, & non sint in vobis *Schismata*. Sitis autem compositi in *eodem sensu*, *& in eadem sententia*. Et iterum dicit; Sustinentes invicem in dilectione, satisagentes servare *unitatem* spiritus in conjunctione pacis. Stare tu, & vivere putas posse, de Ecclesia recedentem? Sedes tibi alias & diversa domicilia condentem? ——— Caro *Christi*, & Sanctum *Domini*, ejici foras non potest, nec alia ulla credentibus præter *unam Ecclesiam* Domus est.

Joan. 10.

Cor. 1.

Ephes. 4.

Idem eodem libro, docens nihil præsidii habere Schismaticos in illis verbis Domini: Ubicunque fuerint duo aut tres collecti in Nomine meo, Ego cum illis sum. Math. 18.

V. Ut ipsi ab Ecclesia sciffi sunt, ita capituli unius sententiam scindunt. ——— Si duobus, inquit *Dominus*, ex vobis convenerit in terra, &c. *Unanimitatem* prius posuit, *Concordiam pacis* ante præmisit, ut conveniat nobis fideliter & firmiter docuit. *Quomodo autem potest ei cum aliquo convenire, cui cum Corpore ipsius Ecclesiæ, & cum universa Fraternitate non convenit?* Quomodo possunt duo aut tres in Nomine *Christi* colligi, quos constat à *Christo*, & ab ejus Evangelio *separari*? non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt: & cum Hæreses & Schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis Caput atque originem reliquerunt. *Dominus* autem de Ecclesia sua loquitur, ad hos qui sunt in Ecclesia loquitur, ut si ipsi concordes fuerint, si secundùm quod mandavit & monuit, duo aut tres licet, collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licet sint, impetrare possint, de *Dei* Majestate quod postulant: Ubicunque fuerint duo aut tres collecti, in Nomine meo, *ego*, inquit, *cum eis sum*; cum supplicibus scilicet atque pacatis, cum *Deum* timentibus, & *Dei* præcepta servantibus. Cum his duobus vel tribus licet, esse se dixit: Quomodo & cum tribus pueris in camino ignis. ——— Quando ergo in præceptis suis

ſuis ponit, & dicit; ubi fuerint duo aut tres collecti in Nomine meo, ego cum iis ſum: *Non homines ab Eccleſia dividit, qui inſtituit & fecit Eccleſiam*, ſed exprobrans diſcordiam perfidis, & fidelibus pacem ſua voce commendans, oſtendit magis eſſe ſe cum duobus aut tribus unanimiter orantibus, quam cum diſcedentibus plurimis, pluſque impetrari poſſe paucorum concordi prece, quam diſcordi oratione multorum.

Auguſtinus, *lib. quaſt. Evangelicarum ſecundum Matth. cap.* 11.

VI. Solet quæri, Schiſmatici quid ab Hæreticis diſtent, & hoc inveniri, quod Schiſmaticos non fides diverſa faciat, ſed communionis dirupta ſocietas. Sed utrum inter zizania numerandi ſint, dubitari poteſt: Magis autem videntur ſpicis corruptis eſſe ſimiliores.

Idem ibidem oſtendit duos eſſe Schiſmatis gradus; unum, quando ſe actu ſeparant, & ſeorſum Congregationes faciunt Schiſmatici; alterum, quando id facere parati ſunt & cogitant, ſi occaſionem invenerint, quamvis interim corporali converſatione Eccleſiæ ſocientur. Et ſimilia etiam eſſe Hæreticorum duo genera. Ejus verba ſunt:

VII. Nec tamen conſequens eſt, ut omnis Hæreticus vel Schiſmaticus corporaliter ab Eccleſia ſeparetur. Si enim falſa de *Deo* credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationem, ità ut non quærentis cunctatione tentatus ſit, ſed inconcuſſe credentis, nec omnino ſcientis opinione atque errore diſcordans, Hæreticus eſt, & foris eſt animo, quamvis corporaliter intus videatur. Multos enim tales portat Eccleſia, *quia non ita defendunt falſitatem ſententiæ ſuæ, ut, intentam multitudinem faciant. Quod ſi fecerint, tunc pellantur.* Item quicunque invident bonis, ita ut quærant occaſiones excludendi eos, aut degradandi: vel crimina ſua ſic defendere parati ſunt, ſi objecta vel prodita fuerint, ut etiam [*Conventiculorum ſegregationes, vel Eccleſiæ perturbationes cogitent excitare*, jam Schiſmatici ſunt, & ab unitate *corde diſciſſi*, etiamſi non inventis occaſionibus, aut occultatis factis ſuis, Sacramento Eccleſiæ corporali converſatione ſocientur.

Hieronymus, *apud Gratianum, cauſ.* 24. *quaſt.* 3. *can. Inter.*

VIII. Inter Hæreſin & Schiſma hoc eſſe arbitror, quod Hæreſis perverſum dogma habeat; Schiſma poſt Epiſcopalem diſceſſionem ab Eccleſia pariter ſeparetur. Quod equidem in principio aliqua ex parte intelligi poteſt diverſum. Cæterum nullum Schiſma eſt, niſi ſibi aliquam Hæreſin confingat, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur.

Joannes Calvinus, *lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 1. §. 9.

Ut ſummam hujus rei liquido teneamus, his veluti gradibus progrediendum eſt: Eccleſiam univerſalem, eſſe collectam ex quibuſcunque gentibus multitudinem, quæ intervallis locorum diſſita & diſperſa, in unam tamen divinæ doctrinæ veritatem conſentit, & ejuſdem Religionis vinculo colligata eſt. Sub hac ita compræhendi ſingulas Eccleſias, quæ oppidatim & vicatim pro neceſſitatis humanæ ratione diſſitæ ſunt, ut unaquæque nomen & authoritatem Eccleſiæ jure obtineat; —— ita & Eccleſiæ univerſali ſuam *ſervamus unitatem, quam diſſecare ſemper ſtuduerunt Diabolici ſpiritus:* nec conventus legitimos, qui pro locorum opportunitate diſpoſiti ſunt, ſua autoritate fraudamus. IX.

Idem eodem cap. §. 11.

Jam verò quam periculoſa, imo quam exitialis tentatio eſt, ubi vel in mentem venit diſceſſionem facere ab ea Congregatione, in qua ſigna conſpiciuntur ac teſſeræ, quibus ſufficienter Eccleſiam deſcriptam *Dominus* putavit? Videmus quanta utrinque adhibenda ſit cautio. Nam ne ſub Eccleſiæ titulo impoſtura nobis fiat, ad illam probationem ceu ad Lydium lapidem exigenda eſt omnis Congregatio quæ Eccleſiæ nomen obtendit. Si ordinem habet in Verbo & Sacramentis à *Domino* commendatum: non fallet: ſecurè illi honorem Eccleſiis debitum deferamus. Rurſum verò ſi abſque Verbo & Sacramentis ſe venditat, à talibus præſtigiis non minùs religioſè cavendum, quam in altera parte temeritas ſuperbiaque fugienda. X.

Idem eodem capite, §. 12.

Primum quidem eſt, ut per omnia conſentiamus: ſed quoniam nemo eſt, qui non aliqua ignorantiæ nubecula obvolutus ſit; aut nullam relinquamus Eccleſiam oportet, aut hallucinationem condonemus in iis rebus, quæ & inviolata Religionis ſumma & citra ſalutis jacturam ignorari poſſunt. Hic autem patrocinari erroribus, vel minutiſſimis nolim, ut blandiendo & connivendo ſentiam fovendos: ſed dico, X

co, non temere ob quaslibet dissentiunculas deserendam nobis Ecclesiam, in qua duntaxat ea salva, & illibata doctrina retineatur qua constat incolumitas pietatis, & Sacramentorum usus à Domino institutus custodiatur. Interim si nitimur emendare quod displicet, faciamus id ex officio nostro. Et huc pertinet illud *Pauli*, si melius quid sedenti revelatum fuerit, prior taceat. Unde constat singulis Ecclesiæ membris demandatum publicæ ædificationis studium pro mensura gratiæ suæ, modo decenter, & secundùm ordinem: hoc est, ne vel Ecclesiæ communionem renunciemus, vel in ea permanentes pacem & disciplinam rite compositam turbemus.

Petrus Martyr, *Loc. Comm. Class.* 4. *Cap.* 6. §. 3.

XII. Si totum ipsum bonum fuerit, & partes aliquæ putres ac vitiatæ recesserint, tale Schisma detestandum & malum statuemus.

Wolfgangus Musculus, *in Locis Communibus de Schismate, Art. Quotuplex sit Schisma.*

XIII. Qui separat rectè cohærentes, malum Schisma inducit; rectè cohærent, quos Dominus conjunxit: malè, quos coadunavit Diabolus. Malo igitur illi, isti verò bono Schismate separantur.

CAPUT XIX. PARS II.

Schisma proles superbiæ, malè perseverando fit Hæresis, & mater Hæresis.

Augustinus, *Lib.* 3. *contra* Parmenianum, *Cap.* 1. *de Donatistis Schismaticis loquens.*

I. ILLI filii mali, qui non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum infirmas plebes jactantia sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè dividere affectant, superbia timidi, pervicacia vesani, calumniis insidiosi, seditionibus turbulenti, ne luce veritatis carere ostendantur, umbram rigidæ severitatis obtendunt, & quæ in Scripturis Sanctis salva dilectionis sinceritate, & custodita pacis unitate, ad corrigenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegium Schismatis, & ad occasionem præcisionis usurpant.

Joannes Calvinus, *Lib.* 4. *Instit. Cap.* 1. §. 13.

Fuerunt semper qui falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, tanquam *aerii quidam dæmones* jam facti essent, omnium hominum consortium aspernarentur, in quibus humanum adhuc aliquid subesse cernerent. Tales olim erant *cathari* & (qui ad eorum vesaniam accedebant) Donatistæ. Tales hodie sunt ex Anabaptistis nonnulli, qui supra alios volunt videri profecisse. II.

Idem eodem Cap. §. 16.

Quanquam autem ex inconsiderato justitiæ zelo hæc tentatio bonis etiam interdum oboritur: hoc tamen reperiemus, nimiam morositatem ex *superbia* magis & fastu *falsaque* sanctitatis opinione, quàm ex vera sanctitate veroque ejus studio nasci. Itaque qui ad faciendam ab Ecclesia defectionem sunt aliis audaciores, & quasi antesignani, ii ut plurimum *nihil aliud* causæ habent, nisi ut omnium contemptu ostentent se aliis esse meliores. III.

Augustinus, *Epist.* 164. *ad Emeritum, Donatistam.*

Neque enim vobis objicimus, nisi Schismatis crimen, quam etiam Hæresin malè perseverando fecistis. Quanti autem divino judicio pendatur hoc facinus, lege quod te legisse non ambigo, invenies Datan & Abiron hiatu terræ devoratos, &c. IV.

In Concilio Oecumenico *secundo*, *Constantinopoli celebrato*, *Anno Dom.* 382. *Can.* 6.

Si sit crimen Ecclesiasticum, quod Episcopo intenditur; tum examinari [*placuit Synodo*] personas accusatorum: Ut primum quidem Hæreticis non liceat orthodoxos Episcopos pro rebus Ecclesiasticis accusare. *Hæreticos autem dicimus*, & qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, & qui sunt postea à nobis anathematizati. Ad hæc autem & eos, *qui se sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, avulsi autem sunt, & abscissi, & adversus Canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt.* V.

Vide Distinct. 40. Can. *Si Papa*. In Glossa. Ubi contumacia dicitur Hæresis, & contumax dicitur Infidelis.

Cyprianus *Lib. de unitate Ecclesiæ.*

Hinc Hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum perversa mens non habet VI.

Pa-

Pacem, dum perfidia discordans non tenet *unitatem*.

Hieronymus *apud Gratianum Caus.* 24. *Quæst.* 3. *Can. Inter.*

VII. *Nullum Schisma est, nisi sibi aliquam Hæresin confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.*

Caput XIX. Pars III.

Quibus imputandum sit Schisma malum, sive quinam habendi sint pro Schismaticis.

Hieronymus *in Epist. ad Pammachium, adversus errores Joannis Hierosolymitani: quæ incipit. Si juxtà Paulum. Prope finem Epistolæ.*

I. Quis scindit Ecclesiam? Nos quorum omnis domus Bethlehem in Ecclesia communicat? An tu qui aut bene credis, & superbè de fide taces: aut malè, & verè scindis Ecclesiam?

Qui igitur aut ipse male credit, aut bene credens reticet veritatem, atque ita Schismati liberum cursum permittit, quem impedire debet per veritatis sinceram & apertam professionem, is est Schismaticus, scindens Ecclesiam.

Petrus Martyr, *Loc. Comm. Class.* 4. *Cap.* 6. §. 2.

II. Fit quandoque, ut, licet conveniant in mente & sententia, tamen adeo quidam sint amantes locutionum suarum, & formularum dicendi, easque tam mordicus retineant, ut potius à fratribus velint separari, quam eas deserere.

Idem ibidem, §. 5.

III. In Ecclesia tria sunt rerum genera, nam quædam necessariæ sunt, aliæ verò liberæ, nonnullæ vitiosæ. ——— Libera, jam non sinunt [*Papistæ*] esse libera. ——— Cæremonias & Ritus adeo communes volunt, ut omnes illis utantur. *In Summa, libera fecerunt necessaria: vitiosa & corrupta resecare nolunt, mordicus retinent, & eum qui monuerit graviter insectantur.*

Per hæc & alia docet Martyr laudabilem fuisse Patrum nostrorum discessum à Papatu ex parte nostra, omnem vero culpam residere penes ipsos Papistas.

Wolfgangus Musculus, *in Locis Communibus, de Schismate, Art. Unde sint Schismata.*

IV. In malo Schismate non modo causa, sed & culpa assignanda est malis, non bonis, qui nec Authores illius sunt nec quicquam in eo peccant quod in *malo* acquiescere non possunt.

Caput XIX. Pars IV.

Quam grave sit peccatum Schismatis, & quantopere vitandum: & quam misera sit Schismaticorum conditio.

Cyprianus, *Lib.* 3. *Epist.* 9. *ad* Rogatianum.

Hæc sunt initia Hæreticorum, & ortus atque conatus Schismaticorum male cogitantium, *ut sibi placeant, ut præpositum superbo tumore contemnant.* Sic de Ecclesia *receditur*, sic Altare *prophanum* foris collocatur, sic contra Pacem *Christi* & ordinationem atque unitatem Dei *rebellatur.* I.

Idem Lib. de unitate Ecclesiæ.

Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec pertinet ad Christi prœmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. *Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere jam non potest* Deum Patrem, *qui* Ecclesiam *non habet* Matrem. Si potuit evadere, qui extra arcam Noæ fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. Monet Dominus, & dicit; Qui non est mecum, adversus me est: & qui non mecum colligit, spargit. *Qui* pacem Christi *& concordiam rumpit, adversus* Christum *facit.* Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. II.

Idem eodem Lib.

Ad pacis prœmium venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore ruperunt. III.

Idem eodem Lib.

An secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi *Ecclesiam* colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione Nominis fuerint, *macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa discordiæ nec passione purgatur.* Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est: ad Regnum pervenire non poterit, qui eam quæ regnatura est derelinquit. Pacem nobis *Christus* dedit: Concordes atque unanimes esse præcepit: Dilectionis & Charitatis fœdera incorrupta atque inviolata servari mandavit: *exhibere se non potest Martyrem qui fraternam non tenuit charitatem.* Docet hoc & contestatur Paulus Apostolus, di- IV.

1 Cor. 13. dicens; etsi habuero fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum, &c.

Idem ibidem.

V. Qui charitatem non habet, *Deum* non habet: Joannis beati Apostoli vox est; *Deus*, inquit, dilectio est, & qui in dilectione manet, manet in *Deo*, & *Deus* in illo manet. *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt*, ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. *Sic se Christianum esse profitetur, quomodo & Christum Diabolus sæpe mentitur.*

Idem ibidem.

VI. *Quam vero unitatem servat, quam dilectionem custodit, aut cogitat, qui discordiæ furore vesanus, Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, Charitatem dissipat, Sacramentum prophanat?* Malum hoc fidelissimi fratres, jampridem cœperat, sed nunc crevit ejusdem mali manifesta clades, & surgere & pullulare plus cœpit Hæreticæ perversitatis & Schismatum venenata pernicies: quia & sic in occasum mundi oportebat, prænunciante per Apostolum nobis & præmonente Spiritu sancto; in novissimis, inquit, diebus aderunt tempora molesta, & erunt *hominis sibi placen-*
2 Tim. 3. *tes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, parentibus inobedientes*, &c.

Idem ibidem.

VII. Docet *Dominus* & admonet à talibus *re-*
Matth. 15. *cedendum. Cæci sunt*, inquit, & *duces cæcorum.* Cæcus autem cæcum ducens ambo in foveam cadent. *Aversandus talis atque fugiendus quisquis fuerit ab Ecclesia separatus.* Perversus est hujusmodi, & peccat, & à semetipso damnatus. An esse sibi cum *Christo* vi-
Tit. 3. detur, qui adversus Sacerdotes *Christi* facit? qui se à Cleri ejus vel plebis societate secernit? arma ille contra Ecclesiam portat, contra *Dei* dispositionem repugnat. Hostis Altaris, adversus sacrificium *Christi* rebellis, *pro fide perfidus, pro Religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus: contemptis Episcopis, & Dei sacerdotibus derelictis audet aliud Altare*, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia *profanare*, nec scire quoniam qui contra ordinationem *Dei* nititur, ob temeritatis audaciam divina animadversione punitur. Sic Chore, & Dathan, & Abiron, &c.

Idem ibidem.

Filii Aaron, qui imposuerunt Altari ignem alienum, quem non præceperat *Dominus*, in conspectu statim *Domini* vindicantis exstincti sunt: quos imitantur scilicet atque sectantur, qui *Dei* traditione contempta alienas doctrinas appetunt, & *Magisteria humanæ Institutionis inducunt*, quos increpat *Dominus* & objurgat in Evangelio suo, dicens; Rejicitis mandatum *Dei* ut traditionem vestram statuatis. *Pejus hoc crimen est* quam quod admisisse lapsi videntur, qui tamen in pœnitentia criminis constituti, *Deum* plenis satisfactionibus deprecantur. Hic Ecclesia quæritur & rogatur: illic Ecclesiæ repugnatur. Hic potest necessitas fuisse; illic voluntas tenetur in scelere. Hic qui lapsus est, sibi tantum nocuit: illic qui Hæresin vel Schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Hic animæ unius est damnum; illic periculum plurimorum. Certè peccasse se, hic & intelligit, & lamentatur, & plangit; ille *tumens in peccato suo & in ipsis suis delictis placens*, à Matre Filios segregat, Oves à Pastore solicitat, *Dei* Sacramenta disturbat. Et cum lapsus semel peccaverit, ille quotidie peccat. VIII.

Idem ibidem.

Opto equidem, dilectissimi Fratres, & consulo pariter & suadeo, ut si fieri potest, nemo de Fratribus pereat, & consentientis populi corpus unum gremio suo gaudens Mater includat. *Si tamen quosdam Schismatum duces, & dissensionis autores, non potuerit ad salutis viam consilium salubre revocare:* cæteri tamen vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua *fallentis astutiæ calliditate decepti*, à fallaciæ vos laqueis solvite, vagantes gressus ab erroribus liberate, iter rectum *viæ cælestis* agnoscite. IX.

Idem ibidem.

Inter sua divina mandata & magisteria salutaria passioni jam proximus *Dominus* addidit, dicens; *Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis.* Hanc nobis hæreditatem dedit, dona omnia suæ pollicitationis & prœmia in pacis conservatione promisit. *Si cohæredes Christi* sumus, in *Christi* pace maneamus. *Si filii Dei* sumus, pacifici esse debemus. Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi filii *Dei* vocabuntur. Pacificos esse oportet *Dei* filios, corde mites, sermone simplices, affectione con- X.

cor-

cordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohærentes.

Hæc omnia *Cyprianus*, Doctor suavissimus, & Martyr beatissimus. His eum elogiis ornat Augustinus, lib. 2. de doctrina Christiana. cap. 40.

Hieronymus *comment. in Ose, cap.* 9.

XI. Omnes nos *Christi* & Ecclesiæ membra sumus, qui ergo de Ecclesia recesserit, *Christi* corpus lacerat.

Augustinus *tract.* 27. *in Evangelium* Joannis.

XII. Anima tua non vivificat nisi membra quæ sunt in carne tua, unum si tollas, jam non vivificatur ex anima tua, quia unitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur ut *amemus unitatem, & timeamus separationem*; nihil sic enim debet formidare Christianus, quam separari à corpore *Christi*. Si enim separatur à corpore *Christi*, non est membrum ejus: si non est membrum ejus, non vegetatur spiritu ejus.

Idem lib. 1. *contra Epist. Parmeniani, cap.* 7.

XIII. Hominum multitudo non in corde cor habet, sed in oculis: nam si sanguis exit de carne mortali, quisquis aspicit exhorrescit: si pro parte *Christi* præcisæ animæ atque separatæ in Hæresis vel Schismatis sacrilegio moriuntur, quia non videtur, non plangitur, imò verò mors tetrior atque luctuosior, & ut planè dixerim, verior, jure consuetudinis deridetur: cum *authores tantarum mortium publice insultant*, &c.

In Concilio Carthaginensi 2. *can.* 8.

XIV. Si quis Presbyter contra Episcopum suum inflatus Schisma fecerit, Anathema sit.

Vide supra, cap. 11. Num. 19. & Proposit. 12.

Causa 9. *quæst.* 1. *can. Nos consecrationem, in Glossa.*

XV. Hæretici vel Schismatici sunt ipso jure excommunicati.

Wolfg. Musculus *Loc. Commun. de Schismate. art. quam grave sit peccatum Schismatis.*

XVI. Schismaticus se ipse in discrimen salutis conjicit, dum à communione gregis *Dominici* discedit. ——— deinde integrum *Christi* corpus, quantum in ipso est, scindit. ——— 3. facit hoc superbissimo contemptu non unius aut alterius Christiani, sed totius Ecclesiæ. Cujus communionem respuit, illamque se respuere discedendo profitetur. Quantum autem delicti habeat, *Contemnere Ecclesiam Dei*, Apostolus admonet, cùm 1 Cor. 11. Schismaticos Corinthios urget dicens; *An Ecclesiam Dei contemnitis?* 4. non contemnit modo, *sed & condemnat Ecclesiam Dei*, quasi sit non germana, sed adultera: & quam condemnat, impugnat etiam, & iniquis modis proscindit. 5. Vinculum pacis dirumpit, charitatem, scilicet, qua Ecclesiam suam *Christus* ipse connectit, dum non modo discedit ipse, sed & quos potest, inter se odiosè committit, divellitque à cæteris, & omnia dissidiis & odiis, & contentionibus disturbat.

Joannes Calvinus, *lib.* 4. *Instit. cap.* 1. §. 4.

Extra ejus [*visibilis Ecclesiæ*] gremium, nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus; teste Jesaia & Joele. ——— ——— Paternus *Dei* favor, & peculiare spiritualis vitæ testimonium ad gregem ejus restringitur: *ut semper exitialis sit ab Ecclesia discessio.* XVII.

Idem eodem cap. §. 5.

Quo magis detestabiles sunt Apostatæ, qui scindendis Ecclesiis inhiant, perinde ac si oves abigerent à caulis, ac projicerent in fauces luporum. XVIII.

Idem eodem cap. §. 7.

Quemadmodum ergo nobis invisibilem, solius *Dei* oculis conspicuam, Ecclesiam credere necesse est; ita hanc, quæ respectu hominum Ecclesia dicitur, observare, ejusque communionem colere jubemur. XIX.

Idem eodem cap. §. 10.

Ubi reverenter auditur Evangelii prædicatio, neque Sacramenta negliguntur, illic pro eo tempore neque fallax neque ambigua Ecclesiæ apparet facies, *cujus vel authoritatem spernere, vel monita respuere, vel consiliis refragari, vel castigationes ludere nemini impune licet: multo minus ab ea deficere, ac ejus abrumpere unitatem.* Tanti enim Ecclesiæ suæ communionem facit *Dominus*, ut pro *transfuga & desertore* Religionis habeat, quicunque se à *qualibet* Christiana XX.

 socie-

societate, quæ modo verum Verbi ac Sacramentorum Ministerium colat, contumaciter alienarit. Sic ejus authoritatem commendat, ut dum illa violatur, suam ipsius imminutam censeat. ——— ——— *Unde sequitur, discessionem ab Ecclesia,* Dei *&* Christi *abnegationem esse,* quo magis à tam scelerato dissidio cavendum est: quia dum veritatis Dei ruinam, quantum in nobis est, molimur, digni sumus ad quos conterendos toto iræ suæ impetu fulminet, *nec ullum atrocius fingi crimen potest,* quàm sacrilega perfidia violare conjugium quod nobiscum unigenitus Dei Filius contrahere dignatus est.

CAPUT XIX. PARS V.

De non recipiendis alterius Presbyteri Parochianis contemnentibus proprium suum Presbyterum.

In secunda parte, Tomi tertii, Conciliorum. *In Concilio* Nannetensi, *Cap.* 1. *quod, tanquam ex Concilio* Meldensi, *citavit* Gratianus, *Caus.* 9. *Qu.* 2. *Can.* In Dominicis.

I. UT Dominicis & Festis diebus Presbyteri, antequam missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui *proprio contempto Presbytero,* ibi missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant.

Item, in eodem Concilio Nannetensi, *Cap.* 2.

II. Ut nullus Presbyter alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad missam recipiat.

Hic etiam Canon, paulò aliter, in eandem tamen sententiam, citatur à *Gratiano,* Caus. 9. Quæst. 2. Can. *Nullus Presbyter.* Ubi vocatur Concilium *Navatense.*

De vocabulo missæ diximus supra, Cap. 11. in fine exegeseos propositionis 13.

CAPUT XX.

De Scandalo.

PARS PRIOR.

In qua colloquuntur duo Verbi Ministri Presbyteri:

OBEDIENS & INOBEDIENS.

OBEDIENS.

I. NON possum satis mirari istam tuam contumaciam licitis ac justis Ecclesiæ & Reipublicæ constitutionibus resistendi præsidentiam.

INOBEDIENS.

Est Deo parendum potius quam hominibus.

OBED. Rectè quidem: nempe hæc regula locum habet, quando pugnant hominum mandata cum mandato Dei: at ipse Deus mandavit exhibitionem obedientiæ licitis & justis hominum nobis præpositorum constitutionibus. Ut taceam etiam incumbere subditis obediendi necessitatem, quamdiu quod facere jubentur peccatum non est, etiamsi in jubendo superiores sua abutantur potestate. II.

INOBED. *Accomoda igitur ad Decreta* Perthensia.

OBED. Aio esse licita & justa, nec posse subditos eis contumaciter resistere sine peccato. III.

INOBED. *Scilicet ut Regi non displiceas, infirmos fratres scandalizabis. Quamvis enim res illæ decretæ non essent in se impiæ, superstitiosæ, idololatricæ, & antichristianæ, tamen vel hoc solo nomine eas suscipere non debeo, quia sunt per se scandalosæ. Scandalum autem est spiritualis homicidii species.* *Audivimus olim istud Catholicis objectabant, teste Epiphanio, Heresi 70. §. 9.*

OBED. Utrum per se scandalosas esse has res dicis, quomodo idololatria, & superstitio, & omnia peccata, sunt scandalosa, an verò res has agnoscis in se non esse malas? IV. *Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 3. cap. 17. §. 4.*

INOBED. *Aio etiamsi in se mala non essent, esse tamen scandalosas.*

OBED. Frustra de scandalo laboramus; & ineptum erit inani disputatione tempus terere, nisi de rerum ipsarum natura sive conditione in se prius consentiamus. Nam si in se malæ sint, frustra litigatur de Scandalo, cum magis compendiaria vobis pateat via ad eas exterminandas, nempe, ut doceatis res esse in se malas. V.

INOBED. *Sed dispiciamus interim an non sint scandalosæ & inexpedientes.*

OBED. Nisi mihi concedas eas in se non esse malas, & ratione sui posse sine peccato fieri, cur ego operam ludam, ut tibi persuadere coner eas non esse scandalosas? Nam cum omnia dixero, & argumentorum pondere silentium tibi imposuero, semper recurres ad latentem istum in herba anguem, & clamabis, nullam rem in se illicitam posse fieri sine scandalo, aut posse nullo modo esse expedientem. Hunc errorem nisi abjuraveris, æquum non est ut de hac quæstione scandali in judicio aliquo Ecclesiastico, suffragii jure potiaris. Aut evidenter demonstra res istas esse in se superstitiosas & impias. Quod quia & falsò & impiè à vobis dicitur, aut abjicite errorem, aut non estis audiendi de scandalo vel inexpedientia. VI.

INOBED. *Fere persuasisti per superiores tuas exercitationes, ut erga res ipsas in se spectatas jam æquior sim: interim quoniam incidit nobis de hac quæstione sermo, rogo te, ut stricti juris legitimarum disputationum rigori hac in parte aliquid detrahere non graveris, neque à me severè exigas, ut ipsas res apertè profitear esse licitas; sed mecum de scandalo inceptam hanc collationem prosequaris.*

OBED. Quamvis hoc quod postulas in publicis judiciis fieri nec debeat nec deceat; in privato tamen hoc nostro Colloquio, petitioni tuæ largior obsequelam. Et ad illam tuam objectionem respondeo; nos in hoc argumento per Regis displicentiam duo intelligere: 1. Inofficiosam & lege Dei prohibitam resistentiam potestati à Deo ordinatæ. 2. Tantæ potestatis, id est, religiosissimorum ac potentissimorum Principum scandalizationem: nam si nefas sit VII.

vel

vel pusillum quempiam scandalizare ; & præstiterit alligata collo mola asinaria demergi quempiam in profundum maris , quam scandalizare unum ex pusillis Christianis ; quam est horrendum flagitium & quam atroci supplicio vindicandum, scandalizare eos quorum unius offensio magis est periculosa quam aliorum multorum : quia habet semper princeps sociam multitudinem , & potestate armatus est , quam revereri , non contemnere debemus, & cui jubemur subjici propter conscientiam. Præterea cur omittis authoritatem Ecclesiæ? Quam miror te tam obstinatè contemnere. Articulos illos Rex Ecclesiæ proposuit : eos Ecclesia licitos esse , & utiles pronunciavit in Nationali Synodo *Perthensi* , eosque Decreto suo Synodico suscepit ; quod decretum Synodicum ordines Regni approbarunt , in solemni illo & supremo omnium Regni ordinum conventu, qui triennio post Synodum *Perthensem* habitus est *Edinburgi* , anno Dom. 1621. mense Augusto. Ubi ex omnium ordinum consensu lex civilis condita est , imperans omnibus subditis , ut decreto illo *Perthensi* promptum obsequium exhibeant , tanquam justo & pio , & legitimè à legitima Nationali Synodo condito. Consentiunt Ecclesia & Respublica : utrique subjectionem debes : neutram fas scandalizare , cur ergo non obsequeris?

INOBED. *Quia nolo offendere infirmos fratres.*

VIII. *OBED.* Suntne facienda mala, ut eveniant bona ?

INOBED. *Non sunt.*

IX. *OBED.* At Deo ejusque ordinationi resistere malum est. Quicunque Magistratui suo licita imperanti resistit , is Dei ordinationi resistit , adeoque ipsi Deo resistit. Et propriam suam vulnerat conscientiam, quia oportet subjici propter conscientiam , Rom. 13. Qui autem contemnit Ecclesiam Dei , is Christum ipsum contemnit , & , jubente Domino , habendus est sicut Ethnicus & Publicanus. Matth. 18: vers. 17. Luc. 10: 16.

INOBED. *Si jubeat superior potestas aliquid licitum , non est ei resistendum : at Articuli illi non sunt tales , quia sunt per se scandalosi , ex conditione operis , quamvis fortasse præter intentionem operantis. Quicquid autem ex conditione operis est per se scandalosum , sive inductivum ad ruinam , neque debet potestas illud præcipere , neque subditi exequi.*

X. *OBED.* Istam quidem distinctionem depromere videris ex *Thoma* Aquinate , secunda secundæ Quæst. 43. Articul. 1. Audiamus igitur ipsius Thomæ verba , loco citato ; *In processu* , inquit , *viæ spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem , per dictum vel factum alterius ; in quantum , scilicet , aliquis sua* admonitione *vel* inductione, *aut* exemplo *alteram trahit ad peccandum. Et* hoc proprie dicitur scandalum. *Nihil autem secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam , nisi quod habet aliquem defectum rectitudinis : quia id quod est perfectè rectum , magis munit hominem contra casum , quam ad ruinam inducat. Et ideo convenienter dicitur , quod dictam vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ , sit scandalum.* Hæc *Thomas.* Ostende igitur eos qui obediunt Ecclesiæ & Reipublicæ decretis de illis quinque Articulis , aliquem ad peccandum sua *admonitione* , vel *inductione* , aut *exemplo* trahere , & hanc ipsorum obedientiam habere *aliquem defectum rectitudinis.*

Definitio Scandali, ex Thoma. Vide Basil. lib. 2. de baptismo. quæst. 10. Et in Regulis brevioribus, Interrogatione 64.

INOBED. *Habet aliquid defectum rectitudinis , vel quia est secundum se malum , sicut peccatum , vel quia habet speciem mali , sicut cum aliquis recumbit in idoleio : hoc enim quia habet quandam speciem mali , vel similitudinem venerationis Idoli , potest alteri præbere occasionem ruinæ , & ideo Apostolus monet , ut ab omni specie mala abstineamus ,* 1 Thessal. 5. *Minus recta igitur sunt non solum quæ secundum se sunt peccata , sed etiam illa quæ habent speciem mali : sicut monet* Thomas , *loco citato. Et hujusmodi sunt ea quæ* Perthensi *decreto nobis injunguntur , ut Geniculatio in sumptione Sacramenti , dies festi , &c.*

OBED. Quicquid est minus rectum propterea quod habeat speciem mali, *illud de sui ratione habet quod sit inductivum ad peccandum* , ut ibidem docet *Thomas*, ad quartum. At verò quæ in Synodo *Perthensi* decreta sunt , non sunt de sui ratione ad peccandum inductiva : ergo non habent speciem mali. Porro (ut de Geniculatione loquar) quod *speciem habet piæ & Christianæ venerationis , ac proinde olim potuit cum fructu usurpari* , illud per se habet speciem boni , non mali : at Geniculatio , dum symbola accipiuntur , speciem habet piæ , &c. ut monet *Theodorus Beza* , Epist. 12. Quamvis non adeo favens Geniculationi : ergo , &c. XI.

INOBED. *Quoniam Geniculationis instantia usus es, in ea maneamus. Dico igitur eam habere speciem Artolatriæ.*

OBED. Utrum per se , vel per accidens ? XII.

INOBED. *Per se : sicut accubitus in idoleio habebat per se speciem venerationis Idoli.*

OBED. Hoc argumento ipsam excludes Eucharistiæ celebrationem , omnemque in ea celebratione religiosam reverentiam ; ne ea exhiberi videatur Sacramento: quemadmodum prohibitum est omne mensale consortium in delubris Idolorum propter speciem cultus Idoli. Profanum est etiam non plus reverentiæ concedere exercendum erga Christum in celebratione sacræ Cœnæ , ab ipso institutæ , & in ipsius memoriam celebrandæ, quam permittitur erga Idola in agitatione conviviorum in delubris Idolorum. Idola nefas, Christum fas adorare. XIII. *Vide lib. 1. cap. 10. §. ult.*

INOBED. *Peccatum est adorare Sacramentum : hujus peccati speciem habet adoratio in celebratione Sacramenti.*

OBED. Dupliciter aliquid habet alterius speciem ; vel per se, vel per accidens. Per se quidem ex conditione operis : per accidens autem ex aliorum interpretatione. Adoratio in celebratione Cœnæ , ex conditione operis, habet speciem piæ & religiosæ adorationis Domini nostri Jesu Christi, qui necessariò adorandus est , & laudabiliter adoratur in hac actione. Neque omittenda est adoratio Christi in celebratione Sacramenti, vel celebratio Sacramenti cum adoratione Christi, propter abusum Artolatrarum (vide supra Cap. 16. Part. 4. Num. 1.) Per accidens autem habet aliquid speciem mali ; vel ex interpretatione infirmorum, vel ex interpretatione malignorum, omnia perverse in malam partem rapientium. Propter infirmorum interpretationem res necessariæ non sunt omittendæ, qualis est obedientia Superioribus debita , & Lege Dei imperata : sed mentes eorum meliùs informandæ sunt : at res media nullam habens utilitatem , (ne obedientiæ quidem) quæ eam reddat necessariam, omitti debet , ut non scandalizetur infirmus : quæ autem habet insignem utilitatem , differri debet ast clementer proponi , donec proximo per sufficientem instructionem , vel exemptus XIV.

fue-

fuerit error, vel manifestè adempta infirmitatis excusatio; id est, versa fuerit infirmitas in perversitatem, & superbam præsumptionem impediendi res utiles, sola indocilis contumaciæ oppositione: quo casu non est Ecclesiæ libertas, vel utilitas substernenda pedibus factiosorum & contumacium: sed quamvis propter infirmos circumcidi possit *Timotheus*, omnino tamen resistendum est falsis Fratribus jugum servitutis volentibus Ecclesiæ imponere, & cogere ut etiam circumcidatur *Titus*. Adoratio in celebratione Eucharistiæ habet insignem utilitatem, & conjunctam habet obedientiæ necessitatem: qui jam resistunt protervi sunt, & inexcusabiles.

INOBED. *At vestra Geniculatio inducit proximum ad ruinam.*

XV. *OBED.* Nos Geniculando neque *admonitione*, neque *inductione*, neque *exemplo*, quenquam ad ruinam inducimus. Nam ruinam procul dubio constituis, vel in adoratione nobiscum, & hæc non est ruina, sed pietas: vel in indignatione contradicentium, & hæc quidem ruina est: sed scandalo merè passivo, id est, solo ipsorum vitio, cui non tenemur obsequi, contra officium quod Ecclesiæ ex Dei lege debemus.

INOBED. *Pietatem vocas adorationem in perceptione Sacramenti? Quid si infirmus aliquis tuo fretus exemplo ipsum adoret Sacramentum?*

XVI. *OBED.* Infirmus iste de quo loqueris, aut reformatam profitetur *Religionem*, aut Papista est: si reformatæ *Religionis* sit Professor, agnoscit mecum Sacramentum, etiam post consecrationem, non esse natura Deum, sed retinere naturam & substantiam meræ creaturæ. Et similiter mecum agnoscit nullam meram creaturam esse religiosè adorandam, & illum solum adorat qui est natura Deus, cujus jussu & in cujus recordationem & honorem sumit Sacramentum. Si sit Papista, non meo exemplo (quod contemnit) adorat Sacramentum, sed ex hæretica sua Hypothesi transsubstantiationis, quam novit me abominari: si autem Hæresin transsubstantiariam abneget, & mecum religionem reformatam profiteatur, non amplius adorabit cum transsubstantiariis Sacramentum, sed cum Catholicis rem Sacramenti; id est, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, pro nobis crucifixum, & jam sedentem in Cœlo gloriosum. Interroga simplicissimum idiotam inter *Scotos* Catholicos debitam salubribus superiorum constitutionibus obedientiam exhibentem, quidnam adoret: respondebit, se adorare Deum, & Dominum Jesum Christum, in Cœlo sedentem. Quære, Num adoret ipsa symbola? pernegabit. Porrò Reformatæ Ecclesiæ *Poloniæ*, *Russiæ*, *Lithuaniæ*, *Samogitiæ*, &c. in generali Synodo *Petricoviensi*, Art. 4. (prout invenies supra, Cap. 16. Part. 4. Num. 6.) Sessionem in Eucharistia prohibent, ut minus honestam ac religiosam, simplicioribusque admodum scandalosam. Geniculationem verò ut & honestam & minimè scandalosam, quamvis in mediis Papistis positæ, admittunt.

INOBED. *Paulus Apostolus abstinuit ab accipiendo stipendio propter infirmitatem Corinthiorum, volnit enim sibi placere, sed potius infirmis fratribus, ad ædificationem, & tamen diligenter eos informaverat de suo jure & potestate accipiendi stipendium. Fac igitur res has à Synodo Perthensi decretas licitas esse, rectè tamen facimus qui plebeiorum infirmitati consulimus, & potius jure nostro cedimus ut eis placeamus, ad ædificationem. Quod autem de Sarmaticis Ecclesiis profers, ad illud respondeo, gestum Sessionis apud illos scandalosum esse propter Arianos.*

OBED. In dissimillimo simili quod adfers de *Paulo* stipendium accipiente, has observa discordias. XVII.

1. Cum in omnium ordinum civili conventu suscepta sint decreta *Perthensia*, non sunt propter iniqua privatorum quorundam murmura, contemnendæ salubres constitutiones publicæ.

2. B. Apostolus non docuit acceptionem stipendii esse illicitam aut per se scandalosam, neque jussit Corinthios offendi; videbat enim se non posse talem iis doctrinam proponere, nisi veritati divinæ resisteret: ideo etiam abstinens ab acceptione stipendii clarissimè tamen docuit rem in se esse licitam, & eos non debere offendi, si quisquam Evangelium iis prædicans accipiat aut etiam exigat stipendium; Christum enim constituisse ut qui prædicat Evangelium, ex Evangelio vivat: vos autem è contrario clamatis inter auditores vestros, articulos *Perthenses* esse per se illicitos, & eam mali speciem ex conditione operis habere, ut fiat per se scandalosi, & misellos quosdam plebeios, quos infirmos non tam invenitis quam facitis, jubetis offendi, & resistere; adeo ut non tam obstet plebeiorum infirmitas quam vestræ doctrinæ falsitas.

3. Abstinuit B. Apostolus ab acceptione stipendii, ante sufficientem Corinthiorum informationem propter ipsorum infirmitatem. 1 Cor. 9. nec tamen veritatem timidè aut superbè tacuit, vel falsitatem docuit. Post sufficientem autem informationem, abstinuit, ad obturandum ora malevolis seductoribus, quod faciendum sibi esse existimavit, non obstante populi jam melius informati, & hac ejus abstinentia etiam offensi displicentia, 2 Corinth. 11: vers. 10, 11, 12, 13. Quia nimirum non nisi ad ædificationem voluit populo placere, non consensit adhùc populo ad accipiendum stipendium, ut os occluderet malignis pseudo-Apostolis.

4. Quando quæstio est de jure meo, & displicentia Fratrum, ego jus meum non abnegabo, neque suum abnegavit Apostolus, sed potestate ea quam me constanter habere profiteor, non utar pro tempore, ne offendatur frater infirmus, aut ne glorietur malignus: at si jugum servitutis mihi imponere satagant homines protervi obtentu infirmitatis, cum interim mera sit contumacia qua adversus meam libertatem feruntur, non debeo, ut illis placeam, vel obolum expendere, aut mihi debitum remittere, ne consentiendo applaudam ipsorum iniquitati, & pœnæ illorum particeps fiam; & ne videar abnegare ipsam potestatem mihi à Christo concessam. Et jam non amplius status quæstionis vertetur inter me & proximum, sed inter veritatem divinam & proximum, inter Ecclesiæ libertatem, & proximi mei præsumptionem.

5. Quando autem quæstio est de veritate Dei, aut libertate Ecclesiæ, clementer quidem informare conabor, & quoad licet tolerabo infirmos, at fas mihi non est, vel Dei veritatem, vel Ecclesiæ libertatem prodere, ut placeam protervis. In tali casu *docendus est populus, non sequendus*, ut rectè dicitur 63. Dist. Can. *Nosse tuam*. Nefas displicere Deo, ut placeas hominibus.

6. Apostolo *Paulo* liberum fuit accipere, vel non accipere stipendium, eaque libertate uti de-

debuit ad ædificationem Ecclesiæ pro circumstantiis; nullo autem decreto Ecclesiastico jussus est pro illo tempore accipere stipendium à *Corinthiis*, quemadmodum nos jubemur decreto *Perthensi* suscipere istos quinque Articulos. Potuit igitur *Paulus* sine contemptu Ecclesiasticæ authoritatis abstinere ab acceptione stipendii; nos Articulos nobis injunctos contemptim rejicere non possumus, absque manifesto contemptu Ecclesiæ *Christi*, & potestatis etiam civilis, adeoque ipsius *Dei*.

7. Debemus placere proximo in bonum, ad ædificationem, Rom. 15: 2. non autem, ut eum in errore confirmemus: & dicamus pax, quando non est pax, & consuamus pulvinaria sub axillis populi, ad venandum animas, & sic contaminemus *Dominum* in populo ipsius, pro pugillis hordei, & fragmentis panis, interficientes animas quæ non moriuntur, & vivificantes animas, quæ non vivent, mentientes populo *Dei*, auscultanti mendacio: & dolore afficientes cor justi mendaciter, quod *Dominus* dolore non affecit, & roborantes manus impii, ut non avertatur à via sua mala, vivificando eum, Ezech. 13. Quis vestrum convincit Ecclesiam erroris aut peccati, in condendis illis Decretis? Si veritatem dicit, si justa exigit, cur non creditis? Cur non obeditis?

8. B. *Paulus* nullo offensionis metu, nullo inimicorum astu adduci potuit, ut quicquam veritati contrarium prædicaret, vel veritatem abnegaret, aut etiam superbè timidéve reticeret: si *Paulum* imitari vis, prædica veritatem, dic gregi *Dominico*, cui præes, res has esse in se licitas, & partim necessarias, partim laudabiles, neque ullam esse justam causam scandali cuiquam datam à Rege, vel ab Ecclesia: hæc doce, & finis erit contentionis, evanescet scandalum, cessabit Schisma. Sed quamdiu aut falsa doces, aut veritatem superbè timidéve taces, (*κρύπτων τὴν ἀλήθειαν ἐκφοβῶ τυφλότητι*, id est, *supprimens veritatem affectata quadam cæcitate*. Sicut olim fecisse Arium & Eunomium, queritur Basilius Seleuciensis, orat. 32.) aut falsa docentibus, vel veritatem importuno & impio silentio reticentibus, in tam miserando Ecclesiæ incendio, animos addis, tua praxi vel tergiversatione, vel segnitie, vel collaudatione, tamdiu autor es, vel fautor nefarii Schismatis, scandalizas *Dei* Ecclesiam, justorum corda contristas, & manus impiorum corroboras, & cum iis Domum *Dei* (quantum in te est) veluti malleis, vectibus, & securibus demoliris, & *Deum* in populo ipsius contaminas. Memento quid Sacerdoti *Eli* dictum sit in Nomine *Domini*; *Honorantes me honorabo, & contemnentes me contemnentur*. 1 Sam. 2: 30. *Maledicite Meroz, dixit Angelus Domini, Maledicite maledicendo, habitatoribus ejus; quia non venerunt ad auxilium Domini, ad auxilium Domini contra fortes. Judic.* 5: 23.

Nemo potest servire duobus Dominis, *Christo*, & *Belial*; Veritati, & Mendacio; Justitiæ, & Injustitiæ; Luci, & Tenebris: Ecclesiæ, & Schismati.

Quod autem ais Ecclesias Sarmaticas propter Arianos abstinere a sessione tanquam admodum scandalosa, quamvis eam gestum in se medium & liberum esse fateantur, pro nobis facit. Nam illi inter Papistas degunt, & quotidianas, ac publicas Missas; & tamen ex oppositi erroris scandalo sumunt regulam praxeos. Quanto magis nos apud quos (per *Dei* misericordiam) desiit jamdiu publicum Papismi exercitium, exceptionem habemus scandali, ex obtrusa Sessionis necessitate, quam sequitur contemptus Ecclesiæ *Scoticæ*, aliarumque Reformatarum Ecclesiarum, & inde inevitabilis iniquitas nefarii Schismatis?

INOBED. *Num igitur omnes eos, qui nondum Geniculationi in* Scotica, *post* Perthensem *Synodum, usi sunt, accenses Schismaticis, & rebellibus?*

OBED. Scio piis quibusdam Pastoribus, per vicinorum intemperiem, tantam creari molestiam, ut nondum adeo commodè potuerint eam, quam optarent, obedientiam decretis Synodicis exhibere: vel saltem nondum ita confirmato fuerint animo, ut quod cupiebant exequerentur. Non defendo hanc eorum infirmitatem; benignè tamen, ut charitas jubet, interpretor. Suadeo etiam ut *Deo* freti in *Dei* causa non sint pusillanimes: sed meminerint *Deum* dixisse Joshuæ; *Annon præcepi tibi? Confortare & robustus esto; ne consterneris, neque terrearis, quia tecum est* Dominus Deus *tuus in omnibus ad quæ perrexeris*. Josh. 1: 9. XVIII.

INOBED. *Potestne superior potestas Ecclesiastica, vel civilis mihi imperare, ut id faciam quo scandalizetur proximus? Aut nunquid me apud supremum judicem, qui scandalum prohibuit, excusabit mandatum superiorum?*

OBED. Petis Principium, non enim sunt Articuli *Perthenses* per se scandalosi, neque jam post tantam Ecclesiæ patientiam, & sufficientem informationem, quemquam offendere possunt, nisi vel sponte ignarum, vel semper discentem & ad cognitionem veritatis nunquam pervenientem. Respondeo igitur directè ad tua interrogata: Non potest humana potestas te cogere ad faciendum illud quod facere non possis absque inevitabili datione scandali: neque in hoc casu te apud supremum judicem tuebitur obtentus obedientiæ superioribus debitæ. At quando aliquid tibi injungit superior potestas quod nulli possit esse scandalo, si tu officium præstes adhibendo debitam informationem, nisi improbe protervo, debes obedire potius potestati superiori cui te subjici *Deus* jussit, quam protervi illius Improbitati, quam reprehendere debes, non fovere, ne existas particeps culpæ ejus. XIX.

INOB. *Quid si potestas Superior imperet tibi rem in se indifferentem, ex qua homicidium consequuturum esse videretur, puta si jubeat equum, aut currum agere per eam viam, in qua ludunt puerili, quos necesse fit cursu tuo collidi, quamvis fortasse Superior cursum tibi imperans nesciat instare hoc periculum?*

OBED. Si mihi superior aliquid imperet, ex quo homicidium ulla mea culpa sequuturum sit, non teneor obedire: quod ad similitudinem abs te allatam, non quadrat propositio nostro: nam supra ostendi Articulos *Perthenses* nulli obedienti esse nocivos, inobedientibus autem, non Articulos, sed suam ipsorum inobedientiam esse nocivam. Quemadmodum lethalis est impietas concupiscentiæ, quam sumpta ex bona & Sancta *Dei* Lege occasione operatur, Rom. 7. Similitudo equi vel currus sic conveniet; si nempe jubeat Princeps equum vel currum agere per viam patentem, in qua nullius sit læsionis periculum, sed quam obsident quidam inobedientes, conviciis & jurgiis transeunti mihi oblatraturi, eo quod indignentur me aliis civibus exemplum obedientiæ præbere, & non adhærere ipsorum factioni. XX.

INOB. *Difficile est conscientiæ vim inferre.*

XXI. *OBED.* Adhibenda tamen erranti conscientiæ medicina est, per quam ab errore liberetur, ne relinquamus peccatum super proximum nostrum, & nos ejus osores esse deprehendamur in cœlesti judicio, Lev. 19: 17. Multi errore conscientiæ persequuti sunt, & trucidarunt *Christum* ejusque Discipulos.

XXII. INOB. *Mea tamen conscientia non patitur me decreto* Perthensi *obtemperare, neque possum sine peccato facere contra dictamen meæ conscientiæ.*

OBED. Quando conscientiæ dictamen erroneum est & impium, quale est in omnibus Hæreticis, & Schismaticis, & quacunque superstitione fascinatis, nemo potest, sine peccato, sequi tale dictamen. Non jubeo, ut contra conscientiam facias, sed ut veritatem discas, & me jam saltem monentem audias, & *Deum* fideliter invoces, ut det tibi sapientiam, promisit enim daturum petentibus in fide, Jac. 1: 5, 6. Quocirca perspicuæ veritati tibi ob oculos positæ cede, noli adversus lucem oculis tuis sese ingerentem, pertinaciter connivere, & indocilis contumaciæ pugnaces nervos intendere. Vide supra, Lib. I. Cap. 13. §. 14.

INOB. *Parcendum est existimationi eorum ministrorum, qui jam multos annos palam prædicarunt in commendationem illius consuetudinis, quam habebat Ecclesia* Scotica *ante Synodum* Perthensem: *neque exigendum ab iis ut se ipsos testes pronuncient, ut ædificando illud quod aliquando destruxerunt, seipsos prævaricatores constituant, & despicabiles: cum Apostolus præceperit Tito, Ne quis te contemnat.* Tit. 2: 15.

XXIII. *OBED.* Monet idem Apostolus multorum gloriam esse in ipsorum ignominia, dum terrena sapiunt. *Phil.* 3: 19. Pharisæorum peccatum fuit, quod omnia faciebant, ut conspicerentur ab hominibus. *Matth.* 23: 5. Tales *Dominus* pronunciat recepisse mercedem suam. *Matth.* 6: 2, 5. Taxantur illi qui dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam *Dei*: Joan. 12: 43 *Quomodo potestis vos credere*, (inquit Dominus Judæis) *qui gloriam à vobis invicem captatis, & eam gloriam quæ à solo* Deo *est, non quæritis?* Joan. 5: 44 Christus è contrario, *Gloriam*, inquit, *ab hominibus non capto.* Joa. 5: 41. Et Apostolus Paulus de se scribens ad Thessalonicenses, *Exhortatio*, inquit, *nostra non fuit ex impostura neque ex impuritate, neque cum dolo; sed sicut placuimus* Deo, *quibus crederetur Evangelium, ita loquimur, non ut hominibus placentes, sed* Deo *qui approbat corda nostra: neque enim unquam sermone assentatorio usi sumus, sicut nostis: nec avaritiæ causa quicquam prætexuimus;* Deus *testis est. Neque quærentes ex hominibus gloriam, nec à vobis, nec ab aliis.* 1 Thess. 2: 3, 4, 5, 6. Idem alibi, *Nunc enim*, inquit, *homines an* Deum *suadeo? aut quæro hominibus placere? enimvero si adhuc hominibus placerem*, Christi *servus non essem.* Galat. 1: 10. Item alibi, *Requiritur in dispensatoribus, quod fidus quisque comperiatur. Mihi verò pro minimo est, quod à vobis dijudicer, aut ab humano die, imo nec meipsum dijudico, nullius enim rei mihi conscius sum; sed non per hoc justificatus sum. Sed* Dominus *is est qui me dijudicat: proinde ne ante tempus quicquam dijudicetis usque dum venerit* Dominus, *qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium, ac tunc laus erit unicuique à* Deo. 1 Cor. 4: 3, 4, 5. Si prædicabant fratres veritatem, id est, si ita laudarunt illius temporis consuetudinem, ut hominum conscientiis necessitatis laqueum, & cultus divini, quasi in talibus rebus mutabilibus, & circumstantialibus consistentis, erroneam opinionem, non injecerint, neque vel rerum ipsarum mediarum mutabilitatem, vel Ecclesiæ autoritatem, ac libertatem negaverint, in nullo jam periculo est eorum existimatio. Vide supra, lib. 1. cap. 10. §. 4. Sin autem pro veritate errorem, pro Pietate superstitionem auditoribus suis tradiderunt, neque errorem agnoscere aut abjicere sustinent; quærunt gloriam in ignominia sua, neque *Christo* digni sunt, qui non seipsos abnegant, ut *Christum*, qui veritas est, sequantur.

INOB. *Non suam, sed Ministerii sui existimationem charam habent, quam ipsis commendavit Apostolus, loco citato ad Titum.*

OBED. Non sunt facienda mala ut eveniant bona. Rom. 3: 8. *Numquid pro* Deo *loquemini iniquitatem, & pro eo loquemini dolum? an faciem ejus accipietis? numquid pro* Deo *contendetis? an bonum fuerit quod investiget vos? an sicut mentitur aliquis de homine, mentiemini de eo? arguendo arguet vos, si in abscondito faciem acceperitis. Nonne excellentia ejus terrere debeat vos, & pavor ejus cadere debeat super vos:* inquit Job. cap. 13. vers. 7, 8, 9, 10, 11. *Non possumus quicquam adversus veritatem, sed pro veritate.* 2 Cor. 13: 8. Si volunt obedire præcepto Apostolico ad Titum, audiant ipsum Apostolum sui præcepti interpretem: *Per omnia*, inquit, *temetipsum præbens exemplar bonorum operum, in doctrina integritatem, gravitatem, sermonem sanum, qui damnari non possit: ut qui se ex adverso opponit, erubescat, nihil habens quod de vobis dicat mali:* ——— *hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio, nemo te contemnat.* Tit. 2: 7, 8, ——— 15. Nemo igitur illi Apostoli præcepto paret, nisi qui doctrinam incorruptam prædicat, & seipsum præbet exemplar bonorum operum, in quibus est, subjectio & obedientia authoritati Ecclesiasticæ, toties nobis in Scripturis commendata & imperata. Plus existimationis & veræ laudis consequutus est Apostolus *Petrus* auscultando repræhensioni *Pauli* & ab illa verè repræhensibili dissimulatione desistendo (Gal. 2.) quam si importuna retinendæ popularis auræ pertinacia salubribus collegæ monitis (quod absit) restitisset.

INOB. *Quoniam toties nobis objicis Ecclesiam, & nos Schismatis insimulas, quasi Ecclesiæ bellum indixerimus, & ab ejus communione discessum adornemus, dic quæso, quid nomine Ecclesiæ intelligas?*

OBED. Immediatè intelligo Orthodoxam nationalem Ecclesiam Scoticanam, & ea mediante, intelligo totam Ecclesiam reformatam per Europam, & tandem universalem sive Catholicam Ecclesiam toto orbe diffusam, quam reformata Ecclesia agnoscit. XXV.

INOB. *Num multas nobis proponis Ecclesias?* XXVI.

OBED. Multas quidem, & tamen unam, sicut docuimus in tractatu de Schismate: supra cap. 19. Una est *Christi* Ecclesia Catholica, unum corpus, unius capitis; unus grex, unius pastoris; una familia, unius Patrisfamilias; unus populus, unius *Dei*: hæc una Ecclesia unam habet fidem, unum baptisma, uno regitur Spiritu, unum adorat *Dominum Jesum Christum.* Et una hæc ita in multitudinem incremento fœcunditatis extenditur, ut unaquæque pars & inter se, & cum universali Ecclesia, cujus pars est, retineat unitatem Spiritus in vinculo pacis. Non est divisus *Christus*, neque bicorpor, neque bigamus; unam habet columbam sibi dilectam: unitatem suis commendavit & appre-

apprecatus est, Johan. 13: 17. Ea est autem ratio & conditio hujus unius Ecclesiæ, ut & nomen Ecclesiæ & unitas se per omnes particulares Ecclesias diffundat, si modo unaquæque intra seipsam & cum universali adeoque cum omnibus ejus partibus servet Catholicam unitatem. Hinc sicut est una Ecclesia universalis, sic est una aliqua nationalis, una provincialis, una Diœcesana, una parochialis. Nec Ecclesia vera est quæ non servat unitatem in una illa universali, cujus pars est Nationalis, & hujus Diœcesana, & hujus rursum Parochialis: si autem divisio existat in Parochia, pars ea est Ecclesia Parochialis, quæ unitatem servat cum Catholica Diœcesana, cujus pars est; altera autem Parochiæ pars schisma est: sic in Diœcesi si existat divisio, pars ea quæ ab Orthodoxa Nationali discordat, schisma est; pars altera est vera Catholica sive Orthodoxa Ecclesia: Idem de Nationalibus statuendum, nam si qua nationalis Ecclesia se separet à reliquis nationalibus orthodoxis Ecclesiis, unitatem Ecclesiæ universalis servantibus, Schismatica evadit. Quemadmodum interit digitus amputatus à manu & manus à brachio abscissa perit, & brachium à reliquis corporis partibus. Quid autem universalis Ecclesiæ nomine intelligatur, liquet ex Cap. 11. Propos. 16. & Cap. 19.

INOBED. *Ista quidem libenter recipio, & ut propius accedam, confiteor tibi omnem particularem in Scotia cœtum, aut quemlibet singularem hominem, qui se à reformatæ sive Catholicæ nationalis Scoticanæ Ecclesiæ communione separaverit, esse verè Schismaticum, & extra veram Dei Ecclesiam, neque posse in hoc statu plus sibi salutiferæ lucis & humectationis polliceri, quam potest radius avulsus à Sole, vel rivulus à fonte abscissus: quorum alter tenebrescat, alterius arescat alveus necesse est. Doce autem nos à Catholica sive Reformata nationali* Scoticana *Ecclesia discessisse, aut salubribus ejus constitutionibus resistere: nam quicquid sit de constitutionibus* Perthensibus, *quoad salubritatem, nego tamen eas esse constitutiones Catholicæ nationalis Ecclesiæ* Scoticanæ. *Non contendo nunc, sed propterea nego, quia negant quidam Fratres mei, & ut ex te audiam responsionem. Quam igitur dicis esse Catholicam sive reformatam illam unam nationalem Ecclesiam* Scoticanam?

XXVII. *OBED.* Ecclesia nona duas habet considerationes: vel enim consideratur in toto & secundum totum: vel consideratur secundum partes. In priori consideratione Ecclesia nationalis *Scotica* est cœtus ille profitentium reformatam Religionem in *Scotia*, qui complectitur, & Pastores, & populum: hoc sensu accipitur nomen Ecclesiæ, Ephes. 1: 22, 23. & Cap. 5. vers. 23, 24, 25. In posteriore consideratione Ecclesia spectatur vel in illa Ecclesiæ parte quæ rectrix est & gubernatrix partis alterius, quam pascit & custodit, vel in ea parte quæ gubernatur, pascitur & custoditur Ministerio partis gubernatricis. Nomen Ecclesiæ utrique parti tribuitur in sacris Literis, cum respectu ad alteram partem. Pars gubernata appellatur Ecclesia, Actor. 20: 38. Ubi monet Apostolus Presbyteros *Ephesinos*, ut pascant Ecclesiam Dei. Ubi etiam appellatur grex, vers. 27. & 1 Pet. 5: vers. 2. Item Familia Christi, Matth. 24: vers. 45. Parti gubernatrici tribuitur nomen Ecclesiæ, Matth. 18: vs. 17. *dic* Ecclesiæ: *quod si non audierit* Ecclesiam, *sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Nam Ecclesiæ nomine illic sos pastores sive pastorum conventum intelligi inde constat, quia cam Christus intelligit Ecclesiam cui data est potestas clavium, per quam remittant vel retineant hominum peccata: hæc autem potestas non data est nisi Evangelii Ministris, quos ad prædicandum Evangelium & exercendam clavium disciplinam misit Christus, sicut ipse à Patre missus est. Matth. 16: vers. 19. Johan. 20: 21, 22, 23. Præterea ea illic intelligitur *Ecclesia* cui subjecti sunt etiam Spiritus Prophetarum, Spiritus autem Prophetarum subjecti sunt Prophetis. 1 Corinth. Cap. 14: vers. 32. nusquam autem in Scripturis legimus, Spiritus Prophetarum, subjectos esse plebeiis. Pastores igitur, quorum est gregem pascere & gubernare, intelliguntur illic nomine Ecclesiæ. Et hoc sensu nationalis Ecclesia *Scotica*, quam qui non audit habendus est sicut Ethnicus & Publicanus, est collegium Pastorum & rectorum gregis *Dominici*, id est, Episcoporum, & assessorum eorundem, nempe, Presbyterorum agnoscentium regimen Episcoporum, & cum iis Ecclesiam regentium. Ecclesia verò nationalis *Scotica* gubernata, est grex ille qui ab Episcopis eorumque assessoribus Compresbyteris gubernatur, & pascitur, & ab iis se gubernari & pasci sinit: hinc facilè perspicis quid intelligamus nomine Ecclesiæ nationalis cui subjectionem debemus. Quicunque gregis hujus communionem, & rectorum illorum gubernationem spernit, ille spernit Dei Ecclesiam, Schismaticus est, hostis est, foris est. Quam grave autem sit peccatum, invenies supra, Cap. 19. part. 4. & part. 6.

INOBED. *Solos igitur Episcopos, & illos Presbyteros qui Episcopis adhærent, agnoscis pro vera Ecclesia gubernatrice? Quid igitur illi Presbyteri qui eorum regimen oppugnant.*

OBED. Cum certum sit Episcopos eorumque assessores esse illam gubernatricem Catholicam Ecclesiam nationalem *Scoticam* cui obedientiam debemus, haud dubiè illi Ministri qui ab eis se separant, & à communione gregis illos sequentis se segregant, & seorsum Congregationes faciunt, se separant ab Ecclesia Christi, Non sunt in una natione duæ nationales Ecclesiæ, sed pars altera Schisma est. XXVIII

INOBED. *At quid si ea pars potius sit Schisma, quam vos vocatis Ecclesiam?*

OBED. Ideo hanc vocamus Ecclesiam Orthodoxam, sive Catholicam reformatam, quia ei conveniunt omnes notæ Ecclesiæ Catholicæ reformatæ, quas retinet à prima reformatione; nempe, doctrinæ veritas, legitima Sacramentorum administratio, secundum ipsam Domini institutionem, & sanctæ exercitium disciplinæ per legitimum usum clavium. Omnes in *Scotia* Verbi Ministros hæc ordinat, agnoscitur à Rege & Republica, ut unica illa vera nationalis Ecclesia *Scotica*, servat Catholicam unitatem & communionem cum omnibus aliis Catholicis reformatis Ecclesiis, & ab iis omnibus hæc sola agnoscitur pro Catholica reformata Ecclesia nationali *Scotica*, cum hac sola tanquam cum vera Ecclesia *Scotica* habent commercium, concordiam, & unitatem. Duæ autem non sunt Ecclesiæ Nationales in *Scotia*. Pars igitur ista quæ ab hac Ecclesia adeoque ab omnium reformatarum Ecclesiarum communione discessit, Schisma est. XXIX.

INOBED. *Prior est Ecclesia quam Schisma: Schisma discedit ab Ecclesia, non Ecclesia à Schismate: vos à nobis discessistis, non nos à vobis. Nam ante has novationes erat vera Catholica*

Nationalis Ecclesia Scotica, *sine istis Articulis, & sine Episcopis: nos priorem consuetudinem retinentes manemus in Ecclesia: vos ab ea discessistis.*

XXX. *OBED.* Vera erat Ecclesia *Scotica* habens Episcopos, priscis seculis; vera etiam erat habens Superintendentes, sive Episcopos statim post reformationem: quod autem Ecclesia *Scotica* nuper ad breve tempus caruit Episcopis, defectus is fuit Oeconomicus, cujus emendatio non destruxit Ecclesiam, sed eam magis exornavit, munivit, & constabilivit. Eadem manens Ecclesia priorem suam consuetudinem quoad quinque articulos mutavit, ea potestate atque authoritate ac libertate quam de talibus rebus Christus suo acquisitam sanguine ei donavit. Vos interea indignamini Ecclesiam sua libertate usam esse, eamque libertate sua utentem deseritis. Priorem quidem consuetudinem retinetis, at consuetudo non est Ecclesia: pertinaciam retinendi mutabilem consuetudinem ipsi Ecclesiæ & unitati Catholicæ, præferre non debetis.

INOBED. *Jam factus obediens. Absit à me ut hanc mihi jam clarissimè propositam veritatem ulterius contemnam.* Deo *gratias ago, te diligo, mihi vehementer gratulor de hoc nostro congressu, ex quo ambo per* Dei *gratiam victores abimus; tu mei, ego erroris. Et utinam mihi sic semper disputare contingat, ut ad meliora proficiens, deseram quod male tenebam. Et quamvis alicubi asperior mihi visus fueris, video tamen, si quid asperè dicis, id te referre non ad amaritudinem dissensionis, sed ad correctionem dilectionis.*

XXXI. *OBED.* Ea fœlix est victoria victorem esse erroris, præsertim sui, & gloriosus triumphus est propria triumphare vitia, & suam mentem captivam ducere ad obediendum Christo. Qui autem suum non potest cohibere spiritum, eum sapientissimus *Salomon* similem esse ait urbi diruptæ & absque muro, Proverb. 25: 28. Te verò ego nec vincere volebam nec vincere, sed victo erroris compedes detrahere, & errantem in rectam viam reducere. Et toto corde gratias Deo ago de tam prospero successu. Tu jam conversus, confirma Fratres tuos, Luc. 22: vers. 32. Doce prævaricatores vias Domini, ut peccatores ad illum convertantur, Psalm. 51: vers. 15. Qui convertit peccatorem ab errore viæ suæ, servabit animam à morte, & obteget multitudinem peccatorum, Jacob. 5: 20.

CAPUT XX. PARS II.

Exhibens quædam scriptorum Ecclesiasticorum testimonia à præcedentis Dialogi argumento non aliena.

Hieronymus, *in Math. Cap.* 15.

I. SCandalum nos offendiculum vel ruinam & impactionem pedis possumus dicere. Quando ergo legimus; Quicunque de minimis istis scandalizaverit quempiam, hoc intelligimus, qui dicto factove occasionem ruinæ cuiquam dederit.

Idem ibidem, in illa Domini *verba, Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum,* &c.

Hoc est quod Apostolus præceperat: Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita: sciens quod perversus sit hujusce modi, & à semetipso damnatus. In hunc sensum & *salvator* præcepit *doctores pessimos dimittendos arbitrio suo*: sciens eos difficulter ad veritatem posse trahi: & *cæcos esse, & cæcum populum in errorem* trahere. II.

Idem in Dialogo adversus Luciferianos.

Solent oculis clausis denegare qui non credunt factum esse quod nolunt. III.

Cyprianus *Lib. de Simplicitate Prælatorum.*

Nemo per Confessoris exemplum pereat. Nemo injustitiam, nemo insolentiam, nemo perfidiam de Confessoris moribus discat. Confessor est, sit humilis & quietus, sit in actu suo cum disciplina modestus, ut qui Christi Confessor dicitur, Christum quem confitetur imitetur. ——— cæterum si culpabilis & detestabilis postmodum fuerit, si confessionem suam mala conversatione prodiderit, si vitam suam turpi fœditate maculaverit, si *Ecclesiam denique*, ubi Confessor factus est, *derelinquens & unitatis concordiam scindens*, fidem primam perfidia posteriore mutaverit, blandiri sibi per confessionem non potest, quasi electus ad gloriæ præmium, cum ex hoc ipso magis creverint merita pœnarum. IV.

Nullius exemplo falli debemus ut schisma faciamus.

Augustinus *in Psalm.* 30.

Quid est ut *acciperent animam meam consiliati sunt*? ut consentirem pravitatibus eorum: illis enim qui maledicunt, & non intrant, *parum est quia non intrant, & ejicere hinc volunt vituperando.* Si ejecerint te de Ecclesia, acceperunt animam tuam, id est, tenuerunt conscientiam tuam, & eris in circuitu tuo, non in mansione. Ego autem inter hæc opprobria, inter hæc scandala, inter hæc mala, inter istas seductiones, foris iniquitates, & perversitates intus, cum attenderem homines justos, & quærerem quos imitarer, & deessent, quid feci? quod consilium inveni? *Ego autem in te speravi* Domine. Nihil salubrius, nihil securius. Volebas imitari nescio quem, invenisti illum non bonum. Tolle imitationem hanc, alium quæsisti, nescio V.

nescio quid displicuit tibi. Tertium quæsisti, & ipse non placuit. Numquid quia & ille, & ille displicuit, & tu peribis? *Tolle ab homine spem, quia maledictus omnis qui spem suam ponit in homine.* Si attendis adhuc hominem & eum quæris imitari & ex illo pendere, adhuc lacte vis nutriri, & fies Mammothreptus, quales dicuntur pueri qui diu fugunt, quod non decet. Etenim lacte ubi tanquam per carnem velle sibi cibum trajici, hoc idem est *per hominem vivere.* Idoneus esto ad mensam, inde cape unde ille cepit *aut fortasse non cepit.* Forte utiliter & in malum incidisti quem bonum putasti, ut in ubere quasi materno amaritudinem invenires, & ea offensione repellereris & ad cibum validiorem invitareris. Faciunt enim hoc nutrices Mammothreptis, ut aliqua amara ponant in papillis suis, quibus offensi parvuli ab ubere resiliant, & ad mensam inhient. Ergo dicit, *ego autem in te speravi Domine, dixi tu es Deus meus:* Tu es *Deus* meus, recedat Donatus, recedat Cæcilianus? nec ille, nec iste meus *Deus* est. Non ad hominis nomen ambulo, *Christi* nomen teneo. Ipsum *Paulum* audi dicentem, nunquid *Paulus* pro vobis crucifixus est, aut in nomine *Pauli* baptizati estis? Perirem si essem de parte *Pauli*? Quomodo non pereo, si fuero de parte Donati? *Prorsus recedant humana nomina, humana crimina, humana figmenta.* In Te, *Domine*, speravi, dixi, Tu es *Deus* meus, *non homo quisquam, sed tu es Deus meus.* Unus deficit, unus proficit: *Deus* meus non deficit, neque proficit, nec habet quo proficiat perfectus, nec habet unde deficiat æternus.

μαμμόθρεπτος.

Idem lib. 2. contra Epistolam Parmeniani; cap. 13. de Donatistis loquens.

VI. Cum ad pacem *Christi* revocantur, Calumniatores sunt. Cum paci Donati consulunt, dissimulatores sunt. Quid est hoc aliud, quam quod eorum Magister Ticonius de illis ait, *Quod volumus, Sanctum est.*

Idem lib. 2. contra secundam Gaudentii Epistolam, cap. 26.

VII. Quamdiu vos non tenetis Ecclesiam quam prænunciaverunt Piscatores, [*forte Propheta*] Apostoli plantaverunt, tamdiu Reges qui eam tenent, rectissimè ad suam curam judicant pertinere, ne vos adversus eam rebelletis impune.

Gregorius *lib. 7. Epist. ex Regist. cap. 6.*

VIII. Qui non despici à præcipiente [*Christo*] desiderat; præceptoris verba non renuat: quia & is quem vas electionis redemptor sibi noster testatus est esse, servare nos unitatem spiritus in vinculo pacis admonuit. Unde quisquis hoc se teneri salutis vinculo non recusat, *Quæ pacis sunt studeat, & locum hosti non præbeat, ut facta fortius valeat unitate calcari, qui in fratrum sæva poterat divisione grassari.* Si verò, quod non optamus, erroris hujus deprehenduntur jaculo vulnerati: Ecclesiasticæ adhortationis est adhibenda curatio: ut aut inter oves *Dominicas*, si sanati fuerint, permaneant: aut ab unitate Ecclesiastici corporis excidantur; quatenus & magnum ex damno modico lucrum fiat, & totum faciat liberum pars amissa. Nam & providi sollicitudo Pastoris ovem languidam quæ curationem non recipit, ne alias languoris sui labe contaminet, à sanarum consortio non differt ejicere, sciens cæterarum se sanitatem non aliter nisi hujus posse ejectione servare.

Augustinus *Epist. 161. De Schismate Donatistarum.*

IX. Ista omnia considerans [*Donatista*] si nimium perversus & pertinax esse noluerit, poterit ab omni vel aliena, vel propria seductione liberari. ——— Si aliquid asperè diximus, non ad amaritudinem dissensionis, sed ad correctionem dilectionis valere cognoscat.

Gregorius Homil. 7. *Super Ezechielem.*

X. Magistra veritas ne in quorundam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit tributum dedit. (*Math.* 17.) Et rursum, quia generari scandalum in quorundam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. (*Math.* 15.) Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus, si autem de veritate scandalum sumitur, *utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.*

Idem, in tertia parte curæ Pastoralis, cap. 8.

XI. Aliter admonendi sunt impudentes, atque aliter verecundi. Illos namque ab impudentiæ vitio non nisi *increpatio dura* compescit, istos autem plerunque ad melius exhortatio modesta componit. Illi se delinquere nesciunt, nisi etiam à pluribus increpentur, istis plerumque ad conversionem sufficit quod eis doctor mala sua saltem leniter ad memoriam reducit. *Illos melius corrigit qui invehendo reprahendit*: istis autem

Ut flagellum equo, & capistrum asino convenit: sic virga necessaria est tergo stultorum. Prov. 26. 3.

autem major profectus adducitur, si hoc quod in eis repræhenditur quasi ex latere tangatur. Impudentem quippe Judæorum plebem *Dominus* aperte increpans ait; Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, &c.

Hierem. 3.

Idem ibidem, cap. 9.

XII. Aliter admonendi sunt protervi, atque aliter pusillanimes. Illi enim dum valdè se præsumunt, exprobando cæteros dedignantur: isti autem dum nimis infirmitatis suæ sunt conscii, plerumque in desperationem cadunt. Illi singulariter summa æstimant cuncta quæ agunt, isti vehementer despecta putant esse quæ faciunt, & idcirco in desperatione franguntur. Subtiliter itaque ab arguente discutienda sunt opera protervorum, ut in quo sibi placent, ostendantur quia *Deo* displicent. *tunc enim protervos melius corrigimus, cum ea quæ bene egisse se credunt, male acta monstramus*, ut unde adepta creditur gloria, inde utilis subsequatur confusio.

Sapientior est piger in oculis suis, septem respondentibus consilium. Prov. 26. 16.

Augustinus *serm. 237. De tempore.*

XIII. Quod videris judica, quod non vides *Deo* dimitte: quando autem judicas, dilige homines, oderis vitium. *Noli propter hominem diligere vitium, nec propter vitium odisse hominem.* Homo, proximus est tuus. Vitium inimicum proximo tuo. Tunc amas amicum, si oderis quod nocet amico. ——— ——— vis ut sim inimicus inimici tui? inimicus esse debeo vitii tui. ——— *Medicus non amat ægrotantem, si non odit ægritudinem.* Ut liberet ægrotum, persequitur febrem: nolite amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos vestros.

Charitas non gaudet de injustitia, congaudet autem veritati. 1 Corinth. 13. 6.

Gregorius *lib. 4. Epist. ex Registro cap. 80.*

XIV. Pacem tunc veraciter tenemus, cum superborum culpas, cum charitate simul & justitia insistente persequimur: cum eos diligimus, & eorum vitia odio habemus, opus quippe *Dei* homo est, sed opus hominis vitium. Nos ergo discernamus quid *Deus*, quid autem homo fecerit, & neque propter errorem odio habeamus hominem, neque propter hominem diligamus errorem.

Thomas Aquinas, *in secunda secundæ quæst. 43. Art. 7.*

XV. *Hieronymus* dicit, quod dimittendum est propter scandalum omne quod potest prætermitti, salva triplici veritate, scilicet, Vitæ, Justitiæ, & Doctrinæ.

Idem ibidem.

Cum scandalum activum sit dictum vel factum minus rectum, nihil est cum scandalo activo faciendum. Habet autem locum quæstio, si intelligatur de scandalo passivo, considerandum est ergo quid sit dimittendum, ne alius scandalizetur. Est autem in spiritualibus bonis distinguendum. Nam quædam horum sunt de necessitate salutis, quæ prætermitti non possunt sine peccato mortali, manifestum est autem quod *nullus debet mortaliter peccare ut alterius peccatum impediat*; Quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius: & ideo ea quæ sunt de necessitate salutis non debent prætermitti propter scandalum vitandum. *In his autem spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum*; quia scandalum quod ex iis oritur quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui *volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando.* & hoc est *scandalum Pharisæorum*, qui de doctrina *Domini* scandalizabantur: quod esse contemnendum *Dominus* docet Matth. 15. quandoque verò scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, & hujusmodi est *Scandalum Pusillorum*, propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione, hujusmodi scandalum cesset. *Si autem post redditam rationem hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse.* Et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda. XVI.

Vide Alex. Alens. in Summa Theolog. part. 2. qu. 169. seu ult.

Scandalum Pharisæorum.

Scandalum Pusillorum.

Quando transeat in malitiosum.

Idem ibidem.

Est de necessitate salutis, ut contrarium veritati non doceat, sed veritatem secundum congruentiam temporis, & personarum proponat ille, cui incumbit docendi officium. Et ideo *propter nullum scandalum quod sequi videatur, debet homo, prætermissa veritate, falsitatem docere.* XVII.

Idem ibidem.

Dicendum, quod in veritate vitæ, doctrinæ, & justitiæ, non solum comprehenditur id, quod est de necessitate salutis, sed etiam id per quod perfectius venitur ad salutem. XVIII

Idem eademque stione, art. 8.

Aliquando scandalum nascitur ex malitia: quod est scandalum Pharisæorum. Et XIX.

propter

propter eos qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda: quia hoc & noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio; & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent.

Joannes Calvinus, *lib.* 3. *Institut. Cap.* 19. §. 10.

XX. Fratrum infirmitatem sic sustineri à nobis decet, ne quid temere admittamus cum eorum offendiculo. Verum interdum quoque *interest, coram hominibus asseri nostram libertatem.*

Idem ibidem, §. 11.

XXI. Scandalum in re aliqua datum dicitur, cujus culpa ab authore rei ipsius profecta est. Scandalum acceptum vocatur, cum *res alioqui non improbe nec importune admissa, malevolentia aut sinistra quadam animi malignitate in offensionis occasionem rapitur.* Non enim hic datum erat scandalum: sed sinistri illi interpretes *sine causa* accipiunt. Priore illo scandali genere non nisi infirmi offenduntur: hoc autem secundo acerba ingenia, & Pharisaica supercilia. Quare alterum vocabimus scandalum infirmorum, alterum Pharisæorum: ac sic libertatis nostræ usum temperabimus, ut fratrum infirmorum ignorantiæ cedere debeat: Pharisæorum auctoritati nequaquam. ——— Pharisæorum autem offensio quanti sit facienda, discimus ex verbis Domini, quibus jubet omitti illos, quia *caeci sunt duces caecorum.* Admonuerant Discipuli, eos sermone ipsius offensos fuisse; Respondet negligendos, *nec curandam esse* eorum offensionem.

Matth. 15.

Idem ibidem, §. 13.

XXII. Quicquid autem de cavendis offendiculis docui, ad res medias, & indifferentes referri volo. Nam quæ necessaria sunt factu, nullius offendiculi timore omittenda sunt. Quemadmodum enim charitati subjicienda est nostra libertas: ita sub fidei puritate subsidere vicissim charitas ipsa debet. Equidem & hic charitatis rationem habere decet, sed usque ad aras: hoc est ne in gratiam proximi Deum offendamus. Non est probanda eorum intemperies qui nihil nisi tumultuando agunt, & qui perrumpere omnia malunt quam dissuere. At nec audiendi sunt qui cum in mille impietatis formas duces se præbent, sic sibi agendum fingunt ne proximis sint offendiculum. Quasi non interim proximorum conscientias in malum ædificent: præsertim ubi nulla spe exitus in eodem semper hærent luto. Et *suaves homines*, seu doctrina, seu vitæ exemplo sit instituendus proximus, aiunt lacte pascendum esse, quem pessimis exitialibusque opinionibus imbuunt.

Ex Concilii Oecumenici *quinti*, *collatione octava.*

XXIII. Apostoli nos admonitiones in corde habentes, quod unusquisque pro se rationem reddet Deo; timentes autem & judicium imminens eis, qui vel unum ex minimis scandalizant, *quanto magis* Imperatorem ita Christianissimum, & populos, & Ecclesias totas?

Hæc dicunt Patres, de obstinatione *Vigilii*, Papæ *Romani*, qui cum tempore illius Concilii esset *Constantinopoli*, eumque & Imperator *Justinianus* monuisset, & Patres Synodici hortati essent, ut Concilio interesset, abnuit, quia trium illorum capitulorum damnationem, propter quam Imperator Concilium convocaverat; non cupiebat *Vigilius*; metuens offensionem multorum Occidentalium, qui illam trium illorum capitulorum damnationem perperam interpretabantur, ac si esset contraria definitioni Synodi *Chalcedonensis*. Istorum fugiens *Vigilius* displicentiam inobsequens fuit justo Principis mandato: neque Patribus Synodicis auscultavit. Quamvis postea deposita pertinacia susceperit decreta Synodica. Idemque fecerunt ejus Successores Episcopi *Romani*, non obstante offensione Schismaticorum, qui non pauci etiam in Occidente, etiam Episcopi & Presbyteri, cum suis plebibus, diu contemnentes illam Synodum ejusque decreta, & se à *Romana* Ecclesia aliarumque Synodum recipientium Ecclesiarum communione propterea segregantes. Donec tandem agnito suo errore justum Synodi judicium agnoverunt; & ad unitatem Catholicam redierunt.

In Concilio Oecumenico *secundo*, *Can.* 6.

XXIV. Hæreticis non liceat Orthodoxos Episcopos pro rebus Ecclesiasticis accusare. Hæreticos dicimus & qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, & qui sunt postea à nobis anathematizati. Ad hæc autem & eos, qui se sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, avulsi autem sunt, & abscissi, & adversus Canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt. ——— Sed si nonnulli nec Hæretici, nec excommunicati fuerint, nec prius damnati, vel aliquorum criminum accusati, dicant autem se habere aliquas adversus Episcopum criminationes; eos jubet Sancta Synodus *primum* quidem apud provinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi, qui aliquarum rerum accusatur. *Quod si* evenerit, ut pro-vin-

Schismatici accusantes Episcopos non sunt audiendi.

vinciales Episcopi crimina quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non possint, *tunc* ipsos accedere ad majorem Synodum diœcesis illius Episcoporum pro hac causa convocatorum, & accusationem non prius intendere, quam æquale periculum sibi statuant, siquidem in rebus examinandis accusatum Episcopum calumniari convicti fuerint. Si quis autem iis, quæ, ut prius declaratum est, decreta sunt, contemptis, ausus fuerit vel imperatoris aures molestia afficere, vel sæcularium principum judicia, vel universalem Synodum perturbare, neglectis diœceseos Episcopis; eum nullo modo esse ad accusationem admittendum, ut qui canonibus injuriam fecerit, & Ecclesiasticum ordinem [τὴν ἐκκλησιαστικὴν εὐταξίαν] everterit.

Non sunt molestia afficienda aures Regia contempto ordine Ecclesiastico.

. Vide *Athanasii* Episcopi Alexandrini Epistolam de Synodis Arimini & Seleuciæ habitis: post medium Epistolæ; ubi ad Arianorum objectionem de scandalo, quod ex vocibus illis Niceni Concilii, [ἐκ τῆς οὐσίας, & ὁμοούσιον, ortum esse aiebant, prolixè respondet. [Tom. 1. operum Athanasii, pag. 908. & 909. in editione Parisiensi Græcolatina, ann. Dom. 1627.] Disseriit etiam de scandalo magnus *Basilius* Cæsariæ Cappadociæ Episcopus, lib. 2. de baptismo, Quæst. 10. & in Regulis brevioribus, ad interrogationem sexagesimam quartam.

CAPUT XXI.

De die Jejunii.

NON quærimus nunc utrum debeant esse stata quædam anniversaria aut hebdomaria Jejunia, vel an solis extraordinariis Jejuniis locus in publica devotione esse debeat: sed quæstio nostra est, Quis dies hebdomadis sit publico Jejunio, sive ordinario, sive extraordinario, convenientior: Dominicus ne, an alius dies: seu quo die Jejunare conveniat.

Status quæstionis.

Hanc & aliquot sequentes quæstiones cogor brevius attingere,

Extremo quia jam sub fine laborum
Vela traho, & terris festim advertere proram.

Summam responsionis ad hanc quæstionem his paucis complectemur Propositionibus.

Prima Propositio: *De jure divino, nec nefas, nec necesse est Jejunare die Dominico.*

Hoc enim lege divina, nec imperatum est, nec prohibitum. *Ego* (inquit *Augustinus*) *in Evangeliis & Apostolicis literis, totoque instrumento quod appellatur Testamentum novum, animo revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Hæc *Augustinus*, Epist. 86. ad Casulanum. Ubi etiam plura invenies huc spectantia.

Vide etiam Hieronymum, in Epist. ad Lucinium, quæ incipit, *Nec opinanti mihi.* Vide & Nicolaum Vedelium, in Exercitatione in Ignatii Epist. ad Philippenses, Cap. 5. Considera Analogiam Festi expiationis in Lege Mosaica, quod per omnes hebdomadis dies erat mobile, servato certo mensis die: Papistæ, videant etiam Bellarminum Lib. 2. De bonis operibus, Cap. 23. §. *Sed illud.*

Secunda Propositio: *Nisi necessitas aliqua cogat die Dominico jejunare, convenientius est ut jejunium alio potius hebdomadis die celebretur.*

Ratio hujus Propositionis, est ea ipsa propter quam observamus diem Dominicum; nempe, quia in memoriam Resurrectionis *Domini* hanc hebdomadariam habemus lætam festivitatem: neque (extra casum necessitatis) convenit *festivitatem spiritualis hujus beatitudinis jejunio impedire*; ut monet Hilarius, in Prologo in explicationem Psalmorum. Ideo Tertullianus, Lib. de Corona militis, Cap. 3. *Die Dominico*, inquit, *jejunium nefas dicimus, vel de geniculis adorare.* (Nempe, illo tempore, contra laudabilem totius Ecclesiæ consuetudinem utrumque nefas; propter contemptum & scandalum: nunc autem utrumque fas: quamvis adoratio de geniculis festivitati diei Dominici minùs inconveniens videatur, quàm jejunium.) Manichæi Hæretici, mortem & resurrectionem Domini negantes, delegerunt diem Dominicum ad jejunandum, in contemptum Catholicorum & Orthodoxæ Fidei: eodem die jejunabant Priscillianistæ Hæretici; eoque vigilantius caverunt Catholici ne jejunarent die Dominico, sed festivitatis lætitia veritatem contra Hæreticos palam, & constanter profiterentur, ut patet ex Augustini Epist. 86. ubi vide plura. Hinc ille canon sexagesimus quartus Concilii Carthaginensis quarti, cui & *Augustinus* interfuit; *Qui Dominico die studiosè jejunat, non credatur Catholicus.* De *Melchiade* Papa Romano autor libri Pontificalis scribit in ejus vita; *Hic constituit, ne ulla ratione die Dominica, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret, quia eos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrant.* Sedebat hic Pontifex *Melchiades*, anno Domini 312. Concilium autem Carthaginense quartum celebratum est anno Domini 398. Propter superbos Ecclesiæ contemptores, Eustathianos, denunciatum est Anathema jejunantibus die *Dominico*: (nempe cum contemptu Ecclesiasticæ εὐταξίας) in Concilio Gangrensi, Can. 18. Quod Concilium circa magni Nicæni primi Concilii Oecumenici tempora celebratum est.

Tertia Propositio: *In publica jejunii observatione agendum est, sicut agit Ecclesia in qua degimus.*

Aliter, per contemptum, facientibus Anathema dictum est in Concilio Gangrensi, Can. 19. tempore *Constantini* Magni Imperatoris. Quod Gangrense decretum repetitum est, anno Domini 813. in Concilio Moguntiaco, Cap. 35. & anno Domini 816. in Concilio Aquisgranensi, Cap. 69. & inserunt Decreto Gratianus 30. Dist. Can. *Si quis eorum.* Huc pertinet illud Ambrosii; *Quando hic sum, non jejuno Sabbato; quando Romæ sum, jejuno Sabbato: & ad quamcunque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis aut facere.* Hæc Ambrosius apud Augustinum, Epist. 86. Ubi Augustinus hæc sua verba subjungit; *Mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est. Quapropter si consilio meo, præsertim quia in hac causa plus forte, quam satis fuit, te petente atque urgente loquutus sum, libenter acquiescis, Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine ullo scrupulo vel disceptatione, sectare.* Hæc Augustinus, Epistola 86. ad Casu-

fulanum. Vide fupra Cap. 2. & Cap. 3. & Cap. 7.

Bafilius Cæfariæ Cappadociæ Epifcopus, in regulis brevioribus, cap. 129. νηςείας καιρὸς, ὃ τὸ θέλημα ἑκάςου, ἀλλ' ἡ χρεία τῶν εἰς θεοσέβειαν ἡκόντων, jejunii idoneum tempus non eft voluntas uniuscujusque, fed ufus eorum quæ pertinent ad cultum Dei.

CAPUT XXII.

De ratione Orationis Dominicæ.

PROPOSITIO prima. *Orationem Dominicam nobis tradidit Dominus, non folùm ut regulam ad quam alias Orationes conciperemus, fed etiam ut Orationem quam precantes diceremus.*

Nam *Dominus* non folùm tradidit canones precandi, fed etiam precationem hanc Canonicam conceptis verbis compofuit, & nobis non folùm imitandam, fed etiam in precibus dicendam eam commendavit, inquiens; *Sic igitur orate vos, Pater nofter*, &c. Matth. 6: 9. (Confer num. 6: 23.) Item, *Quando oratis, dicite, Pater nofter*, &c. Luc. 11: 2. Ecce hanc precationem nos non folùm imitari, fed etiam *dicere* juffit. Utiliffimum infirmitatis noftræ, & non contemnendum fubfidium, perfectumque defectuum precationum noftrarum fupplementum nobis mifericorditer fuppeditans, quo ni etfi non femper neceffe eft, fæpè tamen convenit, & eft valdè tutum, *Domino* verba fuggerente, eorumque ufum commendante. *Quæ enim* (inquit *Cyprianus*) *poteft magis fpiritualis effe oratio, quàm quæ à Chrifto nobis data eft, à quo nobis & Spiritus fanctus miffus eft? Quæ vera apud* Patrem *precatio, quam quæ à* Filio, *qui eft Veritas, de ejus ore prolata eft? Ut aliter orare quam docuit non ignorantia fola fit, fed & culpa, quando ipfe pofuerit, & dixerit, Rejicitis mandatum*
Matth. 15. *Dei, ut traditionem veftram ftatuatis. Oremus itaque fratres dilectiffimi ficut Magifter* Deus *docuit. Amica & familiaris oratio eft* Deum *de fuo rogare: ad aures ejus afcendat* Chrifti orationem. Agnofcat Pater Filii fui verba, *cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipfe fit & in voce. Et cum ipfum habeamus apud Patrem, Advocatum pro peccatis noftris, quando peccatores pro delictis noftris petimus*, Advocati noftri verba promamus. *Nam cum dicat, quia,*
Joan. 16. *quodcunque petieritis à Patre in Nomine meo, dabit vobis:* Quanto efficacius *impetramus quod petimus in* Chrifti *Nomine*, Si petamus ipfius oratione. Hæc Cyprianus, in ferm. de Oratione Dominica. Huc pertinet illud *Cæfarii* Arelatenfis; *Ante omnia, fratres, orationem Dominicam in oratione dicamus: quia fine dubio libenter orationem exaudit, quam ipfe pro ineffabili fua benignitate inftituit.* Hæc *Cæfarius* Epifcopus Arelatenfis, homil. 33. [In Bibl. Patr. tom. 2. Col. 335. edit. 4.] Præfedit Concilio Araufícano fecundo hic *Cæfarius* anno Domini 529.

Secunda Propofitio. *Apoftoli eofque fequuta Catholica Antiquitas precantes ufi funt recitatione Orationis Dominicæ.*

Auguftinus, Epift. 59. quæft. 5. loquens de Orationibus, quæ fiebant in celebratione Cœnæ *Dominicæ*; *Quam totam*, inquit, *petitionem ferè omnis Ecclefia Dominica Oratione concludit.* Hæc ille.

Gregorius, lib. 7. Epift. ex Regift. cap. 63. *Orationem*, inquit, Dominicam *idcirco poft precem dicimus; quia mos Apoftolorum fuit, ut ad ipfam folummodo orationem oblationis hoftiam confecrarent. Et valde mihi inconveniens vifum eft, ut precem quam Scolafticus compofuerat, fuper oblationem diceremus, & ipfam traditionem quam Redemptor nofter compofuit, fuper ejus corpus & fanguinem non diceremus. Sed* Dominica *oratio apud Græcos ab omni populo dicitur; apud nos autem à folo Sacerdote.* Hæc Gregorius, hujus nominis primus, Epifcopus Romanus.

Vide Tertulliani librum de oratione. Et Concil. 4. Toletan. cap. 10.

Tertia Propofitio: *In omnium reformatarum Ecclefiarum liturgiis recitatio orationis Dominicæ fieri jubetur.* Hæc Propofitio ulteriore non eget probatione infpicientibus ipfas liturgias.

Nemo reprehendit quod Pfalmos *Davidicos Deo* decantamus, aut quod folenni illa benedictione, quam partim Aaroni *Deus* per Mofen dictavit, (Numer. cap. 6. verf. 24. &c.) partim Apoftolus Paulus nobis fcriptam reliquit, (2 Cor. 13: 14.) Paftores noftri populo benedicant. Quid admifit in nos *Dominus Jefus*, ut Orationem ab illo compofitam, & nobis ad *dicendum* traditam dicere refugiamus? annon ipfe eft idem ille unicus verus *Deus*, Author Pfalmorum, & benedictionum, & hujus orationis, quam ab Authore Dominicam appellamus? Vide fupra, cap. 13.

CAPUT XXIII.

Occurrendum eft erroribus, eifque renunciandum.

Auguftinus *in Pfal.* 49.

ETSI non facis, & laudas quod fit, aftipulator es facti. I.

Idem ibidem.

Os tuum abundavit malitia, & lingua tua amplexa eft dolofitatem.) Malevolentiam & dolofitatem, fratres, quorundam hominum dicit, qui per adulationem quamvis fciant mala effe quæ audiunt, ne offendant eos à quibus audiunt, non folum non reprehendendo, fed tacendo confentiunt. II.

Idem ibidem.

Præcipitas hominem incautè vitia fua proferentem, & an fint vitia nefcientem, tu qui fcis vitium effe, non dicis corruiffe illum. *Et epift. 86. ad Cafulanum*; Quifquis metu alicujus poteftatis veritatem occultat, iram Dei fuper fe provocat, quia magis timet homines quàm Deum. *Et Serm. 18. de verbis Domini*; Neque ergo confentientes fitis malis ut approbetis, neque negligentes ut non arguatis, neque fuperbientes ut infultanter arguatis. *Et lib. 3. contra Epiftolam Parmeniani, cap. 2.* Perniciosè relinquere & quafi diffimulanter negligere aliena peccata, crudelitatis eft. *Hæc Auguftinus.* III.

Gregorius *lib. 7. Epist. ex Registro, Cap. 6.*

IV. Nam quomodo sine erroris suspicione sit qui patientiam præstat erranti? aut quam de se æstimationem præbeat, si ea quæ fervor fidei postulat, aperta purgari satisfactione non prævidet. ——— qui non corrigit resecanda, committit. *Et homil. 14. in Evangelia*; fugit, qui se sub silentio abscondit. fugit qui tacet cum resistere deberet.

Victor, *Episcopus* Carthaginensis, *in Epistola ad* Theodorum *Papam* Romanum, *quæ extat in Actis Concilii illius* Lateranensis, *quod præside* Martino *primo Papa* Romano, Theodori *immediato successore celebratum est*: anno Dom. 642.

V. A beato Fœlice Apostolicæ vestræ sanctitatis Prædecessore dictum est; Negligere quippe, cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.

Hæc Victor, hortans Theodorum, ut Monothelitis Hæreticis vigilanter resistat, ne culpæ taciturnitatis teneatur obnoxius. Extat hæc Epistola, in Secretario secundo illius Concilii.

Isidorus Hispalensis, *lib. 3. de summo bono, Cap. 42.*

VI. Hæc est in *Dei* Sacerdotibus vera discretio; qua nec per libertatem superbi, nec per humilitatem remissi sunt.

Joannes Calvinus, *lib. Epist. Col. 461.*

VII. Nos consulitis, an adigendi sint ad fidem suam publicè testandam, qui se in Ecclesiam admitti postulant. ——— Non videmus cur grave sit homini, qui inter Ecclesiæ domesticos censeri vult, *Christo* capiti in solidum nomen dare, quod fieri non potest, nisi *diserte subscribat sinceræ pietati, & ingenue errores damnet, quibus sinceritas Religionis corrumpitur. Jam errorum detestatio sæpe ex circumstantia temporum pendet, quia prout novas turbandi rationes excogitat satan, prudenter occurrere necesse est.* Scimus quantopere nobis commendet Paulus unitatem Spiritus in vinculo pacis. Porro ad fovendum & retinendum inter pios consensum, *plus quam necessaria est* illa solennis fidei professio. Denique quicunque optabunt Ecclesiam *Dei* stare incolumem, non ægre ferent, hoc adminiculo eam fulciri. Non putamus esse, qui litem moveant de generali illa professione; sed frigeret illa, nisi *distinctè quisque tam hæreticis, quam perversis dogmatibus renunciet.*

CAPUT XXIV.

Contra juramentum dolosum.

DOLOSITAS *est fraus quædam in verbis, aliud promendi, aliud sentiendi*, inquit Augustinus, in Psalm. 49. mentiri & fidem quandoque negare, docebant Hæretici Helcesaitæ [Euseb. lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap. 31. λή.] & Priscillianistæ [August. lib. contra mendacium, ad Consentium, cap. 11.] quorum erat illud axioma, *Vide Instruct. Historico-theolog. lib. 3. cap. 20. §. 37 & §. 38. & lib. 4. cap. 9.*

Jura, perjura, secretum prodere noli;

teste Augustino, in libro de Hæresibus ad *Quodvultdeum.* Hæres. 70.

Juramentum (inquiunt) non est vinculum iniquitatis, propterea non obligat juramentum ad faciendum rem malam, quam te facturum jurasti.

Respondeo: Hoc quidem verum est, sicut docuimus supra, lib. 1. cap. 9. §. 2. At æque verum est illum sumere *Dei* nomen in vanum, quicunque jurat se facturum rem illicitam, aut etiam rem quamcunque quam non intendit exsequi: vel qui assertoriè jurat aliquid esse verum, quod non certò scit esse verum. Regula enim juramenti liciti est, ut juremus *in veritate, in judicio, & in justitia:* Hierem. 4:2. Quicunque igitur vel assertoriè jurat quod verum non est, aut quod ipse non certò scit & firmiter credit esse verum, vel promissoriè jurat aliquid in se injustum, aut quod non intendit facere; ille sumit Nomen *Dei* in vanum, adeoque perjurus est, vel incauto, vel injusto, vel doloso perjurio.

Lubet hic uti verbis Augustini; *Sunt*, inquit, *in eis docti, qui etiam regulas figant finesque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes Lachrimarum? Et quid faciemus? Quo ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?* Hæc Augustinus lib. contra mendacium, cap. 18.

Si iniquitas est promittere, ne promittant: sed apertè profiteantur neque promittere se posse sine peccato, neque præstare quod promiserint. *Nefas est*, inquit Lactantius, *eum qui veritati studeat, in aliqua re esse fallacem, atque ab ipsa, quam sequitur, veritate discedere. In hac justitiæ virtutumque omnium via, nullus mendacio locus est. Itaque viator ille verus, ac justus non dicet illud Lucilianum;*

Homini amico, ac familiari non est mentiri meum: sed etiam inimico, atque ignoto existimabit non esse mentiri suum. Nec aliquando committet, ut lingua interpres animi, à sensu, & cogitatione discordet. Hæc Lactantius, lib. 6. divinarum institutionum, qui est de vero cultu, cap. 18.

CA-

Caput XXV.

De Synodorum utilitate & necessitate.

In Canonibus, qui Apostolorum dicuntur Canon. 36.

I. Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, & inter se examinent decreta Religionis, & incidentes Ecclesiasticas controversias componant.

In Concil. Nican. 1. *can.* 5.

II. Placuit, annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones.

Concil. Antioch. can. 20.

III. Propter usus Ecclesiasticos & pro componendis controversiis, rectè habere visum est, ut Synodi Episcoporum in unaquaque provincia fiant bis in anno.

IV. Idem, decretum est in Concilio *Chalcedonensi*, can. 19. ut scil. bis in anno Episcopi cujusque Provinciæ in unum locum, qui à Metropolitano designatus fuerit, Synodicè conveniant. Et ea quæ in doctrina aliisve negotiis Ecclesiasticis correctione indigent, corrigant. Quicunque verò non advenerint Episcopi, residentes autem in suis civitatibus, & quidem, si in sua incolumitate consistunt, omnique inevitabili [ἀπαραιτήτῳ] & necessaria occupatione liberi sunt, eos decernit Synodus *Chalcedonensis* fraternè corripiendos. Vide *Gratian.* 18. Dist.

In Concilio Arelatensi secundo (quod celebratum est vergente quarto seculo) can. 19.

V. Si quis adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam dissolvatur Concilium, crediderit deserendum, alienum se à fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat nisi in sequenti Synodo fuerit absolutus.

In Concilio Carthag. 4. *can.* 21.

VI. Ut Episcopus ad Synodum ire non sine satis gravi necessitate inhibeatur: sic tamen, ut in sua persona legatum mittat, suscepturus, salva fidei veritate, quicquid Synodus statuerit.

In Concil. Carthag. 5. *can.* 10.

VII. Placuit, ut quotiescunque congregandum est concilium, Episcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, neque alia graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant, &c.

Postea in Concilio Agathensi, can. 71. sive ult. Anno *Domini* 506. & in Concilio Toletano 4. can. 3. Anno *Domini* 633. (cujus verba inferius exhibebo.) & in quinisexta Synodo, can. 8. Anno *Dom.* 692. statutum est, ut quoniam in quibusdam Regionibus duæ Synodi quotannis haberi commodè non possunt, una saltem singulis annis in unaquaque Provincia habeatur. VIII.

Necessitatem verò, & utilitatem Synodorum luculenter declararunt Patres *Constantinopolitani*, in Concilio œcumenico quinto: & Patres *Toletani*, in Concilio illo *Toletano* quarto: utriusque Concilii verba subjiciam.

In quinta Synodo œcumenica, quæ Constantinopoli celebrata est Anno Domini 553. *in collat.* 8. *in præfatione sententiæ Synodicæ, sic loquuntur illi* 165. *Patres.*

Licet sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt. Unde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes. —— Sed & sancti Patres qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, communiter de exortis hæresibus & quæstionibus disposuerunt, certò constituto, quod in communibus disceptationibus cum proponuntur quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cum unusquisque proximi adjutorio indiget, sicut in Proverbiis dicit Salomon, Frater fratri adjutorium præstans exaltabitur sicut civitas munita, valet verò, sicut regnum fundatum. Et iterum in Ecclesiaste dicit, Potiores duo quam unus, quibus est merces bona in labore ipsorum. Sed etiam ipse Dominus dicit, Amen dico vobis, si duo ex vobis convenerint super terram, de omni re quamcunque petierint, continget illis à Patre meo qui in cœlis est. Ubicunque enim fuerint duo aut tres collecti in Nomine meo, ego cum eis sum in medio ipsorum. IX.

In Concilio Toletano quarto, (*quod celebratum est Anno Dom.* 633.) *Can.* 3.

X. Nulla pæne res diſciplinæ mores ab Eccleſia *Chriſti* magis depulit, quam Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Eccleſiaſticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis univerſaliter definitum eſt, ut, quia juxta antiqua Patrum decreta, bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non ſinit, ſaltem vel ſemel à nobis celebretur. Ita tamen, ut ſi cauſa fidei eſt, aut quælibet alia Eccleſiæ communis, generalis totius Hiſpaniæ & Galliæ Synodus convocetur: ſi verò nec de fide, nec de communi Eccleſiæ utilitate tractabitur, ſpeciale erit Concilium uniuſcujusque provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit peragendum.

CONCLUSIO HUJUS IRENICI.

Hortatio Apoſtolica.

1 Corinth. 1: verſ. 10.

Hortor autem vos, Fratres, per Nomen *Domini* noſtri *Jeſu Chriſti*, ut idem loquamini omnes, & non ſint inter vos ſchiſmata, ſed ſitis coagmentati in eadem mente, & in eadem ſententia.

Precatio Apoſtolica.

Rom. 15: verſ. 5, 6.

Deus autem patientiæ & conſolationis, det vobis ut eodem animo inter vos mutuò affecti ſitis ſecundum *Chriſtum Jeſum*. Ut concorditer uno ore glorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Δοξολογία Apoſtolica.

Epheſ. 3: verſ. 20, 21.

Ei verò, qui poteſt infinita cum redundantia facere omnia ſuper ea, quæ petimus, aut mente concipimus, pro vi illa agente in nobis, ſit gloria in Eccleſia, per Chriſtum Jeſum, in omnes ætates ſeculi ſeculorum: Amen.

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
quæ in
THEOLOGIA MORALI,
vel uberius explicantur, vel vindicantur, vel illustrantur.

Numerus primus *librum* notat; B, C, D, *Libri partem alteram, tertiam, quartam*; tertius *sectionem* sive §.

VI.

TESTAMENTI NOVI.

II. AD

II. Ad CORINTHIOS.

Ad GALATAS.

Ad EPHESIOS.

Ad PHILIPPENSES.

Ad COLOSSENSES.

I. Ad THESSAL.

II. THESSAL.

I. Ad TIMOTHEUM.

II. Ad TIMOTHEUM.

Ad TITUM.

Ad HEBRÆOS.

JACOBI.

I. PETRI.

INDEX

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM

IN

THEOLOGIA MORALI.

Numerus primus *librum* notat; B, C, D, *Libri partem alteram, tertiam, quartam;* secundus *caput;* tertius *sectionem* sive §.

A.

B.

Bel-

INDEX RERUM.

Ttt Da-

E.

Episco-

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

INDEX RERUM.

N.

O.

Pec-

INDEX RERUM.

P.

Pon-

Q.

R.

Si-

T.

FINIS.

JOH. FORBESII à CORSE

LIBER

DE CURA ET RESIDENTIA PASTORALI.

In Librum

DE CURA ET RESIDENTIA PASTORALI

PRÆFATIO AUTORIS.

Scripta Arnhemii ad Rhenum in Geldria, 3. Aprilis, anno Dominicæ incarnationis 1646.



Nte annos viginti & quod excurrit, cum beatus Christi servus, pater meus, *Patricius Forbesius à Corse*, Episcopus tunc Aberdonensis, nimis crebram aut justo diuturniorem Pastorum quorundam ab assignatis stationibus absentiam, cum non exiguo gregis detrimento conjunctam, cerneret gemens, & graviter deploraret; effecit ut in Academia Aberdonensi, ubi S. Theologiam publicè profitebat, de *Curâ* & *Residentiâ* pastorali, palam, pro muneris mei ratione, disserterem. Id quod auditoribus & Symmystis nostris, eo gratius acceptiusque accidit, quod justum aliquem hâc de re tractatum facilius desiderarent, quam invenirent. Eorum autem judicio, qui dissertationem hanc publici juris fieri jampridem cupiebant, haud inutilem Christi Ecclesiæ futuram dictitantes, & officii lege permotus, libro huic in apertum prodeundi libertatem concessi. Quem ut benignis Lector oculis intueatur, enixè rogo; nec in deterius rapiat, quod refutato alicubi quorundam veterum Catholicorum manifesto errore, & laudatis interdum recentiorum Pontificum & Conciliorum, quamvis alioqui multiplici errorum cœno contaminatorum, quibusdam commodè dictis; verum a falso sine personarum acceptione discreverim. Peto etiam majorem in modum, ut ad ista legenda seposiris affectibus æquo accedatur animo; qui non protinus offendatur, si aliqua occurrant, quæ cum eâ opinione quam prius imbiberit, vel cum eorum, quibuscum degit, consuetudine non ita per omnia conveniant. Fas uti verbis illis Cypriani, *Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum, —— non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus & collegis nostris utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus.* Plura in hanc sententiam ex Cypriano & Augustino & Gregorio adfert Gratianus: & latissimè patet hæc veritas, estque adeo in promptu ut disputatione non egeat. *Ep. 71. ad Quintum.*

Hæc autem de *Pastorali Cura & Residentia* literis mandavi, non ut alicui præjudicatem, quo minus, si quid rectius invenerit, id sequatur: sed ut, quæ de officio in primis necessario sedulâ indagine veritatem investiganti nequaquam prætermittenda esse nec facile contemni posse videbantur, ea fratribus, pro creditâ mihi dispensatione, fideliter communicarem. Boni igitur consulat Lector hunc meum laborem, & me suis precibus adjuvet.

INDEX CAPITUM.

JOH.

JOH. FORBESII à CORSE

LIBER

DE CURA ET RESIDENTIA PASTORALI.

CAPUT I.

Utrum licita sit necne ordinatio sine titulo, seu sine certâ curâ?

§. 1. Dicere instituenti de Pastorum Ecclesiasticorum curâ & residentiâ ad suos titulos, seu constanti præsentiâ cum gregibus curæ suæ commissis, offerunt se in ipso dissertationis vestibulo tres quæstiones in antecessum absolvendæ; quarum prima est: *Utrum licita sit necne ordinatio sine titulo, seu sine certâ curâ?* secunda, *Utrum uni homini liceat, necne, plures simul habere titulos?* 3. *Utrum licita sit mutatio titulorum, seu transmigratio a titulo ad titulum.*

§. 2. Quando quæritur de ordinatione ad titulum, vel sine titulo, Canonistæ, per *titulum*, intelligunt beneficium Ecclesiasticum, vel stipendium idoneum ac sufficiens unde honeste alatur is, qui ordinatur. Et statutum est, jure Pontificio, ut nullus ordinetur sine titulo, id est, sine idoneo beneficio, aut stipendio Clericali. Si autem quisquam ordinatus sit sine titulo, jubetur ordinator, ejusque successor, tam diu subministrare ordinato necessaria vitæ, donec in aliquâ Ecclesia ei conveniens beneficium aut stipendium assignetur. Additur tamen exceptio, nisi, scilicet, talis ordinatus habeat de suo unde vivere possit: talis enim intelligitur ordinari ad titulum sui patrimonii, & gaudet privilegio Clericali, fitque de foro Ecclesiæ, licet non habeat Ecclesiam. *Extra.* De Præbendis & dignitatibus. c. 2. *Non liceat.* & cap. 4. *Episcopus.* & cap. 16. *Cum secundum Apostolum.*

§. 3. Agnoscimus æquum esse ut Ministri Evangelii percipiant de Evangelio unde vivant, *dignumque esse operarium nutrimento suo:* uti nos docent sacræ literæ, *Matth.* 10. 10. *Luc.* 10. 17. 1 *Cor.* 9. 14. At ridiculum videtur esse, quod ajunt, quenquam ordinari in titulum sui patrimonii; nam suum patrimonium jam ante possidebat, & postea etiam possidet titulo proprietatis hæreditario: neque illud unquam possidet titulo Ecclesiastico, nisi renunciet titulo hæreditario, remque suam in perpetuum addicat Ecclesiæ. Qui autem sibi suisque retinet rei suæ proprietatem, si in Clericum ordinetur, neque novum aliquem reditum percipiat, ille non accipit stipendium; sed officium sine stipendio, quocirca si dicendus sit ordinatus ad aliquem titulum, videtur tituli vocabulo intelligi officium.

§. 4. Nunc non quærimus, an expediat quandoque gratis prædicare Evangelium; neque an æquum sit, ut qui prædicant Evangelium, vivant de Evangelio? Utrumque affirmamus cum Apostolo 1 *Cor.* 9. 12, 13. 14. Sed nos *Tituli* vocabulo (quando quærimus, Num licita sit ordinatio sine titulo?) intelligimus *certam curam Ecclesiasticam & obligationem spiritualem*, sive is, cui ea cura & obligatio incumbit, se sustentet de suo, sive alatur ab Ecclesiâ; loquimur enim de officio, non beneficio. Neque enim dissertatio nostra futura est de residentia ad locum beneficii, sed de residentiâ ad locum officii. Necessitatem operis agnoscit Apostolus, ex eo *quod ipsi credita sit dispensatio*, οἰκονομίαν πεπίστευμαι. 1 Cor. 9. 16, 17. *Si quis appetit Episcopatum, bonum opus appetit.* 1 Tim. 3. 1. Quæ verba explicans Hieronymus, *opus*, inquit, *non dignitatem; laborem, non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat* fastigio. Hæc *Hieronymus*, Epist. ad *Oceanum de unius uxoris viro*, quæ incipit, *Nunquam, fili Oceane*. Eadem etiam Apostoli verba exponens Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali, cap. 4. *Hoc est*, inquit, *si Episcopus esse desideras, magnum est quod esse cupis, sed si & opus bonum simul amplectaris: nam si aliter esse cupis, Episcopus esse non potes.* Hæc *Ambrosius.*

§. 5. Insunt autem in officio Ecclesiastico hæc duo, 1. Potestas officii, sive ipse ordo aut gradus. 2. Determinatio exercitii sive statio. Vel, Domini potius verbis utentes, dicemus communem omnibus ejusdem ordinis & generalem esse τὴν ἐξουσίαν, *potestatem*; proprium vero unicuique esse *opus suum*, τῷ ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ. *Marc.* 13. 34. Quemadmodum in exercitu seculari, multi milites ejusdem potestatis, seu gradus, & ordinis, diversas sortiuntur stationes ad vitandam confusionem, ne conturbatis ordinibus alii aliis sint impedimento, & opportuna hosti præda fiant, sic etiam in Ecclesiasticâ hâc & spirituali militiâ imprimis vitanda confusio est, & diligenter instruenda acies, disponendi ordines, ac distribuendæ stationes, adversus exercitatissimos, versutissimos, in omnem circumquaque occasionem intentissimos & expeditissimos hostes. Olim tempore *Innocentii* I. Papæ Romani, qui in sede Episcopali Romanâ collocatus est anno Dom. 402. tituli in urbe Româ dicebantur Ecclesiæ, quæ Presbyteris distributim assignabantur, ut ibi plebes sibi creditas pascerent. *De fermento*, inquit *Innocentius*, *quod die Dominicâ per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, ideirco * fermentum a nobis confectum per Acoluthos accipiunt, ut se a nostrâ communione maxime illâ die non judicent separatos.* Hæc *Innocentius* primus, Papa Rom. Epist. 1. ad *Decentium*

* *De fermento isto vide Instr. Historico-Theol. l.* 11. *c.* 17. §. 16. *&* §. 18.

tium Episcopum Lugubinum cap. 5. Auctor etiam libri Pontificalis, *Anastasius* Bibliothecarius, in vitâ ejusdem Innocentii commemorat, illustrem quandam fœminam *Vestinam*, testamenti sui paginam sic ordinavisse, *ut Basilica sanctorum Martyrum* Gervasii & Protasii *ex ornamentis & margaritis, venditis justis existimationibus construeretur*: & (inquit *Anastasius*) *constructa est usque ad perfectum: in quo loco beatissimus* INNOCENTIUS *ex delegatione illustris fœminæ Vestinæ*, titulum *Romanum constituit*. Hæc *Anastasius*; & subdit ibidem addita esse sacra vasa & ad ornatum baptisterii, cervum fundentem aquam, item possessiones ac reditus domui illi attributos. Ab hoc sensu non dissentit nostra acceptio hujus vocabuli, quando certam pastoralem stationem, cum obligatione ad opus pastorale in illâ statione, appellamus titulum: & hoc

Tituli Cardinales apud Gallos. etiam sensu accipiendi sunt illi, apud Gallos, *Tituli Cardinales*, de quibus in Concilio *Meldensi* facta est hæc constitutio; *ut* Titulos Cardinales, *in urbibus vel suburbibus constitutos, Episcopi canonice & honeste sine retractatione ordinent ac disponant*. Verba sunt 54. cap. Concilii *Meldensis*, quod in Galliâ celebratum est an. Domini 845. [Tom. 6. Conc. p. 409. Edit. Parif. an. 1636.]

Vide cap. 4. §. 5. & c. 5. §. 11. & c. 6. §. 2.

§. 6. Sensus igitur propositæ quæstionis de ordinatione sine titulo, hic est; *Utrum liceat conferre alicui ordinem (præsertim pastoralem, idest, Presbyteralem vel Episcopalem) sine assignatione certæ stationis & certi operis?* Ad quam quæstionem respondeo, ubi regulis vivitur ordinariis, est communi consonum rationi, & de jure divino & Ecclesiastico necessarium, ut ordo sine certo opere, sine certâ statione non conferatur, sed ut hæc duo pari passu se invicem comitentur: In Ecclesiâ constitutâ & confirmatâ statio aliqua est necessaria de jure divino, licet Ecclesiis relicta sit libera potestas designandi hanc vel illam stationem. Ordo quidem ipse, sive ἐξουσία absolute competit ordinato, adeo ut Minister Evangelii ubicunque sit maneat Minister Evangelii quoad ordinem & potestatem; at peculiaris est unicuique sua statio & opus proprium; neque quilibet Pastor Ecclesiasticus est cujuslibet Ecclesiæ Pastor proprius; neque eam habet libertatem & jus administrationis & jus exercitii erga quamlibet Ecclesiam, quam habet cujuslibet particularis Ecclesiæ Pastor proprius, erga eandem Ecclesiam cujus proprius Pastor est.

§. 7. Necessariam autem esse unicuique, qui ordinatur, peculiarem stationem, & obligationem, adeoque peculiariter incumbere unicuique opus proprium, ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ, sic ostendo; Deus jubet in suâ domo *omnia fieri decenter & ordine*. *1 Cor. 14. 40. Eo quod non *sit dissensionis Deus, sed pacis:* ibidem *v.* 33. quo argumento etiam *spiritus Prophetarum subjectos jubet esse Prophetis*. v. 32. Ordo autem & decorum & pacis ratio postulant, ut distinctæ sint stationes, & sua unicuique nota sit statio. Ideirco olim in castra-metatione & itinere & ministeriis Israelitarum suus cuique tribui locus & ordo assignatus est, & sua sacerdotibus data statio, eisque & reliquis Levitarum ordinibus sigillatim peculiares stationes & ministeria distincta, & discriminatæ vices traditæ sunt, *Num. cap.* 2. & 3. & 4. & 1 *Paral. cap.* 23. & 24. & 25. & 26. Dominus noster Jesus Christus septuaginta discipulos mittit binos & binos in civitates ad quas venturus erat. *Luc.* 10. 1. Et quamvis Apostolis communem omnium gentium, totius mundi, & omnis creaturæ demandasset curam, *Matth.* 28. 19. &

* Vide Instr. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 3. §. 29.

Marc. 16. 15. commorari tamen jussit Hierosolymis donec induerentur virtute ex alto. *Luc.* 24. 49. Postea que illapsi Spiritus sancti immediato ductu & dictamine, non solum communi & collegiali operâ *Hierosolymis* numerosam Ecclesiam constituerunt, sed ad alia loca profecturi provincias partiti sunt, & distinctos acceperunt canones, *Gal.* 2. 7, 8, 9. 2 *Cor.* 10. 13, 15, 16. & residebant aut migrabant non humano arbitratu, sed Spiritu sancto dictante & ducente acti illi sancti homines Dei. *Act.* 8. 1, 14, 15. & *cap.* 10. 20. & *cap.* 13. 2. & *cap.* 16. 6, 7, 8, 9, 10. & *cap.* 18. 6, 9, 10, 11. & *cap.* 19. 21. & *cap.* 20. 22. Quod Prophetas attinet illius temporis & Evangelistas, illis exercitia determinabantur; partim immediato Spiritus sancti dictamine. *Act.* 18. 29. partim autem autoritate Apostolorum ex immediatâ revelatione loquentium. *Act.* 11. 22. & 15. 27. Adeo ut nunquam probata fuerit ea in Evangelii Ministris ἀταξία, ut pro muneris exsequutione, & crediti talenti usu, suo quisque relinqueretur arbitrio, neque vel immediatâ revelatione, vel superiorum aut fratrum judicio regeretur, quoad stationem & determinationem exercitii. Quod igitur legimus apud *Rufinum* lib. 1. Hist. Eccl. cap. 9. *Apostolos tandem partitos esse inter se provincias, & unumquemque ejus provinciæ, quam nactus erat, peculiarem curam postea gessisse*, non est existimandum illud a sanctis illis Dei viris humanâ voluntate factum esse, sed divino instinctu. Neque tamen per illam peculiarem determinationem exercitii, quicquam decedebat universali potestati officii Apostolici: sed tantummodo ostendere volebant necessitatem ordinis & decori in domo Dei, stationumque decenter distinctarum.

In Ministrorum autem ordinariorum, i. e. Pastorum & Doctorum ordinationibus, eorumque designandis stationibus, id ipsum clarissime ostendunt Apostoli, ordinantes Presbyteros *oppidatim κατὰ πόλιν. Tit.* 1. 5. *in singulis Ecclesiis κατ' ἐκκλησίαν. Act.* 14. 23. Stationem simul cum ordine tribuentes. Unde Apostolus *Paulus* monet Presbyteros Ecclesiæ *Ephesinæ*, ut attendant sibiipsis & toti illi gregi in quo eos Spiritus sanctus constituit Episcopos. *Actor.* 20. 28. Ubi clarissime cernere est, non solum ordinem esse de jure divino, sed etiam distinctionis & diversitatis stationum auctorem esse Spiritum sanctum, & per consequens per hominem non divellenda ista duo quæ Deus conjunxit. Et *Petrus* Apostolus, Presbyteros, ait, qui in vobis sunt, hortor —— *pascite gregem qui apud vos est*, ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ: 1 *Pet.* 5. 2. Quæ ostendunt commendari Pastoribus certam curam certi gregis. §. 8.

Ita tamen se unusquisque Pastor cogitet obligatum esse ad specialem curam gregis illius cui specialiter præfectus est, ut non sit immemor obligationis illius communis & socialis ministerii omnibus incumbentis. Apud *Cyprianum* epist. 30. seu * lib. 5. ep. 13. (quæ est Presbyterorum & Diaconorum Romæ consistentium ad *Cyprianum*) scribit Clerus Romanus, *omnes enim nos decet, pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare*. Et * Ep. 67. seu lib. 3. ep. 13. (quæ est ipsius *Cypriani*, ad *Stephanum* Episcopum Romanum) ait *Cyprianus: idcirco enim, frater charissime, copiosum corpus est sacerdotum, concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresin facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentaverit, subveniant cæteri, & quasi* §. 9.

* [Edit. Oxon. Ep. 36. ad an. 250.]

* [Ep. 68. ad an. 254. Ed. Oxon.]

si Pastores utiles & misericordes oves Dominicas in gregem colligant. —— *Nam etsi Pastores multi sumus, unicam tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus sanguine suo & passione quæsivit, colligere & fovere debemus, nec pati supplices & dolentes fratres nostros crudeliter despici & superbâ quorundam præsumptione calcari.* —— *Ex quibus cum* Martianus [EPISCOPUS ARELATENSIS] *esse cœperit, & se* NOVATIANO *conjungens, adversarius misericordiæ & pietatis extiterit; sententiam non dicat, sed accipiat, nec sic agat quasi ipse judicaverit de collegio sacerdotum, quando ipse sit ab universis sacerdos judicatus.*

[Edit. Oxon. ut supra.] Hæc *Cyprianus* Ep. 67. seu lib. 3. ep. 13. Hinc etiam pater doctrinam de certâ uniuscujusque statione, & peculiari opere non repugnare debitæ curæ atque industriæ, quæ pro conversione infidelium & barbararum gentium gerenda atque adhibenda est. Certe quilibet Christianus tenetur proximum admonere, quanto magis ad id obligantur publici præcones Evangelii patefacto illis ostio? Si igitur vel persecutionis tempestate in regionem infidelium delatus, vel alio modo per Dei providentiam, eo devenerit Pastor aliquis Ecclesiasticus, & ei Deus ostium aperuerit, debet nil oblatâ occasione instruendi illos infideles, & fungi officio tum Christiani hominis, tum etiam Ministri Evangelii. At non poterit illic, inconsultâ Ecclesiâ in quâ est ejus peculiaris statio, diutius hærere, neglecta propria cura, data facultate redeundi. Ecclesiam autem hortari debet ut ad infideles illos & recentia Ecclesiæ primordia mittant idoneos doctores. Si autem jubeat Ecclesia, maneat sane apud illos barbaros aut recens conversos, ita tamen ut gregi illi, cujus antea præfecturam gerebat, prospiciatur de idoneo pastore, & ille interea novellam Ecclesiam apud barbaros collectam pro grege suæ curæ commisso agnoscat: & cum eo alii, quicunque ad prædicandum barbaris illis Evangelium, & ad colligendam ibi Ecclesiam ordinati vel missi fuerint. Ubi tametsi initio laborent communi & collegiali opera ad plantandum & rigandum novam Ecclesiam; constituta tamen illic Ecclesia, constituent etiam distinctas stationes, & opus inter se partientur, exemplo Apostolorum, & virorum Apostolicorum.

§. 10. His autem quæ diximus de necessitate certæ stationis, consonant priscorum Conciliorum Canones, quibus constitutum est, ut intra suos quisque terminos se contineret, neque præscriptos limites transgrederetur.

In primo Oecumenico Concilio *Nicææ* habi-
§. 11. to, Canon 16. conditus est in hæc verba; *Quicunque temere ac periculose* [ῥιψοκινδύνως] *neque timorem Dei præ oculis habentes, neque Ecclesiasticam regulam agnoscentes, discedunt ab Ecclesia* [ἀναχωρήσωσι τῆς ἐκκλησίας] *Presbyteri aut Diaconi, vel quicunque sub regula prorsus existunt;* [ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι] *hi nequaquam recipi debent in alia Ecclesia; sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parœcias revertantur:* [ἀναστρέφειν εἰς τὰς ἑαυτῶν παροικίας] *quod si non fecerint, oportet eos communione privari. Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, & in sua Ecclesia ordinare* [χειροτονῆσαι] *tentaverit, vel ausus fuerit,* [τολμήσειε] *non consentiente proprio Episcopo, a quo discessit is qui regulæ mancipatur;* [ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος] *ordinatio hujusmodi irrita comprobetur.* [ἄκυρος ἔσω ἡ χειροτονία]

§. 12. Constitutum est in secundo Oecumenico Concilio, *Constantinopoli* celebrato, Can. 2. *Ut Episcopi intra suam quisque diœcesim se continentes non egrediantur ad alias diœceses, ad faciendas ordinationes, aliasve dispensationes Ecclesiasticas, non vocati.* [ἄκλητοι.]

In Concilio *Sardicensi* Can. 15. decernitur, §. 13. Concil. Sardic. an. Dom. 347.
Ut si quis Episcopus ex alia parochia velit alienum Ministrum, sine consensu proprii Episcopi, in aliquo gradu constituere, irrita & infirma ejusmodi constitutio existimetur; & ut Episcopi qui hoc sibi permiserint, a fratribus & Coëpiscopis admoneantur & corrigantur.

In secundo *Arelatensi* Concilio Canonis 13. §. 14. Concil. Arelat. 2. Binius refert ad tempus Siricii Papæ Rom. qui Damaso successit, an. Dom. 385.
hæc sunt verba: *Nullus cujuscunque ordinis clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus, quacunque occasione faciente, propriam relinquat Ecclesiam, sed omnimode aut excommunicetur, aut redire cogatur: quod si aliquis commorationis tempore, invito Episcopo suo, in aliena Ecclesia habitans, ab Episcopo loci clericus fuerit ordinatus, hujusmodi ordinatio irrita habeatur.*

In *Carthaginiensi* secundo Concilio, Can. 11. ab universis Episcopis dictum est; *Placet, secundum divinæ legis & sancti Evangelii autoritatem, ut nemo nostrum alienos limites transgrediatur.* §. 15. Concil. Carthag. 2. an. Dom. 424.

Et in Concilio *Carthaginiensi* tertio, Can. 20. *Placuit, ut a nullo Episcopo usurpentur plebes alienæ, nec aliquis Episcoporum supergrediatur in diœcesi suum collegam.* Et Can. 21. *Ut clericum alienum nisi concedente ejus Episcopo, nemo audeat vel retinere vel promovere, in Ecclesia sibi credita. Clericorum autem nomen etiam lectores & psalmistæ & ostiarii retinent.* §. 16. Concil. Carthag. 3. an. Dom. 397. ut supputat Binius, hoc dicens esse tempore secundum.

In quarto Oecumenico Concilio, *Chalcedone* celebrato, Can. 6. diserte prohibentur ordinationes absolutæ, id est, sine certo titulo seu statione. §. 17.
Verba Canonis hæc sunt: Μηδένα δὲ ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν ἐκκλησιαστικῷ τάγματι· εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ, ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο. τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν, καὶ μηδαμοῦ δύνασθαι ἐνεργεῖν, ἐφ' ὕβρει τοῦ χειροτονήσαντος. i. e. *Neminem absolute ordinari debere, neque Presbyterum, neque Diaconum, nec omnino quemquam in ordine Ecclesiastico; nisi specialiter in Ecclesia civitatis, aut pagi, aut in martyrio, aut in monasterio, qui ordinatur pronuncietur. Qui vero absolute ordinantur, decrevit sancta Synodus irritam habere hanc manus impositionem, & nusquam posse eos ministrare, ad probrum ordinantis.* Et in eodem *Chalcedonensi* Concilio Can. 13. peregrinos clericos & lectores in alia civitate, sine commendatitiis literis proprii sui Episcopi, nusquam penitus ministrare debere. [μηδ' ὅλως μηδαμοῦ λειτουργεῖν.]

Ex his patet, non debere quenquam ordinari §. 18.
sine titulo, accipiendo titulum pro certa statione, & certa cura, vel propria, vel saltem collegiali, ut quando uni Ecclesiæ collegialiter præsunt plures Pastores, id quod in populosis Ecclesiis usu venit.

Cuique suum mandavit opus ad sidera Christus Ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ. Marc. 13. 34.
Hinc abiens: non sit Pastor stationis ut expers.

CAPUT II.

Utrum uni homini fas sit plures simul habere titulos Ecclesiasticos?

Contra pluralitatem titulorum Ecclesiasticorum faciunt sequentia testimonia & decreta & rationes. §. 1.

Am-

Amb. 1 Tim. 3. 2. Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali, cap. 4. exponens verba illa Apostoli, *unius uxoris virum*: *Si*, inquit, *ad superficiem tantum literæ respiciamus, prohibet digamum Episcopum ordinari: si vero ad altiorem sensum conscendimus, inhibet Episcopum duas usurpare Ecclesias.* Hæc *Ambrosius*.

§. 2. Conc. Chalced. In Concilio Occumenico Chalcedonensi, Can. 10. decretum est; *Non licere Clericum conscribi in duarum urbium Ecclesiis simul*, [μὴ ἐξεῖναι κληρικὸν ἐν δύο πόλεων καταλέγεσθαι ἐκκλησίαις κατὰ τὸ αὐτὸ] *tum in qua principio ordinatus est, tum in ea ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes restitui debere suæ Ecclesiæ, & ibi tantummodo ministrare. Si vero jam quis translatus est* [μετετέθη] *ex alia in aliam Ecclesiam, eum in nullo communicare debere rebus prioris Ecclesiæ, vel martyriorum quæ sub ea sunt, aut ptochodochiorum, aut Xenodochiorum.* [μηδὲν τοῖς τῆς προτέρας ἐκκλησίας, ἤτοι τῶν ὑπ' αὐτὴν μαρτυρίων, ἢ πτωχείων, ἢ ξενοδοχείων, ἐπικοινωνεῖν πράγμασι] *Eos vero qui ausi fuerint, post definitionem magnæ & universalis hujus Synodi, quicquam ex his quæ nunc sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta Synodus, a proprio gradu excidere.* [ἐκπίπτειν τοῦ οἰκείου βαθμοῦ.]

§. 3. Gregor. *Gregorii* hæc recitat verba *Gratianus*: *Singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis sigillatim committi jubemus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita in Ecclesiæ corpore multa membra sunt, secundum veridicam*

Rom. 12. 4, 5. Pauli *sententiam. In uno eodemque hoc spirituali corpore conferendum est hoc officium uni; alii committendum est illud: neque enim quantumlibet exercitatæ personæ uno tempore duarum rerum officia*

1 Cor. 12. 17. *committenda sunt*, quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? *Sicut enim varietas membrorum, per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum, per diversa nihilominus distributa officia, & fortitudinem & venustatem sanctæ Ecclesiæ Dei manifestat. Et sicut indecorum est in corpore humano, ut alterum membrum alterius fungatur officio; ita nimirum noxium simulque turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.* Dist. 89. Can. *Singula*. Ubi in

Joan. de Tur. crem. margine glossæ habetur hæc annotatio *Joannis* de Turre cremata. *Quod habere plura beneficia in Ecclesia, non solum est illicitum ex jure positivo, sed est absolute malum & illicitum; cum dicat* GREGORIUS, *quod sit noxium Ecclesiæ & turpissimum.* Hæc *Joan. de Tur. crem.*

§. 4. Concil. Tolet. Citat etiam *Gratianus*, ex Concilio *Toletano* hæc verba; *Sed & hoc necessarium instituere duximus, ut plures Ecclesiæ uni nequaquam committantur Presbytero, quia solus per totas Ecclesias nec officium valet persolvere, nec rebus earum necessariam curam impendere.* Cauf. 10. qu. 3. Can. *Unio. §. Sed & hoc.*

§. 5. Concil. Paris. In Concilio *Parisiensi*, (quod sub *Ludovico* Pio, ejusque filio *Lothario*, Imperatoribus, celebratum est An. Dom. 829.) cap. 49. *Sicut unicuique civitati convenit proprium habere Episcopum, ita & unamquamque basilicam Deo dicatam decet & oportet proprium habere Presbyterum. Avaritia sane, quæ est idolorum servitus, quod non sine magno pudore prosequimur, quosdam invasit Presbyteros, suisque retinaculis, adeo vinxit, captivosque effecit, ut instar cæcorum effecti, nesciant quo eant, nesciantque quid esse, vel quid agere debeant. Hi namque ignibus avaritiæ æstuantes, sacerdotalisque dignitatis immemores, curamque basilicarum, in quibus promoti sunt, postponentes, datis quibusdam Xeniis aut pollicitis non solum a clericis, verum etiam a laicis, alias basilicas, contra fas, ad Christi famulatum peragendum suscipiunt: Utrum consultis, an inconsultis Episcopis id faciant, necne, ignoratur. Si consultis id faciunt, eorum transgressioni iidem Episcopi proculdubio communicant; si vero eis inconsultis id facere præsumunt, nihilominus Episcoporum negligentiæ id adscribendum est. Vix enim quisquam Presbyterorum in basilica, in qua divinæ servitutis mancipatus est, digne atque strenue militare invenitur; quanto minus id in duabus aut tribus aut eo amplius basilicis, digne exsequi valet? In quo facto & religio Christiana negligitur, & sacerdotalis ordo confunditur, immo avaritia sacerdotum a subditis denotatur, locaque Deo dicata cultu sibi debito privantur, & animarum pericula generantur. Quod ne ulterius unusquisque Episcoporum in parochia sua fieri sinat, omnes in commune statuimus, decernentes ut singulæ basilicæ, plebes & res, quibus consistere possint, habentes, singulos habeant Presbyteros. Si vero plebes habuerint, & rebus quibus consistere possint caruerint, in arbitrio Episcoporum pendet, utrum ita consistere debeant, aut possint, necne. Hoc tamen specialiter eorum solertiæ providendum est, ut hac occasione nullus Presbyter duas aut tres avaritiæ causa, quibus sufficere secundum divinum cultum nullatenus possit, habere audeat basilicas.* Hactenus Concilium illud *Parisiense*, cap. 49.

Concilii secundi *Niceni*, quod *Romanenses* §. 6.
septimum Oecumenicum vocant, Canone deci- Concil.
mo quinto; *Clericus ab hoc deinceps tempore non* Nic. 2.
connumeretur in duabus Ecclesiis. [μὴ καταταττέσθω ἐν δυσὶν ἐκκλησίαις] *Negotiationis enim hoc est & turpis lucri proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine alienum. —— Et hæc quidem in hac a Deo custodita urbe: Cæterum in regiunculis quæ foris sunt, propter inopiam hominum, permittatur.* [ἐν δὲ τοῖς ἔξω χωρίοις, διὰ τὴν ἔλλειψιν τῶν ἀνθρώπων, παραχωρείσθω.]

Etsi Synodum istam, propter ejus Iconomaniam, merito rejicimus, & eum *Francofurtensibus* Patribus eam Pseudosynodis accensemus; non tamen repudianda ducimus etiam quæ ab hæreticis recte dicta sunt. Quamvis in Concilio illo latrocinali, *Ephesino* secundo, iniquissime damnati sint *Flavianus* & *Eusebius*, & *Theodoretus* absens, nec adesse jussus, imo abesse jussus; & *Ibas*, propter absentiam, cum adesse nequiret, jam ante relegatus, procurante *Eutyche*, ne Synodo adesset, ut refert *Liberatus* Archidiaconus Carthaginiensis in suo Breviario causæ Nestorianorum & Eutychianorum, cap. 12. non immerito tamen ibidem damnata sunt illa quæ scripsit *Theodoretus* contra duodecim anathemata *Cyrilli*, & Epistola *Ibæ* ad *Marim*, ut commemorat idem *Liberatus*, eodem capite. Nam eadem *Ibæ* & *Theodoreti* scripta aliena esse ab orthodoxa fide pronunciavit quinta Synodus Oecumenica. *Augustinus* recipit, aliisque commendat regulas scriptas a *Ticonio* Donatista, quamvis ejus hæresin non recipiat, & propter hæresin etiam caute legendum esse moneat illum regularum librum a *Ticonio* conscriptum. Aug. lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 30. Atque hanc responsionem a nobis etiam ille habeat, si cui fortasse displiceat, quod in hoc opere utamur etiam recentiorum Pontificum & Conciliorum testimoniis.

§. 7. *Quæ recta sunt, non debent rejici propterea quod ab hæreticis dicta sint.*

Quod autem dicitur contra pluralitatem Ecclesiarum, idipsum constitutum est etiam de duobus monasteriis, ne simul ambobus præsideat unus Abbas. In Concilio *Agathensi*, Can. 57. & Conc. *Tolet.* 17. Can. 10. quod repetit *Innocentius* III. Papa Rom. in Concilio *Lateran.* cap. 13. adjiciens, §. 8.

Concil. Agath. an. Dom. 506.

An. Dom. 694. Conc. Lateran. An. Dom. 1215. sub Innocentio 3. Gregor. I. Papa Rom.

ciens, *ne quis in diversis monasteriis locum monachi habeat.* Item de monasterio & Ecclesia simul; juxta illud *Gregorii* I. Papæ Rom. ad *Maximianum* Syracusanum Episcopum, lib. 3. ex registro, ep. 11. *Presbyteros, Diaconos, cæterosque cujuslibet ordinis qui Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates per monasteria esse non permittas: sed aut admissa clericatus militia, monasticis non promoveantur ordinibus; aut si in Abbatis loco permanere decreverint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si, cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus: sicque invicem & ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, & ecclesiasticis utilitatibus regula monachatus impedimento sit.* Ista *Gregorii* verba inseruit *Gratianus* Decreto, caus. 16. qu. 1. *Presbyteros.* Idem etiam *Gregorius* scribens *Marinianο* Episcopo *Ravennæ*, lib. 6. ep. 204. *Sed*, inquit, *ne pro cujuslibet aut Abbatis promotione, aliquod onus fortasse monasteria sustineant, studendum vobis est, ut si quispiam Abbatum aut Monachorum ex quocunque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat ulterius potestatem.* Hæc etiam *Gregorii* verba transcripsit *Gratianus*, caus. 16. qu. 1. can. *Ne pro cujuslibet.*

§. 9. Concil. Lateran. sub Alex. 3. An. Dom. 1180. * Al. acquirere.

Alexander Papa Rom. hujus nominis tertius, in Concilio *Lateranensi*, cap. 13. *Quia*, inquit, *nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diversas ecclesiasticas, & plures Ecclesias parochiales, contra sacrorum canonum instituta, nituntur * accipere, ita ut cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum; ne id de cætero fiat districtius inhibemus. Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere: quod si aliter actum fuerit; & qui receperit quod contra sacros canones accepit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate privetur.* Hanc *Alexandri* & Lateranensis Concilii constitutionem invenies etiam, *Extra*, de Clericis non residentibus, cap. 13. *Nonnulli.* In eodem Lateranensi Concilio, cap. 14. sequitur altera hæc constitutio; (quæ citatur, *Extra*, de præbendis & dignitatibus, cap. 5. *Quia in tantum.*) Quia in tantum quorundam processit ambitio, ut non duas vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam provisionem impendere: per fratres & coëpiscopos nostros hoc emendari præcipimus: & de multitudine præbendarum canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & evagationis inducit, & certum continet periculum animarum, eorum qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari. Hæc ibi. Ejusdem *Alexandri* rescriptum est; ut presbyter qui duas habet Ecclesias, eligat unam ex eis, dimissa altera. *Extra*, de præbendis. cap. 7. *Referente.* Idem *Alexander* ait; Illud est omni rationi contrarium, ut unus clericus in una vel diversis Ecclesiis plures dignitates vel personatus obtineat. Cum singula officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum. *Extra*, de præbendis. cap. 13. *Ad hæc licet.*

§. 10. Concil. Lateran. sub Innocentio 3. An. Dom. 1215.

At optionem eligendi alterutram quam vellent, ab *Alexandro* tertio concessam, ademit postea *Innocentius* Papa tertius, in alio Concilio Lateranensi, cap. 29. De multa (inquit) providentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum; ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, vel plures Ecclesias reciperet, contra sacrorum canonum instituta; alioquin & recipiens, sic acceptum amitteret, & largiendi potestate conferens privaretur. Quia vero propter præsumptiones & quorundam cupiditates, nullus hactenus aut rarus de prædicto statuto fructus provenit; nos evidentius & expressius occurrere cupientes, præsenti decreto statuimus, ut quicunque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit ipso jure privatus. Et, si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. Is quoque ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat cui merito viderit conferendum. Et, si ultra * tres menses conferre distulerit, non solum ad alios secundum Lateranensis Concilii statutum ejus collatio devolvatur; verum etiam tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud beneficium assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit ex eo esse perceptum. Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum: addentes, ut in eadem Ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen & literatas personas quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ (cum ratio postulaverit) per Sedem Apostolicam poterit dispensari. Hæc *Innocentius*, in Concil. Lateran. cap. 29. &, *Extra*, de præbendis & dignitatibus. cap. 28. *De multa.*

* Al. sex.

Idem in eodem Lateranensi Concilio, cap. 32. §. 11.
Qui parochialem habet Ecclesiam, non per vicarium, sed per seipsum illi deserviat in ordine quem ipsius Ecclesiæ cura requirit. Nisi forte præbendæ vel dignitati parochialis Ecclesia sit annexa; in quo casu concedimus, ut qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa Ecclesia parochiali idoneum & perpetuum habeat vicarium canonice institutum, qui congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem: alioquin illa se sciat, autoritate hujus decreti, privatum, libere alii conferenda, qui velit, & possit, quod dictum est adimplere. Hæc *Innocentius* tertius, Papa Rom. in Concilio Lateran. cap. 32. &, *Extra*, de præbendis & dignitatibus. cap. 30. *Exstirpandæ.* §. *qui vero.* Ubi annotat autor glossæ, non posse aliquem simul habere Ecclesiam & præbendam, dummodo Ecclesia sit sufficiens.

Videmus omnibus seculis damnatam esse pluralitatem titulorum, quando hominum aderat sufficiens copia, neque rerum deerat sufficientia: Et corruptioribus etiam temporibus mansisse hac in parte eam antiquitatis & æquitatis reverentiam, ut pro illicito habitum fuerit de jure communi, ut quisquam plures haberet Ecclesias aut officia Ecclesiastica. Malum tamen istud fomenta accepit per Papales dispensationes & conniventiam. §. 12.

CAPUT III.

Sex exceptiones in Jure Canonico, seu casus in quibus fas esse dicitur habere simul plures Ecclesias.

AUtor glossæ in procemium causæ 21. colligit ex universo jure canonico sex exceptiones. Ejus hæc sunt verba; De jure communi nullus potest habere plures Ecclesias, nisi in sex casibus: scilicet; Quando Ecclesiæ tenues sunt, ut 10. qu. 3. *Unio.* Et, si una pendet ex altera, ut *Extra*, de ætate & qual. *Eam* te-

1.
2.

3. *te*. Et, si habet unam intitulatam & aliam commendatam, ut inf. eodem, *qui plures Extra*, de
4. electione, *Dudum*. Et, si Episcopus dispensat
5. cum aliquo, ut 70. dist. *Sanctorum*. Et, ubi est paucitas hominum, scilicet extra civitatem,
6. ut inf. eodem c. 1. in fin. Item, si Ecclesia adhæret præbendæ, ut *Extra*, de præbendis; *Exstirpandæ*. Undc *Hostiensis* dat tales versus:

De Henrico Cardinali Hostiensi, vide Instr. Historico-Theolog. lib. 11. cap. 15. §. 22, 23.

Ecclesias plures nullus de jure tenebit.
Dependens, tenuis, rarus, vel gratia Papæ,
Utilitas urgens, & commendatio justa;
Plures Ecclesias permittunt ista teneri.

Hæc ibi. Ubi autem citat inf. eodem. intelligit eandem illam causam 21. eandemque ejus quæstionem primam, in quam glossa illa scripta est. Exceptionum istarum prius sensum dabimus ex jure canonico; deinde quid æqui vel iniqui habeant, investigabimus, eo ordine quo eas in suis versibus posuit *Hostiensis*.

§. 2. *Sensus primæ exceptionis.*

Prima exceptio est, *Dependens*] *Alexander* Papa tertius, habentem plures Ecclesias quæ ex una non pendeant, statuit, cogendum esse ad dimittendum unam ipsarum. *Extra*, de ætate & qual. cap. 4. *Eam te*. Ubi auctor glossæ: *Si*, inquit, *aliqua parochialis Ecclesia subsit alii, licet prælatus majoris Ecclesiæ duas Ecclesias habere dicatur, tamen alius Presbyter erit in subjecta*. Item, *Si Ecclesia parochialis in fundo suo aliam constituat, nihil impedit vicarium in ea institui; & prælatum majoris Ecclesiæ prælatum esse utrinsque, non tamen per se serviet utrique*. Hæc ille. En sensum primæ exceptionis.

Sensus secundæ exceptionis.

Secunda exceptio est, *Tenuis*] Idem *Alexander*, eodem titulo, eodemque capitulo, jubens habentem duas non ex una pendentes Ecclesias, dimittere alteram; adjicit hanc etiam exceptionem: *Nisi* (inquit) *ita fuerint tenues in substantia, quod proprios sacerdotes non possunt convenienter habere*. Hæc *Alexander* Papa Romanus, hujus nominis tertius, *Extra*, de ætate & qualitate, & ordine præficiendorum. cap. 4. *Eam te*.

§. 3. 3. *Except.*

Tertia exceptio, *Rarus*] i. e. propter paucitatem Clericorum; Caus. 21. qu. 1. Can. *Clericus*. In glossa, ubi monet glossator, propter paucitatem Clericorum multa permitti, & allegat 55. dist. can. *Priscis*.

§. 4. 4. *Except.*

Quarta exceptio, *gratia Papæ*.] *Innocentius* Papa tertius, hanc decreto suo adnexuit exceptionem. Ejus verba recitavimus præcedente cap. §. 10. ubi diligenter adverte verba illa, [*cum ratio postulaverit*] nam in foro conscientiæ non valet ipsius Papæ Romani dispensatio contra rectam rationem. Ex Concilio *Urbani* Papæ habito *Placentiæ*, citantur hæc verba: *Licet Episcopi dispositione unus diversis præesse possit Ecclesiis; Canonicus tamen Præbendarius nisi unius Ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet*. 70. dist. can. *Sanctorum*.

§. 5. 5. *Except.*

Quinta exceptio, *Utilitas urgens*] Hanc exceptionem auctor glossæ in proœmium causæ 21. proponit his verbis; *si Ecclesia adhæret præbendæ*. Ut, *Extra*, de præbend. *Exstirpandæ*. At in hoc casu Præbendarius jubetur in majori Ecclesia deservire, & perpetuum alere vicarium canonice institutum in illa annexa Ecclesia parochiali, ut supra monuimus, cap. 2. §. 11. Quod si objiciatur, Præbendarium istum non residere ad illam annexam parochialem Ecclesiam; respondet *Alexander* Papa tertius; canonico in servitio Episcopi existenti deberi reditus sui beneficii. *Extra*, de Clericis non residentibus, cap. 7. *De cætero*. Ubi in glossa notatur, quod qui est in servitio Episcopi, fingitur residere, ideo pro præsenti reputatur quoad perceptionem beneficii, & Ecclesiæ servire intelligitur. Item, qui est in servitio Papæ, pro præsente habetur. Hoc rescripsit *Honorius* tertius Capitulo Metensi, eis mandans ut *Ottoni* Canonico Metensi commoranti in ejusdem *Honorii* Papæ servitio assignent fructus præbendæ suæ, non obstante constitutione facta ab illo Capitulo contra absentes Canonicos. *Extra*, de Clericis non residentibus. cap. 14. *Cum dilectus*. Idem tamen *Honorius* duos tantum Canonicos in servitio existentes Episcopi alicujus loci, haberi jubet pro præsentibus, & suarum fructus integre percipere præbendarum. *Extra*, eodem titulo, de Clericis non residentibus. cap. 15. *Ad audientiam*. Ubi annotat auctor glossæ, si plures essent, privari eos suis beneficiis; quod enim concedit Papa de duobus, id cum intelligi prohibere de pluribus. Verum de residentia erit inferius prolixe dicendum: Hæc interim obiter, propter quintam istam exceptionem.

Objectio, de absentia, seu non residentia. Responsio.

Sexta exceptio, *Commendatio justa*.] Pro hac exceptione citatur illud *Leonis* quarti; Qui plures Ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam vero sub commendatione tenere debet. caus. 21. qu. 1. can. *Qui plures*. Ubi notatur in glossa, commendatarium non esse prælatum Ecclesiæ commendatæ, sed ejus procuratorem. §. 6. 6. *Except.*

Quid sit autem justa commendatio, patet ex *Gregorii* registro, ubi multæ inveniuntur factæ ab illo Ecclesiarum commendationes. Nam vel commortuo proprio Ecclesiæ alicujus Episcopo, (ut legimus lib. 1. epist. 76. & lib. 2. epist. 19. & ep. 27. & lib. 3. ep. 39.) vel absente propter morbum aut debilitatem corporis, (lib. 2. ep. 24. & 25.) vel etiam absente propter visitationem alterius Ecclesiæ ei demandatam, (lib. 2. epist. 20.) *Gregorius* operam visitationis destitutæ Ecclesiæ vicino alicui Episcopo solenniter delegabat; & visitatori in mandatis dabat, ut nihil de provectionibus clericorum illius Ecclesiæ commendatæ, nihil de reditu, ornatu, ministeriisque, vel quicquid illud esset, a quoquam usurpari pateretur; & ideo ut ad commendatam illam Ecclesiam ire properaret, & assiduis adhortationibus clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ admoneret, ut remoto partium studio, talem sibi præficiendum expeterent, qui defuncto succederet, sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus esset, & a venerandis canonibus non discreparet, qui a clero & plebe postulatus, cum solennitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, & visitatoris testimonio prosequente, ordinaretur vel a *Gregorio*, vel ab aliis Episcopis, (vide lib. 2. ep. 70.) consentiente *Gregorio*. Interim donec proprium Ecclesia illa acciperet Antistitem, visitatori Episcopo potestas erat ordinandi Presbyteros & Diaconos, si necesse esset, quos dignos ad hoc officium inveniret. Denique ut omnia quæ ad curam utilitatemque Ecclesiæ pertinerent, visitator tanquam proprius Episcopus ordinaret; & ei canonice tanquam obedire proprio Episcopo clerus & populus illius Ecclesiæ pro tempore tenebantur. Tales erant visitationes & commendæ illarum Ecclesiarum, quarum proprius Pastor obierat. At si proprius Pastor adhuc vivens tantummodo propter justas causas pro tempore absens esset, non concedebatur visitatori, seu commendatario, ordinare clericos; cætera autem omnia agendi potestatem habebat, tanquam cardinalis & proprius Ecclesiæ illius sacerdos, ut loquitur *Gregorius* lib. 2. ex registro, cap. 63. commendans *Leontio* Episcopo visitationem Ecclesiæ

§. 7. *De Ecclesia commendatione seu commenda, & de commendatario, qui & visitator dicitur, item intercessor, & interventor. Vide cap. 4.*

clesiæ *Castorii* Episcopi morbo detenti, eumque admonens ut efficaciter omnes utilitates ejus exerceat, & reditus, ornamenta, ministeriaque ipsius sollicita cura conservet. Hinc non immerito conservator dici poterit Ecclesiæ commendatæ. Vide similem commendationis & visitationis formam apud Gratianum, 61. dist. can. *Obitum*, & can. *Catinensis*. Commendabatur autem vacans Ecclesia, quandoque Presbytero, ut patet ex registro *Gregorii* primi, Papæ Romani, lib. 1. ep. 78.

§. 8. *Visitator*, Ecclesiam aliquam sub visitatione tenens, non est illius Ecclesiæ prælatus, sed potius procurator, sicut jam monuit auctor glossæ ad can. *Qui plures*. caus. 21. qu. 1. Appellatur etiam *intercessor* & *interventor*, in quinto *Carthaginensi Concilio*, can. 8. quod Concilium *Binius* dicit fuisse ordine tertium, & celebratum esse sub Arcadio & Honorio Imperatoribus, an. Christi nati 398. Verba canonis sunt: Constitutum est, ut nulli intercessori licitum sit, cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere; sed dare operam, ut intra annum eisdem Episcopum provideat: quod si neglexerit anno expleto, interventor alius tribuatur. Hæc ibi. Quæ etiam recitat Gratianus, caus. 7. qu. 1. *Constitutum*. Ubi notat auctor glossæ, non posse ipsum visitatorem eligi in Ecclesiæ illius Episcopum. Interea sumptus suos in visitationis ministerio necessarios, ex d[illegible]ctione Metropolitani, vel Episcopi, habere de[illegible] visitator ex reditibus Ecclesiæ commendatæ, [illegible] fideliter visitatoris præstet officium: ait enim *Gregorius*, citante *Gratiano*; Visitatores Ecclesiarum clericique eorum qui cum ipsis non per suæ civitatis parochias fatigantur, aliquid laboris sui capiant, te disponente, subsidii: justum namque est ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium. Hæc *Gregorius*, scribens *Maximiano* Episcopo Syracusano, caus. 12. qu. 2. *Charitatem*. Propterea idem *Gregorius* scribens ad Petrum subdiaconum Campaniæ, monet eum, ut Paulo Episcopo visitatori Ecclesiæ *Neapolitanæ* centum solidos, & unum puerulum orphanum, quem ipse eligeret, pro labore suo impenso de eadem Ecclesia dari faciat. lib. 2. ex registro, cap. 74.

Atque ita explicato exceptionum sensu, superest ut de earum æquitate vel iniquitate dicamus.

CAPUT IV.

De æquitate vel iniquitate memoratarum exceptionum.

§. 1. QUo rectius de istarum exceptionum æquitate vel iniquitate judicare possimus, necesse est intueamur ipsius juris communis fundamentum seu rationem, quæ est anima legis, ut perfecta ejus æquitate, exceptiones contrariæ fundamento, quæ, perempta ratione, & calcata æquitate, manifestam legi vim inferunt, repudientur: quæ autem illæso fundamento recipi possunt, aut etiam recipi debent, non rejiciantur. Quoniam autem fundamento seu rationi fundamentali nituntur canones pluralitatem istam prohibentes, patet ex ipsorum canonum verbis, supra, capite secundo, descriptis. Summa huc redit: *Nemo potest duabus Ecclesiis debitam provisionem impendere, neque plura ministeria Ecclesiastica convenienter exequi. Pluralitas Ecclesiarum, aut officiorum Ecclesiasticorum, amplioris stipendii causa, turpissima est, & ab Ecclesiæ consuetudine aliena, canonibus inimica, Ecclesiæ noxia, Pastoris officio incongrua, & cum debita Pastorali cura atque assiduitate non consistens, inducens materiam licentiæ & evagationis, & certum continens periculum animarum.*

Ratio legis prohibentis pluralitatem.

Nempe dedit Dominus unicuique suum opus, & janitori dixit, ut vigilet. *Marc.* 13. 34. Jubetur unusquisque Pastor attendere sibi & gregi in quo Spiritus sanctus eum constituit Episcopum, ad pascendum Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine: & diligenter vigilare pro tutela gregis adversus incursiones luporum. *Act.* 20. 28, 29. Ut excubet pro animabus populi sibi commissi, quippe rationem redditurus. *Hebr.* 13. 17. & gregem Dominicum pascat scientia & intelligentia. *Hierem.* 3. 15. eisque se in propria sua persona diligentem & fidelem excubitorem præstet, & monitorem. *Ezech.* 3. 17. fidumque Domino suo & prudentem œconomum, distribuentem familiæ opportune τὸ σιτομέτριον, id est, justam cibi portionem. Beatus servus ille quem adveniens Dominus inveniet facientem sic, ποιοῦντα οὕτως. *Luc.* 12. 42. & *Matth.* 22. 46. Τὸ οὕτως εἰπὼν, ἔδειξεν, ὅτι ὁ μὴ οὕτως ποιῶν, τοῦ μακαρισμοῦ ἐκπέπτωκεν. In eo quod dicit, *sic*, declarat eum qui non *sic facit*, excidisse beatitudine. Ait *Basilius* Cæsariensis, lib. 2. de Baptismo, ad quæstionem octavam. Et mox ibidem exponit atque explicat quid sit *non sic facere*; τὸ δὲ μὴ οὕτως, γίνεται ἢ παρὰ τόπον, ἢ παρὰ καιρὸν, ἢ παρὰ πρόσωπον, ἢ παρὰ πρᾶγμα, ἢ παρὰ μέτρον, ἢ παρὰ τάξιν, ἢ παρὰ διάθεσιν. Illud autem, *non sic*, committitur, dum vel præter locum debitum, vel præter temporis convenientiam, vel præter personæ decorum, vel præter rem, vel præter mensuram, vel præter ordinem, vel præter animi dispositionem aliquid geritur. Hæc *Basilius*. Jam posito hoc fundamento, (hoc postulare naturam operis, & rationem officii pastoralis, ut in Ecclesia, præsertim in constituta, unusquisque suum proprium opus habeat, & illud sedulo exsequatur;) perpendamus hac trutina memoratas exceptiones.

§. 2. *Ejusdem illustratio & confirmatio.*

§. 3. *Judicium de prima exceptione.*

Ad primam exceptionem, DEPENDENS.] Hanc exceptionem utcumque toleramus, eo sensu, quo est explicata cap. 3. §. 2. quamvis optandum sit potius ut unusquisque Presbyter suæ Ecclesiæ, cui pastoralem impendit operam, titulo sit contentus: nam revera qui plurium Ecclesiarum beneficiarius est, non nisi illius Ecclesiæ pastor est, cui per seipsum deservit. Et quamvis olim ex singulis universæ diœceseos parochiis Episcopi acceperint duos solidos nomine cathedratici, caus. 10. qu. 3. can. *Placuit*, & can. *Illud te*; non est tamen par ratio aliorum ministrorum. Nam Episcopi generalem habent inspectionem omnium parochiarum, eisque omnibus curam & operam impendunt superintendentiæ, ex officio Episcopali. Pro quo officio & labore, si aliunde non suppetat stipendium, merito illud accipit Episcopus ex ipsis parochiis; modo id fiat sine impedimento Evangelii in singulis parochiis, & potius ad ejus profectum. *Ecclesiasticis enim utilitatibus desudantes Ecclesiasticæ æquum est remuneratione gaudere.* caus. 12. qu. 2. *Ecclesiasticis.* Et, *bovi trituranti os non obligabis*, inquit Apostolus, 1 *Cor.* 9. 9. At vero simplici Presbytero cura non est imposita προστασίας per vicinas Ecclesias, sed suæ tantum Ecclesiæ unicuique incumbit inspectio, & custodia, & nutritio: quamvis fraternam operam possint ac debeant etiam alii aliis libenter impendere, & in communem

Ecclesiarum utilitatem ac operam conferre, & communi consilio atque auctoritate Ecclesiam cum Episcopo gubernare. Etiamsi igitur omnes parochiæ diœceseos ordinaria stipendia Episcopo, non aliunde habenti, contribuant, nempe beneficium propter officium; non tamen inde sequitur, Presbytero unius parochiæ deberi stipendium ex alia parochia, cujus neque generalis est superinspector sive Episcopus, neque peculiaris pastor sive parochus. Verum quia impræsentiarum non tam de beneficiis quærimus, quam de officiis; bene est quod fateantur Canonistæ, in Ecclesia etiam pendiculari proprium constituendum esse Presbyterum, eique ex reditibus illius Ecclesiæ idoneum assignandum esse stipendium: nempe quia prioris parochiæ divisio in duas aut plures parochias non frustra facta est, sed propter immensitatem oneris pastoralis, cujus necessaria erat partitio, ne unus pastor tanto onere prægravatus succumberet, & populus Christianus debito ministerio fraudaretur. De ipsis autem beneficiis ex professo disseremus, in expositione octavi præcepti, in Tractatu de Sacrilegio. De vicariis autem dicemus inferius in examine quintæ exceptionis.

§. 4. *De secunda exceptione.*

Ad secundam exceptionem, Tenuis.] Olim per barbarorum incursiones ita vastatæ sunt regiones & Ecclesiæ Christianorum, ut necesse fuerit, pro tempore, duas Ecclesias in unam coadunatas uni Pastori committere, cum propter locorum desolationem, tum etiam propter paupertatem. Desolatio enim efficiebat ut relictæ hominum in utraque Ecclesia paucitati unus pastor præesse posset: paupertas vero non sinebat unamquamque Ecclesiam proprium ac peculiarem alere pastorem. Habita est etiam ratio vicinitatis locorum. Unde *Gregorius*, lib. 2. ex registro, epist. 35. scribens *Joanni* Episcopo; Postquam (inquit) hostilis impietas, diversarum civitatum, ita peccatis facientibus, desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla, populo deficiente, remanserit; majori valde cura constringimur, ne defunctis earum sacerdotibus, reliquiæ plebis nullo pastoris moderamine gubernatæ, per invia fidei, hostis callidi rapiantur, quod absit, insidiis. Hujus ergo rei sollicitudine sæpe commoti, hoc nostro cordi sedit consilium, ut vicinis eas mandaremus Pontificibus gubernandas. Ideoque fraternitati tuæ, curam gubernationem que Triumtabernensium Ecclesiæ providimus committendam, quam tuæ Ecclesiæ aggregari nihilominus necesse est: quatenus utratumque Ecclesiarum sacerdos recte Christo adjutore, possis existere. Quæque tibi de ejus patrimonio, vel cleri ordinatione seu promotione, vigilanti ac canonica visa fuerint cura disponere, quippe ut Pontifex proprius, liberam habeas ex nostra præsenti permissione licentiam. Quapropter, frater charissime, dominicorum reminiscens salubriter mandatorum, ita in commissæ plebis regimine lucrandis animabus invigila, ut ante tribunal æterni judicis constitutus, fructum bonæ operationis, qui ad mercedem tuam pertineat, eidem Redemptori nostro, in quo lætari possis, exhibeas. Hæc ibi. Cujus epistolæ partem inseruit *Gratianus* Decreto caus. 16. qu. 1. *Postquam hostilis.* Similem plane epistolam, eisdemque verbis conceptam, scripsit *Gregorius* ad *Gratiosum* Episcopum Numentanum, uniens ejus Ecclesiæ Ecclesiam Sancti Anthemii, in Curium Sabinorum territorio constitutam. lib. 2. ex regist. cap. 59. Idem etiam scribens *Benenato* Episcopo; Et temporis (inquit) qualitas, & vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam atque Musitanam unire debeamus Ecclesias, quoniam hæ non longo a se itineris spatio sejunctæ sunt, nec, peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum vitæ hujus explevit, utramque nos Ecclesiam præsentis auctoritatis pagina unisse, tibique commisisse cognosce; propriumque utarumque Ecclesiarum scito te esse Pontificem. —— Ubi vero commodius atque utilius esse perspexeris, ibi habitato, ita sane ut alteram Ecclesiam cui corporaliter præses non es, sollicita providentique cura disponas, quatenus divina illic mysteria solenniter, auxiliante Domino, peragantur. Fraternitas ergo tua tanto in adhortatione populi lucrandisque animabus sollicitiori cura semper invigilet, quanto se unitarum Ecclesiarum gubernationis onera, suscepisse cognoscit, lib. 2. ex registro, epist. 31. Quam etiam epistolam, excepta postrema adhortatione ad sollicitiorem curam & vigilantiam, inseruit *Gratianus* Decreto, caus. 16. qu. 1. *Et temporis.*

§. 5. *Quilibet Episcopus, tempore Gregorii primi, Papæ Romani, dicebatur cardinalis sacerdos illius Ecclesiæ cujus erat Episcopus. vide cap. 6. §. 2. Vide etiam cap. 5. §. 11. ubi de cardinalibus Presbyteris & Diaconis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & cap. 1. §. 1. ubi de titulis cardinalibus apud Gallos.*

Sic idem *Gregorius Agnellum* Episcopum de Fundis, constituit etiam Terracinensis Ecclesiæ cardinalem sacerdotem, seu Episcopum, postulante clero & populo Terracinensi; ita tamen ut Fundensis Ecclesiæ maneret etiam Pontifex; quia ob cladem hostilitatis, nec in civitate nec in Ecclesia Fundensi, cuiquam erat habitandi licentia. lib. 2. ex regist. cap. 51. *Gratianus* autem perperam ait, *Agnellum* præfuisse Ecclesi[illegible] Terracinensi non tanquam titulatæ, sed ta[illegible]am commendatæ, & hanc pluralitatem ex[illegible]t per exceptionem de commendis & visitationibus. caus. 21. qu. 1. can. *Illud quoque.* Nam factus est Terracinensis Ecclesiæ sacerdos proprius, ut expresse loquitur *Gregorius*, loco citato: quæ verba etiam transcripsit *Gratianus* can. *Relatio.* cod. Ergo unio fuit propter cladem hostilitatis in Ecclesia Fundensi; ita ut simul Terracinensis Ecclesiæ esset cardinalis sacerdos, & interea Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desineret, nec curam gubernationemque ejus præteriret. Sane si Terracinensis Ecclesiæ cum constituisset sacerdotem ad gubernandam illam solam Ecclesiam, donec, restituta pace, ad Fundensem reverti posset Ecclesiam, relicta Terracinensi, ordinatio illa commendationi propior esset, quam unioni: quomodo *Joanni* Lisitanæ civitatis Episcopo commisit *Gregorius* Ecclesiam Squilitanam. lib. 2. ex regist. epist. 25. Pastoralis (inquit) officii cura nos admonet destitutis Ecclesiis proprios constituere sacerdotes, qui gregem dominicum debeant sollicite gubernare. Propterea te *Joannem* ab hostibus captivatum Lisitanæ civitatis Episcopum, in Squilitana Ecclesia cardinalem duximus necesse constituere sacerdotem: ut susceptam semel animarum curam, intuitu futuræ retributionis impleas. Et licet a tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam, quæ pastore vacat, Ecclesiam debes gubernare: ita tamen, ut si civitatem illam ab hostibus liberam effici, & Domino protegente ad priorem statum contigerit revocari, in eam, in qua prius ordinatus es, Ecclesiam revertaris: sin autem prædicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac in qua a nobis ordinatus es vel incardinatus Ecclesia debeas permanere. ———

Incardinatus.

Admonemus etiam fraternitatem tuam, ut in commissis sibi animabus solerter invigilet, & animarum magis lucris, quam commodis vitæ præsentis intendat. In commendis aut disponendis rebus Ecclesiæ diligens insistat: ut omni ex parte susceptum digne te gessisse pastoris officium ven-

venturus judex cum ad judicandum venerit debeat approbare. Hæc *Gregorius* prudenter & pie.

§. 6. *Cautiones observanda in unione Ecclesiarum.*

Quamvis autem aliquando licitum & pium sit, desolatam Ecclesiam vicini pastoris curæ committere; diligenter tamen observandæ sunt hæ cautiones. 1. ut unio illa fiat, sincera ac necessaria commiseratione desolati gregis, qui pastorem proprium habere non potest: non autem propter lucra temporalia pastoris. 2. ut, quoad ejus fieri poterit, ea sit locorum vicinitas, isque hominum pascendorum numerus conveniens, ut eis unus pastor recte præesse possit, & debitam animarum curam habere, eisque debitam operam pastoralem impendere; ita ut nulla ex minimis oviculis negligatur. 3. ut pastor suam diligenter examinet conscientiam, & mensuram gratiæ sibi concessæ, gravitatemque oneris, rationumque in die judicii reddendarum necessitatem sedulo perpendens, ad pascendum Dei gregem accedat, οὐκ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως, 1 *Pet.* 5. 2. magis animarum lucris, quam temporalibus commodis intendens; & non quæ sua sunt quærens, sed quæ Christi sunt. *Philip.* 2. 21. non quæ hominum sunt quærens, sed ipsos homines. 2 *Cor.* 12. 14. & cogitet ad quid sit missus. Vide *Luc.* 4. 43. 4. ut sufficiens stipendium necessitate potius & ratione, quam cupiditate pensetur. Ambitiosis enim & avaris, & luxuriosis, aut prodigis non sufficiunt maxime opima beneficia; at humilibus, & ab avaritia alienis, sobriis & parcis, facile satisfit. Auscultantes enim Christi præcepto, comedunt τὰ παρατιθέμενα, *Luc.* 10. 7, 8. neque expetunt lautitias. In quarto Carthaginensi Concilio, can. 15. statutum est, ut Episcopus vilem supellectilem, & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat. Ista a me adseruntur, non ut sordidæ secularium hominum tenacitati fomenta ministrem, scire enim debent eximio in honore habendos esse verbi Dei ministros, propter opus ipsorum, 1 *Thess.* 5. 13. dignumque esse operarium alimento suo, *Matth.* 10. 10. & eos qui erudiuntur in verbo Dei, debere erudientibus communicare omnia bona, *Galat.* 6. 6. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum si nos vestra carnalia messuerimus? 1 *Cor.* 9. 11. ostenditque Apostolus vers. 5. & 6. illius capitis, æquum esse, ut populus Christianus honeste alat etiam familiam pastoris sui Ecclesiastici, neque ab eo exigat ut opificio aliquo aliave quavis acquirendæ pecuniæ ratione victum sibi comparet, sed satis esse si Evangelium prædicet; constituisse enim Christum, ut Evangelium annunciantes vivant ex Evangelio, quemadmodum olim assidentes altari participes fiebant oblationum & sacrificiorum altaris. Et regalis est illa *Justiniani* Augusti sententia; *In sanctissimis Ecclesiis optima mensura est donatarum eis rerum immensitas.* Certe debentur fidis pastoribus stipendia, non solum ad vitæ necessitatem sufficientia, sed etiam requisita pro tuenda civili honestate, & ad studiorum subsidia comparanda, & ad exercendam piam hospitalitatem, sicuti prolixius ostendimus in tractatu *de Sacrilegio*, cap. 13. part. 2. ad objectionem secundam. Sed quæ de sobrietate pastorum diximus huc tendunt, ut discant ipsi pastores, cum *Paulo* Apostolo, contenti esse præsentibus, &, servata constanti animi æquabilitate, tum humiliari, tum etiam abundare, saturari, & esurire; & abundare, & egere; suffulti robore Christi eos roborantis. Neque propter temporalia, sed propter æterna lucra, appetant Episcopatum, id est, præclarum illud opus Episcopale. Non debet pastor ideo prædicare Evangelium, ut consequatur terrenum stipendium; sed ideo expetere & accipere stipendium, ut valeat in prædicationis officio liberius & fructuosius consistere & perseverare. 5. Ut, sublata caussa unionis Ecclesiarum, cesset etiam ipsa unio: & recuperatis vel auctis divina benedictione opibus Ecclesiarum unitarum, & succrescente etiam in eis Ecclesiis idonea hominum ad duas constituendas congregationes multitudine, dissolvatur unio, & unaquæque Ecclesia proprium habeat pastorem. Quod non solum de diœcesibus, sed etiam de parochiis intelligimus: quia eadem utrobique est ratio æquitatis.

Sufficientis stipendii consideratio.

Novell. 7. *cap.* 2.

Philip. 4. 11, 12, 13.

1 *Tim.* 3. 1.

§. 7. *De tertia exceptione.*

Ad tertiam exceptionem, RARUS.] Hujus exceptionis æquitas manifesta est. Sed orandus est Dominus messis, & danda sedulo opera, ut augeatur numerus operariorum, pro amplitudine messis. Neque fas cuiquam incubare Ecclesiis, impediendo admissionem idoneorum pastorum. Quos donec emiserit Dominus, necesse est aliquando ut unus pastor curam gerat plurium Ecclesiarum. Nam ita est unicuique pastori necessaria certa statio, ut tamen, in casu necessitatis, nullius Ecclesiæ negotium putet a se esse alienum: sed pro viribus, sine neglectu proprii gregis, debet omnis pastor etiam aliis Ecclesiis succurrere, eisque promptam operam impendere. Imo quamvis singulæ Ecclesiæ proprios habeant fidosque pastores, meminisse tamen debent, Ecclesias omnes particulares esse membra unius communis corporis Ecclesiæ universalis: ideoque debent Ecclesiæ particulares, earumque pastores, sibi invicem mutuum adjumentum præstare, ubi opus fuerit: & omnes procurare debent ea quæ faciunt ad commune bonum corporis. Unusquisque autem id facere debet *ordine & decenter*, sine stationum confusione & sine tumultu; nam *si totum corpus oculus, ubi est auditus; & si totum auditus, ubi est olfactus? Oculus non potest dicere manui, non te opus habeo.* Debent membra *eadem sollicitudine pro se invicem affici*; ut, si patiatur unum membrum, compatiantur omnia membra; &, si glorificetur unum membrum, simul gaudeant omnia membra.

Matth. 9. 38.

Tit. 1. 5.

Pii pastoris officium erga alias Ecclesias.

1 *Cor.* 14. 40. & v. 33. & cap. 12. v. 17, 21, 25, 26.

§. 8. *De quarta exceptione.*

Ad quartam exceptionem, GRATIA PAPÆ.] Nempe dispensari aliquando poterit, si ratio postulet, ut monuit *Innocentius*, supra, cap. 2. §. 10. Vide etiam cap. 3. §. 4. Ista igitur exceptio seorsim in se spectata non est idonea: non enim justa dispensationis ratio est placitum Episcopi vel Papæ, nisi alia subsit justa exceptio, ut tenuitas, raritas &c. Quod vero pro idonea ratione ponit *Innocentius* respectum sublimium & literatarum personarum; respondeo ex glossa f. ad can. *Singula* 89. dist. non esse derogandum juri generali propter personæ prærogativam. Quod etiam dicitur in glossa d. ad can. *Si quis.* 78. dist. ubi hæc adjicit auctor glossæ: Sed propter necessitatem vel utilitatem derogatur juri, licet non propter dignitatem tantum. Hæc ibi. Primarium enim locum habere debet in omni nostro respectu & consideratione gloria Dei, & necessitas vel utilitas Ecclesiæ; cui servire debent personæ, non Ecclesia personis hominum.

Non est juri derogandum propter personæ prærogativam, si nulla alia adsit ratio.

§. 9. *De quinta exceptione.*

Ad quintam exceptionem, UTILITAS URGENS.] i.e. Si Ecclesia parochialis sit annexa præbendæ, uti supra explicatum est, cap. 3. §. 5. Olim in civitate aliqua erat Episcopus, & cum Episcopo reliquus clerus illius diœceseos, presbyteri & diaconi, &c. Clericos vero, pro sua discretione, cum consensu ipsius cleri, mittebat Episcopus ad prædicandam populo in urbe,

& circumjacente regione illius diœceseos, nondum facta divisione titulorum parochialium. Habebant clerici certam quidem stationem, sed collegialem, id est cum collegis quibusdam in una eademque diœcesana Ecclesia communem, quamvis nondum haberent singuli stationes fixas peculiares ac proprias, nisi forte in remotioribus provinciæ partibus, ad quas hebdomadatim ex civitate venire non poterat clericus aliquis missu Episcopi. Clerici autem, nondum constitutis & distinctis parochialibus beneficiis & stipendiis, alebantur communibus sumptibus Ecclesiæ, eorumque nomina habebantur scripta in canone seu catalogo clericali. Unde magno Nicæno primo œcumenico concilio clerici dicuntur *ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι*, can. 16. id est, *ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεταζόμενοι*, in eodem Concilio, can. 1. in canone comperti, id est, in clero comperti, seu, qui in canonem sive in numerum clericorum relati seu adscripti sunt; *οἱ ἐν τῷ κλήρῳ*, qui in clero sunt, in eodem Concil. Nicæn. can. 3. & in canonibus qui dicuntur Apostolorum, in octavo canone, *ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ*, ex sacerdotali catalogo; & in Concil. Chalced. can. 6. *οἱ ἐν ἐκκλησιαστικῷ τάγματι*, qui sunt in ordine Ecclesiastico. Canonis autem vocabulo significabatur etiam regula, seu norma secundum quam se gerere tenebantur, ut patet ex his Concilii Nicæni verbis, canone illo 16. Quicunque temere aut periculose, neque timorem Dei præ oculis habentes, neque agnoscentes Ecclesiasticum canonem, [seu regulam, *μήτε τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα εἰδότες*,] discedunt ab Ecclesia presbyteri, aut diaconi, vel quicunque in canone censentur, [*Dionysius Exiguus* vertit, quicunque sub regula prorsus existunt, *ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι*,] hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi. In Concilio Antiocheno, in Encæniis, can. 11. *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ ὅλως τοῦ κανόνος*, &c. Quæ verba Concilii Antiocheni sic latine vertit *Dionysius Exiguus*; Si quis Episcopus, aut presbyter, aut quilibet regulæ subjectus Ecclesiæ. *Gentianus Hervetus*, vel omnino ex canone.

§. 10. Observat Spalatensis lib. 2. de Rep. Ecclesiastica, cap. 9. num. 6. dictos esse *canonicos*, non solum a regula cui subjecti vivebant, sed etiam fortasse a canone, id est, pensione, sive annona, quæ illis solis distribuebatur, qui in collegium ministrorum illius Ecclesiæ cooptabantur. Illis enim solis clericis ex communi bonorum alicujus Ecclesiæ massa data esse alimenta, qui in ea Ecclesia titulati erant, & pro ministeriis necessariis adscripti. Reliquis vero non canonicis, hoc est, in Ecclesia non titulatis, neque pro necessariis ministeriis adscriptis, aut nihil aut parum quid adjumenti pro victu suppeditatum fuisse. Hæc ille. In Canonibus, qui Apostolorum dicuntur, habetur hæc constitutio, can. 37. edit. græc. *Πάντων τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα. Omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat.* De rebus autem ibi agitur quæ in Ecclesiæ possessionibus aut redditibus consistunt, ut ex ipso illo canone perspicuum est, & ex can. 40. ubi dicitur: *Προστάττομεν ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων. εἰ γὰρ τὰς τιμίας τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς αὐτῷ πιστευτέον, πολλῷ ἂν μᾶλλον δέοι ἐπὶ τῶν χρημάτων ἐντέλλεσθαι, ὥστε κατὰ τὴν αὐτοῦ ἐξουσίαν πάντα διοικεῖσθαι. Jubemus Episcopum rerum Ecclesiæ potestatem habere. Si enim pretiosæ hominum animæ sunt ei credendæ, multo magis ei sunt committendæ pecuniæ, ita ut ejus auctoritate omnia administrentur.* Et subditur ibidem, ut inde pauperibus per presbyteros & diaconos auctoritate Episcopi, subministrentur ea quibus egent, atque ut ipse etiam Episcopus (si indigeat) percipiat inde, ad suos & peregrinorum necessarios usus. Idem decretum est in Concilio Antiocheno, (an. Domini 341.) can. 25. quem canonem recitavit *Gratianus*, caus. 12. qu. 1. can. *Episcopus*. Ubi in præfixo numero error est, dum prænotatur, c. 35. Nam non nisi viginti quinque reperiuntur hujus Concilii canones, in quorum ultimo demandatur Episcopo rerum Ecclesiæ administratio, & monetur ut hoc faciat *μετὰ πάσης εὐλαβείας καὶ φόβου Θεοῦ*, cum summa reverentia & timore Dei. Quemadmodum etiam dicitur 37. canone Apostolorum, ut res Ecclesiæ Episcopus administret tanquam inspectante Deo, *ὡς Θεοῦ ἐφορῶντος*. Rebus Ecclesiæ nondum distinctis in præbendas & speciales titulos, Episcopus tenebatur Ecclesiasticos omnes proventus & oblationes dividere in quatuor portiones, quarum unam Episcopus sibi ipsi retineret, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribueret; fabricis tertiam, quartam pauperibus faceret erogari. Ut apud *Gratianum* monet *Gelasius* Papa Rom. can. *Vobis enim.* & can. *Vulterana.* & can. *Concesso.* & can. *Quatuor autem.* Et *Simplicius*, Papa Rom. can. *De redditibus.* & *Gregorius* primus, can. *Mos est.* Presbyteri qui sub regula vivebant, & in Episcopali urbe residebant, ministrabant in Ecclesiis urbis & vicini territorii. Neque quisquam Ecclesiam aut gregem sibi commissum negligebat obtentu servitii Episcopi, aut præbendæ, aut alio quovis simili prætextu. Postea autem erectis beneficiis, & distinctis stipendiis parochialibus, & dispositis per divisos titulos fixasque stationes clericis, seorsum residebant ad suum quisque titulum seu parochiam. Et prout publica Ecclesiæ negotia postulabant, in urbem ad Synodum cum Episcopo celebrandam conveniebant, ut communi clericorum consensu negotia publica administrarentur. Et soluto conventu ad suas quique stationes remeabant. Hujusmodi fuit diœcesanum illud Concilium Antisiodorense, præsidente *Aunachario* Antisiodorensi Episcopo, celebratum anno Domini 590. in quo etiam conditus est hic canon; *Ut in medio Majo omnes Presbyteri ad Synodum in civitatem veniant, & Calend. Novemb. omnes Abbates ad Concilium conveniant.* Concil. Antisiod. can. 7. [Tom. 4. Conciliorum, pag. 522. edit. Paris. an. Dom. 1636.] Et in Concilio Vernensi, sub *Pipino*, cap. 8. decretum est, *Ut omnes presbyteri ad Concilium Episcopi sui conveniant.* Celebratum est hoc Concilium in Palatio Vernis, anno Domini 756. jussu *Pipini* Francorum Regis. Auctor glossæ, dist. 38. *Quando*, ostendit ex verbis Concilii quarti Toletani, a Gratiano ibi recitatis, conventum quem haber Episcopus cum suis clericis, dici Concilium. Et ad hoc confirmandum citat 18. qu. 2. *Abbates.* 12. qu. 2. *Placuit.* 18. dist. *Propter.* & can. *Placuit.* Dicebatur olim presbyterium, sicuti docuimus, Instruct. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 1. §. 12. & in Irenico, lib. 2. cap. 11. propos. 14. Soluto autem conventu revertebantur ad proprias stationes.

At progressu temporis per hominum quorundam ambitionem & avaritiam introducta est corruptela; ut quidam, occupatis Ecclesiasticis titulis & beneficiis, nihil minus curæ habuerint quam attendere gregibus, quorum se jactabant pastores: neque Evangelica prædicatione, aut §. 11. *De capitulis canonicorum.*

sa-

sacramentorum administratione gregem pascentes, neque pastorali vigilantia excubias pro grege agentes: sed ad cathedralem Ecclesiam aut alibi otiose deliciantes, neglectis propriis gregibus. Et hoc malum Pontifices vehementer auxerunt, dum Papa Episcopos, Episcopi parochos a suis stationibus etiam longe dissitis evocatos apud se detinent, aut manere sinunt, ad ampliandum curiæ pontificalis splendorem, augendamque externam pompam. Atque ita qui se vocabant pastores & doctores, relicta prædicatione verbi & oratione, serviebant mensis papalibus & episcopalibus, seque ipsos lana amiciebant, & lacte saginabant, neque tamen gregem pascebant. Porro isti, exclusis reliquis clericis, ad se traxerunt sibique solis arrogarunt jus potestatemque eligendi Episcopum, aliaque publica Ecclesiæ negotia administrandi. Et se solos dici voluerunt Canonicos: cum antiquitus universo clero jus fuerit eligendi Episcopum consonis suffragiis; adsistente & consentiente populo seu plebe Christiana: (sicut proximo capite clarius explicabimus.) Fueritque communis administratio publicorum negotiorum, sub uno Episcopo, qui sine cleri consensu nihil ponderosum faciebat. caus. 15. qu. 7. can. *Episcopus*. Omnesque in ministerium Ecclesiæ adsciti dicti sint fuerintque Canonici. Recentius autem istud Canonicorum genus, ad tuendam suam authoritatem, & cupiditates explendas, multiplicarunt sibi titulos & beneficia Ecclesiastica, & pulchre se excusatos putabant per exceptionem hanc, quod, scilicet, parochialis Ecclesia annecti possit præbendæ, nec inde obligetur Præbendarius ad deserviendum illi parochiali Ecclesiæ in persona propria, sed per vicarium: quasi, scilicet, major esset dignitas aut res magis necessaria desidere, tanquam mutum canem, apud Episcopum, quam residere ad proprium titulum, & suscepto gregi curam pastoralem fideliter impendere.

§. 12. *De vicariis.* At, inquies, annon satis bene prospectum est Ecclesiis, & præbendariorum etiam conscientiis, per decretum illud *Innocentii*, de constituendo perpetuo vicario in Ecclesia illa quam præbendarius aliquis habuerit titulatam? Respondeo: Phrasi veterum vicarius vel legatum significat, vel successorem. Priore significatu vicarii Christi dicuntur qui a Christo missi sunt ad opus ministerii: Unde in Epistolis, quæ *Eusebio*, Papæ Romano tribuuntur, leguntur hæc verba, ep. 3. *Caput Ecclesiæ Christus est, Christi autem vicarii sacerdotes sunt, qui vice Christi legatione funguntur in Ecclesia.* 2 Cor. 5. 20. Hæc ibi. Sic etiam *Gregorius* primus, Papa Rom. lib. 12. ex registro, cap. 31. Et auctor commentarii, qui *Ambrosio* tribuitur, in 1 *Tim.* 5. *v.* 19. dicit, Presbyteros esse vicarios Christi. Et in Concilio illo *Meldensi*, quod *Meldis* anno Domini 845. inchoatum, & Parisiis anno sequente absolutum fuit, Episcopi illi Galli, in Præfatione, *Nos* (inquiunt) *licet indigni, Christi tamen vicarii, & Apostolorum ipsius successores.* Et cap. 80. *Nos autem Dei judicio, sui ab illo vicarii constituti.* Diaconos etiam *Ignatius* dicit esse vicarios Christi, Epist. ad Trallianos. Ubi monet ut revereantur Diaconos, ut Christum Jesum, *cujus sunt vicarii*, ὡς φύλακες εἰσι τοῦ τόπου. *Firmilianus*, in sua ad *Cyprianum* Epistola, quæ inter Epistolas *Cypriani* est 75. edit. Pamel. dicit, Apostolis Episcopos ordinatione vicaria successisse: post medium illius Epistolæ. Et hæc est altera vicarii significatio apud veteres. Quo sensu etiam in libro Pontificali, in *vita Joannis* primi, Papæ Romani, Episcopus Romanus dicitur vicarius beati Petri Apostoli. Et in libro, qui inscribitur, *Ordo Romanus*, quilibet Episcopus dicitur vicarius Apostolorum, immo & Christi. cap. *Qua die ordinetur Episcopus.* Ubi hæc leguntur verba; *Episcopi autem consecratio, qui est vicarius Apostolorum, immo & Christi, fit in Dominica.* Utramque verba ista significationem conjungunt, ac si dictum esset, Episcopum esse successorem Apostolorum, Christi autem legatum. At Episcoporum aut Presbyterorum superstitum, & Ecclesiarum ipsis creditarum se Pastores esse profitentium, vicarios Episcopos, aut vicarios Presbyteros, non invenio apud veteres.

Christus dedit Pastores & Doctores pro ædificatione suæ Ecclesiæ; at non legitur dedisse Pastorum rursum vicarios; neque pastoribus dedit potestatem delegandi partes officii pastoralis primarias alicui perpetuo vicario. Si vicarius iste §. 13. sit Presbyter, est ordine par ipsi præbendario, neque minorem habet potestatem aut necessitatem prædicandi Evangelium quam ipse Præbendarius: & quidem illi ipsi gregi cui jam præest; si modo eum Spiritus sanctus in eo grege constituit Episcopum. Nam si eum Spiritus sanctus non præfecit illi gregi, quomodo dici potest ingressus esse per ostium? Non est autem fas cuiquam pastori gregem sibi creditum committere furi & latroni, quem scit non ingredi per ostium, sed esse mercenarium. Sin autem eum Spiritus sanctus constituit illic Episcopum, jam non est minor ejus potestas pastoralis erga illum gregem, quam præbendarii; neque est potestas ejus subordinata potestati præbendarii aut ei vicaria, sed est plenaria potestas pastoralis a Deo ipso per ordinationem sacram accepta. Non est subpastor respectu præbendarii, sed pari potestate ac eodem gradu Pastor. Imo gregis illius solus est Pastor reipsa, alter vero solo nomine Pastor est. Pastorem agit, qui gregem pascit: *Ezech.* 34. 2. Unusquisque accipiet propriam suam mercedem secundum proprium suum laborem, κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. 1 *Cor.* 3. 8. Quæres, annon pascere gregem dicendus sit, qui per alium pascit eum, seu qui gregem committit alteri pascendum? Respondeo. Loquendo de pastore & grege spirituali, nemo dicendus est fidelis Pastor, aut gregem pascere, qui ei non deservit per seipsum, in prædicatione verbi & oratione. Sunt quidem aliquæ partes curæ pastoralis, quas pastor exequi poterit per alias idoneas personas, ut est cura mensarum & distributio pauperibus, quæ recte committitur diaconis: at prædicationem verbi, & orationem pastoralem necesse est ut pastor per seipsum exerceat, exemplo Apostolorum, *Act.* 6. 4. Unde Paulus Apostolus ait: *Si evangelizem, non est quod glorier, necessitas enim mihi incumbit, væ autem mihi est nisi evangelizem. Nam si volens hoc faciam, mercedem habeo; sin autem invitus, dispensatio credita est mihi.* 1 *Cor.* 9. 16, 17. Dona pastoralia non ab hominibus dantur, sed a Christo, qui dedit dona hominibus, dans quosdam quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas, quosdam autem Evangelistas, quosdam autem Pastores & Doctores; ad consummationem sanctorum, ad opus ministerii [εἰς ἔργον διακονίας] ad ædificationem corporis Christi. *Eph.* 4. 8, 11, 12. Unde, sicut Apostolici ministerii opus necesse est exsequatur Apostolus per seipsum in persona propria, & Propheta opus ministerii prophetici, & Evangelista opus Evangelistæ; sic Pastor & Doctor tenetur opus ministerii pastoralis & doctoralis facere per seipsum. Debet enim de accepto talento negotiari, ut lucrum faciat Domino suo.

suo. *Matth.* 25. 27. *Luc.* 19. 23. Negotiationem istam pastoralem *Gregorius* recte interpretatur prædicationem Evangelii cum oratione. Homil. 17. in Evangelia. & lib. 2. ex registro, cap. 39. Et sicut nemo nostrum transferre potest in alium mensuram illam gratiæ nobis donatam, ita etiam nemo debet negotiationis suæ ministerium alii demandare. Si Pastor & Doctor Ecclesiasticus censendus sit, qui alteri pascendum & erudiendum committit Dei gregem, tunc *Cyrus*, & *Darius*, & *Artaxerxes*, Persarum Reges, censendi erunt Ecclesiastici Pastores & Doctores, & sacerdotes; quia suis edictis, suppeditato etiam commeatu, commiserunt populum Israëliticum pascendum & erudiendum veris sacerdotibus & Levitis, cultumque sacrum restitui & per sacerdotes peragi curarunt. Et quilibet de plebe, occupato aliquo beneficio Ecclesiastico, censendus erit Pastor Ecclesiasticus, & pascere gregem dicendus; si portiunculam aliquam illius beneficii concedat vero alicui Pastori qui per se gregem pascat. Aut etiam qui Ecclesiæ aliquid patrimonium donaverit ad alendum Pastorem, Pastor erit & Doctor Ecclesiasticus. Quo quid absurdius? Certe Reges & alii in Ecclesiam de suo benefici dici possunt, nutritii Ecclesiæ, sed non sunt Ecclesiastici Pastores aut Doctores.

§. 14. Quamvis autem Pastores vicarios non admittamus; non tamen damnatum imus legationes Ecclesiasticas. Antiocheni ad Apostolos & Presbyteros Hierosolymitanos miserunt *Paulum* & *Barnabam* legatos, rursusque Apostoli & Presbyteri Hierosolymitani miserunt, cum *Paulo* & *Barnaba*, *Judam* & *Silam* legatos ad fratres Antiochenos. *Act.* 15. Ad conventus Ecclesiasticos mittebantur quandoque legati *τοποτηρηταὶ*, a Patriarchis & Episcopis senio aut morbo aut alia justa exceptione domi detentis: eosque legatos, Episcopi & Provinciæ unde missi erant, potestate instructos, invenimus in Conciliis sedisse & suffragia tulisse, & actis subscripsisse. Hujusmodi suos ad Concilium Chalcedonense legatos *Leo* primus, Papa Rom. vocat suos vicarios. Epist. 47. Item in electione Episcopi, clerus & populus quandoque non invenientes aptam personam in quam consentirent, duos aut tres viros probos & prudentes ex suo numero seligebant, quibus electionem demandabant, eosque mittebant ad Patriarcham, instructos potestate totius cleri & populi, ad eligendum ex Patriarchæ consensu Episcopum; ut patet ex Gregorii registro, lib. 2. cap. 68. & 78. Episcopi etiam ægritudine aut necessariis occupationibus impediti mittebant legatos per suas diœceses & parochias; sicut habetur can. 35. Concilii Toletani quarti. Verba canonis hæc sunt; Episcopum per cunctas diœceses parochiasque suas, per singulos annos ire oportet, ut exquirat, quo unaquæque basilica in reparationem sui indigeat. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id explere nequiverit, Presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat, qui & reditus basilicarum, & reparationes, & ministrantium vitam inquirant. Hæc ibi. Eundem canonem inseruit Gratianus Decreto, caus. 10 qu. 1. *Episcopum.*

§. 15. Dices, si absente legato, alius, pro eo, in ejus Ecclesia prædicet Evangelium, aliaque pastoralia munera exsequatur, eritne is dicendus vicarius? Respondeo: Non est dicendus vicarius, sed visitator, vel adjutor, sive auxiliator, pro tempore. Sunt enim *συνεργοὶ* perpetui omnes ministri in universali Ecclesia laborantes: at respectu certæ alicujus particularis Ecclesiæ ille tantum dicendus est *συνεργὸς* perpetuus, qui alterius ministri ordinarii collega est in ejusdem Ecclesiæ ministerio, utrisque, quamdiu vires annique sinunt, cooperantibus & collaborantibus in opere illius ministerii. Cooperator vero seu coadjutor ad tempus, est frater præstans pro tempore operam auxiliarem & fraternum adjumentum fratri suo vel absenti, vel infirmo, vel alia quacunque justa de causa. Dominus dixit, dignum esse operarium mercede sua, *Luc.* 10. 7. Sed quid nos (inquit *Gregorius*) quod tamen sine dolore dicere non possumus, quid nos, ô pastores, agimus, qui & mercedem consequimur, & tamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minime in prædicatione laboramus. Pensemus cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Hæc *Gregorius*, homil. 17. in Evangelia.

Vide supra cap. 1. §. 9.

Oboritur hic quæstio de scholis & collegiis studentium, an illis liceat percipere reditus Ecclesiasticos? Respondeo; Ecclesiasticis utilitatibus desudantes Ecclesiastica æquum est remuneratione gaudere: ut ostensum superius, cap. 4. §. 3. Idcirco, nisi aliunde scholis prospectum sit, non debet ab æquitate alienum censeri, si scholastici, propter commune seminarium Ecclesiæ & Reipublicæ, & communia studia in totius corporis necessariam utilitatem suscepta, accipiant idonea stipendia ex reditibus Ecclesiarum, sine Ecclesiæ detrimento, & absque Evangelii impedimento. §. 16. *De scholis.*

Ad sextam exceptionem, Commendatio jurata] Ultra tres menses (extra casum inevitabilis necessitatis) Ecclesiam vacare Pontifice seu Episcopo, statuta sacrorum canonum non permittunt: ut patet ex Concilii *Chalcedonensis* canone vigesimo quinto, & ex *Gregorio*, lib. 6. ex registro, cap. 203. quod etiam hodie observari debere notat auctor glossæ, ad cap. 12. *Dilectus.* *Extra*, de concessione præbendæ. Et statutum est in Concilio *Lateranensi*, sub *Innocentio* Papa tertio, anno Domini 1285. cap. 23. ut ultra tres menses cathedralis, vel regularis Ecclesia non vacet. De aliis autem inferioribus titulis & officiis, recitatur hæc constitutio ex Concilio Lateran. Cum præbendas Ecclesiasticas seu quælibet officia in aliqua Ecclesia vacare contigerit; non diu maneant in suspenso, sed infra sex menses, personis quæ digne administrare valeant, conferantur. *Extra*, de concessione præbendæ. cap. 2. *Nulla.* De intercessoribus autem seu commendatariis, in Concilio *Carthaginensi* 5. can. 8. constitutum est, ut nulli intercessori licitum sit cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere, sed dare operam, ut intra annum eisdem Episcopum provideat. Quod si neglexerit, anno exempto, interventor alius tribuatur. Hactenus verba illius canonis. Concilium hoc *Carthaginense Binius* dicit esse nomine quintum, ordine temporis vero tertium, & celebratum esse anno Domini 398. Eadem constitutio invenitur in Concilio *Africano*, quod celebratum est tempore *Bonifacii* & *Cælestini* Romanorum Pontificum, cap. 41. tom. 1. Concil. pag. 917. edit. Paris. & in codice canonum Ecclesiæ Africanæ, can. 74. & apud *Gratianum*, caus. 7. qu. 1. *Constitutum.* §. 17. *De sexta exceptione. Ubi de commendis.*

Commendationes seu visitationes Ecclesiarum vacantium pie olim ac prudenter introductæ sunt, &, servatis eis regulis quas superius, cap. 3. §. 6. & hoc capite, commemoravimus, licitus §. 18.

etiam

etiamnum & laudandus esset earum usus. At quod honestis initiis cœpit, magno Ecclesiarum bono, id postea, hominum vitio, versum est in abusum, & pristina commendationum utilitas conspici desiit. Quod ut evidentius perspiciatur, observentur, inter commendationes priscas & hodiernas, hæ antitheses. 1. Olim Commendatarius conservabat commendatæ Ecclesiæ reditus in emolumentum illius Ecclesiæ, neque sibi quicquam inde sumebat, nisi necessarios sumptus, quos facere oportebat tempore visitationis; eosque accipiebat inspectante Metropolitano, aut Episcopo, & ex ejus discretione. Nunc autem Commendatarii sibi capiunt Ecclesiarum reditus, nec præstant visitationis obsequium. 2. Olim Commendatarius non erat capax tituli Ecclesiæ commendatæ: Nunc secus se res habet, conversa commenda in titulum. 3. Olim Ecclesiæ vacantes commendabantur pastoribus aptis ad docendum, qui etiam in Ecclesiis sibi commendatis prædicabant Dei verbum, & alia exsequebantur munera pastoralia: Nunc id non fit. 4. Olim Commendatarius operam dabat ut Ecclesiæ commendatæ Pastor canonice eligeretur, qui titulum obtineret & præfecturam illius Ecclesiæ. Non ita nunc. 5. Olim nemo poterat ultra unius anni spatium commendatarius esse alicujus Ecclesiæ: Nunc autem sunt commendatarii ad vitam, & quidam in perpetuum cum successoribus, & alicubi etiam commendæ sunt hæreditariæ. Claudamus autem hanc de pluralitate titulorum, & de vicariis, & commendis, dissertationem, his versibus:

Antitheses inter priscas & hodiernas commendas. Vide supra cap. 3. §. 6.

De pluralitate titulorum.

Non plures unus titulos de jure tenebit.
Ast ubi pastores pauci, aut Ecclesia pauper,
Fas uni geminam pro tempore pascere plebem.

De vicariis.

Non est pastoris de jure vicarius ullus.
Commissas nam Pastor oves per se ipse tenetur
Pascere: quod quisquis refugit, non Pastor habendus.
At poterit jungi collega, vel auxiliator.

De commendis.

Justas atque pias commendas jure probamus:
At non illicitas; quando nec idonea tali
Persona est oneri, nec spiritualia quærit
Lucra, nec ut Pastor veniat procurat, at ansa
Sacrilego appropriat sibi pastoralia jura.

CAPUT V.

De Episcopi electione, secundum antiquos canones, & veteris Ecclesiæ consuetudinem.

§. 1. SUperiore capite, §. 11. in examine quintæ exceptionis, asserebamus, universo clero olim jus fuisse eligendi Episcopum, cum consensu populi Christiani: & assertionis istius uberiorem explicationem & demonstrationem, ne orationis cursus ad sequentia festinantis illo loco abrumperetur, aut impediretur, differendam judicavimus, donec peracto exceptionum examine, adjiceremus hoc caput, quod memoratæ explicationi & demonstrationi commodius seorsum destinari posse existimavimus. Ubi quædam testimonia Patrum & Conciliorum, asser-

tionem nostram illustrantia & confirmantia, in medium proferemus.

§. 2. *Cyprian.* *Cyprianus*, epist. 68. (seu lib. 1. epist 4.) dicit ipsam plebem maxime habere potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Idque explicans; Quod (inquit) & ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur: sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit dicens; *Apprehende* *Num.* 20. *Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus,* 25,26,27. *& impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic.* Coram omni Synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata. Quod postea secundum divina magisteria observatur in Actis Apostolorum; quando de ordinando in locum Judæ Episcopo, Petrus ad plebem loquitur. *Surrexit*, inquit, *Petrus in medio discentium, fuit autem turba in uno.* *Act.* 1. 15. Nec hoc in Episcoporum tantum & sacerdotum, sed in diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus, de quo & ipso in Actis eorum scriptum est: *Et convocaverunt*, inquit, *illi duodecim totam plebem discipulorum, & dixerunt eis.* *Act.* 6. 2. Quod utique iccirco tam diligenter & caute, convocata plebe tota, gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Ordinari enim nonnunquam indignos, non secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam præsumptionem, & hæc Deo displicere, quæ non veniant ex legitima & justa ordinatione, Deus ipse manifestat per Osee Prophetam dicens: *Sibimetipsis constituerunt Regem, & non per me.* *Osee* 8. 4. Propter quod diligenter, de traditione divina, & Apostolica observatione, observandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Hæc ibi.

§. 3. Idem, epist. 52. (seu lib. 4. epist. 2.) laudans *Cornelium* Episcopum Romanum, ejusque accessum ad Episcopatum; Venio jam nunc (inquit) ad personam *Cornelii* collegæ nostri; ut *Cornelium* nobiscum verius noveris, non de malignorum & detrahentium [*Novatianorum*] mendacio, sed de Domini Dei judicio, qui Episcopum fecit, & coëpiscoporum testimonio, quorum universus numerus per totum mundum concordi unanimitate consensit. Nam, quod *Cornelium* charissimum nostrum Deo & Christo, & Ecclesiæ ejus, item consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iste ad Episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulavit nec voluit, nec, ut cæteri quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, invasit; sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus

nitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non, ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus acciperet. Et factus est Episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres de ejus ordinatione miserunt. Factus est autem *Cornelius* Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio; cum nemo ante se factus esset, cum *Fabiani* locus, id est, cum locus *Petri*, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Hæc *Cyprianus*.

§. 4. *Concil. Nicæ. I. an. Dom. 325.* *Καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο.* Magna Oecumenica prima Synodus Nicææ celebrata, in sua ad Alexandrinam Ecclesiam epistola, (apud Theodoretum, lib. I. Hist. Eccl. cap. 9. & Socrat. lib. I. cap. 6.) jubet, ut, si quisquam in Ecclesiastico munere constitutus diem suum obierit, tunc dignus aliquis in defuncti locum succedat, eligente populo, & electionem confirmante Alexandrino Episcopo.

§. 5. *Julius I. P. Rom.* *Julius* Episcopus Romanus, hujus nominis primus, in sua epistola ad Eusebianos, (apud *Athanasium*, in Apologia Athanasii ad Imperatorem Constantium. tom. I. Oper. *Athanasii*, pag. 749. edit. Paris. Græco-L. an. Domini 1627.) reprehendit illegitimam agendi rationem, in constituendo Georgio in Episcopum Alexandrinum, ab Eusebianis adhibitam; ubi præter injuriam factam Athanasio innocenti, hæc insuper in eo negotio culpanda esse docet, etiamsi Athanasius ob culpam aliquam merito fuisset ejectus; quod constituissent Alexandriæ Episcopum, hominem exterum, neque Alexandriæ baptizatum, neque cognitum multitudini, neque postulatum a Presbyteris, neque ab Episcopis, neque a populis; cumque non in Ecclesia aut urbe Alexandrina, sed in urbe Antiochia constituissent Episcopum Alexandriæ, & Alexandriam misissent, non comitatum Presbyteris, non Diaconis civitatis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus. Ista in Georgii creatione dicit facta esse *παρανόμως, καὶ παρὰ τὸν ἐκκλησιαςικὸν κανόνα*, illegitime, & præter canonem Ecclesiasticum; etiam seposita consideratione Athanasii.

§. 6. *Patres Græci Concil. 2. Œcum.* Patres qui secundum Oecumenicum Concilium Constantinopoli celebrarunt, sub seniore *Theodosio* Imperatore, anno Christi 381. in sua epistola, quam scripserunt ad *Damasum*, *Ambrosium*, aliosque Episcopos Occidentales, quæ exstat apud *Theodoretum*, lib. 5. Hist. Eccles. cap. 9. Ecclesiæ (inquiunt) Constantinopolitanæ reverendissimum sanctissimumque *Nectarium*, in Concilio Oecumenico, communi omnium consensu [*μετὰ κοινῆς ὁμονοίας.*] præsente *Theodosio* Imperatore religiosissimo, totius denique cleri, totiusque civitatis suffragiis, [*παντός τε τοῦ κλήρου καὶ πάσης ἐπιψηφιζομένης τῆς πόλεως*,] Episcopum constituimus. Ecclesiæ autem Antiochenæ reverendissimum & sanctissimum *Flavianum* Episcopi illius provinciæ & Orientalis diœceseos, tota illa Ecclesia, uti canon postulat, suffragante, & velut uno ore, virum illum honorifice collaudante, Episcopum ordinarunt: [*κανονικῶς ἐχειροτόνησαν πάσης συμψήφου τῆς ἐκκλησίας*·] quam quidem ordinationem legitimam [*ἔνθεσμον χειροτονίαν*] communi consensu approbavit Concilium. Hæc illi.

§. 7. *Gregorius Nazianzenus*, orat. 21. quæ est de laudibus *Athanasii*, loquens de modo quo *Athanasius* factus est Episcopus Alexandriæ, dicit eum ad *Marci* thronum evectum esse, totius populi suffragio, [*ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντός*] & hunc vocat Apostolicum & spiritualem modum. *Greg. Naz. Vide instr. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 6. §. 23.*

Leo, hujus nominis primus, Papa Romanus, epist. 89. ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos, cap. 4. ait; Exspectarentur certe vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus, ab his qui norunt Patrum regulas, custodiri, ut Apostolicæ autoritatis norma in omnibus servaretur, qua præcipitur, ut sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solum attestatione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt testimonio muniatur, neque ullius scandali relinquatur occasio, cum per pacem & Deo placitam concordiam consonis omnium studiis, qui Doctor pacis futurus est, ordinatur. Et cap. 6. Per pacem & quietem, sacerdotes qui præfuturi sunt, postulentur. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Hæc ibi. Idem etiam, epist. 92. ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum, cap. 1. Nulla (inquit) ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Hæc Leo. §. 8.

Posterius istud *Leonis* testimonium, ex epist. 92. nobis recitatum, posuit etiam in Decreto *Gratianus*, Dist. 62. can. *Nulla*. Idipsum repetit *Nicolaüs* II. Papa Rom. in Concilio Romæ habito, anno Domini millesimo quinquagesimo nono, & docet, observandam sedulo esse hanc regulam in electione & consecratione Romani Pontificis. Dist. 23. can. *In nomine*. Ubi etiam & hanc adjicit regulam; Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus: vel si de ipsa non invenitur, ex alia sumatur. Hæc *Nicolaüs*. Quo pertinet illud *Cœlestini* primi, Papæ Romani; Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis & ordinis consensus ac desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit reperiri. Hæc *Cœlestinus*, epist. 2. quam ad Episcopos per Viennensem & Narbonensem provincias constitutos, scripsit, Felice & Tauro Coss. quorum Consulatum *Marianus* Scotus attribuit anno Christi 429. alii an. 428. Plura autem hac de re addit ibi *Cœlestinus*, cujus verba invenies etiam apud *Gratianum*, Dist. 61. can. *Nullus invitis*. Idipsum etiam *Gregorius* primus, Papa Romanus, docet observandum in electione Episcopi, nisi nullus in diœcesi inveniatur ad Episcopatum dignus. lib. 2. ex registro, cap. 19. & cap. 26. §. 9. *Nicolaüs II. Papa Rom.* *Episcopus eligatur de gremio Ecclesiæ cui præfuturus est.* *Cœlestin. I. Papa Rom.* *Gregor. I. Papa Rom. Vide cap. 6. §. 13.*

§. 10. *Florus.* Exstant in Bibliotheca Patrum, quædam Collecta a *Floro* ex sententiis antiquorum, ubi *Florus* ait; Manifestum est omnibus qui in Ecclesia Dei sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa quæ in ordinatione Episcopali, & sacrorum canonum auctoritas, & consuetudo Ecclesiastica, juxta dispositionem divinæ legis, & traditionem Apostolicam, jubeat observari: videlicet, ut pastore defuncto, & sede vacante, unus de clero Ecclesiæ, quem communis & concors ejusdem cleri, & totius plebis consensus elegerit, & publico decreto celebriter ac solemniter designaverit, legitimo Episcoporum nume-

numero consecratus, locum decedentis Antistitis rite valeat obtinere. Hæc *Florus*, in Bibliotheca Patrum, tomo nono, editionis quartæ, columna 1356.

§. 11. *De isto Joanne Papa Rom. vide Instr. Historico-Theol. lib. 7. cap. 12. §. 13, 14, 55,* *Joannes* VIII. Papa Rom. epist. 199. Post hujus (inquit) Patriarchæ [*Photii*] obitum, nullus de laicis vel curialibus in Patriarchatus eligatur & conservetur honore, nisi de cardinalibus presbyteris & diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundum sacros canones. Hæc ille.

CAPUT VI.

Utrum licita sit tituli mutatio, sive transmigratio ab uno titulo ad alium titulum, seu stationem & curam Pastoralem.

§. 1. NOn quærimus hic de translatione sedis Episcopalis, ab una parte diœceseos ad aliam ejusdem partem commodiorem; talis mutatio haud dubie licita est, quando a loco minus commodo ad alium commodiorem Episcopalis sedes auctoritate publica transfertur. Unde *Gregorius*, hujus nominis primus, Episcopus Romanus, scribens *Joanni* Episcopo Vellitrano; Temporis (inquit) qualitas admonet, Episcoporum sedes, antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia quæ securiora putamus ejusdem diœceseos loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possit periculum facilius declinari. Propterea te *Joannem* fratrem coëpiscopumque nostrum Vellitrensis civitatis, sedemque tuam in locum quem HARENATA ad sanctum Andream Apostolum dicunt, præcipimus exinde transmigrari: quatenus & ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinum solennium festa disponas. Hæc *Gregorius*, lib. 2. epistolarum ex registro, cap. 10.

§. 2. Neque nunc agitur de gubernatione alius Ecclesiæ committenda fratri, habitare ad suam priorem Ecclesiam nequeunti, sed per hostilem feritatem expulso. Hoc enim licitum esse patet ex regula illa, qua jubentur discipuli confugere in aliam civitatem, quando eos persequuti fuerint in una civitate, *Matth.* 10. 23. Neque propter iniquitatem persequentium, cadit pius pastor potestate pastorali, sed idoneus manet ad suscipiendum stationem pastoralem in alia civitate. Unde *Gregorius* scribens *Martino* Episcopo in Corsica; Justa, (inquit) poscentibus, aurem nos oportet benivolam commodare, quatenus & petentes remedia separata reperiant, & Ecclesiæ non desit sollicitudo pastoris. Et quoniam Ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore sacerdotali tua fraternitas decorata, ita est, delictis facientibus, hostili feritate occupata atque diruta, ut illuc ulterius spes remeandi nulla remanserit; in Ecclesia Salonensi, quæ jamdiu Pontificis auxilio destituta est, cardinalem te, secundum petitionis tuæ modum, hac authoritate constituimus sine dubio sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei amore secundum canonum præcepta, cuncta dispone vel ordina, ut & fraternitas tua suis desideriis se gaudeat esse potitam, & Ecclesia Dei alterno gaudio repleatur, cardinalem te suscepisse Pontificem. Hæc ille, lib. 1. ex regist. epist. 77. vide caus. 7. qu. 1. *Omnis qui.* At quid si postea Ecclesiæ priori pax restituatur, pateatque expulso liber regressus? Respondet *Gregorius*, revertendum ei esse ad priorem suam Ecclesiam. lib. 2. ex regist. cap. 25. cujus epistolæ verba recitavimus supra,

Cardinalem sacerdotem, id est, Episcopum.

cap. 4. §. 4. At certe si licita sit tituli mutatio sine persequutionis violentia, negari non poterit, quin frater ille etiam restituta pace manere possit in posteriore Ecclesia, dimissa priore, non jam propter persequutionem quæ desiit, sed propter alias justas rationes, ob quas Ecclesia nunc ei concedit mutationem tituli.

Sensus igitur propositæ quæstionis hic est; An liceat pastori alicujus certæ Ecclesiæ ad aliam migrare Ecclesiam, dimissa priore Ecclesia, nulla cogente vi hostili? (nam utramque retinere non potest, ut ostensum est, cap. 2.) vel si aliquando liceat, quænam requirantur ad legitimam tituli mutationem? §. 3. *Sensus propositæ quæstionis.*

Ad hanc quæstionem quo dilucidior sit nostra responsio, adferam prius aliquot decreta & dicta & exempla veterum in utramque partem: deinde, eis inter se collatis, & mature consideratis, directa dabitur, donante Domino, propositæ quæstioni responsio. §. 4.

Hæc faciunt contra mutationem tituli.

Concil. Nicæn. 1. Occum. can. 15. διὰ τὸν πολὺν τάραχον καὶ τὰς ϛάσεις τὰς γινομένας, ἔδοξε παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν παρὰ τὸν κανόνα εὑρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν· ὥϛε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον. Id est, Propter multas turbas & seditiones quæ fiunt, placuit omnino tolli morem illum qui contra regulam deprehensus est in quibusdam partibus: ut de civitate ad civitatem, neque Episcopus migret, neque Presbyter, neque Diaconus. §. 5. *Concil. Nicæn. 1. Occum. an. Dom. 325.*

Concil. Sardicens. can. 1. decretum est, ἵνα μηδενὶ τῶν ἐπισκόπων ἐξῇ ἀπὸ πόλεως μικρᾶς εἰς ἑτέραν πόλιν μεθίϛασθαι. Ut nemini Episcoporum liceat de civitate parva in aliam transmigrare. Ejus enim caussæ (inquit *Hosius*, Concilii illius præses, approbante Concilio,) prætextus est manifestus; nullus enim Episcopus adhuc inveniri potuit qui a majore civitate in minorem transire studuerit; unde constat eos avaritiæ & arrogantiæ servire. Sanctio huic canoni addita est, ut sic migrantes ne laicorum quidem habeant communionem. §. 6. *Concil. Sardic. an. Christi 347.*

Damasus, in Synodica confessione fidei Catholicæ, missa ad *Paulinum* Episcopum Thessalonicæ in Macedonia; Eos (inquit) qui ab Ecclesiis in quibus vixerunt, ad alias se transtulerint, usque eo a nostra communione alienos habemus, quoad ipsas ad urbes redierint, in quibus erant primum ad aliquem honoris Ecclesiastici gradum elati. Quod si quis in alterius locum, qui sedem mutavit, cooptatus sit, tantisper a dignitate sacerdotali vacet ille qui civitatem propriam deseruerit, dum qui ei successerit, obdormierit in Domino. Hæc *Damasus* Episcopus Romanus, in illa confessione, quam historiæ suæ Ecclesiasticæ inseruit *Theodoretus*, lib. 5. cap. 11. §. 7. *Damasus Romanus Ecclesiæ præsidebat annis Christi 370. & 380.*

Concil. Carthagin. 3. can. 38. Non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Episcoporum. §. 8. *An. Dom. 397.*

Concil. Chalcedonens. Occumen. can. 5. περὶ δὲ τῶν μεταβαινόντων ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν ἐπισκόπων, ἢ κληρικῶν, ἔδοξε τοὺς περὶ τούτων κανόνας παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἔχειν τὴν ἰδίαν ἰσχύν. Id est: De his qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis & clericis, placuit ut canones, qui de hac re a sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem. §. 9. *Concil. Chalced. an. Dom. 451.*

Ex Concilio Antiocheno citat *Gratianus* hunc canonem: Episcopum de diœcesi ad diœcesim non debere transire; neque si seipsum ingesserit; neque si a populis fuerit violenter attractus; ne- §. 10. *Canon est 21. Concil. Antioch. in*

 que

Nicænis, an. Dom. 341.

que si etiam hoc ei ab Episcopis suadetur: manere autem eum debere in Ecclesia Dei quam ab initio sortitus est, & non ab ea alibi demigrare, secundum regulam super hoc olim a Patribus constitutam decernimus. caus. 7. qu. 1. *Episcopum.*

§. 11. *Leo I. Episcopus Rom. tempore Concilii Chalcedonensis.*

Leo primus, Episcopus Romanus, epist. 84. ad *Anastasium* Thessalonicensem Episcopum, cap. 8. Si quis (inquit) Episcopus, mediocritate civitatis suæ despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem quacunque occasione transtulerit; non solum a cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria: ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit; nec illis, quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis contentus quisque sit; nec supra mensuras juris sui affectet augeri. Hæc *Leo*. Quæ etiam Decreto inserta sunt, caus. 7. qu. 1. *Si quis Episcopus.* Ubi author glossæ monet, non solum prohibitam esse transitionem ad majorem Ecclesiam; sed etiam ad parem, vel ad minorem.

§. 12. *Concil. Meldens. an. Dom. 845.*

Constitutum est in Concilio Meldensi, cap. 30. Ut si quis de ordine sacerdotali contemptu minoris Ecclesiæ, ambitiose & improbe ad potiorem adspirare contenderit, canonica erga eum definitio conservetur. Hæc ibi. Et repetit *Gratianus* 7. qu. 1. *Si quis de ordine.* Adjecta hac exegesi; hoc est, ut utraque careat.

§. 13. *Gregor. I. Papa Rom. an. Dom. 600. Vide supra cap. 5. §. 9. & 10.*

Gregorius Episcopus Romanus, hujus nominis primus, commendans clero & populo & visitatori alicujus Ecclesiæ electionem Episcopi, hanc solebat adjicere monelam; ut nullum eligerent ex alia qualibet Ecclesia, sed aliquem ex ejusdem Ecclesiæ clero eligerent in Episcopum, si dignum invenirent, neque foris aliquem quærerent, nisi in clericis illius Ecclesiæ, cui Episcopus quærebatur, nullus reperiretur idoneus. lib. 2. ex regist. cap. 19. & cap. 26. Verba *Gregorii* ad *Benenatum* Episcopum, visitatorem Ecclesiæ Cumanæ, hæc sunt: Commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia; nisi forte inter clericos ipsius civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Hæc ille, lib. 2. ex registro, cap. 19. Eisdem etiam verbis scripsit ad *Ioannem* Episcopum Squilitanum, visitatorem Tauriatinensis & Turritanæ Ecclesiarum; eodem lib. cap. 26. Unde colligere est, *Gregorium* vitasse translationes Episcoporum; & morem Ecclesiarum illo tempore (an. Dom. 600.) fuisse, ut defuncto alicujus diœceseos Episcopo successor eligeretur unus ex clericis ejusdem diœceseos.

§. 14. *De Formoso Papa Rom.*

Onuphrius Panvinius, in suo Chronico Pontificum Romanorum observat, *Formosum* fuisse primum qui ex Episcopo factus sit Papa Romanus. Is autem Papatum adeptus est anno Dom. 891. secundum Onuphrii Chronicon. Formosum istum Episcopum Portuensem ad Pontificatum Romanum largitione potius quam virtute, contradicentibus multis, assumptum esse, scribit *Platina*, in vita *Formosi*; ubi etiam *Onuphrius* hanc adjicit annotationem; *Formosus* Papa, ut ego observavi, primus omnium Romanorum Pontificum ex alienæ diœceseos Episcopo Romanus Pontifex est factus, cum ante ipsum non nisi ex presbytero, vel diacono cardinalibus factus fuisset Romæ Papa. Idem refert vetustissimus & sine auctoris nomine scriptus liber Bibliothecæ Vaticanæ. Hæc *Onuphrius*. Infelicitatem vero illorum temporum deplorat *Platina* in vita *Formosi*; Nescio quo fato, inquit, accidisse dicam, ut una cum industria Imperatorum, simul etiam Pontificum virtus & integritas deficeret; quæ quidem tempora infelicissima esse arbitror, quum auctoritate Platonis tales soleant esse reliqui cives, quales sunt in republica principes. Hæc *Platina*. Videantur quæ de corruptelis & calamitatibus illorum temporum scribit idem *Platina*, in vitis succedentium aliquot Pontificum, *Stephani* 6. & *Romani* 1. & *Ioannis* 10. & *Benedicti* 4. & *Leonis* 5. & *Christophori* 1. & *Sergii* 3.

§. 15. *De Gregorio Nazianzeno.*

Gregorius quidem multorum Episcoporum consensu ab urbis Nazianzi Episcopatu, ad Episcopatum Constantinopolis translatus est, & conscensa sede Constantinopolitana, egregiam navavit operam pastoralem in erudiendo illo populo, regendaque illa Ecclesia, refellendisque & explodendis hæretibus. Eamque translationem approbavit major pars Patrum in secundo Oecumenico Concilio Constantinopoli habito, an. Dom. 380. At Ægyptii antistites resistebant, querebanturque id esse contra canonem a Nicænis Patribus conditum, quo prohibentur translationes Episcoporum. Idcirco *Gregorius*, animadversa Ægyptiorum Episcoporum offensione, Episcopatum Constantinopolitanum deposuit in manus Patrum in illo Concilio, hortatus eos ut cum de orthodoxa fide contra hæreticos convenisset, non existeret aliqua propter eum dissensio: Nam ego, inquit, multis curis liberatus, ad tranquillitatem, quæ mihi pergrata est, memet recipiam: & vos itidem post longum illud & grave bellum pace optatissima fruemini. Valde enim absurdum esset, ut jam e telis hostium erepti, mutuo alius alium ferire, & nostras ipsorum vires conterere aggrederemur: quandoquidem eo pacto hostibus non parum daremus lætitiæ: quare virum conquirite præstabilem & sapientem [ἀξιέπαινον καὶ νοῦν ἔχοντα], qui provinciam tam plenam curarum, tum capessere, tum probe administrare possit; eumque Episcopum designate. Quibus rationibus persuasi præstantissimi illi pastores, quod *Gregorio* dederant, a volente receperunt, &, secundum veteres canones, alium, nondum Episcopum, quæsiverunt: tandemque *Nectarium*, virum nobilitate generis & pietate insignem, virum Patricium, ordinarunt Episcopum Constantinopolitanum. Hanc historiam referunt *Socrates*, lib. 5. Histor. Eccles. cap. 6. Græc. at Latin. cap. 5. & *Theodoretus*, lib. 5. Hist. Eccles. cap. 8. ubi ponuntur illa *Gregorii* verba ad Synodum habita, prout ea commemoravi: & *Sozomenus*, lib. 7. Hist. Eccles. cap. 7. & *Nicephorus Callist.* lib. 12. Hist. Eccles. cap. 10. & cap. 11. & 12. Hæc quidem in secundo Concilio gesta sunt.

§. 16. *Series Episcoporum Const. a Nectario ad Nestorii successorem Maximianum.*

Nectario autem in Episcopatu Constantinopolitano successit *Ioannes*, dictus *Chrysostomus* (Socrat. lib. 6. Hist. Eccles. cap. 2.) & *Ioanni* successit *Arsacius*, (Socrat. lib. 6. cap. 19. Græc. at Lat. cap. 7.) & *Arsacio Atticus*, (Socrat. lib. 1. cap. 20. Græc. at Latin. cap. 18.) Dein *Attico* successit *Sisinnius*, (Socrat. lib. 7. cap. 26.)

Narratio de Proclo. Vide §. 22.

Presbyterum *Proclum Sisinnius Cyzici* Episcopum ordinavit [ἐχειροτόνησε], quem ad illam urbem profecturum anteverterunt Cyziceni, *Dalmatiumque* monachum ordinarunt [χειροτονοῦσιν]. Proinde *Proclus* cum suæ ipsius Ecclesiæ administrationem non obiret [οἰκείας μὲν ἐκκλησίας μὴ προεστὼς], in Ecclesiis Constantinopolis mansit, in quibus docendo, magnam laudem adeptus est. (Socrat. lib. 7. cap. 28.) *Sisinnio* in Episcopatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ suc-

successit *Nestorius*, (Socrat. lib. 7. cap. 29.) *Nestorius* in hæresin prolapsus, in eaque pertinax, abdicatus & depositus est ab Episcopatu, per sententiam Synodicam Concilii tertii Oecumenici, quod Ephesi celebratum est, præsidente *Cyrillo* Alexandrino, anno Dom. 431. Exauctorato autem *Nestorio*, orta est Constantinopoli controversia de Episcopo eligendo; nam multi *Philippo* Presbytero, plures autem *Proclo*, cujus jam ante fecimus mentionem, suffragabantur. Atque *Proclus* certe priores tulisset, si non quidam, qui multum authoritate valebant, ei obstitissent, dicentes canonem Ecclesiasticum vetare Episcopum alicujus civitatis nominatum, ad aliam civitatem transferri, [*εἰς ἑτέραν μεταφέρεσθαι πόλιν*,] quod, cum diceretur & crederetur, populum pacatum tranquillumque reddidit. Trimestri igitur spatio post abdicationem *Nestorii* decurso, *Maximianus* Episcopus designatur, vir monasticum vitæ genus excolens, dignitatis gradu presbyter. [*ἀνὴρ ἀσκητικὸς μὲν τὸν βίον, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις δὲ καὶ αὐτὸς ἐτέτακτο.*] Socrat. lib. 7. cap. 34.

§. 17. Concil. Turonens. 3. cap. 14. (celebratum anno Dom. 813.) De titulo minore ad majorem migrare, nulli presbytero licitum sit; sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia, qua Episcopus, si de minore ad majorem transmigraverit sedem.

His *contra tituli mutationem* allatis, subjiciamus nunc quædam pro ea.

Pro tituli mutatione, non quidem contra memoratos canones, sed per canonum illorum interpretationem, *faciunt ea quæ nunc subjungam.*

§. 18. *Gregorium* Nazianzenum *Meletius* Patriarcha Antiochenus, ex consensu multorum aliorum pientissimorum ac prudentissimorum Episcoporum, transtulit in sedem Constantinopolitanam, non ignarus canonis illius Niceni, sed propositum considerans eorum qui canonem conscripserunt, nam ut ambitionis materiam præciderent, vetuerunt pastorum translationes. [*ὁ θεῖος Μελέτιος τῶν τὸν κανόνα γεγραφότων τὸν σκοπὸν ἐπιστάμενος· τὰς γὰρ τῆς φιλαρχίας ἀφορμὰς περικόπτοντες, ἐκώλυσαν τὴν μετάθεσιν· ἐβεβαίωσε τῷ θειοτάτῳ Γρηγορίῳ τὴν τῆς Κωνσταντίνου πόλεως προεδρείαν*] ait *Theodoretus*, lib. 5. Histor. Eccles. cap. 8.

§. 19. Ipse etiam *Meletius*, qui vir *Theodoreto* θεῖος & θεσπέσιος, id est, plane divinus appellatur, fuit Episcopus cujusdam civitatis Armeniæ, antequam ad sedem Antiochenam assumeretur, procurantibus quidem Arianis, dum eum sectæ suæ existimarent fautorem, at consentientibus etiam orthodoxis, qui sanam illustris illius *Meletii* doctrinam, & præstabilem vitæ rationem, & virtutis denique divitias pro certo cognoscebant, ut scribit *Theodoretus*, lib. 2. Hist. Eccles. cap. 31.

§. 20. Translationem illam *Gregorii* Nazianzeni ad sedem Constantinopolitanam, ejusque rationem sic describit *Nicephorus Callist.* De eligendo Constantinopolitano Episcopo consilium habebant; Et primus ibi Imperator *Gregorium* propter vitam & eruditionem præstantem admiratus, dignum illum ea sede calculo suo judicasse dicitur. Qua in re Synodus ei, quod virtutem ejus viri revereretur, suffragata est. Potissimum vero ipsi divino *Meletio* videbatur, *Gregorio* Constantinopolitanum Episcopatum confirmandum esse, hac in parte canone de Episcoporum translatione, quem nonnulli consilium hoc reprehendentes objiciebant, posthabito. Optime quippe [illegible] continuo [illegible] Synodus [illegible] amorem [illegible] canonem eum [illegible] ex [illegible] uissent [illegible] prorsus extare [illegible] aut doctrina [illegible] utraque hæc [illegible] & publica [illegible] translationem [illegible] lib. 12. Eccl. Hist. cap. [illegible]

Hanc *Meletii* [illegible] verba ipsa canonis [illegible] censis, superius [illegible] Patres Constantinopolitani [illegible] *gorio* haud invito [illegible] quam a se in translatione *Gregorii* [illegible] contra mentem Patrum [illegible] censuum, sed tantummodo [illegible] clesiæ, hortante ipso *Gregorio*, [illegible] perunt, quod juste dederant; [illegible] *Theodoretum*, lib. 5. Hist. Eccles. cap. [illegible]

Maximiano Episcopo Constantinopolitano [illegible] postquam duos annos & menses [illegible] siam illam rexisset, ex hac vita [illegible] troversia & tumultus in Ecclesia [illegible] abjecta cunctatione *Proclum* illum [illegible] Cyzicenum, de quo supra meminimus [illegible] Constantinopolitana, per Episcopos [illegible] rant, collocandum curavit *Theodosius* [illegible] Imperator. Quum namque de eo [illegible] beratum esset, *Cœlestinus* quoque Episcopus Romanus suffragatus est huic negotio, per epistolas quas ad *Cyrillum* Episcopum Alexandriæ, & ad *Joannem* Episcopum Antiochiæ, & ad *Rufum* Thessalonicæ Episcopum misit, docens, nihil obstare, quo minus qui unius civitatis vel nominatus fuisset Episcopus, vel jam esset Episcopus, ad aliam civitatem transferretur. *Proclus* igitur ἐνθρονισθεὶς, id est, in sede Episcopali locatus, corpus *Maximiani* effert ad sepulchrum, funusque celebrat. *Socrat.* lib. 7. cap. 39. Lat. at Græc. cap. 40. & *Nicephor. Calist.* lib. 14. cap. 37.

[illegible] ipso Proclo in sede [illegible] successisse Flavianum, & huic Anatolium, de quibus vide Instruct. Hist. Theol. lib. 2. c. 9. & lib. 3. c. 3.

Iidem authores occasione controversiæ illius de *Proclo* motæ, translationem ejus legitimam fuisse; tum ratione, tum authoritate, multisque exemplis, demonstrant. *Socrat.* lib. 7. cap. 35. & *Niceph. Callist.* lib. 14. cap. 39. §. 23.

Reprehensores illius negotii, obtentu canonis Ecclesiastici, minime vera dixisse, sed vel invidia adversus *Proclum* ductos ea confinxisse, vel canonum sensum & mentem, multaque in Ecclesiis ad earum utilitatem per dispensationem non raro gesta penitus ignorasse contendunt. Nam apud veteres rem fuisse indifferentem [*ἀδιάφορον*,] transferre Episcopum ab una civitate ad aliam, quoties Ecclesiarum usus poscebat, [*ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μετάγειν ἐπίσκοπον, ὁσάκις χρεία ἐκάλει.*] Videlicet si sincerior pietas, vel Ecclesiasticæ forsan tranquillitatis constitutio translationem flagitaret. Prohiberi autem *transitionem* [*μετάβασιν*,] non *translationem* [*οὐ μετάθεσιν.*] Hanc enim, nempe *translationem*, id quod præter voluntatem & præter institutum fit, omnino significare; vocemque hanc veluti in inanimatis, & eis quæ ab alio moventur usurpari: illam vero, nempe *transitionem*, dici de animatis & eis quæ proprio arbitrio ac voluntate moventur. Adeo ut *transitio* sit eorum qui per arrogantiam ex sede sua in superiores thronos involant atque insiliunt: *translatio* autem, eorum qui ipsi

Discrimen transitionis, & translationis.

 invitі

inviti ab aliis alio producuntur. *Transitionem* igitur recte prohibitam esse canone Ecclesiastico, legitimam autem *translationem* nequaquam esse prohibitam.

§. 24. Multa proferunt exempla Episcoporum ab aliis e vitatibus ad alias translatorum [μετενεχθέντων,] propter opportunos & necessarios Ecclesiæ usus [διὰ τὰς κατὰ καιρὸν τῶν ἐκκλησιῶν χρείας.] Unum allegant ex Historia Ecclesiastica *Eusebii Pamphili*, quod apud illum exstat, lib. 6. [cap. 10. Gr. at Lat. cap. 9.] de *Alexandro*, civitatis cujusdam Cappadociæ Episcopo, quem Hierosolymam voti causa profectum, Hierosolymitani detinuerunt, & *Narcisso* Hierosolymæ Episcopo, extrema jam senectute gravato, collegam eum adjunxerunt, ita ut Hierosolymæ Episcopus esset *Alexander*, etiam vivente *Narcisso*. Hoc multis annis ante Nicænum Concilium gestum est, ut patet ex loco historiæ Eusebii citato.

§. 25. *Multa recenset Socrates exempla translationis Episcoporum.*

Adjungunt & alia exempla. *Socrates* quidem in hunc modum; *Perigenes* Ecclesiæ Patrensis ordinatus fuit Episcopus [ἐχειροτονήθη ἐπίσκοπος], quem, ubi populus illius urbis recipere eum recusavit, jussit Episcopus Romanus, mortuo jam Corinthi metropolis Episcopo, in ea sede collocari [ἐνθρονισθῆναι], atque ita *Perigenes* Ecclesiæ Corinthiacæ reliquo vitæ spatio præfuit [προέστη]. *Gregorius* etiam Nazianzenus primum Salimorum urbis Cappadociæ Episcopatum gessit, deinde Ecclesiæ Nazianzenæ Episcopus factus est. *Meletius* itidem primum Ecclesiæ Sebastiensis Episcopatu fungebatur, & postea præfuit Ecclesiæ Antiochenæ. *Dositheum* Seleuciæ Episcopum *Alexander* Antiochiæ Episcopus Tarsum Ciliciæ traduxit. *Berentius* primum Arcotum urbis Phœniciæ Episcopatum administravit, & postea Tyrum translatus est. *Joannes* Gordi civitatis Lydiæ Episcopus, Gordo Proconnesum translatus est, ibique rexit Ecclesiam [καὶ τῆς ἐκεῖ προέστη ἐκκλησίας]. *Palladius* Helenopoli Aspunem translatus est. *Alexander* Helenopoli translatus est Adrianos. *Theophilus* Apamæa urbe Asiæ Eudoxiopolin, quæ olim Salabria dicebatur, translatus est. *Polycarpus* Sexantapristis civitate Mysiæ translatus est Nicopolin urbem Thraciæ. *Hierophilus* Trapezopoli Phrygiæ, Plotinopolin Thraciæ; & *Optimus* Agdamia Phrygiæ, Antiochiam Pisidiæ; & *Silvanus* Philippopoli Thraciæ, Troadem translati sunt. Hæc *Socrates* commemorat translationum exempla antiqua. Nam historiam suam claudit *Socrates* in Episcopatu *Procli* Episcopi Constantinopolitani, de cujus translatione disserens attulit memorata exempla, lib. 7. cap. 36. Græc. at Latin. cap. 35.

§. 26. *Narratio de Silvano Episcopo.*

De *Silvano* autem, quem Philippopoli Troada translatum dixerat, subjungit sequente capite pleniorem narrationem. *Silvanum* hunc *Atticus* Episcopus Constantinopolitanus constituit Episcopum Philippopolis urbis Thraciæ; eo autem profectus, postquam triennium illic vitam degisset, cum frigus tolerare non posset, habens scilicet exile & imbecillum corpus, vir alioqui apprime doctus & pius, obsecravit *Atticum*, ut in ejus locum alium ordinaret Episcopum, [εἰς τόπον αὐτοῦ ἕτερον χειροτονῆσαι], dicens se non aliam ob causam quam ob frigus refugere vitæ traductionem in Thracia. Altero igitur pro eo constituto, mansit *Silvanus* Constantinopoli, vitamque monasticam [τὸν ἀσκητικὸν βίον] summopere excoluit: ab omni fastu alienissimus. Interposito autem non longo tempore, Episcopus Troadis moritur: qua de causa Troës Constantinopolim veniunt, quæsitum Episcopum. Ac dum *Atticus* secum consilium iniret, quemnam designaret [τινα χειροτονήσει], forte *Silvanus* in ejus conspectum venit. Quem ut vidit *Atticus*, confestim curam cogitandi deposuit, & ita *Silvanum* alloquutus est: Non est ulla tibi amplius excusatio, quominus Ecclesiæ administrandæ curam suscipias. Nam Troas nihil habet algoris; Ecce tibi locum opportunum [εὔκαιρον,] quem Deus corporis tui imbecillitati paravit. Ne cuncteris igitur frater, sed Troadem proficiscere. Quapropter *Silvanus* eo migravit [μετέστη οὖν ὁ Σιλβανός.] Sic se habuit translatio Silvani, prout eam refert Socrates lib. 7. cap. 37. ubi etiam plura de eodem Silvano commemorat.

Eadem exempla commemorat *Nicephorus Callist.* lib. 14. cap. 39. eisque alia adjungit. videl. quod *Petrus* Apostolus Ecclesiam Romanæ urbis primus gubernaverit; deinde primus etiam Alexandriam forte transierit [κλήρῳ μετέβαινε]; in quibus Ecclesiis ubi *Linum* & *Marcum* Episcopos creavit, alias rursus urbes adiit. Sed de Apostolis diversa ratio est, quibus universæ Ecclesiæ cura fuit imposita. Sic *Paulus* Apostolus sedit Corinthi octodecim menses, *Act.* 18. 11. & postea Ephesi biennium, *Actor.* 19. 10. imo triennium, *Act.* 20. 31. Quamvis enim haberent ipsi etiam Apostoli distinctos canones, seu regiones & ministeria; necesse erat tamen unumquemque Apostolum diversa canonis sui loca obire, διελθεῖν. *Act.* 20. 25. Fateor tamen utilitatis rationem esse generalem. In exemplis autem translationum recensendis pergens *Nicephorus* ait; Magnus ille *Eustathius* a Berrhœa (quæ eadem est Chaleb) in Antiochiam translatus est, *Constantino* primo Christiano Imperatore Imperium Romanum administrante. Sub quo & *Maximus* ex Diospoli Hierosolyma transiit, magno *Macario* succedens. Sed & *Eudoxius* ille pravæ prorsus contra nomen suum opinionis [Εὐδόξιος ὁ κακόδοξος] ex Germanicia primum Antiochiam, & inde postea Constantinopolim est translatus. §. 27. *Alia translationis exempla adjicit Nicephorus Callist.*

His subjungit exempla ex Socrate modo commemorata: eisque alia annectit plurima exempla translationum posterioribus etiam seculis factarum. Deinde repetit memoratam distinctionem *translationis* & *transitionis*, suamque de Episcoporum translationibus dissertationem claudit duobus testimoniis, quæ ait esse *Cœlestini* & *Anterii*, Pontificum Romanorum. Ejus verba sunt; Id quod *Cœlestinus* Romæ Episcopus, in suis, sicut ipse appellat, secretis, capite secundo, hisce utens verbis ostendit; Si Episcopus utilitatis gratia transferatur, ne id per seipsum faciat, sed fratribus cogentibus. Et rem eam sacræ hujus sedis authoritate expediat, non inanis gloriæ, verum utilitatis communis aut necessitatis ergo. Eadem & *Anterius* collega ejus refert, ita ad verbum dicens; Translationem Episcoporum communis utilitatis aut necessitatis gratia scitote fieri licere, non autem cujuslibet cupiditate, aut dominationis affectatione. Siquidem *Petrus* doctor & dux noster Ecclesiasticæ utilitatis causa ex Antiochiæ Romam translatus est, & inde postea Alexandriam transiit, ut qui istic prodesse magis Ecclesiæ posset. *Eusebius* autem ex oppido quodam parvo, Apostolica authoritate Alexandriam est traductus. Atque eo modo & *Felix* ex civitate quæ ei civium electione obtigerat, propter eam qua præditus erat egregiam doctrinam & vitam, de communi Episcoporum reliquorumque sacerdotum atque Apostolicorum virorum * consilio Ephe- §. 28.

sum

* *Alii legunt, populorum.*

sum transiit. Non enim civitatem civitate mutat, qui id non cupiditate sua aut vanæ gloriæ studio facit; verum propter utilitatem aliquam aut necessitatem, aliorum authoritate majore pollentium cohortatione & consilio, ex minore in majorem urbem transit: non inani gloria aut voluntate ipse sua ductus, sed authoritati potentiorum obsequutus, aut sede sua expulsus, aut etiam utilitate loci vel populi permotus: & quidem non arroganter, sed humiliter ab aliis productus. Hæc nomine *Cælestini* & nomine *Anterii* recitat *Nicephorus Callist.* lib. 14. Hist. Eccl. cap. 39. interprete *Joanne Lanzo*.

§. 29. Posterius testimonium nomine *Anterii* citat etiam *Gratianus*, caus. 7. qu. 1. can. *Mutationes*. Ubi omittit hæc verba de *Petro*, [*& inde postea Alexandriam transiit.*] Idem etiam ex *Pelagio* Papa allegat verba sequentia: Scias, frater dilectissime, [inquit *Pelagius* Papa scribens *Benigno* Archiepiscopo,] aliud esse causam necessitatis & utilitatis; aliud præsumptionis ac propriæ voluntatis. Non ergo mutat sedem qui non mutat mentem: id est, qui non avaritiæ causa, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ, migrat de civitate ad civitatem; sed causa necessitatis & utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas unius utilitati vel voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, & aliud mutari. Nam aliud est sponte transire, aliud coacte aut necessitate venire. Unde non isti mutant civitatem, sed mutantur: quia non sponte, sed coacti hoc agunt. Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis vel utilitatis fieri posse quoties communis necessitas aut utilitas persuaserit. caus. 7. qu. 1. can. *Scias frater.*

Pelagius a. Papa Rom. epist. 1. ad Benignum.

Aliud est mutare, aliud mutari.

§. 30. Item, ex ejusdem *Pelagii* eadem epistola ad eundem *Benignum*; Qui negant misericordiam faciendam fugientibus, & necessitatem patientibus; ipsum Christum negant, qui est misericordia & veritas: negant autem misericordiam necessitatem patientibus, qui populis indigentibus divinis ministeriis & non habentibus proprium Episcopum qui eos instruat, causa necessitatis atque utilitatis, ex alia civitate (licet minor sit) in eam quæ non habet, Episcopum doctiorem vel potiorem & utiliorem, meliori consilio, non sponte transeuntem, sed majorum exhortatione, mutare negant: aut Episcopum dejectum & persequutionem patientem causa utilitatis aut necessitatis nolunt inthronizare. caus. 7. qu. 1. *Omnis qui.* Item ex *Evaristo* Papa; Episcopus Ecclesiam suam, id est, illam ad quam sacratus fuit, non dimittat, absque inevitabili necessitate, aut Apostolica vel regulari mutatione; ut alteri se ambitus causa conjungat. 7. qu. 1. *Sicut vir.*

§. 31. Concilii Carthaginensis quarti, canon 27. sic se habet; Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat; nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sane si utilitas Ecclesiæ poposcerit, decreto pro eo clericorum & laicorum Episcopis porrecto, per sententiam Synodi transferatur; nihilominus alio in loco ejus Episcopo subrogato. Inferioris vero gradus sacerdotes vel alii clerici concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare. Hæc Patres illi Carthaginenses in Concilio illo Carthaginensi quarto, quod præsidente Aurelio Episcopo Carthaginensi celebratum est, Augusto Honorio 4. & Eutychiano Consulibus, Anno Christi 398. Hunc Concilii illius Carthaginensis canonem citat etiam Gratianus. 7. qu. 1. *Episcopus.* Concilium autem istud Gratianus vocat tertium Carthaginense; sed in tomis Conciliorum, ex editione Binii, quartum est.

Leo primus Episcopus Romanus, epist. 86. ad *Nicetam* Aquileiensem Episcopum, cap. 6. Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim a sanctis patribus, & a nobis sæpe decretum est, nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus ordine, ut nec in subsequenti officio clericorum, ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revoces, admonemus. Et unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est perseveret: ita ut si quis sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem & Ecclesiam suam redire neglexerit; & ab honoris privilegio, & a communionis vinculo habeatur extraneus. Hæc *Leo*. §. 32.

His allatis in utramque partem, de pastorum translatione, canonibus, testimoniis & exemplis veterum, tempus est ut ad propositam quæstionem directe respondeamus. §. 33.

Conclusio igitur hujus dissertationis hæc erit: Veteres prohibuerunt translationes, ut ambitioni & cupiditati ansam præciderent, & Ecclesiarum paci ac tranquillitati prospicerent, fuitque ea constitutio singulis etiam Ecclesiis apprime utilis: sic enim abjecta spe transmigrandi, unusquisque pastor ad Ecclesiam quam nactus erat, diligentissime pascendam, regendam, & ornandam omne studium conferebat: memor præcepti illius, quo jubentur pastores attendere sibi ipsis & universo gregi, in quo Spiritus sanctus eos constituit Episcopos, ad pascendum Ecclesiam Dei. *Act.* 20. 27, 28. Neque fas est pastori Ecclesiam illam, cui eum præfecit Spiritus sanctus, relinquere, nisi eodem monente & ducente sancto Spiritu. Sicut interdum factum est, ut ducente ipso sancto Spiritu pastor de una Ecclesia ad aliam migraret, honesto studio, & sincera pietate. Juris certe communis est ut non transmigrent pastores, juxta regulam illam jam citatam, *Act.* 20. 27, 28. & juxta canones Ecclesiasticos in hanc sententiam allegatos. Quibus addi possunt quædam ex eis quæ supra disseruimus contra ordinationes absolutas, & de necessitate certæ stationis & operis, supra cap. 1. Sunt autem quædam justæ exceptiones, nempe causa necessitatis, vel publicæ utilitatis. *Transmigrationis causa justa.*

Necessitas est vel personalis, vel Ecclesiastica. De Ecclesiastica necessitate nulli dubium est recte æstimanti, quin in casu necessitatis Ecclesiasticæ multa licita & necessaria sint, quæ extra illum casum non essent facienda. Necessitas autem personalis tribus modis contingit; videl. 1. Si pastor persequutionis violentia abactus in aliam civitatem juste commigrat; juxta illud: *Quando vos persequuti fuerint in civitate hac, fugite in aliam.* Matth. 10. 23. Nempe cum potestate pastorali, quam injusta persequutio adimere non potuit: quamvis ordine & decenter in Ecclesia Dei omnia peragenda sint; ut nemo alicubi Ecclesiasticum usurpet exercitium absque decreto & permissu aut consensu rectorum Ecclesiæ illius ad quam fugiens se recipit, nisi deprehendantur rectores illi a veritate rectoque judicio devii, sicut erant sacerdotes & doctores tempore Joannis Baptistæ, & Domini nostri Jesu Christi. Sed de fuga pastorum postea fusius Domino donante dicemus. 2. Necessitas personalis illi accidit, quem ad aliquam Ecclesiam destinatum cives non recipiunt, sicut contigit *Proclo*, a civibus Cyzicensis; & *Perigeni*, a Patrensibus; qui illos recipere recusarunt. Porro, si alimenta necessaria denegent, accensendi sunt non recipien-

§. 34. *Necessitas Ecclesiastica.*

Necessitas personalis.

Matth. 10. 10. pientibus, *dignus est enim operarius alimento suo*; quo spectat illud Domini nostri: *In quam autem civitatem intraveritis, & non receperint vos, egressi in plateas ejus, dicite, etiam pulverem, qui nobis ex civitate vestra adhaesit, excutimus vobis* Luc. 10. 10, 11. Hinc patet, liberam in tali casu esse migrationem: at simul etiam necessariam esse omnis ex eo loco (unde migravit) beneficii abrenunciationem; nam ipse etiam pulvis excutiendus est. Sic olim *Proclus & Perigenes* aliique sancti viri in tali casu fecerunt. 3. Necessitas personalis accidit ob debilitatem personae, sicut evenit olim *Silvano* Philippopoli; ita tamen ut dimisso Episcopatu intactum etiam relinquat beneficium.

Luc. 10. 10, 11.

§. 35. *Utilitas Ecclesiae.* *Utilitas* intelligenda est publica Ecclesiae. Omnia in Dei Ecclesia fieri debent decenter & ordine: *1 Cor.* 14. 40. & spiritus prophetarum subjecti sunt prophetis. *ibidem vers.* 32. Finis nostri ministerii est consummatio sanctorum, opus ministerii, aedificatio corporis Christi, usquedum occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram staturae plenitudinis Christi. *Eph.* 4. 12, 13. Nullam ergo partem hujus ministerii, ad hunc scopum directam, a nobis alienam debemus existimare, salvo decoro ordine, & interveniente divina vocatione. Ideo si Ecclesia judicaverit labores nostros alibi magis esse necessarios, & futuros alibi utiliores, nobis jussa capessere fas est.

§. 36. Hae solae sunt justae transmigrationis causae: videlicet necessitas, & publica utilitas. De simplici autem abdicatione inferius erit commodior dicendi locus, ubi de residentia ad titulum disseremus. *Transmigrationis causa injusta.* Injustae autem causae transmigrationis sunt vel respectu Ecclesiae quae relinquitur, vel intuitu illius quae suscipitur. Respectu Ecclesiae quae relinquitur sunt quatuor praecipuae; videl. impatientia, pusillanimitas, ἀσοργία, & μεμψιμοιρία. Prima & secunda labores & theriomachias respiciunt, tertia gregem, quarta fortunas seu externam conditionem pastoris. Intuitu autem Ecclesiae quae aditur, septem sunt praecipuae causae inidoneae, nempe; avaritia, luxuria, levitas, ambitio, amoenitas loci, ignavia seu iners captatio otii, & sodalitas vel amicitia. Nam, ut de ista postrema causa aliquid dicam, in pastoralis, aut in genere etiam in Christianae vocationis negotio, nullius personae respectus nos avocare debet ab officio pastorali, aut Christiano. Fidelis pastor principem pastorum imitari debet, qui omnem facientem voluntatem Patris coelestis habet loco fratris, & sororis, & matris. *Matth.* 12. 48, 49. Reliquarum causarum absurditas per se manifesta est.

§. 37. Summam hujus conclusionis accipe his paucis versibus:

1. *Ne te prava tuae capiant fastidia curae,*
Sis patiens, fortique animo, charissimus esto
Grex tibi, nec tenuem victum aspernabere pastor.

2. *Non tibi saevus amor nummi, ventrisve sagina,*
Non levitas, non ambitio, non tractus amoenus,
Non pastoralis fuga desidiosa laboris,
Nec perjucundus socius nec dulcis amicus
Excutiat propriis curam gregis; ut stationem,
In qua te coelestis heri mandata locarunt,
Vel facto mutes ipso, vel mente relinquas.

3. *At si te propria vis exigat hostica sede,*
Hospitiumve neget populus quem pascere tentas,
Corporis aut nequeant sufferre gravamina vires,
Dilectumve gregem ut mutes si publica poscat
Utilitas, fratrumque vocet sententia concors,
Vatibus auscultans vates sine crimine migras.

Atque haec de tituli mutatione dixisse sufficiat: proxime consideranda occurrit residentia ad proprium titulum, sicut initio proposuimus.

CAPUT VII.

Proponitur status quaestionis, de Pastoris Ecclesiastici residentia ad proprium titulum.

Non quaerimus hic an liceat abesse a proprio titulo propter persequutionis violentiam, id enim licitum esse monuimus in superioribus, & ea de re plura etiam Domino donante infra dicemus. Neque hic quaestio est, an pastori abesse liceat a populo eum non recipiente: nam & talem absentiam esse posse sine pastoris culpa, docuimus superiore capite. Quo pertinet canon ille 18. Concilii Antiocheni, an. Domini 341. qui canon etiam a Socrate citatur, lib. 7. Hist. Eccles. cap. 36. Graec. at Latin. 35. Canonis haec sunt verba: *εἴ τις ἐπίσκοπος χειροτονηθεὶς εἰς παροικίαν, μὴ ἀπέλθοι εἰς ἣν ἐχειροτονήθη, οὐ παρὰ τὴν αὐτοῦ αἰτίαν, ἀλλ᾽ ἤτοι παρὰ τὴν τοῦ λαοῦ παραίτησιν, ἢ δι᾽ ἑτέραν αἰτίαν οὐκ ἐξ αὐτοῦ γενομένην, τοῦτον μετέχειν τῆς τιμῆς, καὶ τῆς λειτουργίας, μόνον μηδὲν παρενοχλοῦντα τοῖς πράγμασι τῆς ἐκκλησίας, ἔνθα ἂν συνάγοιτο· ἐκδέχεσθαι δὲ αὐτὸν, ὃ ἂν ἡ τῆς ἐπαρχίας τελεία σύνοδος κρίνασα τὸ παριστάμενον ὁρίσῃ.* Id est: Si quis Episcopus ordinatus ad parœciam, ad eam ad quam ordinatus est non abierit, non sua culpa, sed propterea quod populus recuset, vel aliquam aliam ob causam nullo ejus vitio exortam, hunc [decernimus] & honoris & ministerii compotem esse, dummodo nullam rebus Ecclesiae, in qua convenit, molestiam afferat. Expectet autem hic, quid provinciae plenaria Synodus de re quae proponitur judicans determinatura sit. Hunc Antiocheni Concilii canonem citat etiam *Gratianus*, 92. Dist. cau. *Si quis Episcopus.* §. 1.

Sed quaestionis istius de residentia sensus est: Utrum extra memoratos casus persequutionis, & rejectionis, teneatur Pastor, de jure divino, & Ecclesiastico, residere cum proprio suo grege; necne? §. 2.

Ad hanc quaestionem ut dilucida habeatur responsio, hoc ordine de ea disseremus. §. 3.

Summa eorum quae sequuntur reliquo hoc libro.

1. Dicemus quid sit residentia pastoralis, & quae quaeritur.
2. Ejus necessitatem ex divinis literis scriptisque Ecclesiasticis demonstrabimus.
3. Dubiis quibusdam occurremus: ubi etiam de impedimentis debitis residentiae fugiendis.
4. Quaedam de pastoralis muneris abdicatione subjiciemus.
5. Denique explicabimus de fuga in persequutione.

CAPUT VIII.

Quid sit residentia pastoralis, & quae ejus partes.

Residentia est constans praesentia, & pastoris cum grege suo residentia est constans pastoris cum grege suo praesentia: opponiturque de- §. 1.

desertioni & absentiæ. At non sufficit generalis ista descriptio. Quo igitur accuratiorem definitionem inveniamus, sciendum est, pastoralis residentiæ tres esse partes, tribus enim modis gregi suo adest pastor perfecte residens, videl. corpore, spiritu, opere. *Corpore* præsens est qui corporaliter seder seu constanter manet cum populo quem pascendum accepit, quomodo *Paulus* Apostolus, monente Deo, sedisse dicitur Corinthi octodecim menses, *Act.* 18. 11. *Spiritu* præsens est pastor cum suo grege, qui diligit gregem, eique optima quæque exoptat, & pro virili procurat. Ista præsentia non solum cum corporali præsentia consistit, sed quandoque etiam sine ea reperitur; *Ego quidem*, inquit Apostolus, *tanquam absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi tanquam præsens.* 1 Cor. 5. 3. Et alibi, *Nos autem, fratres, per orbitatis modum divulsi* [ἀπορφανισθέντες] *a vobis ad horæ momentum, conspectu, non corde,* [προσώπῳ, οὐ καρδίᾳ] *vehementius studuimus videre faciem vestram.* 1 Thess. 2. 17. *Opere* præsens est & adest gregi pastor qui ipsum verbi prædicatione diligenter pascit, ejus saluti precibus & vigiliis sedulo intendit, hæc est illa præsentia & residentia in opere pastorali quam Timotheo Paulus Apostolus commendavit, *Hæc* (inquit) *meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus, attende tibi & doctrinæ, permane in eis: hoc enim faciens & teipsum servabis & audientes te.* 1 Tim. 4. 15, 16. & ibidem; *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* vers. 13. Item, *Obtestor ego coram Deo & Domino Jesu Christo qui judicaturus est vivos & mortuos in illustri illo suo adventu & regno suo, prædica sermonem, insta, opportune, importune, argue, corripe, exhortare, in omni longanimitate & doctrina. Tu vigila in omnibus, perfer, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum adimple.* 2 Tim. 4. 1, 2, 5, 6. *Hildebertus* Episcopus Turonensis, in suo sermone Synodico ad pastores; [in Bibl. Patr. tom. 3. col. 272. edit. 4.] Audite (inquit) Apostolum dicentem, *Prædica verbum, insta opportune & importune.* Quibus opportune, & quibus importune? Opportune quidem volentibus; importune autem nolentibus. Hæc Hildebertus, qui floruit circiter annum Domini 1200.

§. 2. Fidelis pastor gregi suo debet omnes istas præsentiæ partes. Nam gregem Dei sibi commissum debet pascere, & quidem prompto ac lubenti animo: 1 *Pet.* 5. 2. cum affectu pastorali, hoc est, ut paratus sit, exemplo summi pastoris, vitam suam ponere pro ovibus. *Joan.* 10. 11. Quomodo affectus fuit Paulus Apostolus. 2 *Cor.* 12. 15. & 1 *Thess.* 2. 8. Præsentia autem corporalis necessaria est propter præsentiam operis.

§. 3. Pastoralis igitur residentia est constans pastoris cum suo grege præsentia, corpore, spiritu, opere.

CAPUT IX.

De residentia pastorali in opere.

§. 1. NEcessitatem residentiæ uniuscujusque pastoris ad proprium suum titulum demonstrabimus per partes, & primo quidem loco ostendemus necessitatem residentiæ in opere; quæ pars residentiæ ut melius intelligatur, dispiciendum est, quodnam sit opus pastorale in quo necessaria ejus postulatur præsentia.

§. 2. *Principale opus pastoris Ecclesiastici.* Etiamsi pastoribus incumbat cura pauperum, *Gal.* 2. 10. *Rom.* 15. 25. & administrandorum Sacramentorum, *Matth.* 26. 28. & 1 *Cor.* 10. & 11. & disciplinæ Ecclesiasticæ, *Matth.* 18. Principale tamen ac primarium pastoris Ecclesiastici opus est prædicatio Evangelii. 1 *Cor.* 1. 17. cum oratione. *Act.* 6. 4. Dominus noster per seipsum prædicavit, quamvis non nisi per discipulos baptizaverit Baptismo aquæ, *Joan.* 4. 1, 2. præcepit discipulis suis prædicare populo, & testificari quod ipse sit constitutus a Deo judex vivorum & mortuorum. *Actor.* 10. 42. *Si evangelizavero* (inquit Paulus Apostolus) *non est mihi gloriatio, necessitas enim mihi incumbit, væ autem mihi est, si non evangelizavero, si enim volens hoc facio mercedem habeo, si vero invitus, dispensatio mihi credita est.* 1 Cor. 9. 16, 17. Et huic excellentiori operi, merces etiam excellentior proposita est, nam *qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt, maxime ii qui laborant in verbo & doctrina.* 1 Tim. 5. 17. Fidelis & prudens Oeconomus in Christi familia, is est, qui dat in tempore opportuno familiæ τὸ σιτομέτριον, id est, justam cibi mensuram, & beatum pronunciat Dominus servum illum quem adveniens Dominus inveniet facientem sic, ποιοῦντα οὕτως. *Luc.* 12. 42, 43. Quid sit autem distribuere opportune mensuram cibi debitam familiæ Christi, exponit Paulus Apostolus, 2 *Tim.* 2. 15. nempe ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, recte secare verbum veritatis, hoc est enim alimentum quod pastores distribuendum acceperunt, unde appellantur dispensatores ministeriorum Dei. 1 *Cor.* 4. 1. Et Apostolus ait se lac dedisse parvulis, servato solidiori cibo adultis. 1 *Cor.* 3. & *Hebr.* 5. & 6. Intelligens prudentem dispensationem verbi Dei. Promittit Deus per Jeremiam Prophetam daturum se populo suo pastores secundum cor ipsius Dei, qui eos pascent scientia & intelligentia. *Jer.* 3. 15.

Vide Instr. Historico-Theolog. lib. 10. cap. 5. §. 36.

Distinctis jam titulis Ecclesiasticis, & assignata unicuique pastori propria sua cura, hoc prædicationis officium debet unusquisque pastor gregi illi in quo Spiritus sanctus eum constituit Episcopum. *Act.* 20. 27, 28. Pro animabus enim illius populi rationem redditurus est: unde ei perpetuæ vigilantiæ & assiduarum excubiarum pro illo peculiari populo necessitas imposita est. *Heb.* 13. 17. *Ezech.* 3. Neque longus sopor oculis fidelis pastoris concessus est, noctu enim & interdiu sedulum esse oportet, & opportune atque importune prædicando instare, & pascere Dei gregem, ne per illius socordiam vel minima ovicula sit lupo prædæ opportuna: nam si vel minima ovicula per speculatoris seu pastoris incuriam perient, reposcetur ejus sanguis a speculatore seu pastore. *Ezech.* 3. 18, 20. *Act.* 20. 26, 27. & *seqq.* Neque pastori quicquam antiquius esse debet, quam ut omni alia. etiam propriæ vitæ cura posthabita, perficiat cursum suum cum gaudio, & ministerium quod accepit a Domino Jesu ad testificandum Evangelium gratiæ Dei. *Act.* 20. 24. Pastor qui amat Christum, pascit oves Christi. *Joan.* 21. 15. & *seq.* Qui autem non prædicat Evangelium, cujus illi credita est dispensatio, veluti canis est mutus, latrare nescius, stertens, procumbens, & soporem diligens &c. Isa. 56. 10. &c. *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur.* &c. Joan. 12. 25. 26. §. 3.

Vide Zach. 11. 15, 16, 17.

§. 4. Tria igitur requiruntur ad debitam in opere residentiam pastoralem. *Primo*, ut prædicet Evangelium. *Secundo*, ut illud prædicet gregi illi in quo Spiritus sanctus eum constituit Episcopum. *Tertio*, ut hoc faciat cum summa assiduitate & vigilantia: non contentus raris con-

cionibus, aut panegyribus festivalibus, longa interim otii & inertiæ captans intervalla, cum certissimo animarum ipsi commissarum periculo.

§. 5. Hæc lex sedulæ prædicationis & indefessæ vigilantiæ omnes omnium ordinum pastores Ecclesiasticos obligat, a qua ne ipsi quidem Apostoli & Evangelistæ exempti sunt. Ita enim Apostoli, virique Apostolici, alios oppidatim & per singulas Ecclesias constituebant presbyteros & Episcopos, eosque ad diligentem suscepti muneris executionem, auctoritate ipsis concessa, exstimulabant tanquam publici *ἐργοδιωκταὶ* a Christo constituti, ut interea ipsi prædicationis ministerium nequaquam intermiserint, neque suas prædicandi Evangelii partes cuiquam transscripserint. Non enim alios prædicare jubebant ipsi tacentes, sed prædicandi diligentia aliis præibant, ut eorum præfulgente exemplo alii ad eandem diligentiam excitarentur.

§. 6. Illi qui fratribus superpositi sunt, & Episcopi vel Superintendentes vel quocunque prælationis vel præsidentiæ vocabulo indigitantur, non desinunt esse presbyteri, neque eximuntur necessitate prædicandi, propter accessionem oneris gubernationis: quemadmodum generalis Apostolorum præfectura, omniumque Ecclesiarum cura non liberabat eos ab onere prædicationis, neque per illam suam prærogativam Apostolicam desinebant esse presbyteri laborantes in verbo, & dispensatores mysteriorum Dei.

1 Pet. 5.1.
2 Joan. 1.
3 Joan. 1.
1 Cor. 4.1.

Quando presbyter fit Episcopus, non desinit esse presbyter: neque est mutatio, sed accessio oneris. Ideo & hoc faciendum quod præ aliis impositum est Episcopo, nec illud negligendum quod eidem homini adhuc presbytero constanter incumbit. Auctor commentarii qui *Ambrosio* tribuitur, in 1 *Tim.* 3. Post Episcopum (inquit,) Diaconi ordinationem subjicit. Quare? nisi quia Episcopi & presbyteri una ordinatio est? Uterque enim sacerdos est. Sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus presbyter sit, non omnis presbyter Episcopus: hic enim Episcopus est qui inter presbyteros primus est. Hæc ille. Et ipse alibi *Ambrosius*, Honor quidem (inquit) Episcopalis coram hominibus præclarus est; sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tanto, si per negligentiam delabatur, ruina gravior est. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari. Hæc *Ambrosius*, lib. de dignitate sacerdotali, cap. 3. Similia legere est apud *Augustinum*, epist. 148. quæ est ad *Valerium*.

§. 7. *Joannes* Episcopus Antiochiæ, cum suis collegis, in sua epistola ad *Xystum* Episcopum Romanum, & *Cyrillum* Episcopum Alexandrinum, & *Maximianum* Episcopum Constantinopolitanum, quæ exstat in tertia parte Concilii Ephesini, in illa, inquam, epistola *Joannes*, cum suis collegis Episcopis Orientalibus, ait; *Καὶ σπουδὴ, καὶ σκοπὸς, πᾶσι τοῖς ἱερᾶσθαι λαχοῦσι, καὶ τὴν θείαν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν πεπιστευμένοις παρὰ τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος Χριστοῦ, τὸ ἐν ὀρθῇ πίστει διαπρέπειν· οὕτω τε διδάσκειν τοὺς ὑπὸ χεῖρα λαοὺς.* Id est, Omnium qui sacerdotium sortiti sunt, & quibus divinum Episcopatus ministerium a nostro omnium Salvatore Christo creditum est, hoc studium est & scopus, ut in recta fide excellant, eamque populum sibi commissum doceant.

§. 8. *Gregorius*, hujus nominis primus, Episcopus Romanus, suorum temporum calamitates deplorans, homil. 17. in Evangelia: Quanto (inquit) mundus gladio feriatur, aspicitis: quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis. Cujus hoc nisi nostro præcipue peccato agitur? Ecce depopulatæ urbes, eversa castra, Ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt. Sed nos pereunti populo authores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato, populi turba prostrata est; quia nostra faciente negligentia, ad vitam erudita non est. Quid autem animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus, quæ ad hoc sunt conditæ, ut in ejus corpore trajiciantur, id est, ut in æternæ Ecclesiæ augmentum tendant? sed hujus cibi condimentum nos esse debuimus. Sicut enim paulo superius præfati sumus, missis prædicatoribus dicitur: *Vos estis sal terræ.* Si igitur cibus Dei est populus, condimentum cibi sacerdotes esse debuerunt. Matth. 5. 13. Sed quia dum nos ab orationis & eruditionis sanctæ usu cessamus, sal infatuatum est, condiri non valet cibus Dei, atque idcirco ab authore non sumitur, quia exigente fatuitate nostra, minime conditur. Pensemus ergo qui unquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti, pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus quod lucrum Deo fecimus nos qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit: *Negotiamini dum venio.* Luc. 19. 13. Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem quo judex veniet, & rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videtur. In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus. Ibi *Petrus* cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi *Paulus* conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi *Andreas* post se Achaiam, ibi *Joannes* Asiam, *Thomas* Indiam, in conspectum sui Judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, cum sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahent. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? hic pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus. *Et paulo post.* Consideremus sine cessatione quid sumus, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus quod suscepimus. Faciamus quotidie nobiscum rationes quas cum nostro Judice habebimus. Et sic debemus agere curam nostri, ut non negligamus curam proximi: ut quisquis ad nos jungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur. *Hæc ibi.*

§. 9. Idem Pater, lib. 1. epist. ex registro, cap. 24. Clavis (inquit) apertionis, sermo est correptionis: quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit etiam ipse qui perpetravit. Hinc *Paulus* ait; *Ut potens sit exhortari in doctrina sacra: & eos qui contradicunt, redarguere:* Tit. 1. 9. Hinc per *Malachiam* dicitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Malach. 2. 7. Hinc per *Esaiam* Esai. 58. 1. Dominus admonet, dicens; *Clama, ne cesses:*

sicut

sicut tuba exalta vocem tuam. Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium ascendit: ut ante adventum judicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos vero si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit: quia nimirum quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc *Moysi* præcipitur ut tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur; ut videlicet voces prædicationis habeat: ne superni speculatoris judicium ex silentio offendat: Scri-
Exod. 28. 35. ptum quippe est; *audiatur sonitus quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectum Domini: & non moriatur.* Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur: qui iram contra se occulti judicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis ejus describuntur inserta. Vestimenta enim Sacerdotis, quid aliud quam recta opera debemus accipere? Pro-
Psal. 131, (*seu* 132.) 9. pheta attestante, qui ait; *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent: ut vitæ viam cum linguæ sonitu, ipsa quoque opera sacerdotis clament.

§. 10. Item, libro 2. epist. ex registro, cap. 33. Quos ergo fructus (inquit) Domino multiplicati gregis ostendimus, si & ipsum quem pascendum suscepimus, otiosa mente cernimus a bestia devorari? Studeamus igitur cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendere, qui hyemales noctes, imbribus geluque constricti ducunt sæpe pervigiles: ne vel una ovis, & non forte utilis pereat. Quam & si insidiator ore voraci momorderit, quomodo satagunt, quibus cordis anhelant æstibus, in quas voces ut eruant captum pecus angustia stimulante prosiliunt: ne a gregis Domino quicquid per incuriam perdiderint, exigatur? Vigilemus ergo ne quid pereat, & si captum forte quid fuerit, vocibus divinorum eloquiorum ad gregem Dominicum re-
Pastor pastorum. ducamus: ut ille qui pastor pastorum est, vigilasse nos circa gregem suum, suo misericors dignetur judicio comprobare.

§. 11. Idem etiam scribens *Dominico*, Episcopo Carthaginiensi, lib. 2. epist. ex registro, cap. 39. Quod vero (inquit) ordinationi nostræ fraternitas vestra congaudet, affectum mihi integerrimæ charitatis exhibet. Sed ex consideratione hujus ordinis mentem meam, fateor, transverberat vis
Grave est pondus Sacerdotii. doloris. Grave namque est pondus Sacerdotii: prius quippe est sacerdoti necesse ut cæteris ad exemplum vivat: ac deinde servandum, ut mentem per ostensa exempla non elevet. De prædicationis semper ministerio cogitet: intentissimo timore considerans quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, & talenta servis
Luc. 19. 13. distribuens, dicat; *Negotiamini dum venio.* Quod profecto negotium tunc vere nos agimus, si vivendo & loquendo proximorum animas lucra-
Negotium pastorale. mur: si infirmos quoque cœlestis regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus: si protervos ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter insonando, flectimus. Si nulli contra veritatem parcimus. Si supernis amicitiis dediti, humanas inimicitias non timemus: quod nimirum exhibens, quasi quoddam se sacrificium obtulisse Deo Psalmista noverat, cum dicebat:
Psal. 138. (*seu* 139.) *Nonne qui oderant te Deus oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expavesco: & quod accepto regno paterfamilias redeat, rationem nobiscum positurus, aspicio. Sed qua eum mente sustineo, cui de suscepto negotio animarum lucrum aut nullum, aut pene nullum reporto? Tua ergo me oratione frater charissime adjuva: & quæ de me formidare me conspicis, in temetipso quotidie timore providæ sollicitudinis pensa. Per charitatis quippe compagem, & tua sunt quæ de me loquor, & mea quæ te agere concupisco.

Hæc omnia *Gregorius.* Quæ diligenter attendere atque obedienter audire debent hodierni pontifices, ne (ut ejusdem Gregorii verbis utar homil. 17. in Evang.) jaceant in ministerio operis, & honorem quærant in imagine sanctitatis.

Similia, ante Gregorium, *Hilarius* Episcopus Pictaviensis, Commentario in Matth. canon. 27. §. 12.
in illa Domini verba, *Quisnam est fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam*, &c. quæ habentur Matth. cap. 24. *Matth.* 24. 45.
vers. 45. Quanquam (inquit) in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est, Episcopis in expectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem præpositum familiæ significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens & præceptis obediens erit, id est, si Doctrinæ opportunitate, *Fidelis præpositus familiæ.*
& veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat, atque hæc agens hisque immorans deprehendatur, gloriam a Domino tanquam Dispensator fidelis & villicus utilis consequetur, & super omnia bona constituetur, id est, in Dei gloria collocabitur. Quia nihil sit ultra quod melius sit. Quod si contuens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, adversum conservos insolescet, & seculi malis vitiisque se tradet, præsentium tantum curam in cultu ventris exercens, desperata die Dominus adveniet, eumque a bonis quæ spoponderat dividet, portionemque ejus, cum hypocritis in pœnæ æternitate constituet: quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit; quia præsentibus studuerit, quia vita gentium vixerit, quia desperatione judicii commissam sibi familiam fame, siti, cæde, vexaverit. Hactenus *Hilarius.*

Ambrosius Episcopus Mediolanensis, super cap. 1. Esai. Propheciæ: Non incommode (inquit) ante dies paucos prosecuti sumus functionem hanc sacerdotalem vicem quandam negotii retinere, & quæstum esse non modicum hoc clericatus officium. Est quæstus plane non modicus, ubi lucrum non pecuniarum, sed adquiritur animarum: est magna negotiatio, ubi redemptio hominis constat, non annumeratione pretii, sed annunciatione præcepti. Præceptum enim Christi talentum quoddam est pretiosum, quo salus comparatur, quo vita redimitur — Hoc talentum fratres, nos prædicatione nostra vestris pectoribus commendamus, ut lucrum aliquod salutis vestræ Domino designemus. Rationem daturi sumus qualiter aut prædicatio nostra proficiat, aut obedientia vestra fructificet. Hæc ibi. Item alibi; lib. de dignitate sacerdotali, cap. 6. Si (inquit) Lux est Ecclesiæ Episcopus, a Domino ordinatus, ita ut imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante, conscientiarum latebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? — Si meruisti salis possidere saporem, ut insipientium possis corda condire, cur infatuatus tali vitio §. 13. *Negotiatio pastoralis.*

nitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non, ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus acciperet. Et factus est Episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres de ejus ordinatione miserunt. Factus est autem *Cornelius* Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio; cum nemo ante se factus esset, cum *Fabiani* locus, id est, cum locus *Petri*, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Hæc *Cyprianus*.

§. 4. *Concil. Nicæ. 1. an. Dom. 325. Καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο.*

Magna Oecumenica prima Synodus Nicææ celebrata, in sua ad Alexandrinam Ecclesiam epistola, (apud Theodoretum, lib. 1. Hist. Eccl. cap. 9. & Socrat. lib. 1. cap. 6.) jubet, ut, si quisquam in Ecclesiastico munere constitutus diem suum obierit, tunc dignus aliquis in defuncti locum succedat, eligente populo, & electionem confirmante Alexandrino Episcopo.

§. 5. *Julius I. P. Rom.*

Julius Episcopus Romanus, hujus nominis primus, in sua epistola ad Eusebianos, (apud *Athanasium*, in Apologia Athanasii ad Imperatorem Constantium. tom. 1. Oper. *Athanasii*, pag. 749. edit. Paris. Græco-L. an. Domini 1627.) reprehendit illegitimam agendi rationem, in constituendo Georgio in Episcopum Alexandrinum, ab Eusebianis adhibitam; ubi præter injuriam factam Athanasio innocenti, hæc insuper in eo negotio culpanda esse docet, etiamsi Athanasius ob culpam aliquam merito fuisset ejectus; quod constituissent Alexandriæ Episcopum, hominem exterum, neque Alexandriæ baptizatum, neque cognitum multitudini, neque postulatum a Presbyteris, neque ab Episcopis, neque a populis; cumque non in Ecclesia aut urbe Alexandrina, sed in urbe Antiochia constituissent Episcopum Alexandriæ, & Alexandriam misissent, non comitatum Presbyteris, non Diaconis civitatis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus. Ista in Georgii creatione dicit facta esse *παρανόμως, καὶ παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα*, illegitime, & præter canonem Ecclesiasticum; etiam seposita consideratione Athanasii.

§. 6. *Patres Græci Concil. 2. Oecum.*

Patres qui secundum Oecumenicum Concilium Constantinopoli celebrarunt, sub seniore *Theodosio* Imperatore, anno Christi 381. in sua epistola, quam scripserunt ad *Damasum*, *Ambrosium*, aliosque Episcopos Occidentales, quæ exstat apud *Theodoretum*, lib. 5. Hist. Eccles. cap. 9. Ecclesiæ (inquiunt) Constantinopolitanæ reverendissimum sanctissimumque *Nectarium*, in Concilio Oecumenico, communi omnium consensu [*μετὰ κοινῆς ὁμονοίας.*] præsente *Theodosio* Imperatore religiosissimo, totius denique cleri, totiusque civitatis suffragiis, [*παντός τε τοῦ κλήρου καὶ πάσης ἐπιψηφιζομένης τῆς πόλεως,*] Episcopum constituimus. Ecclesiæ autem Antiochenæ reverendissimum & sanctissimum *Flavianum* Episcopi illius provinciæ & Orientalis diœceseos, tota illa Ecclesia, uti canon postulat, suffragante, & velut uno ore, virum illum honorifice collaudante, Episcopum ordinarunt: [*κανονικῶς ἐχειροτόνησαν πάσης συμψήφου τῆς ἐκκλησίας*] quam quidem ordinationem legitimam [*ἔνθεσμον χειροτονίαν*] communi consensu approbavit Concilium. Hæc illi.

§. 7. *Greg. Naz. Vide infr. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 6. §. 23.*

Gregorius Nazianzenus, orat. 21. quæ est de laudibus *Athanasii*, loquens de modo quo *Athanasius* factus est Episcopus Alexandriæ, dicit cum ad *Marci* thronum evectum esse, totius populi suffragio, [*ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντός*] & hunc vocat Apostolicum & spiritualem modum.

§. 8.

Leo, hujus nominis primus, Papa Romanus, epist. 89. ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos, cap. 4. ait; Exspectarentur certe vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus, ab his qui norunt Patrum regulas, custodiri, ut Apostolicæ autoritatis norma in omnibus servaretur, qua præcipitur, ut sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solum attestatione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt testimonio muniatur, neque ullius scandali relinquatur occasio, cum per pacem & Deo placitam concordiam consonis omnium studiis, qui Doctor pacis futurus est, ordinatur. Et cap. 6. Per pacem & quietem, sacerdotes qui præfuturi sunt, postulentur. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Hæc ibi. Idem etiam, epist. 92. ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum, cap. 1. Nulla (inquit) ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Hæc Leo.

§. 9. *Nicolaus II. Papa Rom. Episcopus eligatur de gremio Ecclesiæ cui præfuturus est. Cœlestin. I. Papa Rom.*

Posterius istud *Leonis* testimonium, ex epist. 92. nobis recitatum, posuit etiam in Decreto *Gratianus*, Dist. 62. can. *Nulla*. Idipsum repetit *Nicolaus* II. Papa Rom. in Concilio Romæ habito, anno Domini millesimo quinquagesimo nono, & docet, observandam sedulo esse hanc regulam in electione & consecratione Romani Pontificis. Dist. 23. can. *In nomine*. Ubi etiam & hanc adjicit regulam; Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si repertus idoneus: vel si de ipsa non invenitur, ex alia sumatur. Hæc *Nicolaus*. Quo pertinet illud *Cœlestini* primi, Papæ Romani; Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis & ordinis consensus ac desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit reperiri. Hæc *Cœlestinus*, epist. 2. quam ad Episcopos per Viennensem & Narbonensem provincias constitutos, scripsit, Felice & Tauro Coss. quorum Consulatum *Marianus* Scotus attribuit anno Christi 429. alii an. 428. Plura autem hac de re addit ibi *Cœlestinus*, cujus verba invenies etiam apud *Gratianum*, Dist. 61. can. *Nullus invitis*. Idipsum etiam *Gregorius* primus, Papa Romanus, docet observandum in electione Episcopi, nisi nullus in diœcesi inveniatur ad Episcopatum dignus. lib. 2. ex registro, cap. 19. & cap. 26. *Gregor. I. Papa Rom. Vide cap. 6. §. 13.*

§. 10. *Florus.*

Exstant in Bibliotheca Patrum, quædam Collecta a *Floro* ex sententiis antiquorum, ubi *Florus* ait; Manifestum est omnibus qui in Ecclesia Dei sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa quæ in ordinatione Episcopali, & sacrorum canonum auctoritas, & consuetudo Ecclesiastica, juxta dispositionem divinæ legis, & traditionem Apostolicam, jubeat observari: videlicet, ut pastore defuncto, & sede vacante, unus de clero Ecclesiæ, quem communis & concors ejusdem cleri, & totius plebis consensus elegerit, & publico decreto celebriter ac solemniter designaverit, legitimo Episcoporum nume-

numero consecratus, locum decedentis Antistitis rite valeat obtinere. Hæc *Florus*, in Bibliotheca Patrum, tomo nono, editionis quartæ, columna 1356.

§. 11. *De isto Joanne Papa Rom. vide Instr. Historico-Theol. lib. 7. cap. 12. §. 13, 14, 15.* *Joannes* VIII. Papa Rom. epist. 199. Post hujus (inquit) Patriarchæ [*Photii*] obitum, nullus de laicis vel curialibus in Patriarchatus eligatur & conservetur honore, nisi de cardinalibus presbyteris & diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundum sacros canones. Hæc ille.

CAPUT VI.

Utrum licita sit tituli mutatio, sive transmigratio ab uno titulo ad alium titulum, seu stationem & curam Pastoralem.

§. 1. NOn quærimus hic de translatione sedis Episcopalis, ab una parte diœceseos ad aliam ejusdem partem commodiorem: talis mutatio haud dubie licita est, quando a loco minus commodo ad alium commodiorem Episcopalis sedes auctoritate publica transfertur. Unde *Gregorius*, hujus nominis primus, Episcopus Romanus, scribens *Joanni* Episcopo Vellitrano; Temporis (inquit) qualitas admonet, Episcoporum sedes, antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia quæ securiora putamus ejusdem diœceseos loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possit periculum facilius declinari. Propterea te *Joannem* fratrem coëpiscopumque nostrum Vellitensis civitatis, sedemque tuam in locum quem HARENATA ad sanctum Andream Apostolum dicunt, præcipimus exinde transmigrari: quatenus & ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinum solennium festa disponas. Hæc *Gregorius*, lib. 2. epistolarum ex registro, cap. 10.

§. 2. Neque nunc agitur de gubernatione alius Ecclesiæ committenda fratri, habitare ad suam priorem Ecclesiam nequeunti, sed per hostilem feritatem expulso. Hoc enim licitum esse patet ex regula illa, qua jubentur discipuli confugere in aliam civitatem, quando eos persequuti fuerint in una civitate, *Matth.* 10. 23. Neque propter iniquitatem persequentium, cadit pius pastor potestate pastorali, sed idoneus manet ad suscipiendum stationem pastoralem in alia civitate. Unde *Gregorius* scribens *Martino* Episcopo in Corsica; Justa, (inquit) poscentibus, aurem nos oportet benivolam commodare, quatenus & petentes remedia separata reperiant, & Ecclesiæ non desit sollicitudo pastoris. Et quoniam Ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore sacerdotali tua fraternitas decorata, ita est, delictis facientibus, hostili feritate occupata atque diruta, ut illuc ulterius spes remeandi nulla remanserit; in Ecclesia Salonensi, quæ jamdiu *Cardinalem sacerdotem, id est, Episcopum.* Pontificis auxilio destituta est, cardinalem te, secundum petitionis tuæ modum, hac authoritate constituimus sine dubio sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei amore secundum canonum præcepta, cuncta dispone vel ordina, ut & fraternitas tua suis desideriis se gaudeat esse potitam, & Ecclesia Dei alterno gaudio repleatur, cardinalem te suscepisse Pontificem. Hæc ille, lib. 1. ex regist. epist. 77. vide caus. 7. qu. 1. *Omnis qui.* At quid si postea Ecclesiæ priori pax restituatur, pateatque expulso liber regressus? Respondet *Gregorius*, revertendum ei esse ad priorem suam Ecclesiam. lib. 2. ex regist. cap. 25. cujus epistolæ verba recitavimus supra, cap. 4. §. 4. At certe si licita sit tituli mutatio sine persequutionis violentia, negari non poterit, quin frater ille etiam restituta pace manere possit in posteriore Ecclesia, dimissa priore, non jam propter persequutionem quæ desiit, sed propter alias justas rationes, ob quas Ecclesia nunc ei concedit mutationem tituli.

Sensus igitur propositæ quæstionis hic est; An liceat pastori alicujus certæ Ecclesiæ ad aliam migrare Ecclesiam, dimissa priore Ecclesia, nulla cogente vi hostili? (nam utramque retinere non potest, ut ostensum est, cap. 2.) vel si aliquando liceat, quænam requirantur ad legitimam tituli mutationem? §. 3. *Sensus propositæ quæstionis.*

Ad hanc quæstionem quo dilucidior sit nostra responsio, adferam prius aliquot decreta & dicta & exempla veterum in utramque partem: deinde, eis inter se collatis, & mature consideratis, directa dabitur, donante Domino, propositæ quæstioni responsio. §. 4.

Hæc faciunt contra mutationem tituli.

Concil. Nicæn. 1. Oecum. can. 15. *διὰ τὸν πολὺν τάραχον καὶ τὰς ςάσεις τὰς γινομένας, ἔδοξε παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν παρὰ τὸν κανόνα εὑρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν· ὥςε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον.* Id est, Propter multas turbas & lediriones quæ fiunt, placuit omnino tolli morem illum qui contra regulam deprehensus est in quibusdam partibus: ut de civitate ad civitatem, neque Episcopus migret, neque Presbyter, neque Diaconus. §. 5. *Concil. Nicæn. 1. Oecum. an. Dom. 325.*

Concil. Sardicens. can. 1. decretum est, *ἵνα μηδενὶ τῶν ἐπισκόπων ἐξῇ ἀπὸ πόλεως μικρᾶς εἰς ἑτέραν πόλιν μεθίςασθαι.* Ut nemini Episcoporum liceat de civitate parva in aliam transmigrare. Ejus enim caussæ (inquit *Hosius*, Concilii illius præses, approbante Concilio,) prætextus est manifestus; nullus enim Episcopus adhuc inveniri potuit qui a majore civitate in minorem transire studuerit; unde constat eos avaritiæ & arrogantiæ servire. Sanctio huic canoni addita est, ut sic migrantes ne laicorum quidem habeant communionem. §. 6. *Concil. Sardic. anni Christi 347.*

Damasus, in Synodica confessione fidei Catholicæ, missa ad *Paulinum* Episcopum Thessalonicæ in Macedonia; Eos (inquit) qui ab Ecclesiis in quibus vixerunt, ad alias se transtulerint, usque eo a nostra communione alienos habemus, quoad ipsas ad urbes redierint, in quibus erant primum ad aliquem honoris Ecclesiastici gradum elati. Quod si quis in alterius locum, qui sedem mutavit, cooptatus sit, tantisper a dignitate sacerdotali vacet ille qui civitatem propriam deseruerit, dum qui ei successerit, obdormierit in Domino. Hæc *Damasus* Episcopus Romanus, in illa confessione, quam historiæ suæ Ecclesiasticæ inseruit *Theodoretus*, lib. 5. cap. 11. §. 7. *Damasus Romanus Ecclesiæ præsidebat annis Christi 370. & 380.*

Concil. Carthagin. 3. can. 38. Non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Episcoporum. §. 8. *An. Dom. 397.*

Concil. Chalcedonens. Oecumen. can. 5. *περὶ δὲ τῶν μεταβαινόντων ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν ἐπισκόπων, ἢ κληρικῶν, ἔδοξε τοὺς περὶ τούτων κανόνας παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἔχειν τὴν ἰδίαν ἰσχύν.* Id est: De his qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis & clericis, placuit ut canones, qui de hac re a sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem. §. 9. *Concil. Chalced. an. Dom. 451.*

Ex Concilio Antiocheno citat *Gratianus* hunc canonem: Episcopum de diœcesi ad diœcesim non debere transire; neque si seipsum ingesserit, neque si a populis fuerit violenter attractus; ne- §. 10. *Canon est 21. Concil. Antioch. in*

Encænits, an. Dom. 341.

que si etiam hoc ei ab Episcopis suadetur: manere autem eum debere in Ecclesia Dei quam ab initio sortitus est, & non ab ea alibi demigrare, secundum regulam super hoc olim a Patribus constitutam decernimus. caus. 7. qu. 1. *Episcopum.*

§. 11. *Leo I. Episcopus Rom. tempore Concilii Chalcedonensis.*

Leo primus, Episcopus Romanus, epist. 84. ad *Anastasium* Thessalonicensem Episcopum, cap. 8. Si quis (inquit) Episcopus, mediocritate civitatis suæ despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem quacunque occasione transtulerit; non solum a cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria: ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit; nec illis, quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis contentus quisque sit; nec supra mensuras juris sui affectet augeri. Hæc *Leo.* Quæ etiam Decreto inserta sunt, caus. 7. qu. 1. *Si quis Episcopus.* Ubi author glossæ monet, non solum prohibitam esse transitionem ad majorem Ecclesiam; sed etiam ad parem, vel ad minorem.

§. 12. *Concil. Meldens. an. Dom.* 845.

Constitutum est in Concilio Meldensi, cap. 30. Ut si quis de ordine sacerdotali contemptu minoris Ecclesiæ, ambitiose & improbe ad potiorem adspirare contenderit, canonica erga eum definitio conservetur. Hæc ibi. Et repetit *Gratianus* 7. qu. 1. *Si quis de ordine.* Adjecta hac exegesi; hoc est, ut utraque careat.

§. 13. *Gregor. I. Papa Rom. an. Dom.* 600. *Vide supra cap. 5. §. 9. & 10.*

Gregorius Episcopus Romanus, hujus nominis primus, commendans clero & populo & visitatori alicujus Ecclesiæ electionem Episcopi, hanc solebat adjicere monelam; ut nullum eligerent ex alia qualibet Ecclesia, sed aliquem ex ejusdem Ecclesiæ clero eligerent in Episcopum, si dignum invenirent, neque foris aliquem quærerent, nisi in clericis illius Ecclesiæ, cui Episcopus quærebatur, nullus reperiretur idoneus. lib. 2. ex regist. cap. 19. & cap. 26. Verba *Gregorii* ad *Benenatum* Episcopum, visitatorem Ecclesiæ Cumanæ, hæc sunt: Commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia; nisi forte inter clericos ipsius civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Hæc ille, lib. 2. ex registro, cap. 19. Eisdem etiam verbis scripsit ad *Ioannem* Episcopum Squilitanum, visitatorem Tauriatinensis & Turritanæ Ecclesiarum; eodem lib. cap. 26. Unde colligere est, *Gregorium* vitasse translationes Episcoporum; & morem Ecclesiarum illo tempore (an. Dom. 600.) fuisse, ut defuncto alicujus diœceseos Episcopo successor eligeretur unus ex clericis ejusdem diœceseos.

§. 14. *De Formoso Papa Rom.*

Onuphrius Panvinius, in suo Chronico Pontificum Romanorum observat, *Formosum* fuisse primum qui ex Episcopo factus sit Papa Romanus. Is autem Papatum adeptus est anno Dom. 891. secundum Onuphrii Chronicon. Formosum istum Episcopum Portuensem ad Pontificatum Romanum largitione potius quam virtute, contradicentibus multis, assumptum esse, scribit *Platina*, in vita *Formosi*; ubi etiam *Onuphrius* hanc adjicit annotationem; *Formosus* Papa, ut ego observavi, primus omnium Romanorum Pontificum ex alienæ diœceseos Episcopo Romanus Pontifex est factus, cum ante ipsum non nisi ex presbytero, vel diacono cardinalibus factus fuisset Romæ Papa. Idem refert vetustissimus & sine auctoris nomine scriptus liber Bibliothecæ Vaticanæ. Hæc *Onuphrius.* Infelicitatem vero illorum temporum deplorat *Platina* in vita *Formosi*; Nescio quo fato, inquit, accidisse dicam, ut una cum industria Imperatorum, simul etiam Pontificum virtus & integritas deficeret: quæ quidem tempora infelicissima esse arbitror, quum auctoritate Platonis tales soleant esse reliqui cives, quales sunt in republica principes. Hæc *Platina.* Videantur quæ de corruptelis & calamitatibus illorum temporum scribit idem *Platina*, in vitis succedentium aliquot Pontificum, *Stephani* 6. & *Romani* 1. & *Ioannis* 10. & *Benedicti* 4. & *Leonis* 5. & *Christophori* 1. & *Sergii* 3.

§. 15. *De Gregorio Nazianzeno.*

Gregorius quidem multorum Episcoporum consensu ab urbis Nazianzi Episcopatu, ad Episcopatum Constantinopolis translatus est, & conscensa sede Constantinopolitana, egregiam navavit operam pastoralem in erudiendo illo populo, regendaque illa Ecclesia, refellendisque & explodendis hæretibus. Eamque translationem approbavit major pars Patrum in secundo Oecumenico Concilio Constantinopoli habito, an. Dom. 380. At Ægyptii antistites resistebant, querebanturque id esse contra canonem a Nicænis Patribus conditum, quo prohibentur translationes Episcoporum. Idcirco *Gregorius*, animadversa Ægyptiorum Episcoporum offensione, Episcopatum Constantinopolitanum deposuit in manus Patrum in illo Concilio, hortatus eos ut eum de orthodoxa fide contra hæreticos convenisset, non existeret aliqua propter eum dissensio: Nam ego, inquit, multis curis liberatus, ad tranquillitatem, quæ mihi pergrata est, memet recipiam: & vos itidem post longum illud & grave bellum pace optatissima fruemini. Valde enim absurdum esset, ut jam e telis hostium erepti, mutuo alius alium ferire, & nostras ipsorum vires conterere aggrederemur: quandoquidem eo pacto hostibus non parum afferemus lætitiæ: quare virum conquirite præstabilem & sapientem [ἀξιέπαινον καὶ νοῦν ἔχοντα], qui provinciam tam plenam curarum, tum capessere, tum probe administrare possit; eumque Episcopum designate. Quibus rationibus persuasi præstantissimi illi pastores, quod *Gregorio* dederant, a volente receperunt, &, secundum veteres canones, alium, nondum Episcopum, quæsiverunt: tandemque *Nectarium*, virum nobilitate generis & pietate insignem, virum Patricium, ordinarunt Episcopum Constantinopolitanum. Hanc historiam referunt *Socrates*, lib. 5. Histor. Eccles. cap. 6. Græc. at Latin. cap. 5. & *Theodoretus*, lib. 5. Hist. Eccles. cap. 8. ubi ponuntur illa *Gregorii* verba ad Synodum habita, prout ea commemoravi: & *Sozomenus*, lib. 7. Hist. Eccles. cap. 7. & *Nicephorus Callist.* lib. 12. Hist. Eccles. cap. 10. & cap. 11. & 12. Hæc quidem in secundo Concilio gesta sunt.

§. 16. *Series Episcoporum Const. a Nectario ad Nestorii successorem Maximianum.*

* *Nectario* autem in Episcopatu Constantinopolitano successit *Ioannes*, dictus *Chrysostomus* (Socrat. lib. 6. Hist. Eccles. cap. 2.) & *Ioanni* successit *Arsacius*, (Socrat. lib. 6. cap. 19. Græc. at Lat. cap. 7.) & *Arsacio Atticus*, (Socrat. lib. 1. cap. 20. Græc. at Latin. cap. 18.) Dein *Attico* successit *Sisinnius*, (Socrat. lib. 7. cap. 26.) Presbyterum *Proclum Sisinnius Cyzici* Episcopum ordinavit [ἐχειροτόνησε], quem ad illam urbem profecturum anteverterunt Cyziceni,

Narratio de Proclo. Vide §. 22.

Dalmatiumque monachum ordinarunt [χειροτονοῦσιν]. Proinde *Proclus* cum suæ ipsius Ecclesiæ administrationem non obiret [οἰκείας μὲν ἐκκλησίας μὴ προεστὼς], in Ecclesiis Constantinopolis mansit, in quibus docendo, magnam laudem adeptus est. [Socrat. lib. 7. cap. 28.] *Sisinnio* in Episcopatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ suc-

successit *Nestorius*, (Socrat. lib. 7. cap. 29.) *Nestorius* in hæresin prolapsus, in eaque pertinax, abdicatus & depositus est ab Episcopatu, per sententiam Synodicam Concilii tertii Oecumenici, quod Ephesi celebratum est, præsidente *Cyrillo* Alexandrino, anno Dom. 431. Exauctorato autem *Nestorio*, orta est Constantinopoli controversia de Episcopo eligendo; nam multi *Philippo* Presbytero, plures autem *Proclo*, cujusjam ante fecimus mentionem, suffragabantur. Atque *Proclus* certe priores tulisset, si non quidam, qui multum authoritate valebant, ei obstitissent, dicentes canonem Ecclesiasticum vetare Episcopum alicujus civitatis nominatum, ad aliam civitatem transferri, [*εἰς ἑτέραν μεταφέρεσθαι πόλιν*,] quod, cum diceretur & crederetur, populum pacatum tranquillumque reddidit. Trimestri igitur spatio post abdicationem *Nestorii* decurso, *Maximianus* Episcopus designatur, vir monasticum vitæ genus excolens, dignitatis gradu presbyter. [*ἀνὴρ ἀσκητικὸς μὲν τὸν βίον, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις δὲ καὶ αὐτὸς ἐτέτακτο.*] Socrat. lib. 7. cap. 34.

§. 17. Concil. Turonens. 3. cap. 14. (celebratum anno Dom. 813.) De titulo minore ad majorem migrare, nulli presbytero licitum sit; sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia, qua Episcopus, si de minore ad majorem transmigraverit sedem.

His *contra tituli mutationem* allatis, subjiciamus nunc quædam pro ea.

Pro tituli mutatione, non quidem contra memoratos canones, sed per canonum illorum interpretationem, *faciunt ea quæ nunc subjungam.*

§. 18. *Gregorium* Nazianzenum *Meletius* Patriarcha Antiochenus, ex consensu multorum aliorum pientissimorum ac prudentissimorum Episcoporum, transtulit in sedem Constantinopolitanam, non ignarus canonis illius Nicæni, sed propositum considerans eorum qui canonem conscripserunt, nam ut ambitionis materiam præciderent, vetuerunt pastorum translationes. [*ὁ θεῖος Μελέτιος τῶν τὸν κανόνα γεγραφότων τὸν σκοπὸν ἐπιστάμενος· τὰς γὰρ τῆς φιλαρχίας ἀφορμὰς περικόπτοντες, ἐκώλυσαν τὴν μετάθεσιν· ἐβεβαίωσε τῷ θειοτάτῳ Γρηγορίῳ τὴν τῆς Κωνσταντίνου πόλεως προεδρείαν*] ait *Theodoretus*, lib. 5. Histor. Eccles. cap. 8.

§. 19. Ipse etiam *Meletius*, qui vir *Theodoreto θεῖος* & *θεσπέσιος*, id est, plane divinus appellatur, fuit Episcopus cujusdam civitatis Armeniæ, antequam ad sedem Antiochenam assumeretur, procurantibus quidem Arianis, dum eum sectæ suæ existimarent fautorem, at consentientibus etiam orthodoxis, qui sanam illustris illius *Meletii* doctrinam, & præstabilem vitæ rationem, & virtutis denique divitias pro certo cognoscebant, ut scribit *Theodoretus*, lib. 2. Hist. Eccles. cap. 31.

§. 20. Translationem illam *Gregorii* Nazianzeni ad sedem Constantinopolitanam, ejusque rationem sic describit *Nicephorus Callist.* De eligendo Constantinopolitano Episcopo consilium habebant; Et primus ibi Imperator *Gregorium* propter vitam & eruditionem præstantem admiratus, dignum illum ea sede calculo suo judicasse dicitur. Qua in re Synodus ei, quod virtutem ejus viri revereretur, suffragata est. Potissimum vero ipsi divino *Meletio* videbatur, *Gregorio* Constantinopolitanum Episcopatum confirmandum esse, hac in parte canone de Episcoporum translatione, quem nonnulli consilium hoc reprehendentes objiciebant, posthabito. Optime quippe divinus Pater eorum virorum mentem & consilium, qui illum promulgaverunt, tenebat. Synodus namque illa [*Nicæna* I.] ut occasionem ambitus [*φιλαρχίας*] in Ecclesiis præcideret, canonem eum proposuerat; quod multa tum ex competitorum ambitiosa prensatione provenissent mala. Quod si ambitus abesset, nihil prorsus extare impedimenti censuit, modo vita aut doctrina multis aliis præstantior, aut simul utraque hæc constarent, aut communis denique & publica cum magna commoditate utilitas per translationem in exspectatione esset. Hæc *Niceph.* lib. 12. Eccl. Hist. cap. 10.

Hanc *Meletii* interpretationem confirmant verba ipsa canonis Nicæni, & canonis Sardicensis, superius recitata, §. 5. & 6. Neque vero Patres Constantinopolitani, Episcopatum a *Gregorio* haud invito recipientes, agnoscebant quicquam a se in translatione *Gregorii* factum esse contra mentem Patrum Nicænorum, aut Sardicensium, sed tantummodo propter pacem Ecclesiæ, hortante ipso *Gregorio*, haud injuste receperunt, quod juste dederant: ut legimus apud *Theodoretum*, lib. 5. Hist. Eccles. cap. 8. §. 21.

Maximiano Episcopo Constantinopolitano, postquam duos annos & menses quinque Ecclesiam illam rexisset, ex hac vita egresso, ne controversia & tumultus in Ecclesia denuo cieretur, abjecta cunctatione *Proclum* illum Episcopum Cyzicenum, de quo supra meminimus, in sede Constantinopolitana, per Episcopos qui ibi aderant, collocandum curavit *Theodosius* junior, Imperator. Quum namque de eo antea deliberatum esset, *Cœlestinus* quoque Episcopus Romanus suffragatus est huic negotio, per epistolas quas ad *Cyrillum* Episcopum Alexandriæ, & ad *Joannem* Episcopum Antiochiæ, & ad *Rufum* Thessalonicæ Episcopum misit, docens, nihil obstare, quo minus qui unius civitatis vel nominatus fuisset Episcopus, vel jam esset Episcopus, ad aliam civitatem transferretur. *Proclus* igitur *ἐνθρονισθεὶς*, id est, in sede Episcopali locatus, corpus *Maximiani* effert ad sepulchrum, funusque celebrat. *Socrat.* lib. 7. cap. 39. Lat. at Græc. cap. 40. & *Nicephor. Calist.* lib. 14. cap. 37. §. 22.

Sup. §. 16.

Nicephorus Patriarcha Cp. in sua Chronologia, testatur Proclo in sede Cp. successisse Flavianum, & huic Anatolium, de quibus vide Instruct. Hist. Theol. lib. 2. c. 9. & lib. 3. c. 3.

Iidem authores occasione controversiæ illius de *Proclo* motæ, translationem ejus legitimam fuisse; tum ratione, tum authoritate, multisque exemplis, demonstrant. *Socrat.* lib. 7. cap. 35. & *Niceph. Callist.* lib. 14. cap. 39. §. 23.

Reprehensores illius negotii, obtentu canonis Ecclesiastici, minime vera dixisse, sed vel invidia adversus *Proclum* ductos ea confinxisse, vel canonum sensum & mentem, multaque in Ecclesiis ad earum utilitatem per dispensationem non raro gesta penitus ignorasse contendunt. Nam apud veteres rem fuisse indifferentem [*ἀδιάφορον*,] transferre Episcopum ab una civitate ad aliam, quoties Ecclesiarum usus poscebat, [*ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μετάγειν ἐπίσκοπον, ὁσάκις χρεία ἐκάλει.*] Videlicet si sincerior pietas, vel Ecclesiasticæ forsan tranquillitatis constitutio translationem flagitaret. Prohiberi autem *transitionem* [*μετάβασιν*,] non *translationem* [*οὐ μετάθεσιν.*] Hanc enim, nempe *translationem*, id quod præter voluntatem & præter institutum fit, omnino significare; vocemque hanc veluti in inanimatis, & eis quæ ab alio moventur usurpari: illam vero, nempe *transitionem*, dici de animatis & eis quæ proprio arbitrio ac voluntate moventur. Adeo ut *transitio* sit eorum qui per arrogantiam ex sede sua in superiores thronos involant atque insiliunt: *translatio* autem, eorum qui ipsi inviti

Discrimen transitionis, & translationis.

inviti ab aliis alio producuntur. *Transitionem* igitur recte prohibitam esse canone Ecclesiastico, legitimam autem *translationem* nequaquam esse prohibitam.

§. 24. Multa proferunt exempla Episcoporum ab aliis civitatibus ad alias translatorum [μετενεχθέντων,] propter opportunos & necessarios Ecclesiæ usus [διὰ τὰς κατὰ καιρόν τῶν ἐκκλησιῶν χρείας.] Unum allegant ex Historia Ecclesiastica *Eusebii Pamphili*, quod apud illum exstat, lib. 6. [cap. 10. Gr. at Lat. cap. 9.] de *Alexandro*, civitatis cujusdam Cappadociæ Episcopo, quem Hierosolymam voti causa profectum, Hierosolymitani detinuerunt, & *Narcisso* Hierosolymæ Episcopo, extrema jam senectute gravato, collegam eum adjunxerunt, ita ut Hierosolymæ Episcopus esset *Alexander*, etiam vivente *Narcisso*. Hoc multis annis ante Nicænum Concilium gestum est, ut patet ex loco historiæ Eusebii citato.

§. 25. *Multa recenset Socrates exempla translationis Episcoporum.*

Adjungunt & alia exempla. *Socrates* quidem in hunc modum; *Perigenes* Ecclesiæ Patrensis ordinatus fuit Episcopus [ἐχειροτονήθη ἐπίσκοπος], quem, ubi populus illius urbis recipere eum recusavit, jussit Episcopus Romanus, mortuo jam Corinthi metropolis Episcopo, in ea sede collocari [ἐνθρονισθῆναι], atque ita *Perigenes* Ecclesiæ Corinthiacæ reliquo vitæ spatio præfuit [προέστη]. *Gregorius* etiam Nazianzenus primum Sasimorum urbis Cappadociæ Episcopatum gessit, deinde Ecclesiæ Nazianzenæ Episcopus factus est. *Meletius* itidem primum Ecclesiæ Sebastiensis Episcopatu fungebatur, & postea præfuit Ecclesiæ Antiochenæ. *Dositheum* Seleuciæ Episcopum *Alexander* Antiochiæ Episcopus Tarsum Ciliciæ traduxit. *Berentius* primum Arcorum urbis Phœniciæ Episcopatum administravit, & postea Tyrum translatus est. *Joannes* Gordi civitatis Lydiæ Episcopus, Gordo Proconnesum translatus est, ibique rexit Ecclesiam [καὶ τῆς ἐκεῖ προέστη ἐκκλησίας]. *Palladius* Helenopoli Aspunem translatus est. *Alexander* Helenopoli translatus est Adrianos. *Theophilus* Apamæa urbe Asiæ Eudoxiopolin, quæ olim Salabria dicebatur, translatus est. *Polycarpus* Sexantapristis civitate Mysiæ translatus est Nicopolin urbem Thraciæ. *Hierophilus* Trapezopoli Phrygiæ, Plotinopolin Thraciæ; & *Optimus* Agdamia Phrygiæ, Antiochiam Pisidiæ; & *Silvanus* Philippopoli Thraciæ, Troadem translati sunt. Hæc *Socrates* commemorat translationum exempla antiqua. Nam historiam suam claudit *Socrates* in Episcopatu *Procli* Episcopi Constantinopolitani, de cujus translatione disserens attulit memorata exempla, lib. 7. cap. 36. Græc. at Latin. cap. 35.

§. 56. *Narratio de Silvano Episcopo.*

De *Silvano* autem, quem Philippopoli Troada translatum dixerat, subjungit sequente capite pleniorem narrationem. *Silvanum* hunc *Atticus* Episcopus Constantinopolitanus constituit Episcopum Philippopolis urbis Thraciæ; eo autem profectus, postquam triennium illic vitam degisset, cum frigus tolerare non posset, habens scilicet exile & imbecillum corpus, vir alioqui apprime doctus & pius, obsecravit *Atticum*, ut in ejus locum alium ordinaret Episcopum, [εἰς τόπον αὐτοῦ ἕτερον χειροτονῆσαι], dicens se non aliam ob causam quam ob frigus refugere vitæ traductionem in Thracia. Altero igitur pro eo constituto, mansit *Silvanus* Constantinopoli, vitamque monasticam [τὸν ἀσκητικὸν βίον] summopere excoluit: ab omni fastu alienissimus. Interposito autem non longo tempore, Episcopus Troadis moritur: qua de causa Troës Constantinopolim veniunt, quæsitum Episcopum. Ac dum *Atticus* secum consilium iniret, quemnam designaret [τινα χειροτονήσει], forte *Silvanus* in ejus conspectum venit. Quem ut vidit *Atticus*, confestim curam cogitandi deposuit, & ita *Silvanum* alloquutus est: Non est ulla tibi amplius excusatio, quominus Ecclesiæ administrandæ curam suscipias. Nam Troas nihil habet algoris; Ecce tibi locum opportunum [εὔκαιρον,] quem Deus corporis tui imbecillitati paravit. Ne cuncteris igitur frater, sed Troadem proficiscere. Quapropter *Silvanus* eo migravit [μετέστη οὖν ὁ Σιλβανός.] Sic se habuit translatio Silvani, prout eam refert Socrates lib. 7. cap. 37. ubi etiam plura de eodem Silvano commemorat.

§. 57. *Alia translationis exempla adjicit Nicephorus Callist.*

Eadem exempla commemorat *Nicephorus Callist.* lib. 14. cap. 39. eisque alia adjungit. videl. quod *Petrus* Apostolus Ecclesiam Romanæ urbis primus gubernaverit; deinde primus etiam Alexandriam forte transierit [κλήρῳ μετέβαινε]; in quibus Ecclesiis ubi *Linum* & *Marcum* Episcopos creavit, alias rursus urbes adiit. Sed de Apostolis diversa ratio est, quibus universæ Ecclesiæ cura fuit imposita. Sic *Paulus* Apostolus sedit Corinthi octodecim menses, *Act.* 18. 11. & postea Ephesi biennium, *Actor.* 19. 10. imo triennium, *Act.* 20. 31. Quamvis enim haberent ipsi etiam Apostoli distinctos canones, seu regiones & ministeria; necesse erat tamen unumquemque Apostolum diversa canonis sui loca obire, διελθεῖν. *Act.* 20. 25. Fateor tamen utilitatis rationem esse generalem. In exemplis autem translationum recensendis pergens *Nicephorus* ait; Magnus ille *Eustathius* a Berrhœa (quæ eadem est Chaleb) in Antiochiam translatus est, *Constantino* primo Christiano Imperatore Imperium Romanum administrante. Sub quo & *Maximus* ex Diospoli Hierosolyma transiit, magno *Macario* succedens. Sed & *Eudoxius* ille pravæ prorsus contra nomen suum opinionis [Εὐδόξιος ὁ κακόδοξος] ex Germanicia primum Antiochiam, & inde postea Constantinopolim est translatus.

§. 28. His subjungit exempla ex Socrate modo commemorata: eisque alia annectit plurima exempla translationum posterioribus etiam seculis factarum. Deinde repetit memoratam distinctionem *translationis* & *transitionis*, suamque de Episcoporum translationibus dissertationem claudit duobus testimoniis, quæ ait esse *Cœlestini* & *Anteris*, Pontificum Romanorum. Ejus verba sunt; Id quod *Cœlestinus* Romæ Episcopus, in suis, sicut ipse appellat, secretis, capite secundo, hisce utens verbis ostendit; Si Episcopus utilitatis gratia transferatur, ne id per seipsum faciat, sed fratribus cogentibus. Et rem eam sacræ hujus sedis authoritate expediat, non inanis gloriæ, verum utilitatis communis aut necessitatis ergo. Eadem & *Anterius* collega ejus refert, ita ad verbum dicens; Translationem Episcoporum communis utilitatis aut necessitatis gratia scitote fieri licere, non autem cujuslibet cupiditate, aut dominationis affectatione. * Siquidem *Petrus* doctor & dux noster Ecclesiasticæ utilitatis causa ex Antiochia Romam translatus est, & inde postea Alexandriam transiit, ut qui istic prodesse magis Ecclesiæ posset. *Eusebius* autem ex oppido quodam parvo, Apostolica authoritate Alexandriam est traductus. Atque eo modo & *Felix* ex civitate quæ ei civium electione obtigerat, propter eam qua præditus erat egregiam doctrinam & vitam, de communi Episcoporum reliquorumque sacerdotum atque Apostolicorum virorum * consilio Ephesum

** Alii legunt, populorum.*

ſum tranſiit. Non enim civitatem civitate mutat, qui id non cupiditate ſua aut vanæ gloriæ ſtudio facit; verum propter utilitatem aliquam aut neceſſitatem, aliorum authoritate majore pollentium cohortatione & conſilio, ex minore in majorem urbem tranſit: non inani gloria aut voluntate ipſe ſua ductus, ſed authoritati potentiorum obſequutus, aut ſede ſua expulſus, aut etiam utilitate loci vel populi permotus: & quidem non arroganter, ſed humiliter ab aliis productus. Hæc nomine *Cœleſtini* & nomine *Anterii* recitat *Nicephorus Calliſt.* lib. 14. Hiſt. Eccl. cap. 39. interprete *Joanne Lango.*

§. 29. Poſterius teſtimonium nomine *Anterii* citat etiam *Gratianus*, cauſ. 7. qu. 1. can. *Mutationes.* Ubi omittit hæc verba de *Petro*, [*& inde poſtea Alexandriam tranſiit.*] Idem etiam ex *Pelagio* Papa allegat verba ſequentia: Scias, frater dile-

Pelagius 2. Papa Rom. epiſt. 1. ad Benignum. ctiſſime, [inquit *Pelagius* Papa ſcribens *Benigno* Archiepiſcopo,] aliud eſſe cauſam neceſſitatis & utilitatis; aliud præſumptionis ac propriæ voluntatis. Non ergo mutat ſedem qui non mutat mentem: id eſt, qui non avaritiæ cauſa, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis ſuæ, migrat de civitate ad civitatem; ſed cauſa neceſſitatis & utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas unius utilitati vel voluntati

Aliud eſt mutare, aliud mutari. præferenda eſt. Aliud eſt enim mutare, & aliud mutari. Nam aliud eſt ſponte tranſire, aliud coacte aut neceſſitate venire. Unde non iſti mutant civitatem, ſed mutantur: quia non ſponte, ſed coacte hoc agunt. Non ergo bene intelligunt Eccleſiaſticas regulas, qui hoc negant cauſa neceſſitatis vel utilitatis fieri poſſe quoties communis neceſſitas aut utilitas perſuaſerit. cauſ. 7. qu. 1. can. *Scias frater.*

§. 30. Item, ex ejuſdem *Pelagii* eadem epiſtola ad eundem *Benignum*; Qui negant miſericordiam faciendam fugientibus, & neceſſitatem patientibus; ipſum Chriſtum negant, qui eſt miſericordia & veritas: negant autem miſericordiam neceſſitatem patientibus, qui populis indigentibus divinis miniſteriis & non habentibus proprium Epiſcopum qui eos inſtruat, cauſa neceſſitatis atque utilitatis, ex alia civitate (licet minor ſit) in eam quæ non habet, Epiſcopum doctiorem vel potiorem & utiliorem, meliori conſilio, non ſponte tranſeuntem, ſed majorum exhortatione, mutare negant: aut Epiſcopum dejectum & perſequutionem patientem cauſa utilitatis aut neceſſitatis nolunt inthronizare. cauſ. 7. qu. 1. *Omnis qui.* Item ex *Evariſto* Papa; Epiſcopus Eccleſiam ſuam, id eſt, illam ad quam ſacratus fuit, non dimittat, abſque inevitabili neceſſitate, aut Apoſtolica vel regulari mutatione; ut ulteri ſe ambitus cauſa conjungat. 7. qu. 1. *Sicut vir.*

§. 31. Concilii Carthaginenſis quarti, canon 27. ſic ſe habet; Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat; nec quiſquam inferioris ordinis clericus. Sane ſi utilitas Eccleſiæ popoſcerit, decreto pro eo clericorum & laicorum Epiſcopis porrecto, per ſententiam Synodi transferatur; nihilominus alio in loco ejus Epiſcopo ſubrogato. Inferioris vero gradus ſacerdotes vel alii clerici conceſſione ſuorum Epiſcoporum poſſunt ad alias Eccleſias tranſmigrare. Hæc Patres illi Carthaginenſes in Concilio illo Carthaginenſi quarto, quod præſidente Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi celebratum eſt, Auguſto Honorio 4. & Eutychiano Conſulibus, Anno Chriſti 398. Hunc Concilii illius Carthaginenſis canonem citat etiam Gratianus. 7. qu. 1. *Epiſcopus.* Concilium autem iſtud Gratianus vocat tertium Carthaginenſe; ſed in tomis Conciliorum, ex editione Binii, quartum eſt.

Leo primus Epiſcopus Romanus, epiſt. 86. ad *Nicetam* Aquileienſem Epiſcopum, cap. 6. Illam quoque partem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, qua olim a ſanctis patribus, & a nobis ſæpe decretum eſt, nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus ordine, ut nec in ſubſequenti officio clericorum, ab Eccleſia ad Eccleſiam cuiquam tranſire ſit liberum, ut in integrum revoces, admonemus. Et unuſquiſque non ambitione illectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum depravatus, ubi ordinatus eſt perſeveret: ita ut ſi quis ſua quærens, non quæ Jeſu Chriſti, ad plebem & Eccleſiam ſuam redire neglexerit; & ab honoris privilegio, & a communionis vinculo habeatur extraneus. Hæc *Leo.* §. 32.

His allatis in utramque partem, de paſtorum tranſlatione, canonibus, teſtimoniis & exemplis veterum, tempus eſt ut ad propoſitam quæſtionem directe reſpondeamus. §. 33.

Concluſio igitur hujus diſſertationis hæc erit: Veteres prohibuerunt tranſlationes, ut ambitioni & cupiditati anſam præciderent, & Eccleſiarum paci ac tranquillitati proſpicerent, fuitque ea conſtitutio ſingulis etiam Eccleſiis apprime utilis: ſic enim abjecta ſpe tranſmigrandi, unuſquiſque paſtor ad Eccleſiam quam nactus erat, diligentiſſime paſcendam, regendam, & ornandam omne ſtudium conferebat: memor præcepti illius, quo jubentur paſtores attendere ſibi ipſis & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus eos conſtituit Epiſcopos, ad paſcendum Eccleſiam Dei. *Act.* 20. 27, 28. Neque fas eſt paſtori Eccleſiam illam, cui eum præfecit Spiritus ſanctus, relinquere, niſi eodem monente & ducente ſancto Spiritu. Sicut interdum factum eſt, ut ducente ipſo ſancto Spiritu paſtor de una Eccleſia ad aliam migraret, honeſto ſtudio, & ſincera pietate. Juris certe communis eſt ut non tranſmigrent paſtores, juxta regulam illam jam citatam, *Act.* 20. 27, 28. & juxta canones Eccleſiaſticos in hanc ſententiam allegatos. Quibus addi poſſunt quædam ex eis quæ ſupra diſſeruimus contra ordinationes abſolutas, & de neceſſitate certæ ſtationis & operis, ſupra cap. 1. Sunt autem quædam juſtæ exceptiones, nempe cauſa neceſſitatis, vel publicæ utilitatis. *Tranſmigrationis cauſa juſta.*

Neceſſitas eſt vel perſonalis, vel Eccleſiaſtica. §. 34. *Neceſſitas Eccleſiaſtica.* De Eccleſiaſtica neceſſitate nulli dubium eſt recte æſtimanti, quin in caſu neceſſitatis Eccleſiaſticæ multa licita & neceſſaria ſint, quæ extra illum caſum non eſſent facienda. Neceſſitas autem perſonalis tribus modis contingit; *Neceſſitas perſonalis.* videl. 1. Si paſtor perſequutionis violentia abactus in aliam civitatem juſte commigrat; juxta illud: *Quando vos perſequuti fuerint in civitate hac, fugite in aliam.* Matth. 10. 23. Nempe cum poteſtate paſtorali, quam injuſta perſequutio adimere non potuit: quamvis ordine & decenter in Eccleſia Dei omnia peragenda ſint; ut nemo alicubi Eccleſiaſticum uſurpet exercitium abſque decreto & permiſſu aut conſenſu rectorum Eccleſiæ illius ad quam fugiens ſe recipit, niſi deprehendantur rectores illi a veritate rectoque judicio devii, ſicut erant ſacerdotes & doctores tempore Joannis Baptiſtæ, & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sed de fuga paſtorum poſtea fuſius Domino donante dicemus. 2. Neceſſitas perſonalis illi accidit, quem ad aliquam Eccleſiam deſtinatum cives non recipiunt, ſicut contigit *Proclo*, a civibus Cyzicenis; & *Perigeni*, a Patrenſibus; qui illos recipere recuſarunt. Porro, ſi alimenta neceſſaria denegent, accenſendi ſunt non recipien-

Matth. 10. 10. pientibus, *dignus est enim operarius alimento suo*; quo spectat illud Domini nostri: *In quam autem civitatem intraveritis, & non receperint vos, egressi in plateas ejus, dicite, etiam pulverem,*
Luc. 10. 10, 11. *qui nobis ex civitate vestra adhæsit, excutimus vobis* Luc. 10. 10, 11. Hinc patet, liberam in tali casu esse migrationem: at simul etiam necessariam esse omnis ex eo loco (unde migravit) beneficii abrenunciationem; nam ipse etiam pulvis excutiendus est. Sic olim *Proclus* & *Perigenes* aliique sancti viri in tali casu fecerunt. 3. Necessitas personalis accidit ob debilitatem personæ, sicut evenit olim *Silvano* Philippopoli; ita tamen ut dimisso Episcopatu intactum etiam relinquat beneficium.

§. 35. *Utilitas Ecclesiæ.* *Utilitas* intelligenda est publica Ecclesiæ. Omnia in Dei Ecclesia fieri debent decenter & ordine: *1 Cor.* 14. 40. & spiritus prophetarum subjecti sunt prophetis. *ibidem vers.* 32. Finis nostri ministerii est consummatio sanctorum, opus ministerii, ædificatio corporis Christi, usquedum occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram staturæ plenitudinis Christi. *Eph.* 4. 12, 13. Nullam ergo partem hujus ministerii, ad hunc scopum directam, a nobis alienam debemus existimare, salvo decoro ordine, & interveniente divina vocatione. Ideo si Ecclesia judicaverit labores nostros alibi magis esse necessarios, & futuros alibi utiliores, nobis jussa capessere fas est.

§. 36. Hæ solæ sunt justæ transmigrationis causæ: videlicet necessitas, & publica utilitas. De simplici autem abdicatione inferius erit commodior dicendi locus, ubi de residentia ad titulum differemus. *Transmigrationis causa injusta.* Injustæ autem causæ transmigrationis sunt vel respectu Ecclesiæ quæ relinquitur, vel intuitu illius quæ suscipitur. Respectu Ecclesiæ quæ relinquitur sunt quatuor præcipuæ; videl. impatientia, pusillanimitas, ἀςοργία, & μεμψιμοιρία. Prima & secunda labores & theriomachias respiciunt, tertia gregem, quarta fortunas seu externam conditionem pastoris. Intuitu autem Ecclesiæ quæ aditur, septem sunt præcipuæ causæ inidoneæ, nempe; avaritia, luxuria, levitas, ambitio, amœnitas loci, ignavia seu iners captatio otii, & sodalitas vel amicitia. Nam, ut de ista postrema causa aliquid dicam, in pastoralis, aut in genere etiam in Christianæ vocationis negotio, nullius personæ respectus nos avocare debet ab officio pastorali, aut Christiano. Fidelis pastor principem pastorum imitari debet, qui omnem facientem voluntatem Patris cœlestis habet loco fratris, & sororis, & matris. *Matth.* 12. 48, 49. Reliquarum causarum absurditas per se manifesta est.

§. 37. Summam hujus conclusionis accipe his paucis versibus:

1. *Ne te prava tuæ capiant fastidia curæ,*
Sis patiens, fortique animo, charissimus esto
Grex tibi, nec tenuem victum aspernabere pastor.

2. *Non tibi sævus amor nummi, ventrisve sagina,*
Non levitas, non ambitio, non tractus amœnus,
Non pastoralis fuga desidiosa laboris,
Nec perjucundus socius nec dulcis amicus
Excutiat propris curam gregis; ut stationem,
In qua te cœlestis heri mandata locarunt,
Vel facto mutes ipso, vel mente relinquas.

3. *At si te propria vis exigat hostica sede,*
Hospitiumve neget populus quem pascere tentas,
Corporis aut nequeant sufferre gravamina vires,
Dilectumve gregem ut mutes si publica poscat
Utilitas, fratrumque vocet sententia concors,
Vatibus auscultans vates sine crimine migras.

Atque hæc de tituli mutatione dixisse sufficiat: proxime consideranda occurrit residentia ad proprium titulum, sicut initio proposuimus.

CAPUT VII.

Proponitur status quæstionis, de Pastoris Ecclesiastici residentia ad proprium titulum.

Non quærimus hic an liceat abesse a proprio titulo propter persequutionis violentiam, id enim licitum esse monuimus in superioribus, & ea de re plura etiam Domino donante infra dicemus. Neque hic quæstio est, an pastori abesse liceat a populo eum non recipiente: nam & talem absentiam esse posse sine pastoris culpa, docuimus superiore capite. Quo pertinet canon ille 18. Concilii Antiocheni, an. Domini 341. qui canon etiam a Socrate citatur, lib. 7. Hist. Eccles. cap. 36. Græc. at Latin. 35. Canonis hæc sunt verba: εἴ τις ἐπίσκοπος χειροτονηθεὶς εἰς παροικίαν, μὴ ἀπέλθοι εἰς ἣν ἐχειροτονήθη, οὐ παρὰ τὴν αὐτοῦ αἰτίαν, ἀλλ' ἤτοι παρὰ τὴν τοῦ λαοῦ παραίτησιν, ἢ δι' ἑτέραν αἰτίαν οὐκ ἐξ αὐτοῦ γενομένην, τοῦτον μετέχειν τῆς τιμῆς, καὶ τῆς λειτουργίας, μόνον μηδὲν παρενοχλοῦντα τοῖς πράγμασι τῆς ἐκκλησίας, ἔνθα ἂν συνάγοιτο ἐκδέχεσθαι δὲ αὐτὸν, ὃ ἂν ἡ τῆς ἐπαρχίας τελεία σύνοδος κρίνασα τὸ παριςάμενον ὁρίσῃ. Id est: Si quis Episcopus ordinatus ad parœciam, ad eam ad quam ordinatus est non abierit, non sua culpa, sed propterea quod populus recuset, vel aliquam aliam ob causam nullo ejus vitio exortam, hunc [decernimus] & honoris & ministerii compotem esse, dummodo nullam rebus Ecclesiæ, in qua convenit, molestiam afferat. Expectet autem hic, quid provinciæ plenaria Synodus de re quæ proponitur judicans determinatura sit. Hunc Antiocheni Concilii canonem citat etiam *Gratianus*, 92. Dist. can. *Si quis Episcopus.* §. 1.

Sed quæstionis istius de residentia sensus est: Utrum extra memoratos casus persequutionis, & rejectionis, teneatur Pastor, de jure divino, & Ecclesiastico, residere cum proprio suo grege; necne? §. 2.

Ad hanc quæstionem ut dilucida habeatur responsio, hoc ordine de ea disseremus. §. 3.

Summa eorum quæ sequuntur reliquo hoc libro.

1. Dicemus quid sit residentia pastoralis, & quæ quæritur.
2. Ejus necessitatem ex divinis literis scriptisque Ecclesiasticis demonstrabimus.
3. Dubiis quibusdam occurremus: ubi etiam de impedimentis debitis residentiæ fugiendis.
4. Quædam de pastoralis muneris abdicatione subjiciemus.
5. Denique explicabimus de fuga in persequutione.

CAPUT VIII.

Quid sit residentia pastoralis, & quæ ejus partes.

Residentia est constans præsentia, & pastoris cum grege suo residentia est constans pastoris cum grege suo præsentia: opponiturque de- §. 1.

desertioni & absentiæ. At non sufficit generalis ista descriptio. Quo igitur accuratiorem definitionem inveniamus, sciendum est, pastoralis residentiæ tres esse partes, tribus enim modis gregi suo adest pastor perfecte residens, videl. corpore, spiritu, opere. *Corpore* præsens est qui corporaliter sedet seu constanter manet cum populo quem pascendum accepit, quomodo *Paulus* Apostolus, monente Deo, sedisse dicitur Corinthi octodecim menses, *Act.* 18. 11. *Spiritu* præsens est pastor cum suo grege, qui diligit gregem, eique optima quæque exoptat, & pro virili procurat. Ista præsentia non solum cum corporali præsentia consistit, sed quandoque etiam sine ea reperitur: *Ego quidem*, inquit Apostolus, *tanquam absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi tanquam præsens.* 1 Cor. 5. 3. Et alibi, *Nos autem, fratres, per orbitatis modum divulsi,* [ἀπορφανισθέντες] *a vobis ad horæ momentum, conspectu, non corde,* [προσώπῳ, οὐ καρδίᾳ] *vehementius studuimus videre faciem vestram.* 1 Thess. 2. 17. *Opere* præsens est & adest gregi pastor qui ipsum verbi prædicatione diligenter pascit, ejus saluti precibus & vigiliis sedulo intendit, hæc est illa præsentia & residentia in opere pastorali quam Timotheo Paulus Apostolus commendavit, *Hæc* (inquit) *meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus, attende tibi & doctrinæ, permane in eis: hoc enim faciens & teipsum servabis & audientes te.* 1 Tim. 4. 15, 16. & ibidem; *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* vers. 13. Item, *Obtestor ego coram Deo & Domino Jesu Christo qui judicaturus est vivos & mortuos in illustri illo suo adventu & regno suo, prædica sermonem, insta, opportune, importune, argue, corripe, exhortare, in omni longanimitate & doctrina. Tu vigila in omnibus, perfer, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum adimple.* 2 Tim. 4. 1, 2, 5, 6. *Hildebertus* Episcopus Turonensis, in suo sermone Synodico ad pastores; [in Bibl. Patr. tom. 3. col. 272. edit. 4.] Audite (inquit) Apostolum dicentem, *Prædica verbum, insta opportune & importune.* Quibus opportune, & quibus importune? Opportune quidem volentibus; importune autem nolentibus. Hæc Hildebertus, qui floruit circiter annum Domini 1200.

§. 2. Fidelis pastor gregi suo debet omnes istas præsentiæ partes. Nam gregem Dei sibi commissum debet pascere, & quidem prompto ac lubenti animo: 1 *Pet.* 5. 2. cum affectu pastorali, hoc est, ut paratus sit, exemplo summi pastoris, vitam suam ponere pro ovibus. *Joan.* 10. 11. Quomodo affectus fuit Paulus Apostolus, 2 *Cor.* 12 15. & 1 *Thess.* 2. 8. Præsentia autem corporalis necessaria est propter præsentiam operis.

§. 3. Pastoralis igitur residentia est constans pastoris cum suo grege præsentia, corpore, spiritu, opere.

CAPUT IX.

De residentia pastorali in opere.

§. 1. Necessitatem residentiæ uniuscujusque pastoris ad proprium suum titulum demonstrabimus per partes, & primo quidem loco ostendemus necessitatem residentiæ in opere; quæ pars residentiæ ut melius intelligatur, dispiciendum est, quodnam sit opus pastorale in quo necessaria ejus postulatur præsentia.

§. 2. *Principale opus pastoris Ecclesiastici.* Etiamsi pastoribus incumbat cura pauperum, *Gal.* 2. 10. *Rom* 15. 25. & administrandorum Sacramentorum, *Matth.* 26. 28. & 1 *Cor.* 10. & 11. & disciplinæ Ecclesiasticæ, *Matth.* 18. Principale tamen ac primarium pastoris Ecclesiastici opus est prædicatio Evangelii. 1 *Cor.* 1. 17. cum oratione. *Act* 6. 4. Dominus noster per seipsum prædicavit, quamvis non nisi per discipulos baptizaverit Baptismo aquæ, *Joan.* 4. 1, 2. præcepit discipulis suis prædicare populo, & testificari quod ipse sit constitutus a Deo judex vivorum & mortuorum, *Actor.* 10. 42. *Si evangelizavero* (inquit Paulus Apostolus) *non est mihi gloriatio, necessitas enim mihi incumbit, væ autem mihi est, si non evangelizavero, si enim volens hoc facio mercedem habeo, si vero invitus, dispensatio mihi credita est.* 1 Cor. 9. 16, 17. Et huic excellentiori operi, merces etiam excellentior proposita est, nam *qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt, maxime ii qui laborant in verbo & doctrina.* 1 Tim. 5. 17. Fidelis & prudens Oeconomus in Christi familia, is est, qui dat in tempore opportuno familiæ τὸ σιτομέτριον, id est, justam cibi mensuram, & beatum pronunciat Dominus servum illum quem adveniens Dominus inveniet facientem sic, ποιοῦντα οὕτως. *Luc.* 12. 42, 43. Quid sit autem distribuere opportune mensuram cibi debitam familiæ Christi, exponit Paulus Apostolus, 2 *Tim.* 2. 15. nempe ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, recte secare verbum veritatis, hoc est enim alimentum quod pastores distribuendum acceperunt, unde appellantur dispensatores ministeriorum Dei. 1 *Cor.* 4. 1. Et Apostolus ait se lac dedisse parvulis, servato solidiori cibo adultis. 1 *Cor.* 3. & *Hebr.* 5. & 6. Intelligens prudentem dispensationem verbi Dei. Promittit Deus per Jeremiam Prophetam daturum se populo suo pastores secundum cor ipsius Dei, qui eos pascent scientia & intelligentia. *Jer.* 3. 15.

Vide Instr. Historico-Theolog. lib. 10. cap. 5. §. 36.

Distinctis jam titulis Ecclesiasticis, & assignata unicuique pastori propria sua cura, hoc prædicationis officium debet unusquisque pastor gregi illi in quo Spiritus sanctus eum constituit Episcopum. *Act.* 20. 27, 28. Pro animabus enim illius populi rationem redditurus est: unde ei perpetuæ vigilantiæ & assiduarum excubiarum pro illo peculiari populo necessitas imposita est. *Heb.* 13. 17. *Ezech.* 3. Neque longus sopor oculis fidelis pastoris concessus est, noctu enim & interdiu sedulum esse oportet, & opportune atque importune prædicando instare, & pascere Dei gregem, ne per illius socordiam vel minima ovicula sit lupo prædæ opportuna: nam si vel minima ovicula per speculatoris seu pastoris incuriam perierit, reposcetur ejus sanguis a speculatore seu pastore. *Ezech.* 3. 18, 20. *Act.* 20. 26, 27. & *seqq.* Neque pastori quicquam antiquius esse debet, quam ut omni alia, etiam propriæ vitæ, cura posthabita, perficiat cursum suum cum gaudio, & ministerium quod accepit a Domino Jesu ad testificandum Evangelium gratiæ Dei. *Act.* 20. 24. Pastor qui amat Christum, pascit oves Christi. *Joan.* 21. 15. & *seq.* Qui autem non prædicat Evangelium, cujus illi credita est dispensatio, veluti canis est mutus, latrare nescius, stertens, procumbens, & soporem diligens &c. Isa. 56. 10. &c. *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur.* &c. Joan. 12. 25 26.

Vide Zach. 11. 15, 16, 17.

§. 4. Tria igitur requiruntur ad debitam in opere residentiam pastoralem. *Primo*, ut prædicet Evangelium. *Secundo*, ut illud prædicet gregi illi in quo Spiritus sanctus eum constituit Episcopum. *Tertio*, ut hoc faciat cum summa assiduitate & vigilantia: non contentus raris con-

cionibus, aut panegyribus festivalibus, longa interim otii, & inertiæ captans intervalla, cum certissimo animarum ipsi commissarum periculo.

§. 5. Hæc lex sedulæ prædicationis & indefessæ vigilantiæ omnes omnium ordinum pastores Ecclesiasticos obligat, a qua ne ipsi quidem Apostoli & Evangelistæ exempti sunt. Ita enim Apostoli, vitique Apostolici, alios oppidatim & per singulas Ecclesias constituebant presbyteros & Episcopos, eosque ad diligentem suscepti muneris executionem, auctoritate ipsis concessa, exstimulabant tanquam publici *ἐργοδιῶκται* a Christo constituti, ut interea ipsi prædicationis ministerium nequaquam intermiserint, neque suas prædicandi Evangelii partes cuiquam transscripserint. Non enim alios prædicare jubebant ipsi tacentes, sed prædicandi diligentia aliis præibant, ut eorum præfulgente exemplo alii ad eandem diligentiam excitarentur.

§. 6. Illi qui fratribus superpositi sunt, & Episcopi vel Superintendentes vel quocunque prælationis vel præsidentiæ vocabulo indigitantur, non desinunt esse presbyteri, neque eximuntur necessitate prædicandi, propter accessionem oneris gu-
1 Pet. 5.1. bernationis: quemadmodum generalis Apostolo-
2 Joan. 1. rum præfectura, omniumque Ecclesiarum cu-
3 Joan. 1. ra non liberabat eos ab onere prædicationis, ne-
1 Cor. 4.1. que per illam suam prærogativam Apostolicam desinebant esse presbyteri laborantes in verbo, & dispensatores mysteriorum Dei. Quando presbyter fit Episcopus, non desinit esse presbyter: neque est mutatio, sed accessio oneris. Ideo & hoc faciendum quod præ aliis impositum est Episcopo, nec illud negligendum quod eidem homini adhoc presbytero constanter incumbit. Auctor commentarii qui *Ambrosio* tribuitur, in 1 *Tim.* 3. Post Episcopum (inquit,) Diaconi ordinationem subjicit. Quare? nisi quia Episcopi & presbyteri una ordinatio est? Uterque enim sacerdos est. Sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus presbyter sit, non omnis presbyter Episcopus: hic enim Episcopus est qui inter presbyteros primus est. Hæc ille. Et ipse alibi *Ambrosius*, Honor quidem (inquit) Episcopalis coram hominibus præclarus est; sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tanto, si per negligentiam delabatur, ruina gravior est. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari. Hæc *Ambrosius*, lib. de dignitate sacerdotali, cap. 3. Similia legere est apud *Augustinum*, epist. 148. quæ est ad *Valerium*.

§. 7. *Joannes* Episcopus Antiochiæ, cum suis collegis, in sua epistola ad *Xystum* Episcopum Romanum, & *Cyrillum* Episcopum Alexandrinum, & *Maximianum* Episcopum Constantinopolitanum, quæ exstat in tertia parte Concilii Ephesini, in illa, inquam, epistola *Joannes*, cum suis collegis Episcopis Orientalibus, ait; *Καὶ σπουδὴ, καὶ σκοπὸς, πᾶσι τοῖς ἱερᾶσθαι λαχοῦσι, καὶ τὴν θείαν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν πεπιςευμένοις παρὰ τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος Χριςοῦ, τὸ ἐν ὀρθῇ πίςει διαπρέπειν· οὕτω τε διδάσκειν τοὺς ὑπὸ χεῖρα λαοὺς.* Id est, Omnium qui sacerdotium sortiti sunt, & quibus divinum Episcopatus ministerium a nostro omnium Salvatore Christo creditum est, hoc studium est & scopus, ut in recta fide excellant, eamque populum sibi commissum doceant.

§. 8. *Gregorius*, hujus nominis primus, Episcopus Romanus, suorum temporum calamitates deplorans, homil. 17. in Evangelia: Quanto (inquit) mundus gladio feriatur, aspicitis: quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis. Cujus hoc nisi nostro præcipue peccato agitur? Ecce depopulatæ urbes, eversa castra, Ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt. Sed nos pereunti populo authores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato, populi turba prostrata est; quia nostra faciente negligentia, ad vitam erudita non est. Quid autem animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus, quæ ad hoc sunt conditæ, ut in ejus corpore trajiciantur, id est, ut in æternæ Ecclesiæ augmentum tendant? sed hujus cibi condimentum nos esse debuimus. Sicut enim paulo superius præfati sumus, missis prædicatoribus dicitur: *Vos estis sal terræ.* Si igitur cibus Dei est Matth. 5.
populus, condimentum cibi sacerdotes esse de- 13.
buerunt. Sed quia dum nos ab orationis & eruditionis sanctæ usu cessamus, sal infatuatum est, condiri non valet cibus Dei, atque idcirco ab authore non sumitur, quia exigente fatuitate nostra, minime conditur. Pensemus ergo qui unquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti, pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus quod lucrum Deo fecimus nos qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit: *Negotiamini* Luc. 19.13.
dum venio. Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem quo judex veniet, & rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videtur. In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus. Ibi *Petrus* cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi *Paulus* conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi *Andreas* post se Achaiam, ibi *Joannes* Asiam, *Thomas* Indiam, in conspectum sui Judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, cum sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahent. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? hic pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus. *Et paulo post.* Consideremus sine cessatione quid sumus, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus quod suscepimus. Faciamus quotidie nobiscum rationes quas cum nostro Judice habebimus. Et sic debemus agere curam nostri, ut non negligamus curam proximi: ut quisquis ad nos jungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur. *Hæc ibi.*

Idem Pater, lib. 1. epist. ex registro, cap. 24. §. 9.
Clavis (inquit) apertionis, sermo est correptionis: quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit etiam ipse qui perpetravit. Hinc *Pau-* Tit. 1.9.
lus ait; *Ut potens sit exhortari in doctrina sacra: & eos qui contradicunt, redarguere:* Hinc per
Malachiam dicitur: *Labia Sacerdotis custodient* Malach. 2.
scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia 7.
Angelus Domini exercituum est. Hinc per *Esaiam* Esai. 58.1.
Dominus admonet, dicens; *Clama, ne cesses:*

sicut

sicut tuba exalta vocem tuam. Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium ascendit: ut ante adventum judicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos vero si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit: quia nimirum quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc *Moysi* præcipitur ut tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur; ut videlicet voces prædicationis habeat: ne superni speculatoris judicium ex silentio offendat: Scri-
Exod. 28. 35. ptum quippe est: *audiatur sonitus quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectum Domini: & non moriatur.* Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur: qui iram contra se occulti judicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis ejus describuntur inserta. Vestimenta enim Sacerdotis, quid aliud quam recta opera debemus accipere? Pro-
Psal. 131. (seu 132.) 9. pheta attestante, qui ait; *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent: ut vitæ viam cum linguæ sonitu, ipsa quoque opera sacerdotis clament.

§. 10. Item, libro 2. epist. ex registro, cap. 33. Quos ergo fructus (inquit) Domino multiplicati gregis ostendemus, si & ipsum quem pascendum suscepimus, otiosa mente cernimus a bestia devorari? Studeamus igitur cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendere, qui hyemales noctes, imbribus geluque constricti ducunt sæpe pervigiles: ne vel una ovis, & non forte utilis pereat. Quam & si insidiator ore voraci momorderit, quomodo satagunt, quibus cordis anhelant æstibus, in quas voces ut eruant captum pecus angustia stimulante prosiliunt: ne a gregis Domino quicquid per incuriam perdiderint, exigatur? Vigilemus ergo ne quid pereat, & si captum forte quid fuerit, vocibus divinorum eloquiorum ad gregem Dominicum re-
Pastor pastorum. ducamus: ut ille qui pastor pastorum est, vigilasse nos circa gregem suum, suo misericors dignetur judicio comprobare.

§. 11. Idem etiam scribens *Dominico*, Episcopo Carthaginiensi, lib. 2. epist. ex registro, cap. 39. Quod vero (inquit) ordinationi nostræ fraternitas vestra congaudet, affectum mihi integerrimæ charitatis exhibet. Sed ex consideratione hujus ordinis mentem meam, fateor, transverberat vis
Grave est pondus Sacerdotii. doloris. Grave namque est pondus Sacerdotii: prius quippe est sacerdoti necesse ut cæteris ad exemplum vivat: ac deinde servandum, ut mentem per ostensa exempla non elevet. De prædicationis semper ministerio cogitet: intentissimo timore considerans quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, & talenta servis
Luc. 15. 19. distribuens, dicat; *Negotiamini dum venio.* Quod profecto negotium tunc vere nos agimus, si vivendo & loquendo proximorum animas lucra-
Negotium pastorale. mur: si infirmos quoque cœlestis regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus: si protervos ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter insonando, flectimus. Si nulli contra veritatem parcimus. Si supernis amicitiis dediti, humanas inimicitias non timemus: quod nimirum exhibens, quasi quoddam se sacrificium obtulisse Deo Psalmista noverat, cum dicebat:
Psal. 138. (seu 139.) *Nonne qui oderant te Deus oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expavesco: & quod accepto regno paterfamilias redeat, rationem nobiscum positurus, aspicio. Sed qua eum mente sustineo, cui de suscepto negotio animarum lucrum aut nullum, aut pene nullum reporto? Tua ergo me oratione frater charissime adjuva: & quæ de me formidare me conspicis, in temetipso quotidie timore providæ sollicitudinis pensa. Per charitatis quippe compagem, & tua sunt quæ de me loquor, & mea quæ te agere concupisco.

Hæc omnia *Gregorius.* Quæ diligenter attendere atque obedienter audire debent hodierni pontifices, ne (ut ejusdem Gregorii verbis utar homil. 17. in Evang.) jaceant in ministerio operis, & honorem quærant in imagine sanctitatis.

Similia, ante Gregorium, *Hilarius* Episcopus Pictaviensis, Commentario in Matth. canon. 27. §. 12.
in illa Domini verba, *Quisnam est fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam*, &c. quæ habentur Matth. cap. 24. *Matth. 24. 45.*
vers. 45. Quanquam (inquit) in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est, Episcopis in expectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem præpositum familiæ significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens & præceptis obediens erit, id est, si Doctrinæ opportunitate, *Fidelis præpositus familiæ.*
& veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat, atque hæc agens hisque immorans deprehendatur, gloriam a Domino tanquam Dispensator fidelis & villicus utilis consequetur, & super omnia bona constituetur, id est, in Dei gloria collocabitur. Quia nihil sit ultra quod melius sit. Quod si contemnens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, adversum conservos insolescet, & seculi malis vitiisque se tradet, præsentium tantum curam in cultu ventris exercens, desperata die Dominus adveniet, eumque a bonis quæ spoponderat dividet, portionemque ejus, cum hypocritis in pœnæ æternitate constituet: quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit; quia præsentibus studuerit, quia vita gentium vixerit, quia desperatione judicii commissam sibi familiam fame, siti, cæde, vexaverit. Hactenus *Hilarius.*

Ambrosius Episcopus Mediolanensis, super §. 13.
cap. 1. Esai. Prophetæ: Non incommode (inquit) ante dies paucos prosecuti sumus functionem hanc sacerdotalem vicem quandam negotii retinere, & quæstum esse non modicum hoc clericatus officium. Est quæstus plane non modicus, ubi lucrum non pecuniarum, sed adquiritur animarum: est magna negotiatio, ubi redemptio hominis constat, non annumeratione pretii, sed annunciatione præcepti. Præceptum enim Christi talentum quoddam est pretiosum, quo salus comparatur, quo vita redimitur —— *Negotiatio pastoralis.*
Hoc talentum fratres, nos prædicatione nostra vestris pectoribus commendamus, ut lucrum aliquod salutis vestræ Domino designemus. Rationem daturi sumus qualiter aut prædicatio nostra proficiat, aut obedientia vestra fructificet. Hæc ibi. Item alibi; lib. de dignitate sacerdotali, cap. 6. Si (inquit) Lux est Ecclesiæ Episcopus, a Domino ordinatus, ita ut imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante, conscientiarum latebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? —— Si meruisti salis possidere saporem, ut insipientium possis corda condire, cur infatuatus tali vitio

(*Simoniam intelligit*) immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuisti, ita ut nec alios nec teipsum possis condire? —— Episcopus a cunctis indubitanter vocaris, præsertim cum ipso nomine censeris, si tamen actio concordet nomini, & nomen se societ actioni. Nam quid aliud interpretatur *Episcopus*, nisi *super-inspector*? maxime cum solio in Ecclesia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, ut & cunctorum oculi in ipsum respiciant. Ergo quia ita est, cur tu velut tetrum speculum universorum oculis demonstras, ita ut non possint obscuritate tua se comptius exornare. Hactenus *Ambrosius*.

§. 14. Item *Joannes*, cognomento *Chrysostomus*, Episcopus Constantinopolitanus, lib. 2. de Sacerdotio, cap. 1. Necessitatem pascendi gregis Dominici, Episcopis incumbentem demonstrat ex verbis illis Domini nostri ad Petrum Apostolum, *Amas me? Pasce oves meas.* Ubi observat Chrysostomus, Domino quidem promptum fuisse ut *Petro* diceret, si me amas, exerce jejunium, humi cubationem, [χαμευνίαν] vigilias continuas, defende eos qui injuria afficiuntur, esto orphanis tanquam pater, & loco mariti matri eorum: At istis omnibus prætermissis, hoc solum dixisse, *pasce oves meas*: cum reliqua illa alii homines & ipsæ etiam mulieres exercere possint; ab opere autem pastorali universus sexus fœmineus, & virorum major pars excludatur: paucisque a Domino electis dispensatoribus ea cura demandata sit, in quibus postulat Dominus fidelitatem & prudentiam, ad pascendum illum gregem quem suo sanguine acquisivit. Pascere autem gregem Domini est eum prædicatione verbi instruere, pro eo orare, eumque pastorali disciplina ac regimine vigilanter ac diligenter gubernare, ut monet in eodem opere *Chrysostomus*, lib. 3. de Sacerdotio, cap. 6. & lib. 4. cap. 3. & seqq. capp. & libr. 5. capp. 1, 2, 3. & sermone seu libro 6. cap. 3. & sacramenta administrare, lib. 6. cap. 4.

§. 15. Idem etiam *Chrysostomus*, apud *Gratianum*, 39. dist. can. *multi*. Multi (inquit) Sacerdotes & pauci Sacerdotes. Multi in nomine, & pauci in opere. Videte ergo fratres quomodo sedetis super cathedram. Quia non cathedra facit Sacerdotem, sed sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat. Non omnis Sacerdos Sanctus, sed omnis sanctus est Sacerdos. Qui bene sederit super cathedam honorem accipit cathedræ: qui male sederit, injuriam facit cathedræ. Itaque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem: in judicio enim tuo sedes: siquidem bene vixeris, & bene docueris, populum instruis. Si bene docueris & male vixeris, tui solius condemnator eris. Nam bene vivendo & bene docendo populum instruis quomodo vivere debeat; bene autem docendo & male vivendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. *Hæc ibi.* Quid igitur is qui docendi officium negligit, & hoc ipso nec bene docet nec bene vivit?

§. 16. Idem rursus *Chrysost.* apud *Gratianum*, Ibid. Quicunque (inquit) desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo: nec inter servos Christi computabitur qui de primatu tractaverit. Hæc ille. Nempe ad hoc ut præsit, non ut prosit, sicut recte annotat autor glossæ. Apostolus enim ait, cum qui Episcopatum desiderat, desiderare *bonum opus*. 1 Tim. 3. 1. In quæ verba *Augustinus* Episcopus Hipponensis lib. 19. de Civit. Dei. cap. 19. exponere (inquit) voluit quid sit Episcopatus: quia nomen est operis non honoris, ut intelligat non se esse Episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. Hanc *Augustini* sententiam citat etiam *Gratianus*, caus. 8. qu. 1. can. *qui Episcopatum.* Idem etiam *Augustinus*. Qui (inquit) nec regiminis in se rationem habuit, nec sua delicta detersit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicendus est, magis quam Episcopus. caus. 2. qu. 7. can. *qui nec.* Adde ex Propheta, qui Euangelium non prædicaverit, canis mutus dicendus est, magis quam Episcopus. Esa. 56. 10. Episcopum oportet, opportune & importune atque sine intermissione Ecclesiam docere, eamque prudenter regere & amare, ut a vitiis se abstineat, & salutem consequi possit æternam. Et illa cum tanta reverentia ejus doctrinam suscipere debet, eumque amare & diligere, ut legatum Dei & præconem veritatis. caus. 7. qu. 1. canon. *Sicut vir.*

Hieronymus, Commentario in Epist. *Pauli* ad *Titum*, cap. 1. in illa verba; *Oportet Episcopum* §. 17. Tit. 1. 9, 10.
obtinere eum qui secundum Doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit consolari in doctrina sana, & contradicentes arguere. Hic locus (inquit) adversus eos facit qui inertiæ se & otio & somno dantes putant peccatum esse si Scripturas legerint: & eos qui in lege Domini meditantur die ac nocte quasi garrulos inutilesque contemnunt: non animadvertentes, Apostolum post catalogum conversationis Episcopi, etiam doctrinam similiter præcepisse. Item in illa verba: *Sunt enim multi & non subditi, vaniloqui, &c.* Qui (inquit) Ecclesiæ futurus est princeps, habeat eloquentiam cum vitæ integritate sociatam: ne opera absque sermone sint tacita, & dicta factis deficientibus erubescant. —— Protervos deceptores Doctor Ecclesiæ cui animæ populorum creditæ sunt Scripturarum debet ratione superare, & silentium illis Testimoniorum pondere imponere. Hæc *Hieronymus*.

Haymo Episcopus Halberstatensis, in Episto- §. 18.
lam Pauli Apostoli ad Ephes. 4. 11. De nomine (inquit) Pastorum & Doctorum interrogatus B. *Augustinus a Paulino*, respondit unum esse Pa- Aug. epist.
storem & Doctorem: Pastor enim non potest 59.
esse nisi habeat doctrinam qua pascat gregem sibi commissum: quia si caruerit doctrina, licet nomen habeat Pastoris, caret tamen officio. Pastores autem & Doctores Ecclesiæ, quod unum est, sunt Episcopi, Presbyteri, aliique Rectores & Ministri Ecclesiæ: qui tamdiu constituti sunt in *opus ministerii, & in corporis Christi ædifica-* Ephes. 4.
tionem, donec occurramus omnes in virum perfe- 12, 13.
ctum &c. Hæc *Haymo*.

Episcopi & Abbates totius Galliæ Lugdunen- §. 19.
sis, in Concilio Cabilonensi secundo, quod jus- Concil. Cabil. 2.
su Imperatoris Caroli Magni celebrarunt, anno Domini 813. in primo capitulo illius Concilii; Decrevimus (inquiunt) juxta sanctorum canonum constitutionem, & cæterarum sanctarum Scripturarum doctrinam, ut Episcopi assidui sint in lectione, & scrutentur mysteria Verborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinæ fulgore splendeant, & verborum Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent, & cum David quotidie Domino dicant; *Revela oculos meos, &* Psal. 119.
considerabo mirabilia de lege tua: ita videlicet, (seu 118.) vers. 18.
ut illas Scripturas notissimas habeant, quæ canonicæ appellantur, & earum sensum per Patrum tractatus inquirant. Canones quoque intelligant, & librum B. Gregorii Papæ de cura pastorali: & secundum formam ibidem constitutam & vivant & prædicent. Et cap. 2. Ut ea quæ legendo perscrutantur, opere compleant; ——

Et

Et prædicatione assidua plebem admoneant, & falce justitiæ a credentium mentibus vitiorum spinas eradicent, & verbi Dei semine agros mentis eorum ad fœcunditatem perducant.

§. 20. *Concil. Turon.* 3. Ejusdem Caroli jussu, & eodem anno Domini 813. celebratum est Concilium Turonense tertium, in quo eadem decreta sunt, cap. 2. & cap. 3. & cap. 4. verba autem quarti capituli seu canonis hæc sunt; Solicite studeat unusquisque Episcopus gregem sibi commissum sacra prædicatione, quid agere, quidve vitare debeat, informare. Et ipse Episcopus vita, habitu, forma, & conversatione sancta suis sit subjectis exemplum, ut, juxta Dominicam vocem, videant opera ejus bona, & glorificent Patrem Deum, qui in cœlis est. Hæc ibi. *Matth.* 5. 16.

§. 21. *Residentia pastoralis in opere.* Residentia igitur pastoralis in opere, est constans sedulitas in exsequendis omnibus partibus muneris pastoralis, præcipue vero ἐν ὀρθοτομίᾳ τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας, id est, prudenti ac fideli dispensatione seu prædicatione verbi veritatis, opportune & importune, publice & privatim. Hanc partem qui negligit, quamvis semper præsens sit corpore, abest tamen opere a grege, dum ei non dispensat, debito tempore, justam cibi mensuram, ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον. *2 Tim.* 2. 15. & 4. 2. *Act.* 20. 20, 31. *Luc.* 12. 42.

CAPUT X.

De residentia in affectu.

§. 1. SEcunda pars residentiæ pastoralis est, ut spiritu seu affectu pastorali semper præsens sit pastor cum grege ei credito: idque non solum quando corpore præsens est, sed etiam quando corpore absens est. Hujus partis necessitatem demonstrant illa Scripturæ testimonia quæ supra in investigatione definitionis residentiæ allegata sunt. 1 *Cor.* 5. 3. & 1 *Thessal.* 2. 8, 17. & 1 *Pet.* 5. 2. & 2 *Cor.* 12. 15.

§. 2. *Augustin.* *Augustinus* Episcopus Hipponensis, dum quodam tempore, propter Ecclesiæ necessitates, absens esset corpore, scripsit epistolam clero & populo Hipponensi, in qua hæc habet verba; In primis peto charitatem vestram, & per Christum obsecro, ne vos mea contristet absentia corporalis. Nam spiritu & cordis affectu puto vos non dubitare ullo modo me a vobis posse discedere: quamvis me amplius contristet quam forte vos ipsos, quod infirmitas mea sufficere non potest omnibus curis quas de me exigunt membra Christi, quibus me & timor ejus & charitas servire compellit. Illud enim noverit dilectio vestra, nunquam me absentem fuisse *licentiosa libertate*, sed *necessaria servitute*, quæ sæpe sanctos fratres & collegas meos, etiam labores marinos & transmarinos compulit sustinere, a quibus me semper non indevotio mentis, sed minus idonea valetudo corporis excusavit. Proinde dilectissimi fratres sic agite, ut, quod ait Apostolus, sive adveniens & videns vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu, uno animo collaborantes fidei Evangelicæ. Hæc *Augustinus*, epist. 138. ubi & alia pia ac pastoralia subjicit hortamenta. *Phil.* 1. 27.

CAPUT XI.

De pastoris residentia quoad præsentiam corporalem.

§. 1. TErtia pars residentiæ pastoralis est ut corporaliter præsentem se exhibeat pastor, & præsens cum grege suo sit etiam corporaliter. Assiduæ autem præsentiæ corporalis necessitas consequitur necessitatem assidui operis. *Cum singula officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum:* ut dicitur, cap. 13. *Ad hæc.* Extra, de præbendis. Excubiæ illæ pastorales, de quibus loquitur Dominus apud Ezechielem, cap. 3. & sedula illa attentio quæ pastori erga gregem ipsi commissum imperatur, *Actor.* 20. 27. pastorem cogit esse corporaliter cum grege suo præsentem, & omnem adimit evagandi licentiam.

§. 2. Apostolus *Paulus* fidelis pastoris exemplum in se ipso proponit presbyteris Ephesinis, in ea enim civitate Dominus ei assignaverat stationem circiter triennalem in qua eam præstitit diligentiam perpetuamque præsentiam, quæ aliis eandem stationem habituris postea esset exemplaris. *Vos* (inquit) *scitis a primo die quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim. Serviens Domino cum omni humilitate, & multis lachrymis ac tentationibus quæ mihi evenerunt ex insidiis Judæorum. Quomodo nihil subtraxerim utilium quo minus annunciarem vobis & docerem vos publice & per domos. Testificans Judæis simul & Græcis eam qua erga Deum est resipiscentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.* Act. 20. 18, 19, 20, 21. Item in eodem sermone, eodemque cap. *Vigilate*, (inquit) *memores quod per triennium nocte ac die non cessaverim cum lachrymis monere unumquemque.* vers. 31. Apostolus hanc suam commemorat diligentiam, quod nimirum non cessaverit ab opere, & quod constanter præsens fuerit corporaliter, ut Ephesinos presbyteros ad eandem existimulet vigilantiæ sedulitatem: & scriptum est hoc ad instructionem omnium pastorum. *Timotheo* etiam Ephesinam regenti Ecclesiam hoc dat præceptum: *Attende tibi ipsi, & doctrinæ, persiste in his, id enim si feceris, & teipsum servabis & eos qui te audierint.* 1 Tim. 4. 16. Hoc scilicet *Timotheo* ex necessitate officii incumbebat, donec alio evocaretur divina authoritate. Quamdiu enim alicui pastori peculiaris alicujus gregis cura peculiaris incumbit, tamdiu debet illi gregi perpetuam operis & spiritus corporisque præsentiam. *Exemplum fidelis pastoris.*

Huc pertinent sequentes canones Ecclesiastici:

§. 3. Concil Nicen. 1. Oecumen. can. 16. Quicunque temere ac periculosa [ῥιψοκινδύνως,] neque timorem Dei præ oculis habentes, neque Ecclesiasticam regulam agnoscentes, discedunt ab Ecclesia [ἀναχωρήσωσι τῆς ἐκκλησίας,] presbyteri aut diaconi vel quicunque in canone prorsus existunt, hi nequaquam recipi debent in alia Ecclesia; sed omnem necessitatem convenit illis imponi ut revertantur ad suas parœcias [ἀναστρέφειν εἰς τὰς ἑαυτῶν παροικίας.] quod si non fecerint, oportet eos communione privari.

§. 4. Concil. Sardic. can. 11. Ut Episcopus non absit tribus Dominicis a sua Ecclesia, si nullam habeat graviorem necessitatem, aut negotium difficilius. Item, can. 12. Ut Episcopis qui pauca habent in civitate in qua sunt Episcopi, in aliis autem locis magnas habent possessiones, liceat relicta civitate ad tres septimanas commorari in illis locis, ut liberalitatem possint erga pauperes exercere ex fructibus suis inde collectis: & interim in Ecclesia quæ prope est, in qua presbyter populum congregat, conveniat Episcopus & sacra peragat, ne sine congregatione esse videatur.

§. 5. Concil. Carthag. 4. can. 14. Ut Episcopus non longe ab Ecclesia hospitiolum habeat. Item, Concil. Carthag. 5. can. 5. Placuit ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam

Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre: vel in re propria diutius quam oportet constitutum, curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere. Hunc canonem transcripsit etiam *Gratianus*, causa septima. quæst. 1. can. *Placuit*. Ubi ad illa verba [*aliquam Ecclesiam in diœcesi constitutam*] annotat autor glossæ, *nisi causa visitandi*. Sed nobis nunc sermo est non de visitationibus Ecclesiarum, quas licitas esse & sæpe numero necessarias agnoscimus, sed de loco ordinariæ residentiæ, & ordinarii ministerii pastoralis in illo loco. Dicitur etiam in ejusdem canonis glossa, quod prælatus non debeat præponere suam utilitatem utilitati Ecclesiæ.

§. 6. *Concil. Antioch. can. 17.* Ex Concil. Antiocheno citat Gratianus hunc canonem: Si quis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, & sibi commissum ministerium subire neglexerit, nec acquieverit ire ad Ecclesiam sibi commissam; hunc oportet communione privari donec susceperit coactus officium, aut certe de eo aliquid integra decreverit ejusdem provinciæ Synodus Sacerdotum. 92. dist. can. Si quis Episcopus per manus.

§. 7. *Gregorius* scribens *Anthemio* subdiacono; Pervenit (inquit) ad nos, Pigmenium Amalphicanæ civitatis Episcopum in Ecclesia residere non esse contentum, sed foris per diversa loca vagari: idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, quatenus hoc de cætero facere non præsumat: sed in Ecclesia sua, sacerdotali more resideat. Quem si forte non emendare, post tuam interminationem, cognoveris, in monasterium eum deputare, & nobis modis omnibus curabis indicare: Ut quid facere debeas, nostra iterum præceptione cognoscas. Hæc ex *Gregorio* citat *Gratianus*, caus. 7. qu. 1. can. *Pervenit*.

§. 8. *Athanasius* Patriarcha Constantinopolitanus in suis epistolis de necessaria Episcoporum residentia, [Tom. 3. Bibl. Patr. edit. 4.], multus in eo est ut ostendat unumquemque Episcopum debere in sua propria diœcesi constanter permanere, & commisso sibi gregi indesinenter invigilare, & Dei verbum sedulo prædicare. Et epist. 2. ait leges divinas prohibere, ne paulisper quidem impune a grege abesse. Deinde epist. 4. ad Episcopum Apameæ: Ego vero (inquit) eum cui grex Christi commissus est, si dignitatem muneris norit, iniquum esse arbitror, non usque ad sanguinem ei studere & incumbere. Nisi forte ignoraris, Deum esse qui dixerit; *Petre amas*
Joan. 21. 16. *me? Pasce oves meas.* Sed, hei mihi! non jam pastores oves pascunt; sed ovibus tanquam pane pascuntur. Jam horribilia illa mala malorum
Ezech. 34. pastorum, quæ Propheta Ezechiel describit, summa licentia irrepserunt. Quæ si talis, tamque gravia vobis videntur; age, optime vir, contentus esto tua diœcesi; permane in ea: sac sis cum ovibus tuis, usque ad sanguinem illis affixus. —— Scis enim, qui amplius sex mensibus a Diœcesi absuerint, nisi eos gravis morbus teneat, canonibus & legibus firmatum esse, ut sacerdotium & gregem amitterent. Verum, novum consilium & sceleratum hic a nostræ ætatis hominibus excogitatum est: scilicet mittitis aliquem qui sciat mulgere gregem; ipsi vero in urbe Constantinopoli expectatis propter præfecturas civiles, subscriptiones, intempestivas ordinationes, &c.

Episcopi amplius sex mensibus absentes sacerdotium amittunt.

§. 9. Concil. Chalced. can. 23. Pervenit ad aures sancti Concilii, quod quidam clerici & monachi, quibus nihil ab Episcopo suo commissum est, aliquando autem & communione ab eo privati, pervenientes ad urbem Regiam Constantinopolitanam, in ea diutius immorantur, excitantes turbas, & statum Ecclesiasticum commoventes [seu perturbantes θορυβοῦντες] & quorundam domos subvertunt. Decrevit itaque sancta Synodus, tales primo quidem per defensorem Constantinopolitanæ sanctissimæ Ecclesiæ commoneri ut egrediantur ab urbe Regia. Quod si eisdem negotiis impudenter insistant, etiam inviti per eundem defensorem expellantur, & ad propria loca se recipiant.

Concil. Carthag. 3. can. 37. Ut clerici in aliena civitate non immorentur, nisi causas eorum justas Episcopus loci vel presbyteri locorum perviderint. §. 10.

Concil. Arelat. 2. can. 13. Nullus cujusque ordinis clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus, quacunque occasione faciente, propriam relinquat Ecclesiam, sed omnimode aut excommunicetur, aut redire cogatur. Quod si aliquis commorationis tempore, invito Episcopo suo in aliena Ecclesia habitans, ab Episcopo loci clericus fuerit ordinatus, hujusmodi ordinatio irrita habeatur. §. 11.

Concil. Agathen. can. 64. Diaconus vel Presbyter si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, triennio a communione suspendatur. Hunc canonem inseruit decreto *Gratianus*, caus. 7. qu. 1. can. *Si quis in clero.* Decernitur quidem initio ejusdem canonis, ut nullus in clero constitutus ab Ecclesia sua desit diebus solennibus, sub memorata pœna: annotat vero autor glossæ, *immo nullo tempore deerit:* & nos etiam supra ostendimus, ad curam & conscientiam & rationes pastoris Ecclesiastici non sufficere raras quasdam homilias, & panegyres festivales, sed necessariam esse prædicationis assiduitatem & perpetuas excubias. Canonis autem illius Agathensis verba sic se habent: Si quis in clero constitutus ab Ecclesia sua diebus solennibus defuerit, id est, nativitate Domini, Epiphania, Pascha, vel Pentecoste, dum potius secularibus lucris studet, quam servitio Dei parere; Convenit ut triennio a communione suspendatur. Similiter Diaconus vel Presbyter si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit; huic damnationi succumbat. §. 12. *Sup. cap. 9.*

Extant apud *Gratianum* plures canones in eam sententiam ut clericus alienus non ministret in Ecclesia alterius diœcesios, neque ab alio quovis Episcopo suscipiatur, absque commendatitiis ac dimisflorus literis proprii sui Episcopi. 71. dist. & 72. dist. Epistolam vero dimissoriam, qua concedit Episcopus alicui ex clericis suis ut ad aliam migret Ecclesiam, cumque commendat Episcopo loci, canones appellant *formatam*, per quam testatur Episcopus clericum illum non pro sua nequitia expulsum esse, sed gradum clericatus (nempe Presbyterii vel Diaconatus, &c) canonice adeptum esse, ac honeste dimissum, ut sub illius Episcopi ad quem proficiscitur regimine ac defensione subsistens inserviat Ecclesiæ Dei. §. 13.

In Concilio Chalcedonensi, can. 13. Statutum est, ut peregrini clerici & lectores, in alia civitate absque commendatitiis literis [δίχα συστατικῶν γραμμάτων] proprii sui Episcopi, omnino non ministrent. [μηδ᾽ ὅλως μηδαμοῦ λειτουργεῖν.] §. 14.

In glossa, *Prælatorum*. Ad cap. 4. *Relatum est*. *Extra*, de clericis non residentibus ostenditur, clericum sine licentia sui prælati sive Episcopi abesse non debere, etiam ex justa causa: multo minus ex non justa causa. Et in glossa, *sine justa*, in cap. 10. *inter quatuor*. *Extra*, de cleric. non resid. *Imo* (inquit) *si justa causa subsit, debet* §. 15.

petere

petere licentiam ab Episcopo suo. Et hoc ideo est, ne obedientia contemnatur. Hæc ibi.

§.16. In glossa, *Deserviat*. In cap. 6. *Conquerente*. *Extra*, de cler. non resid. *Patet*, (inquit) *quod clericus residentiam facere debet in Ecclesia sua, alias potest ea de jure communi privari.*

§.17. In Synodo sub *Leone* 4. celebrata, *Anastasius* Presbyter Cardinalis tit. Beati *Marcelli*, ab omnibus canonice est depositus, eo quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruisset; & in alienis etiamnum demoraretur. cap. 2. *Ex gestis*. *Extra*, de cler. non resid.

§.18. In Concilio Lateranensi sub *Alexandro* 3. Constitutum est, ut ad Ecclesiæ ministerium talis persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsam valeat exercere. Aliter autem accipientem privari eo quod accepit: & danti etiam adimi debere largiendi potestatem. cap. 3. *Quia nonnulli*. *Extra*, de cler. non resid.

§.19. Ex decreto *Innocentii* 3. depositus est Archiepiscopus Ragusinensis, eo quod ab Ecclesia sua temeritate propria recessisset, nec jam ultra quadriennium exspectatus rediisset: per literas etiam capituli revocatus. cap. 9. *Qualiter*. *Extra*, de cler. non resid.

§.20. Ejusdem *Innocentii* citantur hæc verba: De clericis qui Ecclesias vel præbendas sibi concessas sine justa & necessaria causa deserunt, tuo præsertim non accedente consensu, hoc tibi duximus respondendum: quod postquam congruo tempore fuerint exspectati, nisi redierint ad illas, possunt eis juste privari: dummodo non sint justo impedimento detenti. Hæc *Innocentius* scribens Constant. Patriarchæ. cap. 10. *Inter quatuor*. *Extra*, de cler. non resident.

§.21. Idem etiam scribens Archiepiscopo Panormitano: In Ecclesiis (inquit) eorum qui se fraudulenter absentant, nec ad ipsos valet citatio pervenire, trinæ citationis edictum facias publicari; & si nec sic curaverint obedire, & ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias, juxta sanctiones canonicas eis debent merito spoliari. cap. 11. *Ex tua*. *Extra*, de cler. non resid.

§.22. Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. Sacrosancta Synodus omnes, Patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, & cathedralibus Ecclesiis quibuscunque quovis nomine, ac titulo, præfectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi & universo gregi in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus, custodiæ minime incumbant: cum certissimum sit non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit. Ac nihilominus quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos: Placuit Sacro-sanctæ Synodo antiquos canones, qui temporum atque hominum injuria pœne in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare: quemadmodum virtute præsentis decreti innovat. Hæc ibi. Et plura in eandem sententiam. Etsi, sequenti capite, malæ consuetudinis approbatione, aut saltem permissione, saluberrimum illud suum decretum labefactant.

§.23. Decreto autem isti aliud conforme legere est sess. 7. ejusdem Concil. cap. 3. & sess. 23. cap. 1. Ubi eorum hæc sunt verba: Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munera pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacro-sancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant. Ne vero ea quæ de residentia sancte & utiliter jam antea sub felicis recordationis *Paulo* 3. sancita fuerunt, in sensus a Sacrosanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat; illis inhærendo, declarat Sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, ac cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quocunque nomine, & titulo præfectos, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse nisi ex causis legitimis, superiori indicandis, & ab eo in scriptis approbandis; interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut quantum fieri poterit ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: Sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas (*quas nunc omittens inferius commemorabo, & examinabo, sequenti cap.*) nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam & timoratam fore, cum Deo corda pateant; cujus opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur.

§.24. Deinde hanc subjiciunt pœnam, præter alias pœnas adversus non residentes sub *Paulo* 3. impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem non residens incurrit; cum etiam pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia illos sibi detinere posse, sed vel fabricæ Ecclesiarum vel pauperibus erogandos esse in solidum, ut eorum nulla pars, quacunque conventione aut compositione, percipiatur ab ipso non residente. Eadem omnino (etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas,) de curatis inferioribus, & aliis quibuscunque beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinentibus, declarant & decernunt: ita tamen ut quandocunque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam, in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre spatium, nisi ex gravi causa, non obtineant: quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint; liberum esse volunt ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & seque-

ſtrationem & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere: nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcunque beneficii, pactione, ſtatuto, etiam juramento, vel quacunque auctoritate confirmato, conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt, ſive appellatione, aut inhibitione etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ conſtitutionis, ſuſpendi poſſe.

§. 25. Cauſas autem abſentiæ legitimas, ab Epiſcopo antiquiori vel a Metropolitano vel a Romano pontifice cognoſcendas & approbandas, has ponunt; Chriſtianam charitatem, vigentem neceſſitatem, debitam obedientiam, ac evidentem Eccleſiæ vel reipublicæ utilitatem, quas cauſas aiunt poſtulare & exigere ut aliqui nonnunquam abſint. Adjiciunt porro, cum abſentia inciderit propter aliquod munus, & reipublicæ officium, Epiſcopatibus adjunctum, cum cauſæ ſint notoriæ & interdum repentinæ, non eſſe neceſſe ut Metropolitano aut ſuperiori ſignificentur: ſed ut deceſſuri meminerint ovibus ſuis interea providere, ſicut in ſuperioribus dictum eſt. De cauſarum iſtarum æquitate, Domino donante, dicemus ſequenti cap. item de neceſſitate quandoque & de ſpatiis abſentiæ. Nunc ſermo nobis eſt de jure communi & neceſſitate reſidentiæ ex jure communi, tum divino, tum Eccleſiaſtico: poſtea de exceptionibus dicturi, ſeu potius de interpretatione juris quoad certos caſus licitæ abſentiæ.

§. 26. Neque hæc eo animo ex Concilio Tridentino allata ſunt, ac ſi Tridentinorum placita reciperemus, ſed ut oſtendamus, tam evidentem eſſe reſidentiæ æquitatem, ac neceſſitatem, ut eam etiam Tridentini, quamvis in multis aliis cæcutientes, animadverterint. Et ſupra etiam docuimus non eſſe reſpuenda quæ ab hominibus alioquin multipliciter aberrantibus recte dicta ſunt. *Supra cap. 2. §. 7.*

Tetraſtichon de reſidentia paſtorali.

Conſtanter proprio paſtor ſit cum grege præſens,
Corpore, corde, opere: Imprimis divina ſonoro
Sacratæ clangore Tubæ myſteria pandat:
Attendatque gregi; pacemque huic cœlitus oret.

Caput XII.

Occurritur quibuſdam dubiis, ubi de juſtis cauſis abſentiæ.

§. 1. Um præciſam illam aſſiduæ reſidentiæ neceſſitatem intuemur, ſimulque abſentiæ etiam quandoque neceſſariæ inevitabilem legem conſideramus, exoriuntur nonnulla dubia, quæ diſſolvenda ſunt.

§. 2. In gloſſa *Prælatorum*, ad cap. 4. *Relatum eſt. Extra*, de clericis non reſidentibus; ponuntur tres cauſæ juſtæ abſentiæ, ſecundum jus illud canonicum, *cauſa ſtudiorum*, & *cauſa peregrinationis*, item, *pro negotiis propriis*: additur quarta cauſa, cap. 7. *De cætero*, eod. tit. nempe, *ſi clericus ſit in ſervitio Epiſcopi, vel Papæ*. Has cauſas mox examinabimus: Interea adjiciamus & quinque illas cauſas a Synodo Tridentina propoſitas, Seſſ. 23. Quarum prima eſt, *Chriſtiana charitas*, 2. *urgens neceſſitas*. 3. *debita obedientia*, 4. *evidens Eccleſiæ utilitas*. 5. *evidens reipublicæ utilitas*.

§. 3. Harum quinque cauſarum *prima* haud dubie eſt licita, ſi recte exponatur. *Secunda* coincidit cum cauſa illa, *de propriis negotiis*, in jure canonico: quæ etiam ſano ſenſu eſt recipienda. *Tertia* (quæ eadem eſt cum quarta illa ex jure canonico commemorata,) non liberat abſentem a ſua Eccleſia, in foro conſcientiæ, niſi *juſſioni ſuperioris* ſubſit alia cauſa juſta: quamvis qui ab ordinario ſuo accerſitus, ad eum proficiſcitur, ut cauſam accerſitionis illius cognoſcat, extra noxam eſſe poſſit, ſi neque lubens abſit, neque abſque idonea cauſa in alieno loco diutius commoretur.

Quarta cauſa, nempe *evidens Eccleſiæ utilitas*, eſt etiam evidenter juſta, & in tres partes diſtinguitur; nam hæc Eccleſiæ utilitas cernitur, vel *in procuratione rerum temporalium Eccleſiæ*, vel *in conventu Synodico celebrando*, vel *in obeunda legatione Eccleſiaſtica*, ſive ad principem, ſive ad Patriarcham, ſive ad vicinam Eccleſiam, ſive ad hoſtem, &c. *Quinta* etiam cauſa, nempe *evidens reipublicæ utilitas*, ſi recte intelligatur, cum hac nempe reſtrictione, ſi in magno diſcrimine ſit reſpublica, recipi debet: nam in caſu neceſſitatis omnis civis tenetur adeſſe reipublicæ, & opere etiam politico ruinam publicam impedire. Quamvis in communibus & ordinariis negotiis ſecularibus, ad reipublicæ utilitatem ſpectantibus, adhibendi ſint miniſtri ſeculares, relictis Eccleſiaſticis paſtoribus gregum ipſis commiſſorum cura ordinaria, ut attendant gregi illi pro cujus animabus peculiariter rationem ſint reddituri. De quo argumento infra, Domino donante, uberius diſſeremus. §. 4.

Reliquas duas cauſas ex jure canonico commemoratas, de *ſtudiis*, & de *peregrinatione*, merito repudiamus. Prior enim ſacrilego nititur fundamento, contra inſtitutionem divinam. Deus enim prohibet aſſumi quenquam ad officium paſtorale niſi qui jam ſit διδακτικός, aptus ad docendum, ipſo tempore ordinationis, ſeu aſſumptionis ad illud miniſterium. 1 Tim. 3. 2. & Tit. 1. 9. [Vide cap. 22. *Dudum. Extra*, de electione] Et ſevere præcipit Dominus paſtoribus, ne cuiquam temere manus imponant. 1 Tim. 5. 22. ideoque educationem ſtudioſorum in doctrina Apoſtolica diligentem fieri mandat, ut haberi poſſint homines idonei quibus & alii inſtruendi committantur. 2 Tim. 2. 1, 2. Si quis igitur nondum idoneus, illicite admiſſus ſit, is licite deponatur, poſtea autem ſi evadat idoneus, aſſumatur. Sin autem jam idoneus ſit, reſideat. Neque valet altera illa cauſa ſeorſum ſpectata; non enim ad peregrinandum, ſed ad reſidendum & excubandum & prædicandum ordinatus eſt quiſpiam Paſtor alicujus Eccleſiæ. Licita autem paſtoris peregrinatio ſit ex alia quadam cauſa licita, puta, ſi utilitas Eccleſiæ poſtulet, ut Paſtor aliquis legationem obeat Eccleſiaſticam, aut ad Synodum ſe conferat, in locis etiam remotioribus & transmarinis: Vel ſi tale iter ab eo expoſcat Patria in magno diſcrimine & anguſtiis poſita. &c. §. 5.

Rejectis igitur inſufficientibus cauſis abſentiæ paſtoris a proprio grege, cauſæ idoneæ & juſtæ ſunt hæ. 1. *Urgens neceſſitas ipſius paſtoris*, ſive in re ejus familiari, ſive in ejus valetudine, ſive propter perſecutionem. 2. *Neceſſaria procuratio negotiorum quorundam & rerum temporalium ad Eccleſiam pertinentium*. 3. *Fraterna charitas*, ut fratri vel fratribus, ut capite periclitantibus, vel alia aliqua ingenti neceſſitate conſtrictis, ſubveniamus. 4. *Diſcrimen Patriæ*, ut titubantem & labantem Patriam ſuffulciamus. 5. *Conventus Synodicus*. 6. *Legatio Eccleſiaſtica*. Harum §. 6.

autem

autem sex caussarum aliæ aliis graviores, & in singulis etiam certi sunt limites officii nostri diligenter attendendi, nequando in erroiem judicii delabamur, & sine necessitate illud quod præcipue faciendum erat omittamus. Memoriæ autem juvandæ hos de caussis istis accipe versiculos:

Cura tui, vel cura gregis, dilectio fratrum,
Discrimen patriæ, synodus, legatio sacra:
Has propter caussas quandoque absentia justa est:
Si diversa tamen caussarum pondera libres.

Jam subjiciamus clariorem singularum caussarum explicationem.

§. 7. *Cura tui*] Hæc cura vel ad res externas pertinet, vel ad valetudinem corporis, vel ad vitæ conservationem. De bonorum externorum cura, propter quam quandoque abesse liceat, satis manifesti sunt canones quos supra citavimus ex concil. Sardicensi & concil. Carthag. 5. nempe fas esse ad tempus res suas curare alibi positas, sed iniquum esse ut propter utilitates proprias negligat Pastor Ecclesiam sibi commissam, ideo ad istiusmodi privata negotia tres ad summum septimanæ in anno concessæ sunt, quibus abesse possit a sua Ecclesia Pastor propter rem suam. *Cura valetudinis* manifestam habet æquitatem, non eo quidem sensu ac si liceret pastori, cujus impar est oneri valetudo, perpetuo aut nimis longo tempore abesse ab Ecclesia cujus titulum retinet: hoc enim casu imitandum potius exemplum *Silvani*, qui propter corporis infirmitatem deposuit Episcopatum Philippopolensem, uti supra commemoravimus, ejusque hortatu alius firmiore corpore Episcopus Philippopolis ordinatus est. Sed si spes sit, brevi tempore convalescere posse ægrotantem pastorem, per aëris aut loci mutationem: aut etiam alibi existens si pastor ægritudine corripiatur, & a suo grege invitus detineatur, non est desertoribus accensendus propter talem absentiam. Interea prospiciendum est, ne languente pastore grex dominicus (quod absit) insidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel Ecclesiæ ipsius utilitates depereant. *Cura vitæ* etiam manifestam habet æquitatem, puta, si quis habeat in loco sui rituli capitales inimicitias, aut persequutione impetatur. De inimicitiis danda est opera ut tollantur, quo possit pastor tutius & tranquillius adhærere illi Ecclesiæ. Quod si nulla spes superfit concordiæ, non est propter privatas simultates fraudanda Ecclesia officio pastorali, ideoque convenientius erit, imo necesse erit, propter utilitatem Ecclesiæ, facere pastoris translationem. De persecutione autem propter veritatem, & de fuga pastoris, licita vel illicita, infra suo loco dicemus.

Supra cap. 10. §. 4. & 5.

Supra cap. 6. §. 26.

§. 8. *Cura gregis*] Intelligimus eam curam quæ impenditur procurationi rerum temporalium ad utilitatem gregis aut viduarum, aliorumve egenorum aut calamitosorum de grege, spectantium, puta ædium, prædiorum, ac redituum Ecclesiasticorum, pro quarum rerum necessaria procuratione quandoque abesse licet pastori a grege suo, ad breve tamen tempus, ne curam mensarum prædicationi verbi & orationi anteponere videatur. Propterea adlaborandum est pastori, exemplo Apostolorum, Act. 6. ut, quoad ejus fieri potest, id officii per alios fidos ac idoneos peragatur. Ideo statuit *Justinianus* Imperator, cum Ecclesiasticorum consensu, ut nemo Episcoporum a sua Ecclesia abesse audeat obtentu litium, aut aliarum rerum propriarum, aut ad Sacras Ecclesias respicientium: hanc enim non esse decentem rationem absentiæ: præsertim cum liceat, si quædam sint lites Sanctissimis Ecclesiis, propter quas has occasiones afferunt, hoc per eos qui sub Episcopo sunt, religiosos clericos, aut Apocrisarios, aut Oeconomos movere, & petitiones ad imperium dirigere: imperrare autem sperata. Propterea sancimus (inquit) si quando propter Ecclesiasticam occasionem inciderit necessitas, hanc aut per eos qui res agunt Sacrarum Ecclesiarum, (quos Apocrisarios vocant) aut per aliquos clericos huc destinatos, aut Oeconomos suos notam imperio facere, aut nostris administratoribus, ut impetrent, quod competens est: & non hoc Deo amabilibus Episcopis erroris & absentiæ, & Sanctissimis Ecclesiis læsionis occasionem fieri, tam in provincia Ecclesiasticis rebus per absentiam eorum neglectis, quam etiam hic expensis multis ab ipsis factis, nec non peregre habitatione non habili constituta, & undique causa nullum juvamen, magis autem læsionem Ecclesiis Sanctissimis inferente. Novel. 6. cap. 2. Eadem æquitate debent presbyteri curam istiusmodi mandare procuratoribus, quoad ejus fieri potest.

Dilectio fratrum] Quando nimirum fratrem videmus in magno vitæ discrimine, aut alicui ingenti damno subjectum iri, nisi per nostram præsentiam & operam sublevetur. Tunc charitas fraterna pastorem excusat a grege pro tempore absentem, ut officium illud præstet periclitanti fratri necessarium. Nisi eum domi detineat, aut domum revocet præsentaneum aliquod periculum animarum, præ quo omnia incommoda temporalia contemnere teneatur. Absentiæ autem propter fratrum dilectionem æquitas & necessitas tunc in primis est conspicua, quando eam flagitat periculum animarum, quibus subvenire necesse est, maturet tamen pastor reditum ad proprium gregem: sicut fecit olim Vercellarum (quæ Liguriæ in Italia Urbs est) Episcopus *Eusebius*, qui *Constantii* Imperatoris Ariani jussu in Ægypto exulans, solutus ab exilio tempore *Juliani*, antequam ad sedem propriam remearet, concilio Episcoporum cum *Athanasio* Alexandriæ interfuit, ubi approbata est fides Nicæna. Deinde Antiochiam se contulit, & Orientem peragravit, infirmos in fide tanquam bonus medicus restituens, & ab Ariana perfidia Ecclesias prædicatione veritatis liberans: reditum tamen ad suam sedem maturans, in Sardiniam venir, eamque propere pertransiit, atque ita in Italiam redit, ubi docendi munus diligentissime obiit. Sicut memoriæ prodiderunt, in suis historiis Ecclesiasticis, *Socrates*, lib. 3. cap 9. Græc. at Lat. cap. 7. & *Sozomen.* lib. 5. capp. 11. & 12. §. 9.

§. 10. *Discrimen Patriæ*] Fateor quidem utilitatibus etiam patriæ vel reipublicæ nulli civium deesse licere; hoc tamen intelligendum est cum discretione munerum, & salvis officiorum regulis. Miles pugnando, Princeps regendo, Pastor Ecclesiasticus prædicando & orando prodest reipublicæ: neque præpostero obtentu utilitatis reipublicæ onerandus est Pastor Ecclesiasticus & implicandus negotiis secularibus. Juvare tamen rempublicam debet, quantum potest; sine desertione proprii officii, aut susceptione alieni. Interea si in eo versetur discrimine respublica, ut necessaria illi sit opera etiam secularis Pastorum Ecclesiasticorum, eam operam in tali casu negare non debent, obtentu residentiæ Ecclesiasticæ, nam & ipsi Ecclesiæ utile ac necessarium est pro tranquillitate sui status, ut omnibus modis licitis procurent tranquillitatem reipublicæ. Sic in casu necessitatis, cum *Theodatus* Gotho rum Rex (teste *Liberato*) extremam minaretur Roma- *Liberatus in Breviario de causa*

Nestoriana & Eutychiana, cap. 21. Vide instr. Historico-Theolog. lib. 3. cap. 15. §. 2.

Romanis internecionem, venturum se scilicet Romam, omnesque omnium ætatum, nullo sexuum habito discrimine, trucidaturum, nisi operam darent ut *Justinianus* Imperator destinatum exercitum suum de Italia submoveret, mandans ut legationem hoc nomine ad Imperatorem susciperet *Agapetus* Romanus Pontifex: ut civium & reipublicæ ruinam averteret *Agapetus*, legationem obiit, & Constantinopolin profectus, rem Imperatori exposuit: etsi alioqui incongrua res esset Episcopo sæcularis legatio, præsertim in tam remoras regiones. Item, in casu necessitatis nemo viribus præditus se eximere potest a defensione Patriæ pro virili contra hostes, etiam per gestationem armorum corporalium: (*in reos majestatis & publicos hostes omnis homo miles est*; ait Tertullianus, Apologet. cap. 2.) Cessante tamen necessitate, quando neque in eis angustiis est respublica, neque desunt alii per quos publica calamitas satis præcaveri & averruncari possit, incongruum est ut Pastori Ecclesiastico tale aliquid imponatur. Pugnent alii pro salute Patriæ contra visibiles barbaros, pugnent autem Pastores Ecclesiastici pro salute Patriæ contra invisibiles dæmones; ut loquitur Chrysostomus in sermone de principatu. Constitutio est Concilii quarti Toletani, cap. 46. *Præcipiente Domino nostro atque excellentissimo Sisenando Rege, id constituit sanctum Concilium, ut omnes ingenui clerici pro officio religionis, ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, ut liberi Deo serviant, nullaque prædicta necessitate ab Ecclesiasticis officiis retrahantur.* Hæc ibi. Utrum vero liceat, vel expediat Pastori Ecclesiastico, seculare aliquod Reipublicæ officium gerere, nec ne, paulo post, Domino donante, inquiremus.

Concil. Tolet. 4. anno Domini 633. Vide Cod. de Episcopis & clericis leg. 1.

§. 11. *De Synodis.*

Synodus.] Pro conservanda in Ecclesiis fidei unitate & convenienti disciplina, necessarii sunt conventus Ecclesiastici, non solum Parochiales, sed etiam Synodales, opportunis temporibus & locis: propterea ex officio tenentur pastores Synodis interesse, idque de jure divino, ut patet ex Apostolorum exemplo nobis ad imitandum proposito. *Act.* 15. (de quo vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 3. cap. 25. §. 2. & tribus seqq. paragraphis;) juxta legem illam Dominicam, *Dic Ecclesiæ*, Matth. 18. 17. cum promissione præsentiæ ipsius Domini, ibidem, vers. 19. & 20. quam etiam promissionem huic rei applicat quinta Oecumenica Synodus, sicut invenies loco citato Instruct. Historico-Theolog. §. 5. De sensu autem verborum illorum Domini nostri, *Dic Ecclesiæ*, prolixe monuimus, lib. 12. Instr. Historico-Theolog. cap. 4. §. 14. & aliquot seqq. Ubi etiam explicatur dictum illud Apostoli, (huc etiam pertinens,) *Spiritus Prophetarum subjiciuntur.* 1 Cor. 14. 32. Scribit etiam idem Apostolus Timotheo, ut non negligat donum quod in ipso est, quod ei datum est per Prophetiam, *cum impositione manuum presbyterii.* Ubi *presbyterium* non est congregatio populi Christiani, sed Synodus pastorum, sicuti docuimus, Instruct. Historico-Theol. lib. 16. cap. 1. Pastorum, inquam, seu presbyterorum habentium jus imponendi manus in ordinatione presbyteri, ad prædicandum verbum, & administranda Sacramenta; cujusmodi erat illa Timothei ordinatio: quod jus eis solis competit, qui ipsi ex officio potestatem habent prædicandi verbum, & administrandi Sacramenta. Hic est Ecclesiasticus ille senatus, de quo ait *Hieronymus*, in Esai. cap. 3. v. 3. *Et nos habemus in Ecclesia senatum nostrum, cœtum presbyterorum.* Hæc ibi *Hieronymus*. Presbyteros intelligens jus ex officio habentes prædicandi verbum, & administrandi Sacramenta: ut patet ex ejusdem *Hieronymi* epistola ad *Evagrium*, quæ incipit; *Legimus in Esaia.* Et de hujusmodi solis presbyteris, in verbis illis Apostoli, *τὸ πρεσβυτέριον* interpretati sunt *Joannes Calvinus* in commentario, & *Theodorus Beza* in notis in 1 Tim. 4. 14. & *Abrahamus Scultetus*, cap. 24. observationum in priorem epistolam ad Timotheum, & cap. 27. Vide etiam Calvini Institut. lib. 4. cap. 3. §. ult. Scriptum est in epistola ad Hebræos cap. 10. 25. *Non deserentes aggregationem nostri ipsorum* [*τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν*,] *sicuti mos est quibusdam.* Quem locum intelligere oportet de omni debito Ecclesiastico conventu: atque adeo etiam de legitimis Synodis, quarum desertoribus pœna ibidem terribilis denunciatur. Cui hominum generi & illud quadrat, quod scribit Apostolus Judas; *οὗτοί εἰσιν οἱ ἀποδιορίζοντες ἑαυτοὺς, ψυχικοί, πνεῦμα μὴ ἔχοντες.* Id est; *Hi sunt qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes.* Jud. vers. 19. Non enim prorsus abstinuisse istos ab omni etiam audientium conventu, inde colligere est, quod fuerint magistri mendaces, multos post se trahentes. 2 *Pet.* 2. 1, 12. & in agapis etiam Christianorum quandam cum eis professi sint societatem. 2 *Pet.* 2. 13. *Jud. vers.* 12. *Aurelius* & alii Episcopi Africani, in sua ad *Cœlestinum* Episcopum Romanum epistola, contra appellationes ex Africa ad Episcopum Romanum; *Prudentissime enim*, (inquiunt) *justissimeque providerunt decreta Nicæna, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: nec unicuique Provinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam, qua æquitas a Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur; maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale* [Africanum] *provocare. Nisi forte quisquam est qui credat, uni cuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium sacerdotibus denegare.* Hæc Patres illi Afri, qui in universali Africano Concilio Carthagini celebrato affuerunt, anno Christi 423. Extat ea epistola in gestis ejusdem Africani Concilii capite centesimo quinto. Tom. 1. Concil. pag. 927. edit. Paris. ann. 1636. *Nulla pene res* (inquiunt Patres Toletani) *disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quam sacerdotum negligentia, qui contemptis canonibus, ad corrigendos Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc a nobis universaliter definitum est, ut, quia juxta Patrum antiqua decreta*, bis in anno, difficultas temporis fieri Concilium non sinit, saltem vel semel a nobis celebretur, ita tamen, ut si fidei causa est, aut quælibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ & Galliciæ Synodus convocetur. Si vero nec de communi Ecclesiæ utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit peragendum.* Hæc Toletani Patres, in quarto Toletano Concilio, can. 3. anno Christi 633. De Conciliorum autem utilitate & necessitate, plura Lector inveniet in Irenico nostro, lib. 2. cap. 25. *Athanasius* Patriarcha Constantinopolitanus, epist. 2. *Cum* (inquit) *a principio constitutum esset, ut bis quoque anno Synodus haberetur; postea commodius videbatur haberi semel; ne oves propter crebram absentiam pastoralem, facile a lupis invadi possent.* Hæc ille, epist. 2. quæ scripta est Episcopo Sardcensium. In Bibl. Patr. tom. 3. col. 154. edit. 4. vide supra, cap. 4. §. 10.

** Antiqua ista decreta monstrantur in Irenico nostro, lib. 2. cap. 25.*

Legatio Sacra] Necesse est ut pastores legationes §. 12.

nes ſuſcipiant ſacras ſive Eccleſiaſticas, ab Eccleſia ipſis impoſitas, ſive ad Synodum, ſive ad Principem, ſive ad Barbaros, ſive ad vicinam Eccleſiam, &c. proſpiciente interim Eccleſia, cujus autoritatem ſequens ille Paſtor legationem obit, ut gregi illi non deſit pabulum ſpirituale, & paſtoralis cuſtodia, donec redeat proprius ejus Paſtor. *Pantænus* Stoicæ ſectæ Philoſophus, ob præcipuæ eruditionis gloriam, a *Demetrio* Alexandriæ Epiſcopo miſſus eſt in Indiam; ut Chriſtum apud Brachmanas & illius gentis Philoſophos prædicaret, inquit *Hieronymus*, in epiſtola ad *Magnum*, oratorem Romanum, quæ incipit; *Sebeſium noſtram*. Tom. 2. oper. Hier.

§. 13. Hæ ſunt juſtæ cauſæ abſentiæ paſtoris. Cauſis iſtis adjiciendæ ſunt quædam regulæ, ſive cautiones neceſſario obſervandæ, ut ſit abſentia inculpata.

1. Prima cautio ſive regula eſt, ut uni eidemque paſtori non imponantur ſæpius, niſi ſumma cogente neceſſitate, cauſæ abſentiæ; ut quam rariſſime abſit Paſtor a commiſſo ſibi grege: crebra enim paſtoris abſentia cum majore ovium periculo conjuncta eſt; neque poteſt debitam gregi attentionem, curamque impendere Paſtor frequenter abſens: niſi eam abſentiam Eccleſiaſtica efflagitet neceſſitas, ſicut jam monui.

2. Secunda cautio eſt, ut cauſas abſentiæ ſuæ, earumque æquitatem Paſtor diligentiſſime expendat: ne unquam abſit licentioſa libertate, ſed tantummodo neceſſaria ſervitute, ut loquitur Auguſt. ep: 138.

3. Tertia cautio eſt, ut meminerint diſceſſuri, non ſe exſolutos eſſe paſtorali ſollicitudine ſuſcepti gregis, quamvis perſonalem executionem erga illum gregem ad tempus intermittere cogantur: ac propterea diſcedentes proſpiciant Eccleſiis ſuis de ſpirituali pabulo & munimine, dum redeant, gregemque Dominicum ipſis commiſſum aſſiduis precibus commendent Deo & verbo gratiæ ipſius.

4. Quarta cautio eſt, ut reditum maturet Paſtor ad ſuum gregem, & ab omni cunctatione, oblivione, & neglectu reditus ſui ſit alieniſſimus, memor excubiarum paſtoralium ſibi impoſitarum: Unde *Ambroſius*, de *Syro* Presbytero, qui miſſu *Syricii* ad illum venerat, ſtatimque reverſus eſt, loquens, *Statim* (inquit) *ut venit, recurrendum putavit: quod quidem ad deſiderium meum plurimum minuit*, (teſtatur enim ſe delectatum Syri conſortio,) *ad ſui gratiam multum addidit. Nam ego diligo eos vel Presbyteros, vel Diaconos, qui cum aliquo proceſſerint, nequaquam ſe patiuntur a ſuo diutius manere abeſſe.* Hæc *Ambroſius*, epiſt. lib. 3. epiſt. 21. Idem etiam de ſeipſo loquens, & de ſua abſentia ad tempus ab Eccleſia ſua Mediolanenſi, propter metum *Eugenii*, uſurpatoris Imperii, teſtatur ſe ſublata illa timoris juſti cauſa non diſtuliſſe reditum ad propriam ſuam ſtationem: occiſo enim *Eugenio*, ad *Theodoſium* Imperatorem, qui eum vicerat, ſic ſcribit; *Feſtinavi ilico reverti, poſtquam illum, quem jure declinandum putaveram, jam abeſſe cognovi. Non enim ego Eccleſiam Mediolanenſem relinquebam, Domini judicio mihi commiſſam, ſed ejus vitabam præſentiam qui ſacrilegio ſe jam miſcuerat: redii itaque circiter Cal. Auguſtas, ex illo die hic reſedi. Hic me Auguſti Clementiæ tuæ apices repererunt.* Ambr. epiſt. lib. 7. epiſt. 58.

5. Quinta denique cautio eſt, ut corde, nunquam recedat Paſtor a commiſſo ſibi grege; ſed ſemper ſit præſens ſpiritu, ſicut in ſuperioribus oſtenſum eſt.

Summa cautionum memoratarum.

A grege non abſis, niſi raro; & cauſa ſit æqua;
Interea ut tutus ſit grex ora atque labora;
Opta ac matura reditum; ac corde recedas.

At quid facient (inquies) illæ Eccleſiæ quæ opus habent ordinario legato, qui in aula Principis, vel in urbe Metropolitana, reſideat, videatque ne quid illa, a qua miſſus eſt, Eccleſia detrimenti capiat? Reſpondeo: tales erant illi qui veteribus dicebantur ἀποκρισιάριοι, *reſponſales*, id eſt, *reſponſa Eccleſiæ facientes*. Ut loquitur *Gregorius* primus, Papa Rom. lib. 6. epiſtolarum ex regiſtro, cap. 160. Ubi facit mentionem *Sabiniani* Diaconi, reſponſa Eccleſiæ Romanæ facientis in urbe Regia Conſtantinopolitana; & lib. 7. cap. 191. ubi ait, ſe tranſmiſiſſe *Anatolium* Diaconum in urbem regiam, ad faciendum reſponſa Eccleſiæ. Ubi videmus adhibitos huic negotio eſſe Diaconos, qui ad hoc primitus inſtituti ſunt, ut quibuſdam circa externa officiis paſtores levarent, quo poſſent ipſi paſtores orationi & miniſterio verbi adhærere. Iſtiuſmodi igitur legationi & negotiorum Eccleſiæ procurationi adhiberi convenientius erit virum aliquem pium & prudentem, cujus diuturna abſentia non ſit conjuncta cum periculo animarum. §. 14. *Reſponſales quos Canoniſtæ Apocriſarios vocant.* *Vide cap. 18. §. 2.* *Act. 6. 2, 3, 4.*

CAPUT XIII.

De mundanis debitæ paſtoralis reſidentiæ impedimentis fugiendis.

Divini juris regula eſt, *Nemo militans implicatur negotiis ſecularibus, ut militiæ duci placeat.* Item, *ſi luctetur quiſpiam, non coronatur, niſi legitime luctatus ſit*, 2 Timoth. 2. 4. 5. Avocat hæc lex omnes Chriſtianos ab immodica cura rerum ſecularium, in primis vero eos vetat negotiis implicari ſecularibus, quos Dominus in militia ſpirituali populi ſui voluit eſſe ductores [ἡγυμένυς. *Heb.* 13. 17.] Legis autem hujus non ea mens eſt, ut prorſus abſona & ſimpliciter illicita judicetur omnis Eccleſiaſticarum & ſecularium curarum in uno homine combinatio: oppoſitum enim docent exempla *Moſis*, *Eli*, *Samuelis*, &c. ſed implicari vetat lex hæc curis ſecularibus hominem Eccleſiaſticum, hoc eſt, ut nihil ſeculare eum impediat aut retrahat a debita, in ſacri officii executione, diligentia. Sed hoc agat, & vel oculum ſuum dextrum eruat, vel manum ſibi amputet, omneſque ſuos chariſſimos oderit, ſuamque ipſius vitam ſuſque deque habeat, ut miniſterium a Domino acceptum adimpleat. Memor beatum eſſe illum ſervum quem Dominus ejus adveniens inveniet facientem ſic. Alioqui ſi quid abſque neglectu ſacri officii, vel ad ſuam neceſſitatem, vel ad aliorum utilitatem, præſtare poſſit, id merito exequitur. Apoſtolus Paulus ut ſuam ſuorumque neceſſitatem, & pauperum indigentiam ſublevaret, manuali opificio victum comparavit, ſine præjudicio diligentiæ paſtoralis. §. 1. *Ποιοῦντα οὕτως. Matth. 24. 46.* *Act. 20. 34, 35.*

Quod autem de *Moſe*, *Eli*, *Samuele*, &c. allegatum eſt, non eſt temere in conſequentiam trahendum; diligenter obſervata neceſſaria diſtinctione naſcentis, & conſtitutæ Eccleſiæ: item reipublicæ Iſraeliticæ, (cujus leges etiam politicæ divinitus traditæ ſunt, earumque interpretes ex officio erant Sacerdotes ac Levitæ) & aliarum rerumpublicarum: adhæc regiminis temporalis, §. 2.

& perpetui: item extraordinarii, & ordinarii. Ordinarie autem distinctas mansisse in ipsa republica Israëlitica, rerum Ecclesiasticarum & secularium administrationes, manifestum est ex historia Regum, & Paralipomenωn. Ideo *Josaphat* Rex constitutos Judices sic alloquitur, *Ecce Amarias sacerdos summus super vos in omni re Domini*, [id est, in his quæ ad Deum pertinent:] *& Zebadias filius Ismaël dux domus Judæ, in omni negotio Regis: & habetis magistros Levitas coram vobis*, [id est, legis divinæ interpretes.] 2 *Paral.* 19. 11.

§. 3. Misit Dominus ministros Evangelii non ad sepeliendum mortuos, [*Luc.* 9. 60.) neque ad herciscundas familias, & dividundas hæreditates, [*Luc.* 12. 14.] sed ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, ad prædicandum Evangelium, ad faciendum opus Evangelistæ. [*Eph.* 4. 11, 12. *Luc.* 9. 60. & 1 *Cor.* 1. 7. & 2 *Tim.* 4. 5.] Cujus operis neglectus non est excusabilis per negotia secularia. Militantem enim oportet non implicari negotiis secularibus. *Ambrosius*, Serm. in Esaiæ cap. 1. vers. 22. Hoc (inquit) increpat in eis: cum functionum divinarum essent præsules, sectatores rerum facti sunt humanarum, sicut ipse ait Propheta; *Sectamini unusquisque domum suam.* (Agg. 1. 9.) Quisquis enim sacerdos relicto Pontificali officio, mundi oblectationibus delectatur: hic aquæ vinum permiscet, hoc est, res sanctas & fervidas inserit rebus vilibus & frigidis. Hæc *Ambrosius.* Tom. 2. operum *Ambrosii*, pag. 522. B. edit. Colon. anno 1616.

§. 4. *Synesius* Episcopus Cyrenes, epist. 57. contra *Andronicum*, ait; πολιτικὴν ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, τὸ κλώθειν ἐςὶ τὰ ἀσύγκλυςα. Id est; *Politicam virtutem* [seu Reipublicæ administrationem] *cum sacerdotio conjungere, est ea glomerare quæ conglomerari nequeunt.* Pergit vero ibidem *Synesius*; *Prisca tempora eosdem sacerdotes & judices tulerunt. Nam Ægyptii & Hebræorum gens longo tempore sacerdotum regio imperio gubernabantur,* [ὑπὸ τῶν ἱερέων ἐβασιλεύθησαν.] *Deinde posteaquam, ut mihi quidem videtur, divinum opus humano more fieri cœptum est, Deus hæc vitæ genera disjunxit, & unum horum sacrum, alterum ad regimen atque imperium constitutum est.* [εἶτα ἐπειδή, μοι δοκεῖ, τὸ θεῖον ἔργον ἀνθρωπίνως ἐπράττετο, διῴκισεν ὁ Θεὸς τοὺς βίους· καὶ ὁ μὲν ἱερὸς, ὁ δὲ ἡγεμονικὸς ἀπεδείχθη.] —— *Quid tu igitur iterum reducis? quid ea tentas conjungere quæ sunt a Deo separata?* [τί δὲ συνάπτειν πειρᾷ τὰ κεχωρισμένα παρὰ τοῦ Θεοῦ;] Et paulo post, aliorum offensionem declinans, ait, οὐ καταδικάζω τῶν ἐπισκόπων τοὺς ἐν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' ἐμαυτὸν εἰδὼς μόλις εἰς θάτερον ἐξικνούμενον, ἄγαμαι τῶν δυναμένων ἑκάτερα. ἐμὴ δύναμις οὐκ ἔςι δυσὶ κυρίοις δουλεύειν. Id est, *Non damno illos Episcopos qui in negotiis versantur. Sed cum noverim me vix alterutrum horum assequi posse, qui utrumque præstare possunt, eos admiror. Non est id mearum virium duobus ut Dominis serviam.* Ne vero quisquam viribus suis confisus, putet se ad utrumque esse idoneum, subjicit ibi *Synesius* hanc admonitionem; *Sed est virium copiosa quædam abundantia, ita inter deteriora versari, ut in naturæ statu consistat, nec ullo modo inficiatur. Hæc Dei laus est. Homini vero deprecandum illud est, naturæ suæ imbecillitatem metuenti: his ego vobiscum finibus versabor.* Subdit deinde *Synesius* ibidem hanc distinctionem; aliud esse quandoque & ex longo intervallo se ad secularia demittere, ita ut Levi cura magnum aliquod bonum efficiatur; aliud vero eis adhærescere, & intabescere. Hoc fugiendum, illud autem admittendum dicit Synesius: qui quo tempore floruerit, inde patet, quod librum suum de regno scripserit ad Arcadium Imperatorem, qui regnabat anno Domini quadringentesimo.

§. 5. Concilii Carthaginensis quarti canon 18. est; *Ut Episcopus tuitionem testamentorum non suscipiat.* Et ejusdem Concilii canon 20. *Ut Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet.* Hos duos canones tanquam ex Concil. Carthag. 3. recitat Gratianus, dist. 88.

§. 6. In Concilio illo Parisiensi, quod sub *Ludovico* Pio ejusque filio *Lothario* Imperatoribus celebratum est anno Domini 829. & cujus constitutiones in tres libros distinctæ extant tomo sexto Conciliorum, editionis Parisiensis, ann. 1636. invenitur hæc constitutio lib. 1. cap. 28. Qui sacris officiis ob meritorum prærogativam sunt applicati, dedecus & valde periculosum est, terrenis actionibus, turpibusque lucris eos implicari. Comperimus igitur nonnullos presbyteros & monachos desertores ordinis sui, quod non sine magno animi mœrore prosequimur, adeo villicationes & negotiationes, diversaque turpia lucra spectare, ut illud videatur completum, quod dicitur, *& erit sicut populus, sic sacerdos.* (Esa. 24. 2. Ose. 4. 9.) Quod & leges divinæ & jura canonica condemnant, quantumque etiam id religioni Christianæ contrarium sit, manifestum est. Quod vero ab hujuscemodi illicito actu uterque ordo, & sacerdotalis & monasticus se cohibere debeat, subter breviter collecta testimonia declarant. Ait namque Dominus in Evangelio; *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* (Luc. 9. 62.) Et Paulus; *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* (2 Tim. 2. 4.) Quanquam ergo hæc Evangelica & Apostolica sententia generaliter de omnibus Christianis sit dicta, & ab omnibus observanda: specialius tamen atque religiosius ab his observari convenit, qui se divinæ militiæ devotius strictiusque manciparunt. In Concilio quoque Chalcedonensi, titulo tertio legitur; *Pervenit ad sanctam Synodum.* &c. His ita præmissis, oportet ut Episcopi suæ Parochiæ sacerdotes & monachos a memoratis illicitis actionibus, sua autoritate compescant: transgressores vero censura canonica corripiant, quia dicitur; Transgredientem vero hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur.

§. 7. *Gregorius* primus, Papa Rom. scribens *Eusicio* Episcopo Tundarino; Gratias (inquit) Omnipotenti Deo retuli, quod in causis animæ & eis quæ ad Deum pertinent, te occupatum esse cognovimus. lib. 2. epistolarum ex registro, cap. 98. seu epist. 59. Et in fine ejusdem epistolæ, [illegible]; Vere enim Episcopalem vitam sequeris, si per zelum linguamque tuam, hos qui a fidei veritate dissentiunt, in Ecclesiæ unitatem reduxeris. Hæc ibi *Gregorius.*

§. 8. Quamvis autem egeno Pastori liceat, exemplo Apostoli, honesto aliquo opificio necessarium victum quærere, aliorumque egestatem sublevare: quadruplex tamen cautio est hic necessaria, pro evitatione peccati. 1. Ut Pastor manuale opificium non exerceat lucri caussa, sed tantum ut suam aut aliorum sublevet indigentiam: nam lucra quærens mundana Pastor, hoc ipso se implicat negotiis secularibus, cum deberet πάντα ἐγκρατεύεσθαι, ab omnibus se continere, 1 *Cor.* 9. 25. ab omnibus inquam desideriis, & curis secularibus, ut non quærat opes sed oves. 2 *Cor.* 12. 14. Apostolus non ait se di-

vitias aut etiam lucellum aliquod ex opificio quæsivisse, sed dicit manus suas ministrasse ταῖς χρείαις, necessariis usibus ipsius & eorum qui cum ipso erant: & sic laborandum esse & subveniendum infirmis. Act. 20. 34, 35.

§. 9. Alia conditio est, ut Pastor egenus necessitati suæ sublevandæ artem non exerceat illiberalem, aut pastorali munditiei vel dignitati minime congruentem; multa enim Laicis licent, quæ pastoribus non conveniunt. Quamvis omnia munda mundis sint, malum tamen illi qui per scandalum comedit. (Tit. 1. 15. Roman. 14. 20.) Non immerito igitur canonibus Ecclesiasticis cautum est, ut pastori mercaturam exercere non liceat, hoc est, ut rem aliquam emat vilius, quam nullo interveniente artificio liberali eandem sine ulla in melius mutatione, carius vendat: quamvis liceat ei rudem aliquam coëmere materiam, ex qua opus aliquod honesto opificio conficiat, quod ad necessitates suas & suorum sublevandas tolerabili pretio vendat; ut recte monet Autor glossæ, ad præfat. quæst. 4. caus. 14. Eodem jure prohibetur illis ars cauponaria & ars macellaria, ne eam pastores exerceant, & aliæ, de quibus postea ex utroque jure clarius disseremus. Inprimis etiam pastori cavendæ sunt eæ artes quæ vel in se illicitæ sunt, qualis est ars usuraria, & ars dardanaria, &c. vel propinqua nimis cognatione ad illicitas illas artes lapsum proclivem faciunt, nec sine inevitabili scandalo a pastoribus exerceri queunt: qualis est ars nummularia, & ars proxenetica, & ejusmodi negotiatio per quam annona oneratur, & quæ Dardanariui vicina est.

§. 10. Tertia cautio est, ut quamcunque Pastor artem exerceat, non patiatur se per illud opificium avocari a necessaria pastorali residentia, vigilantia, & diligentia; ac propterea tale eligat opificium quod illum a ministerii Ecclesiastici necessaria assiduitate non abstrahat. Apostolus enim *Paulus* in eodem illo sermone ad Presbyteros Ephesios, in quo manualis sui opificii mentionem facit, indefessam simul & assiduam pastoralem suam in grege pascendo diligentiam, vigilantiam, & constantiam commemorat. Actor. 20. Deterior quidem est infideli is qui suis, & maxime domesticis, non providet: 1 Tim. 5. 8. at ipso etiam domesticorum suorum incurioso desertore deterior est desertor gregis dominici quem pascendum & custodiendum accepit. Ergo hoc faciendum nec illud omittendum, nullam autem solicitudinem secularem Pastor prudens ac fidelis custodiæ & alituræ gregis anteponet. Huc pertinet canon ille 52. Concilii Carthaginensis quarti, *clericus victum & vestitum sibi artificiolo vel agricultura, absque officii sui detrimento paret.* Hæc ibi. Reperit hunc canonem *Gratianus*, 91. Dist. *Clericus Victum.*

§. 11. Quarta cautio est; quia non ea est in nostris pastoribus gratiæ donorumque pastoralium mensura, ut omnia assequi possint quæ potuit Apostolus *Paulus*, qui sine læsione officii sui pastoralis valuit manuali opere necessaria comparare; neque id semper fecit *Paulus*, sed aliquando jure suo usus accepit ab Ecclesiis vitæ temporalis subsidia, quo posset magis inoffenso pede progredi in opere ministerii; sic enim scribit Corinthiis; *Alias Ecclesias spoliavi, accepto* ab eis *stipendio, ad hoc ut vobis inservirem: & cum apud vos essem, & egerem, nulli fui onerosus; nam quod mihi deerat* [egestatem meam τὸ ὑστέρημά μου] *suppleverunt fratres qui venerant a Macedonia, & in omnibus me præstiti vobis minime onerosum, & præstabo.* 2 Corinth. 11. 8, 9. Neque propterea stipendium ab ipsis Corinthiis accipere recusavit, quod vel ipsi dare nollent, vel ille jure accipere non posset; nam Corinthios libentissime daturos fuisse constat ex ipsa dissertatione Apostoli, docentis, nullo charitatis defectu hoc a se factum esse, ac si eos non amaret, sed ut malevolis ansam calumniandi scandalaque infirmis objiciendi præriperet. Dolebat igitur Corinthiis, quod hoc, ut quidam ex ipsis interpretabantur dilectionis signum Apostolus in stipendii acceptione eis non concederet.

§. 12. De jure autem pastorum pro acceptione stipendii prolixe disserit. 1 Cor. 9. ubi ait, constituisse Christum ut qui prædicant Evangelium, vivant ex Evangelio: & serentes spiritualia, metere debere ab auditoribus suis carnalia, & alibi; *Communicet* (inquit) *qui catechizatur in verbo, ei qui illum catechizat, in omnibus bonis.* Gal. 6. 6. & jubentur Christiani diligenter curare ut eorum pastores non contristentur, sed ut cum gaudio officium facere possint pastorale, non autem cum gemitu, hoc enim populo esse inconducibile. Hebr. cap. 13. vers. 17. Vix autem evitari potest quin gemat fidelis Pastor, qui, cum ad necessaria muneris sui pastoralis obsequia fideliter obeunda vires corporis animique ei satis sint exiguæ, lectionem & doctrinam cum oratione conjunctam cogitur interrumpere, & ad mundana opificia detruditur per angustiam rei familiaris; præsertim si grex ejus possit, nec tamen velit eum sublevare. In quo casu nihil tam affligit animum pii pastoris quam ingrata gregis impietas, & impia tenacitas. Sicut e contrario pietas gregis, hoc etiam officio manifestata, pium pastorem exhilarat: non dona ipsa in se, sed dantium affectum & profectum exosculantem. Quo pertinet illud Apostoli Pauli ad Philippenses, cap. 4. (Philipp. 4. 10, 11, 12. &c.) “Gavisus sum autem in Domino magnopere, quod jam tandem refloruistis in vestra pro me cura [τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν,] de quo etiam curam habebatis, sed opportunitate destituebamini. Non quod penuriæ respectu [καθ' ὑστέρησιν] loquar; nam ego didici, in quibus sum, iis ipsis contentus esse; Novi autem deprimi, novi & abundare: ubique & in omnibus initiatus sum; & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum per Christum qui me corroborat: attamen recte fecistis, quod simul communicastis meæ afflictioni [συγκοινωνήσαντες μοῦ τῇ θλίψει.] Nostis autem & vos Philippenses, quod initio Evangelii, quum proficiscerer e Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicaverit in rationem dati & accepti, nisi vos soli. Nam Thessalonicæ quum essem, semel & iterum quod opus erat mihi misistis: Non quod requiram donum, sed requiro [ἐπιζητῶ] fructum exuberantem in rationem vestram. Accepi [ἀπέχω] autem omnia, & abundo, expletus sum acceptis ab *Epaphrodito* quæ misistis, odorem bonæ fragrantiæ, hostiam Deo acceptam & gratam: Deus autem meus supplebit quicquid opus fuerit vobis [πᾶσαν χρείαν ὑμῶν] secundum divitias suas, in gloria, in Christo Jesu. *Deo autem & Patri nostro, gloria in secula seculorum. Amen.*” Hæc ibi, a versus decimi initio ad finem usque vers. 20. Quamvis igitur Apostolus *Paulus* aliquando labore manuum necessaria sibi suisque comparaverit, prudenter in loco stipendium quod ei jure debebatur non accipiens; non potest tamen de jure grex imponere pastori hanc exercendi opificii necessitatem, sed de jure divino obligatur grex ad impertiendum pastori temporalia, pro honesta pastoris & familiæ ipsius sustentatione, & quoad ejus fieri possit, pastor secularibus avocamentis in exsequutione muneris sui pastoralis

retardetur, aut contristetur. Quæ cum ita se habeant, & Pastor optare ac eniti, & grex pro virili procurare debent, ut habeat Pastor ex ipso Evangelio unde se suosque honeste alere possit, & ne defectu eorum quibus opus habet, ad secularе aliquod opificium pro comparandis necessariis exercendum adigatur.

§. 13. Cautiones istas accipe inclusas his versiculis:

Pastor egestatem si cogeris arte levare,
Non tibi lucrandi sese ingerat atra cupido;
Ars sit honesta; gregem ne neglige; tere, & opta,
Detque operam grex, ut tibi sit gregis unica cura.

Caput XIV.

Proponuntur octodecim impedimenta, Pastori Ecclesiastico fugienda, & explicatur primum impedimentum, nempe Ludus aleæ.

§. 1. HAnc a nobis propositam legem divinam exponunt, & ad varias humanæ vitæ partes specialiter applicant canones Ecclesiastici, cum legibus Imperialibus, & testimoniis veterum Patrum. In quibus diversorum impedimentorum fit mentio, quæ sint clericis fugienda. Eorum indicem paucis versiculis comprehensum præmittemus: Singula deinde impedimenta explicabimus ex ipsis canonibus, & veterum scriptis, & legibus imperialibus.

Aleo; venator; miles; caupo; aulicus; erro;
Mercator; lanius; pincerna; tabellio; tutor;
Curator; sponsor; conductor; conciliator; *
Patronus causæ, procuratorve forensis;
In causa judex civilis, vel capitalis,
Clericus esse nequit, canones nisi transgrediatur.

*Seu proxeneta.

Exegesis.

§. 2. *Aleo*] In codice Justiniani Imperatoris, lib. 1. tit. 4. de Episcopali audientia. leg. 34. seu ult. constituitur, ut nemo clericorum, neque Diaconus, neque Presbyter, neque Episcopus, neque quisquam ex reliquo clero, audeat cubicare (id est, tesseris seu alea ludere,) quocunque aleæ genere, aut ludo: aut ita ludentibus communicare, aut conversari, aut una recreari, aut una cum eis agere, aut eis testimonium perhibere: ne polluant suas manus, & oculos, & aures sic damnatis & prohibitis ludis: sed ut a tali Sacerdotii dedecoratione abstineant.

§. 3. Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. *Extra*, de vita & honestate clericorum, cap. 15. *Clerici*, & in canonibus qui dicuntur Apostolorum, can. 41. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel aleæ vel ebrietatibus indulget, vel desinito, vel deponitor. & can. 42. Subdiaconus aut Cantor aut Lector, qui consimilia facit, vel definito, vel a communione sejungitor: Similiter & Laici. Hos duos canones inseruit decreto *Gratianus* 35. dist. can. *Episcopus*.

§. 4. Hisce canonibus congruit illa *Leonis* Imperatoris constitutio 87. in hæc verba. Jam vero qui Sacri ordinis homines aleæ vacant, neque hi rem modica aliqua pœna dignam audent, quid ita? Nam quum tranquilla mente, animoque a contemplandis rebus divinis immoto, quantum humanæ naturæ possibile est, summo isti bono inhærescere deberent, e contrario ad juveniles lusus deproperant. Quos etiam a Sacerdotio succidi, secundum divinum Sacro Sanctorum Apostolorum decretum, par est. Verum quoniam id ipsum, etiam præscriptum mitigat, ut qui non desistunt, pœnam subituros addat: statuimus nos quoque, ut qui aleæ lusu Sacram sortem contaminant, in monasteria relegentur: (quam tamen relegationem triennale tempus finiat:) & quando delictum satis expiatum videbitur, in pristinum statum restituantur. Si rursum in fritillo vane tempus terere instituant, tanquam piaculares ex Sacrosancto Ecclesiastico statu omnino exturbentur, ab eoque profligentur. Hæc ibi.

Hæ leges non in eum sensum accipiendæ sunt, ac si continuo piacularis & criminosus existeret omnis clericus per talem ludum. Nam aleatio quæ hic prohibetur, in eodem ordine poni videtur cum ebrietate. Quod genus aleatorum apud ipsos quoque Ethnicos infame fuit, ut constat ex Ciceroniana descriptione sodalium *Catilinæ*, quos, in opprobrium vocat aleatores & impuros &c. §. 5.
Neque tamen omnem aversati sunt fritilli usum, quandoquidem idem *Cicero*, lib. de senectute, fritillum & tesseras senibus relinqui jubet. Illicita vero, id est, ebriosa, damnosa, avara, contentiosa, intempestiva, immodica, scandalosa aleatio, non solum clericis sed etiam Laicis interdicitur, ut patet ex allegato canone Apostolorum. Et in Concilio Elibertitano, (anno Domini 305.) conditus est hic canon: Si quis fidelis alea, id est, tabula luserit, placuit, eum abstinere. Et si emendatus cessaverit, post annum poterit communione conciliari. Hactenus verba canonis 79. concil. Elibertani. Ab hac arte (inquit Isidor. Hisp.) fraus & mendacium atque perjurium nunquam abest, postremo & odium & damna rerum. Unde & aliquando propter hæc scelera interdicta legibus fuit. Hæc Isidorus Hispalensis, lib. 18. Originum sive Etymologiarum, cap. 68. Cujus capitis titulus est, *De interdictione aleæ*. Nempe omnibus, etiam Laicis, interdicta. Multo magis vero clericis, quibus multa non expediunt, nec licent, quæ Laicis vitio non vertuntur. Adeo ut clericali dignitati & muneri non conveniat ea etiam aleatio, quæ Laicis permittitur.

Quodcunque autem istorum vitiorum accesserit ludo, contaminat id ludum, & ludentem, quamvis Laicum. *Ebriosa* est aleatio quando ad fovendam ebrietatem servit ludus aleæ. *Avara*, quando hac arte quæritur lucrum. *Damnosa*, quando rem suam ludo hoc perdens, damnum quispiam sibi infert notabile. *Contentiosa*, quando non placide luditur. *Intempestiva*, quando a juvenibus valentibus, libertate gaudentibus, nullo valetudinis commodo, sed cum aliorum magis idoneorum exercitamentorum indecora omissione usurpatur hic ludus. *Immodica*, quando nimium huic ludo dediti sunt, ejusque delectatione veluti fascinati, vel ipsi senes, & infirmi, & vincti, & languidi. *Scandalosa* est, quando propter ludum nostrum, infirmos aliorum animos non veremur offendere: non est autem frater offendendus propter cibum, aut ludum. Vide plura contra ludum aleæ, apud *Cyprianum*, lib. de Aleatoribus: ubi aleæ tabulam vocat Diaboli laqueum & venabulum; & apud *Thomam* Aquin. Comm. in *Boëthii* librum de Scholarum disciplina, cap. 6. sectione 40. §. 6.

Ca-

CAPUT XV.

De secundo seculari impedimento, videlicet ut Pastor non sit venator.

§. 1. VEnator] Contra clericos venatores est canon 55. Concil. Agathensis. Episcopis, Presbyteris, aut Diaconibus, canes ad venandum aut accipitres habere non liceat: quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione suspendatur, Presbyter duobus mensibus se abstineat, Diaconus vero ab omni officio & communione cessabit. Sic se habet canon 55. Concilii Agathensis, quod celebratum est anno Domini 506. Hunc aut similem canonem citat Gratianus sub nomine Concilii Aurelianensis, 34. Dist. *Episcopum*, & *Gregorius* nonus in decretalibus, tit. de Clerico Venatore, cap. 1. in hæc verba: Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum Canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est tribus mensibus a communione, si Presbyter duobus, si Diaconus ab omni officio suspendatur. Item cap. 2. eod. tit. omnibus servis Dei (id est clericis) venationes & silvaticas vagationes [al. fatigationes] cum canibus; & accipitres & falcones habere interdicimus. Item in Concilio Moguntiaco (tempore Caroli Magni,] cap. 14. prohibitum est ministris altaris Domini, & monachis, canes & aves sequi ad venandum. Venationem *Gregorius* vocat artem nequissimam, & vitium, 86. dist. *Qui venatoribus*, & *Hieronymus* in Psalm. 82. apud Gratianum, 86. dist. *Esau*. Penitus (inquit) non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem: Piscatores invenimus sanctos. Et in cap. 5. Micheæ, quantum (inquit) ego possum in mea recolere memoria; nunquam venatorem in bonam partem legi. Hæc ibi Hieronymus. Venatores tamen in bonam partem interpretatur ipse Hieronymus, in Hieremiæ 16. vs. 16. Idem etiam in Esai. 23. 4. in illa Prophetæ verba, *Erubesce Sidon*. Apostolos vocat *Venatores Christi*, qui de omni monte venantes & colle capiunt eos qui prius a Dæmonibus capti fuerant. Item *Ambros.* An putatis (inquit) illum jejunare, fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat: non beatorum martyrum Sancta loca perquirit: sed surgens congregat servulos: disponit retia: canes producit: saltus sylvasque perlustrat: servulos inquam secum pertrahit: fortasse magis ad Ecclesiam festinantes: & voluptatibus suis peccata accumulat aliena: nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione servorum. 86. dist. ean. *An putatis*.

§. 2. *Quatuor species venationis*. Autor vero glossæ in cap. 1. *Extra*, de clerico venatore, & *Panormitanus*, ibidem, quatuor faciunt species venationis. 1. Est *venatio oppressiva hominum*, qualis venator erat *Nimrod*, Gen. 10. 9. Quomodo & *Saul* Rex venatus est *Davidem*. 1 Sam. 26. 20. Hæc venatio prorsus est illicita. 2. Est *venatio adulatoria*, de quibus venatoribus loquens *Gregorius*, sunt (inquit) nonnulli qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerant. 46. dist. *Sunt nonnulli*; & Auctor Epistolæ quæ *Augustino* tribuitur ad Demetriadem virginem, in Epistolis *Augustini* Epist. 142. cap. 21. Adulatores (inquit) ut inimicos cave, quorum sermones super oleum molles, & ipsi sunt jacula. Corrumpunt fictis laudibus leves animas, & male credulis mentibus blandum vulnus infigunt. Hæc etiam nefaria est venatio. 3. Est *venatio arenaria*, id est, quæ solet fieri in arena, ubi homines pugnant cum feris & indomitis bestiis. Hæc clericis simpliciter prohibita est: Laicis autem, si lucri gratia & pro pretio suscipiatur, est etiam illicita; quamvis exercendarum virium & monstrandæ fortitudinis causa Laicis sit licita talis venatio, modo non sit periculum mortis: nam non debet homo, ut experiatur virtutes, incidere de facili in promptum periculum mortis, ubi nedum corpus sed etiam anima posset periclitari; inquit *Panormitanus*. 4. Est *venatio saltuosa & campestris*, qua homines per nemora & campos venantur cervos, damas, lepores &c. & hæc venatio subdistinguitur in *clamosam*, quæ fit cum canibus & clamoribus; & *quietam*, quæ fit cum retibus & laqueis sine clamore & immodica curstatione: hanc clericis concedunt canones, illam prohibent, quamvis Laicis concedatur.

§. 3. Venatio quieta piscationi est similis, & licita est; cur autem prohibeatur clericus venari & non piscari, hanc reddit rationem auctor glossæ, ad can. Esau 86. dist. Quia forte (inquit) piscatio fit sine clamore, venatio non. Vel quia major est delectatio in venatione; dum enim quis est in venatione nihil potest de divinis cogitare. Hæc ibi.

§. 4. De utraque autem venatione, vidl. quieta, & clamosa, has tradunt distinctiones: Venationem clamosam Laici licite exercent necessitatis causa, puta, pro carnibus vel pellibus habendis; vel voluptatis, si id raro & non immodice fiat. Quieta autem venatio conceditur clericis, vel necessitatis causa, vel recreationis, modo eam sæpius non exerceant, nimiamque ex ea non capiant voluptatem, qua animus ad seria non tam acuatur, quam hebetetur, & ab iis alienetur; ideo cavendum ne venandi frequentia in consuetudinem abeat. Quamvis autem clamosa venatio clericis simpliciter prohiberi videatur, duos tamen casus ponit *Panormitanus* in quibus eam exercere possint: prior casus est, si habeant reditus in venatione, sicut nonnulli in Francia: alter casus est, si rarissime eam exerceant, causa recreationis, id est, non voluptatis, sed necessitatis, puta, ut excitet clericus appetitum propter morbum præcedentem. Hæc ille. Eadem est ratio si vel præsenti morbo clericus affligatur, puta, renum calculo, aut cacothymia, &c. vel ingruentem timeat & præcavendum judicet. Inanem vero & voluptariam in hoc genere venationem sacerdotibus non sequendam esse decreverunt etiam Episcopi Galli in Concilio Cabilonensi secundo, imperante Carolo Magno, anno Domini 813 cap. 9. ab omnibus, inquiunt, oculorum auriumque illecebris Sacerdotes abstinere debent, & canum, accipitrum, falconum, vel cæterarum hujusmodi rerum curam parvipendere.

CAPUT XVI.

Ut Pastor non sit miles.

§. 1. MIles] Indecorum clerico est, extra casum inevitabilis necessitatis, arma gerere corporalia, & secularem exercere militiam, oportet enim clericum non esse percussorem. Lachrymæ & orationes sunt clericorum arma. In Concilio Oecumenico Chalcedonensi, can. 7. decretum est, ut clericus aut monachus non veniat ad militiam, vel ad honores seculares [seu dignitatem secularem ἐπὶ ἀξίαν κοσμικήν.] De-

cre-

οὐκ ἐπιτέτραπται, πόσῳ μᾶλλον ἄλλοις ἐν τούτῳ διακονεῖσθαι, καὶ ἃ μὴ θέμις αὐτῷ ἐγχειρεῖν; εἰ δέ τι τοιοῦτον διαπράξοιτο, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. *Nulli licere clerico cauponariam habere tabernam. Si enim tali in cauponam ingredi non est permissum, quanto magis aliis in ea ministrare, & ea quæ non licet ipse tractare? Si quid autem tale fecerit, vel cesset, vel deponatur.* Concil. Quinisext. can. 9. Citatur etiam 44. dist. *Nulli.*

§. 4. Concil. Cabilonens. 2. can. 44. *Superius* (inquiunt Patres illi Cabilonenses) *scripsimus Presbyteros villicos esse non debere: & nunc eos in tabernis bibere, cancellarios publicos esse, nundinas insolenter peragrare, Romam sive Turonum absque licentia Episcopi sui adire; penitus decrevimus inhibendum.* Celebratum est hoc Concilium jussu Caroli magni Imperatoris, anno Domini 813.

CAPUT XVIII.

Ut Pastor Ecclesiasticus non sit Aulicus.

§. 1. Pastoris est gregi invigilare, non in aulis Principum otiose obambulare, aut aulicis incumbere ministeriis, sed caulis potius ovium ipsi creditarum quam aulis principum delectari. Huc pertinet decretum illud Concilii Antiocheni in Encæniis, can. 11. Ut nullus Episcopus, aut Presbyter, aut quicunque sub Ecclesiastica regula constitutus, præter consilium vel literas eorum Episcoporum qui sunt intra Provinciam, & maxime sine consilio Metropolitani, ad Imperatorem pergat. Si quis autem in hac transgressione reperiatur, hunc decernunt non solum abdicari & ejici de communione debere, sed etiam propria dignitate privari, tanquam molestum & importunum Imperialibus auribus, contra Ecclesiastica constituta. Citatur etiam hic canon a *Gratiano*, caus. 23. quæst. 8. can. *Si quis Episcopus.*

§. 2. Constitutum est in Concilio Sardicensi, can. 7. Nullum oportere Episcopum ad castra [εἰς τὸ στρατόπεδον] accedere, præter eos quos Imperator [ὁ εὐλαβέστατος βασιλεὺς ἡμῶν] suis literis accersit. Et can. 8. Ut si Episcopus Imperatori

Vide supra cap. 12. §. 13. offerre velit preces aliquorum qui opus habent misericordia, & quibus non est negandum auxilium, mittat per proprium Diaconum. Et in Concilio Parisiensi, quod anno Domini 829. sub Ludovico Pio Imperatore celebratum est, cap. 29. Prohibentur Episcopi mittere per diversa Presbyteros negotiorum causa, propter pericula animarum absente Presbytero.

§. 3. His consonat illa *Justiniani* Imperatoris Constitutio Novella centesima vigesima tertia, cap. 9. Interdicimus (inquit) Deo-amabilibus Episcopis proprias relinquere Ecclesias, & ad alias regiones venire. Si vero necessitas faciendi hoc contigerit; non aliter nisi cum literis beatissimorum Patriarchæ, aut Metropolitæ, aut per imperialem videlicet jussionem hoc faciant: ita tamen ut nec illis Episcopis qui sub beatissimo Archiepiscopo Constantinopoleos & Patriarcha fuerint, liceat citra permissionem ejus, aut nostræ jussionis, ad regiam civitatem venire. Si vero etiam secundum hunc modum Episcopus cujuscunque loci profectus fuerit, non amplius uno anno suam relinquat Ecclesiam. In hujus constitutionis transgressores sancitur pœna, primo quidem privationis fructuum propriæ suæ Ecclesiæ; deinde, si reverti differant, postquam literis sacerdotum sub quibus agunt, revocati fuerint, nec revertantur intra definitum a sacris canonibus tempus ad suas Ecclesias, ut ipsi quidem ab Episcopatu expellantur, alii autem pro eis meliores ordinentur. Hoc ipso & super clericis valituro cujuscunque ordinis fuerint aut ministerii. Item ejusdem constitutionis cap. 15. Sed neque curialem aut officialem, clericum fieri permittimus; ut non ex hoc, venerabili clero injuria fiat. Si vero tales personæ in clero constituantur, tanquam nec ad ordinem perducti, propriæ fortunæ restituantur, nisi forsan monasticam vitam aliquis eorum non minus quindecim annis implevit. vide 5. dist. *In summa.* Cum igitur ex curiali fortuna in clerum adsciscí quenquam vetet ista constitutio; atque si ex hoc injuria fiat venerabili clero: quanto magis iniquum est ut clericus vitam agat curialem?

Concordat & altera illa lex ejusdem Imperatoris, Constit. Novell. 6. cap. 3. Ut non aliter §. 4.
aliquis Deo-amabilium Episcoporum præsumat dirigere se ad regiam civitatem, priusquam, siquidem Episcopus sit, literas acceperit proprii Metropolitæ ad imperium; & quæ secundum divinas regulas probabilia vocantur, testimonium perhibentia necessitatis ejus præsentiæ. Si vero Metropolita sit qui proficisci vult, literas sumat ejusdem diœceseos Patriarchæ, ejus præsentiam necessariam esse dicentes: & sic oportere Imperatorem jubere hunc præsentari. Et mox quam imperanti adstiterint, liceat promereri responsum celeriter: ita ut, si aut justa ab imperio petierint, hæc accipiant; aut si non justa quærunt, velociter revertantur unde profecti sunt.

Ex istis canonibus & constitutionibus colligere licet hæc tria; *Primo*, non licuisse clerico, §. 5.
relicta sua Ecclesia, ad curiam regalem proficisci, absque literis superioris clerici, aut jussione Imperatoris. 2. Quacunque auctoritate veniret munitus, ut non nisi justam ob causam, atque ubi necessarius esset ejus adventus, ad curiam proficisceretur. 3. Ut reditum ad suam Ecclesiam maturaret, neque inaniter in curia tempus tereret, posthabita pastoralis erga gregem sibi commissum officii ratione, & residentiæ necessitate.

Exemplum religiosi principis in se præbet *Justinianus*, quando sibi curæ fore profitetur, ut §. 6.
per illum non impediatur velox clericorum reditus ad suos greges; gnarus scilicet datam ci esse hanc regiam potestatem, non ut ea ad transgressionem divinarum legum abutatur, sed ut ad earundem custodiam animosa humilitate, recte utatur. Pie etiam commonet Ecclesiasticos sui officii, ut scilicet nec temere greges proprios relinquant, atque, si quando abesse contigerit, ut velociter revertantur.

Quosdam Pastores necesse est curiæ sive aulæ §. 7.
semper præsentes esse, nempe eos, quorum propria pastoralis cura impendenda est Regi & familiæ Regiæ, & magnatibus, satellitibusque aulicis ac turbæ curiali. Hi vero, quanto magis interest, principem, eique proximos esse religiosos, & veræ pietatis sinceros cultores, tanto magis ab omnibus negotiis secularibus expediti esse debent, ut verbi prædicationi, & orationi, excubiisque pastoralibus indesinenter incumbant.

CAPUT XIX.

Ut Pastor non sit Erro.

Erro] Huc pertinent partim ea quæ modo de §. 1.
aulicitate dicebamus, partim & illa quæ de per-

personalis residentiæ necessitate in superioribus differuimus. Adhæc triplex vagatio prohibetur; nempe, *otiosa*, *dedecorosa*, & *studiosa*. Ista vocabula doctrinæ gratia, usurpamus, quamvis omnis iniquitas sit dedecorosa. Addere possemus & quartam speciem, ne videlicet sit *Ecclesiæ detrimentosa*, sed hæc ad tres commemoratas pertinet.

§. 2. Contra *otiosam* vagationem est canon ille quadragesimus octavus Concilii Carthag. 4. *Clericus, qui non pro emendo aliquid, in nundinis vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.* Citatur etiam 91. dist. can. *Clericus quilibet.*

§. 3. Contra *dedecorosam* seu ignominiosam clericorum vagationem est decretum illud Concil. Mogunt. sub *Ricolpho* Archiepiscopo celebrati, tempore *Caroli* Magni Imperatoris, anno Dom. 813. cap. 10. Clericis lege patrum cavetur, ut a vulgari vita seclusi, a mundi voluptatibus sese abstineant, non spectaculis, non pompis intersint, convivia inhonesta & turpia fugiant. Tamen *Hieronymus* in epistola ad Nepotianum dicit, omnium Christianorum domos quasi proprias amare debemus, ut consolatores nos in mœroribus suis potius, quam convivas in prosperis noverint. Item *Isidorus*; clerici tamen convivia privata, non tantum pudica, sed & sobria colant. Hactenus verba Concilii illius Moguntini.

§. 4. *Studiosa* divagatio est, quando homines Ecclesiastici aliis studiis, etiam literariis, ita abripiuntur, ut studia negligant Theologica. Propterea statutum est jure canonico, ut clerici ob Legum aut Medicinæ studia Theologicum studium non intermittant, denunciata in transgressores excommunicationis censura. *Extra*, Ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant cap. 10. *Super specula*; & de superfluo legum studio dicitur, *Absurdum clericis est, immo etiam opprobriosum si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium.* Cod. de Episcopis & clericis, lege 41. *Repetita.* Et in sexto. Ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant. cap. 1. *Statutum.* In glossa, *Leges.* Non tamen excluditur ea rerum etiam humanarum scientia, quæ in clericis ad officii sui debitam exsecutionem adjumento est, & pro administrandis ac defendendis Ecclesiæ negotiis necessaria est. Ideo nobilibus civibus Neapolitanis scribens *Gregorius*, displicere sibi ostendit, quod in Episcopum elegissent hominem simplicem, inquiens; *Petrus Diaconus, qui m a vobis electum asseritis, omnino (ut dicitur) simplex est. Et vos scitis quia hoc tempore talis in regiminis arce debet constitui, qui non solum de salute animarum, verum etiam de extrinseca utilitate & cautela sciat esse sollicitus.* Apud *Gratianum*, 39. dist. *Petrus.* Simplicitas autem hoc loco intelligitur, non sinceritatis, quæ opponitur dolo; sed imperitiæ, quæ opponitur prudentiæ.

Simplicitatis distinctio.

CAPUT XX.

Ut Pastor non sit Mercator.

§. 1. MErcator] Quamvis pastori egestate presso liceat necessaria aliquo artificio comparare, attamen uti supra monuimus, non sunt pastoribus concessæ omnes illæ artes, quæ laicis conceduntur. Nam si vel dignitati pastoris sit incongrua, qualis est ars proxenetica, & ars macellaria; vel ad peccandum periculosa, qualis est ars mercatoria; vel officium pastorale impediens, ut est ipsa agri remotioris cultus, aut in loca remotiora ad comparandam arti alioqui haud incongruæ materiam profectio; debent a tali arte clerici abstinere. Conceditur iis agricultura, sed duntaxat absque officii sui detrimento, 91. dist. *Clericus victum.* Unde nec remota, nec laboriosa nimis agricultura clericis concessa est. Ibidem vero in glossa annotatur, eos mercari non posse. *Constantinus* tamen Imperator mercaturam quandam eis concessisse videtur, quando de eis ait; *Si quid vel parsimonia, vel provisione, vel mercatura (honestati tamen congrua) congesserint, id in usum pauperum atque egentium ministrari oportet.* Cod. de Episcopis & clericis, lege 2. *Omnes.* At ea mercatura intelligenda est secundum concessa negotiationis interpretationem illam quæ affertur in glossa ad præf. caus. 14. quæst. 3. Quod nimirum liceat clericis egenis emere aliquam rudem materiam, & inde artificium quoddam facere, quod vendant, tunc enim (inquit Autor illius glossæ) non acquiritur lucrum ex negotiatione, sed ex artificio. Cujus interpretationis veritas, ex ipso canone quem illo loco interpretatur, manifesta est, & ex ratione quam ibidem adjungit ille glossator, talia enim lucra, (inquit) licita erant Apostolis. Pro qua ratione citat cauf. 21. quæst. 1. can. 1. Ille autem canon quem in quæstione negotiationis ibi interpretatur, extat in Decretalibus *Gregorii* 9. tit. Ne cler. vel mon. secul. neg. se immisceant, cap. 1. Transscriptus ex Concil. Mogunt. (quod An. Dom. 813. celebratum est) cap. 14. ubi hæc verba inveniuntur; *Non tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus sanctos Apostolos negotiatos esse.* Apostoli autem non aliter negotiati esse leguntur, nisi eadem comparando materiam, ex qua interposito haud indecenti opificio, conficerent aliquid artificiale quod venderent, & forte etiam pisces capiendo quos necessariorum acquirendorum causa etiam venderent. At de negotiatione sive mercatura proprie ac stricte dicta, nihil legimus in Apostolorum actis & negotiationibus. De artibus quibusdam clerico vel monacho haud indecoris, sic loquitur *Hieronymus* in epistola ad *Rusticum* monachum: quæ incipit, *Nihil Christiano felicius:* Unde & ejus verba transscripsit *Gratianus*, de consecratione dist. 5. can. *Nunquam*; facito aliquid operis ut semper Diabolus inveniat te occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quenquam gravarent; & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia; Cur tu in usus tuos successura non præpares? vel fiscellam texe junco; vel canistrum lentis plecte viminibus; sarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ. Hic pulcherrimorum versuum spectator assistas,

Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit, illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva. Georg. 1.

Inserantur fructuosæ arbores, vel gemmis, vel surculis, ut parvo tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabrica alvearia ad quas te mittunt Salomonis Proverbia: monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in parvis disce corporibus: texantur & lina capiendis piscibus: scribantur & libri, ut & manus operetur cibos, & anima saturetur

le-

lectione. In desideriis autem est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere & labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem: ne vagetur perniciosis cogitationibus mens, & instar fornicantis Hierusalem, omni transeunti divaricet pedes suos. Hæc ibi. His adde ea quæ ibidem immediate præmisit; Nunquam de manu & oculis tuis recedat liber: discatur psalterium ad verbum, oratio sine intermissione, vigil sensus, nec vanis cogitationibus patens. Corpus pariter & animus tendatur ad Dominum. Iram vince patientia: ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua variis perturbationibus; quæ si pectori insederint, dominabuntur tibi: & te deducent ad delictum maximum. Ex quibus *Hieronymi* verbis colligimus, non solum necessitatis causa, sed etiam pietatis, exerceri posse istiusmodi artes, ne in otium delapsus clericus, fiat opportuna Diabolo præda. His adde tertiam causam, videlicet recreationem: propter quam si licita sunt exercitia ludicra, quanto magis honestæ istæ atque utiles artes.

§. 2. Prohibita est autem clericis mercatura propter scandalum, quod ex clerici negotiatione oritur, quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum, inquit *Leo* Papa, apud *Gratianum*,* de pœnitentia, dist. 5. can. *Qualitas*. Propterea contra clericorum negotiationem extant hi canones:

Negotiatorem clericum, & ex inope divitem, & ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Hieronym.

Item, *fornicari hominibus semper non licet: negotiari vero aliquando licet; antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto jam non licet*. Aug.

Item: *Clerici ab indignis quæstibus noverint abstinendum, & ab omni cujuslibet negotiationis ingenio cupiditateque cessandum: aut in quocunque gradu sint positi, mox a clericalibus officiis cogantur abstinere: quoniam domus Dei, domus orationis & esse & dici debet, ne per officia negotiationis potius sit latronum spelunca*. Gelas.

Hos tres canones citat ex Hieronymo, Augustino, & Gelasio, Gratianus 88. dist. can. *Negotiatorem*, & can. *fornicari*, & can. *Consequens*.

§. 3. His addatur decretum illud Concil. Cabilonensis secundi, tempore Caroli Magni Imperatoris celebrati, cap. 8. *Oportet etiam ut si quando sacerdotes fruges vel quosdam reditus terræ congregant, & protelant: Non ideo hoc faciant, ut carius vendant, & thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant*. Hæc Patres illi.

CAPUT XXI.

Ut Pastor non sit Lanius.

L*Anius*] Contra istam in clericis artem, & similes, extat constitutio *Clementis* quinti, in Concilio Viennen. *Diœcesanis locorum districte præcipimus, ut clericos carnificum seu macellariorum, aut tabernariorum officium publice & personaliter exercentes, nominatim & tertio moneant, ut sic ab hujusmodi officiis infra convenientem terminum, monentium ipsorum arbitrio moderandum, desistant: & quod ipsa nullo unquam tempore reassumant*. In Clementinis; de vita & honestate clericorum: cap. 1. *Diœcesanis*. Auctor glossæ,* ibidem, *carnifices seu macellarios* interpretatur eos, qui pecora vel quadrupedia, & in genere carnes mactant, & vendunt. Ubi & hanc adjungit annotationem: *Propter horrorem* (inquit) *& vilitatem istorum duorum officiorum, scilicet macellarii & tabernarii, hoc specialiter est de his prævisum: licet multa sint vilia, puta aptare pelles, & curia; & his similia, tamen constitutio locum habet solum in expressis*. Hæc ille. Ad verba autem illa [*Publice & personaliter*] hanc habet glossam; *Conjunctim requiruntur hæc duo: si ergo occulte & per alium hoc exercetur, cessat pœna, licet non culpa*. Hæc ibi, additis quibusdam ex jure canonico citationibus.

CAPUT XXII.

Ut Pastor non sit Pincerna.

P*Incerna*] Nomine pincernæ per Synecdochen, intelligimus quodlibet domesticum famulitium, per quod hero quispiam ita addicitur, ut liberas horas, nisi heri nutu, nullas habeat ab heri illius ministeriis: quale est famulitium satellitum, cubiculariorum, dispensatorum, coquorum, procuratorum victus, œconomorum, & similia: Item villicationem, id est, præfecturam operis rustici, Græce ἀγρονομίαν; item administrationem fiscalem, atque omne prorsus negotium per quod aliquis reddendis rerum secularium rationibus implicatur. §. 1.

Huc pertinet illud *Eugenii* Papæ ad Episcopum Lucensem: sacerdotibus & clericis tuis denuncies publice, ne ministri Laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores existant. *Extra*, ne clerici vel mon. secular. negot. se immisceant. cap. 2. *Sacerdotibus*. Item illud quod in Concilio Chalced. can. 3. decretum est contra eos, qui ad secularium domos currunt, & substantiarum eorum seu patrimoniorum gubernationem & solicitudinem [οὐσιῶν χειρισμοὺς] avaritiæ causa suscipiunt. Verba canonis infra citabuntur, capite 27. §. 2.

Huc facit & illud quod ex primo Concil. Carthag. cap 6. citat *Gratianus*; ut qui serviunt Deo & annexi sunt clero, non accedant ad procurationes domorum secularium. caus. 21. qu. 3. can. *Credo*. In Concilio Cabilonensi secundo cap. 12. decretum est, ut neque Presbyteri, neque Diaconi, neque Monachi, villici fiant. *Gregorius*, apud *Gratianum*, 88. dist. inutile, inquit, & valde laboriosum est, hominem literatum ratiociniorum causas assumere, & in eis (quod non expedit) se obligare. Hæc ibi, can. *Inutile*. Merito igitur Imperator *Justinianus* constituit, ut Episcopus vel clericus non fieret susceptor aut exactor fiscalium functionum. Novell. 123. cap. 6. §. 3.

CAPUT XXIII.

Ut Pastor non sit Tabellio.

T*Abellio*] Huc pertinet illud *Innocentii* tertii: Mandamus, quatenus clericis in ordinibus constitutis tabellionatus officium, per beneficiorum subtractionem, appellatione postposita, interdicas. *Extra*, ne cler. vel mon. secul. negot. se immisceant, cap. 8. *Sicut te*. §. 1.

* *Tabellionis* autem vocabulo intelligitur *Notarius Publicus*, qui conficit instrumenta: ut constat ex glossa ibid. & *Extra*, de probationibus, cap. 11. *Quoniam*, cum glossa ibidem. Et tit. de §. 2.

fide instrumentorum, cap. 15. *Cum. P. Tabellio*, qui & alio vocabulo appellatur *Scriniarius. Extra*, de præscriptionibus, cap. 13. *Ad audientiam*. Annotat autem glossator ad cap. 11. De probationibus. Circa judicia quidem credi scripturæ tabellionis: at circa contractus ei non credi, nisi habeat testium subscriptionem.

§. 3. Quemadmodum autem in judiciis secularibus adhiberi potest opera duorum idoneorum cujuscunque ordinis hominum, qui fideliter universa judicii acta conscribant, quorum scriptioni æque credatur ac scriptioni publici tabellionis, *Extra*, de probationibus. cap. 11. *Quoniam*. Sic etiam in Conciliis caussisque Ecclesiasticis eligi possunt duo idonei clerici, vel etiam unus, qui acta Synodalia vel Judicialia fideliter conscribat, sitque illius concessus pro tempore actuarius, cujus scriptioni credendum sit, addita si opus esse videatur, etiam subscriptione præsidis. Quamvis ordinarii tabellionis seu scriniarii munus extraneum sit ab officio clericorum.

Caput XXIV.

Ut Pastor non sit Tutor.

§. 1. Tutor] Tutela triplex est: nempe vel legitima, vel testamentaria, vel dativa. Duæ posteriores simpliciter clericis interdictæ sunt. Prima autem, nempe legitima, Episcopis & Monachis prorsus etiam prohibita est, Presbyteris vero & Diaconis concessa est, quamvis ad eam cogi non possint; ut legimus in Novellis *Justiniani*: Deo (inquit) amabiles Episcopos & Monachos ex nulla lege tutores aut curatores cujuscunque personæ fieri permittimus. Presbyteros autem & Diaconos & subdiaconos jure & lege cognationis tutelam aut curam hæreditatis suscipere permittimus: proprio & solo gradu cognationis, ad tutelam & curam vocatis, hujusmodi suscipere administrationem permittimus: si tamen intra quatuor menses ex quo vocati sunt, apud competentem judicem scripto declarent, talem administrationem propria voluntate suscepisse: & si quis eorum forsan hoc fecerit, nullum ex hoc in alia tutela aut cura præjudicium patiatur. Novell. 123. De sanctissimis Episcopis & Deo-amabilibus &c. cap. 5.

§. 2. Huc facit & illud quod legimus in tertio canone Concil. Chalced. cujus canonis verba inferius citabuntur ad impedimentum 14, ubi de *conductore*. Huc pertinet & ille canon 18. Concil. Carthag. quarti: ut Episcopus tuitionem Testamentorum non suscipiat. Citatur hic canon quasi ex Concil. Carthag. 3. Dist. 88. can. *Episcopus tuitionem*. Vide autem & glossam ibidem.

§. 3. Cyprianus ait; cum jampridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat: Quando singuli divino Sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est

2 Tim. 2. 4. enim; *Nemo militans Deo obligat se molestiis secularibus, ut possit placere ei, cui se probavit*. Quod cum de omnibus dictum sit; quanto magis molestiis & laqueis secularibus obligari non debent, qui divinis rebus & spiritalibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt? Hæc Cyprianus, lib. 1. epist. 9. quæ in editione Pameliana est epistola 66. Ubi etiam in eandem sententiam plura Lector inveniet. Quædam ex memoratis verbis citavit Gratianus, caus. 21. qu. 3. can. *Cyprianus*. Ubi glossator; tutelam (inquit) testamentariam non recipiant clerici: sed legitimam possunt, si velint: sed non coguntur recipere eam.

Huc pertinet & illa *Leonis* Augusti constitutio, Decreto etiam inserta; Generaliter (inquit) sancimus, omnes viros reverendissimos Episcopos, nec non Presbyteros & Diaconos, & subdiaconos, & præcipue Monachos, licet non sint clerici, immunitatem ipso Jure habere tutelæ, sive testamentariæ, sive legitimæ, sive dativæ. Et non solum tutelæ eos esse expertes, sed etiam curæ: non solum pupillorum & adultorum, sed etiam furiosi, & muti, & surdi, & aliarum personarum: quibus tutores vel curatores a veteribus legibus dantur. Eos tamen clericos & Monachos hujusmodi habere beneficium sancimus: qui ad sacrosanctas Ecclesias vel Monasteria permanent: non devagantes neque circa ministeria divina desides, cum propter hoc ipsum, beneficium eis indulgemus, ut (aliis omnibus derelictis) Dei omnipotentis inhæreant ministeriis; & hoc non solum in veteri Roma, vel in hac Regia civitate: sed in omni terra ubicunque Christianorum colitur nomen, obtinere sancimus. caus. 16. qu. 1. *Generaliter*. §. 4.

In constitutionibus autem Leonis Imperatoris, Const. 68. approbantur quidem memoratæ leges, eo quod homines divino ministerio consecratos ab externarum rerum occupationibus & molestiis liberos esse oporteat: aliud tamen tutelæ genus clericis permittitur, quando scil. testatores bona clericorum existimatione moti, testamentarias de rebus suis præscriptiones illis committunt, ac post mortem earum exsecutionem concredunt. Quod genus executionis tutelam novi ter dici cœpisse, ait *Leo* Imperator, quam duas ob rationes clericis haud interdicendam putat. 1. Quia hujus muneris non ita graves curæ sunt, ut a divino ministerio aliquem abstrahant, sibique totum adstringant. 2. Quia clerici & Monachi cautius diviniusque vivunt, tanto melius cautiusque defunctorum præscripta expedienda esse spes est. Hæc ibi. §. 5.

Caput XXV.

Ut Pastor non sit Curator.

Curator] Præter illa quæ ad impedimentum de tutela attulimus, ubi & curatores esse prohibentur, huc pertinet & canon ille sextus in canonibus qui dicuntur Apostolici, Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω. εἰ δὲ μή, καθαιρείσθω. Est hic in Dionysii exigui editione septimus canon in hæc verba, *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, nequaquam seculares curas adsumat: sin aliter, dejiciatur*. De cura autem & defensione viduarum & orphanorum inferius dicemus. cap. 27. §. 1. & cap. 30.

Caput XXVI.

Ut Ecclesiasticus Pastor non sit Sponsor.

Sponsor] Ei dicitur; *Ne fidejussor existas*. Caus. 11. quæst. 1. *Te quidem*. Quo pertinet canon ille qui in Decretalibus Gregorii noni citatur ex Concilio Cantuariensi; *Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatur. Extra*, de fidejussoribus. cap. 1. *Clericus*. Et illa Justiniani Impe- §. 1.

perato-

peratoris constitutio. *Sed neque fieri susceptorem, aut exactorem fiscalium functionum, aut conductorem publicarum, aut alienarum possessionum, aut curatorem domus, aut procuratorem litis, aut fidejussorem pro talibus causis Episcopum, aut Oeconomum, aut alium clericum cujuslibet gradus, aut Monachum, proprio nomine, aut Ecclesiæ, aut monasterii, sinimus: ut non per hanc occasionem & sanctis domibus damnum fiat, & sacra ministeria impediantur.* Novell. 123. cap. 6.

§. 2. Accedit constitutio 86. Leonis Imperatoris; de pœna Episcoporum, sacerdotum, & clericorum, qui se advocationibus, sponsionibus, redempturis, aliisve similibus dedunt. Ubi ratio hæc redditur, quia, *qui a divina bonitate ad divinum sacrosanctumque altare delecti sunt, hos non modo a peccatis turpidine mundos esse, verum etiam a communis vitæ negotiis & molestiis vacare decet.*

§. 3. Autor tamen glossæ, ad can. *Te quidem.* caus. 11. qu. 1. ait, clericum regulariter quidem non debere fidejubere: tres tamen ponit casus inquibus possint clerici fidejubere. 1. Ex pietate subveniendo egenis & citat. 86. *Non satis.* 2. Clerici (inquit) possunt fidejubere pro Ecclesiis suis. In Authent. de sanctiss. Episcop. §. alium autem. Collatione 9. Item 3. Inter se mutuo fidejubent clerici, cum conveniuntur, ut Cod. de Episcop. l. Omnes. §. In hoc.

CAPUT XXVII.

Ut Pastor Ecclesiasticus non sit Conductor.

§. 1. *Conductor*] Conductorum nomine hic intelliguntur tria hominum genera, 1. Qui alienas possessiones conducunt, ut ipsi eas excolant, non aliqua necessitate aut penuria, vel licitæ recreationis studio inducti, sed sola lucri cupiditate. In glossa ad can. *Pervenit.* 86. dist. 2. Qui aliquid conducunt ut aliis carius locent. In glossa ad can. *Placuit.* caus. 21. quæst. 3. Denique illi qui fiunt conductores fisci. Ibidem. Huc pertinet tertius canon Concilii Chalcedonensis, quem recito; Pervenit ad sanctam Synodum, quod quidam qui in clerum allecti sunt, propter propriam turpis lucri cupiditatem alienarum possessionum fiant conductores [μισθωταὶ] & negotia secularia suscipiant, [πράγματα κοσμικὰ ἐργολαβοῦσι,] Dei quidem ministerium per ignaviam negligentes, [καταραθυμοῦντες,] secularium vero domos callide accurrentes, [ὑποτρέχοντες,] & patrimoniorum sollicitudinem, avaritiæ causa, suscipientes, [οὐσιῶν χειρισμοὺς ἀναδεχόμενοι διὰ φιλαργυρίαν.] Decrevit itaque sancta Synodus, ut nullus deinceps, neque Episcopus, neque clericus, neque monachus, vel possessiones conducat, vel negotia, vel se immisceat secularibus administrationibus; [ἢ ἐπεισάγειν ἑαυτὸν κοσμικαῖς διοικήσεσιν·] Præter pupillorum, [ἀφηλίκων] si leges imponant, inevitabilem curam, [ἀπαραίτητον ἐπιτροπὴν,] aut si civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum & viduarum earum quæ sine ulla provisione sunt, [ἀπρονοήτων,] aut earum personarum, quæ Ecclesiastico maxime indigent adminiculo, propter timorem Dei. Si vero quispiam decreta hæc transgredi posthac attentaverit, Ecclesiasticis subjaceat censuris. Hactenus verba canonis Concilii Chalcedonensis. Hunc canonem Decreto inseruit Gratianus 86. dist. *Pervenit.*

§. 2. Huc etiam pertinet canon 15. Concilii Carthag. 3. quod Cæsario & Attico Consulibus celebratum est anno Christi 397. præsidente *Aurelio* Episcopo Carthag. *Placuit ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi vel clerici, non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi vel inhonesto negotio victum quærant, qui respicere debent scriptum esse; Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* 2 Tim. 2. 4. Recitatur hic canon, tanquam ex quarto Carthaginensi Concilio, caus. 21. qu. 3. *Placuit.*

§. 3. Prohibentur clerici conductores esse etiam in Concilio Moguntiaco, cap. 14. (anno Christi 813.) quod & insertum est Decretalibus Gregorii noni, tit. Ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant. cap. 1. *Multa.* Prohibuit etiam *Justinianus* Imperator Novell. 123. cap. 6. ejus verba superius recitavimus, cap. 27. §. 1.

§. 4. Celebratum est in Gallia Concilium Meldense, anno Domini 845. ibi legitur hæc constitutio in eo Concilio facta, cap. 49. *Ut nemo laicorum Presbyteros Ecclesiarum suarum turpi villicationi, & (secundum Apostolum) seculari & inhonestæ negotiationi implicare, nec secum aliorsum contra autoritatem præsumat ducere, quo ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quod si contra interdicta præsumserit, excommunicetur.*

CAPUT XXVIII.

Ut Pastor Ecclesiasticus non sit Proxeneta, seu Conciliator commerciorum.

§. 1. *Conciliator*] Id est, proxeneta seu interventor in commerciis aut contractibus aut negotiis secularibus. Talis interventio proxenetica in laico homine non est improbanda: modo se importune non ingerat, præter officium. Sunt autem in magnis emporiis officinæ proxenetarum, qui (ut loquitur *Ulpianus*) emptionibus, venditionibus, commerciis, contractibus licitis, utiles, non adeo improbabili more, se exhibent ff. *de Proxeneticis.* Proxenetarum præmium seu merces operæ præstitæ, appellatur proxeneticum, item ἑρμηνευτικὸν, id est, interpretativum, seu interpretis honorarium, teste *Ulpiano*, ibidem. Cujus etiam hæc sunt ibidem verba; *Proxenetica jure licito petuntur.* At vero ab istiusmodi secularibus negotiis & avocamentis liberi esse debent Evangelii ministri; *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Act. 6. 2. Ubi agitur de ministratione facienda pauperibus: quanto magis a Pastoris Ecclesiastici officio alienum est secularibus inservire commerciis & contractibus?

§. 2. *In causis pecuniariis intervenire non est sacerdotale*, inquit *Ambrosius* apud *Gratianum*, caus. 14. quæst. 5. can. *Denique.* Quæ verba sacerdotem non magis proxenetam esse sinunt, quam advocatum.

§. 3. Si officium judicis forensis clericum vilem reddit, & reverentiam sacerdotalem annihilat, uti dicitur 88. dist. can. *Perlatum.* Quanto magis despicabilem eum reddit officium proxenetæ & interventoris in negotiis secularibus.

§. 4. Conciliatorem tamen amicitiæ, pacis & concordiæ inter fratres esse, decet unumquemque Christianum, ubi res postulat, præsertim vero ministrum Evangelii pacis. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Matth. 5. 9. *Fructus justitiæ in pace seminantur facientibus pacem.* Jac. 3. 18. Debet igitur Pastor Ecclesiasticus esse εἰρηνοποιὸς non autem προξενητής.

CAPUT XXIX.

Ut Pastor Ecclesiasticus non sit Patronus seu Advocatus in foro civili.

§. 1. P*Atronus causa.*] Unusquisque Pastor Ecclesiasticus memor esse debet sacri officii ad quod vocatus est, neque a sedula ejus executione avocari, ut fungatur officio patroni seu advocati forensis in judicio seculari. Quo pertinet illud; *Te quidem oportet irreprehensibiliter vivere, & summo studio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias, ne fidejussor existas, ne advocatus litium fias, neve in ulla aliqua occupatione prorsus inveniaris, mundialis officii occasione perplexus. Neque enim judicem neque cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus, ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare: Hæc vero opera, quæ tibi congruere minus diximus, exhibeant sibi invicem vacantes laici: & te nemo occupet ab his studiis per quæ salus hominibus datur.* caus. 11. quæst. 1. can. *Te quidem.*

§. 2. *Synesius*, Episcopus Cyrenes; *Patrono* (inquit) *opus habes? vade ad eum qui curator est legum Reipublicæ. Deo quapiam in re indiges? vade ad urbis sacerdotem.* προςάτε σοὶ δεῖ; βάδιζε παρὰ τὸν ἐπιτροπεύοντα τῶν νόμων τῶν τῆς πολιτείας. τοῦ Θεοῦ σοί τι δεῖ; ἴθι παρὰ τὸν ἱερέα πόλεως. Hæc *Synesius*, epist. 57. adversus Andronicum.

§. 3. Ponuntur in jure canonico quædam exceptiones; *Clerici coram seculari judice advocati in negotiis secularibus fieri non præsumant: nisi propriam causam vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quæ proprias causas administrare non possunt.* *Extra*, De postulando, cap. 1. *Clerici.* Item, *Non nisi pro seipso, vel Ecclesia sua, vel (si necessitas immineat) pro personis conjunctis aut miserabilibus sacerdoti liceat postulare.* Eodem tit. cap. 3. *Cum sacerdotis.* Ubi autor glossæ; postulare (inquit) est desiderium suum vel amici sui in jure, apud eum qui jurisdictioni præest, exponere: vel alterius desiderio contradicere. Hæc ille, ex Gratiano, caus. 3. qu. 7. can. *Infames.* *Ulpianus* ait; *Postulare autem proprie hoc dicimus, pro tribunali petere: non alibi.* ff. De damno infecto. L. 4. *Dies.* §. 8. *Hoc autem.*

Quid sit postulare.

§. 4. Observat author glossæ, *Extra*, de postulando, cap. 3. Sacerdotem quidem pro se, Ecclesia sua, & pro quibusdam aliis personis illic enumeratis, postulare posse, sed non indistincte, nisi necessitate instante, puta quia sunt minus potentes, vel quia non possunt habere ita bonum advocatum, & sic restringitur ea concessio quodam modo ad necessitatem, quantum ad conjunctas personas. Quænam vero sint *conjunctæ personæ*, si scire velimus, remittit nos ad ff. de procuratoribus. leg. *Sed & hæ personæ.* Item, caus. 3. qu. 7. Inter quas personas (inquit ille glossator) satis credo intelligendos confratres suos ejusdem Ecclesiæ. Loco autem citato ff. de procuratoribus & defensoribus. leg. 35. conjunctæ personæ numerantur hæ, liberi & parentes, & fratres, & adfines, & liberti. Item, apud *Gratianum*, 3. qu. 7. can. *Infames.* conjunctæ personæ enumerantur hæ; patronus & patrona, & liberi & parentes, patroni & patronæ, & liberi etiam sui, & fratres & sorores, socer, socrus, gener, nurus, vitricus, noverca, privignus, privigna, pupillus, pupilla. Ibidem etiam, §. *apud urbem*; permittitur honoratis orare, sed *ita ut non ad turpe compendium, vel etiam stipendium deforme hæc arripiatur occasio. Nam* (inquit) *si lucro, pecuniaque capiantur, veluti degeneres inter vilissimos numerabuntur.* Quod si de honoratis etiam laicis censendum est, quanto magis de homine clerico?

§. 5. Adhæc & alia est observanda distinctio: nam ubi advocatos interponere moris est, non patrocinabitur propriæ suæ causæ clericus, quamvis aliquando assistere possit, & causæ suæ, vel Ecclesiæ, quarundam aliarum personarum, cum justitia suffragari, judicesque ad justitiam hortari, eosque de Dei verbo admonere. At ne suæ quidem causæ ut suffragetur venire ad forum conceditur Episcopo, aut inferiori clerico; per cap. XI. Concilii Cabilonensis secundi, nisi juxta conditiones cap. illo positas; cujus hæc sunt verba; *Ut Episcopus ad forum, neque ubi publice negotia judiciaria exercentur, non pergat, suæ causæ suffragaturus: nisi forte, ut aut pauperibus oppressis succurrat, aut viduis & orphanis tuitionem conferat, aut de verbo Dei judices admoneat, ut juxta Domini præceptum, justa judicent judicia. Hoc & de Abbatibus, & de Presbyteris, & Diaconibus, & maxime monachis observandum* Joan. 7. 24.
est. Si vero eorum qui in clero sunt, propria causa agenda est, cum licentia Episcopi & Advocato pergat, & suæ causæ cum justitia suffragetur. Hic canon intelligendus est de causis civilibus: nam in causa capitali, fas unicuique, imo quandoque necesse est seipsum defendere, quemadmodum fecit *Paulus* Apostolus coram *Felice*, & coram *Festo*, præsidibus Romanis. *Act.* 24. & 25. Præterea intelligendus est canon iste Cabilonensis cum exceptione vehementis necessitatis, quoad præsentiam Episcopi ad suffragandum suæ etiam causæ.

§. 6. Adhæc in Concil. Mogunt. cap. 14. Prohibentur clerici contentiones, & lites, & rixas, amare, vel in placitis secularibus disputare, excepta defensione orphanorum aut viduarum. His adde personas supra memoratas. Caput illud Concilii Moguntiaci insertum est Decretalibus. tit. *Ne clerici vel monachi secul. negot. se immisceant.* cap. 1. *Multa.* Ubi author glossæ, *Contentiones*, inquit, in verbis, *lites* in judiciis, & *rixæ* in factis consistunt. Hæc ibi.

§. 7. Hæ igitur de hoc impedimento necessariæ sunt observationes, ut mentem canonum assequamur. 1. Ut clericus non suscipiat officium advocati, neque sit ordinarius causarum patronus, *ne se advocationibus dedat*, ut loquitur *Leo* Imp. Constit. 86. quamvis actu postulare aliquando possit. 2. Ut nunquam postulationis accipiat stipendium, neque lucrosa defensione se vilem reddat. 3. Ut personarum habeat discretionem, nec pro omnibus, sed pro iis tantum personis, quas commemoravimus, postulet. 4. Ut hoc ipsum non faciat, nisi imminente necessitate, & quoad ejus fieri potest, ab omnium causarum forensium actione ac defensione abstineat, nec amet lites. 5. Denique ut quicquid in hoc genere Pastor Ecclesiasticus fecerit, id totum fiat sine omissione officii pastoralis, & absque neglectu gregis, cujus curæ omnia debet postponere secularia.

CAPUT XXX.

Ut Pastor Ecclesiasticus non sit Procurator alienorum negotiorum.

§. 1. P*Rocurator*] Procurator est qui aliena negotia mandato Domini administrat. Procurator au-

autem, vel omnium rerum, vel unius rei esse potest, constitutus vel coram, vel per nuncium, vel per epistulam, inquit *Ulpianus*, ff. de procuratoribus, leg. 1. *Procurator.* Prohibuit *Justinianus* clericum fieri procuratorem litis, Novell. 123. cap. 6. In Concilio Mogunt. cap. 14. Prohibentur clerici esse procuratores secularium rerum. Huc pertinet & illud *Eugenii* Papæ ad Episcopum Lucensem. Sacerdotibus & clericis tuis denunties publice ne ministri Laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores existant. *Extra*, ne clerici vel monachi secul. neg. se immisceant cap. 2. Ubi auctor glossæ; Sacerdotes enim, inquit, sacris vacare oportet assidue, & citat 31. dist. *Sacerdotibus.* & ff. de arb. *non distinguemus.* §. 3.

§. 2. Hic aliquid dicendum est de procuratione rerum ad viduas & orphanos & similes personas miserabiles pertinentium, quam defugere non possunt clerici. Hujus igitur curæ & procurationis indicabimus. 1. Necessitatem clero incumbentem. 2. Procurandi modum quem tenere debent clerici.

§. 3. Necessitas de jure divino est: ut patet ex Actis Apostolorum, cap. 6. & 1 Tim. 5. Item Rom. 15. 25. & sequentib. & 1. Cor. 16. 3, 4. & Gal. 2. 10. Huc pertinet pars illa tertii canonis, Concilii Chalced. de cura orphanorum atque viduarum & similium personarum, quæ maxime indigent Ecclesiastico adminiculo. Verba canonis superius exhibita sunt, cap. 27. §. 1. Item huc faciunt verba illa *Gelasii*: licet, inquit, omnibus de nobis bene sperantibus, non debeamus in quantum possumus nos denegare; plus tamen viduarum & orphanorum causas & impensius ducimus exequendas: quas tueri a nobis vel ab omnibus divina manifestat assertio. 87. dist. can. *Licet.* Item; divinæ retributionis memor, ad pontificalem conscientiam non ambigas pertinere egentium commodis piam sollicitudinem non negare. can. *Divinæ.* eod. Adde his decretum illud Synodicum, quod sub nomine *Melchiadis* Papæ citatur a *Gratiano*: Ut nullus clericus negotiis secularibus se immisceat, nisi propter curam aut pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum, aut si forte Episcopus civitatis, Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem eum habere præcipiat. 88. dist. can. *Decrevit.* Ubi & hæc adjiciuntur verba; patet quod alia sunt negotia secularia, & alia Ecclesiastica. Nunne Moyses in seculo erat cum crebro intraret Tabernaculum & exiret; qui intus contemplatione rapiebatur, foris infirmantium negotio urgebatur. Sed & Jacob ascendentes & descendentes angelus vidit; quia Rectores Ecclesiarum, non solum contemplando ascendunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Et dum sacerdotes eorum facta imitantur, & se custodiunt, subditorum onera portant. Hæc ibi. Ubi necessitas ista ad rerum etiam Ecclesiasticarum necessariam sollicitudinem ostenditur pertinere: quamvis enim procurationes & œconomiæ rerum temporalium ad Ecclesias, vel Scholas, vel Xenodochia aliasve domos venerabiles pertinentium, aliis potius demandandæ sint; quandoque tamen necessitate compulsi, eas ipsi suscipiunt ad tempus Presbyteri, quid autem ordinarie fieri expediat & debeat, nunc dicere aggrediamur.

§. 4. Atque hæc de necessitate illiusmodi procurationis dixisse sufficiat, sequitur ut dicamus de modo agendi, quem in tuitione personarum miserabilium & procuratione rerum Ecclesiasticarum tenere debent clerici.

Regula divini juris est, Episcopos & Presbyteros obligans; *Non est acceptum, ut nos relicto Dei verbo ministremus mensis*, inquiunt Apostoli Act. 6. 2. Nec tamen eam curam prorsus abjiciunt, sed inferiorem quendam clericorum ordinem instituunt, quibus ea administratio demandetur: nempe Diaconos, ad quos proprie pertinet ex officio rerum istiusmodi procuratio & dispensatio, ita tamen ut Episcopis & Presbyteris subsint, eorumque decretis in dispensatione & administratione regantur, & ad reddendas eis rationes se teneri agnoscant. Meminisse etiam debent pastores, id est, Episcopi & Presbyteri, non se exolutus esse cura istiusmodi rerum, sed tantummodo earum ministerio sive administratione: Nam per alios ut ista administrentur ipsis curæ esse debet, exemplo Apostolorum: & quandoque etiam ut ipsi manum admoveant, necessitas postulat, aut saltem expedit, ut patet ex loco citato ad Rom 15. 25, 26, 27, 28, 31. & 1 Cor. 16. 3, 4. Ordinarie tamen ea cura Diaconis demandanda est, quo liberius incumbant ipsi pastores orationi & ministerio verbi Act. 6. 3, 4. §. 5.

Huc pertinent canones illi, quos ex Concil. Carthag. 3. citat *Gratianus.* 88. dist. Episcopus nullam rei familiaris curam, ad se revocet: sed lectioni & orationi & verbo prædicationis tantummodo vacet. Item. Episcopus gubernationem viduarum ac peregrinorum & pupillorum non per se ipsum, sed per archipresbyterum aut archidiaconum agat. Hæc ibi. Si autem divinæ legi propius adhærescimus, ne Presbyter quidem eam curam per se, sed per Diaconum exercere debet, quippe de jure divino obligatus, non minus quam Episcopus, ut lectioni & orationi & verbo prædicationis tantummodo vacet. Et hoc quidem jus est ordinarium, quamvis, ut jam monui, accidere possint casus, in quibus etiam Episcopi vel Presbyteri per se ipsos etiam huic operi manus jure admoveant. §. 6.

CAPUT XXXI.

Ut Pastor Ecclesiasticus non exerceat officium Judicis secularis.

JUdex] Domino nostro Jesu Christo *dixit quidam e turba, Magister, dic fratri meo, ut partiatur mecum hæreditatem. Ipse vero dixit ei, homo, quis me constituit judicem aut partitorem super vos?* Luc. 12. 13, 14. In quæ verba Ambrosius: Bene (inquit) terrena declinat, qui propter divina descenderat: nec judex esse dignatur litium, & arbiter facultatum, vivorum habens mortuorumque judicium, arbitriumque meritorum. Non ergo quid petas, sed a quo postules intuendum est; nec coram majoribus intento animo putes minoribus obstrependum. Unde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium gestiebat corruptibilibus occupare. Hæc Ambrosius, Comment in Evang. Lucæ. §. 1.

Laudatur *Silvanus*, Episcopus Troadis, qui de rebus secularibus judicium clericis abstulit, & illud Laico commendavit. Ut refert Nicephorus Callisti, lib. 14. Histor. Eccles. cap. 39. Vide quæ ex Gratiano superius recitavimus, cap. 29. §. 5. §. 2.

Gregorius hujus nominis primus, Episcopus Romanus; Perlatum est (inquit) ad nos, reverendissimum fratrem nostrum Basilium Episcopum, velut unum de Laicis, in causis secularibus §. 3.

ribus occupari, prætoria inutiliter observare*. Quæ res quoniam ipsum vilem reddit, & reverentiam Sacerdotalem annihilat, statim ut experientia tua hoc præceptum susceperit, cum ita ad revertendum districta executione compellat, quatenus ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat: ne, si quolibet modo eum ibidem moram habere permiseris, cum ipso apud nos graviter incipias esse culpabilis. Hæc *Gregorius* Romano defensori. lib. 8. epistolarum ex registro, cap. 11. Quæ verba Decreto inseruit *Gratianus*, 88. dist. can. *Perlatum.*

*Gratianus legit; *& prætorius inutiliter deservire.*

§. 4. In Synodo illa Constantinopolitana, quæ prima & secunda dicta est, can. 11. prohibentur clerici *ἀναδέχεσθαι κοσμικὰς ἀρχὰς ἢ φροντίδας, ἢ τὰς ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀρχόντων, ἢ προαστείοις, λεγομένας κουρατωρείας*; id est, *suscipere seculares magistratus vel curas, vel eas quæ in magistratuum ædibus, aut in suburbanis, dicuntur curationes.* Additur hæc ratio; *quia nemo potest duobus Dominis servire.* In quem canonem *Joannes Zonaras*, in suo commentario, annotat, magnæ curæ fuisse Apostolis & Patribus, *τοὺς ἱερωμένους κοσμικὰς ἀρχὰς ἢ διοικήσεις πραγμάτων μὴ ἀναδέχεσθαι*; id est, *ut sacris ordinibus initiati non susciperent mundanos magistratus, vel negotiorum administrationes.* Sancitur in transgressores pœna depositionis. Celebrata est hæc Synodus anno Domini 859.

De ista Synodo plura Lector inveniet, Instruct. Historico-Theolog. lib. 7. cap. 12. §. 12.

§. 5. Non tamen hæc ita accipienda sunt, ac si omne negotium seculare, quæcunque tandem urgeat necessitas, prorsus a clerico alienum esse judicetur. Tametsi enim istiusmodi administrationibus ordinarie seu absque necessitate immisceri non debet; potest tamen fieri, sicut olim Sacerdotum Eli & Jehojadæ & Asamonidarum temporibus contigit, & postea in Ecclesia Christiana, temporibus Theophili & Cyrilli Alexandriæ, & Gregorii primi Romæ, Episcoporum, ut barbarici temporis necessitas, & Ecclesiæ ac Reipublicæ pericula exigant ac postulent a Sacerdote, ut etiam secularis potentiæ atque jurisdictionis administrationem non detrectet: licet eam suscipiat *ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ*. Vide de Theophilo, Socrat. lib. 5. Hist. Eccles. cap. 16. & de Cyrillo, Socrat. lib. 7. Hist. Eccles. cap. 7. Gregorius autem de seipso ait; Est & aliud, fratres charissimi, quod me de vita pastorum vehementer affligit: sed ne cui hoc injuriosum videatur fortasse quod assero, me quoque pariter accuso, quamvis barbarici temporis necessitate compulsus, valde in his jaceo invitus. Ad exteriora enim negotia delapsi sumus & aliud ex honore suscipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus. Hæc Gregorius, homil. in Evangelia; ubi etiam subjicit, usu terrenæ curæ a cœlesti desiderio obdurescere animum.

§. 6. Hic autem succurrant illæ regulæ juris; *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & sabbatum custodiri præceptum est; Maccabæi tamen sine culpa sua in sabbato pugnant. Extra*, de regulis juris. cap. 4. Item; *Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.* ff. de diversis regulis juris antiqui. Lege 162. *Quæ propter.* Item; *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. Extra*, in *Sexto*, de regulis juris. cap. 28.

§. 7. In Concilio Toletano quarto, ann. Dom. 633. can. 30. (seu in alia edit. 31.) decernitur, ut Sacerdos in alienis periculis discussor non existat. Concilium Toletanum undecimum celebratum est anno Domini 675. Concilii illius canon sextus sic incipit: *His, a quibus Domini sacramenta tractanda sunt judicium sanguinis agitare non licet.* Hunc canonem repetit *Gratianus*, caus. 23. qu. 8. can. *His a quibus.* Huc respexit *Alexander* 3. Papa Rom. scribens Archiepiscopo Cantuariensi: Clericis in sacris ordinibus constitutis ex Concilio Toletano, judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas: quod si quis tale quid fecerit, honore privetur & loco. Jubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat vicecomitis aut præpositi secularis. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subjaceat. *Extra*, ne cler. vel mon. secul. neg. &c. cap. 5. *Clericis.*

§. 8. *Innocentius* tertius in Concilio generali, sententiam, inquit, sanguinis nullus clericus dictet aut proferat: sed nec sanguinis vindictam exerceat: aut ubi exerceatur intersit. Si quis autem hujusmodi occasione statuti Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis aliquod præsumpserit inferre dispendium: per censuram Ecclesiasticam compescatur: Nec quisquam clericus literas dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas. Unde in curiis principum hæc sollicitudo non clericis, sed laicis committatur. Nullus quoque clericus ruptariis vel balistariis aut hujusmodi viris sanguinum præponatur: nec ullam chirurgiæ artem subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit. *Extra*, ne clerici vel mon. secul. neg. se immisc. cap. 9. *Sententiam.*

§. 9. Reos tormentis afficere, vel suppliciis extorquere confessionem, censura curiæ est, non Ecclesiæ disciplina, ait *Hildebertus*, Cœnomanensis ac deinde Turonensis Episcopus. epist. 30. in Bibl. patr. tom. 3. col. 189. edit. 4.

§. 10. Quid facient, inquies, illi clerici, qui in suis territoriis jurisdictionem obtinent temporalem? Respondet *Bonifacius* octavus, in sexto. Ne cler. vel Monachi secularibus negotiis se immisceant. cap. 3. Episcopus seu quicunque alius Prælatus vel clericus jurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione sua commisso; Ballivo suo aut alii cuicunque injungat, ut super hoc veritatem inquirens justitiæ debitum exequatur: irregularis censeri non debet: quamvis ipse Ballivus vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, justitia mediante. Nam licet clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare. Hæc ibi. At inquies quid si ad ipsum delegantem fiat appellatio? Respondet author glossæ in cap. 5. *Clericis. Extra*, ne cler. vel mon. secul. neg. se immisc. Iterum deleget alii, quia per se hoc facere non potest.

§. 11. Tantum vero abfuit ut concederent clericis licentiam gerendi officia secularia, & in secularibus placitis disceptandi, ut ne in templis quidem manufactis eorumve atriis exerceri secularia judicia sinerent patres Concilii Turonensis tertii, cap. 39. Placita, inquiunt, secularia in Ecclesiis, vel in atriis Ecclesiarum a comitibus, vicariisque usque modo multis in locis habita, ne ultra fiant, interdicendum est; cum authoritate Domini, qui expulsis de templo negotiatoribus, adseruit debere domum Dei, domum esse orationis. *Celebratum est hoc Concilium jussu Caroli Magni Imp. anno Domini 813.

§. 12. Observandum tamen, ad officium clericorum pertinere, ut omnes etiam principes & judices de verbo Dei admoneant, eosque ad juste judicandum

dum cohortentur, & dicant eis; *Qui justificat impium & qui condemnat justum ambo isti pariter Domino abominabiles sunt.* Prov. 17. 15. Dominus noster Jesus Christus noluit quidem per se exercere judicia secularia. *Luc.* 12. 14. *Joan.* 8. 11. Ideoque subduxit se a turbis quas videbat venturas & illum rapturas ut regem constituerent, *Joan.* 6. 15. nempe quia, ut ipse profitetur, regnum ejus non est ex hoc mundo. *Joan.* 18. 36. Idem tamen Cæsari reddi jubet quæ Cæsaris sunt. *Matth.* 22. 21. Et legem illam a Deo olim pronunciatam, *Gen.* 9. 6. de homicidis occidendis authoritate magistratus, repetit, & in finem usque seculi vigorem habere docet; *Omnes*, inquit, *accipientes gladium, gladio morientur.* Matth. 26. 52. Nempe, ut jam monui, authoritate magistratus civilis, quem Deus constituit ministrum suum, eique gladium tradidit, quo utatur ad terrorem malorum, & tutelam bonorum: ideoque a pastoribus monendi sunt, ut meminerint se non frustra gladium gestare. *Rom.* 13. Et quamvis ab omni sanguinis effundendi consilio procul

Episcoporum pro reis petitionem veniæ laudat Aug. epist. 54. ad Macedonium. abesse debeant viri Ecclesiastici, & hortari etiam principes ac judices ad clementiam potius quam asperitatem; id tamen absque præjudicio veritatis divinæ, cujus sunt ex officio interpretes, & absque justitiæ læsione, & absque publico & inevitabili detrimento fieri debet. Unde etiam si nonnunquam pro reis mortemque commeritis intercedere eis liceat; quandoque tamen ad compescendos severitate gladii effrænes & obstinatos scelerum patratores, hortari debent Magistratum: ne videlicet, nimia impunitatis spes incentivum tribuat vitiorum, & per facinorosorum hominum intemperiem turbetur publica tranquillitas, & proborum quies, quam & optare & pro virili procurare tenentur omnes boni cives. In hunc finem orationes pro principibus concipi jubet Apostolus, *ut tranquillam & quietam vitam degamus in omni pietate & honestate.* 1 Tim. 2. 2. Quod autem ut faciant principes ac judices Deum precari jubemur; id ut faciant, eos hortari, officii est pastoralis.

§. 14. Legibus autem imperialibus constitutum est, *Vide caus. 11. qu. 1.* ut si quis adversus clericum aut monachum litem habeat, primo quidem ad Episcopum loci eatur, ut lis illa per Episcopi sententiam componatur, si fieri possit, ut a sacris exercitiis & ministeriis monachi & clerici non abstrahantur: si vero aut propter causæ naturam, aut propter quandam forte difficultatem non fuerit possibile Episcopo decidere negotium, aut litigantium aliquis intra decem dies contradixerit eis quæ judicata sunt, conceditur ut ad secularem judicem pergatur. Et judicibus secularibus imperatur ut velociter finiant lites clericorum & monachorum, ne diu a sacris detineantur obsequiis; ideo statuitur ut judices litem istiusmodi non patiantur transcendere mensium duorum spatium ex quo litis contestatio facta est, sed brevem causæ terminum imponant, Novell. 79. cap. 1. & cap. 2. ubi etiam in judices qui eam constitutionem transgressi fuerint, sancitur pœna, ut ab administratione repellantur tanquam divinitati contumeliam facientes, & pœna decem librarum auri una cum officio suo mulctentur. cap. 3. Item Novell. 83. in præfatione; ubi & hæc adjicitur cautela, ut si judex secularis reum esse putaverit eum clericum qui convenitur, & pœna judicaverit dignum, non prius eum puniat, quam fuerit ab Episcopo dignitate sacerdotali spoliatus, atque ita sub legum manu fiat. Additur etiam in eadem constitutione, cap. 1. ut si sit Ecclesiasticum delictum, egens castigatione Ecclesiastica & mulcta, hoc discernat Episcopus, nihil communicantibus judicibus secularibus, neque enim volumus (inquit Imperator,) talia negotia omnino scire civiles judices, cum oporteat talia Ecclesiastice examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam mulctam, secundum sacras & divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.

Item Novell. 123. cap. 21. Similis extat lex §. 15. *Justiniani*, in hæc verba; Si quis contra aliquem clericum aut monachum aut diaconissam aut monastriam aut ascetriam habeat aliquam actionem, adeat prius sanctissimum Episcopum cui horum unusquisque subjaceat: ille vero causam inter eos judicet; & siquidem utraque pars iis quæ judicata sunt, acquieverit, jubemus per loci judicem hoc executioni perfectæ contradi. Si quis autem litigantium intra decem dies contradicat iis quæ judicata sunt, tunc locorum judex causam examinet: & si invenerit judicium recte factum, etiam per sententiam propriam hoc confirmet, & executioni propriæ tradat quæ judicata sunt, & non liceat secundo in tali causa victo appellare. Si vero judicis sententia contraria fuerit iis quæ a Deo-amabili Episcopo judicata sunt, tunc locum habere appellationem contra sententiam judicis, & hanc secundum legum ordinem referri & exerceri. Si tamen ex imperiali jussione, aut judiciali præcepto Episcopus judicet inter quascunque personas; appellatio ad imperium, aut ad eum qui transmisit negotium, referatur. Si vero crimen fuerit quod adversus quamlibet memoratarum reverendissimarum personarum inferatur, si quidem apud Episcopum aliquis accusatur, & ipse veritatem invenire potuerit; ab honore & gradu hunc secundum Ecclesiasticas regulas dejiciat, & tunc competens judex hunc comprehendat, & secundum leges litem examinans, causæ finem imponat. Si vero prius civilem judicem adeat accusator, & crimen per legitimam examinationem potuerit approbare, tunc Episcopo locorum gesta monumentorum palam faciat: &, si ex his agnoscatur proposita crimina commisisse eum, tunc ipse Episcopus hunc secundum regulas ab honore sive gradu quem habet, separet: judex autem ultionem ei inferat legibus congruentem. Si vero Episcopus putaverit gesta non juste confecta, tunc liceat ei differre, & nudare honore seu gradu accusatam personam: ita tamen, ut hujusmodi persona sub legitima cautela fiat, & ita ad nos negotium tam ab Episcopo quam a judice referatur, ut nos hoc cognoscentes, quæ nobis videntur, jubeamus. Si quis autem pro pecuniaria causa contra aliquam omnium memoratarum personarum habuerit actionem aliquam, & Episcopus distulerit inter eas judicare: licentiam habeat actor civilem judicem adire: ita tamen, ut accusata persona nullo modo cogatur fidejussorem dare, sed solum cautionem, sine jurejurando, cum hypotheca suarum rerum exponere. Si vero pro criminali causa accusatio contra aliquam memoratarum personarum proponatur, sub legitima cautela accusata fiat persona. Si autem Ecclesiastica causa est, nullam communionem habeant judices civiles circa talem examinationem, sed sanctissimus Episcopus, secundum sacras regulas causæ finem imponat. Hæc ibi.

Leo autem & *Anthemius* Augusti legem tulerunt, ut si quando audiantur clerici in judiciis, §. 16. memores sint judices, ut eis, & beatitudinis honor debitus reservetur, & oratorum affluens in defensionibus copia large præstetur. Cod. de Episc.

& clericis. leg. 33. *Omnes.* §. 1. Præterea ut nullus executor vexare contumeliis clericos ullos, nullis impulsionibus molestare, nullis exprobrare conviciis, aut corporalibus injuriis fatigare conetur. His, qui hujusmodi aliquid aggredi fuerint, post amissionem cinguli & patrimonii ultima protinus animadversione plectendis. §. 6. lege ead. Adhæc ne cui temeritas sua lucrativa concedatur, uti & impudens calumniantium refrænetur audacia: jubent imperatores, quoties hi, qui sacerdotes seu clericos aut monachos cæterosque superius designatos, in judicio proposita actione convenerunt; si causa cognita convicti fuerint sine justa eos causa & legitima petitione lite pulsasse, omnes eis legitimas expensas sumptusque, quos ab exordio cœptæ controversiæ ipsorum vitio tolerasse eos constiterit, redhibere cogantur, ut hac saltem censuræ justissimæ formidine revocati, qui improbis assidue conflictationibus occupantur, acquiescant, jamque sopitis clamoribus jurgiorum, magistra deinceps necessitate, retinere se adsuescant. §. 8. *Præterea ne cui.* lege ead.

§. 17. Constitutum est a *Friderico* Imperatore, ut si quis clericis vel Ecclesiasticis personis justitiam denegare præsumpserit, tertio requisitus, jurisdictionem suam amittat. Citatur hæc constitutio *Friderici*, in glossa ad memoratam illam *Leonis & Anthemii* legem. Codice de Episcopis & clericis. Qua etiam *Leonis & Anthemii* lege cavetur ut executores & apparitores non nisi modicam accipiant pecuniam a clericis, nomine sportularum. §. 5. *Executoribus.* Idemque constituit *Justinianus*, Novell. 123. cap. 28. ubi & hoc adjicitur, ut Episcopus pro rebus Ecclesiæ suæ nullam exactionem molestiamque sustineat sportularum: si pro talibus causis admoveatur exactio: actiones videlicet contra Ecclesiam propositas Oeconomis suscipientibus, aut illis qui in eam causam ordinati sunt. Qui vero contra hæc exigere sportulas præsumpserit: in duplum quod accepit, exactæ personæ reddere compellatur: & si quidem militat, cingulum perdat: si vero clericus fuerit, a clero removeatur. Hæc ibi. *Sportularum* autem nomine intelligebantur illæ pecuniæ quæ a litigantibus mercedis aut stipendii nomine dabantur apparitoribus vel magisterianis vel præfectianis aliisve quibuscunque executoribus, ut patet ex legibus allegatis. Item ex Novell. 124. cap. 3. *Et hoc quoque.*

§. 18. Porro ea erat Imperatorum cura pro amoliendis pastoralis residentiæ impedimentis, & pro tuenda dignitate sacerdotali, ut leges condiderint, ne vel ad testimonium dicendum, vel pro causa aliqua pecuniaria aut criminali Episcopi ad judicem secularem venire cogerentur: unde est illa lex *Theodosii* Imperatoris, ut nec honore nec legibus Episcopus ad testimonium dicendum flagitetur. Idem etiam, Episcopum, inquit, ad testimonium dicendum admitti non decet: nam & persona oneratur & dignitas sacerdotis excepta confunditur. Cod. de Episc. & Cler. lege 7. *Nec honore.* Addidit vero *Justinianus* Imp. hanc legem; Nulli judicum licebit Deo amabiles Episcopos cogere ad judicium venire pro exhibendo testimonio, sed judex mittat ad eos quosdam ex personis ministrantium sibi: ut propositis sanctis Evangeliis, secundum quod decet sacerdotes, dicant quæ noverint. Novell. 123. cap. 7. Dicant, inquam, attamen non jurent, ut notatur in glossa ad legem septimam. Cod. de Episcop. & Clericis.

§. 19. Ne autem propter quamlibet causam Episcopus ad secularem judicem trahatur, extat lex illa *Justiniani* Imp. Sed neque, inquit, pro qualibet pecuniaria causa vel criminali Episcopum ad judicem civilem aut militarem invitum producere aut exhibere citra imperialem jussionem permittimus: sed judicem qui tale aliquid sive ex scripto, sive ex non scripto præsumpserit imperare; post cinguli privationem, viginti librarum auri pœnam exsolvere jubemus Ecclesiæ, cujus Episcopus produci aut exhiberi jussus est: executorem similiter post cinguli privationem, & verberibus subdendum, & in exilium deportandum. Novell. 123. cap. 8. *Sed neque.*

§. 20. De clericis autem inferioribus & monachis ad seculare judicium non statim trahendis, sed de instituendo causarum clericalium & monachalium examine prius coram Episcopo loci, supra diximus.

§. 21. Concilii Toletani tertii decimus tertius canon est; Diuturna indisciplinatio & licentiæ inolita præsumptio, usque adeo illicitis ausibus aditum patefecit, ut clerici conclericos suos, relicto Pontifice suo, ad judicia publica pertrahant. Proinde statuimus hoc de cætero non præsumi. Si quis hoc facere præsumpserit, & causam perdat, & a communione efficiatur extraneus. Hactenus verba illius canonis Concilii Toletani tertii, quod sub Reccaredo Rege celebratum est Æra 637. id est, anno Christi 599. in editione Garsiæ Loaisæ.

Caput XXXII.

Adjiciuntur quædam sententiæ & regulæ generales, contra omnia impedimenta & avocamenta secularia.

§. 1. Beatus *Cyprianus*, in sermone de lapsis, præcipua peccata recensens Christianorum sui temporis, quibus accersita est divina castigatio per ardentes persequutiones; inter alia hoc etiam commemorat: Episcopi plurimi, quos & ornamento esse oportet cæteris & exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari. —— Quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi mereremur? Hæc *Cyprianus*.

§. 2. *Anastasius* Bibliothecarius, in vita *Cononis* Papæ Romani, (qui sedit tempore *Justiniani* secundi Imperatoris) inter alias *Cononis* laudes, ob quas electus fuit, & hanc ponit, quod *Conon*, (*adhuc Presbyter*) se nunquam aliquando in causis actibusque secularibus commiscuerit.

§. 3. Impietatis crimen est Pastori Ecclesiastico, neglectis verbi Dei studiis, sollicitudines seculares suscipere. caus. 11. qu. 1. can. *Sicut enim.*

§. 4. Mollitiis & secularibus rebus laqueisque obligari non debent qui divinis rebus & spiritualibus occupati sunt, nec ad terrenos & seculares actus vacare. caus. 21. qu. 3. *Mollitiis.*

§. 5. In canonibus Apostolorum can. 80. Dicimus quod non oporteat Episcopum aut Presbyterum publicis se administrationibus immittere: sed vacare & commodum se exhibere usibus Ecclesiasticis. Animum igitur inducito, hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim potest duobus Dominis servire, juxta præceptum Dominicum.

§. 6. In constitutionibus *Leonis* Imper. constitut. 86. Qui a divina bonitate (inquit *Leo* Imp.) ad divinum sacrosanctumque altare delecti sunt, hos non modo a peccati turpitudine mundos esse, verum etiam a communis vitæ negotiis & molestiis vacare decet. Sicut enim alia incontami-

nati

nati Sacrique cultus monumenta, vulgari contrectatione profanari non licet: ad eundem modum neque animata immaculati sacratii ornamenta communi usu dedecorari; sed in quem ordinem consecrata sunt, in eodem consecrationem putam conservare convenit. Admodum igitur decenter Apostolorum, praeconum Dei, decretum, Episcopos, sacerdotes & clericos, qui se advocationibus, sponsionibus, redempturis idve genus aliis rebus dedunt, sacro ordine denudat. Qui enim attributam sibi a sacrosancto Spiritu dignitatem, adeo dehonestant, & quantum in ipsis est, sublimitatem gratiae deprimunt, merito cujus beneficii magnitudinem non sentiunt, eo, ut indigni, privandi judicantur. Verum tamen quia nunc temporis hominum genus, quam ut ad constitutae a divinis istis legislatoribus vivendi rationis apicem pertingant, imbecillius est: non ipsis (ni fallor) displicet, si quatenus id delictum omni venia indignum non est, modicam quandam ipsi veniam impertiam. Certe idcirco, non quod contrarium (quod absit) statuere, sed potius quod Sacram Sanctionem sequi, nullasque illis qui ab illa condemnantur, excusationum tergiversationes relinqui velimus; decernimus, ut si aut primarii inferioresve Sacerdotes, aut omnino clericus quispiam, vel praestando in litibus patrocinio, vel spondendo, vel alio simili modo se sui ordinis dignitate detrahant, excommunicentur, & ad aliquod tempus a celebrandis Sacris supersedeant: atque ubi ita pro delicto dignam poenitentiam egerint, promisso facto, se ab humanorum negotiorum commercio pro viribus deinceps mundos conservaturos, ad Sacra tractanda denuo introducantur: & si iterum iisdem rebus se polluere deprehendantur, omnino ut profani & indigni a Sacris functionibus abstineant. Hactenus verba illius constitutionis 86. Leonis Imperatoris, qui fuit hujus nominis sextus Imperator, Basilii Macedonis filius; qui regnare cepit anno Dominicae incarnationis. 886.

§. 7. *Gregorius* 1. Episcopus Romanus, homil. 17. in Evangelia, est & aliud, inquit, fratres charissimi, quod me de vita pastorum vehementer affligit: sed ne cui hoc injuriosum videatur fortasse quod assero, me quoque pariter accuso, quamvis barbarici temporis necessitate compulsus, valde in his jaceo invitus. Ad exteriora enim negotia delapsi sumus, & aliud ex honore suscipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus. Ministerium praedicationis relinquimus, & ad poenam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus. Relinquunt namque Deum hi qui nobis commissi sunt, & tacemus: in pravis actibus jacent, & correptionis manum non tendimus. Quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim secularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea quae foris sunt studiosiores videmur. Usu quippe curae terrenae, a coelesti desiderio obdurescit animus, & dum ipso suo usu durus efficitur per actionem seculi, ad ea emolliri non valet quae pertinent ad charita-

Cantic. 1. tem Dei. Unde bene Sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. Vineae quippe nostrae actiones sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus. Sed custodes in vineis positi, nostram vineam minime custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur: ministerium actionis nostrae negligimus. Nullum, puto, fratres charissimi, ab aliis majus praejudicium quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Plerumque, quod est gravius, Sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerumque si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt, irrident. Considerate ergo quid de gregibus agatur, quando pastores lupi fiunt. Hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non metuunt, contra quos, Dei greges custodiri debuerant. Nulla animarum lucra quaerimus: ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso quo aliis praelati sumus, ad agenda quaelibet majorem licentiam habemus: susceptae benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus. Locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profecto quod scriptum est: & erit sicut populus sic sacerdos. Sacerdos enim *Hos.* 4. non distat a populo, quando nullo merito vitae suae vulgi transcendit actionem. Imploremus Hieremiae lachrymas, consideret mortem nostram & deplorans dicat: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi *Thren.* 4. sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Aurum quippe obscuratum est, quando sacerdotum vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, qui ille sanctitatis habitus, per terrena & abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides vero sanctuarii intrinsecus habebantur, nec sumebantur in summi sacerdotis corpore: nisi cum Sancta sanctorum ingrediens, in secreto sui conditoris apparebat. Nos ergo fratres charissimi, nos sumus lapides Sanctuarii, qui apparere semper debemus in secreto Dei, quos nunquam necesse est foris conspici, id est, nunquam in extraneis actionibus videri. Sed dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum: quia hi qui per vitam probam & orationem, intus semper esse debuerant, per vitam foris vacant. Ecce jam pene nulla est seculi actio quam non sacerdotes administrent. Dum ergo in sancto habitu constituti, exteriora sunt quae exhibent, quasi sanctuarii lapides foris jacent. Quia enim Graeca voce platea a latitudine vocatur; sanctuarii lapides in plateis sunt, cum religiosi quique lata mundi itinera sectantur. Nec solum in plateis, sed in capite platearum dispersi sunt, quia & per desiderium, hujus mundi opera peragunt, & tamen de religioso habitu culmen honoris quaerunt. In capite ergo platearum dispersi sunt; quia & jacent per ministerium operis, & honorari volunt de imagine sanctitatis. Haec ibi *Gregorius*.

Idem etiam lib. 6. epistolarum ex registro, cap. §. 8. 162. scribens *Dominico* Episcopo Carthaginis, de cura Pastorali; in piis, inquit, versemur operibus, virtutibus polleamus, fulgeat in nostro pectore rationale judicii cum superhumeralis actione conjunctum. Ita in Dei conspectu procedamus, atque totius Israel. Hujusmodi commisso nobis gregi praebeamus exempla, ut videant nostra opera bona, & glorificent patrem nostrum qui in coelis est. Sit in lingua sermo, sit zeli fervor in animo, ut vere de illorum dicamur numero, de quibus legitur; apparuerunt *Actor.* 2. illis dispartitae linguae sicut ignis, seditque supra singulos eorum. Vere enim in nobis igneae lin-

guæ resident, si in fraterna filiorumque exhortatione divini fervore spiritus accendamur. Creditum nobis agrum Dominicum exerceamus,
Galat. 6. dum licet: seminemus in timore, dum tempus est: bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Simus de
Psal. 125. illis, de quibus Psalmista dicit; euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Ad cujus rei fru-
Ibid. ctum nos provocans subdidit; Venientes autem venient, cum exultatione, portantes manipulos
Philipp. 3. suos. Vigilemus itaque & relinquentes terrena negotia, cœlestibus anhelemus. Ea quæ retro sunt obliviscentes, in his quæ ante sunt, nosmetipsos enixius extendamus. Mens nostra seculari varietate non diffluat, sed tota in unum currat atque confluat finem, quem mira suavitate Da-
Psalm. 26. vid respexerat, cum dicebat; Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Hoc amore liquefiant boni corda rectoris. In his se mens tota suspendat. Hæc *Gregorius.*

§. 9. Tanto igitur testium nimbo circumsepti sic concludamus,

Mundanas curas, fluxique negotia sæcli
Mitte aliis: tu pastor oves, tu sedulus agnos
Pasce, Dei pasce agnellos, si gratus Jesum
Diligis; hæc animo meditare, his semper inhære,
Hoc age, in his esto: te Pastor & ille supremus
Luce coronatum fulgentibus inferet astris.

* Hæc conclusio ex ipsis Sacris literis manifestissime deprompta est. Luc. 9. 60. Joan. 21. 15, 16, 17. 1 Tim. 4. 13, 14, 15, 16. 2 Tim. 2. 4, 15. & 4. 2, 5. Act. 20. 28. Matth. 24. 46. 1 Pet. 5. 2, 3, 4. Dan. 12. 3.

Caput XXXIII.

De cœlibatu & conjugio sacerdotis seu Pastoris Ecclesiastici.

§. 1. Castum cœlibatum Apostolus [1 Corinth 7.] casto conjugio anteponit, tanquam curis secularibus liberiorem*, atqui adeo statum vitæ beatiorem, ex ea immunitate & libertate. Quia propter præsentem necessitatem perferendi persecutiones, & indivulse adhærescendi Christo, & ea quæ Domini sunt curandi, unde est ἀμέριμνον esse, atque adeo curis illis expeditum, quas secum adfert status conjugalis.

§. 2. *Virginitas suaderi potest; imperari non potest.* Ita autem commendat Apostolus cœlibatum, ut profiteatur se nolle ejus necessitatem cuiquam imponere, neque enim id faciendi mandatum ullum se a Domino habere. vers. 25. & 35. unde patet, verbis illis Domini, *qui potest capere, capiat,* Matth. 19. 12. non contineri præceptum cœlibis vi-
Caus. 32. qu. 1. can. Integritas. tæ; neque consilium, nam Domini consilium sequi nolle, peccatum est, atque adeo præcepti vim habet. Apoc. 3. 18. Luc. 7. 30. Ideo dixit Psaltes, testimonia Domini sibi esse pro consiliariis. Psalm. 119. 24. Et quamvis Apostolus, 1 Cor. 7. ita
De Consilio. laudet cœlibatum, ut quodammodo suadere videatur, non tamen dicit se ea de re συμβουλεύειν, dare consilium, aut παρακαλεῖν, exhortari, sed γνώμην διδόναι, sententiam suam exprimere, quid existimet bonum esse propter præsentem necessitatem, νομίζω οὖν &c. versib. 25. & 26. Postquam autem dixit, vers. 27. *Solutus es ab uxore, ne quære uxorem.* Ne quisquam inde quantulamcunque necessitatem, quoad conscientiam, imaginaretur, subjicit e vestigio, vers. 28. *Si autem duxeris uxorem, non peccasti: & virgo si nupserit, non peccavit: afflictionem tamen in carne habebunt hujusmodi οἱ τοιοῦτοι; ego autem vobis parco.*

Cœlibatum commendat, absque injuria nu- §. 3.
ptiarum, quas contrahendo, negat peccari. Neque eis anteponit cœlibatum, ut vitio virtutem; neque ut mundiorem, sed ut expeditiorem; neque ut statum majoris perfectionis, sed minoris sollicitudinis. Et dicens, conjugatos habituros tribulationem carnis, *aliquantulum* (inquit *1 Corinth. 7. 28.*
Augustinus) *a nuptiis etiam deterret, modeste sane, non tanquam a re mala & illicita, sed tanquam ab onerosa ac molesta: aliud enim est admit-* *Augustin.*
tere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem: illud est criminis facere, hoc laboris est pati. Hæc Augustinus, lib. de sancta virginitate. cap. 16.

Quamvis liberam cœlibatus vel conjugii optio- §. 4.
nem relinquat Apostolus eis, qui continere se valent; non valentibus tamen continere præscribit remedium conjugale, inquiens; *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat; & unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitam benevolentiam reddat: similiter & uxor viro. Uxor proprii corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed uxor. Ne fraudetis alii alios, nisi si quid ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo enim omnes* *Non omnibus datum est posse continere sine nuptiis.*
homines esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem innuptis & viduis, bonum est eis si permaneant, sicut & ego. Quod si se non continent, nubant: nam melius est nubere quam uri. 1 Cor. 7. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9. His verbis Apostolus ad nuptias vocat eos qui non continent; & donum hujusmodi continentiæ docet non esse omnibus a Deo concessum: juxta illam Domini sententiam; *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Matth. 19. 11. Non omnibus datum est posse continere sine nuptiis. Igitur datum est capere, atque adeo non omnes *Hieronymi expositio.*
possunt capere; sicuti declarant sequentia ibidem Domini verba, vers. 12. *Qui potest capere, capiat.* Unde palam est, non omnibus datum esse posse capere verbum istud. *Hieronymus* in hunc locum Matthæi, dicit eos capere, qui volunt & petunt & laborant: & tamen ait unicuique considerandas esse vires suas, utrum possit. Hæc non bene inter se concordant. Eodem olim modo locum hunc pervertit *Tertullianus*, jam Hæreticus Montanista, lib. de Monogamia, cap. *Tertulliani Montanistæ expositio.*
14. *Si* (inquit) *non potes, quia non vis,* (*posse enim te si velis, ostendit, quia tuo arbitrio utrumque reliquit,*) *discedas oportet ab eo cujus non facis voluntatem.* Alibi autem *Hieronymus* ex hoc ipso Evangelii loco infert, non omnes posse; si omnes (inquit) Virgines esse possint, nunquam & Dominus diceret; qui potest capere, capiat: *Matth. 19. 12.*
& Apostolus in suadendo non trepidaret; De virginibus autem præceptum Domini non ha- *1. Corinth. 7. 25.*
beo. *Hieronym.* lib. 1. adversus Jovinianum, post medium. Quamvis eodem libro, iniquum nuptiis se exhibeat Hieronymus, Tertullianum secutus hæreticum; ideo in suo commentario in *Matthæum*, glossam textui inferre nititur violentam illam a Tertulliano acceptam; cogitur tamen per verba illa sequentia, *qui potest capere capiat*, ea dicere, quæ præmissam παρερμηνείαν destruunt; & hic in angustiis deprehensus non potuit se expedire. Verum autem verborum Domini sensum nobis tradidit Apostolus Paulus,

1 Cor.

1 *Cor.* 7. cui jam ostensum est: videlicet; bene illum facturum, intuitu immunitatis ab oneribus & molestiis matrimonii, qui cœlebs vixerit, si possit se continere, nec tamen peccaturum eundem contrahendo matrimonium, licet habiturus sit tribulationem carnis. *Augustinus* ait; quod autem dicit [Apostolus, 1 *Cor.* 7. 28.] eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quam eum noluisse aperire & explicare verbis eandem ipsam carnis tribulationem quam prænunciavit eis qui eligunt nuptias, in suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus & mœroribus orbitatis. Quotus enim quisque cum se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? Quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus parcendum existimavit Apostolus. Hæc *Augustinus*, lib. de sancta virginitate, cap. 16. qui mox cap. 17. ejusdem libri subjicit hæc verba; Per hoc quod breviter posui, cautum fieri lectorem oportuit, adversus eos qui in hoc quod scriptum est, *Tribulationem autem carnis habebunt ejusmodi, ego autem vobis parco*, nuptiis calumniantur, quod eas ex obliquo sententia ista damnaverit. Hactenus *Augustinus*.

Augustini expositio tribulationis carnis. 1 Cor. 7. 28.

1 Cor. 7. 28.

§. 5. *Qui se non continet jubetur conjugem habere.*

Quamvis comparate ad cœlibatum castum & ustione vacuum, nuptiæ curas adferant graviores, attamen qui se non continent in cœlibatu, gravioribus distrahuntur curis, & molestiis admodum periculosis implicantur, (præsertim si accesserit opinio necessitatis ex voto, vel simili laqueo,) præ quibus levis est sarcina legitimi conjugii: propterea qui se non continet, jubetur conjugem habere, nam melius est nubere, quam uri. Quia (inquit *Augustinus*) non omnes capiunt hoc verbum, restat ut propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque virum suum habeat, ac sic infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum. Quod enim ait Apostolus de fœminis, *volo igitur juniores nubere*, hoc & de maribus dici potest, *volo juniores uxores ducere*, ut ad utrumque sexum pertineat, *filios procreare, patres & matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti.* Hæc *Augustinus*, lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 16. De junioribus autem illis viduis, & de voto cœlibatus, plenius explicavimus, in annotationibus in Patris mei Steliteuticum. §. 19. in Annotatione de votis. *Gregorius* primus, Papa Rom. homil. 17. in Evangelia; Cum (inquit) lascivientem quempiam & lubricum videmus; admonendus est, ut conjugio frænare studeat iniquitatem suam; quatenus per hoc quod licet, discat superare quod non licet. Hæc *Gregorius*.

Aug.

Gregor.

§. 6. *Fines conjugii.*

Nuptiæ sunt licitæ, quamvis non premat ustio.

Certum est primarium conjugii finem non esse remedium concupiscentiæ, nam ante lapsum instituit Deus conjugium in adjutorium in propaganda sobole, & in officiis pietatis, rebusque domesticis administrandis, & solatium honesti consortii. Hos fines vel horum aliquem etiamnum intuenti, fas est viro uxorem ducere, & mulier potest viro nubere, etiamsi non urgeantur concupiscentiæ incendio. Quod etiam fateri necesse habent ii qui dicunt omnes posse continere si velint, nolentibus tamen continere concedi matrimonium; quæ est assertio *Bellarmini*, lib. de Monachis, cap. 31. Cujus assertionis pars prior falsa est, & Montanistica, sicut ostendimus; posterior autem pars vera est, quia nullum cuiquam dedit Dominus mandatum de non contrahendis nuptiis, sed eas pronunciat honorabiles in omnibus. 1 *Cor.* 7. 25. *Hebr.* 13. 4. Si quis igitur vel quærendæ sobolis causa, vel cœlibis vitæ pertæsus, vel adjutorii adsciscendi animo, vel ad tollendas inimicitias, vel ad amicitiam conciliandam, vel ad comparanda aut administranda necessaria, vel aliam aliquam honestam ob causam, uxorem duxerit, non peccat; etiamsi potest continere: & idem dicendum de virgine vel vidua, si nupserit. Et in hanc sententiam dicit *Clemens Alexandrinus*, Stromatum lib. 3. post medium, μὴ Φέρων δὲ ἔτος εὐκόλως τὸν μονήρη βίον, ἐπιθυμεῖ τοῦ γάμου, ἐπεὶ τὸ εὐάρεστον μετὰ σωφροσύνης ἀβλαβές. Id est: Hic autem non facile ferens solitariam vitam, desiderat matrimonium: quandoquidem id quod cordi est, cum temperantia, est innoxium. Et postea eodem libro ait; εἰς τὴν τοῦ οἴκου κηδεμονίαν βοηθὸς ἐδόθη ἡ γυνή. Id est, ad curam domus gerendam auxiliatrix data est uxor.

§. 7. *Curare quæ Dei sunt, & curare quæ mundi sunt. 1 Cor. 7. 32, 33, 34.*

Quod dicit Apostolus (1 *Cor.* 7. 32, 33, 34.) cœlibes curare quæ Dei sunt, quomodo placeant Deo; conjugatos autem ea curare quæ mundi sunt, quomodo placeant conjugi: non eum habet sensum, ac si conjugati eorum quæ Dei sunt essent incuriosi, aut etiam semper ita esset comparatum ut actu ipso minus de cœlestibus essent solliciti conjuges, quam cœlibes; sed sensus est, majore curarum secularium sarcina gravari conjuges, nec esse hac in parte ita ἀμερίμνους, ac sunt cœlibes; atque adeo ad cogitanda cœlestia, alterum vitæ genus esse in se magis expeditum, alterum autem magis impeditum. Tametsi omnia ista impedimenta pii conjuges, per Dei gratiam, exsuperant, & cum habeant conjuges, sunt tanquam non habentes, id est, ita studet conjunx placere conjugi, ut non displiceat conditori, ut recte exposuit *Gregorius* 1. Episc. Rom. homil. 36. in Evangelia. *Tales conjuges erant Zacharias & Elizabeth, justi ambo coram Deo, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini inculpate.* Luc. 1. 6. Tales erant conjugati Apostoli & Evangelistæ, ut *Petrus* Apostolus, & *Philippus* Evangelista, aliique Apostoli & Apostolici, de quibus dicit *Paulus*; *Numquid non habemus potestatem sororem uxorem* [ἀδελφὴν γυναῖκα] *circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas.* 1 Cor. 9. 5. Ubi loquitur evidentissime Apostolus de mulieribus quæ Ecclesiarum sumptibus, una cum Apostolis eas circumducentibus, alendæ erant; non autem de opulentis aliquibus mulieribus quæ de suis facultatibus alimenta Apostolis ministrarent, ut inepte somniavit *Tertullianus* Montanizans, lib. de Monogamia. cap. 8. ejusque insistens vestigiis *Hieronymus*, lib. 1. adversus *Jovinianum*; & eos inconsiderate secutus *Bellarminus* lib. de clericis, cap. 20. Porro uxores seu conjuges ibi intelligi liquet etiam ex textu, nam alioqui superflua esset adjectio vocabuli, γυναῖκα; certum enim est, sororem non esse virum, sed mulierem: non igitur sexum, sed statum conjugalem significat vox ista, hoc loco. Neque simile illud, *viri fratres.* Act. 1. 16. ut asseruit *Bellarminus*, loco citato; non enim quilibet vir etiam frater erat Apostoli ea fraternitate quæ ibi intelligitur: neque qua inter se fratres erant Israëlitæ, *Act.* 22. 1. *Leo* 9. Papa Rom. concedit, eas, quas Paulus loco citato dicit ab Apostolis circumduci, esse proprias eorundem Apostolorum uxores, & circumductas esse ait, ut mercede prædicationis sustentarentur ab eis. 31. dist. can. *Omnino.* Sed addit ibidem *Leo*, cessasse nec ulterius fuisse inter eos carnale commercium: quam assertionem probare nititur

Greg.

Explicatur locus epistolæ 1. ad Cor. cap. 9. v. 5.

ex textu Pauli, quia non dixit, nunquid non habemus potestatem sororem mulierem *amplectendi*: sed *circumducendi*. Hanc Leonis ineptissimam illationem refellit consideratio causæ quam ibi agit Apostolus *Paulus*, de jure videlicet exigendi ab Ecclesiis stipendium, quo etiam uxorem aleret, non autem de maritorum Apostolorum potestate amplectendi proprias uxores. Ea autem facile cognoscitur ex eis quæ paulo ante scripserat in eadem epistola, 1 *Cor*. 7. de reddendo debito conjugali, & ut vir uxorem non dimitteret: & ex eis quæ idem Apostolus scripsit de officio mariti, *Ephes*. 5. & de honore conjugii in omnibus, & thoro immaculato. *Hebr*. 13. 4. Cum quibus concordat canon quintus eorum, qui canones Apostolici indigitantur, quem inferius recitabimus.

Clementis Alexandrini expositio in 1 Cor. 7. 32, &c.

Clemens Alexandrinus, lib. 3. Stromatum, in postremo quadrante illius libri, disputans contra hæresin Encratitarum, damnantium nuptias, explicat verba illa Apostoli, *qui sine uxore est, curat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino*: τί δὲ, οὐκ ἔξεστι καὶ τῇ γυναικὶ κατὰ Θεὸν ἀρέσκοντας εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ; οὐχὶ δὲ ἐφεῖται καὶ τῷ γεγαμηκότι, σὺν καὶ τῇ συζυγίᾳ μεριμνᾷν τὰ τοῦ Κυρίου; ἀλλὰ καθάπερ ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου, ἵνα ᾖ ἁγία καὶ τῷ σώματι καὶ τῷ πνεύματι, οὕτω καὶ ἡ γεγαμημένη τὰ τοῦ ἀνδρὸς καὶ τὰ τοῦ Κυρίου μεριμνᾷ ἐν Κυρίῳ, ἵνα ᾖ ἁγία καὶ τῷ σώματι καὶ τῷ πνεύματι. ἄμφω γὰρ ἅγιαι ἐν Κυρίῳ, ἡ μὲν, ὡς γυνὴ, ἡ δὲ, ὡς παρθένος. πρὸς ἐντροπὴν δὲ καὶ ἀνακοπὴν τῶν εὐεπιφόρων εἰς τὸν δεύτερον γάμον, ἁρμονίως ὁ Ἀπόστολος ὑπέρτονον φθέγγεται. Id est; Quid vero, annon licet etiam eis qui secundum Deum placent uxori Deo gratias agere? Annon permittitur etiam ei qui uxorem duxit, una cum conjugio, esse etiam solicitum de eis quæ sunt Domini? Sed quemadmodum innupta solicita est de eis quæ sunt Domini, ut sit sancta tum corpore tum spiritu; ita etiam quæ nupta est, de eis quæ sunt viri & quæ sunt Domini solicita est in Domino, ut sit sancta tum corpore tum spiritu: Ambæ enim sunt sanctæ in Domino, hæc quidem ut uxor, illa vero ut virgo. Ad pudorem autem eis incutiendum, eosque divertendos qui ad secundas nuptias facile ferebantur, seu procliviores erant, apposite Apostolus altiore quodam sonu loquitur. Hæc ibi.

§. 8. *De secundis nuptiis, vide cap. 34. §. 5.*

Secundas tamen nuptias, ut & tertias, & quartas, sine præscriptione definiti numeri, Apostolus lege divina concedi, & in Domino contrahi posse, adeoque honorabiles atque impollutas esse, docet, quamvis cœlibatum, qui castus sit, haud immerito existimet beatiorem: inquiens; *Mulier alligata est lege quamdiu vivit vir ipsius: si autem obdormiverit vir ipsius, libera est ad nubendum cui vult, tantum in Domino*. 1 Cor. 7. 39. Impia igitur erat Montanistarum doctrina damnans secundas nuptias, apud *Tertullianum* Montanizantem, lib. de exhortatione castitatis, & lib. de Monogamia. Impium etiam *Hieronymi* illud dictum, quo iteratas nuptias prostitutionem vocat; lib. 1. adversus Jovinianum, ubi ait; *Melius est enim licet alterum & tertium, unum virum nosse, quam plurimos; id est, tolerabilius est uni homini prostitutam esse, quam multis. Siquidem & illa in Evangelio Joannis Samaritana sextum se maritum habere dicens, arguitur a Domino quod non sit vir ejus. Ubi enim numerus maritorum est, ibi vir, qui proprie unus est, esse desiit.*

Hieronymi error.

Hæc ibi *Hieronymus*, nesciens in hoc quid dicat, neque de quo affirmet. Apostolus ait, viduam nubentem alteri viro non eo esse adulteram, *Rom*. 7. 3. Neque dixit illa Samaritana, sextum se habere maritum, sed dixit, *non habeo virum. Dicit ei Jesus, Bene dixisti, Non habeo virum. Quinque enim viros habuisti & nunc quem habes non est tuus vir.* *Joan. 4. 17, 18.* Ecce etiam numerum maritorum, *quinque* (inquit) *viros habuisti*. Cur igitur quem ea nunc habet, vir ejus esse negatur, nisi quia non conjugali fœdere ei nupta fuit, sicut illis quinque viris? *Fac* (inquit ibidem Hieronymus) *ut concesserit Paulus secunda matrimonia, eadem lege & tertia concedit, & quarta, & quotiescunque vir moritur*. Hæc ille. Cum tamen in isto consequenti, quo digamiam successivam oppugnat *Hieronymus*, nihil absurdi sit. Perabsurdum autem est, quod, paulo post ibidem, iteratas nuptias dicit se non quidem damnare, æqua tamen pensandas esse lance cum scortatione. *Non damno* (inquit) *digamos, imo nec trigamos, & (si dici potest) octogamos: plus aliquid inferam etiam scortatorem recipio pœnitentem? Quicquid æqualiter licet, æqua lance pensandum est*. Hæc *Hieronymus*, lib. 1. adversus Jovinianum, contra quem usque adeo efferbuit iracundia, ut in Montanistarum laqueos sese incautus induxerit: Nec in secundas duntaxat & deinceps sequentes nuptias, iniquum se præbuerit; verum etiam de primis nuptiis contumeliose scripserit; mutuatus a *Tertulliano* Montanista contra eas imbellia quædam argumenta, quæ hæreticis relinquenda fuerant. Specimen qui desiderat, conferat *Hieronymi* dissertationem, in primo quadrante lib. 1. adversus Jovinianum, sumpto initio ab illis ejus verbis: *Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere*: usque ad illa ejusdem *Hieronymi* verba; *Suspecta est mihi bonitas ejus rei, quam magnitudo alterius mali malum cogit esse inferius. Ego autem non levius malum, sed simplex per se bonum volo*. Conferat, inquam, illam *Hieronymi* dissertationem, cum eis quæ scripsit *Tertullianus* Montanizans, lib. de exhortatione castitatis, cap. 3. & 9. & 10. & lib. de Monogamia, cap. 3.

§. 9. *Refellitur Encratitarum & Tertulliani & Hieronymi argumentum ab imitatione Christi.*

Refert *Clemens Alexandrinus*, lib. 3. Stromatum, paulo ante medium, Encratitas hæreticos *Tatiani* Syri sectatores, a nuptiis abstinuisse, ut immundis, & a Diabolo institutis, & gloriatos esse in hoc se imitari Christum, qui cum in mundo esset, non duxit uxorem. Eodem argumento a blasphemis illis hæreticis accepto, utuntur *Tertullianus*, lib. de Monogamia, cap. 3. & *Hieronymus*, lib. 1. adversus Jovinianum, in illa dissertatione cujus modo mentio nobis facta est. Respondet autem *Clemens Alexandrinus*, loco citato, eorum reprehendens superbiam cum inscitia conjunctam; causasque adferens ob quas carnalis conjugii expers vixit Dominus, quæ ad alios non pertinent, sed ei soli conveniunt; nempe, quia propriam sponsam habebat Ecclesiam; deinde quia non erat communis homo, qui opus haberet adjuvante secundum carnem; neque erat ei necesse procreare filios, qui manet in æternum, & natus est solus Dei filius: & ostendens, ejusdem Domini nostri testimonio, nuptias a Deo esse institutas, dicente Domino, quod Deus conjunxit, homo ne separet. *Matth. 19. 6.*

§. 10. *Expositio verborum Apostoli*, melius est nubere, quam uri. *1 Cor. 7. 9.*

Quando dicit Apostolus, *Quod si se non continent, nubant: melius est enim nubere quam uri*. 1 Cor. 7. 9. Non vult exspectari externum in fornicationem lapsum, ac si nullam vellet nubere, priusquam se alicui stuprandam prostituisset; neque marem prius uxorem ducere, quam se externa fornicatione polluisset, sicut hunc Scripturæ locum impudenter & impie depravavit *Bellarminus*, lib. de Monachis. cap. 30. §. *Respondeo*

spondeo ad hoc tribus modis: ubi ejus verba sunt; *Asserò, in nullo horum locorum vocare ad nuptias ab Apostolo eos, qui tentantur stimulis carnis, sed eos, qui incontinenter vivunt, ita ut flagitiis se polluant.* Hæc *Bellarminus*, contra manifestam Apostoli mentem, & contra communem honestatem. *Omnis qui videt mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. 28. Intelligit igitur Apostolus, loco citato, internam incontinentiæ ustionem, sive intus æstuans concupiscentiæ incendium, cui fedando, & ne foras etiam in externam flagitii patrationem erumpat, proponit remedium nuptia-
Aug. lib. de nuptiis & concupiscentia cap. 16. le, ut, *infirmitas incontinentiæ*, (sunt hæc Augustini verba,) *ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum.* Non dicit; *postquam ceciderit* in ruinam flagitiorum: sed dicit; *ne cadat* in ruinam flagitiorum. Et contra mentem Apostoli faciunt ii, qui, obtentu voti, virginem aut viduam juniorem, arcto conclusam ergastulo, ac ferreis veluti feram rabidam clathris coërcitam, cohibent, & violenter arcent a nuptiis, dum interea

Æneid. 4. —— *gravi jamdudum saucia cura,*
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Eadem ratio est de maribus, vide supr. §. 5. *Augustinus* de viduis illis loquens, quarum fit mentio, 1 Timoth. 5. *Melius* (inquit) *nuberent, quam urerentur, id est, occulta flamma concupiscentiæ in ipsa concupiscentia vastarentur, quas pœnitet professionis, & piget confessionis.* Hæc Augustinus, lib. de sancta Virginitate, cap. 34.

§. 11. At longe alia ratio est eorum quos jam Deus matrimonio conjunxit, si maritus in carcere detineatur, vel diu ægrotet, vel senio debilitetur, ut non valeat debitum uxori reddere: non ideo fas uxori alium virum accipere, vivente priore; neque potest vir, ob ægritudinem uxoris suæ ducere aliam uxorem, ea vivente: esset autem istud non matrimonium, sed adulterium; dicente Domino; *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Item; *Dico autem vobis, quod qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Matth. 19. 6, 9. De innuptis & viduis dicit Apostolus, *Melius est nubere quam uri.* Neque contra hanc Dei legem fas cuiquam laqueum vel sibi vel alteri injicere, neque tenet humanum votum contra Dei mandatum. At conjugatorum vinculum divinum est: & quod Deus conjunxit, non potest homo separare. Quamvis igitur cœlibes, qui temerario voto cœlibatus, contra Dei verbum obstrinxerunt, non possint sibi certo polliceri, aut in fide absolute petere a Deo, ut ita permaneant, quia ejus rei neque mandatum habent, neque promissionem Dei; conjuges tamen utrumque habent, & confidenter orare pos-
Duas simul uxores habere concedit Gregorius 2. Papa Rom. qui sedebat anno Domini 727. Vide Instruct. Historico-Theolog. lib. 5. cap. 31. §. 10. & lib. 14. cap. 6. §. 27. sunt, ut Deus illis det fidem eam servare conjugalem, quam ipse mandavit. Erravit igitur *Gregorius*, hujus nominis secundus, Papa Roman. qui rescribens *Bonifacio* Episcopo Moguntino, epist. 24. ait; *Quod posuisti, quod si mulier, infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit.* Hæc ibi Gregorius secundus ait se *ex Apostolica Sedis vigore* scripsisse. Confer hæc cum verbis Domini, modo recitatis ex Matth. 19. & videbis manifestam ἀντιλογίαν, inter divinum Christi oraculum, & cathedrale Papæ responsum: cui responso & repugnat doctrina Cardinalis Bellarmini, lib. de Monachis, cap. 31. Observa etiam, quantam sibi Sedes Romana usurpet plenitudinem potestatis; ut & jubeat quod Deus prohibuit, nempe, priore uxore non dimissa ob fornicationem, neque adulterio polluta, aliam ducere: & prohibeat quæ Deus concessit; nempe nuptias sacerdotum: & conjugium prohibendo, faciat quod Deus fieri vetat, 1 *Tim.* 4. 1, 2, 3. Sedes tamen Romana sacerdotibus, multisque aliis conjugio interdicit. Fatetur *Hieronymus*, lib. 1. adversus Jovinianum, Apostolum non ausum esse imperare cœlibatum, quia eum Dominus non præcepit. Audet tamen sedes Romana.

Nullus hominum ordo, lege Evangelica, a nuptiis arcetur, durante ætate contrahendis nuptiis congrua, & ustioni obnoxia: idcirco viduas illas, sumptu Ecclesiæ sustentandas, & in viduitate mansuras, eligi jubet Apostolus non minores sexaginta annis, 1 *Tim.* 5. 9. postquam nimirum sponte naturæ jam deferbuit æstus libidinis: addit vero & alias conditiones, *quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta fit*, versib. 9. & 10. Quibus conditionibus cum ea ætate concurrentibus, non est jam pertimescenda petulantia, ob cujus periculum juniores viduas vult nubere, ibidem, vers. 14. *Gregorius* primus, Papa Romanus, scribens ad *Maximianum* Episcopum Syracusanum; *Nullam* (inquit) *fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cujus ætas hoc atque mores exegerint, velari permittat.* Hæc Greg. 1. Papa Rom. lib. 3. epistolarum ex registro, epist. 11. Alii autem ordines, in quos assumendi sunt non tam effœti senes, quam homines vegeti ac valentes, non pugnant cum statu conjugali, neque inde quisquam divina lege obligatur ad cœlibatum; sed ad omnes, sine exceptione, pertinet generalis illa regula, *Si se non continent, nubant, melius est enim nubere quam uri.* 1 Cor. 7. 9. Recte igitur monet *Thomas*, non esse ordini sacro essentialiter annexum debitum continentiæ, 2. 2. qu. 88. art. 11. ubi continentiam intelligit virginalem vel vidualem, alioqui est etiam continentia conjugalis. Ideo dixit Apostolus oportere Episcopum esse continentem [ἐγκρατῆ.] *Tit.* 1. 8. quem ibidem, vs. 6. describit unius uxoris virum, liberos habentem fideles. Nam continentia est virtus, per quam ab omni fornicatione abstinetur, sive homo cœlebs sit, sive conjugatus, & per quam etiam sit ut ipso etiam conjugali thoro, unusquisque vas suum possideat in sanctificatione & honore. 1 *Thess.* 4. 3, 4. ἔςι γὰρ καὶ γάμῳ ἐγκρατῶς χρῆσθαι, nam etiam matrimonio uti homines possunt continenter, sicut fecerunt veteres justi, qui liberos procreabant, servata conjugii continentia; καὶ ἐπαιδοποιήσαντο γήμαντες ἐγκρατῶς, ut loquitur *Clemens* Alex. lib. 3. Stromatum. Perperam igitur argumentantur illi, qui ex necessitate continentiæ inferunt necessitatem cœlibatus vel separationis quoad thorum, a propria uxore. Nam continentia [ἐγκράτεια] est fructus Spiritus, omni Christiano necessarius, per quem veri Christiani crucifixerunt carnem cum passionibus & concupiscentiis, teste Apostolo Paulo, in sua ad Galatas epistola cap. 5. vs. 22, 23, 24. Idem tamen Apostolus recipit conjugatum, unius uxoris virum, conjugio irreprehensibiliter utentem, sive is Pastor aut Minister Ec-

Marginal notes (right column): §. 12. *De viduis illis, 1 Tim. 5.* — *Ordo sacerd. non excludit nuptias, lege divina.* — *Continentia, ἐγκράτεια.*

clesiæ

clesiæ sit, sive Laicus: seu, ut loquitur *Clemens* Alex. lib. 3. Stromatum, in postremo quadrante libri, *ὁ Ἀπόστολος τὸν μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα πάνυ ἀποδέχεται, κἂν πρεσβύτερος ᾖ, κἂν διάκονος, κἂν λαϊκος, ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος.* Inolevit apud Romanenses, sive in favorem cœlibatus, sive quamcunque aliam ob causam ea loquendi consuetudo, ut cœlibatum designent plerunque vocabulo continentiæ vel castitatis; unde facile fit, ut simplicioribus error obrepat, ac si caste & continenter vivere cupienti, nuptiæ essent necessario fugiendæ. *Petrus de Palude*, castitatis utens vocabulo, docet, cœlibatum non esse jure divino annexum sacris ordinibus, puta Episcopatui, vel Presbyteratui, vel Diaconatui, inquiens; *Papa potest dispensare cum ordinato in sacris, quod contrahat matrimonium, quia castitas non est annexa ordini sacro ex natura sacramenti, sed ex statuto humano.* Hæc *Paludanus*, & consentit *Capreolus*, in 4. Sent. dist. 21. qu. 2. art. 3. Idipsum docet etiam Cardinalis *Bellarminus*, lib. de Clericis, cap. 18. ubi, contra *Clichtovæum* probat, non solum licere sacerdotibus jure divinô habere uxores, quas ante ordinationem duxerunt, eisque uti maritorum more, sed etiam licere post ordinationem ducere: & utrumque non nisi humano jure esse prohibitum: ac proinde in hoc dispensari posse. Argumenta *Bellarmini* sunt, 1. A diuturna praxi Ecclesiæ Græcæ, permissa ab Ecclesia Romana, ut patet ex c. *cum olim.* de clericis conjugatis: & ex testimonio Gregorii, lib. 1. epistol. 42. ubi de uxoribus subdiaconorum. 2. Quia in tota Scriptura nullum tale exstat præceptum. Immo Paulus, 1 *Tim.* 3. jubet eligi qui domui suæ bene præsit & filios habeat subditos in omni castitate. 3. Ex Concilio Ancyrano, ante annos 1200. celebrato, posteaque confirmato a Leone Papa; dist. 20. can. *De libellis.* In illius Concilii canone decimo, dicitur, Diaconos illos, qui in ipsa ordinatione protestantur se velle ducere uxores, posse etiam post ordinationem uxores ducere, quia tunc censetur Episcopus eum eis dispensasse. Postremo, quia Concilia & Patres passim testantur hanc legem esse Ecclesiasticam: quod etiam legimus in Concilio Tridentino, Sess. 24. can. 9. Hæc sunt argumenta *Bellarmini*, lib. de Clericis, cap. 18. Idem etiam alibi affirmat, conjugium non repugnare per se & ex natura rei ordini Sacro; sed ex solo decreto Ecclesiæ. lib. de Monachis, cap. 38. §. *Dices rursum.*

§. 13. *Observatio.* Observatu dignum est, Apostolum, in illa collatione cœlibatus & conjugii 1 *Cor.* 7. nullam facere mentionem Episcopi aut Presbyteri, seu Pastoris Ecclesiastici: Et in illis accuratissimis boni pastoris descriptionibus 1 *Tim.* 3. & *Tit.* 1. facere quidem mentionem uxoris & liberorum Pastoris; at nihil prorsus suggerere de cœlibatu, neque ullam vitæ cœlibis & conjugii collationem in medium adferre, neque ullam omnino mentionem facere cœlibatus, neque hoc vitæ genus Pastori Ecclesiastico vel cogitandum proponere, vel sequendum commendare: neque a propria uxore perpetuam abstinentiam quantulacunque significatiuncula insinuare: sed hoc ipso, quod eum describat unius uxoris virum, omnia in pastore conjugato postulare boni mariti erga propriam uxorem officia, quæ & aliis maritis erga suas uxores commendare debeat. Etsi a Pastore Ecclesiastico aliena non est generalis illa ad Corinthios de cœlibatu laudibus dissertatio, nihil tamen ea de re ei specialiter commendatur. Hoc eo consilio a Spiritu Sancto factum esse non dubito, ut nos in antecessum armaret & cautos redderet contra illorum errorem, qui etiamsi nuptias aperte non damnent, imo palam laudent, pastoralis tamen officii sanctitati & nuptiis non bene inter se convenire dictitant. Commendari quidem & Pastori Ecclesiastico potest cœlibatus, tanquam curis secularibus magis vacuus, at eum neque imperare fas est, neque etiam cum nuptiarum injuria commendare, ac si impurior esset status conjugalis, quam ut bene consistat cum sacerdotali seu pastorali puritate. Quo in genere non solum a Marcionitis aliisque apertis nuptiarum damnatoribus, sed & ab aliis quibusdam, præsertim vero a Romanis Pontificibus, non leviter erratum est. Dum præpostera atque immodica cœlibatus admiratione, in ejus laudes, nimia cum nuptiarum dejectione, hyperbolice excurritur, & audaci orationis vehementia atque argumentis inconcessis hic vitæ status supra modum extollitur, nec solum commendatur, sed etiam imperatur atque obtruditur, saltem Ecclesiasticis, præsertim in sacro ordine constitutis, & votorum monasticorum religio plus æquo exaggeratur, nuptiæ prohibentur, impudicitiæ frena laxantur, & constabiliendis hominum traditionibus divina constitutio evacuatur.

Venturos prædixit Apostolus, qui discederent a fide, & attenderent doctrinis dæmoniorum, *prohibentium contrahere matrimonium* [*κωλυόντων γαμεῖν.*] Tria fuerunt olim hæreticorum genera, seu tres classes eorum, quos in confesso est hoc Apostoli vaticinio esse prænunciatos. Primi generis fuerunt ii, qui nuptias abominabantur, tanquam immundas & a Diabolo institutas, videl. Saturniliani, Marcionitæ, Tatianistæ sive Encratitæ, & Manichæi, & Eustathiani, &c. Secundum genus eorum fuit, qui nuptias non esse in se malas, sed a Deo institutas esse fatebantur, easque antiquis sanctis in Veteri Testamento concessas esse dicebant; sed post Christi adventum non esse licitas, neque posse conjugatos, in commercio seu consuetudine conjugali perseverantes, obtinere regnum cœlorum. Hanc hæresin introduxit *Hieracas* Ægyptius, a quo Hieracitæ sunt denominati, uti commemorat *Epiphanius*, hæresi 67. In tertio genere fuerunt ii, qui etiam in Novo Testamento concessas esse dicebant nuptias primas, at damnabant secundas nuptias, quas dicebant esse speciem stupri, & ipsis etiam primis nuptiis iniqui extiterunt, aliquid eis impuritatis adscribentes. Hi fuerunt Cataphryges seu Montanistæ, quorum hæresi infectus *Tertullianus*, hunc eorum errorem defendendum suscipit lib. de exhortatione castitatis, & lib. de monogamia, quos libros scripsit contra Catholicos, quos ille per convitium Psychicos vocat. Tametsi Marcionis errorem ex professo refutat ipse, Montanistico morbo jam tum laborans, lib. 1. adversus Marcionem, cap. 29. ubi de Marcione ait; *Non tingnitur apud illum caro nisi virgo, nisi vidua, nisi cœlebs, nisi divortio baptisma mercata.* Ubi etiam Tertullianus Marcioniticam spurcitiæ accusationem a nuptiis depellit, & laudat ibidem Montani (quem sub Paracleti vocabulo vocat) doctrinam secundas nuptias prohibentem: alibi autem dicit secundum matrimonium esse quasi speciem stupri & primis etiam nuptiis stupri objicit adfinitatem, easque non immerito se hanc ob causam destruere profitetur. lib. de exhortatione castitatis. cap. 9. & earundem honori detrahit. lib. de Monogamia, cap. 3. Quemadmodum autem Marcionitæ conjugatos, nisi facto prius divortio, in communionem suam non recipiebant, sic etiam

Margin (beside "Venturos prædixit Apostolus"): §. 14. 1 *Tim.* 4. 1, 2, 3. *Tres classes hæreticorum prohibentium nuptias.*

alii

alii ejusdem generis hæretici unde Encratitæ seu Tatianiæ hæretici *Clementi Alexandrino* dicuntur *οἱ τῆς συζυγίας μερισταὶ*, *conjugii divisores*, lib. 3. Stromatum. Eandem fuisse Eustathianorum hæreticorum doctrinam inferius ostendemus. Hieracitæ etiam id ipsum observabant, teste *Epiphanio* hæresi 67. ubi de eis ait; *οὐδεὶς δὲ μετ᾽ αὐτῶν συνάγεται, ἀλλὰ εἰ εἴη παρθένος, ἢ μονάζων, ἢ ἐγκρατὴς, ἢ χήρα.* Id est; *Nemo in illorum gregem recipitur, nisi sit virgo, aut monachus, aut continens, aut vidua.* Apud Montanistas nemo recipiebatur in communionem qui secundam uxorem duxisset, vel quæ secundo marito nupsisset, etiamsi vel divortio vel alterius morte secundum illud conjugium jam direptum esset. *Digamos* (inquit) *foris sistimus, eundem limitem liminis mœchis quoque & fornicatoribus figimus, jejunas pacis lacbrymas profusuris, nec amplius ab Ecclesia, quam publicationem dedecoris relaturis.* Hæc *Tertullianus* lib. de Pudicitia cap. 1. Marcionitas tamen & Encratitas, qui nuptias damnabant habebant pro hæreticis: *Hæretici* (inquit) *nuptias auferunt, Psychici ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt.* —— *Verum neque continentia ejusmodi laudanda, quia hæretica est: neque licentia defendenda, quia Psychica est. Illa blasphemat, ista luxuriat. Illa destruit nuptiarum Deum, ista confundit. Apud nos autem,* [Montani sectatores,] *quos Spiritales merito dici facit agnitio spiritalium charismatum, continentia tam religiosa est, quam licentia verecunda, quandoquidem ambæ cum Creatore sunt. Continentia legem nuptiarum honorat, licentia temperat. Illa non cogitur, ista regitur. Illa arbitrium habet, hæc modum. Unum matrimonium novimus sicut unum Deum. Magis honorem refert lex nuptiarum, ubi habet & pudorem.* Lib. de Monagamia, cap. 1. Et scribens adversus Marcionem. *Conjugium* (inquit) *exerte defendimus cum inimice accusatur, spurcitiæ nomine, in destructionem creatoris, qui proinde conjugium pro rei honestate benedixit.* Lib. 1. adversus Marcionem, cap. 29. Nihilominus ipsos Montanistas Catholici hæreseos accusabant, propter prohibitionem nuptiarum, quantum ad secundas nuptias, quæ etiam non dissimulat Tertullianus: *Itaque* (inquit) *monogamiæ disciplinam in hæresin exprobrantes, nulla magis ex causa Paracletum negare coguntur, quam dum existimant novæ disciplinæ institutorem, & quidem durissimæ illis.* lib. de Monogamia, cap. 2.

§. 15. *Tertulliani jam Montanistæ de nuptiis oratio varia & inconsistens.*

Quando se a nuptiarum damnatione alienum vult ostendere *Tertullianus* Montanista honorifice loquitur de nuptiis, earumque defensionem suscipit. lib. de Monogamia, cap. 1. & lib. 1. adversus Marcionem, cap. 29. Ubi, præter illa quæ inde recitavimus, virginitatis (quam sanctitatem vocat) & nuptiarum collationem instituens: *Sanctitatem* (inquit) *sine nuptiarum damnatione novimus, & sectamur, & præferimus, non ut malo bonum, sed ut bono melius, non enim projicimus, sed deponimus nuptias: nec præscribimus, sed suademus, sanctitatem servantes, & bonum, & melius, pro viribus cujusque sectando.* Hæc ibi. At vero quando contendens pro Montani doctrina de Monogamia, eam lectori nititur persuadere, oblitus prioris modestiæ, de nuptiis, etiam primis, loquitur contumeliose, lib. de exhortatione castitatis, cap. 9. & lib. de Monogamia, cap. 3. quo posteriore loco ait; *jus nubendi eu ex parte destruit Apostolus, qua conti-*
1 Cor. 7. 1. *nentiam præfert.* Bonum, *inquit*, homini mulierem non contingere. *Ergo malum est contingere. Nihil enim bono contrarium nisi malum. Ideoque superesse, ut & qui habeant uxores, sic sint, quasi non habeant, quo magis qui non habent, habere non debeant.* —— *Non mere bonum ostendit, quod invitus indulsit. Denique quum dicit,* Melius est 1 Cor. 7. 9.
nubere, quam uri, *quale id bonum intelligendum, quod melius est pœna? quod non potest videri melius, nisi pessimo comparatum? Bonum illud est quod per se hoc nomen tenet, sine comparatione, non dico mali, sed etiam boni alterius: ut si & alio bono comparatum adumbretur, remaneat nihilominus in boni nomine. Cæterum si per mali collationem cogitur bonum dici, non tam bonum est, quam genus mali inferioris, quod ab altiore malo obscuratum ad nomen boni impellitur.* —— *Melius est unum oculum amittere, quam duos. Si tamen discedas a comparatione mali utriusque, non erit melius unum oculum habere, quia nec bonum.* —— *Et recogitans ista, facile tibi persuadebis, multo magis unicas nuptias competisse Paracleto prædicare, qui potuit & nullas. Magisque credendum temperasse illum quod & abstulisse decuisset, si quæ velit Christus intelligas.* Hæc *Tertullianus*, lib. de Monogamia, cap. 3. Quæ hinc accepta Hieronymus inconsiderate usurpavit, lib. 1. adversus Jovinianum. Falsum autem est quod dicunt, conjugium non esse bonum, nisi in comparatione mali majoris, nam antequam esset in mundo vitiosa libido, bonum per se erat conjugium, autore Deo, duratque etiamnum ea bonitas tempore Novi Testamenti, dicente ipso Domino, qui conjugii autor fuit, *quod Deus conjunxit, homo non separet*: & clamante Apostolo, *honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.* Non satis est matrimonium modo laudare, ejusque sanctitatem prædicare, adversus alios hæreticos, modo illud vituperare & cujusdam impuritatis aspergine infamare, in favorem propriæ doctrinæ: quod fecerunt olim Hieracitæ, & Montanistæ hæretici: hodieque faciunt Romanenses. Prophetia illa Apostoli Pauli de quibusdam venturis, qui attenderent doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere, si quæras de quibus sit intelligenda? *Hieracitæ* monstrabunt tibi *Encratitas*, & *Marcionitas*, & id genus alios. At eis ipsos *Hieracitas* adjicient *Montanistæ*: Omnia autem hæc tria genera intelligi dicent Pontificii: Denique si rem totam æqua lance perpendas, videbis ipsos Romanos Pontifices hac in parte graviter peccasse, & doctrinam dæmoniorum in Ecclesiam invexisse, dum sacris ordinibus initiatos prohibent contrahere matrimonium, vel uti uxoribus quas prius duxerant, & a sacris ordinibus arcent digamos, nec Monogamum admittunt, nisi facto prius divortio, & omnes vovere cogunt perpetuum cœlibatum, taceam interim de iniquitate erga monachos & moniales, de quibus vide supra §. 5. & §. 10.

Refutatur assertio Tertulliani & Hieronymi.

Matth. 19. 6.

Hebr. 13. 4.

Antiquos hæreticos imitantur Romanenses, conjugium modo laudando, modo vituperando.

Quarta classis prohibentium nuptias, contra doctrinam divinitus traditam.

§. 16. *Doctrina dæmoniorum de nuptiis duas partes: una nuptias prohibens; altera nuptias infamans.*

Vitam cœlibem, præ conjugali vita commendat Apostolus, tanquam curis secularibus liberiorem, at eam nulli hominum ordini imperat. Est autem non Apostolorum, sed dæmoniorum ea doctrina, quæ vel prohibet nuptias, & imperat cœlibatum, ulli hominum ordini, in quem assumuntur homines in vigore ætatis; vel etiam eo argumento cœlibatum commendat, quod nuptiæ & τεκνοποιΐα hominem aliquo modo polluant, neque eum sinant eam obtinere sanctitatem & puritatem, quæ sacrorum mystis est necessaria. Bis peccant igitur qui utramque partem doctrinæ hujus dæmoniacæ docent, atque adeo & prohibent nuptias, & impio isto argumento eas prohibendas esse docent. Sic olim dæmones quibusdam gentibus tradiderunt, apud quos mul-

multis in locis sapientiæ antistites, & sacrorum mystæ vel unicas vel nullas novisse nuptias oportebat, vel eas etiam quas habebant, abjicere & separatione dirimere. Unde deterreri ab errore suo debuit Tertullianus, si recte considerasset atque intellexisset illud Apostoli vaticinium de quibusdam venturis qui attenderent doctrinis dæmoniorum prohibentium contrahere matrimo-
1 Tim. 4. 1, 2, 3. nium, [κωλυόντων γαμεῖν] non autem inde errori suo patrocinium arcessere lib: de Monogamia, cap. 17. seu ultimo. Rectius autem *Clemens Alexandrinus*, lib. 3. Stromatum, istiusmodi exempla gentilium exprobrat eorum imitatoribus hæreticis, contemptoribus nuptiarum. Nam etsi ex eis quæ Dominus cultoribus suis imperavit, dæmones nonnulla ad suum cultum usurpatione sacrilega transtulerunt; doctrina tamen illa, prohibens nuptias, & sacerdotes ab eis arcens, non est a vero Deo profecta, sed est propria dæmoniorum ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, sub fallaci sanctitatis & puritatis obtentu mendacia docentium, prohibentium matrimonium. Verba *Tertulliani*, loco citato sunt; *Idolis certe & monogamia & viduitas apparent. Fortunæ muliebri coronam non imponit nisi univira, sicut nec matri Matutæ. Pontifex Maximus & Flaminica nubunt semel. Cereris sacerdotes, viventibus etiam viris & consentientibus, amica separatione viduantur. Sunt & quæ de tota continentia judicent nos, Virgines Vestæ, & Junonis Achaicæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythii. Etiam bovis illius Ægyptii antistites de continentia infirmitatem Christianorum judicabunt.* Hæc *Tertullianus*, jam tum hæreticus Montanista, lib. de Monogamia, cap. 17. seu ultimo. Et his consentanea scripsit idem *Tertullianus*, lib. de exhortatione castitatis, cap. ult. seu 13. *Flaminicæ* erant *Sacerdotissæ Diales*, monente *Gellio*, lib. 10. Noctium Atticarum, cap. 15. Bovem pascebant Ægyptii quem Apim vocabant, & pro numine colebant, unde apud Minutium Felicem Cæcilio Ethnico exprobrat Octavius Christianus; *Nonne & Apim bovem cum Ægyptiis adoratis & pascitis?* De Ægyptiorum autem sacerdotum a cibis & venere abstinentia, legi possunt, quæ scripsit Cœlius Rhodiginus, lib. 14. Lect. Antiq. cap. 25. *Clemens Alexandrinus*, lib. 3. Stromatum, circa medium libri, disputans contra hæreticos Encratitas, qui a quibusdam cibis & a nuptiis abstinentiam injungebant, objicit eis exempla gentilium, inquiens; ἀλλ᾽ οἱ καὶ τὰ εἴδωλα σεβόμενοι, βρωμάτων τε ἅμα καὶ ἀφροδισίων ἀπέχονται· οὐκ ἔστι δὲ ἡ βα-
Rom. 14. 17. σιλεία Θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις φησίν. ἀμέλει διὰ φροντίδος ἐστὶ καὶ τοῖς μάγοις, οἴνου τε ὁμοῦ καὶ ἐμψύχων καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, λατρεύουσιν ἀγγέλοις καὶ δαίμοσιν. Id est; *Quinetiam idolorum cultores a cibis & venere abstinent. Non est autem, inquit, regnum Dei cibus & potus. Certe magis quoque qui Angelos & Dæmonas colunt, curæ est simul a vino & animatis & rebus venereis abstinere.* Et adducit paulo post ibidem, testi-
1 Tim. 4. 1, 2, 3. monium illud Apostoli, *In novissimis diebus deficient quidam a fide, attendentes spiritibus erroris. & doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere, abstinere a cibis.* Deinde repetens & explicans illud ejusdem Apostoli, scribentis ad Romanos, ait; ἀλλὰ μὴν ὁ αὐτὸς οὗτος κέκραγεν, ὡς οὐκ ἔστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις· οὐδὲ μὴν ἀποχὴ οἴνου καὶ κρεῶν, ἀλλὰ δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη καὶ χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Id est; *Atqui*
Rom. 14. 17. *hic ipse exclamavit; Non est regnum Dei esca nec potus: neque vero abstinentia a vino & carnibus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Et paulo inferius, οἱ δὲ διὰ τὸ μῖσος τὸ πρὸς τὴν σάρκα, τῆς κατὰ γάμον συναλλαγῆς, καὶ τῆς τῶν καθηκόντων βρωμάτων μεταλήψεως, ἀχαρίστως ἀπαλλάττεσθαι ποθοῦντες ἀμαθεῖς τε καὶ ἄθεοι, ἀλόγως ἐγκρατευόμενοι, καθάπερ τὰ πλεῖστα τῶν ἄλλων ἐθνῶν. Βραχμᾶναι γ᾽ οὖν οὔτε ἔμψυχον ἐσθίουσιν, οὔτε οἶνον πίνουσιν —— οὗ δὲ σέβουσιν Ἡρακλέα καὶ Πᾶνα. Οἱ καλούμενοι δὲ σεμνοὶ τῶν Ἰνδῶν, γυμνοὶ διαιτῶνται τὸν πάντα βίον, —— οὔτε δὲ οἱ γυμνοσοφισταὶ, οὔτε οἱ λεγόμενοι σεμνοὶ γυναιξὶ χρῶνται· παρὰ φύσιν γὰρ τοῦτο καὶ παράνομον δοκοῦσι, δι᾽ ἣν αἰτίαν σφᾶς αὐτοὺς ἁγνοὺς τηροῦσι· παρθενεύουσι δὲ καὶ αἱ σεμναί. Id est; *Qui autem propter odium adversus carnem susceptum, a conjugali conjunctione, & convenientium ciborum participatione, ingrati liberari desiderant, indocti sunt & impii, & absque ratione continentes, sicut plurimæ aliæ gentes. Brachmanes etenim neque animatum comedunt, neque vinum bibunt, —— colunt autem gentes istæ Herculem & Pana. Qui autem apud Indos vocantur σεμνοὶ, id est, honesti ac venerabiles, nudi totam vitam transigunt. —— Neque vero Gymnosophistæ, nec qui dicuntur σεμνοὶ, id est, venerabiles, utuntur mulieribus: hoc enim præter naturam & iniquum esse existimant, qua de causa seipsos puros servant: Virginitatem etiam servant mulieres illæ quæ dicuntur σεμναὶ, id est, honestæ ac venerabiles.* Notum est etiam castratos fuisse Cybeles sacerdotes, quos Gallos vocabant: Catullo Gallæ dicuntur *nothæ mulieres*, quod corpus evirassent, *veneris nimio odio*, ut loquitur Catullus de Berecynthia & Aty. Et in illum *Virgilii* versum, Æneid. 6.

Quique sacerdotes casti, dum vita manebat.

Servius ait; Hi qui sacra maxima accipiebant, herbis etiam quibusdam emasculabantur: unde jam coïre non poterant. Hæc *Servius*. Quamvis enim populo nuptias concederent illi dæmones, qui sub nominibus Cybeles & Apis & Cereris & Jovis & Herculis & Apollinis colebantur, conjugalem tamen vitæ statum sacrorum mystis vel penitus negabant, vel dirimebant, vel iterari vetabant, tanquam indignum eis, quos oporteret esse puros & immaculatos. Hanc dæmoniorum doctrinam docuit *Siricius* Papa Romanus, & postea renovavit ac violenter cervicibus sacerdotum imposuit *Hildebrandus*, seu *Gregorius* septimus, Papa Rom. sub specioso sanctitatis ac puritatis prætextu.

Siricius defuncto *Damaso* successit in Episco- §. 17. *Siricii Papæ Romani doctrina de nuptiis, proponitur, & refutatur.*
patu Romano, anno Dom. 385. &, ut habetur in libro Pontificali, sedit annos 15. menses 11. dies 25. Hic tum pœnitentibus post peractam pœnitentiam, tum Sacerdotibus ac Levitis, id est, Presbyteris & Diaconibus conjugio interdixit, perpetuum eis injungens cœlibatum: nuptias infamans, & errori suo de clericorum cœlibatu, Dominicam institutionem falso obducens: Epist, 1. ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum, cap. 5. ubi de pœnitentibus, & cap. 7. ubi de sacerdotibus & Levitis. *Gratianus*, caus. 33. qu. 2. can. *De his vero.* recitat *Siricii* Papæ verba de pœnitentibus: præmissa hac quæstione: *De pœnitentibus quoque* (inquit Gratianus) *quæritur, an eis generaliter post pœnitentiam peractam conjugia concedantur? Generaliter enim canonica autoritate prohibentur, ad secularem militiam redire, vel matrimonia contrahere.* Hæc autem prohiberi ostendit prolatis ea de re *Siricii* Papæ verbis, quæ in capitulo quinto inveniuntur memoratæ epistolæ ad Himerium, ubi *Siricius* eos, qui acta pœnitentia, vel contrahunt *nova conjugia*, vel conjugales *coitus* exercent, ait, hoc faciendo se gerere *tanquam canes ac sues*, eos-

eosque propter hoc decernit, a Dominicæ mensæ convivio segregandos, *A Dominicæ* (inquit) *mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua erra:a castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscænis cupiditatibus retrahantur.* Et id ipsum de mulieribus statuit, ibidem inquiens; *quam formam & circa mulieres, quæ se post pænitentiam talibus pollutionibus devinxerint, servandam esse censemus.* Hæc ibi *Siricius*; usum conjugis, post pænitentiam de aliquo crimine solenniter actam, vocans obscænam pollutionem. Sed hanc ejus injustam constitutionem resciderunt ejus successores Pontifices Romani, concesso pænitentibus conjugio, & usu conjugali, sicuti sequentibus ibidem canonibus, ex ipsorum Pontificum verbis demonstrat *Gratianus.* Altera vero ejusdem *Sirici* Papæ, quæ de Sacerdotibus & Diaconis est, constitutio, cap. 7. ejusdem ad Himerium epistolæ, non minus in nuptias contumeliosa est; Presbyteri enim, vel Diaconi, cum propria conjuge matrimoniale commercium, seu consuetudinem conjugalem, vocat *deplorandum facinus, crimen, luxuriam, deflendum lapsum, obscænam cupiditatem*: Et eos conjugatos Sacerdotes ac Diaconos, qui Dei lege concessa sibi esse conjugia asserebant, exemplo Sacerdotum ac Levitarum in Veteri Testamento, eos, inquam, qui sic argumentabantur, *Siricius* ibi appellat *sectatores libidinum, præceptoresque vitiorum.* Eosdemque ab omni Ecclesiastico honore, Apostolicæ Sedis autoritate dejectos esse, nec unquam posse veneranda attrectare mysteria, pronunciat. Et utitur his etiam argumentis, quibus ostendat abstinere debere Sacerdotes a carnali cum uxoribus commercio; 1. Quia Deus dixit, *Sancti estote, quia & ego Sanctus sum Dominus Deus vester.* At hoc omnibus Israëlitis dictum est, & pertinet ad omnes Christianos. *Levit.* 19. 2. & 20. 1 *Pet.* 1. 16. *Secundum argumentum* Siricii est, quia *Sacerdotes olim, tempore vicis suæ; habitare jussi sunt in Templo, procul a suis domibus: hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam, expleto deservitionis suæ tempore, uxorius usus solius successionis causa fuerat relaxatus.* Respondeo; in Veteri Lege fuerunt multæ umbratiles immunditiæ, quibus Christianus non polluitur, ut contractio mortui, & similia; & illa cæremonialis lex omnibus lata olim [Levit. 15. vers. 16, 17, 18.] ut post officium maritale, se aqua lavarent, & immundi essent usque ad vesperam, jam exspiravit. Ideo dixit *Clemens* Alexandrinus Stromatum lib. 3. post medium; *οὐδὲ μὲν τὸν ἀπὸ τῆς κατὰ συζυγίαν κοίτης, ὁμοίως ὡς πάλαι βαπτίζεσθαι καὶ νῦν προστάσσει ἡ θεία διὰ κυρίου πρόνοια.* Id est, sed nec eum, qui ex conjugali surgit thoro, similiter ut olim, tingi seu aqua lavari nunc quoque jubet divina per Dominum providentia. Gratis etiam excogitata est ea hypothesis, qua dicit *Siricius*, solius successionis causa concessum esse olim Sacerdotibus usum uxorium, nam cum ista limitatio nusquam in Sacris literis compareat, necesse est fateri, rationes etiam alias, quarum in Scripturis fit mentio, pertinere tum ad Sacerdotes, tum ad alios. *Tertium argumentum* suum proposuit *Siricius*, his verbis; *Dominus Jesus Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicii, cum rursus advenerit, sine macula & ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire.* Eph. 5. 27. *Quarum sanctionum Sacerdotes omnes atque Diaconi insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ corda nostra mancipemus & corpora.* His verbis *Siricius* cœlibatum Sacerdotum refert ad institutionem Dominicam, & divini juris esse contendit. Qua in re deseritur hic Pontifex ab hodiernis Pontificiis, sicuti superius ostendimus, §. 12. ubi etiam continentiam atque adeo castitatem & pudicitiam demonstravimus non adversari immaculato conjugii thoro, & inique facere atque *ἀναπολογήτως* argumentari eos, qui ex necessitate continentiæ seu castitatis & pudicitiæ, inferunt necessitatem cœlibatus. Repugnat etiam ista *Sirici* doctrina Apostolo *Paulo*, palam profitenti 1 Corinth.
de virginibus præceptum Domini se non habere. 7. 25.
Et ejusdem Apostoli verba ad Ephesios, de Ecclesia sine ruga & macula, aperte depravat contra mentem Apostoli, qui ibi hoc ipso argumento commendat maritis præstationem officii conjugalis. Præterea rugam & maculam interpretari conjugium, Doctrina est Dæmoniorum, contradicens Apostoli pronunciato. *Honorabile conjugium in omnibus, & thorum immaculatum.* Hebr. 13. 4.
Cum tertio illo argumento *Siricius*, servato orationis tenore, connectit *quartum* suum *argumentum*, inquiens; *dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, sacrificiis placeamus. Qui autem in carne sunt*, (dicente electionis vase,) *Deo placere non possunt.* Rom. 8. 8. Eant nunc Pontificii isti infallibiliarii, & negent, si possint, *Siricium* Papam docere doctrinam Dæmoniorum, qui manifeste illis verbis damnat conjugium, ut verbo Dei prohibitum & impurum, & conjugatos, qui commercio conjugali non renunciant, dicit esse in carne, & Deo placere non posse. Huic simile est ejusdem *quintum argumentum*, verbis ibidem immediate sequentibus; *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu,* Rom. 8. 9. *si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Et ubi poterit, nisi in corporibus (sicut legimus) Sanctis, Dei Spiritus habitare?* Quibus verbis *Siricius* sanctitatem & Spiritus Sancti habitationem ad eos restringit qui cœlibes sunt, maritatis haud obscure exclusis. Quæ sacrilega est impietas, verbo Dei manifeste repugnans. His confisus argumentis *Siricius* Papa Romanus, Sacerdotibus & Diaconis nuptias interdicere non dubitavit, facta ibidem hac etiam constitutione; *Si quilibet Episcopus, Presbyter, atque Diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum.* Hæc *Siricius*; quem Presbyteris & Diaconis hanc continentiam primum introduxisse ait autor glossæ, 84. dist. can. *Cum in præterito.* in illa verba; *Qui sacramentis divinis inserviunt.* Verba etiam *Sirici* inseruit Decreto *Gratianus*, 82. dist. can. *Plurimos*, & can. *Quia aliquanti.* Et ex eadem *Sirici* ad *Himerium* epistola, verba ejus contra clericum qui viduam vel secundam duxerit uxorem, recitat *Gratianus*, 84. dist. can. *Quisquis.*

Mortuo *Siricio* Romanam Sedem obtinuit *Anastasius* primus, cui successit *Innocentius*, hujus nominis primus, Papa Rom. anno Domini 402. Hic in sua tertia epistola, quam scripsit ad *Exuperium* Episcopum Tolosanum, reperit ac laudat, & ab omnibus observari præcipit prædecessoris sui Siricii doctrinam & constitutionem de Presbyteris & Diaconis conjugatis, quos *Innocentius*, incontinentes vocat: & expresse repetitis atque usurpatis illis argumentis, quæ diximus fuisse primum & secundum & quartum & quintum *Sirici* argumenta, aliud insuper adjicit, quod est pro eadem conclusione *sextum argumentum*, his verbis; *Nam si beatus Paulus Apostolus* ad

§. 18. *Innocentii primi Papæ Rom. doctrina de nuptiis proponitur & refutatur.*

1 Cor. 7. 5. *ad Corinthios scribit dicens, Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi: & hoc utique laicis præcepit: multo magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere.* Sic olim ante *Innocentium* argumentatus est contra nuptias *Tertullianus*, hæresi *Montani* infectus, *Si* (inquit) *quotidie omni momento oratio hominibus necessaria, utique & continentia, quæ orationi necessaria sit.* Lib. de exhortatione castitatis, cap. 10. eumque sequutus *Hieronymus* ait; *Si semper orandum est, nunquam ergo conjugio serviendum, quoniam quotiescunque uxori debitum reddo, orare non possum.* Hæc *Hieronymus*, lib. 1. adversus *Jovinianum*. Certe mandatum indesinenter orandi, datum est omnibus Christianis: non tamen inde sequitur, semper esse omnibus abstinendum a commercio conjugali, sicut perabsurde colligunt *Tertullianus & Hieronymus*: quorum tamen speciosior est argumentatio, quam illa *Innocentii* de solis Sacerdotibus, non enim illis solis, sed omnibus Christianis dicit Apostolus; ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε, *Sine intermissione orate.* 1 Thess. 5. 17. Illa etiam ejusdem verba de abstinentia ad tempus, non satis plene allegat *Innocentius*, omissis *consensu & jejunio*: neque ibi dicit Apostolus abstinendum esse propter ordinarium orandi officium, sed loquitur de oratione cum jejunio conjuncta, quo devotionis extraordinariæ peracto officio, reditum concedit ad conjugalem thorum; Μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, εἰ μή τι ἂν ἐκ συμφώνου πρὸς καιρὸν, ἵνα σχολάζητε τῇ νηστείᾳ καὶ
1 Cor. 7. 5. τῇ προσευχῇ. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi.* Sic legerunt *Chrysostomus*, & *Theodoretus*, & *Oecumenius*, & ita se habent verba in aliis Græcis codicibus. Nam jejunio & conjugalis commercii intermissione fit quandoque intensior oratio, tametsi neque a cibo semper, neque a matrimoniali thoro necesse sit semper abstinere eos qui jubentur indesinenter orare. *Chrysostomus* in hunc locum 1 *Cor.* 7. 5. ait, Apostolum eam intelligere orationem, quæ fit majore cum studio, non autem eos ab oratione arcere, qui matrimoniali utuntur commercio, idque manifestum esse ex præcepto orandi sine intermissione. Et *Theodoretus* rationem abstinendi ad tempus refert ad jejunium, & post jejunium permitti ait consuetudinem. εὐκαιρία δὲ ἐστιν ἀποχῆς, ἡ νηστεία καὶ ἡ προσευχὴ, id est, opportunum autem tempus abstinentiæ est jejunium & oratio, ait *Oecumenius*. Subjungit autem *Innocentius* Papa, immediate post verba ejus superius recitata, aliud argumentum pro defensione doctrinæ *Siricii* de cœlibatu sacerdotum, estque hoc *septimum argumentum*, his verbis; *Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare usurpabit, aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credet, quum dictum sit; Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil*
Tit. 1. 15. *mundum.* Hoc *Innocentii* argumentum recitasse, refutasse est, patet prima fronte blasphemia, & huc pertinet illud quod *Petro* Apostolo dictum
Actor. 10. 15. est, ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου. *Quæ Deus purificavit, tu commune* [vel immundum] *ne dixeris.* Item illud ad Hebræos, Τίμιος ὁ γάμος
Hebr. 13. 4. ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. *Honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.* Denique *Innocentius* decernit submovendos ab officio Sacerdotali vel Diaconali qui non pareant *post cognitam illam formam Ecclesiasticæ vitæ, quæ,* (ut loquitur *Innocentius*,) *ab Episcopo Siricio ad provincias commeavit.* Verba *Innocentii* recitavit etiam *Gratianus*, 82. dist. can. *Proposuisti.*

§ 19. *Leo 1. Papa Romanus.*

Huic constitutioni, de cœlibatu Sacerdotum & Diaconorum, assensus est etiam *Leo* 1. Papa Rom. epist. 92. ad *Rusticum*, Narbonensem Episcopum, cap. 3. omissis illis argumentis, inquiens; *Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris; qui cum essent Laici, sive Lectores, licite & uxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Unde, ut de carnali fiat spiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant, sic habere, quo & salva sit charitas conjugiorum, & cessent opera nuptiarum.* Hæc *Leo*. Hanc tamen Romanæ Ecclesiæ legem reprehenderunt ac refutarunt Orientales in Quinisexta Synodo, can. 13. *Quoniam* (inquiunt) *in Romana Ecclesia pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos: nos antiquum sequentes canonem Apostolicæ perfectionis* [τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας,] *hominum qui in sacris sunt legitimas cohabitationes* [τὰ τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν κατὰ νόμους συνοικέσια] *deinceps quoque firmas & ratas esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua tempore convenienti conjunctudine privantes.* &c. Multis quoque in locis apud Occidentales eadem Pontificum Romanorum lex neglectui habebatur, & contrariis utentium moribus in desuetudinem abiit. Quod moleste ferens *Hildebrandus*, qui in Papatu *Gregorius* septimus dictus est, imperiosis suis matrimonii Presbyterorum prohibitionibus magnas turbas dedit.

Romanorum Pontificum lex de cœlibatu reprehenditur,

negligitur & in desuetudinem abit.

§. 20. *Hildebrandus violenter obtrudit legem de cœlibatu: & inde existunt turbæ.*

De eo *Lamberti Schafnaburgensis* verba sunt; *Hildebrandus Papa cum Episcopis Italiæ conveniens jam frequentibus Synodis decreverat, ut secundum instituta antiquorum canonum Presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur: nec quisquam omnino ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras literas ad Episcopos Galliarum transmittebat, præcipiens, ut ipsi quoque in suis Ecclesiis similiter facerent, atque a contubernio Sacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate resecarent. Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane hæreticum & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini quo ait, non* Matth. 19. 11, 12.
omnes capiunt hoc verbum, qui potest capere, capiat: & Apostoli, qui se non continet, nubat, melius est enim nubere, quam uri: violenta exactione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei frena laxaret. Hæc *Lambertus* in sua Historia de rebus gestis Germanorum, ad annum Domini 1074. Idipsum de *Hildebrando*, seu *Gregorio* septimo, Papa Romano, commemorat *Sigebertus* Gemblacensis ad eundem annum Dominicæ incarnationis millesimum septuagesimum quartum, his verbis; *Gregorius Papa, celebrata Synodo, uxoratos Sacerdotes a divino officio removit, & Laicis Missam eorum audire interdixit, novo exemplo, & (ut multis visum est) inconsiderato præjudicio contra sanctorum Patrum sententiam, qui scripserunt, quod Sacramenta quæ in Ecclesia fiunt, baptismus scilicet, chrisma, corpus & sanguis Christi, Spiritu Sancto latenter operante eorundem Sacramentorum effectum, seu per bonos seu per malos intra Dei Ecclesiam dispensentur. Ex qua re tam grave oritur scandalum, ut nullius hæresis tempore sancta Ecclesia graviori schismate scissa sit. —— Continentiam pauci tenentibus, aliquibus eam modo quæstus & jactantiæ*

1 Cor. 7. 9.

causa

causa simulantibus, multis incontinentiam perjurio aut multipliciori adulterio cumulantibus, ad hoc hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines, & se ab omni Ecclesiastica subjectione excutientibus, laici sacra mysteria temerant, & de his disputant, infantes baptizant, sordido humore aurium pro sacro oleo & chrismate utentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum & usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ a Presbyteris conjugatis accipere parvipendunt, decimas Presbyteris deputatas igni cremant, & ut in uno cætera perpendas, laici corpus Domini a Presbyteris conjugatis consecratum, sæpe pedibus conculcaverunt, & sanguinem Domini voluntarie effuderunt, & multa alia contra jus & fas gesta in Ecclesia sunt. Hæc *Sigebertus*, in sua Chronographia ad annum Domini 1074. Ipse etiam *Hildebrandus*, seu *Gregorius* 7. Papa Rom. in suis epistolis, lib. 2. epist. 62. *Decrevimus*, (inquit) *quod si quis eorum ordinum, qui sacris altaribus administrant, Presbyter scilicet, Diaconus & subdiaconus, uxorem, vel concubinam habet, nisi illis omnino dimissis dignam pœnitentiam agant, sacris altaribus penitus administrare desistant, nec aliquo Ecclesiæ beneficio ulterius potiantur, sive potitis fruantur.* Ubi Papa uxoratos & concubinarios eodem loco habet. Et ejusdem libri epist. 67. hanc reddit decreti sui rationem; *Ut* (inquit) *sponsæ Christi quæ maculam nescit, aut rugam, candidatæ & immaculatæ familiæ gratiosum exhibeatur officium.* Hæc *Hildebrandus* seu *Gregorius* 7. Papa Rom. haud obscure contradicens Apostolo, clamanti, *Honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.* Hebr. 13. 4. & docens doctrinam dæmoniorum, dum conjugium prohibet, & ab eo abstinendi necessitatem ministris altaris imponit, hoc argumento, quod eos conjugium denigret atque commaculet, imitatus in hoc veteres illos hæreticos, qui *jus nuptiarum legitimum iniquitatem esse dixerunt atque peccatum*, sicuti de illis loquitur *Philastrius* in catalogo hæreseon quæ sub Apostolis exstiterunt. Hæres. 69. Ubi eos vocat, *nuptiarum legitimarum contemptores.*

Hildebrandi doctrina de cœlibatu proponitur ipsius verbis.

Eadem refutatur.

§. 21. *Bernardi defensio nuptiarum haud idonea.*

Non est idonea illa nuptiarum defensio, qua utitur *Bernardus* Abbas Claraevallensis, quando adversus errorem negantium nuptias disputans, ait; *Porro turpitudinem in solis existimant reputandam uxoribus: cum vel sola sit ea quæ cum uxore est causa, quæ turpitudinem excusat in coitu.* Hæc ille, Serm. 66. super Cantica. Rectius profecto cum Apostolo dixisset, conjugalem thorum esse immaculatum, atque adeo solam esse eam quæ cum uxore est causam, quæ turpitudinem excludit a coitu. Dicit tamen nonnulla ibidem *Bernardus*, quæ non contemnenda sunt, & Hildebrandinæ de cœlibatu doctrinæ laudatoribus ad animum sunt revocanda, ne forte in ipsos aliquo modo recidant hæc Bernardi verba; *Denique* (inquit) *superstitionis impietatem, nomine religionis intitulant. Innocentiam definiunt, tantum in aperto non lædere; innocentiæ proinde solum sibi vendicantes colorem. In operimentum turpitudinis, continentiæ se insigniere voto.* Hæc *Bernardus*, Sermone sexagesimo sexto super Cantica.

Heb. 13.4.

Superstitionis impietas nomine religionis intitulatur, & in operimentum turpitudinis continentia votum ostentatur.

§. 22. *Apost. can. 5.*

In canonibus qui Apostolorum dicuntur, canon quintus est; Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας, ἐὰν δὲ ἐκβάλλῃ, ἀφοριζέσθω, ἐπιμένων δὲ, καθαιρείσθω. Id est; *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus uxorem suam non ejiciat obtentu religionis, [seu pietatis]. Si autem ejecerit, excommunicetur. Quod si perseveraverit, deponatur.* Hunc canonem falsa interpretatione restringit *Leo* nonus, Papa Romanus, ad victum & amictum, exclusa conjugalis thori debita benevolentia, inquiens; *Omnino confitemur non licere Episcopo, Presbytero, Diacono, propriam uxorem causa religionis abjicere a cura sua: sed ut ei victum & vestitum largiatur: sed non ut cum illa carnaliter ex more jaceat.* 31. dist. can. *Omnino.* Sedebat hic Papa *Leo* 9. anno Domini millesimo quinquagesimo. Pugnat autem ista interpretatio cum sacra Scriptura, quæ imperat redditionem debitæ benevolentiæ, neque alterutri conjugum eam concedit proprii corporis potestatem, ut conjugem non consentientem defraudet. 1 *Cor.* 7. 3, 4, 5. Deinde, cum non reperiantur qui uxoribus suis victum olim & amictum, obtentu pietatis, denegandum docuerint, præter hæreticos illos qui a conjugali thoro, tanquam impuro, abstinendum dicebant, & ne polluerentur dimittebant conjuges, obtentu pietatis; imo cum non suppeditatione victus & amictus, sed solo thori commercio pollui homines existimaverint, neque in denegatione victus & amictus, sed in abstinentia a thoro, quam ἐγκράτειαν vocabant, pietatem collocaverint hæretici ἐγκρατῖται, contra quorum doctrinam canon iste conditus est, sive tunc conditus fuerit quando dæmoniaca illa doctrina caput palam exeruit, sive prius, ut contra venturam pestem homines in antecessum cauti redderentur: hinc liquet mentem istius canonis esse, ut nemo uxorem suam abjiciat, quoad thorum, obtentu religionis, seu pietatis. Sicut etiam eundem canonem intellexit Quinisexta Synodus, can. 13. quæ celebrata est anno Domini 691. Ejus verba inseruit Decreto *Gratianus*, 31. dist. can. *Quoniam.* Et in hunc usque diem, in Græca Ecclesia aliisque ei consentientibus Ecclesiis Orientalibus, Presbyteri conjugati cohabitant cum suis uxoribus. Canon autem ille 13. Quinisextæ Synodi sic clauditur; εἴ τις οὖν τολμήσοι παρὰ τοὺς ἀποστολικοὺς κανόνας κινούμενος, τινὰ τῶν ἱερωμένων, πρεσβυτέρων φαμὲν ἢ διακόνων ἢ ὑποδιακόνων, ἀποστερεῖν τῆς πρὸς νόμιμον γυναῖκα συναφείας τε καὶ κοινωνίας, καθαιρείσθω· ὡσαύτως καὶ εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα προφάσει εὐλαβείας ἐκβάλλει, ἀφοριζέσθω. ἐπιμένων δὲ, καθαιρείσθω. Id est; *Si quis igitur ausus fuerit, contra Apostolicos canones incitatus, aliquem eorum qui sunt in sacris, presbyterorum dicimus, vel diaconorum, vel subdiaconorum, conjunctione cum legitima uxore & consuetudine privare, deponatur. Similiter & si quis Presbyter vel Diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, excommunicetur: atque si perseveret, deponatur.* Hactenus Quinisexta Synodus, can. 13.

Leonis noni, Papa Rom. parexegesis proponitur, & refutatur.

§. 23. *Concil. Nican. 1. Paphnutius.*

In primo Oecumenico Concilio Nicæno cum facta esset mentio de interdicenda clericis consuetudine cum suis uxoribus, quas duxerant cum essent laici; celeberrimus ille Thebaidis superioris Episcopus *Paphnutius*, voce magna intercessit, non esse aggravandum clericorum jugum, esse enim, teste Apostolo, *nuptias honorabiles in omnibus, & thorum immaculatum*, σωφροσύνην δὲ καλῶν καὶ τῆς νομίμου γαμετῆς ἐκάστου τὴν συνέλευσιν. Id est; *Viri cum legitima sua uxore consuetudinem esse præclaram castitatem.* Et a *Paphnutio* persuasus totus ille Episcoporum cœtus, de quæstione illa tacuit, relinquens eorum arbitrio qui vellent a propria uxore abstinere, ex mutuo consensu, κατὰ συμφωνίαν. Historiam hanc memoriæ prodidit *Gelasius Cyzicenus*, lib. 2. Historiæ Concilii Nicæni, cap. 32. Item *Socrates*, Hist. Eccles. lib. 1. cap. 8. & *Sozomen.* lib. 1. cap. 22. & *Gratianus*, 31. dist. can. *Nicæna Synodus.* Eamque contra *Turrianum*

Heb. 13.4.

num & Bellarminum defendit *Gabriel Vasquez*, in 3. partem Thomæ, Disputatione 247. cap. 6.

§. 24. *De extraneis illis mulieribus quas Nicæna Synodus a clericorum excludit contubernio.*

Canon 3. ejusdem Nicæni Concilii prohibet clericum habere subintroductam aliquam mulierem, de qua possit aliqua esse suspicio. Verba canonis sunt, Ἀπηγόρευσε καθόλε ἡ μεγάλη σύνοδος μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν, πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε. *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono. nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem; nisi forte aut matrem aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ omnem suspicionem effugiunt.* *Binius* ex eo quod in hoc canone non fit diserta mentio uxoris, colligit, interdictum clericis esse conjugio. Quam Binii collectionem ἀνακόλουθον esse, & quod ab eo infertur, inane esse figmentum, tum ipsa canonis verba, tum aliorum Patrum expositiones demonstrant. Nam hic canon ad omnes clericos pertinet. At omnibus clericis conjugio interdictum esse nec ipsi dicere sustinent Romanenses. Recitat *Gratianus* hæc *Leonis* verba; *Sancta Romana Ecclesia de gradibus clericorum ait; clericos ostiarios, lectores, exorcistas, acolytos, si extra votum & habitum monachi inveniantur, & continentiam profiteri noluerint, uxorem ducere virginem cum benedictione sacerdotali permittuntur.* 32. dist. can. *Seriatim.* *Epiphanius* scribit, *subintroductas* illas mulieres dictas esse *Dilectas*, τὰς Ἀγαπητὰς λεγομένας συνεισάκτους γυναῖκας, & reprehendit eos qui tales haberent mulieres ministrantes ipsis, τοιαύτας γυναῖκας ἐξυπηρετεμένας αὐτοῖς, Φημὶ δὲ συνεισάκτες, cum quibus occulte turpitudinem operabantur. *Epiphan.* hæresi 63. quæ est Origenianorum priorum, qui *fœdi* nominantur, §. 2. De eis *Hieronymus* in sua ad *Eustochium* virginem epistola, quæ incipit, *Audi filia*, ante medium epistolæ; *Pudet* (inquit) *dicere, proh nefas. Triste, sed verum est: Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum, imo unde novum concubinarum genus? Plus inferam: Unde meretrices univiræ? Eadem domo, uno cubiculo, sæpe uno tenentur & lectulo, & suspiciosos nos vocant, si aliquid existimamus. Frater sororem virginem deserit, cœlibem spernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum, & cum in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spiritale solatium, ut domi habeant carnale commercium. Hujusmodi homines Solomon in Proverbiis spernit, dicens; Alligabit quis in sinu ignem, & vestimenta ejus non comburentur? Aut ambulabit super carbones ignis, & pedes illius non ardebunt?* Hæc Hieronymus. Quæ autem Hieronymo, retenta Græcanica appellatione, *Agapetæ* dicuntur, eas alii Latini Patres *extraneas* vocant. Concil. Carthag. 3. can. 17. *Ut cum omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, sed solæ matres, aviæ, materteræ,* &c. Et Concil. Carthag. 4. can. 46. *Clericus cum extraneis mulieribus non habitet.* Et Concil. Toletan. 4. can. 41. *Cum clericis extraneæ fœminæ nullatenus habitent, nisi tantum mater, soror, filia, amita, in quibus personis nihil sceleris æstimari naturæ fœdus permittit. Id enim & constitutio antiquorum Patrum decrevit.* Et can. 42. ejusdem Concilii Tolet. 4. *Quidam clerici, legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt.* Ubi manifeste distinguitur legitima conjunx, ab extranea muliere, cum qua possit aliquid sceleris æstimari. Quas & sacra Scriptura distinguit ἀντιδιῃρημένας, Prov. 5. 18, 19, 20. & 6. 24. & 22. 14. & 23. 33. *Volumus* (inquit Gregorius) *ut sacerdotes qui in Corsica commorantur, prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur, excepta duntaxat matre, sorore, vel uxore, quæ caste regenda est.* Hæc *Gregorius* 1. Papa Rom. lib. 1. epistolarum ex registro, cap. 5. Eadem verba (omissa commoratione in Corsica) sub nomine *Symmachi* recitat *Gratianus*, 81. dist. can. *Volumus.*

Prov. 6. 27, 28.

§. 25. *De cælibatu judicium Dionysii Corinthii, & Pinyti Cretensis.*

Dionysius Corinthiorum Ecclesiæ Episcopus, & *Pinytus* Cretensis Gnossiæ urbis Episcopus, sub Imperatore Marco Antonino Vero & Lucio Aurelio Commodo floruerunt, teste Hieronymo, in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, id est, circa annum Christi 170. Scripsit autem *Dionysius* ille Corinthius epistolam ad *Pinytum* illum Gnossiæ Episcopum, in qua *Pinytum* monet, *ne cœlibatus grave onus, tanquam necessarium, fratribus imponat, sed infirmitatis multorum rationem habeat.* μὴ τὸ βαρὺ Φορτίον τῆς ἁγνείας, ὡς ἐπάναγκες, ἐπιτεθέναι τοῖς ἀδελφοῖς, τῆς δὲ τῶν πολλῶν ἀσθενείας ὑπαστοχάζεσθαι; & rescribens *Pinytus* ei consensit, ut refert *Eusebius*, lib. 4. Hist. Eccles. cap. 22. κεφ. κγ. Et postea *Nicephorus Callist.* id ipsum suæ inseruit Ecclesiasticæ Historiæ, lib. 4. cap. 8. Ubi Nicephori Latinus interpres *Joannes Langus*, in sua annotatione, hæc Ignatii verba recitat, ex Gnomologico Græco, libro primo, cap. 14. *Cœlibatus jugum nemini imposueris. Est enim res periculosa, & custoditu, cum obtinetur, difficilis, quando ex necessitate servatur. Iuvenibus nuptias permitte, priusquam meretriciis amoribus corrumpantur.* Hæc *Ignatius*, de quo vide lib. 1. Instruct. Historico-Theolog. cap. 3. §. 13.

Et Ignatii Antiocheni.

§. 26. *Eustathianorum heretica doctrina de nuptiis, & impia praxis.*

Concilium Gangrense, tempore *Constantini* Magni Imp. Gangris, quæ est Paphlagoniæ in Asia minore civitas celebratum est, contra Eustathianos Eustathii hæretici sectatores, quorum insana dogmata in procemiali Episcoporum illius Concilii epistola commemorantur; quod, nimirum, nuptias damnarent, & dicerent, neminem in conjugali positum statu spem habere apud Deum. [ὅτι οὐδεὶς τῶν ἐν γάμῳ ὄντων ἐλπίδα παρὰ Θεῷ ἔχει.] Et inde factum esse scribunt, ut multæ mulieres errore isto deceptæ, viros suos relinquerent, & viri pariter suas dimitterent uxores. [πολλαὶ γυναῖκες ὕπανδροι ἀπατηθεῖσαι, τῶν ἑαυτῶν ἀνδρῶν ἀνεχώρησαν, καὶ ἄνδρες τῶν ἰδίων γυναικῶν.] Et quæ religionis causa habebant conventicula, eos non sustinuisse, ut ea in domibus conjugatorum haberent, asserentes non debere orationes fieri in domibus conjugatorum, neque oblationum quæ in illis fierent, participes esse volentes. [ἐν οἴκοις τῶν γεγαμηκότων εὐχὰς ποιεῖσθαι μὴ θελόμενοι, καὶ γινομένων εὐχῶν καταφρονοῦντες· καὶ πολλάκις προσφορῶν ἐν αὐταῖς ταῖς οἰκίαις τῶν γεγαμηκότων γινομένων μὴ μεταλαμβάνοντες.] Et quod presbyteros conjugatos contemnerent, & sacramenta quæ ab eis conficiebantur non attingerent. [καὶ πρεσβυτέρων γεγαμηκότων ὑπερφρονοῦντες, καὶ τῶν λειτουργιῶν τῶν ὑπ' αὐτῶν γινομένων μὴ ἁπτόμενοι.] Et alia quædam falsa, quæ ibi narrantur, docerent. Adversus quos errores conditi sunt in eo Concilio canones, quorum quartus est; Εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔσω. Hunc Gangrensem canonem *Gratianus* Latine sic recitat; *Si quis discernit Presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum* quod

Gangrensis Concilii can. 4. pro Presbyteris conjugatis, contra hæresin Eustathianorum.

quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo abstinet, anathema sit. 28. dist. can. Si quis discernit. In Latina autem versione Dionysii Exigui, illud γεγαμηκότος, transfertur, qui uxorem habuit. Et in Gentiani Herveti versione, qui uxorem duxit. Binius autem, in suis notis in hoc Concilium colligit ex Dionysii versione, agi hic de eo tantum Presbytero qui uxorem habuit etiamsi viventi adhuc maritali consortio non cohabitaret. Sed alienam a Concilii mente, hac quidem in parte, esse Dionysii versionem, atque omnino ineptam & falsam esse istam Binii glossam, manifestum est ex eis quae retulimus ex ejusdem Concilii epistola praeliminari: unde palam fit Eustathianos non pro impuris habuisse eos, qui maritali cum suis conjugibus consortio renunciassent, sed hoc ipsos fecisse, & ab aliis etiam fieri debere dictitasse, pro consequendo statu puritatis; & qui cum conjugibus suis maritali consortio non cohabitarent, eos apud Eustathianos pro puris & sanctis habitos esse: & Patribus Gangrensibus eodem sensu dici τοὺς γεγαμηκότας, atque τὰς ἐν γάμῳ ὄντας, debitam suis conjugibus benevolentiam reddentes. Unde etiam in primo canone ejusdem Concilii, Si quis (inquiunt) matrimonium vituperet, & mulierem fidelem ac religiosam, cum viro suo dormientem [τὴν καθεύδουσαν μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς] detestetur aut culpet, tanquam quae in regnum Dei introire non possit, anathema sit. Et ejusdem Concilii Gangrensis canon decimus est, Si quis ex his qui virginitatem propter Deum servant, tollatur adversum conjugatos, [κατεπαίροιτο τῶν γεγαμηκότων,] anathema sit. Ubi τῶν γεγαμηκότων Dionysius Exiguus vertit, conjugatos: & alia versio habet, in conjugio positos: apud Gratianum, 30. dist. can. Si quis propter Deum. Apostolus ait, Eis autem qui matrimonio juncti sunt [τοῖς δὲ γεγαμηκόσι] praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat. 1 Cor. 7. 10, 11. eodem sensu legitur eodem capite, vers. 33. ὁ γαμήσας, Lat. Vulg. Qui cum uxore est. Sic etiam Clemens Alex. τῷ γεγαμηκότι, supra, §. 7. Ecclesiam Romanam canonum Gangrensium auctoritate in judiciis uti, testis est Leo 4. Papa Rom. apud Gratianum, 20. dist. can. De libellis.

Severini Binii falsa glossa refellitur.

§. 17. *Exempla quaedam Episcoporum Catholicorum, qui temporeEpiscopatus sui cohabitarunt cum suis uxoribus, commercio conjugali.*

Dionysius, Episcopus Alexandrinus, apud Eusebium, lib. 7. Histor. Eccles. κεφ. μβ. cap. 34. narrat, Chaeremonem, civitatis Nili Episcopum, jam grandaevum, cum sua uxore fugisse in montem Arabiae, ob persecutionem Decianam: & constat ex Gregorii Nazianzeni, cognomento Theologi, oratione 19. patrem ejus Gregorium Episcopum in Episcopatu etiam Nazianzeno annos 45. vixisse uxoratum, neque uxorem suam, quae Nonna appellabatur, a se dissociasse, & morte tandem mariti factam esse disjunctionem, de qua matrem suam Nonnam, jam viduam, consolatur utriusque filius Gregorius, oratione illa 19. Idipsum de Gregorii Theologi patre refert Socrates, lib. 4. Histor. Eccles. cap. 25. qui etiam lib. 5. ejusdem operis, cap. 21. κεφ. κβ. scribit, sua aetate, (id est, regnante Theodosio juniore Imp.) Episcopos nulla legis necessitate constrictos esse, ut ab uxoribus suis abstinerent, sed multos eorum etiam liberos ex legitima uxore procreasse, ipso tempore Episcopatus, ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἐπισκοπῆς. Conjugatum etiam fuisse, & sancte in Episcopatu usum esse immaculati thori consorte uxore sua Spiridionem, Trimythuntis oppidi Cypri Episcopum, scribit Sozomenus, lib. 1. Histor. Eccles. cap. 11. Synesius, Episcopus Cyrenes, in suo octavo hymno, qui incipit, Ὑπὸ Δώριον ἁρμογὰν; Deum precatur pro uxoris suae valetudine & conjugali castitate, eam vocans ξυγίων ξυνήονα δεμνίων, id est, consortem ejusdem conjugalis thori: & Deum orans, ut ea furtivi ignara congressus, lectum sequatur sanctum, impollutum, purum, illicitis inaccessum amoribus. Floruit Synesius sub Imperatore Arcadio, junioris Theodosii Patre, cui scripsit librum de Regno, περὶ βασιλείας. Gregorium, Episcopum Nyssenum, Basilii Magni fratrem, laudans Nicephorus, libro undecimo Historiae Eccles. cap. 19. Fuit (inquit) Ecclesiae Nyssenae lux & ornamentum: Vir secundum fratrem doctrina, moribus, & vitae sanctitate spectatus. Et quamvis is conjugem habuerit, rebus tamen aliis fratri minime cessit. Haec Nicephorus Callisti, Joanne Longo interprete. Gregorius, Episcopus Turonensis, in sua Historia Francorum, lib. 10. cap. ult. enumerans Episcopos Turonenses, Quartus decimus (inquit) Francilio, ex Senatoribus ordinatus Episcopus, civis Pictavus, habens conjugem Claram nomine, sed filios non habens. Haec ille. De Hilario autem Pictavorum Episcopo, (qui regnante Constantio Imperatore florebat, & mortuus est regnantibus Valentiniano & Valente Impp.) de Magno, inquam, illo Confessore Hilario sic canit Baptista Mantuanus, lib. 1. Fastorum.

Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitimo conjuncta thoro: non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, taedas.
Sola erat in pretio, quae nunc incognita virtus
Sordet, & attrito vivit cum plebe cucullo.
Propterea leges quae sunt connubia contra,
Esse malas quidam perhibent: prudentia Patrum
Non satis advertit, dicunt, quid ferre recuset,
Quid valeat natura puti: cervicibus, aiunt,
Hoc insuave jugum nostris imponere Christus
Noluit: istud onus, quod adhuc quamplurima monstra
Fecit, ab audaci dicunt pietate repertum.
Tutius esse voluit qua lex divina finebat
Ire via, veterumque sequi vestigia Patrum;
Quorum vita fuit melior cum conjuge, quam nunc
Nostra sit, exclusis thalamis & conjugis usu.

Haec Baptista Mantuanus, qui natus anno Domini 1448. vixit ad annum Domini 1516. quo anno mortuus est. Eum Antonius Possevinus, in Apparatu Sacro, vocat insignem Theologum, & Poëtam vere pium.

§. 18. *Lex coelibatus multa peperit mala.*

Quod autem queritur Mantuanus, legem coelibatus multa peperisse monstra, communis est querimonia, de stupris & adulteriis inde natis, ut apud multos Proverbio locum fecerit Ecclesiasticorum & Monasticorum hominum infamis lubricitas. Cui etiam palliandae atque adeo fovendae, adinventae sunt in jure Pontificio glossae quaedam parum verecundae, cujusmodi hae sunt; Pro simplici fornicatione hodie non deponitur. caus. 2. quaest. 7. can. Lator. Item; De clerici adulterio non creditur Laicis, quia Laici oppido nobis infesti sunt. 81. dist. can. Presbyter aut Diaconus. Item; Si clericus complectitur mulierem, interpretabitur quod causa benedicendi eam hoc faciat. Caus. 11. qu. 3. can. Absit. Item; Minus punitur aliquis propter fornicationem, quam propter aliud crimen. Hoc ideo, quia pauci sine illo crimine inveniuntur. Caus. 15. qu. 8. can. Qui admisit. Nempe dum Apostolica doctrina contemnitur, qua monuit Apostolus, ut propter forni-

Glossa quaedam minus verecunda.

catio-

1 Cor. 7. 2. *cationem, unusquisque uxorem suam habeat; & unaquaque virum suum habeat*; eique obstinate anteponitur doctrina dæmoniorum, & mandata 1 Tim. 4. 3. hominum κωλυόντων γαμεῖν; fit ut pauci fine fornicationis crimine inveniantur. Propterea di- *Pii 2. Papa Rom. judicium denuo videri. pium Sacerdotum.* xisse fertur *Pius* 2. Papa Rom. *Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, majori restituendas videri.* Testis est *Platina*, in ejusdem *Pii* vita. Divina autem Scriptura ait; *Honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus: forni-* Hebr. 13. 4. *catores autem & adulteros judicabit Deus.* Quam *Fornicatio est grave peccatum.* non leve sit fornicationis crimen, hinc facile colligas, & ex Apostoli dissertatione, 1 *Cor.* 6. vs. 9, 18. & seqq. & ex *Apoc.* 25. 8. & 22. 15. multisque aliis divinæ Scripturæ locis. Et cum Apostolus vitandæ fornicationi remedium conjugale non solum generaliter omnibus proposuerit, *Præsertim in Sacerdote.* 1 *Corinth.* 7. 2. sed specialiter etiam hoc ipsum remedium commendaverit Pastori Ecclesiastico, quem eligi jubet *unius uxoris virum*, 1 Timoth. 3. 2. Tit. 1. 6. Tripliciter peccat Pastor Ecclesiasticus, qui neglecto nuptiali remedio, fornicatione se contaminat. 1. Scortando. 2. Sacrum officium suum dehonestando. 3. Remedium ei a Domino propositum contemnendo, ipsique fornicationem anteponendo. Quibus accedit quartum peccatum mali exempli & dationis scandali, *Meretur depositionem.* si ejus turpitudo aliis innotescat. Merito igitur in clericum fornicationis convictum constituta sanctio est, ut deponatur. Can. Apost. can. 24.

§. 29. *Virginitas suaderi & optari potest, at imperari non potest, nec voto promitti. Vide sup. §. 4.* *Ambrosius*, apud Gratianum; *Integritas* (inquit) *corporis expetenda a nobis est, quam ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola est enim Virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest: res magis voti, quam præcepti est.* Caus. 32. qu. 1. can. *Integritas.* Imo vero non voti res est, si votum interpreteris promissionem Deo factam: hujusmodi enim voto virginitatis, quod absque certitudine aut divina promissione doni ad ejus impletionem necessarii nuncupatur, non delectatur Deus, sicuti docui in annotatione de Votis in Patris mei Stelitenticum, §. 55. Sin autem votum accipias pro optatione, concedo Virginitatem rem voti esse, est enim optabilis & commendabilis, ob rationes quæ ab Apostolo ad Corinthios ea de re scribente adferuntur. *Ambrosius* 1 Cor. 7. 25. alibi ait; De Virginibus, inquit *Apostolus*, præceptum Domini non habeo. *Si Doctor gentium non habuit, habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit, sed habuit exemplum. Non enim imperari potest Virginitas, sed optari. Nam quæ super nos sunt, in voto magis quam in magisterio* Vers. 32. & c. Vide sup. §. 7. *sunt.* Sed volo vos, *inquit*, sine sollicitudine esse. *Nam* qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. *Nam* quæ nupta est cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro. *Non ego quidem dissuadeo matrimonium, sed Virginitatis attexo beneficium.* Hæc *Ambrosius*, lib. 1. de Virginibus, ad *Marcellinam* sororem, ante medium illius libri.

Caput XXXIV.

De dimissione seu Renunciatione officii, & beneficii Ecclesiastici cum Hypomnemate de secundis nuptiis.

§. 1. Dimissio seu Renunciatio officii sacri duplex est, una oneris tantum, non autem honoris; altera est oneris & honoris; hanc distinctionem habes, *Extra*, de ordinatis ab Episcopo qui renunciavit Episcopatui. cap. 1. *Requisivit.* Item, de Translatione Episcopi, cap 2. *Inter corporalia* §. *Sicut autem.* Et traditur, secundum hanc distinctionem alia etiam distinctio, quod, scilicet Episcopus, qui tantum loco vel oneri renunciavit, possit ab alio Episcopo rogatus ordines conferre; at vero qui ipsi etiam dignitati renunciavit, non possit sacros ordines conferre. *Extra*, de Ordin. ab Episc. qui renunciavit Episcopatui. cap. 1. Ubi observat author glossæ, ipsam resignationem dignitatis resignanti non auferre ordinem, sed executionem, ac propterea cum non habeat jam executionem sui officii, eam alii conferre non posse, quia quod non habet dare non potest, & pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui de jure dare non potest. Hæc ibi.

Non permittitur autem clerico renunciare, inconsulto superiore, & non interveniente ejus consensu. *Extra*, de renunciatione. cap. 4. *Admonet.* Et cap. 10. *Nisi cum.* §. *Monemus.* §. 2.

De jure Communi prohibetur renunciatio; nam Episcopus aliusve clericus a suscepto semel munere Ecclesiastico non debet temere discedere. Unde *Nicolaus* Papa, Episcopos, (inquit) qui Dominici gregis suscipiunt curam atque sollicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamen eorum salubriter augeatur, & triplicetur fructus. Causa 7. qu. 1. *Pontifices.* Et *Zacharias* Papa scribens *Bonifacio* Moguntino Archiepiscopo; petisti (inquit) ut cum nostro consulto pro superveniente tibi senectute atque corporis imbecillitate, si poteris invenire alium in eadem sede in qua præes, pro tua persona debeas collocare. Nos vero, adjutore Deo, consilium præbemus tuæ Sanctitati, ut pro salute animarum rationabilium, fautore Christo, sedem quam obtines Maguntinæ Ecclesiæ nequaquam relinquas. caus. 7. qu. 1. can. *Petisti.* Item *Alexander* tertius scribens Londonensi Episcopo, missionem a militia Episcopali postulanti, si tuam (inquit) aut senectutem aut insufficientiam forte considerans, te tanquam immeritum postulas relaxari, scito nos credere quod tutius sit hoc tempore si commissa tibi Ecclesia sub umbra in nomine gubernetur, quam si alteri novæ incognitæ personæ gubernanda in tanto discrimine committatur: maxime quia in te vigor devotionis & fidei (etiam corpore senescente) non deficit, sed vergente deorsum conditione corporea, fervor Spiritus in sublimiora conscendit. —— Monemus te igitur ut super hoc diebus istis nulla te facias importunitate molestum; quia indecens omnino probatur, prius solvere militiæ cingulum, quam cedat victori adversitas præliorum. *Extra*, de renunciatione cap. 5. *Literas.* Ubi author glossæ annotat, illum frustra velociter currere, qui, priusquam ad metas perveniat, deficit: & magis delinquere eum qui interceptam causam dimittit, quam qui nunquam ad causam venit. Item *Innocentius* tertius, scribens Episcopo Arelatensi cessionem cogitanti, Nonne recolis (inquit) quid ille gloriosus Pontifex * dixit, quum cœpisset viribus ** Beatus Martinus gloss.* corporis repente destitui, Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua; illius exemplum sequutus qui dixit, cupio dissolvi & esse cum Christo, manere autem in carne necessarium est propter *Philipp. 1.* vos: —— Quippe si quantocunque virtutum flore refulgeas, & in te non habeas charitatem, nihil te comprobaris habere, nulla siquidem major poterit esse charitas, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, quum autem propter hanc

hanc te deceat animam tuam pro subditis tuis ponere, nulla occasione (dummodo proficere illis possis, etsi non omnibus, tamen multis,) ab eorum regimine te convenit excusare: quoniam si laboris causam prætendis, exemplum te Apostoli sublevabit, qui suadet tibi laborem hujusmodi non refugere, dum se asserit pro communi salute plus omnibus laborasse. *Extra*, de renunciatione cap. 10. *Nisi cum.*

§ 4. Cessionem tamen & ipsi canones non improbant, ut patet ex eis quæ citavimus ex Decretalibus, titulo, de ordinatis ab Episcopo qui renunciavit Episcopatui, cap. 1. Item tit. de translatione Episcopi, cap. 2. *Inter.* Ubi dicit *Innocentius* Tertius, quod possit esse aliquis Episcopali præditus dignitate, qui tamen nullius Ecclesiæ sit Episcopus, contingere enim ut quis oneri pontificali renunciet, non honori.

§. 5. Idem *Innocentius*, cap. 10. *Nisi. Extra*, de renunciatione; sex ponit causas propter quas Episcopus cedendi licentiam merito petere possit: nempe, 1. *Debilitatem corporis.* 2. *Defectum scientiæ.* 3. *Conscientiam criminis.* 4. *Irregularitatem personæ.* 5. *Malitiam plebis.* 6. *Grave scandalum.* Quas causas sive casus author argumenti capitis, hoc disticho comprehendit.

Debilis, ignarus, maleconscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Harum causarum explicatio eodem capite ponitur in hunc modum.

1. *Debilis*] Debilitas ista vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit. Nec tamen omnis debilitas justa causa est cedendi, sed illa solummodo, per quam impotens redditur homo ad exequendum officium pastorale. Nam si pro qualibet corporali debilitate susceptæ servitutis officium posset deseri: frustra fateretur se Apostolus in suis infirmitatibus gloriari. Cum interdum non plus hortetur senilis debilitas aliquem cedere, quam moralis maturitas (quæ in senibus esse solet) ipsum in suo suadet officio permanere: pro talibus enim de se dicit Apostolus, cum infirmor tunc fortior sum, quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat.

2. *Ignarus.*] Quum scientia circa spiritualium administrationem sit potissimum necessaria, & circa curam temporalium opportuna, præsul qui commissam sibi debet Ecclesiam regere in utrisque, salubriter ei renunciat, si scientiam (in qua ipsam
Hose. 4. 6. regat) ignorat. Tu enim (inquit Dominus) scientiam repulisti & ego te repellam ne sacerdotio fungaris mihi. Quanquam & si desideranda sit eminens scientia in pastore, in eo tamen sit competens toleranda, quia secundum Apostolum, Scientia inflat, charitas autem ædificat, & ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis.

3. *Maleconscius*] Propter conscientiam criminis cedendi potest licentia postulari: & forsitan non cujuslibet, sed duntaxat illius, propter quod ipsius officii executio post peractam pœnitentiam impeditur: quum si omnes quos arguit conscientia cujuslibet culpæ cederent, pauci vel nulli in illo ministerio remanerent. Quæ ergo sunt crimina, (ait ibi autor glossæ) quæ post peractam pœnitentiam impediunt executionem ordinis? Respondet; Simoniam esse unum de illis, item homicidium, item omne peccatum quod ipso jure irrogat infamiam; quia licet culpa per pœnitentiam tollatur, infamia tamen non aboletur. In istis enim criminibus quæ post pœnitentiam impediunt executionem ordinis, aut beneficii retentionem, debet Episcopus petere licentiam cedendi: quia pœnitere non potest nisi renunciet. In aliis vero criminibus, de quibus potest pœnitere, remanendo in officio suo, non tenetur petere cessionem. Hæc ille. Vide etiam hac de re, *Extra*, de temporibus ordinationum & qualitate ordinandorum, cap. 17. *Quæsitum.*

Irregularis.] Irregularitatis exemplum haud idoneum adfert *Innocentius*, loco superius citato, 4.
[*Extra*, de renunciatione, cap. 10. *Nisi.*] Puta, *Hypomnema, de secundis nuptiis.*
si secundas nuptias contraxerit, vel si viduæ sit maritus. Neutrum istorum a clericatu arcet lex divina. Viduam quidem ducere vetabatur olim summus sacerdos, non item cæteri sacerdotes de stirpe Aaronis, *Levit.* 21. 7, 14. sed in Novo Testamento sublatis illis figuris Leviticis, nemo est qui lege illa, secundum literam intellecta, nunc teneatur: atque si importuni esse velint de lege illa antiqua, eamque Episcopis & Presbyteris servandam esse judicent, concedant igitur Episcopo ut virginem in uxorem ducat, & Presbyteris liceat etiam viduas ducere, & jam in clero constituti tum Episcopi, tum Presbyteri, maritali consortio cum uxoribus suis cohabitent. Legis autem illius summo sacerdoti latæ de ducenda virgine, sensum mysticum, indicat *Isychius* Hierosolymitanus, lib. 6. in Leviticum, nempe per virginem significari Ecclesiam credentium in Christum, de qua Paulus dicebat; *Despondi vos*
uni viro, virginem castam exhibere Christo. Et 2 Cor 11.
quemadmodum societas fidelium sponsa est, sic 2.
& animam uniuscujusque fidelis esse Dei sponsam. Locum etiam illum Ezechielis constat esse mystice accipiendum, *Ezech.* 44. *vers.* 22.
Dico autem (inquit Apostolus) *innuptis & viduis*
bonum est eis si manserint, ut ego. Quod si se non 1 Cor. 7.
continent, nubant. Ubi quoad jus matrimonii 8, 9. &
pares facit viduas cum aliis innuptis; & postea vers. 39.
eodem capite; *Uxor alligata est lege quamdiu vivit vir ipsius: quod si obdormiverit vir ipsius, libera est, ut cui velit nubat, tantum in Domino.*
Et in alia epistola, scribens de viduis, Volo ju- 1 Tim. 5.
niores nubere, filios procreare, *matres familias* 14.
esse. Quem locum Chrysostomus sic exponit; 1 Tim. 5. 2.
ἐπειδὴ αὐται βούλονται, βούλομαι κἀγὼ νεωτέρας & Tit. 1. 6.
χήρας γαμεῖν, &c. Quod autem idem Apostolus scribit de Episcopo, oportere eum esse *unius* *De unius*
uxoris virum; id quidam ita acceperunt, ac si *uxoris vi-*
ille qui post baptismum secundas contraxisset *ro.*
nuptias admitti non posset ad Episcopatum aut Presbyteratum. Et hanc quidem interpretationem recipit *Hieronymus*, in sua epistola ad *Oceanum:* aliam tamen ibidem affert quæ simplicior & congruentior & vera est interpretatio; *Hoc* (inquit) *quod dicit, unius uxoris virum, potest & aliter disseri. Ex Judæis erat Apostolus. Prima Christi Ecclesia de Israël reliquiis congregabatur. Sciebat lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Moysi familiari populo noverat in multis uxoribus liberos spargere: ipsis quoque sacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo, ne eandem licentiam Ecclesiæ sibi vendicent sacerdotes: ne bina pariter & trina conjugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore uxores habeant.* Hæc *Hieronymus* epist. ad *Oceanum*, quæ incipit; *Nunquam fili Oceane.* Et hoc etiam modo, nimirum, ut uno tempore [κατὰ τ'αὐτὸν] non habeat Episcopus duas uxores, verba Apostoli in suis commentariis interpretantur *Chrysostomus*, & *Theodoretus.* Vide etiam alium insignem *Theodoreti* locum, quem ex ejus epistola 110. ad *Domnum*, Episcopum Antiochenum adducit *D. Andreas Rivetus*, in suo con-

tra *Hugonis Grotii* votum Apologetico, sectione 94.

1 Tim. 5. 9. Unius viri uxor.

Eodem modo accipiendum illud de vidua, *quæ fuerit unius viri uxor.* 1 Tim. 5. 9. Id est, quæ non est fornicata, nec fuit adultera, neque a viro citra causam adulterii sejuncta, nupsit alteri, secundum Judæorum consuetudinem: [*Matth* 19. 8, 9.] neque etiam concedente marito, dedit alteri usuram corporis sui, commodata videlicet illi alteri in uxorem usurariam, (ut Plautina utar dictione,) id quod apud gentiles fiebat. *Omnia* (inquit Tertullianus) *indiscreta sunt apud nos præter uxores: in isto loco consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent. Qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed & sua amicis patientissime subministrant, ex illa (credo) majorum & sapientissimorum disciplina Græci Socratis & Romani Catonis, qui uxores suas amicis communicaverunt.* Hæc *Tertullianus*, Apolog. cap. 39. In quem locum Paraphrasis *Francisci Zephyri* sic habet; omnia Christianorum communia, præter uxores: Hic tantummodo consortium omne communionemque penitus castitatis amore dissolvimus, ubi cæteri turpiter labuntur. Quid enim, si sapiens ille *Socrates* apud Græcos, uxorem suam tanquam armenti matricem amico suo ad propagandam sobolem concessit, & *Cato* apud Romanos *Marciam* suam *Hortensio* flagitanti, de conjugiis aliorum sperandum? Hæc ibi. *Lycurgum* etiam Lacedæmoniis legem dedisse de istiusmodi uxorum communicatione, legimus apud *Xenophontem*, libro de Lacedæmoniorum Republica, *εἰ δέ τις αὖ γυναικὶ μὲν συνοικεῖν μὴ βούλοιτο, τέκνων δὲ ἀξιολόγων ἐπιθυμοίη, καὶ τούτῳ νόμον ἐποίησεν, ἥν τινα ἂν εὔτεκνον καὶ γενναίαν ὁρῴη, πείσαντα τὸν ἔχοντα, ἐκ ταύτης τεκνοποιεῖσθαι. καὶ πολλὰ μὲν τοιαῦτα συνεχώρει. αἵ τε γὰρ γυναῖκες διττοὺς οἴκους βούλονται κατέχειν, οἵ τε ἄνδρες ἀδελφοὺς τοῖς παισὶ προσλαμβάνειν, οἳ τοῦ μὲν γένους καὶ τῆς δυνάμεως κοινωνοῦσι, τῶν δὲ χρημάτων οὐκ ἀντιποιοῦνται.* Hæc *Xenophon*, in suo libro qui inscribitur *Λακεδαιμονίων πολιτεία.*

Montanistica interpretatio unius uxoris viri *refutatur.*

Interpretatio illa verborum Apostoli, de *Episcopo unius uxoris viro*, qua cum a sacerdotio excludunt, qui bis uxorem duxerit, nempe una mortua, secundas cum alia contrahens nuptias, non fuit apud catholicos recepta tempore *Tertulliani*, qui jam in Montani hæresin prolapsus, adeoque secundas nuptias damnans, exprobrat catholicis, quod apud illos digami præsideant, lib. de Monogamia, cap. 12. Id quod etiam verba *Theodoreti* luculenter confirmant, in illa ejus memorata ad Domnium epistola, quæ & apud *Baronium* Cardinalem invenitur, ad annum Christi 448. sect. 10. Montanista *Tertullianus* male exponens Apostoli verba, excludit ab Episcopatu, vel Presbyteratu, vel Diaconatu eum qui nuptias iteravit; & inde infert, omnibus Christianis interdictas esse secundas nuptias. Huic argumento respondentes catholici, negabant antecedens, de monogamia cleri; negabant etiam & consequentiam. Negasse eos antecedens declarat eorum praxis, præsidentibus digamis: quam catholicorum praxin *Tertullianus* coarguere nititur, violenta principii petitione;

Tertullian. lib. de Monogamia, cap. 12.

Quod enim (inquit) *& digami præsident apud vos, insultantes utique Apostolo, certe non erubescentes cum hæc sub illis legantur.* Consequentiam autem sic probat; si ad solos Episcopos pertinet illud de unius uxoris viro, & ea lege cæteri Christiani non teneantur, ergo & reliqua illa, quæ requirit ibidem Apostolus in eo qui ordinandus est Episcopus, ut scilicet, sit *irreprehensibilis, sobrius, non vinolentus, non percussor*, &c. solis incumbent eis, qui Episcopi ordinandi sunt. Aliis autem licita erunt, quæ ibi Episcopis interdicuntur, quod absurdum est. Quod certe Montanistarum argumentum, concessa ista interpretatione, *unius uxoris viri*, non potest idonea responsione solvi. Cedo enim, quæ ratio prohibiti Episcopo secundi conjugii ostendi alia potest, nisi vel immunditiei, vel consideratio impedimenti secularis? si prior, vicerunt Montanistæ. Non autem posterior; quia etiamsi ambæ uxores jam mortuæ sint, neque ulli superlint liberi, excluditur tamen secundum istam expositionem vir ille, ut non possit cum eo dispensari, ut sit Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus; cum tamen admittatur monogamus, cujus uxor adhuc & liberi ex ea suscepti vivant, quibus eum suppeditare oportet victum & amictum. Sed neutra, inquies, istarum rationum huc pertinet: verum attenditur ratio sacramentalis. *Propter sacramenti defectum*, (ait Innocentius) *inhibitum est, ne bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros ordines promoveri: quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius.* Hæc *Innocentius* 3. Papa Rom. *Extra*, de bigamis, cap. 5. *Debitum.* Et eodem titulo dicitur, non posse dispensari, ut bigami ad sacros ordines promoveantur, vel in eis si promoti fuerint remaneant. cap. 2. *Super.* nec viventibus uxoribus, nec defunctis. eod. tit. cap. 3. *De bigamis.* Si quæras, quis sit iste defectus sacramenti; respondent, quia non est ibi sacramentum unitatis, cum carnem suam bigamus diviserit in plures, recedendo ab unitate. in glossa, in proœm. dist. 26. & in glossa, in cap. 2. *Super eo. Extra*, de bigamis. Et cap. 5. *Debitum.* eod. tit. Sed quid si cum secunda uxore non fuit commixtio carnis? Respondet Papa Innocentius Tertius, talem virum non censeri bigamum, & posse eum promoveri: bigamiam enim quoad iteratum conjugium, quæ irregularitatem inducit, non esse, ubi utrumque conjugium non est commixtione corporum consummatum. *Extra*, de bigamis. cap. 5. *Debitum.* Jam hæc omnia gratis dicuntur, nulla enim istiusmodi irregularitatis ratio ex Scriptura divina ostendi potest: ut taceam Romanenses arcere clerum a sacramento matrimonii. Neque necesse est clerico esse aut fuisse conjugatum, adeoque non requiritur in eo perfectio ista sacramenti matrimonii. Præterea matrimonium non esse sacramentum Novi Testamenti proprie dictum prolixe contra Romanenses docuimus, lib. 9. Instruct. Historico-Theologicarum, cap. 8. Si quæras, num ille qui unam uxorem habuit antequam baptizaretur, & ea mortua duxit aliam post baptismum, excludatur a sacris ordinibus, per verba illa Apostoli, de unius uxoris viro: 1 *Timoth.* 3. *vers* 2. Respondent Romanenses, affirmando talem omnino excludi lege Apostolica. dist. 26. can. *Deinde.* At istam interpretationem, ut ineptam ridet, & ut absurdam ex professo prolixe refutat *Hieronymus*, in sua epistola ad *Oceanum*, quæ incipit, *Nunquam fili Oceane.* Ubi etiam scribit plurimos fuisse suo tempore tales digamos in sacris ordinibus, non enim tales esse ab Apostolo exclusos. *Omnis* (inquit) *mundus his ordinationibus plenus est, non dico de Presbyteris, non de inferiori gradu: ad Episcopos venio; quos si sigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminensis Synodi multitudo superetur.* Hæc ibi *Hieronymus.* Si quæras,

Quadringentos & amplius Episcopos Ariminum convenisse, scribit Sulp. Severus, lib. 2. Sacræ Historiæ.

cum

cum Presbyter plures habens concubinas carnem suam dividat in plures, (*An nescitis*, inquit Apostolus, *quod qui adhæret meretrici, u-* 1 Corinth. 6. 16. *num corpus est? erunt enim, inquit, duo in carne una, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν,*) num ideo fiat irregularis, ut cum illo dispensari non possit, ut sit in sacro ordine, vel officio fungatur sacri ordinis? Respondet *Innocentius* 3. Papa Rom. *Sane* (inquit) *postulasti per sedem Apostolicam edoceri, si Presbyteri plures concubinas habentes, bigami censeantur. Ad quod duximus respondendum; quod cum irregularitatem non incurrerint bigamiæ, cum eis, tanquam simplici fornicatione notatis, quoad executionem sacerdotalis officii, poteris dispensare. Extra*, de bigamis. cap. 6. *Quia circa.* Ubi autor glossæ exclamat, *Nota mirabile! quod plus* 1 Tim. 3. 2. *habet hic luxuria, quàm castitas.* Quasi vero Apostolus scribens oportère Episcopum unius esse uxoris virum, solam excludat honestatem nuptiarum, & portam relinquat apertam scortationi. Infelicitas derempti, uxoris morte, prioris conjugii, unde factum ut secundæ secutæ sint nuptiæ, honestæ & immaculatæ, imputatur, & libido meretricia extenuatur, & damnabilis turpitudo per dispensationem coronatur. Viden' quam fœtida sit Romanensium de Monogamia doctrina? quam detestandum sit impudicitiæ magisterium? & quam impurus sit eorum cœlibatus? *Ἀθετοῦσι γάμον, καὶ οὐ παύεται ἀπ' αὐτῶν ἡ λαγνεία. μολύνουσι δὲ ἑαυτῶν τὸ σῶμα, καὶ τὸν νοῦν, καὶ τὴν ψυχὴν, ἐν ἀσελγείᾳ*: ut verbis utar Epiphanii Hæres. 63. §. 1. ubi agit de hæreticis illis Origenianis qui *αἰσχροὶ*, id est, *fœdi* nominabantur. Dubitavit *Hostiensis* de dispensatione cum bigamo, ut ad sacros ordines promoveatur, vel promotus in eis maneat: & videtur consentire (ait de eo glossa,) ne videatur diminui potentia Papæ; quod possit dispensare cum bigamo. Gloss. in cap. 2. *Super eo. Extra*, de bigamis. Et *Bellarminus* dispensari posse dicit, ut Episcopus secundam ducat uxorem. lib. de clericis. cap. 24. §. *Contra vero.* At certe in illis quæ divina lege prohibentur non posse Papam dispensare, docet *Innocentius* 3. Papa Rom. *Extra*, de restitutione spoliatorum. cap. 13. *Literas.* Unde *Lucius* 3. Papa Rom. *In bigamis* (inquit) *contra Apostolum dispensare non licet; ut debeant ad sacros ordines promoveri, vel in eis si promoti fuerint remanere. Extra*, de bigamis. cap. 2. *Super eo.* Fluctuant igitur super ista verborum Apostoli expositione quidam non incelebres Romanenses, & in diversas conjecturas dissoni abripiuntur. Simplex & vera expositio est ea quæ superius nobis allata est ex *Hieronymo*, & *Chrysostomo* & *Theodoreto*, ut plures uno tempore uxores non habeat, neque vaga libidine aliorsum feratur. Secundæ autem nuptiæ, post prioris uxoris mortem, vel contractæ cum vidua & consummatæ cum ea nuptiæ, hominem non faciunt irregularem ad obtinendum vel ad retinendum ordines sacros & gradum ac functionem pastoralem.

Interea personæ irregularitatem causam esse idoneam non inficiamur, propter quam possit & interdum etiam debeat peti & concedi cedendi licentia: puta, si promoto desit necessaria ætatis judiciique maturitas & pastoralis facultas, quam sacræ literæ & ipsa communis ratio, & muneris ipsius natura postulant. At vero non quælibet canonica irregularitas personæ sufficit, ut qui alias idoneus est, & laudabiliter in officio se gessit, cedendi licentiam vel petat, vel accipiat; utpote, si de legitimo matrimonio non sit natus. *Extra*, de renunciatione. cap. 10. *Nisi.* Vel si ex Laico statim fiat Episcopus, sicut promoti sunt *Ambrosius*, Mediolanensis, & *Nectarius*, Constantinopolitanus, Episcopi. Jam pergo ad aliarum duarum causarum explicationem ab *Innocentio* tertio Papa Romano traditam, ut legere est, *Extra*, de renunciatione. cap. 10. *Nisi cum.*

Quem mala plebs odit] Propter malitiam plebis 5. (inquit *Innocentius*) cogitur interdum prælatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam; sed propter ejus duritiam, quo magis satagit, eo magis justo judicio deficere permittatur. Dicente Domino per Prophetam; Lin- Ezech. 3. 26. guam tuam adhærere faciam palato tuo: quia domus exasperans est. Et Apostoli leguntur dixisse Judæis; Ecce convertimur ad gentes, quia Actor. 13. 46. verbo Dei vos indignos fecistis. Non tamen pro qualibet culpa pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venien- Joh. 10. 12. tem, & dimittit oves, & fugit. Sed de superioris licentia, tunc demum potest non tam timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos, & qui debuerant humiliter obedire, irrevocabiliter contradicunt. Cum etsi tales sint graviter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore utiliter tolerandi: quia sanguinem elicit qui nimis emungit. Hæc de ista cau- Prov. 30. 33. sa, *Innocentius* 3. Papa Rom. *Extra*, de renunciatione. cap. 10. *Nisi cum.* Huc referri potest illa *Martyrii* Antiocheni renunciatio, lib. 3. Instructionum Historico-Theologicarum, cap. 12. §. 2.

Dans scandala] Hæc sexta est causa, de qua 6. idem *Innocentius*, loco citato, ait; pro gravi quoque scandalo (quum aliter sedari non potest) licet Episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem, quam æternam videatur affectate salutem; memor illius quod dicit Aposto- 1 Corinth. 8. 13. lus, si esca scandalizaverit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. Sed inter scandalum & scandalum est subtiliter distinguendum, sicut Dominus ipse distinxit, cui cum dixissent Apostoli, scis quia Pharisæi hoc verbo scanda- Matth. 15. 12, 13, 14. lizantur: Respondit, sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Alibi vero dixit, qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo Matth. 18. 6. ejus & demergatur in profundum maris. Hæc ibi *Innocentius*.

Atque hæc est illa sex memoratarum causarum §. 6. explicatio, quæ traditur; *Extra*, de renunciatione. cap. 10. *Nisi.* Ubi & quædam injuste cedendi seu renunciandi causæ refelluntur; puta. 1. Zelus melioris vitæ. 2. Humilitas. 3. Otii captatio. 4. Laboris & molestiarum fuga. 5. Inspirationis divinæ prætextus. Has 5. causas his versiculis poteris comprehendere.

[1] *Sanctior ut fias*, [2] *humilemve ostendere possis,*
[3] *Otia vel captes*, [4] *sanctos fugiasve labores,*
[5] *Divini vel prætextu dictaminis, haud fas*
Pastorale tibi munus dimittere pastor.

Refutatio istarum causarum, loco citato Decretalium, tit. de renunciatione, cap. 10. sic se habet.

Sanctior ut fias] Sic alloquitur *Innocentius* E- 1. piscopum Arelatensem, cedere cupientem; Si in hujusmodi cessione frugem tibi melioris vitæ promittis, scire te debes non esse Sanctificato in utero (scilicet *Hieremia*, gloss.) sanctiorem; & ideo non oportet te prædicationis jam susceptæ deserere ministerium: quum ille cujus fieri bajulus recusabat, tandem prædicandum receperit verbum Dei.

2. *Humilemve ostendere possis*] Quod si forsan humiliatis causa de culmine quæris pontificali descendere, eo ipso humiliatis videris erigere male verticem, quod te nimis in resignandi proposito exhibes pertinacem: quia tunc in te veram humilitatem custodies, quum & per eam locum sublimem fugies, & per obedientiam non dimittes.

3. *Otia vel captes*] Otiositas & voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseras animas captivandas, ideo propter eam facta cedendi postulatio non est discreta nec admittenda.

4. *Sanctos fugiasve labores*] Propter laboris angustias aut persecutionis incursus non debes desere. Sciens quod beati sunt isti, qui persecutionem patiuntur propter Justitiam, quoniam quum probati fuerint accipient coronam vitæ, quam re-
Jac. 1. 14. promisit Deus diligentibus se. Item, si laboris causam prætendis, exemplum te Apostoli Pauli sublevabit, qui suadet tibi laborem hujusmodi non refugere, dum se asserit pro communi salute plus cæteris laborasse.

5. *Divini vel prætextu dictaminis*] Sed dices, Spiritus ubi vult spirat, & nescis unde veniat,
Joh. 3. 8. aut quo vadat. Et ideo non est qui possit vias illius spiritus perscrutari: qui vero Spiritu Dei aguntur non sunt sub lege; quoniam ubi Spiritus Dei, ibi libertas: Quare si cedendi tibi licentia data ab homine non fuerit; nihilominus tamen cedes: quia data est tibi libertas cedendi a Deo. Certe desipis si sic sapis: nam quomodo Spiritu Dei agitur qui contra Spiritum Dei agit, si enim vera sunt quæ præmisimus (immo quia indubitanter sunt vera,) procul dubio contra Spiritum
1 Corinth. 15. 10. Dei agit qui aliquid contra veritatem attentat, quoniam ipse est Spiritus veritatis. Porro si dicas, quod forsan alia est causa latens propter quam recedendi voluntas tibi cœlitus inspiratur: & nos respondemus; Tu quomodo scis, quod talis inspiratio sit cœlestis? Nonne recolis quod ille gloriosus Pontifex dixit, cum cœpisset viribus corporis repente destitui, * *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua.* Illius exemplum secutus, qui dixit; *Cupio dissolvi & esse cum Christo: manere autem in carne necessarium est propter vos.* [Phil. 1. 23, 24.]

* Verba sunt B. Martini, Episcopi Turonensis, referente Sulpicio Severo, Bituric. Episc. epist. 3. ad Bassulam socrum suam.

§. 7. Atque in hunc modum, & recte quidem, falsas istas seu injustas cedendi causas refellit *Innocentius*, admissis illis sex idoneis causis, propter quas liceat cedendi petere libertatem.

§. 8. Quæ autem de istis causis in utramque partem dicta sunt, ea ad ipsum etiam Romanum Pontificem canones extendunt. Et quod dicitur, necessarium esse superioris consensum; Respondent canonistæ, id locum habere de iis qui habent superiorem. Quamvis melius respondere potuissent, ne ipsi quidem Pontifici Romano fas esse renunciare, absque fratrum consensu, juxta regulam Apostolicam, quæ præcepit, ut spiritus Prophetarum subjecti sint Prophetis 1 *Cor.* 14. 32. Prophetarum autem consessus cui Propheta quilibet subjicitur estsuperior illo Propheta. Autor glossæ ad canonem, *Non autem.* caus. 7. qu. 1. hanc proponit quæstionem, utrum Papa possit renunciare, nec ne? & Respondet, posse, & exempla adfert *Clementis*, & *Marcellini*, qui renunciarunt.

§. 9. De *Clemente* scribit author glossæ ad can. *Si Petrus*, caus. 8. qu. 1. Quod *Clemens* immediate post Petrum fuerit Episcopus Romanus, & quidem a Petro ipso designatus, Clementem vero, ne alii hoc exemplo præsumerent successores sibi eligere, renunciasse papatui, & tunc electum esse *Linum*; eoque mortuo *Cletum*: defuncto autem *Cleto*, electum esse *Clementem*, & sic secundum diversas computationes *Clementem* fuisse & secundum & quartum, indeque versum conditum de hoc Clemente,

Disputat hic mundus, Quartusne fueritve Secundus.

De *Marcellino* scribit Platina, quod tempore Diocletiani acerrimæ persecutionis terrore Deos alienos adoraverit, & habito non ita multo post Concilio 180. Episcoporum in Sinuessa urbe Campaniæ, (ne gregem Dominicum irruentibus lupis, Mercenariorum ritu desererent) eo & Marcellinum squalidum & pulverulentum ac cilicio indutum professum esse, & petivisse ut sibi pro inconstantia, debita pœna tribueretur. Qui autem eum damnaret in Concilio inventum esse neminem, quum dicerent omnes ea ferme ratione Petrum peccasse ac flendo peccati pœnam luisse, rediisse autem Romam Marcellinum, iratum adiisse Diocletianum, eumque increpuisse quod eum Diis gentium immolare impulerit, ductum igitur ad Martyrium Diocletiani jussu esse Marcellinum cum aliis quibusdam Christi fidelibus. Inter eundum vero Marcellinum in mandatis dedisse Marcello Presbytero ne corpus ipsius sepulturæ traderet, quod diceret ob negatum Salvatorem se id nequaquam mereri, hæc Platina. Addit vero author glossæ ad can. *Nunc autem.* dist. 21. Marcellinum in se tulisse depositionis sententiam, & excommunicasse quicunque eum post mortem sepeliret, postea tamen propter cœlestem quandam revelationem esse sepultum. Illam Episcoporum erga Marcellinum, jam pœnitentem, clementiam, perperam trahit Nicolaus Papa ad probandum Romanæ sedis fastigium, & privilegium ut a nemine in terris judicetur. 21. dist. can. *Nunc autem.* Et tamen ingenue fatetur glossator in eum canonem, Episcopos illos potestatem habuisse deponendi Papam Marcellinum, propter tam fœdum lapsum, nisi paratus fuisset corrigi. Quamvis enim Papa vel alius sit hæreticus, non tamen deponi, si paratus sit corrigi. Et ipse etiam Marcellinus agnovit se illorum judicio subjectum. §. 10.

Onufrius in annotatione ad vitam *Felicis* secundi Papæ, monet, *Felicem* illum in schismate creatum esse contra *Liberium* Papam; &, utroque mortuo, Presbyteros & Diaconos *S. R. E.* Liberianæ partis statim *Ursicinum* constituisse Pontificem, eumque a *Paulo* Tyburtino Episcopo ordinatum: eos vero qui *Felici* schismatico adhæserant, *Damasum* in schismate etiam Pontificem Romanum declarasse. Atque inde orta seditione Imperatorem *Valentinianum* seditionis Urbanæ, schismatisque tollendi causa, *Damasum* in Pontificatu confirmasse, *Ursicino* urbe expulso, mense secundo anni secundi post ejus ordinationem. Idem vero *Onufrius* in Chronico Pontificum Romanorum, scribit *Ursicinum* sponte abdicavisse papatum Romanum, & factum esse Episcopum Neapolitanum. *Platina* autem ait, post seditionem, in qua multi utrinque cecidere, cum res non suffragiis tantum, sed vi & armis tractaretur, non ita multo post, Sacerdotum ac populi consensu *Damasum* Episcopum confirmatum esse, *Ursicinum* vero ad Neapolitanam Ecclesiam traductum. Nempe propter pacem Ecclesiæ cessit *Ursicinus*, quamvis legitimus esset Pontifex Romanus. §. 11.

Cœlestino Papæ Romano, hujus nominis quinto, persuaserunt Cardinales, imprimis vero *Benedictus Cajetanus*, qui ei postea successit, & §. 12.

Bonifacius octavus appellatus est, ut se Pontificatu abdicaret, ne Ecclesia ob imperitiam gubernantis periclitaretur: erat autem *Cœlestinus*, teste *Platina*, vir sanctus & integer, sed nimia facilitate Pontificatum in quendam contemptum adduxit, dum quadam inconsiderata benignitate eadem diversis concederet, quippe ob privatam vitam, quam antea in eremo duxerat, rebus agendis parum idoneus. Cum autem vehementer instarent Cardinales, ut quam primum abdicaret, proposito reipublicæ Christianæ discrimine; motus eorum verbis *Cœlestinus*, futurum se in eorum potestate dixit, modo id jure fieri posset. Quare constitutio omnium consensu facta est, licere Pontifici abdicare se Pontificatu, & renunciare tum oneri, tum honori. Quam constitutionem *Bonifacius octavus*, ejus successor, postea confirmavit, suamque confirmationem inseruit Sexto Decretalium, tit. de renunciatione. Ubi auctor glossæ colligit ex verbis *Bonifacii*, Pontificem Romanum, non solum quando se ad regimen Ecclesiæ & ad Pontificatus onera supportanda insufficientem agnoscit, sed etiam si sit sufficiens, renunciare tamen posse papatui, ejusque oneri & honori.

§. 13. Meminisse tamen oportet quod supra monnimus, nulli Pastori Ecclesiastico, ne ipsi quidem Romano Episcopo, fas esse stationem relinquere absque justa causa.

His in utramque partem præmissis, ad rem ipsam propius accedamus: & prius quidem distinctiones quasdam proponemus, per quas ad inveniendam idoneam conclusionem adjuvemur.

Distinctio dimissionis. Dimissio licita quadruplex est. 1 Vel loci tantum, id est, certæ alicujus Ecclesiæ, retento Pastorali onere & honore. 2. Vel oneris tantum, retento loco & honore. 3. Vel loci & oneris, retento solo honore seu dignitate. 4. Vel loci oneris & honoris. Nam honoris solius dimissio retento loco & onere nulla est licita, quia absque honore seu potestate, non relinquitur locus executioni oneris seu muneris, & sic nudatus potestate, nullo jure retinet beneficium Ecclesiasticum. Unde patet etiam non esse aliquam licitam loci ac beneficii retentionem, quæ cum honoris simul & oneris dimissione conjuncta sit.

Alia dist. dimiss. Alia est etiam necessario observanda, dimissionis seu renunciationis distinctio, nam sive loco, sive oneri, sive honori renunciare potest aliquis, vel ex parte, vel ex toto: Item, vel absolute, vel conditionaliter.

Dist. causarum dimissionis. Adhæc de causis dimissionis observanda est distinctio, quod aliæ quidem sint causæ dimissionis compulsivæ, aliæ vero tantummodo propulsivæ seu suasivæ; ut mox patebit.

§. 14. His positis distinctionibus, observentur contra desertionem, sive injustam dimissionem, quædam S. Scripturæ testimonia; videlicet, nemo post injectam aratro manum respiciens ad ea quæ retro sunt idoneus est ad regnum Dei. *Luc.* 9. *vers. ult.* Item, bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus, at mercenarius, & non Pastor, cujus non sunt propriæ oves, videt lupum venientem, & dimittit oves &c. *Joan.* 10. *vers.* 11, 12, &c. Pasce agnos meos. *Joan.* 21. *v.* 16. Ego nullius rationem facio, neque habeo vitam meam mihi pretiosam præ hoc, ut cursum meum cum gaudio perficiam & ministerium quod accepi a Domino Jesu ad testificandum Evangelium gratiæ Dei: ait Paulus Apostolus, *Actor.* 20. 24. dicite *Archippo*, vide ministerium quod accepisti in Domino ut ipsum adimpleas. *Col.* 4. 17. Fac opus Evangelistæ, ministerii tui plenam facito fidem. 2 *Timoth.* 4. 5. Pascite gregem Dei qui inter vos est, & cum apparuerit Pastorum princeps, recipietis immarcescibilem gloriæ coronam. 1 *Petr.* 5. In his esto, ut profectus tuus in omnibus sit conspicuus, attende tibi & doctrinæ, permane in ipsis, hoc enim faciens & teipsum servabis, & eos qui te audiunt. 1 *Tim.* 4. 15, 16.

Non tamen omnis dimissio meretur nomen desertionis: nam & esse quandam licitam, immo quandoque necessariam sacri muneris dimissionem, manifeste colligitur ex perpetua æquitate legis illius *Moysi* traditæ, de ætate sacerdotum, aliorumque Levitarum, quos neque ante justam ætatem pastus est Deus ministerio adhiberi, ne per imperitiam & levitatem juvenilem ac judicii immaturi eruditatem & imbecillitatem se imprudentius in sacris ministeriis gerentes, labe aliqua sacrum munus aspergerent; neque post exactum ætatis robur, permanere voluit consuetis obnoxios oneribus, sed tanquam emeritis missionem eis concessit, honestam tamen, ita ut aliis, opera illa magis laboriosa exequentibus, adessent consilio, & faciliora etiamnum, prout ætas ferre posset, obirent ministeria & junioribus ac valentioribus gravitatis exemplum in se præberent, & quadam paterna authoritate præessent: ut legere est, *Num. cap.* 4. *vers.* 3. & *cap.* 8. *vers.* 24. 25, 26. De reditibus quoque Ecclesiasticis alimenta emeriti illi percipiebant. Nec ii solum, sed & vitio aliquo corporis aut propter immunditiem legalem a sacris abstenti ministeriis: ut legere est *Levit. cap.* 21. *vers.* 21. & *cap.* 22. *vers.* 1, 2. & *seqq.* nempe quia patrimonium iis aliud ex quo alerentur, nullum suppetebat. *Num. cap.* 18. *vers.* 20. Quænam vero sit licita dimissio, & quæ etiam necessaria, clarius patebit si causas dimissionis memoratas, cum allatis distinctionibus diligentius consideremus. §. 15.

Dimissio solius loci seu stationis, servato onere & honore, nempe in alia statione, pertinet ad caput de translatione pastoris: nihil aliud enim est, quam stationis mutatio, de qua supra prolixe disseruimus. *Dimissio oneris tantum*, retento loco & honore, est, quando infirmo Pastori datur adjutor qui onus sustineat, dum interea infirmo suus conservatur honor & locus. *Dimissio loci & oneris*, retento solo honore seu dignitate, est, quando Pastor loco cedit & dimisso onere illius stationis, aliud simile onus non suscipit contentus solo honore & dignitate pastorali, quamvis nullius pro tempore curam gerat Ecclesiæ specialem. *Dimissio loci & oneris & honoris est*, quando ita dimittitur locus & onus, ut neque dignitas ipsa pastoralis retineatur, saltem in illo gradu qui dimittitur. Hujus exemplo allato supra in *Marcellino* & *Cœlestino* Pontificibus Romanis, qui loco, oneri & honori renunciarunt. §. 16. *Sup. cap.* 6.

Causæ dimissionis coactivæ, propter quas imperari potest dimissio, quia propter easdem clericus a statione illa amoveri potest, etiam invitus, sunt *ignorantia*, *conscientia criminis*, *irregularitas*, *scandalum*; & quandoque etiam *odium plebis*. *Debilitas* autem & si ad quandam partialem aut conditionatam dimissionem sit etiam causa coactiva, simplicis tamen dimissionis *motiva* quidem esse potest, at non *coactiva*. Ac ne reliquæ quidem illæ causæ semper compellunt, ut manifestum est partim ex eis quæ supra in harum causarum explicatione dicta sunt, partim ex eis quæ nunc subjungemus. §. 17.

Ignorantia, ratione objecti, vel est rerum spiritualium & mysteriorum fidei, ejusque doctrinæ quam §. 18.

quam Pastor aliis prædicare tenetur; vel est rerum temporalium & œconomiæ imperitia, atque adeo ad disciplinam, etiam Ecclesiasticam exercendam ineptitudo quædam. Posterior ista ignorantia & imperitia impedit quidem promovendum, 39. dist. can. *Petrus*. At non dejicit promotum, dummodo habeat mysteriorum fidei scientiam & prædicandi peritiam. Quamvis autem ista rerum exteriorum ignorantia non cogat ad dimissionem simplicem, justa tamen est causa propter quam adjungi debeat adjutor, qui justa parte stipendii, sublevatus prudenter prospiciat, ne quid in istiusmodi rebus Ecclesia detrimenti capiat. caus. 7. qu. 1. can. *Quia frater*. Aliam scientiæ adeoque & ignorantiæ distinctionem attulimus supra ex *Innocentio*. Nam ratione gradus scientia in Pastore vel est eminens, vel tantummodo competens: Quæ distinctio etiam extat, *Extra*, de electione, cap. 19. *Cum nobis olim*. Et hujus competentis scientiæ mysteriorum fidei, & eruditionis pastoralis defectus non solum impedit promovendum, sed etiam dejicit promotum, *Extra*, de ætate & qualitate & ordine præficiendorum, cap. 14. *Cum sit ars*. Et cap. 15. *Quamvis*. Quamvis autem illic mentio fiat cujusdam Episcopi qui ne Grammaticam quidem didicerit, non est tamen existimandum competenti scientia instructum esse illum Episcopum qui Grammaticam etiam ad unguem calleat; sed conveniens & necessaria Episcopo omnique Pastori Ecclesiastico scientia est, ut teneat fidelem illum sermonem qui secundum doctrinam est, ut potens sit tum exhortari in doctrina sana (id est, in doctrina Evangelii) tum contradicentes convincere. *Tit*. 1. 9. Atque uno verbo, ut sit διδακτικός, id est, aptus ad docendum. 1 *Timoth*. 3. 2. Et hanc scientiam necesse est eum habere, si non eminenter, saltem convenienter, ut pascere possit gregem Christi, & nulla ovis pereat culpa Pastoris.

§. 19. De *conscientia criminis* sufficiant ea quæ superius dicta sunt in hujus causæ explicatione, quibus addi possunt illa quæ dicuntur de dispensatione cum Simoniacis in tractatu nostro * de Simonia.

* *Qui extat Theol. nostra Moralis parte* 2. *lib*. 8.

§. 20. De *irregularitate* etiam satis pro instituti nostri ratione dixisse videmur.

§. 21. De *scandalo*, Author glossæ, *Extra*, de clerico ægrotante. cap. 3. *Nihil* (inquit) *cum scandalo est faciendum dummodo sine peccato mortali possit omitti*. Hæc ille. Quæ congruunt usitatæ distinctioni scandali, in datum, & acceptum. Non est deserendum ministerium propter scandalum quod accipitur, nec tamen datur; at cedendum potius statione, & oneri simul ne honori potius renunciandum, quam ut scandalum demus. Væ homini illi per quem venit scandalum, *Matth*. 18. *v*. 7. Omnia facite in gloriam Dei, estote sine offendiculo & Judæis & Græcis & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum, ut salvi fiant. 1 *Corinth*. 10. *vers*. 31, 32, 33. Nullam ulla in re præbentes offensionem, ne vituperetur ministerium; sed in omnibus approbantes nos ipsos, ut Dei ministri. 2 *Corinth*. 6. 3, 4. De scandalo plura lector inveniet in Irenico nostro, lib. 2. cap. 20. *Gregorius* Theologus, pro pace Ecclesiæ & pro vitando scandalo, pie renunciavit loco, oneri, & honori Patriarchatus Constantinopolitani, seque ad privatam in otio literario vitam recepit: & quamvis non esset Episcopali prorsus honore & ordine exutus, nullius tamen certæ Ecclesiæ actu mansit Episcopus, uti legimus apud *Socratem*, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 6. Et *Theodoretum*, lib. 5. Hist. Ecclesiasticæ, cap. 8. & *Sozomenum*, lib. 7. Hist. Ecclesiasticæ, cap. 7.

Supra etiam (§. 11.) ostendimus *Ursicinum*, §. 22.
quamvis legitime electum & consecratum Pontificem Romanum, dimisisse Pontificatum Romanum, ad vitandum scandalum, & ne propter illum pax Ecclesiæ diutius turbaretur. Retinuit tamen ordinem Episcopalem, &, mutata statione, onus & præfecturam suscepit Ecclesiæ Neapolitanæ: & sane a scandali datione immunis non est Pastor, si propter sua lucra temporaria negligat spiritualem Ecclesiæ ædificationem & pacem. Neque enim desertor, sed prudens Christi servus censendus est, qui, poscente Ecclesiæ utilitate & tranquillitate, loco cedit, absque Ecclesiæ detrimento; cum alium Pastorem idoneum acceptura sit.

Malitia plebis, seu pertinacia populi, quando- §. 23.
que justa est causa cedendi, ut supra dictum est in explicatione hujus causæ. Dominus jubet discipulos suos relinquere obstinatos contemptores, pulveremque illis excutere. *Matth*. 10. 14. *Luc*. 10. *v*. 10, 11. Sic obstinatos Judæos reliquerunt *Paulus* & *Barnabas*, seque ad gentes converterunt. *Actor*. 13. *v*. 46. Quod & a *Paulo* factum Corinthi. *Actor*. 18. 6. *Proclus* ordinatus Cyzici Episcopus, cum cum Cyziceni non reciperent, sed alium sibi Episcopum suscepissent, mansit Constantinopoli, ibique in docendo sedulus fuit, nullas ciens turbas propter negatum aditum ad Ecclesiam Cyzicenam, sed eam alteri illi gubernandam placide relinquens, ut scribit *Socrates*, lib. 7. cap. 28. Sic *Meletius*, cum urbis cujusdam Armeniæ esset antistes, propter difficiles & pertinaces populi illius mores, quos ulterius ferre non poterat, alium in locum se transtulit, ad vitam quiete tranquilleque degendam, ut scribit *Theodoretus*, lib. 2. Hist. Ecclesiasticæ, cap. 32. de quo *Meletio*, vide etiam supra cap. 6. §. 19. Et huic simile exemplum in *Martyrio* Episc. Antioch. invenies in nostris Instructionibus Historico-Theologicis, lib. 3. cap. 12. §. 2. Neque tamen existimandum est, id a *Meletio* factum esse sine consensu & approbatione Coëpiscoporum. Neque enim nesciebant in domo Dei omnia ordine ac decenter fieri oportere.

Innocentius 3. Papa Romanus, ideo concessit §. 24.
Archiepiscopo Ragusiensi licentiam cedendi, quia in illa Ecclesia non poterat secure morari, sed mortis ei periculum ibi imminebat. *Extra*, de renunciatione, cap. 9. *Ad supplicationem*. Ubi autor glossæ ait, cum secure morari non potuisse, forsitan propter intemperiem aëris, & citat 74. dist. *Quorundam*. vel quia habebat capitales inimicos, & citat cap. *Bonæ*. *Extra*, de electione. Hæc ille. Intemperies aëris ad infirmitatem referenda est: capitales autem inimicitiæ, ad hanc causam pertinent. Observa autem cedentes loco, renunciare etiam beneficio illius loci, ejusque titulo. Sic fecerunt *Meletius*, *Gregorius*, *Proclus*, *Silvanus*, *Martyrius*, *Ursicinus*, *Cœlestinus*, & iste Ragusiensis.

Infirmitas, vel ex morbo est, vel ex senio. §. 25.
Morbus vel est sonticus, vel non est. Sonticum appello in Pastore, per quem impotens redditur ad exequendum officium pastorale. Sic enim *Julianus* jure consultus, *Morbus* (inquit) *sonticus existimandus est, qui cujusque rei agendæ impedimento est. ff.* de re judicata. lege 60. *Quæsitum*. Item, senectus alia reddit hominem prorsus ineptum, aut saltem vehementer impedit ac retardat, alia non ita magno est impedimento, quum

quin sit adhue utilis Ecclesiæ, & quandoque etiam necessarius.

§. 26. Si morbus sit sonticus, id est, vel prorsus incurabilis, vel admodum molestus & diuturnus; vel si sit senectus reddens prorsus ineptum, aut vehementer retardans, ita ut ne convenienter quidem exequi possit infirmus aut senex officium pastorale, potest sine crimine renunciare muneri, ejusque oneri & honori, quoad illum locum, quamvis ordinis pastoralis honorem retineat, dimisso titulo, & illo consentiente, potest alius ei successor substitui. caus. 7. qu. 1. can. *Qualiter.* & can. *Quamvis sit.* Huc pertinet & corporis debilitas, qualis erat illa *Sylvani*, qui se Episcopatu Philippopolensi abdicavit, eo quod frigus illius regionis propter corporis imbecillitatem tolerare non posset, postquam triennium expertus esset. Ut scribit *Socrates* lib. 7. cap. 37. de quo *Sylvano* plura etiam nobis superius dicta sunt cap. 6. §. 26. Invitus tamen non potest infirmus hujusmodi aut senex loco suo privari, quamdiu sine crimine est, & sola objicitur infirmitas. caus. 7. qu. 1. in principio. & can. *Scripsit.* & can. *Præsentium.* & can. *Pontifices.* & can. *Qualiter.* & can. *Quamvis.* nisi infirmitas sit lepra; nam leprosus, propter horrorem & scandalum, a dignitate Episcopali etiam invitus removetur, & alius substituitur. *Extra*, de clerico ægrotante cap. 4. *Tua nos.* Et sic est casus ubi punitur seu jus amittit aliquis sine culpa, sed non sine causa: ut annotat ibidem author glossæ.

§. 27. Epileptici etiam, qui frequenter cadunt, & confusas emittunt voces cum spumæ jactatione, prorsus amoventur ab Ecclesiastico ministerio. Immo etiamsi cadunt tantum, absque emissione confusæ vocis, & spumæ jactatione, debent tamdiu ab executione suspendi, donec appareat eos per annum liberatos esse, & non occupatos incursu Dæmonum, ut appareat quod illa passio non sit Dæmoniaca, sed epileptica. 33. dist. can. *Communiter.* Et in glossa. ibid. & caus. 7. qu. 2. can. *In literis.* Et can. *Nuper.* Quod si infirmus, extra casum lepræ, & spumosæ illius atque clamosæ epilepsiæ, omnisque talis infirmitatis, cum qua sine scandalo & horrore remanere potest in suo collegio, recusat admittere successorem, & loco suo cedere, tunc dandus ei est adjutor etiam invito. caus. 7. quæst. 1. in glossa, ad principium. Item ad can. *Scripsit.* Et *Extra*, de clerico ægrotante vel debilitato. cap. 5. *E parte tua.* Et in gloss. ibid. & cap. 6. *Consultationibus.* Et ibid. in gloss. ubi inter infirmitates, propter quas dandus est Coadjutor, ponitur amissio officii linguæ, vel officii oculorum.

§. 28. Adjutor ad sustentationem suam portionem congruam, id est, sumptus moderatus de facultatibus Ecclesiæ cui servit percipere debet. *Extra*, de clerico ægrotante cap. 3. *De Rectoribus.* Item in *sexto* de clerico ægrotante, §. *Præsenti.* Infirmus quoque, qui vel propter lepram aut similem infirmitatem vel propter quamcunque infirmitatem amotus est a ministerio Ecclesiastico, debet Ecclesiasticis sumptibus, quoad vixerit, sustentari, quia eum ab officio suo non crimen abduxit, sed necessitas infirmitatis. In quo casu non est afflicto addenda afflictio, sed sumptus idonei præbendi, si pauper sit, neque aliunde habeat, quo se honeste sustentet cum sobrietate: sicut olim in Veteri Testamento fiebat emeritis & infirmis Sacerdotibus ac Levitis, *Levit.* 21 & 22. & alibi: atque huc pertinent canones illi caus. 7. quæst. 1. *Quamvis sit triste.* Et can. *Cum percussio.* Et *Extra*, de clerico ægrotante cap. 4. *Tua nos.* Sed objectionem quandam proponit author glossæ in Caput 3. eod. tit. Pone (inquit) quod Ecclesia non possit sufficere utrique, id est, tum infirmo, tum adjutori, aut etiam successori. Respondet; reditus habiturum illum qui servit Ecclesiæ, infirmo autem provisurum Episcopum.

§. 29. At si quis pro crimine amotus sit, nihil ei debetur; nam male meritus, publice, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet. ff. *Depositi.* Lege 31. *Bona fides.* Male meriti publica debent egestate laborare. caus. 7. qu. 1. *Quamvis sit.* in glossa. Et *Extra*, de renunciatione, cap. 9. in glossa.

§. 30. *Pastoralis animus, quoad acceptionem stipendii temporalis.* Quis autem etiam fidelium prædicatorum accipiendo stipendio animus esse debeat, indicat *Gregorius* 1. Papa Romanus, his verbis; *Verus quisque prædicator, non ideo prædicare debet ut in hoc tempore mercedem accipiat: sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat.* Hæc *Gregorius*, Homil. 13. in Evangelia.

§. 31. Presbytero infirmo ad peragendum opera Presbyteralia datur adjutor Presbyter: sed quæritur, quis dandus sit adjutor infirmo Episcopo? Responsionis quatuor erunt partes. 1. Ad externam rerum temporalium œconomiam, & ad regimen etiam Ecclesiæ, & ad conservandum Ecclesiasticam disciplinam, dabitur adjutor Presbyter idoneus qui res Ecclesiæ dispenset, & locum Episcopi in regimine Ecclesiæ (ipso non deposito) conservet. caus. 7. qu. 1. can. *Scripsit.* Et can. *Quia frater.* 2. Ad prædicandum aliaque Spiritualia munera Presbyteris etiam convenientia dabitur adjutor Presbyter, vel adjutores Presbyteri. caus. 7. qu. 1. *Pontifices.* 3. Episcopalia, quæ absque Episcopo fieri non consueverunt, vel Presbyteri facient, sicut olim Alexandriæ factum esse memoratur; vel, ut est in jure canonico, supplebunt vicini Episcopi. caus. 7. qu. 1. *Pontifices.* *Vide Irenic. lib. 2. cap. 11. prop. 13.* 4. Si hæc omnia nondum sufficere videantur; & necessarium esse judicetur, ut Episcopus aliquis, qui quæ Episcopalis sunt muneris, ipse in sua persona exequi valeat, Ecclesiæ illi præficiatur; id duorum modorum altero fieri potest. Prior modus est, ut infirmus renunciet, & successori cedat. Recte enim *Gratianus*, quando (inquit) aliquis vel senectute vel infirmitate gravatus susceptum officium ministrare non valet, si alium sibi substitui petierit, rationabiliter fieri potest; & allegat authoritatem *Gregorii*, de *Joanne* Episcopo primæ Justinianæ, qui si pro molestia sua, id est, ægritudine & infirmitate peteret ut ab Episcopi honore deberet vacare, petitionem scripto dans, concedendum esse ait *Gregorius*, ut secundum ejus petitionem acciperet successorem. caus. 7. qu. 1. can. *Sicut vir.* §. *Eccle. his.* Sic Ariminensi Episcopo ægritudine & molestia capitis ita gravato ut ad Ecclesiæ regimen & susceptum officium assurgere nullatenus posset, quamvis expectata per quadriennium depulsione morbi, quum ipse rogaret ut alius eidem Ecclesiæ Episcopus ordinaretur, eidemque Ecclesiæ ipse renunciaret, successorem Episcopum substituit *Gregorius*. caus. 7. qu. 1 can. *Qualiter.*

§. 32. Idem etiam *Gregorius*, de alio quodam Episcopo, pervenit (inquit) ad nos, quibusdam referentibus, quendam Episcopum ita passionem incurrisse, ut quod mente alienata agere soleat gemitus & fletus audire sit; ne ergo languente pastore grex (quod absit) insidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel Ecclesiæ ipsius utilitates depereant, causa nos necesse est provisione tractare; & ideo quia viventem Episcopum ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen, abdu-

abducit, alium loco ejus, nisi recusante eo, nulla sipit ratio ordinari: sed si intervalla ægritudinis habere est solitus, ipse data petitione non se ulterius ad hoc ministerium, subvertente infirmitate, posse fateatur assurgere, & alium loco suo expetat ordinandum: quo facto, omnium solenniter electione alter qui dignus fuerit Episcopus ordinetur. caus. 7. qu. 1. can. *Quamvis sit triste.*

§. 33. Alterum remedium seu alter modus est, ut si ea sit præteritæ vitæ Episcopi laudabiliter actæ jucunda memoria, & ea etiamnum adsit morum gravitas, sincera pietas & judicii maturitas, ut Ecclesiæ expediat, sub umbra potius nominis illius regi, quam illo carere gubernatore, vel si non renunciet Episcopus qui renunciare posset, nec tamen absque novo Episcopo quisquam alius adjutor sufficiat, tunc potius quam grex Dominicus insidiatoris laniandus dentibus exponatur, accipiet infirmus ille Episcopus alium Episcopum collegam; quemadmodum *Valerio* Hipponensi Episcopo adjunctus est *Augustinus* Coëpiscopus. Nam *Augustinus* ita consecratus est, ut non *succederet* in Cathedra Episcopo *Valerio*, sed *accederet*, ut loquitur *Paulinus*, de illa Augustini ordinatione, caus. 7. qu. 1. can. *Non autem.* Ubi author glossæ observat, utrumque in tali casu in solidum esse Episcopum, & pares esse: quamvis unus fine altero non judicet. Sic *Bonifacio* Archiepiscopo Moguntino consuluit *Zacharias*, Papa Rom. ut pro senectute sua & corporis imbecillitate sedem Moguntinæ Ecclesiæ non relinqueret, sed hominem perfectum & idoneum ordinaret Episcopum qui pro illo curam gereret Ecclesiæ, qui etiam morienti *Bonifacio*, si aptum se ostenderet, succederet. caus. 7. quæst. 1. can. *Petisti.* Sic *Narcisso* Hierosolymorum Episcopo admodum grandævo adjunctus est Collega *Alexander*, Hierosolymorum cum Narcisso Episcopus, ex consensu vicinorum omnium Episcoporum; ut scribit *Eusebius*, lib. 6. Histor. Ecclesiast. cap. 9. & 10. & 11. in editione Græca. & in Latina editione cap. 8. & 9. *Theotecnus* etiam Cæsareæ Palestinæ Episcopus, *Anatolium* ordinavit Episcopum, sibique successorem cum providit, & una cum illo ad aliquod temporis spacium Ecclesiæ Cæsareensi præfuit; sicut scribit *Euseb.* lib. 7. Hist. Eccl. cap. ultimo; quamvis ante *Theotecni* mortem *Anatolius* ad Ecclesiam Laodicenam translatus sit; eodem teste *Eusebio.* ibid.

§. 34. Quamvis autem de jure communi, unus tantum esse debeat in una civitate & diœcesi Episcopus, (accipiendo Episcopum prout a simplice Presbytero distinguitur;) possunt tamen duo esse unius Ecclesiæ diœcesanæ Episcopi Collegæ, propter trium caussarum aliquam. 1. Propter ægritudinem & infirmitatem Episcopus accipit Collegam Episcopum, uti jam docui. 2. Propter linguarum in populo diversitatem. *Extra*, de officio judicis ordinarii, cap. 14. *Quoniam.* Ubi *Innocentius* Tertius, Papa Rom. in Concilio generali, quoniam (inquit) in plerisque partibus infra eandem diœcesin permixti sint populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus & mores, districte præcipimus, ut Pontifices hujusmodi civitatum sive diœcesium provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum & linguarum, divina illis officia celebrent; & Ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una & eadem civitas suæ diœceseos diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. Sed si propter prædictas causas urgens necessitas postulaverit, Pontifex loci Catholicum Præsulem, nationibus illis conformem, provida deliberatione constituat. Hæc ille; per Catholicum Præsulem intelligens Episcopum seu Pontificem nationibus illis conformem: uti monent author glossæ, & *Panormitanus*, ibidem. Et hactenus quidem recipimus istam constitutionem, ut bonam, & æquitati congruentem. At vero quod subjungit *Innocentius*, Episcopum istum (quamvis in societatem oneris & honoris Episcopalis assumptum) Vicarium esse assumentis, eique per omnia obedientiam debere & subjectionem: & quod annotat *Panormitanus*, creari hunc Episcopum absque Episcopatu; & quod addit, reperiri Episcopos multos sine administratione Episcopatuum, qui vulgariter *Nullatenenses* appellantur, ex quorum numero possit diœcesanus constituere sibi Vicarium: Hæc omnia merito rejicimus, quippe iniqua & absurda.

Vide Instr. Historico-Theolog. lib. 16. cap. 2. §. 40. & 41. & 42. & 43. & 44. & 45.

Catholicus Præsul, Episcopus quilibet.

§. 35. *Nullatenenses.* *Nullatenensium* autem appellatione intelliguntur non illi Episcopi, qui vel persequutionis violentia a suis Ecclesiis pulsi sunt, vel justam aliquam ob causam renunciarunt, sed illi, qui absolute ordinantur absque assignatione certæ alicujus Ecclesiæ cui ordinatus præsit, ejusque sit proprius Episcopus, eamque regat & instruat verbo & exemplo; quamvis ad ludibrium denominentur fortasse ab aliqua Ecclesia in remota aliqua regione, aut sub infidelium imperio constituta, aut etiam a loco aliquo in quo pro tempore nulla est Ecclesia, quam ille Ecclesiam aut locum nunquam aditurus est, imo ea intentione ordinatur titulumque suscipit ut ad eam Ecclesiam aut locum se non conferat, nisi forte per ridiculam quandam ostentationem & inchoationem itineris, quod perficere non intendit, sed ex composito revocatur, propositis viæ & negotii illius difficultatibus, & dicitur ei, satius esse, ut, quandoquidem jam Episcopali infula insignitus est, operam præstet Ecclesiæ Christi magis utilem & necessariam, assistendo curiæ Papali, & salutaria consilia suggerendo, & in Conciliis sententiam dicendo, vel legationes obeundo, vel operam alicui diœcesano Episcopo aut Metropolitano aut Patriarchæ, aliis occupationibus & curis distento, auxiliatricem & Vicariam præstando, vel otium literarium sequendo, vel in aulis principum morando, &c. Atque ita iste *Nullatenensis* seu *titularis*, id est, titulo tenus, nullius tamen Ecclesiæ Episcopus, dispensationem a Papa Romano accipit, per quam cum eo dispensatur, ut ad Ecclesiam suam (*imo non suam, nisi solo nominis ludibrio*) non residcat. Et sic Pastor est sine grege, Episcopus sine Episcopatu; non appetens bonum opus Episcopale, sed ad ambitionem abutens nomine Episcopi. Et solent ad fidei subversionem & Ecclesiæ oppressionem talium suffragia in Conciliis Romanensibus adhiberi, sicut queritur Spalatensis lib. 2. de Repub. Eccles. cap. 7. num. ultimo. Ubi etiam tales negat esse veros Episcopos, vel authoritatem aut jus suffragii habere.

§. 36. Non licere autem Episcopos istiusmodi Nullatenenses, sine certo Episcopatu, quem per se in persona propria administrent, ordinare, ostendimus supra in examine ordinationis absolutæ, ubi de stationis necessitate prolixe satis pro instituti nostri ratione disseruimus. Quod autem non possit esse Pastor Vicarius, docuimus etiam supra in dissertatione de pluralitate titulorum: quamvis esse possit ob justas quasdam caussas Collega vel adjutor. Nemo mihi objiciat omnes Pastores inferiores esse Vicarios Christi pastorum prin-

Supr. cap. 1.

Supr. cap. 2.

Principis; nam de illis tantum pastoribus disserimus quorum Christus Princeps est, quique in hac mortalitate adhuc existentes, Ecclesiam pascunt militantem. Omnes autem Episcopos, quoad gradum Episcopalem, de jure divino pares esse alibi docuimus. Et quamvis jure Ecclesiastico subesse aliquo modo videantur reliqui Episcopi Provinciæ Metropolitano, non tamen sunt ejus vicarii, sed fratres & Coepiscopi. Hic autem assumens non est assumpti Metropolitanus sed collega.

Irenic. lib. 2. cap. 11. propos. 15. & Instr. Historico-Theolog. Lib. 16.

§. 37. Insuetum est etiam, & contra morem veteris Ecclesiæ, ut Episcopus in societatem oneris & honoris Episcopalis assumptus, & alteri associatus, subsit alteri tanquam ejus vicarius, uti patet ex allatis superius exemplis *Valerii* & *Augustini*, quorum uterque in solidum erat Episcopus Ecclesiæ Hipponensis, eamque communi consilio & pari authoritate administrabant; Item *Narcissi* & *Alexandri*, Episcoporum Hierosolymæ; neque erat *Alexander* vicarius *Narcissi*, sed ejus collega, ut patet ex ipsius *Alexandri* verbis apud *Eusebium*, lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 11. Græc. at in Latina editione, cap. 9. Ubi igitur linguarum diversitas pluralitatem etiam Episcoporum postulat, & populus ita commixtus est ut in duas diœceses commode dividi non possint, duo erunt Episcopi seorsum quidem docentes, & peculiaria erga alterutrum populum officia pastoralia seorsum exercentes, at vero communia totius Ecclesiæ illius diœceseos negotia communiter administrantes, pari authoritate & communibus consiliis.

§. 38. Tertia causa, propter quam unius Ecclesiæ diœcesanæ possunt duo esse simul Episcopi, authoritate pares, est pax Ecclesiæ. Ob hanc causam magnus ille *Meletius*, Episcopus Antiochenus, quum in eadem Ecclesia, etiam post susceptum a *Meletio* illum Episcopatum, exulante *Meletio*, ordinatus esset Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus *Paulinus*, & pars Christianorum orthodoxorum *Paulino* adhæreret, alia vero pars reduci *Meletio*, tulit id placide *Meletius*, vir omnium mansuetissimus, *Theodoreto* teste: Concordiæ insuper & pacis Ecclesiasticæ studio comiter admodum & benigne hanc obtulit *Paulino* conditionem, his cum compellans verbis; Quoniam & mihi istarum ovium curam commisit Dominus, & tu aliarum suscepisti, ipsæque oves inter se veræ pietatis communione consentiunt, concordiæ vinculis, ô amice, greges conjungamus, & de præfectura contentionem dirimamus: & cum oves communiter pascamus, communem illis rite moderandis curam adhibeamus. Quod si sedes [ὁ θῶκος] contentionem gignit, ego hanc contentionem a nobis repellere conabor. Nam ponamus quæso in ea librum Evangelii, & utrinque nos sedeamus. Quod si ipse prius e vita abiero, tu solus, ô amice, gregem moderaberis: sin autem tibi illud contigerit, ego rursus curam ovium pro virili geram. Hæc *Meletius*, apud *Theodoretum*, Hist. Ecclesiast. lib. 5. cap. 3. Ex quibus manifeste apparet, quæ fuerit hac de re *Meletii*, cumque magnopere collaudantis *Theodoreti*, sententia.

§. 39. His tribus causis addi posset & quarta causa: propter quam tamen non proprie fiunt unius diœceseos duo Episcopi, sed una diœcesis in duas diœceses, propter immensitatem & amplitudinem, dividitur, sicut una Parochia in duas Parochias. De unius diœceseos, propter ejus amplitudinem & oneris immensitatem, in duas aut plures divisione, ita ut singulis divisionis partibus sive novis diœcesibus peculiaris & proprius præficiatur Episcopus, extat canon apud *Gratianum*, caus. 16. qu. 1. can. *Præcipimus*. De Parochiæ autem nimis amplæ partitione in plures Parochias, propter Parochianorum commoditatem & ædificationem, extat canon, *Extra*, de Ecclesiis ædificandis. cap. 3. *Ad audientiam*. Ubi decernitur ab *Alexandro Tertio*, ut si pars aliqua Parochiæ ita distet ab Ecclesia Parochiali, ut tempore hyemali non possint Parochiam sine magna difficultate ipsam adire, unde non valeant congruo tempore Ecclesiasticis officiis interesse: & possit Ecclesiæ illius minister præter partis illius remotioris proventus convenienter sustentationem habere: & in parte illa possit etiam alius minister competentem habere sustentationem, ut tunc in illa parte ædificetur alia Ecclesia, & in ea Sacerdos, sublato appellationis obstaculo, ad præsentationem rectoris Ecclesiæ majoris cum canonico fundatoris assensu instituatur. Si vero Rector Matricis Ecclesiæ virum idoneum præsentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, ut nihilominus Episcopus loci idem opus ad perfectionem faciat deduci, & virum bonum instituere non omittat. Hæc ibi; ubi & inseritur, ut competens in Ecclesia nova ejusque Parochia honor pro facultate loci Ecclesiæ Matrici servetur, id est, interprete glossatore, ut aliquid annuatim ad Episcopi arbitrium præstetur, sed de hoc in præsentiarum non quærimus, quid autem in talibus optandum sit, indicavimus supra in dissertatione de pluralitate titulorum.

Supr. cap. 4. §. 3.

§. 40. In omnibus memoratis renunciationis, totalis, aut partialis, regulis & casibus, semper tenenda est, & diligenter attendenda generalis illa regula, & perpetua lex, ut gloria Dei & salus populi sit Pastori suprema lex. Debet Pastor vitam ponere pro ovibus, *Joan.* 10. quanto magis lucra dimittere temporalia, ut animæ lucrifiant Christo? Ne propter cibum destruat opus Dei, aut cum offendiculo manducet. *Rom.* 14. *v.* 20. Huc pertinent hæc etiam Scripturæ testimonia; nempe igitur quæ ad pacem faciunt sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem. *Rom.* 14. 19. Item, nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius est. 1 *Cor.* 10. 24.

* * . * *Hic deest pagina Autographo.*

Immo vero interdum cedere debet & necesse habet, sicut ostensum est. Huic alia accedit, ex *Innocentio* collecta, idonea etiam regula, de quinque injustis cedendi caussis,

Sanctior ut fias, humilemve ostendere possis,
Otia vel captes, sanctos fugiasve labores,
Divini vel prætextu dictaminis, haud fas
Pastorale tibi munus dimittere Pastor.

His adjicimus alias insuper quinque regulas, quarum una est de Pastore quem gravis senectus aut morbus sonticus ineptum facit ad exsequendum officium pastorale:

Si senium, morbus vel sonticus opprimat, absque
Crimine pastorale potes dimittere munus.
Si non dimittas, dabitur tamen auxiliator
Invito, cui suppedites alimenta necesse est.
Si nimis exigui sint fructus, solus habebit
Hos, qui portat onus; tibi (si tua poscat egestas)
Prospicient fratres: nec oves custode carebunt.

Alia est de leprosis, & simul aliquo laborantibus morbo, cujus tantus sit horror, ut non possint in suo collegio morari.

Si ſis leproſus, ſi ſis epilepticus, altas
Cum ſpuma jactans voces, aliove labores
Conſimili morbo, ſit ut inſociabilis horror;
Cede lubens ſucceſſori, jus cedere cogit.

Sequitur regula de ſuſtentatione cedentis aut amoti non ob culpam, ſed propter infirmitatem:

Qui propter morbum aut ſenium ſine crimine ceſſit,
Accipiens ſucceſſorem, nec habens aliunde
Quo ſe ſuſtentet, ſacris de rebus aletur:
At nihil accipiet ſi ſit pro crimine pulſus.

Ad quæſtiunculam illam in fine propoſitam reſpondetur per hanc regulam,

Si paſtoralem quiſquam dimiſit honorem,
Sacro quem retinet ſit converſatio digna
Ordine: non habitum fas illi aſſumere ſecli.

De duobus autem Epiſcopis in una diœceſi, item de partitione unius diœceſeos, aut parœciæ, in plures hæc erit regula,

Præſul ubi infirmus, diverſis aut ubi linguis
Permixtus loquitur populus, vel pax ubi poſcit,
Una diœceſis proprios habitura decenter
Pontifices quandoque duos, pariterque regentes.
Quando diœceſis nimis ampla, parœcia quando
Eſt ſpatioſa nimis, vitæ quoque fulcra caduca
Congrua non deſunt, recte partitio fiet;
Paſtoreſque novis in ſedibus inſtituentur.

Uberior regularum iſtarum explicatio petenda eſt ex ſuperiore diſſertatione.

Atque hæc quidem de dimiſſione ſeu renunciatione dixiſſe ſufficiat.

Supereſt ut de fuga Paſtoris aut mercenarii quædam ſubjiciamus.

Caput XXXV.

De fuga Paſtoris ſeu Mercenarii.

§. 1. *Duplex Diſtinctio fugæ.* Fugæ diſtinctio duplex eſt. 1. A modo fugiendi; nam fugit aliquis vel corpore, vel opere, vel affectu. 2. Ab objecto quod fugitur; fugit enim aliquis vel offenſionem & diſplicentiam hominum, ideoque aurium pruritui ſe accommodat, vel fugit laborem ſegnis, vel fugit perſecutionem. *Subdiſtinctio.* Eſt & alia diſtinctio, nam qui opere fugit, is vel fugit privative, videlicet non faciendo aut non dicendo quod debet; vel poſitive, videlicet faciendo, aut dicendo, quod non eſt faciendum aut dicendum.

§. 2. *Alia diſtinctio.* Præterea Scriptura tres proponit ſpecies *ἀνθρωπαρεσκείας*, ſive fugæ offenſionis & diſplicentiæ humanæ: nam qui opere fugit, metu offenſionis humanæ, aut ad captandum hominum favorem, is trium finium aliquem ſibi proponere ſolet. Primus finis eſt, ut placeat hominibus, ideoque eis adulatur. Secundus finis eſt, ut lucrum ſibi acquirat temporale, aut illud non amittat, ideoque hominibus placere ſtudet: admirans perſonas, utilitatis gratia. *Judæ verſ.* 16. Tertia ſpecies eſt quando inanem humanæ gloriolæ auram aliquis aucupatur, ideoque hominibus magis quam Deo ſatagit placere. Ab his tribus ſpeciebus immunem & purum ſe fuiſſe, Deo teſte, affirmat Apoſtolus *Paulus* 1 Theſſ. 2. 3, 4, 5, 6. *Exhortatio noſtra non fuit ex impoſtura, neque ex impuritate, neque cum dolo, ſed ſicut probati ſumus Deo ut concrederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non ut hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra, neque enim unquam ſermone aſſentatorio uſi ſumus, ſicut noſtis, neque avaritiæ cauſa quicquam prætexuimus, Deus teſtis eſt, neque quærentes ex hominibus gloriam, nec a vobis, nec ab aliis.* Hæc Apoſtolus, loco citato.

Primi duo modi fugiendi, prorſus ſunt illiciti: nam etiamſi abſens ſis corpore a grege tibi credito, nunquam tamen abſtrahere licet affectum, neque ceſſandum eſt ab opere; ſed vel per epiſtolas, vel per nuncios confortandus eſt grex, vel ſaltem aſſiduis Deo precibus commendandus. §. 3.

Duo etiam priora objecta non ſunt ita fugienda, ut vel propter offenſionem aut gratiam hominum, oblitus Dei & officii tui, fias *ἀνθρωπάρεσκος*, adeoque deſinas eſſe Chriſti ſervus, ut infert Apoſtolus ad Galat. 1. 10. vel per ſegnitiem laborem fugias paſtoralem, cum præceptum ſit, ut hoc agas, & huic operi totus incumbas. 1 *Tim.* 4. 15, 16. §. 4.

Contra illam *ἀνθρωπαρεσκείαν*, ſive illud hominibus placendi ſtudium, faciunt etiam hæc ſequentia Patrum teſtimonia.

Cyprianus libro de lapſis; qui * peccantem, inquit, blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul atque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem. Quos diligo (inquit Dominus) redarguo & caſtigo. Sic oportet Dei ſacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Hæc *Cyprianus*. §. 5. * *Al. peccatum* (*Ed. Ox. pag.* 128.) *Apoc.* 3.

Chryſoſtomus, lib. 5. de ſacerdotio, cap. 6. ait, *ὁ τῆς διδασκαλίας ἀναδεξάμενος τὸν ἀγῶνα ταῖς τῶν ἔξωθεν εὐφημίαις μὴ προσεχέτω, μηδὲ ἀπὸ τούτων τὴν ἑαυτοῦ καταβαλλέτω ψυχήν, ἀλλ' ἐργαζόμενος τοὺς λόγους ὡς ἂν ἀρέσειεν τῷ θεῷ.* Id eſt; qui doctrinæ certamen ſuſcepit, externas laudationes non curet, neque inde animum deſpondeat, ſed ita operetur in verbo Dei, ut Deo placeat. §. 6.

Ambroſius, ad *Eugenium* Imperatorem ſcribens, lib. 2. epiſt. 15. Conſuevi (inquit) non pluris facere cujuſvis hominis quam Chriſti gratiam, nemini enim facio injuriam, ſi omnibus Deum præfero, & confidens in ipſum, non vereor vobis imperatoribus dicere quæ pro meo captu cenſeo. —— Ubi cauſa emerſit officii mei, & ſcripſi, & rogavi, ut oſtenderem in cauſis Dei timorem mihi juſtum ineſſe, nec pluris me facere adulationem, quam animam meam. —— Qui vobis deferri vultis, patimini ut deferamus ei, quem imperii veſtri vultis auctorem probari. §. 7.

Idem etiam ſcribens *Theodoſio* Auguſto, lib. 2. epiſt. 17. Sed (inquit) neque imperiale eſt libertatem dicendi denegare, neque ſacerdotale quod ſentiat non dicere. Nihil enim vobis Imperatoribus tam populare & tam amabile eſt, quam libertatem etiam in eis diligere qui obſequio militiæ vobis ſubditi ſunt. Siquidem hoc intereſt, inter bonos & malos principes, quod boni libertatem amant, ſervitutem improbi. Nihil etiam in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod ſentiat non libere pronunciare. Siquidem ſcriptum eſt: & loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar. Et alibi: Fili hominis, ſpeculatorem te poſui domui Iſraël, in eo, inquit, ut ſi avertatur juſtus a juſtitiis ſuis & fecerit delictum, quia non dixiſti ei, hoc eſt, non dixiſti quid §. 8.

fit cavendum, non retinebitur memoria justitiæ ejus, & sanguinem ejus de manu tua exquiram. Tu autem si dixeris justo ut non peccet, & ipse non peccaverit, vita vivet, quia dixisti ei: & tu animam tuam liberabis. Malo igitur, Imperator, bonorum mihi esse tecum, quam malorum consortium: & ideo clementiæ tuæ displicere debet Sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentii mei periculo involveris, libertatis bono juvaris. Non ergo importunus indebitis me interfero; alienis ingero: sed debitis obtempero, mandatis Dei nostri obedio: quod facio primum tui amore, tui gratia, tuæ studio conservandæ salutis. Si id mihi vel non creditur, vel interdicitur; dico sane divinæ offensæ metu. Nam si meum periculum te exueret, patienter me pro te offerrem, sed non libenter. Malo enim te sine meo acceptum Deo esse & gloriosum periculo. Sin autem silentii mei dissimulationisque culpa & me ingravat, nec te liberat, malo importuniorem me quam inutiliorem atque turpiorem judices. Siquidem scriptum est,
1 Tim. 4. dicente Sancto Apostolo Paulo, cujus non potes doctrinam refellere: insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Habemus ergo & nos cui displicere plus periculi sit, præsertim cum etiam Imperatoribus non displiceat, suo quemque fungi munere, & patienter audiatis unumquemque pro suo suggerentem officio, immo corripiatis, si non utatur militiæ suæ ordine. Quod ergo in iis accipitis qui vobis militant, num hoc in Sacerdotibus potest molestum videri, quum id loquamur non quod volumus, sed quod jubemur. Idem etiam ad eundem scribens *Theodosium*, lib. 7. epistola 59. Nonne (inquit) me delectaret habere gratiam Imperatoris, ut secundum voluntatem tuam agerem, si causa pateretur? —— Si credis, agnosce quod dico. Si non credis, ignosce quod facio, in quo Deum præfero. Hæc *Ambrosius*.

§. 9. *Augustinus* Tractat. 46. in Evangelium *Joannis*, de mercenario, ejusque fuga; quis est, (inquit) iste mercenarius? Sunt quidam Ec-
Philipp. 2. clesiæ præpositi, de quibus *Paulus* Apostolus dicit, sua quærentes, non quæ Jesu Christi: Quid est sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes: hæc quando amantur a Præposito, & propter hæc servitur Deo, quisquis est talis, mercenarius est, inter filios se non computet: de talibus enim & Dominus dicit; Amen dico vobis, perceperunt mercedem
Matth. 6. suam. ——— Non eos discutit nisi Dominus, qui cor inspicit, ipse discutit, tamen aliquando intelliguntur a nobis, non enim frustra dixit ipse
Matth. 7. Dominus etiam de lupis; ex fructibus eorum cognoscetis eos: multos interrogant tentationes, & tunc apparent cogitationes: multi autem latent. Quis est lupus, nisi Diabolus? Quis est mercenarius qui vidit lupum & fugit? Resp. qui sua quærit, non quæ Jesu Christi. Peccantem non libere audet redarguere. Ecce nescio quis peccavit, graviter peccavit, increpandus est, excommunicandus est: sed excommunicatus inimicus erit, insidiabitur, nocebit cum potuerit: jam ille qui sua quærit, non quæ Jesu Christi, ne perdat quod sectatur, humanæ amicitiæ commoditatem, & inimicitiarum humanarum incurrat molestiam, tacet, non corripit: ecce lupus ovi guttur apprehendit, Diabolus fideli adulterium persuasit: tu taces, non increpas, ô mercenarie, lupum venientem vidisti, & fugisti: Respondet forte & dicit, ecce hic sum, non fugi: fugisti, quia tacuisti: tacuisti, quia timuisti. Fuga animi timor est; corpore stetisti, Spiritu *1 Cor. 5.*
fugisti: quod ille non faciebat qui dicebat, etsi *& Col. 2. 5.* corpore absens sum, spiritu vobiscum sum: quomodo enim spiritu fugiebat, qui etiam corpore absens, fornicatores literis arguebat? affectiones nostræ, motus animorum sunt; lætitia, animi diffusio; tristitia, animi contractio: cupiditas, animi progressio: timor, animi fuga est: diffunderis enim animo cum delectaris; contraheris animo cum molestaris: progrederis animo cum appetis: fugis animo cum metuis. Ecce unde ille mercenarius viso lupo dicitur fugere. Quare? Quia non est ei cura de ovibus? Quare non est ei cura de ovibus? Quia mercenarius est. Quid est, mercenarius est? Temporalem mercedem quærit, & in domo in æternum non manebit. Hæc *Augustinus*, tractatu 46. in Evang. *Joannis*. His consonat illud; illicita non prohibere, consensus erroris est. Aug. epist. 182.

Eundem textum Evangelicum, de pastore & §. 10.
mercenario, exponens *Gregorius*, Homil. 14. in Evangelia, sic loquitur; non pastor sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. — Lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus enim super oves venit, cum quilibet injustus & raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur & non erat, relinquit oves & fugit: quia dum sibi ab eo periculum ingeri metuit, resistere ejus injustitiæ non præsumit. Fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia injustitiam vidit & tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit. — Sed est alius lupus, qui sine cessatione quotidie non corpora sed mentes dilaniat, malignus videlicet Spiritus; qui caulas fidelium insidians circuit, & mortes animarum quærit. Hic lupus rapit ac dispergit oves, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit, hunc invidia stimulat, illum fallacia supplantat. Quasi ergo lupus gregem dissipat, cum fidelium populum Diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur: quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Unde & mox adjungitur, mercenarius autem fugit quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Sola enim causa est ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est, ac si aperte diceretur, stare in periculo ovium non potest, qui in eo quod ovibus præest non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc, quod diligit, amittat. Hæc ibi.

Idem etiam *Gregorius*, de cura pastorali, par- §. 11.
te 2a, cap. 4. Sit (inquit) rector discretus in silentio, utilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat; nam sicut incauta loquutio in errorem pertrahit: ita indiscretum silentium, hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt: &, juxta veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat, dicens; Canes muti non valen- *Jesa. 56.*

tes latrare. Hinc rursum queritur, dicens; non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum
Ezech. 13. pro domo Israël, ut staretis in prelio in die Domini. Ex adverso quippe ascendere, est, pro defensione gregis, voce libera hujus mundi potestatibus contra ire: & in die Domini in prelio stare, est pravis decertantibus, ex justitiæ amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quam tacendo terga præbuisse? Qui nimirum si pro grege se objicit, murum pro
Ezech. 13. domo Israel hostibus opponit. Hinc rursum delinquenti populo dicitur, Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperuerunt iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Prophetæ quippe in Sacro eloquio nonnunquam doctores vocantur, qui dum fugitiva esse præsentia indicant, quæ sunt ventura manifestant. Quos divinus sermo falsa videre redarguit: quia dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur: quia iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt: quia ab increpationis voce conticescunt. Hæc *Gregorius*.

§. 12. Huc pertinent & illa quæ ex *Augustino* citat *Gratianus*; quisquis metu cujuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat: quia magis timet hominem quam Deum. caus. 11. quæst. 3. *Quisquis*. Item, melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione beneficium. can. *Nemo*. Eod. tit.

§. 13. Ut propter metum hominis non prævaricetur Pastor, imperat Dominus, quando ait, ne timeatis ab his qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potius eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. —— Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis: quisquis autem negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo qui est in cœlis. *Matth*. 10. 28, 32, 33.

Pro labore pastorali non fugiendo facit etiam illud encomium Angeli Ecclesiæ Ephesinæ, *διὰ τὸ ὄνομά μου κεκοπίακας, καὶ οὐ κέκμηκας*, id est, propter nomen meum laborasti, nec defessus es, sive, nec succubuisti labori. *Apoc*. 2. 3. & multa alia Scripturæ testimonia, quorum haud pauca nobis in superioribus citata sunt.

§. 14. Superest ut inquiramus de fuga propter persecutionem, de qua priusquam disseramus, ponemus hanc regulam de speciebus fugæ jam explicatis.

Nunquam opere, aut animo fugies, nolo terreat ira;
Pelliciatve hominum favor, ut reticenda loquaris,
Aut taceas dicenda, nec aversare laborem.

Caput XXXVI.

De fuga propter persecutionem: & de fuga pastoris, tempore persecutionis, Propositio prima.

§. 1. Fuga propter persecutionem, *alia est prorsus illicita*, quamvis qui fugit maneat corpore, puta, si Dominum neget coram hominibus, de qua fuga loquitur Dominus, *Matth*. 10. *vs*. 33. Quicunque negaverit me coram hominibus, negabo & ego illum coram Patre meo qui est in cœlis. Et hujus fugæ duo sunt gradus, unus est, & quidem inferior, quando clericus per metum humanum negat se esse clericum, de qua fuga mitius sentiendum est: Alius est gradus ulterior, nempe quando Christianus, sive laicus, sive clericus, *abnegat nomen Christi*, quæ fuga deterior est & periculi plena. De his duobus gradibus extat canon in canonibus qui dicuntur Apostolorum, can. 61. Si quis clericus per metum humanum vel Judæi vel Græci vel Hæretici negaverit, siquidem nomen Christi, ab Ecclesia rejicitor: si vero nomen clerici, deponitor; pœnitentia tamen ductus, ut laicus recipitor. Alia est fuga non semper illicita, nempe, fuga corporalis, qua declinatur persequentium rabies; de qua fuga præcipue hic disserendum est.

Fuga corporalis, vel *consideratur in Pastore*, vel *in gregario* Christiano. Præcipua nobis investigatio est de fuga Pastoris; qua explicata, facile apparebit jus fugæ gregariorum. §. 2.

De fuga Pastoris tempore persecutionis, hæ observentur propositiones. §. 3.

Propositio prima, fuga Pastoris in persecutione non semper est licita, sed aliquando mora in loco est necessaria. 1. *Propositio.*

Hujus propositionis veritas manifesta est ex verbis Domini, apud Joannem, cap. 10. vs. 11, 12, 13. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus, mercenarius autem & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videns lupum venientem, deserit oves, & fugit, lupus autem rapit ac dispergit oves, mercenarius autem fugit quia mercenarius est, & non est illi cura ovium. Idem confirmatur exemplo Domini, qui spretis Herodis minis mansit in statione, *Luc*. 13. 31, 32, 33. & quærentibus eum ad mortem obviam processit, seque iis concessit. *Joh*. 18. Huc pertinet exemplum illud & verba Apostoli Pauli, qui vinctus spiritu, profectus est Hierosolymam, quamvis sciret vincula sibi & afflictiones illic expectandas propter nomen Domini. *Act*. 20. 22, 23, 24. Non fugerunt *Ananias*, *Michael* & *Azarias*, denunciatam vivicomburii pœnam *Dan*. 3. neque Daniel Leones *Dan*. 6. quamvis de Tyrannico decreto ante certiores facti sint, manserunt tamen in suis stationibus, confisi in Domino Deo Israëlis. Atque ad acuendam in tali casu alacritatem data est illa consolatio, Beati qui persequutionem patiuntur, justitiæ causa, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, *Matth*. 5. 10. Item denunciatio illa & promissio, cum mandato, si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me; quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam; quisquis autem perdiderit animam suam mea causa, inveniet eam. *Matth*. 16. *vs*. 24, 25. Ubi loquitur Dominus de imitatione spontaneæ suæ mortis cui se ultro obtulit. Exorta propter Stephanum magna contra Ecclesiam persequutione, dispersisque discipulis, manserunt Apostoli Hierosolymis *Act*. 8. 1. non enim tunc illis erat fugiendi tempus.

Caput XXXVII.

De fuga Pastoris tempore persecutionis, Propositio secunda.

Propositio secunda. Fuga corporalis aliquando est licita, neque mora est necessaria, & quandoque etiam nec licita est mora. §. 1.

Propositionis hujus veritas clara est ex præcepto illo Domini, cum persequentur vos in hac urbe, fugite in aliam *Matth*. 10. 23. Item variis exemplis in S. Scriptura commemoratis, quæ diligenter observavit beatus *Athanasius* Episcopus Alexandrinus, in sua Apologia de fuga sua, ubi profert exemplum *Jacobi* fugientis a Fratre suo *Esau*. §. 2.

Esau. Gen. 28. Et exemplum *Moysis* qui ob metum *Pharaonis* secessit in terram Madian. *Exod.* 2. Et *Davidis* qui *Saülum* Regem ejusque satellites ad illum in ædibus suis interficiendum missos fugit, & in spelunca latuit. 1 *Sam.* 19. & *cap.* 22. Item exemplum *Eliæ* Prophetæ, qui quamvis invocato Dei nomine mortuum excitasset, propter odium tamen *Achabi* Regis & propter minas *Jesabel* fugam capessivit. 1 *Reg.* 17. & *cap.* 19. 3. Ubi expresse dicitur, quod auditis *Jesabelis* minis, *Elias* pro vitæ suæ discrimine inde recesserit, & relicto Beershebæ famulo suo ipse in desertum se contulerit. Item, exemplum illorum centum Prophetarum qui persecutionem Jezabelicam fugientes, se absconderunt, & in speluncis subsidio Obadiæ delituerunt. 1 *Reg.* 18. 13. Item, *Pauli* Apostoli, qui Damasci a præside illius regionis quæsitus, de muro in sporta demissus est, & sic ex illius manibus evasit. *Act.* 9. & 2 *Cor.* 11. in fine illius capitis.

§. 3. His addit *Athanasius* legem illam apud *Moysen*, ut illis qui ad mortem propter casuale & involuntarium homicidium quærerentur, civitates constituerentur perfugii. *Num.* 35. Item verba illa Domini apud Matthæum 24. Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes, & qui in tecto est non descendat aliquid tollere de domo sua, & qui in agro, non revertatur tollere vestimenta sua. Quæ verba cum præcedentibus exemplis & legibus ad propositum accommodans *Athanasius*, hæc (inquit) cum viri sancti intelligerent, vitam suam, eandem ad normam instituerunt. Quæ vero Dominus nunc præcepit, eadem ipsa ante incarnationem suam in sanctis viris loquutus fuerat; atque hic est hominibus terminus ad perfectionem ducens, ut quod Deus præceperit illud ipsum faciamus. Hæc ille.

§. 4. Adjicit insuper exemplum Ipsius Domini nostri Jesu Christi, qui propter nos homo factus, cum ab adversariis quæreretur, se nostro more occultare, fugere, insidiasque sibi collocatas declinare non dedignatus est. Nam (inquit *Athanasius*) sicut esuriendo, sitiendo, & id generis molestias perpetiendo, sic etiam ab adversariis fugiendo se hominem factum esse ostendere voluit. Ex ipsis siquidem incunabulis simul atque homo factus erat, ipse, quum adhuc puer esset, per Angelum mandavit *Josepho* dicens, surgens accipe puerum & matrem ejus & fuge in Ægyptum, Herodes enim est animam pueri quæsiturus. Quinetiam, *Herode* mortuo, visum est illi, propter *Archelaum* filium *Herodis*, secedere Nazareth. *Matth.* 2. Ad hoc quum postea se Deum declararet, & aridam manum sanasset, Pharisæi egressi consilium contra illum inierunt ut vitam ei adimerent, qua re cognita, Jesus se inde subduxit. *Matth.* 12. 14, 15. Item quum *Lazarum* excitasset a mortuis, ab illa die consilium cœperunt ut illum occiderent, Jesus igitur deinceps non inter Judæos propalam ac libere versatus est, [οὐκ ἔτι παῤῥησίᾳ περιεπάτει ἐν τοῖς Ἰουδαίοις] sed inde in locum solitudini finitimum abscessit. *Joan.* 11. 53, 54. Porro quum Servator diceret, *Antequam Abraham fieret, ego sum*, Judæi sumpserunt lapides ut in illum conjicerent, Dominus autem abscondit se, & exivit de templo, & pertransiens per medium illorum abiit, & sic evasit. *Joan.* 8. 58, 59. Accedit quod Jesus quum de Joannis Baptistæ martyrio, deque corpore ejus a discipulis sepulto accepisset, inde conscenso navigio in desertum locum seorsim abierit. *Matth.* 14. 13. Hoc exemplum applicans *Athanasius*, causa (inquit) ejusmodi decessionis & fugæ, quam in Servatore extitisse memorant Evangelistæ non solum rationi consentanea, sed etiam vera fuit; nos propterea eandem fuisse in omnibus sanctis viris existimare debemus, nam quæ in Servatore humano modo & more accidisse literis proditum est, ea ad commune hominum genus referenda sunt, quippe nostram naturam ille accepit, & nostræ infirmitatis affectiones in seipso declaravit.

Id explicans, in eadem Apologia, idem *Athanasius*, quemadmodum (inquit) apud *Joannem* §. 5.
est, (cap. 7.) quærebant eum apprehendere & nemo misit in illum manus quia nondum venerat hora ejus. Quinetiam priusquam ista venerat, dixit matri, nondum venit hora mea. Illos etiam *Joan.* 2.
qui fratres ejus appellabantur, sic affatus est, *Joan.* 7.
tempus meum nondum advenit; rursus quum tempus aderat, dixit discipulis, dormite jam & requiescite, ecce enim appropinquavit hora, & *Matth.* 26.
filius hominis tradetur in manus peccatorum. Patremque sic alloquutus est, Pater, venit hora, glorifica tuum filium: nec jam inde se quærentibus subduxit, sed volens comprehendi substitit ac remansit. Quocirca neque antequam tempus venerat permisit se comprehendi: neque quum tempus aderat se occultavit, sed semetipsum illis, qui ei insidias paraverant, exposuit. Eodem modo beati martyres in persecutionum procellis, quæ variis temporibus ingruebant, sicut eum homines eos persequebantur, fugam ceperunt, & in locis abditis opertisque delituerunt: sic cum erant reperti, horam jam suam advenisse intelligentes, certamen martyrii libenter obierunt. Hæc & plura alia in eandem sententiam *Athanasius*, in apologia quam in fugæ suæ defensionem conscripsit, contra calumnias *Leontii* Antiocheni, & *Narcissi* Neronipolitani & *Georgii* Laodicensis reliquorumque Arianorum.

Exemplis autem & testimoniis pro fuga licita §. 6.
allatis addi potest exemplum illud *Davidis* fugientis a filio suo *Absolomo*, quamvis Rex & Pastor esset populi illius, & ex officio populum defendere teneretur & civitatem sanctam: fugit tamen, tum suo, tum populi ac civitatis bono; nam si maneret, videbat se moriturum, populum parricidio manus suas contaminaturum, civitatem hostiliter direptum iri; neque eum amplius genti suæ profuturum; quæ omnia incommoda evasit fugiendo. Proinde accepto de conjuratione nuncio, dixit *David* omnibus servis suis, qui erant cum eo in Hierusalem, surgite & fugiamus; quia non erit nobis evasio a facie Absalom: festinate abire, ne forte acceleret & apprehendat nos, & impellat super nos malum, & percutiat civitatem acie gladii. 2 *Sam.* 15. 14.

Cum Saul Rex persequeretur Sacerdotes Do- §. 7.
mini, *Abiathar* Sacerdos fuga evasit ad *Davidem*. 1 *Sam.* 22. 20. Item *Urias* Propheta *Jehojakimi* Regis crudelitatem timens fugit in Ægyptum. *Jerem.* 26. 21. Et ipse *Jeremias*, ejusdem Regis feritatem devitans, se cum *Baruch* occultavit, adeo ut per Dei gratiam non potuerat persecutor latitantes invenire. *Jerem.* 36. *v.* 19. & 26.

Dominus noster cum intellexisset audisse Pha- §. 8.
risæos, quod ipse faceret discipulos & baptizaret plures quam Joannes, reliquit Judæam, & abiit in Galilæam. *Joan.* 4. 1, 2.

Huc pertinet quod de veteribus tempore Vete- §. 9.
ris Testamenti persecutionem fugientibus legimus, qui oberraverunt cum ovinis & caprinis pellibus, destituti, oppressi, male habiti: quibus in-

indignus erat mundus, in deſertis errantes, & montibus ac ſpeluncis, & cavernis terræ. *Hebr.* 11. 37, 38.

§. 10. His Sacræ Scripturæ teſtimoniis & exemplis accedunt exempla & teſtimonia Sanctorum in primitiva Eccleſia Chriſtiana.

Polycarpus, Apoſtolorum diſcipulus, cum Imperante *Marco Aurelio* quæreretur ad necem, ſe ex urbe Smyrna ad villam non longe diſtantem ſubduxit, & ibi etiam cum quæreretur, non ſubſtitit, ſed in aliam villam ſe tranſtuliſſe memoratur. *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 15. Græc. At in Lat. edit. cap. 14.

§. 11. *Cyprianus* Epiſcopus Carthag. perſecutores fugiens ſeceſſit, & in eo biennali receſſu 29. ſcripſiſſe fertur Epiſtolas, ut annotat *Pamelius* ad finem argumenti libri *Tertulliani* de fuga in perſecutione. Eam *Cypriani* ſeceſſionem approbat & laudat clerus Romanus, in ſua ad clerum Carthaginenſem Epiſtola, quæ extat inter Epiſtolas *Cypriani*, epiſt. 3. edit. Pamel. Ejuſdem

Epiſt. 56. vel Libr. 4. Epiſt. 6. *Cypriani* in ſua Epiſtola 56. ad plebem Thybari conſiſtentem, hæc ſunt verba; neque quiſquam, fratres dilectiſſimi, cum populum noſtrum fugari conſpexerit metu perſecutionis & ſpargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Epiſcopos audiat. Simul tunc omnes eſſe non poſſumus, quibus occidere non licet, ſed occidi neceſſe eſt. Ubicunque in illis diebus unuſquiſque fratrum fuerit, a grege interim hac neceſſitate temporis, corpore, non ſpiritu, ſeparatus, non moveatur ad fugæ illius horrorem, nec recedere & latere ſolitudine deſerti loci terreatur. Solus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt: ſolus non eſt, qui templum Dei ſervans ubicunque fuerit, ſine Deo non eſt. Et ſi fugientem in ſolitudine ac montibus latro oppreſſerit, fera invaſerit, fames ac ſitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempeſtas, aut procella ſubmerſerit, expectat militem ſuum Chriſtus

* * * *Hic deeſt pagina Autographo.*

Athanaſius tandem poſt multa pro Eccleſia confecta certamina, cum Epiſcopatum quadraginta ſex annos, non abſque multis gravibuſque periculis adminiſtraſſet, in cœleſtem migravit patriam; *Gratiano* & *Probo* conſulibus. Et *Petrum* virum eximie pium & præſtantem, exiliorumque & calamitatum Athanaſii ſocium ac teſtem reliquit ſucceſſorem. Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 16. Theodoret. Hiſtoriæ Eccl. lib. 4. cap. 16. Theodoret. Hiſt. Eccl. libr. 4. cap. 18.

§. 14. *Petrum* hunc Epiſcopum Alexandrinum Ariani carceri incluſerunt, ille autem ex vinculis elapſus, ad *Damaſum* Romanum Pontificem fugit, graſſante in urbe Alexandrina & immaniter ſæviente Ariana rabie. Unde in ſua epiſtola ipſe ille Petrus ſcribit ſe merito diſceſſiſſe de illa Eccleſia. Socrat. lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 17. Theodoret. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 19. & 20.

§. 15. Ne quis autem exiſtimet *Athanaſium* mercenario more fugiſſe, tanquam gregis deſertorem, audiamus ipſius *Athanaſii* verba in Apologia ad Imperatorem *Conſtantium*, apud quem ſe excuſare ſatagit quod non ſtatim ceſſerit, accepto nuncio ut exularet, antequam compertam haberet Imperatoris voluntatem, cui ſtatuerat *Athanaſius* non reſiſtere, ſed eo jubente ire in exilium. Aſſerit enim non ſibi compertum fuiſſe de Imperatoris voluntate, qua non cognita, ſi cederet deſertorem poſſe eum haberi. Hæc ejus ſunt verba ad Imperatorem; noſti ex lectione Scripturarum quanti ſceleris ſit Epiſcopum Eccleſiam ſuam deſerere, & negligere gregem Dei. Paſtorum enim abſentia lupis invadendi gregis occaſionem præſtat. Cæterum Ariani & reliqui hæretici per noſtram abſentiam locum opportunitatemque venabantur; ut populum ad impietatem seducerent. Si igitur fugiſſem, quam excuſationem apud veros Epiſcopos, vel potius apud eum, qui mihi hunc gregem credidit, habuiſſem? Eſt autem ille judex omnium terrarum verus & ubique Rex Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei. Quomodo non merito ea negligentia populorum mihi imputata fuiſſet; quomodo non & tua pietas merito his verbis objurgaſſet? Cur tu cum diplomatibus in Eccleſiam intromiſſus, ſine diplomatibus egrederis, populoſque deſtituis? Quomodo non & ipſe populus in die judicii incuriam ſui in me conjeciſſet? Dicentes, is qui Epiſcopi munere fungebatur, nobis neglectis, adeo ut non eſſet qui nos admoneret, fugam iniit. Si hæc dicerent, quid reſponderem?

§. 16. Quam fuerit autem eidem *Athanaſio* juſta fugiendi cauſa, poſt cognitas inimicorum inſidias, idem declarat in eadem Apologia, quum, poſt perſpectam inimicorum truculentiam, fuga ſibi conſuluiſſet, ne eo ſublato hoſtes inſolentius graſſarentur, ſecuri jam ab omni reprehenſore: ſic autem in ea Apologia loquitur: Neque rurſus, formidine mortis, me in fugam dedi, ne quis me timiditatis accuſet, ſed ut Salvatoris præcepto obtemperarem, cujus mandatum eſt, ut contra perſecutores fuga, contra indagatores latebris utamur, ne ſi nos in apertum periculum offeramus, acrius provocemus perſequentium furorem. Si quidem in æquilibrio eſt, & ſeipſum occidere, & ſe inimicis ad occidendum propinare: qui autem fugit, ut Dominus præcepit, is temporum articulos novit, & vere ſuis perſecutoribus cavet, ne uſque ad ſanguinem fundendum evecti, rei fiant ejus præcepti quod homicidium vetat. [Et paulo poſt,] Quo tempore igitur talia ſcelera ab Arianis deſignabantur, nihil a me erratum quod obtemperaverim Sacræ Scripturæ ita loquenti; *Sed abſcondare aliquantiſper, donec tranſeat furor Domini.* Abdidi igitur denuo meipſum, religioſiſſime Imperator, neque piguit me in ſolitudinem abire, neque, ſi neceſſum ſit, in ſporta e mœnibus demitti. Omnia enim ſuſtinui, & cum feris habitavi, ut interim & vos tranſiretis, & illorum, quæ nunc ſcribo, idoneum tempus adveniret, nihil addubitans quin futurum eſſet; ut aliquando & hi calumniatores agnoſcerentur, & tua humanitas eluceſceret. Eſai. 26. 20.

Idem *Athanaſius* aliam etiam Apologiam de eadem ſua fuga conſcripſit, contra calumnias *Leontii* Antiocheni, & Narciſſi Neronipolitani, & Georgii Laodicenſis reliquorumque Arianorum; in qua adfert multa Scripturæ Sacræ teſtimonia, & exempla, quæ ſupra commemoravimus, pro defenſione fugæ. Et ſub finem ejuſdem Apologiæ modum diſceſſionis ſuæ ſic exponit: Exquirant (inquit) modum noſtræ receſſionis, & reſciſcant a ſuis: Ariani enim ſe militibus in curſu illo & eruptione adjunxerunt, ut eos ad ſævitiam inflammarent, noſque iis latentes proderent: qui ſi tum omni affectu commiſerationis caruerint, ſaltem nunc auditis ſuis ſceleribus, pudefacti conquieſcant. Nox erat, multique ex populo ad proximam ſynaxin in orationibus pervigilabant, quum Dux exercitus *Syrianus* ingeſſit ſe pluribus quam quinque millibus, quorum alii arma, alii [illegible] geſtabant, alii arcus, jacula, fuſtes, quemadmodum [illegible] §. 17.

dictum

dictum est, & Ecclesiam militibus prope inter se consertis manibus, ne quispiam inde exiret, aut elaberetur, cinxit. Ego autem, quum in tanta tribulatione populos deserere absurdum putarem, & rectius esse, ut pro aliis pericula susciperem, manebam sedens in cathedra mea, Diacono jusso, ut Psalmum recitaret: *Quoniam in seculum misericordia ejus.* & post recitationem quisque domum abiret. Ubi quum Dux istarum cohortium, vi in templum irruisset, militesque sacrarium ad me intercipiendum obsiderent, quotquot ex clero populove residui erant, clamitare, obsecrare, ut me subducerem: ego contra, nisi omnibus ad unum digressis, me recessurum pernegabam, quapropter relicta cathedra, injunctisque precibus obsecrabam, ut abitum maturarent: melius enim esse, si ipse in periculum venirem, quam si quispiam illorum acciperet: digressis igitur plerisque, cæterisque eos subsequentibus, Monachi mei & nonnulli ex clericis inter abeundum me secum abstraxerunt: atque ita testor veritatem., per milites, quorum alii Sacrarium cingebant, alii per templum oberrabant, inoffense transivimus, Domino Duce & protectore, nihilque ipsis sentientibus elapsi sumus. Deum interim magnifice glorificantes, quod neque populum prodidissemus, & quod iis prius sine noxa dimissis, quærentium manus effugissemus. Quum igitur divina providentia nos ita mirabiliter ex hoc periculo eripuerit, quis mihi id jure vitio vertendum putet, quod non ultra me in manus quærentium rejecerim, aut remenso itinere me eorum oculis ingesserim? id enim esset plane se ingratum Deo præstare, & præter ejus mandatum agere, & cum Actis Sanctorum pugnare. Aut si quis est, qui in hoc culpam consistere putet, audeat ille eadem opera, etiam magnum Apostolum *Petrum* incusare, quod conclusus & custoditus militari manu, secutus sit Angelum, & post egressionem e carcere, & liberationem, non redierit ad vincula sua, & sese tradiderit, sine omni cura considerationeque scelerum *Herodis.* Crimini det *Manes* ille *Arsanus*, quod Paulus de muro demissus, & ita elapsus, non mutaret consilium, & regressus, adversariis sui potestatem fecerit. Sed neque *Moses* reversus est a Madianitis in Ægyptum, ut apprehenderetur ab iis, qui ipsum quærebant. Neque item *David* in spelunca se exhibuit Sauli, neque filii Prophetarum ingesserunt se Achabo. Id enim erat facere contra Dei præceptum; quum

Deut. 6. 16. *Matth.* 4. 7.

in Scripturis habeatur; *Non tentabis Dominum Deum tuum:* id quum & ego vererer, ut qui hæc e Scripturis didiceram, ad istum modum me instituit, neque gratiam Domini erga me, ejusque auxilium negligendum putati, etiam si ob id adversum nos dentibus frendeant. Hic igitur modus meæ recessionis fuit, in quo existimo nullam omnino culpam esse, apud eos saltem, quibus est fama mens: quum sciant a Sanctis hujusmodi formam ad institutionem nostri traditam esse. Hæc *Athanasius.*

§. 18. *Augustin.* *Joh.* 10, 12.

Augustinus Episcopus Hipponensis fugam corporalem quandoque licitam esse probat exemplis Apostolorum, exponens verba illa Domini de mercenario; *Quum viderit lupum venientem, fugit.* &c. In quæ verba *Augustinus*. Numquid talis erat Apostolus *Paulus*? Absit. Numquid talis Petrus? absit. Numquid tales cæteri Apostoli, excepto Juda filio perditionis? Absit. Pastores ergo illi? Plane pastores: & unde unus Pastor? Jam dixi pastores, quia membra pastoris illo capite gaudebant, sub illo capite concordabant, uno Spiritu, in unius corporis compage vivebant, ac per hoc omnes ad unum pastorem pertinebant. Si ergo pastores non mercenarii, quare fugiebant, quando persecutionem patiebantur? Expone nobis, ô Domine, vide in epistola fugientem *Paulum*, per murum in sporta submissus & ut manus persequentium evaderet; non ergo illi cura fuit de ovibus, quas lupo veniente deserebat? fugit plane, sed eas pastori in cœlo sedenti orationibus commendabat: se autem utilitati earum fugiendo servabat, sicut quodam loco ait, *manere in carne necessarium duxi propter vos.* Ab ipso namque pastore omnes audierant, *si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Hæc *Augustinus*, tractat. 46. in Evangelium Joannis. Idem

Philipp. 1. *Matth.* 10.

etiam epistola 180. quam ad *Honoratum* Episcopum de hoc argumento ex professo scripsit, aliam adjicit conditionem quam observaverit Paulus Apostolus in illa sua fuga; Quod nimirum Apostolus a persecutore specialiter quæsitus fuerit, nec defuerint alii ministri similem fugiendi necessitatem non habentes, per quos implebatur necessarium Ecclesiæ ministerium, & sic etiam ait fugisse Sanctum *Athanasium* Alexandrinum Episcopum, quum eum specialiter apprehendere *Constantius* cuperet Imperator, nequaquam a cæteris ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat. Distinguit ibidem *Augustinus* diversos casus in quibus fugere pastori liceat, vel non liceat. Summam comprehendit author glossæ caus. 7. quæst. 1. can. *Adversitas.* his verbis; aut solus prælatus quæritur, aut totus clerus. Si solus prælatus, aut eo recedente tuta est salus Ecclesiæ, & tunc fugiet: aut non est tuta, & tunc ponet animam suam pro ovibus suis. Si totus clerus quæritur, indistincte se pro eis hostibus opponet; sed si alias potest consuli Ecclesiæ, totus clerus fugiat cum prælato. Si non potest, remaneant cum prælato vel omnes, vel quidam ex eis. Si est altercatio de remansuris, res sorte dirimatur. Hæc ibi. Mentem vero *Augustini* clarius exponemus sequente propositione, quæ erit de casibus fugiendi, vel non fugiendi.

§. 19.

Observentur interim hæ quatuor rationes pro fuga licita. Prima Deum respicit, qui non est tentandus. Secunda, Ecclesiam respicit, cui vita pastoris quandoque ita necessaria est, ut Ecclesiæ sit utilis fuga pastoris; sicut Ecclesiæ utilis fuit fuga Petri. *Act.* 12. & fuga Pauli. 2 *Cor.* 11. 13. & fuga Athanasii. Tertia ratio respicit persequutores, quibus parcimus fugiendo, & non sinendo ut innocentem sanguinem fundant. Gavisus est *David* de consilio *Abigaël* uxoris *Nabal*, quæ eum avertit ab exsequutione temerarii juramenti de occidendo *Nabale*, ejusque familia. Quarta ratio respicit ipsum fugientem, nam pericula non necessaria & inutilia sunt vitanda, & cavendum est ne nostræ potius temeritatis pœnas luere, quam pro divinæ veritatis necessaria defensione vitam ponere videamur; atque ita minor sit nostra consolatio. Non pœna sed caussa facit Martyrem; ergo cogitanda vocatio divina, neque dispositionem cœlestem antevertere studeamus. Sicut e converso, quando res & vocatio nostra postulat, nulla sunt metuenda aut declinanda discrimina, uti ostendimus in prima propositione. Has quatuor rationes afferebant olim & veteres Patres, ut patet ex eorum testimoniis jam citatis.

§. 20. *Tertulliani argumenta proponuntur & refutantur.*

Antequam vero progrediamur occurrendum est argumentis *Tertulliani*, omnem pastoris fugam simpliciter improbantis, libro *de fuga in persequutione*, sive, ut aliter inscribitur, *de persecutione*: quem librum, teste *Hieronymo* in catalogo Scriptorum Eccle-

Ecclesiasticorum, scripsit adversum Ecclesiam, jam ad *Montani* dogma delapsus. Præcipua ejus argumenta hæc sunt:

§. 21. *Arg.* 1. Quod a Deo evenit non est ullo modo fugiendum: At persecutio a Deo evenit: ergo. Probatur minor, *Esa.* 45. 7. *Deuter.* 32. 39. *Zach.* 13. 9. Probatur major. 1. Quod bonum est non debet devitari; at necesse est bonum esse omne quod Deo visum est, juxta illud, *& vidit Deus quia bonum est.* Genes. 1. Obj. At multa alicujus malo eveniunt. Respondet, sensui alicujus mala esse possunt, at statu bona sunt quæcunque a Deo eveniunt, (nihil enim a Deo non bonum, quia divinum, quia rationale.) Si qua autem statu bona sint, quamvis sensui mala videantur, status dat sensui legem; erit status in tuto, sensus in vitio. Delictum est, quod bonum est recusare, eo amplius quod Deo visum est. Ita & persecutio statu bona est, quia divina & rationalis dispositio, sensui eorum vero quorum malo venit, displicet. Vides etiam illud malum rationem apud Deum habere, quum quis in persequutione evertitur de salute, sicut & illud bonum ratione contingere quum quis ex persequutione proficit in salute? nisi si irrationaliter quis aut perit apud Deum, aut salvus est. Is non poterit persequutionem malum dicere quæ etiam in malis parte bonum est, dum ratione administratur. 2ᵃ Probatio majoris, non potest vitari quod a Deo evenit, ejus enim voluntas non potest evadi. Igitur qui putant fugiendum aut malum exprobrant Deo, si persequutionem uti malum fugiunt, bonum enim nemo devitat: aut fortiores se Deo existimant, qui putant se evadere posse, si Deus tale aliquid voluerit evenire.

§. 22. *Antidotum:* Negatur major propositio argumenti: neque valent prosyllogismi: nam fas devitare quod sensui malum est, qualia mala sunt pestis, fames, bellum, &c. quamvis omnia sciamus cessura in bonum eorum qui diligunt Deum. Et absurdissima est *Tertulliani* argutatio, qua omnis sedulitas & mediorum usus licitus tollitur, ac ne ipsa quidem eversio ex fide vitanda esse docetur: quo quid absurdius? fatemur quidem determinatam Dei voluntatem esse inevitabilem: at nobis de ea in singulis eventibus antequam eveniant, non constat, neque fas cuiquam nostrum tentare Dominum Deum nostrum, negligendo media a Deo concessa. Interea nos semper submittimus voluntati Patris nostri cœlestis, dicentes exemplo Domini nostri, *Pater si vis transeat a me calix iste, non tamen quod ego volo fiat, sed quod tu vis.* At instat *Tertullianus*, inquiens; postula & tu, sed stans ut ille. Respondeo, stetit quia venisse vidit horam suam, at ante horæ adventum occultavit se, neque se apprehendi sinebat, ut recte monet *Athanasius*.

§. 23. *Secundum Arg. Tertull.* Fugio, inquies, ne Christum negem, & peream: Respondet, hoc in Dei manu esse.

Antid. Sic & mors ex peste, ex fame, omniaque alia fugienda, in Dei manu sunt, nec tamen negligenda sunt media, immo ipsa animæ æterna perditio in Dei manu est, & tamen summopere devitanda: tentatio in manu Dei est, & tamen cavere debemus, ne nos in tentationem conjiciamus, & orare docemur, ut Deus non inducat nos in tentationem, sed liberet nos a malo.

§. 24. *Tertium Arg. Tertull.* Ad objectionem sum-

Matth. 10. ptam ex Christi præcepto, *Si vos persequuti fuerint in una civitate, fugite in aliam:* Respondet, hoc in persona propriæ Apostolorum, & in tempora & in causas eorum pertinere, sicut & præcedentes præceptiones, *In viam nationum ne ieritis, & in civitatem Samaritanorum ne introieritis, sed ite potius ad oves perditas domus Israëlis.*

Antid. Inanis est ista responsio, quæ argumento nititur ex omnibus particularibus in prima figura: Nemo enim dicere audebit omnia Domini præcepta & promissa, quæ tunc Apostolis tradita commemorantur ad solos pertinuisse Apostolos, & ad illa duntaxat tempora. Manifestum enim est multa generaliter ad alios etiam extendi, qualia sunt, *Ecce ego mitto vos ut oves in medio luporum, estote igitur prudentes ut Serpentes, & innocentes ut columbæ: Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in consessus, & in Synagogis suis flagellabunt vos. —— Et eritis exosi omnibus propter nomen meum, verum qui sustinuerit usque in finem iste servabitur. Quum autem persequentur vos in hac urbe, fugite in aliam.* Hoc autem de fuga præceptum generalibus & perpetuis accensendum esse patet ex Scripturæ testimoniis, & exemplis, & rationibus, supra allatis.

Quartum Arg. Tertull. Christus ait, qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis &c. §. 25. *Matth.* 10. Item, felices qui persequutionem patiuntur causa nominis mei. *Matth.* 5. Item, qui sustinuerit in finem, iste salvabitur. *Matth.* 10. Item, nolite timere eos qui corpus occidere possunt, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in Gehenna. Ibid. Item, qui pluris fecerit animam suam quam me, non est me dignus, & qui non tollit crucem &c. *Luc.* 14. Item, in Apocalypsi cap. 21. vs. 8. non fugam timidis offert, sed inter cæteros reprobos particulam in stagno sulphuris & ignis; quod est secunda mors. Ergo nefas est fugere persecutionem.

Antidotum. Recte *Cyprianus*, lib. de lapsis, cum (inquit) corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens, interim cedit, non fidem denegat, sed tempus exspectat: qui autem cum non secederet, cecidit, remansit negaturus. Dominus noster in uno eodemque Sermone & fugere jubet, & constantiam confessionis imperat, & perseverantibus usque in finem, Matth. 10.
salutem promittit. Fugere igitur persequutorem, 22, 23, 31,
non est negare Servatorem. In fugam agi pro- 33.
pter Christum est persequutionem pati propter Christum, fælices igitur & ii qui propter Christum fugere coguntur. At dices, fæliciores si occidentur propter Christum. Resp. nempe quando fuerit hora sumendi, neque concessa vitæ tuæ conservandæ media contemnendo, Deum tentasti. Ille semper fælicior qui facit officium. Non sunt ita timendi homines ut propter eos offendamus Deum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna, sicut monet Dominus. *Matth.* 10. 28. Et tamen ibidem, jubet discipulos suos cavere ab hominibus, qui eos persequuturi erant, vers. 17. & fugere in aliam civitatem, vers. 23. neque mors ipsa corporis nos terrere debet ad negandum Christum coram hominibus, sed potius alacriter vitam ponere debemus pro nomine ejus, cum videamus horam jam advenisse, neque aliud nobis relictum esse, quam ut vel Christum negemus coram hominibus, quod absit, vel pro confessione Christi caducam hanc vitam lubentes ponamus. Nam qui pluris fecerit animam suam quam Christum, non est eo dignus. At ille, qui Christo ipso viam monstrante, & ducente, declinat violentiam hostium,

non

non pluris facit animam suam quam Christum: sed se totum Christi obsequio addicit: vivens Christo, & paratus pro Christo etiam animam suam ponere, ubi resciverit, id jam obsequii Christum ab illo postulare, & advenisse horam suscipiendæ coronæ martyrii. Qui autem in Christo manens, furorem hostium per honesta media declinat, paratus si opus sit, pro Christi nomine vitam ponere, non timidus sed prudens censendus est, sic enim præcepit Dominus, *Ecce ego mitto vos, ut oves in medio luporum; estote igitur prudentes ut serpentes, & innocentes ut columbæ. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in consessus* &c. *Matth.* 10. 16, 17. &c. Timidi autem illi, quibus portio assignatur in stagno sulphuris & ignis, [*Apocal.* 21. 8] pluris fecerunt animam suam quam Christum, eumque negarunt coram hominibus, timentes hominem magis quam Deum: animamque suam volentes servare, perdiderunt.

Matth. 10. 28. & 16. 25.

§. 26. *Quintum Arg. Tertull.* Objicies ipse Christus vim interdum refugit. Respondet *Tertullianus*, Christus quidem refugit, sed eadem ratione, qua Apostolis fugere præceperat, donec scil. doctrinam suam impleret. Qua consummata, non dico stetit, sed nec auxilium a Patre Angelorum exercituum desideravit, increpito etiam Petri gladio. Hæc *Tertullianus*.

Antidotum. Nempe, uti recte ab *Athanasio* observatum est, Christus antequam advenisset hora, non permisit se apprehendi, & quamvis certus esset de Dei præsidio, neque posse hostes prævalere ante statutam horam, [*Job.* 7. 30.] noluit tamen tentare Deum: [*Matth.* 4.], sed eorum furorem per licita media declinavit. Ubi vero advenit hora illa, qua ebibendus ei erat calix ille a patre ejus cœlesti porrectus, paruit lubens voluntati Patris, dixitque Patri, *Pater mi, si non potest poculum hoc transire a me, quin bibam illud, fiat voluntas tua*, Matth. 26. 42. ideoque confirmato animo neque subsidio usus est exercituum Angelorum ad repellendos hostes, neque loco cessit, sed eis obviam processit, & Petri etiam gladium increpuit, sic eum alloquens, *repone gladium tuum in vaginam; poculum quod dedit mihi Pater, annon bibam illud?* Joh. 18. 11. Sic nos imitari Christum debemus, tum fugientem, tum remanentem ac fortiter morientem. Nulli nostrum ordinarie constat utrum adhuc sit impleta necne nostra doctrina; relinquamus Deo sua secreta, nos intueri convenit præceptum Domini, ut quamdiu tempus habemus, faciamus quæ bona sunt, & nos Dominus semper inveniat *facientes sic*, id est, vocationi nostræ congruenter agentes, sive persecutionem exemplo Domini nostri per honesta media fugiendo, sive calicem passionis a Patre nostro cœlesti in manum nostram evidenter porrectum, ejusdem Domini nostri exemplo alacriter & constanter ebibendo: quando scil. nulla patet honesta fugæ via.

CAPUT XXXVIII.

De fuga Pastoris, tempore persecutionis, Propositio tertia, de causis fugiendi vel manendi.

§. 1. Tertia propositio de casibus fugæ licitæ vel illicitæ continet has distinctiones. Si in solum pastorem persequutio intendatur, & eo recedente non desit Ecclesiæ necessarium ministerium, potest sine crimine recedere, vel latere: at non negliget necessarium ministerium neque suam vitam corporalem vitæ gregis Spirituali anteponet. Si vero in ipsum etiam gregem lupi irruant, non est deserendus grex, neque consolatione & roboratione necessaria destituendus; nemo enim, lupo gregem persequente, fugit, nisi mercenarius. Nempe si gregem lupo prædam relinquat, sitque ejus fuga gregi non utilis, sed perniciosa. Si plures sint in una Ecclesia pastores, neque necesse sit omnes pastores manere, quum partem eorum manere sufficiat, & gregi expediat ut quidam ex pastoribus fuga sibi consulant, & ad tranquilliora tempora se gregi reservent, tunc ne cuiquam vel præjudicium fieri, vel de quoquam mala suspicio exoriri possit, non male res forte dirimetur, quinam manere, & qui recedere debeant: nam sortem ipsæ probant sacræ literæ, & jacturam improbant inutilem.

Hanc propositionem numeris inclusam sic habeto. §. 2.

Si solus pastor quæratur, eoque remoto
Non ovibus desit custodia congrua, migret,
Vel lateat.
Si gregis est pastor cujusquam solus, & illo
Amoto qui pascat oves est nemo, necemque
Intentant hostes soli, grex occulet illum,
Occultosque celebrabunt pro tempore cœtus.
Ad breve momentum & poterit secedere, **si nec*
Absit longo intervallo nec tempore longo,
Pabula ne desint ovibus pastore remoto;
Sedulus at vigilet, dura omnia ferre paratus
Pastor, ovem potius fera quam deglutiat unam.
At si cum pastore gregem petat atra procella,
Grex loca tuta petet, pastor comitabitur illum.
Si maneant aliqui, pastor non deseret agnos,
Ne laniet pastore lupus fugiente tenellos.
Si grex, magna gregis vel pars permanserit, ipsi
Pastores maneant: Si non remanere necesse est
Omnes, expediatque gregi ut pars altera migret,
Ne desint ovibus finita clade magistri,
Pars maneant, veniente lupo, ut tueantur ovile,
Inque acie stantes animos pugnantibus addant,
Seque duces præstent validos, &, res ubi poscit,
Victrices animas pulchro in certamine ponant:
Ne cuiquam præjudicium fieri videatur,
Et ne de quoquam mala suspicio foveatur,
Non male sortito pater Augustinus in isto
Casu posse putat dirimi rem, pagina sortem
Sacra probans, monet ut vitemus inutile damnum.

* Nam secessio non detrimentosa gregi, neu vis o vertenda est secedentibus.

§. 3. Distinctiones istæ maximam partem desumptæ sunt ex epistola 180. *Augustini* ad *Honoratum.* Ejus verba de necessitate ministerii hæc sunt: Recolimus verba Domini, dicentis, quum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Quis autem credat, ita hoc Dominum fieri voluisse, ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges quos suo sanguine comparavit? —— Attendatur quod jam superius disputavi, tunc de locis in quibus sumus premente persequutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit cui ministretur, aut etiam fuerit & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi: sicut in sporta submissus fugit Apostolus, quum a persecutore proprie ipse quæreretur, aliis utique necessitatem similem non habentibus, a quibus illic ministerium absit ut desereretur Ecclesiæ, sicut fugit Sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, quum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam a cæteris ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat. Quum autem plebs manet & mini-

 nistri

nistri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? veniet enim lupus non homo, sed Diabolus, qui plerumque fideles Apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici corporis defuit, & peribit infirmus in tua non scientia, sed ignorantia, frater, propter quem Christus mortuus est. —— Hic forte quis dicat, ideo debere Dei ministros fugere a talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus servent. Recte hoc fit a quibusdam, quando non desunt alii per quos suppleatur Ecclesiasticum ministerium; ne ab omnibus deseratur, quod fecisse Athanasium supra diximus; nam quantum necessarium fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit quod vir ille mansit in carne, Catholica fides novit, quæ adversus Arianos hæreticos ore illius & amore defensa est. Sed quando est commune periculum, magisque timendum est ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quam vivendi prosit officio, nulla ratione faciendum est. De sortitione inter abituros & mansuros sic loquitur Augustinus: quæ disceptatio si aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur qui maneant & qui fugiant sorte legendi sunt. Qui enim dixerint se potius fugere debere, aut timidi videbuntur, qui imminens malum sustinere noluerint: aut arrogantes, quia se magis qui servandi essent necessarios Ecclesiæ judicarunt. Deinde fortassis ii qui meliores sunt, eligent pro fratribus animas ponere, & hi servabuntur fugiendo, quorum est minus utilis vita, quia minor consulendi & gubernandi peritia. Qui tamen si pie sapiunt, contradicent eis quos vident & vivere potius oportere, & magis mori malle, quam fugere: ideo sicut scriptum est; *Contradictiones sedat sortitio, & inter potentes definit.* Melius enim Deus in hujuscemodi ambagibus quam homines judicat, sive dignetur ad passionis fructum vocare meliores, & parcere infirmis, sive istos facere ad mala perferenda fortiores, & huic vitæ subtrahere, quorum non potest Dei Ecclesiæ tantum quantum illorum vita prodesse.

Prov. 18. 18. *Scimus Apostolum Matthiam sorte electum esse. Actor.* 1.

§ 4. Epistolam illam sic claudit *Augustinus*: Quicunque igitur isto modo fugit, ut Ecclesiæ necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit quod Dominus præcepit sive permisit. Qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus.

§. 5. Plura ad hujus propositionis distinctionumque in ea memoratarum illustrationem facientia inveniet lector in ea epistola *Augustini*, & quidem congruenter sacris literis, quas *Augustinus* diligenter respicit.

§. 6. *Unam.*] Dico dura omnia pastori perferenda esse potius, quam unam ex minimis oviculis sibi creditis, sua ignavia perdat. *David*, typus Christi, se leoni objecit pro liberatione unius agni, item urso, cum quibus conflixit eosque interfecit, eruto agno ex ore leonis. 1 *Samuel.* 17. 34, 35, 36. Dominus noster Princeps Pastorum ait, hanc esse voluntatem Patris, qui misit eum, ut quicquid ei dederit [πᾶν ὃ δέδωκε] non perdat ex eo *Joh.* 6. 39. & Patrem sic alloquitur; quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit. *Joh.* 17. *vs.* 12. Quæ ejus verba repetuntur a Joanne, in hunc modum; quos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquam [οὐδένα.] *Joh.* 18. 9. In quo non solum consolationem, sed & instructionem habemus, ut diligamus alii alios, sicut ille dilexit nos, *Job.* 13. 34. ejusque exemplo animas nostras ponamus pro fratribus. 1 *Joh.* 3. 16. neque nostra culpa, vel quantum in nobis est, perdamus infirmum fratrem pro quo Christus mortuus est, 1 *Corinth.* 8. 9. Dominus ait, quisquis scandalizaverit unum ex parvis istis, qui in me credunt, præstiterit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris. Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis; dico enim vobis, Angelos eorum in cœlis per omne tempus videre faciem Patris mei qui est in cœlis. Venit enim filius hominis ut servet quod perierat. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui homini centum oves, & erraverit una ex eis, nonne relictis illis nonaginta novem, in montes quærit aberrantem; atque si contigerit ut inveniat eam, Amen dico vobis, gaudet super ea magis quam super illis nonaginta novem, quæ non aberrarunt. Sic non est voluntas Patris vestri qui est in cœlis, ut pereat unus ex parvis istis. *Matth.* 18. 6. 10, 11, 12, 13, 14. nullam vult familiæ suæ negligi ancillulam, sed ei præberi per dispensatorem justam cibi mensuram in tempore opportuno. *Luc.* 12. 42, 45.

§. 7. Fidelis dispensatoris exemplum in seipso præbuit Apostolus *Paulus*, sicut ipse apud Lucam declarat in sua oratione ad Presbyteros Ephesinos, quos ad similem hortatur vigilantiam ac diligentiam *Actor.* 20. Ubi quatuor ista observentur. 1. Quid dispensaverit. 2. Quibus. 3. Quo tempore & modo. 4. Quæ fuerit interim conditio dispensatoris sive doctoris. Primum quod attinet; nihil subtraxit eorum quæ illis conducerent, quominus ea illis annunciaret: [vers. 20.] non subterfugit quominus annunciaret illis omne Dei consilium: [vers. 27.] omnia ostendit illis. [vers. 35.] Ad secundum; testificatus est Judæis & Græcis, sine personarum acceptione. [vers. 21.] Omnes docuit publice, & per singulas domos, [κατ' οἴκους.] vers. 20. & 26. & monuit capitatim unum quemque, [ἕνα ἕκαστον.] vers. 31.] nulla vel ex minimis oviculis neglecta. Ad tertium; assiduus fuit in opere per omne tempus, quo eum ibi residere voluit Dominus; non cessavit sed hoc agebat nocte & die. [vers. 18. & vers. 31.] Ad quartum; servivit Domino cum omni humilitate, & multis lachrymis, ac tentationibus, quæ illi evenerunt in Judæorum insidiis. [vers. 19. & vers. 31.] Hortatur autem Presbyteros Ephesinos, ut hanc ejus fidelitatem & constantiam imitentur & attendant sibi ipsis & toti gregi, & pascant Ecclesiam Dei. [vers. 28.] & necessitatem obedientiæ huic hortationi demonstrat duobus argumentis; quorum prius sumit ab officio & vocatione pastorali, quia scil. Spiritus Sanctus constituit eos Episcopos in illo grege. Alterum arg. sumit a relatione gregis ad Deum, ejusque amore quem declaravit erga dilectam suam; est enim Ecclesia Dei, quam acquisivit proprio suo sanguine. [vers. 28.] His duobus argumentis addatur tertium argumentum interminativum seu comminativum, ex vers. 26. ubi Apostolus ait, ideo testor vobis hodierno die, me purum esse a sanguine omnium: debet igitur Pastor eam præstare fidelitatem, ut non tantum a quorundam aut maximæ etiam partis, sed ab omnium sanguine mundus sit. Præpositis impositum est, ut pro animabus populi ipsis commissi vigilent, utpote rationem reddituri. *Hebr.* 13. 17. Si quisquam de grege pereat culpa pastoris, morietur quidem impius in iniquitate sua, sanguinem autem ejus requiret Dominus de manu pastoris, quem dedit Dominus populo suo excubitorem. *Ezech.* 3. 17, 18.

CA-

CAPUT XXXIX.

De fuga Pastoris, tempore persecutionis, quarta Propositio, quæ est de injustis causis fugiendi.

1. 2. *Ne fugias nimium metuens 1 hominem-ve, 2 necem-ve;*
3. 4. *Nec 3 secli, nec 4 amore tui rapiare; nec unquam*
5. 6. *Impius abjicias curam 5 legisve, 6 gregisve.*

§. 1. Hic sex enumerantur causæ propter quas fugere injustum est, nempe duplex timor, & duplex amor, & duplex incuria. Timor nimius vel hominis est quem times offendere, vel mortis quam times subire. Amor vel est hujus seculi rerumque secularium, vel est tui ipsius, non prudens amor sed cæca Philautia. Incuria est qua vel gregem negligis, vel tui es officii, quod lex tibi imponit, incuriosus.

§. 2. Ut metu hominum non negligas officium monet Dominus, quando prohibet te timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; jubet autem timere illum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna; & repetito præcepto, jubet ut non timeas hominem. *Matth.* 10. 28, 31.

§. 3. Ut autem mortem non timeas, monet Dominus, quando ait, si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: qui enim voluerit animam suam servare, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam mei causa, inveniet eam. *Matth.* 16. 24, 25. Nil metue eorum quæ passurus es. *Apoc.* 2. 10. Qui timet Deum, non metuit hominum sævitias, inquit autor libri de duplici martyrio, qui Cypriano tribuitur.

§. 4. Dixi, *ne nimium timeas*, quia non damnatur omnis timor hominis, aut mortis: est enim alius timor moderatus & prudens, alius timor nimius & ignavus. Hunc damnat Scriptura, non illum: nam & *David* prudenti timore a *Saulo* Rege se occultavit, & *Samuel* quum proficisceretur in oppidum Bethlehem ad ungendum *Davidem*, prætendit sacrificium, quia metuebat ne eum Saul Rex occideret. 1 *Sam* 16. Elias etiam vitæ suæ consulens fugit atrocitatem Jesabelis. 1 *Reg.* 19. 3. *Urias* etiam Propheta, auditis *Jebojakimi* Regis minis, extimuisse dicitur, & fugisse in Ægyptum; quamvis inde retractus martyrium obierit. *Jerem.* 26. 21. *Joseph* cum Christo rediens ex Egypto, timuit ire in Judæam, metu *Archelai*; verum in somnio divinitus admonitus secessit in partes Galilææ. *Matth.* 2. 22. In die resurrectionis Domini, cum fores essent clausæ ubi erant discipuli coacti propter metum Judæorum, venit Jesus stetitque in medio eorum, neque reprehendit eam cautelam, sed dixit, *Pax vobis* Joh. 20. 19, 26. Non est confusus & consternativus iste timor, sed est quædam provida mali præventio & amolitio. Timor metaphorice aliquando tribuitur Deo, qui profitetur se a delendo populo Israëlitico abstinuisse, eo quod timeret iram inimici, ne sibi id opus superbe tribueret insultans inimicus, *nisi timerem iram inimici.* Deut. 32. 27. id est, nisi providendum judicarem, ut inimico non sit hæc occasio insolentius insultandi, & fastuose blasphemandi. Vir pius, ducente Deo, fugiens persequutorem, timet sine consternatione animi, neque vitiosus est iste sed prudens timor seu cautio. Qualem timorem sive cautionem prudentemque mali declinationem non damnat, sed commendat Sacra Scriptura, oppositamque simplicitatem, id est, imprudentiam reprehendit; sic enim loquitur Salomon; *Cautus videt malum, & abscondit se; simplices autem transeunt; & mulctantur.* Prov. 22. 3. Prudenter autem cavere ab hominibus sicut docet Dominus *Matth.* 10. 17. non est ita timere vel hominem, vel necem, quin semper paratus sis mortem potius crudelissimam oppetere, quam Christum negare coram hominibus, aut officio tuo deesse. Nosti tempora tua esse in manu Dei, *Psal.* 31. 16. paratus excubas ut illi pulsanti aperias, & ad martyrium vocanti prompte obsequaris, sed non ut tuo arbitratu irruas, & nondum eo vocatus te ingeras, animamque inconsiderata simplicitate projicias. Unde *Hieronymus* Comment. in cap. 26. *Hieremiæ:* Animadvertenda (inquit) constantia Prophetalis, quod ne de Ægypto quidem retractus Urias mutaverit sententiam: sed videns sibi intentari mortem, nihilominus sit loquutus quæ præceperat Dominus. Quodque timuit & fugit, & ingressus est Ægyptum; non infidelitatis, sed prudentiæ judicium est: ne frustra nos offeramus periculis. Alioquin & Dominum Salvatorem de manibus persequentium lapsum legimus: & præcipit ipse discipulis suis *Matth.* 10. 23. si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite ad aliam. Hæc *Hieronymus.* Non igitur damnatur moderatus & prudens timor; sed damnatur timor immodicus, ignavus, & confusus, fidelitatem destruens, & constantiam animi labefactans, & sana consilia curamque officii ex animo expectorans, qualis est timor mercenarii, qui videt lupum venientem & fugit, nec est illi cura de ovibus, sed eas præ ignavo & infideli timore relinquit prædam lupo; & magis reformidat rabiem persequutoris, quam offensionem Dei, & neglectum sui officii. Propterea diligenter & fortiter Athanasius in sua contra Arianos Apologia, eam Arianorum a se calumniam repellit, qua falso objiciebant ei timiditatem, ac si ea fuisset causa fugæ Athanasii, quam ille calumniam valide refellit, & alias fugæ suæ causas justas ostendit.

Deuteron. 32. vs. 27. לולי כעס אויב אגור *Pagninus vertit,* Nisi iram inimici timerem. *Lat. Vulg.* Sed propter iram inimicorum distuli. *LXX.* εἰ μὴ δι' ὀργὴν ἐχθρῶν.

Matth. 10. προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. *Cavete autem ab hominibus.* Luc. 4. 30. Joh. 8. 59. Matth. 10. 23.

Nec secli amore.] Huc pertinet dictum illud Domini nostri; quid prodest homini si totum mundum lucratus fuerit, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo compensationem pro anima sua? filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum operationem ipsius *Matth.* 16. 26, 27. Item, quisquis vestrum non valedicit omnibus bonis suis, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14. 33. Hæc est illa deceptio mercedis qua deceptus fuit Baalam mercenarius, qui amavit mercedem iniquitatis. 2 *Petr.* 2. 15. *Jud. vs.* 11.

Nec amore tui.] Huc pertinet quod ait Dominus; si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem & uxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14. 26. Item, qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; & qui amat filium aut filiam supra me, non est me dignus: & qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam mea causa, inveniet eam. *Matth.* 10. 37, 38, 39. Item, si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Matth.* 16. 24.

Nunquam abjicies curam gregis.] Cui non est cura de ovibus, is est mercenarius, & non pastor:

stor: bonus autem Pastor animam suam ponit pro ovibus. *Joan.* 10 11, 12, 13. Unde Apostolus *Paulus* scribens ad Corinthios, ego vero (inquit) libentissime expendam & expendar pro animabus vestris. 2 *Cor.* 12. 15.

Ne abjicias curam legis.] Id est, sis memor tuæ vocationis, & officii, quod non deseres fugiendo, sed memor stationis tuæ imitaberis Apostolum Paulum, qui dixit, nullius rationem habeo, neque vita mea chara est mihi ipsi, præ ut perficiam cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi a Domino Jesu, ad testificandum Evangelium gratiæ Dei. *Actor.* 20. 24. Huc pertinent illa verba *Athanasii*, quæ ex ejus ad *Constantium* apologia supra citavimus, de necessitate curæ pastoralis, & non deserendo grege, in explicatione secundæ propositionis.

Caput XL.

De fuga Pastoris, tempore persecutionis, quinta Propositio, continens conditiones justæ fugæ.

1. *Si fugiendo gregi prosis, fuga si tua nulli*
2. 3. *Perniciosa, tibi nec dedecorosa, viamque*
4. *Qua vadas, referet Dominus, fuge Pastor iniquam*
Carnificum rabiem, teque ad meliora reserva.

Has habuerunt fugæ suæ conditiones Prophetæ & Apostoli, & ipse Dominus, & veteris Christianæ Ecclesiæ Pastores; *Cyprianus*, *Athanasius*, *Petrus*, &c. Testatur *Athanasius* in sua ad *Constantium* Imperatorem apologia, se ideo fugisse, ut opportuniora tempora exspectaret, perspexisse enim se, id Arianos satagere, ut, sublato *Athanasio*, gregem crudeliter popularentur, & quo modo atque in quos ipsis liberum esset grassarentur, & quæcunque virulenta contra *Athanasium* fideinque orthodoxam mendacia confingerent, sublato reprehensore. Idcirco de *Athanasii* fuga loquens *Augustinus* epist. 180. Quantum (inquit) necessarium fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit, quod vir ille mansit in carne, Catholica fides novit, quæ adversus Arianos hæreticos ore illius & amore defensa est.

In propositione hac quatuor recensentur conditiones justæ fugæ, quarum una aliqua deficiente, fuga non est licita.

§. 1. *Si fugiendo gregi prosis:*] Sic gregi profuit fuga *Eliæ* Prophetæ; fuga Domini nostri; fuga *Petri* & *Pauli* Apostolorum; fuga *Cypriani* & *Athanasii*, aliorumque piorum pastorum, qui fugiendo reservati sunt Ecclesiæ, neque eorum fuga fuit Ecclesiæ detrimentosa: vel si non illo tempore evaserunt, sed ex fuga retracti morti traditi sunt, sicut *Urias* Propheta, *Jerem.* 26. & *Polycarpus* Episcopus Smyrnensis, Euseb. Hist. Ecclesiast. lib. 4. cap. 15. Græc. at in Latina editione cap. 14. profuerunt tamen Ecclesiæ ipso exemplo non contemnendi fugam licitam, & non tentandi Deum, quoad patuit via divinitus concessa: Item, exemplo prompti obsequii, quod divinæ voluntati præstiterunt apprehensi ab hostibus, ostendentes se non mercenaria timiditate, sed pastorali judicio, quoad licuit, fugisse, constanter tamen paratos esse animam suam ponere pro ovibus.

§. 2. *Fuga si tua nulli perniciosa.*] Non licet Pastori fugere cum aliorum pernicie, quam remanendo avertere posset, & quæ, nisi remaneat, illi merito imputari possit. Pernicies alia est spiritualis, puta, si per fugam Pastoris destituatur grex necessario ac debito ministerio: de qua pernicie vitanda dictum est supra in propositione tertia. Alia est pernicies secularis, puta, si, fugiente Pastore, alii pro eo comprehendantur, & cruciatibus ac morti tradendi videantur, in quo casu bonus Pastor non redimet suam lucis hujus usuram aliorum pernicie. Cujus rei extat insigne exemplum apud *Theodoretum*, lib. 3. Hist. Eccles. cap. 6. Ubi describens multiplicem gentilium contra Christianos crudelitatem, imperante *Juliano* Apostata, hanc inter alias refert historiam de *Marco* Episcopo Arethusæ in Syria; Adde his (inquit) facinus plane tragicum, contra *Marcum* Episcopum Arethusæ gestum, quod profecto Æschyli & Sophoclis in oratione majestatem requirit, uti immanis illius crudelitas tragice explicetur. Iste, temporibus Constantini, delubro simulachrorum disjecto, Ecclesiam Christi in ejus loco exstruxit. Arethusii igitur, intellecto *Juliani* proposito, odium quod adversus eum conceperant, expromunt. Qua re cognita, Marcus primum legi Evangelicæ obsecutus, fuga salutem petere conatur. Verum ubi certior factus est, quosdam ex suis pro se comprehensos, redit domum, & se genti crudeli tradit. Itaque Arethusii cum eum cepissent, non miserati ut senem, non ut virtutis cultorem reveriti sunt: sed virum eximiæ vitæ & singularis doctrinæ ornamentis decoratum, torquere aggrediuntur: ac primum corpus exutum vestibus, verberibus cædere, & membris omnibus infligere plagas: tum in foetidas cloacas conjicere: inde rursus eductum, gregi adolescentulorum tradere, quibus dant mandatum, ut eum stylis confodiant: Deinceps involvere reti, & oleo piscium & melle ungentes, sublimem in æstu ardentissimo sub dio suspendere, quo vespas & apes ad epulandum invitarent. Quibus rebus confectis, ad alterum e duobus faciendum compellere, vel ut delubrum quod diruerat, denuo exstruat: vel ut sumptum ille ad exstruendum suppeditet. At ille, cruciatus illos toleranter ac placide perpessus, negat se quicquam eorum, quæ proposuerant facturum. Isti vero, quoniam arbitrabantur eum præ inopia tantam pecuniæ vim non posse numerare, dimidiam summam ei condonare, jubereque reliquam dissolvere. Ille suspensus in sublimi, & stylis confossus, a vespis & apibus ambesus, non modo nullam dedit doloris significationem; verum etiam impios lepide irrisit, dixitque, eos abjectos esse, & humi repere, se autem erectum & in sublimi positum. Ad extremum, illi exiguam pecuniæ portionem petere. Quibus ille, perinde impium esse obolum in impium opus impendere, atque summam pecuniæ universam. Proinde sic tandem victi, eum dimittunt, cum ejus admirati fortitudinem & constantiam; tum mutata sententia, ad rationem vitæ penitus contrariam traducti: siquidem ex ejus ore veram pietatem postea didicerunt. Hæc ibi.

Tibi nec dedecorosa:] Fuga Pastori fugienti dedecorosa, conjuncta est cum scandalo, & aliorum periculo. Propterea talem fugam capessere noluit *Nehemias*, quamvis adversariorum literis, fictoque etiam vaticinio tentatus. De qua re verba *Nehemiæ* in sacro textu, postquam inimicorum literas accepisset, hæc sunt, Summisi ad eum (nempe *Samballat*) his verbis, non est factum secundum verba hæc quæ tu dicis, sed de corde tuo fingis ea; quia omnes ii terrent nos, dicendo, debilitabuntur manus eorum ab opere, & non fiet. Nunc autem conforta manum meam. Et ingressus sum domum *Semaiæ*, filii *Delaiæ*, filii *Mehetabeel* (ipse vero erat clausus,) & ait, §. 3.

con-

conveniamus ad domum Dei intra templum, claudamusque ostia templi, quia veniunt ut occidant te, hacquidem nocte veniunt, ut occidant te. Tunc dixi, num quisquam similis mei fugiet, & similis mei qui ingreditur templum, & vivat? non ingrediar. Et cognovi, & ecce Deus non miserat illum, sed illam Prophetiam locutus erat adversum me, & *Tobias* & *Samballat* conduxerunt eum mercede. Quia mercede conductus fuerat, ut timerem, & facerem sic, atque peccarem, essetque illis ad nomen malum, ut probris afficerent me. *Nehem. 6. vers.* 8, 9, 10, 11, 12, 13.

§. 4. *Viamque qua vadas referet Dominus.*] Recte observat *Athanasius*, in sua contra Arianos apologia, non esse anticipandam nostra temeritate præstitutam divinitus horam; sicut Christus antequam hora adveniret non se permisit apprehendi, quum autem hora advenisset quæ certe jam ante erat ipsi cognita, non amplius fugit, sed persequutoribus ultro obviam ivit. Sic etiam antequam advenerit præstituta nostra hora, recte fugimus, ubi vero viderimus advenisse horam, nullius amplius fugæ locus est. Horam vero advenisse nobis non constat, adeoque nec manendi incumbit necessitas, quamdiu viam honestam fugiendi videmus nobis divinitus patefactam: nempe ubi, servatis memoratis conditionibus datur fugiendi facultas, ita ut hostium manus evadere possimus, nec dum in manus eorum nos tradat Dominus. At dices, nonnullos sanctos aliquando inter fugiendum converso itinere se in adversarios intulisse. Respondet *Athanasius*, non temere hoc ab illis neque inconsulte factum esse: admonitos enim a Spiritu sancto persequutoribus obviam ivisse, & in hoc quoque suum obsequium promptitudinemque declarasse. At extraordinaria non possunt trahi in ordinariam consequentiam. Nos intueri oportet præceptum Domini, & illa in sacris literis memorata exempla sanctorum, quæ ordinariam præcepti Dominici obligationem nobis manifeste interpretantur, sicut etiam docuit *Athanasius* ubertim in eadem illa Apologia, ex qua verba quædam huc facientia supra recitavimus, in explicatione secundæ propositionis, ubi de modo fugæ Athanasii. Ubi autem Deus viam fugiendi patefacit, seque ducem præbet, recte capessitur fuga. Sic etiam *Dionysius*, Episcopus Alexandrinus, in persequutione sub *Decio* Imperatore, scribit se Deo præcipiente, & mirandum in modum ducem itineris præbente, egressum esse. Euseb. lib. 6. cap. 40. Græc. & 33. Lat.

CAPUT XLI.

De fuga in persecutione, Propositio sexta, complectens injustas causas manendi.

1. 2. *Ne sit causa tibi ut maneas præsumptio vana,*
Dum proprias vires, & dum miracula jactas;
3. *Cæca superstitio nec lumina mentis inumbret;*
4. *Nec te detineat vinctum mundana suppellex:*
5. *Non recte præceps, imprudentive pericla*
6. 7. *Simplicitate subis; non impatientia vitæ,*
8. *Martyrii immodicus non recte detinet ardor;*
9. *Nec fas humanas remanendo quærere laudes.*

ENumerantur in ista propositione novem causæ manendi insufficientes & injustæ.

§. 1. Prima causa est, præsumptio de propriis viribus & propria sua constantia; qualis erat præsumptio Petri Apostoli, de cujus præsumptionis vanitate illum admonuit Dominus, prædicens illi trinam negationem. *Joan.* 13. in fine capitis.

Secunda causa est, præsumptio de miraculis, quæ Deus non promisit; quo pertinet illa Domini ad tentatorem responsio, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Matth. 4. §. 2.

Tertia causa est, cæca superstitio; quæ causa Montanistas impulit, ut nullam fugam licitam esse crederent: sicut patet ex libro *Tertulliani*, jam tum Montanistæ, quem contra fugam scripsit. Legimus in historia Maccabæorum lib. 1. cap. 2. quosdam Judæos a militibus *Antiochi* Regis occisos esse, nec se defendere voluisse, eo quod religio illis esset arma arripere die Sabbathi, ideoque incursantibus hostibus occisi sunt circiter mille homines. Quæ sane cæca fuit superstitio, quam *Mattathias* sacerdos ejusque filii & amici merito improbaverunt, accepto enim de clade illa nuntio sic alloquuti sunt alius alium; Si nos ita agamus, quemadmodum egerunt fratres nostri, ut pro vita & religione nostra non pugnemus, illi nos jam de terra subito exterminabunt. Itaque constituerunt inter se his verbis; Quicunque hominum nos die Sabbathorum prælio adortus fuerit, cum eo pugnabimus, ne moriamur omnes; quemadmodum fratres nostri mortui sunt. Quod ipsorum consilium Dominus non solum prospero successu comprobavit, sed etiam in Novo Testamento invictis confirmat argumentis; quum enim mulierem infirmam sanasset die Sabbathi, indignante Archisynagogo, cæca superstitione fascinato, respondit Dominus & dixit; Hypocrita, unusquisque vestrum Sabbatho annon solvit bovem suum aut asinum a præsepi, & abducens potat, hanc vero filiam Abraham, quam vinxit Satanas ecce decem & octo annos an non oportebat solvi ab hoc vinculo die Sabbathi? *Luc.* 13. 15, 16. Item; cujus vestrum asinus aut bos in puteum incidet, & non statim extrahet eum in die Sabbathi? *Luc.* 14. 5, 6. Item, si Sabbatho circumcisionem accipit homo, ut non solvatur lex Mosis, mihi irascimini quod totum hominem sanum fecerim in Sabbatho? ne judicate secundum speciem, sed justum judicium judicate. *Joan.* 7. 23, 24. Item, si nossetis quid sit, misericordiam volo, & non sacrificium; non condemnaretis innocentes, Dominus enim est Sabbathi filius hominis. —— Licet Sabbatho recte facere: loquens de curatione hominis habentis manum aridam. *Matth.* 12. Item, Sabbathum factum est propter hominem, & non homo propter Sabbathum, quapropter filius hominis est Dominus etiam Sabbathi. *Marc.* 2. 27, 28. Et qualis erat Judæorum se Sabbatho non defendentium superstitio, talis etiam *Tertulliani*, ejusque sequacium, omnem in persequutione fugam damnantium, hallucinatio, sicut in superioribus manifestum fecimus. §. 3.

Quarta injusta manendi causa est, amor patrimonii, aut supellectilis mundanæ, cui non debet ita esse affixus animus ut propter terrena ista vel nos in tentationem conjiciamus, vel licitam vitæ nostræ conservationem negligamus: ideo de *Mattathia* ejusque filiis legimus, quod tempore persequutionis ipse & filii ejus ad montes profugerint, relictis his quæ in oppido habebant. 1 *Maccab.* 2. 28. Omnia relinquenda sunt, ut Christum authoremque ducemque vitæ sequamur. *Luc.* 14. 33. Commendat *Gaio* suo Apostolus *Johannes* Christianos extorres, qui propter nomen Christi exiverunt nihil accipientes a gentibus 3. *Joan.* 7. nempe eos non detinuit mundana supellex. Unde de fuga in persecutione loquens *Cyprianus*, de lapsis, relinquenda (inquit) erat §. 4.

patria, & patrimonii facienda jactura. Cui enim naſcenti atque morienti non relinquenda quandoque patria, & patrimonii ſui facienda jactura eſt? Ut Chriſtus non relinquatur, ſalutis ac ſedis æternæ jactura timeatur. —— Qui cum non ſecederet cecidit, remanſit negaturus. Diſſimulanda, fratres, veritas non eſt, nec vulneris noſtri materia & cauſa reticenda; decepit multos patrimonii ſui amor cæcus; nec ad recedendum parati aut expediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima præcluſa: ut Serpenti terram ſecundum Dei ſententiam devoranti, præda & cibus fierent, qui terreſtribus inhærerent. Hæc *Cyprianus.*

§. 5. Quinta injuſta remanendi cauſa eſt, præceps temeritas, qua fertur aliquis inconſiderato impetu, non autem ſedato judicio; ad pericula adeunda; cujus rei apud *Euſebium* legitur miſerabile exemplum, de *Quinto* quodam, qui Smyrnæ præceps ad tribunal Judicis ruit; & mox ad oblatum ſupplicii terrorem fidem Chriſtianam prodidit: quam rem geſtam, ex epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, ſic refert Euſebius, libr. 4. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 15. Græc. & 14. Lat. Clamantibus Paganis contra Chriſtianos, tolle impios, quæratur *Polycarpus*; quum permagna turba illis populi clamoribus de Chriſtianis conquirendis facta eſſet, Phrygem quendam, nomine Quintum, qui nuper e Phrygia adventaverat, ſimulac immanes feras; & terribiles præterea cruciatus perſpexerat, molli & fracto animo attonitum obſtupuiſſe: & tandem, ſalute prodita, manus præ ignavia dediſſe. Declarat autem eadem epiſtola, illum non prudenti animi proviſione & conſilio adductum, ſed temere & quaſi repentino vento incitatum, cum aliis ad tribunal Judicis ruiſſe: [*προπετέστερον, ἀλλ' οὐ κατ' εὐλάβειαν ἐπιπηδήσαι τῷ δικαστηρίῳ σὺν ἑτέροις,*] qui ſimulatque deprehenſus tenebatur, illuſtre & evidens exemplum propoſuit, ne inconſiderate & imprudenter hujuſmodi rebus ſe aliquando quiſquam objiciat [*ὅτι μὴ δέοι τοῖς τοιούτοις ῥιψοκινδύνως καὶ ἀνευλαβῶς ἐπιτολμᾷν.*] Et tamen ibidem narratio ſubjungitur de ſancto *Polycarpo*, qui in fuga & latebris deprehenſus, conſtanti animo & vultu ad ſuſcipiendam martyrii coronam acceſſerit, eamque adeptus fuerit. De illis autem qui ſe temere ingerunt, loquens *Petrus* Alexandrinus, in ſuis canonibus, can. 9. dicit, eos tanquam ex ſomno ad certamen, quod eſt conſideratione parturiendum, & maturo conſilio differendum, proſilire, pugnæque maritimæ, & multæ fluctuum inundationis tentationem attrahere, vel potius fratribus peccatorum carbones accendere. Deinde ait; Chriſti verba non animadvertebant, qui docet, non eſſe ingrediendum in tentationem; & eum rurſus in oratione Patri dicere; & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Fortaſſe autem etiam ignorant, noſtrum Patremfamilias & Dominum noſtrum, ſæpe ab eis, qui illi inſidiari volebant, ſeceſſiſſe: & quandoque etiam libere apud eos non incedebat: & quod etiam, quando paſſionis tempus appropinquavit, non ſeipſum tradidit, ſed exſpectavit donec ad eum venirent cum gladiis & fuſtibus. —— Dicit; Videte autem voſmetipſos, tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis vapulabitis. Tradent enim, dixit; non vos ipſos tradetis. Et ad Principes & Reges ducemini propter nomen meum, non vos ipſos ducetis; nam nos quoque vult a loco in locum tranſire, dum ſunt qui nos perſequantur propter nomen ejus, ſicut eum rurſum dicentem audivimus; cum vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Non enim vult ad Diaboli ſtipatores, ſatellitesque confugere, ne ipſis quoque multifariæ mortis cauſa ſimus, ut qui ipſos & aſperiores eſſe cogimus, & opera mortifera peragere: ſed exſpectare, & nobis cavere, vigilareque, & orare, ne intremus in tentationem. Hæc *Petrus* Epiſcopus Alexandrinus, qui *Theonæ* in ea ſede ſucceſſit circa annum Domini trecenteſimum: & poſtea martyrii coronam adeptus eſt, *Maximini* præcepto capite obtruncatus; ut habetur in Martyrologio Romano, 6. Calend. Decemb. ſeu 26. die Novembris. Exſtant autem ejus canones, Tom. 1. Concil. pag. 227. & ſeq. edit. Pariſ. an. Dom. 1636. Sedit memoratus *Petrus* annos undecim, eique ſucceſſit *Achillas*, quem excepit *Alexander*, qui fuit in prima Synodo œcumenica Nicæna; ut habetur in Chronologia Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani, in Bibl. Patrum. tom. 7. edit. 4.

Sexta injuſta manendi cauſa eſt, imprudens ſimplicitas, qua quiſquam neque perpendit periculum, neque cogitat ſerio quid ſui ſit officii, ſed puerili quadam incogitantia & ſtulta ſimplicitate manet in periculo. De qua ſimplicitate loquitur *Salomon*, quando ait; prudens videt malum, & abſcondit ſe; ſimplices autem tranſeunt, & mulctantur. *Prov.* 22. 3. Chriſtus commendat nobis innocentiam & ſimplicitatem at cum prudentia conjunctam, & propterea jubet ut caveamus ab hominibus. *Matth.* 10. Ideo Apoſtolus Paulus ſcribens ad Corinthios, ſic eos hortatur; fratres, ne eſtote pueri intelligentia: ſed malitia pueri, intelligentia vero adulti eſtote. 1 *Corinth.* 14. 20. Item, ad Romanos; volo vos ſapientes quidem eſſe ad bonum, innocentes vero ad malum. *Roman.* 16. 19. & eod. cap. monet facile decipi iſtiuſmodi homines minime malos *ἀκάκους*. verſ. 18. Ideoque monet ut cum innocentia conjunctam habeant ſapientiam. §. 6.

Septima injuſta manendi cauſa eſt, impatientia vitæ, & ignava ærumnarum fuga. Valetudinem Timotheo commendavit Paulus. 1 *Timoth.* 5. 23. & vitam aliorum Dominus nobis commendavit, ut patet ex ſententia illa ultimi judicii, *Matth.* 25. & ex præceptis ſecundæ tabulæ. Cujus ſumma huc redit, ut diligas proximum ſicut teipſum. Sive igitur proximi ſive tui ipſius interfector injuſtus inveniaris, homicidii teneris, & ſanguis ſuper caput tuum eſt, quem a te repoſcet Deus inquiſitor & vindex ſanguinis. Tenemur Deo gratias agere de pane quotidiano, de victu & amictu omnibuſque hujus caducæ vitæ fulcris & ſolatiis. Et Chriſtus nos ſuo exemplo monet, ut ne panis quidem fruſtulum inutiliter perdamus *Joh.* 6. 12. quanto magis curæ nobis eſſe debet, ne vitam hanc divino nobis beneficio in ipſius Dei gloriam donatam, ingrato neglectu abjiciamus. Neque nos decet ullo ærumnarum tædio divinum tranſgredi præceptum, ut per impatientiam projiciamus animas noſtras; ſed neceſſe eſt ut animas noſtras in patientia poſſideamus, ſicut præcepit Dominus. *Luc.* 21. 19. Et quum affligimur, meminerimus id fieri ſecundum bonam voluntatem Patris noſtri cœleſtis, eumque glorificemus etiam hac in parte, & ei tanquam fideli creatori commendemus animas noſtras in benefaciendo. 1 *Pet.* 4. *vſ.* 16, 19. Et Deo perpetuam ſuam præſentiam nobis promittente. *Iſai.* 43. 2. *Hebr.* 13. 5, 6. *Matth.* 28. 20. *Phil.* 4. 13. & imperante ut mala fortiter perferamus ut boni milites Jeſu Chriſti. 2 *Tim.* 3. Turpe & nefa- §. 7.

rium

rium est ærumnas fugæ vel exilii, Christo imponente, detractare. Huc pertinent illa *Athanasii* verba in sua adversus Arianos Apologia, ubi loquens de fuga *Pauli* Apostoli, aliorumque Sanctorum; non enim (inquit) præ timore operam fugæ præbuit, absit; quin potius fugam habuit pro palæstra & meditatione adversus mortem. Duo hæc pariter observabant, & quidem consulto; ne sese periculis objicerent, neque cum crimine ignaviæ, quasi ignavi timidique, exilii ærumnas, morte graviores exhorrerent: qui enim moritur, quiescit a miseriis: qui autem in fugam se dat, quum in horas inimicorum adortus exspectet, mortem longe leviorem quam fugam existimat. Quapropter qui in fuga moritur, non inglorius moritur: nam & hi quoque auream martyrii consequuntur. Ac proinde Job magnus est habitus, quod vivus tot & tantas ærumnas toleravit, quarum nullum omnino sensum percepisset, si mortem sibi conscivisset. Quocirca & ipsi beati patres istiusmodi vivendi disciplina usi sunt, & in persecutione non timuerunt, & robur animi sui ostenderunt, quum ita se in tam angustis & tenebricosis locis recluderent, duriterque & laboriose viverent, neque e diverso quum dies mortis aderat, fugæ sese mandaverunt. Siquidem illis curæ fuit neque præsentiam ejus temporis reformidare, neque decretum a providentia terminum ante capere, aut dispensationi divinæ repugnare, (ad quam se reservari certi erant) temere agendo, ipsi sibi periculi authores redderentur. Sic enim scriptum est, eum qui præceps est labris, sibi ipsum causam ruinæ esse. Tanto robore fortitudinis instructi erant, ut nemo ne vulgaris quidem homo de ea re dubitaverit. Hæc *Athanasius*.

§. 8. Octava injusta remanendi causa est, immodicus martyrii ardor, quo homines acti non considerant decretum a divina providentia terminum, sed eum quantum in ipsis est ante capere festinant: talibus hominibus meditanda ac diligenter perpendenda verba illa Domini ad Petrum; *Quo ego abeo non potes me nunc sequi, sequeris autem postea*. Joh. 13. 36. Item, verba illa Salomonis; *& tempus & judicium discernit cor sapientis, quia omni negotio est tempus & judicium*. Ecclesf. 8. 5, 6. & rursum verba Domini ad filios Zebedæi, *nescitis cujus spiritus vos sitis*. Luc. 9. vs. 55. Et exemplum ipsius Domini nostri, qui cum instaret extremus actus martyrii, (ut Cypriani verbis utar) secessit, abjecit sese in terram, prolixe atque etiam frequenter, ac sanguineo sudore madescens nostræ naturæ in se expressit imbecillitatem, dixitque patri; transeat a me calix iste, si fieri potest, sed non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Eadem nobis dicenda esse monet Cyprianus in libr. de duplici martyrio. Beatus quidem est qui persequutionem patitur propter Christum, Christo ipso ad hanc passionem vocante, quemadmodum beati qui Evangelium prædicant missi a Domino: at tamen nemo recte sibi sumit officium prædicandi, currens non missus, neque provinciam patiendi. Quæ enim homini consolatio, si ei dicatur, non misi te & tamen cucurristi. *Jerem*. 23. 21. Item, quis requisivit istud de manibus vestris. *Esai*. 1. *vs*. 12. Beati sunt illi Prophetæ & discipuli, qui non sunt interfecti propter testimonium Christi, ut *Abraham*, *Moysis*, *Elias*, &c. non minus quam alii eo nomine occisi. Beatus non minus *Athanasius*, post multa confecta certamina, domi suæ in pace moriens, quam alii ejusdem temporis Episcopi martyres, quia ea demum tutissima ad beatitatem via est, Dominicis obedire præceptis. Aut si quis contendat, beatis martyribus specialem quandam beatitudinis gradum donari, certum est tamen beatitatem esse qui Deo vocante fugit, quam qui Deo non vocante periculis se objicit, ipse absorbetur. Beatus enim ille servus quem Dominus adveniens invenerit facientem sic, *Luc*. 12. 43. id est, facientem sicut Dominus ejus præcepit, non autem facientem sicut animus ipsius præsumit. Zelus noster tunc demum gratus est Deo, quando secundum cognitionem est, ut loquitur Apostolus *Rom*. 10. 2. Recte Cyprianus de lapsis. *Non potest accipi corona martyris, nisi fuerit hora sumendi*. Unicuique igitur diligenter cogitanda est sua vocatio, ut certus esse possit, se vitam ponere propter vocationem divinam, non autem vitam illi adimi propter suam temeritatem. Illic enim suavissima consolatio, istic vero haud exigua vexatio. De illa passione glorificandus Deus. 1 *Pet*. 4. 16. De ista, venia temeritatis oranda, & quamvis non sit desperanda venia, tamen nec sperari potest illa gloriæ eminentia, quæ vocatos martyres specialiter expectat. Et in hoc quidem genere detestanda imprimis fuit Donatistarum circumcellionum amentia, qui ad Paganorum solennitates, ut a Paganis interficerentur, agminatim accurrere; item, per mortes varias, maxime præcipitiorum & aquarum & ignium se ipsos necare consueverunt, & in istum furorem, alios quos poterant, sexus utriusque, seducere, aliquando ut occiderentur ab aliis, mortem nisi facerent comminabantur; sicut de istis scribit Augustinus, libro de Hæresibus, Hæresi 69. & Epist. 150. & Theodoretus libro quarto hæreticarum fabularum. Non statim martyr est qui occiditur; occiduntur & sicarii & piratæ: non supplicium facit martyrem, sed causa. Quod si qui leguntur sibi fortiter conscivisse necem, aut infirmitas erat, morte quærens dolorum finem, aut ambitio, aut dementia: nec hoc est testimonium præbere Deo, id facere quod & Deo displicet, & gentium etiam legibus prohibetur. Plurimum interest inter barbaricam immanitatem, & martyrum modestissimam constantiam, in se imbecillem, in Christo fortem. Sunt qui certis artibus corpus stupefaciunt, ne sentiant cruciatus: hoc modo se quidam malefici muniunt, adversus carnificum manus. Sunt & affectus impotentes, qui sensum adimunt animo, ita ut vel mortem impavidi perferant. Sed placidum illud ac mansuetum, illud humiliter sublime, & sublimiter humile, non videmus nisi in Christi martyribus. Hæc autor libri de duplici martyrio, qui Cypriano tribuitur. Non ex passione certa est justitia, sed ex justitia passio gloriosa est, inquit August. lib. 1. contra epistolam Parmeniani, cap. 7.

Vide Instr. Historico-Theol. lib. 10. cap. 11. §. 1.

§. 9. Nona injusta manendi causa est, si quis maneat propter laudes humanas. Contra hanc causam faciunt verba illa Domini de Pharisæis, per pietatis opera humanam gloriolam hypocritice aucupantibus, *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Matth. 6. 2. Item, verba Apostoli Pauli, *ne simus inanis gloriæ cupidi*. Galat. 5. 26. Si quis autem objiciat, non esse quidem faciendum malum propter humanam gloriam, posse tamen bonum fieri licite propter eam; is audiat generalem præceptionem ejusdem Apostoli, ut nihil faciamus per inanem gloriam. *Philip*. 2. 3. & audivimus Dominum damnantem hoc propositum in ipsis operibus charitatis. Apostolus Paulus, exemplum boni pastoris in se præbens, ait, se prædicando Evangelium non quæsivisse humanam gloriam. 1 *Thessal*. 2. 6. Omnia debemus

facere in gloriam Dei. 1 Cor. 10. 31. *Quomodo potestis credere* (inquit Dominus) *qui gloriam alii ab aliis captatis, & gloriam quæ a solo Deo proficiscitur, non quæritis.* Joan. 5. 44. Beatus ille cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Rom. 2. 29. Quamvis eniti debeamus, ut omnium hominum conscientiis nos ipsos approbemus, sicut decet ministros Dei, & nullam ulla in re offensionem præbeamus, ne vituperetur ministerium. 2 Cor. 6. 3, 4. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic verax est, & injustitia in eo non est. Joan. 7. 18.

Caput XLII.

Septima Propositio, quæ est de justis causis manendi in persequutione.

1. 2. *Quando salus populi, fratrumve pericula poscunt*
3. *Ut maneas, Christi vel gloria, vel via quando*
4. *Qua fugias jam nulla patet, crudelia temne*
Funera, proque ovibus Pastor fidum objice pectus:
Vincat amor Christi, cœlique invicta cupido:
Ipse dabit vires Dominus, dabit ipse coronam.

§. 1. QUatuor hic habes justas manendi causas, quarum unaquæque per se sufficiens est. Prima est, salus populi, quam Pastor ita intueri debet, ut, potius quam ejus culpa destituatur grex necessario ministerio & custodia pastorali, vitam suam ponat pro ovibus, sicut latius supra explicavimus in expositione propositionis quartæ, quæ fuit de injustis causis fugiendi.

§. 2. Secunda justa manendi causa est, si fratrum pericula etiam temporalia poscant ut maneas. Atque huc pertinet exemplum illud *Marci* Arethusii, supra commemoratum in expositione propositionis quintæ, conditione secunda: Item, quod de se narrat *Athanasius*, exponens modum fugæ suæ, quod scilicet, populum hosti non tradiderit, sed populo prius egresso, tandem ipse exierit extremæ immistus turbæ. Huc etiam accommodari potest, quod refert ac laudat *Dionysius* Alex. de cara fratrum pelle laborantium, apud Euseb. lib. 7. Eccl. Hist. κεφ. κβ. cap. 17.

§. 3. Tertia causa est, Christi gloria, quæ est causa quædam universalis ad quam omnes aliæ causæ referendæ sunt: hic tamen seorsum ponitur, intuitu tertiæ illius conditionis justæ fugæ quæ exposita est supra in propositione quinta, conditione tertia, nempe ne quisquam cum dato scandalo fugiat: sed poscente Dei gloria atque ut ministerium non vituperetur maneat, sicut fecit *Nehemias*. Nehem. 6. Sicut etiam fecerunt Apostoli. Act. 8. 1.

§. 4. Quarta causa est, quando via, qua fugias, jam nulla patet, id est, quando te Deus tradit in manus persequentium, ita ut nulla honesta supersit fugiendi via: unde certo colligere debes, jam horam tuam advenisse divinitus præstitutam, in qua Deum glorifices remanendo, & hosti te permittendo, non ut gregem deseras, aut hosti victoriam concedas, sed ut gregem custodiendo, & mala quælibet fortiter perpetiendo, cum hoste confligas, ut eum vel ab incepto deterreas, & revoces, sicut fecit *Jeremias*, cap. 26. & *Marcus* Arethusius, teste *Theodoreto*, lib. 3. Hist. Eccles. cap. 6. vel mortem fortiter adeundo, gregi exemplum patientiæ, fidelitatis, & Christianæ fortitudinis atque invictæ constantiæ præbeas, eorumque animos ad similium palmarum & coronarum imitationem ac desiderium inflammes & corrobores, sicut fecerunt *Urias* Propheta, aliique Prophetæ & Apostoli, & pii doctores, qui Domino vocante vitam pro grege alacriter posuerunt.

Crudelia temne funera] Huc pertinet illud, *& non dilexerunt animas suas, usque ad mortem. Apocal.* 12. 11. Item, *nullius rei rationem habeo, neque vita mea mihi ipsi chara est, præ ut perficiam cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi a Domino Jesu, ad testificandum Evangelium gratiæ Dei.* Act. 20. 24. Huc refer & illa testimonia quæ supra citavimus ad quartam propositionem, in explicatione duarum primarum causarum. §. 5.

Proque ovibus Pastor fidum objice pectus.] Bonus Pastor vitam ponit pro ovibus. *Joan.* 10. 11. *Ego vero*, inquit Apostolus Paulus, *libentissime expendam & expendar pro animabus vestris.* 2 Cor. 12. 15. *Cum cupidi essemus vestri, avebamus impertiri vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam nostras ipsorum animas, quoniam chari nobis eratis.* 1 Thess. 2. 8. §. 6.

Vincat amor Christi.] *Simon Jonæ amas me? pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quod & tertio dicitur: deinde hæc verba subjunguntur; *Amen, amen, dico tibi, cum esses junior, cingebas te; quum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quo noles: hoc autem dixit, significans quali morte glorificaturus esset Deum, & quum hoc dixisset, dicit ei, sequere me.* Joan. 21. 15, 16, 17, 18, 19. Apostoli profecti sunt a conspectu Synedrii gaudentes quod digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumelia afficerentur. *Act.* 5. 41. Charitas Christi constringit nos (inquit Apostolus Paulus) 2 *Cor.* 5. 14. Per hoc cognovimus charitatem, quod ille animam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere. *Joan.* 3. 16. Nos diligamus eum quoniam ipse prior dilexit nos. 1 *Joan.* 4. 19. §. 7.

Cœlique invicta cupido] Intueamur in fidei ducem & perfectorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera throni Dei sedit. Reputate igitur eum qui talem adversum se a peccatoribus contradictionem sustinuit, ut ne fatigemini animis vestris, fatiscentes. *Hebr.* 12. 2, 3. Beati qui persequutionem patiuntur justitiæ causa: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5. 10. & ibidem jubet Dominus discipulos suos persequutionem propter Christum patientes gaudere & exultare, quoniam merces ipsorum multa est in cœlis. *vers.* 11, 12. *Λογίζομαι γὰρ ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς.* Reputo enim non esse dignas passiones hujus temporis præ illa futura gloria quæ revelabitur erga nos. *Rom.* 8. 18. Propterea non fatiscimus: sed etiamsi externus noster homo corrumpitur, internus tamen renovatur indies. Momentanea enim levitas afflictionis nostræ, excellenter æternum pondus gloriæ conficit nobis: dum non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur: nam quæ cernuntur temporaria sunt; at quæ non cernuntur æterna. 2 *Cor.* 4. 16, 17, 18. Congerite vobis thesauros in cœlo ubi neque tinea, neque erosio corrumpit, & ubi fures non perfodiunt neque furantur: nam ubi est thesaurus vester, illic erit etiam cor vestrum. *Matth.* 6. 20, 21. Novimus si terrestris domus hæc tabernaculi nostri dissolvatur, nos ædificium ex Deo habere, domicilium non manufactum æternum in cœlis. 2 *Cor.* 5. 1. §. 8.

Ipse dabit vires Dominus.] Fidelis est Deus qui §. 9.
non

non finet vos tentari supra id quod potestis, sed præstabit cum tentatione etiam exitum, ut possitis sufferre. 1 *Cor.* 10. 13. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Amen. *Matth.* 28. 20. Hæc loquutus sum vobis ut in me pacem habeatis, in mundo oppressionem habebitis: sed confidite, ego vici mundum. *Joan.* 16. 33. Omnia valeo per Christum qui me corroborat. *Phil.* 4. 13. Si timemus intuentes nostram infirmitatem, ne tentationi succumbamus, veniat nobis in mentem suavissima illa Christi responsio ad Paulum; Sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea in infirmitate perficitur. 2 Corinth. 12. 9. Ego rogabo Patrem & alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Joan. 14. 16. Hic autem consolator faciet ut Christum coram hominibus non negemus, sed eum confiteamur, juxta promissum illud Domini; dabitur vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Matth. 10. 19, 20. Spiritus Sanctus docebit vos ea ipsa hora quæ oporteat dicere. Luc. 12. 12. In his omnibus plus quam victores sumus per eum qui dilexit nos. *Rom.* 8. 37. Ne confidamus in nobis ipsis, sed in Deo, qui mortuos excitat. 2 *Corinth.* 1. 9. Eripiet me Dominus ab omni opere malo, servabitque in regnum suum cœleste. 2 *Tim.* 4. 18. Deo autem gratia qui facit ut semper triumphemus in Christo. 2 *Cor.* 2. *vs.* 14. Fratres vicerunt Satanam propter sanguinem agni, & propter sermonem testimonii sui. *Apocal.* 12. 11. Huc pertinet illud *Cypriani* hortamentum ad Martyres & Confessores; Si vos acies vocaverit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter, scientes, vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire: qui non sic est, ut servos suos tantum spectet; sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri, & coronat pariter, & coronatur. Hæc *Cyprianus*, epist. 9. seu lib. 2. epist. 6. Ubi quis ita cogitat, (inquit Autor libri de duplici martyrio, qui *Cypriano* tribuitur,) hoc possum, illud perpeti non possum; nunquam fæliciter peraget martyrium. Sed qui se totum tradit divinæ voluntati, non alio spectans, quam ad illius opem, is demum firmus est & invictus. Et Apostoli hortatio est;
2 Tim. 1. 8. συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ κατὰ δύναμιν Θεοῦ.
& 2. 3. & rursum; σὺ οὖν κακοπάθησον ὡς καλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ. At si vehementer tribulatio incubuerit, (inquit *Leo*,) non expavescamus, quasi illi adversitati propriis sit viribus resistendum, cum & consilium nostrum & fortitudo nostra sit Christus, ut sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus. Hæc *Leo* 1. Papa Rom. epist. 92. ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum.

§. 10. *Dabit ipse coronam.*] Qui sustinuerit usque in finem, is servabitur. *Matth.* 10. 22. Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Matth.* 16. 25. Quisquis confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. *Matth.* 10. 32. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Apocal.* 2. *vs.* 10. Christiani tormenta superantes triumphant, & multos ex intuentibus Christo captivos ducunt. Licet nunc (inquit Tertullianus) Sarmentitios & Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. — Probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur. — Nec quicquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra: illecebra est magis sectæ: plures efficimur quoties metimur a vobis, semen est sanguis Christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus. Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur, ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit? ubi accessit, pati exoptat? ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus, ut est æmulatio divinæ rei & humanæ, cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur. Hæc *Tertullianus*, in suo Apologetico adversus Gentes, pro Christianis, cap. 50. seu ultimo.

Ethnicis Christiani per contemptum dicti sunt sarmentitii & semaxii.

Semen est sanguis Christianorum.

De Cura & Resid. Pastor.

Caput XLIII.

De Exilio, carcere, cruciatibus, cessione bonorum, sive de ferenda rapina, aut tradendis facultatibus: item *de Silentio.*

Edicto principis quamvis injusto, quo pastori decernitur exilium, pastor sine culpa obtemperat. Neque propterea gregem deserere dicendus est, quia in eis, quæ absque mercenaria desertione & absque offensione Dei a nobis fieri possunt, obtemperandum est principi, quamvis injuste imperanti: multa enim injuste imperantur, quæ tamen juste fiunt. e. g. Imperat tyrannus injuste, ut vel bonis cedam, aut jugulum ponam, & cervicem lictori præbeam, vel Christum abnegem; ego juste cedo bonis, offero jugulum, potius quam Christum abnegem. §. 1.

Tyranno rapienti bona mea, aut me ad supplicium trahenti, non resistam armis, neque seditionem concitabo, quum sit meus legitimus princeps, quamvis tyrannice imperium administret, cui tamen ego homo privatus subjectus esse teneor, quemadmodum monuit Apostolus Paulus, ut subditi Christiani se subjicerent etiam *Neroni* Principi, quamvis Ethnico & tyrannice dominanti. §. 2.

Sic *Johannes* Apostolus, jussu *Domitiani*, in insulam Pathmon relegatus, mansit ibi usque ad obitum *Domitiani*, & tunc quidem, actis ejus ob nimiam crudelitatem a Senatu rescissis, rediit *Joannes* Ephesum, sub *Nerva* Principe, ut scribit *Hieronymus* in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. cap. 19. & hujus suæ relegationis propter verbum Dei & propter testimonium Jesu Christi, meminit ipse Johannes *Apocal.* 1. *vs.* 9. Neque interea destituebatur Ephesina Ecclesia necessario ministerio, nam in eadem Apocalypsi cap. 2. scribit epistolam ad Angelum Ecclesiæ Ephesinæ. §. 3.

Athanasius Episcopus Alexandrinus, jussu *Constantini* Magni Imperatoris, exulavit in urbe Galliæ, quæ Treviris dicitur, biennio integro & mensibus quatuor, neque ante reversus est Alexandriam, quam rebus humanis exempto *Constantino* Magno remissus est cum literis Constantini filii, sicut etiam mandaverat ipse Magnus *Constantinus* moriens; teste *Theodoreto*, lib. 1. Hist. Eccles. cap. 31. & 32. & lib. 2. cap. 1. & 2. §. 4.

§. 9. Idem *Athanasius*, in sua ad *Constantium* Imperatorem Apologia, sic eum alloquitur: age jam cum tua bona venia inspiciamus ad respondendum ad aliam calumniam. Auli enim sunt inter crimina jactare, quod tuis mandatis, quibus injunctum volunt ut Alexandria excederem, non obtemperaverim. Miror eos calumniis non defassari; sed quia defatigari non possunt, æquum ergo est, ut nec ego defatiger: quanto enim plures mei extiterint purgationes, tanto magis illi teteriores apparebunt. Nequaquam restiti mandatis tuæ pietatis, absit, non enim ego is sum, qui vel quæstori civitatis resistam, nedum tanto Imperatori, & bene quod adversus hanc calumniam plurimis abundo defendendi rationibus. Universam enim civitatem testem habeo. —— Certe me profectioni adornabam, nam & hujus rei conscius est *Montanus*, ut literis tuis acceptis, si dignatus fuisset scribere, statim decederem, & promptitudine obsequendi, mandatum tuum antevenirem. Non enim ita insaniebam ut ithusmodi tuo præcepto contradicerem. —— Non restiti decreto tuæ pietatis, neque Alexandriam ingredi conabor, quamdiu id

* * * *Hic deest pagina Autographo.*

missus est denuo nuncius ad decretum ostendendum: addiditque in literis suis ad *Eusebium* Imperator, se mandasse nuncio, ut nisi redderet illud, dextram ejus amputaret: cum tamen hæc ad eum pervertefaciendum solum scripsisset, siquidem verterat tabellarium illud facere, quod per literas *Eusebio* minatus fuerat. Simulatque vero divinus ille vir, resignatis literis, intellexit supplicium, quod Imperator ei minatus fuerat; non dextram modo, sed lævam etiam extendit, jubetque utramque abscindere. Nam decretum (inquit) non reddam, quod Arianæ improbitatis iam clarum indicium dat. Itaque Imperator, intellecta ejus animi magnitudine & constantia, & tunc cum plurimum admiratus est, & postea suspicere non destitit. Etenim inimici, præstantes adversariorum virtutes, magnitudine rerum gestarum ad id compulsi, etiam admirari solent, inquit *Theodoretus*, loco proxime citato.

§. 10. Magnus ille *Meletius* edicto *Juliani* restitutus, ejicitur postea a *Valente* Imperatore, & in Armenia degere jussus, ibi permansit, donec mortuo *Valente* revocatus ac sedi suæ restitutus est edicto *Gratiani* Imperatoris. *Socrat.* lib. 5. Hist. Ecclef. cap. 3. & 5. & *Theodoret.* lib. 4. Histor. Ecclef. cap. 12. & lib. 5. cap. 2. & 3.

§. 11. *Barses* Episcopus Edessæ, abivit jussu *Valentis* Imperatoris in exilium in Aradum insulam, at ubi intellexit *Valens*, infinitas hominum multitudines ad eum confluere, (etenim Apostolica repletus grana, morbos verbo depulisse fertur,) Oxyrinchum quod est oppidum Ægypti relegavit. Rursus, postquam ejus gloria omnes etiam eo frequentes pertraxit, ad castellum misit in extremis oris illius regionis positum, vicinumque barbaris qui illic habitant; cujus nomen Pheno erat. Ut scribit *Theodoretus*, lib 4. Hist. Ecclef. cap. 15.

Præterea multa alia præstantissimorum virorum placide atque obedienter suscepta exilia.

§. 12. Hoc est confiteri Christum coram hominibus, si nulla cujuscunque ærumnæ formidine a Christi confessione & officii præstatione deterrearis. Et quemadmodum pastor ad animam pro ovibus ponendam vocatus, facit quod est boni pastoris, dum oves mortem pro Christo fortiter oppetere suo exemplo docet: sic etiam ad Exilium aut carcerem perferendum pro Christi nomine vocatus pastor præstat munus pastorale, dum gregem suo exemplo animat ad quaslibet ærumnas sive carceris sive exilii, sive quascunque alias quæ objiciuntur constanter ferendas, & quidem animo etiam ad mortem, si Dominus eo vocet fortiter adeundam. Quam tamen non suo accerset arbitratu, sed divinam revereatur vocationem, & expectabit horam in Dei manu positam. Sic multi præclari pastores, dum pro gregibus pugnant, partim cœsi, partim in exilium ejecti sunt, imperante *Constantio*, ut meminit *Athanasius*, in sua ad *Constantium* Apologia, & imperante *Juliano*, ut scribit *Socrates*, lib. 3. & *Theodoret.* lib. 3. Hist. Ecclef.

Interdum vero fas esse ex inimicorum vinculis evadere, quando honestam evadendi viam Dominus patefacit, & quando evasio illa non scandalum, sed justum gaudium & emolumentum adfert Ecclesiæ Dei, patet ex historia, quam legimus de *Petro* Apostolo per Angelum ex vinculis educto, quamvis ejus liberationem secuta fuerit custodum pernicies, nulla *Petri* culpa, sed ipsorum vitio persequentium. *Act.* 12. §. 13.

Ut quoslibet contemnamus pro veritate cruciatus monet Dominus, quando ait; *nihil metue eorum, quæ passurus es*: Apocal. 2. 10. Huc referantur exempla *Marci* Arethusii, & *Eusebii* Samosatensis, supra memorata, & exempla quæ commemorat Apostolus in Epistola ad Hebræos, de passionibus veterum sanctorum; quorum alii distenti sunt, neglecta liberatione, ut potiorem resurrectionem nanciscerentur; alii vero ludibria & flagella sunt experti, insuper & vincula & carcerem: lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, gladio cæsi occubuerunt, cum ovillis & caprinis pellibus oberraverunt, destituti, oppressi, male habiti, quibus indignus erat mundus: in desertis errantes, & montibus ac speluncis, & cavernis terræ. *Hebr.* 11. 35, 36, 37, 38. Imprimis vero intueamur in fidei ducem ac perfectorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dextram throni Dei consedit: & reputemus, quis ille sit, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus se contradictionem, ne animis deficientes, fatiscamus. *Hebr.* 12. 2, 3. Nota est historia fratrum illorum septem, eorumque matris, quæ exstat 2 *Maccbab.* 7. Et recte *Augustinus*, magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spiritali victu necentur, quam ne membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur. Non quia hæc non sunt vitanda cum possint; sed quia potius ferenda sunt, quando vitari sine impietate non possint. Hæc *August.* Ep. 180. ad Hon. §. 14.

De patienter ferenda facultatum rapina propter nomen Christi, habemus clarissima Scripturæ testimonia. Quisquis vestrum est qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14. 33. Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, causa nominis mei: centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure possidebit. *Matth.* 19. 29. Et Apostolus laudat Hebræos in eo quod direptionem facultatum suarum cum gaudio acceperint, ut qui scirent habere se potiorem substantiam, quæ est in cœlis, & quæ permaner. *Hebr.* 10. 34. Huc refer illa *Ambrosii* verba, Basilicam tradere recusantis: Si a me peteret Imperator, quod meum esset, id est; fundum meum, argentum meum, quidvis hujusmodi meum, respondi me non refragaturum, quanquam §. 15.

quam omnia quæ mea sunt, essent pauperum: verum ea quæ divina, Imperatoriæ potestati non esse subjecta. Si patrimonium petitur, invadite; si corpus, occurram, vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor. Hæc ille in Epistola ad *Marcellinam*, paulo superius citata.

§. 16. *De Silentio.* De silentio, si quæratur, utrum debeat Pastor jussu Imperatoris aut magistratus civilis a prædicando Evangelio etiam in locis privatis, prorsus conticescere, nec ne? Respondeo, non licet, quia obediendum est Deo potius quam hominibus, sicut argumentantur pro sua etiam palam docendi libertate Apostoli. *Act.* 4. 19, 20. & *cap.* 5. 29. Necessitas mihi incumbit, inquit Paulus Apostolus, væ autem mihi est nisi evangelizem. 1 *Cor.* 9. 16. Dominus Jehovah locutus est, quis non prophetabit, ait *Amos* 3. 8. Huc pertinet illud de speculatore, & de necessitate monelæ, quod dicitur *Ezechieli* Prophetæ. *Ezech.* 3. 17. & *seqq.* Et manifesta etiam est ratio; nam magistratus politicus, nec dare nec auferre potest prophetandi potestatem, quam habent a Christo, qui accepit dona & dedit hominibus. *Eph.* 4. Et prophetarum spiritus non nisi Prophetis subjecit. 1 *Cor.* 14. 32. Nempe quoad prophetandi potestatem, & normam, ut constat ex illo capite. Etiamsi, qua cives, subjecti sint Prophetæ magistratui, non minus quam reliqui cives, juxta illud; omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta esto. *Rom.* 13. 1. Potestatem prophetandi habet Propheta a Domino, & ordinarie quidem interveniente Ecclesiastica ordinatione; normam vero & regulam veracis Prophetiæ petere debet ex verbo Dei scripto, non autem ex hominum placitis.

§. 17. Adhibenda interim & cum columbæ simplicitate conjungenda est serpentina illa prudentia, neque porcis objiciendæ sunt margaritæ, & tempus esse potest justi silentii, de quo dicit Amos Propheta; *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* (*Amos* 5. 13.) Quæ verba *Hieronymus* in commentario sic exponit; Quando igitur vir Ecclesiasticus & prudens atque intelligens multas impietates in ea, quæ vocatur domus Dei, esse cognoverit, & non solum multas, sed & fortes, & quæ opprimere possint justitiam, & in tantum doctorum rabiem processisse, ut accipiant pretium in judicio, & omnia pro muneribus faciant, pauperes quoque devitent in portis, & audire contemnant, taceat in illo tempore: ne det sanctum canibus, & mittat margaritas ante porcos, qui conversi conculcent eas: & imitetur Hieremiam dicentem, solus sedebam, quia amaritudine repletus sum. Et in Psalmis; Singularis sum ego, donec transeam. Hæc *Hieronymus*, Comment. in cap. 5. Amos. Et prudentis cujusdam silentii exemplum in *Basilio* magno commemorat *Gregorius Nazianzenus*, orat. 20. idque laudat, & confirmat verbis Psalmi, ubi vir bonus dicitur dispensare verba sua in judicio, *οἰκονόμειν τοὺς λόγους αὐτοῦ ἐν κρίσει.*

§. 18. Attamen sedulo advigilandum, ne sub falsa prudentiæ specie obrepat prævaricatio in causa veritatis & pietatis, ne Pastor quando loqui debet se sub silentio abscondat, ne prævaricatrice silentio quisquam impiæ negationis reatum contrahat, & neglecto Dei mandato hominibus se in servitutem dedat. Mandat Dominus Prophetæ Hieremiæ; *Loqueris universos sermones, quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos: noli subtrahere verbum.* (*Jer.* 26. 2.) Quem locum sic explicat *Hieronymus* in Commentario; *Noli*, inquit, *subtrahere verbum: licet triste sit, licet adversum te audientium rabies concitetur, tamen dicito quod tibi imperatum est: non formidans persecutiones eorum qui adversum te concitandi sunt, sed Domini jubentis imperium.* Ad omnes a Domino constitutos verbi sui præcones pertinet imitatio illius exempli, quod nobis *Ps.* 40. 10, 11. proponitur his verbis; *Annunciavi justitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibui, Domine, tu nosti. Justitiam tuam non abscondi in medio cordis mei, veritatem tuam & salutem tuam dixi, non celavi misericordiam tuam & veritatem tuam a cœtu multo.* (*Vide Instr. Hist. Theol. lib.* 3. *cap.* 20. §. 38. *lib.* 4. *c.* 9. & *lib.* 12. *c.* 1. §. 17.) In hunc Psalmum *Ambrosius*, prope finem suæ enarrationis; *Totus* (inquit) *ex persona Christi Psalmus ille est.* Ad omnes autem, uti jam monui, ministros Evangelii pertinet exempli bujus imitatio, ut de creditis talentis spiritualis Domino usura accrescat. Vide quæ superius disseruimus de causis fugiendi vel manendi, tribus proxime præcedentibus capitibus, ex quibus etiam de licito vel illicito silentio regulæ quædam per evidentem consequentiam facile colligi possunt.

Capitis hujus summa huc redit.

Ut mortem placide Pastor sine crimine perfert,
Sic etiam exilium, nec ob id desertor habendus,
Edicto parens si principis exulet insons,
Carceris, aut tetram jussus descendat in umbram:
Dum constanter oves pro Christi nomine cuncta
Ferre docet, verbo, vel scripto, aut dura ferendi
Qualibet exemplo, Domino adquæcunque vocante:
Sive bonis sit cedendum, seu mors adeunda,
Vertendumve solum, vel vincula suscipienda,
Vel quoscunque parat cruciatus dira tyrannis.
Prudens in verbis adhibenda est cautio: verum
Quæ Christus jubet effari, quamvis vetet orbis,
Hæc reticere nefas: Domino mos usque gerendus:
Intrepide parere Deo, prudentia summa est.

FINIS.

Soli Sapienti Deo sit gloria in Ecclesia per Christum Jesum in omnes generationes seculi seculorum. AMEN.